7
8 F
15

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

15 1
F.
1

MAGNA

BIBLIOTHECA
VETERVM
PATRVM,

Et antiquorum SCRIPTORVM *Eccleſiaſticorum.*

PRIMO QVIDEM A MARGARINO DE LA BIGNE
SORBONICO IN ACADEMIA PARISIENSI THEOLOGO
collecta, & tertiò in lucem edita.

Nunc verò plus quàm centum Authoribus, & opuſculis plurimis locupletata, hiſtorica methodo per ſingula ſæcula, quibus Scriptores quique vixerunt, diſpoſita, & in XIV. *Tomos diſtributa:*

OPERA ET STVDIO DOCTISSIMORVM IN ALMA VNIVERSITATE COLON. AGRIPP. THEOLOGORVM AC PROFESS.

TOMI SIVE SÆCVLI QVINTI
PARS III.

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Antonij Hierati, ſub ſigno Gryphi.
ANNO M. DC. XVIII.

Digitized by Google

SERIES AVTHORVM ET OPVSCVLORVM, QVÆ SÆCVLI QVINTI PARTE III. CONTINENTVR.

*Aſteriſco * notati recens acceſſerunt.*

* PRoſper Aquitanicus Epiſcopus Rheginenſis, Leonis primi Papæ Notarius, ſcripſit diuerſa Opuſcula ſoluta oratione & carmine, quæ extant pag. 1. & ſeqq. recognita & recenſita per Ioan. Oliuarium.

* Arnobius iunior, putatur ſtatim poſt tempora S. Leonis vixiſſe, ſcripſit librum cui titulus eſt conflictus Catholici cum Serapione, qui extat cum notis Franciſci Feuardentij pag. 200. Huius etiam Arnobij putantur eſſe Commentarij in Pſalmos, qui ſub nomine Arnobij ſenioris circumferuntur. Habes illos ex emendatione Pariſ. de la Barre pag. 230.

Theodorus Rhaitu ſcripſit Commentarium de Incarnatione Domini, contra Neſtorium & Eutychen, extat pag. 118 Floruit hic author circa annum Domini 460.

Saluianus Presbyter, & poſtea Epiſcopus Maſſilienſis, ſcripſit varia Opuſcula, quæ recenſet Gennadius, ex quibus nunc extant pag. 323. libri 8. De Gubernatione Dei. Item Epiſtolæ ad diuerſos pag. 361. Timotheus ſiue libri 4. ad Eccleſiam, pag. 365.

Salonius Saluiani Diſcipulus, multa, vt ait Sixtus Senenſis ſcripſit in S. ſcripturam egregia Commentaria, ſed ex iis nunc ſolum extat breuis expoſitio in Prouerbia & Eccleſiaſten, pag. 382.

Claudius Marius Victor Rhetor Maſſilienſis, ſcripſit Carmine in Geneſin Commentariorum Libros 3. extant pag. 395. Carmen de peruerſis ſuæ ætatis moribus, ad Salomonem Abbatem, extat pag. 408. Moritur ſub Theodoſio Iuniore.

* Baſilius Seleuciæ S. Ioannis Chryſoſtomi æqualis & familiaris, ad quem putat Photius Chryſoſtomum ſcripſiſſe Libros de Sacerdotio, ſcripſit multa, ex quibus nunc extant Latinè edita, Orationes 43. quas habes interprete Cl. Dauſqueio Audomario Societ. Ieſu, pag. 409. Demonſtratio aduerſus Iudæos De Aduentu Chriſti, ex interpretatione Franciſci Turriani S. I. pag. 472. Vita Theclæ ſoluta oratione, hanc tamen, quia noſtri inſtituti non eſt Vitas Sanctorum edere, conſultò hic omiſimus.

* Valerianus Cemelienſis Epiſcopus vixit tempore Leonis primi Pontificis, ſcripſit Homilias varias, quæ numero viginti extãt ex editione Iacobi Sirmondi Societ. Ieſu, pag. 475. epiſtolam ad Monachos, ibid. p. 499.

Fauſtus ſiue vt alij legunt, Fauſtinus, ex Monacho Lirinenſi Epiſcopus Rheginenſis, de quo multa Baron. Tom. 6. Annal. ſcripſit diuerſa Opuſcula, quæ recenſent Gennadius & alij, ex iis nunc extant pag. 500. Sermo ad Monachos pag. 502. Exhortatio ad bonam Vitam & profeſſio Fidei ad Leontium: pag. 503 De libero Arbitrio Libri 2. pag 523. Epiſtolæ ad Diuerſos: extat etiam huius Fauſti Homilia quædam de Maximo in Bibliotheca Lirinenſi nuper edita, quæ à nobis conſultò omittitur, quod noſtri inſtituti non ſit Vitas Sanctorum edere. Scripſit prætereà librum de Creaturis, quod in illis incorporeum nihil ſit, quem habes præfixum Operibus Claudiani Mamerci, qui huic Libro reſpondet Tom. 5 parte 1. huius Bibliothecæ; vixit Fauſtus medio tempore inter S. Auguſtinum & Proſperum, adeoque errant, qui eum faciunt Diſcipulum S. Benedicti.

* Ruricius Lemouicenſis Epiſcopus, Fauſti æqualis, ſcripſit ad diuerſos Epiſtolarum Libros duos, extant ex editione Henrici Caniſij pag 536.

* Deſiderius Cadurcenſis, Fauſti & Ruricij æqualis, ſcripſit Epiſtolarum ad Diuerſos Librum vnum, editum per eundem Henricum Caniſium, extat pag. 556.

Theodulus, vel vt alij legunt, Theodolus presbyter in Cœleſyria, & poſtea Epiſcopus, ſcripſit diuerſa Opuſcula partim ſoluta Oratione, partim Carmine, quorum aliqua recenſet Gennadius, quæ nunc non videntur extare: feruntur etiam ſub huius nomine Commentaria in Epiſtolas Pauli, quæ habentur pa. 563. Obiit Theodulus, teſte Gennadio, tempore Zenonis Imperatoris.

Nemeſius Emiſſenus Epiſcopus, ſcripſit de Natura Hominis librum, qui extat pag. 595. quo tempore vixerit hic author incertum eſt, putat tamen Coccius eum vixiſſe hoc quinto ſæculo.

Æneas Gazæus, qui vt ex ſcriptis eius colligitur, vixit circa tempora Zenonis Imperatoris, ſcripſit Dialogum de Animarum Immortalitate & corporum Reſurrectione, quem vocauit Theophraſtum extat pag. 625.

Antonius Epiſcopus Conſtantienſis, ſcripſit Epiſtolam conſolatoriam ad Arcadium quendam à Genſerico Gothorum Rege in exilium actum, extat pag 640.

Agnellus Epiſcopus Rauennatenſis, ſcripſit Epiſtolam ad Armenium de Ratione Fidei, quæ extat pag. 642. Hunc authorem 5. Sæculo ponit Coccius.

Drepanius Florus, cuius, vt putat Baronius, meminit Sidonius Apollinaris Lib. 8. epiſtola 11. ſcripſit Carmina quædam, quæ extant pag. 643.

Cerealis Epiſcopus Caſtalenſis ſcripſit Librum contra Maximum Arianum, qui extat pag 646.

Victor Vticenſis vixit temporibus Zenonis Imperatoris, ſcripſit de Perſecutione Vvandalica, extat pag. 650.

Gelaſius Papa putatur à quibuſdam ſcripſiſſe Librum de duabus in Chriſto Naturis, qui ſub nomine Gelaſij circumfertur, & extat pag. 667. ſed vide quæ ibi prænotata ſunt ex Bellarmino.

Gildas Sapiens ſcripſit de Excidio Britanniæ librum, qui extat pag. 675. Item reprehenſionem ad clerum Britanniæ, extat ibid. pag. 682.

* Vigilius Epiſcopus Tridentinus, non ille qui in Romano Martyrologio inter Sanctos habetur adſcriptus, ſed alius quidam, quem ex lib. contra Eutychen conſtat vixiſſe circa tempora Zenonis & Anaſtaſij Imperatorum. Scripſit ſub nomine Athanaſij libellum contra Sabellium & Photinum, qui extat pag. 690. item contra Eutychen Libros 5. extant ibidem pag. 711. Omnia nunc primùm recenſita ſtudio Andreæ Schotti Societ. Ieſu.

Paſchaſius S. Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis, floruit temporibus Gelaſij Papæ, ſcripſit Libros 2. de Spiritu S. qui extant pag. 733.

Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, floruit temporibus Symmachi Papæ, ſcripſit Homilias diuerſas, quæ extant pag. 745. Exhortationem ad tenendam Caſtitatem, ibi. p. 787. Epiſtolam ad quoſdam Germanos ibid. pag. 788. Tractatum de decem Virginibus, ibid. pag. 790.

Tetradius Cæſarij Arelatenſis nepos, ſcripſit Cæſario dictante Regulam quandam pro Monachis, extat pag. 792.

* S. Paterius ſub Cæleſtino I. Papa legatione functus eſt ad Hibernos, extat ea Legatio accepta ex Miſcellaneis Ger. Voſſi, pag. 793.

* S. Orienſius ſiue Orenſius Illiberitanus Epiſcopus, cuius meminit Sidonius Apollinaris lib. 9. ep. 12. ſcripſit carmine Commonitorium, quod extat pag. 793. editum, & notis illuſtratum à Martino Delrio è Societate Ieſu.

* Remigius Rhemenſis Epiſcopus, ſcripſit Explanationes Epiſtolarum B. Pauli Apoſtoli, quas ex M. S. Monaſterij S. Ceciliæ Romæ trans Tyberim edidit R. P. Ioannes Baptiſta Villalpandus e Societ. Ieſu, & in hac noſtra Bibliotheca inuenies pag. 801. & ſeqq.

FINIS.

SANCTI PROSPERI AQVITANICI, EPISCOPI RHEGIENSIS, OPERA, ACCVRATA

B VETVSTORVM EXEMPLARIVM COLLATIONE F

à MENDIS PENE INNVMERIS REPVRGATA,

Per Io. Oliuarium.

ELENCHVS EORVM QVAE CONTINEbat antiqua editio.

Opus de prædictionibus & promiſſionibus Dei.
De vita contemplatiua libri tres.
Ad Ruffinum epiſtola vna.

C Reſponſiones ad capitula Gallorum. ad obiectiones Vincentianas. ad excerpta Genuenſium. — *Hæc habentur tom. 7. Operum S. Auguſtini, ideò hic omiſimus.* G

Contra Caſſiani Presbyteri librum, cui titulus eſt, De protectione Dei, de gratia Dei, & libero arbitrio liber vnus: nunc demum in capita diuiſus. — *Hic ſimiliter eam ob cauſam omiſſus eſt.*

Sententiarum ex operibus S. Auguſtini excerptarum, liber vnus. — *Omiſſus eſt, quia extat tom. 3. Operum S. Auguſtini*

Ex iiſdem ſententiis, Epigrammaton liber vnus.
De prouidentia diuina opuſculum alterius quàm Proſperi.
De Ingratis contra Pelagianos, liber vnus, in cap. ſectus.
D Commentarius in Pſalmum centeſimum & ſequentes 50. H

In hac editione vltima acceſſerunt.

De vocatione omnium Gentium libri 2. in breuiora capita diſtincti; non ſublata tamen priori diſtinctione, ſed in margine repoſita: cum inſigni ſupplemento cap. 8 lib. 1.
Ad ſacram virginem Demetriadem epiſtola vna.

Ad S. Auguſtinum epiſtula vna. Cæleſtini epiſtola pro Proſpero & Hilario. Canones alterius concilii Arauſicani. — *Habentur eadem tomo 7. S. Auguſtini, ideo hic omiſſa ſunt.*

Omnia nouis variarum lectionum acceſſionibus locupletiora.
Quæ C. litera notantur, eas exhibuit lib. Cambronenſ.
Cæteras D. Ioannis Sarraceni induſtria.
Chronicon Proſperi ſtudio omiſimus, quia Euſeb. Cæſarienſi ſubiungi ſolet.

EX TRITHEMIO.

Proſper Epiſcopus Rhegienſis poſt Fauentium, natione Aquitanicus. vir in diuinis ſcripturis eruditiſſimus, & in ſecularibus nobiliter doctus, carmine excellens & proſa, eloquio diſertus, ſenſu profundus, ingenio ſubtilis, aſſertione neruoſus, vita & conuerſatione ſanctiſſimus apparuit. Hic beati Leonis Papæ magni quondam notarius fuit, & multas in eius perſona epiſtolas dictauit. Scripſit etiam de ſua vena multa præclara opuſcula, de quibus tantum reperi ſubiecta. Ex ſententijs S. Auguſtini Epiſcopi, verſibus hexametris & pentametris mixtum proſa opus pulcherrimum, quod prænotare voluit. Epigrammatou lib. 1. qui ſic incipit. Dum ſacris. B *De vita contemplatiua lib. 3. Contemplatiua vita, ſuqua. De libero arbitrio lib. 1. Domino fratri dilectiſſimo Ruffino. Ad capitula Gallorum lib. 1. Doctrinam quam ſanctæ memoriæ. Ad obiecta Vincentianorum lib. 1. Quidam Chriſtiana Ad excerpta Genuenſium lib. 1. In libris. Summam grandem CCCXXX. quæſtionum lib. 1. Innocentia, vel Scientia. Contra Caſſianum de libero arbitrio lib. 1. Chronicon hiſtor. lib. 1. Epiſtolarum ad diuerſos lib. 1. de illuſtribus viris lib. 1. de captiuitate Romæ lib. 1. Alia inſuper nonnulla ſcripſiſſe dicitur, ſed ad manus noſtras non venerunt. Claruit temporibus Leonis Pontificis magni Anno Domini CCCCLX. cuius feſtum celebratur VII. Kal. Iulij.*

C

EX BELLARMINO DE SCRIPTO-ribus Eccleſiaſticis.

SANCTVS Proſper Aquitanus Hilarij æqualis, & S. Leonis quondam notarius, Epiſcopus fuit Rhegienſis in Italia, vel in Gallia. Scio paſſim exiſtimari ſanctũ Proſperum fuiſſe Epiſcopum Rhegij in Aemilia prouincia Italiæ: ſed ego ſuſpicor, Epiſcopum fuiſſe Rhegienſem in Prouincia Prouinciæ ſuffraganeum Archiepiſcopi Aquenſis: nam video ſanctum Proſperum ſubſcripſiſſe in Concilio Prouinciali Vaſenſi, & Carpentoracenſi: quod argumentum eſt, illum fuiſſe Epiſcopum in prouincia Galliæ. Præterea ſancto Proſpero ſucceſſit in Epiſcopatu Fauſtus Rhegienſis: omnes autem Fauſtum, Epiſcopum Gallum faciunt, non Italum, ac dicunt metropolitano Aquenſi ſubiectum, non Rauennatenſi, cui ſubiectus eſt Epiſcopus Rhegij in Aemilia. Sed quicquid de hac re ſit (nihil enim defi-
D mio) ſanctus Proſper multa præclarè ſcripſit pro gratia Chriſti contra Pelagianos, ſeq; S. Auguſtini diſcipulum, & defenſorem acerrimum demonſtrauit.

Scripſit *libros tres de prædictionibus, & promiſſionibus Dei.*
De vita contemplatiua alios tres.
De vocatione gentium duos.
De gratia & libero arbitrio ad Ruffinum.
Reſponſiones ad capitula obiectionum Gallicarum, Vincentianarum, & Genuenſium.
De gratia Dei contra Collatorem. 1.
Librum ſententiarum S. Auguſtini. 1.
Librum de prouidentia Dei. 1.
Epiſtolam vnam ad ſanctum Auguſtinum de prædeſtinatione.
Commentaria in Pſalmos a centeſimo vſque ad centeſimum quinquageſimum.
Librum Epigrammatum, inter quæ eſt carmen contra ingratos.
Chronicum Euſebij & S Hieronymi continuauit.

OBSERVATIO.

Gennadius in lib. de viris illuſtribus ſcribit, epiſtolam illam celebrem S. Leonis ad Flauianum contra Eutychẽ, exiſtimari à S. Proſpero fuiſſe ſcriptam. At certè ſi vlla epiſtola S. Leonis eſt, illa omnino eſt, ſiue ſtylum, ſiue doctrinam Leonis attendas.

Libri de vocatione gentium tribuuntur etiam S. Ambroſio, ſed verè Proſperi ſunt, non Ambroſij, vt ſuprà demonſtrauimus, cùm de libris Ambroſij ageremus.

Liber de prouidentia Dei non videtur Proſperi, ſed alicuius ex factione Gallorum, qui Semipelagiani ſunt appellati. Legat prudens lector, & iudicet.

LECTORI CHRISTIA-NO SALVTEM. F

PROSPER Aquitanus in Gallia, Epiſcopus fuit Rhegienſis, & aduerſus reliquias hæreſis Pelagianæ acerrimus atque elegantiſſimus Catholicæ fidei defenſor: idque ex autoritate Sedis Apoſtolicæ, vti dicit in præfatione ſuarum reſponſionum ad capitula obiectionum Vincentianarũ.

Extat eius epiſtola ad beatum Auguſtinum iam ſenem: qua breuiter complectitur querelas eorum, qui in Maſſilienſi vrbe conſtituti, ſub nomine catholico Pelagianam hæreſim in ſinu fouebant: & pleraſq; Sancti Auguſtini definitiones, velut maiorum ſententijs aduerſas calumniabantur: contra quos eiuſdem Auguſtini implorat auxiliũ. Eiuſdem argumenti & Hilarios Arelatenſis ad eundem Auguſtinum ſcripſit epiſtolam. Reſponſurus itaq; eis Auguſtinus, duos ſcripſit libros, quorum vnus de prædeſtinatione ſanctorum, alter de bono perſeuerantiæ inſcribitur. Cumque defuncto Auguſtino conniuentibus nonnullis Galliæ Epiſcopis, presbyteri quidam non ceſſarent damnatis Pelagij ſenſibus inhærere, & apud imperitos Sanctum Auguſtinum inſimulare, quòd in confutandis Pelagij erroribus neceſſarium modum exceſſiſſet, molta q; aſſeruiſſet in duobus prædictis libris, cunctis Chriſti fidelib. meritò deteſtanda: hi duo zelo fidei accenſi, Cæleſtinum Romanum tunc Pontificem adierunt, & querela apud eum depoſita, epiſtolam ab illo eruditiſſimam obtinuerunt: qua non tantùm fides catholica ex præceſſorum ipſius Cæleſtini Romanorum Pontificum decretis contra reliquias hæreſis Pelagianæ grauiſſimè defenditur, verùm etiam adeò prædicatur Auguſtinus, vt vel hinc non immerito hactenus habitus ſit præcipuus Eccleſiæ doctor. Ait enim dictus Cæleſtinus, quòd nunquam eum ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſerit, quodq; tantæ ſcientiæ olim fuerit, vt inter magiſtros optimos, etiam ab eius ſemper præceſſoribus haberetur, & quòd de eo bene omnes in commune ſenſerunt, vtpote qui vbiq; cunctis & amori fuerit & honori. H

Inuenitur Proſper ſubſcripſiſſe Synodo ſecundæ Vaſenſi, item Carpentoracenſi: inter quas media fuit ſecunda Arauſicana. Cui ideo fortaſſe non interfuit nec ſubſcripſit, quòd capitula ad eam à Leone tranſmiſſa, eiuſdem Leonis iuſſu conceperat: ſicut etiam Gennadius ſcribens de eo, ait: Epiſtolæ Papæ Leonis aduerſum Eutychem, de vera Chriſti incarnatione ad diuerſos datæ, ab ipſo dictatæ creduntur, quod tamen an ita ſe habeat, iudicio lectoris relinquetuus. *Apud Hierony. in Catalogo illuſtrium virorum.*

Porrò quanto ſtudio proſecutus ſit doctrinam ſancti Auguſtini, ex opuſculis eius manifeſtiſſimum eſt: quorum pleraq; aut compendia eorum ſunt, quæ latiùs proſecutus eſt Auguſtinus, vt Sententiæ & Commentarij in Pſalmum centeſimum & ſequentes vſq; ad centeſimum quinquageſimum primum, aut certè defenſiones & explicationes definitionum eius, quas Caſſianus, Fauſtus, Vincentius, & alij in Gallia magis peruertendo, quàm contra diſſerendo oppugnabant. Cuiuſmodi ſunt, epiſtola ad Ruffinum,

A reſponſiones ad capitula Gallorum, ad obiectiones Vincentianas, ad excerpta Genuenſium, liber contra Collatorem, carmen contra Ingratos, & libelli duo de vocatione omnium gentium, falsò hactenus ſancto Ambroſio aſcripti: quos in hac editione authori ſuo reſtituimus, non tantùm ob ſtyli & phraſis ſimilitudinem, ſed etiam quia in Bibliotheca regularium Sancti Martini Louanij, & in Bibliotheca Abbatiæ Cambronenſis, nec non in Boneſtienſi Abbatia apud Namurcum, in antiquiſſimis exemplaribus manuſcriptis habentur nomine ſancti Proſperi. Certè Ambroſij non eſſe, ex ſtylo clariùs apparet, quàm vt vlla oſtenſione egeat: & ex eo maximè, quòd poſt damnatos Pelagianos (ante quorum damnationem è viuis exceſſerat Ambroſius) ſint ſcripti, vt videre eſt in capit. 22. libri prioris.

Eiuſdem Proſperi cenſemus epiſtolam vltimam apud ſanctum Ambroſium ad Demetriadem virginem: partim ob ſtylum, partim ob argumentum. Dirigitur enim poſt damnatam Pelagij hæreſim contra epiſtolam eiuſdem Pelagij de ſancta virginitate ad eandem Demetriadem: B quæ habetur in initio tomi 4. apud Hieronymum, quæ epiſtola viuente adhuc Ambroſio non videtur extitiſſe. Contra eam etiam ſcripſerant Auguſtinus & Alipius epiſtolam vnam ad Iulianam matrem Demetriadis virginis. Huius autem Pelagij epiſtolæ meminit Auguſtinus libro primo de gratia Chriſti, cap. 22. 27. 37. 38. & 40. & ipſe Hieronymus eam ſignificaſſe videtur in epiſtola ad eandem Demetriadem virginem de cuſtodia virginitatis: vbi monet eam deuitare virus Pelagij, nomine tamen eius ſuppreſſo. Penè (inquit) præterij quod vel præcipuum eſt. Dum eſſes paruula, & ſanctæ ac beatæ memoriæ Anaſtaſius Epiſcopus Romanam regeret Eccleſiam, de Orientis partib. hæreticorum ſæua tempeſtas ſimplicitatem fidei (quæ Apoſtoli voce laudata eſt) polluere ac labefactare conata eſt. Sed vir ditiſſimæ paupertatis & Apoſtolicæ ſolicitudinis, ſtatim noxium percuſſit caput, & ſibilantia Hydræ ora compeſcuit: & vereor, imò rumore cognoui, in quibuſdam adhuc viuere C & pullulare venenata plantaria. Illud te pro charitatis affectu præmonendam puto, vt ſancti Innocentij, qui apoſtolicæ cathedræ & ſupradicti viri ſucceſſor & filius eſt, teneas fidem: nec peregrinam, quamuis tibi prudens callidaque videaris, doctrinam recipias. Carmen de prouidentia Dei à S. Proſperi opuſculis remouendum duximus, quia Pelagianæ doctrinæ eſt, cui Proſper infeſtiſſimus fuit. Docet enim optimum quemq; non plus gratiæ accipere à Deo quàm peſſimum: ſanctos patres ex lege naturæ bonos fuiſſe: à voluntate noſtra prouenire auxilium Dei, & alia multa errori Pelagij conſona: quæ ſancto Proſpero nunquam placuerunt. Nec nouum eſt magnorum virorum ſcriptis opera quædam hæreticorum inſeri: quũ inter libros Hiero. aſcriptos reperiamus, & epiſtolam Pelagij ad Demetriadem (de qua ſupra diximus) & commentarios breues Pelagij in omnes Pauli Epiſtolas, excepta ea quæ ad Hebræos eſt: Similiter epiſtolam Cœleſtij ad parentem de ſcientia diuinæ legis. Item epiſtolam de duobus D filijs, frugi & luxurioſo, non illam quæ eſt ad Damaſum, ſed quæ incipit: Omnium quidem de ſcripturis &c. & alia multa, quæ non ſunt hoc loco recenſenda. Ad quẽ modum etiam inter Auguſtini opera irrepſit liber quæſtionum veteris & noui teſtamenti, qui inter cætera aſſerit Melchiſedech eſſe Spiritum ſanctum ſacerdotemque non ſummum: quamobrem meritò eſt à ſancto Hieronymo, in epiſtola ad Euagrium reiectus. Eodem errore inſcribitur liber Gennadij de eccleſiaſticis dogmatibus Auguſtino: cui quoniam non ſatis catholicus eſt, ſtudioſus quiſpiam, ex epiſtola prima Cæleſtini & concilio Arauſicano ſecundo aliquot capitula ſubiecit: nempe 22. 29. & ſequentia. Quæ licet eiuſdem libri eſſe videantur, tamen in nonnullis exemplaribus, tam ſcriptis quàm impreſſis, omiſſa inueniuntur: ſicque capite vigeſimo primo libri eiuſdem ex profeſſo repugnant, vt aliquantulum conſideranti, ſatis ſtatim eluceat, non niſi ad eius redargutionem eſſe annexa. Quo conſilio & carmen de Prouidentia adiunctum videtur carmini de Ingratis, ne, quum eſſet pernicioſum, ſuo careret antidoto ſi ſeiunctim legeretur. Cæterùm quia

E Gennadius in libro de viris illuſtr. (quem inuenies annexum catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum S. Hieronymi) conatus eſt ſancti Proſperi fidem eleuare, dum ait quòd Caſſiani dogmata infamarit veluti nociua, cùm Eccleſia Dei ea probet eſſe ſalutaria: videndum eſt quantum ſit Gennadio tribuendum. Inprimis cap. 21. lib. de eccleſiaſticis dogmatibus (quem Magiſter ſententiarũ, ſanctus Thomas, & alij ſub nomine Gennadij citant) dicit: Homo poſtquàm ſeductione ſerpentis per Euam cecidit, naturæ bonum perdidit, pariter & vigorem arbitrij: non tamen electionem, ne non eſſet ſuum quòd euitaret peccatum; nec meritò indulgeretur quod non arbitrio diluiſſet. Manet itaque ad quærendam ſalutem arbitrij libertas; id eſt rationalis voluntas, ſed admonente priùs Deo & inuitante ad ſalutem, vt vel eligat vel ſequatur vel agat occaſione ſalutis, hoc eſt, inſpiratione Dei. Vt autem conſequatur quod elegit, vel quod ſequitur, vel quod occaſione agit, Dei eſſe liberè confitemur. Initium ergo ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus. Vt acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtræ poteſtatis eſt, vt adipiſcamur quod acquieſcendo admonitioni cupimus, diuini eſt muneris, vt non labamur in adepto ſalutis munere, ſolicitudinis noſtræ eſt & cœleſtis pariter adiutorij: vt labamur, poteſtatis noſtræ eſt & ignauiæ. Quibus verbis ait, in homine poſt lapſum manſiſſe electionem ſiue rationalem voluntatem ad quærendam ſalutem, ſed admonente priùs Deo & ad eam inuitante, vt liberum arbitrium vel eligat, vel ſequatur, vel agat occaſione ſalutis, hoc eſt, inſpiratione DEI. Quod Pelagianæ hæreſeos eſſe conſtat. Rurſum in libro ſuo de viris illuſtribus, ſancto Hieronymo præfert Ruffinum: Auguſtinum dicit ex multiloquio non fugiſſe peccatum, & errorem eius nondum quæſtionem hæreſis dediſſe: quo dicto manifeſtè ſignificat quòd periculo hæreſis non careat, laudatque ibidem ἐκλογὰς Pelagij, quas ſanctus Hieronymus in dialogis contra Pelagianos plenas hæreſibus aſſerit. Item probat duos Fauſti libros de gratia & libero arbitrio: quos * Petrus diaconus & alij Orientales anathematizant, & * Ioannes Maxentius ſeruus Dei hæreticos pronunciat. Inſuper, magna leuitate ac temeritate de Romano Epiſcopo, ita ſcribit: Iulius vrbis Romæ Epiſcopus ſcripſit ad Dionyſium quendam de incarnatione Chriſti domini epiſtolam: quæ illo quidem tempore vtilis viſa eſt aduerſum eos, qui ita duas per incarnationem in Chriſto aſſerebant perſonas ſicut & naturas: nunc autem pernicioſa probatur. Fomentum enim eſt Eutychianæ & Timotheanæ impietatis. Denique, contra apertiſſimam ſententiam Gelaſij pontificis in concilio ſeptuaginta Epiſcoporum (vbi opera ſancti Proſperi approbat, & Caſſiani apocrypha pronunciat) damnato Proſpero dogmata Caſſiani pro ſalutaribus ab eccleſia ſuſcipi mentitur: idque certè cum eccleſiæ iniuria: quandoquidem præter eos errores, quos ſanctus Proſper ex collat. 13. allatos eruditiſſimè confutat, reperiuntur adhuc in Caſſiano alij plures errores intolerabiles, quos nunquam probauit eccleſia. Vt (verbi gratia) collatione 4. dicit bonum eſſe, quòd caro concupiſcit aduerſus ſpiritum: malum verò, ſi voluntas tota ſpiritui adhæreat, penituſque carnem vinceret. Decima ſeptima defendit, quandoque mentiendum eſſe. Vigeſimatertia aſſerit, omnes ſanctorum iuſtitias eſſe peccata: quod noſtra memoria in Martino Luthero à Leone decimo damnatum eſt. Aliaque multa, quæ hic longum eſſet recenſere. Nam ſicut reliqui Pelagiani, ita & Caſſianus videtur fuiſſe magnus ſectator Origenis, qui (teſte Hieronymo) ſexto Stromateon libro, ex Platone docet rectum eſſe mendacium. Et lib. 3. peri archon cap. 4. aſſerit melius eſſe animam obſequi carni, quam eſſe in propria voluntate: & quòd melius ſit, animam non penitus obedire ſpiritui. Nec mirum, Pelagij enim doctrina Origenis ramuſculus eſt, inquit Hieronymus. Id quod veriſſimum eſſe comperiet, quiſquis aliquot capita prima tertij libri Periarchon diligenter attenderit.

Lib. de Eccl. dogmat. c. 21.

F

G

** Libelli de incar. & gratia &c. cap. 8.*

** Reſponſionis ſuæ pro monachis &c. c. 18. &c.*

H

In epiſt. ad Creſiphontem.

Libros de prædictionibus & promiſſionibus Dei non ignoramus plurimis in locis mendoſos, & (vt apparet) mutilos eſſe: tametſi haud ita atque cum eos in manus legendos acciperemus. Sed quum nobis exemplaria correctio-

A

ra non ſuppeterent, noluimus quidquam ex coniectura immurare. Si cui ob minorem eruditionem videantur à ſancto Proſpero adhuc iuniore, iamque primum in ſacris literis ſeſe exercente ſcripti: obſtabit quod trigeſimo octauo capite ſecundæ partis autor ipſe ita loquitur, velut iam annos iuuentutis exceſſerit. Vt certè Proſperi non videantur, non eo tantum fit probabile, quòd Gennadius & Trithemius recenſentes quæ ab illo ſcripta ſint, huius operis non meminêre, ſed etiam ex phraſis ac ſtyli maxima diſſimilitudine, quodque ſæpiſſimè toto opere autor hiſce ſententijs vt ſibi familiariſſimis vtatur. Non tantum ſibi, quantum etiam ſuis &c. &, Non tantum præteriti, quantum etiam præſentis, &c. quas in ipſis S. Proſperi libris non reperies vſquam. Fatendum tamen eſt, ab homine ſcriptorum ac librorum ſancti Auguſtini ſtudioſiſſimo ſcriptos eſſe. Nam & ipſa Auguſtini verba non ſemel citat: quæ quo loco apud illum habeantur, in margine annotauimus. Libri contra Collatorem (qui & mendis ſcatebat, & ordinis erat planè perturbati: quoniam in eo paſſim verba Proſperi impreſſa erant tanquam Caſſiani eſſent) caſtigationes ſubminiſtrauit eruditus & eximius vir ſacræ Theologiæ Regius Louanij profeſſor, M. Ioannes Heſſels à Louanio: ſicut & magnam partem eorum quæ tecum hucuſque locuti ſumus Lector Chriſtiane. Bene Vale.

Partis 1 c. 2.7.8.17.35 36. Part. 2.c.1. &c.

B

S. PROSPERI AQVITANICI EPISCOPI RHEGIENSIS IN LIBRVM PROMISSIONVM ET PRÆDICTIONVM DEI.

PRAEFATIO.

C

1.Cor. 3.

PAVLVS Apoſtolus dicit: *Neq; qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* In hac igitur agricultura cœleſtis & regalis patrimonii, quam excoluerunt Apoſtoli, Patriarchæ & Prophetæ, inter cæteros dominicos canes, ipſe catellus dum limites circumeo, ex diuinis ſcripturis, duce gratia, centumquinquaginta tria capitula venando confeci: in quibus ſunt promiſſiones Dei centum & tres: prædicta quinquaginta, diſtributa hoc modo: Populus ante legem promiſſiones quas credendo vidit, & videndo credidit, habuit XIX. Quas credidit, & populo poſt ſe videndas reliquit, VI. Prædicta quæ vidit XII. Quæ credidit III. Populus ſub lege promiſſiones quas credendo vidit, & credidit, XVIII. Quam creditam poſt ſe videndam reliquit, vnam. Prædicta quæ vidit. XVIII. Quæ credidit II. Populus ſub gratia Promiſſiones habebat xl. Quas ante nos vidit XXXII. Nos quas vidimus, & videmus impleri, VII. Et vnam, Finis mundi, quam omnes credimus. Dimidium temporis, Prædicta, quæ in fide ſunt, XII. quæ vidimus II. Promiſſiones quæ in fide & in fine venturæ ſunt, VI. Tredecim etiam gloriæ ſanctorum in fide ſunt: quia ſoli ſancti ea percipient facta. Promiſſiones impletæ lxxxiv. implendæ XIX. Prædicta impleta XXXV. implenda XV. Quis igitur durus adeò & ferrei ferreus ſenſus eſt, qui dubitet impleri pauca, cum tot iam cernat impleta?

D

E

CAPITA PRIMAE PARTIS.

1. *Promiſſio: Ex libris Geneſeos creatura, eſt in Adam, & in Euam: Chriſtum, & eccleſiam.*
2. *Prædictio: In mandato contempto duas ſequi mortes.*
3. *Prædictio: Diaboli ſententiam eos manere, qui eius fecerunt voluntates.*
4. *Prædictio: In maledicto mulieris ſequi originale peccatum.*
5. *Prædictio: In Adam omnibus poſteris labor, ſudor, & dolor.*
6. *Præd. In Cain & Abel duorum populorum, Chriſtianorum & Iudæorum.*
7. *Præd. in diluuium arca: quæ ſignificauit eccleſiam.*
8. *Præd. In tribus filijs Noe, gentes, quas Chriſtus Dominus ſparſas inuenit, collegit.*
9. *Præd. In Heber, gens Hebræa, quæ primatum Chriſtiano populo tradidit.*
10. *Promiſſio: In Abrahæ vocatione, terra viuentium Chriſtianorum popul. futura.*
11. *Prom. In Abrahæ ſemine multiplicari vt ſtellas populum Chriſtianum.*
12. *Promiſſio: In ſacerdotio Abrahæ, regale eccleſiæ ſacerdotium.*
13. *Prom. In nominis perfectione, qua in fide pater gentium eſt Abraham.*
14. *Prædictio: In circunciſione, qua corde circunciditur Chriſtianus.*
15. *Promiſſio: in Iſaac nato qui riſus dicitur, quid oſtendat in Chriſto.*
16. *Præd. In Sodoma & Gomorrha, futuri iudicij diem.*
17. *Præd. In Iſaac immolando, Chriſti paſſio.*
18. *Promiſſ. In iuratione Dei, qua ſemen eius in Chriſto ſupra numerum extenditur.*
19. *Prædictio: Ex ſemore Abrahæ Chriſtum hominem ſuſcepturum.*
20. *Promiſſio: In geminis Rebeccæ, populos duos, Chriſtianos & Iudæos.*
21. *Promiſſ. In eoſdem, quæ geſſerunt per figuram.*
22. *Promiſ. In Eſau, ex cuius ſemine Iob, & Chriſtus in gentibus per fidem.*
23. *Prom. In Iacob, cui per viſum Chriſtus, lapis angularis, oſtenſus eſt.*
24. *Prom. In ipſius Iacob claudicatione, non credituros omnes Iudæos.*
25. *Promiſſio: In filijs Iacob, & in Ioſeph, qui geſſit figuram Chriſti.*
26. *Prom. In eodem, qui vt Chriſtus dominus miſſus eſt ad viſitandas oues.*
27. *Prom. In eodem, in quo caſtitas patiendo muneratur.*
28. *Prom. In eodem Ioſeph, quia Chriſti paſſio figuratur.*
29. *Prom. In eodem, Chriſti reſurrectio eſt figurata.*
30. *Promiſſio: In eodem, qui vt Chriſtus dominus ſuos dilexit inimicos.*
31. *Prom. In eodem figurata gratia.*
32. *Prom. Deſcenſionis Iacob in Aegyptum, & Chriſti domini in mundum.*
33. *Prom. In Moyſe, qui perſonam habuit mediatoris Chriſti domini.*
34. *Præd. in eo, qui vt Chriſtus pacem intulit iurgantibus.*
35. *Præd. in eo, qui vt Chriſtus dominus diabolum interfecit.*
36. *Præd. In eorum flagris, vt Pharao, caditur diabolus.*
37. *Prom. Paſchæ figurata, tranſitus Chriſti ad patrem.*
38. *Prom. In baptiſmo, in mari Rubro.*
39. *Prom. panis cæleſtis in manna, quod eſt Chriſtus.*
40. *Prom. In ſigno crucis expugnare inimicos.*

F

G

H

S. PROSPERI AQVITANICI,
EPISCOPI RHEGIENSIS,
LIBER
De Promiſſionibus, & Prædictionibus Dei.

PARS PRIMA.

B F

PROLOGVS.

OMNIS fidei ratio ſpe, dilectioneq; con-
cluditur. Etenim diligendo quiſq; pro-
miſſum quod credit, fidem commo-
dat, donec potiatur omni quod ſperat.
Heb. 11. Conuictionem rerum, quæ non viden-
tur, eſſe fidem, Paulus Apoſtolus defi-
Geneſ. 1. nijt: cuius diſpenſatione creator omniũ
Deus, omnia ex nihilo formare dignatus eſt (vt ſcriptura
Sap. 11. ſancta proloquitur) *ex materia inuiſa*, ſumma medijs, & me-
dia imis libratione perpendens. Nam quædam inuiſibi-
lia viſibilibus præferens, rationalia irrationabilibus, & ſen-
Ibidem. ſata inſenſibilibus, & viuentia vitæ expertibus, *in menſura,
numero, & pondere cuncta diſpoſuit.* Quibus pro modo ſubſi-
ſtentibus rebus, rationale animal hominem terrenis præ-
Gen. 1. Eccl. 1. ferens creaturis, & ſoli ad imaginem & ſimilitudinem ſuæ
C diuinitatis condito tribuit liberam voluntatem. Huic &
Gen. 3. legem dedit ſemper viuendi, ſi mandata ſeruaret: mori-
Rom. 5. endi, ſi ſui creatoris præcepta contemneret. Verùm ſer-
pentina fraude diaboli, ſuperbia qua ipſe cum ſocijs ceci-
derat, homine decepto, dum ſecum tota ſtirpe humani
generis Adam per inobedientiam præcipitaret in mor-
tem, creatori præiudicium, bene condita natura, inferre
non potuit. Mortem licet cauſâ præuaricationis inuene-
rit, vitæ tamen eſſentiam, inquantum eſt, nec in morte di-
miſit. Immortalis quippe anima creata, in hoc ſtadio
mundi labe vitiata, corporis ſubuerſa eluuie, flagitiorum
grauata ponderibus, niſi ſanguine redempta fuerit ſalua-
toris, ablutaque ſpiritali vnda, contagio inflicti vulneris
carens, decorem collatæ gratiæ inuiolata fide ſeruauerit;
eam in æternam pœnam cum carne victuram, Euangelica
Matth. 25. Ioan. 5. fides adnuntiat. Quæ bonis æternam vitam, malis æter-
nam pœnam, ea authoritate firmauit, qua omnia, quæ à
principio mundi prædixit, impleuit. Verùm ne longum
prœmium huius libri humanus ſterilis que ſenſus exten-
D dat, quem in tres partes & dimidiam diſtributum, iuuan-
te illo, cuius munere loquimur, diuina teſtimonia colle-
cta vndique, coniunctaque ſupplebunt, ex omnibus di-
uinis ſcripturis quæ Prædicta, quæue ſint Promiſſiones
Dei, vt occurrerint, per capitula decerpenda ſuſcepimus:
ſignantes trifaria tempora ab exordio mundi, vſque in fi-
nem in diuerſis populis conſiſtere, ante legem, ſub lege,
ſub gratia manifeſta, quæ occultis ſignis ſemper interfuit.
Quorum tripartita diuiſio hæc eſt: A prima conditione
Exod. 20. primi hominis vſque ad Moyſen, ante legem eſt. A Moy-
ſe, cui lex data eſt in monte Sina, vſque in aduentum ſal-
uatoris domini noſtri IESV CHRISTI, ſub lege eſt. Ma-
nifeſtato autem eo in carne, crucifixo, reſurgente, atque
aſcendente in cælum, vſque nunc, & in finem mundi cum
illo ipſo breui ſpatio Antichriſti, tempus agitur gratiæ.
Quibus tribus temporibus moderatione ſui creator iuſtiſ-
ſimus Deus ita iura promiſſaque ſua ordinauit: vt non o-
Sententia apud eũ eſt 214 in libro ſentẽt. mnia fidei tantum credenda committeret, ſed pleraque
intuenda oculis commendaret. E quibus illa, quæ futura
ſperabantur, ex his quæ videbantur, crederentur implen-
da. Singulis igitur prædictis temporibus, ſingulas partes
huius libri, vt promiſimus, conſignabimus quæ promiſſa
ſunt, quæue Chriſto & Eccleſiæ figuratè exhibita: quæ
credita, relicta ſint intuenda futuris, capitula per ordinem
poſita demonſtrabunt.

*Promiſſio: Ex libro Geneſeos creaturæ, eſt in Adam, & in
Euam: Chriſtum, & Eccleſiam.*

CAPVT I.

Gen. 1. IN *Principio fecit Deus Cælum & terram*, mare, omniaque
eorum: in cœlo fulgentia, gradientia in terris, in aere
volantia, natantia in aquis. Quibus perfectis dixit Deus.
Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Eo-
que formato ex limo terræ, *inſufflauit in faciem eius ſpiraculum vitæ,*
G Geneſ. 2. *& factus eſt homo in animam viuentem. Et dixit Deus. Non eſt bo-
num ſolum hominem eſſe: Faciamus ei adiutorium ſimile illi, conſi-
liarium.* Et paulò pòſt: *Immiſit Deus ſoporem in Adam, & ob-
dormiuit. Et ſumpſit vnam de coſtis eius, & formauit eam in mulie-
rem: & adduxit eam ad Adam, vt videret quid eam vocaret. Di-
xitque Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea,
hæc vocabitur Virago, quoniam de viro ſuo ſumpta eſt. Propter hoc,*
inquit, *relinquet homo patrem & matrem; & adhærebit vxori
ſuæ, & erunt duo in carne vna.* Hoc itaq; factum eſſe, vt rem
gereret & figuram, Apoſtolus Paulus teſtis eſt. Exponens
Epheſ. 5. quippe hunc locum in epiſtola ad Epheſios, ait: *Sacramen-
tum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & in eccleſia.* Sa-
cramentum igitur magnum quod promiſſum ſperauit A-
dam, ſibi coniunctam vidit, quam credidit coniugem.
Nobis per fidem viuorum ſignauit futuram eccleſiam: ma-
trem appellauit omnium viuorum: ea ſcilicet cauſa, qua ex
latere Adæ dormientis formata Eua, ex latere Chriſti in
cruce pendentis, formandam, vt factum eſt, præuidit ec-
cleſiam, quæ verè eſt mater omnium viuorum. Hæc eſt
H enim illa mulier, quæ cuſtoditur *per tempus, & tempora, & di-
Apoc. 12. midium temporis à conſpectu ſerpentis*, vt in Apocalypſi de ec-
cleſia dicitur.

Prædictio: In mandato contempto duas ſequi mortes.

CAPVT II.

Gen. 2. PRædixit Deus Adæ & mulieri eius mortem ſecuturam,
ſi vetita tetigiſſent, dicens, *Ex omni ligno Paradiſi edetis,
de ligno autem dignoſcentiæ boni & mali non edetis ex eo. Qua die
autem ederitis, morte moriemini.* Præceptum autem fallente
diabolo contemnentes, veritum tetigerunt. Quod pec-
Geneſ. 3. catum dum vir excuſat per mulierem, mulier per ſerpen-
tem, mortem prædictam non tantum ſibi, quantum ſuis
etiam poſteris propinarunt. Hanc enim expendit omne
ſimul genus humanum, aliam ſignificans perpetuam mor-
tem, cuius expers erit omnis qui mandata Chriſti ſerua-
uerit. Eum verò qui monita ſalutaria Domini noſtri Ieſu
Chriſti temnenda duxerit, ſine vlla dubitatione ſuſcipiet.

A *Beatus* enim *& ſanctus* (ait Ioannes Apoſtolus) *qui habet par-*
Rom. 5. *tem in hac prima reſurrectione, in qua mors non habet poteſtatem.*
Apoc. 20. Et Dominus, *Qui audit verba mca ; & credit ei qui me miſit, ha-*
Ioan. 5. *bet vitam æternam ; & in iudicium non veniet, ſed tranſiet à morte*
ad vitam.

Prædictio: Diaboli ſententiam eos manere, qui eius fece-
runt voluntates.

In Geneſi credita & viſa.

CAPVT III.

SEquitur in ſerpentem diabolum prolata prædictaque
ſententia, in qua metuendum quiddam reperitur,
Gen 3. quod ei inter cætera dictum eſt: *Tcrram manducabis omnibus*
diebus vitæ tuæ. Terrenis enim cupiditatibus inhiantes ani-
mæ, terræ ſimiles comparantur, eaſque impias Propheta
B David in primo Pſalmo deſignat dicens: *Erunt tanquam*
Pſalm. 1. *puluis, quem proijcit ventus à facie terræ.* Et Hieremias Prophe-
Hier. 17. ta: *Recedentes à se,* ait, *in terra ſcribentur.* Iob etiam dicit: *Terra*
Iob. 9. *tradita eſt in manus impij.* Item David: *Memento, Domine, quo-*
Pſal. 102. *niam terra ſumus.* Se vero exui à terra, quam peccati meri-
Pſalm. 68. tò ſerpens comedendam accepit, in alio Pſalmo dicit: *Sal-*
Pſal. 43. *ua me de luto, vt non inhæream.* Item alibi: *Hæſit in terra venter*
noſter: exurge domine, auxiliare nobis, & redime nos propter nomen
tuum. Item alibi: *Ne tradas me Domine à deſiderio meo peccato-*
Pſalm. 134. *ri.* Propter quod, quotidie monendos nos per ſacerdo-
tes cenſuit diuina clementia, cor ſurſum erigere: noſq; pro-
fitemur habere ad dominum: ſi tamen ſponſio noſtra fir-
ma ſit, vt quod verbis profetimus, iugi gratia factis etiam
compleamus.

Prædictio: In maledicto mulieris ſequi originale
peccatum.

C Prædictum peccatum originale. In Geneſi cre-
dita & viſa.

CAPVT IV.

Gen 3. MVlieri autem dixit Deus: *Multiplicans multiplicabo gemitus*
& dolores tuos: in triſtitia paries filios. Sic naſci tranſgreſ-
ſorum filios David Propheta confirmat: *In iniquitatibus,* in-
quit, *conceptus ſum, cum peccatis in vtero me aluit mater mea.* Sa-
lomon quoque paria teſtatur: *Graue,* ait, *iugum ſuper filios A-*
dam, à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in
Sap. 7. *matrem omnium.* Item ipſe: *Et ego natus accepi,* dicit, *communem*
aerem, & in ſimiliter factam decidi terram, primam vocem ſimili-
lem omnibus emiſi, plorans, in inuolumentis nutritus ſum & curis
magnis. Nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis initium: v-
nus eſt enim omnibus introitus ad vitam, ſimilis exitus. Et paulò
Eſa. 1. pòſt. *Semen enim erat maledictum ab initio.* Et Eſaias: *Semen*
nequam, ait, *filij ſceleſti dereliquiſtis dominum.* Iob etiam dicit:
Iob. 4. 15. *Nullus eſt immunis à ſorde: nec infans, cuius eſt vnius diei vita ſuper*
& 25. *terram* Item ipſe: *Nemo poteſt facere mundum de immundo con-*
D *ceptum ſemine, niſi ſu qui ſolus mundus es.* Pro cuius expiatione
maledicti feminis, immunditia parientis mulieris & infan-
Leuit. 12. tis, ſacrificia ſunt legalia inſtituta, vſq; ad CHRISTVM re-
Matth. 1. gnantem: qui ſui corporis oblato ſacrificio, ſaluos facit
puſillos cum magnis. *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum,*
dictum eſt, *à peccatis eorum.* Hæc tamen quæ prædicta ſunt,
ita cernuntur impleta, vt vſque in finem mundi ſupplenda
doceantur.

Prædictio: In Adam omnibus poſteris labor, ſudor, & dolor.

Prædicta propagataque ſententia. In Geneſi
credita & viſa.

CAPVT V.

Gen. 3. ADæ autem dixit Deus: *Quoniam audiſti vocem mulieris tuæ,*
& tetigiſti de arbore, de qua ſola præceperam tibi ne mandu-
cares ex ea, & manducaſti: maledicta terra in operibus tuis, ſpinas
& tribulos pariet tibi: in triſtitia & gemitu edes pabulum agri tui, E
in ſudore vultus tui manducabis panem tuum, donec reuertaris in
terram, de qua ſumptus es: quoniam terra es & in terram ibis. Hanc
prædictam pœnam peccati, quam radix humani generis
Adam pro ſententia excepit, ac ſuis poſteris tanquam ra-
mis transfudit, *per vnum hominem,* dicit Apoſtolus, *peccatum* Rom. 5.
intraſſe in mundum, & ita in omnes homines pertranſiſſe, in quo o-
mnes peccauerunt. Humus enim, quæ creatoris imperio fer-
tiles ſalubreſq; ex ſe herbas, ſine vlla cultura homini antè
produxit, pòſt ærumnis ſentibuſq; referta eſt, vt in ſudore
ac labore ex ea omnem hominem edere panem oporteat,
donec recurrat in mortem. Non tantum prædicta audire
iſta meruimus; quàm etiam probata expendere. Vnde &
David dicit: *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam* Pſal. 103.
vſque ad veſperam. Et iterum: *Labores manuum tuarum man-* Pſal. 127.
ducabit. Apoſtolus quoq; dicit: *Qui non vult operari, nec man-* 2. Theſſ. 3.
ducet. Et Dominus vſq; in vndecimam horam operarios Matth. 20.
mittit ad vineam.

F

Prædictio: In Cain & Abel duorum populorum, Chriſtiano-
rum, & Iudæorum.

Prædictio figurata, duorum populorum ſcilicet.
In Geneſi credita & viſa.

CAPVT VI.

EX primis igitur hominibus mortalibus iam effectis,
duo filij procreati ſunt, ambo mortales, Cain maior,
minor Abel. Paſtor ouium vnus, alius agricola. Hi dum
terram incolunt laboribus iam obnoxiam iudicio diuinæ
ſententiæ, ſeque à proprijs paterniſque delictis expiare
contendunt, ex primitijs frugum ſuarum ſacrificia obtule-
runt. Minoris Abel ex ouibus oblatum, acceptabile ſu-
ſcipitur ſacrificium, repudiatur Cain, non rectè diuiſa ter- Gen. 4.
ræ particula. inuidia hinc naſcitur: præſciaque diuinitas fu-
turorum indicit patientiam furenti, diciturque ad Cain:
Peccaſti, quieſce, ad te conuerſio eius & tu dominaberis eius: id eſt, G
vt peccato ſuo ipſe dominaretur, nec fieret ſeruus pecca-
ti, ſi præcipienti humilis obediret. Verùm Cain contu-
max, ſuique impatiens, inſilijt ſuper Abel in campum, &
occidit eum. Proh nefas. hæccine ſunt Cain germanita-
tis fœdera? hæccine principia bonæ naturæ? hæccine bo-
næ indolis ſpes eſt: vt antè te norit pater homicidam quàm
filium? Sed his auſibus, facinus ſuum Cain multis etiam
vinculis connodauit: Effectus contemptor diuini manda-
ti, ſuperbiæ caput, author inuidiæ, princeps illatæ mortis,
& primus in hominibus parricida. Hic initia bellandi in-
ſtituit, vt reus innoxium ſanguinem diffundat, liuoris ple-
nus gloriam imperij alienam. Nam præclara hinc fulsêre
martyria, dum iuſti occiduntur ab impijs. Sed vt omne Ibidem.
nobis quod actum eſt, proficere demonſtraret diuina pro-
uidentia, fratrem à fratre requirit, quem iam occiſum no-
uerat, negantem terra teſte conuicit: *Vox,* inquit, *ſanguinis*
fratris tui clamat ad me de terra. Cain figuraſſe Iudaicum po-
pulum terrenis deſiderijs inhiantem, Abel Chriſtum pa-
ſtorem ouium, ab eo populo occiſum, nullus iam ambigit H
Chriſtianus: cuius ſacrum ſanguinem omnis nunc terra
accipiens, clamat Amen: quod eſt, Verum: vt neganti Iu-
dæo quod occiderit Chriſtum, rectè dicatur à Deo: *Vox* Gen. ſ.
ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Pro Abel quem oc- Gen. 4.
cidit Cain, natus eſt Seth, ex quo per ordinem ſucceſſio-
nis venit Enoch, qui Deo dum placeret, translatus eſt ne
guſtaret mortem, Heliæ ſociandus, vt duo teſtes idonei ſe- 4 Reg. 2.
cundo Chriſti aduentui præparentur, in confutationem
Antichriſti, & in gloriam iudicantis filij Dei: de qui-
bus ſuo loco teſtimonia pro-
feremus.

A

Prædictio: In diluuium arca, quæ ſignificauit eccleſiam.

Prædictum diluuium.

CAPVT VII.

Gen. 6. DVm filij DEI à propoſito deſciſcerent ſanctitatis, Deus Noë iuſtum ſic admonuit: *Finis*, inquit, *vniuerſæ carnis venit coram me: repleta eſt enim terra iniquitate eorum, & ego diſperdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis quadratis, tricameratam facies arcam, & bituminabis intrinſecus & extrinſecus, & ſic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo ipſius. Feneſtram facies in arca, & in cubito conſummabis eam. Oſtium autem arcæ pones ex latere. Ecce adducam diluuium aquæ ſuper terram, & interficiam omnem carnem in qua eſt ſpiritus vitæ ſub cælo.* Dum igitur fides commodat ac præparat mentem, creditque futurum quod ſperat implendum,
B mysticæ iuſſioni & fabricæ obediens Noë, arcam qua ſe cum mundis immundisque animalibus, vt præceptum fuerat, conderet, fabricauit: geometrica quippe menſura, quæ vt fertur, ſeſe tantum quàm noſtra ſe extendit. De his autem adſcriptis numeris, quantum diuinitus aditus fuero, colligens pauca, architecti illius noſtri Pauli Apoſtoli ſententiam introducam: qui illius arcæ figuratam fabricam, omnemque eius ſpiritalem conſtructionem ad Eccleſiam ſanctam referens, inſtat in ea crucis ex-
1. Cor. 3. Epheſ. 3. preſſit. Ait enim in epiſtola ad Epheſios: *Flecto genua mea ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt det vobis ſecundum diuitias gratiæ ſuæ, virtutem, habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati atque fundati, vt valeatis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit altitudo, latitudo, longitudo & profundum: ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti.* Quinque ſententias in quinq; articulis dixit, vtpote is qui
1. Cor. 14. dixerat: *Volo quinque verba mente mea in eccleſia loqui.* Quinque ergo iſtæ ſententiæ ad prædictæ arcæ menſuras pertinere, hac ratione monſtrantur. Quinarius enim nume-
C rus ex pari & impari conſtitutus, habet duo & tria. Tria à trinitate: duo à duobus præceptis: quæ coniuncta, quinarium firmant. Huic additur vnus, propter vnitatem indiuiduæ trinitatis, & efficitur ſenarius perfectus, omni ex parte ſibimet reſpondens: Io primam, tertiam ac dimidiam. De quo numero multi iam dixere maiores. Hi igitur quinarius & ſenarius coniuncti numeri, ac multiplicati in inuicem, extenduntur ad prædictæ arcæ menſuras quinarias. Propter quod quinta die, excepto homine, vniuerſa quæ creata ſunt, fecerit Deus: atque in quinque libris Moyſi vniuerſa legis mandata conſcripta ſunt: & quòd perficiendæ legis cauſa, quinta feria ad patibulum traditus fuerit ipſe Saluator & Dominus. Senarius verò numerus hoc continet, quòd ſexta die formatus eſt homo: & ſexta ætate ſeculi ad redemptionem mundi hominem ſuſceperit verbum Dei. Et ſexta feria ſuſpenſus in cruce, noſtrum omne pretium, ea ſuo latere, tanquam
D per oſtium arcæ, pretioſum ſanguinem fuderit. Ex quo columba Eccleſia tanto ſanguine dotata proceſſit. Pro-
Gen. 8. pter quod & coruus hæreticus exiens, humani cadaueris cupiditate naufragus, ad arcam Eccleſiam redire noluit.
1. Ioan. 2. De quo intus poſita munda animalia clamant: *Ex nobis exiit, ſed non erat ex nobis: nam ſi ex nobis eſſet, manſiſſet vtique nobiſcum.* Hi igitur duo, vt dixi, numeri, quinarius & ſenarius, dum multiplicantur in inuicem, ſupplent tricenarium. Quinquies enim ſeni, & ſexies quini ducti numerus tricenarium format. Et ipſi ſunt triginta cubiti, qui in altitudine arcæ præcepti ſunt conſtrui, ad ſublimem partem pertinentes Spei: in qua caput eminus confixum eſt Crucifixi. Omnis enim ſpes in capite. Propter quod & ipſum caput noſtrum triginta annorum dignatus eſt crucifigi. Rurſum quinarius numerus in decalogo multiplicatus, propter decem præcepta legis. Decies enim quini & quinquies deni numerus ductus, quinquaginta efficiunt. Et hi in latitudine arcæ ponuntur, qui ad Charitatis ſpatia in cruce ſignantur, in qua manus infixæ ſunt crucifixi. Decem enim præcepta digito Dei dicuntur eſſe conſcripta, noſque ipſi manus noſtras leuare in ſancta iu-
E bemur. Item quinarius & ſenarius numeri in quinquagenario multiplicati, arcæ longitudinem ſupplent. Quinquagies enim ſeni, & ſexagies quini trecentos efficiunt, qui noſtræ arcæ longitudini Patientiæ aſcribuntur, in qua corpus extenſum eſt crucifixi: cui dicitur, *Chriſtus pro no-* 1. Pet. 2.
bis paſſus eſt, relinquens vobis exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Quoniam vetus homo noſter ſimul cum illo *affixus eſt cruci.* Rom. 6.
patientesque eſſe iubemur vſque in aduentum. Profundum verò crucis, diluuij magnitudinem ſignificat, qua & illa & noſtra arca portatur. Quoniam ſunt *iudicia Dei* (vt ſcriptum eſt) ſicut *abyſſus multa.* Quod verò dictum eſt: *Tricameratam facies eam*: hanc fabricam prædictus architectus noſter Paulus expreſſit. *Manent*, inquit, *fides, ſpes,* 1. Cor. 13.
charitas: tria hæc. Nam cùm in prima ac ſecunda habitatione, beſtiæ, pecora, ſerpentes, aueſque in fide & ſpe manſerint: in tertia Noe cum ſuis in charitate manens (quia *maior horum* omnium *charitas*) diluuium formidare 1. Ioan. 4.
non potuit. *Qui* enim *manet in charitate, in Deo manet, &*
F *Deus in illo* permanet: quia *Deus charitas eſt.* Feneſtram verò arcæ melius accepimus reſpectum in ſalutem animarum, quæ ſunt bitumine intrinſecus ſociatæ & colligatæ inuicem in vnitate ſpiritus ſancti, & in vinculo pacis. In cubito dictum eſt conſummari arcam, ſic enim decuit ſignificare eccleſiæ vnitatem. Quoniam, *Finis legis Chriſtus* Coloſſ. 3.
ad iuſtitiam omni credenti. Vnde & ille diues in Euangelio Rom. 10.
diluuium huiuſmodi formidans, ait ipſi Domino rerum, *Magiſter bone, quid faciens vitam æternam conſequar?* Et Domi- Matth. 19.
nus, prædictæ arcæ illi menſuras oſtendens: *Præcepta*, inquit, *noſti.* Cumque ei plurima dixiſſet ex numero, ille velut quadratus arcæ cupiens ſociari, *Omnia hæc mandata*, inquit, *feci: quid adhuc mihi ſupereſt?* Et dominus perfectionem arcæ noſtræ deſignans in vno cubito conſiſtere, *Si vis*, inquit, *perfectum eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.* Quod cùm ille facere nequiuiſſet, quia omni ex parte quadratus non fuit, ad cubitum perfectionis arcæ non meruit pertingere. *Abijt* enim, vt dictum eſt, *contriſtatus.* Quod verò quadraginta diebus & qua- Gen. 10.
G draginta noctibus diluuium factum eſt ſuper terram, non tantum præteriti in hoc numero, quantum etiam præſentis temporis animarum diluuium oſtendit: quæ in ſcopulis ſeculi, atque in gurgite flagitiorum, diuerſarumque voluptatum naufragis fluctibus ſubmerguntur. Propter quod 3. Reg. 19.
quadraginta diebus Helias, quadraginta diebus & ipſe Matth. 4.
ſaluator ieiunia conſecraſſe, hac tripartita ratione monſtrantur: tanquam prædictis tribus temporibus neceſſaria, ante legem, ſub lege, ſub gratia. Finis igitur diluuij, Gen. 8.
ſexcenteſimo primo anno Noe terminatus, finem mundi ſignificat poſt ſex, vt dictum, ætates ſeculi, & breue Antichriſti ſpatium: tot enim ætatibus etiam hominis longæua vita protenditur, donec ab infantia recurrat in ſenium. Nunc verò eccleſia aut arca, velut munda & immunda a- Mali quoque ſunt in eccleſia
nimalia, bonos maloſque portare cognoſcitur, vſque in prædictum finem: de quo dominus & ſaluator noſter in Euangelio teſtatus eſt, dicens, ſic futurum aduentum ſuum quemadmodum fuit in diebus Noe, ſubitò manducanti- Matt. 24.
H bus ac bibentibus, ementibus & vendentibus. Credidit igitur Noe quæ prædicta vidit in arca; Credidit, quæ futura erat nobis præſentanda eccleſia nobiſcum ſperat, quæ erit vltimo iudicio declaranda.

Prædictio: In tribus filijs Noe gentes, quas Chriſtus dominum ſparſas inuenit, collegit.

Prædictæ gentes.

CAPVT VIII.

Gen. 11. EX tribus igitur filijs Noe, Sem, Cam, Iapheth, totidemque nuribus eius, mortalium fœcunditas dum adcreuiſſet, radix peccati ſuperbia, mundo pereunte diluuio ipſa perire non potuit. Turris ſuperba à ſuperbis extruitur, cuius caput cœlū hactenus occuparet. Huius cœpta, à vero artifice Deo per confuſionem linguarum in irritum deducuntur: ſic enim ſcriptum eſt: *Ecce labium vnum eſt*

A *omni terra, & hoc cœperunt facere, & nunc deſiſtent ab eis omnia quæcunque aggreſſi ſunt facere.* Et dixit Deus: *Venite, deſcendamus, & confundamus ibi linguas eorum.* Deus trinitas loquitur Deſcendere verò Deum, eſt, humanos actus inſpicere, vel eorum ſenſibus propinquare. Quæ vt prædicta ſunt, mox impleta ſunt. Confuſæ quippe linguæ non tantum diſpoſita ſupplere nequiuerunt, quantum etiam diſperſæ per orbem gentes quaſque ſuo diſtinxêre eloquio. Attamen creatoris & iudicis impleta cenſura, per humilem Chriſti gratiam charitas vno ſub dogmate congregauit, *Philip. 2.* quæ ſuperba impietas diſperſerat. *Omnis* ergo nunc in vnum *lingua confiteatur, quod Dominus Ieſus*, qui eſt turris fortitudinis, *in gloria eſt Dei patris.* *Gen. 9.* Quem inebriatum vt Noë ex vinea, nudatumque in paſſione, Cam filius irridens in Canaam filio maledictum excipiens, gentibus propinauit. *Galat. 3.* Quod abſtulit Ieſus Dominus qui *pro nobis factus* eſt *maledictum.*

B

Prædictio: In Heber gens Hebræa, quem primatum Chriſtiano populo tradidit.

Prædicta gens Hebræa, à quo exorta ſit, primatum habens in omnibus linguis.

CAPVT IX.

INter cæteros, quos linguarum confuſio per gentes diuiſit, vnus Heber dictus eſt, in quo, vt fertur, Hebræa *Gen. 10.* prima lingua reſedit. vnde etiam Hebræa gens nomen accepit. Primam verò Hebræam eſſe linguam, myſticus ille *Luc. 23. Ioan. 18.* titulus à Pilato conſcriptus oſtendit. Erat enim is tribus linguis inſignitus, Hebræa, Græca & Latina: quæ linguæ primatum ferè in omnibus retinentes linguis, eidem creatori in titulo conſignatæ ſunt, eo ordine diuino, quo prædicta antequam fierent, propheta Dauid teſtatus eſt, *Pſal. 58.* dicens: *Tituli inſcriptionem ne corrumpas.* Regem enim Iudæorum crucifixum ille ſcripſerat iudex. Hunc ſua lingua Hebraici dum legerent, quæ primo in loco poſita erat, C *Ioan. 19.* poſtulantes mutandum, diuinitus actus Pilatus: *Quod ſcripſi*, inquit, *ſcripſi*: *Gen. 11.* vt & tituli inuiolata, ſicut promiſſum eſt, maneret integritas, & lingua Hebræa ſub teſtimonio in principalem locum, quem poſt amiſit, merito ſiguaretur. Ex iſto igitur Heber currit progenies vſque ad Abraham, à quo vt quidam dicunt, Abræi, ſicut ab Heber Hebræi appellati ſunt. Primitiuum verò eſſe hunc populum, licet *Exod. 4.* ipſe dominus atteſtetur dicens: *Primitiuus meus Iſrael.* in *Deut. 32.* Deuteronomio libro plenius oſtenditur: *Cùm diſpartiretur Altiſſimus* (dictum eſt) *nationes ſtatuit terminos gentium ſecundum numerum angelorum Dei. Et facta eſt portio eius Iacob, ſeries hæreditatis eius Iſrael.* Sed hic Iacob, qui appellatus eſt Iſrael, ex quo tramite veniat per ordinem recurramus, vt Abrahę, cuius hic nepos eſt, promiſſa ſuppleantur.

Promiſſio: In Abrahæ vocatione terra viuentium Chriſtiano populo futura.

D

Promiſſio facta & figurata.

CAPVT X.

EX ſemine igitur Sem filij Noe, natus eſt Heber, cuius *Gen. 10.* fuit filius Phaleg, ſub quo diuiſæ ſunt linguæ. *Gen. 11.* *Phaleg genuit Reu: Reu genuit Seruch: Seruch genuit N[illegible]r: Nachor genuit Thare: Thare genuit Abraham*, cuius fuit nepos Iacob. Hunc Abraham apud Chaldæos genitum, ſcriptura teſtatur. Ex qua gente vocatus, dum primus crederet, pater *Rom. 4.* fidei, gratia vocantis, meruit appellari. Chaldæi aſtronomiæ dediti, dum callidè poſitiones ſiderum perſcrutantur, multum errantes circa cultum religionemque diuinam, creatorem omnium rerum minimè perquirentes, *Rom. 1.* *euanuerunt*, vt Paulus dicit, *in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* E quibus Abraham non callidæ creaturæ, ſed calore diuini cultus accenſus, ab ſtultis & *Gen. 12.* inſipientibus, domini munere ſegregatus eſt. *Exi*, inquit ei Deus, *de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram* E *quamcunque tibi oſtendero.* Ad præceptum vocantis, prima ſede cognationeque relicta, per fidem credit quæ non vidit: donec videre mereatur omne quod credit. Exiens igitur de terra Chaldæorum, habitauit Charræ, in qua omnibus repletus eſt diuitijs. Terræ quoque ipſius, in ſpe ſui ſeminis, futuram ſuſcepit hæreditatem. Cùm etiam ex anu & ſterili coniuge, vergens quoque ipſe in ſenium, per promiſſionem expectat hæredem, hic nobis pater fidei oſtendit, nec incolatus noſtri longos exitus formidandos, & in Chriſto Domino ſemper ſperandum. Cuius per gratiam terra viuentium ſempiterna potiemur hæreditate. De qua Dauid Propheta dicit: *Credo videre bona domini in terra viuentium.* *Pſal. 26.*

Promiſſio: In Abrahæ ſemine multiplicari vt ſtellas populum Chriſtianum.

Promiſſio multiplicandi ſeminis: In Geneſi credita & viſa.

F

CAPVT XI.

F*Actus eſt ſermo domini ad Abraham per viſum dicens: Noli timere Abraham, ego te protego, merces tua multa erit valde,* *Gen. 15.* *Dixitq; Abram: Domine quid dabis mihi? ego enim ſum abſque liberis, & filius præpoſitus domui meæ, hic Damaſcus Eliezer. Dixitque Abraham. Quia non dediſti mihi ſemen, vernaculus meus mihi hæres erit, Statimque ſermo Domini ad eum: Non erit hic hæres tuus, ſed qui egredietur de vtero tuo: ipſum habebis hæredem. Eduxitq; eum foras, & ait illi: Suſpice in cœlum, & numera ſtellas ſi poteris numerare eas. Et dixit: Sic erit ſemen tuum. Credidit autem Abraham Deo, & deputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Hæc Paulus affirmat Apoſtolus dicens: *Igitur fides*, ait, *ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* *Rom. 10.* Et Eſaias ait: *Niſi credideritis, non intelligetis.* *Eſa. 7.* Fundamentum omnis rei futuræ, fides eſt: cuius culmen ædificij terras cælumque obtinuit in Chriſto Ieſu, qui eſt ex ſemine Abrahæ.

G

Promiſſio: In ſacerdotio Abrahæ, regale eccleſiæ ſacerdotium.

Promiſſio qua Abraham, poſcente Deo ſacrificium, ſacerdos oſtenditur.

CAPVT XII.

SEcundo oraculo dixit Dominus ad Abraham: *Ego ſum qui eduxi te de terra Chaldæorum, vt darem tibi terram iſtam, & poſſideres eam.* *Gen. 15.* *At ille ait: Domine vnde ſcire poſſum, quòd poſſeſſurus ſum eam? Et dominus: Sume, inquit, vaccam triennem, & capram trimã, & arietem trimum, turturem quoque & columbam. Qui tollens vniuerſa hæc, diuiſit ea per medium, & vtraſque partes contra inuicem poſuit: aues autem non diuiſit. Deſcenderuntque volucres ſuper cadauera diuiſa, & abegit eas Abraham. Cumque ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus & tenebroſus inuaſit eum. Dictumque eſt ad eum: Sciens prænoſce, quòd peregrinum erit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubijcient eos ſeruituti, & affligent annis quadringentis. Gentem autem cui ſeruierint iudicabo ego*, dicit Dominus. *Poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia. Tu autem ibis ad patres tuos nutritus in ſenecta bona.* H *Quarta autem generatione reuertentur huc: necdum enim impletæ ſunt iniquitates Amorrhæorum.* In hac promiſſione, & in hoc ſacrificio tripartito (quod in præſenti ita actum eſt, vt tamen alia futura ſignaret) tria tempora, quæ ſuperius dicta ſunt, in tribus his animalibus, ſpiritalis lector agnoſce. Vaccam trimam, ante legem laſciuientem plebem ſine iugo legis. *Vide Aug. 16. de ciu. Dei c. 24.* Capram trimam, ſub lege, quam immolare debet plebs legem tranſgrediens, pro peccato. Arietem trimum, ſub gratia perfectum ſacrificium, quod figuratè pro filio idem offerens Abraham, arietem noſtrum Chriſtum triennem, tribus temporibus prædicatum, pro peccato populi ara crucis excepit. Quoniam pro iniquitate populi ait Eſaias, ductus eſt ad mortem *& liuore eius omnes ſanati ſumus.* *Eſaias 53.* Quòd verò hæc animalia contra inuicem

A

1. Cor. 11. Gen. 4. Num. 16. 1. Cor. 1. Pſal. 118. Pſal. 119. B *Matth. 19. Ioan. 3.*

diuiſa poſita ſunt, diuiſiones & ſchiſmata, quæ ſeſe inuicem impugnarent, futura Apoſtolus Paulus oſtendit, dicens: *Oportet & hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant in vobis.* Nam & ante legem, vt hæreticorum, Cain repudiatum eſt ſacrificium: & in lege, Chore, Dathan, & Abiron, dum hæreſum ſchiſmatumque authores, viuos terra vorauit. Et ſub gratia multarum hæreſum dogmata, & aues circa diuiſa cadauera mortuorum reſidentes, abiguntur à Paulo, cum dicit: *Diuiſus eſt Chriſtus? nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Præceptum eſt autem Abrahæ in illo ſacrificio, vt turturem caſtum, & ſimplicem columbam non diuideret: quoniam ſpiritales filij caſti, & ſimplices virgines, dum in charitate ſacrificium illibatæ fidei offerunt, diuidi omnino non poſſunt. Peregrinum verò eſſe in hac vita ſemen eorum, qui domino ſuo canunt, teſtatur Dauid dicens: *Inquilinus ſum & peregrinus, ſicut omnes patres mei.* Vt vexati in Ægypto annis quadringentis, dum gemunt & dicunt: *Heu me, quia peregrinatio mea elongata eſt.* ſatis in promptu eſt. Quarta verò generatione ad libertatem reuerti ex hac Ægyptia ſeruitute: noſtra à peccato eruta libertas oſtenditur. quæ tribus ſæpe dictis expletis temporibus, in quartam, quam regenerationem dominus appellat, declarata per reſurrectionem veram, omnis noſtra libertas exurgat impletis peccatis Amoneorum: eorum ſcilicet qui non credunt Dei Euangelio. Quoniam *qui non credit*, vt Dominus dicit, *iam iudicatus eſt.*

Promiſſio: In nominis perfectione, qua in fide, pater gentium eſt Abraham.

In Geneſi credita & viſa. Promiſſio figurata.

CAPVT XIII.

Gen. 17. C *Matth. 3. Luc. 3. Rom. 4.*

Tertio oraculo promiſſio diuina, etiam in eius nomine firmatur, Abram antè vocatus, Abraham eum creator Dominus nuncupat, cuius nominis proprietas deſignatur: *Patrem*, inquit, *multarum gentium poſui te.* Vt hæc promiſſio, non ad ſolam progeniem carnis Abrahæ, ex qua populus Iudaicus veniebat, crederetur pertinere. De qua gloriati in Euangelio dixerunt: *Nos patrem, habemus Abraham.* Reſponſumque eſt ab eo, qui & vocabulum tale dederat & fidem: *Nolite*, inquit, *in hoc gloriari: potens eſt enim Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* vt eſſet Abraham in Chriſto pater multarum gentium per fidem: cum vnius tantum gentis fuerit per generationem.

Prædictio: In circumciſione, qua corde circumciditur Chriſtianus.

Prædictio figurata.

CAPVT XIV.

Gen. 17. D

Hvic Abrahæ iam vocato per fidem, pactum quoddam circumciſionis indicitur, in ſigno veteris teſtamenti, quod ipſe ſuique poſteri ſeruare præcipiuntur: omnemque animam perituram de populo, quæ circumciſionem minimè celebraſſet. Quæritur fortaſſe, cur placuerit Deo circumcidi omne duntaxat maſculinum, eorum qui ſe ad obediendum Deo vouerant. Grandi autem ſacramento res hæc acta eſt, quæ media & præterita tempora reſpiceret, ac futura. Nam primæ præuaricationis cauſa, à patre corporis, ſerpentis veneno homo percuſſus, ardore libidinis æſtuans puduit ex his, quæ pudenda creata non erant: eaque † parere verecundiæ ſtatuit, quæ fuerant inuerecundè nudata. Idcirco creator & iudex Deus, in ea parte corporis ſignum circumciſionis indixit, temperans morbum malè conceptæ libidinis ex copula debitum, vt per continentiæ bonum atque integritatis decus id repararet, quod fuerat vitiatum. Circumciſio quippe cordis, quæ in nouo fulget teſtamento, in illo ſigno figurata eſt: quia *ſunt ſpadones, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum Dei.* Et filios Iſrael incircumciſos corde Deus increpat & obiurgat.

Forte † Operire verecundè

Matt. 19. Hier. 9.

E

Promiſſio: In Iſaac nato, qui riſus dicitur, quid oſtendat in Chriſto.

Promiſſio figurata.

CAPVT XV.

Gen. 18. F

Rvrſum eidem Abrahæ ad ilicem Mambræ in tribus viris diuina maieſtas apparuit, proximè de filio ſuſcipiendo ferens promiſſionem, ac ſupradicta confirmans, à quo etiam Sara vxor eius inquiritur. Dixit enim Deus Abraham: *Vbi eſt Sara vxor tua? Qui dixit: In tabernaculo eſt. Dixitq; illi Dominus: Reuertar ad te hoc tempore opportunè, & habebit Sara filium. Audiens verò hæc Sara, cum eſſet in oſtio tabernaculi poſt eum riſit intra ſeipſam dicens: Nondum factum mihi eſt vſque in hoc tempus, & dominus meus ſenior eſt. ait dominus ad Abraham: Quare riſit Sara intra ſeipſam dicens: Ergo ego vere pariam quæ ſenui? nunquid nihil poteſt verbum Dei?* Rurſumque cōfirmat: *Reuertar igitur ad te opportune, & habebit Sara filium.* Timendo negat Sara riſiſſe: quòd riſerit, conuincitur veritate. Quæ concipiens & pariens, appellatum eſt nomen eius Iſaac, quod interpretatur riſus. Ob quam rem & ipſa Sara, cum iam paruulum portaret in manibus: *Riſum*, inquit, *mihi fecit Deus.* Omnis enim qui audierit ſenem & ſterilem peperiſſe, congratulabitur mihi in riſu. Proles riſus excipitur, in quo benedictionē promiſſam omnium gentium ſuſcepit Abraham. Gentes enim quæ Chriſto per illum ſenem in carne venienti nunc credunt, in riſum à Iudæis ſuum Saluatorem confitentur, cumque glorificantes agnoſcunt illius contumelioſam paſſionem, ſuam eſſe veram libertatem.

Prædictio: In Sodoma & Gomorra futuri iudicij diem.

In Geneſi credita & viſa. Prædictio facta & figurata.

CAPVT XVI.

G *Gen. 18.* H *Gen. 19.*

Impiarum ciuitatum ſubuerſionem prædictam Sodomorum & Gomorreorum, idem fideli famulo Abrahæ Dominus demonſtrauit dicens: *Clamor Sodomorum & Gomorreorum multiplicatus eſt, & peccata eorum valde inuiſa. Deſcendens*, inquit, *videbo ſi clamorem, qui venit ad me conſummauerint: ſin autem, vt ſciam.* Deſcendit, & hic dictum eſt, Deus: quia famulo gratiſſimo non celauit ſuum iuſtum iudicium, ac per quandam pactionē, quam ſupplex humilique interceſſor acceperat, Deum cognoſcens iure prædictas velle perdere ciuitates vt iraſcentem mitigaret; hoc modo. *Ne perdas*, inquit, *pariter iuſtum cum impio. Et erit iuſtus quo modo & iniuſtus? Si fuerint quinquaginta iuſti in ciuitate, perdes illos? Non remittes omnem locum cauſa illorum quinquaginta iuſtorum?* Cumque promiſiſſet Deus non ſe perditurum, ſi quinquaginta iuſtos in illis reperiſſet locis, ex eo loquendi ſumpſit audaciam, pias precantis adhibens voces limum puluéremque ſeſe confitens. Dei ſententiam, pro quinquaginta iuſtis addens quadraginta quinque, mira celeritate ſuſpendit. Quorum exiguum numerum minimè reperiſſe dicitur. Eruenſq; Loth cum vxore & duabus filiabus eius, de populis & ciuitatibus quas cæleſti igne conſumpturus erat, eos, quos liberauit, admonuit, non ſtare in tota regione illa, neve retro reſpicerent. Quæ vxor Loth præcepta contemnens, retroq; reſpiciens, ſtatua ſalis effecta ſuo exemplo fatuos cōdiuit in propoſito ſancto quò tendunt proficientes, noxia curioſitate retrò non debere reſpicere: nec poſſe euadere tales ſtatuta ſupplicia, hæc fœmina demonſtrauit, quæ quod euaſerat perdidit. Tales Dominus in Euangelio increpat dicens: *Remiſſius erit terra Sodomorum in die iudicij, quam vobis.* Quos vero Chriſti gratia liberat, admonet per Apoſtolum: *Exite de medio eorum, & ſeparamini dicit Dominus.* Item ipſe: *Quæ retro oblitus, in ea quæ ante ſunt extentus.* Nemo

Matt. 10. & 11. Heb. 13. & Eſa. 52. 2. Cor. 6.

enim

A

† Fortè: Et ponens. Philip. 1. Luc. 9. & 17. * Fortè Quod cū. Galat. 6. Luc. 21. 1. Theſſ. 4. & 5.

enim retro attendens, † exponens manum ſuam ſuper aratrum, *aptus eſt regno Dei.* * Cum Dominus diceret: *Mementote*, ait, *vxoris Loth.* Securi igitur diem iudicij expectant, quibus in cruce domini gloriantibus, mundus eis crucifixus eſt, & ipſi mundo. Terruit enim dominus corda fidelium, dicens. *Vt factum eſt in diebus Loth, ita futurum aduentum filij hominis, ne grauati in crapulis & ebrietatibus eos ſubitaneus inueniat dies.* De quo dicit Apoſtolus: *Quia dies domini, ſicut fur in nocte, ita veniet.*

Prædictio: In Iſaac immolando Chriſti paſſio.

Prædictio figurata.

CAPVT XVII.

Gen. 22. TEntauit Deus Abraham dicens: *Abraham Abraham. Et dixit: Ecce ego. Et dominus: Accipe filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram excelſam, & offer ibi eum holocauſtum ſuper vnum montium, quem tibi dixero.* Eum ſibi iubet offerri holocauſtum, in quo ſemen Abrahæ vt ſtellas cœli

B

multiplicari, & in eo gentes benedici, tot iam oraculis diuinitus ipſe promiſerat. Non tamen cunctatur pater in filio implere quæ iuſſa ſunt, *ſciens*, vt Paulus dicit, *quod etiam ex mortuis poſſet eum dominus excitare.* (Heb. 11.) Sed eius qui tentatur in filio, non tantum collatæ fidei virtus demonſtratur, quantum etiam nobis imitanda proponitur: & vt præcepti noui ex Euangelio maneret authoritas. (Matt. 10. Luc. 14.) *Qui amat patrem aut matrem ſuper me, non eſt me dignus: aut qui amat filium aut filiam plus quàm me, non eſt me dignus.* Nam cum eum necdum proli ſciret idoneum, Deo tamen iubenti ea intentione paruit Abraham, qua ſciebat Deum nec immemorem promiſſionum ſuarum, & myſticum quoddam futuræ paſſionis dominicæ geri ſacramentum: illum ſcilicet reſpiciens diem noſtræ redemptionis, de quo dominus in Euangelio increpans Iudæos dicit: (Ioan. 8.) *Abraham pater veſter concupiuit videre diem meum, & vidit & gauiſus eſt.* Diem ſcilicet paſſionis filij Dei in ſuo filio figuratum vidit Abraham: quòd vnico filio nō pepercit: quòd velut ad aram crucis triduo cum inſonti

C

victima conuolauit: quòd patiens, ac ſine voce, ſimilis agno coram tondente ſe, filius patri, vt percuteret, pia colla præbuit: quòd ſe ligno quod portauerat ipſe, ſuſpēdi Iſaac non reluctatus eſt: quòd aries cornibus in vepre detentus, ſpinis coronatum Chriſtum oſtendens, pro Iſaac immolandus apparuit: quod ideo Iſaac immolatus non eſt quia reſurrectio filio Dei ſeruata eſt. Hæc omnia credens Abraham, videre meruit per figuram, quæ nos per gratiam impleta eſſe cognoſcimus.

Prædictio: In iuratione Dei, qua ſemen eius in Chriſto ſupra numerum extenditur.

Promiſſio figurata Abrahæ.

CAPVT XVIII.

Gen. 22. D

PEr me iuraui, *dicit dominus, propterea quòd non pepercisti filio tuo dilectiſſimo propter me: benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & velut arenam quæ eſt in littore maris. Et poſſidebit ſemen tuum ciuitates inimicorum ſuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Multiplicatum quidem ſemen Abrahæ, atque ad grandem numerum peruenisse, liber Numerorum oſtendit. Non tamen ſcimus eſſe innumerum. Promiſſio verò Dei vt ſtellas cœli, & vt arenam maris, quæ numerari nequeunt, continet: quam in Chriſto per fidem gentium, quarum pater eſt Abraham, benedictionem eſſe ſuppletam, & ipſe rerum ordo demonſtrat: ſimul & oracula prophetarum quæ filios Abrahæ non tantum ex ſemine carnis, ſed fide vocari ad infinitum numerum, per Dauid cæteroſque reſtantur. (Pſal. 71.) *Benedicentur*, inquit, *in eo omnes tribus terræ. Omnes gentes beatum dicent eum.* Item: *Adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes ſeruient illi.* (Eſa. 11.) Et Eſaias: *Erit radix Ieſſe, & qui exurget regnare in gentibus, in eo gentes ſperabunt.* (Rom. 11.) Apoſtolus quoque Paulus, fractos ramos Iu-

E

dæos dicit per incredulitatem, atque in fide radicis Abrahæ gentes, vt oleaſtro, fuiſſe inſertas. Item ipſe, (Rom. 15.) *Gentes autem ſuper miſericordia glorificare Deum:* miſericordia qua ablato, vt promiſit, (Ezech. 11. & 36.) corde lapideo, daret eis cor carneum. Lapides enim appellat, lapideos deos colentes, cum dicit: (Luc. 19. Matt. 3.) *Dico vobis, ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.* Mirum in modum qui erant lapides, per gratiam facti filij clamant: *Pater noſter qui es in cœlis*, & qui erant filij effecti lapides dicunt: (Exod. 32.) *Fac nobis deos, qui nos præcedant:* quia derelinquentes Deum viuum, ſeruiunt Baal, & idolis gentium. Gentes è contrario, ſpretis idolis, ſecuti ſunt Deum viuum. Quæ nos videmus impleri. illa ſcilicet quæ promiſſa ſunt in ſemine ſuo futuro per Chriſtum, quæ & credidit Abraham.

Prædictio: Ex femore Abrahæ Chriſtum hominem ſuſcepturum.

F

In Geneſi credita & viſa, prædictam carnem Chriſti ex femore Abrahæ venturam, ſequens myſtica actio oſtendit.

CAPVT XIX.

Gen. 24. VOcat Abraham præpoſitum domus ſuæ, & ait illi: *Pone manum tuam ſub femore meo, & iura per Deum cœli, quia non accipies vxorem filio meo à filiabus terræ huius, cum quibus ego habito: ſed de tribu mea accipies illi vxorem.* In femore Abrahæ Deum cæli fuiſſe, hic ordo oſtendit, quod Abraham genuit Iſaac: Iſaac Iacob: Iacob, duodecim patriarchas: in quibus Iudas, ex cuius tribu Dauid, de quo per ſeriem generationum, virgo Maria quæ peperit Chriſtum, qui eſt Deus cæli: quia *per ipſum facta ſunt omnia.* (Ioan. 1.)

Promiſſio: In geminis Rebeccæ populos duos, Chriſtianos & Iudæos.

G

In Geneſi credita & viſa. Promiſſio facta & figurata.

CAPVT XX.

Gen. 25. CVm idem Iſaac Rebeccam propinquam ſibi accepiſſet vxorem, eam ſentiens ſterilem, pro gignenda prole, Deum qui multiplicem promiſerat, deprecatus eſt. Statimque vt popoſcit, accepit. Quum autem concepiſſet Rebecca, gemini geſtiebant in vtero eius. At illa hæc referens: *Si ſic mihi futurum erat*, ait: *vt quid mihi hoc?* Abijt autem Iſaac cum ea interrogare dominum, atque huiuſmodi reſponſum accepit: *Duo*, inquit, *populi in vtero tuo ſunt: & duæ plebes de ventre tuo prodibunt: & populus populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori.* Suſcepit duos promiſſos filios Iſaac, duoſque populos fide tantum futuros agnoſcens, quos illa myſtica actio nobis reuelatos exhibuit. Eſau quippe, dum prior piloſus prodiret ex vtero, minoris Iacob manus emiſſa poſt eum, plantam eius apprehendit, quod factum mirum magnumque viſum præbuit. Idem

H

igitur Iacob iunior lenis, in ipſa iam pueritia per cocturam rubram lenticulæ maiorem fratrem ſupplantans, abſtulit eius primatus, nec vacuum eſſe potuit tanti myſterij Sacramentum. Lenis ille iunior Iacob, lenem mitemque ſignabat populum Chriſtianum, ea lenitate præditum, qua innocuum gentilis furor crediderat ab Eſau. Hic igitur lenis populus per cocturam paſſionem ſcilicet Chriſti ſanguine rubratam, edaci & ſæuienti Iudaico populo, cuius figuram geſtabat Eſau, qui etiam Edom dictus eſt, petenti voluntariè obtulit, ac primatus quos habuit ille, vendidit, ille ſuſcepit. Iudæus quod naſcendo habuit, per concupiſcentiam perdidit: Chriſtianus per gratiam, quod in natura non habuit, acquiſiuit,

A

Promiſſio: In eoſdem quæ geſſerint per figuram.

In Geneſi credita & viſa. Promiſſio facta & figurata.

CAPVT XXI.

EA verò quæ in duobus iſtis geminis acta ſunt, quam mira, quam grandia, quam iuxta promiſſiones ſacramentis omnia plena ſint, breuiter vt iuſtum fuerit expli-care contendam. Cæcatus Iſaac pater eorum exterioribus oculis, lumine verò interiore fulgente, promittit Eſau primitiuo filio benedictionem, ſi deſideratas eſcas ex ſua venatione filius præparet patri. Pergit ille implere quæ iuſſa ſunt. Mater, quæ audierat benedictionem maiori promiſſam, diuinitus acta, vt minori Iacob proueniat, prophetica arte compoſita myſticam artem parat. Veſtem accepit primogeniti ſui, quæ erat apud illam in domo, hac iuniorem induit: ac ſuper brachia eius, & nudam ceruicem pelles hœdorum impoſuit: aptauitque eum qui erat, vt poſſet intueri quod non erat: Tanquam iam nobis illum figuratum oſtenderet Chriſtum, qui accepit non carnem peccati, ſed *ſimilitudinem carnis peccati*: Legem quoque veteris teſtamenti, tanquam veſtem primogeniti excipiens, non eam ſe ſoluere dominus veniſſe dixerit, ſed implere. Sic compoſitus minor filius ille Iacob, qui fratri iam primatus abſtulerat, vſurpat inſuper benedictionem, offerens patri paratas à matre eſcas, & dicit: *Pater. At ille: Quis es tu fili? Ego ſum*, inquit, *primogenitus tuus Eſau. Feci ſicut locutus es mihi.* Cumque pater vocem filij minoris agnoſceret palpandum æſtimans, habitu membra maioris inuenit. Turbatuſque in filijs: factus eſt (vt ait quidam) gratus error parentibus. Acceptis igitur epulis quas parauerat mater, filius offerebat: pater quas libenter accepit, huiuſmodi benedictionem minori filio dedit. *Ecce*, inquit, *odor filij mei, ſicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Det tibi*, inquit, *Deus à rore cæli & à fertilitate terræ multitudinem frumenti, vini, & olei: & ſeruiant tibi gentes, & adorabunt te principes: & eris dominus fratru tui, & adorabunt te filij patris tui: & qui te benedixerit, erit benedictus, & qui te maledixerit, erit maledictus.* Hæc omnia Chriſto Domino conueniunt, poſt eius odorem benedictæ concurrunt omnes gentes. Venit peractis illis & filius primogenitus Eſau ex minoris gratia iam reprobus. Offert & ipſe eſcas patri, & dicit: *Exurgat pater meus, & manducet de venatione filij ſui vt benedicat me anima tua.* Ad hæc pauefactus pater: *Et quis eſt*, inquit, *qui venatus eſt mihi & intulit priuſquam tu introires? & benedixi illum, & benedictus eſt?* Benedictus poſterior populus Chriſtianus, iam patri dicit: *Dediſti lætitiam in corde meo, à fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt.* Maiori autem populo Iudæo pater dicit: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Sacrificium* enim *laudis glorificabit me. Venit* enim *frater tuus cum dolo, & accepit benedictionem tuam.* Quia igitur *Iacob* Deus *dilexit, Eſau autem odio habuit*, propterea ſuppleto tempore, ſacrificijs Iudæorū exploſis, ſacrificium mundum, vt prædictum eſt, offerri nomini eius omnis nunc populus Chriſtianus agnoſcit, qui per gratiam Iudæo & primatum & benedictionem abſtulit. De iſto enim dictum eſt: *Eris dominus fratris tui.* Cæterum in illis geminis non prouēnit. Minor enim & munera maiori obtulit, & famulum ſe eſſe profeſſus, eum humilis adorauit: vt res, quæ tunc ſignata eſt per litteram, nobis nunc manifeſtaretur in gratia.

B — Rom. 8. — Matth. 5. — Gen. 27. — C — Pſal. 4. — Pſal. 49. — Malach. 1. — Rom. 9. — D — Gen. 33.

Promiſſio: In Eſau, ex cuius ſemine Iob, & Chriſtus in gentibus per fidem.

In Geneſi credita & viſa. Promiſſa præmia virtuti & patientiæ.

CAPVT XXII.

Gen. 36. Iob. 2.

EX ſemine Eſau Idumæa gens, in qua inter cæteros duces, Iob ille fortiſſimus athleta Dei enituit, in exemplum omni patientiæ productus vt agoniſtico certamine principem totius militiæ diabolum ſuperaret, fultus auxilio Dei. Vir namque cum eſſet iuſtus, ac ſine querela Deo, eumque in confuſione diaboli qualis eſſet, Deus oſtendere dignaretur: *Animaduertiſti*, inquit Deus diabolo, *ad puerum meum Iob: non enim eſt ſimilis illi quiſquam in terris.* Et diabolus: *Nunquid Iob*, ait, *gratis colit Deum, nonne tu benedixiſti domum eius, & pecora eius multiplicaſti? Sed mitte manum tuam, & tange omnia quæ habet, & ſcies an in facie benedicat tibi. Ecce* inquit Deus, *omnia quæ habet in tuas manus do, ſed ipſum caue ne tangas.* Fit grande certamen. Perfidus Apoſtaticuſque angelus, fidelem Dei famulum inſectatur: atque, vt illi eſt plena à ſeipſo procreata malitia, vaſtat, fugat diſperditque omnia innocentis: & cum omni hæreditate, omnem ſimul conſumpſit hæredem. Tot tamen iaculis emiſſis, illæſus manet Iob: cuius, vt militis Dei, vno ictu percutitur diabolus. *Nudus exij*, inquit, *de vtero matris meæ: nudus reuertar in terram. Dominus dedit, & Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum.* Hoc ſuperatus certamine, aliud maius inimicus indicit. *Mitte*, inquit Deo, *manum tuam, & tange carnes illius, & oſſa, & ſcies an in facie benedicat tibi.* Mitte manum tuam, nihil eſt aliud quàm, da poteſtatem. Hanc enim nec in porcis habuit diabolus, niſi ille dediſſet, qui ſub hac autoritate & Iob ei tradidit, vt præcepti non excederet modum. *Ecce*, inquit Deus, *trado tibi illum: tantum animam illius cuſtodi.* Quem percuſſum graui vulnere, putrefacta totius corporis compagine, omnibus artubus ſolutis, ſanie profluente, ebullientib[9] vermibus, dū in corrupto corpore integer animus conſiſteret ſentiretq; diabolus intrinſecus fortem, quem forinſecus debilem æſtimabat: mulierem viro ſuo illo articulo, quam ſibi neceſſariam dimiſerat, armat: atque per vxorem fortiſſimum virum ſuo pulſat ex latere. Cum & mulier venenata iacula, quæ ab inimico ſumpſerat, infunderet, ait inter cætera: *Dic aliquod verbum in Domino & morere.* Statimq; ille ruinam primi hominis recordatus, Euam nouam, atque in illa illum inimicum qui præliabatur expugnans ait: *Tanquam vna ex inſipientibus mulieribus locuta es. Si bona accepimus de manu domini, mala quare nō toleramus?* His diuinis iaculis proſtratus eſt inimicus, ſuperatuſq; per gratiam per hominem peruerſus angelus, & humilis patientię pietas omnem moleſtiam ſuperbiæ debellauit. Iam enim per iuſtum virum potentem tranſitura Chriſti veſtigia in gentes ſignabantur. De quibus Dauid ex perſona eius dicit: *In Idumæa extendam calciamentum meum.* Iacobus quoque Apoſtolus, ad exemplum patientiæ credentium corda confirmans, ait: *Patientiam Iob audiſtis, & finem domini vidiſtis, quia miſericors dominus & miſerator eſt.* Dupla enim præmia Iob victor accepit. Pugnantibus vero ſuis, & ſua gratia iuuante vincentibus centupla hîc ſe daturum dominus pollicetur, & vitam æternam in futuro ſeculo largiturum. Quod in Valentiano* Valentis fratre videmus impletū: qui dum pro Chriſto militiam tribunatus ſpreuit, huius mundi regnum adeptus eſt, & verus Chriſti confeſſor vitam acquiſiuit æternam.

E — Iob. 2. — F — Matt. 8. — G — Pſal. 107. — Iacob. 5. — Matth. 19. — Marc. 10. — * Valentiniano.

H

Promiſſio: In Iacob, cui per viſum Chriſtus lapis angularis oſtenſus eſt.

In Geneſi credita & viſa. Promiſſio figurata.

CAPVT XXIII.

Gen. 28.

IAcob quoque filius Iſaac, nepos Abrahæ, per quaſdam res ſecum mirabiliter geſtas accepit promiſſionem. Fugiens enim fratris inſidias, locum ei manſionis præbuit ſolis vergentis excurſus. Illic lapidem capiti ſuppoſitum, talia ſibi reuelata in ſomnio narrat, Scalam miræ granditatis, cuius caput cœlum hactenus occuparet, oſtenſam: per quam angeli Dei aſcendentes & deſcendentes erant, Dominum quoque incumbere in ipſam, ſibique dixiſſe: *Terram in qua dormis, tibi dabo eam & ſemini tuo poſt te.* Qui euigilans, in Sacramento lapidem quem ad caput habuit eminus erigens, eumque liniens oleo, Chriſtum nobis

lapidem

A Pſal. 117. lapidem angularem conſecrauit, de quo Propheta dicit:
Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput an-
Eſa. 28. *guli.* Et Eſaias: *Ecce,* inquit: *pono in Sion lapidem angularem,*
1. Pet. 2. *electum, pretioſum: & qui crediderit in illam non confundetur.*
Hic lapis angularis Chriſtus Nathanaheli venienti ad ſe,
Ioan. 1. ſomnium quod Iacob viderat expoſuit: *Videbitis,* inquit,
cælos apertos, & angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ad filium
hominis. *Qui* enim *deſcendit* Chriſtus *ipſe eſt & qui aſcendit ſu-*
Epheſ. 4. *per omnes cælos, vt adimpleret omnia.* Scalam verò anguſtam
Matt. 7. viam ponens, quæ ducit ad vitam.

Promiſſio: In ipſius Iacob claudicatione non credituros omnes Iudæos.

In Geneſi credita & viſa. Promiſſio facta & figurata.

CAPVT XXIV.

B Gen. 32. IPſi quoque Iacob reuertenti de Meſopotamia cũ vxo-
ribus, filijs, famuliſque ſuis, angelus in via occurrit: qui
cum eo ſacratam luctam gerens, & angelus ab homine ſu-
perari ſe paſſus eſt, victorque à victo exegit benedictionẽ:
Non te, inquit, *dimittam, niſi benedixeris me. Dixitq; ei angelus:*
Quod tibi nomen eſt? At ille ait, Iacob. Iam, inquit, non vocaberis
Iacob, ſed erit Iſrael nomen tuum: quia præualuiſti cum Deo, &
cum hominibus potens eris. Tetigitque angelus latitudinem femo-
ris eius, claudusque effectus eſt Iacob per omnes dies. Claudica-
tio iſta quæ ex femore eius facta eſt, populum ipſum He-
bræum ſignificat claudicantem. Quibus ait Helias Pro-
3. Reg. 18. pheta: *Quid claudicatis ambobus inguinibus: ſi Deus eſt, ite poſt il-*
Pſal. 17. *lum.* Et Dauid dicit: *Filij alieni inueterauerunt, & claudicaue-*
runt à ſemitis ſuis. Quòd recto itinere ex illo populo, viam
Chriſtum ſequi non voluit, claudicans per errores varijs
Gen. 32. ſemitis aberrauit: quem *Videns Deum* (quod Iſrael appella-
tur) per gratiam Chriſtianus populus apprehendit.

Promiſſio: In filijs Iacob, & in Ioſeph, qui geſſit figuram Chriſti.

C

In Geneſi credita & viſa. Promiſſio facta & figurata.

CAPVT XXV.

Gen. 35. DVodecim filios, quos duodecim patriarchas ſcriptu-
ra teſtatur, ex ſuis fœminis ſuſcepit Iacob: Nõ quod
liberet ſanctos viros plurimas habere mulieres, concupi-
ſcentiæ ſcilicet cauſa: ſed quòd gratia multiplicandæ pro-
lis daret Deus licentiam, qui & vnam permiſit, & poſtea a-
Deut. 25. liquando prohibuit, Nam cum in lege dixerit: *maledictus*
homo, qui non ſuſcitauerit ſemen in Iſrael: per Salomonem au-
Eccl. 3. tem Prophetam huic licentiæ terminum dedit. *Tempus,*
ait, *mittendi lapides, & tempus colligendi lapides. Tempus ample-*
ctendi, & tempus continendi ab amplexu. In his igitur duode-
cim patriarchis Iudas dictus eſt, ex quo Iudæi. Ioſeph &
Beniamin germani, ex patre Iacob, & ex matre Rachel:
quorum actio omnis Chriſtum ſonat & eccleſiam. Dictũ
Gen. 37. eſt enim, *Iacob diligebat Ioſeph.* Dicit & Deus pater de Filio:
Matth. 3. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo bene complacui. Fecit,* inquit, *Ia-*
D *cob Ioſeph tunicam variam.* Dicitur & huic noſtro Ioſeph
Pſal. 44. Chriſto: *Adſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circum-*
amicta varietate. Somniauit Ioſeph ſomnium, narrauitque
Gen. 37. fratribus ſuis. *Putabam nos, ait, ligare gremia in campo. Surre-*
xit gremium meum & erectum eſt. Conuerſa autem gremia veſtra
adorauerunt gremium meum. Hoc in Chriſto futurum, idem
Iacob oſtendit in benedictione, quam à patre acceperat,
Gen. 27. Iuda dicente: *Adorabunt te filij patris tui.* Hi enim dicunt:
Gen. 49. *Venite adoremus & proſternamur ei,* qui iam dicunt: *Pater no-*
Pſal. 94. *ſter qui es in cælis.* Et ipſe in Euangelio: *Cum exaltatus fuero à*
Matth. 6. *terra, traham omnia, ait, ad meipſum.* Rurſum alia ſacramen-
Ioan. 12. ta videt in ſomnio, & hæc ſuis fratribus indicauit. *Quaſi*
Gen. 37. *ſol,* inquit, *& luna & vndecim ſtellæ adorabant me.* Dicitur &
de noſtro Ioſeph Chriſto Domino per Prophetam: *Lau-*
Pſal. vlt. *date eum ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen.* Et, *cæli*
Pſal. 143. *enarrant gloriam Dei.* Et Abacuc: *Eleuatus eſt,* inquit, *ſol, &*
luna ſtetit in ordine ſuo. Luna ex decedentibus ac ſuccedeo- E
tibus mortalibus conſtans eccleſia, poſteaquam ſol Chri-
ſtus exaltatus eſt, reſurgens ordine integro: hæc ſtetit in fi-
de, fulgentibus ſtellis ei qui numerat eas. Diſcipulis enim
ſuis, quorum nullus eſt numerus, ait: *Luceant opera veſtra,* Matt. 5.
ſicut luminaria in mundo.

Promiſſio. In eodem, qui vt Chriſtus dominus miſſus eſt ad viſitandas oues.

In Geneſi credita & viſa. Præfigurata promiſſio.

CAPVT XXVI.

MIttitur Ioſeph à patre ad viſitandos fratres ſuos, & Gen. 37.
oues. Dicit & noſter Ioſeph Chriſtus Dominus:
Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierũt domus Iſrael. Dictum eſt: Matt 15.
Oderant Ioſeph fratres eius propter ſomnia eius. Clamat & hic no- F
ſter Ioſeph Chriſtus de Iudæis fratribus: *Quoniam odio ha-* Pſal. 34.
buerunt me gratis. Viſo Ioſeph fratres eius dixere: *Ecce ſom-* Ioan. 15.
niator ille venit, venite occidamus illum, & videamus quæ erunt ſo-
mnia ipſius. Et apud Salomonem de noſtro Ioſeph impios Sap. 5.
dixiſſe refertur; *Venite occidamus iuſtum, quoniam inſuauis eſt*
nobis. Et ſequitur: *Promittit ſcientiam Dei ſe habere, & filium*
Dei ſe nominat. Videamus ſi ſermones illius veri ſunt, & tentemus
an ſuccedant quæ ventura ſunt illi. Hæc quoque in Euangelio
ipſe confirmat de filio, qui ad cultores vineæ miſſus eſt,
quo modo dixerint: *Hic eſt hæres: venite occidamus illum, &* Matth. 21.
noſtra erit hæreditas. Accipientes Ioſeph fratres eius, expo-
liauerunt tunicam illam variam, & miſere illum in lacum.
Hoc & noſter Ioſeph de ſua paſſione per Prophetam dicit: Pſal. 87.
Proiecerunt me, inquit, *in lacum exteriorem, in tenebris & vmbra*
mortis. Tunicam verò expoliatam deſuper contextam Eu-
angelica autoritas narrat: quam etiam milites diuidere Ioan. 19.
noluerunt, vnitatem Eccleſiæ firmantes, à cuius ſorte ex-
cluduntur hæretici, quoniam ſorte prouenit, vt eam vnus,
id eſt, vnitas, poſſideret. Accipientes, inquit, hœdum de
capris fratres Ioſeph, inquinauerunt tunicam eius ſangui- G
ne, quam patri ſub falſa teſtatione protulerunt, quòd beſtia
nequam comedisſet illum. Tria illa genera ſacrificiorum,
quæ Abraham obtulit mutato ordine, omne ſuum tempus
obſeruat. Pro Iſaac aries: pro Ioſeph, hœdus ex capris: pro
filio perdito redeunte ad patrem, ex iuuenco vitulus ſagi-
natus occiditur. Venite, inquit vnus ex fratribus, venun-
demus Ioſeph, & non occidamus illum. Hoc & Iudæi de
Chriſto, quem venditum tradiderunt Pilato ad necem, di-
xerunt: *Nobis non licet interficere quenquam.* Et vendiderunt Ioan. 18.
Ioſeph fratres eius Iſmahelitis negotiatoribus euntibus in
Ægyptum viginti aureis. Venditum autem noſtrum Io-
ſeph Chriſtum, Zacharias & Hieremias Prophetæ teſtan- Zach. 11.
tur. *Dederunt,* inquit, *pretium appretiati triginta argenteos.* Quod
etiam Iudam à Iudæis accepiſſe Euangelia narrant, ea ra-
tione, qua diſtractus Chriſtus à Iudæis tranſiret ad gentes.
Iudas enim ſimul cum pretio & vitam perdidit. Iudæi &
pretium & Chriſtum, quem comparauerant amiſerunt.
Gentes verò lucrum gratiæ poſſidendo poſſeſſæ ſunt.

Prædictio in eodem, quo caſtitas patiendo muneratur. H

In Geneſi credita & viſa. Promiſſio facta & figurata, qua afflictus non deſeritur Ioſeph.

CAPVT XXVII.

I*Smahelitæ vendiderunt Ioſeph in Ægypto cuidam † præpoſito co-* Gen. 37.
corũ Pharaonis. Ne hoc quidẽ vacat myſterio, quod dictũ † Preſbyter
eſt: *Præpoſito cocorum.* Cocco enim illa rubra veſtis paſſio- Iachtane 7.
nis Chriſti ſignatur, qua poſterior populus Chriſtianus, vt interpretã
ſæpe dictum eſt, primatum auferat populo qui ſemper ven- tur.
dere, nec nouit Chriſtum gratia comparare. Fuit dictum:
Dominus eſt cum Ioſeph. Et noſter dicit: *Non ſum ſolus, quia* Gen. 39.
mecum eſt qui miſit me pater. Immiſit vxor Domini eius ocu- Ioan. 19.
los in Ioſeph, & ait illi: *Dormi mecum.* Cumque ille reſiſte-
ret, gratiam quam apud ſuum dominum inuenerat nar-

rans, &

Digitized by Google

A

rans, & ſanctè timore Dei, quo plenus erat, metuēs offendere, aliud opportunum tempus mulier auſcultans, attraxit illum à veſtimentis, dicens: *Veni dormi mecum. At ille relinquens veſtimenta ſua in manibus eius, fugit & exijt foras.* Cũq; eius dominus, ſuus maritus, aduenisſet (notũ quid furens fœmina poſſit) *mentita eſt iniquitas ſibi*, falſa pro veris aſſirmat, violentiam ſe dicit perpeſſam fuiſſe, quam fecerat. O impudica mulier, ardet amans, vulnus alit venis, & cæco carpitur igni. Amat & perſequitur. Concupiſcit & ſæuit. Et quia ei ad ſtuprũ non conſentit, trucidandum eum ſtatuit, quæritq; perire quẽ diligit. Hanc impudicam mulierem Ægyptiam impiæ idololatriæ meritò comparauerim. Immiſit enim & hæc oculos in Ioſeph noſtrum, vidit *ſpecioſum forma præ filijs hominum*, eumq; ad illicitum conſenſũ à veſtimentis ſuis attraxit. Quæ ſunt veſtimenta noſtri Ioſeph Chriſti, niſi ſancti martyres? de quib. per Eſaiam prophetam ſuo corpori eccleſiæ dicit: *Viuo ego, dicit Dominus, quia omnib. illis veſtieris.* Et in Canticis canticorũ: *Quam rubicunda ſunt tibi veſtimenta?* Et Iacob benedictione prophetica: *Lauabit*, inquit, *in vino ſtolam ſuam, & veſtem ſuã in ſanguine vuæ.* Cum igitur attrahuntur Chriſtiani, vt ſacrificantes idolis in anima fornicentur, quid aliud quam in ſuis veſtimentis Chriſtus attrahitur? Teneantur Chriſtiani, dicit impia impudicaq; doctrina, aut cõſentiant, aut eis carceres, exilia, gladij, ignes, beſtiæ, cæteraq; ſupplicia præparentur. In his noſter Ioſeph Chriſtus à veſtimentis attrahitur. Cum vero ſuis dicit, *Nolite timere eos qui corpus occidunt*, eiq; reſpondent: *Propter te morte afficimur tota die*, reliquit veſtimenta ſua in manibus eius. Quod vero dictum eſt: *Fugit & exiit foras, relinquens veſtimenta ſua*: animam liberatã oſtendit, quæ clamat per Dauid: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.*

Alludit ad verba Vergilij initio 4. lib. Æneidos. — *Pſalm. 44.* — B — *Eſa. 49. Cantic. 5. Gen. 49.* — *Matt. 10. Pſalm. 43. Rom. 8.* — *Pſal. 123.*

Promiſſ. In eodem Ioſeph, quæ Chriſti paſſio figuratur.

In Geneſi credita & viſa. Promiſſa Chriſti paſſio per figuras.

CAPVT XXVIII.

C — *Geneſ. 39. Eſa. 53.* — *Pſal. 87.* — *Philip. 2.* — *Gen. 40.* — D

TRaditur Ioſeph in carcerem. Noſter Ioſeph Chriſtus, vt Eſaias dicit, *Inter iniquos deputatus eſt.* Inter ſontes inſontem Dei ſapientia dum gubernat, quæ deſcendit cũ illo, vt ſcriptum eſt, in foueam, in vinculis nõ dereliquit illum. Exclamat hic noſter Ioſeph Chriſtus: *Factus ſum ſicut ſine adiutorio inter mortuos liber.* Quod vero ſequitur, gratiam, qua plenus erat, inueniſſe apud præpoſitum carceris, vniuerſaſq; claues, totamq; cuſtodiam traditam fuiſſe manibus Ioſeph: illud intelligendum fuit, vt cui cœlum in ſole, ſtellis, ac luna, & in manipulis terra, inferna quoq; carceris ſubderentur: vt noſtro Ioſeph Chriſto *omne genu flectatur, cæleſtium terreſtrium, & infernorum.* Neq; illud à Sacramento Dominicæ Paſſionis eſſe æſtimo alienum, quod duo Pharaonis ſpadones, cum eo in illa paſſione detruſi ſunt: vt trium crucifixorum quodammodo numerus ſuppleretur. E quibus noſter Ioſeph Chriſtus reuelando myſterium, vnum puniret per debitum ſupplicium, alterũ per indebitam gratiam liberaret. Hæ ſacratæ actiones tunc in rebus actæ ſunt figuratis, vt nobis reuelanda omnia ſeruarentur.

Promiſſ. In eodem Ioſeph Chriſti reſurrectio eſt figurata.

In Geneſi credita & viſa. Promiſſa reſurrectio figurata

CAPVT XXIX.

Gen. 41.

POſt duos annos dierum, tertio incipiente, de carcere educitur Ioſeph. Et noſter Ioſeph Chriſtus Dominus die tertio à mortuis reſurrexit. Præſentatur Pharaoni: mundo reſurrectio declaratur: Exponit Ioſeph Pharaoni ſomnia, ac futuræ famis arcendæ gratia ea abundantia annorum ſeptem per ſapientem virum condi debere frumenta, & impleri horrea ſalubri conſilio inſtruit. Et noſter Ioſeph, Chriſtus Dominus, mundo per ſeptenarium numerum currenti in finem tale conſiliũ dedit: *Niſi enim*, ait, *granum tritici cadens in terra mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Quia qui ſeminant in lachrymis, in gaudio metent.* Data eſt Ioſeph à Pharaone in tota Ægypto poteſtas. Et noſter Ioſeph Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem dicit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Miſit Ioſeph ſuos per totam Ægyptum, & collegit frumentum multum quaſi arenam maris. Et noſter Ioſeph Chriſtus Dominus miſit ſuos per mundum, dicens: *Ite, baptizate gentes in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti.* Et collectus eſt credentium numerus ſine numero, quaſi arena maris. Conſtituit Ioſeph horrea per vniuerſam Ægyptum, & per totum mundum Chriſtus Dominus conſecrauit eccleſias, de quo Ioannes dicit: *Frumenta recondit in horreo.* Aperuit Ioſeph horrea tempore famis, & miniſtrabat populis. Hoc & de noſtro dictum eſt: *Oculi Domini ſuper iuſtos*, Et ſequitur: *Vt eruat à morte animas eorum, & paſcat eos in fame.* Famem vero animæ, Amos Propheta oſtendit: *Dabo eis, ait dominus, famem: non panis & aquæ, ſed famem audiendi verbum Dei.* Et in Euangelio ipſe Dominus: *Quia abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* In hac fame poſitis, noſter Ioſeph Chriſtus Dominus ex horreis ſuis nobis diuinam ſui corporis annonam adminiſtrat, quam *guſtantes, videmus quam ſuauis eſt dominus.* Dictum eſt, quod acquiſierit Ioſeph Pharaoni totam Ægyptum. Et de noſtro dicitur: *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.*

E — *Ioan. 12.* — *Pſalm. 125.* — *Matt. 28.* — *Luc. 3.* — *Pſalm. 33.* — F — *Amos 8.* — *Matth. 24.* — *Pſal. 33.* — *2. Cor. 5.*

Promiſſ. In eodem Ioſeph, qui vt Chriſtus dominus ſuos dilexit inimicos.

In Geneſi credita & viſa. Promiſſa ſublimitas eis qui benefecerunt inimicis.

CAPVT XXX.

Geneſ. 42. — G

VEnerunt in Ægyptum fame compulſi fratres Ioſeph, ab eo quem vendiderant, ſub pretio comparare frumenta. Venerunt & ad noſtrum Ioſeph Chriſtum Dominum, qui eum crucifixerunt, vt eius refecti cibario famẽ, qua eorum animæ vexabantur, auferrent. Adorant illi, adorant iſti. Videns Ioſeph fratres ſuos, agnouit eos, ipſi vero non cognouerunt illum. Hoc & in noſtro impletum eſt, quod ſui fratres non cognouerunt illum. *Si enim eum cognouiſſent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent.* Alienatus eſt Ioſeph à fratribus ſuis, eiſque per interpretem dicit: *Exploratores eſtis, conſiderare* veſtigia huius terræ veniſtis.* Hoc & noſter Ioſeph Chriſtus Dominus per interpretem Petrum ait perſecutoribus: Vos ſanctum & iuſtum negaſtis, & principem vitæ æternæ interemiſtis. Pœnitent fratres Ioſeph ea his quæ geſſerunt. Dicitur his: *Pœnitemini.* Dicunt illi: *In peccato ſumus de fratre noſtro.* Et Ruben illis: *Non dixi vobis, nolite vexare puerum? & non me audiſtis. Ecce, ſanguis eius exquiritur.* Et Iudæi qui Pilato dixerant, *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros*, id dicunt Apoſtolis: *Quid faciemus viri fratres*, monſtrate nobis. Vt exploratores non eſſe crederentur fratres Ioſeph duodecim, ſed filios vnius patris eſſe: teſtantur vnum non eſſe, cum ipſe eſſet cui iſta narrabant. Alium minorem apud patrem eſſe confirmant. Audiens Ioſeph germani ſui factam mentionem, eius deſiderio inardeſcens, in hoc, inquit, probabo exploratores vos non eſſe, ſi frater veſter iunior venerit vobiſcum. Accipienſque Symeonem ab eis vinxit eoram ipſis tradiditque in cuſtodiam. Si noſtrum Beniamin iuniorem fratrem, quem requirit Ioſeph noſter Chriſtus, aduertas: ipſe eſt ille Paulus ex Saulo, *ex tribu*, vt ipſe dicit, *Beniamin*, qui ſe aſſerit *minimum Apoſtolorum.* Symeonem ligatum tribus vinculis negationis, quem timor ligauit, & amor ſoluit, poſſemus accipere Petrum. Sed melius per ipſum ligari & ſolui peccata cognoſcimus, cui dictum eſt: *Quæcunque ligaueris ſuper terram, ligata erunt & in cælo: & quæ ſolueris ſuper terram, ſoluta erunt & in cælo.*

1. Cor. 2. — ** Secundũ 70. Interpret.* — *Act. 2. & 3.* — *Matt. 27. Act. 2.* — H — *Philip. 3. Act. 13. 1. Cor. 15.* — *Matt. 16.*

[A]

Promiſſio: In eodem Ioſeph figurata gratia.

In Geneſi credita & viſa. Promiſſio facta & figurata.

CAPVT XXXI.

[Gen. 42.] IVſſit Ioſeph fratrum ſuorum ſaccos impleri frumento, & reddi vnicuiq; pretium quod attulerant: vt *gratia* noſtri Chriſti *non eſſet ex operibus: alioquin gratia iam non eſſet gratia.* [Rom. 11.] [Gen. 43.] [Act. 2.] Secundo fratres Ioſeph cum Beniamin veniũt, vt promiſerant. Secundo ex Iudæis tria milia veniunt ad Chriſtum, ſubſequente minimo Apoſtolorũ Paulo. Vidit Ioſeph Beniamin fratrem ſuum ex vna matre, & lachrymatus eſt. Vidit Ieſus Paulum ſæuientem in eccleſiam matrẽ; & miſeratus eſt. [1. Cor. 15.] Idem enim Paulus *tanquam abortiuo* ſibi dicit apparuiſſe Ieſum: Beniamin autem ex eo exitio natus eſt, vt matrẽ præcitaret in mortem. Vnde filius doloris dictus eſt. [1. Cor. 15.] Dicit & Beniamin Paulus noſter: *Non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum eccleſiam Dei.* [B] Dixit Ioſeph præpoſito domus ſuæ de fratribus ſuis, *Introduc iſtos in domum: mecum enim manducabunt panem.* [Prouerb. 9] Dicit & noſter per Prophetã fratribus ſuis, *Venite, edite de meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis.* Munera dedit Ioſeph fratribus ſuis. Et noſter Ioſeph Chriſtus *dedit dona hominibus*, [Pſal. 67] cum ſanctum ſpiritum dedit hominib. ſuis: [Geneſ. 45.] Beniamin autem minori fratri ampliora Ioſeph dedit, quam fratribus, munera. [1. Cor. 15.] Hoc prædicat & Beniamin Paulus noſter: *Plus*, inquit, [Gen. 44.] *omnib. illis laboraui: non ego autem, ſed gratia Dei mecũ.* Rurſum iubet Ioſeph ſaccos fratrum ſuorum impleri frumentis, & reddi pretia. [Ioan. 1.] Hoc & fratres noſtri Ioſeph clamant, accepiſſe gratiam pro gratia. Poculum ſuum Ioſeph in ſacco Beniamin clam iuſſit immitti: quod requiritum, cum fratres perturbaret ſuos, inuentum eſt poculum in ſacco Beniamin. Calix paſſionis Chriſti datus occulte per gratiam in corpore Pauli cognoſcitur, quem prædicás, cum omnem ſynagogam perturbaret in dictis, inuentum etiam in ſuo ſacco ipſe fatetur, cum dicit: *Ego enim ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore meo porto.* [Gen. 45] [Gal. 6.] [C] Cum autẽ iam vellet cognoſci Ioſeph à fratribus ſuis, emiſit vocem, dicens: *Ego ſum Ioſeph frater veſter. Adhuc pater meus viuit?* Et noſter Ioſeph Chriſtus, vt ſe oſtenderet fratribus ſuis, dixit in Pſalmis: [Pſal. 21.] *Annuntiabo nomen tuum fratribus meis*, quos docuit dicere: [Matt. 6.] *Pater noſter qui es in cœlis.* Dixit Ioſeph fratribus ſuis, *Nolite metuere, non vos huc me miſiſtis, ſed Deus.* Dicit de noſtro Ioannes Apoſtolus: [Ioan. 3.] *Ad hoc enim miſit Deus filium ſuum in mundũ, vt viuamus per eum.* [Luc. 24.] Et ipſe in Euangelio: *Sic ſcriptum eſt*, ait, *& ſic oportebat pati Chriſtum, & introire in gloriam ſuam.*

Promiſſio: Deſcenſionis Iacob in Ægyptum & Chriſti Domini in mundum.

In Geneſi credita & viſa. Promiſſio facta & figurata.

CAPVT XXXII.

[Geneſ. 46.] IVbetur Iacob viſitatus in Luza deſcendere in Ægyptũ: apparuit illi Deus: dicens: *Ne timeas deſcendere in Ægyptũ: in gentem enim magnam conſtituam te illic, & filius tuus Ioſeph ponet digitos ſuos ſuper oculos tuos. Deſcendit autem Iacob in Ægyptũ cum animabus* * *ſeptuaginta quinque, occurritque illi Ioſeph filius ſuus, quem cum vidiſſet: Video te fili, amodo libenter moriar.* [D] [*Sequitur editionem 70 & Stephanum Actorũ c. 7 Tam de re inuenias grauem diſputationem apud Aug. de ciuit. Dei l. 16. c. 40.] Quiddam ſubſimile in noſtro Ioſeph repetitur. Cum enim venerabilis ille ſenex Symeon pater ætate, non generatione, vidiſſet Chriſtum, cuius ex cauſa in hac luce, velut in Ægypto, decrepitus tenebatur: [Luc. 2.] *Nunc*, inquit, *dimittis ſeruum tuum domine, ſecundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* In animarum numero ſeptuaginta quinq; deſcendit. Dauidicus etiam Pſalmus exclamat: [Pſal. 75.] *Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius.* Quia igitur Iſrael, videns Deum interpretatur, omnis illuminatus gratia Iudæus & Græcus, neceſſe eſt vt ex hac Ægyptia ſeruitute liberetur, tametſi duro iugo diaboli deprimitur Pharaonis. [Exod. 1.] *Creuit*, dicit liber Exodi, *plebs, & multiplicata eſt in Ægypto.* [Gen. 22.] Hoc fit per fidem ſeminis Abrahæ: vt in Chriſto multiplicetur, ſicut promiſſum eſt, tanquam arena maris. [E] Licet Pharao diabolus ſæuiens pœnas exquirat, quib. interficiat innocentes, necandos in fluuio, quod multiplicari videt minuendos arbitrans, ne populus augeatur: Augetur Dei iuſſu moriendo populus, fruſtrata potentia ſæuientis, quod etiam noſtris prouenit martyribus, & maxime paruulis, qui pro Chriſto ab Herode occiſi, pretioſa grana dum ſata ſunt, fidei ſeges multa ſurrexit Eccleſiæ.

Promiſſio: In Moyſe, qui perſonam habuit mediatoris Chriſti Domini.

In Exodo credita & viſa. Promiſſio facta & figurata mediatoris.

CAPVT XXXIII.

IN illo tempore natus eſt Moyſes, & erat acceptus Deo, [Exod. 2.] qui nutritus eſt tribus menſibus in domo patris ſui. Et hi tres menſes tribus ſæpe dictis temporibus reſpondẽt. [F] Cumq; eum amplius celare non poſſent, accepit mater eius capſam, liniteque à foris bitumine, & miſit infantem in eam, proiecitq; in amnem. Figuræ ſuccedunt figuris, dum tamen omnes actiones Chriſtum eccleſiamq; ſignificent. Tria quædam etiam in iſto Moyſe acta noſtro mediatori comparanda repetiuntur, futurum ſcilicet in carne ſacerdotem, aquam fluminis in baptiſmo, lignum etiam quo pepẽdit in cruce. Deſcendens filia Pharaonis lauari in flumine, cuius noſter Moyſes per lignum conſecrauerat aquas, agnouit quod de infantibus Hebræorum eſſet. Eũque ſuſcipiens educauit vt filium. Dum deſcenderet ad Chriſtum doctrina huius mundi, abluta ſpiritali vnda, depoſuit ſuperbiam: ſuſcipienſque quaſi grandis paruum per humilem gratiam eccleſiæ ſociata perſonæ, quæ filia Chriſti efficitur mater. Propter quod ſcriptum eſt: *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij.* [Pſalm. 44] Sic dum erudiendum ſuſcepit, eruditur. *Stulta enim mundi elegit Deus, per quæ ſapientiam mundi euacuet.* [1. Cor. 1.] Omnis etenim philoſophia Chriſtianæ ceſſit doctrinæ, quam vtiliter expugnans, inimicorum iaculis deſtruxit inimicus. [G] Sicut Moyſes ab Ægyptijs eruditus, ilico expugnauit Ægyptios, vt in rubro mari tanquam in baptiſmo, omnis ſuperbia mergeretur. [Exod. 14.] Per Moyſem filij Iſrael ab Ægyptijs, & per Chriſtum á ſpiritibus immundis animæ liberantur. [Mat. 8. 10.] [Exod. 2.] Adultus factus Moyſes vidit quendam Ægyptium iniuriam facientem cuidam ex gente ſua, quem vindicauit, ac defenſionem dedit, mactando Ægyptium, eumq; obruit in arena. Hoc agit & Moyſes noſter mediator Chriſtus, eruens animas de poteſtate tenebrarum in illa multitudine ſpiritalis ſeminis Abrahæ, quæ creuit vt arena maris. Obruit Ægyptium, dum clamant dæmonia expulſa: [Marc. 2.] *Quid nobis & tibi Ieſu fili Dauid: veniſti ante tempus perdere nos?*

Prædictio: In eodem Moyſe, qui vt Chriſtus pacem intulit iurgantibus.

Prædictio facta & figurata, qua cum his, qui oderunt pacem, iubemur eſſe pacifici.

CAPVT XXXIV.

[H] VIdit Moyſes alia die ſecum Hebræos altercantes, cœpitque eos componere ad pacem, dicens: [Exod. 2.] *Viri fratres, vt quid alterutrum nocetis?* Dixitque ille qui alteri iniuriam faciebat: *Quis te ſtatuit iudicem, vel principem nobis? Nunquid & me vis occidere, quemadmodum occidiſti heſterna die Ægyptium?* Et noſter Moyſes mediator Chriſtus clamat per Dauid: [Pſal. 119.] *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.* Et alibi: [Pſalm. 47.] *Retribuebant mihi mala pro bonis.* Fugit Moyſes in illo ſermone, & factus eſt transfuga in terra Madian. Dicit & noſter. [Pſalm. 54.] *Ecce elongaui fugiens, & manſi in eremo.* Accepit Moyſes vxorem filiam Iethri ſacerdotis Madian, vt noſtrum mediatorem ex alienigenis ſumpſiſſe coniugem ſignaret eccleſiam. [Exod. 3.] *Paſcebat*, dictũ eſt, *Moyſes oues Iethri ſoceri ſui in eremo.* Et noſter mediator Chri-

Ioan. 10. tor Christus paſcens oues dicit : *Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ouibus ſuis.* Terribili viſione motus Moyſes, pergit videre cur ignis in mõtem deſcenderat, & rubum minime concremaret. Noſter Moyſes teſtatur ignem ſe veniſſe mittere in terram, quem vtiliter vult amplius inflammari. Ipſe enim dicit. Ego ſum ignis, vitia, non homines conſumens. Luc. 12. Exod. 3. Eſa. 52. & Rom. 10. Vocatus Moyſes dum pergit in montem conſcẽdere, dicitur ei : *Solue calciamenta de pedibus tuis*, vt ſint liberi & *ſpecioſi pedes* mediatoris *annuntiantis bona.* Exod. 4. Iubetur Moyſes pergere ad filios Iſrael, & ad Pharaonem regem Ægypti vt populum Dei (quorum clamor duræ ſeruitutis aſcenderat) dimitteret ex terra ſua, mediationemq́ue futuram ſuſciperet. Per Matthæum dicit noſter mediator : Matth. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierũt domus Iſrael.* Excuſat Moyſes, quod ſit impeditus lingua & gracili voce. Dicit & noſter Iudæis : Ioan. 8. *Sermo meus non capit in vobis.* Rurſum inſtanti Deo vt pergeret , omni ex parte excuſat Moyſes dicens. *Domine prouide alium , quem mittas*: vt vox mediatoris noſtri, infirmitatis humanæ ſuſceptæ ſignaretur dicentis : Matt. 26. *Pater ſi fieri poteſt , tranſeat à me calix iſte.* Dicitur Moyſi , vt ſibi ſociet Aaron fratrem ſuum , ipſeq́ue ad Deum agenda ſuſcipiat, ille ad populum : Et quæ ſigna & prodigia in manu & in virga traduntur. Dicitur & noſtro mediatori: Pſalm. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem , & poſſeſſionem tuam fines terræ : reges eos in virga ferrea.* Paulum vero electum qui loqueretur ad populum , per Aaron ſignificatum poſſumus intelligere, de quo mediator noſter in Deum , ipſe oſtendit Ananiæ dicens: Act. 9. *Vas eſt mihi electionis homo iſte , vt ferat nomen meum corã gentibus & regibus , & filijs Iſrael.* Sic enim Moyſes & Aaron Hebræo populo prædicantes, miſſos ſe à Deo, vt eos ex Ægypto eruerent , firmauerunt : Exod. 14. quos audiens populus ingeniculans adorauit : quib. & ſigna facientibus credidit. Prædicante verò Paulo gentibus ac Iudæis , ſalutem animarum per Chriſtum fiducialiter promittente, ſigna dum faceret ad agnitionem Dei populum mira celeritate conuertit , ipſosq́ue reges ex futuro Dei iudicio eruit.

Prædictio : In eodem Moyſe, qui vt Chriſtus Dominus diabolum interfecit.

In Exodo credita & viſa. Prædictio facta & figurata, qua diabolus à Dei miniſtris expugnatus.

CAPVT XXXV.

Exod. 5. INgreſſi itaque Moyſes & Aaron ad Pharaonem , non tantum iuſſione diuina verba quæ audierunt , narrauerunt, quantum ſigna quæ data fuerant exhibentes. Exod. 7. Virga, quam manu Moyſes portabat, coram Pharaone proiecta, effecta eſt ſerpens. Magi quoque Pharaonis, vt diuina potentia ſuperarentur talia ſigna facere permiſſi , proijcientes virgas ſuas etiam ipſi ſerpentum ſpecies oſtenderunt , vorauitque ſerpens Moyſi Magorum ſerpentes , & noſtri ducis Chriſti virga doctrinæ omnium paganorum hæreticorumq́ue dogmata, diuina virtute conſumpſit. Non tantum hac actione figurata ſignarent , quantum etiam prophetæ Dauid præconia reſonarent dicentis : Pſal. 109. *Virgam virtutis tuæ emittet dominus ex Sion , dominare in medio inimicorum tuorum.* Exod. 4. Alud ſignum Moyſes coram populo oſtentat in ſinum ſuum manum mittens eaq́ue producta leproſa ſicut nix effecta eſt : rurſum reducta productaq; , reſtituta eſt in colore ſuo. In ſinu ſignatur oratio pro peccato, dicente Dauid : Pſalm. 34. *Oratio mea in ſinum meum conuertebatur.* Quod vero manus de ſinu producta niuem demonſtrauit , ſignificauit mediatoris Chriſti domini fuſa oratione pro nobis , noſtra etiam peccata purgari. Sic per Eſaiam ipſe oſtendit : Eſa. 1. *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum , vt niuem dealbabo.* Et quæ cantat eccleſia: Pſalm. 50. *Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Aduocatum* enim *habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum dominum , & ipſe eſt exoratio pro delictis noſtris.* 1. Ioan. 2.

Prædictio : In eodem, cum flagris, vt Pharao , caditur diabolus.

Iam prædictæ plagæ indurato Pharaoni: eiuſque populo præſentatus : quibus iudicatus.

CAPVT XXXVI.

SIcut promiſſum eſt Abrahæ, filios Iſrael , quos captiuos diu tenuerant, inuiti tandem aliquando dimittant : Gen. 15. mox quoque ipſe Pharao digno exitio cum ſuis ſupplicioque periturus dimiſit. Exod. 7. Decem ſane plagas illatas Ægypto , comparandas decem præceptis quæ accepit populus in deſerto , hac ratione domino adiuuante ſuſcepimus demonſtrare , qua ſibimet reſpondentia comprobãtur. Prima plaga Ægyptiorum , per Moyſen aquas fuiſſe in ſanguinẽ conuerſas : & primum præceptum continet : Deut. 6 & Exod. 20. *Audi Iſrael. Ego ſum dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti : Non erunt tibi dij præter me. Non facies tibi vllam ſimilitudinem.* Qui igitur relicto vno vero Deo, dijs falſis ſeruiunt, in carne & ſanguine volutantur : & 1. Cor. 15. *caro & ſanguis , regnum Dei non hereditabunt.* Corrupti enim mores elementum aquæ corruptum habere meruerunt. Ideo aquæ in ſanguinem mutantur, quia Pſalm. 105. *ſacrificantes filios & filias ſuas dæmonijs, effuderunt ſanguinem innocentem* , puri liquoris fontem verũ Deum Chriſtum repudiantes , cuius gratia ex fluxu ſanguinis mulier ſanata, animam ab idololatriæ fluxu erutam demonſtrauit. Matt. 9 & Luc. 8. Secunda plaga Ægyptiorum eſt, ſcaturiens ranarum multitudo , fœtido ſqualore omnem contaminans Ægyptum. Exod. 8. Secundum quoq; mandatum in lege eſt : Exod. 20. *Non accipies nomen domini tui in vanum.* Non enim mundabit dominus talem. Omnis itaq; hæreticus, periurus, ſacrilegusque , dum aliud ſonat lingua quam nomen domini , fœtore diſputationis ſuæ ranarum in ſimilitudinẽ clamitat contra Deum. Pſalm. 11. *Labia doloſa in corde , & corde loquuntur mala.* Nec immerito his animantibus comparantur, qui in lacunas rebaptizatorum confectas ſordes non abluunt, ſed potius cumulant delicta. Tertia plaga Ægyptiorum eſt, cynifes toto aere vibrantes , morſu quoque peſtifero medijs æſtibus infeſtantes Ægyptios; in qua plaga omnis magorum doctrina defecit. Profeſſique ſunt digitum Dei eſſe in illa : ipſis quoque vexatis vacua inaniſque eorum remanſit aſtutia. Et tertium præceptum in lege eſt : Vacatio ſabbati niſi fuerit obſeruata , perituram animam de populo ſuo. Quam vacationem Propheta Dauid , ex perſona Domini annuntiat dicens. Pſalm. 45. *Vacate & videte quoniam ego ſum Deus.* Hi igitur qui votum vouentes ſeſe offerunt Deo, eiuſque verbo vacantes ſpiritale ſabbatum obſeruãt: vt *Maria* quæ *meliorem partem elegit.* Luc. 10. A quo declinantes in ſtrangulatione dum mundanis curis innodantur , morſu peſtifero prædictæ plagæ læduntur in animam , redimendæ per Ducem Ieſum , qui *Dominus eſt ſabbati.* Matth. 12. Quarta plaga Ægyptiorum , cynomia; caninæ ſcilicet muſcæ , ſecretis etiam membris pœnas morſibus infligentes. Et quartũ mandatum in lege eſt : honorandos eſſe parentes. Quod primum ad homines refertur mandatum , quoniam ſuperiora diuinitati videntur aſcripta. Hi vero qui non ea honeſtate venerantur parentes, qua mandatum eſt, canibus ſimiles rabiem ſuæ fœditatis exerentes , longe in terra eſſe non poſſunt. Neque talibus ſanctum dandum dominus in Euangelio dicit : Matth. 7. A quorum conſortio Chananæa fide mundata humili pioque latratu, & ſibi gratiam & filiæ ſalutem nullis præcedentibus meritis impetrauit. Matth. 15. Exod. 19. Quinta plaga Ægyptiorum eſt, omnium pecorum iumentorumque repentinus interitus. Et quintum mãdatum legis eſt : *Non occides.* Non igitur qui gladio tantum , verum etiam qui odio ſæuiunt , homicidæ ſunt. Dicit enim Ioannes Apoſtolus: 1. Ioan. 3. *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Tales velut Ægyptia animalia repentino impetu corruunt. *Quia omnis homicida non habet in ſe vitam manentẽ.* Sexta plaga Ægyptiorum eſt, veſicæ ebullientes , vlceraque manantia. Et ſextũ mandatum legis eſt : *Non mœchaberis.* Quid enim mœchi in anima patiantur , cõpacta plaga demonſtrat. Niſi enim vlcera peſſimi amoris ebullienſq; libido rationem animi

A Prou. 6. perturbarent, adulter vtique non eſſet; neque vt ſcriptum eſt, per inopiam ſenſus perditionem animæ ſuæ acquireret. Et licet huiuſmodi puniantur etiam hic legibus hu-Heb. 13. manis, *fornicatores* etiam *& adulteros*, vt Paulus noſter dicit, *iudicabit Deus*. Septima plaga Ægyptiorum eſt, grando cum igne permixta, non tantum omne animal, quorum etiam arbuſta ipſa virgultaque ſubuertens. Septimũque mandatum eſt: *Non furaberis*. Comparatio hæc eſt: fur parietibus domibuſque infert alienis quod ſæuiens grando agit in campis: obnoxiusque eſt legi generali qua dictũ Tob. 4. Exod. 10. eſt: *Quod tibi fieri non vis, alij ne feceris*. Octaua plaga Ægyptiorum eſt, locuſtarum multitudo vescens omnia, radicitusque exterminans. Et mandatum octauum in lege eſt: *Falſum teſtimonium non dicere aduerſus proximum tuum*. Falſatius enim multa variaque confingens, rodit vt locuſta famam, vitam, actuſque alienos, donec totum aduerſus quem falſa confingit, radicitus exterminet. Sed falſus teſtis non erit impunitus. Nona plaga Ægyptiorum eſt, te-B nebræ denſiſſimæ plenæ imaginibus terroribuſque feralibus. Et nonum mandatum legis eſt: *Non concupiſces vxorẽ proximi tui*. Quid deterius eſt concupiſcentia mala, quæ ita totam excæcat mentem, vt non tantum timorem Dei, quantum etiam ipſas pœnas legum infameмq; mortem obliuioni dans, nihil in mœcho remaneat luminis, quod non totum occupent ferales tenebræ? Quos vero ex his Ephes. 4. Exod. 11. gratia liberat, admonet & per Apoſtolum dicens: *Fuiſtis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino: ſicut filij lucis ambulate*. Decima plaga Ægyptiorum eſt. Omnium primogenitorum mors. Et decimum mandatum eſt in lege: *Non concupiſces vllam rem proximi tui*. Primitiuam vero eſſe concupiſcentiam malam, Pharaoni diabolus per illud oſtendit, quod & ipſe concupiuit eſſe quod non erat: & A-Eſa. 14. Gen. 3. dam, qui ſe cupiditate præcipitauit in mortem. Vitia vero angelorum eius per quem *mors introiuit in orbem terrarum*, in primitiua Ægyptiorum in hoc mundo tanquam in Ægypto, dum noſter interfecit: dum nos docet renunciare diabolo, pompis, & angelis eius: *vt vbi abundauit peccatum, ſuperabundet gratia*.

Promiſſio: Paſcha figurata, & tranſitus Chriſti ad patrem.

C

In Exodo credita & viſa. Prædictio facta & figurata.

CAPVT XXXVII.

Exod. 12. PAſcha, quod eſt tranſitus, in quo omnis actio fidei noſtræ paſſionique dominicæ agitur ſacramẽtum: iubet Deus Moyſi iis fieri, vt ab Ægyptijs Hebræi vaſa aurea, & argentea, & veſtem poſcerent: quibus ſublatis expoliarent Ægyptios commodantes, vrgente neceſſitate primæ amiſſæ ſubolis. Sibi quoque dum mercedem ocyus Hebræos, cum vniuerſis quæ dederant, pepulerunt Pſal. 77. & 104. Sap. 10. Exod. 12. *vt redderetur iuſtis*, ait Propheta, *merces laborum illorum*: Duas enim Ægyptijs conſtruxerunt ciuitates, pro quibus ſpolia illa non ſunt furto ablata, ſed merces eſt reddita. Tranſitus vero ipſe myſticus hic fuit, agnum ſine macula anniculum iuſſione diuina per tabernacula occidendum, ac de eius ſanguine poſtes domus liniendos, non comminuendo os ex illo, cum picridibus & azymis, ſuccinctis lumbis in omni feſtinatione comedendum, nihil ex eo re-D linquendum in mane. Quæ omnia figurata dum fuerint, quomodo ſint impleta, Euangelica auctoritas narrat, quę nobis carnes agni vſque in mane quod veſperum non habebit, id eſt, vſque in reſurrectionem, comedendas præ-1. Cor. 5. cipit: *Non in fermento veteri, ſed in azymis ſinceritatis*: Signatis ſane ſanguine poſtibus, quorum in frontibus crux eius elucet. Cum picridibus dictum eſt, amaram vitam lugen-Matth. 5. do agentibus. Sed *beati, quia ipſi conſolabuntur*. Sane expoliatus Ægyptios à noſtris, hac ratione colligimus, quod omnis mundialis ſcientia, qua inflati ſuper ea ſuperbiebãt, moraliſque ſapientia tranſijt ad Chriſtum, vt ea humilis recta fide poſſideat populuſque iure ſuperbus amittat. Expulſi Hebræi per eremum ductitãtur, quia omni Chriſtiano renuntianti mundo, arcta illi anguſtaque neceſſaris eſt via, quæ ducit ad vitam. Huic populo columna nu-E Matth. 7. Pſal. 78. Hier. 10. bis in die, & columna ignis per noctem iter oſtendit: quoniam Chriſtiani hominis greſſus à Domino diriguntur, & vias eius volet. Vbi vero populum eremus ac rubri maris littus excepit, induratus Pharao vt totus cum ſuis periret, curribus equitibuſque coniunctis ſecutus eſt fugientes. Hoc agit ſæuiens diabolus cum vitijs angeliſq; ſuis, dum noſtros à ſe fugientes inſequitur. Omnis enim qui his renunciat, ad baptiſmum tanquam ad rubrum mare feſtinans hoſtem fugit, vt ſaluator eum inueniat.

Promiſſio: In baptiſmo, vt in mari rubro.

In Exodo credita & viſa. Promiſſio facta & figurata in baptiſmo.

CAPVT XXXVIII.

Exod. 14. F DIxit dominus ad Moyſem: *Quid clamas ad me, dic filijs Iſrael & iungant ſe, & tu leua virgam tuam ſuper mare, & diuide illud, & ingrediantur filij Iſrael per medium mare per ſiccum. Ego enim indurabo cor Pharaonis & AEgyptiorum omnium, vt inſequãtur eos, & magnificabor in Pharaone & in omni exercitu eius*. Cumque id fieret, mare exequendo iudicium ſui creatoris & regis ſententiæ diuina iuſſa compleuit. Deum puniendo rebelles, innocuis viam, reſciſſis vndis ſuſpenſoque gurgite, ſicco puluere gradientibus præbuit: reductaque in ſeſe vnda hoſtes in ima demerſit. Et vnda ea aqua ſacrata verbo, rubrata ſanguine, ligno crucis in myſterio virgę percuſſa, ſalutem ad ſaluatorem venienti miniſtrauit. Peccata vero cum autore diabolo, vt Ægyptios cum ſuo rege, in profundo detruſit. Hic eſt Deus noſter, de quo Mich. 7. Micheas dicit propheta: *Ipſe conuertetur, & miſerebitur noſtri: & demerget in profundum maris omnia peccata noſtra*. Poſt dura exilia, poſt labores eremi ac rubri maris tranſitum, Dei populum victrix palma ſuſcepit: quamuis marath aqua amara fatigauerit ſitientem, quæ ligno in eam miſſo dulcis effecta, oſtendit, ſitientem Chriſtianum ſtatim vt amarum paſſionis poculum biberit, ligni & crucis dulcedine, omni amaritudine liberandum. Vnde & Paulus di-Gal. 6. cit: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*. Idem enim lo-G cus qui illi populo requiem præbuit in duodecim fontib. aquarum ex ſeptuaginta palmarum arboribus, noſtris in myſterijs ſacratus fuit. Namque poſt baptiſmum, duodecim apoſtolorum fontium fluenta puræ doctrinæ exuberant ſatiandis peccatoribus, quibus ſacer pſalmus in-Pſalm. 67. ſonat: *In eccleſijs benedicite Dominum Deum de fontibus Iſrael*. In ſeptuaginta vero arboribus palmarum, omnis numerus ſanctorum martyrum in milibus conſignatur, qui pro veritate vſque ad mortem certantes, palmam ſupernæ vocationis accipiunt. Hos etiam Apocalypſis Ioannis A-Philip. 3. Apoc. 7. poſtoli deſignat dicens: *Vidi turbam multam, quam dinumerare nullus hominum poterat, ex omni tribu, populo, & lingua. Et induti erant alba veſte, & palmæ fuerunt in manibus eorum*, Eccle. 24. quas vincentibus illa palma ſapientia dedit, quæ exaltata eſt in Cades.

Promiſſio: Panis cæleſtis in manna, quod eſt Chriſtus.

H

Promiſſa manna de cœlo.

CAPVT XXXIX.

Exod. 16. COnſumptis panibus quos ſecum extulerat ex Ægypto, panem à Moyſe murmurando popoſcit, carnes etiam deſiderans Ægypti. Verum mediator ille Moyſes panem eis & carnem ocyus à domino impetrauit. Iubetur populus mane panem, in veſperum carnes accipere. Sed hæc, figuræ noſtræ fuerunt. Panem enim illum ſanctum qui de cœlo deſcendit, ſuſcepit primo populus in manducandum, poſtea carnem Chriſti in paſſione confectam. Ioan. 6. De quo ipſe Dominus dicit: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*. Sane ſub certa diuina menſura, mãna ſanctus populus veſcebatur: Quam ſi quis

excederet

A excederet, vermibus corruptum putrefactumque proijciebat, auaritiæ atque intemperantiæ ſuæ cupiditate ſuſtratus. Tales doctor gentium Paulus exprobrat dicens: (1.Tim.6.) *Victum & tegumentum habentes, his contenti ſimus. Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in deſideria multa ſtulta & noxia, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.* Hæc eſt putredo & hi vermes eorum, qui pereunte mundo cupiunt ſuas augeri diuitias, nec ſunt diurno pane contenti. Sed idem populus in deſerto potandæ aquæ cauſa, aduerſus Moyſem rurſus murmurauit. Petenti Moyſi à domino dictum eſt: (Exod 17.) *Præcedam te*, inquit, *in* * *Choreb: & ſtabo ſuper petrã, & tu veniens percuties petram, & exibit aqua, & bibet populus meus.* Hoc factum eſt. Et Dauid teſtatur. (* Secundũ 70. Interpretes. * Pſalm. 77.) *Diſrupit in deſerto petram & potauit eos, ſicut in abyſſo multa.* Quæ ſit vero hæc petra, Paulus exponit Apoſtolus, omne quod tunc actũ eſt in myſterio, Chriſto Domino aſſignans: (1.Cor.10.) *Patres*, inquit, *noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes per mare tranſierunt, & omnes in Moyſen baptizati in nube & in mari. Et omnes eſcam ſpiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritalem* B *biberunt. Bibebant enim de ſpiritali ſequenti petra: petra autem erat Chriſtus.* Hæc petra etiam nos ſatians dicit: (Ioan.4.) *Qui biberit ex aqua quam ego dedero, non ſitiet vnquam: ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Hæc petra percuſſa in cruce, ſanguinem produxit & aquam, quibus ſobriè inebriamur.

Promiſſio: In ſigno crucis expugnare inimicos.

In Exodo credita & viſa. Promiſſio figurata qua omnes noſtros aduerſarios ſigno crucis expugnare præcipimur.

CAPVT XL.

(Exod.17.) HVic populo, in quo omnis noſtra figurata actio eſt, Amalech & omnis cum ſuo duce gens aduerſa occurrit, bellum rudi plebi indicens, quam à ſe credebat facile ſuperandam. Conſerta pugna aduerſarij dum plurimum præualerent, extendens Moyſes manus ad Deum, crucifixi inſtar expreſſit. Quo ſigno cadentes hoſtes, dum manus Moyſi inclinarentur, aduerſarius fortior vincebat. C Vt autem manus Moyſis ſtabiles fierent, Aaron & Vr ſuſtentantibus manus eius, & quadam ſtabilitate firmantibus, cadens fugienſque Amalech omnis extinctus eſt. Si noſtri mediatoris hic reſpiciamus ſignum, cum per Dauid canentem recordemur: (Pſal. 140.) *Eleuatio manuum mearum ſacrifitium veſpertinum*: (Matth.27) cuius in paſſione, ſol & luna habitum curſumque mutauit: quis ſpiritus aduerſarius, quæue inimica poteſtas huic ſigno poterit obuiare, ac non potius aufugiat: ſi tamen ſpes pugnantis ex manibus crucifixi pendeat, per quam quotidie eruimur de poteſtate tenebrarum? (Coloſ.1.) Nunc iam recurrentes omnes figuratas actiones temporis ante legem, cum omnia quæ geſta ſunt, ita ille populus promiſſa ſuſceperit: vt ipſe quoque fide multò proſpiciens ſibi credenda, poſteris videnda reliquerit. Quia igitur ad montem Sina per certas prædictiones promiſſionesq; perductus eſt populus, in quo Moyſes legem à domino percipiens, regendis tribubus iura cœleſtia panderet (vnde æſtimo quod ideo nuncupentur Iudæi, tanquam portantes vel ſequentes ius Dei) huc vſque tempus ante legem concluſum lector agnoſce: tãquam vnum diem quatuor D ex cardinibus mundi ſurgentem, patriarcharum ſcilicet procerum Abraham, Iſaac, & Iacob, Orientis radio fulgente Melchiſedech rege & ſacerdote, in duodenario horarum numero. Qui ex illis progeniti, noſtri quoque patriarchæ nuncupantur. Vt in veſperum concluſum aliud tempus ſub lege, velut alius dies per cæteros numeros inchoatus exurgat.

Finis primæ Partis.

Incipit pars ſecunda legis tempore, quo per Moyſem legiſlatorem annis XL. gubernatus in eremo eſt populus Dei, & deinceps vſque in aduentum Domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Quæ pars, promiſſa prædicta q; continens, connexa capitulis ſubſequitur.

E

CAPITA SECVNDÆ PARTIS.

1. *Prædictio: In monte leges data, & Chriſti domini mandatã in monte.*
2. *Promiſſio: Facta & figurata domus Dei in eccleſia ſancta.*
3. *Promiſſio: In Aaron ſacerdotium figuratum in Chriſto.*
4. *Prædictio: In populis vindicta, qui præuaricati, & qui mandata Chriſti non ſeruauerunt.*
5. *Prom. In ſacrifitijs omnibus Chriſtum dominum figuratum.*
6. *Præd. In lepræ inſpectione hæreticos varios ſimulaſſe.*
7. *Præd. In eſcis mundis & immundis, eleemoſynis munda omnia fieri.*
8. *Præd. In eſcis deſideratis Ægypti, Chriſtum manna renuiſſe.*
9. *Præd. In Moyſe Chriſto domino & eccleſiæ fratres detraxiſſe.*
10. *Præd. In virga Aaron germinante confirmatio ſacerdotij Chriſti domini.*
11. *Præd. In æneo ſerpente, Chriſtum dominum à morſu diaboli liberantem.*
12. *Prom. In eis, qui pro Chriſto parentes contempſerint, ventrē benedictionem.* F
13. *Præd. In Moyſe tranſeunte, Ieſum ſignaſſe dominum rectorem.*
14. *Prom. In Ieſu Naue, Ieſu domini figuram oſtendit, terrenam expugnantem ciuitatem.*
15. *Prom. Per Ieſum Dominum animæ à proſtitutione idolorum liberantur.*
16. *Prom. Per Ieſum dominum omnia vitia expugnanda.*
17. *Præd. In figura eccleſiæ Delbora hoſtem ſuperauit.*
18. *Prom. In figura Gedeon gratiam domini Chriſti commendat.*
19. *Præd. In Abimelech concubinæ filio, hæreticos ſignat.*
20. *Prom. In Iephthe figurata caro Chriſti, immolatio virginis.*
21. *Prom. In Samſon Nazaræus dominus Chriſtus fortis in capite.*
22. *Præd. In eodem, quod ligatus Chriſtus dominus à Iudæis vincula omnia diſrupit.*
23. *Præd. In Ruth eccleſia ex gentibus Iudæis illudens.*
24. *Prom. In Samuele Chriſtus dominus dux, ſacerdos & propheta, ſacerdotes arguens.*
25. *Prom. In Dauid Chriſtum paſtorem cytharizantem.*
26. *Prom. In eodem inimicos diligentem, lapſos reparantem.*
27. *Præd. In Abiſac animas Chriſti gratia calore feruentes.*
28. *Præd. In Roboam ſciſſuram hæreſeon, è quibus Chriſtus ſuas colligit oues.*
29. *Prom. In Helia Chriſtũ, & in vidua miſericordia Principatũ.* G
30. *Prom. In Heliſæo diſcipulos Chriſti duplum accipientes ſpiritũ.*
31. *Prom. In eodem cum mortuum figuratum Chriſtus dominus gratia ſuſcitauit.*
32. *Præd. In Ezechia, quam ſuos Chriſtus docet in bono non debere efferri.*
33. *Præd. In regibus peccantibus qui ſecum populum in captiuitatem ducant.*
34. *Præd. In Daniele qui Chriſtum dominum ſuis viſionibus enarrauit.*
35. *Præd. In eodem, dum eum de lacu leonum eruit, vt Chriſtum dominum à Iudæis.*
36. *Prom. In Ezechiele manifeſta reſurrectio per Chriſtum dominum.*
37. *Præd. In Eſdra domus Dei, id eſt, per Chriſtum dominum reſtauratio.*
38. *Præd. In eodem eum in figura eccleſiæ parabolam pandit.*
39. *Præd. In Tobia ex piſce Chriſto & dæmonia fugari, & illuminari cæcos.* H
40. *Præd. In Machabæis, qui & martyria, & ipſum Chriſtum regem natum ſuſceperunt.*

A

DE PROMISSIONIBVS, ET PRÆDICTIONIBVS DEI, PER S. PROSPERVM AQVITANICVM EPISCOpum Rhegienſem,

PARS SECVNDA.

Prædictio: In monte leges datæ: & Chriſti Domini mandata in monte.

Prædictio facta & figurata. In Exodo credita & viſa.

CAPVT I.

B

Exod. 19. 31. & 34.

VOcans Deus Moyſem in monte Sina, legem in tabolis lapideis conſcriptam, vt populo traderet, dedit: quam ritè ſeruans, terram promiſſionis acciperet. Noſter verò mediator Ieſus Dominus (cuius figuram geſtabat etiã Moyſes) aſcendens montem cum diſcipulis ſuis, quibus modis beati homines fierent, legem, *non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus Dei ſpiritu* ſcripſit: qua nõ terra, ſed cœlo atque vita potiantur æterna, qui eius mãdata ſeruauerint. Sed eidem cætero populo, prælatis decem præceptis, per Moyſem cœleſtia iura traduntur: De ſucceſſione hæredum: De ceſſante hærede, fidelem amicum & domeſticum loco hæredis debere ſuccedere: De furto in quadruplum reſtituendo: De depoſitis ſeu commodatis, caſo vel vi aliqua ſublatis: De puniendis adulteris: De virgine vitiata in agro vel in ciuitate: De muliere prægnante percuſſa. *Oculum pro oculo: Dentem pro dente*, & cætera quæ in his iuris diuini tenet autoritas. Populus ſub lege ea teſtificatione ſuſcepit à Moyſe, qua ſpopondit omnia eſſe facturum. Mactans itaque Moyſes in ſacrificio vitulum, ſanguinem ipſius in teſtimonium accipiens, cum hyſopo & lana coccinea populum ipſumq́; librum aſperſit, dicens: *Hic ſanguis teſtamenti quod vobis mandauit Deus.*

Matt. 5.

2. Cor. 3.

Exod. 22.

Exod. 21.

Exod. 24.

Exod. 24.

Heb. 9.

C

Matth. 5.

Matt. 27.

Marc. 15.

Ioan. 19.

Ad hæc mediator noſter Chriſtus Dominus, legem non vacuans, ſed adimplens, non tantum liberis & potentibus, quantum etiam ignobilibus ſeruiſq; facientibus præcepta ſua, teſtamentum nouum ſuo ſanguine conſecrauit, non ſine hyſopo quod mixtum aceto in paſſione bibit: in quo teſtamento, diſcretio nulla eſt perſonarum. Ait enim Apoſtolus Paulus: *Non eſt Iudæus neque Græcus, nõ eſt ſeruus neq; liber, non eſt maſculus neque fœmina. Omnes enim vos eſtis vnum in Chriſto Ieſu*, qui eſt fidelium indiuiſa ſempiternaq; hæreditas. Fidem ſeruandam proximo commodanti vel deponenti, per eundem Apoſtolum mandat. *Bonum*, inquit, ô Timothee, *depoſitum cuſtodi.* Et iterum: *Non quæ ſua ſunt quiſque intendentes, ſed & quæ aliorum.* Et per prophetam Solomonem: *Fidelis hominis totus mundus diuitiarum eſt: infidelis autem, nec obolus.* Item Paulus: *Qui furabatur, iam non furetur.* Ipſe quoque virgini caſtæ timet ſerpẽtinam diaboli corruptionem, cum ſe, pro affectu concipiens, ſpiritu prægnantem eſſe confirmat, dicens: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis.* Hos omni ea parte illæſos edere cupit, cum dicit: *In Chriſto enim Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Addidit quoque noſter mediator nouæ legis mandata, veteris teſtamenti temperans vindictam. Nam cum illic, adulteros puniendos ſtatuit, hic adulteram ea pietate liberat, qua legem non deſtruit, dicens: *Vade, & noli amplius peccare.* Non ſolum non mœchandum, ſed nec oculis conſentiendum ad cõcupiſcentiam. Homicidium non tantum perpetrandum non eſſe, quantum qui odit fratrem homicidam eſſe. Oculum pro oculo non ſtatim expetendum, verum inſuper malum pro malo reddendum non eſſe. Qui abſtulerit tunicam, dimittendum illi & pallium. Qui percuſſerit in maxillam, præbendam illi & alteram. Qui angariauerit, duplum cum illo eundum. Benefaciendum inimicis. Orandum pro perſequentibus: & cætera quæ ab ipſo cœleſtis iuris conditore mandantur in Euangelio. Non eſſe cõtraria legi hinc oſtenduntur: quod ibi mandatum fuerit, animal in via ſi ceciderit inimici, erigendum cum eo, nec prætereundum: Doloſe non loquendum cum proximo: neq; pignus pauperis retinendum vſq; in veſperum. Septimo anno ſata frumenta non metenda. Fructusq; omnes eiuſdem anni, proſelitis, viduis, & orphanis relinquendos. Eodemq; anno dandam Hebræis ſeruis libertatem. Decimas omnium fructuum primitiasq; in domum domini inferendas: Debitum, ſeptimo ſuppleto anno non repetendum: relaxatis etiam pignoribus. Quinquageſimo vero anno reddenda omnia prædia quæ cautionum nexu obſtrinxerant, pecunia non recepta. Et omnia, quæ, vt dixi, noui ac veteris mandata continent, diſcuſſa, nulla ex parte ſibimet repugnantia inueniuntur: Cum & in nouo teſtamento non parua terribiliaq; exempla vindictæ proceſſerint, Dum ſpiritui immundo ſuperbus traditur, vt diſcat non blaſphemare. Dum adulteri traduntur Sathanæ *in æternum interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die domini noſtri Ieſu.* Dum fraudantes mendacesque Ananias & Saphira, ſubita morte plectuntur. Dum manibus pedibusque ligatis in tenebras exteriores mittitur, qui veſtem non habuerit nuptialem: quæ *eſt charitas de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta.* Et quæcunque alia ex veteribus ſignis in nouo ſuppleta noſcuntur, ſacro, vt dictum eſt, ſanguine mediatoris ſimul cum ipſo populo conſecrata ſunt.

Ioan 8.

Matth. 5.

1. Ioan. 3.

Matth. 5.

1. Tim. 1.

Gal. 3.

Gal. 4.

D

1. Cor. 4.

Philip 2.

Epheſ. 4.

1. Cor. 13.

E

Exod. 23.

F

1. Tim. 1.

1. Cor. 5.

Act. 5.

Matth. 22.

1. Tim. 1.

Promiſſio: Domus Dei in Eccleſia ſancta.

Promiſſio facta & figurata. In Exodo credita & viſa.

CAPVT II.

Exod. 25.

EIdem Moyſi dicitur, *Vide vt facias tabernaculum, quemadmodum tibi demonſtratum eſt in ſancto monte:* & ex quibus rebus oblatis illud tabernaculum ſurgat, indicitur. *Dabunt*, inquit Deus, *in oblatione filij Iſrael lanam hyacinthinam, byſſum tortum, purpuram, coccum bis tinctam.* E quibus opere vario tentoria tabernaculi, ſimulq́; & veſtis ſacerdotalis confecta, myſtica omnia in tempore futuræ Eccleſiæ reuelarentur. In opertoria ſane tabernaculi pelles hyacinthinas aliasque rubratas, & vndecim vela ex pilis caprarum conficienda, diuina authoritas mandat. Quæ omnia ſigna fuiſſe, ipſius legis reſonant teſtimonia. In hyacinthino colore pallor quidam eſt cum ſplendore cõcordans, ieiunijs eleemoſynisque conueniens. Vnde & ſanctus Raphael Archangelus ad Tobiam: *Bona eſt*, inquit, *oratio cum ieiunio & eleemoſyna.* In ieiunijs pallor, in eleemoſynis ſplendor refulget, qui hyacinthi figuram oſtendit. Byſſum vero mundum, vt Apocalypſis dicit, *Iuſtitiæ ſanctorum ſunt.* Quod dictum eſt, tortum: *per multas tribulationes oportet iuſtos introire, in regnum Dei.* Purpura veſtis eſt regia, qua ipſe ex ea noſter Chriſtus Dominus, in ſua paſſione indutus eſt. In cocco bis tincto martyria ſancta rutilant: quæ ſemel baptiſmo Chriſti in ſanguine tinguntur, atque ſuo effuſionis cruore denuo ſunt retincta. Sic enim & ipſe tinctus eſt dominus ſemel in Iordane, iterũ in paſſione, de qua dicit diſcipulis ſuis: *Baptiſma habeo baptizari quod vos ignoratis.* Hoc pelles rubratæ hyacinthinæque teſtantur. Cęterum, per centũ cubitos duo latera tabernaculi protenduntur: aliaq; duo frontalia, quinquaginta per quinquaginta, tanquam *miſericordia & veritas occurrentes ſibi, iuſtitia & pax oſculantes inuicem.* Quatuor ex partibus coniunctis angulis, ſignum tabernaculum demonſtrarent: futurum templum Dei Eccleſiam, quæ in centenario & quinquagenario numero Pſalmorum miſericordiã & iudiciũ ſuo Domino cantat. Neque ſine myſterio vndecim velis cilicinis tabernaculũ deſuper operitur, quo reũ eſſe oſtendat totum mundum Deo, ac ſub pœnitentia degere. Ipſius enim numerus Pſalmi habet principium: *Saluum me fac Deus, quoniam defecit ſanctus.* Et cui defecerit, narrat: *Quoniam diminutæ ſunt*, ait, *veritates à filiis hominum:* pro quib. ſaluandis Veritas ipſa de cœlo deſcendit,

Tob. 12.

G

Apoc. 19.

Act. 14.

Luc. 12.

Exod. 26.

H

Pſal. 84.

Exod. 26.

Pſalm. 11.

quæ

A quæ digna ſta eſt habitare cum hominibus in terra. Interiora vero tabernaculi, his ex rebus ornantur. bis denæ in parte columnæ ex lignis imputribilibus, non iam ſanctos Apoſtolos, quam doctores quoque Eccleſiarũ præſignãt, *Gal. 2.* quos etiam Paulus oſtendit, dicens: *Petrus & Ioannes qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis.* *Act. 13.* Barnabas enim in Apoſtolatum eſt ſuſceptus in ordine, domino præcipiente & dicente: *Separate mihi Barnabam & Paulum in opus, in quod prouocaui eos.* *Prou. 9. Pſal. 74. Luc. 24.* In quo opere ipſa *ſapientia fabricans ſibi domum, ſubdidit columnas ſeptem.* Quas, terra cum defluxiſſet peccatis incurſantibus, colũnas eius ipſa confirmauit. Harum igitur columnarum numerus. In duabus partibus tabernaculi vndecim ſunt, quadrageſimum diem aſcenſionis Domini demonſtrantes, in qua ſuis ait diſcipulis: *Vos ſedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto:* Ternis ſeris connectuntur columnæ: quoniam B fidei, ſpei & charitatis, trinitatis vinculo doctores Eccleſiarum ſalubriter aſtringuntur ea vaſis argenteis; capitibuſque aureis tanquam in operibus miſericordiæ, vt ſanctitate virginali columnarum omne decus exurgat. Sancta ſanctorum in interioribus ſunt tabernaculi, habentia arcam teſtamenti refertam myſterijs. In qua ingrediuntur ſacerdotes in annu ſemel cum ſanguine alieno: ea qua accipiens reſponſum diuinum illud verbum reſonat: Quod verbum carnem ſuſcipiens noſtram ob redemptionem conſecrauit arcam non veteris, ſed noui teſtamenti: *in* *Coloſſ. 1. Heb. 9.* *qua ſunt omnes theſauri ſapientiæ abſconditi.* Ad quam cum ſuo ſanguine verus ipſe princeps ſacerdotum introijt ſemel in ſancta, quoniam ſemel Chriſtus oblatus eſt, vt *Pſalm. 32.* multorum peccata portaret. Cui dicit Propheta: *Exurge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctitatis tuæ.* Menſam quoque poſitam & arcam, quæ carnem ſacram & ſacrificantis ea ciperet: quid aliud in his quam crucem intelligimus, in qua noſter agnus immolatus eſt? Ipſe ſacerdos & victima panem ſanctificatum, ſuum ſacratum corpus in ſua menſa confirmans. Cui lucerna ſeptiformi ſpiritu accenſa toti lucet tabernaculo. Quoniam fulgor illius, vt lumen: atria vero huius ſpiritalis tabernaculi, cor dapiorum ſcilicet confitentium & laudantium Deum. De qui- *Pſal. 99.* C bus Propheta dicit Dauid: *Atria eius in hymnis confitemini ei.*

Promiſſio: In Aaron ſacerdotium figuratum in Chriſto.

Promiſſio facta & figurata. In Exodo credita & viſa.

CAPVT III.

Exo. 29. PRæcepit dominus Moyſi, vt Aaron fratrem ſuum ea oleo ſanctificato vnctum, ſacerdotio conſecraret: vt *Pſalm. 44.* vnctum noſtrum præ participibus ſuis Chriſtum Dominum nomen ipſum vnctionis oſtenderet. Ipſius quoque *Exo. 28.* Aaron veſtis, myſtica taxatione deſcribitur: *Indues, inquit, eum tunicam talarem ex lana hyacinthina, ſcapuliſque eius ſuper humerale impones. Duos lapides † ſmaragdinos ſculptos ſingulos ſingulis nominibus filiorum Iſrael, è quibus catenulæ ex auro puriſſimo percurrentes vmbones vltimos humeralis apprehẽt.* († *Secundũ 70 Interpretes.*) Quadratum quoque ea diuerſis coloribus pretioſiſque duodecim lapidibus, fibulam rationalem ſacerdotis in pectore collocandam, quæ duas principales partes ſuperhumeralis D aſtringat. Cingulum quoque lumbis eius dandum, atque in ora talaris tunicæ quinquaginta tintinnabula aurea totidemque mala granata in medio tintinnabulorum poni iubentur: vt omnis veſtis ex ſupradictis ſpeciebus vario opere confecta fulgeret. Capitis quoque ipſius hæc imponenda præcepta ſunt: Cidarim ex byſſo mundo, mitram quoque, ex qua lamina conſcripta in titulum pendens, caput frontemque ſacerdotis conſecraret. Quæ ſingula noſtro Chriſto domino ſacerdoti conueniunt. Nam *Apoc. 19. 1. Cor. 11. Ioan. 19.* cidaris ea byſſo in capite eius, *iuſtitia*, vt diximus, *ſanctorum ſunt.* Quoniam *omnis viri caput, Chriſtus eſt*, à quo eſt omnis iuſtitia. Quod mitram regalem, indicat ſacerdotium ſpiritaleque connubium. Quod titulus conſcriptus, quẽ in paſſione ſacerdoti noſtro Pilatus impoſuit. Tunica talaris *Coloſſ. 3.* viſcera ſunt miſericordiæ Dei noſtri. De quibus Apoſtolus dicit: *Induite vos ſicut electos Dei viſcera miſericordiæ.* Superhumerale vero, principatum eius oſtendit de quo dicit E *Eſa. 8.* Eſaias: *Datus eſt vobis filius, & factum eſt principatus ſuper humeros eius.* Duo lapides in humeris, duo præcepta ſunt dilectionis Dei & proximi, quibus duodecim tribuum ſculpta nomina continentur, duodecim diſcipulos in hoc humero iam deſignantes, quos noſter ſacerdos in humeris perfecta dilectione portauit: *Cum enim dilexiſſet*, ait Euan- *Ioan. 13.* geliſta Ioannes, *diſcipulos ſuos, vſque in finem dilexit eos.* Ex his catenulæ portantes vmbones, *fructus ſunt ſpiritus: charitas,* *Gal. 5.* *gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia.* Rationalis in pectore, ea pretioſis moribus omnis eſt doctrina pontificis, *vt ſit*, ſicut Apoſtolus dicit, *ha-* *Rom. 12.* *bens rationale obſequium.* Præcinctum ſane noſtrum ſacerdotem nonageſimus ſecundus Pſalmus oſtendit. *Induit*, in- *Pſal. 92.* quit, *Dominus fortitudinem & præcinctus eſt.* In quinquaginta F vero tintinnabulis, totidemque malis granatis, linguæ ſunt Eccleſiarum, quæ per ſanctum ſpiritum die Pente- *Coloſſ. 3.* coſtes in ſpecie ignis diuiſę diſcipulis inſederunt. Vt etiam numerus ipſe oſtendit, ea quo mala granata omnis eccleſia per mundum, conneaos vt grana intrinſecus continẽs populos in vinculo pacis, & gratiæ, vnum eos tegmen operiat charitatis. Reſonantibus enim tintinnabulis Apo- *Act. 2.* ſtolis, mala granata ſtatim mota ſunt, in Actibus Apoſtolorum dicentia: *Nonne hi qui loquuntur nationis ſunt Galilæi? & quomodo agnoſcimus in illis ſermonem in quo nati ſumus?* & ſequitur: *Variis enim linguis magnificabant Deum.* Sed hæc omnia greſſibus liberi ſacerdotis mouentur, dum ingreditur *Heb. 9.* in ſancta ſanctorum, quo pro nobis noſter iam mediator aſcendit apparere ante faciem Dei.

Prædictio: In populus vindicta qui præuaricati, & qui mandata Chriſti non ſeruauere.

Prædictio facta & figurata. In Exodo credita & viſa.

CAPVT IV.

Exo. 32. DVm hæc quæ ſupra diximus, in monte Sina Moyſi facienda mandantur, populus præuaricatus à Deo idololatriæ crimen incurrit. Fingitur per Aaron vitulus ex auro, eique in contumeliam Dei veri victimas ſacrificiaque obtulit, dicens: *Hi dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Aegypti.* Et obliti ſunt Deum qui liberauit eos: qui fecit G *Pſal. 105.* magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, & terribilia in mari rubro. Per noſtrum quoque ſacerdotem hu- *Ioan. 15.* iuſmodi apoſtaticæ animæ in Euangelio increpantur. Sic enim ait: *Niſi feciſſem in eis ſigna quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.* Sequiturque ex graui culpa vindicta. *Dixit autem dominus ad Moyſem, Deſcende celeriter, præuaricatus eſt enim populus tuus, quem eduxiſti ex Aegypto. Fecerunt ſibi deos aureos eiſque dixerunt: Hi dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Et nunc ſine me, deleam eos, & faciam te in gentem magnam* ampliorem que quam hæc eſt. Pius dominus dat intercedendi tempus, cum dicit: *Sine me.* Non enim Deus ex hominis, ſed homo ea Dei voluntate pendebat. Cumque multis modis precatetur dominũ Moyſes, ſeipſum pro peccato populi offerens, noſtrum mediatorem ſub figura expreſſit, qui animam ſuam pro impijs poſuit. *Chriſtus* enim, vt Apoſtolus *1. Cor. 15. Rom. 5.* dicit, *pro impiis mortuus eſt.* Nec tamen illud tam grande H peccatum caret vindicta: quoniam peccatum impunitum eſſe non poteſt. Deſcendens enim de monte Moyſes, diffluentem populum dum videret, ſtans in medio caſtrorũ ait: *Si quis eſt domini, veniat ad me.* Cumque vna tantum ex duodecim tribubus ad eum tranſiret, præceptum et tale *Exo. 32.* dedit: Hæc dicit dominus: *Accipiat vnuſquiſq; veſtrum gladium in manu ſua, & pertranſeat à caſtris vſq; in caſtra, & perimat vnuſquiſque patrem, fratrem, filium.* Quod cum incunctanter feciſſent: *Impleuiſtis, ait Moyſes, manus veſtras hodie domino vnuſquiſque in filio & in fratre, vt detur ſuper vos benedictio.* Tales in his diſcipulos noſtri mediatoris oſtendit, quibus *Luc. 14.* ait Ieſus: *Si quis veniat ad me, & non odit patrem, matrem, fratres, filios, inſuper & animam ſuam, non poteſt meus diſcipulus eſſe.* Et iterum ſcriptum eſt: *Qui dicit patri ſuo & matri ſuæ, Neſcio vos, & fratribus ſuis, Ignoro illos: & filios ſuos oderunt, hi teſtamentum tuum ſeruabunt.* Quod ſancti fecere martyres vocati per gratiam, felicitate perpetua munerati.

A

Promiſsio : In ſacrificiis omnibus Chriſtum Dominum figuratum.

Promiſſio facta & figurata. In Exodo credita & viſa.

CAPVT V.

[Exo. 34.] RVrſum Moyſes ſecundo montem iubetur aſcendere. Eique mandatur, quæ in ſacrificijs ex animalibus auibuſque populus offerat, ſub certa menſura ſimilaginis conſperſæ ex oleo pro peccato, pro ſolennibus, pro votiuis vel certis Neomenijs, diebuſque feſtiuis. Vitulum, dictum eſt, ſine macula : referens ad Chriſtum veritatem, quæ ſigna ſunt rerum. [Pſal. 68.] *Placebit*, dictum eſt, *Deo ſuper vitulum nouellum cornua producentem & vngulas*. [Ioan. 1.] Agnum anniculum ſine macula : ipſe eſt *agnus Dei, qui tollit peccata mundi*. [B] Ouem ex grege, idem ipſe de quo [Eſa. 53.] Eſaias: *Sicut ouis ad immolandum ductus eſt*. Arietem ex grege, idem ipſe eſt Chriſtus dominus, qui dicit per prophetam : *Exaltabitur ſicut vnicornu cornu meum*. [Pſal. 91.] [Abac. 3.] Et Abacuc : *Cornua*, inquit, *in manibus ipſius ſunt*. Hœdum ex grege, ipſe eſt Chriſtus Dominus, qui non propria, ſed aliena peccata portans, pelles è quibus cilicia collatæ pœnitentiæ texuntur, ſuo intulit tabernaculo : qui & [Pſal. 74.] per Dauid dicit : *Omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iuſti*. In turture vero & columba Eccleſiam agnoſcimus. [Pſal. 83.] *Quoniam turtur inuenit ſibi nidum, vbi ponat pullos ſuos*. [Cantic. 2.] Vnamque dicit eſſe ſuam columbam, ſponſam electam ſuam. Cuius pullos in ſacrificium offerri iubet, dum dicit dominus Ieſus. *Sinite paruulos venire ad me*. [Matt. 18.] Quoniam & paruuli dum eius baptiſmo conſecrantur, ſimul cum illo ſepeliuntur in morte [Rom. 6.], vt etiam in eis euacuetur corpus peccati. [Leu. 2. 3. 4.] Illa vero diſtinctio peccatorum ignorantiæ & ſcientiæ, pro quibus ſacrificium contriti cordis, vt ſimulago frixa ex oleo, offertur : etiam in noſtro ſeiungitur ſacrificio, cum dicit anima: [Pſalm. 24.] *Delicta iuuentutis & ignorantiæ meæ ne memineris*. [C] Quæ beatus Petrus minus cautus incurrit, dum prædicenti domino paſſionem ſuam, ignorans eam per legem atq; Prophetas promiſſam fuiſſe. [Matt. 16.] [Marc 8.] *Abſit à te*, ait, *Domine*, propitius tibi eſto, *non fiet iſtud*. Et Dominus: *Vade retro Sathanas: non enim ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum*. Quod peccatum ignorantiæ, & ſcientiæ negationis ſimul & iuuentutis (de qua præſumens dixerat domino, *Animam pro te ponam*) [Ioan. 13.] reſpectus atque compunctus omnia flendo deleuit. Docuitque in his peccatorem præſumptoremque dicere : [Pſal. 29.] *Auertiſti faciem tuam, & factus ſum conturbatus*. [Pſal. 40.] *Sana animam meam quia peccaui tibi*. Pro votiuis vero & ſolennibus quæ Chriſti Domini offerat populus, Paulus Apoſtolus oſtendit: [Heb. 13.] *Offeramus*, inquit, *ſacrificium laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem & communionis nolite obliuiſci: talibus enim ſacrificiis placatur Deus.*

Prædictio: In lepræ inſpectione hæreticos varios ſimilaſſe.

Prædictio facta & figurata. In Leuitico credita & viſa.

CAPVT VI.

[D] [Leuit. 13. & 14.] IVbet Deus Moyſi, vt lepræ inſpectio atque purgatio, huiuſmodi ſacrificijs expietur. Par gallinarum offerendum ſacerdoti, ex quibus vnam offerat, aliamque relinquat, ſimiliterque ex hircis cæteriſque pecudibus. Sed hæc myſteria noſter Sacerdos Ieſus dominus euidenter oſtendit in Euangelio dicens: [Matt. 24.] *Duo erunt in agro: vnus aſſumetur, alius relinquetur: & duæ in molendino, vna aſſumetur, alia relinquetur*. Quantum autem interſit inter aſſumi & relinqui, columba coruuſque dimiſſi ex arca oſtendunt. [Geneſ. 8.] Columbam enim Noe ad ſe recipiens in arca ſeruandā ſacrificio cuſtodiuit, coruum vagantem errantemque relinquens. [Matt. 21.] Sic agnos ab hœdis diſcerni, ſic virgines ſapientes à ſtultis voluit ſegregari, animas ſcilicet per gratiam : quas digna oblatione purificans ſacrificio cōtriti cordis (quod ſimilago frixa ex oleo ſignauit) [E] ſecum in æternam Hieruſalem, cuius ſpiritalis ſponſus eſt, introducit in patriam, repulſis hæreticis : quia leproſi foras extra caſtra mittuntur. Nec prætereundum exiſtimo, ipſam diſtinctionem lepræ, vt datum fuerit, aliqua ex parte diſcutere. Nam lepra in capite, Manichæos, Priſcillianos, compliceſque eorum demonſtrat. [1. Cor. 11.] Etenim cum *viri caput Chriſtus ſit, caput vero Chriſti, Deus* : Deo ipſi capiti dum aduerſarium neſcio quem principem tenebrarum diſputantes opponunt, ipſi in capite ſui erroris aſperſi lepra foris extra caſtra pelli meruerunt. Lepra in barba, Arrianos, Fotinianos, Neſtorianoſque deſignat: Qui noſtrum pontificem Chriſtum, dum minorem in diuinitate: aut ſolum hominem, non Deum, & hominem prædicant, aliterq; de Chriſto ſentiunt, quam tenet tradiditque fides catholica, leproſi in barba eum laceſſunt, quem in ſimilitudinem Aaron, Dauid propheta introducit, verum principem ſacerdotum Chriſtum dominum dicens : [Pſal. 132.] *Ecce quam bonum & quam iucundum fratres habitare in vnum. Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barba, in barba Aaron*. [F] Hi igitur qui vnitatem catholicam relinquentes, vnguentum quod in noſtri pontificis barba deſcendit erroris ſui dogmate fœdandum exiſtimarunt: vt leproſi in barba inuenti, etiam ipſi extra caſtra pulſi ſunt. Lepra in corpore, Donatiſtæ, Maximianiſtæ Luciferiani, cæterique ſimilibus erroribus obuoluti, dum per totum mundum Chriſti corpus, domini eccleſiam humanis calumnijs inſectantur, in lepra corporis ſui eiecti, niſi à vero ſacerdote Chriſto charitate mundati fuerint, caſtra eos populi Dei non ſuſcipiunt. Pelagiani vero omni ex parte lepræ macula turpantur, dum capiti & corpori nebulas ſuas peruerſæ doctrinæ infundere contendunt. Capiti, quod Deus ante peccatum, mortalem hominem fecerit : qui [Sap. 1.] *mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum*: creauit enim, vt eſſent, omnia. [Gal. 2.] Corpori, quod gratia Dei neceſſaria non ſit, quod Chriſtus gratis mortuus ſit, quod vnum baptiſma in minoribus maioribuſque diuiſum ſit: cum vnum conſecratum ſit in remiſſionem omnium peccatorum. [G] Sic in toto lepræ macula viciati, è caſtris dominicis etiam ipſi pulſi ſunt. Cum vero hæc noſter Sacerdos inſpicit, variaſque dirimit plagas, vtrum ſit tetra in Manichæis, an rubea in Arrianis, an in Pelagianis alba, vel varia; [1. Cor. 11.] *Quoniam oportet*, ait Paulus, *& hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant in vobis*. Quamdiu in his varijs erroribus velut in lepræ maculis animæ detinentur, caſtra eos, vt dictum eſt, dominica non admittunt. Ex quibus omnibus hæreſibus compuncti Dei gratia dum mundandi redeunt, in illis quodammodo decem leproſis noſtro ſe offerunt ſacerdoti. [Luc. 17.] Eoſque iuxta legis præceperunt dum ad ſacerdotem Iudæorum mitti, euntes in via, id eſt, in hac vita, potentia verbi mundauit. Pro quorum mundatione ſacrificiū ſeipſum obtulit gallina illa pretioſa quæ dicit: [Matt. 23.] *Quoties volui Hieruſalem colligere filios tuos, ſicut gallina colligit pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Colligit ſane etiam illa nolentes, quos ad vnitatis ſuæ membra pertinere cognoſcit : quoniam *nouit dominus qui ſunt eius*. [1. Tim. 2.] Vnus enim ex decem mundatis reuerſus gratias egit noſtro pontifici : [Luc. 17.] quia vnitas non in ſe cognoſcit, ſed in domino gloriandum, [1. Cor. 1.] quæ ſpem noluit habere in homine, [Hier. 17.] quæ intellexit bonam voluntatem à domino præparari, [Prou. 16.] quæ verè libera eſſe voluit, quoniam cognouit quod etiam filius liberauit. [Ioan. 8.] Hi vero qui mundati ingrati, vel in erroris ſui lepræ maculis perſiſtunt, in caſtris dominicis ſuſcipi omnino non poterunt. [H] Contra quos excluſus claudens oſtium dicturus eſt noſter pontifex : [Luc. 13.] *Non noui vos*: vt à longe illi dimiſſi foris remaneant, canes malefici, & omnes homines qui operantur & faciunt mendacium. Multa hic dicere non oportuit, cum Origenes ſingula diſcuriens, quæ recta fide ſenſit domino conſignauerit Chriſto. [Super Leuiticum]

A

Prædictio: In eſcis mundis & immundis: eleemoſynis munda omnia fieri.

Prædictio facta & figurata. In Leuitico credita & viſa.

CAPVT VII.

INter omnia mandata quæ ad erudiendum Dei populum Moyſi in monte Sina à Deo tradebantur, expleto
Leuit. 11. ordine ſacrificiorum, animalia munda ab immundis, quæ
populus in eſcam ſumeret, iſta ſunt diſtinctione ſignata:
Ruminantia, quæque fiſſa vngula, habenda munda eſſe,
& in eſcam ſumenda. Quæ animas ſignant ruminantes
verbum Dei ex fiſſa vngula, duorum ſcilic. præceptorum.
B De auibus quoq; vel piſcibus nominatim mandata ſunt,
Matth. 19. quę contingere quęue abnuere populus debuiſſet. Quam
legem in tabulis lapideis iuxta duritiam cordis Iudæorum datam, Dominus in Euangelio teſtatus eſt. Verum
cum de ſingulis priores noſtri patres, quibus reuelatum
eſt, allegoricas omnes diſputationes longo volumine
ſplendidoque ſtylo conſcripſerint, quid opus fuit cuncta perſequi? cum de compendio noſter mediator Ieſus
dominus, in quo iſta omnia perſonabant, vecordes Iudæos, qui legem litera, non ſpiritu ſequebantur, increpauerit, dicens: *Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ, quia de-*
Matth. 23. *cimatis mentam, cyminum, & omne olus, mundantes catinum &*
calicem, cum intus pleni ſitis rapina & iniquitate. Eiſque ſingularis ipſe tranſiens; ſingulare ſacrificium oſtendit, dicens:
Luc. 9. *Veruntamen dico vobis, date eleemoſynam, & ecce vobis munda*
ſunt omnia. O quam breue compendioſumq; ſacrificium,
quod intrinſecus atque extrinſecus totumque hominem
Tob. 4. mundat. *Eleemoſyna à morte liberat & ipſa purgat peccata. Eleemoſyna munus bonum eſt omnibus facientibus eam coram ſummo*
Deo. Hæc eſt quæ perpetuos ignes extinguit: hæc eſt quæ
reſiſtit peccatis: hæc eſt quæ Chriſtum paſcit eſurientem
Matth. 25. in paupere: hæc veſtit nudum: hæc viſitat infirmum: hæc
C peregrinum hoſpitio accipit: hæc, quæ omnem anguſtiam
carceris tollit: hæc omnem inopiam finit: hæc diuitibus
confert remedia: hæc vitam æternam comparat: hæc fœ-
Matt. 25. nerat Deum: hæc continet regnum cœlorum: hæc eſt quæ
diſcernit agnos ab hædis: hæc eſt quæ ad dexteram collocat iudicis: hæc angelis ſociat: hæc ex ſeruis filios Dei fieri
præſtat. Concurrite omni ex genere peccatores: concurrite omnes ex vitijs erroribuſque leproſi: concurrite omnes quolibet flagitio maculati atque immundi pœnitentes voueoteſque: concurrite ad tam magnum, compendioſum, vtileque ſacrificium, cum omni lætitia offeren-
2. Cor. 9. tes. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Prout quiſque quod
offerat habuerit, hoc offerat munus. Quod ita noſter
princeps ſacerdotum inſtituit, acceptumque præ omnibus eſſe mandauit, vt vſque ad duo minuta calicemque
Marc. 12. aquæ frigidæ menſuras huius perdoaret ſacrificij: pacem
Matt. 10. promittens, etſi hæc deſunt, hominibus bonæ voluntatis.
Luc. 2. Iſta ſunt poſteriora Dei quæ faciem eius dum videre non
Exod. 33. paſſet Moyſes, ſpiritu ſunt ei reuelata prophetico in Chriſto Ieſu domino & homine: qui eſt æternus princeps omnium ſacerdotum. Hæc in Leuitico ſuppleta noſcuntur.

D

Prædictio: In eſcis deſideratis Aegypti, Chriſtum manna renuiſſe.

Prædictio facta & figurata. In libro Numerorum credita & viſa.

CAPVT VIII.

Num. 20. IN Numerorum libro populus, principibus ſibimet à
Moyſe conſtitutis, certa ſub deſcriptione quantus ſit
deſignatur. Immemor quoque factus libertatis & gratiæ
Num. 11. Ægyptię, idem eſcas deſiderans, aduerſum Deum & Moyſem murmuraſſe compertus eſt. *Quis nos,* inquiunt, *cibabit*
carne? Rememorati enim ſumus piſcium, quos manducabamus in
Aegypto gratis: cucumeres, porros, allium, & cepas. Nunc autem,
aiunt, *Arida facta eſt anima noſtra, nihilque aliud niſi manna in*
oculis noſtris. Repudiantur dulcia, deſiderantur amara.
Hoc periculoſa grauiſq; animæ ingerit ægritudo, vt noxia
ſumere velit, & quæ vitilia ſunt ac ſaluti proficiunt, ſpernat
ac tenuat. Sic repudiauerunt manna Chriſtum, dicentes: *Ioan. 9.*
Nos ſcimus, quia cum Moyſe locutus eſt Deus, hic vero, neſcimus vnde ſit. Eoſque increpans dicit: *Si crederetis Moyſi, crederetis* *Ioan. 5.*
& mihi: de me enim ille ſcripſit. *Ego enim ſum panis viuus, qui de* *Ioan. 6.*
cælo deſcendi. Nonne manna ſanctum repudiauerunt,
quando Pilato volenti Ieſum dimittere, dixerunt: *Noli i-* *Ioan. 19.*
pſum dimittere, ſed Barrabam, Barrabas autem fuit inſignis *Matth. 27.*
latro, quem ſibi dimitti poſcentes, velut porros, cepas,
allium, aſperas lachrymas, abſque Ægyptijs eſcis ex latro- *Pſal. 77.*
nis ſceleribus deſideraſſe profeſſi ſunt. Sane murmurantibus, carnes diuina maieſtas exhibuit, non quæ reficerēt,
ſed quæ vexarent potius comedentes. Quoniam igitur
animalis homo, non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei, & in concu- *1. Cor. 2.*
piſcentijs eſt omnis ſegnis, recteque ſpiritalis petijt auferri à ſe ventris concupiſcentias: oſtenſum eſt, impium eſſe *Eccl. 23.*
F
ea deſiderare vel peti à Deo, quæ ſint animæ pernicioſa: &
maximè quod cum murmure poſtulatur. Fugiat anima
tali deſiderio Deum offendere, ſi terram promiſſionis cupit intrare.

Prædictio: In Moyſe, Chriſto Domino & eccleſia fratres detraxiſſe.

Prædictio facta.

CAPVT IX.

ERat, dicit ſcriptura, *Moyſes mitis præ omnibus hominibus*
qui ſunt ſuper terram. In hac manſuetudine noſter reſo- *Num. 12.*
nat mediator, cui dicit Dauid: *Tu domine ſuauis ac mitis es.* *Pſal. 85.*
Et ipſe in Euangelio: *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite*
à me quia mitis ſum & humilis corde. Detraxerunt Aaron & *Matth. 11.*
Maria Moyſi germano ſuo, quod Æthiopiſſam accepiſſet *Num. 12.*
vxorem. Detraxerunt & noſtro Domino ſui fratres, quod *Luca 15.*
cum publicanis & peccatoribus veſceretur. Quibus cum
dixiſſet, *Non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus. Non veni* *Matth. 9.*
vocare iuſtos, ſed peccatores in pœnitentiam: oſtendit illam Æ- G
thiopiſſam ſe accepiſſe ex gentibus: quæ dicit, *Fuſca ſum, &* *Cant. 1.*
decora filia Hieruſalem. Maria quæ detraxerat, illico ex vindictā pœnam lepræ ſuſcepit, quam metuere animæ debēt,
quæ Chriſto detrahunt & Eccleſiæ. Dicit enim de talibus
per Prophetam: *Pro eo vt diligerent me, detrahebant mihi: ego* *Pſal. 108.*
autem orabam. Oratione enim Moyſi, Maria mundata indulgentiam meruit, vt talis anima tanto exorante pontifice, omni ex culpa ſanetur. Iuſſu tamen diuino Moyſes,
duodecim electos de plebe viros explorandam Chananæorum terram miſit, quibus in mandatis dedit, non tantum ciuitatem hominesue proſpicere, quantum etiam ſecum ex terræ fructibus aſportare. Pergentes dum agunt
quæ iuſſa ſunt, vallis eos quædam excepit: ex qua botrum
abſcindentes pro magnitudine phalangæ impoſitū, ſimul
cum malis granatis ficuſque portantes ad caſtra redeunt,
fructus oſtendunt, ea narrantes quæ viderant. In tribus
his fructibus, myſteria Chriſti domini reſonant eccleſię.
Botrus in Chriſto, vox Eccleſiæ in Canticis Canticorum.
Botrus cypri, fratruelis meus. Quod ligno portatur crucifixū
ſignificat. Agnoſce quod in medio duorum exploratorum. Abacuc Propheta. *In medio,* inquit, *duum animalium* H
cognoſceris. Item Eccleſia de ſeipſa in eodem Cantico: *Flo-* *Abac vlt.*
ruit, inquit, *vitis, floruerunt mala granata.* Ficus vero, cuius ex *Cant. 1.*
folijs tranſgreſſores primi homines ſibi ſuccinctoria fecerunt, oſtendunt originale peccatum, quod per mala granata Eccleſiæ botrique ſanguinem abſoluitur, qui fuſus *Cant. 6.*
eſt in remiſſionem omnium peccatorum. Hi autem qui *Geneſ. 3.*
cum exploratoribus aſcenderant, his dictis populum terruerunt: Terræ illius promiſſæ audaces eſſe homines,
magnoſque viros: ciuitateſque munitas. Gigantes ſe
quoque illic vidiſſe confirmant, quorum in conſpectu ipſi vt locuſtæ fuerint ſuper terram. Horum
metu perculſus populus, rurſum aduerſū Moyſem murmurauit, ſibique ſtatuit eligere ducem, qui eos reduceret in Ægyptum. Hoc malum eorum eſt, qui libe- *Num 19.*
rati per baptiſmum metu dæmonum, non ante, ſed *Philip. 3.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

A retro reſpiciunt, Dei beneficia eiuſque mira facta obliti, deprecantes erga ſe impleri promiſſa Dei. Eligunt ad eum reuerti, cui iam renunciauerãt: illum cui crediderant ſpernentes, cuiuſque potentiam abnegantes. Hos increpans dicit: *Verterunt ad me dorſum ſuum, & non facies ſuas.* Et Petrus Apoſtolus. *Melius illis erat non cognoſcere viam ſalutis, quam cognoſcentes retro reſpicere à tradito ſibi ſancto mandato.* Contingit illis res veri Prouerbij: *Canis reuerſus ad vomitum, & ſus lota in volutabro luti.* Ieſus vero filius Naue, & Caleph Iephonæ qui terram inſpexerant, ſimul cum Moyſe & Aaron ſacerdotibus proſtrati, agunt pietatis officia, ab intentione deſperatę voluntatis populum reuocant, dicentes: *Nolite metuere populum terræ, quoniam deuoratio nobis ſunt. Diſceſſit enim* tempus ab illis, Dominus autem in nobis eſt: nolite timere eos.* Quæ omnia ſubuerſione idolorum etiam populo reſonant Chriſtiano, ne ſint homines apoſtatæ à Deo, qui homines metuunt, à quibus iam per Dei gratiam liberati ſunt. Quorum pompam inanem deſcribens Hieremias ait: Inter cætera, *Ingreſſi in Babyloniam videbitis ibi Deos aureos & argenteos portari in humeris.* Ipſi autem ſunt manufacta & inania, ſed neque præſtare, neque nocere poſſunt, ideo quod nihil ſint: *ne ergo timueritis eos. Dominum autem ſanctificate in cordibus veſtris, & ipſe erit vobis timor,* ſicut Eſaias ait: De dæmonum autem cultoribus Hieremias ſcribens ait: *Ibi fuerunt gigantes nominati ſcientes prælium. Non hos elegit Dominus nec viam ſcientiæ dedit eis. Et perierunt propter quod conſilium non habuerunt.* Et Salomon ab initio ait: *Cum perirent ſuperbi gigantes:* Contra quorum ſuperbiam humilis Chriſti populus victor exurgit. Sed cum Hebræus populus, indignatus vellet lapidare precantes pro ſe, honor domini apparuit in tabernaculo. Sic enim ſemper audacia malorum comprimitur præſentia diuinæ virtutis. Cumque exacerbantes ſe dominus perdere voluiſſet, mitis ille præ omnibus Moyſes, gratæ interceſſionis verba quæ proferret, inuenit: *Audient, inquit, Ægyptij, cum contriueris hunc populum, & dicent: Quoniam non potuit illos introducere in terram quam iurauit illis, proſtrauit illos in deſerto. Et nunc exaltetur manus tua domine ſicut dixiſti: Ego ſum Deus patiens & multum miſericors & verax.* Quibus precibus propitiatus Deus, C ita temperauit iram ſuam, vt tamen peccantes ſequeretur digna vindicta. Non ipſos intraturos in requiem promiſſæ terræ, teſtificando prædixit: excepto Ieſu filio Naue, & Caleph filio Iephoniæ, omneſque defunctis in eremo. Filij eorum obedientes ſuſceperunt hæreditatem, quam illi amiſerant contumaces. Sic noſter mediator Ieſus dominus, rebellãte aduerſum ſe eodem populo, & cũ Herode de ſua nece conſerente, ſpretis, atque in hac vita mortuis etiam in anima Iudæis, filijs eorum ſempiternam hæreditatem dedit: quos pro eo impius Herodes occidit.

2 Par. 24. 2. Pet. 2. Prou. 26. Num. 14. *Secũdum 70 interpretes. Baru. 6. B Baru 3. Sap 14. Num. 14. Matth. 2.

Prædictio: In virga Aaron germinante, confirmatio ſacerdotij Chriſti domini.

Prædictio facta & figurata. In libro Numerorum credita & viſa.

CAPVT X.

Num. 16. D Parte 1. c. 12. Num. 17.

CONtemptores præceptorum ſuorum, officiomq; ſacerdotale vſurpare volentes Chore, Dathan & Abiron, præſens Dei iudicium dum puniret, condemnans in illis omnes hæreticos (vt iam ſupra poſuimus) ſignum quoddam indicit Moyſi; quod à ſe electum confirmet principem ſacerdotum. Dixit dominus Moyſi: *Sic dices filijs Iſrael, vt dent omnes principes illorum ſingulis in tribus virgas ſuas.* Duodecim igitur virgas accipiens Moyſes, & virgam Aaron inter virgas illorum, poſuit eas coram domino, intulitque in tabernaculum teſtimonij. Et factum eſt, in craſtinum introijt Moyſes, & Aaron in tabernaculum. Et ecce germinauit virga Aaron ex domo Leui & produxit germen, florem germinauit & nuces. Quo profecto ſigno quietum populum eſſe iubet, dicens: *Deſinat murmuratio eorum à me, & non moriantur ſic omnes.* Hæretici pereunt contra Dominum ſacerdotem legitimum murmurantes. Quod vero floreſcens virga Aaron produxit nuces, noſtrum hæc Chriſtum dominum indicant ſacerdotem. De quo dicit Eſaias: *Exiit virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* In nuce vero mundum, Eccleſiamque in mundo oſtendi, qui pie quærit, intelligit. Ex duabus quippe partibus coniunctis, tanquam intra cameram cœli, & ſpatia terræ velut quatuor partes orbis, intrinſecus cum populis continetur. Tenet quoddam corium habens in medio ſui, vt maria diffuſa per partes. Eccleſiæ quoque myſteria hæc in ea ſunt, duorum veteris & noui teſtamentorum operta ſecretis, quatuor cornua crucis, quibus orbis redimitur, & aquam baptiſmi in medio ſui habens, qua virens ſemper fructificans floreſcit. Huius pomi arbor celſa petens, opacis ramis aſperſa, per tenues molleſque ſurculos aut ſingulas in vnitate, aut binas in duobus præceptis, aut ternas in trinitatis numero, quatuorue connexas in quatuor Euangelijs geminatorum in modum producens, ſui artificis pulchritudinem operaque mira declarat. Harũ expreſſus ſuccus ex tegmine, quædam in ſe tincta alba colorat ac medendi gratia exaſperatis faucibus adhibetur. Hęc virentium nemorum fronde veſtita tegmina, fouent æſtuantem in requiem ſuorum ſcilicet foliorum, temperantque flatu ſuo ægrotantis incendia. Nec immerito Hieremiæ Prophetæ iubet dominus baculum ſibi nuceum facere debere, in quo omnis eccleſia in mundo, & mundus in ea Chriſti ſuſtenretur auxilio, eiuſque gratia ſuffeetur, quæ canit in Pſalmis, & dicit: *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.*

E Eſa. 11. F Pſal. 22.

Prædictio: In æneo ſerpente, Chriſtum dominum à morſu diaboli liberantem.

Prædictio facta & figurata. In Numerorum libro credita & viſa.

CAPVT XI.

SItiens rurſum in alia eremi parte populus, aduerſus Moyſem & aduerſus dominum murmurauit. Ex Petra qua, vt prius aderat, Moyſes produci poſſe aquam diffidit, is qui talia vel ampliora ſigna iam fecerat, ex hoc offenſam incurrens, quod non clarificauerit Deum coram filijs Iſrael, non ipſum introducturum populum in terram promiſſionis, vindex ſententia diuina confirmat. Ibi Aaron in Or monte defunctus Eleazarum filium ſacerdotemq; dimiſit. Moyſes paululum reſeruatur, cuius in locum Ieſus Naue filius tranſijt, qui populum in terram promiſſionis induxit. Recte huic nomini etiam terrena hæreditas diſtribuenda ſeruata eſt. Quoniam, *non eſſe aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo nos oporteat ſaluari,* Apoſtolica eſt ſententia præfinitum, quæ noſtrum ducem Chriſtum Ieſum dominum oſtendit, ſuis hæreditatem perpetuam ſeipſum diſtribuentem, qui eum percipientes dicunt: *Hæreditas mea præclara eſt mihi.* Dum vero idem populus pergit per certas gentes, quas ei dominus mandauerat extirpandas, quarum ſcilicet ex culpa idololatriæ, ſuppletis peccatis iam finis aduenerat, fatigatus itinere aduerſum dominum murmurans ſerpentum morſibus vexatus in eremo eſt, pœnitenſque Moyſem ſupplicem pro ſe domino fieri precibus exorat. Verum ille ſemper pius & miſericors Deus, qui partibus iudicans dat locum pœnitentiæ, remedium exaltati ſerpentis in ligno cõtra mortiferos ſerpentum morſus dedit. Iubetur enim Moyſes æneum formare ſerpentem, eumque alto ligno confixum populo præcipere, vt ſi quis ſe vulneratum cuiuslibet ſerpentis morſu ſentiret, ſtatim æneum reſpiceret ſerpentem, cuius aſpectu continuo ſanaretur. Hic etiam ſic ille illuditur ſerpens diabolus, de quo per Dauid dicitur: *Draconem quem finxiſti ad illudendum ei.* Dum enim in huius vitæ eremo diuerſis ex vitijs, iam conſecratis in baptiſmo tanquam in mari rubro, peſtiferos morſus infixerit diabolus, ſtatim exaltatum in ligno crucis Ieſum dominum reſpiciat, id eſt, à cæleſti medico non recedat, *vt omnis qui viderit & crediderit in eum* (ſicut ipſe in Euangelio dicit) *non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

Num. 20. Exo. 17. G Act. 4. Philip. 2. Pſal. 15. Num. 21. H Sap. 11. Pſal. 103. Ioan. 3.

A

Promiſſio: In eis qui pro Chriſto Parentes contempſerint venire benedictionem.

Promiſſio facta & figurata. In numeris credita & viſa.

CAPVT XII.

Num. 22. Benedictum à Deo populum, Balac rex Moab conducens Balaam Prophetam ex gentibus (licet vnius veri Dei vatem) vt malediceret inuitauit: quem maledictum exiſtimabat ſe facilè ſuperaturum. Sed Propheta à domino requirit, vtrum pergat an maneat. Prohibetur q; à domino ne veniat, ac regi mandat ſibimet interdictum. Alijs nuntijs Rex ampliora munera promittens, Prophetam hortatur vt veniat. Rurſum ille ab eo qui iam prohibuerat corde peruerſo quærit tentans, vtrum locus daretur eundi. Huic rectè reſonat ſcriptura: *Non tentabis dominum Deum tuum.* Datur igitur iam mente ſaucio pergendi poteſtas, ita vt ſi quid dominus in os eius dediſſet, hoc ipſe proferret. Dum vadit auaritiæ ſuæ iam corde captiuus, obuius ei angelus, iumento ipſius quo vehebatur ſe potius manifeſtare voluit, quam illi: quia *homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſenſatis, & non ſimilis,* ſed peior *factus eſt illis. Subiugale* enim (vt Petrus Apoſtolus dicit in epiſtula ſua) *humana voce reſpondens vetuit Prophetæ dementiam.* Tunc cum tam rege conductus ille Propheta, dum cogitat maledicere, benedixit: Illorum deputatus ex numero, quos Propheta Dauid deſignat, dicens: *Maledicent illi, & tu benedices.* Et alibi: *Ore ſuo benedicebant.* Hoc enim exitus poſterior docuit. Suppletam enim benedictionem propheticam, qua etiam per talem aduentum vnici filij ſui ex illo populo Deus gentibus promittebat. Quo vaticinio actus dixit inter cætera: *Orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael, & confringet omnia regna terræ.* Quæ de Chriſto domino dicta, Euãgelia diuina atteſtantur. Is igitur qui maledicere voluit, conſilium nequiſſimi ſerpentis exquiſitum regi dedit, Specioſas quaſque fœminas, quarum forma ornatuſque ferrum virtutem que molliret, electas à ſuo populo ad concitandam libidinem Hebraico populo dimittendas: Harum ea concupiſcentia perſuaſi, ſacrificantes idolis ac ſacrificata veſcentes, offenſo Deo, totum penè Iſrael in mortem duxere captiuum. Diuina quippe manu percuſſi, dum plurima multitudo caderet in deſerto, tota pene ſynagoga periſſet, niſi Phynees ſacerdos, adulteros mente & corpore ferro transfodiens, iram Dei hoc facto placaſſet. Admonetur Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi, *ſcribere angelo,* id eſt, rectori *Eccleſiæ Pergami,* quod in plebe eius eſſent *tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balaac mittere ſcandalum ſub oculis filiorum Iſrael, edere de ſacrificio, & fornicari:* Eſſe etiam nunc tales oſtendens, quos aut vindex ita conſumit, aut obiurgatos ſub pœnitentia indulta gratia liberat ſacerdotis.

B — Deut. 6. Matth. 4. — Pſal. 48. — 2. Petri 2. — Pſal. 108. Pſal. 61. — Num. 24. — Matt. 2. — Num. 24. & 25. Apoc. 2. — C — Apoc. 2. — Num. 25.

Prædictio: In Moyſi tranſeunte, Ieſum ſignaſſe Dominum rectorem.

Prædictio facta & figurata. In Deuteronomio credita & viſa.

D

CAPVT XIII.

Deut. 31. & 32. Moyſes vicinum ſe dum cognoſceret ſepulturæ, populo omnem recapitulans legem, benedictionib. maledictionibuſque atque terribili illo Deuteronomij cantico totam ſynagogam aſtrinxit, teſtem inducens cœlum & terram, nihil ſe ex mandatis domini celaſſe, omnique vigili cura egiſſe, ne quid eis deeſſet, quod læderet populum monetque à præceptis domini non diſcedendum, neque ab eo in aliquo declinandum: metuendumque eſſe proſperis, ne ſequantur aduerſa. Addit quoque prophetico ſpiritu eis futura deſignans, poſt ſuum obitum relicto vero Deo poſt gentium eos vana & noxia concurſuros: Deut. 31. quorum ex cultu peccatorum ponderibus grauati in ima merſerentur: eoſque dimitti à Deo, ſi ipſi dimiſerint Deũ. Quibus dictis omnes tribus myſtica benedictione conſignans, Ieſu filio Naue tradita gubernanda plebe, ipſe iam prouectus ætate, ad Dominum ex hac vita migrauit. Commendauit quoque noſter mediator Ieſus Dominus fidem ac pacem ſuam diſcipulis ſuis tranſiens de hoc mundo ad patrem, eoſque, vt Ioannes Euangeliſta dicit, vſque in finem diligens, erudit. Illud quoque Propheticum, futurum diſcentibus per ſuum Paulum Apoſtolum mandatis, quod poſt eius obitum introirent graues lupi non parcentes gregi, & ex ipſis diſcipulis exurgerent pſeudoprophetæ loquentes peruerſa. De quibus in epiſtola ſua dicit: *Videte canes, videte malos operarios videte conciſionem.* Commendanſque Deo & verbo gratiæ, eius vlterius non viſuros faciem ſuam Paulus affirmat, eoſque domino Ieſu tradidit gubernandos, qui eſt cum ſuis vſq; in conſummationem ſeculi.

E — Deut. 33. — Deut. 31. Deut. 34. — Ioan. 13. Act. 20. — Matt. 24. Philip. 3. Matt. 28. — F

Promiſſio: In Ieſu Naue, Ieſu Domini figuram oſtendit, terrenam expugnantem ciuitatem.

Promiſſio facta & figurata.

CAPVT XIV.

Deut. 31. Ieſus Naue filius, iubente Deo manu Moyſi conſecratus, dux effectus eſt populi. Neque enim, quod ſæpe dicendum, decebat Dei populum in terram promiſſionis alium introducere, niſi illum qui & nominis, & rei ſacramenta ſalutemque portaret. His exploratores duos in Hiericho mittit, quæ prima in ciuitatibus promiſſæ terræ eſſe videbatur. Miſit & noſter Ieſus Dominus exploratores duos qui ſui primi aduentus terram prædicando concuterent, Zachariam ſcilicet ſacerdotem, eiuſque filium Ioannem. De quo idem pater ſacerdoſque eidem ſuo filio dicit: *Tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini, præparare vias eius.* Item de ipſo Ioanne angel⁹: *Præcedet,* inquit, *ante eum in ſpiritu & virtute Heliæ.* Exploratores terræ illius excepit Rahab meretrix, quę eos abſcondens, à ſuis perſequentibus liberauit. Et quos dominus Ieſus miſit ſuſcepit anima fornicaria, quæ nominis Ieſu expectans ſalutem à proſtitutione idololatriæ, per coccinum ſignum eius ſacri ſanguinis liberata eſt. Has animas ex hac fornicatione vehementer etiam Thamar illa nurus Iudæ in ſuis geminis ſignat, dum minor eius filius manum prior ex vtero cœpit mittere, & accepto ſigno coccinu poſterior natus eſt: Geminum in ſe populum oſtentãs, qui vagus, dum prior manum miſiſſet in ſacris idolorum, poſterior ad Chriſtum per ſignum eius ſanguinis baptiſmo renatus aduenit. Sub lino illa Rahab exploratores abſcõdit. Sub lino & noſtri Ieſu Domini exploratores fuiſſe abſconſos, Eſaias Propheta teſtatur, dicens: *Arundinẽ quaſſatum non comminuet, & linum fumigans non extinguet:* Gẽtem ipſam Iudæam ſignans, quæ vt linum fumigans in ſacrificijs, omnem vſque ad Chriſtum tectam celauit prophetiam, ipſoſque præcurſores noſtri Chriſti Ieſu. A quo non extincta nunc vſque ſeruatur: vt quæ in ea adhuc recta latent futura, in tempore reuelentur. Metu enim Ieſu ducis ſuos territos ciues mulier illa exploratoribus prodidit, vt etiam illud impleretur, quod de noſtro Ieſu domino dictum eſt: *A facie tua gentes turbabuntur, cum feceris mirabilia.* Reuerſi exploratores ad Ieſum, cum omnia quæ egerant, retuliſſent, iuſſu diuino duodecim tribuum Iſrael iubet caſtra moueri, ſimulque omnes tranſire Iordanem arca præeunte: quæ iam figura, vt dictum eſt, noſtri Ieſu ducis Sacramenta portaret. Hæc dum in medio fluminis moraretur, diuiſas in partes inferior vnda dum iret, ſuperiorq; immota ſubſiſteret, ſolũ ſiccum ipſe alueus prębuit tranſeuntibus. Statimque præcepto domini duodecim lapides à ſingulis tribubus de medio fluminis Ieſus iuſſit auferri: quibus, in ſacrato numero duodecim Apoſtoli noſtri Ieſu ſignarentur. Tranſeunte autem populo, famulatu, quem vnda Dei iuſſu præbuerat, ſuppleto, rurſum recurrẽs in ſeſe fluuius læros per ſe reddidit trãſeũtes.

Ioſu. 2. — Luc. 1. — G — Gen. 38. — Interpretes 70. Eſaia 42. — H — Pſal. 64. Ioſ. 3. — Ioſ. 4.

Baptiſmi

A

Baptiſmi & fide initiat expreſſum, vt hi qui in eremo nati rubri maris Sacramenta non nouerant, Iordanis in tranſitu abluti, circuncisionem ex cultellis ſuſciperent petrinis. 1.Cor. 10. Omnis enim ſub noſtro Ieſu conſecratus in baptiſmo, ex petra corde circuncidit ur: quia omnis virtus eius in petra firmatur. Quam petram Chriſtum eſſe, iam ſupra oſtenditur.

Promiſsio: Per Ieſum Dominum animæ à proſtitutione idolorum liberantur.

Prædictio facta & figurata. In Ieſu Naue credita & viſa.

CAPVT XV.

Ieſue 6. HIericonta Dei populus eum Ieſu duce veniēs, eamque munitam omni ambitu proſpiciens ciuitatem, obſidione vallauit. Mirabilis autem in diuinis præceptis illic videtur virtus fuiſſe conflictus, actumque quodammodo certamen ſpiritale, ſeptem tubarum clangoribus B ſepties in die ſeptimana tota recurrente die vltimo cōcrepātibus, iubilātib. cunctis, omnis illa ſuperba murorū cōſtructio, nō humana, ſed diuina manu cōcuſſa intercidit. Subuerſa ciuitas, concremataque cum populis incendio, ſola ex eo Rahab cum ſuis per ſignum ſanguinis potuit liberari. His tubis, hoc fremitu iubilantum præcepto Ieſu domini etiam noſter pugnat exercitus. Nam ſeptiformi Eſaia 3. Pſal. 91. Pſal. 109. ſpiritus, *ſapientiæ & intellectus, conſilij & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis ac timoris Dei*, dum reſonant, qui canunt *in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ*, iubilatque populus in conſpectu regis domini, ſepties in die dum laudes dicunt ſuper iudicia iuſtitiæ eius, omnis Hierico ciuitatis terrenæ ſuperbia Ieſue. 5. Pſal. 148. debellatur: Concrematur incendio ab eo de quo dicitur, *Ignis ante eum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* In qua ſpes ſalutis datur fornicariȩ animȩ pœnitenti, dum ſigno ſanguinis Ieſu Domini liberata dicitur elatis & tu- Ioa. 2. & 6 Matth. 21. midis: *Meretrices & publicani præcedunt vos in regnum Dei.* Tales quippe animas inuenit Ieſus Dominus noſter, ſiue in Iudæis ſiue gentibus. Quarū exēplo vtā ſua proſtitutione trāſirent ad legitimum virū, iubetur Oſee Propheta mulie- Oſee 1. rem accipere fornicariam, atque ex ea procreare filios, vt ſit iam vxor, quæ paulo ante fuerat meretrix, habeatq; filios, quæ ſtudebat filios non habere, nec iam libidini, ſed C ſuſcipiendæ ſeruiat proli. Euidentius hoc per Hieremiam Prophetam exponitur, cum tota arguitur Iudæa: *Si contaminata* Hier. 3. *fuerit mulier*, ait Dominus, *nunquid reuertetur ad eam vir ſuus? Et tu fornicata es in paſtoribus multis, & ſic reuertere ad* Oſe. 1. & 2. *me dicit Dominus.* Et per Oſeam: *Vocabo non plebem meam plebem meam: & non dilectam, dilectam.* Apoſtolus quoque Pau- 1. Cor. 5. lus, huiuſmodi animas ſalubriter obiurgat, dicens: *Auditur in vobis fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes.* Sed tales etiam ſua gratia Ieſus noſter dominus dum ſuſcipit ad ſalutem, dignitate illa potentiæ ſuæ fornicariam, vir- 2.Cor. 11. ginem facit. Quam pronubus in ſe Paulus caſto ſpiritalique connūbio componit, dicens: *Aptaui enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* De qua filios non carne, ſed ſpiritu excipiens, facit Eccleſiam virginem, matrem filiorum fœcunditate lactantem. Quos ſecum admonet 1. Ioan. 3 Rom. 8. Ioannes Apoſtolus dicens: *Chariſsimi filij Dei ſumus, & necdum apparuit quod erimus.* Coniungit & Paulus: *Si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.*

D

Promiſsio: Per Ieſum Dominum omnia vitia expugnanda.

Prædictio facta & figurata. In Ieſu Naue credita & viſa.

CAPVT XVI.

Ioſ. 12. EXpugnat Ieſus Naue filius Chananæum, Cetheum, Phereſeum, cæteraſque gentes, quarum terras populo ſuo dominus in hæreditatem promiſerat. Expugnat & noſter Ieſus Dominus idololatriam, ſuperbiam, inuidiam, luxuriam, cæteraque vitia, vt ſuis ſeipſum præparet æternam hæreditatem. In funiculo Ieſus Naue filius, victori populo terram diuiſit. Dicit & noſter triumphans in Chri- E Pſal. 15. Num. 36. Ioſue 17. ſto Ieſu populus, *Funes ceciderunt mihi in præclaris. Nam & hæreditas mea præclara eſt mihi.* Iubet Dominus filijs Salphat, quia virum hæredem non reliquit, paternam ſuſcipere hæreditatem, vt in his animæ auxilio deſtitutæ ſignarentur. Quas dum reſpicit Deus, dicunt: *Dominus portio hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui reſtitues mihi hæreditatem meam.* Pſal. 15. Terminos poſitos quæque tribus inuiolata fide cuſtodit. Dicitur & noſtro populo. *Non tranſgredieris terminos æternos, quos poſuerunt patres tui.* E mundo migraturus Ieſus, vltima conteſtationis ſuæ verba, ſicut Moſes hæc populo tradidit: A mandatis domini non diſcedendum, ſi vellent ſemper eſſe liberi, & ab inimicorum inſidijs alieni. Nihilque Ioſ. 23. ſe ab eis accepiſſe, vel eos in aliquo læſiſſe confirmat. Et ſuos Ieſus noſter dominus tranſiens, hac pactione cōſtringit: *Si feceritis*, inquit, *quæ mando vobis, vere mei diſcipuli eſtis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Ioan. 8. Quibus cum dediſſet exercendorum miraculorum poteſtatem, nequid F ab aliquo ſperarent, quod ipſi non dederant, dixit, *Gratis* Matt. 10. Iud. 2. *date.* Poſt abſceſſum Ieſu populus ille non Ducem, ſed Iudices regendus accepit. Et cum noſter Ieſus Dominus tranſiret de hoc mundo ad patrem, rectores Eccleſiæ ſuæ per vniuerſum inſtituit mundum.

Prædictio: In figura Eccleſiæ Delbora hoſtem ſuperauit.

Prædictio facta & figurata. In Iudicum credita & viſa.

CAPVT XVII.

PRimus Iudas inter cæteros iudices fuit qui iudicarunt Iud. 1. Iſrael. De cuius tribu, vt ſæpe diximus, dominus Chriſtus huic mundo in carne iudex omnium animarum præſentatus eſt. Relicto vero Deo populus Iſrael oblitus mādatorum Moyſi & Ieſu famulorum Dei ſeruiuit idolis gē- Iud. 2. tium eoſque ſequens vindicta, per confines inimicos vexauit. Hoc & nunc agitur, dum renati per baptiſmum filij Dei, vanis ſuperſtitionibus curiſque huius ſeculi implicantur, vinculiſque peccatorum ſuorum vnuſquiſq; conſtringitur. Clamauerunt filij Iſrael ad dominum, cū preſ- Pſal. 105. ſuram paterentur: & de neceſſitatibus eorum liberauit G eos. Dicit etiam noſter dominus per Prophetam: Erit cum Eſa. 58. clamaueritis ad me & dixeritis, Pater, exaudiam vos vt Luc. 15. populum ſanctum. Cuius in manifeſtatione clamantem Iud. 4. ad patrem filium perditum, cum magna miſeratione pius pater in Euangelio pœnitentem ſuſcipit redeuntem. Subſequens in iudicibus Delbora prophetes, mater ſurrexit in Iſrael, quæ iudicauit populum annis quadraginta. Huius in tempore Sizaram regem Iabin aduerſus plebem domini rebellantem, diuina virtus in manu fœminæ concluſit illum: illū ſcilic. terribilem curribus, equitibus, populiſque metuendum. Nec eum ferro, ſed fœmina virum ligno confixit, palo ac malleo tempora illius transfodiēs: quæ noſtræ matris Eccleſiæ ſimilitudinem gerēns, voce reſonat et in Pſalmis: *Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Dei noſtri magnificabimur. Ipſi obligati ſunt* pedes *& ceciderunt. nos vero ſurreximus & erecti ſumus.* Hȩc & alia cantat Pſal. 19. Eccleſia expugnans idola idolorum [illegible] cultores, necnon H & vicinos hoſtes ſuos hæreticos. Qui dum aduerſus eam caſtra conſtituunt, non timere cor ſuum dicit. &, *Si exurgat*, ait, *in me bellum, in illud ego ſperabo.* Et in alio Pſalmo: *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi.* Pſal. 26. Pſal. 129. Quia dominus iuſtus, per crucis lignum contriuit ceruices peccatorum.

Promiſsio: In figura Gedeon gratiam Chriſti domini commendat.

Promiſſio facta & figurata. In Iudicum credita & viſa.

CAPVT XVIII.

RVrſum pro peccato idololatriæ affligitur populus, Iud. 6. eum deprimente Madian. Miſſus angelus domini

A ob redemptionem eorum, Gedeon filium Ioab vnum ex
Hebræis ad iudicandum præliandumque pro eo mittens,
hoc dicto inſtruit: *Dominus tecum* potens in virtute. Et Ge-
deon. *Si dominus nobiſcum eſt*, ait, *quare nos inuenerunt mala
hæc?* Et angelus, Vade, ait, in manu enim tua liberabitur
Iſrael, de manu Madian. Cumque Gedeon in minima tri-
bu ſe eſſe in Iſrael coram domino fateretur, ab eo qui ex-
altat humilem, eumque ſedere facit cum principibus po-
puli ſui, roboratus, ſtatim aram Baal, quam filij Iſrael con-
ſtruxerant, ſubuertit. Hunc populus pro hoc facto inſecta-
tus, in domum patris ſui fugientem obſedit. Cumque
impetum populi declinaſſet, pater eius Ioas furentem
plebem his mitigauit verbis: Nunquid vos, ait, iudicatis
Baal, aut ſaluum facitis eum? qui in eum iniurias ingeſſit,
morietur in mane. *Si Deus eſt, ipſe ſe vindicabit.* Verum cum
populus placatus abſcederet, ſpiritus domini induit Ge-
B deon, eumque virtute ſuffultum ad præliandum mittit, ſi-
gnum victoriæ voluntari eius aſſignans, duo tamen ipſe
popoſcit, quæ in magno myſterio vſque in tempus vela-
ta noſcerentur. Volo, inquit, domine, vt vellus quod eſt
in area, impleatur aqua, & area ſicca ſit, factum eſt: Sicca
area ros deſcendit in vellus: quod expreſſum peluim re-
pleuit aqua. vellus repletum in area ſicca, agnoſcimus ſy-
nagogam, Eccleſia tunc ſicca in fide gentium quæ cũ nul-
lo imbre ſupernæ doctrinæ rigaretur, ſynagoga, vt vellus
repleta erat diuinis oraculis ſacriſque myſterijs. Quod ve-
ra virtus Ieſus dominus eo vſque expreſſit in peluim, vt
propinquante paſſione pedes in ea lauans, ſuis diſcipulis
omnem ſynagogæ gloriam vacuans, tanquam vellus ex-
preſſum inanem relinqueret: Gentibus gratiam noui te-
ſtamenti miniſtrans, quam in ſecundo ſigno euidenter o-
ſtendit, Volo Domine, inquit Gedeon, vt vellus ſiccum
ſit, & area omnis compluatur. Vtrumque factum futu-
rumque in Chriſto & per Chriſtum, Dauid Propheta cõ-
firmat dicens in Pſalmo ſeptuageſimo primo: *Deſcendet ſic-
ut pluuia in vellus* (quod pertinet ad ſynagogam:) *& ſicut
gutta deſtillantes ſuper terram* quod pertinet ad eccleſiam.)
Deut. 32. Et in Deuteronomio: *Excipiatur*, inquit, *ſicut pluuia pronun-
tiatio mea, & deſcendant, velut ros, verba mea.* In vellere ros,
Eſa. 55. tunc refectam ſynagogam, & pluuia in area, nunc reple-
C tam Eccleſiam gratia oſtendit: Dicit & Eſaias: *Sicut ros aut
pluuia deſcendens, non diſcedit quouſque inebriet terram & germi-
net, & det panem ad edendum his qui eam colunt: ita & verbum
quodcunque exierit ex ore meo, non reuertetur quouſque perficiat
quæ volui.* Perfectis igitur vniuerſis ſacramentis, quæ alijs
condita tegebantur in vellere: Iudæorum ſcilicet ſynago-
gam inanem remanſiſſe, omnis iam mundus agnoſcit: A-
ream vero, eccleſiam per omnes gentes gratia repletam,
fœcunditate credentium populorum. Sed eidem Gedeon
præceptum eſt, congregato agmine egredi ad præliandum
contra inimicos populi Dei. Veruntamen quia ſacramen-
tis omnia tegebantur, idem qui ductabatur exercitus, ad
Iud. 7. aquam probandus acceſſit. *Dixit* enim *dominus ad Gedeon:
Deduc populum ad aquam, adhuc enim multi ſunt tecum: eritque,
qui lambens lingua vt canis biberit, ſtatues eos ſeorſum*, cæteros
dimittes è caſtris. Repertique ſunt trecenti viri. Hos, in-
quit dominus, adduces tecum, ne dicat Iſrael: Quoniam
manus meæ ſaluum me fecerunt. Sic enim agit diuina
prouidentia gratiam commendans, vt nõ in ſe quiſquam,
1 Cor. 1. ſed *in domino glorietur*. Quoniam non in multitudine exer-
1. Reg. 14. citus potentia eſt belli, ſed de cœlo eſt fortitudo Dei. Præ-
D liantur autem milites domini hoc modo, ſuccincti lumi-
bis, hydriaſque portantes in manibus, faces quoque ſuc-
cenſas. Igniti mente & corpore. in hoc victoriæ ſigno, gla-
dius domini & Gedeon. Explorans igitur Gedeon per
noctem caſtra patris aduerſæ, ſentienſque quibus ſomnijs
dominus eorum terruerit aduerſarios, diluculo ſuos ad
milites redit, eoſque vt certa victoria potitos alloquitur.
Iubetque Dei milites hydrias eius manibus in terram pro-
ijcere, ac protinus in aduerſarios omni cum fiducia proſi-
lire. Ita etiam ſub noſtro iudice Ieſu domino, noſter vicit
Luc. 12. & vincit exercitus. Cui præcipitur: *Sint lumbi veſtri accincti
& lucernæ ardentes*, portantes gladium bis acutum, verbum
Dei. Quorum fortium corpora martyrum in terra illiſa,
velut hydriæ dum concrepant, eorum ſcilicet qui pro ve-
ritate certant vſque ad mortem, ſuo grandi ſonitu omnes E
fugauere inimicos. Horum triumphus ſuaui cantu reſo- 2. Cor. 4.
nat dicentium: *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, vt* 1. Cor. 15.
*eminentia virtutis ſit Dei, & non ex nobis. Gratias agentes Deo,
qui dedit eis victoriam, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*
Tranſierunt enim & noſtri probandi per ignem & aquã,
lambentes lingua vt canes domini: quos Dauid memo-
rat, dicens. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.* Hi enim Pſalm. 67.
pro eo nunc latrant, qui eum aliquando adorant, quo-
rum latratu omnis Chriſti fugatur aduerſarius.

*Prædictio: In Abimelech concubinæ filio hæreticos
ſignat.*

Prædictio facta & figurata.

CAPVT XIX.

ABimelech filius ex concubina, poſt obitum patris F
ſui Gedeon, interfectis à ſeptuaginta legitimis eius Iud. 9.
filijs ſolicitato populo iudex, effectus in Iſrael. Vnus è ſe-
ptuaginta dum euaſiſſet abſconditus, tranſeuntem, ſub
quadam parabola totum increpat Iſrael: quod infructuo-
ſa ligna ſylueſtria vitem & ficum, dum ſibi peterẽt regem,
reſpondiſſe fructuoſa infructuoſis, nõ ſe poſſe relinquere
fructus pinguedinis ſuæ, & regnare in lignis. Hæc figura
præſumptam audaciam hæreticorum oſtendit, qui cum
ſint non filij liberæ, ſed ancillæ, vt ſylueſtria ſylueſtribus, Gal. 4.
id eſt, infructuoſis animabus, ea intentione, delictorum
ſpinis obruti, potentantur, vt filios veri regis & iudicis in
anima baptizando interficiant. Hunc tamen Abimelech
audacem principem mulier è muro miſſo fragmẽto quaſ-
ſato capite occidit. Sic enim decet perire hæreticos, qui
caput noſtrum Chriſtum dominum, contumelioſa diſpu-
tatione expugnare nituntur. Quoniam hæredes eſſe non
poterunt ancillæ filij, ſed liberę. Eccleſia vt mulier ex gen- Gen 21.
tibus, molam aſinariam eorum collo aſſignans, eos mer- Gal. 4
git in profundum. Matt. 18.

*Promiſſio: In Iephthe immolata carnis Chriſti im-
molatio virginis.*

G

Promiſſio facta & figurata.

CAPVT XX.

IEphthe quoque ordine ſubſequente Dei populum pẽr
annos ſex iudicauit. Hic dum bellum gerit aduerſus fi- Iud. 11.
lios Ammon, viditque ſibi aduerſarios præualere, teme-
raria præſumptione votum vouit, quod ſi inimicos vince-
re contigiſſet, quidquid ei primitus ex domo ſua obuiam
fieret, offerret in ſacrificium. Cuius audacia hoc modo
correpta eſt, vt non animal cuiuſque pecoris exiſtimarũ,
ſed vnica filia virgo, triumphantis more occurrens, affli-
geret grauiter de promiſſione victorem. Quam reſpiciens:
Heu mihi, ait, *filia*: offenſio facta es in oculis meis. *Vnus enim
ſuper te votum Deo, & non poterit auerti*. Dixitque ei filia: *Si* in
me *aperuiſti os tuum, pater, ad dominum, fac* ita *vt promiſiſti*:
propter quod fecit Dominus vindictam de inimicis ſuis.
Induciaſque petitã patre, quibus in monte cum ſodali-
bus ſuis fleret virginitatem ſuam. Quæ conſummato tem-
pore reuerſa, ſui ſacrificij ex ea Iephthe vota compleuit. H
Et hæc, vt dictum eſt, *non nouerat virum*. Quæritur fortaſſe,
cur non ei præceperit Deus parcere debere vnicæ filiæ,
ſicut Abrahæ vnico iuſſit vt parceret filio? Naſciturque fa-
moſa illa & ad ſoluendum difficilis quæſtio, quam reue-
lante Domino hoc modo perſoluam. Primo quod Deus
non popoſcerat à Iephthe tentando eum, ſicut ab Abra-
ham. Sed hic ſponte vouit, non, vt dixi, *tentatus à Deo*, ſed
ipſe quodammodo tentans Deum. Secundo, dignum fuit
vt nõ taxata victima, canem vel ſubiugale, aut quodlibet
aliud dignum pecus ſibi primitus occurrens, vt promiſe-
rat, immolaret. Quia ergo non tentatus tentare voluit
Deum, hoc ei occurrit, quod probaret virtutem, votum, Hebr. 11.
& animum promittentis. Sed hunc Iephthe Paulus Apo-

A ſtolus in epiſtola ad Hebræos, inter cæteros fide plenos, ex hoc ipſo operatum dicit fuiſſe iuſtitiam: commemorans Barach, Samſon, Samuelem, cæteroſque heroas noſtros, ne ſola terrena ciuitas plauſu vanitatis ſuos extolleret ciues, ſi pro ea filium Torquatus occidit, ſi Mutius dexteram porrexit in flammas, ſi Curtius ſe præcipitem dando voragini, pro eius ſæuitia vita priuauit: cum longe celſiora noſtri & multi ac multiplicia fecerint ciues Hieruſalem cœleſtis ciuitatis magnæ. Huius tamen Iephthe operatio iuſtitię admonet nos inquirere myſteria actionis dominicæ, velut datum fuerit tantæ rei explicare ſecretum. Hæc itaque figurata myſteria ad Iudicem ducemque noſtrum Ieſum dominum ita referunt, vt cognoſcamus eum pro noſtra redemptione de inimicis noſtris vindictam volentem ſuſcipere, vnicam virginem carnem ſuam eamque

B filiam immolaſſe. Et à ſeipſo quippe formatus in vtero dicitur per Dauid Prophetam: *Mater Sion dicet homo, & homo factus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus.* Hæc occurrit in hora paſſionis, cum creator eius, *principatus & poteſtates aeris huius* † *exemplaret, fiducialiter triumphans eas in ſemetipſo.* Occurrit, inquam, in hora de qua in Euangelio dicit: *Pater quid dicam? Tranſeat hæc hora: Sed propterea veni in hanc horam*, vt is, qui eam creauerat, immolaretur. Quod vero illa petit inducias, vt fleret in mõte virginitatem ſuam cum ſodalibus ſuis: Aſcendit in montem Ieſus cum ſodalibus propinquante paſſione, illic orans, vt Euangeliſta teſtatur, ſudans: pro lachrymis guttæ ſanguinis ſtillare videbantur in terram. Admonuitque ſodales ſuos *vigilare & orare, ne intrarent in tentationem*: adijciens, *triſtem eſſe animam ſuam vſque ad mortem.* Deſcendens vero de monte, hanc, quam pro nobis ſuſceperat carnem, ſine corruptione virginem quæ non nouerat virum, obtulit ſacrificium Deo patri. Quoniam & hic aperuit os ſuum ſuper carnem ſuam dicens per Prophetam. *Quæ procedunt de labiis meis, non reprobabo.* Et ipſe in Euangelio: *In hoc me*, ait, *diligit pater meus, quoniam animam meam pono pro ouibus meis.* Et iterum: *Maiorem hac charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Neque enim vel in morte, caro illa corrupta eſt.

C De qua dicit in Pſalmo: *Caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam apud inferos, neque dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Viuit itaque Deo, qui vitam iſtam finit propter Deum. *Mihi enim viuere*, ait *Apoſtolus Chriſtus eſt, & mori lucrum.*

Pſal. 86. Coloſſ. 2. * Id eſt palam traduceret: ac oſtentui ludibrioq; haberet, id enim ſignificat. τὸ παραδειγματίζειν. Luc 22. Matt. 26. Pſalm. 88. Pſal. 15. Philip. 1.

Promiſſio: In Samſon Nazaræus dominus Chriſtus fortis in capite.

Promiſſio facta & figurata. In Iuda credita & viſa.

CAPVT XI.

Iud. 13. MAnue dictus eſt in tempore illo, quo iudices Dei populum gubernabãt, cuius vxor ſterilis fuit. Huic angelus domini adſtitit promittens filium talẽ futurum. *Ferrum*, inquit, *non aſcendet ſuper caput eius, & vinum & ſiceram non bibet: quoniam Nazaræus erit puer à die natiuitatis vſque in finem mortis.* Iam Nazaręus virtus ſonat in capite, quoniam *viri caput Chriſtus.* (1. Cor. 11.)

D Natus eſt igitur Samſon ille fortiſſimus, plenus, vt dictum eſt, virtute ex coma capitis ſui, qui iudicauit Iſrael annos viginti. Huius omnis actio in figura Chriſtum dominum reſonat. Cuius geſtorum ordinem adiutus Dei gratia ita percurram: *Deſcendit*, dicit ſcriptura, *Samſon in Taumatha*, & dilexit illis mulierem alienigenam, ſuoſque parentes petit, vt eam ſortiretur vxorem. (Iudic. 14.) Deſcendit & noſter de cælo fortiſſimus, de quo dicit angelus ad Mariam, Quoniam Nazaræus vocabitur: vt ſibi dilectas ex gentibus animas ſociaret, & fide coniungeret. Dum pergit Samſon videre deſponſatam ſibi, catulus leonis ei obuiam factus eſt, quem repletus ſpiritu diſperſit, eumque miſit per partes. Rurſum rediens declinanſque viam, dum cadauer inſpicit animantis fauum mellis in ore leonis ſuſcipiens abſtulit. Idque comedens ſuis ex eo parentibus dedit, neque illis factum ſui operis intimauit. Hoc & noſter Nazaræus Ieſus Dominus egit. Diſcerpſit

E populum Iudæorum & catulum leonis, miſitque per partes. De quo Balaam Propheta gentilis ait: *Catulus leonis Iuda fortiſſimus Iſrael.* (Num. 3.) Huius particulas per orbem ſparſas Dauid Propheta teſtatur dicens ipſi forti noſtro domino: *Diſperge illos in virtute tua.* (Pſal 53.) Quod factum non credimus, ſed videmus. Fauum vero mellis quem in ore leonis huius inuenit, legem ſpiritalem populi huius auditor intellige, quod apes Patriarchæ atque Prophetæ conſtruentes, in eum mella infuderint diuini eloquij, hoc ex ore leonis mortui abſtulit, qui repulſis Iudæis legem ipſam etiam gentibus miniſtrauit. Idque comedit corpus fortiſſimi noſtri iudicis Chriſti domini, vt dicit: *Quam dulcia faucibus verba tua ſuper mella & fauos ori meo.* Et Solomon ait: *Faui mellis ſermones boni.* (Pſal. 118. Prou 16. Ioan. vlt. Iudic. 14.) Dedit ex eo, dictum vt eſt, parentibus ſuis, ſiue diſcipulis, cum aperuit ſenſum eorum, vt intelligerẽt ſcripturas: ſiue his qui ex Iudæis tranſierũt ad fidem Chriſti, vt etiam ipſi guſtantes viderent, quam ſuauis eſt dominus.

F Huius actionis ænigma Samſon in conuiuio nuptiarum protulit ſub certa ſponſione triginta ſindonum totidemque ſtolarum viris qui aderant, ſi propoſita narrauiſſent. *Ex deuorante*, inquit, *exijt eſca, & ex forti dulce.* Quam propinquante ſolutionis die cum intelligere nequiuiſſent, eius mulierem nimijs terroribus coactam explorare faciunt ſenſus viri, ac per ipſam propoſitionis ſolutione comperta parabolam pandunt, dicentes: *Quid dulcius melle, & fortius leone? Quibus ille ait: Si non domaſſetis vitulam meam, nunquam intelligeretis parabolam meam.* Magnum igitur illud pietatis dominicæ ſacramentum, quod in lege fuit velatum, fuitque abſconditum à ſæculis in Deo, reuelatum per Chriſtum, manifeſtatum eſt in gentibus. (Coloſſ. 1. Eſa. 53. Rom. 8.) Sane à ſe proſtratos exuens ſpolijs, promiſſa Samſon omni celeritate perſoluit, vt de noſtro quod dictum fuerat, etiam ſignaretur, *Fortium diuidet ſpolia.* (Iud. 19.) Salubriter enim noſter ſuos occidit inimicos, dum peccato peccatum occidit in carne

G reddens ſpoliorum promiſſiones, non merita meritis, ſed pro malis bona conferens miſeris. Pergens vero Samſon ad diem feſtum Hebræi populi, vt cum ſuis agere potuiſſet, mulierem eius viro alij parentes tradiderunt. Hoc faciunt leues vileſque animæ, quæ conſortium vnici ſponſi Chriſti caſto fidelique corde minime retinentes, cuilibet ſe hæreticæ tradunt ſociantque doctrinæ. Admonetque Apoſtolus animas vnius ſponſi Chriſti, pudico amore cubile ſeruantes: *Videte ne quis vos ſeducat* vllo modo. (Coloſſ. 2.) Reuerſus igitur Samſon, cum cognoſceret vxorem ſuam alteri viro fuiſſe coniunctam, inſidijs illam gentem pro dolore confecit. (Iud. 15.) Trecentis itaque vulpibus apprehenſis, earum in inuicem caudas innectẽs, faces his ardentes impoſuit, compendio ſuccendit. Dicit quidem & noſter fortis dominus (hæreticos ſignans:) *Capite nobis vulpes puſillas exterminantes vineas*, (Cant. 2.) quibus ſunt faces incendij potius erroris quam diuini amoris. Nec ſunt in capite, ſed in cauda. Ardent enim ſtudijs peruerſiſque doctrinis, quibus impetitos vel potius peruſos vaporis ſui aſperſione aſſtantes, omnes eos, quaſi ignis agreſte fœnum, conſumunt. (Pſal. 66.) Quoniam in conſpectu noſtri iudicis Chriſti Domini ignis ardebit, (Mal 4.)

H eruntque, vt dicit Propheta, *omnes alienigenæ ſtipula: & ſuccendet eos adueniens dies, dicit dominus.* Illa vero mulier, quæ relicto tanto viro alij ſe credidit ſociandam, incendio cum ſuis parentibus à ſuis ciuibus dignoſcitur eſſe conſumpta: Vt omnis anima hæretica cum ſuis parentibus, id eſt, doctoribus, igni inextinguibili, peccatis traducẽtibus exuratur. Quoniam traducent illos ex aduerſo iniquitates illorum, cum eis dixerit dominus: *Diſcedite à me in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* (Sap. 4. Matt. 25.)

Prædictio. In eodem Samſon, quod ligatus Chriſtus Dominus à Iudæis vincula omnia diſrupit.

Prædictio facta & figurata.

CAPVT XXII.

IDem Samſon in illo populo aliam dilexit mulierem, quam dum pergit accipere, tranſeunti viam inimicorum inſidiæ irruerunt. Cui virtus diuina ſtatim adfuit. (Iudic. 16.)

A Apprehenſa etenim aſini maxilla, mille viros ex ea pro-
ſtrauit, cæteroſque vertit in fugam. Qui cum ſiti prælian-
do deficeret, inuocato Deo ex rima eius maxillæ aqua
profluens priſcę virtuti reddidit ſatiatum, cumque aduer-
ſarijs ſuperatis fecit eſſe victorem. Si noſtrum fortem do-
minum reſpicias hoc animali vectatum, tantundem at-
que ampliorem numerum ab eo proſtratum inuenies ini-
Pſal. 90. micorum: Cum ei dicit Dauid Propheta, *Cadent à latere tuo*
mille, & decem millia à dextris tuis: tibi autem non appropinqua-
Ioan. 19. *bunt.* Quoniam ſitienti corpori eius, ex latere tanquam
Pſal. 22. ex rima, ſanguis & aqua manauit, qua ſatiata omnis anima
Chriſtiana dicit: *Super aqua refectionis educauit me, animam*
meam conuertit. Poſt illud mirabile prælium Samſon ſocia-
Iudic. 16. uit ſibi aliam quam dilexit mulierē nomine Dalila. Duas
iſtas mulieres (vt ipſa actio myſtica multipliciter diſcuſſa
reuelat) duas illas exiſtimo ciuitates quas Ezechiel pro-
pheta his vocabulis conſignauit, *Oolla, & Oolība*; Sama-
Ezech. 23. riam ſcilicet & Hieruſalem. Samaria, quæ ſciſſuram regni
B in vndecim particulis ſuſcepit, tanquam illa prima mu-
lier, quæ relicto legitimo viro ſe hæreticis tradidit. Hie-
ruſalem vero vt hæc Dalila, quæ myſteria paſſionis Chri-
ſti domini, ordinata omni actione concluſit. Quæ res ge-
ſtæ, ita ſequuntur. Dixerunt Allophili ad Dalilam: *Seduc*
virum tuum, & indicet tibi in quo ſit virtus eius, & dabimus tibi
ſinguli mille centum argenteos. Ecce eſt illa triplex venditio.
Gen. 37. Venditur Chriſtus in Ioſeph ante legem, vēditur in Sam-
Matt. 26. ſon ſub lege, venditur à Iuda Iudæis ſub gratia. Seducit
Dalila mulier virum illis ſuadentibus, & dicit: *Indica mihi*
in quo infirmari poſſit virtus tua. Aperuit quodam modo os
ſuum Samſon in parabolis & dixit, *Si ligatus fuero neruis hu-*
midis, id eſt, recentibus, *infirmabor, & ero ſicut omnes homines.*
Sinit ſe fortis his vinculis colligari, inſidiantibuſque ad-
uerſarijs ac dicente illi vxore: *Philiſthijm ſuper te Samſon*: ita
illa vincula virtute diſſoluit, tanquam ſtupa cum tetige-
rit ignem, aduerſoſque omnes vertit in fugam. Noſter et-
iam Dominus fortitudinis, apud Hieruſalem velut his
vinculis ſe ligari permiſit. *Adducunt* enim ad eum foris *mu-*
Ioan. 8. *lierem in adulterio deprehenſam, & dicunt tentantes, Magiſter mo-*
do hanc deprehendimus, Moyſes iuſſit huiuſmodi lapidari, tu vero
quid de ea ſtatuis? Neruorum velut ex lege vinculis ſe credi-
derant ligaſſe Ieſum, & maximè recentium cum dixerunt,
C *modo.* Quæ noſter fortis hoc reſponſio diſrupit: *Qui* inquit,
veſtrum ſine peccato eſt, prior in illam lapidem mittat. Quo audito
vnus poſt alterum diſceſſerunt, vt illud vinculum, quo liga-
uerant, ita ſolueretur quemadmodum dixit Propheta: *Sic-*
Pſal. 67. *ut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.* Ruſum
Allophili per mulierem inſidias tendunt. Dixit mulier ad
Samſon: *Indica iam mihi, in quo infirmetur virtus tua.* Et
Samſon: *Si ligatus fuero funibus nouis, infirmabor, & ero ſicut o-*
* Philiſthijm. *mnes homines.* Cumq; id fieret, † *Aduerſarij ad te*, inquit, *Sam-*
ſon. At ille repletus ſpiritu diſrumpens funes à brachijs ſuis
tanquam filum ſpargit, omneſque fugauit aduerſarios. Li-
gari ſe ſinit & noſter Dominus fortis, dum ſecundo ve-
niunt ad eum Phariſæi & dicunt: *Magiſter, ſcimus quia in ve-*
ritate doces, & nullius perſonam accipis. Licet tributum dare Cæſa-
ri, an non: In hac tentatione fortem noſtrum bicipiti quaſi
laqueo ligauerunt. Sed ſpiritu virtutis, fortis noſter nodos
Matt. 22. omnes iſta voce diſrupit: *Quid me*, inquit, *tentatis hypocritæ?*
adferte mihi numiſma cenſus. At illi attulerunt ei denarium. Et
dominus: *Cuius eſt imago & ſuperſcriptio? Dixerūt, Cæſaris. Red-*
dite, ait dominus, *Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ Dei ſunt.*
His dictis mira celeritate vincula illa diſrupit, ille ſuſce-
D ptus homo qui Deo ſuo canit in pſalmis: *Dirupiſti vincula*
Pſal. 115. *mea, tibi ſacrificabo ſacrificium laudis.* Tertio ſollicitat mulier
virum. *Quouſque*, inquit, *illudis me? Indica*, inquit, *mihi in quo*
infirmetur virtus tua. Pene eadem verba & Iudæi dixerunt
Ioan. 10. noſtro Iudici Chriſto. *Quouſque*, inquiunt, *animas noſtras*
tollis? Si tu es Chriſtus dic nobis palam. Sed Samſon tertio ſe li-
gari hoc modo permiſit: *Si alligati fuerint*, ait, *capilli capitis*
mei in palo orſorio, infirmabor & ero ſicut omnes homines. Quod
† Philiſthijm. *cum faceret mulier.* Iidem †*inſidiantes ad te*, inquit, *Samſon.* At
ille exurgens diſruptis omnibus, fugitos plagatoſque ini-
micos proſtrauit. Fit & noſtro forti Ieſu domino huiuſce-
modi colligatio velut in orſorio palo contextio capillo-
Matt. 22. rum: Dicunt Scribæ & Phariſæi ad Ieſum: *Scripſit nobis Moy-*
ſes, quod ſi quis mortuus fuerit non habens filios, accipiat vxorem E
eius frater ipſius, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo. Septem autem fratres
erant, accipit vxorem fratris ſecundus & tertius, & mortui ſunt
non relictis filiis, poſtea vero omnes eam acceperunt ſine liberis mor-
tua eſt & mulier, in reſurrectione, aiunt, cuius erit vxor? Quanto
vehementius ſe ligaſſe noſtrum fortem crediderūt, tan-
to velocius ſoluit quam intulerant quæſtionem. Et verè
ſicut poteſtatem habens, quia nec ligari his tentationibus Luc. 20.
poſſet, niſi ipſe permitteret: *Filii*, inquit, *ſeculi huius generant*
& generantur, qui autem digni fuerint ſeculum illud contingere,
neque nubent neque nubentur. Non enim iam mori poterunt, quo-
niam ſunt ſimiles angelis & filijs Dei. Quibus dictis omni con-
fuſione proſtrati, eius fugati ſunt inimici. Et venit hora Ioan. 12. & 17.
mortis Samſon. Dicit & noſter: *Venit hora vt clarificetur*
filius hominis. Niſi enim granum tritici cadens in terra mortuum
fuerit, ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum af-
fert. Inſtante & flente mendaciter coram ſe muliere *puſilla-* Matt. 26.
nimis factus eſt, ait ſcriptura, *Samſon vſque ad mortem*: Vt no- F
ſtri figurata actio impleretur, dicentis: *Triſtis eſt anima mea*
vſque ad mortem. Si raſi, inquit Samſon, *fuerint capitis mei ca-*
pilli infirmabor, & ero ſicut omnes homines. Antequam hæc
fierent, mittit mulier ad viros dicens: Afferte argentum,
iam enim mihi omnia veraciter indicauit. Fit certa tradi-
tio, quam suppleuit Iudas percepto argento. Impletur-
que in Samſon per figuram, quod in noſtro Chriſto do-
mino actum eſt etiam manifeſtè. Nam quod eum acci-
piens mulier dormire fecit in ſinu ſuo, hoc eſt quod no- Pſal. 68.
ſter fortis dominus dicit: *Non expedit mori Prophetam extra*
Hieruſalem. Quod eum inebriauit poculo mortifero, hoc
eſt, quod & noſter dixit: *Dederunt in eſcam meam fel, & in*
ſiti mea potauerunt me aceto. Quod vero nouacula adhibita
raſit caput eius, hoc eſt quod eum in loco Caluariæ cru-
cifixit. Raſo capite Samſon diſceſſit & virtus: & noſter
pendens in ligno clamauit: *Deus, Deus meus reſpice me, quare* Pſal. 21.
me dereliquiſti? Et iterum: *Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis* & 30.
mei qui me oderunt gratis. Effoderunt inimici Samſon duos Pſal. 68. & 12.
oculos eius. Duæ partes, velut lumina, diſcipulorum effoſ-
ſæ ſunt ad tempus: Alij fugiendo, pro quibus clamat no-
ſter fortis: *Oculi mei defecerunt à ſperando in Deum meum.* Et i- Luc. 24.
terum: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in mortem.*
Quod factum in diſcipulis nouimus, quando illo reſur-
gente aperti ſunt oculi eorum, eumque cognouerunt in G
fractione panis. Accipientes inimici Samſon, ligaue-
runt eum ferro. Hoc claui indicant crucifixi. Quæ vero Eſa. 50.
illudentes fecerunt dando palmas in facie: ſputis linire,
flagellis cædere: hæc omnia Eſaias Propheta prædixit, &
impleta in Chriſto domino ſancta Euangelia teſtantur.
Vbi velut cæcatum illudunt Iudæi, dum calamo percu- Luc. 22.
tientes caput eius dicunt, *Prophetiza nobis Chriſte, quis te per-*
cuſſit? Vnum vero extremum in morte ſua miraculum fe-
cit Samſon, quod etiam noſter dominus & fortis imple-
uit. Creſcente coma capitis cum ei creuiſſet & virtus, ad
templum ductus ab inimicis, quo omnis populus ille cō-
uenerat dare laudes & victimas dijs ſuis, quod eis acerri-
mum ſuum tradiderant hoſtem, illic poſitus, puero qui ſi-
bi ducatum præbebat, eius manibus columnas ſupra quas
totum illud ædificiū ferebatur tradere, imperauit. Quas
ſingulis manibus apprehendens, inuocato Deo, ſemel ſe
adhuc confirmari petit: atque impetu ſpiritus columnas
euellens, omne illud ædificium cum populis cadens, plu-
res Samſon occidit in morte ſua, quam occiderat in vita H
ſua. Noſter etiam dominus manifeſtius, quod ille myſtice
fecerat exhibuit: duos angulos mundi, circumciſionem Ephe. 2.
ſcilicet ac præputium, velut duas columnas in ſua morte
mouens, omnem culturam idololatriæ ſubuertit: ſoluens
inimicitias in carne ſua, vt duos conderet in ſe, in vnum
nouum hominem: faciens pacem vt recōciliet vtra-
que in vno corpore Deo, per crucem interfi-
ciens inimicitias in ſemetipſo. Hucuſq;
in Iudicijs figuratè, quæ acta ſunt,
cucurrerunt.

A

Prædictio: In Ruth, eccleſia ex gentibus Iudæis illudens.

Prædictio facta & figurata. In Ruth credita & viſa.

CAPVT XXIII.

Ruth.1. RVth in illo populo dicta eſt, quæ cum eſſet alienigena, id eſt, ex Moabitis veniens, ſub lege Dei & populo poſita, ea egit, quæ figuram geſtarent eccleſiæ venientis ex gentibus. Cuidam enim ex populo hebræo ſe in coniugio matrimonij obtulit. At ille ſeruans mandata legis, non ſpecie tractus iuuenculæ, non adoleſcentiæ ſuæ captus ardore, ſeſe ingerentem ad eum mittit, cui propinquiori ex lege debebatur. Recuſat eam is: qui iure diuino pulſatus eſt. B Deut. 25. Matt. 4. Excalciandum lex cenſuit, qui propinquam accipere noluiſſet: qua nota ille vexatus, illa illi ſociata eſt, qui locum in propinquiori ſeruauerat. Sic Eccleſia gentium etiam populo Iſraelitico in fide Chriſti Domini, in propinquiori ſeſe obtulit, quam ſuſcipere nolens ritè excalciatus eſt gloria collatæ legis, & infamiæ nota inuſtus: quoniam noluit benedictionem, & longè fiet ab eo. Act. 13. Sicut Apoſtolus eidem populo dicit: *Vobis primo oportuit annuntiari verbum Dei: ſed quoniam expuliſtis illud, nec vos dignos vita æterna iudicaſtis, ecce conuertimus nos ad gentes.* Domus enim excalciati in illo populo hoc crimine notabatur. Qui vero eam poſterior accepit, populus eſt, *calciatos pedes* habens Epheſ. 6. *in præparatione Euangelij pacis.* Quod Euangelium adnuntiat, Booz & Ruth Obed genuiſſe, cuius per ſucceſſionem ſeminis vſque ad Ioſeph & Mariam ipſiuſque Matt.1. Chriſti domini natiuitatem peruentum eſt.

Promiſſio: In Samuele Chriſtus dominus dux, ſacerdos, & Propheta ſacerdotes arguens.

Promiſſio facta & figurata. In Regum credita & viſa.

C

CAPVT XIV.

1.Reg.1. ANna vxor Helchanæ, quæ ſterilis fuit, votum vouit Deo, Si ei daret filium, eum ab infantia vſque ad ſenium futurum in domo domini. Datus, atque ex ea natus eſt Samuel, quem ablactatum, vt promiſerat, reddidit Domino. Eiuſque gratiæ fuit, dum paruulus verſaretur in templo, vt & diuina reſponſa acciperet, & ei futura dominus nuntiaret. Sed is non tantum in figura mutauit ordinem ſacerdotij, quantum in illo tria quædam inueniūtur, quæ Chriſto ſunt domino conſignanda: Dux enim & ſacerdos atque Propheta effectus eſt populi. Ducē ſi quæris Chriſtum, Daniel Propheta de ipſo: *Dux*, ait, *militiæ cæleſtis.* Dan 9. Pſal.109. Sacerdotem ſi quæris Chriſtum, Dauid dicit: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Prophetam ſi quæris Chriſtum, ipſe de ſe ipſo in Euangelio dicit: Luc. 4. *Non eſt propheta ſine honore niſi in patria ſua.* 1.Reg. 2. Dum igitur filij Heli ſacerdotis maligne agerent, indebitè præſumentes partes alias veſci ex carnibus immolandis, quas illis non mandauerat Deus: ac primitus ſibi, poſtea Deo debere offerri; inſectantes etiam mulieres venientes ad templum, cum eis flagitia perpetrabant. Quibus ſceleribus confectis iratus Deus prælium eis aduerſæ gentis immiſit. D In quo non tantum cæſus populus, quantum etiam illi ipſi ſacerdotes interfecti. 1.Reg.4. Ipſa quoque arca Dei ab hoſtibus capta eſt. Sic enim Deus Iſrael iraſcitur peccantibus ſacerdotibus, vt etiam ſacratis locis ſuis vaſiſque non parcat. Dicit enim Dauid: Pſal. 77. *Repulit Deus tabernaculum ſuum, in quo habitabat in hominibus, & tradidit eos in manus gentium, & dominati ſunt eorum, qui oderunt eos?* Et iterum: Pſal.88. *Repulit eos Deus ſanctificationem ſuam.* 1.Reg. 2. Item alibi: *Si peccauerit populus, exorabit pro eo ſacerdos, ſi autem ſacerdos, quis exorabit pro illo?* Hei mihi cum magno gemitu & inexplebili fletu dicam: dicam præcurrentibus peccatis impieque agentibus nobis, noſtris quoque hæc mala prouenire temporibus. Arcam vero Dei quam ceperant hoſtes, ea veneratione colendam eſſe crediderunt, vt in templo Dei ſui Dagon, collocandā arbitrarentur. Sub cuius potentia ſequenti die idolū ſuum

E

elisum, proſtratumque viderunt. Sed hoc caſui dantes, eum vncis fortioribus, validioribuſque defigunt. 1.Reg.5. Quem poſtera die confractum comminutumque coram arca intuentes, quidnam illud eſſet minime repererunt: ipſaque gens graui atrocique plaga percuſſa eſt, quam Dauid Propheta ſub quodam pudore reſtatur, dicens: Pſalm.77. *Percuſſit inimicos ſuos retrorſum, opprobrium ſempiternum dedit illis.* Nec valuerunt huius turpitudinis euadere vltimam pœnam, niſi arcam Dei quam ceperant, donis appoſitis reddidiſſent. 1.Reg. 6. Videant, metuantque reges & gentes, quæ penes ſe ſacrata omnipotentis Dei vaſa nunc vſque captiua retinent eaque reddere detrectant. Quæ enim mala ventura credimus eis, qui Philip.2. *nomen* illud, *quod eſt ſuper omne nomen*, in vaſis eius ſacratis honorare noluerunt? cum ſic punitos arcam Dei honorantes diuina teſtetur hiſtoria, ob quam viſam & hic cœperit vindictam facere Deus de inimicis ſuis! Idē vero ille contumax Hebræus populus ſpreto Samuelis ducatu ſibi regem fieri petijt. F Iratuſque dominus ait Samueli: *Non te iſti, ſed me ſpreuerunt:* vt illud tunc ſignaretur quod poſt dixerunt Pilato, ſpernentes dominum Ieſum regem: Ioan. 19. *Nos non habemus regem niſi ſolum Cæſarem.* Dedit tamen eis dominus regem Saul, filium Cis de tribu Beniamin, qui eos regia potentia afflixit annis quadraginta. Omnis itaque anima quæ legem Chriſti domini iugum repudiat, ſic meretur affligi, quibus dum dominantur mali duces, principes, ſacerdotes audiunt: *Dedi vobis regem ſecundum cor veſtrum.* Ipſi quoque caueant qui has accipiunt poteſtates, ſi cupiditate dominantis, nec conſulentis affectu ſuſcipiunt: ſi miniſtrari eligunt, ac non potius miniſtrare. Quod Dominus per ſemetipſum, & per Prophetam Oſee increpat, dicens: Oſee 12. *Chanaan in manu eius ſtatera iniuſtitia, dominationem enim elegit.* Et in Euangelio ipſe: Matt. 12. *Qui voluerit maior eſſe in vobis, erit veſter ſeruus: ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.*

Promiſſio: In Dauid Chriſtum paſtorem citharizantem.

Promiſſio facta & figurata.

G

CAPVT XXV.

1.Reg.15. CVm idem Rex Saul ſuperbia captus Dei præcepta contemneret, ſpretus à Deo, Dauid ille (quod dicitur manu fortis) paruus licet in fratribus, vnctionis regiæ ſacramenta ſuſcepit: paſtor ſane ouium, vt noſtrum ſignaret paſtorem vnctum Chriſtum Dominum, qui dicit: Ioan.10. *Ego ſum paſtor bonus.* 1.Reg. 17. Eripuiſſe ſe prædam ore leonis Dauid fatetur. Et noſter manu fortis de ore leonis diaboli, & Petrum negantem & latronem eripuit confitentem. 1.Reg. 16. Suaui ſono citharizans Dauid non tantum animalium mulcebat auditus, quantum etiam in ipſo Saule vexationem mali ſpiritus temperabat. Si noſtri manu fortis Chriſti Domini citharam reſpicias perſonantem, quam ligno crucis carnis membrorumque ſuorum chordis aptatam plectro dum tangit ſancti ſpiritus, Pſal. 144. *omne animal replens benedictione*, ipſum quoque diabolum fugauit de cordibus inimicorum, pro quibus orans in cruce ſuauem illum ſonum protulit, dicens: Luc.23. *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Idem tamen Dauid dum Sauli regi gratus eſſet ex cithara, eumque turbantem nuntijs Goliæ cognoſceret, qui ſub conditione ſeruitutis prouocaret ſingulare certamen, contra potentem illum virum hic ſe Dauid paruus opponit. H *Non*, inquit, *corruat cor domini mei: ego ibo & pugnabo huic Allophilo.* Cui Saul: *Non potes*, ait, *quia tu puer es, & ille vir bellator eſt à iuuentute ſua. Et leonem*, ait Dauid, *& vrſum occidit ſeruus tuus. Sic erit iſte vnus ex illis:* ex ſemine ſuo, vt promiſſum fuerat, ſignans illum eſſe venturum, qui Pſal.90. *conculcauit leonem & draconem.* Suſcepto itaque prælio remiſit Dauid Saulis arma quibus erat indutus. Quinque ſibi lapides leues eligens de torrente, fundibula manu capta, non in ſpecie regis regem, ſed magnum hoſtem paruus paſtor expugnat. Ita noſter paſtor Chriſtus Dominus, ſapientiam huius mundi tanquam illa arma reijciens, in quinque lapidibus 1.Cor.1. *ſtulta mundi elegit*, quibus *confunderet fortia.* Omnis etenim ille terribilis ambitus ſuperbi, vno ictu lapidis

A

fronte percuſſus proſtratus eſt, ſuoque gladio dignoſcitur eſſe truncatus. Ex quinque enim libris legis vnus lapis prædictus, fundibula carnis locutus, manu fuit expreſſus, totam ſuperbiam diaboli eliſit, ſuoque peremit gladio, dum mortem morte occidit. Sap. 2. *Inuidia enim diaboli mors introijt in orbem terrarum.* Hanc ſuſcepit innocuus paſtor ille bonus, qui pro ſuis animam poſuit, Ioan. 10. vt ſua morte diabolum debellaret. Extincto proſtratoque hoſte aduerſus David Saul inique inuidiam concepit ex victoria. 1. Reg. 18. Retribuenſque mala pro bonis, fugat, odit, perſequitur innocentem. Pſal. 34. Dicit & noſter dominus de talibus: *Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* 1. Reg. 19. & 20. Quod vero David per latebras montium, per ſpeluncas & per deſerta Saule perſequente diſcurrit: corporis ſui noſter dominus, id eſt, ſanctorum membrorum ſuorum, martyrum videlicet, in hac figura perſecutiones expreſſit. Heb. 11. De quibus Apoſtolus Paulus dicit: Cum his *dignus non eſſet orbis terrarum, per deſerta errabant, & per ſpeluncas, & per cauernas terræ.* 1. Reg. 24. B Quod vero perſecutorem ſuum Saulem non occidit David, cum ei traderetur in manibus, abſcindenſque pinnam chlamydis eius, ſe odienti pepercit: hoc quotidie agit noſter paſtor & rerum Chriſtus dominus circa oſores perſecutoreſque ſuos. A quibus dum abſcindit vitium magnum ſuperbiæ, parcit etiam regibus ſæuientibus: quia Ezech. 18. *non vult mortem impiorum, ſed vt reuertantur, & viuant.* Quod in omnibus ſuis fecit, & facit inimicis ille: ille qui non ex meritis, ſed gratis iuſtificat impium. Rom. 3. & 4. Eundem David declinantem rurſum inſidias Saulis, gentes excipiunt. Sic ſe noſter Chriſtus dominus ſæuientibus ſubtrahens Iudæis, gentibus dedit. Prodiderunt Allophili Sauli regi, quod David eſſet penes eos abſconditus in Geth. Proditum & noſtrum regem idem Propheta, dicit: Pſal. 40. *Aduerſum me,* inquit, *suſurrabant omnes inimici mei, aduerſum me cogitabant mihi mala.* Pſal. 2. Et iterum: *Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* 1. Reg. 21. Sed David proditum ſeſe cognoſcens agit quædam, imo per eum aguntur futura myſteria, arreptitium ſimulans, *ſaliua eius in barbam deſluebant,* ferturque vt dicit ſcriptura totus in manibus ſuis. Talem gentis illius rex aſpiciens, à ſe proijciendo dimittit dicens: *Quid mihi introduxiſtis iſtam* C *fanaticam?* Nihil enim in lege dictum geſtumve eſt, quod vacuum eſſe poſſit, aut à figurata actione ſit aliquatenus alienum. Dicunt enim & noſtro domino Iudæi inimici: Ioan. 8. *Samaritanus es, & dæmonium habes.* Quem conſpuentes etiam de quibuſdam ciuitatibus miſerunt foras. Ex Aug. conc. 2. in Pſal. 33. Portatus eſt quippe & Ieſus dominus in manibus ſuis dum ſuum corpus in ſanctificato pane geſtans manibus ſuis, dixit: Matt. 26. *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur.* 2. Reg. 6. De quibus myſterijs, qui etiam illud noſſe deſiderat, quomodo ſit David ſaltans ante arcam nudatus coram ſeruis & ancillis ſuis, vt Chriſtum crucifixum præſentibus viris & fœminis demõſtraret, venerandæ memoriæ Auguſtini epiſcopi dicta inſpiciat, quibus latius in his peruagatus penè omnia comprehendit.

Promiſſio: In eodem David inimicos diligentem, lapſos reparantem.

Promiſſio facta & figurata. Regum credita & viſa.

D

CAPVT XXII.

1. Reg. 31. 2. Reg. 1. VT promiſſionis ordo poſcebat, vnctus David in totum Iſrael, non partem, vt prius, excepit gubernandam, extincto Saule in prælio. Quem grauiter occiſum doluit, eumque inſuper vindicauit, omniſque ad eum congregatus eſt Iſrael. Hoc etiam nunc agitur, dum noſter rex Chriſtus dominus ſuos plurimum diligit inimicos, & vindicat: totus ad eum, vt promiſſum eſt, colligitur mundus. Pſal. 2. Cui dictum eſt: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Rom. 11. Et licet iam penè omnes occupauerit gentes, ſupereſt tamen, vt plenitudo gentium cum intrauerit, totus prædeſtinatus Iſrael ſaluus fiat, vt, per eum omnis mundus reconcilietur Deo. Ea vero quæ David ſublimatus geſſit in regno, eos reſpiciunt qui præ-

E

ſumptione quadam ſuperbiæ lapſi per pœnitentiam emendati Chriſti corpori ſociantur Eccleſiæ ſecundæ. Quippe res, vt ait quidam, ſapientum animus fatigant, quibus hic David clarus, duo principalia quæ lex prohibet, adulterium homicidiumque commiſit. 2. Reg. 11. Monituſq; per Natham prophetam, dum magna compunctione cordis actus ageret pœnitentiam (quoniam peccata impunita eſſe non poſſunt) mortem licet repentinam euaſerit, in his tamen quæ geſſit, conſtat grauiter vindicatum. Iam enim ex ore Prophetæ audierat: *Feciſti in abſcondito, patiere in ſole.* 2. Reg. 12. Qua ſententia omnis ſtatus domus eius iſto ordine perturbatus eſt. Vnus è filijs ipſius, ſororis ſuæ, ex alia licet matre, 2. Reg. 13. turpi concupiſcentia captus, clam oppreſſit vitiauitque virginem. Germanus puellæ Abſalon ſtupratorem interfecit fratrem. 2. Reg. 15. Quo facto perculſus Abſalon, à facie ſui patris aufugiens totum ſollicitat Iſraël, rebelliſque effectus fugat, atq; inſequitur patrem, totum quoque eius in concubinis ſcelerate contaminans. Quæ patienter David ferens ea in ſe puniri iuſtitia vindicante cognouit, F quæ ſibi vt videbatur, abſolute commiſerat. Quorum geſta lex diuina dum reſonat, ſpeculum ſe eſſe oſtendit, non celans ipſorum quoque facta maiorum, ac ſplendoris ſui ſerenitate vt pulchritudines, ita fœditates quorumcunque demonſtrans: ea veritate pollens, quæ reatus etiam ſuorum & probat, & vindicat, non ſane ſine miſericordia, quæ totum egit totumque oſtendit: & lapſus tanti viri, & ſententiam iuſti iudicis, & indulgentiam clementiſſimi patris. Poſitus verum hic in exemplum ſobrijs animabus, vt diſcant amplius metuere proſpera quam formidare aduerſa. In tribulatione quippe, vt Propheta dicit, memores ſumus Dei. Pſal. 106. Periculoſum eſt autem animæ dimitti in voluptatibus ſuis, cum ipſe dicat dominus: Prouerb. 3. *Ego quos amo redarguo, & caſtigo.*

Promiſſio. In Abiſac animas, Chriſti gratia calore feruentes.

Promiſſio facta & figurata. In Regum credita & viſa.

CAPVT XXVII.

3. Reg. 1. HVic ipſi David iam ſenili ætate confecto Abiſac Sunamitis virgo, quæ regem calefaceret, applicatur, G nullam ob cauſam concubitus: quæ etiam poſt obitum eius, virgo reperta eſt. Hæc in ſimilitudinem animam ſignat Dei gratia caſtitatis calore ſuccenſam, quæ frigidas in fide animas, vt membra regis magni ſuo accendit affectu. Canit enim de ſeipſa in Pſalmis: Pſalm. 16. *Igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.* Aliosque ſuo flatu calefacies, dicit, Pſalm. 25. *Venite & audite, & narrabo vobis omnibus, qui timetis dominum, quanta fecit animæ meæ.* 3. Reg. 2. Defecto itaque rege: Solomon patri David ſucceſſit in regnum. In cuius nomine multa diuina promiſſa dum reſonant, nec quis ipſi perſonæ deputaret quæ fuerant figurata, dum à præceptis domini declinaret, & vitam in ſenectute & ſapientiam ſimul amiſit: vt pacifico Chriſto domino (quod Solomon interpretatur) omnia illa quæ figurata fuerant, ſeruarentur. Quæ tamen, vt Propheta ex perſona Chriſti domini geſſerit, vt donatum fuerit, parumper excurram. In principio regni eius viſus eſt ei dominus per ſomnium dicens. *Pete tibi aliquam petitionem.* Nihilque aliud expetit quam ſapientiam. 1. Cor. 1. Chriſtum ergo petit, quia *Chriſtus eſt Dei virtus, & Dei ſapientia. Dabis,* inquit, *domine ſeruo tuo cor ſapiens ad iudicandum gubernandumque populum tuum.* 3. Reg. 3. H Quæ petitio dum placeret (vt donum collatæ ſapientiæ omni populo panderetur) duæ mulieres aſtiterunt regi, quæ ſimul in conclaui commanentes, vno in tempore filios procrearunt. E quibus vna dormiens cum ſuum paruulum præfocaſſet, ſociæ dormienti ſuppoſuit. Expletis igitur nocturni ſomni officijs, dum clarus ſolis ortus redderet aſpectibus diem, torpore omni diſcuſſo, mulier quæ viuum perdiderat, dum ſuis vberibus crederet applicandum, reſpiciens mortuum, non agnouit ſuum. A furante igitur dum viuũ repetit, atque illa pro inuaſo fortiter contradicit, in hac controuerſia concertantes regi ſe pariter obtulerunt. Cũque cuius eſſet viuus paruulus demonſtrari non poſſet,

A ſapientia illa Chriſtus quæ regi fuerat tributa, gladium afferre iuſſit, non quo paruulum feriret, ſed quo denuo parturientis matris viſcera demonſtraret: *Diuidite*, ait rex ſuis, *paruulum viuum in duas partes, & date dimidium huic & dimidium huic.* Vera mater vt tantum viuat, aduerſariæ totum cedit: falſa, ne vera poſſideat, dimidium petit. Sic hæreticorum noſtro ſub rege Chriſto animę iudicantur: quibus dum vera mater catholica nomen ſuum viuum turgantibus offert totum, illi volentes diſcedere, petunt dimidium. *Matt. 10.* Sed rex noſter qui *venit gladium mittere in terram*, hæreticorum fraudes remouens, veræ matri petenti vitam viuum reddidit ſtatim. *Pſal. 20.* *Quoniam vitam petiit*, ait Propheta, *& dediſti ei.* Idem vero ipſe paruulus non diuiſus, veræ Catholicæ matris filius, iudicium pacifici ſummi regis Chriſti domini laudat & dicit: *Pſal. 118.* *Viuet anima mea, & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me.* *3. Reg. 6.* *3. Reg. 8.* Templum idem Solomon domino fabricauit: illud amplum mirabili ambitu conſtructũ, B omni cum regia potentia dedicatum. Quod pater eius dum voueret implere, permiſſus nõ eſt. Multas enim bellando proſtrauerat gentes, eique dictum eſt, quod plurimum ſanguinis effudiſſet in terra: non ipſum, ſed eius filium pacificum debere conſtruere domum deo. Sed quoniam illud, ſpiritale hoc ædificium ſignat, ſcriptum eſt: *Eſa. 66.* Altiſſimum non habitare in ædificijs manu hominũ factis. Propter quod rex noſter vera pax Chriſtus dominus ex lapidibus viuis domum conſtruens ſpiritalem, fidelium corda ſuorum non tantum ſingula templa in ſingulis, ſed vnum ex omnibus templum fecit. Quibus dicit *1 Cor. 3.* Apoſtolus: *Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus ſanctus habitat in vobis?* In quo ſpiritales hoſtiæ, per ipſum principem ſacerdotum offeruntur Deo. *Ipſe enim eſt pax noſtra qui fecit* *1. Pet. 2.* *vtraque vnum.* *Epheſ. 2.* Pacificus Solomon omne tempus cum gentibus habuit quietum, pacem domino largiente. Qui cum ſe totum ſapientiæ dediſſet, ſententias quaſque & icas, id eſt, immortales partes aſcribens, ænigmata etiam myſtica dum conderet præclare, regni ipſius fama nuntij ſparſa eſt per orbem. *3. Reg. 10.* Ad videndum igitur talem, *regina* *Matt. 12.* *Auſtri venit à finibus terræ audire ſapientiam Solomonis.* Cuius cum miraretur doctrinam, muneribus oblatis, laudibus C præferens præſentiam, eius à conſpectu diſceſſit. Hoc ex facto rex noſter Chriſtus Dominus Iudęos increpat, quod regina auſtri omnes moras regiaſque neceſſitates abrumpens, neque granditate itineris præpedita omni cum feſtinatione venerit videre atque audire ſapientem: ipſi vero viro ad ſe venientem ſapientiam ipſam contempſerunt. *Luc. 11.* Merito dicit *exurgere* hanc *in iudicio cum illa generatione, & condemnare eam.* Sed hæc regina noſtram ſanctam oſtendit ecleſiam: de qua dicitur ipſi regi noſtro. *Pſalm. 44* *Aſtitit regina à dextris tuis*, quæ ab ortu ſolis vſque ad occaſum nunc accurrit Chriſtum dominum audire ſapientiam: laudans nomen domini muneraque offerens, quoniam ſublimia fecit vniuerſa. Itaque quæ de Solomone dicta vel ab eo Prophetice geſta ſunt, recte Chriſto domino conſignantur. Cæterum ipſe, vt ſupra dictum eſt elatus, in ſenectute fornicatus mente & corpore, domino ipſum deſerente, male obiit: Metuendum exemplum poſteris relinquens, ne felicitate huius vitæ turbati Chriſtum deſerant, qui eſt ſuorum æterna felicitas.

Prædictio: In Roboam ſciſſuram hæreſum, è quibus Chriſtus ſuas colligit oues.

D

Prædictio facta & figurata. In Regum credita & viſa.

CAPVT XXVIII.

2 Reg. 12. Regnante Roboam filio Solomonis, & tam ſuo quam etiam peccato paterno conſtricto, cum pene totum poſt idolorum culturam peruerteret Iſrael, regnum è manibus eius ſciſſum eſt. Hieroboam quippe ſeruus Solomonis, iudicio diuino in vndecim tribubus ampliorem regni partem ſuſcepit. *Ioan. 10.* Per quam diuiſionem Samaria & Hieruſalem regum Iuda & Iſrael ſuorum principum per ſucceſſionem ordinem ſeruauerunt. Sed hæc hæreticorum ſchiſmaticorumq;, ſicut ſæpe dictum eſt, oſtentat figuram: donec ille qui vnitatem facit, & diligit, alias oues quas habet extra ſuum ouile, ſua gratia illuſtrante adducat, vt, ſicut promittere dignatus eſt, ſit vnus grex & vnus paſtor. E Non omnes nunc in ordine exequimur reges, ſed eos tantum quorum temporibus aliqua vel geſta vel dicta ſunt, quæ redemptoris noſtri nuntiarunt aduentum, breuitatis intuitu, & lectori faſtidium minimè inferentes. *3. Reg. 16.* Achab igitur peſſimo rege regnante in Iudæa, Helias propheta ad arguendum regem & populum mittitur, quod relicto Deo ſecuti fuerint Baal. *3 Reg. 17.* *Luc. 4.* Cumque Hiezabel vxor Achab regis incomprehenſibili iudicio illo Dei, quo datur poteſtas malis, Prophetas domini occidiſſet, *3. Reg. 18.* Helias orando in ſterilitate à facie ſe regis abſcondit. Suppletoque triennio & ſex menſibus cum totam Iudæam ſæua fames affligeret, Helias iubetur ſeipſum præſentare regi. *3. Reg. 19.* *Rom. 11.* Cumque domino, interfectis omnibus Prophetis, ſolum ſe relictum eſſe dixiſſet, ait ei reſponſum diuinum: *Reliqui mihi ſeptem millia virorum qui non curuauerunt genua ante Baal.* F Hinc etiam ſanctorum comprimitur elatio, ne quis ſe in quolibet bono opere arbitretur neceſſarium Deo, cum omne tempus ſuum per quem vult impleat Deus, quoniam *omnia ſeruiunt illi.* *Pſal. 118.* Homo enim Deo, non Deus homine indigere monſtratur. Vnde ait ille ſanctus Propheta: *Pſalm. 15.* *Dixi domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Helias vero quæ fuerant diuinitus imperata, coram rege & populo, per myſticum illud ſacrificium veſpertinum ignem cœlitus impetrando perfecit. Quo noſter per figuram vitulus immolatus ſacerdotes omnes idololatriæ, ſicut Helias cum ipſo errore Baal ſimul extinxit, *3. Reg. 18.* replens terram gratiæ pluuia, qua fames fidelis animæ repellatur. Quod vero in eremo conſtituto eidem Heliæ, iuſſu diuino corui manè panem & carnes veſpere miniſtrarunt, totius corporis domini figura monſtrata eſt, quãdo prius in præceptis panem, poſtea carnem dominicæ paſſionis Iudæi, vt corui, gentibus miniſtrarunt, tetri colore, voce raucisona, odore fœtidi, horrentes aſpectu. Quibus auibus ſimiles Iudæi, carnem crucis ex ligno decoctam gentibus præparantes vt corui vna & raucisona voce Pilato clamauerunt: *Crucifige, Crucifige.* *Matt. 26* *Ioan 6.* Hanc comedunt, qui audiunt dicentem: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem huius, non habebitis vitam in vo-* G *bis.* Tria tamen etiam hic tempora & dimidium temporis in tribus annis & ſex menſibus (ſicut & ſuperius memorauimus) cœleſtis pluuia De alto iudicio negatur eis, qui carnem eius non comedentes, neque eius ſanguinem bibendo redempti, ab eius corpore inueniuntur alieni.

Promiſſio: In Helia Chriſtum, & in vidua miſericordiæ principatum.

Promiſſio facta & figurata.

CAPVT XXIX.

3. Reg. 17. Dixit dominus Heliæ: *Vade in Sarepta Sidoniæ: ecce enim mandaui mulieri viduæ, vt paſcat te illic.* Et hic myſticas actiones ſpiritalis lector agnoſcit. Neque enim defecerat omnipotens, quanto vellet tempore per eaſdem aues ſuum paſcere Prophetam. Quem tamen neceſſarium viduæ ſciebat, circa ſame copiam, potentia verbi, per ſuum miniſtrum voluit præparari. H Hanc viduam in agro duo minuta, vt duo præcepta colligẽtem, diuino nutu proſpiciens Helias, actus etiam ſpiritalis ſitis ardore, aquam à muliere popoſcit. Quæ dum pergit afferre, & puſillum panis petit ab ea Propheta. Illa vero teſtando dicit modicum ſe farris habere in hydria, & parum olei in oleario, vnius ſcilicet & cum liberis diei victum, quo abſumpto eſſet moritura cum liberis. Ex hoc ipſo ſibi Propheta prius offerri iubet, tum etiam ſibi ſuiſque filijs præparandum: vt miſericordia primum occuparet locum, quam præire ante faciem Dei ſcriptura teſtatur. Ex ipſo enim omnis copia. Quoniam *hæc dicit dominus*, ait Helias, *hydria farinæ non deficiet, & capſaces olei non minuetur vſque in diem quo dabit dominus pluuiam ſuper terram.* Sic anima miſericors fœneratur

Deum,

A

Deum, ſic dum dat in neceſſitate, ſibi cōſulit ad ſalutem. Sic repletur anima, quæ corpore abſcedente dominum, caſtigantem diligens, vnius thori fidem pudico amore cuſtodit, ſacramento farris & olei vnctione munita, ſecura expectans gratam pluuiam, cum ei dixerit dominus:

Matt. 25. *Euge bone ſerue & fidelis, quoniam in modico fidelis fuiſti, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui.* Cuius in ſi-

Luc. 21. militudinem & illa laudatur à domino, quæ duo minuta vidua dum mitteret in gazophylacium, plus omnibus eam miſiſſe dixit ille qui vidit, quia ſibi nihil dimiſit.

Promiſsio. In Heliſæo diſcipulos Christi, duplum accipientes ſpiritum.

Promiſſio facta & figurata. In Regum credita & viſa.

B

CAPVT XXX.

4. Reg. 2. HElias diſcipulum Heliſæum reliquit, quia tempus aſſumptionis ſuæ domino reuelante cognoſcens ait diſcipulo: *Pete tibi aliquam petitionem: priuſquam tollar à te.* At ille ait: *Volo vt ſpiritus qui in te eſt, duplum in me ſit.* Dixitque ei Helias: *Dure petiſti, veruntamen ſi me reſpexeris euntem, fiet tibi.* Hac promiſſione factus certior Heliſæus vt optato petitionis ſuæ omni ex parte potiretur, ita inhæſit magiſtro, vt nulla eum ab illo neceſſitas ſequeſtraret. Cumque Propheta ſtudium vellet exercere diſcipuli, neceſſario ſe per deuia ſequi illum ſuſtinentem imperat. At ille ait: *Viuit dominus & viuit anima tua, ſi dimiſero te* quocunque ieris. Hoc actum eſt, donec ad eum peruentum eſt locum, vbi curru igneo ſuſceptus, quaſi vſque in cœlum

C

peruectus eſt. Atque ita intentio diſcipuli vigilauit, vt raptum ſibi magiſtrum fletu ac voce magna ſequeretur dicens: *Pater mi Helias, Pater mi, auriga Iſrael.* His vocibus perculſus Helias, ſpiritale illi viaticum ac pignoris donū, ſuum palliolum dimiſit. Quo percepto reſciſſio ea eo & percuſſo ea eo Iordane fluuio, quem per ſeipſum non valuerat, pallij adiutorio pertranſijt. Vnde & Prophetarum filij dicunt, *Requieuit ſpiritus Heliæ ſuper Heliſæum.* Et in hac myſtica actione, ſimilitudo domini & magiſtri noſtri Ieſu Chriſti. Cum enim dixiſſet diſcipulis ſuis: *Qui credit in*

Ioan. 14. *me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet:* Vt dupla ſe dona Chri-

Ioan. 20. ſtus dediſſe oſtenderet, adiecit: *Et maiora horum faciet.* Sed hoc inhærentibus his, & duplum ſpiritum hoc modo infudit. Semel poſt reſurrectionem, quando inſufflauit in facie eorum, dicens: *Accipite ſpiritum ſanctum. Si cui dimiſeritis peccata, dimiſſa erunt: ſi cui detinueritis, detenta erunt in cœlis.* Secundo vero eum nube ſuſceptus vectantibus ange-

Luc. 24. lis, ipſis quoque diſcipulis oculis deducentibus, ait: *Vos ſedete in ciuitate, donec induamini virtutem ex alto.* Isq; die Pentecoſtes in linguis igneis donum ſanctum ſpiritum miſit. Non hic duos ſpiritus intelligere debemus, cum vnus ſit ſpiritus ſanctus, ſed ipſe idem ſpiritus eſt, chariſmatū dona diſpenſans ita multipliciter prærogatus ab ipſa indiui-

D

Ephes. 4. dua trinitate, vt in ea non duo, ſed vnus ſit ſpiritus. Quoniam, vt Paulus Apoſtolus dicit: *vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma, vnus ſpiritus.* Vnde & ipſe Heliſæus non ait magiſtro *Fiant in me* duo ſpiritus ſed *duplex ſpiritus.* Quem exponſuit dominus cum dixit: *Donec induamini virtutem ex alto:*

Matt. 9. Vt ampliora per eos faceret, quam fecerat per ſe ipſum.

Actuum. 5 Tactus namq; fimbriæ à fluxu ſanguinis mulierem ſanauit. Diſcipulorum vero vmbra infirmitates omnes. Ipſi reſurgenti, palpantes videnteſque vix crediderunt, etiam ipſi diſcipuli. Aſcendenti in cœlum, illis prædicantibus, in eum, quem non viderunt, totus credidit mundus. Poſtremo, amplius eſt impium iuſtificare, quam reſuſcitare mortuum. Quæ omnia per ſuos diſcipulos idem ipſe fecit, qui eis hanc tribuit poteſtatem,

Ioan. 15. dicens: *Sine me nihil poteſtis facere.*

E

Promiſsio: In eodem Heliſæo, cum mortuum figuratum Christus dominus gratia ſuſcitauit.

Promiſſio facta & figurata. In Regum credita & viſa.

CAPVT XXXI.

IDem ipſe Heliſæus dum ea currit per diuerſa annuntiās verbum domini, quædam eum mulier Sunamitis hoſpitio ſuſcepit. Cui pro munere, ſterilitate ſublata, filium ei impetrauit à domino. Quæ ſuſcipiens paruulum enutrijt. Adultus vero cum patre in agrum dum pergeret, ſolis ardore percuſſus recurrens domū, æſtuans in ſinu matris ſpiritum emiſit. Statim mulier ad hominem Dei recurrit, in Carmelo pedibus eius prouoluta, filium, quem eius gratia ſuſceperat, nuntiat fuiſſe defunctum. Celatū ſibi hoc à Domino Propheta miratur: Vt noſtri domini Ieſu totam figuram impleat Prophetia, qui cum omnia norit, aliqua ſe neſcire ſimulat, Vt eſt illud de Lazaro: *Vbi poſuiſtis illum?* Et: *De die & hora nemo ſcit, neque angeli, neque filius*, cum eo die & ea hora ipſe venturus ſit filius. Et illud: Narrantibus duobus diſcipulis de paſſione eius & dicentibus ei: *Neſcis quæ facta ſunt in Hieruſalem ante tertium diem?* Et ipſe in quo facta ſunt, neſciens ſimilis dicit, *Quæ?* Sed hæc quæ celantur, aut in magno aguntur myſterio, aut intentio cordis extenditur in Deum, vt quod totum nō capit, auidius noſſe quærat: & cum quæſita non intellexerit, amplius metuat, ſciens diuinum eſſe atque profundum, quicquid mortalibus noſſe fuerit denegatum. Agit vero Heliſæus quæ ſunt dominicæ actionis ſacramenta: Mittit per ſeruum ſuum baculum, quod ſupra exanime corpus poſitum, mortuum vitæ reſtituat. Miſit & dominus per Moyſem ſeruum ſuum legem, quæ mortuum mōdum ſicut ille baculus viuificare non potuit: quia ſi data eſſet lex, quæ poſſet viuificare, vt Apoſtolus dicit, omnino ea lege eſſet iuſtitia: quia *litera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Poſtea ipſe Heliſæus deſcendit magnus ad paruū, ſaluator ad ſaluandum, viuus ad mortuum. Deſcendit & noſter dominus. *Qui deſcendit ipſe eſt & qui aſcendit ſuper omnes cælos, vt adimpleret omnia*, quæ myſtice geſſit Heliſæus. Vt enim mortuum paruulum ſuſcitaret, iuuenilia membra contexit. Ea dominus Ieſus *ſeipſum exinaniuit formam ſerui accipiens*, paruum ſe illi paruo coaptauit, vt efficeret iſtud *corpus humilitatis noſtræ conforme corpori gloriæ ſuæ.* Iacens ſubter ſe frigidum, ſuo calore ſuccendit. Similiter & noſter ſaluator dominus mundum, à cuius *calore non eſt iam qui ſe abſcondat*, inſufflauit ille tertio iacenti, vt trina confeſſio infunderetur credenti. Sic ſuſcitatus eſt mortuus, dum à morte perpetua iuſtificatus eſt impius. Multa & varia ſigna, ſpiritus domini fecit per Heliſæum, ſicut eadem Regum narrat hiſtoria. Quæ omnia perſequi longū eſt. Pauca tamen exequar, cum ſint cuncta ſigna futurorum Chriſto Domino coaptanda, qui per Eſaiam dicit: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, bene Euangelizare pauperibus miſit me, dimittere quaſſatos in requiem, redere captiuis libertatem, & cæcis viſum.* Iordanem Heliſæus eo ſpiritu operante tranſijt quo noſter Dominus Ieſus eundem fluuium ſuo in baptiſmo conſecrauit. Inſultantes ſibi Propheta beſtijs tradidit pueros. Et noſter Ieſus Dominus de paruulis in Paulo dicit: *Nolite pueri effici mentibus.* E quibus quoſdam beſtijs tradidit vt diſcant non blaſphemare. Rex Iſrael ad perimendum Heliam quinquagenos viros tribus vicibus cum tribunis miſit, quos cœleſti incendio Propheta conſumpſit. Dicitur etiam de noſtro Propheta & domino, quod *ignis ante eum ardebit, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Ipſum poſtea regem cum omni exercitu ſe obſidione vallantem, quadam cæcitate percuſſos hoſtes, captiuos in Samariam induxit. Quibus reddito viſu, ſimul & indulgentiam impetrauit. Hæc licet in multis ſignentur, euidentius tamen in Paulo & qui cum eo eccleſiam inſequebantur, dominus oſtendit. Cæcatus quippe proſtratuſq; in via captiuus Dei dum fieret: reddito lumine, qui fuerat perſecutor, factus eſt pdicator.

Margin (right column): 4. Reg. 4. — F — Ioan. 11. — Matt. 24. — Luc. 24. — G — Gal. 3. — 2 Cor. 3. — Aug. serm. 11. de verbis Apo. — Ephes. 4. — Philip. 2. — Philip. 3. — Psalm. 18. — H — Esa. 61. — 4. Reg. 2. — Matt. 3. — 1. Cor. 14. — 4. Reg. 1. — Psalm. 96. — 4. Reg. 6. — Actor. 9.

A
1.Tim.1. Atque in ipſo oſtendit Deus omnem longanimitatem ad
informationem eorum, qui credituri ſint illi in vitam æ-
4.Reg.5. ternam. Item Naaman Syrus amicus regis ad regem Iſrael
directus eſt, vt ab Heliſæo lepræ macula mundaretur.
Quem reſpiciens homo Dei, iuſſit eum in Iordane tingi ſi
vellet corporis ſui maculas auferri. Quod cum faceret,
mundatus eſt. Munera homini Dei offerenda credidit,
quæ iure diuino renuens, gratiam gratis datam noſtri præ-
ſignauit Chriſti domini, quam in Euangelio ſuis diſcipu-
Matt. 10. lis commendauit, dicens: *Gratis accepiſtis, gratis date.* Se-
ptiformi ſpiritu mundari animam à vitijs, quibus interior
exteriorque homo polluitur, aqua etiam ipſa demon-
ſtrat, qua tinguntur conſecrati in nomine patris, & filij,
& ſpiritus ſancti. Giezi vero puer Prophetæ, qui ſecutus
Naaman Syrum compoſito mendacio vendere voluit,
quod Propheta gratis dederat, ea lepræ percuſſus macu-
la, qua ille mundatus fuerat, hæreticorum figuram oſtē-
dit: qui ſuæ rapacitatis cæcitate compulſi, dum venditant
ſuis velut expiationes videlicet peccatorum, ipſi quoque
B maculis, quibus illi fuerant aſperſi, inſigniuntur. Vt me-
Matt.25. rito audiant à domino: *Non noui vos: Diſcedite à me omnes*
Pſalm.6. *qui operati eſtis iniquitatem.*

Prædictio: In Ezechia qua ſuos Chriſtus docet in bono non debere efferri.

Prædictio facta & figurata. In Regum credita & viſa.

CAPVT XXXII.

DVm alternant et reges Iſrael, alij à vijs domini decli-
nantes erroribus implicantur, alij fideliter viam
domini gradiuntur, ad Ezechiam regem ordo perductus
eſt. Hic exterminans omnia ſimulachra, omnemque ido-
4.Reg. 20. lorum culturam ſubuertens, penè totum Iſrael erran-
tem conuertit ad dominum. Huic diuinum datum eſt re-
ſponſum, vt ordinate ac diſponere deberet domum ſuã,
quod ipſe iam iret in mortem. Qui cum flens oraſſet, di-
C cens: *Memento domine quo modo ambulauerim in via tua*: quin-
decim anni ſub hoc ſigno ei adijciuntur ad vitam. Duo-
decim enim gradus ſol, curſu quo aſcenderat, deſcendit.
Quod mirè eueniſſe finitimi dum aduerterent reges, nũ-
tios ad Ezechiam miſerunt, quærentes quidnam illud eſ-
ſet oſtenti. Elatusque in bono non tantum pro ſe factum
narrat, quantum & iactantiæ gratia vniuerſa regalia eis
Eſa.39. domus ſuæ & vaſa oſtendit. Indignatuſque dominus per
Prophetam Eſaiam regem increpat, teſtans venire dies,
quibus illa omnia quæ monſtrauerat, captiua in Babylo-
niam cum populo ducerentur. Nec immerito noſter Rex
Apoc. 3. per Apoſtolum Ioannem in Apocalypſi nos admonet,
dicens: *Tene quod habes, ne quis alius accipiat coronam tuam.* I-
Apoc. 6. tem alibi: *Beatus qui vigilat, & ſeruat veſtimenta ſua, ne nudus*
Matt.6. *ambulet.* Et in Euangelio: *Non ſciat ſiniſtra tua quid faciat*
dextera tua: admonens in bonis operibus, quæ Dei dona
1.Cor.1. ſunt, non eſſe in homine, ſed *in domino gloriandum*: ne quod
humilis accipit, ſuperbus amittat.

Prædictio: In regibus peccantibus, qui ſecum populum in captiuitatem ducunt.

D

Prædictio facta & figurata. In Regum credita & viſa.

CAPVT XXXIII.

4.Reg. 22. REgnante Ioſia, atque Sedechia filio eius, populus
omnis Iſrael vtilia vincula legis, quib. regebatur, ab-
Hier.24. rumpens, multis ex grauibus cauſis totius pietatis autho-
rem Deũ, ad magnam iracundiam prouocauit. Hieremiã
Prophetam ad obiurgandum corrigendumque regem &
populum dominus miſit, prædicens, ſi conuerſi legis mã-
data ſeruarent, ſuo in loco ſemper manere illæſos: ſi ve-
rò monentem contemnerẽt, in Babyloniam ire captiuos.
Spretis igitur & mandantis & prædicantis verbis, dum ma-
lis auſibus rex & populus ſuis peccatis vrgentibus preme-
Hier. 20 rentur, ſententiam diuinam Hieremias plebi iam captæ
& regibus per epiſtolam expreſſit, dicens: Propter pecca- E
ta quæ peccaſtis ante Deum, ducemini in Babyloniam, &
eritis illic per tempus longum vſque ad generationes ſe-
ptem. Rex igitur Nabuchodonoſor, comprehenſis regi- 4.Reg.25.
bus Iuda, totum Iſrael captiuum tranſmigrauit in Baby-
loniam effoſſis oculis in itinere regi Sedechiæ: vt duorum
Prophetarum de eodem rege prædicta implerentur. Hie- Hier.25.
remias dicit, viſurum regem Babyloniam: Ezechiel, non Ezec.12.
viſurum. Qui dum ſibi quaſi contrariare viſi eſſent, hoc
modo vtrumque videtur impletum: cum exemptis ocu-
lis adductus Sedechias Babyloniam & vidit, quia præ-
ſens fuit, & non vidit quia in via oculos perdidit. Admo-
net noſter dominus ſuos huius exemplo, & dicit: *Ambu-* Ioan. 12.
late dum lumen habetis, ne vos tenebræ comprehendant. Contem-
ptores vero mandatorum ſuorum etiam reges cæcos eſſe,
idem dominus in Euangelio dicit: *Cæci ſunt duces cæcorum.* Matt.15.
Cæcus autem dum cæcum ducit, ſimul in foueam cadunt: quæ eſt
dura captiuitas animæ impœnitentis: de qua dicitur, *Dedi*
illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & pœnitere non vult. Sic do- Apoc.2.
nec suppleretur menſura per annos ſeptuaginta, in Baby-
lonia populus ille captiuus fuit. Vaſa ſane omnia templi F
Dei, idem rex Nabuchodonoſor per ſuos arripuit. Væ
peccatis hominum, dum pro his ſacrificia ipſa conculcan-
tur ab exteris, quæ ſemper pro remedijs fuerunt in ſalu-
tem. Quo gemitu, quibus amariſſimis fletibus, qua ani- Thre.1.
mi anguſtia hæc deſcripſerit Hieremias, Threni eius in-
dicant, tabernaculum domini fuiſſe pollutum, diem fe-
ſtum ductum in obliuionem, ſabbata omniaque ſolennia
exterminata: Sacerdotes & principes, paruulos, ſenes,
iuuenes virgineſque ſuas gladium comedıſſe, partem re-
manſiſſe captiuam. En dolorum noſtrorum vlcera, en lu-
ctus noſtri opprobrij, en peccata grãdia, quorum ex cau-
ſis etiam nos hæc videre meruerimus, ampliorèque pœ-
narum plaga quaſi vulnerati curari nolumus: eliſi ſtare
nos credimus, expulſi exiliatique, vt oportuit, non dole-
mus, ſatisfactio nulla, mœſtitia nulla, manet ita, nec ve-
niam poſtulamus. Hæreditas noſtra conuerſa eſt alijs do-
mus noſtræ peregrinis. Sic caſtigati non plangimus, ſic e-
mendati nolumus ſuſcipere diſciplinam. Recedamus à
malis quibus dominum offendimus, pœniteamus in his G
quæ ſacratis eius contumelioſa ingeſſimus. Superbia no-
ſtra humilitate curetur. Collatum tempus remedijs non
ſpernamus, ne is quem placidum mitemq; ſenſimus, ira-
cundiam non pœnitentibus æternam conſtituat pœnalẽ-
que ſententiam. Paratus eſt enim ignoſcere ille dominus Zach.1.
qui dicit: *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos*: Si modo Luc.15.
voces filij cum pœnitẽtia reuertentis pius pater agnoſcat.
In eandem captiuitatem Danielem & Ezechielem narrat Dan.1.
hiſtoria prophetaſſe. Daniel vir deſideriorum (qui Bal-
thaſar à rege nuncupatus eſt) tres viros gentis ſuæ amicos
habuit Ananiam, Azariam, Miſaelem. Omnis verò eius
prophetia myſterijs licet plena ſit, quædam tamen pars e-
ius ita elucet claritate ſui fulgoris, vt etiam tempus ſigna-
uerit, quo venturus eſſet ipſe ſaluator & dominus. Duo-
decim ſane cum ſint propheticæ viſiones eius, in Hebræo Dan 9.
decem reperiuntur. Quas duodecim domino donante
certa cum comparatione percurram. In prima, contra im-
pudicos ſeniores caſtitatem Suſannæ defendit. Hoc agit Dan. 13.
Ieſus dominus, dum aduerſus ſceleratos hæreticos, Eccle-
ſiæ ſuæ integritatem tuetur, quam peruerſis ſuis diſputa-
tionibus vitiare contendunt. Quos etiam per Apoſtolum H
Paulum notat, dicens: *Ex his ſunt qui penetrant domos, & cap-* 2.Tim. 3.
tiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs de- Dan. 1.
ſiderijs. In ſecunda ipſe Daniel ſuiq; amici ſtatuerunt leges
ſuæ mandata ſeruantes, ex cibis menſæ regis, quibus cæ-
teri eorum ſodales veſcebantur, non contaminari. Deſi-
derijs huius mundi non ſolum contaminatus non eſt no-
ſter magiſter & Dominus, verũ etiam ſuos amicos prohi-
buit, dicens: *Nolite diligere mundũ, neq; ea quæ in mundo ſunt.* 1.Ioan.2.
Omne enim quod in mundo eſt concupiſcentia carnis eſt, & concu-
piſcentia oculorum & ambitio ſeculi. Quæ omnia, velut eſcas
illas regias, repudianda oſtendit. Et per Apoſtolum 1.Cor.6.
Paulum euidentius mandans: *Eſca ventri, ait, & venter eſcis.*
Deus autem & hunc, & has euacuabit, vt ſit animæ vnus cibus Dan 2.
ipſe ſaluator, qui ei varios diuerſoſque ſapores exhibeat.

A

In teitia Saetamentum diuinæ diſpoſitionis, quod iegi oſtenſum fuerat. Itaque erat oblatns, nun humana doctrina Daniel qua inſtructus esar, ſed dumino ieuelante, & ſomnium & interpreratiunem ſomnij regi narrauit. Quatuor regna in quatuor metallis, è quib. ſtarua furmara ante faciem eius aderar. Mundu exurgere caput aoreum, ipſum eſſe Babylunicum Orienus: Pectus & brachia eius aigentea, Macedonum Seprentrionis: Venter & femura ærea, Punicum Meridiani: Crura ferrea & digiri pedum partim ferrei, partim fictiles, vltimum Romanum, videlicet Oecidentis: ſicut & vir eruditiſſimus Oroſius hiſtutiographus poſuit. Quod regnum tanquam ferrum comminuit omnia, & domuit. Chriſti quoque iegnum ſubiungir Daniel in lapide abſciſſo de munte ſine manibus concidentium, saoquam ſine manibus complectentium, Deum hominem ex virgine natum. Qui cum illam ſtatuã percuſſiſſes, omnes etus parres redegit io puluerem, eaq; auferens ſpiritus vensi, locus eius inuentus non eſt: ipſum

B

autem lapidem, qui percoſſir ſtatuam, factum eſſe monsem magnum & impleſſe umnem faciem terræ. Vacuatis enim umnibus regnis, regnum Chriſti dumini exurger, quod nulli alteii populo ielinquetus, quoniam permanebit in æternum. Hoc nunc urandu umnis eius petit ec-

Luc. 11.

clesia, cum dicis: *Adueniat regnum tuum.* In quaita, ſtatuam imaginemque ſuam Nabuchodunuſus quam ſtarueras

Dan. 3.

adosandam, com sres prædicti amiet Danielis aduiare noluiſſenr, camino detruſi, illud miiũ diumitas piæbuir, qood fugato incendio ipſius porios miniſtros regiæ iuſſionis vorax flamma conſumpſir. Tses veru viri illæſi, hymnum regi veru dum canerent in mediu camini, ſecum filium Dei habere meiuerunt. Quem reuelante gratia sex ipſe cognouit, qui ſuos veros adoratores, figmenta vaniſſima contemnentes, è flammis præſentis ſeculi ad cœleſtem gloriam perducit triumphaores.

Prædictio: In Daniele, qui Chriſtum dominum ſuis viſionibus enarrauit.

C

Prædictiu facta & figurata. In Daniele credita & viſa.

CAPVT XXXIV.

Dan. 4.

QVinta vero viſiu continet ſomnium eiuſdem regis, quod Daniel ita interpreratus eſt: arborem magnificam quam viderat, ſub cuius ramis omnes beſtiæ, pecora, aueſque habitarent, ipſum eſſe regem: præcidendam veru cum dominus iuſſiſſer, ſeruata duntaxat radice: segnũ eius auferendum ab eu, ipſumque cum beſtijs manſurum. Capillos eius vt mulieris: & vngues eius vt aquilæ creſcere: Fœnum vt bos edere, donec ſeprem diuinitus tempora iuſſa cumpleteritur, dans conſilium regi eleemuſynis ſua peccata redimere debere, quod eum facere negleaiſſer, prædicta umnia segi aduenerunt, ſuppleraque menſura temporum, regnum quod amiſerat recuperauit. Sic præſumptores cæduntur, ſic caſtigantur ſuperbi ab eu, qui

D

Pſalm. 118.
Luc. 22.

pusat in lacbrymis in menſura, quia ſuns iudicia eius ſoaoia. Sic Pesrum Apoſtolum negantem, dum reſpectum flêtem videret, in eum locum reſtiruit, quem præſumptor amiſerat. Sic in ſuis interfectoribus ſacrum eius ſanguinem prupinauir bibendum, qui segiam ſuſciperent dignitarem. Sic quoridie rex noſter lapſus reparat, quibus cullaræ gratiæ cœleſtis regni dunum ſeruat in poſterum.

Dan. 7.

In ſeata ex quaroor ſibi apparentibus beſtijs illius ſupradictæ, quatuor partium urbis regna conſinnat. Quibus quartam beſtiam grandiorem fuiſſe atque terribilem, idẽ Propheta reſtator, habentem cornua decem, ac de mediu eorum corhu alıud patuum aſcendens, tria ex illis ante faciem eius excuſſa ſunt cornua, donec veruſtus dierum ſedit in iudicio. Sed hęc eu mudu ſunt expuſita, quu regna illa quatuor ſibimet ſuccedentia. Beſtia quarta, quæ omnibus regnis eminens, domauit umnem terram, ſobiecitque eam, poſt ipſam vno tempore decem reges exurgẽt: & poſt eos, ille qui nomen perdtnonis ſuæ, id eſt, Antichriſti, portaturus eſt. De quo ſuo loco, vt iam promiſſum eſt, diuina teſtimonia pruferentur. In ſeptima ex ariete & hircu, Perſarum atque Græcorum ſibi prælia reuelata deſcribit. Sub perſuna quoque Antichriſti, qui cor-

E

Dan. 8.

de ſuo dum magnificabitur, dolu currumpet multos, dunec veniat qui venturus eſt Ieſus Duminus, & nun tradabit. In octaus idem vir deſideriorum Daniel, prouidam

Dan. 5.

iuſtitiam Dei iudicantem reges ſuperbos ea iatione inſinuat, qua Balthaſar rex cœnam faciens principibus ſuis, vaſa templi Dei quæ Nabuchodonoſor pates eius abſtulerat ſublara, biberit in eis concubinis principibuſq; ſuis, laudans deus ſuus aoreos & argẽteus, ligneus & lapideus. Statimque in conſpectu eius eaierunt articuli manus hominis, & ſcripſerunt in patiete regis dumus. qua viſione torbatus rex, cum omnes quos habuit curioſos, ſcriprurã legere nequiuiſſent, Daniel accitus, cauſa vaſorum domus Dei id factum fuiſſe regem cõſtanter obiurgans, ſcripruram etiam recitauit, Mane, Therhel, Fares: eamque

F

interpretatus eſt. Mane, Numerauit Deus regnum tuum, & tmpleuit illud. Terhel, Ponderatus es, & inuentus es minus habens. Fares. Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis. Prumiſſa itaque munera quæ Danial abnuesat, cum rea contuliſſet Prophetæ, ſuppleto vitæ curſu, vs prædictum fuerar, segnum reliquit Medis & Perſis. Videant videant ſuperbi reges, qui auſu mentis ſuæ vaſa domus Dei diripientes, quæ iuſtè ille miniſtris peccantibus tradidis, ſine vlla reuerentia cuntrectantes, Deu, cuius numine cuoſecrata ſons, videntur contumelias irrogaſſe. Quorum finis vtrique moss eſt, quæ nun habet finem.

Prædictio in eodem, dum eum de laca leonum eruit, vt Chriſtum dominum à Iudæis:

Prædictiu facta & figurata. In Daniele credita & viſa.

CAPVT XXXV.

G

Dan. 6.

IN oona Darius Medus ſucceſſit in regnum: qoi cum ſatrapas centum viginti ſtatuerer in regno ſuo, tresei propoſitos cunſtituir. Daniel vnus etat ea tribus, grariam habens in oculis regis. Exquiruns inuidi aduerſum Dei ſeruum conſilium, ac regi perſuadent, diebos triginta petitiunem à nullu Deu vel homine, niſi à ſolo rege eſſe poſcendam: In eo pœna interpoſira, quaſi quis præceptum regis cuntemneret, in viuatium miſſus leonibus in eſca daretor. Quod præceptum propoſitum reperiens Prupheta, duminum ſuum tribus temporibus diei ſulitantatione precarus eſt. Detentum vt contumacem, regi offerunt, quem cum eripere inuidis nun valerer, Deo ſuo Propheram ſub hac cunfeſſiune dimiſir, qoa eum de mortis periculu ſulus poſſit eruere. Quod & factum eſt. Ex hac tamen mœſtitia incœnatus rex, dum neque cibum, neq; ſomnum caperet, diluculu ad videndum Danielem ipſe perrexit. Quem viuum illæſumque reſpiciens, Deo vero dans gluriam, educi de lacu præcepit, euſque qui Danie-

H

lem criminati erant, in lacum miſit, & deuorati ſunt continuu in conſpectu eios. In his etiam ſuppleta eſt pruphetia, dicens. *Qui foueam fodit proximo, incidet in eam. Et qui*

Eccl. 27.

ſtatuet laqueum proximo, peribit in illo. Et ipſe noſter Ieſus Dominus, io quo omnia iſta figurata ſurgebans, per pro-

Pſalm. 56.
Pſalm. 7.

pheram dicit: *Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam.* Et iterum: *Miſit dominus miſericordiam ſuam & veritatem ſuam, & liberauit animam meam de medio catulorum leo-*

Dan. 9.
Hier. 29.

num. In Decima: Propinqoante fine temporis ſeptuaginta annusum deſolatiunis Hieruſalem, quam per Hieremiam Prophetam dominus prædixerat: Daniel cum omni fletu & ieiunio orationem fudit pru ſe ac pro delictis populi ſui, miſerationẽ domini implorãs. Oranti Gabriel aſtitit archangelus, eique futura myſteria reuelauit *ſeptuaginta hebdomadas breuiatas eſſe in populo eius, & in ciuitatem ſanctã, vt cõſummarentur peccata, & ſignarẽtur delicta, & vt finiatur iniuſtitia, & adducatur iuſtitia ſẽpiterna. Impleri* quoq; *viſio Prophetarũ, & vngi ſanctũ ſanctorũ ab exitu ſermonis* in reſpõdẽdu.

A *Et iterum ædificabitur Hieruſalem vſq; ad Chriſtum ducem hebdomadæ ſeptem, & hebdomadæ ſexaginta duæ. Et rurſum ædificabitur platea & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdomadas ſeptuaginta duas, interibit chriſma, & iudicium non erit in eo:* vel ſicut Hebræus habet interpres: *Occidetur Chriſtus & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Et ciuitatem & ſanctuarium diſſipauit populus cum duce veniente, & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmauit autem pactũ multis hebdomada vna, & in medio hebdomade deficiet hoſtia & ſacrificium, & in templo erit abominatio deſolationis, & vſque ad conſummationem & finem perſeuerauit deſolatio.* Ad confutandum errorem Iudæorum hæc ſibi reuelata ſcripſit Daniel. Qui ergo expectant adhuc venturum Chriſtum, credituri ſunt Antichriſto. (Ioan 5.) Sic enim eos dominus Ieſus in Euangelio increpat, dicens: *Ego veni in nomine patris mei, & non credidiſtis mihi: alius veniet in nomine ſuo, & ipſi credetis.* Labore ingentiq; magno beatæ memoriæ Hieronymus, per ſupputationes annorum regum Babyloniæ, ſeptuaginta hebdomadas, vſque ad noſtri redemptoris natiuitatem Chriſti domini annos quadringentos nonaginta perduxit, ſeiungens ſeptem in reſtaurationem templi hebdomadas, ſexaginta & duas vſque ad domini natiuitatem, & vſque ad paſſionem ipſius, & vnam vaſtationis quæ facta eſt à Veſpaſiano duce, vel Tito filio eius. B Inimici igitur domini Iudæi fallentes ſemetipſos, cum multiplicia prophetata de Chriſto ad quaſque ſuorum regum perſonas referre contendunt, huic Prophetæ Danieli volentes nolenteſq; colla ſubmittunt: qui non tantum ſigna omnia ſupradicta conſcripſit, quantum etiam tempora ipſa aduẽtus domini deſignauit. Quæ omnia hæc clarius impleta omnis iam mundus agnoſcit. Gloriam igitur Chriſti domini diffuſam in gentibus eiuſque, vt ſcriptum eſt, (Pſal. 65.) *omnem terram adorantem*, Iudæi adhuc credere nolunt, nobiſcum intuẽtes impleta omnia, quæ prædicta ſunt oraculis Prophetarum. (Daniel. 11.) In vndecima eidem Prophetæ reuelata ſunt ſub perſona bellantium regum, ipſius facta Antichriſti, anguſtiæque vltimi temporis, (Eſai. 37.) reſurrectio etiam mortuorum, qualiter impij, qualiter vel ſancti reſurgant. Hæc & Eſaiæ, & C Ezechieli ita oſtenſa ſunt, quemadmodum eorum dicta Euangelica firmat authoritas. In duodecima ſpectaculũ (Daniel. 14) quoddam lætiſſimum, non tantum regi, quantum etiam ſpiritalibus mentibus exhibuit Daniel. Bel quippe idolũ, quod omnes Babylonij ſimul cum rege cultui habebant, magnos regios apparatus velut quotidie comedens, quos ſacerdotes cum ſuis per occultum intrantes oſtium conſumebant: Daniel eorũ fraudes ſubtili arte demonſtrans, ſeri in pauimento templi cinerem ſuis præcepit. Signatis igitur foribus annulo regis in poſterum diem venientibus, non illa ab illo figmento conſumi, virorum ac mulierum impreſſa veſtigia demonſtrarunt. Confeſſione etiam ſacerdotum, occultum eſt illud oſtium proditum, per quod introeuntes omnia deuorabant. Confracto itaque regia iuſſione figmento, draconem, quem ſimul vt diuinum ſuſpiciebant, ſine gladio & fuſte ita peremit Daniel, quẽadmodum ſciebat corruptibilem poſſe corrumpi: Docẽs & oſtendens vnum & ſolum verum Deum eſſe colendũ, relictis vanis ſuperſtitionibus, quib. non tantum Babylonios, D quantum etiam totum mundum ſub poteſtate dæmonum captiuum teneri Propheta cernebat. A quorum dominatu Chriſti Domini gratia liberandum, præconio etiam ſuo futuro tempore deſignauit. Sed quoniam, vt ait quidam, veritas odium parit (vnde & Paulus noſter dicit: (Gal. 4.) *Inimicus factus ſum vobis verum prædicans*) pro munere veræ (Dan. 14.) religionis oſtenſæ, in lacum Babylonij deuorandum Prophetam miſerunt. Nec defuit diuina potentia, quæ & cuſtodiam ſolitam ſuo, & prandium per eius ſocium miniſtraret incluſo. Cuius ob meritum gratiæ, ferales leonum impetus in ouium manſuetudinem commutauit. Educto itaq; Daniele, cum rex miraretur illæſum, inimici eius in eſcam leonum dati ſunt vt perirent. Non ſine ſigno eius domini hæc acta ſunt, qui pro ſuis orat, dicens: (Pſalm. 37.) *Ne tradideris beſtijs animam confitentem tibi. Rugiens* enim ille *leo diabolus*, (1. Pet. 5.) qui *circuit quærens quem deuoret*, inimicos noſtri Prophetæ Chriſti domini quos reperit, accepta poteſtate conſumit.

E

Promiſſio: In Ezechiele, manifeſta reſurrectio per Chriſtum dominum.

Promiſſio facta & figurata.

CAPVT XXXVI.

EZechiel quoq; Propheta inter cætera quæ arcanis recondita ſcripſit, reſurrectionem ſibi oſtenſam, quæ (Ezech. 37.) futura eſt mortuorum, hoc modo initiauit. In campum ſe quendam adductum, qui erat plenus oſſibus mortuorum: Illic potentia verbi Dei vnumquodque os ſuis partibus coniungi, carnes, neruos, cuteſque aſcendere, eiſq; vitales auras infundi eo ſpiritu ipſe vidit, quo nos futurã ſperamus & credimus reſurrectionem. Multa quoque ſub figura regis Tyri de Antichriſto narrans, deſcribit etiam ciuitatem, quæ congregatur in gentibus & lapidibus viuis, Hieruſalem cœleſtem. (Ezec. 28.) F Cuius portam Orientalem clauſam ſemper oſtendit, dicens: *Hæc porta clauſa erit, ſolus* (Ezech. 34.) *princeps ſacerdotum tranſibit per eam, & ipſa clauſa erit principi:* Mariæ virginalem vterum ſignans, quæ ſemper virgo integra protulit ſaluatorem. Solus enim Chriſtus dominus, vt ait beatæ memoriæ Auguſtinus Epiſcopus, per inuiolata matris virginea viſcera, membra infantis eduxit, (Ep. 3. ad Voluſianũ & c. 9. li. 5. contra Iulianum.) qui poſt reſurrectionem per clauſa oſtia membra iuuenis introduxit: Solus peccatum non habens infantilis ætatis exortu, qui peccatum non habuit grandioris ætatis acceſſu, ipſo dicente: *Ecce venit princeps huius mundi, & in me nihil inueniet.* (Ioan. 14. 2. Eſdr. 2.) In hac captiuitate Babyloniæ, etiam Eſdras ſacerdos & propheta fuit, qui gratus in conſpectu regis dum eſſet, & cum flentem rex aſpiceret, qua ex cauſa triſtis eſſet ab eo perquirens, ſolennia regionis ac populi ſui agi ſolere eo tempore firmat, à quibus ſe alienum eſſe docebat. Dat rex eundi licentiam, iubetq; reſtaurari templũ Dei. Veniens quoq; Eſdras ad Hieruſalem zelo legis accenſus, purgandam à vitijs primitus plebem ſtatuit. G Quoniam *rex ſapiens*, vt Propheta dicit, *populi ſtabilimentum eſt.* (Sap. 6.) Reperto itaque libro Moyſi oſtendit inter cætera, etiam hinc iram Dei fuiſſe ſuccenſam, quod contra Dei mandatum ex alienigenis ſibi populus accepiſſet vxores: perſuaſitque cenſura qua valuit, ſuas quiſque cum filijs proijceret mulieres. Nulla itaque tenenti carnali dulcedine, cũ (3. Nee. 9.) ſibi vellent Deum eſſe propitium, incunctanter quæ fuerant imperata fecere, vt populi Chriſtiani figuram oſtenderet, quos admonet & princeps omnium ſacerdotum dicens: *Si quis dimiſerit domum, aut agrum, aut vxorem, aut* (Matth. 19.) *filios cauſa nominis mei, & hic multiplicia accipiet, & vitam æternam conſequetur.*

Prædictio: In Eſdra domus Dei, id eſt, per Chriſtum dominum reſtauratio.

Prædictio facta & figurata. In Eſdra credita & viſa.

H

CAPVT XXXVII.

TEmplum quoque Dei dum reſtauraret Eſdras, inuidia quorundam malorum, qui ſocij fabricæ nec tamen (2. Nee. 6.) ſocij religione eſſe voluerunt, cum eos incircunciſos non ſuſciperet Eſdras, malitioſe regi inſinuantes, ab opere templi ceſſatum eſt vſque ad Cyrum regnantem. Qui (3. Neem. 2. Hier 25. & 29. Eſai. 23.) diuino actus imperio ſuppletis annis ſeptuaginta, quos Hieremias ex ore domini prædixerat, omnem populum ſimulque & vaſa domus Dei ex Babylonica captiuitate ad Hieruſalem dimiſit, adijciens munera rex, è quibus præcepit vt fabrica iungeret templi. Quod ſub Dario cœptum vſque ad perfectionem eius quam Cyrus fieri & iuſſit & iouit, anni euoluti ſunt quadraginta ſex. De quibus Iudæi, domino reſtaurationem ſui corporis promittente ac dicente: *Soluite templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud,* (Ioan. 2.)

A non intelligentes illius dicti ſacramẽtum, dixerunt. *Qua-
dragintа & ſex annis constructum eſt, & quomodo hic dicit: Tri-
duo ſuſcitabo illud?* A Solomone autem ea celeritate cõſtru-
ctum eſt, qui omnia præparante Dauid patre repererat.
Non ergo Solomonis fabricæ emenſa priora Iudæi dixe-
runt, ſed Eſdræ, cui, ne perficeret, fuerat interdictum.
Reparato itaque templo ac muro Hieruſalem, iuxta Da-
nielis tempora conſtituta (quo exorante ſimul cum Za-
charia populus manſit in Hieruſalem) ſeptuaginta hebdo
Cap. 35. madarum vſque ad Chriſti domini natiuitatem, vt ſupra
diximus, tempora concurrerunt. Cuius indulgentia, etiã
nunc animę de captiuitate ſeculi in compunctione cordis
ſuppleta menſura, gratia & miſericordia liberantur. Iucũ-
dantur enim pro illis diebus, quibus ſunt humiliati, quib.
viderunt mala, donec aſpiciat dominus ſuper ſeruos ſuos
Pſalm. 2. & opera ſua. *Seruiamus igitur domino in timore, & exultemus
cum tremore,* quouſq; reducamur ad ciuitatem, quam rex
& ſacerdos noſter reſtaurat Hieruſalem cœleſtem, vt in
templo corporis eius, quod triduo ſuſcitauit, ſacrificium
B laudis iugiter offeramus.

*Prædictio: In eodem, cum in figura eccleſiæ parabo-
lam pandit.*

Prædictio facta & figurata. In Eſdra credita & viſa.

CAPVT XXXVIII.

3. Eſdra 3. REx Babyloniæ Artaxerxes dum ſuos vellet exercere
captiuos, tres elegit prudentes Iudæos, quorum ſen-
tentias Eſdras ſacerdos ſcripſit. Vnus vinum omni rei pręe-
tulit: Alius regem: Tertius Zorobabel mulieres, ac ſuper
omnia veritatem. Qui cum ſuas ſententias protuliſſent,
ſapientior omnib. iudicatus eſt Zorobabel qui mulieres,
ac ſupra omne, veritatem aſtruxerat. Et re vera quid mu-
Geneſ. 3. liere fortius? quæ primum Adam ita illexit virum, vt Dei
præcepta contemneret. Quid fortius muliere? cuius ſpe-
cies omni ſe cupiditate extollit. Quid fortius muliere?
quæ & regiam fortitudinem emollit, & vinum. Quid etiã
C in bono, fortius muliere? quæ credidit integram ſe Chri-
Ioan. 19. ſtum patere veritatem. Quid fortius muliere? quæ fugiẽ-
Marci 16. tibus diſcipulis myſteria ipſius crucis intrepida ac plena
fiducia aſpexit. Quid fortius muliere? quæ prima præ o-
mnibus viris excurrens, videre meruit dominum reſur-
gentem. Quæ cum in typo eccleſiæ hæc Eſdras ſcripſerit,
Heſter 2. ſubſecuta eſt etiã actio figurata. Heſter enim quæ à Mar-
dochæo fuerat in filia educata, dum aulam regiam Mar-
dochæus curaret, à Deo qui exaltat humiles ad regiam
Heſter perducta eſt dignitatem. Hæc cum populum ſuũ,
agente amico regis Aman cauſa Mardochæi, damnatum
intelligeret morti, gladiiſq; eorum ceruicibus immine-
Heſter 9. ret, animam ſuam Heſter pro ſuo populo ponens, inuo-
cato diuino auxilio penetralia regis ingreſſa eſt, quo mu-
lieri non vocatæ accedere non licebat. Quam cum rex
indignatus aſpiceret, illa quoque tacuiſſet: *Conuertit*, dictũ
eſt, *cor eius Deus in lenitatem*, eique rex multa bona promit-
tens, dum eius ſalutem reparare contenderet, ad conui-
Heſter 7. uium cum Aman venturum ſe, vt regina popoſcerat, nõ
negauit. Illic narrans quæ ſecum & cum ſuo populo acta
erãt. Aman eo ligno crucifigi rex ſtatuit, quo Mardochæũ
D idem Aman ſuſpendere ſtatuerat innocentem. Vt qui co-
gitant in me nequiſſima, ſicut ait Propheta, ſuper ipſos
Sap. 27. voluerẽtur. Sic eccleſia ſancta ligno crucis perimit inimi-
cos. Sic ſepto ſuis, periculis huiuſmodi opponit. Sic da-
tis in morte, ſuis laboribus vitam conferendo miniſtrat:
vtpote regina, quæ à ſuo rege ſponſo & domino admone-
Prou. 24. tur, eique dicitur: *Libera eos, qui ducuntur ad mortem: & redi-
me eos qui occiduntur.* Cuius beneficiorum refugia, ipſi quo-
que eius appetunt inimici. Nec impari etiam loco Iudith
ſancta, ordine ſubſequente ponitur, quæ etiam ipſa fi-
Iud. 7. guram ſanctæ eccleſiæ perſonamque ſuſcipiat. Nam cum
dux militiæ regis Babylonis Betulliam Holofernes obſi-
dione cinxiſſet, ſublatiſq; aquis ſiti totam affligeret ciui-
tatem, primores eius in deditionem ſtatuerunt tradere
Iud. 8. Holoferni. Hæc diſponentibus Iudith obſtitit, paucorum
E dierum inducias poſcens. Quibus ieiunijs orationibuſq;
ſupplex regem regum, & dominum dominorum exora-
uit. Exuta igitur veſte viduali, ſeſe omni ex parte, men-
te, corpore, moribuſq; componens, mirabilem cunctis
exhibuit: eo vſa conſilio, quo, cuſtode Deo, credebat
pulchritudine captum hoſtem poſſe perimere, ſuam pu-
dicitiam illo ſeruante, qui dator & cuſtos eſt caſtitatis.
Quæ cum illæſa caput hoſtis afferret, quam viri non va- *Iud. 13.*
luerant, fœmina patriæ reddidit libertatem. Noſtram, vt
diximus, cuius hæc figuram geſtabat, ſi agnoſcas eccleſiã,
vides quemadmodum poſteaquam eius vir Chriſtus do-
minus paſſus reſurgens aſcendit in cœlum, omni mœſti-
tia & veſte viduali depulſa ſit induta pulchritudine ab eo,
de quo in Eſaia Propheta dicit: *Induit me veſtimento ſaluta- Eſa. 61.*
*ris, & ſtola iucunditatis circundedit me, ſicut ſponſam ornatam
monilibus ſuis.* Miſſa eſt enim & hæc in vulnere capitis ini-
micorum, quoniam corpus illius eſt, qui confregit caput
draconis magni. Non pepercit & hæc animæ ſuæ ſicut il-
la, quoniam ipſa eſt quæ dicit per Ioannem Apoſtolum: *1. Ioan. 3.*
Sicut Chriſtus pro nobis animam ſuam poſuit, ita & nos debemus F
pro fratribus animas ponere. Quod feciſſe in ſanctis martyrib.
conſtat, quæ eſt benedicta apud omnipotentem Deum.

*Prædictio: In Tobia, ex piſce Chriſto, & dæmonia fugari, & il-
luminari cæcos.*

Prædictio facta & figurata.

CAPVT XXXIX.

TObias quoque captiuus apud Niniuem fuit, ea reli- *Tob. 1.*
gionis ſuæ patientia præditus, quia ſciebat iram do-
mini æquo animo ſuſtinendam. Dignis operibus confeſ-
ſionibuſq; ſatisfaciens Deo moribus quoque ſanctis filiũ
erudijt. Cui in mandatis dedit neque penuriam pauper- *Tob. 4.*
tatis, neq; labores diuturni exilij formidandos, ſi modo
in mandatis domini perſeuerans diſcederet ab omni ini-
quitate, & bene ageret. Et hæc fulgente iuſtitia interio- *Tob. 2.*
ris luminis itinera dum cæcus corpore, filio recta mon- *Tob. 5.*
ſtraret, Raphael archangelus miſſus à Deo, non tantum G
captiuis ſolatia, quantum etiam beneficia cœleſtia oran-
tibus miniſtrauit: Filio pro recipienda pecunia ducatum
præſtans, filiam Raguelis ei vxorem dedit, à qua Aſmo-
deum dæmonium nequiſſimum expulit, qui illi iam ſeptẽ
occiderat viros. Reductus locuples cum vxore filius; ipſi *Tob. 7.*
quoque Tobiæ ex iecinoribus piſcis, quib. & dæmonem *Tob. 8.*
fugauerat, oculorum maculas auferens, priſtinum red-
didit viſum. Eoſq; monuit ſemper glorificare Deum, &
in bonis operibus permanere. Hic Tobias Chriſtum do-
minum inter cætera præconia ſuæ laudis prophetauit, di-
cens: Nationes multæ de longinquo venient, habitato- *Tob. 14.*
res à nouiſſimis partibus terræ ad nomen domini Dei, &
munera ſua in manibus habentes regi cœlorum offerent
cum lætitia, quod nos nunc videmus impleri. Myſticum
vero actionis huius hoc eſt, quod ex interioribus piſcis &
dæmon fugatus eſt & Tobias illuminatus. Hoc agit piſcis *Luc. 7.*
magnus ex paſſione ſua Chriſtus, purgans Mariam, à qua
expulit ſeptem dæmonia: animæ ſic captæ deſperationẽ *Luc. 11.*
tollens, quam ſeptem ſpiritus nequiores dum vexauerint, H
purgari ſanariq; etiam talem neceſſe eſt per iecinora noſtri
piſcis, ſi pœnitens reuerſa intelligat, quia ex illa ſpiritus
maligni fugentur, eoſque caueat inimicos. Nam ſpiritus
malus, eſt ſpiritus ſuperbiæ: nequior illo ſimulatio humi-
litatis. Spiritus malus, ſpiritus inuidiæ, nequior illo ſimu-
latio charitatis. Spiritus malus, ſpiritus mendacij: nequi-
or illo ſimulatio veritatis. Spiritus malus, ſpiritus luxu-
riæ: nequior illo ſimulatio caſtitatis. Spiritus malus,
ſpiritus auaritiæ: nequior illo ſimulatio miſericordiæ.
Spiritus malus, ſpiritus intemperantiæ: nequior illo ſimu-
latio parcitatis. Spiritus malus, ſpiritus erroris: nequior
illo ſimulatio religionis. His igitur poſſeſſa, cũ ſint poſte-
riora eius deteriora prioribus, piſcis noſtri liberatur medi-
cina: quia *vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*: *Rom. 5.*

A Ioan. 21. Qui tributum pro ſe & pro Petro, & cæcato lumen reddidit Paulo, latitans ex ſeipſo in littore diſcipulos, & toti ſe offerens mundo ἰχθύν. Namque Latinè piſcem ſacris literis, maiores noſtri hoc interpretati ſunt ex Sibyllinis verſibus colligentes, quod eſt Ieſus Chriſtus filius Dei ſaluator, piſcis in ſua paſſione decoctus, cuius ex interiorib. remedijs, quotidie illuminamur, & paſcimur.

Prædictio: In Machabæis, qui & martyria, & ipſum Chriſtum regem natum ſuſceperunt.

Prædictio facta & figurata. In Machabæis credita & viſa.

CAPVT XL.

B Machab. 7. POſt redditam libertatem ex captiuitate Babyloniæ, Machabæi ducatum Hebræo populo præbuerunt. Quorum virtus ita enituit, vt non tantum Macedones & Ptolomæus rex Ægypti, quantum eos ipſi Romani ad amicitiarum fœdera conuocarent. Illic apud Iudæos in quadam parte quam Romani iam cœperant, Antiocho regnante, præclara illa fœmina Machabæorum mater, pro ſpe æternæ vitæ legitimiſque ſuis, ne veritas carnes ſuillas filij ſui tangerent, vno die ſeptem martyres edidit Deo, quos terra contempta non huic mundo, ſed ipſi peperit cœlo: ſuo exemplo nos admonens pereuntia contemnere, appetere ſempiterna, velocius finienda finire, quo poſſent certantes atque vincentes illud apprehendere, quod non habet finem. Sic ipſa ſtatim ſecutura, filios præmiſit ad vitam, quam veram ſciens omniq; metu carentem, ſibi ſuiſq; filijs fideli teſtimonio acquiſiuit. Propter quam & alios in bello mortuos, 2. Mach. 12. *Iudas Machabæus duodecim millia talentorum Hieroſolymam miſit offerre ſacrificium pro mortuis, bene & optime de reſurrectione cogitans.* Hac ea oratione ſancta eccleſia ſuos agit filios quibus contemptũ C mortis inculcans ad veram vitam Chriſtum tranſire compellit; vt ſit ipſa in regno Dei perfecta cum filijs qui ei dicunt: Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* Sane apud Machabæos vltimus dux & Pontifex fuit Hircanus. Nam fratrem eius Ariſtobolum, Pompeius magiſtratus populi Romani dum Hieroſolymam expugnaret, vinctum cum liberis Romam miſit, ſicut Ioſephi narrat hiſtoria: Impleta tamen Iacob patriarchæ prophetia dicentis. Geneſ. 49. *Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius donec veniat cui repoſita ſunt omnia, & ipſe erit expectatio gentium.* Inuenimus quieſcente ordine regum Iuda & Iſrael, vel Leuitico ſacerdotio, cum Herodes rex alienigena Hebræo populo imperauit, ceſſante etiam vnctione, quam Daniel Propheta prædixerat ceſſaturam, ne vnctos reges vel ſacerdotes ſequeretur ille populus, præſertim veniente rege & ſacerdote Chriſto, qui eſt expectatio gentium. Herodes igitur (cuius patrem ex Idumæis, D matrem vero ex Arabia fuiſſe idem Ioſephus dicit) à Cæſare Auguſto attributum ſibi illius gentis, eo tempore ſumpſit imperium, quo Cæſar pacati orbis totius ſub edicto deſcriptionem fieri præcepit. Luc. 2. Itaque eo anno profeſſionis illius quæ facta eſt præſide Syriæ Cirino, natus eſt Chriſtus dominus, in qua deſcriptione venit & Paulus. Act. 22. Sic enim intelligendum eſt quod tribuno Lyſiæ dixit. *Ego autem natus ſum Romanus.* Omnes enim pretio comparabant huius nominis dignitatem. Hic vero Iudæus cum dixit natum ſe eſſe Romanum, clarius oſtendit in illa ſe deſcriptione veniſſe, nato iam præcurſore & præcone domini regis & iudicis, à quo tempus gratiæ ſumpſit initiũ. Huc vſque, iuuante domino, ſub lege figuratas promiſſiones prædictaque, vt datum eſt, colligere valui. Secundum & hic tempus, velut ſecundum diem ea quatuor partibus mundi ſurgentem Prophetarum Patrum, orientali plaga migrante Eſaia, Hieremia, Ezechiele ac Daniele tribus in partibus conſtitutis, duodenario & hic Prophetarum minorum tanquam horarum numero diem ſecundum velut in veſperum concludens, vt tempus tertium manifeſtatæ gratiæ ſimul cum ipſo æterno die, à ſcriptis capitulis, tertia pars libri ſumat initium, Amen. E

FINIS.

DE TEMPORE GRATIÆ PROMISSIONVM DEI, PER S. PROSPERVM AQVITANVM EPISCOPVM RHEGIANSEM,

PARS TERTIA. F

PRAEFATIO.

QVoniam Chriſti Domini gratia rutilante illuſtratus iam mundus eluxit, non iteor adhuc, vt ſupra factum eſt figuratas promiſſiones, ſeu prædicta diſcutiens, huic tertiæ parti prælatis capitulis conſignare. Præſertim, quia lex omnis & Prophetia Chriſtum Dominum ſonuit & eccleſiam. Cuius cœleſtis regis & iudicis aduentum præconia omnium ſpirituum eo ordine nuntiarunt, quo per linguas etiam inimicorum ſuorũ Veritas clamitat. Quia *& dæmones credunt & contremiſcunt*, faſſiq; ſunt præſentem, *Scimus qui ſis, qui aduenisti ante tempus torquere nos.* Iacob. 2. Luc. 4. Quare, iuuante domino placuit huic operi non tantum eorum vaticinia inſerere, qui Dei ſpiritu acti ſunt, quorũ & eorum, qui etiam iniquorum ſpirituum ſeductione decepti, *cognoſcentes Deum, non ſicut Deum glorificauerunt.* Rom. 1. Pauca itaq; de multis expendens, & quædam Sibyllæ vel quorumcũque congrua de Chriſto Domino dicta ſubiungens, primo G in loco Ioannem præconem præcurſoremq; ipſius ſingularis regis, & veri iudicis introducam. Cui teſtimonium ipſa Veritas præbuit, quod *in natis mulierum nemo exurrexit maior Ioanne Baptiſta*, in quo lex omnis & prophetia ceſſauit.

PARTIS TERTIÆ ARGVMENTA.

1 *Promiſſ. De Ioanne Baptiſta præcurſore Chriſti.*
2 *Promiſſ. De cœlo venturi regis & iudicis Chriſti.*
3 *Promiſſ. De verbo Dei & homine.*
4 *Promiſſ. De nato Chriſto ex Virgine.*
5 *Promiſſ. De Chriſto poſito in præſepio.*
6 *Promiſſ. De ſtella ſigno.*
7 *Promiſſ. De pace & ſalute natiuitatis eius.*
8 *Promiſſ. De fuga in Ægyptum.*
9 *Promiſſ. De paruulis pro Chriſto occiſis.*
10 *Promiſſ. De Chriſto, quod in templo ex Eſaia Iudæos conuincit.* H
11 *Promiſſ. De vncto Chriſto per columbam.*
12 *Promiſſ. De electione diſcipulorum.*
13 *Promiſſ. De miraculis Chriſti.*
14 *Promiſſ. De Chriſto, quod mare pedibus ambulauit.*
15 *Promiſſ. De Chriſto, quod populos mirabiliter pauit in eremo*
16 *Promiſſ. De Chriſto, quod portatus aſello eſt.*
17 *Promiſſ. De Chriſto, quod expulit de templo mercatores.*
18 *Promiſſ. De traditore Chriſti oſtenſo.*
19 *Promiſſ. De immutato Ieſu.*
20 *Promiſſ. De Chriſto ſpinis coronato.*
21 *Promiſſ. De Chriſti cruce & vulneribus.*
22 *Promiſſ. De eo, quod inter latrones crucifixus eſt.*
23 *Promiſſ. De veſtimentis ſorte diuiſis.*
24 *Promiſſ. De felle & aceto.*
25 *Promiſſ. De Chriſto lancea in latere percuſſo.*
26 *Promiſſ. De obſcurato Sole in paſſione.*

A

27 *Promiſ. De ſepultura Chriſti Domini.*

28 *Promiſ. De ſanctorū corporibus in morte Domini ſuſcitatis.*

29 *Promiſ. De die tertia reſurrectione.*

30 *Promiſ. De incredulo diſcipulo increpato.*

31 *Promiſ. De aſcenſione Chriſti in cælum, & donis Spiritus S.*

32 *Promiſ. De exortu eccleſiæ.*

33 *Promiſ. De teſtamento, cantico, & homine nouo.*

34 *Promiſ. De martyribus.*

35 *Promiſ. De vocatione gentium.*

36 *Promiſ. De fide regum.*

37 *Promiſ. De iugo legis Chriſti, quod reges, gẽteſq́; acceperunt.*

38 *Promiſ. De ſubuerſione idolorum, atque templorum.*

39 *Promiſ. De menſa Chriſti, generalis regibus & pauperibus.*

40 *Promiſ. De Euangelio omnibus gentibus prædicato & fine.*

B

TEMPVS GRATIÆ.

PROMISSIO I. IMPLETA.

De Ioanne Baptiſta præcurſore Chriſti.

Eſai. 40. ESAIAS Propheta: *Vox, ait, clamantis in eremo, parate viam Domino, rectas facite ſemitas Dei noſtri. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Et erunt tortuoſa in directum, & aſpera in vias planas. Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* Firmat hæc Euangeliſta dicens: *Hoc teſtimonium* (margin: Ioan. 1.) *eſt Ioannis de Chriſto, quando ad eum miſerunt Principes ſacerdotum interrogantes, vtrum ipſe eſſet Chriſtus. Et confeſſus eſt, & non negauit, dicens: Quia non ſum. Qui ei dixerunt: Helias es tu? & dixit, Non. Quis ergo es? aiunt: dic, vt habeamus renuntiare his, qui nos miſerunt. Quid de teipſo dicis? qui dixit, Ego ſum vox clamantis in eremo, parate viam Domino, ſicut dixit Eſaias Propheta.*

C

Teſtatur & Petrus in Actibus Apoſtolorū, dicens: Cum impleretur curſus, Ioannes dicebat: *Quẽ me ſuſpicamini eſſe non ſum ego, ſed ecce venit poſt me, de cuius pedibus nõ ſum dignus ſoluere corrigiam calciamentorũ eius.* Fatetur & Sibylla Erythræa, dicens: Iudicij ſignũ tellus ſudore madeſcet. Iam æquantur campis montes, & cærula Ponti. Seque ipſam exponens adiunxit: Non erit in rebus hominum ſublime vel altum. Quod impletum per Chriſtum Dominum ipſi cognoſcimus & videmus.

(margin: Acts 13. Auguſt. de ciuit. Dei lib. 18. c. 23. videatur pro Sibyllinis dictis, & addit. his.)

PROMIS. II. IMPLETA.

De cælo venturo rege, & iudice Chriſti.

Pſalm. 18. & 144. Pſalm. 46. Eſai. 33. & 19. Matth. 2. DAuid Propheta: *A ſummo cælo, ait, egreſſio eius.* Et iterum: *Regnum tuum, regnum omniũ ſeculorum.* Item: *Ipſe regnauit Dominus ſuper omnes gentes.* Et Eſaias: *Regẽ cũ claritate videbitis.* Item: *Ecce rex tuus, ait, venit ſedens ſuper nubem leuem.* Carnem ſcilicet nullum pondus habentem peccati. Firmat hæc Euangelium Matthæi, dicens: *Magi ab Oriente venerunt dicentes: Vbi eſt qui natus eſt rex Iudæorum?* Teſtatur & Paulus: *Regi*, ait, *ſeculorum.* Et iterum: *Oſtendet beatus & ſolus potens rex regum, & dominus dominorum.* Faterurque Sibylla: E cœlo rex adueniet per ſecla futurus.

D

(margin: 1. Tim. 1. & 6.)

PROMIS. III. IMPLETA.

De verbo Dei & homine.

Pſal. 106. Baruch. 3. DAuid Propheta: *Miſit, ait, verbum ſuum, & ſanauit eos.* Et Hieremias: *Hic Deus noſter, & non eſt alius abſque eo, qui inuenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Iacob electo ſibi, poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Et Abbacuc Propheta: *Ambulauit, ait, verbum, & exijt in campos.* Firmat hæc Ioannes Euangeliſta, dicens: *Verbum caro factũ eſt, & habitauit in nobis.* Teſtatur & Paulus: *Cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Faterurque Sibylla: Scilicet in carnem præſens vt iudicet orbem.

(margin: Abbac. 2. Ioan. 1. Philip. 2.)

E

PROMIS. IIII. IMPLETA.

De nato Chriſto ex virgine.

ESaias Propheta: *Ecce, ait, virgo in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel: quod interpretatum, Nobiſcum Deus.* Firmat hoc Lucas Euangeliſta, dicens: *Miſſus eſt Gabriel Angelus ad Virginem deſponſatam, cui nomen erat Maria,* qui & ingreſſus ſic eam ſalutauit: *Aue,* inquit, *gratia plena dominus tecum.* Et paulò poſt: *Spiritus ſanctus, ait, ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. propterea, quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Teſtatur & Paulus, dicens: *Cum autem venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere:* Hebræam locutionem ſequens, quæ omnes fœminas mulieres nominat. Fatetur & Sibylla: Deum cernent, inquit, incredulus, atq; fidelis. Dicit Maro: Iam noua progenies cœlo demittitur alto: Iam redit & virgo. Redit dixit, quia virgo adhuc Eua mortem intulit mundo: rediens virgo Maria protulit Saluatorem.

(margin: Eſai. 7. Luc. 1. Gal. 4. F Eccl. 4.)

PROMIS. V. IMPLETA.

De Chriſto in præſepi poſito.

Eſai. 1. Abbac. 3. Luc. 2. ESaias Propheta: *Agnouit, ait, bos poſſeſſorem ſuum & aſinus præſepe Domini.* Et Abbacuc. *In medio,* inquit, *duum animalium cognoſceris.* Firmat hæc Lucas Euangeliſta, dicens: *Cum autem impleti ſunt dies Mariæ, peperit filium, & pannis eum inuoluit, & poſuit in præſepe, quoniam non erat locus in diuerſorio.* Et Angelus ad paſtores: *Natus eſt vobis,* ait, *Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid, & hoc vobis ſignum: Inuenietis infantem pannis obuolutum & poſitum in præſepe.* Teſtatur & Paulus, dicens: *Pauper factus eſt cum diues eſſet, vt eius paupertate nos ditaremur.* Fatetur & Sibylla: Cũ iacet incult⁹ denſis cũ veprib. orbis. 2. Cor. 8.

G

PROMIS. VI. IMPLETA.

De ſtellæ ſigno.

BAlaam Propheta ex gentibus: *Orietur,* inquit, *ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael, & confringet omnia regna terræ.* Eſaias Propheta: *Gentium populus, ait, ſedens in tenebris vidit lucẽ magnam.* Et Dauid dixit: *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent.* Item Eſaias: Omnes à Saba venient, ferentes aurum, thus, & lapidem pretioſum, ſalutare Domini bene nuntiabunt. Firmat hęc Matthæus Euangeliſta dicens: *Ecce ſtella quam viderant Magi in Oriente, præibat eos, donec veniens ſtetit ſupra locum, vbi erat puer. Videntes autem ſtellã gauiſi ſunt gaudio magno. Ingreſſi itaq; inuenerunt puerum & matrem eius. Apertiſq; theſauris obtulerunt ei munera: aurũ,* vt regi: *thus,* vt ſacerdoti: *& myrrhã,* pro dominica ſepultura. Teſtatur & Paulus: *Deus,* inquit, *qui dixit de tenebris lumen clareſcere, illuxit in cordibus noſtris ad illuminationẽ gloriæ ſcientiæ eius Chriſti Ieſu.* Faterurq; Sibylla, dicens: Exuret terras ignis, pontumque populumque. Dicit & Maro quædam cõgrua: Stella facem ducens multa cum luce cucurrit. Muneribus cumulant, & ſanctum ſidus adorant.

(margin: Num. 24. Eſai. 9. Pſal. 71. Eſa. 60. Matth. 2. 2. Cor. 4. Aeneid. 2. H)

PROMIS. VII. IMPLETA.

De pace & ſalute natiuitatis eius.

PEr Eſaiam Prophetam: *Datus eſt, ait, nobis filius.* Et paulò poſt: Adducam pacem ſuper principium eius, pax & ſalus illi magna eſt, poteſtatis & pacis eius non erit terminus. Firmat hæc Lucas Euangeliſta dicens: *Continuò facta eſt cum Angelo multitudo exercitus cæleſtis, laudantium & dicentium: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et ipſe: *Pacem meam, ait, do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Teſtatur & Paulus Apoſtolus, dicens: *Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum.* Fatetur & Maro: Pacatumque reget patrijs virtutibus orbem.

(margin: Eſai. 9. Luc. 2. Ioan. 14. Epheſ. 2. Eclog. 4.)

A — *Matt. 21. Luc. 16. Marc. 11. Ioan. 12. Act. 10.*

quòd Ieſus ſederit in pullo aſinæ, eique indumenta ſua populus ſtrauerit. Io hoc facto Ieſus Cornelium oſtendit ex gentibus venientem ad fidem, in quo ſedit gratia vocantis. Quoniam in diſco illo gentes mundatas Petro Dominus oſtendit, credente Cornelio.

PROMIS. XVII. IMPLETA.

De Ieſu, quod de templo Dei pepulit peccatores.

Pſalm. 68.

PEr Dauid Prophetã ipſe dicit: *Comedit me zelus domus tuæ, quoniam obliti ſunt verborum tuorum inimici mei.* Item ibidem. *Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentiam Domini.* Et hęc Euangeliſtæ confirmant: Ieſum Dominum ex flagello reſticulæ pepuliſſe de templo ementes & vendentes columbas, & menſas nummulariorum euertit, dicens: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis eã ſpeluncam latronum.* Teſtatur & Paulus. *Si quis*, inquit, *templum Dei violauerit, violabit illum Deus*: Et iterum, *Scripta autem ſunt hæc ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum obuenit.* In quo etiam amatores pecuniæ notat inter cætera, & proditores, qui, vt columbas, innocentes prodendo diſtrahunt. Hoc eſt etiam illud Maronis: Paulatim ac decolor ætas. Et belli rabies & amor ſucceſſit habendi.

Matt. 20 — B — *1. Corin. 3. 1. Cor. 10.*

PROMIS. XVIII. IMPLETA.

De Chriſto Domino qui ſuũ traditorem oſtendit.

Pſalm 40. Ioan. 13. Pſalm. 54.

PEr Dauid Prophetam ipſe dicit: *Qui edebat panes meos, amplificauit ſuper me calcaneum.* Item ibi: *Egrediebatur*, ait, *foras: & loquebatur in idipſum, aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei, aduerſum me cogitabant mihi mala.* Et iterum: *Si inimicus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique: & ſi is qui oderat me, ſuper me magnum dixiſſet, abſconderem me vtique ab eo. Tu autem homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui ſimul mecũ dulces capiebas cibos.* Et apertiùs: *Traditus ſum*, ait, *& non egrediebar.* Dicit & per Zachariam: *Dederunt mercedem meam triginta argenteos.* Hæc omnes Euangeliſtæ confirmant: quod Ieſus Dominus diſcumbentibus diſcipulis dixerit: *Scitis quia vnus ex vobis tradet me?* Cumq; ſinguli dicerent: *Nunquid ego ſum rabbi?* ait, *Cui intinctam buccellam dedero, ipſe eſt.* Dicente verò Iuda: *Nunquid ego ſum magiſter? ait illi Ieſus: Tu dixiſti. Et continuò cum accepiſſet buccellã, introiuit in eum Satanas.* Et abijt, & exijt foras, vt eum traderet Iudæis. Et iterum abijt Iudas, *& retulit argentum principibus ſacerdotum, dicens: Peccaui tradendo ſanguinem iuſtum.* Teſtatur & Paulus: *Dominus Ieſus*, ait, *ea nocte qua tradebatur, accepit panem*: & cætera quæ vſq; ad traditionem acta ſunt. Faceturque Sibylla: Tradetur, ſontes æterna flamma cremabit.

C — *Zach. 11. Matt. 26. Ioan 13 Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.*

PROMIS. XIX. IMPLETA.

De contumelijs in Ieſum.

D — *Eſai. 50. Thren. 3. Matth. 27. 1. Petr. 2.*

PEr Eſaiam Prophetam: *Ipſe dorſum meum*, ait, *poſui ad flagella, maxillas verò meas ad palmas, faciem verò meam non auerti à fœditate ſputorum.* Et Hieremias dicit: *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobrijs.* Et hęc omnes Euangeliſtæ confirmant: quòd *flagellatũ Ieſum eis* Pilatus *tradidit crucifigendum*: eique palmas & colaphos dabant, dicentes: *Prophetiza nobis Chriſte, quis te percuſſit?* Teſtatur in his & Petrus Apoſtolus dicens: *Chriſtus pro nobis paſſus eſt, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius. Qui cum malediceretur non remaledicebat: cum pateretur, non minabatur: commendabat autem iudicanti ſe iniuſtè.* Fatetur Sibylla alia: In manus, inquit, impiorum poſtea veniet, dabunt Deo alapas manibus inceſtis, & impurato ore expuent venenatos ſputos. Dabit verò ipſe ad verbera ſanctum dorſum, & colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoſcat quod verbum, vel vnde veniat. Quæ omnia impleta in Chriſto Domino, omnis iam mundus agnoſcit.

(∴)

E

PROMIS. XX. IMPLETA.

De Chriſto ſpinis coronato.

Pſalm 31. Matt. 27. Geneſ. 22.

PEr Dauid ipſum. *Conuerſus ſum*, ait, *in ærumna, dum infigeretur ſpina.* Et hoc Euangeliſtæ confirmant: quòd ſpineam coronam impoſuerunt capiti eius: & crucem ſuam portans exijt. Hoc etiam aries ille ſignauit, qui in ſpinis cornibus detentus immolatus eſt pro Iſaac. Fatetur & Sibylla, Vt iñferis loquatur, & corona ſpinea coronetur.

PROMIS. XXI. IMPLETA.

De Chriſti cruce & vulneribus.

Eſai. 53. — F — *Pſal 21. Thre. 4. Hier. 11. Matth 27 1. Petr. 2. 2. Cor 13.*

ESaias Propheta: *Sicut ouis*, ait, *ad victimam ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe, non aperuit os ſuum.* Et iterum: *Pro iniquitate populi mei ductus eſt ad mortem.* Dicit & per Dauid: *Foderunt manus meas & pedes: dinumerauerunt omnia oſſa mea.* Hieremias etiam dicit: Ante faciem noſtram Chriſtus Dominus comprehenſus eſt in corruptionem eorum. Item ipſe. *Venite*, ait, *mittamus lignum in panem eius.* Firmant hæc omnes Euangeliſtæ: quòd venientes ad locũ, qui dicitur Golgotha, quod eſt Caluariæ locus, ibi eum crucifixerunt. Teſtatur in hæc Petrus Apoſtolus dicens: *Peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Dicit & Paulus: *Et ſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit in virtute Dei.*

PROMIS. XXII. IMPLETA.

Quod Chriſtus in medio latronum ſit crucifixus.

Eſa. 53. Ioan 19. — G — *1. Petr 4.*

ESaias Propheta, *inter ſceleratos*, inquit, *deputatus eſt, qui peccatum non fecit, cuius liuore ſanati ſumus omnes.* Firmat hoc Euangelium Ioannis dicens: Cum eo alios duos hinc & inde latrones crucifixerunt, in medio autem Ieſum. Dicit ad hæc Petrus Apoſtolus: *Nemo autem veſtrum patiatur quaſi homicida, aut fur, aut maledicus. Si verò quaſi Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Dominum in hoc nomine.*

PROMIS. XXIII. IMPLETA.

Quod veſtimenta eius diuiſa, & ſortem ſuper tunicam miſerint.

Pſal. 21. Ioan 19. Epheſ. 5. — H

PEr Dauid Prophetam: *Ipſi diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Firmat hæc Ioannes Euangeliſta: *Milites verò*, ait, *crucifigentes Ieſum acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes. Similiter & tunicam, quæ erat deſuper contexta per totum: dixerunt, Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit.* Hanc tunicam vnam eſſe Eccleſiã Catholicam, Apoſtolus Paulus oſtendit, dicens: *Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt eam ſanctificaret, mũdans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ſibi ipſe glorioſam eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi: ſed vt ſit ſancta & immaculata.*

PROMIS. XXIIII. IMPLETA.

De Chriſto, qui felle & aceto potatus eſt.

Pſalm 68 Ioan 19 Pſal. 50. Eclog. 4.

PEr Dauid Prophetam ipſe: *Dederunt*, ait, *in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.* Et hæc omnes Euangeliſtæ confirmant. *Sciens Ieſus*, ait Ioannes, *quia omnia conſummata ſunt, vt impleretur ſcriptura, ait, Sitio. Vas poſitum erat aceto plenum: ſpongiam plenam aceto hyſopum circumponentes obtulerunt ori eius. Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum plenum felle ait: Conſummatum eſt: & inclinato capite tradidit ſpiritum.* Et per Dauid hanc herbam non tacuit, dicens: *Aſperges me hyſopo, & mundabor.* Fatetur & Sibylla: Ad cibum autem, ait, fel, & ad ſitim acetum dederunt, inhoſpitalitatis hanc monſtrabunt menſam. Ad hæc quoque Vergilianum illud reſpondet: Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni, Occidet, tunc enim diabolus victus eſt.

A

PROMIS. XXV. IMPLETA.

De Chriſto, quod lancea percuſſus, & ex latere eius ſanguis & aqua manauit.

Zach. 12. Exod. 12. Thren. 3. Ioan. 19.

ZAcharias Propheta: *Videbūt in quem pupugerunt.* Et iterum in lege dictum eſt. *Os non comminuetur ex eo.* Hieremias verò dicit: *Dabit inſeſſura os ſuum.* Firmant hæc omnes Euangeliſtæ dicente Ioanne. *Ad Ieſum autē cum veniſſent milites, cumque vidiſſent mortuum, non fregerunt eius crura vt latronum, ſed vnus è militibus lancea latus eius aperuit, & cōtinuò exijt ſanguis & aqua.* Teſtatur in his Petrus Apoſtolus: *Scientes,* ait, *quia non auro vel argento redempti eſtis à vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine agni immaculati.* Dicit & Ioannes Apoſtolus: *Tria ſunt quæ teſtimonium dicunt, ſpiritus, ſanguis, & aqua.* Et ſequitur: *Si teſtimonium hominum accepimus, teſtimonium Dei maius eſt.* Fatetur & Sibylla increpans Iudæam gentem: Ipſe enim inſipiens, ait, tuū Deū non intellexiſti, ludentem mortalium ſenſibus, & ſpinis coronaſti, & horridum fel miſcuiſti.

1. Petr. 1. 1. Ioan. 5.

B

PROMIS. XXVI. IMPLETA.

Quòd in Chriſti paſſione Sol Lunaq́; obſcurati ſunt.

Eſaia 24. Ioel 2. Matt. 27. Amos 8. 2. Cor. 3.

ESaias Propheta: *Ante faciem eius, ait, confundetur terra, & mouebitur cœlū, ſol & luna contenebreſcent, & ſydera abſcondent lumen ſuum.* Et hæc Euangeliſtæ dicentes confirmant: Poſtquā crucifixus eſt Ieſus, *tenebræ factæ ſunt per vniuerſam terram à ſexta hora vſq; in nonam.* Et iterum: Poſtquàm emiſit ſpiritum Ieſus, *velū templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque ad deorſum.* Dicit & Paulus Apoſtolus: *Cum cōuerſi fuerint ad Chriſtum, auferetur velamen.* Fatetur & Sibylla: Templi verò velum ſcindetur, & medio die nox erit tenebroſa nymbis in tribus horis.

C

PROMIS. XXVII. IMPLETA.

De ſepultura Chriſti Domini.

Pſal. 87. Pſalm. 15. Matt. 27.

PEr Dauid Prophetam ipſe: *Factus ſum, ait, ſicut homo ſine adiutorio in mortuis liber, ſicut vulnerati dormientes proiecti in monumento.* Item: *Non derelinques animam meam apud inferos, neque dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Hic etiam Matthæus & cæteri Euangeliſtæ teſtantur, quod *Ioſeph ab Arimathia* permittente Pilato, *accepit corpus Ieſu & linteaminibus obuolutū poſuerit in monumento nouo.* Teſtatur & Paulus, dicens Corinthijs: *Tradidi enim vobis in primis quod & accepi, quia Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundū ſcripturas: & quia ſepult⁹ eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundū ſcripturas.* Fatetur & Sibylla: Et morte morietur trib. dieb. ſomno ſuſcepto.

PROMIS. XXVIII. IMPLETA.

Quòd in morte Chriſti ſanctorum corpora ſurrexerunt.

D

Eſaia 26. Matth. 27. Coloſſ. 3. 1. Petr. 4.

ESaias Propheta dicit: *Exurgent mortui, & excitabūtur qui in monumentis ſunt, & exultabunt omnes qui ſunt in terra. Ros enim qui à te eſt, medicina illis eſt.* Hæc firmat Matthæus Euangeliſta, dicens: *Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum dormientium ſurrexerunt. Et exeuntes de monumētis poſt reſurrectionē ipſius, venerunt in ſanctā ciuitatē, & apparuerunt multis.* Dicit & Paulus. *Si cōſurrexiſtis cum Chriſto quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Teſtatur & Petrus Apoſtolus, dicēs: *Ideo & mortuis euāgelizatū eſt.* Fatetur & Sibylla: Tartareūq; chaos monſtrabit terra dehiſcens: Inquirēs tetri portas infringet Auerni. Sāctorū ſed enim cunctæ lux libera carni.

PROMIS. XXIX. IMPLETA.

Quòd tertia die à mortuis reſurrexit.

Oſee 6. Pſalm 56.

OSee Propheta dicit: *Poſt biduum ſanabit nos. Die tertia ſurgemus, & ante lucē paratum eum inueniemus.* Dicit & per Dauid: *Ipſe exurgam ante lucem.* Et ibi: *Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, quaſi potās crapulatus à vino.* Hęc Mattheus & cæteri Euangeliſtæ cōfirmant, quòd veniētes principes ſacerdotū dixerunt Pilato: *Domine rememorati ſumus, quòd ſeductor ille dixerat adhuc viuens, poſt tertiū diē reſurgā. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum.* Dixerat enim eis: *Generatio hæc generatio nequā eſt: ſignū quærit & ſignum non dabitur illi, niſi Ionæ prophetæ. Sicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita oportet & filium hominis in corde terræ eſſe tribus diebus & tribus noctibus. Veſpere autē ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Magdalena & alia Maria videre ſepulchrum. Et ecce terræ motus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem & ſedebat ſuper eum. Erat autē aſpectus eius metuendus, & veſtimenta eius velut nix. A metu autem eius expauerunt cuſtodes & facti ſunt velut mortui. Dixit autem Angelus mulieribus: Nolite timere vos, ſcio enim quod Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis, non eſt hic. Surrexit enim ſicut dixit.* Teſtatur & Paulus Timotheo: *Memor eſto, ait, Chriſtum Ieſum reſurrexiſſe à mortuis ſecundū Euangelium meum.* Et Corinthijs, *Chriſtus, ait, reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientiū.* Quæritur hic, quo modo primitiæ dicatur, cū & ipſe ſuſcitauerit mortuos, & Helias atq; Heliſęus à mortuis excitauerunt? Reſpondetur quòd hi qui ſuſcitati ſunt, denuo mortui, cū ſic dormientibus hodieq; requieſcunt. Chriſtum autem Paulus Apoſtolus dicit ideo primitias dormientium, quia *ſurgens ex mortuis iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur.* Fatetur & Sibylla: Tunc ab inferis regreſſus, ad lucē veniet prim⁹ reſurrectionis principio reuocatis oſtēſo.

E Matth. 27. Matt. 16. Matt. 28. 2. Tim. 2. 1. Cor. 15. F

PROMIS. XXX. IMPLETA.

De incredulis diſcipulis increpatis.

Oſee 11. Geneſ. 49. Marc 16. G Ioan. 20. 1. Ioan. 1. 1. Cor. 15. Eccl. 4.

OSee Propheta dicit: *Sicut leo rugiabit Dominus, quia ipſe rugiet & obſtupeſcent filij aquilarum.* Iuxta illud dictum Iacob, *Aſcendiſti recumbens, dormiſti vt leo.* Firmat hoc Euangelium Marci: *Diſcumbentibus illis, ait, apparuit illis Ieſus, & increpauit incredulitatē eorū & duritiā cordis, quia eis, qui viderant eū reſurrexiſſe, non crediderunt.* Et Thomæ in Ioāne dicit: *Inijce huc digitū tuū, & vide manus meas, & manum tuā mitte in latus meū, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Teſtatur & Ioānes in epiſtola ſua, dicens. *Quod audiuimus, quod vidimus noſtris oculis, et manus noſtræ cōtrectauerunt de verbo vitæ, & vita palam facta eſt nobis.* Et Paulus dicit: *Apparuit Cephæ, poſtea vndecim.* Deinde apparuit plusquā quingentis fratrib. ſimul ex quibus plures manent vſq; adhuc. Item: *Si Chriſtus prædicatur quia reſurrexit à mortuis, quo modo dicunt quidam, in vobis, quia reſurrectio mortuorū non eſt?* Dicit & Maro: Te duce ſi qua manēt ſceleris veſtigia noſtri. Irrita perpetua ſoluent formidine terras.

PROMIS. XXXI. IMPLETA.

De aſcenſione Chriſti in cœlum, & dono Spiritus ſancti.

Pſal. 67. Pſal. 17. H Pſal. 28. & 103. Marc. 16. Luc. 24. Acto. 1. Acto. 2.

DAuid Propheta dicit: *Aſcendit in altum, captiuam duxit captiuitatē, dedit dona hominibus.* Item ipſe: *Aſcendit ſuper Cherubim & volauit, volauit ſuper pennas ventorum.* Et iterum: Domini eſt aſſumptio, & ſancti Iſrael regis noſtri. Itē dicit: *Emitte Spiritum tuum & creabūtur, & renouabis faciē terræ.* Firmant hæc Euangeliſtæ dicente ipſo in Marco: *Signa autem credentes hæc ſubſequētur. In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis.* Et alibi: *Ego,* inquit, *promiſſum patris mei mittā vobis, vos autem ſedete in ciuitate donec induamini virtute ex alto. Et poſtquā hæc locutus eſt, aſcendit in cœlū, & ſedet ad dexterā Dei.* Teſtatur & Actus Apoſtolorum. *Nubes, ait, ſuſcepit eum, & ſublatus eſt à diſcipulis:* Et quo modo contemplantes erant, cū iret in cœlum, *duo viri aſtiterunt eis in albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis intuentes in cœlū? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis, ſic veniet quemadmodum eum vidiſtis euntem in cœlum.* Et iterum: Die antē Pentecoſtes fuerunt omnes diſcipuli eadem animatione ſimul in vno. *Et factus eſt de cœlo ſubitò ſonus, quaſi ferretur flatus vehemens, & impleuit totū illum locum, in quo erant credentes. Et viſæ ſunt illis linguæ diuiſæ quaſi ignis, & inſedit in vnumquenque eorū, & loquebantur varijs linguis, prout ſpiritus dabat eis pronuntiare.* Et iterum: Spiritu S. ait miſſo de cęlo, quē diuitiſſimè effudit ſuper nos, & ſuper oēs credētes.

PRO-

Digitized by Google

A

PROMIS. XXXII. IMPLETA.

De exortu eccleſiæ.

Pſal 112. *Eſai. 54.* DAuid propheta dicit: *Qui habitare facit ſterilem in domo matrem filiorum lætantem.* Et Eſaias: *Lætare, ait, ſterilis, quæ non paris: erumpe, exclama, quæ non parturis: quia multi filij deſertæ magis, quàm eius quæ habet virum.* Et quo modo hæc pariat, in Euangelio Marci ipſe Dominus oſtendit. *Marc 16.* *Ite,* ait diſcipulis, *baptizãtes in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti.* *Ioan. 3.* Item ait: *Si quis non renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit in regnum Dei.* *Actor. 1.* Et in Actibus Apoſtolorum: *Eritis,* inquit, *mihi teſtes in totam Iudæam & Samariam, & vſque in fines terræ.* *1. Petr. 2.* Dicit & Petrus: *Sicut modo geniti infantes rationale & ſine dolo lac concupiſcentes, vt in eo creſcatis in ſalutem.* *1. Cor. 4.* Teſtatur & Paulus: *Si decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres: In Chriſto enim Ieſu per Euangelium ego vos genui.*

B

PROMIS. XXXIII. IMPLETA.

De teſtamento nouo, cantico nouo, homine nouo.

Hier. 31. HIeremias propheta: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus & conſummabo ſuper domum Iſrael & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum, quod dedi patribus eorum* Et paulò pòſt: *Hoc eſt teſtamẽtum, quod diſpono ad eos dans leges meas in mentibus eorum, & in cordibus eorum ſcribã eas, & non docebit vnuſquiſq; fratrem ſuum dicens: Cognoſce Dominũ.* Quia omnes cognoſcent me *a maiore vſq; ad minorem eorum.* *Eſai. 43.* Et per Eſaiam: *Ecce ego noua facio, quæ nunc orientur.* *Eſai. 62.* Et iterum: *Eis verò qui mihi ſeruiunt, nomen nominabitur nouum.* Intelligitur vtique Chriſtianum, quod nomen terras obtinuit. *Pſal. 95.* Dicit & Dauid: *Cantate Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra.* Quis hæc nisi cæcus corde, impleta non videat? Firmat hæc Dominus in Euangelio Matthæi. *Math. 13.* *Omnis,* ait, *ſcriba eruditus in regno Dei, ſimilis eſt viro proferenti de theſauris ſuis noua & vetera.* Et iterũ: *Quod naſcitur de ſpiritu, ſpiritus eſt.* *Ioan. 3.* C Teſtatur & Paulus: *1. Cor. 15.* *Primus,* ait, *homo de terra terrenus: ſecundus homo de cœlo. Quo modo portauimus imaginem terreni, induamus & imaginem eius qui de cœlo eſt.* *Epheſ. 4.* Et iterum: *Renouamini,* ait, *ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, eum qui ſecundum Deum creatus eſt.* *2. Cor. 5.* Item: *Si qua,* ait, *in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt, & ecce facta ſunt noua.* *Ibidem.* Dicit & Maro: Quo ferrea primum Deſinit, ac toto ſurgit gens aurea mundo.

PROMIS. XXXIIII. IMPLETA.

De Martyribus,

Pſalm. 43. PEr Dauid prophetam dicunt: *Propter te morte afficimur tota die, deputati ſumus vt oues occiſionis.* Et iterum: *Dediſti nos tanquam oues ad eſcam.* Item: *Pretioſa in conſpectu Domini, mors ſanctorum eius.* Firmat hæc ipſe in Euangelio, dicens: *Matt. 10.* *Ecce mitto vos ſicut oues in medio luporum.* Et iterum: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, in vitam æternam conſeruabit illã.* D Item: *Tradentur autem à fratribus, cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis: & eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem ſuſtinuerit vſq; in finem, hic ſaluus erit.* *Ioan. 12.* Et in Ioanne: *Niſi,* ait, *granum frumẽti cadens in terra mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructũ affert.* Teſtatur & Ioannes Apoſtolus, dicens: *1. Ioan. 3.* *Sicut Chriſtus pro nobis animã poſuit, ſic & nos debemꝰ pro fratribus animas ponere.* Dicit & Paulus: *Rom. 8.* *Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque angelus, neque principatus, neque præſentia, neque futura* (& concludit) *neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* *Ibidem.* Ad hæc illud Maronis: Permixtoſque, ait, diuis videbit heroas, & ipſe videbitur illis. Decem ſanè perſecutiones à Nerone vſque ad Diocletianum & Maximinianum fuiſſe, Oroſius hiſtoriographus veluti decem plagas Ægyptias, ſcripſit. Alias ſanè quam plures, beatæ memoriæ Auguſtinus ſcriptis ſuis inſeruit. Quas haud procul à nobis & ſenſit & vidit nobiſque memorias ſui martyrij conſecratas tradidit venerandas, etenim & ipſe augmenta eccleſiæ, quę nos videmus impleri.

E

Sanè noſtris temporibus apud Perſas perſecutionem factam nouimus, imperante Arcadio religioſo & Chriſtiano principe: Qui ne traderet ad ſe confugientes Armenios, bellum cum Perſis confecit. Eo ſigno, antè quàm potitus victoria iam coëuntibus prælium militibus, aëriæ cruces in veſtibus paruêre. Vnde etiam victor auream monetam cum eodem ſigno crucis fieri præcepit, quæ in vſu totius orbis & maximè Aſiæ hodieque perſiſtit.

PROMIS. XXXV. IMPLETA.

De vocatione gentium.

Pſal. 49. DAuid dixit: *Deus deorum Dominus locutus eſt, & vocauit terram, A ſolis ortu vſq; ad occaſum.* *Eſa. 52.* Et Eſaias: *Mirabũtur gentes multæ ſuper eũ. & continebunt os ſuum reges. Quibus non eſt nunciatum à Deo, videbunt: & qui nõ audierunt intelligent.* *Eſai. 55.* Item: *virtutes eius in inſulis pronuntiabunt.* *Eſa. 60.* Item Eſaias dicit: *Gentes quæ non nouerunt te, inuocabunt te & populi qui ignorabant te ad te confugient.* F Item ipſe de Apoſtolis: *Qui ſunt hi, qui vt nubes volabunt, adducere filios tuos de terra longinqua?* *Eſa. 39.* Et iterum: *Ecce hi de longinquo venient, hi autem ab Aquilone & mari, hi autem de terra* Perſarum. Et per Dauid dicitur: *Populus quem nõ cognoui, ſeruiuit mihi, in obauditu auris obaudiuit mihi.* Firmat hæc Dominus in Euangelio: *Math. 18.* *Multi,* ait, *ab Oriẽte & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Iſaac, & Iacob in regno patris ſui.* *1. Petr. 2.* Teſtatur & Petrus: *Qui aliquando,* ait, *non populus, nunc autem populus Dei.* *Rom. 9.* Dicit & Paulus: *Vobis dico gentibus, quamdiu quidem ego ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum glorificabo, ſi quo modo ad æmulationem prouocare potero carnem meam, vt ſalnos faciam aliquos ex illis.* Et iterum: *Cæcitas,* ait, *ex parte in Iſrael facta eſt donec plenitudo gentiũ intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret.* *Omnis,* dicit, *qui ſcriptus eſt in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.* *Apoc. 13.*

PROMIS. XXXVI. IMPLETA.

Quod reges Chriſtum in eccleſia perſequentes, ad eam
Humiles adducuntur.

G

Pſalm. 71. IN Dauid Propheta: *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient illi.* *Eſai. 49.* Et Eſaias Propheta: *Gẽtes,* ait, *& reges qui tibi non ſeruierunt, peribunt.* Et iterum: *Ecce,* ait, Dominus, *tollo in gentes manum meam, & in inſulas tollam ſignum meum, & adducent filios tuos in gremio, filias autem tuas ſuper humeros tollent. Et erunt reges nutritores tui, & principes fœminæ eorum pſaltrices tuæ. Et ſuper faciem terræ adorabunt te, & puluerem tuorum pedũ lingent.* Firmat hæc Dominus in Euangelio, dicens: *Matt. 12.* *Luc. 11.* *Regina Auſtri exurget cum generatione hac, & condemnabit eam. Venit enim à finibus terræ audire ſapientiam Solomonis. Et ecce plus quàm Solomon hic.* Ideo plus hic quia ad illum vna, ad iſtum omnia regna venerunt: Sicut nunc nos, qui tanta credidimus, & credimus hæc impleri, & cernimus & vidimus. Fatetur & Sibylla, dicens: Et coram hoc Domino, reges ſiſtentur ad vnum.

PROMIS. XXXVII. IMPLETA.

H

Iugum legis Chriſti etiam reges ſuſcepiſſe.

Pſalm. 2. DAuid propheta dicit: *Nunc reges intelligite omnes, qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cũ tremore. Continete diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta* Et iterum: *In conueniendo populos in vnum, & regna vt ſeruiant Domino.* *Pſal. 101.* Dicit & Solomon: *Sapient. 1.* *Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram.* Firmat hæc Dominus in Euangelio, dicens: *Matth. 11.* *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* *Matth. 7.* Et iterum: *In qua menſura menſi fueritis, in ea remetietur vobis.* *Iacob. 2.* Teſtatur in hæc Iacobus Apoſtolus: *Iudicium,* inquit, *ſine miſericordia illi, qui non fecerit miſericordiam. Superexaltat enim miſericordia iudicio.* Paulus etiam orãdum *pro regibus* cenſet, *& pro his qui in ſublimitatibus ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus.* *1 Tim. 2.* Ad hæc Maro ait: *Aeneid. 6.* Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.

A

PROMIS. XXXVIII. IMPLETA.

De ſubuerſione idolorum, atque templorum.

Deut. 7. & 12. Eſaia 19. Hier. 10. Zach. 13. Pſal. 95. Luc. 11. Matt. 12.

IN lege ſua Dominus per Moyſem dicit: *Aras eorum ſubuertetis, & lucos eorum ſuccidetis, & ſculptilia eorum igni concremabitis.* Et Eſaias Propheta: *Fugient omnia manufacta Aegypti.* Item: *Abſcondent deos ſuos in ſpeluncis & cauernis petrarum, neque ibi celabunt eos.* Hieremias etiam dicit: *Dij qui cœlum & terram non fecerunt, pereant de ſub cœlo & terra.* Et per Zachariam Dominus dicit: *Perdam nomina idolorũ de terra.* Dauid quoq; dicit: *Omnes dij dæmonia.* Hæc Dominus in Euãgelio Lucæ firmat, dicens: *Omne regnum diuiſum in ſemetipſum deſolabitur.* Et: *Si Sathanas in ſemetipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub ejicere me demonia. Quòd ſi ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij veſtri in quo expellunt? Propterea ipſi iudices erunt veſtri.* Teſtatur & Paulus, dicẽs: *Scimus quia nihil eſt idolum in hoc mũdo, & quia nullus Deus, niſi vnus.* Fatetur & Sibylla: Rejicient ſimulachra viri, cunctam quoque gazam. Multa igitur hæc, quæ de Chriſtu dicta, & de Chriſto acta ſunt, nos credimus, quę ante nos populus videns iſta credidit, quæ nos videmus impleri. Namque vt de noſtris temporibus aliquid dicam: Conſtantino Chriſtiano Imperatore regnante, & ſchiſma Donatianum cõfutatum eſt ex iudicio, & Arrius eſt diuina authoritate punitus. Theodoſij verò religioſi principis imperio, per Iouium & Gaudentium comites omnia templa expoliata, quæ vana figmenta, quis noſtrum permittitur ignorare? Cui Symmachus ille, mirabili eloquio & ſcientia præditus, tamen paganus, præconio laudum in conſiſtorio recitato, ſubtili arte qua valuit, aram Victoriæ in ſenatu reſtitui, Chriſtiano, vt nouerat principi, intimauit. Quem ſtatim à ſuis aſpectibus pulſum, in centeſimo lapide, rhedæ non ſtratæ impoſitum ea die, manere præcepit. Eutropius quoque, præpotens plurimum anima & mente paganus, cum in contumeliam eccleſiæ edictum obreptitiè ab Arcadio Chriſtiano Imperatore ſculperet, vt ſi quis ad eam confugeret, etiam ab altari ſublatus pœnas lueret ampliores, diuino iudicio ſuæ ſententiæ prior ipſe propinatus eſt. Offenſam quippe prædicti regis incurrens, ad eius refugium, quam oderat conuolauit. Quem ſancta mater pietatis gremio ſuum excepit inimicum. Qui per venerabilem ſacerdotem Ioannem impetrans veniam, oſori & ſuperbo vitam contulit & ſalutem. Eius exemplo cunctos admonens inimicos, vanum eis eſſe *contra ſtimulum calcitrare.* Honorius etiam Theodoſij minor filius Chriſtiana religione ac deuotione præditus, templa omnia cum ſuis adiacentibus ſpatijs, eccleſijs contulit, ſimulque eorum ſimulachra confringenda in poteſtatem dedit. Quæ verò eodem imperante in hac Dei promiſſione acta ſint, quantum memoriam gratia diuina iuuent, duo vel tria loca memoriter ac breuiter excurram. Apud Alexandriam in templo Serapis hoc argumentorum dęmonis fuit. Quadriga ferrea nulla baſi ſuffulta, nullis vncis infixis parietibus colligata, in aëre pendens, cunctis ſtuporem, ac velut diuinum ſubſidium oculis mortalium exhibebat. Quam tamen lapis magnes, qui ferrum ſibimet attributum ſuſpendit, eo loco cameræ affixus, totam illam machinam ſuſtentabat. Itaque cum quidam Dei ſeruus inſpiratus intellexiſſet, magnetem ſtatim vt cameræ ſubtraxit, omne illud oſtentum cadens confractum comminutumque, oſtendit diuinum non eſſe, quod mortalis homo firmauerat. Apud vrbem Romam ſpecus quidam fuit, in quo draco miræ magnitudinis mechanica arte formatus, gladium ore geſtans, oculis rutilantibus, gemmis metuendus ac terribilis apparebat. Huic annuè deuotæ virgines floribus exornatæ, eo modo in ſacrificio dabantur: quatenus inſciæ munera deferentes, gradum ſcalæ (quo tota illa diaboli arte draco pendebat) contingentes, impetus venientis gladij perimeret, vt ſanguinem funderet innocentem. Et hunc quidam monachus bene ob meritum cognitus Stiliconi tunc patritio, eo modo ſubuertit. Baculo, manu ſingulos gradus palpando, inſpiciens, ſtatim vt illum tangens fraudem diabolicam reſpexit, eo tranſgreſſo deſcendens, draconem ſcidit miſitque per partes: oſtendens & hic, Deos non eſſe qui manu fiunt. Apud Aphricam Carthagini Cœleſtis inneſſe ferebant templum nimis amplum omnium Deorum ſuorum ædibus vallatum. Cuius platea lithoſtrata, pauimento ac pretioſis columnis & mœnibus decorata, prope in duobus ferè millibus paſſuum protendebatur. Cum diutius clauſum incuria, ſpinoſa virgulta circumſeptum ubi uerent, velletque populus Chriſtianus vſui veræ religionis vindicare, dracones aſpideſque illic eſſe ob cuſtodiam templi, gentilis populus clamitabat. Quo magis Chriſtiani feruore ſuccenſi, ea facilitate omnia amouerunt illæſi, qua templum ſuo vero cœleſti regi & Domino conſecrarent. Nam cùm ſancta Paſchæ ſolennis ageretur feſtiuitas, collecta illic & vndique omni curioſitate etiam adueniens multitudo ſacerdotum multorum, pater & dignæ memoriæ nominandus antiſtes Aurelius, cœleſtis iam patriæ ciuis, cathedram illic loco Cœleſtis & habuit, & ſedit. Ipſe tunc aderam cum ſocijs & amicis, atque (vt ſe adoleſcentum ætas impatiens circumquaque vertebat) dum curioſi ſingula quæque pro magnitudine inſpicimus, mirum quoddam & incredibile noſtro ſe ingeſſit aſpectui, titulus æneis grandioribuſque literis in frontiſpicio templi conſcriptus, Aurelius pontifex dedicauit. Hunc legentes populi mirabantur. Præſago tunc ſpiritu acta, quæ præſcius Dei ordo certo iſto fine concluſerat. Cumque à quodam pagano falſum vaticinium, velut eiuſdem Cœleſtis proferretur, quo rurſum & via, & templa priſco ſacrorum ritui redderetur, ille ille, inquam verus Deus, cuius prophetica vaticinia neſciunt omnino mentiri nec fallere, ſub Conſtantio & auguſta Placida, quorum nunc filius Valentinus pius & Chriſtianus imperat, Vrſo inſiſtente tribuno, omnia illa templa ad ſolum vſque perducta, agrum reliquit in ſepulturam ſcilicet mortuorum: ipſamque viam ſine memoria ſui, nunc Vandalica manus euertit. Noui quoque ipſe in quadam parte Mauritaniæ Prouinciæ de ſpecubus & cauernis ita ann qua producta ſimulachra, quæ fuerant abſconſa, vt omnis illa cum clericis in ſacrilegio periurij ciuitas teneretur. Quod verò per cæteras prouincias in re hac actũ ſit, & omnibus notum eſt, & exitus ipſi demonſtrant. Doluit hæc futura Hermes Triſmegiſtus: & mœrens inter cætera ſcripſit, dicens: Tunc terra iſta ſanctiſſima ſedes delubrorum atque templorum, mortuorum erit cadauerumque pleniſſima futura. At ſpiritus Dei antè prædixit: ſpiritus etiam dæmonum confitendo tacere nequiuerunt, & maximè qui ipſi dixerant Domino: *Quid veniſti ante tempus perdere nos?* Hæc tanta Deorum illa turba certorum atque incertorum quos Varro prodit, dij etiam proceres & electi dij cum ipſo rege ſuo Ioue fulmina vibrante, conſilio potentiaque (vt eorum cultores ferunt) metuendi atroſque terribiles, hic hîc aliquid, ſi nõ pro mundo, ſaltem pro ſe oportebat agere, ne ſcilicet vnus eos perderet crucifixus. Perijſſe verò & nos nouimus, & Dauid Propheta confirmat, dicens: *Perijt memoria eorum cum ſtrepitu, & Dominus in æternum manet.*

B 1. Cor. 8. — C — Acto 14. — D — E — F — Nota tempus quo hos libr. ſcripſit. — G — Marc. 1. — H Pſal. 9.

PROMIS. XXXIX. IMPLETA.

Reges, & mediocres, ad vnam Chriſti menſam pariter conuenturos.

Eſaia 11. Pſal. 47. Sapient 6.

ESaias Propheta: *Tunc, ait, vnà paſcent ſimul lupus cum agno, & pardus acquieſcet hædo, & bos, & leo, & agnus ſimul manducabunt paleas, & puer puſillus paſcet eos.* Et Dauid dicit: *Quoniam ecce reges terræ collecti ſunt, & conuenerunt in vnum, ipſi videntes ita admirati ſunt.* Item ipſe: *Quis eſt, ait, qualis Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit. Qui erigit à terra inopem, & de ſtercore exaltat pauperem. Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui?* Dicit & Solomon: *puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi pro omnibus.* Et iterum: *Sapientia, ait, fabricauit ſibi*

domum

A

domum & ſubdidit columnas ſeptem, mactauit ſuas hoſtias, miſcuit in cratere vinum ſuum, & parauit ſuam menſam, miſit ſeruos ſuos conuocans, & dicens. Venite, edite de meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis. Firmat hæc dominus in Euangelio, in cœna illa quam diues ipſe magnus parauit filio

Luca 14.

ſuo. *Miſit*, ait, *ſeruos, vt venirent inuitati, & excuſauerunt* hoc modo. *Vnus dixit: Villam emi, eo videre illam, habe me excuſatum. Alius dixit: Quinque iuga boum emi. Alius dixit: Vxorem duxi.*

1. Ioan. 2.

In his tribus excuſationibus *concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſeculi.* Quibus detenti Iudæi, vocati ad cœnam Chriſti venire noluerunt. *Ite*, ait, paterfamilias, *circa plateas & vicos, & quos inueneritis adducite.* Ex his adductæ ſunt gentes. *Adhuc*, inquit, *locus* vacuus *eſt: ite*, ait, *circa ſepes ac vias, & quos inueneritis cogite intrare.* Et ex his diuites, reges, & quoſdam hæreticos (quos habet extra ouile ſuum) coactos adducit ille qui dicit.

Ioan. 6.

Nemo venit ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum. Etiam venientibus dicit: *Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam, & ego ſuſcitabo illum in nouiſſimo die.* Qui verò iſti ſunt, Paulus Apoſtolus oſtendit:

Gal. 3.

B

Non eſt, inquit, *Iudæus neque græcus, non eſt ſeruus neque liber, non eſt maſculus & fœmina. Omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu.* Huic etiam capitulo, quæ ſuprà poſuimus, verba Sibyllæ conueniunt dicentis: Deiecit colles, valles extollet ab imo. Non erit in rebus hominum ſublime vel

Loco citato.

altum. Cui conſonans Maro dicit: Nec magnos metuent armenta leones.

PROMIS. XL. IMPLETA.

Quòd quum omnes crediderint gentes, veniet finis.

Eſa. 41.
Malac. 1.

ESaias Propheta: *Adorabunt*, inquit, *eum de locis ſuis omnes inſulæ gentium.* Et per Malachiam Prophetam: *A ſolis ortu vſque ad occaſum clarum erit nomen meum in gentibus, dicit dominus. Et ſacrificium mundum inferetur nomini meo in omni loco.*

Eſa. 11.

Item Eſaias: *Quia repleta eſt terra vt cognoſcat Deum quaſi aqua multa tegens mare.* Firmat hæc Dominus in euangelio Matthæi, dicens:

Matt. 24.

C

Et prædicabitur euangelium hoc in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. De fine mundi

Agge. 2.

per Aggeum Prophetam hæc ſigna data ſunt: *Ecce ego, dicit Dominus, ſemel adhuc commouebo cœlum ac terram*, & ponam orbem terræ deſertum & ciuitates, ita vt non habitentur. Et Abacuc dicit: Conſummatio in impios veniet.

Abac. 3.

Et iterum: *Ficus*, ait, *non dabit fructum ſuum, & non erunt naſcentia in eis. Mentietur opus oliuæ & campi non afferent eſcas. Deficient ab eſca oues, & non erunt in præſepibus boues. Ego autem*, ait, *exultabo in domino.* Ipſi quoque ſapientes mundi in hæc atteſtati ſunt, vt eſt illud Salluſtij. Neceſſe eſt vt omnia orta occidant, & aucta ſeneſcant. Academici etiam noui, omnia vergentia incerta eſſe putauerunt. Et Plato: Si initium mundo dedit, dedit & finem, Vnde & alius dicit, Quid eſt hoc? iſtud in quo eſt aliquid extremum. Quæ dominus ipſe rerum omnium dans ſigna confirmat:

Luca 21.
1. Ioan. 2.

Cum videritis hæc omnia, ſcitote quoniam in proximo eſt finis. Dicit & Ioannes Apoſtolus: *Mundus tranſibit & concupiſcētia eius.* Extrema autem futura, dimidium temporis quod

D

ſubſequitur connexis capitulis demonſtrabit: vt hoc tertium tempus, tanquam tertium diem, ex quatuor Euangeliſtis velut cardinibus mundi ſurgentem, orientali radio migrante Ioanne Euangeliſta, Matthæo, Marco, Luca tribus in partibus conſtitutis, & in duodenario diſcipulorum horarum numero, veſperum quo paſſus eſt dominus concludamus: vt ipſe Deus qui à mortuis reſurrexit, cum æternus venerit in maieſtate, æternos nos faciat ſecum viuere, ſemperque Deum donet ſine fide laudare.

(∴)

Finis Tertiæ Partis, de Tempore ſub Gratia.

E

DIMIDIVM TEMPORIS, AD CVIVS FINEM IMPLENDÆ SVNT VISIONES IN SCRIPTVRIS ſanctis factæ de Antichriſto.

PROLOGVS.

IN hoc dimidium temporis, finem mundi, & ſigna quæ futura ſunt, ipſiuſque Antichriſti facta, ſuperbiam eius, breuiſque temporis poteſtatem, domino donante, & operante eius gratia, aſſcriptis capitulis ex diuinis teſtimo-

F

nijs probanda ſuſcepimus, oſtendentes ſanè priùs ac demonſtrantes quid fuerit, qui nunc diabolus dicitur, qualiſve ab autore bonorum omnium formatus ſit, tum etiam lapſus eius ruinam & finem, ex omni Prophetiæ, vel noui teſtamenti autoritate breuiter intimabo: ne ſint faſtidio, ſi cuncta fuerint huic operi aſcripta.

Dimidii Temporis Capita.

1 *Præd. De angelo per ſuperbiam effecto diabolo.*
2 *Præd. De elatione eius.*
3 *Præd. De præcipitio eius, & aereo carcere.*
4 *Præd. De diabolo ligato, & miſſo in abyſſum.*
5 *Præd. De myſterijs iniquitatis, quæ diabolus agit per ſuos.*
6 *Præd. De ſignis Antichriſti.*
7 *Præd. De muliere & beſtia, qua portatur.*
8 *Præd. De decem regibus.*
9 *Præd. De moribus Antichriſti.*
10 *Præd. De perſecutionibus eius.*
11 *Præd. De ſuperbia Antichriſti.*
12 *Præd. De Antichriſto commincendo, quòd Chriſtus non ſit.*
13 *Præd. De miſſione Heliæ & Enoch.*
14 *Præd. De veſtimento Chriſti.*
15 *Præd. De paſſione Heliæ, & Enoch.*
16 *Prom. De eorum reſurrectione.*
17 *Præd. De aduentu filij Dei, & hominis.*
18 *Prom. De reſurrectione carnis.*
19 *Prom. De iudicio Chriſti Domini.*
20 *Prom. De igni purificatorio.*

G

DIMIDIVM TEMPORIS.

H

Quomodo creatus eſt angelus, qui per ſuperbiam diabolus factus eſt.

Prædictio impleta.

CAPVT I.

PER Ezechielem dicit de eo Dominus: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, in paradiſo Dei tui fuiſti. Omnis lapis pretioſus operimentum tuum, in medio lapidum igneorum ambulaſti, perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas tua.* *Ezech. 28.* Et Eſaias: *Quomodo*, ait, *cecidit Lucifer, qui manè oriebatur?* *Eſa. 14.* Firmat hæc dominus in Euangelio: *Vos*, ait Iudæis, *à patre diabolo eſtis. Ille enim homicida fuit ab initio, & in veritate non ſtetit.* *Ioan. 8.* In veritate factus

A eſt in qua non ſtetit, quia ſubditus creatori eſſe noluit: cuius potentiam nec malus euaſit.

Qua elatione ceciderit diabolus.

Prædictio impleta.

CAPVT II.

Eſa. 14. ESaias Propheta de eo: *Dicebat, ait, in corde ſuo. In cælum aſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ero ſimilis Altiſſimo.* Et in Ezechiele: *Eleuatum eſt,* ait, *cor tuum in decore tuo, perdidiſti omnem ſapientiam.* *Ezech. 28.* *Ioan. 12.* *Nunc,* ait, *iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi miſſus eſt deorſum.* *2. Pet. 2.* Teſtatur & Petrus Apoſtolus in epiſtola ad gentes. *Deus enim,* ait, *angelis peccantibus non pepercit:* parcit tamen peccantibus hominibus, quia homo diabolo ſeducente peccauit, ille verò ſeipſum peccando ſeduxit.

Quo fuerit præcipitatus diabolus.

B

Prædictio impleta.

CAPVT III.

Eſa. 14. ESaias Propheta: *Veruntamen, ait, in infernum demergeris, in profundum laci.* Et paulò pòſt: *Tu autem proiectus es de ſepulchro tuo, quaſi ſtirps inutilis.* *Ezech. 28.* Et per Ezechielem dominus de eo: *In terram proieci te, ante faciem regum dedi te, vt cernerent te & multitudinem iniquitatum tuarum. Et iniquitate negotiationis tuæ perdidiſti ſanctificationem tuam.* Firmat hæc *Luca 10.* *Matth. 4.* dominus in Euangelio dicens. *Videbam Sathanam ſicut fulgur de cælo cadentem.* Tunc enim amplius cecidit, quando ſe ab eo Ieſus tentare permiſit: oſtendens nequitias ſeductionis eius, & docens ſuos quemadmodum debeant reſiſtere tentatori. *2. Pet. 2.* Dicit & Petrus Apoſtolus: *Carceribus caliginis inferi retrudens, tradidit in iudicio puniendos ſeruari.* Et *Apoc. 12.* in Apocalypſi Ioannis dicitur: *Miſſus eſt draco ille magnus,* C *ille ſerpens antiquus qui vocatur diabolus & Satanas, qui ſeducit totum orbem terræ, & præcipitatus eſt in terram, & angeli eius cum eo miſſi ſunt* tumoſam eius ſuperbiam ſequentes. *Væ* dictum eſt *terræ & mari, quoniam deſcendit diabolus ad vos, iram magnam habens, ſciens quia breue tempus habet* in negotiatione ſeductionis ſuæ. Quæ egerit decipiendo elatos & cupidos, ſuperiores partes huius libri continent. Nunc verò in breui, id eſt, in fine temporis, quæ futuræ ſint eius fallaciæ, ſignis, vt dictum eſt, præcurrentibus exequamur.

De diabolo ligato, & miſſo in abyſſum.

Prædictio impleta,

CAPVT IV.

Pſal. 103. DAuid Propheta dicit: *Draconem quem finxiſti ad illudendum ei.* D Et iterum: *Tu contriuiſti capita draconum ſuper aquas, tu confregiſti caput draconis magni, & dediſti eum eſcã populis Aethiopibus.* *Iob. 40.* Et in libro Iob dicitur: Hoc eſt initium figmenti domini quod fecit, vt illudatur ab angelis eius. *Luca 8.* Firmat euangeliſta, dicens: *Rogabant Ieſum dæmonia, ne eos mitteret in abyſſum.* Et alibi: *Dixit Ieſus diſcipulis ſuis, Ecce, dedi vobis poteſtatem calcandi ſerpentes & ſcorpiones, & non vobis nocebunt.* *Matth. 12.* Item dominus: *Nemo, ait, intrat in domum fortis, vt vaſa domus eius diripiat, niſi prius alligauerit fortem.* Super hæc *Apoc. 20.* teſtatur Apocalypſis Ioannis: *Vidi, ait, angelum deſcendentem de cælo, habentem cathedram magnam in manu ſua, & apprehendit draconem illum magnum, illum ſerpentem antiquum, qui vocatur diabolus & Sathanas, & alligauit eum mille annis, & miſit in Abyſſum. Et clauſit, & ſignauit ſuper eum, ne vltra ſeduceret nationes, donec finiantur mille anni, poſt hæc oportet eum ſolui in breui tempore.* Hic expoſitur quod in eodem libro dictum eſt. Gog & Magog verba Hebræa, quæ Latine Tectum & Detectum dicuntur. Vt ſic accipiamus tectũ, quod in abyſſum miſſus ſit diabolus clauſam ſignatamque ſuper eum; detectum verò, quia oportet eum ſolui & produci in breui tempore. Mille verò anni, aut à parte totum accipiendi ſunt, (vt Petrus dicit Apoſtolus: *Vnus* *2. Pet. 3.* *dies enim domino, ſicut mille anni: & mille anni ſicut dies vnus*) *Dan. 9.* aut ab exitu ſermonis, quando à Daniele ſeptuaginta hebdomadæ taxatæ ſunt futuræ vſque ad Chriſtum ducem. Nam tunc eſt bellum factum, vt Michael & angeli eius pugnarent cum dracone, & Danieli angelus oſtendit dicens: *Miſſum ſe eſſe vt pugnaret cum principe regni Perſarum: & non eſt,* ait, *qui me adiuuet niſi Michael princeps veſter.* *Dan. 10.* In quo bello diabolus victus eſt & principatus eius, ſicut eidem prophetæ in initio, ita Ioanni in fine temporis oſtenſum eſt. Vt illi quadringenti nonaginta anni, & hi qui excurrunt ab aduentu ſaluatoris vſque in ſolutionem eiuſdem diaboli, concludant mille annos, in quibus ligatus eſt diabolus ne vltra ſeduceret nationes, quas antè poſſederat in idololatrijs. Quanta autem virtute vt ait beatæ memoriæ Auguſtinus, pollebunt tunc ſancti, qui luctaturi ſunt cum diabolo ſoluto, cum quo ligato tantis periculis dimicatur? *Iam enim,* vt Paulus dicit, *myſteria iniquitatis operatur.* Sed quæ ſint eius myſteria, iuuante domino, ſubter adnexis capitulis continetur. *De ci... Dc... 10. ... 2. ... 2.* F

Quomodo per omnes ſuos diabolus myſteria iniquitatis operatur.

Prædictio impleta.

CAPVT V.

Apoc. 19. APocalypſis Ioannis dicit: *Apprehenſa eſt beſtia cum illo pſeudopropheta qui fecerat ſigna, quibus ſignis ſeduxit eos, qui acceperunt ſcriptionem beſtiæ,* in fronte & in manu ſua. Inſcriptio in fronte & in manu hæc eſt, non tantum diaboli facta imitari, quantum & gloriari in eius malis operibus, vt ſub figura Chriſti Antichriſti facta exerceant. Quos etiam dominus Ieſus in euangelio teſtatus eſt, di- *Mar. 13.* cens: *Multi venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus: &* G *multos ſeducent, nolite ire poſt eos.* Et Apoſtolus Ioannes: *Au-* *1. Ioan. 2.* *diſtis,* ait, *quia Antichriſtus venit: nunc multi Antichriſti facti ſunt.* Et qui iſti ſunt, oſtendit. *Ex nobis,* inquit, *exierunt, ſed non erant ex nobis. Si enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum.* Hæreticos omnes oſtendit, & maximè Arrianos, quos nunc videmus multos ſeducere, aut potentia temporali, aut induſtria mali, aut certè abſtinentia parcitatis, vel quorumlibet ſignorum deceptione. Dicente Apo- *2 Cor. 11.* ſtolo: *Ipſe enim Sathanas transfigurat ſe velut angelum lucis. Non ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurantur, ſicut miniſtri iuſtitiæ: quorum fines ſecundum operationem ipſorum,* cùm eis dixerit dominus iactantibus ſe in mirabilibus: *Non noui* *Matth. 7.* *Pſal. 6.* *vos. Diſcedite a me omnes qui operati eſtis iniquitatem,* tanquam veſtem Chriſti, tanquam retia piſcantium Apoſtolorum lacerantes. A quorum conſortio alieni inueniuntur omnes hæretici, qui relicta pace communionis & panis vnius Dei & Apoſtolorum, in ſuis non eccleſijs, ſed placeis prædicant, & eorum memorijs non communicant, ſeparati à toto, catholicum ſibi nomen aſciſcunt: cum in ipſa Hieruſalem Iacobus & Stephanus primus martyr: Ioannes apud Epheſum: Andreas & cæteri per totam Aſiam: H Petrus & Paulus Apoſtoli in vrbe Roma gentium eccleſiam (in qua Chriſti domini doctrinam erudierunt) pacatam vnamque poſteris tradentes, ſanguine memorijſque ſuis ex dominica paſſione ſacrarunt. Huic generali eccleſiæ communicans Chriſtianus, eſt catholicus. Ab hac ſegregatus hæreticus eſt, & Antichriſtus: qui cum palam manifeſtatus fuerit, ampliora ſigna eum eſſe facturum, ſequentia demonſtrabunt,

A

De ſignis Antichriſti.

Prædictio impleta.

CAPVT VI.

Iob. 40. Iob. 41. IN libro Iob de Antichriſto dicitur: *Virtus eius in lumbis eſt, & potentia eius ſuper vmbilicum ventris*: Et iterum, *Non eſt*, ait, *ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei, qui ſic factus eſt, vt nullum timeret. Omne ſublime videt, ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.* 2. Theſ. 2. Dicit & Paulus Apoſtolus: *Secundum operationem Sathanæ in omni virtute, ſignis, & prodigijs mendacij, & in omni ſeductione iniquitatis his qui pereunt.* Matt. 24. Et dominus in Euangelio: *Exurgent*, inquit, *pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, in quibus ſeducantur, ſi dici poteſt, etiam ipſi electi. Ecce*, ait, *prædixi vobis.* Quanquam Apoſtolus Paulus aliquos tacitè memoret *cauteriatam habentes conſcientiam*, 1. Tim. 4. 2. Tim. 4. alios apertè, vt Hymenæum & Filetum: Demam, Hermogenem, & Alexandrum ærarium. Quorum errores doctrinaſque varias & multa mala commemorat. Act. 20. Nec defuturos poſt ſuum abceſſum lupos graues, B ipſumque qui etiam nunc operatur in filijs diffidentiæ, ipſe teſtatur. Noſtris quoque temporibus Aſpere VI. COS. Carthagini conſtituto, hoc ſignum diabolicum monſtroſumque, quòd illic accidit, quis illius patriæ ciuis ignorat? Quædam iuuencula Araba natione, ancillæ Dei habitum geſtans, cum in balneo lauans ſimulachrum quoddam Veneris impudicè reſpiceret & ſeipſam, eique Nota mirabile ſeiunium. ſe conſimilans, domicilium ſe diabolo præbuit. Statim ille leo qui rugiens circuit, quem quærebat inuenit. Meatus igitur gutturis ipſius occupans, nullum cibum nullumque potum traijciens per ſeptuaginta ferme dies totidemque noctes, ieiunium ſibi diabolus ex capta, poſſeſſoque vaſe exhibuit. Hoc monſtrum parentes puellæ per tot dierum ſpatia auferri poſſe ſperantes, dum iuge malum vlterius tolerare non poſſent, ſimul cum filia ſeſe ingeſſerunt ſacerdoti, quæ acta erant fideliter intimantes. C Hoc tantum puella fatebatur, auem quandam noctis medio apparere, quæ ſibi ore neſcio quid infunderet. Stupor tunc inerat cunctis videre puellam nullis indicijs diutini ieiunij fœdatam, nullo pallore ſeu tabe vel debilitate confectam: quin potiùs robuſtam ſucco viſcerum, mole membrorum. Cumque incredibilia viderentur, quę dicebantur, habito conſilio, in monaſterio puellarum, in quo reliquiæ Sancti Stephani ſitæ ſunt, ſacerdos puellam ſimul & præpoſito commendauit. Illic prima tantum die apparuiſſe, illam auem aſſeruit, ſibique increpaſſe quòd neque fame neque ſiti compulſa illum appeteret locum, quo ſibi accedere non liceret. Per duas ſanè hebdomadas nihil cibi vel poculi ſumens in monaſterio manſit. Accidit autem vt quintuſdecimus dominicus illuceſceret dies, aſcendente nobiſcum ſacerdote, vt matutinum illic ſacrificium ſolitò offerretur; puellam præpoſitus ad altare perduxit, eo inceſſu & habitu quo ſolent rubore perfuſæ ex epulis poculiſque mulieres aduenire. Sed vt ſe illa proſtrauit altari, clamore fletus ſui cunctis aſtantibus gemitus lachrimaſque induxit, quibus D tantum malum auferendum præſens plebs dominum exorabat. Erat enim iam indecens murmur in populo. Peracto itaque ſacrificio cum eadem inter cæteras breuem particulam corporis domini tinctam à ſacerdote perciperet, ſemihora mandens traijcere non valuit, nondum illo fugato, de quo dicit Apoſtolus. 2. Cor. 6. *Quæ conſonantia Chriſti ad Belial?* Et iterum: 1. Cor. 10. *Non poteſtis calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non poteſt menſa domini participare & menſæ dæmoniorum.* Manu igitur faciem eius ſuſtentante ſacerdote, ne ſanctum proijceret, à quodam diacono ſuggeſtum eſt vt calicem ſalutarem gutturi eius Pontifex applicaret. Quod vt factum eſt, ſtatim locum illum quem diabolus obſederat ſaluatoris imperio reliquit, Sacramentum quod ore geſtabat cum laude redemptoris tranſglutiſſe puella clamauit. Hinc lætitia, hinc voces in gloriam Dei, quod poſt octoginta & duos dies diabolo expulſo, puella de poteſtate fuerit eruta inimici. Oblatio E itaque rurſum gratiarum actionis pro ea fit, ſacrificijque percipiens certam partem, priſco eſt reddita vſui. Tunc etiam dum hæc aguntur, ſpiritu diuino actus diaconus eiuſdem tituli ſtatuam illam ſublatam confregit in puluerem, omnemque inſidiantis aſtutiam ſuperauit diuina maieſtas. Nouimus, etiam aduenisse illuc quendam ſub ſpecie monachi, qui quædam ſigna curationum ſe operari fatebatur. Cumque circa cæcos & claudos phantaſticos quoſdam ageret luſus, eoſque oleo neſcio cuius mortui oſſis liniret, vt ſibi viſus greſſuſque redditos æſtimabant, diſcedentes in illis quibus antea tenebantur infirmitatibus permanebant. Sed in his prodium ſeſe cognoſcens ſeductor ille, aufugit. In Aſia vero ſiue ipſum, ſiue alium talia feciſſe, quidam Chriſtianus religioſus & nobis enarrauit. In Italia quoque nobis apud Campaniam conſtitutis, dum venerabilis, & Apoſtolico honore nominandus Papa Leo Manichæos ſubuerteret & contereret Pelagianos, & maximè Iulianum: ambiens tum quidam, Florus nomine, ſpiritu ſeductionis arreptus, virtutem & meritum ſibi Sancti Soſij martyris aſſignans, F cum haud procul à Neapolitana ciuitate in ſubuerſionem animarum quædam promitteret faceretque illicita, à germano venerabilis Noſtriani Epiſcopi, & Herio preſbytero ſimul cum clericis prædictæ eccleſiæ tentus & coërcitus, ſic à præfatæ prouinciæ liminibus pulſus eſt. Multa ſanè per diuerſas terras agit ille, qui ſuæ perditionis ſocios quærit. Ideoque pauca ipſius in hoc opere intimanda credidi, vt qui poſt nos futuri ſunt, legendo cognoſcant qua cautela Deo iuuante ſuperare valeant inimicum.

De muliere, & beſtia qua portatur.

Prædictio implenda.

CAPVT VII.

H Apoc. 17. IN Apocalypſi Ioannes Apoſtolus dicit: *Venit vnus ex ſeptem Angelis Sanctis & locutus eſt mecum, dicens. Veni oſtendam tibi iudicium meretricis magnæ ſedentis ſuper aquas multas. Et duxit me in ſpiritu, & vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam habentem capita ſeptem & cornua decem, ferentem poculum in manu ſua plenum execrationibus immunditia & fornicatione totius terræ.* Et paulò poſt: *Vidi mulierem illam ebriam ſanctorum ſanguine, & ſanguine martyrum Chriſti Ieſu.* Hæc eſt Babylonia illa magna per mundum expolianda trophæis. Eiuſque filia eſt miſera, quæcunque facta eius & ſuperbiam imitatur. Nec eam vno in loco exiſtimes ciuitatem, quæ tota eſt ſparſa in orbe. De qua dicit & Propheta Dauid: Pſal. 136. *Filia Babylonis miſera, beatus, ait, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.* Et in Apocalypſi Ioannis Apoc. 18. dicitur: *Reddite ei ſicut & ipſa reddidit vobis in poculo, quo miſcuit vobis, miſcete ei duplum. Et quantum ſe clarificauit & poteſtatis habuit, in tantum date ei cruciatus, & luctus. Quia dicit: Sedeo regina, & vidua non ſum, nec luctum viſura ſum. Ideo in vna hora plagæ eius aduenerunt, Mors, fames, & luctus. Et ipſa igni cremabitur, quoniam fortis eſt dominus qui eam iudicabit.* Quis G autem non intelligat, quam dicat ferentem poculum plenum execrationibus immunditiæ, & fornicationis totius terræ? Æterna cum dicitur quæ temporalis eſt, vtique nomen eſt blaſphemiæ: Cùm mortales licet reges, in ea dicantur Diui, eique ſupplices dicunt, Numini veſtro, altaribus veſtris, perennitati veſtræ, & cætera: quæ vanitas, non veritas tradit, atque execrabilia ſunt. Hæc enim æterno Deo debentur. Sanè in ſacris ſacrilegis & mollibus tum ſacerdotibus, ad fornicationẽ idololatriæ omnes gentes inuitans, ſeipſam in ſubditis contaminauit. De quibus ſacer inſonat Pſalmus: Pſal. 72. *Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te.* Verumtamen quia ſunt in ea ciues ſupernæ patriæ Hieruſalem, qui dicunt: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt:* dicitur eis. *Exi de ea populus meus, ne particeps ſis delictorum eius, & ne perſtringaris plagis eius.* Exeunt enim hi Heb. 12. qui non faſtus eius, ſed humilem viam Chriſtum ſequuntur, qui non rapinam, ſed miſericordiam diligunt, qui pacem & ſanctificationẽ cuſtodiunt, ſine qua nemo poterit

[A] [2.Cor.6.] videre Deum. Qui gemunt, & dolent ob iniquitates, quæ fiunt in medio eorum, nec ſunt *iugum ducentes cum infidelibus.* Quos etiam dominus in euangelio, ſuo exhortatur alloquio dicens inter cætera: *Beati mites, quia ipſi poſsidebunt terram. Beati miſericordes, quia ipſi miſericordiam conſequentur. Beati pacifici, quia ipſi filij Dei vocabuntur. Beati lugentes, quia ipſi conſolabuntur. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Teſtatur & Paulus, [1.Theſ. 2.] dicens. *Tantùm qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat,* [Eſa. 11.] *& tunc reuelabitur iniquus, quem dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & euacuabit in illuminatione præſentiæ ſuæ.*

De decem regibus, quos Antichriſtus inueniet.

Prædictio impleta,

CAPVT VIII.

[Apoc. 17.] IN Apocalypſi Ioannes. *Dixit, ait, mihi angelus. Propter* [B] *quid admiratus es? Ego dicam tibi Sacramentum huius mulieris & beſtiæ, quæ portatur. Beſtia quam vidiſti fuit, & non eſt, ſed aſcenſura eſt ex abyſſo & itura in interitum. Illa ſeptem capita ſeptem montes ſunt, ſupra quos mulier ſedet: & reges ſeptem ſunt, vnde quinque ceciderunt, vnus ſupereſt, alius nondum venit: & cum venerit, oportet breui tempore illum manere. Beſtia quæ fuit: & non eſt, & ipſa octaua loco eſt: cum ſit ex ſeptem, & in perditionem ibit. Et decem cornua quæ vidiſti, decem reges ſunt, hi regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem regni vna hora accipient poſt* [Dan. 10.] *beſtiam.* Hoc à Daniele oſtenſum eſt. Beſtia quarta quæ grandior omnibus beſtijs fuit tot cornua habens. Sed quod ibi dicit, cornu minus ſurrexiſſe ante ſe, hic ſeptem reges nominat illis tribus expulſis, ipſum autem octauum Antichriſtum eſſe, cum ſit ex ſeptem. Ergo inquantum datur exiſtimatio, aut priores reges memorat, qui [C] truculentiores fuerunt in religione Chriſtiana, aut ex decem, tribus extinctis ſeptem futuros, qui & ipſi ſæuiant in Eccleſiam. Omnes ſanè hæreticos Arrianos vult intelligi, cum dicit. *Hi aduerſus agnum pugnabunt & agnus vincet eos.* Pugnant enim exſufflando & rebaptizando membra a- [Ioan. 17.] gni, quæ iam Chriſtus ſuo ſanguine ſacrauerat. Sed *nemo perijt*, ait dominus, *niſi filius perditionis.* Octauum igitur regum, quem dicit Antichriſtum, quidam Neronem intelligi volunt: vt ipſe ſit beſtia, quæ fuit, & non eſt, & iterum venturus eſt. Sed ſiue ipſius formam & ſpeciem corporis ſumat, & in ea appareat (ſicut è contrario angelus ſanctus in Tobiæ libro, ſpeciem & ſimilitudinem Azariæ Ananiæ magni ſuſcepit) ſiue in alterius ſpeciem appareat Antichriſtus, ipſius tamen Neronis luxuriem & ſpurcitiam ſæuitiamque morum habiturum, Daniel propheta teſtatur, quæ in ſequenti capitulo demonſtranda ſunt.

De moribus Antichriſti.

[D] Prædictio implenda.

CAPVT IX.

[Dan. 11.] DAniel propheta dicit angelum dixiſſe ſibi: *Filij quoque præuaricatorum populi tui extollentur, vt impleant viſionem.* Et paulo poſt: *Stabit,* ait, *in loco regis viliſsimus & indignus decore regio, & in paucis diebus conteretur, non in furore nec in prælio. Et faciet iuxta voluntatem ſuam rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduerſus omnem Deum, & aduerſus Deum deorum loquetur magnifica, & diriget donec compleatur iracundia, perpetrata eſt quippe definitio. Et Deum patrum ſuorum non reputabit, & erit in concupiſcentijs fœminarum, & Deum, quem ignorauerunt patres eius, colet, & Deum Maozim in loco ſuo ſtatuet.* Hic oſtenditur quod ex Iudæis de tribu Dan, quæ hodieque in Perſide eſt, veniat Antichriſtus, iuxta propheticam benedictionem Iacob patriarchæ dicentis: [Gen. 49.] *Dan iudicabit populum ſicut alia tribus. Fiat coluber in via, ceraſtes in ſemita mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò.* Statimque verum Chriſtum dominum venturum oſtendit, dicens: *Salutare tuum expectabo domine.* Hoc etiam in euangelio quod ſupra poſuimus, teſtatus eſt dominus [E] Iudæis, dicens: *Veni ego in nomine patris mei, & non credidiſtis* [Ioan. 5.] *mihi: alius veniet in nomine ſuo, & ipſi credetis.* Quos præuaricatores legis Paulus redarguens, oſtendit Antichriſto credituros. *Pro eo,* ait, *quod dilectionem veritatis non acceperunt* [2.Theſ. 2.] *vt ſalui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris vt credant mendacio & iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* Notandum ſanè, poſt beſtiam hæc omnia eſſe ventura: id eſt, ſublato regno in quo mulier ſedet ebria ſanctorum ſanguine, quæ nos credentes, poſteris videnda relinquimus.

De perſecutionibus Antichriſti.

Prædictio implenda.

CAPVT X.

IN viſione Danielis angelus de Antichriſto: *Cor eius,* [Dan. 11.] ait, *aduerſus teſtamentum ſanctum.* Item ibi: *Brachia ex eo* [F] *exurgent, & polluent ſanctuarium fortitudinis, & auferent iuge ſacrificium, & dabunt abominationem in deſolatione, & impij in teſtamentum ſimulabunt fraudulenter.* Et hic Arrianos ſignat præcurſores Antichriſti. *Populus autem,* ait, *ſciens Deum ſuum obtinebit, & docti in populo plurimi. Et erunt in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum. Cumque corruerint, ſubleuabuntur auxilio modico, & applicabuntur eis plurimi fraudulenter. Et de eruditis ruent, vt conflentur & eligantur & dealbentur ſancti vſque ad tempus præfinitum.* Item ibi: *In tempore illo, dictum eſt: Conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat* [Dan. 12.] *pro filijs populi tui, & veniet tempus, quale non fuit ab initio ex quo gentes eſſe cœperunt, vſque ad tempus illud. Et in tempore illo ſaluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit ſcriptus in libro vitæ.* Firmat hæc in Euangelio: *Cum videritis,* ait, *vaſtationem deſolationis, quæ dicta eſt in Daniele propheta, qui legit intel-* [Marci. 13.] [Dan. 9.] *ligat.* Et iterum: *In diebus autem illis erit tribulatio & anguſtia* [G] *qualis non fuit ab initio. Et niſi breuiaſſet Deus dies illos, non manſiſſet omnis caro: ſed propter electos breuiabuntur dies illi.* Teſtatur & Ioannes in Apocalypſi: *Data eſt,* ait, *poteſtas beſtiæ lo-* [Apoc. 13.] *quendi magna, & aperuit os ſuum in blaſphemia aduerſus Deum, blaſphemare nomen eius & tabernaculum eius. Et data eſt ei poteſtas faciendi bellum cum ſanctis, & vincere, & occidere eos. Et data eſt ei poteſtas in omni tribu & lingua & gente, & adorabunt eam omnes qui non ſunt ſcripti in libro vitæ agni qui occiſus eſt ab origine ſeculi.* Hic etiam martyria Chriſti domini refulgent, vt ſicut primus eius aduentus milia infantium, ita ſecundus electorum ſuppleat numerum.

De ſuperbia Antichriſti.

Promiſſio implenda.

CAPVT XI.

[H] EZechiel Propheta: *Eleuatum eſt,* ait, *cor tuum & dixiſti,* [Ezech. 28.] *Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedeo in corde maris: cum ſis homo, & non Deus. Et dediſti cor tuum quaſi cor Dei.* Dicit & Paulus Apoſtolus: *Cum venerit refuga primum, & reuelatus* [2.Theſ. 2.] *fuerit homo peccati filius perditionis, qui ſuperextollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat oſtentans ſe tanquam ſit Deus.* Et dominus in Euangelio: *Cum vobis dixerint, ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, nolite ire poſt* [Marci 13.] *eos.* Et in Apocalypſi Ioannis: *Vidi,* ait, *beſtiam aſcendentem* [Apoc. 13.] *de terra, & habebat cornua duo agni ſimilia, & loquebatur ſicut draco.* Et paulò poſt: *Et fecit ſigna magna ita vt ignem faceret de cœlo deſcendere in terram ſub oculis hominum, & ſeduxit eos, qui habitant terram propter ſigna quæ data ſunt ei facere.* Hic metuãt curioſi & maximè Iudæi. *Qui Iudæi ſigna petunt,* vt Apoſtolus dicit, *& Græci ſapientiam quærunt.* Vnde quidam [1.Cor. 1.] conijciunt in templum Solomonis Antichriſtum eſſe ſeſſurum, vel ſe efferre ſignis, quibus Chriſtus eſſe credatur. Nam eum & præcones mendacij ſui habiturum, oſtenſum eſt, cum dictum ſit duo cornua habiturum agni ſimilia. Dicit etiam Ioannes in Apocalypſi: *Vidi,* inquit, [Apoc. 16.] *ex ore draconis & ex ore beſtiæ, & ex ore pſeudoprophetæ ſpiritus*

tres

A

tres immundos exeuntes velut ranas. Sunt enim ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna. Exibunt ad reges totius orbis terræ congregare illos in pugnam ad diem illum magnum omnipotentis. Quod enim in Daniele dictum eſt. *Examina ex eo exurgent:* hic apertè dictum eſt, exire velut præcones eius ſpiritus tres immundos, tanquam in tres partes orbis, id eſt, Aſiæ, Europæ, & Aphricæ: qui & ſignis perſuadeant Antichriſtum ipſum eſſe Chriſtum. Sed cum non eſſe, ſequentia demonſtrabunt.

De Antichriſto conuincendo, quòd Chriſtus non ſit.

Prædictio implenda.

CAPVT XII.

B

Eſa. 53.

Eſa. 50.

Thren. 3.

Pſal. 21.

Pſal. 68.

Pſal. 20.

ANtichriſtus in qua ſuperbia ſit venturus, ſuperius dicta declarant. Non ergo erit humilis eius aduentus, ſicut de Chriſto omnis reſonat prophetia, Eſaia dicente: *In humilitate iudicium eius ſublatum eſt; generationem autem eius quis enarrabit?* quia tolletur à terra vita eius. Non ducetur ſicut ouis ad victimam, id eſt, ad paſſionem, vt Chriſtum ductum Euangelia teſtantur & prophetiæ. Non dabit percutienti ſe maxillam, nec ſputa & colaphos accipiens tacebit. Quæ in Chriſto facta ita credimus, vt ea omnis prædicit prophetia. Non ponet dorſum ſuum ad flagella, nec ſatiabitur opprobrijs. Quod Chriſtum impleſſe, omne euangelium prædicat & prophetia. Non diuidentur veſtimenta eius, & in tunicam ſortem nemo miſſurus eſt. Quod in Chriſti veſte factum euangelia teſtantur & prophetiæ. Non crucifigetur, nec fel & acetum accipiet. Quod Chriſtum percepiſſe & euangelia dicunt & prophetiæ. Non ſuſcipiet latus eius lanceam, & vulnera clauorum in eo non erunt. Quę in Chriſto etiam poſt reſurrectionem fuiſſe, & euangelia teſtantur & prophetiæ. Sanguine ſuo non redimet mundum. Quod de Chriſto omnis prædicat prophetia. Non morietur, & tertia die reſurget. Quod Chriſtum feciſſe & euangelia teſtantur. Apoſtolicæ quoque literæ & prophetiæ. Non aſcendet in cœlum, nec ſpiritum ſanctum in linguis igneis ſuper diſcipulos effundet. Quod Chriſtum impleſſe, omne euangelium ſonat & prophetia. Super hæc, mundus ipſe iam teſtis eſt totus. Quare his examinatis atque perſpectis intelligant qui poſt nos futuri ſunt Antichriſtum non eſſe Chriſtum. Cuius finem Apocalypſis ipſa demonſtrat: *Venit, ait, angelus & apprehendit draconem, & beſtiam, & pſeudoprophetas. Iſti viui ſimul miſſi ſunt in ſtagnum ardens igne & ſulphure, & cruciabuntur illic in ſecula ſeculorum.* Hic finis erit diaboli & angelorum eius, & eorum hominum, qui ſub nota & ſigno, ad eius ſocietatem tranſierūt. Sicut etiam Daniel & Ezechiel prophetæ de eius fine teſtantur. In his autem quæ dicta ſunt bene facient qui tunc fuerint intendere prophetiæ, ſicut lucernæ in obſcuro loco, *donec* ipſe *dies* qui venturus eſt *clareſcat in cordibus* credentium. Alia verò ſigna vltima, quæ futura ſunt, ſequentia demonſtrabunt.

C

Oſea 6.

Apoc. 24.

2. Pet. 1.

D

De miſsione Heliæ & Enoch.

Promiſſio implenda.

CAPVT XIII.

Malac. 4.

Apoc. 11.

IN Malachia propheta: *Ecce, ait, dicit dominus, Mittam vobis Heliam Theſbitem priuſquam veniat dies Domini magnus & manifeſtus, qui reſtituet cor patrum ad filium, & cor hominis ad proximum ſuum, ne veniens percutiam terram funditus.* Sic enim iſti prophetæ conuertent corda patrum ad filios, vt oſtendant, quæ Patriarchæ vel prophetæ dixerunt de Chriſto in humilitate venturo, conuincentes Antichriſtum non eſſe Chriſtum. Hoc euidentius Apocalypſis Ioannis oſtendit: *Dabo,* ait dominus, *duobus martyribus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis. Hi ſunt duæ oliuæ & duo candelabra conſiſtentia in conſpectu domini terræ.* Et paulò poſt: *Hi habent poteſtatem claudendi cœlum, ne imbrem pluat per dies prophetiæ eorum. Et poteſtatem habent omnium aquarum conuertendi eas in ſanguinem, percutere terram in omni plaga quotieſcunque voluerint.* Ecce & hic tripartita etiam teſtium diuiſio. Contra Pharaonem duo teſtes Dei miſſi ſunt, Moyſes & Aaron: & duo Magi Pharaonis, Iamnes & Mambres reſiſtentes Moyſi, qui ſimul cum ſuo rege perierunt: & contra Neronem duo, Petrus & Paulus Apoſtoli, at contrario Simon Magus, qui & ſe perdidit & Neronem decepit: & contra Antichriſtum duo, Enoch & Helias Prophetæ, aduerſus quos tres pſeudoprophetæ Antichriſti exurgent. Ideo hic plus vnus, quia ſupra vnus minus, vt ſenarius numerus ex vtriſque partibus ſuppleatur, propter ſex dies creaturæ in principio diſpoſitos, & ſex angelos canentes tubis totidemque plagas mundo inferentes, vt ſeptimus finem laborum requiemque ſanctorum ſignificet, tanquam ſeptimus dies qui manè tantum, & veſperum non habebit. Quam requiem ſabbati omni præcepto diuinitas ipſa ſeruandam commendat, vt vacantes ab omni opere malo manè adſtemus, vt contemplemur eum, *qui corònat in miſeratione & miſericordia* omnes iuſtè iudicans, & iniquè neminem damnans, ſed de his Tyconius multa conſcripſit. Conſummationem verò perfectionemque temporum trium annorum & ſex menſium, qui dicti ſunt dies mille ducenti ſexaginta, & menſes faciunt quadraginta & duos, non tantum Apocalypſis Ioannis, quantum vt Daniel propheta commendat. Quibus ciuitatem ſanctam calcari & exiſtimatur ab hæreticis, & maximè Arrianis qui tunc plurimum poterant, Gog & Magog, vt quidam dixerunt Gothos & Mauros, Getas & Maſſagetas, per quorum ſæuitiam ipſe iam diabolus eccleſiam vaſtat, & tunc amplius perſequentur. Ceſſare etiam facient iuge ſacrificium, propter quod admonet dominus, dicens: *Venio cito, Beatus qui vigilat, & ſeruat veſtimenta ſua, ne nudus ambulet.* Quæ autem ſint veſtimenta ſeruanda, ſequens capitulum demonſtrabit.

E

2. Tim. 3.

Apoc. 15.

F

Pſal. 102.

Ezech. 39. Vide idem apud Aug. cap. 11. lib. 20 de ciui. Dei.

G

De veſte ſeruanda Chriſtianis.

Prædictio implenda.

CAPVT XIV.

Gal. 3.

Ioan. 13.

Lucæ 15.

PAulus Apoſtolus dicit: *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Et dominus in Euangelio: *Qui ſemel lotus eſt, non opus habet lauare niſi pedes tantum, quia eſt mundus totus.* Omnis itaque ab hæreticis rebaptizatus, aut voluntariè veſtem ſuam Chriſtum amiſit, aut in perſecutione deficiens indumētum quod habuit perdidit. Dum igitur tempus eſt recurrat expoliatus & nudus pœnitendo ad pium patrem, qui redeunti perdito filio, & primam ſtolam reddi iubet, ſimul & annulum dignitatis. Qui adhuc tortuoſis hæreticorum diſputationibus velut ſiliquis porcorum paſci deſiderat, panis recordetur & patris, fugiat latrones expoliatores ſuos, pudeat Dei filium Antichriſti factum eſſe mancipium, ſponte vel compunctus redeat, vt veſtiatur, ne nudus exhibitus iudicetur. Hæc illi cum perditis filijs acturi ſunt Dei teſtes. In his Helias & Enoch ſuum martyrium conſummabunt, ſicut capituli ſequentis narrat authoritas.

H

De paſſione Heliæ & Enoch.

Prædictio implenda.

CAPVT XV.

Apoc. 11.

IN Apocalypſi Ioannis dicitur: *Cum finierint martyrium ſuum, beſtia quæ aſcēdet de abyſſo, faciet cum his bellum, & vincet eos, & occidet eos, & corpora eorum iacebunt in platea ciuitatis illius magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Aegyptus, vbi & dominus eorum crucifixus eſt.* Hæc platea conſcientia eſt omnium impiorum in mundo plaudentium in morte ſanctorum, quòd acerrimis quaſi caruerint inimicis. Propter quod corpora eorum non ſinent poni in ſepulchro,

A quia hi videlicet duo prophetæ cruciauerunt eos qui habitant terras, quibus occiſis cum dixerint: *Pax & ſecuritas, tunc illis adueniet repentinus interitus, ſicut dolor partus habenti in vtero, & non effugient.* Quia dies domini (vt Paulus dicit
1. Theſ. 5. Apoſtolus, *ſicut fur in nocte veniet.*

De reſurrectione Heliæ, & Enoch.

Promiſſio implenda.

CAPVT XVI.

Apoc. 11. APocalypſis Ioannis dicit: *Poſt tres & dimidium dies ſpiritus vitæ à Deo intrauit in illos, & ſteterunt ſuper pedes ſuos.* De his arbitrantur Apoſtolum dixiſſe Paulum.
1. Theſ. 4. *Et mortui in Chriſto reſurgent primi.* Tres igitur & dimidius dies, tribus annis & ſex menſibus reſpondent, quibus poteſtas erit Antichriſti, eiſque ſuppletis coram oculis inimicorum Helias & Enoch aſcendentes in cœlum
B ibunt in occurſum Chriſto vero regi & iudici
Luca 1. Mich. 4. venienti. Qui Antichriſtum omneſque eius interficiet ſpiritu oris ſui, vt regnet in domo Iacob ipſe, de quo dictum eſt, *Regni eius non erit finis.*

De aduentu claritatis filij Dei & hominis.

Promiſſio implenda.

CAPVT XVII.

Pſal. 49. DAuid Propheta dicit: *Deus manifeſtus veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis ante eum ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida.* Dicit & Propheta Malachias: *Væ deſiderantibus diem domini, & vt quid vobis illam?* Item: *Ipſe ſubitò veniet in templum ſuum dominus, quem vos ignoratis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis, ecce venit di-*
Malac. 3. *cit dominus. Et quis ſuſtinebit introitum eius? aut quis reſiſtet in*
C *aſpectu eius? quia ipſe introibit ſicut ignis conflatorij.* Dicit &
Eſa. 66. Eſaias: *ecce dies domini ſicut ignis veniet, & ſicut procella currus eius reddere in ira vindictam & retributionem in flamma ignis.* Dicit & dominus in Euangelio: *Sicut enim fulgur*
Matt. 24. *exiens ab Oriente paret in occidentem, ſic erit & aduentus filij hominis.* Et iterum: *Sol tenebrabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ de cælo erunt decidentes, & virtutes cælorum mouebuntur, & tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute magna & gloria.* Teſtatur &
Apoc. 6. Apocalypſis Ioannis dicens: *Sol factus eſt niger vt ſaccus cilicinus, & luna ſanguinea facta eſt, & ſtellæ ceciderunt, eo modo, quo ficus vento magno agitata amittit acerbos fructus ſuos, & cælum receſſit vt liber cum euoluitur: & omnis mons & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt: & reges terræ magnatesque, tribuni, & diuites, & nobiles, & ſerui abſconderunt*
D *ſe in ſpeluncis & petris montium, dicentes, montibus & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à conſpectu patris ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni quoniam venit dies magnus iræ illorum. Et quis poterit ſtare?* Dicit & Paulus A-
1. Theſ. 4. poſtolus: *Ipſe dominus in iuſſu, in voce archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo.* Fatetur & Sibylla inter cætera dicens: Eripitur ſolis iubar, & chorus interit aſtris: Voluetur cælum: luminaris ſplendor obibit. Sed tuba tum ſonitum triſtem demittit ab alto. Orbe, gemens facinus miſerum variosque labores. Tartareumque chaos monſtrauit terra dehiſcens. Multa per ſingula capita etiam neceſſaria teſtimonia prætermiſi, ſuſcepti operis modum cogitans. Quare aduentus filij Dei, ſicut bonis lætitiam infert, ita malis exitium. Nunc enim cum viuimus & tempus eſt corrigendi, actus moreſque mutemus: Sequitur autem reſurrectio mortuorum.

E

De reſurrectione carnis.

Promiſſio implenda.

CAPVT XVIII.

EZechiel Propheta: *Dixit mihi dominus, Fili hominis propheta ſuper oſſa hæc & dic, Hæc dicit dominus: Ecce ej-* Ezech. 37
ciam vos de monumentis veſtris, & inducam ſuper vos neruos, & imponam carnes, & extendam cutem. Et dabo ſpiritum meum in vos, & viuetis, & ſcietis quia ego ſum dominus. Et Eſaias: Eſa. 26.
Exurgent mortui, & excitabuntur qui in monumentis ſunt. Et Ioan. 5.
ipſe in Euangelio: *Veniet, inquit, hora quando omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei, & procedent qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ, qui mala egerunt in reſurrectionem iudicij.* Teſtatur & Paulus hæc *in ictu oculi fieri, in nouiſſima tuba: Canet enim, ait, tuba & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Et Apocalypſis: *Exhibuit, ait,* Apoc. 20.
mare quos penes ſe habebat mortuos, ſimiliter & mors, & infer- F
nus. Hic illa abſoluenda ſeſe ingerit quæſtio, quæ inſipientium gentiliumque ore profertur, Quo modo reſurgant ij, quorum cadauera beluæ beſtiæque comederunt, ipſæque ab alijs beſtijs, auibus, canibuſque conſumptæ ſunt: Ignorantes omnia quæ ex terra creata ſunt, in eandem materiam reſoluta recidere, ac facile eſſe potentiæ creatoris, ex ea rurſum reparare quæ fuerant, qui potuit inter cætera primum ex illa hominem formare qui non erat. Si quem verò mouet, quòd *impij in iudicio non reſurgunt,* intelligat non eos ad iudicium, ſed ad pœnam reſurgere, iuxta illam domini ſententiam: *Qui non credit, ait, iam iudicatus eſt.* Fatetur & Sibylla: Sic animæ cum carne aderunt, quas iudicat ipſe. Reſurgentibus cunctis iudicium ſequitur.

De iudicio Chriſti Domini. G

Promiſſio implenda.

CAPVT XIX.

DAuid Propheta dicit: *Annuntiabunt cæli iuſtitiam,* Pſal. 49.
quoniam Deus iudex eſt. Item, *Aduocauit cælum ſurſum, & terram, vt diſcerneret populum ſuum.* Item, *Ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate.* Firmat hæc dominus in Euangelio.
Cum venerit, ait, filius hominis in claritate ſua, congregabuntur Matt. 25.
ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut ſeparat paſtor oues ab hædis, oues ponet à dextris, hædos autem à ſiniſtris. Tunc dicet his qui à dextris ſunt, venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare, & cætera quæ pertinent ad opera miſericordiæ, in quibus eſt ſacrificium magnum
purgans omne peccatum, ipſo dicente domino: *Miſeri-* H
cordiam volo magis quam ſacrificium. Siniſtris autem dictu- Matt. 9.
rus eſt, *Ite in ignem æternum, quem parauit pater meus diabolo* Matt. 25.
& angelis eius. Eſuriui enim, ait, & non dediſtis mihi manducare: & cætera ſimiliter quæ ad crudelitatis exitia pertinent, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem dum auari non paſcunt Chriſtum eſurientem in paupere, qui dicit: *Quamdiu vni ex minimis meis non feciſtis, neque mihi feciſtis.* Sequiturque inter partes lata ſententia iudicantis. *Ibunt,* dictum eſt, *impij in ambuſtionem æternam.* Te-
ſtatur & in hæc Paulus Apoſtolus: *Omnes, ait, adſtabimus* 2. Cor. 5.
ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque ſecundum ea quæ per corpus geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Et Apocalypſis Ioannis
dicit: *Vidi mortuos tam magnos quam minimos ſtantes in con-* Apoc. 20.
ſpectu throni Dei. Dehinc *aperti ſunt libri, & alius liber apertus eſt qui eſt vitæ* vniuſcuiuſque hominum, *& iudicati ſunt mortui ex ipſis ſcripturis librorum ſecundum facta ſua.* Libri aperti, conſcientiæ ſingulorum. Alius liber qui omnium continet actus, iuſtitia Dei eſt, cuncta producens in lucem. De
quo dicit Paulus: *Donec veniat dominus, & illuminet abſcon-* 1. Cor. 4.
dita tenebrarum, & manifeſtabit cogitationes cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo. Concludit Ioannis Apocalypſis: *Mors & infernus miſſi ſunt in ſtagnum ignis, & qui non ſunt inuenti in*

libro

A

Iſa.66. *libro vitæ, miſſi ſunt in ſtagnum ignis*, in quo cruciabuntur in ſecula ſeculorum. Sicut dicit & Eſaias: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vſque ad ſatietatem viſionis vniuerſæ carni.* Fatetur & Sibylla, occultos actus tunc detegens. Quis loquetur ſecreta? atque Deus reſerauit pectora luci: Tunc erit & luctus ſtridebunt dentibus omnes. Et Paulo poſt: Et coram hoc domino reges ſiſtentur ad vnum. Decidet è cœlo ignis & ſulphuris amnis. Poſt hæc ſequitur, per ignem purificatorium, quoſdam fideles homines ipſaque elementa purgari.

De igni purificatorio.

Promiſſio implenda.

CAPVT XX.

B

Pſal.101. DAuid Propheta: *Omnia ſicut veſtimentum veteraſcent. Et ſicut opertorium mutabis ea, & mutabuntur, tu autem*
Pſal.65. *ipſe idem es.* Item ipſe: *Igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum.* Et iterum: *Tranſiuimus per ignem & aquam, & indu-*
Malac.3. *xiſti nos in refrigerium.* Et Malachias Propheta: *Ipſe introijt,* ait, *ſicut ignis conflatorij, & ſedebit conflans, & purgans ſicut argentum & aurum, & purgabit filios Leui.* Et in Euangelio
Matth.3. Matthæus hæc de domino confirmat, dicens: *Hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto & igni, ferens ventilabrum in manu ſua, & purgabit aream ſuam. Frumenta recondet in horreo, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Et iterum ipſe do-
Matt.5. minus dicit: *Priuſquam cœlum & terra tranſeat, iota vnum,*
2.Pet.3. *aut vnus apex non cadet ex lege, qui non impleatur.* Et Petrus Apoſtolus: *Qui autem nunc ſunt cœli, eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſeruandi in diem iudicij.* Et paulò poſt: *Properantes,* ait, *ad præſentiam domini, per quam cœli ardentes ſoluentur, & ele-*
Rom.8. *menta ignis ardore decoquentur.* Dicit & Paulus: *Quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ*
C
filiorum Dei. Fatetur & Sibylla dicens: Omnia ceſſabunt, tellus confracta peribit: Sic pariter fontes torrentur, fluminaque igni. His igitur peractis, cum reſpicientes impij
Sap.5. iuſtos dixerint. *Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore, quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt?* Infructuoſam tunc agentes pœnitentiam, cum ſcriptum ſit:
Pſal.6. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Redactiſque malis in tenebris exterioribus, in quibus nulla lux, nulluſque dies erit, ac vox illa terribilis & metuenda ſonuerit, Auferatur impius, & non videat claritatem domini ſanctorum: tunc ſequetur eminens illuſtriſque gloria, quæ alio eſt intimanda capitulo.

Finis Dimidij Temporis.

D

GLORIÆ REGNIQVE SANCTORVM CAPITA.

1 *Promiſſ. De cœlo nouo, & de terra noua.*
2 *Promiſſ. De commutatione ſanctorum.*
3 *Promiſſ. De noua Hieruſalem.*
4 *Promiſſ. De eo, quòd ſancti fulgebunt vt ſol.*
5 *Promiſſ. De Sanctorum ſicut ſtellarum in gloria differentia.*
6 *Promiſſ. De virginitate ſanctorum.*
7 *Promiſſ. De inexplicabili dono ſanctorum.*
8 *Promiſſ. De facie ad faciem videndo Deum.*
9 *Promiſſ. De reuelata facie ſanctorum.*
10 *Promiſſ. De eo, quòd tradat filius regnum Deo & patri.*
11 *Promiſſ. De iugi cantico Alleluja.*
12 *Promiſſ. De innouatione omnium.*
13 *Promiſſ. De eo, quod Deus ſit omnia in omnibus.*

E

DE GLORIA, REGNOQVE SANCTORVM.

De cœlo nouo, & de terra noua.

Promiſſio implenda credendaque.

CAPVT I.

APocalypſis Ioannis dicit: *Vidi cœlum nouum & terram nouam.* Teſtatur & Petrus: *Nouos verò cœlos & nouam terram ſecundum ipſius promiſſa expectamus, in quibus iuſtitia inhabitat.* Et Dauid dicit: *Credo videre bona domini in terra viuentium.* Hæc impij non videbunt. *Apoc.21.* *2.Pet.3.* F *Pſal.26.*

De commutatione Sanctorum.

Promiſſio implenda, atque primò credenda.

CAPVT II.

PAulus dicit Apoſtolus: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* In quam ſancti, omnis ætas, & vterque ſexus, cum hac gloria ad tricennalem iuuentutem (in qua Chriſtus Dominus paſſus) tranſeant, cum ipſo rege ſuo, quem impij non videbunt. *Epheſ.4.*

G

De noua Hieruſalem.

Promiſſio implenda, & credenda prius:

CAPVT III.

APocalypſis dicit: *Hieruſalem nouam vidi à Deo deſcendentem, aptatam & exornatam, vt ſponſa marito.* Dicit & Paulus: *Quæ ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt, quæ eſt mater noſtra.* In hac ciuitate non erit nox, nec lumen lucernæ opus erit, non luctus, neque mors, neque clamor, ſed nec dolus vllus, quia priora abierunt: & huius patriæ gloriam impij non videbunt. *Apoc.21.* *Galat.4.*

De eo, quòd Sancti fulgebunt vt ſol.

Promiſſio implenda, & credenda.

CAPVT IV.

H

DOminus in Euangelio: *Tunc,* ait, *Iuſti fulgebunt ſicut ſol in conſpectu patris ſui:* quoniam *erunt æquales angelis domini,* & hanc gloriam impij non videbunt. *Matth.13.* *Lucæ20.*

De Sanctorum, ſicut ſtellarum in gloria differentia.

Promiſſio implenda & credenda.

CAPVT V.

PAulus Apoſtolus dicit: *Stella à ſtella differt in gloria: ſic & reſurrectio mortuorum.* Quo modo alij pro confeſſione martyrij, alij pro integritate virginali, alij pro continentia viduali, alij pro pudicitia coniugali, diuerſis honoribus ſine inuidia fulgeant: impij non videbunt. *1.Cor.15.*

(∴)

A

De virginitate Sanctorum.

Promiſſio implenda, & credenda.

CAPVT VI.

Apoc. 14. APocalypſis Ioannis dicit: *Hi ſunt qui cum mulieribus ſe non coinquinauerunt, virgines enim permanſerunt. Hi ſunt qui ſequuntur agnum quocunque ierit.* Quo ſequantur virgines, quò eum ſequi nequeant non virgines, impij non videbunt.

De inexplicabili dono Sanctorum.

Promiſſio implenda, & credenda.

CAPVT VII.

B

1. Cor. 2. PAulus dicit Apoſtolus: *Quod oculus non vidit, & auris non audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Sancti cum hæc acceperint, impij non videbunt.

De facie ad faciem videndo Deum.

Promiſſio implenda.

CAPVT VIII.

1. Cor. 13. PAulus dicit Apoſtolus: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quemadmodum ſancti videant Deum trinitatem, patrem in filio, filium in patre, ſpiritum ſanctum & in patre & in filio, impij non videbunt.

C

De reuelata facie Sanctorum.

Promiſſio implenda.

CAPVT IX.

2. Cor. 3. PAulus dicit Apoſtolus: *Nos,* ait, *reuelata facie gloriam domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam tanquam a domini ſpiritu.* Et hæc impij non videbunt.

De eo, quod tradat filius regnum Deo & patri.

Promiſſio implenda.

CAPVT X.

1. Cor. 15. D QVo modo *tradidit* filius *regnum Deo & patri*, ſicut Paulus dicit Apoſtolus, impij non videbunt.

De iugi cantico Alleluya.

Promiſſio implenda.

CAPVT XI.

Apoc. 19. QVo modo iugi cantico, vt Apocalypſis dicit, Sancti cantent *Alleluya* ſine defectu, ſine fine: impij nec audient, nec videbunt.

De innouatione omnium.

Promiſſio implenda.

CAPVT XII.

Eſa. 43. QVo modo innouentur omnia (vt Eſaias Propheta & Apocalypſis dicunt) permaneantque in æternum: Et quo modo ex ligno vitæ ſine corruptione cibum ſancti capiant; & de fonte Chriſto non neceſſitate, ſed poteſtate bibant, impij non videbunt.

E

Quòd Deus ſit omnia in omnibus.

Prædictio implenda.

CAPVT XIII.

QVo modo *erit Deus omnia in omnibus*, vt Paulus dicit Apoſtolus, impij non videbunt, quia ſoli ſancti & redempti his voluptatibus & delicijs cœleſtibus perfruentur. Hæc eſt ciuitas, virtus & ſaluatio noſtra. Hæc eſt Hieruſalem cœleſtis perpetua. His in ea poſitis ſanctis verus Deus rex nec metas rerum, nec tempora ponit. Imperium ſine fine dedit. Hi ſunt qui regnant cum rege Chriſto: de quo dicit Daniel: *Regnum eius alteri populo non derelinquetur,* quoniam regnabit in infinita ſecula, & regni eius non erit finis. 1. Cor. 15. Æneid. 1. Dan. 2. & 3. F

Peroratio Sancti Proſperi, & concluſio huius fideliſſimi, vtiliſſimique libri ſui.

IVVANTE gratia Dei hunc concluſi librum, tribus eius primis partibus quadragena capitula annotando, velut quadragenos dies, quibus in huius vitæ curriculis Moyſes, Helias, & dominus Ieſus ieiunia celebrarunt. Ter enim quadragies ducta, centum viginti faciunt. Accedunt alia viginti, in Dimidia parte finis mundi: & ſunt centum quadraginta. Tredecim quoque in gloria ſanctorum ſuperadduntur & perficiunt centum quinquaginta tria. In quo numero ſacrati illi piſces reti veritatis incorrupto, poſt reſurrectionem domini iuſſione capti ſunt, millia ſanctorum ſignificantes, quos dominus ex omni genere, tribu & lingua, per omne tempus congregans, nobis infinitum ſibi cognitum numerum conſecrauit. Habes primam piſcandi voluptatem, ſi huius rei amatores, lector ſpiritalis: præſertim quia in hoc libro, vt exiſtimo, omnes voluptates, omneſque affectiones inuenies. Ingredere ergo huc adoleſcens, & huc auocare, hic lude, & age conceptiones tuas. Nam ſi te fortaſſis tabulæ luſus inuitat, ineſſe vno duo & tria, quina & ſena habes, quibus numeris menſinæ arcæ conſurgunt, trinæ vnitatis teſſeras voluens. Calculos etiam in bonis operibus candidos, in paſſione purpureos, ſpectante illo qui dicit: *Vincenti dabo calculum, & per calculum nomen nouum, quod nemo ſcit, niſi qui accepit.* In calculis eburneis nomina proconſulum conſcripta Carthagini in foro coram populo à præſenti iudice ſub certis vocabulis citabantur & erat ſolennis dies albicitatio. Hi qui auaritiam ſuperantes remp. fideliter egerant abſque flagitijs, fauoribuſque, etiam abſentes honorabantur. Eos verò quos rapacitas vicerat, populus conuitijs ſibiliſque notabat. Habes igitur quid vincas, qui rempub. gubernando ludis in ſeculo: auaritiam vince, quæ radix eſt omnium malorum. Nec iam terrenæ, quæ quocunque modo labuntur, ſed cœleſtes, æternæque alliceant poteſtates. Si venandi eſt affectio, habes montes altiſſimos, ceruos velociter apoſtolorum prophetarumque dicta percurrentes. Habes & in campis petram, refugium erycijs & leporibus, quos in ſimplicitate cordis Chriſtus dominus per ſuos canes venatur, vt ſpinis careant delictorum. Si ſpectandi voluptas eſt, habes hic aurigam ſpiritalem Chriſtum, Heliam, qui curru igneo vſque ad metas peruectus eſt cœli, curruſque Pharaonis demerſos in profundo. In munere habes Danielem ſanctum, leonem non ferro ſed oratione vincentem: vrſoſque vexantes eos, qui Heliſæum prophetam contumelijs laceſſerant. Habes quoque in ſancto ſpectaculo nō mimicas turpitudines, ſed Chriſto ſacratas virgines. Habes cabaliſtarum loco, Rebeccæ gemines myſticè ludentes. Habes Dauid coram arca ſaltantem & nudatum in paſſione Chriſtum, coram ſeruis & Apoc. 2. G H

A ancillis ſuis, illa ipſa ſua hiſtoria exhibentem. Habes poſtremo fletus, planctuſque Hieremiæ decantatos, non arte tragica, ſed prophetica. Ædificandi ſi eſt affectus, habes fabricam mundi, menſuras arcæ, ambitum tabernaculi, faſtigium templi Solomonis, ipſius per mundum membra Eccleſiæ, quam illa omnia figurabant. Epulandi ſi eſt delectatio, habes hic ſapientiæ paratam menſam, in qua eſt panis angelicus, & vitulus ſaginatus, ſobrieque inebrians poculum ſalutare. Neque flores ſancti deſunt huic conuiuio, lilia virginum, continentiæ violæ, & roſeæ coronæ martyrum. Reſtat, vt arbitror, *Apoc. 2.* muſicorum voluptas: habes organum ex diuerſis fiſtulis ſanctorum apoſtolorum, doctorumque omnium eccleſiarum, aptatum quibuſdam accentibus graui, acuto, & circumflexo, quos muſicus ille Dei ſpiritus, per verbum tangit, implet, & reſonat: habens clauem Dauid, *qui claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit*: chriſmatis oleo & aqua baptiſmi cuncta conſectans, ac decorans. B Ad huius organi ſuauiſſimas & dulciſſimas voces *peruenerunt principes, coniuncti pſallentibus in medio adoleſcentularum tympaniſtriarum*. *Pſal. 67.* Er quæ ſint hæc ſequitur: *In eccleſijs benedicite dominum*. Hæ adoleſcentulæ eccleſiæ dum tympanum tangunt, id eſt, pellem mortui animantis extenſam in ligno, ſcilicet Chriſtum prædicant crucifixum. Huius tympani tam magnus ſonus totius mundi iam mulcet auditus. Nec decem chordarum Pſalterium huic deeſt conuiuio, dum incluſione centum quinquaginta Pſalm. laudant ſancti dominum *in ſono tubæ, in Pſalterio & cithara, in tympano & choro, in chordis & organo, in cymbalis beneſonantibus, in cymbalis iubilationis*, quoniam *omnis ſpiritus laudat dominum*. Hæc in templo Dei mei proſpiciens, in quo omnis quiſque dicit, *Gloria*: quoniam *Rom. 7.* adhuc paſſiones, quæ per legem ſunt, operantur in membris noſtris, vt fructum ferant morti, multiſque vitijs im- *Iob. 7.* plicati tenemur in hac vita quæ tota tentatio eſt, ſacri- *Apoc. 8.* ficium ex adipibus vitulorum Patriarcharum & Prophetarum, caprarum pinguium, & arietum, Apoſtolorum C ducum gregis, pro peccato animæ meæ, ac mundatione totius hominis mei in hoc libro & confeſſionem voui, & in ara contriti cordis immolaui holocauſta, non ſine incenſo orationum omnium ſanctorum, quibus me ab omni peccato expiari poſſe confido. Quieſcat inuidus lector, ne ſicut Cain ferro, iſte dente, vel *Gen. 4.* lingua percutiat. *Filij enim hominum dentes eorum arma* *Pſal 56.* *& ſagitta, & lingua eorum gladius acutus*. Siquid autem diſplicet, ſi pius eſt, emendet in miſericordia, & arguat in lenitate, oretque pro nobis, vt ſimul in arca inter munda animalia reperti, in cubito perfectionis eius pariter adnexi, charitatem domini, trinæ maieſtatis vnitatem per eminentem viam duce gratia ſequamur omnes: eodem manente in nobis, & nobis in illo: à quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, qui eſt Deus benedictus in ſecula, Amen.

Promiſ. & Prædictionum Dei Finis.

D

S. PROSPERI AQVITANICI, EPISCOPI RHEGIENSIS, IN LIBROS DE VITA CONTEMPLATIVA ad Iulianum Pontificem,

Hic videtur eſſe ille Iulianus qui in vtroque concilio Arauſicano, & Carpentoracenſi ſubſcribit.

PROLOGVS.

DIu Multumque reniſus ſum voluntati tuæ, mi domine ſtudioſiſſime pontificum Iuliane: non velut pertinaciter durus, ſed propriæ impoſſibilitatis admonitus. E Videbatur enim mihi: & iure forſitan videbatur, quòd etiam ipſi præſumptionem meam potuiſſetis improuidæ temeritatis arguere, ſi tantam rem, quem vtique eſſet operoſè tractanda, facilè ac ſine vlla deliberatione * ſuſciperem, cùm me oporteret priùs ipſius reſponſus, vnde ** C. ſuſceperim.* dicendum foret, expendere: & ſic adiuuante domino, ſi vires facultas explorata promitteret, ad hoc arripiendum, quod iuberetis, accedere. His, & talibus ſolicita conſideratione perſpectis, neceſſarium duxi, vt me aliquamdiu à ſcribendi præſumptione ſuſpenderem. Sed ** Aliàs experiri.* quia, ſicut cogitanda fuit iniuncti operis difficultas, ita cogitari debuit iniungentis authoritas, nec volui nec debui vſquequaque reſiſtere, certus * quòd vires meas ** C. quia.* multò amplius adiuuaret tua præcipientis oratio, quàm grauaret ipſius materiæ magnitudo. Deinde illa conſideratio in animum meum ſuis viribus diffidentem, in audaciam ſubeundæ præceptionis veſtræ perduxit: quòd iam non humilitatis eſſet, perſeueranter tenere ſilentium, ſed ſuperbiæ vltra renuere, quamuis infirmis ceruicibus * onus impoſitum graue ſit: cui oneri ſuſtinendo, etſi * me mea ruſticitas faciebat inualidum, veſtra fieri credidi fide qui iubebatis, idoneum. Hoc quoque mihi audendi aliquid fiduciam dabat: quòd magnarum rerum magnus ipſe conatus eſſet, etiam ſi nullus F ** C. ſit onus impoſitum.* ** C. mea me.* diſputantem ſequeretur effectus. Siquidem neceſſariarum tractatio quæſtionum, etſi non inſtruit non inuenientis, quod quærit animum, exercet ſaltem quærentis ingenium: vt aut nouerit ſe quærendo, & nihil inueniendo neſcire, quod ſe fortè noſſe præſumpſerat: & ignorantiæ ſuæ conſequenter admonitus, quod ſibi deeſſe viderit, quærat: quod inuenerit, teneat: & quod tenuerit, * diligenter exerceat: aut ſi quod ſibi de diuinis literis propoſitum fuerat, ſalubriter tractare, & ſufficienter explicare * potuerit: non de inuentione * veritatis infletur, ſed in domino qui eum intus illuminauit, vt * illuminanda cognoſceret, glorietur. Quandoquidem *ſcientia* ſicut ſine dono Dei, quod eſt charitas, *inflat*: ita ſi ei *charitas* admiſceatur, *ædificat*. Ac per hoc, qui de Deo loqui voluerit, aut nihil dicit, & nulla eum * præcipitat inflatio: aut ſi aliquid dixerit, & ſe crediderit à Deo accepiſſe quod dicit, habet vnde Deo gratias agat: non habet quod ingenij ſui viribus elatus * adſcribat. ** C. perſeuerāter.* ** C. poterit.* ** C. deeſt.* ** C. inuubilata.* *1. Cor. 8.* G ** C. Præcipitabit.* ** C. Aſcribat.*

Sed iam ipſa capitula quæ vtcunque ſoluenda propoſuiſtis, adtexam, itaque iubetis, vt paucis ediſſeram, quæ ſit vitæ contemplatiuæ proprietas: & quid inter ipſam & actiuam vitam interſit, quanta poſſum breuitate diſtinguam. Vtrum is cui eccleſiæ regendæ cura commiſſa eſt, contemplatiuæ virtutis fieri particeps poſſit. Vtrum æquanimiter ſuſtinendi ſint diuina præcepta calcantes, an pro modo peccati debeant eccleſiaſtica ſeueritate coargui. Vtrum congregandis fratribus aut alendis, expediat facultates eccleſiæ poſſideri, an perfectionis amore contemni. Quæ ſit abſtinentiæ credenda perfectio: & vtrum tantum corpori, an & animæ neceſſaria debeat iudicari. Quantum à virtutibus veris virtutum ſimilitudines diſtent. Quibus præcedentibus cauſis & ſubſequentibus incrementis naſci ſoleant vitia, vel augeri: & H quibus poſſint adiuuante domino remedijs, velut quibuſdam medicamentis imminui, vel ſanari. Quot modis, vel gradibus vnaquæque virtus poſſit impleri. Et an vera ſit * illa philoſophorum ſententia, quæ virtutum omnium velut * fontes quoſdam quatuor virtutes: vitia quoque quatuor, velut quaſdam origines malorum omnium definiuit. Hæc ſunt nimirum decem, quæ à me voluiſtis enodari capitula, non, vt abſolutio eorum vobis aliquid cognitionis afferret: ſed vt veſtra * magis cura * ſciret, ſi regulariter imperatum munus impleuero, nonnihil ædificationis talium ſtudioſis horum & his ſimilium capitulorum explicatione * conferri. Cæterum ſi tu ea neſcires, nunquam tanto ordine dilucidanda proponeres. Ideo autem voluiſtis cognita * à * noſtris vobis, diſputationibus illuſtrari, vt aut me, ſi aliquid ſecus * quam ratio habet exponerem, faceretis emendari vel corrigi: aut certè per ſolicitudinem veſtram ** C. Philoſophorum illa.* ** C. quoſdā fontes.* ** C. magiſtra.* ** C. deeſt.* ** C. conferer.* ** C. delucidand.* ** C. deeſt.* ** C. vt.*

A meumque ſermonem ad aliorum notitiam poſſent catholicè diſputata perduci. * Nunc igitur quæ ſit vitæ contemplatiuæ proprietas,* domino veſtris orationibus adiuuante tractemus.

*C. Nunc igitur iá quæ. * C. veſtris orationibus domino adiu.

Prologi Finis.

CAPITA LIBRI PRIMI DE VITA CONTEMPLATIVA.

CAP. 1. *Quòd ea ſit vitæ contemplatiuæ proprietas, vbi * dominus mundo corde videbitur.* * C. Deus.
Cap. 2. *De qualitate vitæ futuræ.*
Cap. 3. *Quòd conductu Dei ab iniquis hominibus ſeparandi ſunt ſancti, quo * ante ſunt beati angeli ab immundis ſpiritibus ſeparati.* * C. iam
Cap. 4. *De reſurrectione, vel vita ſanctorum.*
B Cap. 5. *Quòd præſentium contemptores etiam hic contemplatiuæ vitæ beatitudo delectet.*
Cap. 6. *Quòd perfectio contemplatiuæ vitæ quæ hic haberi poteſt, † illic perfectioni futuræ comparari non poßit.* † C. deeſt.
Cap. 7. *Quòd dominum perfectè ſancti videre non poßint, niſi cum ad beatitudinem futuræ vitæ peruenerint.*
Cap. 8. *Quæ & quanta ſit in hac carne vitæ contemplatiuæ perfectio, vel qualiter eı perfruenda mundi contemptores inhæreant.*
Cap. 9. *Quod tantum intereſt inter perfectionem vitæ iſtius & futuræ, quantum intereſt inter perfectos qui peccare nolunt, & eos qui † peccare iam non poſſunt.* † C. iam peccare n. p.
Cap. 10. *Quod hic ſancti † Deum in aſſumpta creatura viderunt.* † C. Dominum.
Cap. 11. *De qualitate glorificatorum corporum, quæ in reſurrectione futura ſunt.*
Cap. 12. *Quantum inter contemplatiuam & actiuam vitam interſit.*
C Cap. 13. *Quod ſacerdotes ſancti contemplatiuæ vitæ fieri participes poßint.*
Cap. 14. *Vbi † locutor ſe excuſat, quod eccleſiæ magiſtros docere non audeat.* † C. vbi ſe l.
Cap. 15. *De negligentia ſacerdotum qui doctrina ſua agendo contraria, perſonam non poteſt implere doctoru.*
Cap. 16. *Quale periculum maneat eos, qui eccleſiam ſibi creditam vel † relinquunt, vel ſtrenue gubernare contemnunt.* † C. relinquere volunt.
Cap. 17. *Vbi anxium quod eccleſiam nec relinquere, nec regere poßit, prouocat, ſuggerendo quod eam melius regat exemplo.*
Cap. 18. *Quod parum valeat exemplo agenda monſtrare, niſi etiam quæ ſunt credenda, docendo ſacerdos oſtenderit.*
Cap. 19. *De virtute fidei, quod ad eam non ſolum credere, vel intelligere ſed etiam bene operari pertineat.*
D Cap. 20. *Quod nihil proſit † ſacerdoti, etiamſi bene † viuat, ſi male † viuentem tacendo non † corrigat.* † C ſacerdotib. nı. † viuunt. † viuêtes. † corrigât.
Cap. 21. *Luctuoſa deſcriptio † ſacerdotu carnaliter viuentiu.* † C carnaliter viuentium ſacerdotū.
Cap. 22. *Quod ſecundùm ſermonem † Prophetæ culpa ſua pereant, qui ſacerdotum increpationes vel admonitiones peruerſa voluntate contemnunt.* † C. Prophetæ.
Cap. 23. *Quod ſacerdotes etiam † qualiter poſſunt, tam ſimpliciter docere debeant, vt omnes eos docentes intelligant.* † C. qui aliter.
Cap. 24. *Quid interſit inter doctores, qui eccleſiam ſimpliciter docentes ædificant, & eos qui eloquentiam ſuam luculentis declamationibus † iactant.* † C. delectant.
Cap. 25. *Quales eſſe debeant ſacerdotes, qui volunt fieri vitæ contemplatiuæ participes.*

E

S. PROSPERI AQVITANICI, EPISCOPI RHEGIENSIS,

De vita contemplatiua Liber Primus.

Quòd ea ſit vitæ contemplatiuæ proprietas, vbi Deus mundo corde videbitur.

CAPVT I.

F CONTEMPLATIVA vita, in qua creatorem ſuum creatura intellectualis ab omni peccato purgata, atque ex omni parte ſanata viſura eſt, à contemplando, id eſt, videndo, nomen accepit. Quod ſi ita eſt, illa vita, vbi Deus videri poteſt, ipſa eſt contemplatiua credenda. In præſenti autem vita miſerijs, erroribuſque pleniſſima, Deum, ſicuti eſt, videri non poſſe, dubium non eſt. In futura igitur vita, quæ ob hoc appellatur contemplatiua, videndus eſt: nec immeritò. Si enim videre Deum, ſummum ſolidumque eſt gaudium: ſummum † verò gaudium præmium hoc creditur beatorum: & præmium non adhuc pugnantibus, ſed iam vincentibus dabitur poſt triumphum: quis non videat, quòd omnes ſancti Deum in illa vita æterna videbunt, vbi ſine fine gaudebunt? Ibi gaudebunt, vbi præmium reportabunt: ibi recepturi ſunt præmium, vbi non ſolum deuictis, ſed etiam finitis hoſtibus triumphabunt: ibi triumphabunt, vbi vlterius aduerſarium non † habebunt. G Cæterùm in hac vita quamuis ſtrenuè dimicemus, & adiuuante domino cateruas hoſtium, quibus circumfundimur, proſternamus: tamen ſi ab eis nolumus vinci, nunquam pugnare † deſinamus. Nec vincentes ſecuros faciunt viriliter deſudata iam prælia, ſed magis ſollicitant aduerſariorum rediuiua certamina. Ac ſic, quia ſecundùm ſcripturæ † ſacræ ſermonem tota *humana vita tentatio eſt ſuper terram*, tunc eſt tentatio finienda, quando finitur & pugna: & tunc eſt finienda pugna, quando poſt hanc vitam ſuccedit pugnæ ſecura victoria: vt omnes milites Chriſti, qui vſque in finem vitæ præſentis diuinitus adiuti, ſuis hoſtibus infatigabiliter reſtiterunt, laborioſa iam peregrinatione tranſacta regnent fœlices in patria. In qua, humana natura ita reparanda eſt, & ab omni prorſus infirmitate ſananda, vt nec peccata ei vlla remaneant, nec peccare iam valeat. Cuius hoc erit totum præmium, vt vitæ contemplatiuæ ſemel compos effecta, inexplebiliter authorem beatitudinis ſuæ † conſpiciat, de illo gaudeat, de † illo quod ſperauit obtineat, & in eo ad † quod ſanctè viuendo † peruenerit, ſine fine permaneat. H

† C. & verum. † C. iam habebunt. † C. deſinimus. † C. ſanctæ. Iob. 7. † C. concupiſcat. † C. deeſt. † C. quo. † C peruenit.

De qualitate vitæ futuræ.

CAPVT II.

IAm verò de qualitate ipſius vitæ futuræ quid dicam, quæ potius debet credi, quam dici? Nec ideo tamen debeo inde tacere quod valeo: quia dicere quantum volo non valeo. Neque enim quia Deum ineffabilem credimus, fari de illo quod poſſumus, non debemus. Ita ſanè, vt plus credatur de illa vita, quàm ſcribatur: quia nec poteſt † tantum inde proferri ſermone, quantum poteſt mente complecti: & minus concipit mentis humanæ quamlibet profunda complexio, quàm ſe habet rei ipſius

† C. Inde tantum.

magni-

A magnitudo. Ergo futura vita creditur beatè ſempiterna, & ſempiternè beata, vbi eſt certa ſecuritas, † & ſecura tranquillitas † & tranquilla iucunditas, fœlix æternitas, æterna fœlicitas: vbi eſt amor perfectus, † nullus timor, dies æternus, alacer motus, & vnus omnium ſpiritus de contemplatione Dei ſui, ac de ſua cum illo permanſione ſecurus: vbi ipſa ciuitas, quæ eſt angelorum ſanctorum & hominum congregatio beata, meritis fulgentibus † micat, & æterna ſalus exuberat: veritas regnat: vbi nec fallit quiſque, nec fallitur: vnde † nullus eijcitur beatus: quo nullus miſer admittitur.

† C. deeſt. † C. deeſt. † C. timor nullus. † C. micat æterna: ſal. † C. nullus beatus eij. † C. iam.

Quòd eo iudicio Dei ab iniquis hominibus ſeparandi ſunt ſancti, quo † ante ſunt beati Angeli ab immundis ſpiritibus ſeparati.

CAPVT III.

B SEd & hoc futurum credimus per iuſtum Dei iudicium, in quo non ſolùm meritis, ſed etiam locis ſic ab iniquis iuſti ſeparandi ſunt in æternum vt iam nec remuneratis præmium finiant, nec damnati ſupplicium: quandoquidem propterea incorruptio & immortalitas dabitur etiam corporibus miſerorum, vt nec ipſi æternam pœnam finiant, nec ipſos conſumat immortalis pœna, ſed puniat. Ideo autem beata incorruptione & immortalitate iuſtorum corpora donabuntur, vt & ipſi in gloria, & in ipſis gloria æterna permaneat. Hoc iudicium, quod inter iuſtos homines iniuſtoſque futurum dicimus, inter ſanctos angelos & immundos credimus factum. Nam cum eſſent vtrique ſine peccato creati, & ad ſeruiendum Deo ſuo feliciter inſtituti, eorum quidam voluntate propria deprauati noluerunt permanere quod facti ſunt, & cùm ſe contra creatorem ſuum * typho ſuperbiæ letalis hoſtiliter extuliſſent, de ſuperna cœli regione proiecti ſunt. Quos diuina ſententia eo * ſupplicio condemnauit, vt quia noluerunt perſeuerare cum poſſent, nec * vellent reparari, nec * poſſent. Siquidem præuaricationis eorum fuit, quòd irreuocabiliter iudicij animaduerſione percuſſi ſunt: & ad damnationem iuſtiſſimam profectò pertinuit, quòd voluntatem redeundi ac facultatem penitus amiſerunt: ſicut econtrario voluntatis ſanctorum angelorum fuit, quòd malis ſponte cadentibus ipſi in ſua dignitate manſerunt. & diuino iuſtoque iudicio * actum eſt, vt quæ fuit cum Deo ſuo manendi voluntas, fieret C permanendi voluntaria fœlixque neceſſitas. Et ideo, quia nec peccauerunt vnquam nec peccare iam poſſunt, illius contemplatiuæ vitæ ſemel facti participes, inexplebiliter authorem beatitudinis ſuæ conſpiciunt, * ac meritò ſuæ ſtabilitatis in æternum fœlices effecti de ſua permanſione ſecuri ſunt. Qui ſummum ſolidumque gaudium, quo inſatiabiliter perfruuntur, de diuina contemplatione percipiunt, ac Deo ſuo infatigabiliter & amanter inſeruiunt, ita perfectè beati, vt nec cupiant beatiores fieri vltra, nec valeant.

E. à 4. * C. typo. * C. ſub iudicio. * C. vellent. * C. poſſint. * C. præuaricationis eorum quod fuit, irreuocabilis iudicij. * C. factū. * C. &.

De reſurrectione, vel vita ſanctorum.

CAPVT IV.

D HÆc eſt contemplatiua vita beata, ad quam qui bonorum operum conſummatione peruenerint, beatis angelis ſimiles erunt, & ſimul cum Deo ſuo ſine fine regnabunt. Quod hic * crediderant, ibi videbunt, ſui creatoris ſubſtantiam mundis cordibus contemplantes: æterna exultatione gaudebunt: * diuina ac mutua dilectione poſſeſſi, Deo ſuo in æternum & inuicem ſibi fœliciter adhærebunt: receptis cum incorruptione atque immortalitate corporibus, municipatum patriæ cœleſtis accipient, atque eius in æternum ciues effecti, promiſſa præmia reportabunt. Ibi eis exuberabit tanta lætitia, tanta cœleſtium gratia gaudiorum, vt & remuneratori ſuo pro tantis muneribus gratias agant, & nullum faſtidium ex ipſa affluentium bonorum perceptione ſuſtineant. E Ibi ita patebunt ſingulorum ſingulis mentes, ſicut corporalibus oculis ſubiacent facies corporales: quia humanorum pectorum tanta ibi erit & tam perfecta munditia, vt habeant vnde mundatori ſuo Deo gratias agant, non vnde offenſi aliquibus peccatorum ſordibus erubeſcant: quia nec vlla peccata ibi nec peccatores erunt, & qui ibi fuerint, iam peccare non poterunt. Nec latebit iam perfectè beatos aliquid ſecretorum, qui, quod eſt longè præſtantius, ipſum viſuri ſunt mundis cordibus Deum: quandoquidem humana creatura ita perfecta erit, vt in melius aut * deterius vltra mutari non poſſit. Cuius humanæ ſubſtantiæ ad conditoris ſui ſimilitudinem ſublimatæ, omnia bona quæ naturaliter accepta peccato corruperat, reparabuntur in melius: id eſt, intellectus ſine errore: memoria ſine obliuione: cogitatio ſine peruagatione: charitas ſine ſimulatione: ſenſus ſine offenſione: incolumitas ſine debilitate: ſalus ſine dolore: vita ſine morte: facilitas ſine impedimento: ſaturitas ſine faſtidio, & tota ſanitas ſine morbo: F quoniam quidem quicquid hic corporibus humanis vitiandis aut ferarum morſus * ademerint, aut improuiſi caſus abſtulerint, aut malarum valetudinum genera diuerſa * deſcerpſerint, aut humana credulitas amputauerit, aut ſi ignis, vel qualibet alia res aliquid debilitatis intulerit, aut ipſa ſenectus etiam ſanis oneroſa negauerit, hæc * & his ſimilia corporum damna vna ibi reſurrectio reparabit, atque ea corpora membris omnibus inſtaurata, incorruptibilis ſanitas obtinebit. Propterea quicunque ibi erunt, etſi differentibus meritis ab inuicem diſtabunt: omnes tamen vna perfectione beati erunt: quia ſingulis præmia ſua ſufficientia erunt, & capere amplius præmijs ſuis iam perfecti non poterunt. Sicut enim corporalis ſanitas omnes ſaturos æqualiter habet, quamuis ſinguli cibum non æqualiter, ſed pro poſſibilitate perceperint: ita omnes ſancti etſi fuerint aliqua graduum ſuorum diuerſitate diſtincti, vna beatitudine perfecti erunt: quia & vna perfectione beati futuri ſunt. Cæterum in illa tantæ beatitudinis regione nec * maioris meriti ſibi aliquid * quiſque arrogabit, quia arrogantia ibi nulla erit: nec ſuperiori inferior inuidebit, quia * ibi inuidus nullus eſſe poterit. Et ideo etſi ibi erit diſtantia manſionum, ſumma in illis erit vnius perfectionis æqualitas, quibus erit regni cœleſtis vna fœlicitas. G

* C. crediderunt. * C. diuina dilectione ac. * C. in deterius. Nota. * C. ademerit. * C. decerpſerint. * C. atque. * C. maior. * C. deeſt. * C. inuidia ibi eſſe non poterit.

Quòd contemptores præſentium etiam hic contemplatiuæ vitæ beatitudo delectet.

CAPVT V.

CVi fœlicitati promerendæ ille ſuſpirat, qui præſentibus omnibus futurorum contemplatione renunciat, atque à domeſticis occupationibus, quæ nonnunquam perfectè viuere cupientium proceſſus impediunt, in illam * diuinæ ſublimitatem contemplationis euectus, ipſos etiam ſuæ carnis affectus exuperat. * Qui & infra ſe vniuerſa deſpiciens, quæ plerunque animas de præteritæ vitæ ſanctitate ſecuras in terrena deijciunt, ipſis etiam cœleſtibus appropinquat, * tanto diuinis vicinior factus, * quantò ſupra humana omnia ſtudio perfectionis aſcendit, H certus quòd ſi contemplatiuam vitam hic incertis honoribus, diuitijs anxijs, & caducis delectationibus plena voluntate prætulerit, veros honores, ſecuras diuitias, & delectationes æternas * inueniat, cum ad perfectionem contemplatiuæ virtutis, in illa beata vita vbi futura eſt Deo remunerante peruenerit. Et re vera quid erit honoratius eo, quem diuina clementia angelicæ dignitatis æqualitate beauerit? Quid ditius eo, quem regni cœleſtis ineffabiliter affluens beatitudo ditauerit? Aut quid etiam hic delectabilius contemplatione diuina quæ ſibi veraciter inhianti incorruptibilem ſuauitatem futuræ remunerationis infundit? Quoniam

* C. ſublimitatem diuinæ contemp. * C. deeſt. * C. tantū. * C. quantum. * C. inueniet.

A

quidem contemplatiua vita hic quoque amatores ſuos futurorum bonorum conſideratione delectat, ac ſibi tota mentis intentione vacantes, quantum in hac vita fieri poteſt, dono ſapientiæ ſpiritualis illuminat, & ad illam diuinæ plenitudinem viſionis, cuius ſpem ſtudijs intenti cœleſtibus gerunt, incentiuo quodam ipſius conſequendæ perfectionis inflammat, vt quod nunc in ænigmate cernunt, nec perfectè diſcernunt, tunc in illa reuelatione conſpiciant.

† C. deeſt.

Quòd perfectio contemplatiuæ vitæ, quæ hic haberi poteſt, † illi perfectioni futuræ comparari non poſsit.

CAPVT VI.

B

QVapropter non ſic contemplatiuæ vitæ ſublimitatem in futuro, vbi perfectio perficienda eſt, prædicaui, vt in præſenti eam negarem poſſe ab omnibus mundi contemptoribus apprehendi, ſi modò ſe ad eam tota deuotione conuertant: ſi deſiderio eius accenſi, præſentia blandimenta faſtidiant, & longe fortiores effecti quam vt eos terrenæ occupationes illaqueent, diuinis rebus ac futuris promiſſionibus conſiderandis inhæreant. Sed ſi † conſideramus Apoſtoli Pauli ſermonem, quo inter eam ſcientiam quæ hic eſt, & eam quæ ibi futura eſt, diſcriminans ait, *Ex parte ſcimus, & ex parte prophetamus:* contemplationem diuinam quæ in hac vita eſt, illi futuræ conferre nec poſſumus, nec debemus: quandoquidem Apoſtolus adiungat & dicat: *Cum autem venerit quod perfectum eſt,* in illa vita ſignificans, *tunc euacuabitur quod ex parte eſt,* ac ſic quod modo ex parte ſentimus, tunc ad illam plenitudinem contemplationis diuinæ perducti iam perfectè videbimus. Nec tamè quia ibi rerum omnium notitia non per partes, ſed ſimul & tota videbitur, ideo ſaltem qualiscunque in hoc fragili corpore † deſperemur. Et ſi enim *corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem,* tamen in quantum poteſt humana mens, quam ſuus creator ad ſuam fecit imaginem, ſtudeat etiam hic intelligibiliter Deum videre per fidem, vt eum plenius videat, cum peruenerit munere ipſius conditoris ſui ad ſpeciem. Attende quàm diuinè ſanctus Apoſtolus ſpeciem fidemque diſtinxit, vt diceret, *Per fidem ambulamus, non per ſpeciem.* Fides ergo eſt per quam ambulatur, & ſpecies quæ videtur: quia in hac vita vbi per fidem bene viuendo proficimus, bonorum operum quodammodo paſſibus ambulamus. In futura autem peruenientes ad ſpeciem, iam non erit quo velut proficiendo vlterius ambulemus, ſed ipſam ſpeciem ad quam per fidem ſpiritualiter ambulando peruenimus, inſatiabili delectatione videbimus.

† C. conſideremus.
1 Cor. 13.
Ibidem.

C

† C. deſperatur.
Sap. 9.
2. Cor. 5.

Quòd Deum dominum perfectè ſancti videre non poſſunt, niſi cum ad beatitudinem futuræ vitæ peruenerint.

D

CAPVT VII.

QVocirca ſic hortandi ſunt ad contemplatiuam vitam, quicunque plenè voluerint, & Deo auxiliante potuerint, vt meminerint ſibi ipſius contemplationis diuinæ perfectionem in illa beata vita quæ futura eſt reſeruari, vt ibi Deum ſicuti eſt, perfectè videant, vbi & ipſi erunt vitæ æternæ ac regni cœleſtis conſecutione perfecti. Cæterùm ſi hic perfectè potuiſſet ſubſtantiam Dei humana fragilitas contemplari, nunquam ſanctus Euangeliſta dixiſſet, *Deum nemo vidit vnquam.* Non dixit, nemo videbit. Denique vt euidenter oſtenderet viſionem Dei non negatam ſanctis hominibus, ſed dilatam: quod in præſenti tempore negauit, in futuro promiſit dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Nec hic dixit, quoniam ipſi Deum vident. Igitur ſi Deus, qui in hac vita ſine alicuius elementi aſſumptione nec potuit videri, nec poteſt, in futura vita videndus eſt: ibi eſt contemplationis diuinæ ſperanda perfectio, vbi erit omnium bonorum plenitudo.

Ioan. 1. & 1. Ioan. 4.

E

Matth. 5.

Quæ & quanta ſit in hac carne vitæ contemplatiuæ perfectio, vel qualiter eſt perfruenda mundi contemptores inhæreant.

CAPVT VIII.

F

PRoinde vitæ contemplatiuæ ſectator ad conditorem ſuum corde illuminandus accedat, ipſi contemplando, atque inſatiabiliter perfruendo vigilanter inſeruiat: ipſum iugiter concupiſcat, præ amore eius omnia quibus inde potest auerti, † refugiat, omnes cogitationes ſuas ac totam ſpem ex illius delectatione ſuſpendat, literarum diuinarum ſacris meditationibus vacet, in his ſe diuinitus illuminatus oblectet, ibi ſe totum velut in ſpeculo quodam refulgente conſideret: quod in ſe prauum deprehenderit, corrigat: quod rectum † eſt teneat: quod deforme, componat: quod pulchrum, † excolat: quod ſanum, † ſeruet: quod infirmum, aſſidua lectione corroboret: domini ſui præcepta infatigabiliter legat, † inexplebiliter diligat, efficaciter impleat & quid ſibi cauendum quidve ſectandum ſit, † ex eis ſufficienter inſtructus agnoſcat, myſterijs earundem diuinarum ſcripturarum perſcrutandis inſiſtat, Chriſtum † promiſſum legat, repræſentatum videat, prophetatam perditionem populi contumacis intelligat, impleri lugeat, de ſalute gentium gaudeat, ex præteritis quæ prædicta ſunt & impleta teneat, futuris promiſſionibus credat, † ab ſtrepitu negotiorum ſecularium remotiſſimus ea ferrenter excogitet, quibus animum ſuum in deſiderium futuræ remunerationis inflammet, ſtudijs ſpiritualibus quibus in dies ſingulos melior ac melior fiat, inuigilet, amet otium ſanctum, in quo exerceat animæ ſuæ negotium, mortuum ſibi deputet mundum, ac ſe mundi † blandientis illecebris exhibeat crucifixum, delectationi ſpectaculorum præſentium incomparabiliter anteponat ſui creatoris intuitum, ſemper ſe proficientem ſucceſſu in faſtigium diuinæ contemplationis attollat, nunquam ne ad momentum quidem à promiſſionibus futuris conſiderandis auerſus ad terrena reſpiciat, eo aciem mentis indeſinenter intendat, quo peruenire deſiderat, beatitudinem vitæ futuræ ante oculos animi ſui proponat & diligat, nec metuat aliquid temporale nec cupiat, ne aut metus amittendæ rei temporalis, aut cupiditas acquirendæ intentionem mentis eius emolliat: non eum blanda corrumpant, nec aduerſa concutiant: non inflet opinio ſecunda, nec ſiniſtra deijciat, nec falſa vituperatio ſiue laudatio augeat gaudia eius aut minuat, non gaudeat de temporalibus omnino, nec lugeat. Inter læta inuictus ac triſtia vnam faciem animo conſtanti obtineat, nec † pectoris eius ſtabilem firmitatem, quicquid promittit mundus aut minatur, excutiat: ſed idem ſemper ac ſibi ſimilis perſeuerans, mundi huius damna ſimul † & lucra non ſentiat. Et cùm hæc † & his ſimilia contemplatiuæ vitæ deſiderio affectus impleuerit, non ſe hic iam ex † parte omni perfectum, ſed perficiendum in illa beata vita, quæ futura eſt, immobiliter credat, atque ad eandem ſe vbi Dei ſubſtantiam reuelata facie videre poſſit, extendat.

† C. fugiat.
† C. deeſt.
† C. ſeruet.
† C. excolat.
† C. implebiliter.
† C. ab.
† C. addit ibi.
Ioan. 1.
† C. a.

G

† Alias: blandimentis illecebriſque.

H

† C. pectori.
† C. ac.
† C. atque
† C. omni parte.
† C. eam.

A

Quòd tantum intereſt inter perfectionem viæ iſtius & futuræ, quantum intereſt inter perfectos qui peccare nolunt, & eos qui iam peccare non poſſunt.

CAPVT IX.

NAM ſicut hîc comparatione iuſtè viuentium dicitur quiſque perfectus, quia iuſtus præcepta facit, perfectus autem præcepta tranſcendit: ita idem collatus illis abſolutè perfectis, qui in vita beata futuri ſunt, non eſt, vt ita dicam, perfectè perfectus, cui etſi dimiſſa eſt omnis iniquitas, non eſt adhuc ſanata, ſed ſanatur eius infirmitas: & ideo etſi non peccat, vt ſit verè perfectus, peccare tamen poteſt: quia non eſt conſumpta omni infirmitate ſanatus: ac per hoc, vbi ab omni peccato mundatus, peccare non poterit, ibi erit perfectè ſanus* ac ſummè perfectus. *C. &. B Hic autem, quantalibet quis excellentia ſanctitatis emineat, quantalibet eminentia perfectionis excellat, poteſt quidem fieri pro modulo huius vitæ perfectus: ſed non eſt ſic de ſua perfectione ſecurus, vt non debeat eſſe de caſu ſollicitus, & vtique vbi eſt ſollicitudo, non eſt abſoluta beatitudo. Quæ nequaquam perfecta credenda eſt, ſi ſecura non fuerit: nec ſecura erit, niſi omnem ſollicitudinem ſecuritas æterna conſumpſerit: Quapropter, qui dicuntur in hac vita beati, ſpe beatitudinis futuræ beati ſunt: ipſa autem re non hic, ſed in illa vita beati futuri ſunt: quia ibi omnium beatorum beatitudo perfecta erit, vbi humana natura ſui gloriam conditoris, & ſuam perfectè beatificata viſura eſt, atque ei ſine vllo defectu ſuæ beatitudinis adhærebit.

Quòd hîc ſancti Deum in aſſumpta creatura viderint.

C

CAPVT X.

NEc moueat quòd hic quoque à iuſtis antiquis viſum legimus Deum, quia non eſt in hac humiliatione noſtra ſic viſus, ſicut in illa clarificatione videndus eſt, quandoquidem ſine forma viſibilis creaturæ, in qua pro diſpenſatione temporum, vbi voluit, & quibus voluit iuſſis apparuit, nec potuit nec poteſt videri, ſed poterit cum ad ſupernam patriam peregrinatio noſtra peruenerit, & mortale noſtrum immortalitas beata veſtierit, atque ad contemplationem diuinam, vel perceptionem cœleſtium præmiorum omnes verè fideles fides ipſa, qua hîc futura credebantur impleta perduxerit.

De qualitate glorificatorum corporum, quæ in reſurrectione futura ſunt.

D

CAPVT XI.

Aug. de ciuit. Dei li. 22. c. 17.

IBi diuerſi quidem ſexus corpora, ſed ſine vlla concupiſcentia corporali futura ſunt. Ibi erit omnium perfecta charitas, & nulla cupiditas. Ibi etiam corporales oculos nihil viſibilis creaturæ latebit, quia incorruptibilium corporum viſus vtique incorruptibilis erit, & ita ſine comparatione viuacior quam hic fuit, vt ei aliquid viſibilium clauſum eſſe non poſſit. Corporibus quippe immortalitate donatis auferenda eſt tarditas, non integritas: neceſſitas, non voluntas: vt ibi ſine* temporis mora aut impedimento ponderis ſint, vbi eſſe voluerint: atque eò ſequatur ſine vlla difficultate ſpirituale iam corpus, quocunque ire voluerit ſpiritus, angelicæ beatitudinis æqualitate perfectus. Tunc filiorum, parentum, coniugum miſeria, qui ibi non fuerint, beatos contriſtare non poterit: quia nomina omnium neceſſitudinum corporalium, quæ hîc noſtra fragilitas habuit, excellentia illius beatitudinis non admittit, vbi omnes quicunque

*Aliàs tẽporum.

Aug. lib. 1. retract. 13 & 19.

E

fuerint, vnum corpus erunt, & ſinguli de ſua vel* ſingulorum fœlicitate gaudebunt. Hæc de contemplatiua vita dicta ſufficiant.

*C. de ſing.

Quantum inter contemplatiuam & actiuam vitam interſit.

CAPVT XII.

IAM nunc quid inter ipſam contemplatiuam & actiuam vitam interſit, breuiter differamus. Quod vt euidenter eluceat, ipſas ſibi inuicem vitas, contemplatiuam ſcilicet & actiuam, prolatis earum virtutibus conferamus. Ad actiuam vitam pertinet inter humana proficere, & rebelles corporis motus rationis imperio temperare: ad contemplatiuam ſupra humana deſiderio perfectionis aſcendere, & indeſinenter augendis virtutibus incubare. Habet actiua profectum, contemplatiua faſtigium. F Hæc facit hominem ſanctum, illa perfectum. Huius vitæ eſt, nulli prorſus iniurias irrogare: illius, irrogatas æquanimiter ſuſtinere. Imò vt propriùs dicam, executor actiuæ ſtudet in ſe peccanti dimittere: contemplatiuæ ſectator offenſas quibus pulſatur, nec omnino concutitur, ignorare magis paratus eſt quam donare. Iſte iram patientiæ virtute compeſcit, immoderatis cupiditatibus parſimoniæ fræmos imponit: tangitur deſiderijs carnalibus, nec conſentit: pulſatur mundi huius curioſitate, nec rapitur: quatitur diabolica impugnatione, nec vincitur: & Deo ſuo deuota mente ſubiectus, non atteritur diuerſis tentationibus, ſed probatur. Ille omnes affectiones quibus vita mortalium variatur, ſanctis virtutibus vincit: cupiditatum ac perturbationum omnium liber beata quiete perfruitur, & illecebris ac voluptatibus factus expedita mente ſuperior, ineffabili gaudio diuinæ contemplationis* erigitur. G Iſte ſuſcipiendo peregrinum, veſtiendo nudum, gubernando ſubiectum, redimendo captiuum, tuendo violenter oppreſſum, iugiter ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis emaculat, & vitam ſuam bonorum operum fructibus ditat. Ille facultatibus ſuis in vſus pauperum diſtributis,* ſimul ſe expoliauit mundo, & admouit ſe totis viribus cœlo, res mundi mundo proiecit, & ſeipſum deuota mente Chriſto reſtituit à quo immortales diuitias ſibi dari orat, vt pauper: protegi ſe cotidie poſtulat, vt infirmus: immortalitatis indumento veſtiri cupit, vt nudus: defendi ſe ab impugnatione inuiſibilium hoſtium ſupplicat, vt fragilitate carnis oppreſſus: cœleſtem patriam ſibi* dari deſiderat, vt peregrinus. Actiua vita habet ſollicitum curſum, contemplatiua gaudium ſempiternum. In hac adquiritur regnum, in illa percipitur. Hæc facit pulſare bonorum operum, velut quibuſdam manibus, ianuam: illa vocat conſummatos in patriam. In hac contemnitur mundus: in illa videbitur Deus. H Et vt multa præteream, quæ commemorare non valeo, in hac vita actiua qui immundis ſpiritibus extiterint fortiores, in illa contemplatiua, quæ ſummè beata eſt, remunerante* Deo* ſicut angelis ſanctis æquales, atque in æternum cum illo regnabunt in illa ciuitate ſupernæ fœlices. Itaque, quoniam de contemplatiua vita in ſuperioribus multa iam dicta ſunt, & ſecundus liber ea quæ de actiua dicenda ſunt, continebit: ſufficiant iſta quæ diximus, vt conſideremus & reliqua, quæ de tertio capitulo vſque ad finem libri huius ſequenti diſputatione tractabimus. Videamus nunc, vtrum* is, cui eccleſiæ regendæ cura commiſſa eſt, contemplatiuæ vitæ fieri particeps poſſit.

C. plen efficitur.

*Aliàs ſemel.

*Aliàs donati.

*C. domino.

*C. ſiunt.

*C. deeſt.

A

Quòd ſacerdotes ſancti contemplatiuæ vitæ fieri participes poſſint.

CAPVT XIII.

* C. dicta ſunt de vita c. c.

QVi diligenter ea quæ ſuperius * de vita contemplatiua dicta ſunt conſiderat, & ſufficienter inſtructus intelligit, quando & vbi poſſit eius perfectio comprehendi: non dubitabit, eccleſiarum principes vitæ contemplatiuæ poſſe, & debere fieri ſectatores: quia ſiue ſecundum opinionem quorundam nihil aliud ſit vita contemplatiua, quàm rerum latentium futurarumque notitia, ſiue vacatio ab omnibus occupationibus mundi, ſiue diuinarum ſtudium literarum, ſiue quod his probatur eſſe perfectius ipſa viſio * Dei, non video quid impedimenti ſanctis ſacerdotibus poſſit afferri, quo minus ad hæc quatuor quæ commemoraui perueniant. Duo enim, primum & vltimum, id eſt, rerum latentium futurarumque notitia, & ipſa viſio * Dei, incomparabiliter præſtantiora erunt in illa vita beata, quàm in iſta diuerſis erroribus implicata: quandoquidem tam rerum omnium notitia, quam ipſa Dei ſubſtantia plenè & perfectè videbitur. Duo autem media, vacationem videlicet ab omnibus occupationibus mundi & diuinarum ſtudium literarum, etiam hic poſſunt habere pontifices: ſed illi, qui ſe ab omnibus implicamentis negotiorum ſecularium remouentes, non torpent ocio, ſed inſiſtunt perfectionis ſuæ negotio, & ab ſtultitia ſecularis ſapientiæ auerſi, verbo Dei infatigabiliter vacant, ſapientes veraciter fiunt, cœleſtia ſapiunt, terrena deſpiciunt, contradicentes ſanæ doctrinæ redarguunt, obedientes inſtituunt, ſanctis virtutibus, quibus in dies ſingulos fiant Deo propinquiores, incumbunt, * illi qui tam ſuis quàm omnium, qui per eos erudiuntur, profectibus clari, hic quidem velut guſtum quendam contemplatiuæ vitæ, quo ad eam feruentiùs prouocentur, accipiunt: ſed ibi iam in æternum felices effecti, de eius perfectione gaudebunt. Proinde * verò non inflantur, quia hic omnium fidelium catholicorum honorantur vt capita: ſed lætantur potius, quia ibi Chriſti, qui eſt ſacerdotum ac fidelium omnium caput, clariora membra futuri ſunt. At ſi (quod abſit) ſecularibus negotijs * impliciti, fundorum terminos ſine termino cupiditatis extendant, ac ſe paſſim exquiſitis delitijs dedant, quæ animum corpuſque debilitant: ſi gloriam non Chriſti, ſed ſuam decepti vulgi adulantis honoribus quærant: pluſque de ſe alienæ linguæ, quàm ſuæ conſcientiæ credant: ſi omne gaudium ſuum non in futurorum remuneratione, nec in ſanctitate vitæ ſed in ſua tantùm dignitate conſtituant, nec dum tales eſſe ſe, quales creduntur ament, nunquam ſibi diſpliceant, ac placentes ſibi non ſint de ſua * ſalute & correctione ſoliciti: quis non intelligat, tales, ſi in talibus perſeuerent, nec ſe ante finem vitæ præſentis emendent, contemplatiuæ vitæ participes eſſe non poſſe? ad quam non perueniunt, niſi qui ſtuduerint eſſe, quod facti ſunt: nec affectant videri * eſſe, quod non ſunt: non alienis laudibus, ſed moribus ſuis eximij: * non ſolùm de ſua dignitate, ſed potiùs de ſacerdotalis vitæ nobilitate cõſpicui: qui ſunt non appellatione tenus, ſed virtute pontifices, vitæ contemplatiuæ capaces, & gaudiorum cœleſtium cohæredes.

* C. Domini.

B

* C. Domini.

* C. & tam ſuis.

C

* C. deeſt

* C. implicati.

* C. deeſt

D

* C. ſe eſſe quod ſunt.

* C. nec.

Vbi locutor ſe excuſat, quod eccleſiæ magiſtros docere non audeat.

CAPVT XIIII.

AC ne cuipiam meus ſermo præſumptuoſus appareat, ſi quales non eſſe vel eſſe debeant omnes ſacerdotes oſtendat: non generaliter, ſed de vno mihi video eſſe dicendum, & de te potiſſimum qui hoc mihi (tua pace dixerim) temerè delegaſti periculoſi ſermonis officium. Nec incognita vobis, ſed viitata debeo comprehendere, quæ ſolemus inter nos mutua confabulatione conferre. Quibus breuiter declaratis, non puto quòd relationem meam * magis, quam diſputationem quiſquam iuſtè poſſet alicuius temeritatis arguere, quaſi patres meos audeam docere, à quibus normam viuendi accipere ſum paratus & diſcere.

E

* C. quiſquam iuſtè poſſit alic.

De negligentia ſacerdotis, qui doctrina ſuæ agendo contraria, perſonam non poteſt implere doctoris.

CAPVT XV.

REcolite ergo quanta, & qualia me audiente, quæ probante dicere ſoleatis de adminiſtratione pontificis, qui populi ſibi commiſſi cura poſthabita ardentius bona præſentia deſiderat, quam futura: & oblitus quod non ſolum de ſe, ſed etiam de grege ſibi credito rationem paſtori paſtorum omnium reddat, ſua ſuorumque detrimenta non cogitat. Quem non delinquentium peccata contriſtant, nec proficientium bona lætificant: ſed de ſe tantum, plerunque autem nec de ſe omnino ſolicitus, quid à ſuis boni malive geratur ignorat: qui non prædicat perſeuerantiam iuſtis, pœnitentiam prauis, contemptum mundi conuerſis, futuras pœnas auerſis: qui non poteſt dicere contemptoribus admonitionis ſuæ, Futurum cogitate iudicium, quod ipſe fortè non cogitat: amatoribus mundi, *Nolite diligere mundum*, ſi eum mundi amor oblectat: ambitioſis, ambitioni * finem imponite, ſi eum ambitio ruinoſa præcipitat: ebrioſis, * ebrietatem cauete, ſi ſe mero vſque ad alienationem mentis ingurgitat: ſumptuoſis dapibus crudus, non poteſt ſuis abſtinentiam laudare, quam calcat: vitio cupiditatis addictus, cupidis amorem non poteſt diſſuadere pecuniæ: inimicitiarum tenax, non audebit animos diſſidentium ſacerdotali tranquillitate componere: iuſtitiam prædicare iudicibus erubeſcit, quam ipſe perſonæ potentis fauore corrumpit: nec defendit oppreſſos, ſi perſonas aut honorat, aut deſpicit: & quicquid boni non facit aut mali committit, nec iubebit fieri, nec vetabit: quia neceſſariam docendi authoritatem contrarietate ſuæ actionis aut amittit, aut minuit.

F

1. Ioan. 2.

* C. addi ta.

* C. ebrioſitatem.

G

Quale periculum maneat eos, qui eccleſiam ſibi creditam vel relinquere volunt, vel ſtrenuè gubernare contemnunt.

CAPVT XVI.

HÆc atque his ſimilia memorantes, epiſcopatus vos accepti pœnituit, qui, ſicut adminiſtratorem ſuum, ſi probè adminiſtretur, illuſtrat: ita contemptorem ſui condemnat. Denique volentes eccleſiam vobis creditam, velut impares ei regendæ dimittere, atque in aliquam ſolitudinem * non tam ſtudio quietis, quam ipſius officij veſtri deſperatione ſecedere: nulla res alia vobis exegit in melius mutare conſilium, niſi quòd veriti eſtis periculum * maius incurrere: quoniam * ſi periculoſum eſt nauim inter fluctus cautè non regere, quanto periculoſius eſt eam vndis intumeſcentibus fluctuantem in tempeſtate relinquere? Ad quam ſicut ſatius eſt non * aſcendere, ita ſemel ſuſceptam cõuenit fluctuantis pelagi proiecta formidine, ac ſpe perueniendi concepta, vſque in portum ſine vlla mercium iactura perducere. Quę cùm vobis comparatio placuiſſet, adiunxi: Et idcircò eccleſia quæ velut nauis magna per mare mundi huius enauigat, quæ diuerſis tentationum fluctibus in hac vita contunditur, quæ immundorum ſpirituum perſecutionibus velut quibuſdam procelloſis fluctibus in diuerſa iactatur, quæ ſcandalorum cautibus vadoſis illiditur, quæ * velut aggere arenæ grauantis cingitur, non relinquenda eſt, ſed regenda: quæ ſicut omnes quos vehit perducit incolumes gubernatoris vigilantia gubernata, ita non ſolum omnes quos habet, ſed etiam ipſum gubernatorem perdet ſubmerſa fluctibus aut ſoluta.

* C. deeſt.

H

* C. magis incũbere

* C. deeſt ſi.

* C. accedere.

* C. deeſt velut,

A

Vbi anxium quòd eccleſiam nec relinquere, nec regere poſſit, prouocat ſuggerendo, quòd eam melius regat exemplo.

CAPVT XVII.

HÆc atque huiuſcemodi me proſequente permoti grauiter ingemuiſtis, vos in eam neceſſitatem fuiſſe perductos, quam nec implere aliquo ſtudio, nec ſine peccato relinquere valeretis: ac deinde, cum pijs gemitibus veſtris ea qua vobis obſtrictus ſum cordis affectione compaſſus, orando, vos dixi poſſe perficere, quod non poſſetis docendo ſuggerere: pluſque fideles catholicos bonis exemplis, quam luculentis verbis ſolere proficere: eamque eſſe ſummam perfectamque doctrinam, quam conuerſatio ſpiritualis * oſtenderit, non quam inanis ſermo * iactitarit: nec à vobis in die iudicij verba quærenda, ſed opera. nec facilè * perſuaderi eſſe poſſibile, quod docet lingua, ſi à lingua vita diſſentiat. Illud autem * probari poſſibile, quod ſiue prædices, ſiue non prædices faciendo confirmas, & imitari volentibus cum quadam delectatione ipſius poſſibilitatis inculcas: vos mea ſuggeſtione paululum delectati, hoc protinus, ſi me non habet obliuio, retuliſtis.

*C. oſtenderet.
B
*C. iactitaret.
*C. perſuadere.
*C. probare.

Quod parum valeat exemplo agenda monſtrare, niſi etiam quæ ſint credenda docendo ſacerdos oſtenderit.

CAPVT XVIII.

2. Theſſ. 3.
1. Petr. 5.

ETiam ſi tota perfectio in opere tantum, non etiam in fide conſiſteret: nec quid homo crediſſet, ſed quid egiſſet, in die iudicij quæreretur: quis erit tantæ arrogantiæ, qui eccleſiaſticæ doctrinæ authoritate neglecta, de ſua ſibi iuſtitia blandiatur? cùm non ſolùm, ſecundum Apoſtolum, nos oporteat formam præbere fidelibus, ſed etiam eos ipſos fideles, qui nobis diuinitus * inſtituendi commiſſi ſunt, inſtruere debeamus, de patre quomodo ſolus accipiatur ingenitus: de filio, quomodo ex ipſo ſit genitus: de Spiritu ſancto, quomodo ex patre * ac filio procedens, nec ingenitus poſſit dici, nec genitus: qualiter iſta tria vnum ſint & hoc vnum non diuidatur, ſed diſtinguatur in tria: quemadmodum nec pater, nec Spiritus ſanctus, ſed ſolus filius de ſolo patre ineffabiliter natus, hominem totum ſine vlla mutatione ſubſtantiæ ſuæ ſuſceperit: ac ſe Deum & hominem verum per virtutes, paſſioneſque probauerit, comprehendi permiſerit, occidi voluerit, tertia die reſurrexerit, in cœlo hominem de nobis aſſumptum ſua virtute leuauerit, ſuæ reſurrectionis exemplo nobis regeneratis in ſe ſpem feliciter reſurgendi præſtiterit: membra ſua nos fecerit: non credentibus ſibi, vel à ſe recedentibus ſupplicium comminatus ſit, & adhærentibus ſibi regnum cœleſte promiſerit.

C
*C. intuendi.
*C. &.
D

De virtute fidei, quod ad eam non ſolum credere, vel intelligere, ſed etiam bene operari pertineat.

CAPVT XIX.

HÆc & * alia, & ſacerdos noſſe debet, vt doceat: & populus credere, vt * quæ doceatur, intelligat: dicente Apoſtolo: *Niſi credideritis, non intelligetis.* Vnde datur intelligi, quod non fides ex intellectu, ſed ex fide intellectus exiſtat: nec qui intelligit, credat: ſed qui credit, intelligat: & qui intellexerit, bene agat: ſicut alibi ſcriptum eſt: *Noluit intelligere vt bene ageret.* Non dixit, non potuit, ſed noluit * intelligere, vt nihil aliud nolle intelligere dictum, quam nolle credere nouerimus, ac per hoc vt bene agat quis, intelligere ſtudeat, & vt intelligat, credat. Sed quia idem Apoſtolus dicit, *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei*, debet doctor eccleſiæ, prædicare, quod audiat crediturus: quia ſine prædicatione nullus erit auditus, eodem Apoſtolo conteſtante atque dicente: *Quomodo audient ſine prædicante?* Si ergo quilibet ſine prædicante non audit, ſine auditu non credit, ſine fide non intelligit, ſine intellectu bene non agit: verbum * fidei prædicandum eſt, vt audiens credat, credens intelligat, & intelligens bonum opus perſeueranter exerceat: quoniam eum qui poteſt vti liberæ voluntatis arbitrio nec opera ſine fide nec fides ſola ſine operibus iuſtificat. Et ideo ſi corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, * qui non crediderit, non habendo fidem, nec iuſtitiam cordis habere poterit, nec ſalutem.

* C. talia
*C. ea quæ doceatur.
Eſai 7. iuxta 70. & Matth. 13. ac Act. 28.
*C. deeſt.
Pſal. 35.
Rom. 10.
E
Ibidem.
*C. Dei.
* C. quoniam qui.

Quod nihil proſit ſacerdoti, etiam ſi bene viuat, ſi malè viuentem tacendo non corrigat.

CAPVT XX.

1. Petr. 5.
F

QVod verò dicit Apoſtolus, vt nos formam debeamus exhibere fidelibus, quid valebit, ſi is cui vel exhortandi bonos, vel caſtigandi malos cura commiſſa eſt, bene viuendo ſe imitandum bonis exhibeat, & malos tacendo non corrigat? Ad hoc enim, niſi me fallit opinio, ſanctè viuendum eſt ſacerdoti, ne dicta ſua repugnantibus factis euacuet: ſi quod prædicat fieri debere, non faciat: aut ſi quod non facit, prædicare præſumpſerit. * Si autem aliter egerit, nihil apud eos, qui eius vitam nouère, proficit: quia ad hoc eſt eccleſiæ Dei præpoſitus, vt non ſolùm bene viuendo, alios exemplo ſuæ conuerſationis inſtituat, ſed etiam fiducialiter prædicando, ſingulis ante oculos peccata ſua conſtituat: quæ pœna maneat duros, quæ gloria obedientes, oſtendat, nullius ſalutem deſperando contemnat: animas emendari nolentium plangat, imitatus Apoſtolum, qui ait: *Vt lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam,* & iterum: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Quapropter ſciens quòd ſi quibuſlibet diuitibus ac potentibus * parcat, malè viuentibus autem * faueat, eos perdat ſimul & pereat: & ſanctè viuere debet propter exemplum, & docere propter ſuæ adminiſtrationis officium: certus, quod ei nihil ſua iuſtitia ſuffragetur, de cuius manu anima pereuntis exigitur: quando quicunque alius perierit, quem nulla docendi neceſſitas manet, ſolus pœnas ſceleris ſui dabit: Ille autem, cui diſpenſatio verbi commiſſa eſt, etiam ſi ſanctè viuat, & tamen perditè viuentes arguere aut erubeſcat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit. Et quid ei proderit non puniri ſuo, qui puniendus eſt alieno peccato? Mentior, * ſi non hoc Dominus per Ezechielem Prophetam ſub cuiuſdam terroris denuntiatione loquitur, dicens ad eum: *Et tu fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael.* Nec hoc tranſeunter debemus audire, quòd ſacerdotem ſpeculatorem appellat: vt ſicut ſpeculatoris eſt, de loco editiori proſpicere, & plus omnibus contemplari: ita ſacerdos debet eſſe * propoſita ſublimitate celſior cunctis, * & maioris ſcientiæ habere gratiam, qua poſſit ſub ſe viuentes inſtruere. Videamus iam quid diuinus ſermo contineat. *Audiens*, inquit, *ex ore meo ſermonem, annuntiabis eis ex me:* vt hoc dicat ſacerdos, quod ex diuina lectione didicerit: quod illi Deus inſpirauerit, non quod præſumptione humani ſenſus inuenerit. *Annuntiabis eis*, inquit, *ex me.* Ex me, non ex te mea verba loqueris. Non eſt * quo in eis, tanquam de tuis infleris. *Ex me*, inquit, *eis annuntia.* Sed iam quid annuntiet, audiamus. *Si me dicente ad impium, Impie morte morieris: ſi non fueris locutus, vt cuſtodiat ſe impius à via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem verò eius de manu tua requiram.* Quid potuit expreſſius, quid apertius poteſt dici? Si impio, inquit, non locutus fueris, vt ab impietate ſua ſe cuſtodiat, & ille perierit, ſanguinem eius de manu tua requiram. Hoc eſt dicere: Si ei peccata ſua non annuntiaueris, ſi eum non argueris, vt ab impietate ſua conuertatur, & viuat: & te, qui non increpaſti, & ipſum, qui te tacente peccauit, flammis perennibus perdam. Quis rogo tam ſaxei pectoris, quis tam ferreus erit, quem ſententia iſta

* C. deeſt totum illud. Si autem aliter egerit.
2. Cor. 12.
2. Cor. 11.
G
C. potentibus malè viuenti b parcat, an faueat.
* C. niſi.
Ezech. 33.
H
*C. propoſiti.
*C. ac.
Ibidem.
* quòd ex eis
Ibidem.

A

non terreat? quis tam alienus à fide, qui ſententiæ illi non credat?

Luctuoſa deſcriptio ſacerdotis carnaliter viuentis.*

*C. carnaliter viuẽtiũ ſacerdotum.

CAPVT XXI.

SEd nos præſentibus delectati, dum in hac vita commoda noſtra, & honores inquirimus: non vt meliores, ſed vt ditiores: nec vt ſanctiores, ſed vt honoratiores ſimus cæteris feſtinamus: nec gregem Domini, qui nobis paſcendus, tuenduſque commiſſus eſt, ſed noſtras voluptates, dominationem, diuitias, & cætera blandimenta carnaliter cogitamus, paſtores dici volumus,* nec tamen eſſe contendimus, officij noſtri vitamus laborem, appetimus dignitatem. Immundorum ſpirituum feras à grege dilacerando non pellimus, & quod eis remanſerit, ipſi conſumimus, quando peccantes diuites vel potentes non ſolum non arguimus, ſed etiam veneramur, ne nobis aut munera ſolita offenſi non dirigant, aut obſequia deſiderata ſubducant: ac ſic muneribus eorum, & obſequijs capti, imò per hæc illis addicti, loqui illis de peccato ſuo, aut de futuro iudicio formidamus. Et ideo minaciter ſuperbiam noſtram diuinus ſermo contundit: ſed noſter auditus nihil vnde proficiamus admittit: quia præſentis vitæ capti dulcedine, quæ pœna* negligentiam noſtram maneat in æternum, nolumus cogitare. In paſtores ergo dicuntur iſta, de quorum nobis inani appellatione blandimur. *Hæc dicit Dominus: Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos. Nonne greges paſcuntur à paſtoribus? Lac comedebatis, & lanis operiebamini: quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis: & quod ægrotum, non ſanaſtis: quod fractum erat, non alligaſtis & quod abiectum, non reduxiſtis. Quod perierat, non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia, & diſperſæ ſunt oues meæ, eò quod non eſſet paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri.* Et paulò poſt: *Propterea paſtores audite verbum Domini: Viuo ego, dicit Dominus: quia pro eo quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium beſtiarum agri, eò quod non eſſet paſtor: neque enim quæſierunt paſtores gregem meum: ſed paſcebant paſtores ſemetipſos, & gregem meum non paſcebant. Propterea paſtores audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus: Ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare eos faciam, vt vltrà non paſcant gregem meum, nec paſtores ampliùs paſcant ſemetipſos.* Quis ad hæc non contremiſcat? Quis iſta ſine intolerabili metu futuræ examinationis accipiat, niſi qui aut non intelligat, aut futura non credit? Sed* quia omnia quæ Deus obſeruari voluit, tam apertè poſuit, & ita nominis ſui authoritate firmauit, vt* ea facilius (quod dictu quoque nefas eſt) contemnamus,* quam nos intelligere vel non credere tam aperta, & diuina fingamus, quando audimus, *Hæc dicit Dominus*: quis non futurum eſſe credat, quod dicit* Dominus, niſi qui Deo non credit? Quod autem dicit. *Væ paſtoribus,* iſtud væ, pro maledicto* poni & paſtorum nomine nos ſignificari, quis non intelligat, niſi qui* futura non cogitat?* Gregem Domini* paſcendum paſtores facti* ſuſcepimus, & nos ipſos paſcimus, quando non gregum vtilitati proſpicimus, ſed quid foueat, & augeat noſtras voluptates, attendimus: lac & lanas ouium Chriſti* oblationibus cotidianis ac decimis fidelium gaudentes accipimus, & curam paſcendorum gregum ac reficiendorum, à quibus peruerſo ordine volumus paſci deponimus. Non ſanamus ſpirituali conſilio peccatis infirmum, non ſacerdotali ope conſolidamus* atque reficimus diuerſis tribulationibus fractum, non ad viam ſalutis reuocamus* errantem non requirimus ſolicitudine paſtorali veniæ deſperatione iam perditum: ad hoc tantùm potẽtes effecti, vt nobis in ſubiectos dominationem tyrannicam vindicemus: non vt afflictos contra violentiam potentium, qui in eos ferarum more ſæuiunt, defendamus. Inde eſt quod* tam à potentibus huius mundi, quàm à nobis, quod peius eſt, nonnulli grauiter fatigati depereunt, quos ſe de manu noſtra Dominus re-

*C. non.

B

*C. negligentię noſtrę immineat.

Ezech. 34.

C

Ibidem.

Ibidem.

*C. deeſt quia.

*C. add. non.

*C. & nequaquam nos non intelligere tã aperta & d. f.

*C. Deus

*C. ponit.

*C. futurũ

D

*C. greges.

*paſcẽdos

*ſuſcipimus.

*C. videlicet oblationes cotidianas ac decimas.

*C. aut.

*C. errorum.

*C. add. non.

E

quiſiturum terribiliter comminatur dicens: *Requiram oues meas de manu paſtorum, & ceſſare eos faciam, vt vltrà non paſcant.* Quod quid eſt aliud, quàm, paſtores qui ſemetipſos, non gregem meum paſcunt, ſublimitate ſuæ dignitatis expoliam, & inter reprobos, quia honorem ſuum* noluerunt cuſtodire proijciam? Horum & his ſimilium conſideratione perterritus* Propheta, *Timor & tremor*,* inquit, *ceciderunt ſuper me & contexerunt me* peccatorum* meorum tenebræ, & dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Et hoc eſt totum propter quod imperitiæ meæ ac futuri finis recordatus ingemui, & volui ſarcina epiſcopatus mei depoſita elongare fugiens, & manere in ſolitudine, & ibi expectare Dominum, qui me ſaluum faceret à puſillanimitate mea, & ab ipſa intolerabilium mihi ſolicitudinum tempeſtate.

Ibidem.

* *Aliàs* venerunt.

*nõ eſt in C. proph.

*C. deeſt

*C. nõ habet duas has voces

Pſal. 54.

Quòd ſecundùm ſermonem Prophetæ, culpa ſua pereant, qui ſacerdotum increpationes, vel admonitiones peruerſa voluntate contemnunt.

F

CAPVT XXII.

AD hæc ego tunc, Sic, inquam, iſta inuidioſis quæſtionibus iactas, & in ſugillationem pontificum, vel certè ipſius pontificatus exaggeras, quaſi non vbi iſta legiſti, quibus rationabiliter permoueris, ibi & illa ſint, quæ à vobis prætermiſſa, breuiter in excuſationem officij ſacerdotalis attingam. Poſt illa verba, quibus negligentium ſacerdotum finis oſtenditur, de pontifice officium ſuum curante Propheta ſic loquitur: *Si autem adnuntiante te ad impium vt à vijs ſuis conuertatur, non fuerit conuerſus à via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, & tu animam tuam liberaſti.* Hic certè ſatis euidenter oſtenditur, quòd ſiue proficiant, ſiue non proficiant auditores, tacere eis non debeant ſacerdotes: nec ideo rei ſint, ſi forte eorum verba populi non* audiunt, vel audita* contemnunt: ſed ſi ab eis corrigendis* abſiſtunt: quia ſi nec exemplo vitæ præpoſitorum ſuorum, nec verbo doctrinæ populi contumaces emendati proficiunt, ipſi ſibi cauſa ſuæ perditionis exiſtunt, & doctores ſuos quorum exempla ſimul ac verba deſpiciunt, inuoluere criminibus ſuis omnino non poterunt. Quod idem Propheta euidentiùs alio loco proſequitur dicens: *Speculator ſi viderit gladium venientem ſuper terram, & cecinerit buccina, & annunciauerit populo: audiens autem, quiſquis ille eſt, ſonum buccinæ non ſe obſeruauerit, veneritq; gladius, & tulerit eum: ſanguis ipſius ſuper caput eius erit. Sonum buccinæ audiuit, & ſe non obſeruauit, ſanguis eius in ipſo erit. Si autem ſe cuſtodierit, animam ſuam ſaluabit.* Hic autem quid agere debeat qui fungitur ſpeculatoris officio, diuinus ſermo ſatis oſtendit, ſcilicet vt quando viderit venientem gladium ſuper terram, hoc eſt, iram Dei ſuper peccatores, operibus terrenis addictos, omnino non taceat, atque eis quamdiu inhæſerint* iniquitatibus ſuis, impendere diuinæ indignationis interitum denunciare non deſinat, ſed clarè & publicè arguat: quia hoc buccinæ nomen inſinuat, vt ſic ſe à ſuis criminibus emendantes, ſupplicium futuræ damnationis effugiant. Quòd ſi corripientem, ſi iram futuram, quæ contemptoribus iam imminet, nunciantem, homines terreni deſpiciunt, ſanguis eorum in ipſis erit: & ſacerdos qui eis peccata ſua non tacuit, pœnæ, quæ eos expectat, particeps eſſe non poterit.

Ezech. 33.

G

*C. audiãt

*C. contemnant.

*C. abſiſtant

Ezech. 33.

C. iniquitatib

H

Quòd ſacerdotes, etiam qualiter poſſunt, tam ſimpliciter docere debeant, vt omnes eos docentes intelligant.*

*C. qualiter.

CAPVT XXIII.

NEc verò ſe per imperitiam pontifex excuſabit, quaſi propterea docere non valeat, quod ei ſufficiens & luculentus ſermo non ſuppetat, quando nulla alia ſacerdotis doctrina debet eſſe quam vita, ſatiſque auditores poſſint proficere, ſi à doctoribus ſuis quod

videant

A
1. Cor. 11.

† C. non ædificare eccleſiam velle.

vident ſpiritualiter fieri, hoc ſibi etiam ſimpliciter audiant prædicari, dicente Apoſtolo: *Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia.* Vnde datur intelligi, quòd non ſe debeat eccleſiæ doctor de accurati ſermonis oſtentatione iactare, ne videatur † eccleſiam Dei non velle ædificare, ſed magis ſe quantæ ſit eruditionis oſtendere. Non igitur in verborum ſplendore, ſed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat: non vocibus delectetur populi adclamantis ſibi, ſed fletibus, nec plauſum à populo ſtudeat expectare, ſed gemitum. Hoc ſpecialiter doctor eccleſiaſticus elaboret, quò fiant qui audiunt eum ſanis diſputationibus meliores, non vana aſſentatione fautores. Lachrymas quas vult à ſuis auditoribus fundi, ipſe primitus fundat, & ſic eos compunctione ſui cordis accendat. Tam ſimplex & apertus, etiam ſi minus Latinus, diſciplinatus tamen, & grauis ſermo debet eſſe pontificis, vt ab intelligentia ſui nullos, quamuis imperitos, excludat: ſed in omnium audientium pectus cum quadam delectatione deſcendat.

B

Quid interſit inter doctores, qui eccleſiam ſimpliciter docentes ædificant, & eos qui eloquentiam ſuam luculentis declamationibus iactant.

CAPVT XXIIII.

DEnique alia eſt ratio declamatorum, & alia debet eſſe doctorum. Illi elucubratæ declamationis pompam totis facundiæ ſuæ viribus concupiſcunt: iſti ſobrio vſitatoque ſermone Chriſti gloriam quærunt. Illi rebus inanibus pretioſa verborum induunt ornamenta: iſti veracibus ſententijs ornant, & commendant verba ſimplicia. Illi affectant ſuorum ſenſuum deformitatem tanquam velamine quodam phalerati ſermonis abſcondere: iſti eloquutionum ſuorum ruſticitatem ſtudent pretioſis ſenſibus venuſtare. Illi totam laudem ſuam in fauore vulgi: iſti in virtute Dei conſtituunt. Illi plauſibiliter dicunt, & nihil auditoribus ſuis declamando proficiunt: iſti vſitatis ſermonibus docent, & imitatores ſuos inſtituunt: quia rationem ſuam nulla fucatę compoſitionis † affectatione corrumpunt.

C

† C. affectione.

Quales eſſe debeant ſacerdotes qui volunt fieri vitæ contemplatiuæ participes.

CAPVT XXV.

QVocirca, ſi ſacerdotes ſancti (non quales illi ſunt, quos iudicandos, atque damnandos, comminatio diuina pronunciat: ſed quales apoſtolica doctrina commendat) multos ad † Deum ſanctè viuendo & prædicando conuertant: ſi nihil * imperio, ſed omnia humiliter agant, ac ſe communes eis quibus ſunt præpoſiti, ſtudio ſanctæ dilectionis exhibeant: ſi infirmitates carnaliter viuentium fratrum modò verborum ſalubrium medicaminibus curent, modò quas incurabiles iudicant, patientiæ virtute ſuſtineant: ſi moribus ac prædicationibus ſuis non ſuam, ſed Chriſti gloriam quærant: nec verba ac facta ſua in † pretium fauoris conciliandi miſerabiliter perdant, ſed quicquid ſibi ſacerdotaliter viuentibus atque docentibus honoris impenditur, Deo ſemper adſcribant: ſi non inflentur officioſis occurrentium ſalutationibus, ſed grauentur: nec honorari ſe, ſed onerari fauentium ſibi laudibus † credant: ſi conſolentur afflictos, paſcant egenos, veſtiant nudos, redimant captiuos, ſuſcipiant peregrinos: ſi errantibus viam ſalutis oſtendant, deſperatis ſpem veniæ conſequendæ promittant, currentes impellant, remorantes accendant, & quicquid ad officium ſuum pertinet conſtanter exerceant: quis ſic erit alienus à fide, vt dubitet tales contemplatiuæ virtutis eſſe participes, quorum exemplo ſimul ac verbo plures fiunt regnorum cœleſtium cohæredes? Iſti ſunt miniſtri verbi, adiutores Dei, oraculum Spiritus ſancti. Per tales Deus placatur populo, populus inſtruitur Deo. Iſti ſunt Apoſtolorum Domini ſucceſſores,

† C. dominum.
† C. deeſt, ex.
D
† C. precio ſine in.
† C. cedãt

E
† C. iudicijs.

qui eccleſias quas illi † editis mirabilibus fundauerunt, mirabiliter apoſtolicis præditi virtutibus regunt: qui fidem Catholicam aut diſputationibus, aut ſi ita neceſſitas poſcat, membrorum ſuorum laceratione defendunt, pro qua totis viribus retinenda amiſſis facultatibus ſuis etiam mori parati ſunt. Fidelium catholicorum virtutibus creſcunt, qui per eos Deo autore proficiunt, & Deo ſuo inſeparabiliter adhærentes, in quo ſibi credunt ſolida ac permanſura bona repoſita, mundi huius gaudia fugitiua faſtidiunt. Hactenus ſuperioribus capitulis ſermonem † lacinioſæ diſputationis prolixitate produximus: in quo quæ eſſet vitæ contemplatiuæ proprietas, quæ differentia ipſius & actiuæ, & qualiter contemplatiuæ virtutis ſacerdotes fieri participes poſſint, ſufficienter, vt opinor, oſtendimus: ideoque huic tandem libro terminum dantes, in ſecundo volumine alia tria capitula, adiuuante Deo conatum noſtrum veſtris orationibus tractabimus, vt in tertio libro de reliquis quatuor, quibus vitiorum atque virtutum diſcutienda continetur ratio diſſeramus.

† C. lacunoſæ.
F

FINIS LIBRI PRIMI.

PRÆFATIO
LIBRI SECVNDI.

SVperiori libro rationem contemplatiuæ vitæ * complexus, pro viribus quas Dominus donare dignabitur, de actuali vita, ſicut promiſi, diſputare conſtitui. Quapropter * ſicut in præfatione primi voluminis feci, hîc quoque officij mei neceſſitatem paucis aperio: quia ſi potuiſſem ſine inobedientiæ noxa quod iubebatis abnuere, nunquam me propriæ voluntatis inſtinctu committerem obtrectatorum maleuolo denti carpendum: qui nolentes aduertere quàm inuitus hæc ſcribenda ſuſceperim, totum quod eſt veſtræ iuſſionis, applicaturi ſunt fortè vitio vanitatis: maximè ſi de rebus talibus locuturus, quibus eccleſiaſticorum penè omnium conuerſatio tenenda deſcribitur, aliquid tale poſuero, quod ſeculariter viuentium mentes offendat: Et * dum in deſcriptione eccleſiaſticæ vitæ mores ſuos (quos neſciri magis, quàm emendari volunt) viderint publicari, in me tanquam ſuorum actuum proditorem, carnaliter commoti deſæuiant: atque ea quæ fuerint donante Deo prolata, etſi rationabiliter dicta dijudicent, à me dici tamen non debuiſſe contendant: ſicque aut materiam diſputationis, aut perſonam diſputantis irrideant. Sed quoniam ſana mens incomparabiliter ampliùs obedientiæ fructum debet appetere, quàm vitare iniuſtæ obtrectationis opprobrium, leuiùs me credidi * grauari reprehendentium dicta mea iudicio, quàm pertinacis inobedientiæ ſubiacere periculo. Proinde ſecurus, * quòd vos mihi perficiendi facultatem precibus impetretis à domino, * qui iuſſiſtis vt loquerer, & præſumptionem meam apud eos qui me iudicaturi ſunt excuſetis, * opus ſuſceptum vobis orantibus adiuuandus expediam. Sed priuſquam membratim ſingula quæ propoſuiſtis abſoluam, vniuerſaliter de ipſa re, quæ in hoc libello tractanda eſt; pauca mihi video eſſe dicenda: quibus euidenter appareat, qua ratione mihi ſuccenſeri poſſe præfatus ſum, ab eis qui magis quis dicat, quàm quid dicat attendunt: nec rationem dictorum, ſed dignitatem dicentium praua examinatione diſcutiunt: & quod facere aut fieri nolunt, dici quoque ſibi faſtidiunt: paratiores aliquid doctrinæ, etiam quod ſcire cupiunt, ignorare, quàm à perſona inferiore cognoſcere: cùm veritas, vndecunque claruerit, non ſit ingenio humano deputanda, ſed Deo: nec aliquorum debeat credi, ſed omnium, quæ per ſe tanta & talis eſt, vt non ſit tunc magna, ſi eam magni docuerint, ſed pòtiùs ipſa magnos faciat eos, quibus doceri vel * dici potuerit. Voluiſtis itaque vobis proprietatem

* C. cõplexus ſum nunc p. v.
* C. quod
G
* C. cùm
* C. graua re reprehẽdentiũ dicta, meo iudicio.
H
* C. add. ſum.
* C. add. vt op. ſuſ.
* Alias diſci. C.

A

vitæ actualis exponi, vt vos cum veſtris ſecundum ipſam vixiſſe ſemper, & viuere probaretis: nõ qualiter vobis eſſet viuendum, meis diſputationibus diſceretis. Siquidem conuerſatio religioſa actualis eſt vita, quę docet, quomodo præpoſiti ſub ſe regant viuentes, & diligant: ac nõ minùs de eorum, quàm de ſua ſoliciti ſalute, quod eis expedire ſciunt, paterna cura prouideant: & qualiter propoſito ſuo ſubiecti, tanquã capiti membra deſeruiant, ac præcepta eius velut imperium Dei ſummo amore cuſtodiant: hoc eſſe ſanctum, hoc ſibi ſalubre & neceſſarium iudicantes, quod rectori ſuo placuerit: nõ quod eis in perniciem ſui arrogantia * vitioſæ mentis dictauerit. Ideoque obedientię ac patientiæ virtute fundati, maiorum ſuorum nõ diſcutiunt conſtituta, ſed faciunt: & quando rigor exigit diſciplinæ, vt ſeueritate arguantur, acceptam correptionem magnanimiter ferunt: nec motibus eorum, à quibus fuerint obiurgati, ſed ſuis negligentijs, quòd caſtigantur, adſcribunt. Ciues quoque ſuos plebeios * & nobiles, diuites ac potentes, qualiter tractare * & regere debeant ſacerdotes, huius libelli ſeries continebit. Quæ ego, ſicut ſæpe iam dixi, ſcribere non auderem, ſi vobis negare aliquid potuiſſem. Sed iã capitula ipſa diſſerenda ponamus. Quæſiſtis igitur vtrum æquanimiter ſuſtinendi ſint diuina præcepta calcantes, an pro modo peccati debeant eccleſiaſtica ſeueritate coargui.

* C. mentis vitioſę.

* C. ac.

* C. atq;

B

CAPITA LIBRI SECVNDI.

CAP. I. *Quòd pro diuerſitate peccantium, alij portandi ſunt, alij caſtigandi.*

Cap. 2. *De laude ſanctorum ſacerdotum.*

Cap. 3. *De teſtimonijs apoſtolicis, vel de expoſitione eorum.*

Cap. 4. *Obiectio, quare ſacerdotes ſancti, quorum cura eſt perditè viuentes arguere, ſimulatores religionis æquanimiter ferant.*

Cap. 5. *Reſponſio, vbi oſtenditur, quibus exigentibus cauſis, quorũdam infirmitas blandè tractetur.*

Cap. 6. *Quòd illi peccata aliena impatienter accuſant, qui ſua nõ cogitant.*

C

Cap. 7. *Quantum remedij habeat confeſſio peccatorum, & quale mereatur occultatio doloſa ſupplicium.*

Cap. 8. *Quòd iniquè, & non ſimpliciter arguentes, vani ſint, ac diuino iudicio condemnandi.*

Cap. 9. *Quòd ſacerdotes nihil proprij habere debeant, & eccleſiæ facultates quaſi cõmunes, vtpote Deo rationem reddituri, ſuſcipiant.*

Cap. 10. *Cum quo damno animæ ſuæ ab eccleſia, quæ pauperes paſcit, accipiant illi, qui ſibi de ſuo ſufficiunt.*

* C. ope.

Cap. 11. *Qui ſint, qui etiam cum profectu animæ ſuæ * opibus ſuſtentantur eccleſiæ.*

Cap. 12. *Quid facere debeant clerici, quorum infirmitas non poteſt ſua contemnere.*

* C. quod impedimentum.

Cap. 13. *Quæ ſint gaudia vera, vel veræ diuitiæ: & * quid impedimenti afferant bona præſentia amatoribus futurorum.*

Cap. 14. *Qualiter intelligatur, quod dicit Apoſtolus, Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edant.*

Cap. 15. *De cupiditate, qualiter eos, quos ſemel inuaſerit, domnetur.*

D

Cap. 16. *Quòd Deum perfectius illi poſſideant, qui terrenis poſſeſſionibus ex corde renuntiant.*

Cap. 17. *Quòd nihil proficiant, qui abſtinentes à cibis, vitijs ſeruiunt: nec proſit illis facultates abijcere, qui ſuas faciunt voluntates.*

Cap. 18. *Quanta bona primus homo, abſtinentiæ bonum negligendo perdiderit.*

Cap. 19. *De peccato primi hominis, & de malis quæ illum peccantem, Deo iudicante, ſecuta ſunt.*

* C. recipimus.

Cap. 20. *Quòd omnia bona, quæ in Adam corrupti perdidimus, in Chriſto reparati * recipiemus.*

* C. quã.

Cap. 21. *Qualiter viuere debeant, qui Chriſtũ imitari deſiderant.*

Cap. 22. * *Quali temperantia vti debeant, qui à voluptate delectabilium, vel ab immoderata perceptione ciborum communium, atque à vini immoderato vſu cupiunt abſtinere.*

Cap. 23. *Quòd vtentes carnibus concupiſcentia carnium polluat, non natura.*

* C. præfertur.

Cap. 24. *Quam vtile ſit, ieiunio vel abſtinentiæ, adueniẽtium charitatem plerumque * præferre.*

E

S. PROSPERI AQVITANICI, DE VITA CONTEMPLATIVA,

Liber ſecundus.

Quòd pro diuerſitate peccantium alij portandi ſunt, alij caſtigandi.

CAPVT I.

F

SI vna omnes ægritudine mentium laborarent, ac paribus animorum morbis affecti, nihil ab inuicem diſcreparent, aut ſuſtineri omnes neceſſe eſſet, aut argui. Nunc verò propterea * portandi ſunt alij, alij caſtigandi, quia pro diuerſitate peccantium, modus quoque diuerſus eſt * præceptorum. Et vtique ita diſſimilia ſunt peccatis adhibenda remedia, ſicut ex diſſimilibus cauſis veniunt ipſa peccata. Pleroſque enim peccandi conſuetudo delectat, alios ad peccandum occaſio alicuius lucri temporalis inuitat, fragilitas nonnullos inclinat, quoſdam ignorantia boni facit neſcire quòd peccant, & impedit mali dulcedo, ne correpti aliquando ſapiant, quod ignorant. Taceo de illis, quos aliena delicta, quibus conſentiunt, decolorant. Illos etiam prætermitto, qui cupientes adipiſci quod diligunt, vel refugientes pati quod metuunt, aut fidem Catholicam produnt * ac mendacio præſtantiam veritatis addicunt. Illud * vero dico: Quis neſciat aliter homines cogitatione ſubita, aliter definitione delinquere aliter ſermone, aliter opere, aliter neceſſitate, aliter voluntate peccare? Cum igitur tam multiplicibus, ac multum ab inuicem diſtantibus modis homines peccent, quis non intelligat vno modo eis non poſſe vtique mederi, quorum tam diuerſi ſunt morbi? Et ideo dupliciter quidem fragilitas humana Dei præcepta contemnit, aut faciendo quod vetuit, aut non faciendo quod iuſſit. Sed * quomodo non ſolùm ex illis cauſis quas commemorauı, ſed etiam ex alijs quas nõ commemoraui, in præceptis ſuis * eum contemnunt, qui eius præcepta non faciunt: ſic debent omnes modò docendo modò exhortãdo, modò ſuſtinẽdo, modò increpando * curare, vt ſub ope Chriſti nullius ſalus in hac vita debeat deſperari. Iam nunc, ſi ſatis apparuit quòd diuina præcepta calcantes non ſolum portandi ſunt, ſed etiam caſtigandi: à quibus id fiat, qui, vel quo ordine, & quandiu curandi ſint qui curantur, adiuuantibus me * meritis & orationibus veſtris, debeo declarare.

* C. alij portandi ſunt, a. c.

* Alias peccatorum. G.

* C. aut.

* verò abeſt a. C.

G

* C quoniam.

* C. Dominum.

* C. curari

* meritis &c. non eſt in C.

H

De laude ſanctorum ſacerdotum.

CAPVT II.

AC ne fidẽ meus ſermo velut humana cõiectura non habeat, effectumque, dum ei parum creditur, perdat: ea quæ adiuuante domino demonſtrare conſtitui, vera eſſe diuinis teſtimonijs conabor oſtendere: ſi prius pauca de laude verorum ſacerdotum, qui ſunt eccleſiarum magiſtri protulero. Ipſis enim propriè animarum curandarum ſolicitudo commiſſa eſt: qui pondus populi ſibi commiſſi viriliter ſuſtinentes, pro peccatis omnium, velut pro ſuis infatigabiliter ſupplicant Deo: ac velut quidam Aaron incenſum contriti cordis, & humiliati ſpiritus offerentes, quo * placatur Deus, auertunt iram futuræ animaduerſionis à populo: qui per Dei gratiam fiunt diuinæ voluntatis indices, eccleſiarum Chriſti poſt Apoſtolos fundatores, fidelis populi duces,

Exod. 30. Leuit. 16. Num. 16.

* placatus Deus auertit C.

verita-

A

veritatis aſſertores, prauæ doctrinæ hoſtes, omnibus bonis amabiles, & malè ſibi conſcijs etiam ipſo viſu terribiles, vindices oppreſſorum, patres in fide Catholica regeneratorum, prædicatores cœleſtium, primi † phalanges

† Aliàs ſeminarie. validè ornat. Præſulo res.

militantium præliorum, exempla bonorum operum, documenta virtutum, & forma fidelium. Ipſi ſunt † Eccleſiæ † decus, in quibus amplius fulget Eccleſia. Ipſi columnæ firmiſſimæ, quibus in Chriſto fundatis, innititur omnis multitudo credentium. Ipſi ianuæ ciuitatis æternæ, per quos omnes qui credunt in Chriſtum, ingrediuntur ad Chriſtum. Ipſi ianitores, quibus claues datæ ſunt regni cœlorum. Ipſi etiam diſpenſatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula regis æterni diuiduntur gradus, & officia ſingulorum. Hi ſunt qui non ambiendo, ſed ſpiritualiter viuendo ſacerdotium meruerunt: quiq; non fautoris humani ſuffragio, ſed diuino munere ſublimari, nihil ſibi de præſtantia ſui principatus adplaudunt. Quos non inflammat honor acceptus, ſed exercet labor impoſitus. Qui non excellentiam ſuam cogitant prouecti, ſed ſarcinam: nec gloriantur de officij dignitate, ſed ſudant potius conſtituti ſub onere. Tales diuina ſcriptura ſpeculatores appellat, qui ſpeculantur actus omnium, & qualiter vnuſquiſq; cum ſuis in domo, qualiter in ciuitate cum ciuibus viuat, intentione religioſæ curioſitatis explorant: Quos bonos probauerint, honorando confirmant: quos deprehenderint vitioſos, arguentes emendant: aut ſi emendari noluerint, æquanimiter portant, habituri vberrimum fructum, aut de ſua diſtrictione, ſi correpti profecerint: aut de ſua patientia etiamſi illi quos ſuſtinent, emendari noluerint.

†C. decus Eccleſiæ.

B

Ezech. 3.

De teſtimonijs apoſtolicis, & expoſitione eorum.

CAPVT III.

C

Act. 20.

SEd iam diuina teſtimonia, ſicut promiſimus, proferamus. In Actib. apoſtolorum Paulus Apoſtolus ſacerdotib. dicit: *Ecce ego ſcio, quod amplius non videbitis faciem meã vos omnes, inter quos ambulaui prædicans regnum Ieſu Chriſti. Ideoq; conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum à ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quominus annuntiarem vobis omne conſiliũ Dei. Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam adquiſiuit ſanguine ſuo.* Regnũ Dei, inquit, inter vos ambulans prædicaui, vt me alienum ab omnium perditione ſeruarẽ, qui verbo doctrinæ ſalutaris audito, nihil promouentur ad ſalutem. Regnum Dei prædicat, qui de vita futura, quæ non habet finem; de contemplatione diuina, quæ non habet faſtidioſam ſatietatem: de ſanctorum beatitudine, quæ non habet defectionem: de angelorum ſimilitudine conſequenda prædicare non ceſſat: ita vt ſi ad hæc ineffabilia bona qui audiunt prouocari noluerint, abſolutus ſit ille qui eis † prædicando non tacuit. Quod autem ſecutus adiungit: *Non enim ſubterfugi, quo minus annuntiarem vobis omne conſilium Dei:* quid aliud facit intelligi, niſi vt Eccleſiaſticus doctor diſpoſitionem Dei (quod *conſilium Dei* vocat Apoſtolus) eis quos docet, aperiat? Aperit diſpoſitionis diuinæ conſilium, quando docet vt patres pietatem filijs ſuis impendendo, eam mereantur à domino, qui eſt omnium pater: † aperit † diuinæ † conſilium † pietatis, † cum † docet vt filij honorem debitum patribus ſuis exhibeant, non exhæredationis metu deterriti, ſed futuræ remunerationis deſiderio prouocati: quia præceptum † domini tam patres filios diligendo, quam filij honorificentiam ſuis exhibendo patribus complent, qui vtrumque iuſſit vt fieret. † Docet vt mariti fidem coniugalis thori ſuis vxoribus ſeruent: vt vxores maritos ſuos non ſtudio formæ lenocinantis adhibito, aut accuratione veſtium diuerſarum, ſed grauitate morum delectent, & operum ſanctitate. † Docet vt domini ſeruos velut eorum in Chriſto conſeruos miſericorditer tractent: & ſerui dominis ita ex corde deſeruiant, vt voluntatem non ſolùm dominorum ſuorum, ſed etiam Dei, hoc ipſum iubentis, efficiant. Vt inter ſe ciues cum ciuibus, cum amicis amici, cum parentibus parentes veram concordiam teneant: vt in nullo negotio alter alterum callida fraude decipiat: † aut ne in communi contractu fidem, quam ſibi ſeruari aliquis cupit, ipſe corrumpat. His & talibus & ſacerdos adnuntiat prædicando, & obediendo populus accipit Dei conſilium, ſine quo non peruenitur ad regnum, in quo ſolo executores diuini conſilij participes Deo autore futuri ſunt cœleſtium præmiorum. Deinde quod dicit Apoſtolus: *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam adquiſiuit ſanguine ſuo*, quis non videat, quòd tunc ſibi ſacerdotes attendunt, quando ſanctè viuendo, ac voluntatem † domini fiducialiter prædicando, Eccleſiæ Dei proſpiciunt: vt eis iam graue non ſit, infirmos Eccleſiæ ſuſtinere, pro quibus redimendis ſe dignatus eſt morti vitæ autor offerre? Sed † & ipſi qui docentur, vt ſapiant: qui increpantur, vt ſaltem obiurgati proficiant: qui ſuſtinentur, vt de ſuis aliquando criminibus erubeſcant, & gaudium ſuis doctoribus, quorum patientia blandè tractantur, † de vtilitatis ſuæ profectu, exhibeant, & ipſi nunquam libenter audiant, quid eis apoſtolico ore diuinus ſermo præcipiat: *Obedite*, inquit, *præpoſitis veſtris & ſubiecti eſtote eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant & non gementes, hoc enim expedit vobis.* Ergo doctoribus ſuis debent obedire qui audiunt, atq; eis cum reuerentia eſſe ſubiecti. Quod faciunt illi, qui caſtigati libenter accipiunt, nec increpantibus contradicunt. Quod verò ait: *Ipſi enim peruigilant, quaſi rationẽ reddituri pro animabus veſtris*, ſacerdotalem curam pro populo ſibi † cõmiſſo ſatis oſtendit, qui tam in ſuis actibus, quàm in prædicationibus vigilantes, ſolicitè hoſtis antiqui rimantur inſidias, ne quem velut dormiente paſtore, lupus diabolus aſtuta fraude ſubripiat, & in damnum paſtoris abreptum, ſecum vſq; ad ſupplicia ſempiterna perducat. Verum quia ex his qui arguuntur, aliqui ſe obedientes emendant, aliqui in ſua peruerſitate perdurant, ideo de ſacerdotibus ait: *Vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes.* Cum gaudio ſacerdotes arguunt, quando correpti proficiunt: & triſtes hoc faciunt, quando ſe nihil proficere in ſuis correptoribus ingemiſcunt: ac ſic hoc dicit illis expedire, vt cum gaudio, non gementes eos increpent ſacerdotes, qui doctores ſuos ſua correctione lætificant, & eorum gaudia incremento ſui profectus accumulant.

†C. prædicanda.

D

† totũ hoc abeſt à C. ap. d. c. p. c. d.

†C. Dei.

† C. deeſt docet.

† abeſt à C.

E

† vt C.

Ibidem.

† C. Dei.

†C. deeſt &.

F

† Aliàs de vtilitate ſuæ correctionis.

Heb. 13.

Ibidem.

†C. commiſſam.

G

Ibidem.

Obiectio: Quare ſacerdotes ſancti, quorum cura eſt perditè viuentes arguere, ſimulatores religionis æquanimiter ferant.

CAPVT IIII.

NEcdum ſermonem de ſacerdotib. ſanctis, vnde plura dicere conabar, impleueram, cùm ecce ad me quidam de noſtris ingreſſus, quid dictarem curioſus interrogat. Cui cum recitari feciſſem, Omnes, inquit, Epiſcopos tales eſſe debere, quales tuus ſermo deſcripſit, & nũc eſſe plures apud nos plenos ſacerdotalibus bonis, qualia veraciter prædicaſti, dubium non eſt. Sed cum ad eorum probetur officium pertinere, vt inquietos ſacerdotali autoritate corripiant, rudes doceant, contradicentes ſanæ doctrinæ redarguant: quid eſt, quòd non in omnes hæc eorum cura porrigitur: cur non & alios ſimili autoritate caſtigant? Illos dico, qui velut conuerſi, ex priſtinis moribus nihil abijciunt, non mente mutati, ſed veſte: nec actu, ſed habitu. Hi ſunt, qui ſermone tantum, non opere, ſeculo renuntiaſſe contenti ſeculariter viuunt, & vitia ſua inani profeſſione vitæ melioris abſcondunt, ac religionis imaginariæ nomine palliati, opinionem virtutis pro virtute ſuſcipiunt. Prædicant magna, nec faciunt: accuſant vitia, nec deponunt. Publicè ſibi diſplicere ſimulant, quod occultè committunt. Magni ſtudent videri, non fieri. Laudant eos, quorum cupiunt prædicatione laudari. Ieiunant, vt vultus ſui pallorem perniciοſis laudibus vendant. Ad reprehendendos alios prompti, ſe non patiuntur à quibuslibet vel leuiter reprehendi. Ad fa-

H

A

ciem publicam patientiam fingunt, & in animo iracundiæ virus abſcondunt, ad nocendum parati, cum nocendi tempus inuenerint, ſuorum actuum negligentes fiunt aliorum procaci libertate cenſores. Impudenter ſe aſſiuunt virginibus ſacris ac viduis, quibus tãto † inglutinantur affectu, vt facilius ab Eccleſiæ (quod dictu quoq; nefas eſt) quàm ab earum communione diſcedant. Qui etſi cũ illis fortè non † peccant, tamen malæ ſuſpitionis de ſe præbendo materiam, vitam ſuam maculis ſiniſtræ opinionis infamant. Taceo de illis, qui vndante lapſabundi corporis motu, defluentibus in talos veſtimentis incedunt, & vagis laterum flexibus quodammodo fluctuantes, animorum diſſolutionem veſtigijs ſinuoſa mobilitate nutantibus produnt. Illos quis ferat, qui † adumbratæ prætendentes honeſtatis imaginem, ad hoc pupillorum, ac viduarum cauſas, velut tuendas ſimulata pietate ſuſcipiunt, vt earum facultates ſuis adjciant, & diuites ex pauperibus facti, vel ex diuitibus ditiores, tenuem cenſum per nefas accumulent, vt cùm fuerint ex und inte patrimonio ſumptuoſiores effecti, nonquam materia voluptatis gulæ ſuæ deficiat? Hos igitur tales quare non arguunt, qui arguendi poteſtatem diuinitus acceperunt? Non verentur, ne fortè cùm tam flagitioſè viuentibus parcũt, videantur probare quæ faciunt? Quid quòd etiam eos ad officium clericatus admittunt, & (proh nefas) quaſi parum ſit quòd tales diſſimulata ſeueritate non increpant, inſuper & honorant?

†C. agglutinantur.

† Aliàs peccant.

† hæ quatuor voces ad.p.hom. abſunt à C.

B

Reſponſio: vbi oſtenditur, quibus exigentibus cauſis, quorundam infirmitas blande tractetur.

CAPVT V.

EGo verò, ſi recolis, inquam quid de ſanctis ſacerdotibus fuerit diſputatum, ſufficiens accepiſti reſpõſum. Eccleſiæ quippe doctoribus, ſicut ſuprà iam diximus, & cenſura ineſſe debet, vt arguant: & patientia, vt emendari nolentes fortiter ferant, apoſtolico ſatisfacientes imperio, qui Timotheo præcepit dicens: *Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Qui ſi diceret: Argue coæquales, obſecra ſeniores, increpa iuniores. Sed propterea addidit, *In omni patientia & doctrina*: quia leniter caſtigatus exhibet reuerentiam caſtiganti: aſperitate autem nimiæ increpationis offenſus nec increpationem recipit, nec ſalutem. Item alio loco idem Apoſtolus dicit: *Vos qui firmiores eſtis, imbecillitates infirmiorum ſuſtinete.* Suſtinent ergo æquanimiter vt infirmos, quos emendare non potuerint caſtigatos. Proinde quia nec obiurgari omnes expedit, nec omnes blandè tractari, ſciunt ſancti ſacerdotes, atq; diſcernunt, quos debeant temperata ſeueritate corripere, & quos ſacerdotali magnanimitate portare: & ideo omniũ quos per Dei gratiam curant, non voluntati, ſed vtilitati proſpiciunt. † Denique alios honorari deformiter ambientes, quibus non expedire nouerunt, non vitio alicuius inuidiæ, ſed altæ prudentiæ conſilio prætermittunt: & alios latere cupientes honorant, vt eis ad maiores profectus aperiant. Eos quos probant increpationem poſſe pati caſtigant: & impatientes obiurgationis vt languidos palpant: non † eis adulando, quòd tales † ſunt: ſed infirmitatibus talium compatiendo, ſi fortè aliter ſanari non poſſunt. Cæterum ſi Eccleſiæ communione priuentur infirmi, qui curari adhibita increpatione non poſſunt, aut intollerabilis mole triſtitiæ ſupra modum grauati ſuccumbunt, & ſanctorum omnium vultus, per quos poſſent reſtitui Deo, refugiunt: aut certè ad omnem peccandi impudentiam, ſi fuerint exacerbati, proſiliunt: & quicquid mali occultè faciebant publicè perpetrabũt: in tantam veſaniam reparandæ ſalutis deſperatione prolapſi vt † ſeria verba corripientium in iocos exitiabiles impudenti vrbanitate conuertant, ac † maledicaces in ſe ex ipſa iactatione turpitudinis ſuæ, turpiter viuentium maleuolas lætitias paſcant. Propter hoc ergo, blanda pietate portandi ſunt, qui increpari pro ſua infirmitate non poſſunt. Et re vera, ſi peccanti ſalubrem pudorem, dum pro eo erubeſcis, incutias, ac verecundiam quam pro pec-

C

1. Tim 4.

Rom. 15.

† Deinde.

D

†C. eos.

† C. ſint.

† Aliàs ſalutaria

† C. maledici.

caſtis eius aſſumis, in eum pia animi compaſſione transfundas, facilè in illo reprimis omnem peccandi licentiã: atq; ei totam impudentiam demis, licentioſæ turpitudinis hortatricem. Tunc mores eius verecundia cuſtos integritatis ornabit, vt ei placeat quod ante ſordebat, quãdo † in ſordibus erat, & ſordidus erat: † vt ſordeat quod ante placebat, quando ipſe bonis omnibus diſplicebat. Sanctos viros amando ſectabitur, & ſectando in eorum ſimilitudinem paulatim vitæ prioris emendatione formabitur, vt ei quam laborioſum fuit in ſublimitatem virtutis euadere, tam deforme ſit in vitia rurſus, quibus ſe gaudet caruiſſe, deſcendere: Quia ſicut virtus oneroſa eſt vitioſo: † ita virtutis amico vitioſa † voluptas amara eſt. Ecce quomodo peccantes omnes blandè tractat, aut increpat, qui nihil aliud, niſi eorum ſalutem, quibus vult prodeſſe conſiderat.

E

† in ſordibus erat & deſunt in C.

†C. &.

† Aliàs ſicut amara eſt amatori vitioſo voluptas, ita virtutis amico.

† C. voluptas.

F

Quod illi peccata aliena impatienter accuſant, qui ſua non cogitant.

CAPVT VI.

TAmdiu enim quis peccata ſua, quæ noſſe, ac deflere debet ignorat: quamdiu curioſè aliena conſiderat. Quòd ſi mores ſuos ad ſeipſum conuerſus aſpiciat, non † requirit † quod in alijs ſpecialiter reprehendat, ſed ro ſe ipſo quod lugeat. Proinde fratrum noſtrorum vitia non facilè debemus accuſare, ſed gemere: vt inuicem onera noſtra portantes, legem Chriſti poſſimus implere: qui vtiq; non accuſauit peccata noſtra, ſed tulit, Euangeliſta dicente, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Itaq; ſi ille qui ſine † peccato fuit, nos peccatores ineffabili pietate ſuſtinuit, & ſuſtinere non deſinit, non interitum noſtrum deſiderans, ſed profectum: nec mortem peccantium, ſed ſalutem: † quare nos exemplo noſtri ſaluatoris & domini non ſuſtineamus infirmos, cum & ipſi aut infirmi ſumus, & volumus à Deo portari: aut ſi ſani ſumus, poſſumus adhuc vt fragiles infirmari?

†C. requiret quid.

Gal. 6.

Ioan. 1.

† vllo C. add.

G

†C. nos quare.

Quantum remedij habeat confeſſio peccatorum: & quale mereatur occultatio doloſa ſupplicium.

CAPVT VII.

HVc accedit, quòd & ipſa peccata ſic habentur occulta, vel aliena nobis, vel alijs noſtra, vt plerunque & ſanctus inter peccatores lateat, & famam ſancti obtineat peccator. Innocentem ſi ſe tueri non poteſt, ſuſpicio iudicis incauta condemnat: & reum calliditas ingenij viuacis excuſat. Veruntamen non diuinum, ſed humanum fallunt iſta iudicium. Et quid mirum, ſi animos aliorum quales ſint, ſine ipſorum confeſſione neſcimus, cum nos ipſos ita hodie nouerimus, vt quales futuri ſimus craſtino neſciamus? Cùm verò nobis fratres quilibet peccata ſua tanquam medicis vulnera quibus vrgentur aperiunt, operam dare debemus, vt * quãtocius ad ſanitatem Deo autore perueniant, ne in peius diſſimulata curatione proficiant. Ea autem crimina quorumlibet, ſi ipſis criminoſis confiteri nolentibus vndecunq; claruerint, quæcunque non fuerint patientiæ leni medicamento ſanata, velut igni quodam piæ increpationis vrenda ſunt, & curanda. Quòd ſi nec ſic quidem æquanimiter ſuſtinentis, ac piè increpantis medela profecerit in eis, qui diu portari, & ſalubriter obiurgari corrigi noluerint: tanquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abſcindi: ne ſicut caro morbis emortua, ſi abſciſa nõ fuerit, ſalutem reliquæ carnis putredinis ſuæ contagione corrumpit: ita iſti, qui emendari deſpiciunt, & in ſuo morbo perſiſtunt, ſi moribus depravatis in ſanctorum ſocietate permanſerint, eos exemplo ſuæ perditionis inficiant. Porrò illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipſis confeſſa, nec ab alijs

H

*C. quamtocyus.

Excommunicationis vſus.

publi-

A
a C. vel emendari.

publicata, ſi ea confiteri, *a* aut emendare noluerint, Deũ quem habent teſtem, ipſum habituri ſunt & vltorem. Et quid eis prodeſt humanum vitare iudicium, cùm ſi in malo ſuo permanſerint, ituri ſint in æternum Deo retribuente ſupplicium? Quòd ſi ipſi *b* iudices fiant, & veluti ſuæ iniquitatis vltores hic in ſe voluntariam pœnam ſeueriſſimæ animaduerſionis exerceant: temporalibus pœnis mutabunt æterna ſupplicia: & lachrymis ex vera cordis compunctione fluentib. reſtinguent æterni ignis incendia. At hi, qui in aliquo gradu Eccleſiaſtico conſtituti aliquod occultè crimen admittunt, ipſi ſe vana perſuaſione decipiunt, ſi eis videtur propterea communicare & officium ſuum implere debere, quòd homines occultatione ſui criminis fallunt. Exceptis enim peccatis, quæ tam parua ſunt, vt caueri non poſſint, pro quibus expiandis cotidie Deo clamamus, & dicimus: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: illa crimina caueantur, quæ publicata ſuos autores humano faciunt damnari iudicio. Qui autem ea commiſerint, & ideo prodere metuunt, ne ſententiam iuſtæ excommunicationis accipiant, ſine cauſa communicant: imò verò dupliciter contra ſe iram diuinæ indignationis exaggerant, quòd & hominibus innocentiam fingunt & contempto Dei iudicio abſtinere ſe ab altari propter homines erubeſcunt. Qui propter Deum ſibi faciliùs placabunt illi, qui non humano conuicti iudicio, ſed vltro crimen cognoſcunt: qui aut proprijs illud confeſſionibus produnt, aut neſcientibus alijs quales occulti ſunt, ipſi in ſe voluntariæ excommunicationis ſententiam ferunt, & ab altari cui miniſtrabant, non animo ſed officio ſeparati, vitam tanquã mortuam plangunt, certi quod reconciliato ſibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo non ſolum amiſſa recipiant, ſed etiam ciues ſupernæ ciuitatis effecti, ad gaudia ſempiterna perueniant.

b ſibi C. ad J.
Pœnitentiæ voluntas.
Matth. 6.
B
C

Quod iniquè, & non ſimpliciter arguentes vani ſint, ac diuino iudicio condemnandi.

CAPVT VIII.

IAm de illis, qui leui ſuſpicione permoti, ſimpliciter viuentes obiurgant, vt & illos incondita correptione cõfundant atq; deijciant, & ſibi per hoc neſcio cuius diſtrictionis gloriam quærant, non eſt meum aliquid dicere, ſuper quibus tam perſpicuè diuinus ſermo pronuntiat, vt *c* expoſitore non egeat. Ait enim in Eccleſiaſtico Spiritus Sanctus: *Eſt correptio mendax in* d *ira contumelioſi: & eſt* e *iudicium quod non eſt bonum.* Vtiq; contumelioſi hominis & ſuperbi correptio quæ dicitur mendax, ſuperbiæ eſt non alicuius humilitatis *f* indicium, & ideo non eſt bonum. Quid potuit euidentius, quid apertius dici, quàm vt cõtumelioſum diceret mendaciter arguentem? Quia & cõtumelioſus eſt qui mendaciter arguit, & mendaciter arguit qui contumeliam facit. Item in prouerbijs: *Teſtis falſus non erit impunitus, & qui arguit iniquè, non effugiet.* Quis eſt falſus teſtis, niſi qui hominem quemlibet de criminibus indiſcuſſis obiurgat? Quem propterea iniquè increpantem dicit non impunitum futurum: quia innocentem nullis prouocantibus meritis arguendo *g* vult eſſe reum. Quod autem dicit de eo qui iniquè arguit non effugiet: quid aliud debet intelligi, niſi iram Dei non effugiet, qui aliquem non ſic corripit, vt emendet, ſed vt ſe procaciter iactet? Sed de contemptoribus præceptorum Dei, & de correptionis ac patientiæ virtute, ſufficiant iſta quæ diximus: ne in vno capitulo iuſto amplius immorati, aut cætera breuius quam neceſſe ſit tranſcurramus, aut intentionem veſtram longitudine nimium protelati voluminis oneremus. Videamus itaq; quid nos etiam continentia capituli ſequentis edoceat: Vtrum, inquit, congregandis fratribus, aut alendis expediat facultates Eccleſiæ poſſideri, an perfectionis amore contemni.

c C. expoſitione
Eccle. 19.
d C. ore.
e C. indicium.
f C. iudicium.
Prou. 19.
g C. videri vult reum.
D

Quòd ſacerdotes nihil proprij habere debeant, & Eccleſiæ facultates quaſi communes, pro quibus Deo rationem reddituri ſunt, ſuſcipiant.

CAPVT IX.

EXpedit facultates Eccleſiæ poſſideri, & amore perfectionis proprias contemni. Non enim propriæ ſunt, ſed communes Eccleſię facultates: & ideo quiſquis omnibus quæ habuit dimiſſis aut venditis, fit rei ſuæ contemptor, cum præpoſitus fuerit factus Eccleſiæ, omniũ quæ habet Eccleſia efficitur diſpenſator. † Deinde Sanctus Paulinus (vt ipſi meliùs noſtis) ingentia prædia, quæ fuerunt ſua, vendita pauperibus erogauit, ſed cum poſteà factus eſſet Epiſcopus, non contempſit Eccleſiæ facultates, ſed fideliſſimè diſpenſauit. Quo facto ſatis oſtendit, & propria debere propter perfectionem contemni, & ſine impedimento perfectionis poſſe † quæ ſunt communia Eccleſiæ poſſideri. Quid Sanctus Hilarius? nonne & ipſe omnia † bona ſua aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogauit? Is tamen cum meritò perfectionis ſuæ fieret Eccleſiæ Arelatenſis Epiſcopus, quod illa tunc habebat Eccleſia non ſolùm poſſedit, ſed etiam acceptis fidelium numeroſis hæreditatibus ampliauit. Iſti ergo tam ſancti, tam perfecti pontifices factis euidentibus clamant, poſſe, & debere fieri quod fecerunt. Qui vtiq; homines tam ſecularium, quàm diuinarum literarum ſine ambiguitate doctiſſimi, ſi ſcirent res Eccleſiæ debere contemni nunquam eas † debuerant, qui omnia ſua reliquerant, † retinere. Vnde datur intelligi, quod tales ac tanti viri (qui volentes eſſe Chriſti diſcipuli, renunciauerunt omnibus quæ habebant) non vt poſſeſſores, ſed vt procuratores facultates Eccleſiæ poſſidebant. Et idcirco ſcientes, nihil aliud eſſe res Eccleſiæ, niſi vota fidelium, pretia peccatorum, & † patrimonia pauperum, non eas vendicauerunt in vſus ſuos, vt proprias, ſed vt commendatas pauperibus diuiſerunt. Hoc eſt enim poſſidendo contemnere, non ſibi, ſed alijs poſſidere, nec habendi cupiditate Eccleſię facultates ambire, ſed eas pietate ſubueniendi ſuſcipere. Quod habet Eccleſia, cum omnibus nihil habentibus habet commune, nec aliquid inde eis, qui ſibi de ſuo ſufficiunt, † debet erogare: quando nihil aliud ſit habentibus dare quàm perdere.

E
† C. deniq;
F
† C. Eccleſiæ quæ ſũt profectò communia.
† bona deeſt in C.
† C. habe rent.
† C. deeſt.
† C. patrimonium.
G
† C. quod habet Eccleſia cum omnibus nihil habentibus habere cõmune.
† C. nõ habet, debet.

Cum quo damno animæ ſuæ ab Eccleſia, qua pauperes paſcit, accipiunt illi, qui ſibi de ſuo ſufficiunt.

CAPVT X.

NEc illi qui ſua poſſidentes, dari ſibi aliquid volunt, ſine grandi peccato ſuo, † vnde pauper victurus erat, accipiunt. De clericis quidem dicit † Spiritus Sanctus: *Peccata populi mei comedunt.* Sed ſicut nihil habentes proprium, non peccata, ſed alimenta quibus indigere videntur, accipiunt: ita poſſeſſores non alimenta quibus abundant, ſed aliena peccata ſuſcipiunt. Ipſi quoq; pauperes ſi ſe poſſunt ſuis artificijs aut laboribus expedire, non præſumant, quod debet debilis aut infirmus, accipere: ne fortè Eccleſia, quæ poteſt omni ſolatio deſtitutis neceſſaria miniſtrare, ſi omnes etiam nihil indigentes accipiant, grauata, illis quibus debet, ſubuenire non valeat. Qui autem Eccleſiæ ſeruiunt, & labori ſuo velut debita reddi oportere credentes, ea quibus opus non habent aut accipiunt libenter aut exigunt, nimis carnaliter ſapiunt, ſi putant, quòd Eccleſiæ fideliter ſeruientes ſtipẽdia terrena, ac non potiùs præmia æterna percipiant. Secularis quippe militia quia cœleſtia non habet, terrena ſtrenue militantibus præſtat. Vnde ſatis indignum eſt, ſi fidelis, & operoſa deuotio clericorum, propter ſtipendium temporale præmia ſempiterna contemnat. Quòd ſi quilibet miniſter Eccleſiæ non † habeat vnde viuat: non ei præmium reddat hic ſed neceſſaria † præſtat Eccleſia, vt in futuro præmium laboris ſui recipiat, quod in hac vita iam ſpe dominicæ promiſſionis certus expectat. Illi quoq;, qui † vel idonei nihil quidem ſibi dari velut debitum

† ea C. add
† C. propheta.
Oſee 4.
H
† C. habet.
† C. præſtet.
† C. velut.

A bitum poſcunt, ſed tamen Eccleſiæ ſumptibus viuunt, non eſt meum dicere, quaſi peccato cibos pauperũ præſumendo ſuſcipiant: qui Eccleſiam quam iuuare de proprijs facultatibus debuerunt, ſuis expenſis inſuper grauant: propter hoc fortaſſis in congregatione viuentes, ne aliquos pauperes paſcant, ne aduenientes * ſuſcipiant, aut ne ſuum cenſum expenſis quotidianis imminuant. Quòd ſi aliquid de fructibus ſuis Eccleſiæ, velut pro ipſa expenſa ſua contulerint, non ſe præferant iam iactantia illis, quos nihil habentes paſcit & veſtit Eccleſia: quia perfectior eſt ille, qui ſe mundi rebus expoliat, aut qui cum nihil habuerit nec habere deſiderat, quàm ille qui ex multis quæ poſſidet, Eccleſiæ aliquid præſtat, ac ſe de eo quod præſtiterit, fortaſſe iactat. Dura ſunt quæ dico, nec ego diffiteor. Dura ſunt, ſed obſeruare nolentibus. Cæterùm ſi * faciant iſta, quæ difficilia non facientibus ſunt, ſtatim facientibus facilia fiunt. Non ergo ea quæ nolumus obſeruare, impoſſibilitas nobis facit dura, ſed nouitas. In vſum veniant, & neminem frequentata conturbent. B Nam quæro, * quid eorum ſit quæ dixi difficile: vt homo id quod opus non habet ab Eccleſia non accipiat? an vt quod habet ſine cauſa contemnat? Si propter hoc non vult ſua relinquere vt habeat vnde viuat: vt quid accipit vnde rationem reddat? vt quid * de peccatis alienis ſua multiplicat?

* Aliàs excipiant C.
* C. fiant.
* C. quid ſit eorum quæ dixi difficile?
* de C. deeſt.

Qui ſunt, qui etiam cum profectu animæ ſuæ, opibus ſuſtentantur Eccleſiæ.

CAPVT XI.

ITaq; ſacerdos cui diſpenſationis cura commiſſa eſt, non ſolùm ſine cupiditate, ſed etiam cum laude pietatis accipit à populo diſpenſanda: & fideliter diſpenſat accepta, * qui omnia ſua aut parentibus reliquit, aut pauperibus diſtribuit, aut Eccleſiæ rebus adiungit, & ſe in numero pauperum paupertatis amore conſtituit: ita vt vnde pauperibus ſubminiſtrat, inde & ipſe tanquam pauper voluntarius viuat: C Clerici quoq;, quos pauperes aut voluntas aut natiuitas fecit, cùm perfectione virtutis vitæ neceſſaria, ſiue in domibus ſuis, ſiue in congregatione viuentes accipiunt: quia ad ea accipienda non eos habendi cupiditas ducit, ſed cogit viuendi neceſſitas.

* C. quia o ſ. a. r. aut Eccleſ. reb. adiunxit.

Quid facere debeant clerici, quorum infirmitas non poteſt ſua contemnere.

CAPVT XII.

ILli autem, qui tam infirmi ſunt, vt poſſeſſionibus ſuis renuntiare non poſſint: ſi ea quæ acceperunt erant diſpenſatori relinquant, nihil habentibus conferenda, ſine peccato poſſident ſua: Quia & ipſi quodammodo ſua relinquunt, quando proprijs contenti rebus, nihil eorum quæ labori, vel ordini ſuo deberi arbitrantur, accipiunt. D Quod ſi putant ideo * accipi debere eorum, quæ conferuntur Eccleſiæ, portionem, ne eam videantur abijcere, ſe verò non poſſe ſua relinquere, quod eis deforme ſit inter ſuos pauperes reddi; nouerint eſſe deformius, poſſeſſores de eleemoſynis pauperum paſci.

* C. ideo partes accipi debere earũ quæ conferuntur Eccleſiæ portionum, ne eas.

Quæ ſint vera gaudia, vel veræ diuitiæ, & quid impedimenti afferant bona præſentia amatoribus futurorum.

CAPVT XIII.

HEv quàm ſubtiliter nos ille decipiendi artifex fallit, quanta cæcitate oculos noſtræ mentis obducit, ne diſcernamus gaudendi modum, vnde iuſtius gaudeamus: aut ne cupientes augeri diuitijs, nouerimus, quas quibus incomparabiliter præferamus? Nam gaudere quidem bonum eſt: ſed qui gaudet, ſi non inde gaudeat vnde debet, non poteſt bonum eſſe quòd gaudet. Siquidem gaudet & raptor, quum deſiderata rapuerit: gaudet & ebrioſus, quum exoptatæ occaſionem potationis inuenerit: E gaudet & adulter, quum ad delectationem fruendi corporis concupiti peruenerit. Sed cùm ſit gaudere bonum, de his atq; huiuſmodi gaudere grande eſt malum. Hæc & his ſimilia ſunt vnde gaudere nos vult mundus, cum ſuis amatoribus periturus. Hæc ſunt quæ repudiare debemus, vt de bona conſcientia, de ſanctitate morum, de acquiſitione virtutum, de dono Dei, & de promiſſione futuri regni ineffabiliter gaudeamus. Ditari quoq; diuitijs grande eſt bonum, ſed inde ditari vnde non debeas non eſt habenda facultas, ſed deteſtanda calamitas. Nihil enim calamitoſius nihilq; miſerius eo, qui iniquis adquiſitionibus creſcit, quem locupletem fraudes faciunt ac rapinæ. Illæ nobis ſunt ambiendæ diuitiæ, quæ nos ornare poſſint pariter & munire: quas nec adquirere poſſumus inuiti, nec perdere: quæ nos contra hoſtiles impetus armant, à mundo diſterminant, Deo commendant, ditant animas noſtras atq; nobilitant, nobiſcum ſunt, intra nos ſunt. Diuitiæ noſtræ credendæ ſunt pudicitia, quæ nos pudicos, iuſtitia quæ iuſtos, pietas quæ pios, humilitas quæ humiles, manſuetudo quæ manſuetos, innocentia quæ innocentes, puritas quæ puros, prudentia quæ prudentes, F temperantia quæ temperantes, & charitas quæ nos facit Deo & hominibus charos, † virtutum potentes, ſeculi contemptores, ac bonorum omnium ſectatores. Hæc ſunt non omnium, ſed ſanctorum ſanctæ virtutes, non diuitum ſuperborum, ſed humilium pauperum facultates, patrimonium cordium, diuitiæ incorruptibiles morum, quibus non abundant, niſi † illi, qui illis carnalibus ex corde renunciant. Quæ quamuis & ipſa ſint bona, vtpote à bono Deo creata: tamen quia ſunt bonis maliſq; communia, ſtudent ea ſpirituales viri contemnere, quò poſſint ad illa incomparabiliter meliora, quæ ſunt bonorum omnium propria, peruenire: quoniam non eſt tale bonum quod habent & mali, quale illud eſt, quod non habent † niſi boni. Corporale bonum, quando habent iniqui, ipſorum eſt præmium: quando habent iuſti, non eſt eorum præmium, ſed temporale ſolatium. G Item boni temporalis amiſſio, fit exercitium iuſti, & iniuſti ſupplicium: quia & iuſtus deſiderio cœleſtium captus, omnia temporalia ſiue habeat, ſiue amittat, omnino non ſentit: & iniquus quod cum delectatione † habet, ſine dolore non perdit. Propter hoc igitur eis, qui militant Deo, fugiendæ ſunt ex toto corde diuitiæ, quas qui habere volunt, ſine labore non quærũt, ſine difficultate non inueniunt, ſine cura non ſeruant, ſine anxia delectatione non poſſident, ſine dolore non perdunt. Apoſtolus autem Chriſti militibus dicit. *Volo vos ſine ſolicitudine eſſe.* &, *Radix omnium malorum eſt auaritia: Quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis:* ac ſic cenſus iſte terrenus eis, à quibus vitioſè diligitur, non eſt voluptatum materia, ſed dolorum. Quapropter expedit facultates Eccleſiæ † poſſideri, vt inde viuant, qui non ſeculo, cuius gaudia fugitiua repudiant, ſed Deo † ſeruiunt, cuius ineffabilia bona deſiderant.

† C. vitiorum impotentes.
† non habet, illi, C.
† C. iniqui
† C. habuit.
1. Cor. 7.
1. Tim. 6.
† C. poſſidere.
† C. deſeruiant.

H

Qualiter intelligatur quod dicit Apoſtolus, Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt.

CAPVT XIV.

DE talibus dicere videtur Apoſtolus, *Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altario deſeruiunt, cum altario participant.* Qui niſi hoc de contemptoribus facultatum ſuarum vellet intelligi, nunquam ſecutus adiungeret. *Ita & Deus ordinauit his, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.* De Euangelio viuunt, qui nihil habere proprium volunt, qui nec habent nec habere aliquid concupiſcunt, non ſuorum, ſed cõmunium poſſeſſores. Quid aliud eſt de Euangelio viuere, niſi laborantem inde vbi laborat neceſſaria vitæ percipere? Apoſtolus tamen qui ſic Euangelium prædicauit, vt nec de Euangelio viueret, ſed neceſſaria ſibi ſuis mani-

1. Cor. 9.
Ibidem.

bus

A
Ibidem.
* *Aliàs* incorporalis C. *

bus miniſtraret, de ſe confidenter eloquitur. *Ego autē nullo horum vſus ſum.* Et quare hoc dixerit, ſecutus aperuit, dicens: *Expedit mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Euacuare dicit gloriam ſuam, ſi ab eis, quibus prædicabat, voluiſſet accipere vitæ * corporalis expenſam. Nolebat quippe in præſenti laboris ſui fructum, ſed in futuro recipere. Si ergo ille, qui nihil habebat, noluit de Euangelio vbi laborabat, ſed ſuis manibus viuere, ne gloriam ſuę mercedis amitteret: quid nos, qui & propria nolumus amore poſſidendi, non viuendi neceſſitate, relinquere: & accipere inſuper volumus, non vnde viuamus, ſed vnde cenſum noſtrum incrementis damnabilibus augeamus?

† *Aliàs* De qualitate cupiditatis.

† De cupiditate, qualiter eis, quos ſemel inuaſerit, dominetur.

CAPVT XV.

B
† C. ecce enim iubet nobis.
† C. vnde

IVbet † ecce nobis imperioſa cupiditas, vt diuina paruipendentes poſſeſſionum terreſtrium damnoſa cōpendia cogitemus: vt in eis totam ſolicitudinem curamq́; ponamus, † vt inde nos morbida vanitate iactemus, vt amplitudine patrimonij diffuſioris elati, fieri pauperes ſpiritu negligamus. O facinus inauditum: Suaui iugo Chriſti contempto, ferreū cupiditatis imperiū voluntaria mentiū inclinatione ſuſcipimus, & domini noſtri † leui onere, quod ſubiectos non onerat, ſed ſublenat, poſthabito, plūbeū pondus noſtris ceruicib. aggeramus, quod citiùs poteſt deponi, quam ferri: quia & ipſa cupiditas, quæ nobis ſubijci vltro volentib. hoc pondus imponit, contēni poteſt faciliùs, quàm expleri: & ideo qui ſe illi volentes dederint oppugnanti, voluntatem reſiſtendi vlteriùs non habebunt tyrannicè dominanti. Et hoc fit iuſto Dei iudicio, vt qui cupiditati reſiſtere noluimus ingreſſuræ, iam reſiſtere nequeamus ingreſſæ. O plangendū miſerabiliter mentis expugnatæ ſeruitium. O † intolerandum † dæmoniacæ cupiditatis imperium, vt ex hoſtibus ſuis, quos poteſt † vincere, † victores faciat ſuos, promittit ingentia, & bonorum temporalium pollicitatione deceptos impellit tam miſeros, † & miſerandos in turpia. Tenet nos lucrorum pœnaliter dulcium catenis addictos, & in ſua ditione captiuos: nec trahit inuitos, ſed quod eſt deterius, quocunq; voluerit, volentes ducit. Vaſtat † in nobis quicqd verecundiæ, aut pudoris inuenerit: & quos ſuis triūphis iam addixit, adhuc tanquam † reſipiſcendi ſuſpectos omnibus viribus honeſtatis exarmat, ne quando contra eam, qui bellare noluimus, rebellemus. Rapit nos ac paſſim per omnia adquiſitionum genera cupidos adquirendi diſpergit. Non permittit animum liberum, non ſtabile corpus † vagante animo mobiliter, aut quietum, & velut quædam cadauera in paſtum feris auibus beſtijſq́; proiecta, captiuos ſuos immundis ſpiritibus tradit, non lacerandos, ſed auidiſſimis mortiferorum criminū faucibus deuorandos: nec tamen vt eſſe iam deſinant, ſed vt pœnaliter viuant. Deniq; in viuis corporibus adhuc portant funera ſua: id eſt viui ſimul & mortui. Hinc eſt, quod peccato viuentes quantum nos congeſtarum opum † oblectet acceſſio, ipſa viuendi carnalibus delectatione ſentimus: & quantam virtutum ſuſtineamus inopiam, velut mortui virtutibus ignoramus.

† C. leui onere, (q subiectos non onerat, ſed honorat, nec deprimit omnino, ſed ſubleuat) ſubijci cōtemnimus, hoc ergo leui onere poſthabito, plum.

C
† *Aliàs* leue vnus ſuperbè tenemus, quod ſubiectos nō onerat, ſed honorat, nec deprimit omnino, ſed ſubleuat, hoc ergo onere poſthabito.
† *Aliàs* excecrandū
† C. dominæ.
† neutrum eſt in C.

D
† C. ac.
† reſipiſcēdos ſuſceptos. C.
† *Aliàs* iā.
† *Aliàs* vacante.
† C. proiectos.
† *Aliàs* perfectel.

Quod Deum perfectius illi poſsideant, qui terrenis poſſeſsionibus ex corde renuntiant.

CAPVT XVI.

HÆc ſunt propter quæ non explendis voluptatibus ac fouendis, ſed congregandis fratribus, aut alendis expedit facultates Eccleſiæ poſſidere, vt vno ſolicitudines omnium in ſua ſocietate viuentium ſuſtinente, oēs, qui ſub eo ſunt, fructuoſa vacatione potiantur ſpiritualiter & quietè. Ideo interpoſui iſtud aduerbium: quoniam qui ocioſa quiete perfruitur, niſi ſpiritualiter vixerit, more pecudum viuit. Et ideo is, quem nulla corporeæ neceſſitatis cura ſolicitat, nulla occupatio domeſticæ ſolicitudinis inquietat, nullus litigator infeſtat, nullus calumnioſus exagitat, quid aliud curare debet harum moleſtiarum, & his ſimilium liber, niſi vnde ad meliora proficiat, vnde vitia ſua profectibus cotidianis imminuat, virtutes augeat, & pro carnalibus, quæ contempſit, ſpiritualia bona poſſideat: in his ſe diuinitus adiutus exerceat: ea ſemper amplectatur ac diligat: & non ſolum omnibus alijs delectationibus ſuis, ſed etiam ipſis ſuæ carnis cruciatibus anteponat. vt qui nihil ſibi reliquit, quod formidaret amittere: ea, pro quibus omnia quæ habebat abiecit, tanta firmitate fidei retineat, vt ſi neceſſe fuerit, pro eis libenter ſuum corpus impendat? Proinde quem poſſidendi delectat ambitio, Deum, qui poſſidet omnia quæ creauit, expedita mente poſſideat, & in eo habebit quæcunq; habere ſanctè deſiderat. Sed quoniam nemo poſſidet Deum, niſi qui poſſidetur à Deo, ſit ipſe primitus Dei poſſeſſio, & † efficietur ei Deus poſſeſſor & portio. Et quid poteſt eo eſſe felicius, cui efficitur ſuus conditor cenſus, & † hæreditas eius dignatur eſſe ipſa diuinitas: ſi modò cum ſanctis operibus colat, omnes fructus ex illo percipiat: in illo, & de illo iugiter viuat: & nihil terrenum cum illo poſſideat? Quia omnium conditor, cùi nihil eorum quæ fecit valet æquari, non dedignatur cum his quæ condidit poſſideri. † Denique quid vltrà quærit, cui omnia ſuus conditor fit: aut quid ei ſufficit, cui ipſe non ſufficit? Hunc poſſidebat, & ab illo poſſidebatur ille, qui dicebat in ſpiritu: *Portio mea Dominus, dixi cuſtodire legem tuam.* Et: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Sed & ipſe cum dicit: *Filijs Leui non dabitis partem inter fratres ſuos: ego Dominus portio eorum:* ſatis oſtendit, quòd hi, qui terrenæ hæreditatis contempſerint portionem, Deū ſpiritualiter mereantur poſſidere: cuius ditati muneribus, omnia quæ præclara habentur in hoc mūdo, faſtidiunt: & ipſum poſſidere, vel ab ipſo poſſideri, eo ſolo perfrui, atque illi adhærere inſeparabiliter concupiſcunt. Vnde datur intelligi, quòd qui temporalia bona, qui ſeculi gaudia petitura ſectatur, ac diligit, quæ & quanta ſit * multitudo ſupernæ dulcedinis non didicit. Quis enim cui Deus dignatur eſſe poſſeſſio, aliquid aliud quærit? aut quis non pro amore illius omnia quæ putantur magna, contemnit? Ergo qui vult Deum poſſidere, renunciet mundo, vt ſit illi Deus beata poſſeſſio. Nec renuntiat mundo is quem terrenæ poſſeſſionis adhuc delectat ambitio: quia quamdiu ſua non * relinquit, mundo, cuius bona retinet, ſeruit: & vtique non poteſt mundo ſeruire ſimul, & Deo: ac ſic propterea voluit Deus cultores ſuos omnibus renuntiare, propter quæ diligitur mundus, vt excluſa cupiditate mundi, diuina in eis charitas poſſit augeri, vel perfici. Et ideo decimas atque primitias frugum, primogenita & ſacrificia pro peccato, vel vota quæ ſibi Deus iuſſit offerri, ſacerdotibus ac miniſtris diſtribui debere conſtituit: vt deuotiſſimo populo vitæ neceſſaria miniſtrante, ipſi creatori ac paſtori ſuo liberis mentibus miniſtrarent, atq; in eius cultu ſine vlla ſolicitudine corporali proficerent, ne terrenis occupationibus implicati officio ſuo dignas excubias ſtrenuè curare non poſſent. Nunc autem, quòd Chriſtiani temporis ſacerdotes magis ſuſtinent quàm curant poſſeſſiones Eccleſiæ, etiam in hoc Deo * ſeruiūt: quia ſi Dei ſunt ea quæ conferuntur Eccleſiæ, Dei opus agit, qui res Deo conſecratas non alicuius cupiditatis, ſed fideliſſimæ diſpenſationis intentione non deſerit. Quapropter poſſeſſiones, quas oblatas à populo ſuſcipiunt ſacerdotes, * non ſunt inter res mundi deputari credendæ, ſed Dei: quoniam ſi veſtes, ac vaſa, & cætera, quæ in * ſacris vſui miniſtrantibus erant, ſancta vocabantur: nec in vſus humanos reuocari iam poterant, diuinis ſemel miniſterijs conſecrata: quomodo non ea quæ conferuntur Eccleſiæ, * ſacra credenda ſunt, quibus non vt ſeculi rebus luxurioſè, ſed ſanctè, vt Deo conſecratis vtuntur ad neceſſaria ſacerdotes: vt illis omnibus, qui ſe perfectionis amore ſub vno conſtituunt, & ſua ſibi non vendicant, Eccleſiæ * facultates ad hoc ipſum * collectæ ſufficiant: vt quicquid omnibus occupationi-

E
† C. efficiatur.
F
† C. hæreditas eſſe dignatur
† Deinde.
Pſalm. 118.
Pſalm. 15.
Num. 18.
Deut. 18.
G
* C. diuinę dulcedinis multitudo
* C. reliquit.
Ibidem.
H
* deſeruiunt C.
* C. iā non ſunt res mundi credendæ ſed Dei.
* C ſacro viu.
* facultas.
* collecta C. ſufficiet

A

bus abſoluti proficiunt, fructus illius, qui vnus pro multis occupat* eſt, ſiat: atq; ita ille, qui ſollicitudines omniũ ſub ſe* letuientiũ portat, in cõgregatione ſua proficiẽte proficiat: vt ſicut illius occupatio omnium ſuorum facta eſt fructuoſa vacatio, ita omniũ diſcipulorum perfectio glorioſa magiſtri honor habeatur & gloria.

*Aliàs C. viuentiũ C.

Quod nihil proficiant, qui abſtinentes à cibis, vitiis ſeruiunt: nec proſit facultates abiicere eis, qui ſuas faciunt voluntates.

CAPVT XVII.

ITem quæſiſtis, quæ ſit abſtinentiæ credenda pfectio: & vtrum tantũ corpori, an & animæ debeat neceſſaria indicari. Si hominem totum virtus hæc quæ abſtinentia nominatur, perfecta ſanctificat, non ſolum corpori, ſed & animæ neceſſaria eſt: quia omnis homo ex corpore conſtat & anima. Sed in eis, qui diuerſis vitiis ſubiacentes, aliquid ſibi eorum, quæ vſui noſtro* neceſſaria ſunt, interdicunt: abſtinentia quidem, *ſed carnalis & imperfecta eſſe debet intelligi. Ea autem ſpiritualis atq; perfecta eſt cenſenda, quæ abſtinentem tam ab illecebris carnalium voluptatum, quàm à peccatis omnibus facit alienum: cuius nec animum deſideriorum morbi corrumpunt, nec imperio gulæ dominantis quæſitæ delitiæ vires corporis frangunt. Proinde ille abſtinens verè credendus eſt, qui vitiorum omnium liber effectus eſt: ac receſſis* corporalibus voluptatibus elaborat, non vt cõcupiſcentiam ſuæ carnis exatiet, ſed vt mortalem vitam neceſſariorum perceptione ſuſtentet. Quoniam quidem quicquid ſine quo poteſt viui percipitur, non ſuſtentandæ vitæ, ſed* fouendæ luxuriæ carnis impenditur. Hæc *itaq; virtus, quæ abſtinentia, non ſolum delicatorum ciborum, ſed etiam malorum omnium nuncupatur, cùm omnibus omnino neceſſaria ſit, tum maximè illis familiarior, atq; coniunctior eſſe credenda eſt, quibus iuxta illud quod in Actibus apoſtolorum legitur factũ, *vnum cor eſt, & anima vna* diuinæ charitatis igne conflata, & quibus ſub vnius ordinatione viuentibus, omnia omnium communia ſunt: ſi tamen ita eis vna ſit vita, ſicut ſit vna ſubſtantia: & nulla ſit in eis diuerſitas animorum, quibus eſt communio facultatum: quia vt fieret & eſſet animorum ſancta coniunctio, neceſſaria eſt facultatum iudicata communio. Cæterum quid eis prodeſt, quòd facultates ſuas abiiciunt, qui voluntates proprias non relinquunt, cùm ſit longè præſtantius, voluntatibus propriis abrenuntiare, quam rebus? Res ſuas etiam mundi* quiuis philoſophi abiicere potuerunt, & nunc quilibet hæretici poſſunt. Sed nec illi, cum ſuæ* voluptatis fuerint amatores, ſecundum voluntatem Dei vixerunt: & iſti dominicæ voluntati ſuæ voluntatis ſtudio contradicunt. Non ergo res ea nos Deo commendat quam & inimici Dei faciunt: ſed illud, quod non niſi verè Chriſtiani, & per* hoc amatores Dei perficiunt. Hi ſunt, qui voluntatibus ſuis* & rebus proiectis ſuo ſe creatori ex toto corde ſubiiciunt, ac ſuum velle ex eius voluntate ſuſpendunt: &* ideo quicquid eis ſenſus carnis ſequendum faciendumq; *ſuggerit, iuſtitiæ capti delectatione contemnunt.

B
*Aliàs conceſſa C.
*eſt C.
*Aliàs corporeis.
*C. mouendæ.
*C. itaq;
Actu 4.
C
*C. huius.
*Aliàs voluntatis ſeruus C.
*C. hæc.
*C. rebuſque.
D
*C. ſuggeſſerit.

Quanta bona primus homo abſtinentia bonum negligendo perdiderit.

CAPVT XVIII.

QVòd ſi primus homo voluiſſet *ſe in illa paradiſi beatitudine cuſtodire, vt à fructu vnius interdictæ arboris ieiunaſſet, nec ſtatum illum tantæ felicitatis amitteret, nec eum voluntaria ſalutaris præcepti tranſgreſſio neceſſitati corruptionis ac mortalitatis addiceret: vt tanta beneficia Dei ſui, quæ in natura ſuæ conditionis acceperat, aut corrumperet peccato corruptus, aut perderet. Quis enim ſufficienter enumeret, quæ & quanta bona illi abſtinentiæ cõtemptus ademerit: quòd intellectualis mentis dignitate donatus, imaginem ſui creatoris accepit: quòd ſoli Deo ſuo ſubiectus, omnia viſibilia ſibi ſubiecta conſpexit: quòd ei ad viuendi vſus affatim lignorum omnium, quę erant in Paradiſo, feracitas diuina iuſſione ſeruiuit: quòd arbor vitæ myſticum cibũ non vnde viueret, ſed vnde vitam corporis non finiret, ſui creatoris munere miniſtrauit: qui cibus quamdiu perciperetur, ita percipientem ſe in* vno ſtatu ſacramento cuiuſdam latentis figurata ſignificatione ſeruaret, vt eũ nec vlla infirmitate corrumpi, nec ætate mutari *& ſeneſcere, nec diſſolui morte permitteret. Non inquietabat moleſta ſolicitudo quærum: non fatigabat labor anxius ociosum: *non ſomnus opprimebat inuitum: non amittendæ vitæ timor angebat de immortalitate ſecurũ. Habebat *facilem victum, corpus ex *omni parte ſanum, tranquillum motum, cor mundum, ignarus pœnalis mali, habitator Paradiſi, expers peccati, capax Dei. Poſtremò quid eo felicius fuit, cui erat orbis ſubiectus, nullus infeſtus, liber animus & viſibilis Deus? *Quoniã quidem niſi ante peccatum Deum videre in aſſumptione viſibilis creaturæ ſoleret, quomodo ſe iam peccator effectus, à facie *domini, quem nunquam viderat, abſcõderet? Potuit ergo ita videre Deum priuſquam peccaret Adam, ſicut eum patriarchæ viderunt. Sed quando ait. *Vocem tuam audiui & timui*: ex illa iam videndi Deum ſanctitate ceciderat, iam ſe indignum videndi Deum reddiderat. *Vocem tuam*, inquit, *audiui, & timui, eò quòd nudus eſſem, & abſcondi me.* O quantum ſecuritatis habent, qui ſibi bene ſunt conſcij & quantum perturbatos humiliat perpetratio pudenda peccati: ſicut iſti qui ſe abſconderunt à facie domini, de ſua turpitudine, non de nuditate confuſi: qui non ideo erubeſcebant, quia veſte erant extrinſecus nudi, ſed quia extrinſecus protectione diuina nudati. Denique & ante peccatum nudi erant, & non erubeſcebant: quia nihil contra voluntatem Dei, vnde confunderentur admiſerant.

*abeſt à C.
Damnum quòd Adam peccan ſo incurrit.
E
Geneſ. 2.
*C. omni.
*C aut.
*C. nec.
*C. facile.
*C. omnibus partibus.
*C. quandoque dñ.
F
*C. Dei quem nũquam vi a ſiet.
Geneſ. 3.

De peccato primi hominis. & de malis quæ illum peccantem Deo iudicante ſecuta ſunt.

G

CAPVT XIX.

SEd iam videam* (ſi placet) qualiter illi homines primi commiſerint tam grande peccatum, quod & ipſos de Paradiſo proiecit in hoc vitæ pœnalis exilium, & in eis originaliter totum damnauit genus humanum. Et mihi quidem videtur, quòd non ederent de ligno prohibito, niſi concupiſſent: nec concupiſſent, niſi tentati: nec tentarẽtur, niſi deſerti: nec deſererentur à Deo niſi ipſi priùs deſererent Deum: nec deſererent Deum, niſi ſuperbirẽt, & ſimilitudinem Dei † miſerabiliter appetiſſent: ad quã peruenturi eſſent ſine corporis morte, ſi ſub Deo ſuo viuentes, præceptũ quod acceperant cuſtodiſſent: vt qui poſſe nõ mori acceperant in natura, non poſſe mori conſequerentur in gloria: & ibi accepturi eſſent præmium non poſſe peccare, ſi hic eorum meritum fuiſſet, peccare noluiſſe. Non igitur à creatore ſuo in creaturã diuinitatis † affectatione collapſos moueret aperta concupiſcentia, niſi eos antè corrupiſſet occulta ſuperbia: nec eis per ſerpentem diabolus propinaret tam ferale conſilium, niſi prius eorum deprehenderet appetitum. *Si*, inquit, *guſtaueritis de ligno ſcientiæ boni & mali, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum.* Hæc ſunt illa tria, quæ in mundo eſſe, & diligi non debere à dilectoribus Dei, conteſtatur † Ioannes apoſtolus dicens: *Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo ſunt. quia omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſeculi, quæ non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt.* Quæ niſi illi, qui à dilectione Dei iam defecerant, diligere † cœpiſſent, nunquam † malè ſuaſi ſerpentis conſilio credidiſſent. Itaq; concupiſcentia carnis ab eis impleta eſt quòd de ligno vetito guſtauerunt: concupiſcentia oculorũ, quòd ſibi † aperiri oculos cupierunt: & ambitio ſeculi, quod ſe fieri poſſe quod Deus eſt, crediderũt. Proinde

†Aliàs damnabiliter C.
H
†C affectione.
Geneſ. 3.
† Sanctus C add.
1 Ioan. 2.
†Aliàs concupiſcerẽt.
† C. maleſuaſi.
† aperire C.

A

inde delectatione carnis, & oculorum curioſitate, ac ſeculi ambitione corrupti, à ligno vitæ, ex quo eis arcendæ mortis, ac ſalutis continuandæ gratia præſtabatur, abſciſi ſunt: & morbidam qualitatem eorum corpora contraxerunt, vt iuxta ſententiam Dei eo die credantur mortui, quo in eis pœnaliter facta eſt neceſſitas moriendi, & per lignum illud, quod *a* ſcientiæ boni & mali ex cauſa nomen accepit, à quo ſe abſtinere cum poſſent, miſeri neglexerunt, quid intereſſet inter bonum, quod amiſerant, & malum quod incurrerant, ipſa pœna ſua diſcernerent: qui ſi amiſſo tanto bono nullum malum incurrerent, quale perdidiſſent bonum, forte neſcirent. Dulcior enim fit ſalus, cum dolor excruciat: & ſanitatis amiſſæ dulcedinem languoris amaritudo commendat, ac ſic, ad hoc illi malum non diſcendo, ſed experiendo ſentire cœperunt, quod melius ignorarent: vt ex ipſa miſeria ſua ſentirent, quantam beatitudinem perdidiſſent: atque ita quos non moueat fortaſſis boni naturalis amiſſio, moueret ſaltem mali pœnalis iuſta perpeſſio. Hæc per exceſſum *b* neceſſarium dicta ſunt nobis de primis hominibus, vt qui nolunt damnationis eorum ſubire ſupplicium, caueant prolapſionis exemplum.

Geneſ. 2.
a ſcientia C.
B
b C. neceſſaria.

Quod omnia bona quæ in Adam corrupti perdidimus, in Christo reparati c recipiemus.

c C recipimus.

CAPVT XX.

QVamuis enim ex Adam ſimus carnaliter nati, non ipſum tamen debemus imitari, ſed Chriſtum, in quo renati ſumus, & viuimus, quando veterem conuerſationem ſalubriter innouati deponimus. Quid eſt imitari Adam, niſi pro carnalibus *d* deſiderijs ac concupiſcentijs morte mulctari? Et quid eſt imitari Chriſtum, niſi carnalibus concupiſcentijs ac deſiderijs crucifigi? Sicut aliud non eſt veterem conuerſationem deponere, quam non ſecundum carnem, quæ veteraſcit & moritur, ſed ſecundum Deum viuere, qui ſolus poteſt perſeuerantes in ſe innouare perenniter, & *e* beare. Quapropter, ſicut quando in Adam fuimus, omnes ipſo cadente *f* occidimus: ita quia in Chriſto iam eſſe cœpimus, qui pro nobis omnibus dignatus eſt mori, & nos peccatis noſtris illi commortui, cum illo ſpiritualiter reſurgamus: In illo omnia bona quæ potuimus habere perdidimus, in hoc etiam maiora, & ſine fine habenda recepturi ſumus, ſi perſeueranter eius veſtigia teneamus. Adam nos *g* ſub noxa habuit malis omnibus per propriam culpam, à quibus nos liberauit aduentus Chriſti per gratiam. Ille in nos culpam ſuam tranſmiſit, & pœnam: hic, *h* qui culpam noſtram ſuſcipere, vtpote conceptus & natus ſine peccato non potuit, de ſuſceptione pœnæ noſtræ culpam noſtrã ſimul aboleuit, & pœnam: & vt totum dicam, Adam nobis eripuit paradiſum, Chriſtus donauit cœlum.

d C concupiſcentiis ac deſideriis.
C
e C habere
f Aliàs *cecidimus* C.
g Aliàs *ſubnoxauit*: vel, *ſubuocauit*: vel, *obnoxiauit*
h C. quia.

Qualiter viuere debeant, qui Chriſtum imitari deſiderant.

D

CAPVT XXI.

ET ideo ſi in *i* Deo eſſe volumus, quod eſſe debemus, ſicut *k* Ioannes Apoſtolus dicit, *quomodo ille ambulauit, & nos* ſpiritualiter *ambulemus.* Quid eſt ambulare ſicut ille ambulauit, niſi contemnere omnia proſpera quæ contempſit, non timere aduerſa quæ pertulit, libenter facere quæ fecit, *l* fieri docere quæ *m* docuit, ſperare quæ promiſit, & ſequi quo ipſe præceſſit: *n* Quid eſt enim ſequi, niſi præſtare beneficia etiam ingratis, non retribuere ſecundum merita ſua maleuolis, & orare pro inimicis, amare bonos, miſereri peruerſis, inuitare auerſos, ſuſcipere in charitate conuerſos, & æquanimiter pati ſubdolos, ac ſuperbos? Ad hoc etiam pertinet, quod ait ſanctus Paulus apoſtolus: *Si reſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Illi reſurgunt cum Chriſto, qui moriuntur ſicut ille peccato, ea tamen diſtinctione ſeruata, *o* quod ille mortuus eſt peccato, non ſuo, ſed noſtro. Vnuſquiſque autem noſtrum, non omnium moritur peccato, ſed ſuo. Quid eſt peccato mori, niſi damnandis operibus omnino non viuere, nihil concupiſcere carnaliter, nihil ambire? Vt *p* ſicut qui mortuus eſt carne, nulli iam detrahit, nullum aduerſatur aut deſpicit, nullius pudicitiam callida circumuentione corrumpit, nemini violentus exiſtit, neminem calumniatur aut opprimit, non inuidet bonis, aut inſultat afflictis, non luxuriæ carnis inſeruit, non vinolentiæ deditus, in ſe bibendi ſitim bibendo magis ac magis accendit, non odiorum facibus inardeſcit, non compendia iniuſta ſectatur, non potentibus aut diuitibus adulatur, non inquieta curioſitate captatur, non domeſticæ ſolicitudinis cura diſtenditur, non officioſis occurrentium ſalutationibus delectatur nec ſuperborum iniurijs fatigatur, non eum ſuperbia inflat, non ambitio ventoſa præcipitat, non vana gloria turpiter iactat, non deſideriũ glorioſæ opinionis inflammat, non *q* diſtentio alieni affectus illaqueat, non ad ſocietatem turpium turpitudinis amor inuitat, non rabies inſani furoris exagitat, non ſumptuoſarum delitiarum ſtudium mactat, non ardor animoſæ contentionis exanimat, non facit impudentem audacia, iniquum iniuſtitia, ferum inclementia, varium inconſtantia, pertinacem contumacia, inſanum veſania, delitioſum gula, rebellem inobedientia, vanum iactantia, infidelẽ perfidia, leuem facilitas, ſæuum crudelitas, *r* manducatorem turpis edacitas, impatientem mobilitas, mobilem inſtabilitas, vagum ſpiritualis infirmitas, iracundum animoſitas, ſuſpicioſum peruerſitas, verboſum vanitas, *ſ* iniurioſum malignitas: qui remotus eſt prorſus à ſecularibus illecebris, remotus ab *t* immundicijs & *u* inimicitijs, remotus ab inſidijs alienis, remotus à rapinis vel occultioribus vel apertis, remotus à mendacijs ſiue periurijs, poſtremo remotus ab omni genere flagitiorum *x* atque facinorum, quibus carnaliter viuentes Deum offendunt: & mortui peccato non ſeruiunt. Sicut, inquam, carne mortuus nec facere poteſt iſta quæ dixi, nec pati: ita & his, & talibus vitijs omnino non viuunt, qui *y* viuentes Deo carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs crucifigunt.

i C. illo.
k Sanctus C. add.
1. Ioan. 2.
l C. docere quæ mandauit fieri
m Aliàs *mandauit*
n abeſt à C. quid eſt enim ſequi niſi.
Coloſſ. 3.
o C. quoniam.
E
p C. ſicut mortuus carne.
q Aliàs *diſtinctio* C.
F
r Aliàs C. *manducatorem turpem edacitas* C.
ſ C. iniſorem.
t ab inimicis C.
u C. ſiue
x Aliàs *vt viuant.* C.
G

Quali temperantia vti debeant, qui à voluptate delectabilium, vel ab immoderata perceptione ciborum communium, atque à vini immoderato vſu cupiunt abſtinere.

CAPVT XXII.

MEmbra ſua, quæ ſunt ſuper terram, mortificant, quando inſolens corpus ieiuniorum continuatione caſtigant: quando intra neceſſarium modum ſuum temperant appetitum: quando non ſolum ſe à delicatioribus cibis moderata diſtrictione ſuſpendunt, ſed etiam in ipſis communibus nihil carni ſuæ pro deſiderio, ſed pro ſuſtentandæ vitæ neceſſitate permittunt: certi quod nec delitiæ quælibet, ſi abſque deſiderio percipiantur, officiunt, & viles cibi plerunque abſtinentiæ profectum, ſi appetenter accipiantur, impediunt. Hinc eſt quod ſanctus Dauid aquæ in ſe concupiſcentiam caſtigauit, atque eam ſibi à ſuis oblatam, ne deſiderio ſuo ex ea ſatisfacere videretur, effudit: & ſancto Heliæ perceptio carnium non concupita non nocuit. Vnde datur intelligi, quod veraciter abſtinentes eſcarum non naturas, ſed concupiſcentias damnent, ac *z* voluptates ſuas deſiderati cibi, vel potus abuſione mortificent. Qui autem non ſolum à qualitate, ſed etiam à quantitate ciborum cupiunt abſtinere, nihil aliud ſtudent, niſi vt quantum ſtomacho reficiendo ac famis eximendæ ſatis eſſe videtur indulgeãt: nec expleant ſuos appetitus auiditate percipiendi, ſed cõprimant: atque eis ſaturitas edendi finem non faciat, ſed voluntas: qui tam à cupiditate pretioſorum ciborum *a* animos, quam à nimia perceptione vilium continebunt, qui cibis nec lautioribus volunt carne luxuriante diſſolui, nec diſtentione ventris *b* onerari, quando abſtinentes viri nec delitioſi ſoleant eſſe, nec auidi. Iam de vino abſtinendo, vel percipiendo quid dicam? Vnde ſanctus Apoſtolus certam fixit regulam, dicens: *Nolite inebriari vino, in*

2. Reg. 23
1. Para. 11.
H
3. Reg. 17.
z Aliàs *voluntates* C.
a ab C. animos abeſt.
b vilibus C. add.
Epheſ. 5.

A

quo eſt luxuria. Quaſi diceret: Luxuriam facit, & nutrit vini perceptio nimia, non natura: & propterea non vti vos vino, ſed inebriari prohibeo: quandoquidem infirmum ſtomachum moderatus vſus vini confortat, ebrietas animum corpuſque debilitat. Denique Timotheo ſuo diſcipulo, qui ſe longa abſtinentiæ diſtrictione iam fregerat, & ſtomachum ſuum aquæ perceptione corruperat, modico vino vti debere præcipit dicens: *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Ac per hoc, nihil contra abſtinentiam faciunt, qui vinum non pro ebrietate, ſed tantum pro corporis ſalute percipiunt: nec hoc eis offert voluntas, ſed permittit infirmitas. Quæ ſi defuerit, à vino eſt abſtinendum, ne vini perceptio quæ infirmam ſuſtentat, ſanum corpus incendat: quandoquidem vino vti, & vſum habere oleum, nullus dixerit eſſe peccatum. Sed hæc ideo non debemus carni deſideranti præſtare, ne cum illi licita concedere cœperimus, poſcat illicita: & ſibi obſequentes in minimis, in flagitia punienda compellat: ac naturali ordine perturbato, non ſpiritui corpus, ſed ſpiritus corpori dominanti deſeruiat. Huc accedit, quod & ipſam mentem abſtinentiæ fructus alacriorem facit: carnem quoque non vſq; ad laſſitudinem fatigatam, ſed ſpiritui ᶜ ordinanti ſubiectam inobedientem reddit. Senſus etiam quos dicuntur craſſos efficere, vel grauare congeſtæ debitæ, conſuetudo parcitatis exonerat, & velut ᵈ quadam politura religioſæ exercitationis attenuat.

1. Tim. 5.

B

c C. ordinate.

d C. quædam.

Quod vtentes carnibus concupiſcentia carnium polluat, non natura.

CAPVT XXIII.

CÆterum ſi à quadrupedibus abſtinentes, phaſianis altilibus, vel alijs auibus pretioſis, aut piſcibus perfruantur, non mihi videntur reſecare delectationes ſui corporis, ſed mutare: nec pro abſtinentia, ſed velut pro neſcio qua immunditia, vel certe, quod verius eſt, ᵉ pro ſtomachi nauſeantis teneritudine ᶠ delicias illas communes ac viles abijcere, quo poſſint alijs non ſolum carnibus, ſed etiam delicatioribus, ac pretioſioribus carnibus ſuas voluptates explere: cum, ſicut iam ſupra patuit, non aliquarum carnium, quæ vſui humano conceſſæ ſunt, nobis naturæ damnandæ ſint, quas Deus inſtituit: ſed carnales concupiſcentiæ fugiendæ, quas ſenſui carnis diabolus introduxit. Illi autem qui parciores videri volunt, & gloriam ſibi velut de abſtinentia diſtrictiore conquirunt, ſic ab omnibus animalibus iudicant temperandum, vt peregrinis pomis, ac ſorbitiunculis delicatis, cæteriſque alijs cibis immanem ſui corporis impleant appetitum: cum ſpiritualis abſtinentia non aliquorum ciborum vſum, ſed deſiderium ſuadeat compeſcendum. Et illi magis parſimoniæ ſeruire cenſendi ſunt, qui ſibi non aliquarum rerum perceptiones, ſed delectationes corporis interdicunt. Illi quoque, qui negata ſibi vini perceptione diuerſorum poculorum potionibus inundantur, nequaquam mihi abſtinentiam videntur implere: ᵍ quia ad hoc fortaſſis à vino ſe ſuſpendunt vt mereantur ab hominibus laudem: & interdicti ſibi vini ʰ perceptionem compenſant ſuauioribus poculis voluptatum. In vini enim vſu non à vino tantum, ſed ab omnibus quæ accipientes inebriant, vel ab alijs quæ etſi non ebrietatem, ſuauitatem certe percepta conciliant, abſtinebit, vt ſit veritate abſtinentiæ perfecte conſummatus: non eius imagine foris ſplendidus, intus cauus: hominibus velut purus, & Deo ſimulatæ virtutis ſordibus plenus. Nec minus à cupiditate poſſidendi ſuperflua, quam à voluptate percipiendi nobis eſt abſtinendum: quoniam cum omnia quæ habemus, pro noſtris vſibus habeamus, ea quibus vti nolis ardenter habere velle, vel etiam lucris hinc inde quæſitis augere, nihil eſt aliud, quam non tolerandæ neceſſitati, ſed intolerandæ cupiditati ſeruire: nec poſſum dicere, Vt ſit vnde pauperibus cotidie erogetur, mea poſſideo: quando nemo perfectius erogauerit eo, qui nihil ſibi perfectionis intentione ᵏ relinquit ex proprio.

C

e C. propter ſtomachi teneritudinem.

f C. delicatas illas communes ac viles carnes abijcere.

D

g qui & ad hoc C.

h C perceptione comp. poc. ſuauio. voluptatem.

i C. nobis liber, ad.

k C. reliquit.

Quam vtile ſit, ieiunio, vel abſtinentiæ, adueniente iam charitate plerunque præferre.

CAPVT XXIV.

VEruntamen ſic abſtinere, vel ieiunare debemus, vt non nos ieiunandi vel abſtinendi neceſſitati ſubdamus: ne iam non deuoti, ſed inuiti rem voluntariam faciamus. Si enim quoslibet aduenientes ieiunio intermiſſo reficio, non ſoluo ieiunium, ſed impleo charitatis officium. Cæterum ſi propter abſtinentiam ſpirituales fratres, quos non mea remiſſione delectari, contriſto: abſtinentia mea non eſt virtus dicenda, ſed vitium: quoniam quidem ipſa abſtinentiæ ac ieiuniorum continuatio, niſi fuerit, quando res exigit, prætermiſſa, & me inflat, & fratrem meum, cui charitas iubet ſeruire, contriſtat: vel certe mihi nihil meſſe charitatis fraternæ demonſtrat, cum ſine abſtinentia quemlibet hominem catholicum charitas ſola perficiat: & ˡ omnes abſtinentia aut perdat ſine adiunctione charitatis, aut pereat. Quia ergo abſtinere aut ieiunare etiam Manichæi, vel quilibet alij hæretici poſſunt: vtpote, qui omnes carnes non pro abſtinentia, ſed pro immunditia deteſtantes corpora ſua panis & aquæ perceptione ᵐ afficiunt: non pro magno ducamus, quando ab his, quæ illi quoque reijciunt, abſtinemus: ſed ⁿ quando abſtinentiam noſtram fides commendat, charitaſque conſummat: quas virtutes illi non habentes occidere ſe poſſunt, ᵒ ædificari autẽ, aut perfici tali re abſtinendo non poſſunt. Ipſis vero Catholicis Chriſtianis, qui ſiue non valẽdo abſtinere, ſiue nolẽdo omnia, vſui noſtro conceſſa cum gratiarum actione percipiunt, non nos propter abſtinentiam præferamus: ne forte plus humilitatis, aliarumque virtutum habeant illi, vnde ᵖ nobis iure abſtinẽtibus præferãtur. Quocirca ſi volumus nobis abſtinentiam noſtram, ieiuniaque noſtra proficere, à ſuperbia imprimis, quæ aut expellit omnes virtutes, aut minuit, & iactantia cunctis inimica virtutibus, atque ab omnibus vitijs omnino diſcedamus, vt proſit nobis, quod à cibis ᑫ delicatioribus abſtineamus: quia tunc nobis proderit, quod corpora noſtra, vel certe corporum incentiua rigore diſtrictionis abſtinentiæ caſtigamus, ſi carnalibus deſiderijs abſoluti, ſanctis virtutibus floreamus. Sed iam finem liber ʳ accipiat, vt de virtutibus ac vitijs, vnde hic pauca tetigimus, latius ac plenius in tertio volumine donante ˢ Deo diſputemus.

E

F

l omnis C.

m conficiunt C.

n C. quod

o C. ædificate.

p C iure nobis.

G

q delectabilibus abſtinemus C.

r Aliàs Poſtulat.

ſ C. Domino.

FINIS LIBRI SECVNDI.

PRÆFATIO LIBRI TERTII.

DE vita contemplatiua, & quantum ab ea differat actualis: vel qualiter poſſitis ipſius contemplatiuæ virtutis fieri adiuuãte Deo participes, ᵗ in primo volumine abſolui. De actuali quoque vita, vbi quæ eſſet religioſæ increpationis vtilitas, ac patientiæ virtus oſtenſa eſt: & qualiter tractandæ eſſent ecclesiæ facultates, vel de ᵘ dono ſpiritualis abſtinentiæ, quæ dicenda viſa ſunt, Deo donante, in ſecundo libro diſſerui. Nunc ſupereſt, vt diſputationem de vitijs atque virtutibus, non ingenio fretus, cuius mihi conſcius non ſum, ſed orantibus vobis adiuuandus incipiam.

H

t C. primũ volumen.

u C modo

CAPITA LIBRI TERTII.

CAP. I. *Quantum a veris virtutibus virtutum ſimilitudines diſtent.*

Cap. 2. *Quod ſuperbia ſit malorum omnium cauſa.*

Cap. 3. *Quod ſuperbia ex qua procedunt omnia mala, humilitatis virtute vincatur, & omnia vitia tunc fugata depereant, ſi virtutibus cedant.*

Cap. 4. *De cupiditate, quæ ita ˣ eſt mixta ſuperbiæ, vt nihil peccati fiat, quod non ex vtraque procedat.*

x ſit C.

A

Cap. 5. *Quo animi tormento inuidos affligat inuidia.*
Cap. 6. *In qua & quanta mala concupiſcentia carnis erumpat, ſi ￼ ei mens corrupta conſentiat.*
a C. impudentia C.
Cap. 7. *Quod etiam hi quos ab a impudicitia qualibet neceſſitas vetat, ſi viuere pudice conſueſcant, ad amorem caſtitatis aſcendant.*
Cap. 8. *Quibus iudiciis poßit oſtendi ſuperbia, quæ vel in perditis aperta eſt, vel in ſictis occulta.*
Cap. 9. *Quibus ſignis inuidorum declaretur inuidia.*
Cap. 10. *Quantis malis vanitas vanos inuoluat.*
Cap. 11. *De vtilitate timoris, & quod efficaciter peccatis obſiſtat.*
Cap. 12. *De futuro iudicio, vel æternitate ſupplicij, ac de qualitate gehennæ.*
Cap. 13. *De laude charitatis.*
Cap. 14. *Qualiter poßint ea, quæ de charitate Sanctus Apoſtolus dixit, intelligi.*
Cap. 15. *Quantum perfectionis charitas in ſe fundatis exhibeat.*
Cap. 16. *De qualitate virtutis, & qualiter ſibi conſentientes informet.*
B
Cap. 17. *Quibus gradibus conuerſi in culmen perfectionis aſcendant.*
Cap. 18. *Quæ ſit quaternarij numeri credenda perfectio: & quod quatuor virtutes, quæ dictæ ſunt principales, ex fide viuentis a à Deo collatæ iuſtificent.*
a C. Domino.
Cap. 19. *De temperantiæ qualitate, vel opere.*
Cap. 20. *Quales eſſe debeant, quos animi fortitudo nobilitat.*
Cap. 21. *De iuſtitia, vel fide, quæ ex ipſa procedit.*
Cap. 22. *De æqualitate, quod ad tandem pertineat humanæ ſocietatis vtilitas.*
Cap. 23. *Quod duo ſint iuſtitiæ genera.*
Cap. 24. *De liberalitate, & qualiter beneficentiæ opus debeat exerceri.*
Cap. 25. *De differentia amorum, & quantum ab eis differat perfecta dilectio.*
Cap. 26. *Quid ſit, ſua cuique tribuere.*
Cap. 27. *Quod actualem vitam tres virtutes, id eſt, temperantia, fortitudo, iuſtitiaq; b conſummet: & prudentia, quæ c & quarta virtus, mentis cognitionem rerum latentium præſtet.*
b C. conſummant.
c C. eſt.
d C. proficiant.
Cap. 28. *De ſociali virtute: & quod non recte faciant, qui cum poßint nihil humanæ ſocietati d proficiunt.*
C
Cap. 29. *Quod de prudentiæ ac ſapientiæ fonte cognitionem omnium rerum bibant, qui percipiendæ ſcientiæ ferenter inuigilant.*
Cap. 30. *Quod prudentes nec alijs noceant, nec ſibi noceri permittant: & quod ei ibi ſit ſine admixtione alicuius erroris conſummata prudentia, vbi erit ſine vllo peccato vita perfecta.*
Cap. 31. *De affectionibus quatuor, quod inter vitia numerari non debeant, ſi earum vſus ex bona voluntate procedat.*
Cap. 32. *Quod hi affectus, ſine quibus in hac vita recte non viuitur, in illa futura beatitudine non ſint, quæ nec timorem habitura eſt, nec dolorem.*
e C. prædictæ.
Cap. 33. *Qualiter virtutes quatuor, quæ e dictæ ſunt principales, aut in præſenti nos à peccato defendant, aut in æternum nobiſcum ſine vllo peccato permaneant.*
Cap. 34. *Vbi ſe locutor de toto opere excuſat.*

S. PROSPERI AQVITANICI, DE VITA CONTEMPLATIVA,

D

Liber tertius.

Quantum à veris virtutibus virtutum ſimilitudines diſtent.

CAPVT I.

f C. Quæſiſtis.

QVÆRETIS f quantũ à veris virtutibus virtutum ſimilitudines diſtent. Non dico, quantum à medicamento venenum: quia medicamentum ita corpus aliquoties ſanat, vt id defendere à mortis neceſſitate non valeat. Et venenum non auferri facit vitam corpori, quaſi auferenda non eſſet, niſi fuiſſet acceptum: ſed accelerat corporis mortem, quod erat aliquanto diutius forte victurum. Sed plane dico à veris virtutibus tantum ſimilitudines diſtare virtutum, quantum diſtat à veritate mendacium: quia & ſimilitudo virtutis, quæ videtur virtus eſſe, cum virtus non ſit, nihil eſt aliud, quam mendacium: & ideo non eſt virtus dicenda, ſed vitium. Et vera virtus eſt veritas, cui qui amanter adhæſerit, à peccati morte reſuſcitatus, mori vltra non poterit: niſi cum ab ea deprauata voluntate receſſerit. Sicut econtrario virtutis ſimulatio, quæ eſt, vt dixi, mendacium veritati contrarium, animam ſeparat à Deo, vita ſua non interituram, ſed in ſupplicio, quę eſt illius mors, pœnaliter ſine fine victuram, ſcriptura dicente: *Os quod mentitur, occidit animam.* Ac per hoc, ſicut virtus animam, ſibi veraciter inhærentem, ſi fuerit vera, iuſtificat: ita ſimulata condemnat. Et quid iuſtificatio animæ, niſi eius eſt vita perpetue beata, ac beate perpetua: Sicut condemnatio animæ pœna eius eſt ſentienda, quæ mors probatur & ipſa perpetua. Itaque dupliciter ea eſt anima, ſi & bonum non faciat, vnde ſpiritualiter viuat: & appetat ſimilitudinem boni, ſub qua male viuat & lateat. Superbus vult ſe credi conſtantem, prodigus liberalem, auarus diligentem, temerarius fortem, inhumanus parcum, guloſus humanum, ignauus quietum, timidus cautum. Impudentia fiduciæ ſibi nomen adſcribit, procacitas appellationem libertatis g oſtendit, eloquentiam fingit verboſitas, & curioſitatis malum ſub ſtudij ſpiritualis colore delitescit. Hæc etſi poſſunt humano ingenio diſcerni, tamen ſine dono Dei, quantum mihi videtur, nec virtutes poſſunt apperi, vel haberi, nec earum ſimilitudines, quæ ſunt vitia, virtutes imitantia, declinari in tantum, vt infidelibus nihil profuiſſe credamus, etiam ſi ſunt aliquas per corpus operati virtutes: quod eas nec à Deo ſuo ſe accepiſſe crediderũt, nec ad eum, qui eſt finis omnium bonorum, referre voluerunt. Et quid dico? Nihil eis profuerunt: imo etiam nocuerunt, dicente Apoſtolo: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Non dixit, Omne, quod non eſt ex fide, nihil eſt: ſed dicendo, *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*: declarauit, quod omnia bona aut ex fide geſta, virtutes ſunt, quæ profectu iuſtificant, aut ſi fuerint ſine fide, non ſunt aliqua bona credenda, ſed vitia, quæ non iuuant ſuos operarios, ſed condemnant, inflatoſque præcipitant, atque à finibus æternæ ſalutis eliminant. Sed quid ego hæc de infidelibus, vnde nullus ambigere videtur, exaggero? cum Sanctus Apoſtolus etiam fideles quoſdam, qui credentes in Deum, non ſecundum Deum, ſed ſecundum hominem viuunt, carnales nominet, dicens: *Et ego fratres* cum veniſſem ad vos, *non vobis potui loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Nondum enim poteratis: ſed nec adhuc quidem poteſtis: adhuc enim eſtis carnales.* Et tanquam quæreremus, quid carnales velit intelligi, ſecutus adiunxit: *Cum enim ſit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominẽ ambulatis?* Quid poteſt his duabus animi peſtibus inueniri deterius, zelo & contentione? quibus carnales, qui ſecũdum hominem viuunt, etiam in hac vita torquẽtur: cum & contentio hæreticos reddat, & zelus imitatores diaboli Paradiſum primis hominibus inuidentis efficiat? Ac h ſic, quãdo fideles iuſtitia, pietate, miſericordia, manſuetudine, humilitate, innocentia, cæteriſq; virtutibus gaudent aut ſecundum Deum viuũt & virtutes veras habere credendi ſunt, quæ ſpiritualiter viuentes adeptæ ſanctificant, & Deo commendant: aut ſecundum hominem viuunt, & non ſunt veræ virtutes, ſed virtutum ſimilitudines, quæ nihil carnaliter viuẽtibus proſunt. Quapropter qui religioſe, qui continenter, qui ſobrie, qui miſericorditer viuit, ſi Deo, cuius munere, vt bene viuat, adiuuatur, adſcribit, ſecundum Deum ſpiritualiter viuit. Si vero omnia quæ bene facit ſuis viribus adſcribat, quaſi etiam ſine adiutorio Dei ad bene agendum ſibi ſufficiat, ſecundum hominẽ carnaliter viuit: & ideo, aut bene non viuit, aut nihil ei prodeerit quicquid boni propter homines facit: quia humanis laudibus delectatus, hic iam temporalem mercedem recipit ſuorum operum, quę tẽporaliter fecit. Igitur ille ſecundum hominẽ viuit, qui ſecundũ ſeipſum viuit; quia & ipſe homo eſt, & ſecundum ſeipſum viuit, qui ſi potuerit, i eſſe cũ quibus vult, pergit quo vult, dormit quãdo & quãdiu vult, loquitur, quę vult, bi vult,

Sap. 1.

E

F

g Aliàs obtendit C.

Rom. 14.

G

1. Cor. 3.

Ibidem.

h C. ſignãdo.

H

i eſt C.

A manducat & bibit quando & quod vult, & quantum vult ridet, ac † litatur inter quos vult: poſtremo quicquid naribus ſuaue eſt, quicquid tactu aut blandum, quicquid oculis delectabile, quicquid cæteris ſenſibus carnis ſuæ iucundum, exercet, ac ſequitur qualiter vult, qui omnia licita † vel illicita carnaliter vult. Qui autem ſecundum Deum viuit, non quod eum carnaliter delectat, ſed quod ædificat ſpiritualiter facit, & omnia deſideria carnis ſpiritualis deſiderij delectatione compeſcit, futura præſentibus antepomit, carnem ſpiritui ſubdit, & quicquid cupit aut agit, non vult ex ſua ſed ex Dei ſui voluntate procedere, cui placere totis viribus concupiſcit. Itaque, ſi vtcunque iam claruit, quod virtutes veras non videantur habere qui ſimulant: & illi ſimulant, qui non ex fide, aut non propter Deum, ſed propter homines tantum boni aliquid operantur, eleemoſynis ac ieiuniis vel abſtinentiæ cæteriſque bonis operibus ſeruiendo, non vt boni fiant, ſed vt ſe bonos hominibus fingant, nec ad recipiendam ſempiternam mercedem, ſed ad comparandam gloriam popularem: videamus nunc quibus præcedentibus

B cauſis & ſubſequentibus incrementis, naſci ſoleant vitia vel augeri: & quibus adiuuante Deo remedijs poſſint velut quibuſdam medicamentis imminui, vel ſanari.

Quod ſuperbia ſit malorum omnium cauſa.

CAPVT II.

Eſt quidem hoc † caput valde perplexum, ſed ſi oretis illum qui dixit: *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* & alibi: *Dilata os tuum, & ego adimplebo illud*: ea quæ mihi vt homini impoſſibilia ſunt, illuminante Domino, vel docente poſſibilia fiunt. Conſideremus ergo quæ cauſæ præcedant, † quæ vitia ſubſequantur. Quod vt credibilius videatur, non hoc à me prudentia veſtra perquirat, ſed vobis & mihi, vel omnibus ſcriptura diuina conſulta reſpondeat: quæ velut ſi iam quæreremus ab ea immobilem ſententiam protulit, dicens: *Initium omnis peccati ſuperbia.* Quid poteſt apertius, quid probabilius dici? Initium, inquit, non alicuius,

C ſed omnis peccati ſuperbia: vt euidenter oſtenderet, quod ipſa ſit peccatorum omnium cauſa: quoniam non ſolum peccatum eſt ipſa, ſed etiam nullum peccatum fieri potuit, poteſt, aut poterit ſine ipſa. Siquidem nihil aliud omne peccatum, niſi Dei contemptus eſt, quo eius præcepta calcantur. Quem contemptum Dei nulla res alia perſuadet hominibus, niſi ſuperbia, quæ etiam in ipſo diabolo, vt diabolus ex angelo fieret, æternæ perditionis extitit cauſa. Denique & ipſe ſciens ſe per ſuperbiã de cœleſtibus corruiſſe & in hunc caliginoſi aeris carcerẽ truſum, homini ſubuertendo, quem Deus fecerat ſine vllo peccato, vitium perſuaſit ſerpentina calliditate ſuperbiæ certius, quod recepta ſuperbia, quæ eſt malorum omnium cauſa, facile iam peccata omnia, quæ non niſi ſuperbo concipiuntur animo, perpetraret. Hinc eſt, quod idẽ primus homo ſuperbi ſpiritus elatione corruptus, omnem poſteritatem ſuam, quæ in illo † radicaliter fuit, neceſſitati corruptionis ac mortalitatis addixit: vt corruptibilis &

D mortalis effectus, corruptibiles mortaleſq; generaret, atque ita quod in illo egerat punienda ſuperbia, in omnibus ex illo natis peccati fieret † pœna. Et propterea non eo modo iam poſſumus peccato reſiſtere, ſicut ille potuit, cui nihil aliud fuit non peccare, quam nolle. Nobis autẽ irreprehenſibiliter viuere velle non ſufficit, niſi ipſum velle noſtrum quod languida poſſibilitate deficit, diuina virtus adiuuerit: quia illum ad non peccandum etiam iuuare poterat adhuc ſana natura, nos iam † impedit vitiata: & illum peccare fecit ſola peccandi † voluptas: nos etiam cogit plerunque peccati iam facta neceſſitas. Propter quod Deo clamamus, & dicimus, *De neceſſitatibus meis libera me.* Ac ſic ideo fortaſſis dicit diuina ſcriptura, *Initium omnis peccati ſuperbia*: quod ipſa præceſſit in diabolo, & per ipſum ſubuerſus eſt homo, de quo dicit Apoſtolus: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Cæterum nos qui primo homine peccante peccauimus, non in noſtra ſeparata iam vita, ſed in eius natura,

E in qua ſumus, † & corruptionem velut de radice ſuperbiæ morbo † conceptam contraximus, & in ipſa corruptione noſtra omnes peccatorum cauſas habemus, qui nõ corruptibiles efficimur, quia peccamus, ſed quia corruptibiles ſumus, omne peccatum ex ipſa corruptione noſtra committimus. Primus autem homo non ideo peccauit, quia corruptibilis fuit, ſed cum incorruptus eſſet, ſeipſum peccando corrupit, & corruptionem ſuam in nos propagatione tranſiecit: & idcirco ibi nobis auferenda eſt tota mortalitas, omniſq; corruptio, quæ facta eſt ex peccato, vbi erimus ſine vllo peccato, hic vero vbi non iam ſanata eſt † ſed adhuc ſanatur per gratiam noſtra natura, quæ infirmata eſt per culpam, pijs conatibus noſtris reſiſtit ipſa concupiſcentia vitioſa, non naturalis, ſed naturæ noſtræ indita pœnaliter & inſerta, quæ peccato facta eſt: & peccatum ſi vicerit, facit. Quam licet quamdiu mortaliter viuimus, habeamus: nõ eam tamen ſtudio noſtræ voluntatis † adiuuemus, & vincimus: quoniam non eam in nobis ſentiendo, ſed ei conſentiendo peccamus: nec ipſa ſtatim vt nos pulſauerit, vincit: ſed ſi mentem noſtram (quod abſit) de ſublimitate propoſiti ſui in conſenſum peccati deiecerit.

F *Quod ſuperbia, ex qua procedunt omnia mala, humilitatis virtute vincatur: & omnia vitia nunc ſanata diſpereant, ſi virtutibus cedant.*

CAPVT III.

Proinde ſi ſuperbia eſt initium omnis peccati, & concupiſcentia pœna peccati: nõ poteſt aliter vinci concupiſcentia vitioſa, niſi prius caueatur humilitatis virtute ſuperbia, quæ eius eſt munica. Superba voluntas facit Dei præcepta contemni, humilitas cuſtodiri. Superbia ex angelis dæmones fecit, humilitas homines ſanctis angelis ſimiles † reddit. Illa rebelles † diabolo ſubditus facit, hæc humiles Chriſto coniungit. Superbi cupiunt in ſe, quod non faciunt, prædicari: humiles refugiunt, quicquid boni operantur, agnoſci. Illi vitia ſua à ſe alienando peruerſitatem ſuæ voluntatis excuſant, & bona ſua ſuis viribus

G deputando ſemetipſos impie iactant: iſti ſi qua peccata commiſerint, voluntate confitendo ſemetipſos accuſant, & omnia bona ſua diuino muneri deputando, Deum iugiter laudant. Quapropter ſi virtus † non habitat in animo vitioſo, ſuperbia humilitatis cedit imperio: quia non poteſt mens regnum habere virtutum, niſi prius iugum excuſſerit vitiorum. Tunc enim vitia fideliter † expulſa diſcedunt, ſi virtutibus cedant: Alioquin vel ſubſidunt ad tẽpus electa, vel redeunt, niſi virtutes in locis vitiorũ, quæ fuerint depulſa, ſucceſſerint. Quapropter pietas in nobis crudelitati reſiſtat, iram patiẽtia fundata coerceat, pudicitia libidinem vincat, animoſitatem tranquillitas tollat, verboſitatem taciturnitas moderata compeſcat, delectatio ſpiritualis deſideria carnalia imminuat, abſtinentiæ rigor aculeos carnis obtundat, curioſitati ſtudiũ ſpirituale ſuccedat, ſobrietati cedat ebrietas, manſuetudini ſuccumbat immanitas, deuincatur leuitas maturitas, Dei & proximi charitate creſcente conſumatur tota

H mundi cupiditas, excludat parcitas vera luxuriam, caſtiget induſtriæ virtus ignauiam, reprimat humilitas † profunda iactantiam, pellat ſimplicitas pura vecordiam, non impediat varietas fucata conſtantiam, emendati mores augeant diſciplinam, frangat clementia religioſa ſæuitiã, & funditus eradicet bonitas acquiſita malitiam, vt expulſione vitiorum celebretur introductio glorioſa virtutum. Sed de virtutibus in † capite ſequenti videbimus, nunc de vitijs, vt cœpimus, proſequamur.

De cupiditate, † quæ ita mixta † eſt ſuperbiæ, vt nihil peccati fiat, quod non ex vtraque procedat.

CAPVT IV.

Si vtcunque iam paruit, qualiter intelligatur, quod ſcriptura dicit, *Initium omnis peccati ſuperbia*: hoc etiam

Marginal notes: † locatur C. — † C. & — † C. capitulum — Matth. 10. — Pſalm. 80. — † C. quas. — Eccle. 10. — Eſa. 14. — Luca 10. — Geneſ. 3. — † C. radicabiliter. — † C. cauſa — † Aliàs impulit. — † Aliàs voluntas C. — Pſalm. 24. — Eccle. 10. — Rom. 5. — † C. illum conceptam — † C. corrupta. — † C. ſed adhuc ſanatur noſtra natura, quæ eſt infirmata per culpam, atque per gratiam pijs &c. — † C. adiuuamus ſed vincimus. — † C. reddidit. — † Deo C. addit. — † negatio abeſt à C. — † C. expectorata. — † C. profundatur. — † C. capitulo. — † C. quod † ſit. — Eccleſ. 10. 1. Tim. 6.

Digitized by Google

A

1 Tim. 6.

iam videamus quod ſanctus Apoſtolus dicit, *Radix omnium malorum eſt cupiditas*: cum ſpiritus ſanctus, qui locutus eſt per prophetam, per Apoſtolum quoque locutus ſit, nec ſibi † poſſit eſſe diuerſus; ſolicite conſiderare debemus, quare ille initium peccati ſuperbiam, hic radicem omnium malorum cupiditatem nominari voluerit. An forte ſermonem propheticum Paulus Apoſtolus, vt ſolet, expoſuit: quandoquidem ſiue initium omnis peccati, ſiue radicem omnium malorum dicas, vnum idemq; † ſignifices. Porro cupiditas atq; ſuperbia intantum eſt vnũ malum, vt nec ſuperbus ſine cupiditate, nec ſine ſuperbia † cupidus poſſit inueniri. Siquidem & diabolus, in quo tenet ſuperbia principatum, propriæ † voluntatis, ac perditionis humanæ cupidus fuit: & ipſe homo per appetitum arboris interdictæ, ac diuinæ ſimilitudinis affectionem, † morboſæ affectum cupiditatis oſtendit. De ſuperbia namq; naſcuntur hæreſes, ſchiſmata, detractiones, inuidia, verboſitas, iactantia, contentiones, animoſitates, ambitio, elatio, præſumptio, vanitas, inquietudo, mendacium, periurium, & cętera eiuſmodi. Sed hæc quis dubitet ex cupiditate quoq; procedere, cum omnes qui fuerint illis omnibus morbis, quos nominaui, corrupti, habeantur & cupidi? Item cum guloſos, intemperantes, ebrioſos, auidos, rapaces, fornicarios, adulteros, ſtupratores, inceſtos flagitioſos, cupiditas reddat, quando poſſunt ſine ſuperbia tales fieri? Sine qua omnino non poſſunt Dei præcepta contemni, quibus prohibentur illa omnia mala, quæ ſuperius cõprehendi. Ideoq; ſi volumus conſummare noſtri certaminis curſum, caueamus in primis cupiditatem atq; ſuperbiam, non duo mala, ſed vnũ, à quo trahunt omnes mali actus initium. Nam ſine ſuperbia quæ poſſunt ſaltem inchoari peccata, cum dicatur, Initium omnis peccati ſuperbia? Aut ſine cupiditate, quæ eſt malorum omnium radix, quæ poſſunt fieri mala, cum ſine radice omnia, aut nulla deputentur, aut mortua? Deinde ſi quodlibet peccatum perpetrare non poſſum, niſi † malæ delectationi conſentiam, quod cupiditatis eſt proprium, & Dei præcepta contemnam, quod eſt ſuperbiæ malum: quomodo non ex cupiditate, quæ eſt radix malorum omnium, & ex ſuperbia, quæ initium omnis peccati dicitur, procedit omne peccatum?

† C. poſſunt eſſe diuerſi.
† C ſignificas.
† C. poſſit inueniri cupidus
† Aliàs poteſtatis C.
† C. morboſe.

B

† Aliàs meæ C.

C

Quo animi tormento inuidos affligat inuidia.

CAPVT V.

INuidus certe, qui alienum bonum, ſuũ facit inuidendo ſupplicium, nulla videtur ad inuidendum concupiſcentia prouocari, ſed tantum ſuperbiæ morbo vexari. Sed ſi animi eius peſtem, qua præcipitatur incenſus, ſubtiliter alteq; timemini, inuenietis eũ & perditionis eius cupidine, cuius cupit interitum, & † ſuperbiæ malo teneri, quo ſibi iugiter ingemiſcit meliorem cui inuidet anteferri. Quis facile poteſt, quale ſit hoc malum, verbis exprimere, quo inuidus odio hominis perſequitur diuinum munus in homine: quum potius amari homo debeat, etiam pro ſui meriti ſanctitate? Tantos inuidus habet pœna iuſta tortores, quantos inuidioſus habuerit laudatores. Siquidem inuidioſum facit excellentia meriti, inuidum pœna peccati: nec ei ab homine poteſt remedium adhiberi, cuius eſt vulnus occultum.

† C. ſuperbia mala.
† Inuidiæ pernicies.

D

In qua & quanta mala, concupiſcentia carnis erumpat, ſi ei mens corrupta conſentiat.

CAPVT VI.

QVid concupiſcentiæ carnis addictus: Nonquid non videtur nihil habere ſuperbiæ, cum præſertim paſſio ipſa eum videatur humiliare luxuriæ? Et tamen niſi prius Deo rebellis exiſteret, cuius ſalubre præceptum de pudicitia conſeruanda, ſuperbi ſpiritus præſumptione contemnit, nulla eum laſciuiæ cupiditas prouocaret. In animo eius diu diſceptant Dei contemptus & metus. Sed aut contemptus Dei præponderat, & ſuperbus animus recepta cupiditate pudicitiam perdit: aut obtinet metus, & animus Deo ſubiectus cupiditati ſimul ac ſuperbiæ contradicit. Pleroſq; enim gula & abundantia vini turpiter in luxuriam ſoluunt: alios † in iniuriam pudicitiæ ſordidæ cogitationes incendunt: nonnullos de propoſito caſtitatis occaſiones oblatæ deijciunt: quoſdã ſub impudicitiæ iugũ exempla perdite viuentiũ mittunt. Sunt alij, quorum vitam lingua turpis inflammat, † aut turpẽ conſcientiam manifeſtat: qui prius inuerecundos ſermones aut proferunt libenter, aut audiunt, ac deinde paulatim morbo creſcente ab honeſtate deficiunt, attritoq; pudore viles effecti, dum indecenter elegantes videri volunt, paſſim iam turpibus verbis impudenter inſaniunt. Hoc enim loquuntur quiq;, quod diligunt: & delectabiliter audiunt, quod aſſiduis cogitationibus voluunt. Cogitatio quippe eſt, quæ mentẽ, ſicut turpis inquinat, ita ſi fuerit honeſta purificat. Aut ſi non ex cogitatione facies mẽtis exiſtit, ſed qualitas cogitationis ex mente, non ſordidæ cogitationes mentẽ ſordidam reddunt, ſed ex mente ſordida ſordidæ cogitationes † exiliunt. Quod ſi ita eſt, pulchrorum corporũ formæ per oculos irrepentes, animum non mouent incorruptũ: & quando corruptibiliter mouent, non corrũpunt ſanum, ſed oſtendunt propria voluntate corruptum. Turpia quoq; verba per aures ingreſſa, quid præualent, ſi non fuerint arbitrio mentis admiſſa? Quando autẽ præualent, non ipſam corrumpunt mentẽ, ſed iam corruptam ſponte reperiunt. Auribus enim caſtis obſcœni ſermones cum ſono deficiunt, nec ſecretũ pudici cordis irrumpunt. Quid palpamen † tenerum, quod menti iam vitioſæ blanditur? Nunquid poteſt ad animum admitti per tactum, ſi animus incorruptum ſeruet profeſſionis ſuæ propoſitum? Ac ſic, prius integritatem ſui animus ſponte vitiatus amittit, & ſic delectationem tactus admittit. De cibi vel potus cauenda delectatione, iam dixi ſufficienter, vt arbitror, in ſecũdo volumine, vbi quãta potui breuitate perfectionem ſpiritualis abſtinentiæ commendaui. Sed & hic hoc breuiter dico, quod per os carnis non irrumpit delectatio guſtus ad mentem, nec erumpit ſermo turpis ex mente, niſi ſe voluntate mẽs ante corrũpat, quam recipiat aliquid vnde corrumpatur, aut proferat. Cæterum ſi animus ſub Deo ſuo firmus ipſius Dei ſui munere perſeuerer: nec quibuſlibet delitijs lenocinantibus cedit, † nec profert aliquid turpe, nec recipit. Iam de odoribus pauca perſtringam, vt totam tentationẽ quinq; partiti ſenſus verbis includam. Quos odores per aditum narium aut affectat mens ægra, aut diuinitus adiuta repudiat: quæ ſi ſe ſuo creatori ſubijciat, atq; ei, qui dignitas eius eſt & ſalus, amanter inhæreat non ſolum nulla eam vitiorũ fœtidas decolorat, ſed nec delectatio vlla carnalis effœminat. Quod ſi à charitate ſui conditoris & illuſtratoris inflata reſiliat, ac ſe relicto interiore ſolidoq; bono, foras in exteriora bona pernicias: quicquid in ea neruorum poteſt eſſe, reſoluitur: quicquid virium, debilitatur & frangitur: † tuncq; ei actio ſpiritualis efficitur oneroſa, & ipſa in carnalibus fit inquieta: ita vt omnia quæ per ſenſum corporis ſentit, non vitianda, ſed iam vitiata turpiter concupiſcat: & quando corpus nihil ſenſibilium ſentit, ipſa ſibi delectabiliter recordando, ſenſatarum terũ imagines repræſentat, apud ſe intus audit ſine voce, quicquid cantilenæ ſuauis ac locutionis obſcœnæ per flexuoſos aurium meatus influxit. Ibi ei odor † male ſuauis corruptibiliter fragrat, qui per patulas narium cauernas irrepſit. Ibi eam ſapor oblectat, quẽ ad ſe per illecebram voluptuoſi guſtus admiſit. Ibi perſentit neſcio quid molliter blandũ, quod ei exterior tactus impreſſit. Ibi colores varios & illices formas concupiſcibiliter videt, quas ei oculorum curioſitas nunciauit. Quæ mens ita abſentibus plerunq; imaginibus corporum delectatur † affecta carnaliter, vt nimia ſordidæ cogitationis intentione defixa, non ſibi imagines corporum videatur amplexari, ſed corpora. Hinc eſt quod ille corporis fluxus, qui fit in dormientibus ſine culpa, interdum vigilantibus cõtingat ex culpa. Aliud eſt. n. quod in dormiente fit, aliud quod vigilans facit. Ibi naturaliter plenitudo humoris expellitur: hic turpiter cõcupiſcentia publicatur. Sed hęc

E

† C. ad.
† C. &.
† Aliàs exeunt.

F

† terrenum C.
Cap 22. & 23.

G

† ſeducentibus C. add.
† C. tunc.

H

† male deeſt C.
† C. affectata.

concu-

A

concupiſcentia illis vigilantibus hunc elicit fluxum, quibus per fœda colloquia ſordidum commouerit appetitum. Hi ſunt, quibus viui eſt fœminarum deſcriptio: Illa rudis eſt, illa dicacula, illa deformis, illa formoſa, alterius placet ornatus, geſtus alterius, illius etiam laudatur ſine forma feſtiuitas, illius ſola formoſitas. Inde tranſitur ad mores, & aliam talibus commendat taciturnitas moderata, aliam turpem videri facit libertas incondita. Hæc & his ſimilia colloquentes, ſuggerunt concupiſcentiæ ſuæ materiam. † Hæc tamen ideo concupiſcunt, qui aut loquuntur libenter, aut audiunt. Qui niſi concupiſcentiæ morbo corrupti eſſent, nunquam vel loquerentur talia, vel audirent: quia nō eos iſta corrumpunt, ſed corruptos oſtendunt. Ac ne me illa veraciter arguentem quiſquam iudicet arguendum, nouerit propter hoc forte ab antiquis fuiſſe decretum, ne qui adoleſcentium legerẽ: Geneſeos librum, ac partem pariter Ezechielis prophetæ, vel Canticum canticorum, & cætera talia, in quibus generationes, & actus, & nomina quarūdam ſcripta ſunt mulierum. Quas licet ſecundum hiſtoriam fuiſſe credamus, earum tamen nominibus virtutes figuratas accipimus: quoniam ſicut illæ non ſolum viris ſuis per ſanctos mores, ſed etiam extraneis ſine diſpendio ſui pudoris ob nimiam pulchritudinem placuerunt, ita ſanctæ virtutes & ſuos mirabiles omnibus reddunt, & extraneos quadā admiratione ſui perſtringunt. Hinc eſt quod & ipſi, qui vitioſe viuunt, virtutes vitijs anteponunt: quia aliud eſt quod faciunt morbo aliud quod coguntur † placere iudicio. Sed ne forte hæc ſpiritualia ſecundum carnem adhuc carnales acciperent, nec virtutes cogitarent, quas mulieres illæ ſignificant, ſed ipſas cogitando carnaliter deperirent, conſulto iuniores legere ſunt illa prohibiti, quæ ſicut ſpiritualiter accepta viuificant, ita carnaliter intelligentibus, ipſa carnalis intelligentia, occaſiones carnalis concupiſcentiæ ſubminiſtrat. Earum quiſq; nomina frequenter habet in ore; quarum deſideria vulnerato geſtat in corde: aut turpitudinem quam exercere verecundatur in facto, tenet in animo, reus non humano iudicio, ſed diuino.

† C. Nec. *Lege Hiero. in primo Commentariorum Ezechielis proœmio. & eundē ad Paulinum de omnibus diuinæ hiſtoriæ libris.*

B

† *Al. às* probare C.

C

† imprudentia C.

Quod etiam hi, quos ab † impudicitia qualibet neceſſitas vetat, ſi viuere pudice conſueſcant, ad amorem caſtitatis aſcendant.

CAPVT VII.

TAles, pudicos aut temperatio corporum facit, aut timor ſupplicij temporalis ab impudicitiæ actione ſuſpendit, aut occaſio denegata deſtituit. Sed licet voluntate ſit impudicus, qui neceſſitate pudicus eſt, tamen ſi & ille temperati corporis de beneficio naturæ ſuæ, Deo, autori omnium naturarum gratias agat: & ille, quem timor in bono pudicitiæ tenet, atque is cui facultatem mœchandi negat occaſio, viuere pudice conſueſcant, in virtutem plerumque de neceſſitate proficiunt: & paulatim ipſius pudicitiæ delectatione creſcente, pudici veraciter fiunt, & ita proficiunt, vt iam non ſermone, ſed virtute ſordes impudicitiæ deteſtātes, non timore pœnæ carnalibus incentiuis obſiſtant, quod eſt incipientium proprium, ſed execratione peccati refrenent inquietos carnis affectus, quod eſt caſtitatis conſummatæ faſtigium: non quod animus vnquam deſinat in hac carne cum vitijs habere conflictum, ſed quod eum alat ac prouehat, & quantum fieri poteſt, in præſenti vita perficiat ipſa numeroſitas triumphorum: ſi modo non ſe in corpus ſenſibilium captus delectatione deijciat, ſed execratione delectationum ſubliminter roboratus, ſupra corpus ſe corporalium victor attollat, ac Deo ſuo, ſub quo eum viuentem deſideria repudiata non vincunt, in æternum glorificandus adhæreat.

D

Quibus indicijs poſſit oſtendi ſuperbia, quæ vel in perditis aperta eſt, vel in fictis occulta.

CAPVT VIII.

E

IAm nunc videamus, quibus indicijs poſſit ſuperbia deprehendi: vt ſicut in ſuperioribus claruit, nullum peccatum ſine illa poſſe committi: ita hic ſigna eius eluceāt: quibus cauenda poſſit oſtendi. Omitto illos, quos etiam ipſe habitus, & inceſſus ſuperbos † oſtendit: quorum erecta ceruix, facies torua, truces oculi, & ſermo terribilis, nudam ſuperbiam clamant. Qui libidine † dominandi poſſeſſi, quos poſſunt, violenter ſibi ſubijciunt, humana iura diuinaq; confundunt, honoribus intumeſcunt, paſſim cuncta diripiunt, ſuis criminibus gaudent, & ſeipſos, ſuperbiæ corrupti morbo, non capiunt. Hos ergo prætereo, in quibus ſuperbia tam aperte regnat, vt nec dignetur ſe occultare, nec valeat. Illos tantum dolendos oſtendo; atque eorum exempla cauenda denuncio, quos iam conuerſos & aliquantulū proficiētes ſuperbia occulte captiuat, quos in profundum malorum fraudulenta dominatione præcipitat, & ne inde vnquam poſſint † emergere, iugiter calcat. Ipſa in cordibus talium locum diabolo facit. Ipſa ei aduenienti inexpugnatū pectus familiariter pandit. Ipſa introeuntem ſuſcipit. Ipſa captis ius perditæ viuendi conſtituit. Ipſa † omnes virtutibus exarmat, quos ſemel inuaſerit. Ipſa quicquid in eis remanſerit, quod vitijs poſſet obniti, ne contra ſe forte conualeſcat interimit. Inde eſt, quod hi quos ſuperbæ mentis tabes purulenta corruperit, ſeniorum ſuorum non obſeruant imperatā, ſed iudicant de ſuis negligentijs obiurgari, aut rebellant inſolenter, aut murmurant: de loco ſuperiori diſceptant, præferri ſe etiam melioribus impudenter affectant: ſimplicitatem ſpiritualium fratrum irridēter exagitant, ſuas ſententias procaciter iactant: obſequia delata faſtidiunt, negata pertinaciter quærunt: natales moribus anteponunt: iuniores ſuos elati deſpiciunt, conferri ſibi aliquos poſſe non credunt: æquari ſenioribus dedignantur, ſuper eos ſe ſolo animi tumore conſtituunt. Non ſeruant in obſequio reuerentiam, in ſermone modeſtiam, in moribus diſciplinam. Habent in intentione pertinaciam, in corde duritiam, in ſermocinatione iactantiam: in humilitate fallaces, in iocatione mordaces, in odio pertinaces: ſubiectionis impatientes, potentiæ ſectatores, omnibus bonis odibiles: ad opus bonum pigri, ad cōmunionem feri, ad obſequium duri, ad loquendū quod neſciunt, prompti, ad ſupplantandum parati, ad omnia quibus ſubſiſtit fraterna ſocietas inhumani: temerarij in audendo, clamoſi in loquendo, faſtidioſi in † videndo, præſumptuoſi in docendo, efferati deformiter in cachinno, oneroſi amicis, infeſti quietis, ingrati beneficis, inflati obſequijs, & imperioſi ſubiectis. Hæc ſunt ſuperbiæ graſſantis indicia, quibus Deus offenditur, & recedit, ac ſuperba corda deſtituit. His malis diabolus paſtus exultat: inuitatur, vt veniat: ſuperbas mentes intrat, vt teneat: erigit, vt elidat: fouet, vt perdat, qui inexplebiliter de ipſa perditorū captiuitate tripudiat, vt captiuos ſuos quos ſuperbiæ viribus ſibi ſubiecit, iure poſſideat, & omnia illa mala, quæ ſuperius cōprehendi, per illos exerceat. Merito igitur per iuſtum Dei iudicium deſertum huiuſmodi occulto damnati ſupplicio: quoniā non violenter addicti, ſed ſponte cedunt ſuperbiæ decipientis imperio: cui vtique poſſunt, † ſi voluerint, repugnare liberæ voluntatis arbitrio: liberati per donum ſpiritus ſancti, & muniti. Veruntamen etiam tales, ſi ad recipiendam ſalutem diuinitus animati, ſpem reſipiſcendi concipiant, nec ſe in peccatis ſuis deſperando contemnant, poterunt fructuoſæ ſatiſfactionis medicamento ſanari, & ſuperbiam, quæ eos à deo ſuo tumefactos excuſſerat, ſundatæ humilitatis aſſumptione damnantes, vinculis æternæ damnationis abſolui. Quod qualiter fieri poſſit, ſupra iam diximus, cum de ipſa ſuperbia, vnde proceſſerit, quo peruenerit, & quid egerit, tractaremus. Nam quia à diabolo proceſſit, ad hominem primum peruenit, & in ipſo totum genus humanum velut in radice, fructum naturæ ſponte † peccati vitiatione corrupit.

† C. oſtēdunt.

† C. dominante.

F

† C. emergi.

† *Al. às* bonis omnibus C.

G

† C. audiendo.

H

† ſi voluerint) abeſt à C.

† *Al. às* peccati.

Quibus

A

Quibus ſignis inuidorum declaretur inuidia.

CAPVT IX.

ORdo ipſe exigere videtur, vt de inuidia quoq; pauca dicamus, quæ in tantum de ſuperbiæ fonte manauit, vt diabolus qui per ſuperbiam periit, hominẽ primum ſtatim, ſuccenſus inuidiæ felle, perdiderit: †namq; à diabolo proceſſit. Proinde, quia idem diabolus ſuperbiendo inuidus non inuidendo ſuperbus apparauit, nõ ſuperbia fructus inuidiæ fuit, ſed inuidia ex ſuperbiæ radice proceſſit. Vnde, quoniam quantum inuidos affligat inuidia, ſuperior iam ſermo prodidit, non hic de illius ſupplicio dicendum videtur, quo ſuos animos inuidi lamentando conficiunt: ſed hoc tantùm donante Domino debemus oſtendere, qualiter inuidi ſanctę viuẽtiũ merita, ſua faciant inuidendo peccata: & quantum in eis † bonum corrumpat inuidia, qui quicquid boni fieri, vel dici à ſanctis audierint, aut omnino non credunt, aut res bene geſtas in malum male interpretando conuertunt. Omne malum, quod de illis mẽdax fama iactauerit ſtatim, tanquam ſi ipſi viderint, credunt. Feraliter eis qui illud verum non eſſe probare voluerint, contradicunt. Omnia ſuis æmulis fingunt, eorum profectu deficiunt, odia intra ſe abſcondunt, & in ſuos cruciatus enutriunt, proficientibus inuident, peccantibus fauent. De bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, †de inimicitijs gratuitis ardent, deprehendi † pectoris ſui malitiam timent, ſemper amati, nunquam certi. Amici diaboli, inimici etiam ſui, omnibus odioſi. Ad gaudenda anxij, ad plangenda læti, vn obiq; †diſperſi. Inter amicos diſcordias ſeminãt, diſcordantes ad tempus, ſi poſſunt, in diſſenſione confirmant. Opinionem bonorum mendacijs decolorant: in ſpiritualibus carnalia laudant, vt ſpiritualia bona eis deeſſe perſuadeant. Amicitias ſimulant, vt eos, qui ſe incautè ſibi commiſerint, qua poſſunt arte decipiant. Odiorũ ſibi occaſiones prauis ſuſpicionibus coaceruant: dæmones, quorum ſectantur facta, lætificant. Sanctos viros quibus ſunt noti contriſtant, velut amici in obſequio, hoſtes in animo. Contumeliores in verbo, turpes in facto. Prodigi ſecretorum, tenaces malorum. Prompti ſuſpicionum malarum, inanes bonorum. Pleni ſordium, prædıti fraudibus. Aduerſarij corde virtutibus, praui moribus, & inſidioſi euoctis ſecum in ſimplicitate viuentibus. Hæc & his ſimilia ſunt, quæ omnes inuidos bonis voto ſiue animo inimicos oſtendunt. In hæc mala deueniunt, qui inſectando †ſectandos, & diligendos abominando, feraliter à communione bonorum omnium ſeipſos excludunt, vt illud bonum iure non ſit eis, quod perſequũtur in bonis. Conſiderate, obſecro, qualiter inuidos punitura ſint mala ſua, quos etiam bona puniunt aliena. Vbi iſti fieri poterunt boni, qui ſunt in bono mali: aut quãdo bene malis vſuri ſunt, qui male bonis vti nõ deſinunt? Bene malis vſi ſunt martyres ſancti, in teſtimonio ſaluatoris noſtri veraces, & in caſtris ſpiritualibus ſtrenui bellatores, qui tribulationibus, & damnis, ac varijs cruciatibus affecti, pariter & probati, terrenis cœleſtia mutauerunt: &† de bono vſu malorum profecti ad gaudia bonorum perennium peruenerunt. Item bonis vtitũr inuidus male, quia omnibus bonis, quæ miſer execratur abiunctus, animi ſui ſupplicio relinquetur affligendus. Et quis ei poterit ſubuenire, qui ſe ſibi exhibet inuidendo carnificem? Aut vnde ſibi †parabit ſalutem, qui de ſalutis †materia (bonis male vtendo) facit perniciem? Veruntamen ſi inuidi quoq; ſicut alij peccatores diuinitus inſpirati, in ſpem recuperandæ ſalutis adſurgant, ac ſibi quales ſint, Deo placituri diſpliceant, ſi non imitentur Cain, qui poſtquam dominantis inuidiæ furore cæcatus, germano ſuo vitam per ſcelus extorſit, & animã ſuam fraterni corporis morte percuſſam, ſupplicio æternæ mortis addixit, conſequendæ veniæ deſperatione depreſſus, ait ad Dominum: *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear*: hoc eſt dicere Deo, †Indulgeri mihi non peto: quia peccatorum meorum magnitudine indulgentiæ tuæ vincitur magnitudo. Denique nuſquam legitur aut pœnituiſſe de ſuo ſcelere, aut veniam meruiſſe. Si ergo † huius abhorrentes exemplum ſe ſibi auferant, & ſe Deo ſuo reſtituant, nec ſe in profundum malorum ſalutem deſperando proijciant: quis dubitet, imo quis non firmiter credat, eis prioris malitiæ veniam poſſe conferri, ſi modo inuidiæ vulnere ſanato correcti, amaritudinem ſui pectoris dulcedine fraternæ dilectionis expellant, eos ſimpliciter amando quos oderant, vt ad bonum fraternæ communionis ac pacis, bonorum omnium quorum grauabantur meritis, adiuuentur exemplis?

Margin: † C. Nam quia à. — Cap. 5. — † Aliàs bonorum — B — † abeſt (de) à C. — † C. peccatis. — † Aliàs peruerſi C. — C — † non C. add. — D — † C. & de bono vſu eo bono vſi malorum profecto, ad g. b. — † C. relinquitur. — † C. præbet. — † C. materia, contrahit bonis male vtendo perniciem. — Gen. 4. — † C indulgere. — E — † C. ab huius abhorreates exemplo.

Quantis malis vanitas vanos inuoluat.

CAPVT X.

HIs itaque ſuper inuidia diſputatis, quam graui malo etiam vanitas vanos inuoluat, conſequenter expediam. Quæ vt facilius vitari poſſit, quid in ſe corruptionis habeat, breuiter declaremus. Eſt enim vanitas inflata quædam circa delectationes varias animi languentis affectio, potiendi honoris auida, ſimul & neſcia, morbo excellentiæ inanis afflata, caua, morbida, turbulenta, animorum leuium domina, male fundatis omnibus blanda, repugnãtibus fumea, capiendis ſeductoria, captis inuicta, ſimulatio quædam virtutum, † anima vitiorum, fomes carnalium delectationum, labes morum, appetitio dignitatum, dulcis miſeris, amara perfectis, periculoſa dubijs, imperioſa ſubiectis, infirma fundatis † facile captiuat, captiuatos oblectat, ambitioſos vexat, anguſtos inflat, inflatos humiliat: cui ſeruiũt tumidi, ſub qua iacẽt elati, q̃ inueniunt perditi, ad quam currunt lapſuri, in qua ſibi videntur ſtare iam lapſi. Hæc eſt vanitas, quæ non aliquas virtutes, vt putatur, † exantlat: ſed licentiam vitiorum, cum fuerit à vitioſis recepta, corroborat: cæterum mentes virtutum plenas omnino non penetrat. Vacuos ergo, ac nullis fultos virtutibus temtat: & ipſos faſtu ruinoſæ ambitionis inflatos, in occulta dedecora quadam publice furendi delectatione præcipitat: † ſicut vacuam nauim tempeſtas in diuerſa tumidis fluctibus iactat, & in area frumentis ſua grauitate manentibus † leues ex ea vẽtus paleas raptat. Quod ſi ita eſt, non vitioſos facit vanitas, ſed oſtendit: quæ illos ſui †afflatus vento circumfert, ac lubricis circumactos affectibus rotat: qui ſe ad omnes eius impulſus ſtudio propriæ voluntatis adcommodant: qui ſe de operibus, quorum ſibi conſcij non ſunt, turpiter iactant: qui ſe ab omnibus prædicari per nefas affectant: qui ſanctos viros ſui comparatione † depretiant: qui vitio auræ popularis elati, nihil ſibi deeſſe perfectionis exiſtimant. Occurrentium ſalutationibus gaudent, ſuis adulatoribus fauent, voluptatibus parent, omnibus turpibus placent. Geſtiunt docere quod neſciunt: credi de ſe ſublimia volunt, delectabilia grauibus anteponũt: execrantur verbo, quod animo concupiſcunt: appellationes virtutum vitijs ſuis †imponunt. Seipſos fallunt, fauentes ſibi decipiunt. In promiſſione honeſta veloces, in exhibitione mendaces. A bono mutabiles, mali tenaces. In verbo graues, in animo turpes, vbiq; fallaces. Læti ad proſpera, fragiles ad aduerſa. Inflati ad obſequia, anxij ad opprobria. Immoderati ad gaudia, faciles ad humana, difficiles ſemper ad honeſta. His ergo & ſimilibus delinitos vanitas premit, nec eos aut ſuum morbum ſentire, aut ad medicum venire permittit. Et quid eſt ad medicũ venire, niſi infirmum ſuas infirmitates agnoſcere, nec placere ſibi, ſed de factis quæ illi videbantur eſſe glorioſa, confundi? Quod certe illi non faciunt, qui deſiderio comparandæ opinionis inceoſi, eis tantum operibus, quibus emitur fauor humanus, inſeruiunt, & morum bona contemnunt: tantumq; eos ardor humanæ laudis inflãmat, vt laborioſa opera, quæ populus admiretur, & quibus fama diffunditur, ſine labore ſuſcipiant, & libenter exerceant. Inde eſt, quod ieiunare, abſtinere, vigilare, eccleſiam frequentare, vel pſallere, cum hæc omnia ſine labore non fiant, etiam cum delectatione illi faciunt, qui ex his hominibus placere concupiſcunt: non quod iſta & homines Dei non faciant: ſed quod illi probentur à Deo magis,

Margin: F — † Aliàs amica C. — † incautos C. add. — † ſtrangulat C. — † C. ſic. — † C. leuis. — G — † C. afflatos. — † C. deprauant. — † C. anteponunt. — H

A

quam hominibus exhibere, qui feruentius ſtudent etiam moribus ſanctis excellere. Cæterum ſi quiſquam foris, vbi poteſt magnus credi, reſplendeat, & intus vbi Deus ſolus videt, ſqualeat: quis non intelligat, quod illæ omnes abſtinentiæ, ac ieiuniorum, vigiliarumq; continui labores, quos nobis Dei amor, eis amor humanæ laudis, & inflammata vanitas facit tolerabiles, non ſint ornamenta morum, ſed velamina vitiorũ? Quapropter vera ieiunia, abſtinentiæ, vigiliæ, eleemoſynæ, & cætera huiuſmodi, augere debent bonum noſtrum, non velare peccatũ: nec pro iuſtitia ſed cum iuſtitia Deo ſunt exhibenda: quoniá quidem multo attentius debent præcepta perficere, qui ea parati ſunt perfectionis opere tranſcendere. Alioquin ſi immundi, ſi ſuperbi, ſi elati, ſi cupidi, hæc & his ſimilia auctoris ſui non reprimant, & tamen ſuũ corpus ieiunijs, ac labore abſtinentiæ, quamuis continuatæ, conficiant: nec illa eos opera impenſa vanitati iuſtificant, & hæc vitia quæ negligunt emendare, condemnant. Itaq; licet

B

vbiq; libri huius ſingulis † quiſq; vitijs abſolutis, remedia quoque quibus poſſint caueri vel emendari, ſubiecerim: hic tamen compendij gratia generalis quædam regula Domino illuminante monſtranda eſt, cui regulæ † veraciter innitentes, omnibus peccatis obſiſtant. Nulla res ſic nos ab omni peccato ſeruat immunes, ſicut timor ſupplicij, & amor Dei. Sed de charitate, quod Dominus, cuius donum charitas ipſa eſt, donat, poſtea diſſeremus.

† C. quibuſque.

† Aliàs velociter.

De vtilitate timoris, & quod efficaciter peccatis obſiſtat.

CAPVT XI.

NVnc de timore ſupplicij pauca dicamus. Ad pœnam, quæ † peccanti debetur, mens antequam peccet, aſpiciat: cruciatus, ac dolores, qui ſolent ſequi peccantem, carnalibus incentiuis † opponat: & nihil eã peccati † oblectat, nec ad peccandum vlla delectatio corporalis inclinat. Denique non ideo cedimus illecebris, ac voluptatibus noſtris, quia repugnare non poſſumus: ſed quia ſecuritatem nobis occultandi criminis ipſi promittimus: & dum credimus celari, vel redimi poſſe quod facimus, ſpe præſumptæ impunitatis illecti, dominationem in nos noſtrę voluptati permittimus. Cæterum ſi eo tempore, quo quis peccare deliberat, ſana mente conſideret, quæ pœna expectet in ſuis facinoribus ac flagitijs deprehenſos, quod ſupplicium conuictos excruciet, qui tremor membra quatiat, pallor ora perſundat, quantum denique horribiles & execrabiles omnibus reddat: etiam ipſum ſordidæ opinionis opprobrium, neſcio an poſſit quibuslibet vitijs accommodare conſenſum. Quid enim mali operis fieri poteſt, vnde non erubeſcant etiam illi, quos ipſa flagitia ſua delectant? Hinc eſt quod hi qui bona ſua vane ac deformiter iactant, dedecora, quibus remordentur, & humiliantur, occultant. Quid, quod in peccantem, etiam ſine humano iudicio conſcientiæ iudicantis tormenta deſæuiunt, & male ſibi conſciam mentem ipſæ etiam cogitationes ſecreti reatus, † cruciatoria recordatione conficiunt?

† Aliàs peccatis C.

† C. ſupponat.

C

† C. delectat.

D

† C. cruciatu ac recordatione.

De futuro iudicio, vel æternitate ſupplicij, ac de qualitate gehennæ.

CAPVT XII.

AGe iam cum ad illud vltimum iudicium venerimus, ab eo iudice iudicandi, qui nec falli occultatione criminũ poteſt, nec ad impunitatem promerendam muneris alicuius oblatione corrumpi: cum cœperint omniũ ſecreta reuelari, & non ſolum actus ac verba, ſed etiam ipſæ cogitationes oſtendi: quid faciemus ſub tanti iudicis maieſtate? quid excuſationis obtendere poterimus? qua nos defenſionis arte purgabimus? quæ nobis ſubuentura eſt pœnitentia, quam in hac carne cõtempſimus? Quæ nos defenſura ſunt opera bona, quæ in hac vita non fecimus? Ad quos Apoſtolos, aut ad quos alios ſanctos confugituri ſumus, quorum exempla ſimul ac verba deſpeximus? An forte † aliquos ibi fragilitas corporis excuſabit? Sed excuſationi eorum reclamabunt † omnium ſanctorum exempla, qui cum fragilitate carnis in carne viuentes fragilitatem carnis in carne vincentes, quod fecerunt, vtique fieri poſſe docuerunt: maxime, quia nec ipſi peccato ſua virtute, ſed Domini iuſtificantis auxilio reſtiterunt: qui ſe & non quærentibus, vt quæratur, atque in eum credatur, oſtendit: & credentes in ſe, ne à peccato vincantur, inuicta protectione defendit. Quid ergo reſponſuri ſunt, ſi eis Dominus dicat, Si potuiſtis, quare non reſtitiſtis deſiderijs peccatorum; ſi non potuiſtis, quare in eum contra peccata non quæſiſtis auxilium? aut vulnerati, quare pœnitendo non adhibuiſtis vulneri veſtro remedium? † Nonne ad hæc obmuteſcentes, & quid excuſationis referant non habentes, dicet: *Ligate eos manibus & pedibus, & mittite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium*, vbi *vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*? Et quid eſt, obmuteſcentes manibus & pedibus ligari, niſi in inferno, vbi Deo nemo confitetur, actione priuari: ſicut in exteriores tenebras mitti, nihil aliud erit, niſi à Domino, qui eſt mentium lumen, expelli? Fletus autem & ſtridor dentium acerrimos eorum dolores oſtendunt, qui ſupplicio æternæ mortis addicti, non † videndi ſenſum habituri ſunt, ſed dolendi. Quorum continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor ſummus, pœnalis ſenſus torquent animas, nec extorquent, puniunt corpora damnata, nec finiunt. Quos ideo ſibi deputatos ignis inextinguibilis non extinguit, vt permanente ſentiendi vita, pœna permaneat, & ad dolendum magis, quam ad viuendum æternis corporibus compeditos habeat, quos in flammis viuacibus immortalitas ſecundæ mortis occidat. † Iam vero quod dicit: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, ad totam † refertur damnati hominis pœnam, quem inefficacis pœnitentiæ ignis exurit, & conſumentis conſcientiæ vermis immortaliter rodit. Proinde omnes qui in gehenna dicuntur occidi, non id cum illis agitur, vt maximis conſumpti doloribus, aliquando deficiant, ſed vt in illis pœnaliter viuant. Hæc & his ſimilia libenter audire vel legere, iugiter ante oculos mentis adducere, futura credere, ſine vlla perturbatione metuere, cogitare quale malum ſit ab illo gaudio diuinæ contemplationis excludi, beatiſſima ſanctorum omnium ſocietate priuari, fieri patriæ cœleſtis extorrem, mori vitæ beatæ, morti viuere ſempiternæ, in æternum ignem cum diabolo & angelis eius expelli, vbi ſit mors ſecunda damnatis exitium, vita ſupplicium, non ſentire in illo igne quod illuminat, ſentire quod cruciat, exundantis incendij terribiles crepitus pati, Barathri fumantis amara caligine oculos obcæcari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, edaciſſimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri: Hæc & multa ſimilia cogitare, nihil eſt aliud quam vitijs omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia refrænare. Sed nos iam, ſi videtur, ab his terribilibus malis, quæ fidelium mentes ſalubri terrore concutiunt, atque ab omnibus vitiosis delectationibus abducunt, & quæ amatores voluptatum ſuarum tunc ſuæ damnationis experimento probabunt, quando iam, quod eſt omni infœlicitate miſerius, ſe emendare non poterunt: ab his inquam terrificis ac triſtibus malis aſcendamus ad illa ſublimia, quibus proficientium mentes in ſpem promerendæ beatitudinis aſſurgunt, † abiuratiſque terrenis, cœleſtia concupiſcunt: & quoniam proficere cupientes à ſalubri timore incipiunt, & ad charitatem proficiendo perueniunt, nos quoque ſufficere iudicantes, quod de incipientium timore tractauimus, etiam de charitate, quod ipſe, cuius munus eſt, donauerit, diſputemus.

E

† C. aliquos fragilitas.

† C omnium exempla ſanctorum.

F

† C ad hæc obmuteſcentibus & nil excuſationis habentibus dicet: ligatis manibus & pedib. mittite eos.

Matt 22.

Eſa. 66. & Marc 9.

† C. viuendi.

Ibidem.

† C. Iam Vermis eorum.

† C. inſe. reutur.

G

H

† C abdicatiſque.

De laude charitatis.

CAPVT XIII.

CHaritas eſt, vt mihi videtur, recta voluntas ab omnibus terrenis, ac præſentibus prorſus auerſa: iuncta Deo inſeparabiliter, & vnita: igne quodã ſancti Spiritus, à quo eſt, & ad quem refertur, incenſa: inquinamenti

A
omnis extranea, corrumpi neſcia, nulli vitio mutabilitatis obnoxia, ſupra omnia quæ carnaliter diliguntur excelſa, affectionum omniũ potentiſſima, diuinæ contemplationis auida, in omnibus ſemper inuicta, ſumma actionum bonarum, ſalus morum, finis cœleſtium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, † anima ſanctarum mentium, cauſa meritorum bonorum, præmium perfectorum. In peccatis ſuis mortuos ſuſcitat, languentes ſanat, perditus † inſtruat, ſpem deſperatis inſpirat, pacificas mentes inhabitat: fructuoſa in pœnitentibus, læta in proficientibus, glorioſa in perſeuerantibus, victorioſa in martyribus, operoſa in omnibus omnino fidelibus. Quam fides concipit, ad quam ſpes currit, cui perfectus omnium ſeruit, ex qua quicquid eſt boni operis, viuit, ſub qua obedientia creſcit, per quam patientia vincit, propter quam carnalia blandimenta deuotio religioſa contemnit: ſine qua nullus Deo placuit, cum qua nec potuit aliquis peccare, nec poterit. Hæc eſt charitas vera, germana, perfecta, quã excellentiorem viam nominat Sanctus Apoſtolus. Et vere ipſa eſt via, quæ ducit per ſe ambulantes ad patriam: quia ſicut ſine via peruenit nullus quo tendit: ita ſine charitate, quæ dicta eſt via, non ambulare poſſunt homines, ſed errare.

1. Tim. 1. † C. amica. † C. inſtaurat. B *1. Cor. 12.*

Qualiter poſſint ea, quæ de charitate Sanctus Apoſtolus dixit, intelligi.

CAPVT XIV.

ITaque iam qualis, & quanta ſit hæc charitas, non pedum via, ſed morum, Apoſtolo † docente diſcamus: *Si linguis,* inquit, *hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habuero, factus ſum velut æramentum ſonans, aut cymbalum tinniens.* Hominum vel angelorum linguis inanem facundiam quorundam ſignificatam debemus accipere, qui omnia quæcunque voluerint, accurate quidem, atque eloquenter enuntiant: ſed quamuis ornate compositeque † diſſerant, tamen ſi docendi officium vanitate placendi magis, quam conſulendi charitate ſuſcipiant, non vt aliquos doceant, ſed vt ſe doctos oſtendant: nec profectum, ſed plauſum à ſuis auditoribus quærant: ſi totam conſcientiæ diligentiam transferant maledicaces ad linguam, & ſtudioſius eloquentiam velint curare, quam vitam: ſi ſupercilio vanæ loquacitatis elati, dicta ſua magis cupiant laudari, quam fieri: nec ſint de ſanctitate operis, ſed de ſermonis elucubrati venuſtate ſoliciti: nunquid non tales merito æramento ſonanti, aut tinnienti cymbalo comparantur? qui in modum tinnientis æramenti, vel cymbali præclara magis quæque appetunt ſonare, quam facere: nec erubeſcunt a ſeipſis aliter viuendo, quam prædicant diſcrepare: qui vt quoquo modo turpitudinem ſuæ conuerſationis obnubilent, honeſta prædicare non ceſſant, † non vt auditores ſui eorum prædicatione proficiant, ſed vt ipſi videantur curare quæ prædicant: Sed videamus quæ his adnectat Apoſtolus: *Si habuero,* inquit, *prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem: ita vt montes transferam: charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Non ad hoc iſta dicit, quaſi aliqua bona ſine charitate habere aliqui non poſſint: ſed quia nihil proſint habentibus ea, ſi à charitate defecerint. Ipſa autem & hic neceſſaria eſt, vt omnia bona, ſummum bonum † charitatis habentibus proſint: & ibi eis etiam † perfectior permanebit, cum omnes perſeuerantes in ſe ad viſionem Dei perduxerit. Cæterum prophetia, & myſteriorum omnium notitia, vel ſcientia, necnon & ipſa fides, vel cætera talia, quæ non perfectioni fidelium, ſed fragilitati neceſſaria iudicantur, in illa ſancta perfectione ſanctorum, quo in charitate radicati peruenire contendunt, peruenientibus neceſſaria eſſe non poterunt, cum illis incomparabiliter meliora, ac perfectiora ſucceſſerint: quia nec prophetia ibi opus erit, cum ad illud, quod futurum promittebat, impleta perduxerit: nec ſcientia, quæ velut lucerna quædam in huius ſeculi nocte fideles illuminat, cum in illius vitæ die perpetuo Sol viuus iuſtis effulſerit: nec myſteriorum notitia, aut ipſa fides neceſſaria erit, quando ad ea, quæ per myſterium ſignificabantur & credebantur, ex fide perfectio Chriſtiana peruenerit. Charitas vero hic quidem neceſſaria eſt, quæ nos ſeparat à diabolo, purificat à peccato, reconciliat Deo: ſed ibi perfecta erit, cum perfectos Deo, à quo eſt donata, coniunxerit. Adhuc Apoſtolus laudem diuinæ charitatis amplificans, adiungit, & dicit: *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, vt ardeat: charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Nec immerito: Si enim non quid, ſed propter quid faciamus, in illa vltima examinatione quærendum eſt, eleemoſynæ, vel traditiones corporis in mortem, quid proderunt non habentibus charitatem? Ipſa ergo habendã eſt, ipſa ſectanda, ſine qua nec eleemoſynæ, nec occiſio corporis, nec illa omnia ſuperius dicta, vel alia quæuis bona perducunt aliquos ad ſalutem: quia quælibet actio bona vel paſſio, niſi ex fide, *quæ per dilectionem operatur,* extiterit, nobis prodeſſe non poterit. Quapropter nihil eis peccati damnabilis remanere poterit, nec deerit aliquid boni, quibus charitas, omnis inquinamenti mundatio, & bonorum omnium mater affuerit: quoniam quidem ſi *charitas patiens eſt, benigna eſt,* ſi *non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati:* ſi *omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet,* & eos in quibus fuerit, omnibus his bonis quæ habet impertit: quid illis eſſe poteſt in hac vita perfectius, qui tantis abundant charitate in ſe regnante virtutibus? Proinde, quando videmus aliquos patientiæ † mole fundatos, inconcuſſum pectus ſæuientibus malis opponere: abundantia ſanctæ benignitatis † affectos, bonum ſuum velle cum omnibus habere commune: non aliquibus ardentibus inuidiæ facibus coqui, non agere perperam, ſed ſimpliciter cum omnibus, † quibuslibet puritatem exhibere: nullo faſtu perniciosæ vanitatis inflari: nihil eorum quæ ſunt aliena, crimine cupiditatis ambire: quæ ſua ſunt, piæ communionis bono non quærere: nulli malum, quibuslibet irritatos iniurijs, cogitare: non ſuper † alicuius, aut ſui operis iniquitate, ſed de veritate gaudere: omnes inquietos, vel inquietudines, fundata animi tranquillitate, ſufferre: poſt hanc vitam pœnas diuinitus comminatas credere † metuendo, præmia promiſſa ſperare gaudendo, reuelationem filiorum Dei deſiderare fortiter ſuſtinendo, quando ergo videmus hæc, & talia bona aliquos poſſe, nouerimus, non eos magnitudine virtutis ſuæ poſſe, quod volunt ardenter, & faciunt: ſed de beneficio illius charitatis, quæ non eſt ex nobis, ſed *diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.*

† Aliàs docente C. *1. Cor. 13.* C † C diſſerent. † C. add. tamen. *Ibidem.* D † C charitatem. † C perfectio. E *Ibidem.* *Gal. 5.* F *1. Cor. 13.* † C. patientia bene fund. † C. effectum bonum ſuũ v. c. o. h. communem. G † C. quibus debet puritas exhiberi. † *Aliàs* alicuius aduerſi operis. † C. add. non met. *Rom. 5.*

Quantum perfectionis charitas in ſe fundatis exhibeat.

CAPVT XV.

ERgo ſi charitatem Deo exhibeamus, & proximo, *de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta,* facile peccato reſiſtimus, bonis omnibus abundamus, ſeculi blandimenta contemnimus, & omnia quæ difficilia ſunt humanę fragilitati, vel aſpera, etiam cum † delectatione perficimus: ſi tamen Deum charitate perfecta, quæ nobis † ex illo eſt, *ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus diligamus.* Ex ea enim parte quis peccat, ex qua minus diligit Deum. Quem ſi ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis, vnde peccati deſiderijs ſeruiamus. Et quid eſt diligere Deum, niſi illi † occupare animum, concipere fruendæ viſionis eius affectum, peccati odium, mundi faſtidium, diligere etiam proximum, quem ipſe in ſe cenſuit diligendum, in ipſo amore ſeruare legitimum modum, nec peruertere dilectionis ordinem conſtitutum? Ordinem dilectionis illi peruertunt, nec modum diligendi cuſtodiunt, qui aut mundum, qui contemnendus eſt, diligunt, aut corpora ſua minus diligenda, plus diligunt, aut pro-

H *1. Tim. 1.* † *Aliàs* delectione † C. ab. *Deut. 6. Matt. 22. Luca 10. Marci 12.* † C occupare animo c. f. v. e. effectum. † *Aliàs* copulari, animo. *Matth. 5. Videatur*

A

Aug. c. 27. lib. 1. de doctr. chriſt. a. *1. Ioan. 2.*

ximos non ſicut ſeipſos, aut Deum plus quam ſeipſos forte non diligunt. Sed de mundo, quod diligi omnino non debeat, ipſius Dei noſtri per ſanctum Ioannem Apoſtolum vox eſt, dicentis: *Nolite diligere mundum.* Corpus autẽ noſtrum, quia pars noſtri eſt, ad hoc nobis diligendum, vt ſaluti eius, ac fragilitati naturaliter conſulamus, & agamus quatenus ſpiritui ordinate ſubiectum, ad æternã ſalutem, accepta immortalitate, & incorruptione perueniat: non ſuis voluptatibus diffluendo, animæ rigorem ſibi cedentis emolliat, puritatem polluat, & totam dignitatem ſuæ delectationis morbo corrumpat. Proximos autem tunc diligimus ſicut nos, ſi non propter aliquas vtilitates noſtras, non propter ſperata beneficia vel accepta, non propter affinitates vel conſanguinitates, ſed propter hoc tantum, quod ſunt naturæ noſtræ participes, diligamus: quia nos eos ſicut nos ipſos amamus, quando propter illa ſuperius dicta diligimus. Neque enim ideo proximum tanquam ſeipſum diligit quiſq;, quia ſibi frater, aut ſoror, pater aut filius, mater aut filia, nepos aut

B

neptis eſt: Carnaliter quippe amat, qui taliter amat: quoniam non illi tantum proximi noſtri credendi ſunt, quos nobis gradus ſanguinis iungit, ſed proximi noſtri credẽdi ſunt, omnes homines naturæ noſtræ, ſicut dixi, participes. Nam ſi propinquos noſtros, quamuis incompoſitos, turpes ac male moratos pluſquam quoslibet ſanctos, quos à nobis ſecundum ſanguinem vocamus extraneos, diligamus: non ſolum carnaliter diligimus, ſed etiam grauiter in tali eorum dilectione peccamus. Proinde ſecundum nos proximos omnes diligimus, quando ad mores bonos, & ad æternam vitam conſequendam, ſicut nobis ſaluti eorum conſulimus, quando nos in eorum peccatis ac periculis cogitamus: & ſicut nobis ſubueniri optamus, ita eis pro viribus ſubuenimus: aut ſi facultas defuerit, voluntatem ſubueniendi tenemus. Quapropter hæc eſt proximi tota dilectio, vt bonum, quod tibi conferri vis, velis & proximo: & malum, quod tibi nolis accidere, nolis & proximo. Illi vero plus quam ſe diligunt

C

Deum, qui pro eius amore ſuæ ad tempus ſaluti non parcunt, ſeipſos tribulationibus ac periculis tradunt, nudari facultatibus proprijs, patriæ ſuæ extorres fieri, parentibus & vxoribus ac filijs ſuis renunciare parati ſunt, & vt totum dicam; ipſam corporis mortem non ſolum non refugiunt, ſed etiam libenter excipiunt, ambientes à corporis ſui vita magis, quàm à Deo, vita vitæ ſuæ, diſcedere. Iſte igitur nobis dilectionis ordo ſeruandus eſt iuxta illud quod dicit Spiritus ſanctus: *Ordinauit in me charitatem:* vt ſicut ordinatã charitas poſcit, Deum principaliter diligamus: & propter ipſum, in ipſo ea, quæ diligenda ſunt, tantum, quantum ipſe † præcipit, diligamus. Ipſe enim † præcipit, vt corpora noſtra propter nos, proximos ſicut nos, & ipſum plus diligere quam nos debeamus: ita ſane, vt eis quos nobis coniunctiores familiaritas facit, ſi eos fama non reprobat, & vita commendat, nos amplius impendamus, omnium profectus noſtros eſſe credamus, & de aliorum peccatis tanquam de noſtris miſericorditer lugeamus. Sic ergo poſſunt in hac vita illi eſſe

Cantic. 2. † C. præcepit. † C. præcepit. *Leuit 19. Matth 22.*

D

perfecti, qui perfecte diligunt Deum. Et illi perfectè Deum diligunt, qui volendo, quod vult Deus; & nolendo, quod non vult, nec vllis peccatis quibus offenditur adquieſcunt: & ſemper ſe ad virtutes, quas ipſe dignatur donare, diligendas & habendas, extendunt. Hi ſunt, qui omnia bona quæ implere potuerint, ab illo ſe adiutos vt poſſint, veraciter credũt: quicquid mali cõmiſerint, vitio ſuæ voluntatis adſcribunt: quicquid boni non potuerint implere, ab illo, vt poſſint, iugiter petunt: cum potuerint, illi gratias agunt. Bona eius quæ fuerint conſecuti, etiam alijs † conferri ſocialiter volunt, & vſque in ſuos inimicos dilectionis ſuæ latitudinem porrigentes, hoc omnes cupiunt eſſe quod ipſi ſunt. Satis de vitijs, eorumq; remedijs diſputatum: nunc iam qualiter vnaquæque virtus poſſit, adquiri, breuiter, diſſeramus.

† C. conferre.

E

De qualitate virtutu, & qualiter ſibi conſentientes informet.

CAPVT XVI.

OMnis ſancta virtus res eſt diuina, incorporea prorſus atq; mundiſſima: quam mentes inquinatæ non inquinant, ſed ipſa inquinatas emaculat: cuius participatione formantur informia, ſuſcitantur mortua, ſanantur infirma, corriguntur praua, reconciliantur † auerſa. Hanc non habet niſi Deus, & cui is dederit Deus. Quæ in animo habitat, ſed animum corpuſque ſanctificat, ad quam nullus accedit inuitus, quam nullus amittit, niſi propria voluntate deceptus. Nemo eam ſibi conferre poteſt, cum poſſit auferre: alteri autem nec conferre præualet, nec auferre. Itaque cum talis ac tanta virtus cuilibet inter voluptates ſuas adhuc marceſcenti refulſerit, atque † ei ad ſe concupiſcendam † deſiderium ſalubre commouerit, protinus in animo eius duarum delectationum contrariarum rixa conſurgit: & mentem volũtas aduerſum ſe ancipiti delectatione † diuiſam, in diuerſa ducit, ac reducit, modo reprehendendo quod elegerat,

† C. aduerſa.

† C. eum † C. deſiderio ſalubri. † C. diuiſa

F

modo quod reprehenderat eligendo: atq; ita in alterutrum latus ſe cogitationum varietate verſantem, ipſa velut virtutis ac vitij tepida medietas, vexat ac lacerat. Quoniam quidem quemlibet hominem, donec ſe in eo quod elegerit certa definitione confirmet, quandiu modo non vult quod volebat, modo velle incipit, quod nolebat: velut in quodam deliberationis incertæ biuio conſtitutum diſcerpit ipſa diuerſitas voluntatum. Hinc eum virtus admonet ſuæ ſalutis, & vocat: inde conſuetudo vitioſa diſcedere à ſe volentem remoratur, & reuocat: & pauliſper à ſe auerſo, nec ad virtutem plene conuerſo, vſitatæ voluptatis admonitione blanditur: & omnes illecebras, quibus olim perdite fruebatur, oſtendit. Turpia quoque deſideria quibus vinciatur immittit, ac iam pene faſtidienti blandum neſcio quid molliter inſuſurrat & ſupplicat, ne præponat mollibus dura, lætis triſtia, certis du-

G

bia, † præſenti voluptati futura: cogitet quam pœnale ſit atq; difficile, dulcibus carere † delitijs, illecebris renunciare carnalibus, abſtinentiæ iugis grauari laboribus, ieiuniorum ac vigiliarum continuatione torqueri, certa carnis afflictione præmium dubiæ remunerationis ambire, contra diabolum decipiendi peritum reſiſtendo arma † corripere, inſidias eius ac fraudes vigilantis animi cautione vitare: quam † denique miſerum ſit enormitate tantæ aſperitatis euictum, † ac diabolica fraude deceptũ, ad repudiata redire, voluptatibus quas abiecerat frui, & omnibus quæ incaute laborioſum ſuſcipiendo propoſitum contempſerat, delectari. His & talibus vitioſa conſuetudo, dubium ſanctæ definitionis affligit. Virtus contra, quæ continentia nominatur, morantem confidenter obiurgat, ad delectationes puras, caſtaſq; delitias, quibus fruuntur omnes ſui amatores, inuitat: offert nudo iuſtitiæ veſtimentum: illuminato ſui apparatus demonſtrat ornatum: diffidenti de ſe protectionis ſuæ promittit au-

† C. præſentium vol. † C. diuitiis.

† C. arripere. † C. deinde. † C. à.

H

xilium: hortatur & prouocat, vt definitionis ambiguitate depoſita, propoſitum ſpirituale ſuſcipiat: perſeueraturũ ſe in ſuſcepto labore propoſiti ſui, non ſua poſſibilitate, ſed Domini miſeratione confidat: nec ſuis viribus, ſed gratiæ omnipotentis fretus auxilio, contra diabolicas impugnationes victricia arma corripiat: cogitet quãti, & quantæ potuerunt, & poſſunt, quod ſe poſſe deſperat: vnde illi, vel illæ potuerũt, inde ſe poſſe firmiter credat: certa ſpe ſpiritualia carnalibus, & terrenis cœleſtia, & futura præſentibus anteponat.

Quibus gradibus conuerſi in culmen perfectionis aſcendant.

CAPVT XVII.

C*Vm vero quis perſuaſione ac pulchritudine virtutis illectus aliquantulum à priore conuerſatione receſſerit, ſtatim ei alia tentatio, contra quam luctetur, occurrit. Nam quem carnalis voluptas ſuperata dimiſerit,

* Qui ſi peti. C.

mundi

A mundi vanitas occupabit: ſicut nobis illi exemplo ſunt, qui delectationem ſibi ſatiuæ libidinis interdicunt, & venroiæ vanitatis licentiam ſuæ voluptati permittunt:
† C. concupitæ turpitudini † concubitus contradicunt, & ambitioni ſuccumbunt: vtuntur delitijs ac veſtibus accuratis ad luxuriam, comatulis † pueris, ac potentibus equis ad pompã,
† C. puellulis. accipitribus ac ſagiuatis canibus ad venatum, venationibus crebris ad luxum, & † ad ambitioſi apparatus iactantiam neceſſarium mentiuntur ornatum: Iam ridere effuſe, vocem procacibus cachinnis attollere, turpes iocos libenter audire, aliorum pœnam ſuam facere fatigando
† vox (ad) deeſt C. lætitiam, vrbanos quoſq; quamuis turpes, explere delitijs, † ſeruos neceſſarijs indigentes abijcere, domos amplißimas & mi raras extruere, facultates ſuas indeſinenter augere, alienis peruadendis ſi poſſibilitas patiatur inhiare: non rem cupiditatis, ſed neſcio cuius vtilitatis exiſtimant: vt illa, quæ dixi, vel alia multa ſimilia, non ſolum libenter exerceant, ſed etiam hinc eos obiurgantes irrideant, ineptire credentes illos, qui licita & viſitata nobilibus crimina ambitionis infamant. Sed † qui hoc quoque malum diuinitus adiutus euicerit, & ſpiritualis continentiæ viribus fultus omnia quibus poteſt à perfectione retardari, calcauerit, mentem ſuam ſanctæ virtuti ſtudio bonæ voluntatis inclinauerit: tunc delectabiliter, ac deuote nutus omnes reginæ virtutis in ſe regnantis obſeruat: ac ſic cum Deo ſuo vnus Spiritus factus, nihil aliud agit ſemper aut cogitat, niſi vnde clarior ac nobilior fiat, & oblectationes vitiorum omnino puris delectationibus vincat.

† ſerios C. rectè

B

† Aliàs ſi quis.

Quæ ſit quaternarij numeri credenda perfectio: & quod quatuor virtutes, quæ dictæ ſunt principales, ex fide viuentes à Deo collatæ iuſtificent.

CAPVT XVIII.

VIdeamus nunc, an vera ſit philoſophorũ illa ſententia, qua quatuor virtutes, velut quoſdam virtutum omnium fontes: vitia quoque quatuor, velut quaſdam origines omnium malorum definiunt. Principales quatuor eſſe virtutes non ſolum philoſophi ſentiunt, ſed etiam noſtri conſentiunt. Sed quare quatuor, vel quæ ſint opera ſingularum, hoc domino illuminante debemus breuiter demonſtrare. Quaternarium numerum perfectioni ſacratum, pene nullus ignorat. Siquidem totus orbis Oriente & Occidente, Aquilone & Meridie, quatuor determinari partibus ſiue angulis inuenitur: & ipſe Adam qui eſt humani generis parens, vel generale nomen, quod dicitur homo, quatuor literis explicatur. Corpus quoque quatuor elementis extructum, quaternarij numeri in ſe continet ſacramentum. Ipſius etiam animæ quatuor eſſe affectiones, quibus vel ad bona vtimur, vel ad mala, & antiqui ſubtiliter inuenerunt, & eorum inuenta probantes poſteri ſuſceperunt. Sed & quatuor flumina, quæ de Paradiſi fonte procedunt, vel quatuor euangelia, diuini currus totæ quatuor, & animalia, alæ eorum quatuor ac facies, dignitatem numeri huius abunde commendant: & ideo virtutes iſtæ quæ tantum continent perfectionis in numero, ſollicite conſiderare debemus, quantam ſanctitatem conferant animo Chriſtiano, & quam nihil perfectionis † vſquam ſit, quod in iſtis virtutibus non ſit. Nam ſi temperantia facit temperantem, prudentia prudentem, iuſtitia iuſtum, fortitudo fortem, eo qui temperanter, iuſte & prudenter agit ac fortiter, neſcio quid poſſit eſſe perfectius. Itaque difficile quidem eſt nobis nomina virtutum, quæ ex illis quatuor, quas principales diximus, oriuntur oſtendere: ſed cum proprietates, & actus earum cœperint aperiri, ex ipſis † affectionibus ſingularum, quæ virtutes ex quibus exiſtant, forſitan apparebit. Veruntamen hoc in primis noſſe, & tenere debemus: quod iſtæ quatuor virtutes, vel omnes quæ ex illis exiſtunt, dona ſint Dei: & quod nullus eas habet, habuit, aut habebit, niſi cui Deus, qui eſt omnium virtutum proprietas & origo, contulerit: quoniam quicunque, quocunque tempore, in quacunque gente in Deum credentes ea fide vixerunt, illius dono temperantes ac prudentes, iuſti ac fortes fieri vtrique potuerunt. Qui autem neſcientes Deum, vel etiam blaſphemantes, ſine fide vixerunt, nihil earum virtutum à Deo accipere, vel habere potuiſſe credendi ſunt.

C

Geneſ. 2.

Ezech. 1.

D

† C. vnquam

† C. effectibus.

De temperantiæ qualitate, vel opere.

CAPVT XIX.

E

SEd iam videamus, quæ ſit proprietas ſingularum. Temperantia temperantem facit, abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, pudicũ, tacitum, ſerium, verecundum. Hæc virtus ſi in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, omnia intra nos confuſa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes prauas remouet, inſerit ſanctas, ignem libidinoſæ voluptatis extinguit, animi teporem deſiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, & totam ſemper ab omni vitiorum tempeſtate defendit. Temperantia intemperantiam noſtram ad honeſtum modum redigit in cibo ipſo vel potu, vt contenti ſimus appoſitis, ne poſcamus impudenter, quod aut ille, qui poſcitur forte nõ habeat: aut alios quod deſiderio noſtro placet, offendat: aut gulæ noſtræ intemperans appetitus appareat: nec iudicemus eos, qui volunt cibis, quos ipſi percipimus, abſtinere: nec eis verecũdiam faciamus, qui ea quibus ipſi abſtinemus, forte percipiunt, & Deo gratias agunt: certi quod ſatis miſerum ſit, aliquos de cibi vel potus perceptione damnare, aut bonis arrogare per abſtinentiam ſanctitatem. Temperantiæ eſt quod reuerentiam ſenioribus exhibemus, æquales germanitus honoramus, iunioribus gratiã paternæ dilectionis impendimus, quod præſtamus loquẽti ſeniori ſilentium, quod ipſius ad loquẽdũ præſtolamur imperium, quod non attollimus immoderatum in collocutionibus ſonum, quod † riſui prorumpere non permittimus in cachinnum, quod nulli detrahimus nec detrahentes æquanimiter ſuſtinemus: ſcientes, quòd tam illi qui detrahunt, quã illi qui detrahentibus adquieſcũt, vanitatis morbo corrupti ſunt. † Qui ad hoc alios viles videri volunt, vt ſe commendent eorum comparatione quos carpunt, & videantur ea vitia non habere, quæ malitioſè in alijs reprehendunt: quod malum temperantia tollit, cui qui ſeruire voluerit, non quod reprehendat in fratribus, ſed vnde Deum laudet attendit. Ac per hoc, ipſius temperantiæ eſt, quod non ſolum temperantes in omnium membrorum officijs ſumus: ſed etiam quod omnia libenter, quæ nos moderatos ac ſobrios faciunt, obſeruamus. Sed de temperantia hæc dicta ſufficiant, vt & de fortitudine diſſeramus.

F

G

† C. riſu prorumpere non audemus in ea.

† C. quia ad hoc.

Quales eſſe debeant, quos animi fortitudo nobilitat.

CAPVT XX.

ANimi fortitudo ea debet intelligi, quæ non ſolum diuerſis pulſata moleſtijs inconcuſſa permaneat, ſed etiam nullis voluptatum illecebris reſoluta ſuccumbat. Alioquin ſi impetus quidem malorum ſæuientium frangat, ſi calamitatibus quibuslibet impactis obſiſtat: ſi inter iniuriarum ſæua, inter procellas angentium preſſurarum, inter inimicitias ac damna præſentia, atque multimodas perſecutiones infatigata perſiſtat: & tamen de ipſa ſe aduerſariorum ſuſtinentia iactet, nec de dono Dei, quo illuſtratur, exultet: ſed carnaliter ſe de vulgi fauore, quo prædicatur, oblectet: pluſque gaudeat ex eo, quod laudatur, quam ex eo quod habet vnde laudetur: & per hoc humanam laudem diuinis † muneribus antepoorat: quis dubitet hanc animi intentionem virtutem dici non poſſe? Quæ ſi virtus eſſet, fortiter etiam blandimentis talibus, repugnaret, nec adquieſceret mollius, quæ adiuuante domino, dura quæq; vel aſpera ſuperaſſet. Quoſdam namq; inſuperabiles aſperis paſſionibus facit mundi cupiditas: in quibus non patientia laudanda eſt, ſed miranda duritia. Eos vero quos ad tolerantiam paſſio-

H

† Aliàs operibus C.

[A] [† C. delectatio carnis mala, non vol. — *Matth. 5.* — † C. *beati qui per.*]

num fortes Dei charitas reddit, nulla † delectatio carnis, nulla voluptas malè blanda corrumpit: quoniam ſi non quid, ſed propter quid patiamur plurimum refert, non in eis patientia eſt, qui æquanimiter patiuntur angentia, ſed in eis tantum, quos fortiter facit ſuſtinere iuſtitia. Deniq; Dominus non ait: † *Qui perſecutionem patiuntur*, & tacuit, ſed adiecit, *Propter iuſtitiam*: vt euidenter oſtenderet, quod patientiam veram non facit pœna, ſed cauſa. & ideo beatitudinem non perſecutionem patientibus, ſed propter iuſtitiam patientibus repromiſit. Quod ſi ita eſt, ſuperandorum † malorum ſuſtinentia, tunc eſt vera patientia, ſi fuerit iuſta: & in eis iuſta eſt patientia, quorũ nec doloribus nec voluptatibus † cedit mentis inuictæ conſtantia. Sed hæc animi fortitudo ab illo eſt nobis, cui cũ propheta † cantamus. *Fortitudo mea, & † laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.* Fortitudo noſtra eſt, † quia ita nos contra omnia vitia inuicta protectione corroborat, vt animum noſtrum nec blanda diſſoluant, nec aduerſa deijciant, & tunc laus noſtra Dominus ſit, ſi non nos de muneribus Dei, ſed diuina in nobis cupiamus munera prædicari. Nec illi ſuam poſſunt iactare virtutem, quibus Dominus factus eſt in ſalutem. Is ergo cui Dominus eſt animi fortitudo, nullis carnalibus deſiderijs cedat, nullis voluptatibus adquieſcat, ambitionẽ ac popularem gloriam vincat. Non eum pecuniæ amor addicat, non acerbitas paſſionum damnorumq; ſubijciat. Sit illi Deus laus tota, perfecta gloria, † delectatio pura, ſpes certa, ſecuritas firma, poſſibilitas ſana, ſanitas incorrupta: vt ei quicquid carnalibus placet, in hoc mundo diſpliceat: quicquid precioſum videtur eſſe, vileſcat: quicquid nitidum, futuri totum contemplatione ſordeſcat: nec ab his quæ iã per gratiam Dei eliſit, ſe patiatur elidi: quia & turpius videtur animum ab his vitijs vinci, quæ vicerat: & nihil ei proſit aliqua ſuperaſſe, ſi alicui, quod neglexerit ſuperare, ſubiaceat: quando non ille fortis haberi ſolet, qui in adeundis laboribus periculiſque clarueit, aut frænendis voluptatibus ac domandis inſtiterit: ſed ille magnus & ſublimis, ille potens atq; dignus fortitudinis appellatione cenſendus eſt, qui nihil ſibi vitij rebellare, aut dominari permiſerit. † modò abſit ignauia, ne nos id deſperemus poſſe, quod poſſumus: abſit præſumptio vitioſa, ne nobis hoc, quod per Dei gratiam poſſumus, aſcribamus: quia ſiue de munere Dei, quo fortes efficimur, deſperemus: ſiue nos de noſtra poſſibilitate iactemus idonei ad reſiſtendum vitijs eſſe non poſſumus. Et vtiq; animi fortitudo tam deſperandi ignauiam debet excutere, quam iactantiæ contraire.

[† add C. vel ſuperatorum. — † C. cadit. — † C. canimus. — *Iſa. 12.* — † C. laudatio. — † C. quæ]

[B]

[† *Aliàs* dilectio C.]

[C] [† vox (modo) inducta eſt in C. Abſitig.]

De iuſtitia, vel fide, quæ ex ipſa procedit.

CAPVT XXI.

HActenus de virtute, cui nomen eſt fortitudo, diſputauimus: Videamus iam quid etiam iuſtitia nobis † afferat in hac vita prælij, & qualiter ipſa quoque in eorum pectoribus, qui ſe illi tradiderunt, nullis vitiorum valeat impugnationibus ſuperari. Fides enim, quæ eſt iuſtitiæ fundamentum, quam nulla bona opera præcedũt, † & ex quo omnia procedunt: ipſa nos à peccatis omnibus purgat, mentes noſtras illuminat, Deo conciliat, cunctis participibus naturæ noſtræ conſociat, ſpem nobis futuræ remunerationis inſpirat: auget in nobis virtutes ſanctas, ac nos in earum poſſeſſione confirmat.

[† C. offerat.] [† C. ſed ex qua omnia bona pr.]

[D]

De æquitate: quod ad eandem pertineat humanæ ſocietatis vtilitas.

CAPVT XXII.

EX iuſtitia manat & æquitas, quæ nos facit vt omnium neceſſitates hominum noſtras eſſe dicamus, nec nobis tantum, ſed etiam generi humano nos natos eſſe credamus: & quicquid cuilibet homini nocere poteſt, tanquam ſi nobis noceat caueamus: quia qui homines ſumus, nihil humani à nobis alienum putare debemus. Siquidem belluarum eſt, ſibi viuere, nec ſuas vtilitates in commune conferre. A quibus non ſolum mentis prærogatiua, ſed etiam ſeruata iuris æqualitate diſtabimus, ſi nos in omnium commodis vel incommodis cogitantes, ſicut * noſtris vtilitatibus, ita omnium ſociorum * vtilitate naturæ noſtræ viuamus. Deinde ſi inuicem perſequi, lacerare, vel perdere, ferarum eſt proprium: quis dubitet excellentiæ humanæ competere, vt ſe alterutrum iuuent, inſtruant, ædificent, & vtilitatem communem tanquam propriam curent? Vnde datur intelligi, quod qui opprimendis, ac decipiendis hominibus, homines nati perſiſtunt, in mores ferinos, non naturæ, ſed vitæ mutatione degenerent.

[*Terentius* in *Heaut.*]

[E] [* Fortè in] [* C. deeſt vox (vtilitate.)]

Quod duo ſint iniuſtitiæ genera.

CAPVT XXIII.

DVo ſunt iniuſtitiæ genera: vnum quo iniurias irrogamus, alterum quo ab alijs irrogatas, cum poſſumus, propulſare negligimus. Quodammodo enim nos opprimimus, * quando oppreſſos defendere, cum poſſumus, ab oppreſſione, contemnimus. Nec mihi aliquid prodeſt, quod non circumuenio aliquem, neq; decipio, ſi * decipi, aut circumueniri permitto. Hoc idem de peccatis * licet intelligi: quia ſi peccantem video, & non ſolum non arguo, ſed etiam ei peccanti conſentio, participem me damnationis eius efficio: & in omnibus peccantibus pecco, quando eos quos ſcio peccaſſe, ſiue peccare, quadam crudelis animi malignitate non increpo. Nec vero audiendi ſunt illi, qui ſe dicunt propterea delinquentes obiurgare non poſſe, ne eos qui ſe emendare noluerint, ſibi faciant inimicos. Qui dum parcunt eorum voluntati, ſaluti non parcunt. At ſi non ex iactantia, ſed ex miſericordia, & cum quadam pietate compatientis animi caſtigemus, & illi nos ſentiant non minus peccatis ſuis moueri, quam noſtris, aut in bonum ſtatum reformati, nobiſcum Deo gratias agunt: aut ſi eos in peccato tenet adhuc peccandi dulcedo, & ſalutem ſuam nobis curæ eſſe cernentes, malum reddere pro bono voluerint, magis malle debemus eorum inimicitias, qui noluerint emendari, contrahere: quam Dei offenſam, dum peccantes palpamus, incurrere. Sed de his quoniam in libro ſecundo plura iam diximus, reliquas iuſtitiæ partes, vt cœpimus, exequamur.

[F] [* C. quando eum oppreſſos defendere poſſumus ab oppreſſione, contemne.] [* C. decipientes circumueniri te perm.] [* C. debet.]

[G] [*Cap. 1. & 2.*]

De liberalitate, & qualiter beneficentiæ opus debeat exerceri.

CAPVT XXIV.

DE iuſtitiæ adhuc fonte procedunt liberalitas, beneficentia, charitas & cætera eiuſmodi, quibus multipliciter iuuari homines poſſunt. Liberalitas * quæ etiam in eos, qui nihil indigere videntur, exuberat: in qua liberalitate rei familiaris ponitur amplitudo. Beneficentiæ multa ſunt opera, quibus neceſſitati laborantium miſericorditer ſubuenitur, & de terreno cenſu regni cœleſtis hæreditas comparatur: ſi modo abſque vlla oſtentatione opus beneficentiæ fiat, nec nos ad miſericordiam faciendam turpis amor gloriæ popularis impellat. Inuenti ſunt quidam, qui diuerſis quidem diuerſorum neceſſitatibus ſubuenirent, ſed aut appetitu comparandę opinionis impulſi, aut carnali pietate commoti, aut ſpe recipiendi quod darent, aut reddendi quod accepiſſent, neceſſitate conſtricti. Sunt alij quos ad largiendum aliquid in pauperes ſola mouet verſuta cupiditas: qui ad hoc aliqua erogant, vt hic maiora recipiant: & quicquid eis velut pauperum † paſtoribus datum fuerit erogandum, eſurientibus illis, pro quibus ſuſtentandis accipiunt, totum, aut prope totum quod acceperint, in ſuas voluptates expendunt: &, quod eſt deterius, inter munificos ac miſericordes haberi, vel etiam præ illis prædicari, turpiter concupiſcunt. Ab his omnibus, & horum ſimilibus, longe diuerſi ſunt illi, qui non ſe in operibus ſuis, ſed Deum cupiunt prædicari: quos ad opus bonum ſpes futuræ remunerationis adducit: & ipſum ſolum volunt habere ſui operis teſtem, à quo ſe recepturos credunt tota fidei firmitate mercedem.

[* C. eſt add.]

[H] [† *Aliàs* patribus.]

De

A

De differentia amorum, & quantum ab eis differat perfecta dilectio.

CAPVT XXV.

ITaq; iam de charitate, vnde plura in hoc libro ſuprà diſſerui, quia locus exigit, hic quoq; pauca perſtringã. Taceo de carnali amore, qui incipiens a coniugio manat in filios: quia talem amorem cum pecoribus habemus, beſtiiſq; communem. Propinquorum † etiam prætereo: quia & ipſe adhuc ad carnem pertinere videtur, & ſanguinem. Nec de illo aliquid dico, quo etſi amicos amamus, tamen etiam ipſe refertur ad aliquod commodum temporale. Non quod hi amores honeſti non ſint, cum ſint omnibus naturales: ſed quòd his omnibus ſit ille incomparabili diuerſitate præſtantior, quo Deum diligimus gratis, & amicum. Cæterum qui amicum propter commodum quodlibet amat, non amicum conuincitur amare, ſed commodum. Et vtiq; qui aliquem propter rem temporalem quamlibet amauerit, cum res ipſa temporalis deſierit eſſe, amare ceſſabit. Qui autem diligit propter Deum, ſicut Deus æternus eſt, ita in æternum ipſa amici dilectio permanebit. Et ideo Deus, quo nihil eſt maius aut melius, propter quid diligitur? Propter ſeipſum perfectè diligitur. Si vero ſaltem propter illa quæ præſtat, amatur, non vtiq; gratis amatur: quia iam illud propter quod diligitur, ei, quod dictu quoq; nefas eſt, antefertur. Ipſe quippe eſt omnibus amatoribus ſuis vita beata, ac ſalus æterna, & regnum, gaudiumq; perpetuum. Hæc accipient qui Deum diligunt: quia ſolus erit illis omnia, quando ipſe fuerit in omnibus omnia.

†C. quoq.

B

Quid ſit cuiq; ſua tribuere.

CAPVT XXVI.

C

QVapropter ſi in hac vita iuſtitiam conamur implere, cuius iuſtitiæ opus eſt proprium, ſua cuiq; tribuere, Deo nos, à quo ſumus facti, reddamus: nec dominari ea nobis, quibus naturaliter præpoſiti ſumus, permittamus. Dominetur vitiis ratio, ſubiiciatur corpus animo, animus Deo, & impleta eſt hominis tota perfectio. Ac per hoc, & nos iuſtitiæ facti participes, ſua cuiq; tribuimus, ſi inferiora melioribus & virtutibus carnalia oblectamenta ſubdamus: & ſicut viuentia vita carentibus, ſenſibilia viuentibus, intellectualia ſenſibilibus, immortalia mortalibus, ratiocinando præponimus: ita bene viuendo voluptuoſis vtilia, vtilibus honeſta, honeſtis ſancta, ſanctis perfecta omnia præferamus. Veruntamen nec corpus ſpiritui, nec appetitus obtemperare poterit rationi, niſi Deus qui ipſum ſpiritum creauit & corpus, delectatus cogitationibus noſtris requieſcat in nobis: ac tanquam vetus agricola in agro ſuo, * ſic in corde noſtro proficiat, vt quicquid in eo fides plantat, deuotio rigat, ipſe ad incrementum conſummatæ maturitatis adducat: atq; ita nobis voluntatè ſibi ſubiectis deſideria mala ſubiiciat, vt ex ipſis actibus noſtris, qui ſit habitator noſter, & cuius in nobis fiat voluntas appareat.

*(ſic in) deeſt C.

D

Quod actualem vitam tres virtutes, id eſt, temperantia, fortitudo, iuſtitiaq; conſummens: & prudentia quæ eſt quarta virtus, mentis cognitionem rerum latentium præſtet.

CAPVT XXVII.

HIc eſt ordo naturæ atq; iuſtitiæ, quem qui tenere voluerit & obſeruare, perfectionem vitæ actualis implebit. Cui actuali vitæ tres illæ virtutes (de quibus quæ dicenda † iuſta ſunt, Deo donante, dixi) proficiunt. Siquidem temperantia & animi fortitudo, atq; iuſtitia ſpiritualis eſt actio, ſine qua nihil omnino valet illa, quæ ad prudentiam videtur pertinere cognitio: quia nihil nobis proderit implenda didiciſſe, niſi ea quę didicimus, ſtudeamus implere. Ergo vis animi, quæ in appetitum rationemq; diuiditur, ad perfectionem bonæ actionis implendam, cognitionemq; rerum latentiũ conſequendam, his quatuor virtutibus, vnde † etiam iam diu diſſeruimus, adiuuatur. † Quarum tribus, temperantia ſcilicet & animi fortitudine atq; iuſtitia informatur ipſe appetitus, vt actio fiat. Prudentia verò rationem, quæ eſt acies mentis, illuminat: vt & ratio appetitum gubernet, & rationi appetitus obtemperet. Nam virtus omnis (ſicut veteribus placet) tribus in rebus verè verſatur. Quarum vna eſt in perſpiciendo, quid in qua re verum, ſincerumq; ſit, quod prudentiæ munus eſt proprium, de quo loco ſuo vidimus. Altera quæ animi perturbatos affectus, quos Græci dicunt πάθη, coërcet ac temperat, vt omnes appetitiones, quas illi ὁρμὰς vocant, rationi obedientes efficiat. Tertia vt his, quibus congregamur, vti velimus ad eorum ſalutis & noſtræ plenitudinem capiendam. Quæ omnia ad reliquarum trium virtutum pertinere videntur officium, ex quibus temperantia & fortitudo plurimum valent in coërcendis animi perturbationibus ac frænandis, quas perturbationes nonnulli paſſiones, alij ægritudines vocant. Quibus modificatis, & quadam temperantiæ ac fortitudinis lege compoſitis, omnes virtutes in homine ſuo creatori ſubiecto, ſine vllis vitiorum contradictionibus regnant.

† Aliàs ... ſa C.

E

†C. ecce iam d.
†C. quibus.

F

De ſociali virtute, & quod non rectè faciant, qui cum poſſint, nihil humanæ ſocietati proficiunt.

CAPVT XXVIII.

G

IVſtitia verò qua fiunt iuſti, qui eam fuerint operati, ſocialis quædam virtus accipitur: eò quòd ipſa beneficus, quæ alijs præſtat, augetur. Quis enim non eo ipſo proficit, quo proficere alium cupit? Quis non miſericordem ſibi Deum facit, qui miſericors erga laborantes vel errantes extiterit? Aut quomodo non augebit in ſe omnia bona ſua, qui ea non ſolùm non inuidet habentibus, ſed etiam non habentibus, in quantum poteſt, diuinitus inſpiratus impertit? Ex quo videndum eſt, vtrum iuſtè faciant illi, qui ſe remouentes ab occupationibus cunctis, ac ſtudiis ſpiritualibus offerentes, nihil humanæ ſocietati proficiunt: & deſideria ſua commodis omnium præferentes, vtilitatem communem deſideratæ vacationis electione contemnunt: cùm profectò laborantibus opem ferre nolle, cùm poſſis, & communi bono poſthabito, otioſa quiete frui velle, nihil habeat æquitatis. Cui æquitati qui ſeruiunt, omnes omnium bono viuunt, ac velut ſibi inuicem nati, ſalutem mutuam tuentur † ac diligunt. Ac per hoc, contra iuſtitiam faciunt hi, qui merito ſuæ conuerſationis vel eruditionis electi, otioſum ſtudium fructuoſæ vtilitati regendæ multitudinis anteponunt: & cùm poſſint laboranti Eccleſiæ ſubuenire, operoſæ adminiſtrationis laborem, fruendæ quietis contemplatione refugiunt. Sed quoniam ſunt multi, qui ſe impares tantæ ſarcinæ norunt: tales iuſtè ſe, etiam quæſiti, non offerunt: ne videantur non Eccleſiaſticos labores velle ſuſcipere, ſed honores ambire: cùm dignitas Eccleſiaſtica nec ambienda ſit, nec vitanda. Qui verò præeſſe, & prodeſſe populis poſſunt ſi quæſiti non fuerint, iuſtè ſeipſos percipiendæ ſapientiæ ſtudijs tradunt. Veruntamen ſi & illi, qui lucris per ſe proficientium creſcunt, & iſti qui in ſe ipſis ſub Deo ſuo ſapientiæ ſpiritualis perceptione proficiunt, in propoſito ſuo permaneant: itineribus quidem diuerſis incedunt, ſed ad vnam patriam tendunt, & ad vnum regnum diſparibus militantes officijs, Chriſto rege omnium vocante, perueniunt. Quis enim neſciet, quòd ſicut † otioſum ſtudium ineffabilem ſuauitatem ſapientiæ cœleſtis infundit à carnalibus otioſo: ita ſpiritualis occupatio laborum ſanctorum multiplices afferat fructus humanæ ſocietatis vtilitatibus occupato?

†C. &

H

† Aliàs otium ſtudioſum C.

A In ipſis quoq; ſtudiis ſpiritualibus quantum poſſint Eccleſiaſtici viri proficere, quis ſufficienter enumeret? cum & inferiores docendo, ſeipſos exerceant: & conferendo cum æqualiter eruditis, cautiores in pluribus fiant: & ab eruditioribus audiendo, malè ſibi perſuaſa deponant: recta firmiùs teneant, occulta cognoſcant: & confirmentur in eis, quorum † dubiis fluctuabant? Sed quoniam diſputationis ordo depoſcit, vt etiam de prudentia, quæ principalis virtus quarta ponitur, pauca dicamus, de iuſtitia ſufficiant iſta quæ diximus.

† dubii C.

Quòd de prudentiæ ac ſapientiæ fonte cognitionem omnium rerum bibant, qui percipiendæ ſcientiæ feruenter inuigilant.

CAPVT XXIX.

B PRudentiam † ac ſapientiam pleriq; in indagatione veri, & inuentione conſtituunt. Credo propterea, quòd nec ſapiens ritè dici poſſit, cui † prudentia, nec prudens, cui ſapientia deſit. Quapropter, ſi nihil aliud prudentiæ ac ſapientiæ munus accipitur, niſi inquiſitio & comprehenſio veritatis: qui veritatem prudenter quærere, & ſapienter inuenire poteſt, is prudens, is ſapiens iſte vocabitur. Hoc idcirco præmiſerim, vt quicquid de prudentia fuerit diſputatum, id totum etiam de ſapientia dictum poſſit intelligi: quia ita ſibi hæ duæ virtutes implicatæ ſunt & vnitæ, vt vnaquælibet earum ſine altera non poſſit eſſe: vt nec imprudens † ſapientia, nec inſipiens poſſit dici † prudentia. Si ergo tota humanæ vitæ perfectio in actione & cognitione conſiſtit: ſicut † in pleriſq; actionem temperantiæ, ac fortitudinis, atq; iuſtitiæ conſummatione probauimus: ita cognitionem rerum prouenire conſecutione prudentiæ comprobemus. Cognitio rerum, quæ de prudentiæ fonte confertur, † ſpirituales omnes à carnalibus vitijs defæcatos illuſtrat, & ab omni delectatione noxiæ curioſitatis auerſos deſiderio contemplandæ virtutis inflammat, vt humanarum rerum, diuinarumq; ſcientiam conſecuti, prudentes, ac ſapientes veraciter fiant, proſpiciant imminentia mala ſimul & caueant: nec putent vlla eſſe mala, niſi ea quæ malos efficiunt: nec eis vllæ perturbationes, velut ignaris earum, modeſtiæ aliquid, aut tranquillitatis excutiant: inter fallentia & ſolida bona diſcernant: nihil in hoc mundo caſu aut inutilè, ſed omnia Deo volente, ac permittente fieri prudenter accipiant: aliter intelligentes aut doceant ſapienter, aut arguant: dolores varios ac diuerſas infirmitates, quæ mortaliter viuentes affligunt, non ſemper peccatis præcedentibus ſequi, ſed pleruq; ex ipſa conditione mortalitatis † accidere corruptibiliter natis intelligant: & † ſcientes ſe non damnari aduerſis pręmentibus, ſed probari: ex ipſa tolerantia paſſionum occaſionem cōparandę ſibi patientiæ viriliter agentes arripiant: nec ipſi alijs noceant, nec ſibi nocere permittant. Tales dominus in Euangelio fieri præcepit: † *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes: & ſimplices ſicut columbæ.* quia nec ſimplices circumuenire aliquos poſſunt, nec prudentes ſe circumueniri permittunt.

† C. &
† C. prudētia deeſt nec p. e ſ. deeſt.
† ſapiēs C.
† prudens C
† *Aliàs* impleri C.
† C. carnales eſſe a. e. v d. i. & ſpirituales omnes ab omni dilectione noxiæ cur.
C
† accedere C.
† C. ſciant ſe.
Matth 10
† C. dicens add.

D Cæterum ſi in contractu quolibet, ſiue in colloquio, vel in alia quaq; re, ſe decipi quiſq; non ſinit, & alium tamen ipſe decipiat, iſte non habet prudentiam, quæ ſalutis magis quàm perditionis eſt cauſa: ſed ſimulat. Quoniam quidem hoc virtus à vitio diſtat, quod illud corrumpit ſana, hæc ſanat vitij acceſſione corrupta: ac ſic, aut omnibus quibus poteſt, prodeſſe feſtinat veraciter prudens, vt eius meritis omnium, qui per eum Deo adquiruntur, fructus acceſcat: aut ſi cogitat de perditione cuiuſpiam, vel de caſu pereuntis exultat, neceſſe eſt vt prius percat ipſe quàm alium perdat: & ab ipſo ea perditio, qua perire alium cupit, incipiat.

E

Quòd prudentes nec aliis noceant, nec ſibi noceri permittant: & quod eis ibi ſit ſine admixtione alicuius errorū conſummata prudentia, vbi erit ſine vllo peccato vita perfecta.

CAPVT XXX.

HI ergo, qui prudentiæ † participes, prudentes effecti, Deo ſuo non pedibus, ſed ſanctis moribus appropinquant: ex ea parte, qua ſunt dono Dei prudentes, nec ſuo perire poſſunt, nec alieno peccato. Ex eo autem quòd necdum ita eſt eorum perfecta prudentia, ſicut in illa vita erit, vbi perfectè viuentibus vllus error obrepere omnino non poterit, etiam prudentes aliquoties peccatis fallentibus adquieſcunt; non voluntate deprauati, ſed humano errore, vt homines, lapſi, nec adhuc tota prudētiæ ac ſapientiæ † perceptione perfecti, ſicut ibi erunt, vbi nec ignorare aliquid, nec peccare iam poterunt. Hic verò, ſi potuiſſet à peccato rectè factum perfectè diſcerni, nunquam ab occultis ſuis oraret ille mundari, qui ait: *Ab occultis meis munda me domine: & ab alienis parce ſeruo tuo.* Quibus verbis ſatis oſtendit, quòd illi quoq;, qui ſanctè † ſecundum donum ſancti Spiritus viuunt, tamen propter † aliquas infirmitates humanas quas trahunt, ſiue ſcientes, ſiue neſcientes, † aliquoties aut ſuo peccato cedunt, aut alieno conſentiunt. In hac igitur vita, vbi aut voluntate, aut errore, aut infirmitate peccatur, quicunq; diuinitus adiuti voluntate non peccant, vtiq; irreprehenſibiliter viuunt. Sed quia poteſt eos error aut infirmitas peccatis inuoluere, ab illo ſe illuminari fideliter poſtulent & ſanari, cui exultans ille clamabat in ſpiritu, dicens: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem † trepidabo?* vt cùm illuminatio, per donum † prudentiæ ac ſapientiæ collata, detraxerit cæcitatem, & ſanauerit per gratiam Dei ſalus infuſa languorem: tunc mens illuminata diuinitus & ſanata, nec in eis quæ cauenda vel appetenda ſunt humano decipiatur errore, vt aut ꝓ veris falſa defendat, aut pro falſis vera reiciat: & ſine vllo infirmitatis obſtaculo bonum quod elegerit, implere præualeat. Sed alia eſt ſalus huius vitæ, qua mortaliter viuitur: alia illius, vbi mortale noſtrum immortalitate donabitur: & aliter ſalui facti ſumus in ſpe, aliter ſaluerimus in re. Hic ita ſalui facti ſumus, vt adhuc perire poſſimus: ibi quicunq; ſaluus fueris, perire vltrà non poteris: † ac per hoc, ſcientia quæ cognitionem rerum nobis in huius ſeculi nocte viuentibus pręſtat, plenitudini futuræ collata, pars ſcientiæ eſt credenda, non tota: propter quod dicit S. Apoſtolus: *Ex parte enim ſcimus, & ex parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* Hic † euacuari aſſerit, illic conſummari: quoniam quidem pars ſcientiæ quæ eſt perficienda, perfectis non euacuanda eſt, ſed implenda. Proinde vbi erit omnium fidelium catholicorum ſalus plena, corruptibilitas nulla, & immortalitas beata: ibi erit prudentiæ ac ſcientiæ perfectio vera, rerum omnium cognitio tota, quando ſcientia ad perfectum fuerit partis euacuatione perducta.

† *Aliàs* participatione C.
† C. perfectione.
F
Pſalm. 18
† *Aliàs* per C.
† C. reliquias.
† *Aliàs* a liquatenus.
Pſalm. 26
† C. timebo.
† ſcientiæ
G
† C. &.
1. *Cor.* 13.
† euacuari aſſerit cōſummari C.
H

De affectionibus quatuor, quod inter vitia numerari non debeant, ſi earum vſus ex bona voluntate procedat.

CAPVT XXXI.

VIdeamus nunc, quid diligentia diſputationis inueniat etiam de quatuor affectionibus, quas vitia eſſe ſtultitia ſapientium mundi huius exiſtimat. Nam ſi timere, ac dolere, cupere, vel lætari omnino non poſſent niſi peccatores aut perditi, rectè non affectus aliqui poſſent dici, ſed morbi. At cùm tales animorum motus inueniantur in ſanctis Apoſtolis & Prophetis, quis ita deſipiat, vt eos vitia credat, ex quibus Deo placuerunt illi, qui virtutis pluſquam cæteri homines teſtiterunt? Itaq; Paulus Apoſtolus de timore ſic loquitur: *Timeo autem, ne ſicut ſerpens ſeduxit Euam ſua aſtutia, ſic & veſtri ſenſus corrumpantur a caſtitate, quæ eſt in Chriſto.* Item de cupiditate fiducialiter dicit: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Sed & de

2. *Cor.* 11.
Philip. 1.

tri-

A triſtitia, quam alij dolorem appellant, idem vas electio-
Rom. 9. nis & doctor gentium ait: *Quia triſtitia magna mihi eſt, & continuus dolor cordi meo pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem.* Sed & de lætitia ad Romanos ſcribens,
Rom. 16. cùm dixiſſet: *Veſtra obedientia in omnem locum diuulgata eſt: Gaudeo*, inquit, *de vobis, ſed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.* Hunc timorem, vel dolorem, hanc cupiditatem, hoc gaudium qui reprehendere voluerit, ipſum reprehendit Apoſtolum, qui per tales affectiones non ſolùm Deo placuit, ſed etiam quoſdam inter criminoſos,
Pſal. 121. quòd eſſent ſine affectu, culpauit. Sed & propheta dicen-
Pſalm. 68. do: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi.* & ex perſona domini, *Suſtinui qui ſimul mecum contriſtaretur, & non fuit:* talem lætitiam, triſtitiamq; commendat. Cùm verò alius dicit,
Eccl. 1. *Timor domini expellit peccatum, & concupiſcentia ſapientiæ per-*
Sapien. 6. *ducit ad regnum:* non ſolùm non reprehendit, ſed etiam laudat ſpiritualis concupiſcentiæ & diuini timoris affectum. Non ergo has affectiones habendo, ſed eis malè
B vtendo delinquimus: quia humanorum affectuum pro-
† Aliàs creaturam melius. Naturam: prietas, hominis indicat † creatorem: qualitas bonam vel malam ſignificat voluntatem: ac ſic, motus hi qui in hominibus affectiones ſunt, iidem ipſi in benè vtentibus virtutes, & in malè viuentibus paſſiones, ſiue perturbationes, aut, vt quidam volunt, ægritudines fiunt. Nec audiendi ſunt Stoici, qui eas penitus eradicari poſſe, & debere contendunt: quoniam omnino nullus eſt ſenſus, vbi timendi vel dolendi, cupiendi ſiue gaudendi nullus inuenitur affectus. Deniq; quaſi & ipſos pœniteret ſuæ ſententiæ, excepta triſtitia, quàm cadere in ſapientis animum negant, reliquos affectus nominibus immutatis ineſſe ſapientibus dicunt, cautionem pro timore, pro lætitia gaudium, & voluntatem pro cupiditate ponentes: quaſi ſapiens non timeat, ſed caueat: & velit non cupiat: nec lætetur in hac vita, ſed gaudeat. Non autem credunt eius contriſtari animum, quòd triſtitia, quæ accidere ſolet ex commiſſo peccato ſapientem, quem putant nul-
C lum habere peccatum, ſtimulare non poſſit aliqua recor-
Matth. 26. datione peccati. Quòd eſſe vaniſſimum dominus noſter ſecundùm carnem natus oſtendit, qui & triſtis fuit, & fleuit. Nec tamen ea triſtitia qua triſtis fuit, ei ex peccatis ſuis acceſſit, qui ſine peccato conceptus & natus, non ſolùm non peccauit, ſed etiam peccare non potuit. Vt au-
Cic. 3. Tuſc. q. de indolentia. tem de ſuis quoque literis iſtorum reuincantur ineptiæ, qui putant ſapientem contriſtari vel dolere non poſſe, legant illud quod eorum doctiſſimus ait: Nam omnino non dolere, non ſine magna mercede contingit immanitatis in animo, ſtuporis in corpore. De timore autem, quem illi ponunt in malo, ſcriptura noſtra loquitur, di-
Pſalm. 18 cens: *Timor domini ſanctus permanens in ſeculum ſeculi.* Sed quod verè fatendum eſt, ab illo alio timore pœnali diſtin-
1. Ioan. 4. guitur, de quo dicit Apoſtolus: *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem.* Quia ille peccare volentes deterret à malo, & inuitos tenet in bono: iſte
Eccl. 1. autem de quo dicit Propheta: *Qui ſine timore eſt, non poteſt*
† Aliàs charitatis. *iuſtificari:* magis incremento † veritatis augetur: & aliter quis timet, ne malum, quo puniatur, incurrat: aliter, ne bonum quo delectatur, amittat. Non igitur omnis timor
D haberi debet in vitio, ſed ille tantùm, de quo ſcriptum
1. Ioan. 4. eſt, *Quia timor pœnam habet.* Cæterùm iſte, de quo dicitur,
Eccl. 1. *Timor domini expellit peccatum.* &, *Qui ſine timore eſt, non po-*
Ibidem. *teſt iuſtificari.* &, *Timor domini ſanctus permanens in ſeculum*
Pſalm. 18. *ſeculi:* non eſt inter vitia numerandus, ſed potius intelligendus eſt vitiis inimicus. Iam illud quod dicunt, Boni volunt, mali cupiunt: vel, boni gaudent, mali lætantur: quis ſanæ mentis admittat? Imò quis ſana mẽte non redarguat, cùm & ſcriptura noſtra hominem malæ volunta-
Eccl. 7. tis increpet, dicens: *Noli velle mentiri omne mendacium.* &
Tul. lib. 1. Inuectiuarum in Catil. Tullius orator ampliſſimus cupiditatem ponat in bono, vbi dicit, Cupio, patres conſcripti, me eſſe clementem.
Verg. lib. 6 Æn. & apud illos Vergilius gaudium vituperet, dicens: Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, item cum in malum malæ mentis gaudia, & apud nos lætitia po-
Pſalm. 9. natur in bonum, Propheta dicente: *Lætamini in domino, & exultate iuſti?* Proinde omnes iuſti & tota morum ſanctitate perfecti ſine aliqua Stoicorum diſtin-

E ctione ſuperflua timent & cauent, volunt & cupiunt, lætantur & gaudent, contriſtantur & dolent. Sed intereſt multum, quid timeant aut caueant, velint aut cupiant, vnde lætentur aut gaudeant, contriſtentur aut doleant. Metuunt hæreditatem regni cœleſtis amittere; cupiunt ad cœleſtem patriam peruenire. Dolent tentati, gaudent de tentationibus liberati: ac per hoc, recta mens rectos habet affectus, peruerſus peruerſa. Sanctus Auguſtinus Epiſcopus acer ingenio, ſuauis eloquio, ſecularis literaturæ peritus, in Eccleſiaſticis laboribus operoſus, in cotidianis diſputationib. clarus, in omni ſua actione cõpoſitus, in expoſitione ſua fidei noſtræ Catholicus, in quæſtionibus abſoluendis acutus, in reuincendis hæreticis circũſpectus & in explicandis ſcripturis canonicis cautus: ipſe ergo, quem in his libellis pro poſſibilitate ſe-
F cutus ſum, hanc quæſtionem, de qua agitur, hoc modo
Auguſt. li. 14. de ciuit. Dei, c. 9. determinat, dicens: Sed cum rectam rationẽ ſequuntur iſtæ affectiones, quando vbi oporteat adhibentur, quis eas tũc morbos & vitioſas paſſiones audeat dicere? Quas affectiones vt ex mortalitatis conditione nobis ineſſe monſtraret, & huic vitæ neceſſarias, non futuræ, poſt a-
Ibidem. liquanta idem adiungit & dicit: Etſi iam rectas habemus has affectiones, huius vitæ ſunt, non illius, quam futuram ſperamus.

Quod hi affectus ſine quibus in hac vita rectè non viuitur, in illa futura beatitudine non ſint, quæ nec timorem habitura eſt nec dolorem.

CAPVT XXXII.

AC ſic niſi ex conditione noſtræ infirmitatis nobis ineſſent affectus iſti, nunquam plerumq; dolendo vel flendo eis cederemus inuiti. Sed idcirco eos huic ne-
G ceſſarios vitæ ſentimus: quia in hac mortalitate ſine eis omnino rectè non viuimus: quando ſi non timeat quiſq; vel caueat, ne aut ipſe quãdiu mortaliter viuit, aut alius, quem in Chriſto diligit, fide ſua deficiat, ſi nec de ſuo, nec de proximi ſui peccato contriſtetur, nec doleat, de profectu lætetur, aut gaudeat, ſi nihil boni velit aut cupiat, non ſolum rectè non viuit, ſed etiam ſenſum ipſius humanitatis amittit. In illa autem vita beata, ad quam conſumpta omni corruptibilitate ac mortalitate perueniunt, quicunq; ibi futuri ſunt, vbi nec fletus vllus poteſt eſſe, nec gemitus, habebunt omnes ſancti amorem perfectum, timorem nullum & gaudium ſempiternum. Ibi eis erit voluntas recta, cupiditas nulla, quoniam fruendo cœleſtib. bonis, ad quæ peruenire cupiebant, nihil eis deerit, quod vlterius concupiſcant: & in illa regione perpetuæ ſecuritatis ac pacis perfectè beati, nec timoris ſtimulos paſſuri
1. Ioan. 4. ſunt, nec doloris. Sed timor ille non quem *charitas foras mittit*, ſed quem charitas nutrit, ideo fortaſſis in ſeculum ſeculi permanebit: quia in ſeculum ſeculi permanebunt illa, ad quæ timor ipſe perduxerit.

H

Qualiter virtutes quatuor, quæ dictæ ſunt principales, aut in præſenti nos à peccato defendant, aut in æternum nobiſcum ſine vllo peccato permaneant.

CAPVT XXXIII.

POrro illæ virtutes quatuor de quibus pauca perſtrinxi etſi ibi erunt, longè tamen alio modo quam in hac vita ſunt, vbi contra vitia ſine intermiſſione confligunt, & pro ipſo ancipiti dubiæ conuerſationis euentu, modo negligentes, qui ſibi nolunt obedire, deſtituunt: modo ad alios, quibus diſplicent ſua peccata: vel accedunt Deo miſerante, vel redeunt. Nam ibi & ſi erit temperantia, non vt deſideria mala vel vitia refrenet, aut vincat: ſed vt eos quos hic ab intemperantiæ impugnatione defen-

dit,

A dit, ibi perficiat, vt ex omni parte perfectis præmij ſui
beata perceptio perfectè ſufficiat. Ibi enim & animi for-
titudo, non vt aliqua mala propulſet, aut æquanimiter
ferat: ſed vt ſine vllis malis beatos fortiter in æterno bo-
no contineat. Ibi in omnib. perfectis erit perfecta iuſtitia,
non vt inter virtutes diſcernat, & vitia, vbi nec ipſa erunt
iam corpora vitioſa: ſed vt perfectis præmia tribuat ſem-
piterna. Quod tunc fiet, quando omni concupiſcentia
Gal. 5. carnali conſumpta, nec *aduerſus carnem ſpiritus, nec caro ad-
uerſus ſpiritum concupiſcet*: ſed animus Deo ſubiectus, cum
carne ſibi ſubiecta in pace ſempiterna regnabit, & creato-
ri ſuo in æternum feliciter adhærebit. Iam prudentia, quæ
hic quoq; habetur clara, vbi in ænigmate quodam pru-
dentes illuminat, qualis ibi erit, vbi veritatem perfectis,
quos hic eius inquiſitio delectabat, ſine vllis figuris fal-
lentibus demonſtrabit, vt prudentiæ ac ſapientiæ plena-
ria perceptione diuinitus illuſtrati, omnia illa quæ hîc
perfectè cupiebant noſſe, nec poterant ſine vllo impedi-
B mento corruptionis ac mortalitatis agnoſcant: & non ſo-
lum omnium creaturarum rationem, ſed etiam ipſam ſui
creatoris eminentiam facie reuelata conſpiciant.

Vbi ſe de toto opere locutor excuſat.

CAPVT XXXIV.

ITaq;, ſi placet, huius quoq; libelli iam terminus fiat:
ne amplius iuſto productus, nõ ſolum de ſui ſqualore,
ſed etiam de nimia prolixitate diſpliceat. Hoc ſane oẽs,
qui hæc lecturi ſunt, conteſtor, & obſecro, vt quicquid
in rebus ipſis, quæ vtcunq; digeſtæ ſunt, reprehenſionis
inuenerint, vitio meæ ruſticitatis aſcribant, & mihi di-
gnanter indulgeant. Qui dum ſtudeo præceptum iuben-
tis implere, etiam maiora viribus meis præſumpſi ſuſci-
pere. Ea autem quæ ſecundum fidem Catholicam dicta
Iacob. 1. probauerint deputent Deo, *qui dat omnibus affluenter, &
non improperat*: & pro his omnibus mecum gratias agant.
Cæterum de accuratione dictionis elucubratæ non ſata-
go, nec mihi pudoris eſt, ſi diſputatio mea, quæ fortè pro-
C batur in rebus, aliquos verborum inanium ſectatores,
horrore incomptæ orationis offendat: quia quod ab ho-
mine doctore ſtudendo non didici, id exhibere loquen-
do non potui. Et tamen cum ſententiarum viuacitatem
ſermo ex induſtria cultus eneruet, & totam vim dicto-
rum ſplendor elaboratus euacuet, quis non iudicet me
affectationem compoſitionis debuiſſe contemnere, et-
iamſi eam potuiſſem velut dicendi peritus implere?
Quapropter ea mihi viſa eſt compoſitio ſatis ornata,
quæ conceptiones animi cum neceſſaria quadam per-
ſpicuitate proferret: non quæ illecebris aurium deſerui-
ret. Ea eſt enim, niſi fallor, iudicata latinitas, quæ bre-
uiter & apertè obſeruata duntaxat viſitatorum verbo-
rum proprietate res intelligendas enunciat: non quæ
vernantis eloquij venuſtate atq; amœnitate luxuriat: &
prudentibus viris non placent phalerata, ſed fortia:
quando non res pro verbis, ſed pro rebus enun-
ciandis verba ſunt inſtituta.

D FINIS *librorum S. Proſperi*
De vita contemplatiua:

S. PROSPERI AQVITANICI DE GRATIA ET LIBERO AR- bitrio Epiſtola ad Ruffi- num.

E

DOMINO FRATRI DILECTISSIMO
in Chriſto, & merito venerabili Ruffino,
Proſper æternam dicit
ſalutem.

ACCEPI per communem amicum fraternæ
erga me ſolicitudinis tuæ ſigna, & curam ſin-
ceriſſimæ charitatis gratulanter agnoui. Ac
ne quid maligni rumores, inquantum ſe au-
ribus tuis ſubtrahere nequeunt, formidinis
tibi aut anxietatis inferrent, abſoluere te ab omni ſcru-
F pulo, quantum Epiſtolari licuit ſermone, curaui: intan-
tum ſtudens omnia pleniſſima veritate tibi pandere, vt
quia non potuiſti in totum, quæ ab aduerſantibus diſſe-
minantur, audire: per meipſum queas, quicquid de nobis
ad inanem inuidiam fertur, referturq;, cognoſcere. Sed
inſinuanda prius ſanctitati tuæ eſt qualitas quæſtionis,
de qua iſta naſcuntur: quo tibi magis pateat falſitas oblo-
quentium: & videas quam lucem quibus tenebris conen-
tur obducere.

Pelagiana igitur hæreſis, quo dogmate Catholicam
fidem deſtruere adorta ſit, & quib. impietatum venenis
viſcera Eccleſiæ, atq; ipſa vitalia corporis Chriſti voluerit
occupare, notiora ſunt, quàm vt opere narrationis indi-
geant. Ex his tamen vna eſt blaſphemia nequiſſimum &
ſubtiliſſimũ germen aliarũ, qua dicunt, GRATIAM DEI
SECVNDVM MERITA HOMINVM DARI. Cùm.n. pri-
mùm tantam naturæ humanæ vellent aſtruere † ſanitatẽ,
vt per ſolum liberum arbitrium poſſet aſſequi Dei regnũ: † ſanctitatem.
eò quod tam plenè ipſo conditionis ſuæ præſidio iuuare-
tur: vt habens naturaliter rationalem intellectum, facilè
bonum eligeret, malumq; vitaret: Et vbi in vtraq; parte
G libera eſſent opera voluntatis, non facultatẽ his qui mali
ſunt ad bonum deeſſe, ſed ſtudium. Cùm ergo, vt dixi, to-
tam iuſtitiam hominis ex naturali vellent rectitudine, ac
poſſibilitate ſubſiſtere, atq; hanc definitionem doctrina
ſana reſpueret, damnatũ à Catholicis ſenſum, & multis
poſtea hæreticæ fraudis varietatib. coloratum, hoc apud
ſe ingenio ſeruauerunt, vt ad incipiendum, & ad profici-
endum, & ad perſeuerandum in bono, neceſſariã homini
Dei gratiam profiterentur. Sed in hac profeſſione, quo-
modo vaſa iræ molirentur irrepere, ipſa Dei gratia vaſis
miſericordiæ reuelauit. Intellectum eſt enim, ſaluberri-
meq; perſpectũ, hoc tantum eos de gratia confiteri, quod
quædam libero arbitrio ſit magiſtra, ſeq; per cohortatio-
nes, per legem, per doctrinam, per creaturam, per contẽ-
plationem, per miracula, perq; terrores extrinſecus iudi-
cio eius oſtendat, quo vnuſquiſq; ſecundum voluntatis
ſuæ motum, ſi quæſierit, inueniat: ſi petierit, recipiat: ſi
pulſauerit, intrõeat. Quia ſcil. gratiæ ipſius vocatio, hoc
H primùm circa nos agat, vt noſtræ facultatis arbitrium ad-
moneat, nec aliud ſit gratia, quam lex, quam propheta,
quam doctor, cui circa omnes homines per vniuerſum
mundum cõmune & generale ſit ſtudium, vt qui volue-
rint credant, & qui crediderint, iuſtificationem merito fi-
dei & bonæ voluntatis accipiant: ac ſi gratia Dei ſecundũ
hominum meritum tribuatur. Atq; hoc modo gratia non
ſit gratia. Quia ſi meritis redditur, & non ipſa eſt bono-
rum creatrix, fruſtra gratia nominatur.

Has aũt verſutias, quib. ſe filij tenebrarũ, in ſimilitudi-
nẽ filiorũ lucis transfigurare voluerunt, cũ & Orientaliũ
Epiſcoporũ iudicia, & Apoſtolicæ ſedis autoritas, & A-
fricanorũ Conciliorũ vigilantia deprehẽderit: beatiſſim*
quoq; Auguſtinus, præcipua vtiq; in hoc tẽpore portio
Domini ſacerdotum, conſiosè, & pulchrè, in multis volu-
minum diſputationibus deſtruxit: vtpote inter multa

A Dei dona, quibus illum abundantiſſimè ſpiritus veritatis
impleuit, habens etiam hanc ſcientiæ & ſapientiæ ex Dei
charitate virtutem, vt non ſolùm iſtam adhuc in ſuis de-
nunciationibus palpitantem, ſed etiam multas prius hæ-
reſes mucrone verbi gladio debellaret. Cui inter tot cer-
taminum palmas, inter tot triumphorum coronas, ad il-
luminationem Eccleſiæ, & ad gloriam Chriſti, qua ipſe
illuſtratus eſt, perfulgenti, quidam noſtrorum (quod de
ipſis multum dolendum eſt) occultis, ſed non incognitis
ſuſurrationibus obloquuntur. Et prout ſibi obnoxias ali-
quorũ aures opportunaſq; repererint, ſcripta eius, quib.
error Pelagianorum impugnatur, infamant: dicentes, eũ
liberum arbitrium penitus ſubmouere, & ſub gratiæ no-
mine neceſſitatem prædicare fatalem. Adijcientes etiam
duas illum humani generis maſſas, & duas credi velle na-
turas, vt ſcil. tantæ pietatis viro Paganorum & Manichęo-
rum aſcribatur impietas. Quæ ſi vera ſunt, cur ipſi tã ne-
B gligentes, ne dicam tam impij ſunt, vt tam abruptã per-
niciem ab Eccleſia nõ repellant? tam inſanis prædicatio-
nib. non reſiſtant? nec ſaltem aliquib. ſcriptis eum, à quo
talis emanat doctrina, conueniant? Magna.n.gloria ſua,
humano generi conſuluerint, ſi Auguſtinũ ab errore re-
uocauerint: niſi fortè modeſti homines, nouiq; cenſores
magnorum prius meritorum ſeni honorabiliter ac miſe-
ricorditer parcunt, & ſecuri, quia libros eius nemo vſq;
recipiat, conquieſcunt, atq; ignouerint. Imò nouerunt,
non ſolum Romanam, Africanamq; Eccleſiam, & per oẽs
mundi partes vniuerſos promiſſionis filios cũ doctrina
huius viri, ſicut in tota fide, ita in gratiæ confeſſione con-
gruere. Sed etiam in ipſis his locis, in quib. aduerſus eum
querimonia concitatur, eſſe propitio Deo, plurimos, qui
ad perceptionẽ Euangelicæ Apoſtolicæq; doctrinæ, ſalu-
berrimis eius diſputationib. imbuuntur, & cotidiè in mẽ-
bris corporis Chriſti, in quantũ ea ipſe multiplicat, dila-
tantur. Si rectè reprehendimur, cur nõ conſtanter argui-
mur? Si arguendi nõ ſumus, cur occulta obtrectatione
mordemur? Sed quis neſcit, cur iſta priuatim de ſtomacho
garriant, & publicè de concilio conticeſcãt? Volentes.n.in
C ſua iuſtitia magis, quã in Dei gratia gloriari, moleſtè ferũt,
quod his, quæ aduerſum excellentiſſimæ autoritatis virũ,
inter multas collationes aſſeruere, reſiſtimus. Nec dubi-
tant, ſi quam hinc mouerint quæſtionẽ, in qualibet fre-
quentia ſacerdotũ, in qualibet cõgregatione populorũ,
centenis ſibi beatiſſimi Auguſtini voluminib. obuiandũ.
Quæ cùm cordib. audientium manifeſtare cœperint, po-
tentiſſimã Chriſtianæ fidei veritatẽ, & de fontib. diuini
eloquij præſentiũ animos mundare, quis fidelium, quis
piorũ, recognitis & cõmendatis ſibi ſalutis ſuæ cauſis, a-
maritudinẽ iſtam volet fumoſæ recipere vanitatis? Ego
quidẽ etiam hoc de diuitijs miſericordiæ Dei ſpero, quod
quos nunc libero falli arbitrio ſuo, & ab humanitatis via
patitur euagari, non vſquequaq;, neq; in finẽ ſit intelli-
gẽtia frauдaturus: Sed hunc ipſum in longinquiora pro-
greſſum, ideo ab eo tardius reuocari, vt opus gratiæ eius
maiore gloria celebretur, cũ ſibi etiã aduerſantium corda
ſubdiderit, quib. de virtutum ſtudio exortũ eſt periculũ,
D & de morum probitate diſcrimen. Non quia quiſquã ca-
rere his debeat, ſed quia miſerrimus eorum vſus eſt, cum
ex naturali putantur facultate prodiſſe, aut ex largitate
quidem gratiæ, ſed aliquo vel boni operis, vel bonæ vo-
luntatis merito procedente veniſſe. Aſſerunt quidem hęc
quibuſdam ſanctarũ ſcripturarũ teſtimonijs, ſed nõ ratio-
nabiliter adſumptis. Ad defenſionem.n. alicuius defini-
tionis ea promenda ſunt, quæ alteri intellectui, à quo vi-
detur definitio diſſonare, non cedant, & eam regulã, cui
ſunt aptata, non deſerant. Dictum ergo aiunt libero ar-
Matth. 11 bitrio vtentibus: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati
eſtis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite
à me, quoniã mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem ani-
mabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.*
Quod ad omnes homines volunt pertinere, laborantes
in incerto iſtius vitæ, oneratoſq; peccatis: vt qui volue-
rint manſuetudinẽ & humilitatẽ ſaluatoris imitari, & iu-
gum mandatorũ eius ſubire, inueniãt requiẽ animabus
ſuis in ſpe vitæ æternæ. Qui aũt hæc facere noluerint, ſua

E culpa careant ſalute: quã ſi voluiſſent, potuerint obtinere.
Sed audiant & dictum à Domino libero arbitrio vtenti-
bus: *Sine me nihil poteſtis facere.* &, *Nemo venit ad me, niſi pater,* *Ioan. 15.*
qui miſit me, attraxerit eum. &; *Nemo poteſt venire ad me, niſi da-* *Ioan. 6.*
tum ei fuerit à patre meo. &, *Sicut pater viuificat mortuos, ita &* *Ioan. 5.*
filius, quos vult, viuificat. &, *Nemo nouit filium, niſi pater: neq;* *Luca. 10.*
patrem quis nouit, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Quæ
omnia cùm ſint incommutabilia & nequeant vlla inter-
pretatione in ſenſum aliũ detorqueri, quis ambigat tunc
liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cũ in
illo gratia Dei affectum credendi obediendiq; generaue-
rit? Alioquin ſufficeret moneri hominem, non etiam in i-
pſo nouam fieri voluntatem: ſicut ſcriptum eſt: *Præparatur* *Prou. 21.*
voluntas à Domino. Et ſicut ait Apoſtolus: *Deus eſt.n. qui ope-* *Philip. 2.*
ratur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Pro qua
bona voluntate, niſi quam in ipſis operatus eſt Deus? vt
quod donauerat velle, donaret & facere. Dicunt etiam ad
demonſtrandam liberi arbitrij facultatem, magnum in
Centurione Cornelio extare documentũ: eò quòd ante
gratię perceptionẽ timens atq; orans Deum, eleemoſynis F
& ieiunijs & orationi ſpontaneo ſtudio fuerit intentus.
Atq; ob hoc diuino teſtimonio laudatus, donũ regenera-
tionis acceperit. Neq; intelligunt omnem illã præparati-
onem Cornelij per Dei gratiam fuiſſe collatam. Siquidẽ
cum S. Petrus per viſionem omne genus animaliũ de ba-
ptizando Cornelio, ac perinde de omnib. gentib. docere-
tur, atq; ille immundum & indiſcretũ cibum Iudaica ob-
ſeruantia recuſaret, trina ad eũ vox facta ſit, dicens: *Quod* *Act. 10.*
Deus mundauit, tu ne commune dixeris. Quo ſatis apertè oſtẽ-
ditur, omnia bona opa, quę in Cornelio præceſſerũt, Dei
gratia ad emundationẽ ipſius inchoaſſe: vt cui Dominus
iam imperticrat hoc donũ, non dubitaret Apoſtolus con-
ferre ſacramentum: ne nouæ, & necdũ reuelatæ vocatio-
nis vacillaret exordium, niſi ꝑ ipſa indicia præcedentium
ſtudiorum, Deum in adſumendis conſtaret operatũ. Non
n. omnium eſt fides, nec oẽs credunt Euangelio: Sed qui
credunt, Dei aguntur ſpiritu: qui nõ credunt, libero auer-
tuntur arbitrio. Conuerſio ergo noſtra ad Deum, non ex
nobis, ſed ex Deo eſt: Sicut Apoſtolus dicit: *Gratia ſalui fa-* *Eph. 2.*
cti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt: & non ex G
operibus, ne quis glorietur. Agnoſcat ſe humana debilitas: &
in primo homine vniuerſarũ generationum damnata ſuc-
ceſſio: & cum mortui viuificantur, cũ cæci illuminantur,
cum impij iuſtificantur, confiteantur vitam, & lumen, &
iuſtitiam ſuam Ieſum Chriſtum. Et *qui gloriatur, in Domino
glorietur,* non in ſe. Qui cum eſſet impius, & cæcus, & mor-
tuus, à liberatore ſuo gratis accepit & iuſtitiam, & lumẽ,
& vitam. Non.n. iuſtè agebat, & aucta eſt iuſtitia eius: nec
ad Deum gradiebatur, & confirmatus eſt curſus eius: nec
diligebat Deum, & inflammata eſt charitas eius. Sed cum
eſſet ſine fide, ac perinde impius, accepit ſpiritum fidei, &
factus eſt iuſtus. *Iuſtus autem ex fide viuit:* &, *Sine fide nemo po-* *Rom. 1.*
teſt placere Deo. &, *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt:* vt ſe. *Heb. 11.*
intelligat iuſtitiam infidelium non eſſe iuſtitiam: quia *Rom. 14.*
ſordet natura ſine gratia. Amiſſa quippe naturali inno-
centia, homo exul ac perditus ambulans ſine via, profun-
diores intrabat errores: ſed quęſitus & inuentus, & repor-
tatus eſt, & in via, quæ veritas & vita eſt, introductus ad H
dilectionem in Deum, qui illum non diligentem prior di-
lexit, agnitus eſt: ſicut dicit B. Apoſtolus Ioannes: *Non* *1. Ioan. 4.*
quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe dilexit nos. & ite-
rum: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.*
Et idem dicit: *Chariſſimi, diligamus inuicem, quoniam charitas
ex Deo eſt. Et omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deũ.
Qui non diligit, non nouit Deum: quia Deus charitas eſt.* Cui *Galat 5.*
Beatus Paulus congruit, dicens: *In Chriſto Ieſu, neq; circun-
ciſio, neq; præputium valet aliquid: ſed fides, quæ per dilectionem
operatur.* Vnde habetur hæc fides connexa charitati,
niſi vnde eam ipſe monſtrat acceptam? dicens: *Quia vo-* *Philip. 1.*
*bis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt in eum credatis, ſed etiam
vt pro ipſo patiamini.* Quod vtiq; fieri ſine magna charitate
non poterat. Et iterum: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus no-* *Rom. 5.*
ſtris per Spiritum Sanctũ, qui datus eſt nobis. Sine qua charitate *1. Cor. 13.*
Apoſtolus, quantã fidẽ, qualitãq; ſcientiã, quas virtutes,
quæ ſtudia, quos labores, nihil prodeſſe teſtatur: Quia

A ſe.multa laudabilia atq; miranda poſſunt in homine repiri,quę ſine charitatis medullis habent quidē pietatis ſimilitudinē,ſed non habent veritatem. Hoc ergo tanto & Coloſſ.1. tā ineffabili bono,nemo inuētus eſt dignus.Sed quicūq; electus eſt à Deo, factus eſt dignus ſicut dicit Apoſtolus: *Gratias agentes patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine,qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſ-* 2.Tim.1. *tulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* Et idem ad Timotheum: *Conlabora,*inquit,*Euangelio ſecundum virtutem Dei,qui nos liberauit & vocauit vocatione ſancta: non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum ſuum propoſitum, & gratiam quæ data eſt nobis in* Titum 3. *Chriſto Ieſu ante tempora ſecularia.*Et ad Titum: *Eramus,* inquit,*& nos aliquando inſipientes & increduli, errantes & ſeruientes deſiderijs & voluptatibus varijs, in malitia & inuidia agentes,odibiles,odientes inuicem. Cum autem benignitas & humanitas apparuit ſaluatoris noſtri, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Gratia igitur Dei quoſcunq; iuſtificat, non ex bonis meliores, ſed ex malis bonos fecit: poſtea per profectum, ex bonis factura B meliores: non adēpto libero arbitrio, ſed liberato. Quod donec ſine Deo ſolum fuit, mortuum fuit iuſtitiæ, vixitq; peccato. Vbi autem ipſum illuminauit miſericordia Chriſti, erutum eſt à regno Diaboli, & factū eſt regnum Dei, in quo vt permanere poſſit, ne ea quidem facultate ſufficit ſibi, niſi inde accipiat perſeuerantiam, vnde accepit induſtriam. Quoniam & ipſius S.Petri ardentiſſima fides in tentationibus defeciſſet, niſi pro eo Dominus ſupplicaſ- Luca 22. ſet: ſicut Euangeliſta manifeſtat, dicens: *Dixit autem Ieſus Petro: Simon Simon, ecce Satanas poſtulauit, vt vos cribraret velut triticum. Ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua: & tu tandem conuerſus, confirma fratres tuos, & roga, ne intretis in tentationem.* Et vt magis probaretur liberum arbitrium nihil poſſe ſine gratia: cui dictum fuerat: *Confirma fratres tuos, & roga ne intretis in tentationem:* quiq; reſpondit, vtiq; ex libero arbitrio: *Domine tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire:* eidem prædicitur, quod prius quàm Gallus cantet, ter Dominum negaturus ſit. Quod quid eſt aliud, quàm quòd in fide defecturus ſit? Certe rogauerat pro eo Dominus, ne deficeret fides ipſius. Nec vtiq; fruſtra rogauerat, cuius vna erat cum eo, quem rogauerat, operatio. Sed ne libero arbitrio videretur ſtare, qui de ſe magna promiſerat, permittitur periclitari, vt conturbatum ac C deficientem ille reſpiciat, & reficiat, ſine quo nemo conſiſtit, nemo perſiſtit. Ab hac autē confeſſione gratiæ Dei, ideo quidam reſiliunt, ne cùm eam talē confeſſi fuerint, qualis diuino eloquio prædicatur, & qualis opere ſuę poteſtatis agnoſcitur, etiam hoc neceſſe habeant confiteri, quòd ex omni numero hominum per ſecula cuncta natorum, certus apud Deum, definituſq; ſit numerus prædeſtinati in vitam æternam populi, & ſecundum propoſitum Dei vocantis electi. Quod quidem tam impium eſt negare, quàm ipſi gratiæ contraire. Neq; enim remotum eſt ab inſpectione communi, quot ſeculis, quàm innumera hominum milia erroribus ſuis impietatibuſq; dimiſſa, Act.14. ſine vlla veri Dei cognitione defecerint. Sicut etiam in Actibus Apoſtolorum, Pauli & Barnabæ verba declarant, dicentium Iconijs, *Viri fratres, quid hæc facitis? & nos mortales ſumus ſimiles vobis homines, adnuntiantes vobis vt ab his vanis conuertamini ad Deum viuum, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Qui in præteritis generationibus dimiſit* D *omnes gentes ingredi vias ſuas. Et quidem ſine teſtimonio ſemetipſum relinquens, benefaciens eis, de cœlo dans pluuiam, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum.* Cum vtique ſi eis vel naturalis intelligentia, vel vſus beneficiorum Dei ad capeſſendam vitam æternam ſufficere potuiſſet, noſtro etiam tempore rationalis nos contemplatio, & temperies aëris, & fructuum copia ciborumque ſaluaret: quia ſcilicet melius, natura vtentes, creatorem noſtrum propter cotidiana ipſius dona coleremus. Sed abſit ab animis piorum, & Chriſti ſanguine redemptorum, ſtulta nimium & pernicioſa perſuaſio. Naturam humanam non liberat, extra *vnum mediatorem Dei & hominum, homi-* Pſalm. 99. *nem Chriſtum Ieſum:* ſine illo nemini ſalus eſt. Sicut *ipſe fecit nos, & non ipſi nos:* ita ipſe reficit nos, & non ipſi nos. Ac ne ſibi facultas hominis precium reparationis huius,

E vel poſt reſtitutionem ſui, per opera videretur iuſtitiæ repenſare, effuderunt ſe diuitię bonitatis Dei in ipſa quorundam primordia paruulorum: In quibus nec præcedēs eligitur, nec ſequutura deuotio, non obedientia, nec diſcretio, non voluntas. De his enim loquor, qui mox vt nati ſunt, renaſcuntur: & rapti ab hac vita, æternæ beatitudini deputantur. Cum tamen innumerabilis multitudo, eiuſdem naturæ, eiuſdem conditionis, infantium, ſine regeneratione decedat. De qua dubitari non poteſt, quòd partem in Dei ciuitate non habeat. Et vbi eſt illud, quod nobis quaſi contrarium, à non intelligentibus ſemper opponitur?

DE EO QVOD SCRIPTVM EST: Qui vult omnes homines ſaluos fieri.

F 1.Tim.2. QVòd Deus *omnes homines velit ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire,* Nunquid non ſunt de omnibus hominibus, qui à præteritis generationibus vſq; in hoc tempus ſine Dei cognitione perierunt? Et ſi maioribus natu (quod non rectè dicitur) mala opera, quæ libero arbitrio cōmiſerant, obfuerunt quaſi boni, non mali gratia liberentur, inter ſaluatos paruulos, & nō ſaluatos paruulos, quæ meritorū potuit eſſe diſeretio? quid iſtos introduxit in regnū Dei? quid iſtos excluſit à Dei regno? Equidem ſi meritū conſideres, non vna pars ſaluari meruit, ſed vtraq; damnari. Quia omnibus in Adæ præuaricatione proſtratis, niſi quoſdam adſumeret miſericors gratia, maneret ſuper vniuerſos inculpata iuſtitia. Quæ autem ſit diſeretionis iſtius in ſecreto conſilio Dei cauſa vel ratio, & ſupra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, & ſine fidei diminutione neſcitur: modò confiteamur neminem immerito perdi, neminē merito liberari, & omnipotentiſſimam Domini bonitatem omnes ſaluare, & oēs ad agnitionem veritatis imbuere, quos vult *omnes fieri ſal-* G *uos, & ad agnitionem veritatis venire.* Niſi enim ipſo vocante, docente, ſaluante, nemo venit, nemo eruditur, nemo ſaluatur. Quia etſi indifferenter omnibus hominibus iubentur prædicare doctores, & ſemen verbi vbiq; diſſe- 1.Cor.3. rere, tamen *neq; qui plantat, neq; qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus.* Vnde cùm Apoſtoli gentibus Euangelium prædicare cœpiſſent, de parte quadam eorum, Act.13. qui audierant, ſcriptura commemorat, dicens: *Audientes autem gentes gauiſæ ſunt, & glorificabant verbum Dei, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Et alibi: Act.16. Cum multæ mulieres audirent Paulum docentem, *quædam,* inquit, *mulier nomine Lydia purpuraria ciuitatis Tyatyrorum, colens Deum, audiuit: cuius Dominus aperuit cor vt intenderet his, quæ dicebantur à Paulo.* Et rurſum eo ipſo tempore, quo ad omnes gentes prædicatio Euangelij mittebatur, quædam loca Apoſtolis adire prohibebatur ab eo, *qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Multis vtique in illa retardatis atque H auerſis Euangelij mora, ſine agnitione veritatis & ſine regenerationis conſecratione morituris. Dicat ergo Act.16. ſcriptura quod geſtum eſt: *Tranſeuntes autem,* inquit, *Phrygiam & Galatiæ regionem, vetiti ſunt à ſancto ſpiritu loqui verbum in Aſia. Cùm veniſſent autem in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit illos ſpiritus Ieſu.* Quid autem mirum, ſi inter ipſa Euangelicæ prædicationis exordia, non poterant ire Apoſtoli, niſi quò eos ſpiritus Dei ire voluiſſet, cùm videamus pleraſq; gentes modò primum Chriſtianæ gratiæ fieri cœpiſſe participes: aliàs autem nullum adhuc odorem boni iſtius attigiſſe? An dicendum eſt voluntati Dei humanas obſiſtere voluntates, & tam feros, tamq; intractabiles horum hominum mores, vt Euangelium ideo non audiant, quia prædicationi, impia corda non pateant? Et quis iſtis corda mutauit, niſi qui finxit ſingillatim corda eorum? Quis huius rigoris duriciem ad obediendi molliuit affectum, Matth.3. niſi qui *potens eſt de lapidibus Abrahæ filios excitare?* Et quis dabit prædicantibus intrepidam, illæſamq; conſtantiam, Act.18. niſi ille, qui ait Paulo: *Noli timere, ſed loquere, & ne taceas: pro-*

pter

A *pter quod ego ſum tecū, & nemo apponetur tibi, vt noceat te: quoniā populus eſt mihi multus in hac ciuitate?* Puto autem quod nemo audeat dicere vllam mundi gentem, vllam terræ prætermittendam eſſe regionem, in qua non ſint ecclesiæ tabernacula dilatanda, dicente Deo ad filium: Pſalm. 2. *Poſtula à me: & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* & iterum: Pſal. 21. *Reminiſcentur & conuertentur ad dominum vniuerſi fines terræ. Et adorabunt in conſpectu eius omnes patriæ gentium.* Dicente quoque ipſo domino Matt. 24. *Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo mundo in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis.* Quæcunque ergo gentes nondum audierunt, audient Euangelium, & credent quotquot ex eis præordinati ſunt in vitam æternam. Non enim alij venient in conſortium hæreditatis Chriſti, quam qui ante conſtitutionem mundi electi ſunt, & prædeſtinati atque præſciti, ſecundum propoſitum eius, qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Contineamus igitur opera domini, & glorificemus miſericordias eius. Nec impatienter feramus, quod, quæ, aut quanta ſint electionis vaſa, nō nouimus. Quia & in anterioribus ſeculis, quādo de vnius gentis populo dicebatur: Pſal. 75. *Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnū nomen eius:* futura gentium latebat electio, & poſtmodum innotuit, quod reuelatum antè non fuerat: ſicut dicit Apoſtolus: Eph. 3. B *Quod alijs generationibus, non eſt agnitum filijs hominū, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius, & Prophetis in Spiritu, eſſe gentes cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis in Chriſto Ieſu.* Et in Actibus Apoſtolorum. Actu 10. *Obſtupuerunt,* inquit, *ex circumciſione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia ſpiritus ſancti effuſa eſt.* Si enim hoc conſilium vocationis ſuæ dominus, quandiu voluit, abſcōdit, ac diſtulit, & quando voluit, reuelauit, ſanctiſque eius ignorantia iſta non nocuit, cur ſpei noſtræ obeſſe credimus, ſi in quo numero, quibusue hominibus vaſa miſericordiæ in gloriam præparantur, occultitur? Cū tamen conſtet regnum cœlorum omnes ingreſſuros bonos, hoc eis donante Dei gratia: & nullos ingreſſuros malos, hoc ipſorum merente nequitia. Nimium verò ineptè, ac nimiſque inconſideratè ab aduerſantibus dicitur, quod per hanc Dei gratiam libero nihil relinquatur arbitrio. Quamuis enim in paruulis baptiſmum tranſeuntibus, manifeſtiſſimè nullum opus, nulluſque appetitus eorum voluntatis exiſtat: & pleroſque vtentes quidē C libero arbitrio, ſed auerſos à vero Deo, vitamq; in flagitijs exigentes, liberat tria regeneratio in ipſo exhalandi ſpiritus fine ſanctificet: tamen ſi eam filiorum Dei partem, quæ ad pietatis opera reſeruatur, pio conſideramus intuitu, nunne in eis non peremptum inueniemus liberum arbitrium, ſed renatum? Quod vtique cum ſolum eſſet ſibiq; permiſſum, non niſi in ſuam perniciem mouebatur. Ipſum enim ſe excæcauerat, & ipſum ſe illuminare nō poterat. Nunc autem idem arbitrium conuerſum eſt, non euerſum. Et donatum eſt ei aliter velle, aliter ſapere, aliter agere, & incolumitatem ſuam nō in ſe, ſed in medico collocare. Quia necdum tam perfecta vtitur ſanitate, vt ea, quæ ei nocuerant, nequeant iam nocere: aut ab inſalubribus poſſit iam viribus ſuis temperare. Proinde homo, qui in libero arbitrio fuit malus, in ipſo libero arbitrio factus eſt bonus: ſed per ſe malus, per Deū bonus. Qui eum D rea in illum initialem honorem alio initio reformauit, vt ei non ſolùm culpam malæ voluntatis & actionis remitteret, ſed etiam bene velle, bene agere, atque in his permanere donaret. *Omne enim,* inquit Apoſtolus Iacobus, Iacob. 1. *datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.* Quod quale ſit liberū arbitrium, quod humano ſpiritu agitur, & quale ſit quod à Deo regitur, euidenter oſtendit, dicens: Iacob. 3. *Quòd ſi zelum amarum habetis, & contentiones in cordibus veſtris, nolite gloriari aduerſum veritatē, & mendaces eſſe. Non eſt iſta ſapientia de ſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis diabolica. Vbi enim zelus & contentio, ibi incōſtantia & omne opus prauum. Quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, plena miſericordia & fructibus bonis, non deiudicans, ſine ſimulatione.* Quicunq; ergo his virtutibus ſtudent atque inhærent, non ſua, ſed ſuperna ſapientia illuſtrati ſunt. Prou. 2. *Quoniā dominus dat ſapientiam & à facie eius ſcientia & intellectus.* Et hæc E eorum veriſſima gloria eſt, ſi non in ſe, ſed *in domino glorientur.* Ea autem quæ de fato, & de duabus maſſis, duabuſque naturis, ſtultiſſimo mendacio, intenti viri ingerere, iactitant, neque ipſum quidem onerant, in cuius libris copioſiſſimè huiuſmodi deſtruuntur errores: nec nos perturbant, qui tales opiniones cum ſuis auctoribus execramur. Sed videant quomodo ſe à dedecore iſtius exuant falſitatis, qui poſſunt tam inepta confingere, ſi hi, quorū abutuntur auribus, aliquantulum diligentiæ ad cognoſcenda ea, quæ præſtantiſſimus miniſter gratiæ diſputauit, intenderint. Licet omnem illius inquiſitionis moram, ipſi, qui hæc loquuntur, præuenire debeant, proferendo atq; explicando libros, vllamue eorum particulam demonſtrando, quam per dubium ſaltem intellectum tali interpretationi obnoxiam vir ſanctus ediderit. Sed prudentes nihil apud nos tale audierunt, nihil tale legerunt: quia non fato quicquam geri, ſed omnia Dei iudicio nouimus ordinari. Nec ex duabus maſſis, duabuſue naturis, ſed ex vna maſſa, quæ eſt caro primi hominis, vnam ſcimus omnium hominum creaturam, creamq; naturam. Et eandem per ipſius primi hominis liberum arbitriū, in quo omnes peccauerunt, eſſe proſtratam: nec vllo modo ab æternæ mortis debito liberam, niſi eam ad imaginem Dei ſecundæ creationis Chriſti gratia reformauerit, liberumq; eius F arbitrium agendo, ſperando, auxiliando, & vſque in finem præcurrendo ſeruauerit. Vnde, quia perſpicit ſanctitas tua, ſi tamen ſermonis mei non obſiſtit obſcuritas, fruſtra quoſdam de nobis conqueri: & omnes illas ineptas criminationes, ad exaſperandos, auertendoſque animas eorum, quibus aliud volunt perſuadere, contexi. Confide ergo in virtutem miſericordiæ Dei: quoniam hæc contradictio, ſicut in alijs mundi partibus, ita & in his regionibus conquieſcit: vt prædicatio ſummi hoc tempore in eccleſia viri, etiam ab his, à quibus ad præſens reuellitur, admittatur. Tu autem dilectiſſime & venerandiſſime mihi frater, ſi verè de his quæſtionibus inſtrui deſideras, ſicut deſiderare te conuenit, ipſis beati Auguſtini diſputationibus cognoſcendis impende curam: vt in confitenda Dei gratia defecatiſſimam ac ſaluberrimam Euangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ intelligentiam conſequaris. Gratia Dei & pax domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat te in omni tēpore, & per viam veritatis dirigat in vitam æternam.

FINIS.

G

S. PROSPERI AQVITANICI, [a] EPISCOPI RHEGIENSIS,

EX SENTENTIIS S. AVGVSTINI,

EPIGRAMMATON LIBER.

DVm ſacris mentē placet exercere loquelis,
Cœleſtiq; animum paſcere pane iuuat:
Quoſdā, ceu prato, libuit decerpere flores,
Diſtinctiſque ipſos texere verſiculis:
Vt proprias canerent epigrāmata ſingula cauſas,
Et pars quæque ſuo congrueret titulo.
Nec [a] noſtrum hoc opus eſt, ſed ab illo ſumitur his ros,
Qui ſiccam rupem fundere iuſſit aquas.
Vt quod in affectum cordis, pietate magiſtra,
Venerit, hoc promat carmine læta fides.

[a] Noſtræ hoc opu.

H

QVÆ SIT VERA INNOCENTIA.

1. *Innocentia vera eſt, quæ nec ſibi, nec alteri nocet. Quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Et nemo non prius in ſe, quam in alterum peccat.*

Perfectè bonus eſt, & verè dicitur inſons,
Nec ſibi, nec cuiquam, quod noceat, faciens.
Nam quicunque alium molitur lædere, primùm
Ipſum ſe iaculo percutiet proprio,
Et, cùm fortè animum non ſit ſecutura facultas,
Non dubium in cordis viſcere vulnus habet.
Nec fugit infecti ſceleris mens praua reatum,
Cui nimis hoc ſolum, quod voluit, nocuit.

A

DE HOMINIBVS DILIGENDIS.

2. *Sic diligendi ſunt homines, vt eorum non diligantur errores: quia aliud eſt amare, quod facti ſunt: aliud eſt odiſſe, quod faciunt.*

Naturæ quiſquis propriæ non ſpernis honorem,
In quocunque hominum, quæ tua noſcis, ama.
Sic tamen, vt prauos vitet concordia mores,
Nullaque ſint pacis fœdera cum vitijs.
Namque, quod artificis ſummi fecit manus, vnum eſt,
Quæque autore bono condita ſunt, bona ſunt.
Diuinum in nullo figmentum deſpiciatur.
Sola malis ſtudijs addita non placeant.

DE VERA ÆTERNITATE.

3. B *Vera æternitas, & vera immortalitas non eſt, niſi in deitate Trinitatis: cui, quod eſt eſſe perfectum eſt: quia natura initio carens, incremento non indigens, ſicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. Creaturæ a etiam illæ, quibus Deus æternitatem dedit, vel daturus eſt, nō penitus omnis finis alienæ ſunt: quia non ſunt extra commutationem, dum illis finis eſt, & temporalis inſtitutio, & localis motio, & ipſa in augmentum ſui facta mutatio.*

a C. autem

Aeternus verè eſt ſolus Deus omnicreator,
Vita in ſe viuens permanet eſſe quod eſt.
Hoc pater, hoc verbum patris, hoc eſt ſpiritus almus,
Quorum natura eſt vna, eademque trium.
Nō cœptū, aut auctum, non *b* huic mutabile quicquā eſt
Quod ſubeat leges temporis, aut numeri.
Virtus præteritis prior, vlteriorque futuris,
Nil recipit varium, nil habet occiduum.
c Nam quas, vt voluit, rerum ſapientia fecit,
Multis vita quidem eſt præſtita perpetua.
Sed quodcunque poteſt ſeſe amplius, aut minus eſſe,
Quodam fine, ipſi quod fuerat, moritur.
C Sic nihil æternum, quod commutabile factum eſt,
d Quod cunctis ſupereſt, ſemper idem Deus eſt.

b C. hic
c C. Nam rerū quas vt voluit ſ. f.
d C. Et quod cuncta ſuper.

DE PATIENTIA DEI.

4. *Patientia Dei e vera eſt, qua parcit contemptus, parcitq́ negatus: & magis vult vitam peccatoru, quàm mortem: eruditio eſt pœnitudinis, & oblatio correctionis. Nec vlla ipſius opera f miſericordia vacant, quando homini & indulgentia conſulit, & flagello.*

e C. magna
f C. Ad. à

Multa diu ſummi differt patientia regis,
Suſpendens æqui pondera iudicij.
Et, dum plectendis parcit clementia factis,
g Dat ſpatium, quò ſe crimine purget homo.
Denique committunt homines mala crimina ſemper,
Dat ſpatium, vt pereant crimina, non homines:
Verbere nonnunquam caſtigans *h* corde paterno,
Ne cito conſumant ſæua flagella reos.
Sic pietate Dei terrarum non vacat orbis,
Et nihil eſt, quod nos non trahat ad veniam:
Cum rex ſaluandis ipſa quoque conſulit ira:
Vt curat medicus vulnera vulneribus.

Abſunt à C.
g C. Dat ſpatium vt pereāt c. rimina non homines.
h C. corda

DE VLTIONE DEI.

D 5. *Diuina bonitas ideò maximè iraſcitur in hoc ſeculo, ne iraſcatur in futuro: & miſericorditer adhibet temporalem ſeueritatem, ne æternam iuſtè inferat vltionem.*

i Cùm Deus exerta peccantes verberat ira,
Vt norint homines, quid mereantur, agit.
Nam, dum mortalis peraguntur tempora carnis,
Auxilium miſeris ipſa flagella ferunt.
Et vindicta breuis ſic noxia crimina finit,
Ne ſine fine habeat debita pœna reos.

i C. Dum.

E

DE VERA *k* DEI LAVDATIONE.

Vera confeſſio eſt benedicentis, cùm idem ſonus eſt & oris & cordis: bene autem loqui, & malè viuere, nihil eſt aliud, quàm ſua ſe voce damnare. 6.

k C. confeſſione.

Laus vera in dominum depromitur ore precantis,
Si quæ voce fluunt, intima cordis habent.
Non prodeſt cuiquam ſolis bona dicere verbis,
Ni pia mens habeat, quod bene lingua ſonat.
Nam fari rectè, miſerum eſt, & viuere prauè.
Damnat nota malum regula iuſtitiæ.

DE *l* VIRTVTE CHARITATIS.

l C. dilectione Dei & proximi.

m Charitas Dei & proximi propria & n ſpecialis virtus eſt piorum atque ſanctorum: cum cæteræ virtutes & bonis & malis poſſint eſſe communes. 7.

m C. Dilectio.
n ſpiritalis.

Plurima ſanctorum bona ſunt communia multis,
Et quiddam recti conſtat ineſſe malis.
F Sed pia pars ſummæ tendens virtutis ad arcem,
Omne operum meritum *o* vincit amore Dei:
Quo pariter quemcunque hominum ſic diligit, vt ſe,
Hoc optans alijs, quod cupit ipſe ſibi.
Vnde iſtis geminis virtutum qui caret alis,
Cœlorum ad regnum, non habet, vnde volet.

o C. naſcit.

DE DOCTRINA APOSTOLICA.

8. *Doctrina apoſtolica tam ſalubris p tamque vitalis eſt, vt pro capacitate viuentium neminem ſui relinquat exortem. Quia ſiue ſint paruuli, ſiue magni, ſiue infirmi, ſiue fortes, habent in ea & vnde alantur, & vnde ſatientur.*

p C. atque

Exueret Deus vt terra caligine mundum,
Doctrinæ accendit lumen apoſtolicæ:
Quæ nullis animis, nullis non congruit annis,
Lacte rigans pueros, pane cibans validos.
Non tempus, non *q* ſexus huic, non cauſa reſiſtit,
Omnes curat, alit, iuſtificat, vegetat.
G Sumite quæ magnæ appoſuit ſapientia menſæ,
Et varijs paſci diſcite delitijs.
Quarum pars, totum eſt epulum, quo quiſque iuuatur.
Inde capit vitam, quam parit vna fides.

q aliàs ſenſus.

DE QVÆRENDO DEO.

9. *Deum quærens, gaudium quærit: ſe ergo quærat, vt non in ſe, ſed in domino gaudeat. Accedendo enim ad Deum, illuminatur ignorantia & corroboratur infirmitas, data ſibi & intelligentia qua videat, & charitate qua ſeruiat.*

Scire Deum cupiens, gaudere, & viuere quærit,
Si verum & ſummum norit amare Deum,
Cui tribuat, quicquid rectè ſapit, optat, agitque:
Et ſine quo carnis gloria puluis erit.
Non ergo in quoquam ſua munera deſerit autor.
Perque ſuum dominus ſe manifeſtat opus.
Inque illis habitat diues penetralibus hoſpes,
Quæ gaudent hoc *r* ſe, cuncta quod ipſe dedit,

r C. ſe compta.

DE FASTIDIO SPIRITALI.

10. *Sicut corpori noxium eſt, corpoream eſcam non poſſe percipere: ita animæ periculoſum eſt, ſpiritales delitias faſtidire.*

Vt perdunt propriam mortalia corpora vitam:
Si nequeunt eſcas ſumere corporeas:
H Sic animæ, niſi delitijs rationis alantur,
Dum verbi æterni pane carent, pereunt.
Nam quid erit, quod dira procul faſtidia pellat,
Cùm ſe ipſo refugit mens ſaturare Deo?

DE MALORVM ET BONORVM FINIBVS.

11. *s Nunquam multi ſunt, qui ad non eſſe tendunt. Quid enim tam obnoxium paucitati, quam quod eſt debitum perditioni?*

s C. nonnunquam.

Eſſe

A

Eſſe Deo verum,& proprium eſt;cui quiſquis adhæret,
Aeternæ in regni lumine ſemper erit.
Nam qui iuſtitiam ſpernunt, non eſſe laborant,
Inque nihil tendunt,& nihil eſſe queunt,
Non ergo illorum poterit pars multa videri,
Quorum in ſanctorum nullus erit numero.
Sed verè magni,& multi ſine fine manebunt,
In Chriſto, quorum gloria perpes erit.

DE TRANQVILLITATE VLTIONIS DEI.

12. *Non concupiſcit Deus pœnam reorum, tanquam ſatiari deſiderans vltione. Sed quod iuſtum eſt, cum tranquillitate decernit,& recta voluntate diſponit:vt etiam mali non ſint inordinati.*

Nulla Deum oblectat miſerorum pœna reorum,
Nec ſcelerum vindex ira mouet placidum.
Omnipotentis enim recta & tranquilla voluntas,
Quicquid decerni conuenit, hoc ſtatuit:
B
Vt nullis pateat regis cenſura querelis,
Cùm iuſtè accipiet debitus ordo *a* reos.

a C. malos.

DE BONO INTELLECTV.

13. *Bonum intellectum habet, qui quod faciendum rectè intelligit, facit. Alioqui talis eſt ſine opere intelligentia, qualis eſt ſine timore ſapientia: b cum initium ſit ſapientiæ timor Domini.*

Pſal. 110.
b C. cum ſcriptum ſit initium s. t. d.

Scriptorum domini plenè videt omne profundum,
c Implet qui factis cognita verba pijs.
Nam nimis *d* a cenſu doctrinæ deuius errat,
Si, quæ curauit ſcire, fugit facere.

c Qui factis impleti. C.
d C. a ſenſu.

DE REQVIE ADHVC IN CARNE VIVENTIS.

Habet etiam in hac vita requiem ſuam anima, quæ de morte infidelitatis exempta eſt: f & non ab operibus iuſtitiæ, ſed ab iniquitatis ſe abſtinet actione. Vt viuens Deo, & mundo mortua, in humilitatis & manſuetudinis placida tranquillitate requieſcat.

e C. etiam
14.
f C. quæ

Eſt & in hac vita *g* requies multis data ſanctis,
Quorum animas mundus non tenet occiduus:
Quos deſiderijs nullis peritura fatigant,
C
Et quibus omne bonum eſt Chriſtus,& omnis honor:
Vtuntur terra, vt cœlo, fugientia temnunt:
Quod credunt, quod amant, quod cupiunt, Deus eſt.

g C. multis requies.

DE *h* VOVENDO DEO.

h Bene vouendo.
15.

Quiſquis benè cogitat, quid Deo voueat,& quæ vota perſoluat, ſeipſum voueat,& reddat. Hoc exigitur, hoc debetur: imago Cæſaris, reddatur Cæſari: imago Dei, reddatur Deo. Sed ſicut videndum eſt, quid,& cui offeras: ita etiam conſiderandum eſt, vbi offeras. Quia veri ſacrificij extra catholicam eccleſiam locus non eſt.

Lucæ 20.

Quid voueat domino, quiſquis bene corde volutat,
Ipſum ſe totum præparet,& voueat,
Maior enim *i* offerri nequit hoſtia mentis in ara,
Nec Chriſti ex templo ſuauior exit odor,
Quam cum homo caſtorum profert libamina morum,
Et de virtutum munere ſacra litat.
Sic tamen, vt nouit, qui reddit vota Tonanti,
Vnum diuinis cultibus eſſe locum
In toto mundo, quem vera eccleſia præbet,
Et ſine quo nullum iuſtitiæ eſt meritum.

i Nequit offerri C.

D

DE IVSTITIA ET GRATIA.

16. *Duæ ſunt retributiones iuſtitiæ, cum aut bona pro bonis, aut mala redduntur pro malis. Tertia eſt retributio gratiæ, cum per regenerationem remittuntur mala,& retribuuntur bona: atque ita manifeſtatur, quia vniuerſæ viæ domini miſericordia & veritas. Illam autem impiorum retributionem, qua pro bonis mala k reſtituunt, Deus neſcit: l qui niſi retribueret bona pro malis, non eſſent, quibus retribueret bona pro bonis.*

Pſal 24.
k C. reſtituuntur.
l C quia

Iuſtitiæ merces gemina eſt, vel cùm bona rectis,
Vel prauis dignè cùm mala reſtituit.
Saluatrix autem cunctorum gratia Chriſti,
Non penſans meritum, diluit omne malum:
Credenteſque omnes renouans baptiſmate ſacro,
Dat bona, quæ poſtea det meliora bonis.

E

DE SVPERNÆ PATRIÆ CIVIBVS.

17. *Omnis, qui ad ſupernam pertinet ciuitatem, peregrinus eſt mundi:& dum temporali viuitur vita, in patria viuit aliena: vbi inter multa fallacia,& multa illecebroſa Deum noſſe,& amare paucorum eſt, quibus præceptum domini a ſit lucidum illuminans oculos, vt nec in Dei, nec in proximi charitate fallantur.*

Pſal. 18.
a C. fit.

Cœleſtem ad patriam Chriſto redimente vocatus,
Vitam *b* labentis temporis hoſpes agit:
Dumque ad promiſſam requiem nunc per ſua tendit,
Mundanæ patitur multa pericla viæ:
Quæ nunc obſeſſa aduerſis, nunc plena ſecundis,
Aut frangit trepidos, obligat aut dubios:
Inter quos laqueos currentem ad gaudia *c* vitæ
Non capiet mundus, cui via Chriſtus erit.

b præſentis.
F
c vera C.

DE CARNIS CVPIDITATE VINCENDA.

18. *Nemo eſt, cuius animum corruptibile corpus,& inhabitatio terrena non aggrauet. Sed annitendum eſt, vt cupiditates carnis, ſpiritus vigore ſuperentur:& interior homo, qui ſibi ſemper ſentit reſiſti, ſemper ſe diuino d expectet auxilio adiuuari.*

d C. expectat.

Nulla anima eſt, quæ non mortali carne grauetur,
Nec *e* quæ corporea conditione gemat.
Sed confirmare inualidam,& frenare rebellem,
Legitimum & proprium eſt mentis opus dominæ.
Quæ *f* vis naturæ, vt moderamine temperet æquo,
Et ſubdat ſceptris noxia quæque ſuis,
g Auxilium à domino,& vires petat, vt valeat ſe
Vincere, nec ſenſus incitet ipſa ſuos.
Nam *h* nullus famulæ poterit compeſcere motus,
Ni fuerit Chriſti ſemper amore potens.

e C. de
f C. ius
g C. A domino auxilium.
h C. nullius.

G

DE ANGVSTA VITÆ VIA.

19. *Anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam. i Et tamen per ipſam, niſi dilatato corde non curritur: quia iter virtutum, quo gradiuntur pauperes Chriſti, amplum eſt fidelium ſpei, etiam ſi arctum ſit infidelium vanitati.*

i C. æternam

Arcta via eſt, verè quæ ducit ad atria vitæ,
Nec recipit carnis gaudia mentis iter.
Amplis incedit ſpatijs terrena voluptas,
Anguſto virtus limite celſa petit.
Et tamen hi calles, quos mundi vana paueſcunt,
Quædam magnificis æquora ſunt animis.
Difficiliſque nimis per dura, per *k* ardua greſſus,
Commendat fidei, quod tolerare iuuat.

k aſpera.

DE PRÆMIO RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

20. *Hoc affectu,& deſiderio colendus eſt Deus, vt ſui cultus ipſe ſit merces. Nam, qui Deum ideo colit, vt aliud magis quam ipſum promereatur, non Deum colit, ſed id quod aſſequi concupiſcit.*

Hac deſiderij Deus eſt pietate colendus,
Iuſtitiæ vt merces tota ſit ipſe Deus.
H
Nam ſperans alio ſe munere poſſe beari,
Non, *l* quod poſcit, amat: ſed quod habere cupit.

l C. quem.

DE OCCVLTIS NON IVDICANDIS.

21. *De occultis cordis alieni temerè iudicare peccatum eſt: & eum, cuius opera non videntur, niſi bona, reprehendere ex ſu-*

A *ſpitione, iniquum eſt, cum eorum, quæ homini ſunt incognita, ſolus Deus iudex ſit iuſtus, qui & inſpector eſt verus.*

Culpare in quoquam, quæ non ſunt nota, malignum eſt,
Præſertim, quæ ſunt cognita, ſi bona ſunt.
Non pateant faciles ſæuis rumoribus aures,
Quæ neſcire iuuat, credere non libeat.
Linquantur ſecreta Deo: qui, ſi quid opertum eſt,
Inſpicit, & nullis indiget indicijs.

DE ADIVTORIO DEI.

22. *Diuini eſt muneris, cùm & recta cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & iniuſtitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur.*

B

Non dubiè noſtri Deus eſt & rector, & autor,
Cùm toto affectu, quæ bona ſunt, gerimus.
Ex operum ſpecie clarebunt intima cordis:
a Quive hominis mentem ſpiritus intus *b* alit.
Sanctus enim ſanctos facit: & de lumine lumen
Exoritur: nullus fit bonus abſque *c* Deo.

a C. Quilue. *b* agnt. *c* C. bono rect.

DE PASSIONIBVS SANCTORVM.

23. *Iuſto iudicio Dei datur plerunque peccatoribus optata poteſtas, qua ſanctos ipſius perſequantur, vt qui ſpiritu Dei d viuantur & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores.*

d C. viuũt

Quod plerunque mali in ſanctos ſæuire ſinuntur,
Quodque bonis praui ſæpe nocere queunt,
Abſque Dei nutu non fit, qui corda ſuorum
His etiam bellis glorificanda probat.
Creſcunt virtutum palmæ, creſcuntque coronæ,
e Mutantur mundi prælia pace Dei.

e Vincuntur al. Temnuntur.

DE SCIENTIA BONI.

24. C *Non eſt vera ſcientia boni, niſi ad hoc comprehendatur, vt agatur. Non enim vtiliter meditatur legem Dei, qui laborat vt memoria teneat, quod actione non implet.*

Scit legem, docteque tenet iuſſa omnipotentis,
Qui quod nouit agens, diligit id quod agit.
Non ſatis eſt domini præceptum voluere lingua,
Is meminit legis, qui memor eſt operis.

DE AMORE LEGIS.

25. *Qui legem Dei diligit, probat ſe in f omnibus iniquis id, quod quod contra legem eſt, odiſſe, non homines.*

f C. hominibus.

Legem ſpernentes odit cùm legis amator,
Non homines odit, ſed reprobat quod agunt.

g DE SCRVTANDIS MANDATIS DEI.

g C. obſeruandis.

26. *Mandata Dei ſcrutari, niſi quieta mens non poteſt. Vt ergo religioſum exerceatur ſtudium, h abigenda ſunt iurgia malignorum.*

h C. abijcienda.

Scrutari legem poſſunt vtcunque quieti,
Si mundi *i* à ſtrepitu libera corda vacent.
Vt mens ergo pijs ſtudijs intenta iuuetur,
k Prælia diuinus carnea vincat amor.
Nam templum domini per ſacra ſilentia creſcit,
Et tacitè *l* ſtruitur non ruitura domus.

i C. ab. *k* iurgia. *l* C. inſtruitur.

D

DE PROFICIENDO.

27. *Nemo tam eruditus, nemo tam doctus eſt, qui ſuperna illuſtratione non egeat. Non enim ita vlla diuinorum bonorum augmenta ſufficiunt, vt non ſemper ſuperſit, quod mens rationalis & intelligendum deſideret & gerendum.*

Doctrinæ domini penetralia tempore in iſto,
Ad plenum nulli peruia ſunt homini.
Semper enim ſanctis apereſt, quo creſcere poſſint,
Et perfectorum gloria, principium eſt.

E

Virtutem virtus pariat, de lumine lumen
Prodeat, atque omnis palma gradum faciat.
Nam cur non cupidè mens quærat, quæ Deus offert,
Cui, dando vt rectè poſceret, ipſe dedit?

DE DVPLICI OPERE DEI.

28. *Si omnes homines ſimul conſideremus, quorum alij miſericordia ſalui ſiunt alij veritate damnantur: vniuerſæ viæ domini, id eſt, miſericordia & veritas, ſuo fine diſtinctæ ſunt. Si autem ſolos ſanctos intueamur, non diſcernuntur hæ viæ domini. Indiuidua enim ibi eſt & à miſericordia veritas, & à veritate miſericordia: quia beatitudo ſanctorum & de munere gratiæ eſt, & de retributione iuſtitiæ.*

Omnibus in rebus geminum eſt opus omnipotentis,
Totum *m* iuſtitia eſt quod gerit, aut pietas:
Quæ ſimul in *n* terris deſcendunt lucis ab arce,
Ne cuiquam parti deſit vtrunque bonum.
Et quoniam cuncti auxilio miſerantis egemus,
Præcedit ſemper gratia iuſtitiam,
Damnantem elatos, ſaluantem iuſtificatos,
Quos Deus & donis auxerit, & meritis.

m C. aut. *n* terras C.

F

DE OBSERVANTIA PACIS.

29. *Chriſtianæ perfectionis eſt, pacificum eſſe, etiam cum pacis inimicis ſpe correctionis, non conſenſu malignitatis: vt ſi nec exemplum, nec cohortationem dilectionis ſequantur, cauſas tamen non habeant, quibus odiſſe nos debeant.*

Moribus in ſanctis pulchra eſt concordia pacis,
Cùm multis vnum conuenit, atque placet.
o Sed pra nimium hoc toleranda modo ſunt fœdera amoris,
Vt ſolis pax hæc ſit tribuenda bonis.
Iniuſtis etiam præſtetur iuſta voluntas.
Nec quenquam ſpernant vota benigna hominem.
Non, vt amicitiæ vitijs ſocientur iniquis,
Adſit ſed prauis vt medicina animus.
Quæ ſi pace ſua non ſedat turbida corda,
Nobis non poſſit noſtra perire quies.

o C. Nec tamen hoc cohibenda modo. *p* tamen hæc cohibenda modis.

G

DE CVSTODIA DEI.

Cuſtodit nos dominus ab omni malo, non † vt nihil patiamur aduerſi, ſed vt ipſis aduerſantibus anima non lædatur. Cum enim q tentatio adeſt, fit quidam in id quod nos impugnat introitus:
30. *& cum bono fine, id eſt, ſine vulnere animæ tentatio conſummatur, ad æternam requiem de profundo temporalis laboris exitur.*

† C. ita add. *q* C. noſtro add.

Sæpe quidem dominus ſic cuncta aduerſa repellit,
Vt nullo attingi vulnere poſſit homo:
Sed mirabilior tunc eſt manus omnipotentis,
Illæſa afflictum cùm mala non ſuperant.
Laudetur cultos, virtutem dans toleranti,
Intima corrumpat ne furor exterior.
Nam non certanti nulla eſt ſperanda corona.
Palmam, qua capitur gloria, finis habet.

DE ADIVTORIO DEI.

31. *Ad cæleſtis Hieruſalem conſortium non aſcendunt, niſi qui toto corde r profitentur, non proprij operis ſed diuini eſſe muneris quòd aſcendunt.*

r C. confitentur.

Cæleſtem ad patriam tendens cognoſce vocantem.
Cuius proueheris, ſi bene curris, ope.
Nam ſi te virtute tua ad cæleſtia credis
Scandere, de ſuperis pulſus ad ima *s* cades.

H

s ruis. C. cadis.

DE ODIIS MVNDI IN CHRISTIANOS.

32. *Omnes, qui in Chriſto volunt piè viuere, neceſſe eſt, vt ab impijs, & diſſimilibus patiantur opprobria: & deſpiciantur tanquam ſtulti, & inſani, qui præſentia bona perdant, & inuiſibilia ſibi, ac futura promittant. Sed hæc deſpectio, & hæc irriſio in ipſos retorquebitur, cum & abundantia eorum in egeſtatem, & ſuperbia tranſierit in confuſionem.*

Impia

A Impia pars mundi pacti eſt infeſta piorum.
Nec tolerare poteſt diſſimiles animos:
Ridens nolentes opibus præſentibus vti,
Sperantesque ſibi credita poſſe dari.
Sed ſpernenda hæc ſunt populis opprobria ſanctis,
Quæ ſtulte faciunt corda aliena Deo.
Nam ſpes noſtra ex hoc viſu fit certior omni.
a C. eſt. Quod ſpondens, quicquid credimus, a hoc Deus eſt.

DE PATIENTIA FIDELIVM.

33. *Tota fidelium ſalus, tota patientia fortitudo ad eum, qui in ſanctis ſuis eſt mirabilis referenda eſt: quia niſi in illis Deus eſſet, furori impiorum fragilitas humana ſuccumberet.*

Cum conſtans anima aduerſis non frangitur vllis,
Et fidei virtus intemerata manet,
Nouit inesse ſibi dominum patientia fortis,
Inque eius donum, quod ſteterit, referat.
Nam quod non cecidit, propriis ſi viribus aptat,
B Hoc ipſo, quo ſe ſtare putat, cecidit.

DE OBSEQVIIS DEBITIS.

34. *Ita & à plebibus principes, & à ſeruis Domini ſunt ferendi, vt ſub exercitatione tolerantiæ ſuſtineantur temporalia b ſperentur æterna. Auget enim c meritum virtutis, quod propoſitum non violat religionis.*

b C. & add.
c C. meritum.

Reddendum eſt, quicquid mundi bene poſtulat ordo,
Propoſitumque piæ non violat fidei.
Mitibus, & ſaeuis nulla eſt ſpernenda poteſtas:
Acquum ſerure eſt regibus, & dominis:
Vt Chriſti famulis ad verum proſit honorem.
Dilexiſſe bonos, & toleraſſe malos.

DE TOLERANDA VARIETATE MVNDANA.

C
35. *Recti corde de præceptis Dei, & d conſtitutionibus non queruntur: quia iuſtum eſt æquanimiter omnia accipi, quæ iudicaturus voluit e tolerari.*

d C. de conſtitutionibus mundi non.
e C. tolerare.

Dum mutabilium decurrunt tempora rerum,
Dumque ſuis mundus motibus atteritur,
Rectum eſt aduerſa pati, & tolerare modeſtè,
Nec querula in quoquam voce mouere Deum.
Cuius iudicio nulli parcetur iniquo,
Et perpes iuſtos gloria ſuſcipiet.

DE AEDIFICATIONE DOMVS DEI.

36. *Omnis ſancti ædificij ſtatus, ſicut Deo cooperante proficit, ita Deo cuſtodiente conſiſtit. Quoniam tunc vtilis præpoſitorum cuſtodia eſt, cum ſpiritus Dei populo ſuo præſidet, & non ſolum greges, ſed etiam ipſos dignatur cuſtodire paſtores.*

Dum lapides viui pacis compage ligantur,
Inque pares numeros conuenit vna domus:
Clares opus domini, qui totam conſtituit aulam,
Effectumque piis dat ſtudiis hominum.
Quorum perpetui decoris ſtructura manebit,
Si perfectè autor protegat, atque tegat.

DE AETERNIS GAVDIIS.

D
37. *Æterna ciuitatis, æterna ſunt gaudia, & ſtantium dierum perpes infinitas nec variabitur, nec labetur: quia incommutabili pace potientur, quorum omnium erit bonum, quod fuerit etiam ſingulorum.*

Semper erunt, quod ſunt, æternæ gaudia vitæ,
Gaudendi quoniam cauſa erit ipſe Deus.
Nec varios pariet motus diuerſa voluntas.
Vnum erit in cunctis lumen, & vnus amor,
Inque bonis ſummis poſita experientia fœlix,
Nec volet augeri, nec metuet minui.

DE LEGE CHARITATIS.

38. *Lex Chriſti perfectio charitatis eſt, qua Deus proximusque diligitur: & per quam dicitur conditori legis: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Bene enim expectat promiſſionem Dei qui mandatum eius exequitur: nec fruſtra ſperat parcendum i peccatis ſuis, qui ignoſcit alienis.* i C. eſſe add.

Verus amor Chriſti vera eſt cuſtodia legis,
Et mandata Dei complet amans homines:
Quorum ignoſcentes culpis iua crimina ſoluunt,
Quodque aliis tribuunt, hoc ſibi proſpiciunt.
Dei peccatori veniam peccator, & æqua
Conciliet dominum conditione ſibi.
Cuius iudicium de noſtro examine pendet,
Quod ſerimus metimus, quod damus accipimus.

DE IVSSIONIBVS DEI.

Nihil Deus iubet, quod ſibi proſit, ſed illi cui iubet. Ideo verus eſt dominus, qui ſeruo non indiget, g & quo ſeruus indiget. 39.
g C. ſed

Non ideo quicquam mandat Deus, vt ſibi proſit,
Nec ſerui officio verus eget dominus.
Cuius præceptis augetur, qui famulatur,
F Fitque minor, quiquis negligit imperium.
Nam Deus omnipotens, ſimul omnitenens, que poteſtas
h Nil perdit propriis, nil i capit officiorum.
Nunquam nó habuit quod habet, dans quicquid haberi
Proderit, & ſumens non mit quod dederit.

h Ipſe ſibi ſummum perpetuùſque bonũ.
i habet.
k C. de ſcriptura Dei præſcientia.

k DE TEMPORALI SCIENTIA.

40. *Id quod in tempore nouum eſt, non eſt nouum apud Deum, qui condidit tempora, & ſine tempore habet omnia, quæ ſuis quibuſque temporibus pro eorum varia æate diſtribuat.*

Inſolitum ſi quid labentia tempora promunt,
Hoc mirum mundus dicit, habetque nouum.
Sed rerum autori nullus non cognitus ordo eſt,
Cernenti quicquid ſecula cuncta ferunt.
Quæ non incerto voluunt magna agmina motu,
Sed ſub iudicio ſtantque manentque Dei:
G Vt nihil exiſtat naturæ in partibus vllis,
Quod non ille ſuo temperet arbitrio.

DE PROVIDENTIA DEI.

41. *Mutabilium diſpoſitionem immutabilis ratio Dei continet, vbi ſine tempore ſimul ſunt, quæ in temporibus non ſimul ſunt: quia tempora non ſimul currunt.*

Lex æterna Dei ſtabili regit omnia nutu,
Nec mutat vario tempore conſilium.
Vtq; locis præſens ſimul eſt Deus omnibus vnus,
Sic l rerum metas ſecum habet, & numeros. l C. æui.
Nec lerom, aut properum ſibi ſentit in ordine rerum,
Cui cuncta aſſiſtunt acta, & agenda ſimul.

DE IMPVNITATE PECCANTIVM.

42. *Nihil eſt infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hoſtis interior roboratur.*

Qui ſe peccatis gaudet fœliciter vti,
Infœlix nimis eſt proſperitate ſua.
Dumque capit miſeros effectus praua voluntas;
A vera ſemper luce fit exterior.
Sumens peſtifera de conſuetudine robur,
H Et ſua complectens vincula mortis amor.
Deficiant potius vana oblectamina mundi,
Subdantque pio colla domanda iugo.
Inque putres fibras deſcendat cura medentis,
Vt m blandum morbum pellat amica ſalus. m Cauſat morbis C.

DE LEGIS LITERA.

43. *Legis litera, quæ n dicit non eſſe peccandum, ſi ſpiritus viuificans deſit, occidit: o ſcire enim peccatum facit potius, quàm cauere. Et ideo magis augeri, quàm minui: quia malæ concupiſcentiæ etiam præuaricatio legis accedit.*

n C. docet
o C. ſciri

A Index peccati lex eſt, plectenda vetando,
Quæ, non cor mundet ſpiritus, intermit.
Nullus enim eſt inſons ſola formidine pœnæ,
Qui ſanctum & iuſtum non amat imperium.
Hunc tamen effectum non lex, ſed gratia confert:
Quodq́ue iubet legis litera, velle facit.

DE LEGE ET GRATIA.

44. *Lex data eſt, vt gratia quæreretur, & gratia data eſt, vt lex impleretur. Neque enim ſuo vitio non implebatur, ſed vitio prudentiæ carnis: quod vitium per legem demonſtrandum, per gratiam ſanandum fuit.*

Non ſeruit iuſſis legis prudentia carnis,
Peccati ſtimulos nec ſuperare poteſt.
B Sed qua mens anceps patitur mala corporis ægri,
Quærere diuinum cogimur auxilium.
Lex igitur facit, vt poſcatur gratia Chriſti,
Ardua qua legis iuſſa queant fieri.
a C. carnali. b ſenſum. Nec iam non valeant a carnales vincere b ſenſus,
Quos iuſtè legis conditor ipſe iuuat.

DE PROMISSIONE DEI.

45. c C. hoc quod promittit Deus ipſe facit. c *Hoc promittit Deus, quod ipſe facit. Non enim ipſe promittit, & alius facit: quod iam non eſt promittere, ſed prædicere. Ideo non ex operibus, ſed ex vocante, ne ipſorum ſit, non Dei: & merces non imputetur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum, atque ita gratia iam non d ſit gratia.*

d C. fit add. e C. Quæ. e Quod Deus omnipotens promittit, perficit ipſe,
Nec proprium externis viribus implet opus.
Hinc ſecura fides ſperat, quod credit, amatq́ue
f C. & C Autorem, qui quod ſpondet, f id efficiet.
Nam, ſi quæ dominus promittit, non operatur,
Sed ſolum humanum prævidet arbitrium:
C ſunt. ed p. v. Non hæc dona eius, ſed g ſunt prædicta vocanda,
Ceu quiſquam ex proprio ſit bonus abſque Deo.
Quod quia non recipit pietas, vtroq́ue repugnat,
Gratia nos reparet, gratia iuſtificet:
Quæ ſic in cunctis implet ſua dona vocatis,
Vt quorum dux eſt, fiat & ipſa comes.

DE FIDELIVM CVLPIS, ET INFIDELIVM BONIS.

46. *Sicut non impediunt ab æterna vita iuſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillime vita cuiuslibet peſſimi hominis inuenitur.*

Vt quædam tenues maculæ in ſplendore piorum,
Maior virtutum quas vacuat numerus,
Aeternæ donis nequeunt obſiſtere vitæ,
Nec meritis obſcurat grandia culpa leuis:
Sic aliquid plerumq́ue boni pars impia geſtat,
Magni mole mali quod facile obruitur.
g C ſanctè n. c. d. Nec prodeſt quiddam recti ſapuiſſe malignis,
Si verum g & ſummum non coluere Deum.
Vna fides igitur, ſpes vna eſt, atque amor vnus,
Quo fiat iuſtus, ſitq́ue beatus homo.
D Nam bona, quæ prauis naturæ ex dote ſuperſunt,
Augent peccati pondera, non minuunt.

DE MALÆ VOLVNTATIS EFFECTV.

47 h C. Dum h *Cum voluntas mala poteſtatem accipit efficiendi quod cupit, ex iudicio Dei venit, apud quem non eſt iniquitas. Punit enim etiam iſto modo, nec ideo iniuſtè quia i occultè. Cæterum iniquus puniri ſe ignorat, niſi cum manifeſto ſupplicio ſenſerit nolens, quantum mali ſit, quod perpetrauit volens.*

i C. facit add. Cum datur iniuſto peccandi optata poteſtas,
Vt mala mens, prauè quod cupit, efficiat,
Ira Dei magna eſt, qua multos ſic quoq́ue punit,
Vt quibus exultant, criminibus pereant.
E Creſcit enim occultè cum longo pœna reatu,
Auſibus illicitis ſi nihil obſtiterit.
Et magis, erranti ne parcant flagra, timendum eſt,
Quàm ne non fiat, quod voluiſſe nocet.

DE SVPERBIA.

Omnia vitia in malefactis tantummodo valent, ſola ſuperbia etiam in k rectè factis cauenda eſt. 48. k C. rectis

Omne genus vitij proprio tantum valet actu,
Et peccata ſuam quæque gerunt ſpeciem,
Sola eſt innumeris armata ſuperbia telis,
Cui poſſunt vires, & bene geſta dare.

DE IMPARI VSV FORTVNÆ.

F
Intereſt plurimum, qualis ſit vſus, vel earum rerum quæ proſpera dicuntur, vel earum quæ dicuntur aduerſa. Nam bonus l temporalibus nec bonis extollitur, nec malis frangitur. Malus autem m ideo huiuſmodi infelicitate punitur, n quia felicitate corrumpitur. 49. l C. homo add. m C tam n C. qua.

In rebus mundi non idem eſt omnibus vſus,
Nec cuncti paribus cuncta ferunt animis.
Namq́ue bonos non blanda inflant, non aſpera frangũt:
Sed fidei inuictæ gaudia vera iuuant.
Terræ autem, & fœni breuiter florentis amator,
Seu caret optatis, ſeu fruitur, miſer eſt.

DE MORTE SANCTORVM.

Mala mors putanda non eſt, quam bona vita præceſſerit. Non enim facit malam mortem, niſi quod ſequitur mortem. Non itaque multum curandum o neceſſariò morituris, quid accidat vt moriantur, ſed, moriendo quo ire cogantur. 50. o C. eſt hominibus add.

Cuncta bonis proſunt, quos & mors ipſa beatos G
Efficit, vt ſumant præmia principium.
Ille igitur finis malus eſt, quem pœna ſequetur,
Et qui perpetuæ porta doloris erit.
Non quo p abſumuntur lachrymæ, cunctiq́ue labores, p abſumũtur, abſumentur. C. roſt.
Vt veteris pereant omnia ſigna mali.

DE PVRITATE QVAM q NON PERDIT INVITVS.

q C. animus add.

Ita non amittitur corporis ſanctitas, manente animi ſanctitate, etiam corpore oppreſſo: ſicut amittitur ſanctitas corporis, violata animi puritate, etiam corpore intacto. 51.

Mens illæſa nihil violato r corpore perdit, r C. in add
Inuitam carnis vulnera non maculant.
Nec crimen facti recipit non mixta voluntas,
Velle magis facinus, quàm tolerare nocet.
Sic autem ad cordis penetralia cuncta recurrunt,
Vt plerunque animus ſit ſine carne Deus.
s Dum, quod ab intacto t femineum eſt corpore, ſolus s C. Cum t C. ſubmotum.
Concipit, & tectis motibus intus agit.

DE u FORTITVDINE TOLERANTIÆ.

u C altitudine.

Maior animus meritò dicendus eſt, qui vitam ærumnoſam magis x poteſt ferre, quàm fugere: & humanum iudicium, maximeque vulgare, quod plerunque caligine erroris inuoluitur, y præ conſcientiæ luce, ac puritate contemnere. 52. x C. eng: H y C. pure

Qui valet aduerſis oneratam ducere vitam,
Et tolerare magis vult mala, quàm fugere,
Maioris multo eſt animi, quàm ferre paueſcens
Indocti iniuſtum iudicium populi.
Mens etenim recta, & puris ſibi conſcia cordis
Hoc plùs ſplendeſcit, quo magis atteritur.

DE z HVMILITATE IVSTORVM.

z C. vtilitate.

Iuſtis quicquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non 53.

pœna

A

pœna eſt criminis, ſed virtutis examen. Nam bonus etiamſi ſeruiat, liber eſt. Malus autem etiamſi regnet, ſeruus eſt, nec vnius domini, ſed quod eſt grauius, tot dominorum, quot vitiorum.

Oppreſſis quoties iuſtis dominantur iniqui,
  Non eſt puniti ſupplicium meriti.
Sed virtus fidei ſub tali examine creſcit,
  Nec ſeruile grauat libera corda iugum.
Solus peccator *a* malè ſeruit, qui licet amplo,
  Vtatur regno, ſat miſer eſt famulus:
Cum mens carnalis, nimium dominante tyranno,
  Tot ſeruit ſceptris, dedita quot vitijs.

a ſeruit malè.

DE OBLATIONE VOTORVM.

54. *Nemo quicquam domino rectè voueret, niſi ab ipſo acciperet, quod voueret.*

Optima vota Deo, quorum eſt dator ipſe, vouentur.
  Hoc iuſtum dignum eſt ire, quod inde venit.

DE ESSENTIA DEITATIS.

55. *Omnis ſubſtantia, quæ Deus non eſt creatura eſt: & quæ creatura non eſt, Deus eſt. Nulla igitur differentia eſt in deitate Trinitatis, quoniam quod Deo minus eſt, Deus non eſt.*

B

Natura omnipotens vna eſt, quæ cuncta creauit,
  Et propriè quod ſunt, omnibus eſſe dedit.
Quidque Deo minus eſt, non eſt Deus, à patre natum
  Verbum, & qui amborum ſpiritus eſt, Deus eſt.
Vna eademque trium quoniam eſt eſſentia, quæ ſe
  Nunquam vel maior, vel minor eſſe poteſt.

QVALES NOS *b* DILIGAT DEVS.

b C. Deus amet.

Tales nos amat Deus, quales futuri ſumus c ipſius dono: non quales d ſumus noſtro merito.

c C. eius
d C. nos add.

56. Tales à domino, quales formamur, amamur:
  Non quales noſtris extitimus meritis.
Sanctificet, doceat, plantet, riget, excolat, ornet.
  Et ſibi perpetuò, quod placeat, faciat.
Nam nihil eſt hominis, quod dignè poſſit amari,
  Perficiat proprium ni bonus autor opus.

C

DE INTEMPORALI OPERE DEI.

57. *Ordo temporum in æterna Dei ſapientia ſine tempore eſt, nec aliqua ſunt apud illum noua, qui fecit, quæ futura ſunt.*

Artifice in ſummo ſine tempore temporis ordo eſt,
  Inque Deo rerum non variat ſeries.
Aeterno autori ſimul adſunt omnia ſemper,
  Cum quo in factorum eſt ordine, quicquid erit.

DE PRINCIPALI RERVM OMNIVM CAVSA.

58. *Voluntas Dei eſt prima, & ſumma cauſa omnium corporalium, ſpiritualiumque motionum. Nihil enim fit viſibiliter at ſenſibiliter, quod non de inuiſibili, atque intelligibili ſummi imperatoris aula aut iubeatur, aut permittatur, ſecundum ineffabilem iuſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum, & retributionum in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam immenſaque republica.*

D

Principium *d* Deus eſt mundi, quo cuncta mouentur,
  Et quæ permittit, vel iubet autor, *e* agit.
Hinc mutabilium rerum non mutabilis ordo,
  Aeterni ſeruit legibus artificis.
Inque ſuos fines procedit quæque voluntas,
  Nec varijs meritis arbiter æquus abeſt,
Corda regens, vires tribuens, peccata remittens,
  Mitis ſubiectis, implacidus tumidis.
Vt nec pœna malum quenquam, nec gloria iuſtum
  Suſcipiat, niſi cum laude & honore Dei.

d C. mundi Deus eſt q.
e C. agunt add.

E

DE FINIBVS BONORVM MALORVMQVE.

59. Scire volens, in qua rerum ſis parte locandus,
  Diſcute, quid timeas, quidue ſit id quod amas.
Nam cuncti hoc gemino naſcuntur fomite motus,
  Reſpondentque ſuis germina principijs.
Et quod quiſque bonum ſibi tempore duxit in iſto,
  Hoc ſummi regis iudicio capiet.
Angelicos ciues *f* & Chriſti in membra renatos,
  Non trahat ad veterem carnis origo hominem.
Multa quidem in noſtros mundus bona procreat vſus,
  Et pleno tellus ſeruit opima ſinu.
Sed terræ hoſpitibus, cœli ſuper aſtra vocatis,
  Virtutis palma eſt ſpernere blanda ſoli:
Et ſic præſentis ſpatium percurrere vitæ,
  Ipſa peregrinis ne via ſit laqueus.
Nam declinantes pro ſummis ferre laborem,
  Terrenorum auidos infima ſuſcipient.

f C. ad Chriſti m. r.
Hic eſt nonum epigr. in C.

F

DE INEFFABILI EXCELLENTIA *g* DEITATIS.

g C. Dei.

60. *Excedit ſupereminentia deitatis non ſolum h vſitati eloquij noſtri, ſed etiam intelligentiæ facultatem. Verius enim cogitatur Deus, quam dicitur, & verius eſt quàm cogitatur. Non parua autem notitiæ pars eſt, ſi antè quam ſcire i poſſumus quid ſit Deus, k poſſumus ſcire quid non ſit.*

h C. vſitatum.
i C. poſſimus.
k C. poſſimus.

Nulla quidem mens eſt mortali in corpore viuens,
  Quæ plena videat cognitione Deum,
Sed miris operum ſignis oſtenditur autor,
  Rectoremque ſuum condita *l* quæque canunt.
Vnde licet fandi vires, animique vigorem
  Vincat, & excedat gloria lauſque Dei:
Nos tamen officio cordis gaudemus, & oris,
  Et tanto oblectat ſuccubuiſſe bono.
Hinc fidei virtus, hinc flamma oritur amoris.
  Quod latet, exercet, quod ſuperat, reparat.

l C. cuncta

DE SVPERBIA DIABOLI, ET CHRISTI HVMILITATE.

G

61. *Diabolus ſuperbus hominem ſuperbientem m ſeduxit ad mortem. Chriſtus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam. Quia ſicut ille elatus cecidit, & deiecit conſentientem: ſic iſte humiliatus ſurrexit & erexit credentem.*

m C. deduxit.

Lucifer *n* immodico naturæ elatus honore
  Angelus, inde hominem ſubruit, vnde ruit.
Sed Chriſtus miſerans deceptum fraude maligni,
  In ſe illi ad vitam poſſe redire dedit,
Si caueat pactis hoſtis ſeruire ſuperbi,
  Sectari & ſtudeat formam humilis domini.
Qui patris in deitate manens Deus omnicreator.
  Verus de ſacra virgine natus homo eſt.
Sic noſtrum aſſumens matris de corpore corpus,
  Eſſet vt aſſumptæ carnis origo Deus:
In quo per lauacrum fidei virtute renata
  Cœleſte *o* accipiet gens noua principium:
Nil hominis primi retinens, ſed plena ſecundi,
  Splendore *p* in capitis glorificanda ſui.

n immodicè.
o C. accepit.
p &

DE VERA BEATITVDINE.

H

62. *q Omnes beati habent quod volunt, quamuis non omnes qui habent quod volunt, continuò ſint beati. Continuò autem miſeri, qui vel non habent quod volunt, vel id habent quod non rectè volunt. Propior ergo eſt beatitudini voluntas recta, etiam non adepta quæ cupit, quàm praua, etiamſi quod r concupiuit ſ obtinuit.*

q C. oës qui habẽt quod volunt, non continuo ſunt beati. Cõt. a. m.
r C cupit,
ſ obtineat.

Non ſemper verè eſt fœlix impleta voluntas,
  Cùm ſæpe iniuſtis ſint mala vota animis,
Recta igitur cupiens, etiam ſi non ſit adeptus,
  Perſiſtendo tamen velle bonum, bonus eſt.
At prauus, quod fert animo, ſi non habet actu,
  Tam miſer eſt, quàm ſi, quod cupit, obtineat.

A

a QVID SIT ESSE CVM DEO.

a C. Quorum.

63. *Magna hominis miſeria eſt cum illo non eſſe, ſine quo non poteſt eſſe. In quo enim eſt ſine dubio ſine illo non eſt. & tamen ſi eius non meminit, eumque non intelligit neque diligit, cum illo non eſt.*

Maieſtate Dei concluditur omne quod vſquam eſt:
Qua ſine nil rerum ſtare, vel eſſe poteſt.
Huic homo ſi rectè famulatur, proximus hæret:
Si refugit, miſero degit in exilio.
Omnia ſic dominus diſcriminat ordine iuſto,
Quo ſint ſumma bonis, ima parata malis.

DE INCARNATIONE VERBI DEI.

64. *Diuinitas verbi æqualis patri, facta eſt particeps mortalitatis noſtræ, non de ſuo, ſed de noſtro: vt & nos efficeremur participes diuinitatis eius, non de noſtro ſed de ipſius.*

B

Omnipotens genitor, natuſque, & ſpiritus almus,
Vna in perſonis, par tribus eſt deitas:
Quæ genus humanum proſtratum fraude maligni
Ad vitam hac fecit poſſe redire via,
Naturæ vt noſtræ Chriſtus cauſæque redemptor
Mortalis fieret, non minuens quod erat:
Perque habitum ſerui, vacuaret iura tyranni,
Et lethum letho vinceret *b* innocuo.
b in meri to.
Hinc verbum carni inſertum, carnemque receptans,
Nec ſe confundit corpore, nec geminat.
Sic naturam hominis virtute augente ſuperna,
Eſſet vt in vero lumine lumen homo.
Qui vires mortis *c* per vitæ abſorbuit hauſtum
c C. quia vitæ abſorbuit hauſtu. rect.
Factum eſt æternum, quod fuit occiduum.
d Quiſquis conſilio æterno contraria ſentis,
d de eodem C.
Et verbum in noſtra carne manere negas,
Diuinæ pietatis opus diſſoluere quæris,
Speque ſua mundum diſpoliare copis.
Nam quis ventura quenquam ſaluabit ab ira?
Quiue hominis primi crimine liber erit,
Si deitas verbi non noſtræ eſt inſita carni,
C
Aut Chriſtus falſi corporis vmbra fuit?
Qui genitus puer eſt intactæ virginis aluo?
Quæ natura annis creuit, & aucta cibis?
In qua prole patrem mundi ſe credidit Abram?
Quæue eius ſtirps eſt omnia ſanctificans?
e Quod regale genus ſimul eſt & pontificale?
e C. Quis
f Quiue idem Dauid filius & dominus?
f C. Quiſue.
Peccati ſeruis, & mortis compede vinctis
Vnam eſt dignatus ferre redemptor opem.
Qui noſtri generis carnem cum morte receptans
Noſtra, hoſti, vt nobis vinceret, oppoſuit.
Et carne e aura dominantem perculit hoſtem,
Vt caperet palmam præda vetuſta nouam,

QVO ODIO ODIENDI SVNT MALI.

65. *Perfectum odium eſt, quod nec iuſtitia, nec ſcientia caret: id eſt, vt nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Recte ergo in malis odimus malitiam, & diligimus creaturam, vt nec propter vitium natura damnetur, nec propter naturam vitium diligatur.*

Recta volens animus ſapiens, & amator honeſti,
Quoſdam odio dignos iudicat eſſe ſuo.
Nec tamen hos toto depellit fœdere, gnatus
D
Naturam errantem † diuidere à vitijs.
† C. diuidit.
Sic generi indulgens proprio, vt peccata recidi
Optet, & vt damnet crimina, non homines.

DE LABORE *g* FINGENTIVM *h* MENDACIA.

g C fallentium.
h C. deeſt.

66. *Difficilia & laborioſa ſunt figmenta mendacij. Qui autem verum vult dicere, non laborat. Quietiores enim ſunt boni, quam mali: & abſolutiora ſunt verba veridicorum, quam commenta fallacium.*

E

¶ Fallaces curis ſemper torquentur amaris,
Et mala mens nunquam gaudia pacis habet:
Lubrica dum trepido mendacia plaſmate fingit,
Conſumens totum tempus in arte mali.
At ſimplex animus, commenti & liber iniqui,
Nil amat iniuſtum, nil gerit implacidum.
Sectator veri potietur luce ſerena,
Eſt quoniam mendax, noxque, dolorque ſibi.
¶ Ad patriam *i* vitę noctis de valle vocatis
i de eodem C.
Virtutum gradibus ſcandite lucis iter.
Arduus, atque arctus fert ad cœleſtia callis:
Deuexa ad mortem ducit, & ampla via:
Qua falſa a tumidi incedit ſapientia mundi,
Commentiſque ſuis ludificata ruit.
Et mala corporei ſequitur dum gaudia ſenſus
Exulat à vero lumine cæca procul.
Nec falſarum habitu virtutum ornatu iuuatur,
Perdit mens veri neſcia, quicquid agit.
F
Nouerit ergo Deum ſapiens totiſque medullis
Diligat, inque ipſo ſe quoque amator amet.
Sit bonus & iuſtus, ſit verax atque benignus,
Sit forma & ſpeculum, lux & imago Dei.
In Chriſto factus nouus, & iam carne vetuſta
Exutus, vilem mente relinquat humum.
k Vt facri templi quacunque in parte locetur,
k Et
Magnum erit, in capitis corpore quicquid erit.

DE *l* DIVINIS SCRIPTVRIS.

l C. vtilitate diuinarum ſcripturarum.

67. *Bonæ ſunt in ſcripturis m myſteriorum Dei profunditates, quæ ob hoc teguntur ne viles ſcant: ob hoc quæruntur, vt exerceant: ob hoc aperiuntur, vt paſcant.*

m C ſanctis add.

Quamuis in ſacris libris, quos noſſe laboras,
Plurima ſint lector clauſa, & opaca tibi,
Inuigilare tamen ſtudio ne deſine ſancto:
Exercent animum dona morata tuum.
Gratior eſt fructus, quem ſpes productior edit,
Vltro obiectorum vilius eſt pretium.
Oblectans adoperta etiam myſteria mentem,
Qui dedit, vt quæras: addet, vt inuenias.

DE ORATIONE DOMINI.

G

69. *Orans cum ſudore ſanguineo dominus Ieſus Chriſtus, ſignificabat de toto corpore ſuo, quod eſt eccleſia, n manaturas martyrum paſſiones.*

n C. emanaturas.

Ferre parans Chriſtus pœnam, mortemque propinquam
Inuictamque ſuis ingenerare fidem:
Cum prece ſanguineas fundebat corpore guttas,
Et precium mundi ſudor erat domini.
Nec crucis aſperitas poterat terrere volentem,
Quæ regnaturæ gloria carnis erat.
Sed cruor ille pares ſanctis ſpondebat honores,
Orturis toto corpore martyribus.
Nam, cum ſacra ſeges terrarum impleuerit orbem,
Omnis ab hoc vno ſemine meſſis erit.

DE SACRAMENTORVM PERCEPTIONE.

70. *Sacramentum o pietatis in iudicium ſibi ſumit indignus: bene enim eſſe non poteſt. male accipienti quod bonum. p*

o C. ſummæ.
p C. eſt. add.

Magnum præſidium eſt ſacro libamine paſci,
Si cor participis crimina nulla premunt.
Nam geminat ſibimet peccati pondera, quiſquis
Quæ bona ſunt, ſumit, quæ mala, non refugit.

H

DE LAVDANDO DEVM.

71. *Qui laudat Deum in miraculis beneficiorum, laudet etiam in terroribus vltionum. q Nam & blanditur. & minatur. Si non blandiretur nulla eſſet exhortatio: ſi non minaretur, nulla eſſet correctio.*

q C enim

Qui laudat dominum de mundi conditione,
Et rerum in *r* ſpeciem prædicat artificem,
r C. ſpecie.
Laudet & æternam mortem flammaſque minantem,
Et iuſti regis iudicium metuat.

Spes

A

Spes de promiſſis nihil ambigat, omne dabit rex,
Quod parat, & meritis gratia maior erit.
Si properent ſontes peccati abrumpere nodos,
Ante diem mortis, dum locus eſt veniæ.

DE ACCELERANDA CONVERSIONE.

Remedia conuerſionis ad Deum nullis ſunt cunctationibus differenda, ne tempus correctionis pereat a tarditate. Qui enim pœnitenti indulgentiam promiſit, diſsimulanti diem craſtinum non ſpopondit.

72. a C. ex add.

Conuerti ad mores b rectos, & viuere c ſanctè
In Chriſto meditans, quod cupit acceleret.

b C. ſanctos. c rectè.

Cedant virtuti vanarum obſtacula rerum,
Ne perdat voti tempora lenta fides.
Quid iuuat in longum cauſas producere morbi?
Cur dubium expectat cras hodierna ſalus?
Scimus correctis veniam non eſſe negandam,
Sed nulli noſtrum eſt vltima nota dies.

B

DE TIMORE d.

d C. Dei add.

73. e C. ſic autem Deus.

Omnia, quæ timentur, rationabiliter declinantur. e Deus ſic timendus eſt, vt ab ipſo ad ipſum confugiatur.

Vtile prudenti eſt mundana aduerſa cauere,
Et quod vitandum f eſt, proſpiciat, fugere.
Sed cùm peccati g merito, manus omnipotentis
Omnia concludens arctat vbique reum:
Vnum profugium tutum eſt Deus ipſe timenti,
A quo diſcedens, ne pereat, redeat.
Conuerti namque ad dominum certiſſima vita eſt,
Et pacem offenſi quærere, ſola ſalus.
Qui terret, parcit: qui percutit, ipſe medetur.
Viuere vis? illi ſubdere, quem metuis.

f C. del. eſt. rectè. g C. ex add.

DE VIRGINITATE †.

† C. animæ & corporis add.

Virginitas carnis, corpus intactum: virginitas animæ, fides h incorrupta.

74. h C. eſt add.

Carnis virginitas intacto corpore habetur:
Virginitas animæ eſt intemerata fides:
Quia ſine corporei nil prodeſt cura pudoris:
Sed mentis pietas auget vtrunque bonum.

C

DE MODO HABENDI.

75. i C. probabimus.

Multa nos in facultatibus noſtris habere ſuperflua i probamus, ſi neceſſaria ſola retineamus. Nam vana quærentibus nihil ſufficit: & alienorum quodammodo retentor eſt, qui profutura pauperibus inutiliter habet.

Magnum peccatum eſt amor immoderatus habendi,
Et plus, quàm vitæ ſufficiat, cupiens.
Nam quod nos veſtit, quod paſcit, cura ſalutis,
Si vanis ſit mens libera, non onerat.
Si qua igitur ſuperant, quorum non indiget vſus,
Debilibus proſint atque iuuent inopes.
Quiſquis enim cupidè non k expedienda recondit,
Quæ nulli tribuit, pauperibus rapuit.

k expendenda C.

D

DE l DIVITIIS.

l C. differentia diuitiarum.

76.

In magna egeſtate ſunt m qui de iniquitate ſunt diuites, iuſtitiæ opes, & ſapientiæ theſauros non habent. Qui autem domino ſeruiunt, ea bona o acquirunt, quæ perire non poſſunt.

m C. diuites iuſtitiæ inopes, & ſap. the. non habentes. o C. requirunt.

Terrenis opibus cum diues gaudet iniquus,
Veris ſe miſerum neſcit egere bonis.
Nam quid erit, quod non momento temporis vno
Perdere mundana conditione queat?
Cui licet, aduerſis ceſſantibus, omnia parcant,
Lege tamen mortis ſit faciendus inops.
At bona iuſtorum nullis obnoxia damnis,
Hoſtes, furta, ignes, & mare non metuunt.
Indemnis proprium ſeruat ſapientia cenſum,
p Nec perdunt meritum paxque fideſque ſuum.

E

p quod hic antepenult. in C. eſt vltimũ & contra.

Omnis virtutum ſemper ſubſtantia ſalua eſt,
q Inuitis Chriſti munera nemo rapit.

DE VERA BONITATE.

77. r C. facias s paruum.

Non ſufficit abſtinere à malo niſi r fiat quod bonum eſt: Et s parum eſt nemini nocere, niſi ſtudeas multis prodeſſe.

Dignus laude quidem eſt, vitam ſine crimine ducens,
Et quæcunque ſibi t ſunt nocitura, cauens,
Sed non hoc pietas contenta eſt limite claudi,
Nec u iniuſtis, vetitis abſtinuiſſe, ſat eſt.

t Scit C. Sint. u iuſto.

Maior enim boni eſt, fratrum releuare labores,
Et ferre optatum triſtibus auxilium:
Paſcere ieiunos, nudos veſtire, ligatos
Soluere, diſcordes conciliare ſibi:
Et quæcunque homines miſeri ſolatia quærunt,
x Hoc, vt poſſibile eſt promere corde pio.
y Vt recti verè cupidus vereque benignus,
Quæ mala ſunt, fugiat: quæ bona ſunt, faciat.

x hæc

y C. Et

DE z MALI IMPVNITATE.

z C. impunitate peccandi.

Peccator cum peccat, non ideo à domino non videtur, quia male agentis pœna differtur: grauius autem in eum decernitur, cui etiam ipſa correctio denegatur. 78.

F

Gaudet tranſgreſſor, peccato impunè potitus,
Si non infertur debita pœna reo,
Ceu nulla offendant hominum commiſſa Tonantem,
Aut aliqua excelſi notitiam lateant.
Sed veterorum auidis grauior tunc ita timenda eſt,
Cum ſeſe remouent verbera iuſtitiæ.
Nam quid erit morbi, quod non dominabitur illi,
Cui ſupera auxilium iam medicina negat?

DE GAVDIO a RECTO.

a C. in Chriſto habito.

Non poteſt vnquam fraudari delectationibus ſuis, cui Chriſtus eſt gaudium. Aeterna enim exultatio eſt, quæ bono lætatur æterno. 79.

G

Felices verè faciunt, ſemperque beatos
De vero & ſummo gaudia nata bono.
Nam mundi ex opibus breuis ac peritura voluptas
Edita perpetuæ ſemina mortis habet.
Non placeat vanis animum b ſubmittere rebus,
Peſtiferiſque auidam mentem onerare cibis.

b C. ſubnectere.

Cor mundum, & ſapiens fructu virtutis alatur,
Et Chriſti in noſtro pectore regnet amor:
Quo ſemel impletus, nunquam vacuabitur illo:
Aeterna æterni flumina fontis erunt.

QVID HOMINEM DEO IVNGAT.

Deo, qui vbique eſt, non locis, ſed actionibus aut longinqui, aut proximi ſumus: quia ſicut ſeparat diſsimilitudo, ita nos illi coniungit imitatio. 80.

c Ambitum mundi totum) Deus implet, & ambit,
Nec præſens vlli deſinit eſſe loco:

c Omnem habitum mundi totus C.

A quo longinquus multum eſt, nimiumque remotus,
Qu[illegible]uis ſinceræ luce caret fidei:
Cuius ſi radiis depulſa nocte niteſcat,
Diuino impletus lumine lumen erit.
Non igitur terrarum orbis, non æquora ponti
In[illegible]a, circuitu ſunt obeunda vago,

H

Vt poſſit rerum dominator & autor adiri,
Quem templo in cordis mens pia ſemper habet.
A quo vt diſſimilis d terra in deſerta recedit,
Sic vitæ merito proximus eſt ſimilis.

d C. terræ.

QVOD e TOTA INFIDELIVM VITA PECCATVM SIT.

e C. omnis

Omnis infidelium vita peccatum eſt: & nihil eſt bonum ſine ſummo bono. Vbi enim deeſt agnitio æternæ, & incommutabilis veritatis, falſa virtus eſt, etiam in optimis moribus. 81.

Quam-

Quamuis multa homini poſt vulnera prima ſuperſint,
Quæ vitam hanc faciant laudis habere decus:
Si tamen ingenio claro, & probitatis amori
Fons deerit fidei, ſubdita corda rigans:
Cunctarum frugum marceſcit nobile germen,
Nec fruitur vero lumine falſus honor.
Ignoratus enim Deus, & non credita virtus,
Quæ vera ad ſummum prouehit arte bonum,
Non ſinit eniti regna ad cœleſtia mentem
a Obſtructam vanis, occiduiſque grauem.
Perque omnes calles errat ſapientia mundi,
Et tenebris addit, quæ ſine luce gerit.

a C. obſtructam.

DE b SABBATO.

b C. obſeruantia Sabbati.

82.

Malè celebrat ſabbatum, qui à bonis operibus vacat: ocium autem ab iniquitate debet eſſe perpetuum. Quia bona conſcientia non inquietum, ſed tranquillum facit c.

c C animū add.

Non recto ſeruat legalia ſabbata cultu,
Qui pietatis opus credit in his vetitum.
Nulla dies actus hominum non damnat iniquos.
Omnia conueniunt tempora iuſtitiæ.
Nec corrumpuntur virtutibus ocia ſancta.
Tantùm à peccatis libera corda vacent.

DE VERA LIBERTATE.

83.

Libera ſemper eſt ſeruitus apud Deum: cui non neceſſitas ſeruit, ſed charitas.

Libertas nulla eſt melior, maiorue poteſtas,
Quàm ſeruire Deo, cui bene ſeruit amor.
Abſque iugo poſita eſt ditionis amica voluntas,
Quæ viget affectu, non gemit imperio.

DE SVPERBIA d.

d C. quam boni vltimum vincunt.

84.

Quo primum vitio ſuperatus eſt homo, hoc vltimum vincit. Cum enim omnia peccata ſuperauerit, manet periculum, ne benè ſibi mens conſcia, in ſe potius quam in domino glorietur.

Qui primum in mortē eſt homo pulſus fraude maligni,
Hanc illi extremam bella peracta mouent,
Sublimes vt eùm palmas, claraſque coronas
Sumpſerit, atque hoſtem ſubdiderit pedibus,
Virtuti propriæ velit aſſignare triumphum,
Non domino, cuius munus, opuſque fuit.
In quo vno ſemper ſuperat, qui non ſuperatur,
Quo dignante manum ſubdere, nemo cadit.
¶ Ancipitis vitæ qui e vis ſuperare labores,
Dilige, quod ſemper verus amator habet.

85. e C. de diligendo Deum.

Inſtant terrenis infeſta pericula rebus.
Feruent pro damnis prælia, proque lucris.
Et nihil eſt inter carnalia vota quietum,
Nec pax ſollicitis, nec modus eſt cupidis.
In ſolo eſt mens tuta Deo, quem linquere nolens,
Nunquam erit æterno non opulenta bono.

DE ADVLATIONIS VITIO.

86.

Adulantium linguæ alligant animas in peccatis. Delectat enim ea facere, in quibus non ſolum non metuitur reprehenſor, ſed etiam laudator auditur.

Lingua aſſentatrix vitium peccantis aceruat,
Et delectatum crimine, laude ligat.
Nulla ſit vt lapſo reparandæ cura ſalutis,
Blanditur ſonti dum malè ſuaſus honor.
Libera ſit potius vox correctoris amici,
Serpere f nec fibris cæca venena ſinat.
Nec credens medici verbis fallacibus æger,
Noxia laudatæ vulnera peſtis amet.

f C. ne.

DE MARTYRIBVS NON BAPTIZATIS.

87.

Qui g etiam non percepto regenerationis lauacro pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantum eis valet ad abolenda peccata, quantum ſi abluerentur fonte baptiſmatis.

g C. nondum.

Si mundo moritur diuino fonte renaſcens,
Fitque nouus vita, qui ſepelitur aqua.
Fraudati non ſunt ſacro baptiſmate Chriſti,
Fons quibus ipſa ſui ſanguinis vnda fuit.
Et quicquid ſacri fert myſtica forma lauacri,
Id totum impleuit gloria martyrij.

DE VENIA h.

h C. qua etiam iuſti indigent.

88.

Iuſtitia noſtra quamuis vera ſit propter verum boni finem ad quem refertur, tamen tanta eſt in hac vita, vt potius remiſſione peccatorum conſtet, quàm perfectione virtutum.

Magna quidem in multis eſt excellentia ſanctis,
Quorum animos ſuper gratia roris alit.
Sed dum mens quædam patitur mala corporis ægri,
Et pugnam i internus exteriora mouent,
Nunquam ita perfecto capitur victoria bello,
Vera vt ſecurus pace fruatur homo.
Inter diſcordes motus contagia ſerpunt,
Ipſaque virtutum gaudia vulnus habent,
Vt faciat k notum longa experientia cunctis,
Non eſſe hoc plenam tempore iuſtitiam:
Ni dominus miſerando lauet delicta ſuorum,
Et dans virtutum munera, det veniam.

i C. internis rect.

k C. cunctis l.e. notum.

DE CAVSIS INCOGNITIS.

89.

Incognitis cauſis operum diuinorum nonnihil nouimus, cum ſcimus non ſine ratione omnipotentem facere, vnde infirmus humanus animus rationem non poteſt reddere.

Diuinorum operum ſecretas noſcere cauſas
Humanis non eſt poſſibile ingenijs.
Nec nullo tamen intuitu ſpeculatur operta,
Qui, multa vt lateant, ſcit placuiſſe Deo.
In quo mens imbuta fide ſimul omnia diſcit,
Perque operum ſpeciem ſuſcipit artificem,
Fingentem rebus formas, loca, tempora, motus,
Menſuris, numeris, ponderibuſque ſuis.
Scrutari l nec cura procax obſtruſa laboret,
Cui cuncta in Chriſto noſſe, & habere datur.

l C. ne.

DE NON DESPERANDIS PECCATORIBVS.

90.

Non eſt deſperandum de malis, ſed pro ipſis, vt boni fiant, ſtudioſius ſupplicandum. Quia numerus ſanctorum de numero ſemper eſt auctus impiorum.

Vt morbo oppreſſis præſtanda eſt cura medendi,
Donec in ægroto corpore vita manet:
Sic prauis multa vitiorum mole grauatis,
Sanctarum pietas eſt adhibenda precum,
Vt, dum poſſibile eſt mutari corda malorum,
Horreſcat noctis deuia lucis amor.
Conuerſiſque nouam mentem det gratia Chriſti,
Qua fiunt homines iuſtificante boni.

DE m QVÆRENDIS PRÆSIDIIS.

m C. tranquillitate.

91.

In tranquillitate pacis comprehendenda eſt doctrina ſapientiæ, quæ inter tribulationum turbines difficiliter agnoſcitur: nec facilè inueniuntur in aduerſitate præſidia, quæ non fuerint in pace quæſita.

Dum non perturbant animum diſcrimina mundi,
Dumque diem pacis prælia nulla n mouent,
Exercere fidem diuinis conuenit armis,
Conſilioque omnes anticipare minas.
Tranquillam & curis vacuam ſapientia mentem
Imbuet, & placidi pectoris hoſpes erit.
Nam quod non fuerit conceptum corde quieto,
Acquiri in ſæuo turbine non poterit.

n C. premunt rect.

DE o BONIS o QVÆ NEMO AMITTIT INVITVS.

o C. Bono, quod.

92.

Poteſt homo inuitus amittere temporalia bona. Nunquam verò niſi volens perdit æterna.

Omne

A O nne bonum mundo concretum,& tempore partum,
Quacunque amitti conditione poteſt.
a C. Vt — a Et quamuis damnis vigilanter cura reſiſtat,
b C. diſpolietur. — Sæpe tamen proprijs b diſpoliatur homo.
At bona,quæ verè bona ſunt,nec ſine tenentur,
Semper habet,quiſquis ſemper habere cupit.
Nec vim ferre poteſt Chriſto ſubnixa voluntas,
In quo perſiſtens omnia vincit amor.

DE REMEDIIS TRIBVLATIONVM.

93 *Fideliter ſupplicans Deo pro neceſſitatibus huius vitæ,& miſericorditer auditur,& miſericorditer non auditur. Quid enim infirmo ſit vtile,magis nouit medicus,quam ægrotus. Si autem id poſtulat quod Deus præcipit c & c promittit,fiet omnino quod poſcit. Quia accipit charitas,quod parat veritas.*

c C. def.

Inter mundanæ mala conflictantia vitæ,
Sæpe d quidem domini corripitur populus.
d C. quib. B Qui tempeſtatum varia ſub clade laborant,
Noſcant ſe iuſti ferre flagella Dei.
Atque ipſum toto gemitu,planctuque precentur,
Vt,qua ſcit,miſeris auxilietur ope.
Non etenim proprio arbitrio curabitur æger,
Nec vero leges ipſe dabit medico.
Morbida timetur penetralia dextra ſalutis,
Et depreſſa graui viſcera peſte leuet.
Abſque dolore quidem nequeunt mala ſueta repelli,
Sed quod leſerunt dulcia,amara † mouent.
† C. nouũt rect. — Pœniteat morum, & vitijs virtute fugatis,
Regnum peccati reſpuat aula Dei.
e C. per. rect. — Ad ventum tendunt iuſti e pia verbera regis.
Ira breuis rectis gaudia longa dabit.
¶ Nunquam bella f bonis,nunquã diſcrimina deſunt.
94. Et cum quo certet,mens pia ſemper habet.
f C. de eodem. — Quæ carnem oblectant,ſancto ſunt noxia cordi.
C Contra animi legem prælia corpus habet.
Pulſant exterius diuerſis morbus hoſtes.
Intus ciuile eſt,& ſociale malum,
Vt poſſit mundi illecebris,vitiiſque reſiſti,
Vis eſt corporei mortificanda hominis.
Sed quæ mens recto famulam ſub iure tenebit,
Edomitæ vt regnet carnis in officijs?
Excelſo niſi quæ ſeruit bene ſubdita regi?
Vod ceſt ſacta volens,fiat g & inde valens.

g C. vt rect.

NVLLAM MALI ESSE NATVRAM.

Omnia per verbum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Cum itaque vniuerſa natura per verbum Dei facta ſunt, iniquitas per ipſum facta non eſt. Quia iniquitas nulla ſubſtantia eſt,& peccatum non natura eſt,ſed vitium natura,id appetentis,quod non eſt ordinis ſui.

95. Per verbum omnipotens Deus omnia condidit vnus,
A quo natura eſt nulla creata mali.
Et quod non fecit diues ſapientia verbi,
Non habet in rerum conditione locum.
Nulla igitur vitijs ſubſtantia,nullaque vita eſt,
Quæ vegetet corpus,materiamq; ſe ſuam.
Sed cum libertas diſcedit ab ordine recto,
Nec ſeruat proprium,quæ bona ſunt,modulum,
In culpa & vitio eſt vagus in contraria motus,
Fitque malum veram deſeruiſſe viam.
In quam ſi toto properet quis corde reuerti,
D Nullus neglecti luminis error erit.
h C. Delet. — Totaque h debenti peccati pœna peribit,
Condita in integrum reſtituente Deo.

DE PETITIONIBVS CONTRARIIS DEO.

96. *Deus,cum aliquid malè poſcitur, dando iraſcitur,non dando miſeretur.*

i C. effectus. — Cùm Deus i effectum precibus non præſtat iniquis,
Multum concedit,quòd nocitura negat.
Errantes voto non vult delinquere tacto.
Iratos ſineret,quod prohibet placidus.
Diſcat felici ſupplex gaudere repulſa:
Incipiatque animo pellere,quod voluit.
Parcentemque Deum noſcat ſibi,cùm ruituras
Non exaudiri,ne rueret,meruit.

DE IVDICIIS DEI k.

k C. non comparãdis iudiciis hominum add.

Nullo modo iudicijs hominum comparanda ſunt iudicia Dei, quem non dubitandum eſt eſſe iuſtum,etiam quando facit quod hominibus videtur iniuſtum.

Iudicium humanum,quod falli ſæpe neceſſe eſt, 97.
Non ſemper recipit regula iuſtitiæ.
At dominum cunctis æqua eſt,veraxque poteſtas,
Aſpectum cuius nulla remota latent.
Talis laudetur iudex,timeatur,ametur,
Qui verè iuſtus permanet,atque bonus: F
l Aduerſos reuocans,conuerſis cuncta remittens, l Auerſos C.
m Atque malis veniam dando bonos faciens. m C. deq;
Non ergo audacter mens veri neſcia culpet,
Quod placuit ſummi iudicis arbitrio.
Sed ſubdat ſeſe iuſto ignorantia regi,
Qui nunquam,quæ ſunt non bona,velle poteſt.

DE COHIBENDA n IRA.

n C. iracundia.

98. o C. eſſe add.

Nulli iraſcenti ira ſua videtur o iniuſta:vnde ab omni indignatione citò redeundum eſt ad manſuetudinis lenitatem. Nam pertinax motus facilè in eum odium tranſit,cui non celeriter ignoſcitur.

Nemo ſuæ mentis motus non æſtimat æquos.
Quodq; ſe volunt homines,ſe bene velle putant:
Vnde animus celer pace eſt reuocandus ab ira,
Ne robur ſæuis tempora deorodiis.
Offenſas ſibimet parcentia corda remittant.
Nam nemo eſt,qui non indigeat venia: G
Quam noſtri memores,mundi inter vana viciſſim
Omnibus in cauſis & damus,& petimus,
¶ Cultor iuſtitiæ, p & diuinæ pacis amator, 99.
Quem vocat ad ſummum vita beata bonum, p C. de ſine ſanctorum.
Scandere conſtanter dextros admitere calles,
Deſpiciens læuæ noxia plana viæ.
Turius eſt duros mundi tolerare labores,
Infeſtique hoſtis prælia ſæua pati.
Quàm victum q officiis animum ſubmittere r blandis, q C. vanis. r rebus.
Captaque ſeruili ſubdere colla iugo.
Tempore in occiduo non s longi eſt vſus honoris, s C. longè
Et celeri lapſu gaudia falſa fluunt.
Finem igitur proprij ſapiens ſpeculabitur æui,
Et viæ t qua currit,quò ferat,aſpiciet. t C. quam
Nam mundo u innexis pars eſt cum principe mundi. u C. innexis.
At ſeruis Chriſti gloria Chriſtus erit.
100. ¶ Corporeos inter ſenſus,moribundaque membra,
Multa animus patitur carnis ab hoſpitio:
Quæ vitæ,de qua viuit,contraria quærens,
Legem vult mentis ſoluere lege ſua.
Sed prudens præſul famulam frænare rebellem
Aeterni regis x diſcat ab imperio: x C. diſci
Et verum accipiens ſupero de lumine lumen,
Noctem peccati cordis ab æde y fuget. y C. fugat
Nam z quæ cuncta Deus bona condidit,ipſaque noſtri z C. quia
Exilij regio eſt pulchra decore ſuo:
Auditus,viſus,guſtus,contactus,odorque,
Præberi gaudent vndique,quod placeat. H
Fitque nocens homini præſentis temporis vſus,
Si captum blandis inferiora ligant.
Mens igitur ſapiens ſuperas † admittere ad arces, † C. enitere rect.
Et ſummis fieri ſueſce beata bonis.
Delitias iam nunc promiſſi concipe regni,
Virtute atque † fide,quod cupis eſſe,tene: † C. & fidei.
Ne te ad ſpem dubiam fruſtra te currere credas,
Naturæ in Chriſto proſpice liba tuæ.
A quo ſuſceptum ſi te non ambigis eſſe,
Totus homo in capitis corpore ſemper eris.

Tan-

A Non metuo exilium, mundus domus omnibus vna eſt.
Sperno famem, domini ſit mihi ſermo cibus.
Nec tamen iſta mihi de me fiducia ſurgit,
Tu das Chriſte loqui, tuque pati tribuis.
In nobis nihil audemus, ſed fidimus in te,
Quos pugnare iubes, & ſuperare facis.
Spes igitur mea ſola Deus, quem credere vita eſt,
Qui patriæ ciuem me dedit alterius.
Sorte patrum occiduum iuſſus tranſcurrere mundum,
Sub Chriſti ſacris aduena miles eo.
Nec dubius me iure breui terrena tenere,
Sic vtar proprijs, ceu mea non mea ſint,
Non mirabor opes, nullos ſectabor honores,
Pauperiem Chriſto diuite non metuam.
Qua ſtetero aduerſis, hac vtar mente ſecundis:
Nec mala me vincent, nec bona me capient.
Semper agam grates Chriſto, dabo ſemper honores.
† C. ſemper viuet vel. Laus domini *vigeat *ſemper in ore meo.
Tu modo fida comes mecum iſti accingere pugnæ,
Quam Deus infirmo præbuit auxilium.
B Solicita elatum cohibe, ſolare dolentem.
Exemplum vitæ ſimus vterque piæ.
Cuſtos eſto tui cuſtodis, mutua redde.
Erige labentem, ſurge leuantis ope.
Vt caro non eadem tantum, ſed mens quoq; nobis
Vna ſit, atq; duos ſpiritus vnus alat.

Finis Epigrammaton S. Proſperi.

DE PROVIDENTIA DIVINA OPVSCVLVM.

PROLOGVS.

Proſperi nõ videtur carmẽ hoc ſed auiuſpiã haud integrè gratiã Chriſti explicãtis.

MAxima pars lapſis abijt iam menſibus anni,
Quo ſcripta eſt verſu pagina nulla tuo.
Quæ tam longa tibi peperere ſilentia cauſæ?
Quiſve dolor mœſtum cōprimit ingeniū?
Quanquam & iam grauibus non abſint carmina curis,
Et proprios habeant triſtia corda modos:
C Ac ſi te fracti perſtringunt vulnera mundi,
Turbatumque vna ſi rate fert pelagus,
Inuictum deceat ſtudijs ſeruare vigorem:
Cui manſura pauent, ſi ruitura cadunt?
O felix cui tanta Deo tribuente facultas
Contigit, vt tali tempore liber agat:
Quem non concutiat vicina ſtrage ruina,
Intrepidum flammas inter, & inter aquas.
Nos autem tanta ſub tempeſtate malorum
Inualidi paſſim cædimur, & cadimus.
Cumque animum patriæ ſubijt fumantis imago,
Et ſterit ante oculos quicquid vbique perit,
Frangimur, immodicis & fletibus ora rigamus:
Dumque pios agimus, vertimur in querulos,
Nec parcunt quidam turbatam inceſſere mentem,
Linguarum & iaculis ſaucia corda petunt.
Dic (aiunt) cauſas, qui rerum hominumque labores
D Arbitrio credis ſtare, regique Dei:
Quo ſcelere admiſſo, pariter periere tot vrbes:
Tot loca, tot populi, quid meruere mali?
Si totus Gallos ſeſe effudiſſet in agros
Oceanus, vaſtis plus ſupereſſet aquis.
Quod ſanè deſunt pecudes, quod ſemina frugum,
Quodque locus non eſt vitibus, aut oleis:
Quod fundorum ædes vis abſtulit ignis, & imbris,
Quarum ſtare aliquas triſtius eſt vacuas.
Si toleranda mali labes heu cæde decenni,
Vandalicis gladijs ſternimur & Geticis.
Non caſtella petris, non oppida montibus altis
Impoſita, aut vrbes amnibus æquoreis:
Barbarici ſuperare dolos atque arma furoris
Eualuere omnes, vltima pertulimus.
Nec querar extinctam nullo diſcrimine plebem, E
Mors quoque primorum ceſſet ab inuidia.
Maiores anni ne forte & nequior ætas,
Offenſo tulerint quæ meruere Deo:
Quid pueri inſontes? quid commiſere puellæ,
Nulla quibus dederat crimina vita breuis?
Quare templa Dei licuit populariet igni?
Cur violata ſacri vaſa miniſterij?
Non honor innuptas deuotæ virginitatis,
Nec texit viduas relligionis amor.
Ipſi deſertis qui vitam ducere in antris
Suerant laudantes nocte dieque Deum,
Non aliam ſubiere necem, quam quiſque prophanus:
Idem turbo bonos ſuſtulit, atque malos.
Nulla ſacerdotes reuerentia nominis almi
Diſcreuit miſcti ſupplicijs populi:
Sic duris cæſi flagris, ſic igne peruſti,
Incluſæ vinclis ſic gemuere manus.
Tu quoque puluereus plauſtra inter & arma Getarum
Carpebas duram non ſine faſce viam: F
Cùm facer ille ſenex plebem, vſta pulſus ab vrbe,
Ceu paſtor laceras duceret exul oues.
Verùm hæc ſub belli ſileantur turbine geſta,
Confuſis quoniam non fuit ordo malis.
Fortè etenim placidas res mundi, & tempora pacis,
Arbitra dignetur cernere cura Dei.
Si cunctos annos veterum recolamus auorum,
Et quicquid potuit noſtra videre dies,
Maximus iniuſtis locus inuenietur in orbe,
Oppreſſis autem pars propè nulla bonis.
Qui fuerit violentus, atrox, verſutus, auarus,
Cuius corde fides ceſſerit, ore pudor,
Hunc omnes mirantur, amant, reuerentur, honorant:
Huic ſummi faſces, huic tribuuntur opes.
Quod ſi quis iuſtus caſtam, & ſine crimine vitam
Diſſimili ſtudio ducere maluerit:
Hic inhonorus, inops, odium iuuenumque ſenumque,
In totis mundi partibus exul, agit.
Impius exultat maturis integer annis:
Carpere non ceſſant vlcera dira pium. G
Falſa valent in iudicijs, & vera laborant:
Inſontes ſequitur pœna, ſaluſque reos.
Ignorata pijs illudit adultera ſacris:
Blaſphemus templi limina tutus adit.
Quæ ſi cura Dei celſa ſpectaret ab arce,
Reſque regeret noſtras ſub ditione ſua,
Aut non effugerent vltrices crimina pœnas,
Aut virtus terris ſola repetta foret.
Talia cum facilis vulgi ſpargantur in aures,
Quam multis rudibus lingua maligna nocet?
Nec tantus dolor eſt Scythicis conſumier armis,
Quantus ab infidis cordibus iſta ferri.
Prome igitur ſanctis cœleſtia tela pharetris,
Et medicis hoſtem confice vulneribus.
Fortè aliqui poterunt errorum euadere noctem,
Inque viam viſa luce referre pedem.
Ac ne ſermo moram patiatur ab impare verſu,
Heroi numeris porrige pentametrum.

ISTA quidem melius diuinis edita libris H
Cognoſcenda forent, vbi legis in æquore aperto,
Promptum eſſet ventis dare libera vela ſecundis:
Sed quoniam rudibus metus eſt intrare profundum,
In tenui primum diſcant procurrere riuo
Qua iacet extremo tellus circundata ponto,
Et qua gens hominum diffuſa eſt corpore mundi,
Seu noſtros annos, ſeu tempora priſca reuoluas,
Eſſe omnes ſenſere Deum: nec defuit vlli
Autorem natura docens: & ſi impius error
Amiſit, multis tribuens, quod debuit vni,
Innatum eſt cunctis, genitorem agnoſcere verum:
Hic autore carens, & tempore permanet idem
Semper, & immenſum nec ſecula nec loca claudunt.
Hic nullis mundi cauſis extantibus, in ſe
Quicquid vellet habens, cùm viſum eſt omnia ſolus

A

Condidit vt voluit, formas, numeroſque, modoſque,
Et genera, & vitas ſtatuens & ſemina rebus.
Quicquid ineſt cœlo, quicquid terræque marique,
Quicquid quocunque eſt in corpore, ſiue animatum
Siue expers animæ, calida, humida, frigida, ſicca,
Vno extant autore Deo: qui diuite verbo
(Quod Deus eſt) rerum naturas, atq; elementa
Protulit, & ſummis opifex intentus & imis.
Quod verò aduerſis compugnant condita cauſis,
Atque alijs alia obſiſtunt: contraria diſcors
Omnia motus alit: dumque illi occurritur illo,
Vitalem capiunt cuncta exagitata vigorem:
Quæ vel pigra ſitu, vel prono lubrica lapſu,
Aut curſu inſtabili, ſtabili aut torpore perirent.
Mollia ſic duris, ſic raris denſa reſiſtunt,
Et liquidis ſolida, & tardis velocia, claro
Obſcurum obiectum, & dulci contendit amarum.

B

Nec mihi fas dixiſſe aliquid non ritè creatum:
Aut vllas auſim mundi reprehendere partes:
Cum ſator ille operum teneat momenta ſuorum,
Et carptim varios in totum temperet vſus,
Denique quicquid obeſt, aut cauſa, aut tempore verſo
Prodeſt: & gemino ſubſiſtunt cuncta periclo.
Frigora perpeſſus, ſolem cupit: vſtus ab æſtu,
Inter Hyperboreas mauult algere pruinas.
Iniuſto pluuiam metuit ſub falce viator:
Quam poſcit votis ſitienti ruſticus agro.
Cæruleos angues timor iſti eſt viſere: at illi
Intrepida excoctis oneratur menſa chelydris.
Quod ſi fortè lupos, lyncaſque, vrſoſque creatos
Diſplicet, ad Scythiæ proceres regeſque Getarum
Reſpice: queis oſtro contempto, vellere Serum,
Eximius decor eſt tergis horrere ferarum.
Singula ſectari longum eſt: ſed munere Chriſti
Scire datum, quod alit tellus, quod in æquore viuit,
Quicquid in arboribus, quicquid variatur in herbis,
In laudem autoris, certis ſubſiſtere cauſis:

C

At quæ ſola nocent, eadem collata mederi.
Eſt igitur Deus: & bonus eſt, & quicquid ab illo
Effectum eſt, culpa penitus vacat, atque querela.
Omnem autem hanc molem mundi qui condidit, ipſe
Et regit, vtque nihil non *ortum ſumpſit ab illo: († horum)
Sic nihil eſt quod ſtare queat factore remoto.
Nam qui pigra Deo dant otia, credo verentur
Ne curæ intentum vigiles diuque labores
Conficiant, & tanta ſimul non explicet vnus.
O merſi in tenebras, diuinique ignis inanes,
Et plus corporeis oculis, quam mente videntes:
Qui veſtræ æternum naturæ & conditioni,
Audetis conferre Deum: cui ſi quid amatis
In laudem praui adijcitis, veſtriſq; beatum
Creditis eſſe bonis, aut vlla incommoda ferre.
An quia cum magnas vrbes, populoſque teneris
Sub veſtro imperio, miſerum eſt in omnibus ægram
Partiri curis in multa negotia mentem:
Cumque graues trepidis incumbant vndique cauſæ,
Non fert vrgentes induſtria victa labores:

D

Et ſi animis ægris depulſa eſt ſollicitudo,
Blanda voluptatem requies creat otia nactis;
De domino hoc ſentire pium eſt, quem ſemper eundem
Nil grauat, et toto nil occupat. effluit ætas
Ac venit, & ſpectant genita & gignentia finem:
Ille manet, ſimul acta tenens & agenda: futuriſ
Vlterior, tum præteritis prior: omnibus vnus
Præſens: & ſolus ſine tempore, tempora condens.
Vtq; æui ſpatia ac numeros præcedit & exit,
Sic nullo immenſus cohibetur fine locorum.
Nilq; adeo eſt magnum, quod non certus modus arcet:
Et cœlum, & terras, & totum denique mundum
Limes habet: meta eſt altis, & meta profundis.
Sed nuſquam non eſſe, Dei eſt: qui totus vbique
Et penetrat mundi membra omnia liber, & ambit.
Hæc igitur vis ſola poteſt moderamina rerum
Diuidere, & placidis eadem perſiſtere curis:
Quam non effugiant citra, nec remorantia tardent:

E

Quæ nunquam ignara, nunquam longinqua, nec vllis
Tranſlata accedens regionibus, abſit ab vllis:
Nec de noſcendis egeat * manifeſta doceri. († manifeſta, pro certa.)
Hæc teſtis rerum tacita audiat, abdita cernat:
Det vitas, adimatque datas, pereuntia ſaluet,
Deiecta attollat, premat ardua, proroget annos
Et minuat, mutet corda, & peccata remittat.
Sed qui virtutem concedunt omnipotenti,
Fortè voluntatem demant: & magna regentem,
Curam hominis renuiſſe putent, in tempora nati
Exigua, & varia ſub tempeſtate relicti.
Quo vos ſponte iuuat cadere, oblitoſque parentis
In pecudum genus, & ſortem tranſire ferarum?
Incomperta latent naturæ exordia noſtræ?
Aut ipſam propoſitam in Chriſto præſentia turbant?
Parcite ſublimes æternæ gentis honores
Degeneri violare metu: potiuſque relictum
Immortale decus, ſuperato apprendite cœlo.

F

Nota via eſt, Chriſto cunctis reſerante magiſtro,
Qui vocat, & ſecum nos deducturus, & in ſe.
Ac ne vaniloqui ſpondere incerta putemur,
Res monet à primis aperire patentibus ortum
Humani generis: cauſaſque euoluere vitæ
Amiſſæ, & rurſus Chriſto donante receptæ.
Diſpoſitis rebus, totum iam conditor orbem (Status iã creati mundi.)
Fecerat, & pulchra vernabat origine mundus.
Iam ſol dimenſis in tempora curſibus ibat,
Lunaque cum ſtellis præbebat lumina nocti:
Iam pecudes tellus, iam piſces pontus alebat,
Et liquidum volucres innabant aera pennis:
Sed quod diuina poſſet ratione potiri,
Nondum erat in terris animal: dedit optimus autor (Hominis creatio.)
Hoc homini ſpeciale decus, cumque omnia verbo
Conderet, hunc manibus, quo plus genitoris haberet,
Dignatur formare ſuis. ſubſtantia duplex
Iungitur, inque vnam coeunt contraria vitam.
Namque anima ex nullis, vt cætera gignitur: expers
Interitus, niſi quod Domino cruciabilis vni eſt.

G

Et rea, ferre poteſt pœnam, ſub nomine mortis,
Terrenamque illapſa domum, dat viuere ſecum
Conſortem, & pariter diuinum haurire vaporem.
Nec quia diſſimilis rerum natura duarum eſt,
Diſpar conditio eſt: manet exitus vnus vtrunque,
Seu potior iuri ſubdatur poſterioris,
Seu ſe maioris virtuti infirmior æquet.
Eſt etenim ambarum vinci, eſt & vincere poſſe:
Proficere, & minui: regnare, & perdere regnum.
Non quia plus cuiquam, minus aut in origine cauſæ
Naſcendi attulerint, aut vlla externa creatos
Vis premat, ignaroſque agat in diſcrimina morum:
Sed quia liber homo, & ſapiens, diſcernere rectis
Praua poteſt, in ſe intus habens diſcrimina rerum,
Iuſque voluntatis, quo temperat arbitrium mens.
Si tamen ancipitis cæca inter prælia vitæ,
Non de ſe timeat: ſed votis tuta modeſtis,
Inde putet totum poſſe, vnde accepit & eſſe.
Inſita ſic nobis patriæ virtutis imago eſt,
Longo iuſtitiæ quæ multum exercita cultu

H

Ceu ſpeculo lumen diuinum imitata referret.
Cumque bonis poſitum tranſiſſet in artibus æuum,
Aeternum victrix arcem manſura teneret.
Totaque res effecta Dei, iam nulla ſubiret
Prælia, nec trepidè ſecum decerneret in ſe:
Nec vellet quod mox nollet, voluiſſe, timere,
Ignorare, optare, pati iam neſcia: nullis
Creſcere egens cumulis, nulliſque obnoxia damnis.
Et quo promiſſis adſit fiducia magnis,
Ac ſpes propoſitæ ſit non incerta coronæ:
Munere præſentis vitæ, documenta futuræ
Sumit homo, & dandis confidere diſcit adeptis.
Huic cœli volucres, & cuncta animalia terræ
Subiecta: & piſces quos nutrit pontus & amnes.
Huic Solis Lunæque vices, & ſidera noctis
Noſſe datum: numeriſq; dies comprehendere & annos:
Scire poteſtates herbarum, & nomina rebus

Inde-

A Indere:& ingenium varias augere per artes.
Hunc potiorem vnum cunctis ſpirantibus, vni
Subiectum ſeruire Deo: nec corporea vi,
Sed rationis ope, præ fortibus imperitare.
Quòd ſi quis non totus homo hæc extendere verbis
Me putat, & nondum ſeſe cognouit in iſtis:
Audiat à primis diſtare parentibus actum
Per delicta genus, multa & rubigine morum
Corrupti exiguum ſemen ſupereſſe vigoris.
Vtque ſuæ tantum naturæ diſcat honorem,
In ſummum ſancti generis redeat caput, & ſe
Aeſtimet à manibus domini, afflatuque regente:
Qualis Adam, nondum terram damnatus in iſtam,
Et liber culpæ paradiſi diuitis orbem
Diaboli inuidia aduer. hominem. Cultarum locuples virtutum fruge tenebat.
Cui cum tanta Deus largitus dona fuiſſet,
Viperei populi princeps inuidit, & alta
Deiectus regione poli (quia ſumma tenere
B Non niſi pura poteſt bonitas) maiora nocendi
Concepit verſo mutatus corde venena.
Qui poſſeſſorem tantarum delitiarum
(Mandato exclusum quia nouerat arbore ab vna)
Perpulit à vetitis pomum decerpere ramis,
Queis inerat recti & praui experientia maior
Tunc ditione hominis: quia nondum acceperat hâc vim,
Quæ poſſet vitanda ſuo ſine noſſe periclo.
His illata dolis, hoc crimine nata ſubegit
Mors hominem, culpa in cunctos manante minores.
Quæ ſemel antiqua pulſos virtutis ab arce,
Non vno tantùm tranſfuſo errore parentum
Implicuit: ſed cum populis naſcentibus aucta,
Multiplicem lata porrexit ſtrage ruinam.
At quanquam immiſſa regnaret morte peremptos,
,, Nulla tamen placitos domino non edidit ætas:
,, Cunctaque diuerſos habuerunt ſecula iuſtos.
,, Quos licet ob meritum vitæ bona multa manerent,
,, In mortem vitiata tamen natura trahebat,
,, Non prius à primi vinclo abſoluenda parentis,
,, Quam maieſtate incolumi generatus in ipſa
,, Deſtrueret lethi cauſas & ſemina Chriſtus.
C Cuius perpetuam cunctis aſſiſtere curam
Promptum eſt exemplis ab origine noſſe petitis.
Non latet hanc ſanctis onerans altaria ſacris
Iuſtus Abel, qui primitijs nutum grege lectis
Conuertit domini ſyncera in munera vultum:
Nec fallit ſpecie deuota religionis
Dona Cain reprobanda dicans: cui virus amarum
Inuidia in fratrem ſuccenſo felle coquebat.
Nec reuocare ferum dominus ſermone benigno
Abſtinuit: quantumque nefas ſtrueretur ab ipſo
Ingeſſit, formamque dedit, qua vincere ſeſe
Poſſet, & inſanæ regnaret fortior iræ.
Sed concepta ſemel facinus crudele peregit
†alias immergens. Impietas, ſcelere* immenſo primordia mundi.
At nunquid placitum ſibi iuſtum à cæde nefanda
Non potuit ſeruare Deus? ſed finis acerbi
Occaſum, potior vita & tribuenda corona,
Immodico æterni ſuperabant pondere honoris.
D Quid? eum viuentem de terris tranſtulit Enoch,
Spernebat terrena Deus? namque omnibus illud
Proderat exemplum, quo mortis terror abiret,
Spemque inconcuſſam caperet ſubſtantia carnis.
Sic alio poſt multa æuo documenta minores
Propoſitæ in Chriſto meruerunt ſumere vitæ,
Cum raptum ignitis per inane iugalibus Heliam
Scandentem rutilo viderunt æthera curru.
An aberat tunc cura Dei, cùm effuſa per omnes
Gens hominum culpas, penitus pietate relicta
Dira toris vetitis generaret monſtra gigantas?
Illa quidem mundi exitium præfata futurum
Tempora larga dedit, queis in meliora reducti
Mortales, ſcelerum ſeriem virtute piarent.
Cumque nefas placitum toto periſteret orbe,
Nec niſi diluuio deleri crimina poſſent,
Sola Noe ſeruata domus: quæ libera cladis
Concluſis paribus ſpirantum de genere omni, E
Vnde forent vacuis reparanda animalia terris,
Illæſa mundo pereunte ſuperfuit arca.
Non quia non alios populos Deus edere poſſet,
Sed multis fractus morbis, vt ſemine ab ipſo
Idem homo in Chriſti corpus naſcendo veniret:
Vtque Deo iuſto meritorum iudice, partam
Noſſemus requiem ſanctis in clade malorum.
Nónne etiam in noſtram dom[illegible]iam tum miſerentis
Progeniem tendebat amor, cùm credulus Abram,
Multorum, patiente fide, genitor populorum,
Promiſſum genus innumeris cenſebat in aſtris?
Aut cum in pentapolim deſcenderet igneus imber,
Nónne prius multo dilata examine venit
Iudicis ira Dei? qui promptus parcere, nullas
Inuenit cauſas veniæ: deque omnibus vnum
Diſſimilem Sodomis inceſta in plebe repertum
Exemit: paruique dedit dominum oppiduli Loth.
Cum vero Ægyptum Chananæaque regna teneret F
Dira fames, totos ſeptem toleranda per annos,
Præſtruitur certè patriarchis cauſa mouendis:
Et domus externos inter placitura paratur,
Quæ blandè foueat populi incrementa futuri.
Myſtica dum Ioſeph prodentem ſomnia fratres
In ſeruum vendunt pretio, falluntque parentem:
Dum caſtum dominæ petulantia carcere damnat:
Dum rex obſcuri narrato ænigmate ſomni,
Exemptum vatem dignatur honore ſecundo:
Dumque pijs traducta dolis Hebræa iuuentus
Gaudet adoratum venia cognoſcere fratrem:
Qui cum multa inſons ferret mala, nonne remotum
Reſque hominum dedignantem potuiſſet inepto
Incuſare Deum queſtu, niſi cuncta profundis
Iudice ſub iuſto ſciſſet decurrere cauſis?
Quæ licet infidas ſoleant confundere mentes,
Non poſſunt turbare pias: quia tempore in iſto
Hæc poſita eſt virtus, vt libertate potitos
Exiguo in ſpatio, iuſti patiantur iniquos,
Quos Deus ipſe modo dilata ſuſtinet ira.
Sic gens chara Deo, & ſæuo ſuſpecta tyranno, G
Iniuſtum imperium regis tolerabat acerbi:
Mœſtarum & matrum fœtu potiore necato,
Condenſas iuſſos lateres præbebat ad vrbes,
Vt durus labor, & ſæuæ inclementia mortis,
Omnes terribilis populi conſumeret annos.
Sed non iſta Deo patribus illata remoto
Ipſe docet, curamque ſibi probat eſſe ſuorum:
Nam iubet electum Pharaoni edicere Moſen,
Vt ſinat Ægypto domini diſcedere plebem:
Ni faciat, multis plectenda ſuperbia plagis,
Sentiet excitam quæ regni vis habet iram.
Ille quidem, quoties patitur cœleſtia tela,
Cedit, & obſequium ſimulat: ſed clade remota,
Duratur parcente Deo: cauſas pereundi
Impius inde trahens, quo poſſet habere ſalutem.
Donec vi victus laxat fera iura tyrannus,
Ditia barbaricis & Moſes agmina gazis
Promouet, inſigni ſulco monſtrante columna
Per deſerta viam, quę formam in tempus vtrumque
Temperat, alterna vt tribuat vice commoda caſtris, H
Luce regens, & nocte regens, eadem ignis & vmbra,
Diſcutiens flammis tenebras, & nube calores.
Quid loquar? & trepidis patribus cùm incumberet hoſtis
Diuiſum pelagus, ſolidoque rigore ligatas
Inſtat montis aquas, vacuo ceſſiſſe profundo,
Quaque gradum illæſæ tulerant tot millia plebis,
Oppreſſum Ægypti populum coeuntibus vndis.
Omnis enim autori ſeruit natura potenti,
Quæque ad opem cedunt, eadem famulantur ad iram.
Sed mihi nec vacuum cunctas percurrere formas,
Virtutum: & geſtis oris non æqua facultas.
Nam quis tantarum euoluat miracula rerum?
Mannæ imbrem, & cunctos in cœli pane ſapores,
Siccæ rupis aquam, & dulcorem fontis amari:
Aut inter deſerta actos denos quater annos,

A Nec membris nocuiſſe æuo, nec veſtibus vſu.
Legis in exemplum iuuare, & quærere ab ipſis
Qui curam domini remouent, an tempore ab illo
Cœperit humanas in vitæ fœdera mentes
Informare Deus: nec per tot ſecula mundi
Permotus vitijs, tunc ius perſcripſerit æquum?
Ite ipſi in veſtræ penetralia mentis, & intus
Incifos apices, ac ſcripta volumina cordis
Inſpicite, & genitam vobiſcum agnoſcite legem.
Nam quis erit (modo non pecus agri aut bellua ponti)
Qui vitijs adeo ſtolidè oblectetur apertis,
Vt quod agit, velit ipſe pati? mendacia fallax,
Furta rapax, furioſum atrox, homicida cruentum
Damnat, & in mœchum gladios diſtringit adulter.
Vnus enim pater eſt cunctorum: & ſemine recti
„ Nemo caret: ſimiliſque omnes produxit origo.
„ Vnde etenim nondum deſcripta lege fuerunt
„ Qui placidum ſanctis agerent in moribus æuum:
„ Nec ſummi patris ignari, nec iuris egeni.
B Ergo omnes vna in vita cum lege creati
„ Venimus, & fibris gerimus, quæ condita libris.
„ Nec noua cura fuit noſtri, cum tradita Moſi
„ Littera præſenti damnaret crimina pœna.
„ Sed ſuperadiecta eſt generi cuſtodia ſancto,
„ Qua memor in patriæ fidei perſtaret honore,
„ Et promiſſorum domini ſuccederet hæres.
„ Cum tamen & quoſcunque eadem ſub ſacra liceret
Ire, nec externos arcerent limina templi,
Cumque Dei monitu canerent ventura prophetæ,
Sæpe etiam ad varias gentes ſint multa locuti.
Sic regina Auſtri cupidis Salomonis ab ore
Auribus eloquium domini venerata trahebat.
Sic Niniue monitis Ionæ ſub tempore cladis
Credidit: & tribus in luctu ieiuna diebus
Promeruit moturum excidio conſiſtere regno.
Verum ne longo ſermone moremur in iſtis,
Quæ ſparſim variæq; ſuis ſunt edita ſeclis:
Neve quod in parte eſt, in toto quis neget eſſe,
Dum ſolidam domini diuina negotia curam
C Velant, & nulla accipitur quæ rara videtur:
„ Dicite quem populum, qua mundi in parte remotum,
„ Quosve homines, cuius generis, vel conditionis
„ Neglexit ſaluare Deus? vir, fœmina, ſeruus,
„ Liber, Iudæus, Græcus, Scytha, Barbarus: omnes
„ In Chriſto ſumus vnum: non perſona potentis,
„ Nec domini, regiſve prior, diſtantia nulla
„ Luminis vnius ſpeculi niſi diſcrepet vſus.
Namq; velut ſpeculum mens eſt: quæ quo mage terſa eſt
Expoliente fide, radijſque interna ſupernis,
Hoc mage confeſſi reſplendet imagine Chriſti:
Qui cum patre Deo ſemper Deus: inque paterna
Maieſtate manens, miſcetur conditioni
Humanæ & verbum caro fit, rerumque creator
Naſcitur, atq; annis ſuccedit conditor æui.
Hoc etenim lex, hoc veneranda volumina vatum,
Hoc patriarcharum ſpes non incerta tenebat:
Vltima cùm mundi finem prope curreret ætas,
Venturum ad terrena Deum, qui morte perempta
D Solueret inferni leges: longamque ruinam
Humani generis, meliore attolleret ortu.

Contra Eutychē.

Sed tu qui geminam naturam hominiſque Deiq;
Conueniſſe vides anguſti in tramitis ora,
Firma tene cautus veſtigia, ne trepidantem
Alterutram in partem, propellat deuius error:
Si cernens operum miracula diuinorum
Suſpicias ſine carne Deum: cumve omnia noſtri
Corporis agnoſcas, hominem ſine numine credas.
Nulla etenim ſoli vita eſt mihi: morſque ſubactum
Detinet, & non eſt quo victus vincere poſſim,
Si non vera Dei virtus mihi conſociata eſt,
Aut me non vera ſaluator carne recepit:
Cuius maieſtas ſtabilis non hoc violatur
Quo reditnor: neq; ſe minor eſt, dum mutor in illo:
Sed mortale meum ſubit: vt quia morte teneri
Vita nequit pereat mihi mors: & non ego iam in me
E Viuam ſed Chriſtus, qui ſe mihi miſcuit in ſe.
Victus enim terrenus Adam, transfudit in omnes
Mortem homines, quoniam cuncti naſcuntur ab illo,
Et tranſgreſſoris decurrit cauſa parentis.
Sed nouus è cœlis per ſacræ virginis aluum
Natus homo eſt: aliudque bonus mortalibus in ſe
Fecit principium, carnemque refuſus in omnem,
Et vita functos naturam participando
Edidit, & viuos vitam mutando creauit.
Vtque illos veterum complexa eſt gratia ſolos
Qui Chriſtum videre fide: ſic tempore noſtro
Non renouat quenquam Chriſtus, niſi corde receptus.
En homo quanta tibi eſt gratis collata poteſtas?
Filius eſſe Dei, ſi vis, potes, omnipotens te „
Spiritus vmbratum verbi virtute creauit. „
Nec te corporeo patrum de ſemine natum „
Iam reputes: pereant captiua exordia carnis.
Nil veteris coniunge nouo, non hic tibi mundus,
Non hæc vita data eſt: nulla hic tua, nec tuus ipſe es.
Emptus enim es, pretiumque tui reſoluere fas eſt, F
Quo * potes vt ſoluens ſis ditior, & tibi creſcant †Qua
Quæ dederis, cedatque tibi pars ipſe redemptor.
Nec te difficilis nunc obſeruantia legis
Sub durum iubet ire iugum: mens libera ſanctum
Obſequium ratione ferat, quam ſpiritus almus
In tabulis cordis deſcribat ſanguine Chriſti.
Qui nobis quicquid ſermonibus inſinuauit,
Condidit exemplo, factis præcepta coæquans:
Rex ille, & rerum dominus: ſed pauperis egit
In ſpecie, nec veſte nitens, nec honore ſuperbus.
Infirmis fortis, rex ſeruis, diues egenis:
Iuſtitia iniuſtis cedit, ſapientia brutis.
Sacrilegis manibus percuſſus, non parat ictum
Reddere: nulla refert auidæ conuitia linguæ.
Damnatur iudex, verbum tacet: inſpuitur lux.
Ipſe miniſterium ſibi pœna eſt: felque & acetum
Dulcius ille fauis haurit: ſanctus maledictum
Fit crucis, & moritur Chriſtus, viuente Barabba.
Impia gens, tantum auſa nefas, ſentiſne furorem G
Iam mundo damnante tuum? ſol fugit ab orbe:
Et medio nox facta die eſt: concuſſaque tellus
Intremuit: mortemque Deo ſubeunte, ſepulchris
Excita ſanctorum ſumpſerunt corpora vitam,
Velum etiam templi diſciſſum eſt, ne quid opertum
In ſacris adytis, iam plebs indigna teneret:
Sanctaque pontifices fugerent offenſa cruentos.
Te vero extinctæ calcantem ſpicula mortis,
Et de carne nouum referentem carne trophæum,
Tertia diſcipulis Ieſu dedit attonitis lux.
Nec dubijs dominum licuit cognoſcere ſignis,
Cùm documenta fides caperet viſuque manuque
Rimans clauorum veſtigia, vulnus & haſtæ.
Cumque quater denis firmans promiſſa diebus,
Conſpicuus multis, ſæpe & tractabilis eſſet.
Hactenus in noſtris te, Ieſu, nouimus: ex hinc
In tua noſtra abeunt: nec iam diuerſa, ſed vnum Contra Neſtoriū.
Sunt duo: dum vita in vita eſt, in lumine lumen,
Augmento, non fine hominis: quo glorificato
Sic homo, ſic Deus es, vt non ſis alter & alter: H
Noſque ad te ire iubes ſurſum tecumque potiri
Luce tua: ſi calle tamen curramus eodem,
Edocti, non poſſe capi niſi de cruce cœlum.
Iamne Dei compertus amor, diffuſaque in omnes
Cura patet? notum & cunctis aſtare ſalutem? „
Et tamen, heu, rurſus querulis homo garrula verbis „
Bella moues, iaculiſque tuis tua viſcera figis. „
Cur non ſum bonus? hoc non vis: cur ſum malus? hoc vis. „
Cur volo, quæ mala ſunt? & cur quæ ſunt bona nolo? „
Liberè ſed cum recta queas diſcernere prauis, „
Deteriora legis, placitiſque improuidus hæres: „
Erro, ais: & vellem non poſſe errare: duobus „
Subiacet hæc votis ſententia: nam penitus te „
Aut eſſe exanimum cupis, aut rationis egenum. „
Error enim eſt eius, qui ceſſit limite recti,
Quique poteſt ad iter Chriſto ducente reuerti.

A At quem nulla viæ ſuſcepit linea, nuſquam
Declinat: nullumque timent non ſtantia caſum.
Nunquid cura Deo de bobus? nunquid ad vllas
Fit verbum domini volucres? num lege tenentur
Monſtra maris? quę cum faciunt iuſſa omnipotentis,
Ignorant ſeſe facere: affectumq; volendi
Sumunt, & quod agunt alijs, ſibi cedere credunt.
Sic etiam quæ non ſpirant ſunt ſemper in illo,
In quo ſunt formata modo: non plana tumeſcunt
Collibus, aut celſi ſternuntur in æquore montes:
Non veniunt alpes in pontum, aut pontus in agros:
Saxa iacent, amnes decurrunt, ſtantque paludes:
Et tamen his nihil eſt mercedis, quæ ſine ſenſu
Diſpoſitos in ſe præbent viuentibus vſus.
Quod ſi horum præſtare tibi natura videtur,
» Iam boue mutari velles, vel rupe, vel amne.
» Deterior nollem fieri: potior voluiſſem,
» Nunquid qui domino placuerunt moribus almis,
» Diſplicuere ſibi? nunquid non ſemine ab vno
B Venimus, aut alia eſt hominum natura bonorum?
» Non aliter diues quam pauper naſcitur: vnum eſt
» Principium ſeruis & regibus: optimus ille
Non plus accepit, quàm peſſimus: æqua creantis
Menſura eſt, vno qui lumine luminat omnes.
Sed mundum ingreſſi varijs rerum ſpeciebus
Suſcipimur, mentemque adeunt quæcunque videntur,
Iudicio cenſenda hominis: ſtant vndique formæ
Innumeræ, poſſuntq; omnes ſpectando probari.
Quædam etiam patulas intrant ſtipata per aures,
Errores veterum ſtudiorum, & vana parentum
Dogmata, cum quodam fuco oſtentantia veri,
Hæc modulata ſono veniunt, hæc læuia tactu,
Hæc blandis latè funduntur odoribus, illa
Conciliant varias in mille ſaporibus eſcas.
Magno ergo hæc homini ſunt diſcernenda periclo:
Ne nimium trepidus nullum procedat in æquor:
Neu vagus effuſis ſine lege feratur habenis.
Eſt etenim ſanctus rerum vſus, quem cohibentes
C Intra modum numeri & momentum ponderis æqui,
Pro cunctis ſoli domino reddemus honorem.
Omnia quæ fecit bona valde, vt non vitiorum
Incentiua, ſed vt ſuperas caperemus in illis
Hic decertato virtutis agone coronas.
An tibi cœleſtes illi, quos protulit orbis
Fertque viri, non hæc eadem toleraſſe videntur,
Quæ patimur? motus animi, affectuſque rebelles,
Et circumiectis vitia oppugnantia caſtris?
Sed gladio verbi fideique vmbone potenti
Vicerunt arcus tenebrarum, & ſpicula mortis:
Cumq; opus hoc mundi magnum pulchrumq; viderent,
Non mare, non cœlum, non ignem, aut ſidera cœli
(Quæ numero ſubiecta ſibi, viſuq; tenebant)
Suſpexere Deos: vnum, ratione magiſtra,
Autorem & dominum rerum, non facta, colentes.
At tu nobilius qui factum te voluiſſes,
Nunquid in angelico ſatus ordine, non quæreretis?
Nam cum ille excelſo deiectus Lucifer axe
Conciderit, rueritque illo pars tertia pulſo
D Aſtrorum, quæro in quanam tunc parte fuiſſes?
Clara Dei ſemper bonitatis imago maneres?
An caſtra inuidiæ ſequereris & agmina noctis?
Sed quo te præceps rapit orbita? vis bonus eſſe
Abſque labore tuo? credis hoc cedere poſſe,
Contra [illegible] Si tibi mutentur natalia ſidera, quorum
Te prauum decurſus agit: quid vana vetuſti
Perfugia erroris Chaldæis quæris in aſtris?
Quamuis ſollicitis adeas cœleſtia curis,
Et penitus cauſas rerum ſcruteris apertas.
Non tenuis mage noſſe Deum quam cuique elemento
Naturam dederit, qua pontum lege moueri
Iuſſerit, aut teneris quam vim conſeuerit auris,
Sidereoſq; ignes in quæ momenta crearit:
Qui cum ſyncerus ſit fons æquique bonique,
Immitem iuſſis legem præſcripſit iniquis,
Si prius ipſe hominum mores conſtrinxerat aſtris.

Namque aduerſa ſibi ſunt hæc, nimiumque repugnant, E
Exigere inſontes actus: delictaq; pœnis
Afficere, & cunctos eadem ad promiſſa vocare:
Contra autem natis violentum affigere ſidus,
Quod nec velle homini cedat, nec poſſe: ſed omnes
Deſuper ignaros & virtus ducat, & error.
Ergo aut æthereis nullum eſt ius ignibus in nos,
Aut ſi quid noſtri tenent, amittere poſſunt:
Cum mihi progenito ad vitam, mandata ſalutis
Et cordi inſinuet bonus autor & auribus, ac me
Currentem mercede vocet, terrore morantem.
Solum, inquit, venerare Deum, ſoliqque memento
Seruire: externas & deſpice religiones.
Hoc operis ſectare boni, hoc fuge cautus iniqui.
Vita beata iſto patitur, mors editur illo.
Coram adſunt aqua ſeruatrix, populator & ignis:
Ad quod vis extende manum, patet æqua facultas.
Quod legis monitus, & vatum ſcripta piorum,
Et Deus ipſe ſuo nequicquam promeret ore, F
Arbitrium noſtrum ſi vis externa teneret.
Verùm ſi quid obeſt virtuti, animoſque retardat,
Non ſuperi pariunt ignes, nec ab æthere manat,
Sed noſtris oritur de cordibus: ipſaque bellum
Libertas mouet, & quatimur ciuilibus armis:
Otia cum mollis complexa ignaua voluptas
Difficili negat ire via, brauioque potitos
Ardua quæque piget pro ſpe tentare latenti.
Cumq; hæc intus agi proſpexit callidus hoſtis,
De ſtudijs veſtris vires capit: vtque parentis
Auertat veri cultum, perſuadet ab aſtris
Fata ſeri, fruſtraque homines contendere diuis:
Hinc vario viræ dominos mercantur honore.
Error abi, procul error abi, ſatis agnita priſci
Sunt commenta doli: monſtros quibus omnipotens nos
Elaqueat, cultuſq; docet vitare profanos.
Scimus enim quanta ſteterit mercede quibuſdam
Sidus adoratum Rempham: venerataq; cœli
Militia: & cultus Soli Lunæque dicatus.
Nec latet hæc verbis hominis ſubſiſtere iuſſa
Ad vocem ſeruiſſe mora: noctiſque repulſæ G
Temporibus creuiſſe diem: cum lux famulata
Neſciret niſi quem faceret victoria finem.
Nouimus & cœlo præſcriptas conditiones
Arbitrio quondam ſancti manſiſſe prophetæ:
Cùm poſitum ad tempus clauſos ſitientibus agris
Non licuit rotare polos: ipſumque, vocata
Partibus è ſuperis in ſancta altaria flamma,
Quem dederat ſacris, ignem immiſiſſe profanis.
Cuius vis etiam Chriſti delapſa fuiſſet
Diſcipulis, pœnam hoſpitij exactura negati,
Ni patiens dominus venia præuerteret iram.
Nullum ergo in nos eſt permiſſum ius elementis,
In quæ ius hominis: nec poſſunt condere legem,
Quæ legem accipiunt, ſolus Deus omnipotens rex,
Omnia qui noſtræ diſpenſat tempora vitæ,
Nec ſeruire aſtris vult, quos ſuper aſtra locauit.
Nam quoſcunq, ſacro renouauit ſpiritus amne,
In Chriſto genitos mortali ex ſtirpe receptos
Iam ſedes cœleſtis habet, nec terrea nectit H
Progenies, templum in domini corpuſq; redactos.
Quod ſi quis curſu aſtrorum effectuque notato,
Contendit naturam hominis vitamque videri:
Quæro quid hac trepidis mortalibus afferat arte?
Hic (inquit) felix, miſer hic erit, hunc rapiet mors
Impubem, hic ſenio tranſcendet Neſtoris annos.
Falſum hoc, aut verum eſt? ſi ſtant prædicta canentis,
Nec miſero ſupereſt ſpes, nec formido beato.
Et quæ ſideribus danda eſt reuerentia fixis,
Si quæ ferre queunt, nequeunt decreta mouere?
Dent ſeſe ſcelerum potius torrentibus omnes:
Fallant, diripiant, iugulent, fas omne nefaſque
Confundant, periſtet enim nihilominus aſtrum.
Cuius ad effectu firmato cardine rerum,
Vt mala non poterunt ſancta probitate repelli,
Sic bona non fugient peruerſos debita mores.

A At ſi prædictæ ſortis mutabilis ordo eſt,
Et declinari poſſunt ventura, ſoluta eſt
Omnis ab ancipiti caſu vis pendula fati.
Scrutantis igitur ſtellarum motibus, hoc eſt
Artis opus, totam ſubuertere religionem:
Dum nullum curare Deum mortalia ſuadet:
Aut dum poſſe docet votis elementa moueri,
Innumeram miſeris plebem inſinuare Deorum.

Contra Epicureos

Sed quia detectis laqueis iam fraudis opertæ,
Quo captos vanis ſtudijs deduceret error
Compertum: ſupereſt nunc reſpondere querelis,
Quæ mundi rebus diuinam abſiſtere curam
Obijciunt, dum ſæpe bonos labor anxius vrget,
Et tranquilla fluit miſerorum vita malorum.
Dic age, qui nullis domini moderantis habenis
Humanas res ire putas: quid ab ordine ceſſat
Naturæ? quæ bella mouent elementa? quid vſquam
Diſſidet à priſco diuiſum fœdere rerum?
B Sic interiecta Solis reuocatur in ortum
Nocte dies: idem eſt Lunæ aſtrorumque recurſus:
Et relegunt notas ſubeuntia tempora metas.
Non aliter venti ſpirant: ita nubibus imber
Læta negant ſeruantque genus prudentia flores
Semina quæque ſuum: nec abeſt ab origine rerum
Ordo manens, ijſdem ſubſiſtunt omnia cauſis.
Quæ niſi perpetuo ſolers prudentia regis
Attueret, molemque omnem ſpirando foueret:
Conciderent ſubitam in nihilum redigenda ruina.
Et cùm hæc peruigili cura omnipotentis agantur,
Quæ certum ad finem deuexo limite vergunt:
Quis neget in noſtram gentem ſpecialius æquum
Patris ſua iura Deum? cui perpetuis æui
Spem tribuit, propriæ largitus imaginis inſtar.
At qui nec pœnam iniuſtis, nec præmia ſanctis
Reſtitui ad præſens quereris: velleſne per omnes
Vltricem culpas deſcendere iudicis iram?
Et quo magnanimi clemens patientia regis
Diſtaret ſæua immitis feritate tyranni?
C Aut quæ pars hominum peccati neſcia mundum
Poſſeſſura foret? vel ſanctæ quis locus eſſet
Virtuti in terris? cui ſi præſentia dona
Affluerent, cœlo potius ſublata maneret.
Sic mundi meta abruptis properata fuiſſet
Temporibus: neque in ſobolem generanda veniret
Poſteritas, pariter cum iuſtos atque nocentes
Aut promiſſus honos, aut pœna auferret ab orbe.
Nunc verò & generis noſtri profunda propago
Tenditur: ac duplici ſucceſſit origine pubes
Nata patrum membris, & Chriſti fonte renata.
Et pia dum populis domini patientia parcit,
In lucem multos de tetra nocte reuerſos
Ac poſita claros peccati labe videmus.
Ille per innumeros vultus, & mille per aras,
Barbaros ſæuoſque Deos iuueneſque ſeneſque,
Vt quondam fecere, colens, iam errore parentum
Abiecto, ſolum vnigenam ſummiſſus adorat.
Hic ſophicas artes Græcorum, & vana ſecutus
Dogmata, iam Chriſto ſapere, & bruteſcere mundo,
D Gaudet apoſtolico doctus cœleſtia ludo.
Quam multos procul à portu rationis in altum
Dedecorum turbo abſtulerat, quos æquore toto
Iactatos, nimiumq; vagis erroribus actos
Nunc reduces iuuat excipere, amplexuque paterno
Confotos nuſquam ſtatione abſcedere vitæ:
Quos ſi multa interiorum delicta priorum
Plectiſſet properè rigor implacabilis iræ,
Intercepta forent melioris tempora vitæ,
Nec ſtandi vires licuiſſet ſumere lapſis.
Mortem (inquit dominus) peccantis nolo, nec vllum
De pereunte lucrum eſt: redeat magis, ioque relictum
Mutatus referatur iter, vitaque fruatur.
Et quia virtutum ſimiles vult eſſe ſuarum
Quos genuit, Vindictam (inquit) mihi cedite: reddam
Iudicio quæ digna meo: detur locus iræ.
Sic dum multorum differtur pœna malorum,

E Nonnulli plerunque probos reuocantur in actus,
Ac fit quiſque ſibi iudex, vltorque ſeuerus,
Quod fuerat prius interimens, aliuſque reſurgens.
At qui perſiſtunt errori incumbere longo,
Quamuis in multis vitijs impunè ſeneſcant,
In ſæuum finem venient: ibi non erit vlla
Spes veniæ, minimo ad pœnam quadrante vocando.
Nos etenim quoties cauſa quacunque mouemur,
Vindictam celerem cupimus: quia rara facultas
Non patitur, læſis tempus tranſire nocendi.
At vero æternum nil effugit, omniaque adſunt
Salua Deo: nihil eſt illi tardumve, citumve:
Nec dilata vnquam, nec feſtinata putemos:
Quæ veniunt noſtris mutantur tempora rebus.
Nam quod vbiq; agitur, quod geſtum eſt, quodq; geren-
Ante oculos domini prouecto ſubſiſtit in vno. (dum eſt,
Vna dies cui ſemper adeſt, cras, atque heri noſtrum.
F Sed quanquam examen Deus omnia ſeruet in illud,
Quo, quæ nunc occulta latent, reſerata patebunt:
Multa tamen mundum per ſecula cuncta regentis
Iuſtitiæ documenta dedit: dum maxima bellis
Regna quatit, dum ſæpe vrbes, populoſque potentes
Exhaurit morbis, cremat ignibus, obruit vndis:
Dumque inopes ditat, deiectos eleuat, auctos
Imminuit, ſoluit vinctos, ſubigitque ſuperbos.
Nec verò hoc niſi cum magna ratione putandum eſt
Accidere, vt quoties iram experiuntur iniqui,
Supplicia inſontes videantur obire nocentum.
Multa quidem ſemper mundo communia in iſto
Indignos dignoſque manent: ſol omnibus idem eſt,
Idem imber: pariter ſubeuntur frigora & æſtus.
Vtque indiſcreta eſt cunctis aqua, lumen, & aura,
Sic iniuſtorum iuſtos mala ferre neceſſe eſt:
Vt dum multa malis inſontes compatiuntur,
Sint quorum merito populis parcatur iniquis,
Et qui conuerſos virtutis imagine ducant.
Sed cùm perdendis, inde mutabilis inſtat
G Finis: non eadem incumbit ſententia ſanctis.
Sunt quos diluuium mundi non obruat, & quos
Arſuris liceat Sodomis euadere. norat
Angelus Ægypti vaſtator limina ſigno
Scripta crucis, ſacro remouens à ſanguine plagam:
Nec tunſo mulier decepta eſt vellere, cuius
Sola domus tanta pereunte ſuperfuit vrbe.
Fit mare per tumidum ſanctis via, fitque per amnem:
Et per inane piis gradus eſt: cibus alite ſerua
Suggeritur, perditque auidus ſua fercula meſſor.
Vtque Dei ſeruis nihil obſit, vertitur ordo
Naturæ, vinctos labentia vincula ſoluunt:
Carcer ſponte patet, fera non tenet obice valuas:
Deficit humor aquas, ignes calor, ira leones.
Non autem dubium eſt, in magnæ turbine cladis
Inuolui teneros annos, & more parentum
Criminis expertes aliena occumbere culpa.
Nam cum homines pontus tegeret, deleta per orbem
Multa puellarum & puerorum millia notum eſt. "
Nec tamen iniuſtè terris exempta videtur "
Progenies auctura malos: cui multus in ipſo "
Exitio eſt collatus honos, quòd crimine patrum "
H Occidit antè, ſua caderet quàm noxia culpa.
Quòd ſi & iuſtum aliquem complexa eſt pœna malorũ,
Ne dubites placuiſſe Deo: nec enim mala mors eſt
Vlla bonis, quibus è vario longoque labore
Quilibet in requiem patet exitus, aſpera vitam
Dat via, nec campo capitur, ſed fine corona,
Verùm nos blandis capti, offenſique ſeueris,
Nec bona iudicio ſpectamus, nec mala vero:
Dum non noſtrarum curanda negotia rerum
Suſcipimus, proprijſq; iuuant aliena relictis.
Nec quemquam vitiis miſerum, aut virtute beatum
Cenſentes, fruſtra externis culpamque decuſque
Iungimus, & cœlo aſcripti terrena fouemus.
Felices dici mos eſt, quos blanda poteſtas
In ſummos apices tumidorum euexit honorum:
Quos magni quæſtus ditarunt, & quibus amplos

Con-

A Congeſſit tedirus torum res luſa per orbem.
Laudantur veſtes pretioſæ,& pulchra ſupellex,
Magnæ ædes,famuli innumeri,vigileſque clientes,
Et quicquid non eſt noſtrum:quodque vt dare quiuit
Vna dies,ſic vna poteſt auferre:nec illud
Quod ſpeciale bonum eſt hominis, nullamq; timet vim,
Amplexi,miſeros,quibus hæc perdenda deſunt,
Et per mille modos pereuntia,credimus,ac ſi
Iuſtitiam durus labor vrgeat,& dolor ægri
Corporis,& mortes natorum,& turpis egeſtas:
Nun quantas pariat conſtans tolerantia palmas,
Nec quo pugna breuis ſit proceſſura videmus:
Sed calicem crucis ac vitæ libare veremtes,
Vipereum obducto potamus melle venenum.
Dulcia ſunt etenim guſtu,ſpecieque decora,
Quæ morbos mortemq; animæ generantque, fouentq;,
Canceris & ritu languentia viſcera carpunt.
B Cumque Deus medicam cœlo demittere curam
Dignatur,penitaſque putres abſcindere fibras,
Incuſamus opem teneri,& tabeſcere morbo
Malumus,antidoti quàm vim tolerare ſeueri.
Non igitur mala ſunt,quæ nos mala ducimus:& cùm
Vlceribus diris non parcit dextra medentis,
Amplectenda ſalus,non exacuenda querela eſt.
Iam quos peccantes Deus arguit, hos etiam nunc
Diligit,& patrio vult emendare flagello.
Neque illis potius ſociet,quàm congreget illis,
Quos iam tumiduo permiſit verbere curſu
Ire voluntatis,propriaque libidine ferri.
Hi ſunt verò illi,quos inter crimina tutos
Et ſceletum dites fructu,impunita ſenectus
Extrema turpis vita produxit in oras:
Hi multum multis odijs pteſſere:per iſtos
Bella exorta pijs,& flagra medentia iuſtis.
Namque eadem cunctos exercent tela fideles,
Sub duplici cauſa:dum quo torquentur iniqui,
Hoc tamen crecunt:& quod pœnam attulit illis
C Pro culpa,hoc iſtis dat pro virtute coronam.
Denique ſi quicquid mundanis rebus acerbum
Accidit,excutias,totum iam ſponte videbis
Anticipaſſe Dei famulos. genus ille talentis
Argenti atque auri innumeris:hunc rapta ſupellex,
Perque tiurus Getticas diuiſa monilia torquent:
Hunc pecus abductum,domus vſtæ,potaque vina
Afficiunt,miſtes nati,obiectoque miniſtri.
Sed ſapiens Chriſti ſeruus,nil perdidit horum,
Quæ ſpreuit,cœloque prius tranſlata locauit.
At n quid inuadit ſuo tempeſtate laborum
manifeſtus pro certus Incidit,intrepidè ſubijt: manifeſtus honoris
Promiſſi,& cupidus victo certamine ſolui.
At tu,qui ſquallidos agros,deſertaque defles
Atria,& exultæ proſecuta diruta villæ,
Nonne magis proprijs poſſes lachrymas dare damnis,
Si potius vaſtata tui penetralia cordis
Inſpiceres?multaque obtectum ſorde decorem?
Graſſanteſque hoſtes captiuæ mentis in arce?
Quæ niſi per cunctas patuiſſet dedita portas,
Inque tuam cladem iacibus fomenta dediſſet,
D Hæc etiam quæ facta manu ſpecioſa fuerunt,
Deuoti mentium populi reſtata manerent.
Sed cum deformi iaceant proſtrata ruina,
Obijciunt nobis caſus nutritoſque,ſuoſque.
Hos igitur cineres templorum, hæc buſta potentum,
Quæ congeſta iacent,populati cordis in aula
Plangamus captiua manus,nos ſplendida quondam
Vaſa Dei,nos almæ aræ,& ſacraria Chriſti.
In quibus argentum eloquij,virtutis & aurum,
Et ſceptrum captum eſt crucis,& diadema decoris.
Nec rabidis iuſtam moueamus queſtubus iram,
Iudicium culpando Dei,quod mentis & oris
Officium multa tranſcendit maius abyſſo.
Quamuis exiguo hoc fugientis tempore vitæ
Iniuſti tumeant,& tuta pace ſuorum
Lætentur ſcelerum:nonque illos vinea fallat,
Non ager:& noceant illæſi,& crimine creſcant:

E Nos,quibus in Chriſto ſunt omnia,non capiant res
Occiduæ:quas nec nobiſcum inueximus orti.
Nec diſceſſuri,mundo exportabimus iſto.
Sed ſi quis ſupereſt animi vigor,excutiamus
Peccati ſeruile iugum:ruptiſque catenis
In libertatem & patriæ redeamus honorem.
Impia non oberunt cum ſæuo pacta tyranno
Captiua conſcripta manu,reſolubile Chriſto eſt
Hoc fœdus,quod iure poteſt ſubuertere iuſto:
Auerſos reuocans,& ſuſcipiens conuerſos, "
Sanguine quos proprio quæſiuit prodigus emptor. "
Si tamen aſſertoris opem feſtina voluntas "
Præueniat,fletu dominum motura fideli. "
Nam vt nemo inuitus,ſomnove quietus in alto "
Fit ſaluus,nec non perijt qui ſponte receſſit, "
Sic pulſata patent redeuntibus atria vitæ,
F Et recipit cœli ſeruatos curia ciues.
Cuius ſpem veniæ ſitinato corde fouentes,
Implorate Deum,pugnaſque relinquite fratres
Verborum,& lites de prauis ſenſibus ortas.
Nec quia procidimus fuſi certamine primo,
Stare & conflictum vereamur inire ſecundum.
Cuncta licet varijs terroribus impleat hoſtis,
Et vigili clauſas obſidat milite portas:
Cum victo tamen eſt bellum,ſi carne vetuſta
Exuti,in Chriſti remouemur corpus,& omnem
Vincendi nobis vim de victore petamus.
Qui dum noſtra ſuis ſociat,iunxit ſua noſtris:
Vt non humanis fidens homo,totus in illum
Se referat:ſine quo non ſtant,qui ſtare videntur:
Et per quem ſparſi coëunt,ſtratique reſurgunt.
Hæc ſat erit paruo rudibus ſcripſiſſe libello:
Qui cùm ſyncerum viuo de fonte liquorem
Guſtarint,ipſi profundent flumina ab aluo
Cordis,& irriguas præbebunt fratribus vrnas.

Finis Libri de Prouidentia Dei.

G

IN OBTRECTATOREM
AVGVSTINI EPISCOPI.

Contra Auguſtinũ narratur ſerpere quidam
Scriptor,quem dudum liuor adurit edax:
Qui caput obſcuris contectum vtcunq; cauernis,
Tollere humo miſerũ perpolit anguiculũ.
Aut hunc fruge ſua æquorei pauêre Britanni:
Aut huic Campano gramine corda tument. Pelag. Brito. Iulianus Campanus.
Quæ concepta fouet,promat:quæ parturit,edat:
Seu vetere armatur dogmate,ſiue nouo.
In quoſcunque ſinus,ſpirarum torqueat orbes,
Et fallax multa contegat arte caput:
Currentem artitos ſuper aſpides & baſiliſcos
H Declinare ſenem vipera non poterit.

ITEM IN EVNDEM.

Quidam docſilo qui libros ſenis Auguſtini
Carpere,& aduerſum condere fertur opus.
Vſque adeòne bonum ingenium,& facundia diues
Oſtentare artem non aliter potuit,
In noua proſtratas acies niſi bella cieret,
Impiaque extinctis hoſtibus arma daret?
Hæc pugna,incentor,mors eſt tua:te ſtylus iſte
Conficit,& verbis perderis ipſe tuis.
Dumque doces quantum valeat mens libera,monſtras
Velle tuum tibimet ſufficere vt pereas.
Verte gradum,fuge perniciem:ſtratoſque rebelles,
Oris Apoſtolici fulmine vbique vide.
Nec te mutato defendi nomine credas.
Si paſtorem ouium lædere vis,lupus es.

A

EPITAPHIVM
NESTORIANÆ ET PELAGIANÆ HÆRESEON.

Neſtoriana lues ſucceſſi Pelagianæ,
 Quæ tamen eſt vtero prægenerata meo.
Infœlix miſeræ genitrix & filia natæ,
 Prodiui ex ipſo germine quod peperi.
Nam fundare arcem meritis prior orſa ſuperbis,
 De capite ad corpus ducere opus volui.
Sed mea dum proles in ſumma armatur ab imis,
 Congrua bellandi tempora non habui.
Et conſanguineæ poſt triſtia vulnera fraudis,
 Aſpera conſerui prælia ſine pari.
B
Me tamen vna dedit victam ſententia letho,
 Illa volens iterum ſurgere, bis cecidit.
Mecum oritur, mecum viuit, mecumque ſepulchrum
 Intrat, & inferni carceris ima ſubit.
Quò nos præcipites inſana ſuperbia merſit,
 Exutas donis, & tumidas meritis?
Nam Chriſtum pietate operum & mercede, volentes,
 Eſſe Deum, in capitis fœdere non ſtetimus:
Sperantesque animi de libertate coronam,
 Perdidimus quam dat gratia iuſtitiam.
Quique igitur geminæ miseraris buſta ruinæ,
 Ne noſtro exitio conſociêre caue.
Nam ſi quæ domini data munera ferò fatemur,
 Hæc homo credis debita, noſter eris.

PRÆFATIO IN LIBRVM DE INGRATIS.

Vnde voluntatis ſanctæ ſubſiſtat origo,
 Vnde animis pietas inſit, & vnde fides:
C
Aduerſum ingratos, falſa & virtute ſuperbos,
 Centenis decies verſibus excului.
Quos ſi tranquilla ſtudeas cognoſcere cura,
 Tutus ab aduerſo turbine lector eris.
Nec libertate arbitrij rapiêre rebellis,
 Vlla nec audebis dona negare Dei.
Sed bona quæ tibi ſunt, operante fatebere Chriſto,
 Non eſſe ex merito ſumpta, ſed ad meritum.

ΠΕΡΙ ΑΧΑΡΙΣΤΩΝ, HOC EST,

DE INGRATIS, CONTRA PELAGIANOS, S. PROSPERI LIBER.

Procemiū
Congenitæ in Chriſto gentis mihi caſtus ab alto
D
Inſinuatus amor proprias excedere vires
Me iubet, atque pias accendere carmine mentes:
Ne poſt confectum celebris victoria bellum,
Securos animos incauta pace reſoluat:
Ceu metus eliſo iam nullus ab hoſte ſuperſit:
Nec caput attriti viroſum palpitet anguis.
Vnde igitur commenta mali ſopita reſurgant,
Quemve ipſo de fine dolum noua promat origo,
Da fari pater omnipotens, artemque malignam
Pandere, proſtratus qua ſurſum nititur error.
Cap. 1. Dogma quod antiqui ſatiatum felle draconis,
Peſtifero vomuit coluber ſermone Britannus:
Hac primos homines cretos ditione ferebat,
Vt ſeu præſcriptum mandatum tranſgrederentur,
Siue inculpati ſeruata lege manerent,
E
Mortem iſtam prorſus, qua carnem vita relinquit,
Oppeterent: quæ non peccato parta, ſed ipſa
Inſtituente Deo comes eſſet fixa creatis.
Progenitos igitur nullum traxiſſe reatum
De patribus: neque diſſimiles nunc naſci ab illo
Ortu primorum, qui libertate male vſi
Peccarunt, forma nocui non ſemine proli:
Poſſe autem inſontes omnes virtutis in arce
Vitam agere, & menti ingenitum ſeruare decorem:
Arbitrio quoniam ſubſiſtat recta volentis
Naturalis honos, lexque inſita cordibus intus
Hoc moneat, quod ſcripta foris: cui gratia Chriſti
Addita, perfugium lapſis generaliter in ſe
Condiderit, ſacro ſi vellent fonte nouari:
Vt ſponte attractum venia ſoluente reatum,
Sponte ſua in vires proprias natura rediret:
F
Quoque per errores eſſet ſpoliata vigore,
Hunc ſeruare ſemel poſſet purgata receptum.
Tam diues verò hoc donum baptiſmatis eſſet,
Et iam multa homini conferri fœdere in iſto,
Vt paruis, etiam vitioque carentibus omni
Congruat, vt qui ſunt geniti bene, ſint meliores,
Naturæque bonum adiecto illuſtretur honore.
Nullum autem ex cunctis exortem muneris huius,
Iudicio genitum eſſe Dei: ſed quemque mereri
Libertate ſua, vt capiat promiſſa vocantis:
Quæ ſint auerſis indebita, debita rectis.
Talia cùm demens latè diffunderet error, Cap. 2.
Commentisque rudes traheret lethalibus aures,
Adfuit exhortante Deo prouiſa per orbem
Sanctorum pia cura patrum, non diſpare motu
Conficiens diros iaculis cœleſtibus hoſtes,
Hiſdem namque ſimul decretis ſpiritus vnus
Intonuit, peſtem ſubeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri: quæ paſtoralis honoris Sedes Petri. Palæſtina Synodus.
Facta caput mundo, quicquid non poſſidet armis,
Religione tenet: non ſegnior inde Orientis
Rectorum cura emicuit: captumque nefandi
Dogmatis autorem conſtrinxit lege benigna
Commentum damnare ſuum, niſi corpore Chriſti
Abiungi, & ſancto mallet grege diſſociari.
Lene quidem hoc, nimiumque malos toleraſſe videtur G
Iudicium: ſed ſancta fides examine in illo
Vicit obortutam diro de ſemine prolem.
Proſpectum namque eſt, diuino & munere cautum,
Vt licet inſtantem declinans beſtia pœnam,
Perfidiæ ſecum ſenſus tenuiſſet eoſdem:
Ipſa tamen proprium germen damnando necaret:
Ore malam extinguens ſobolem, quam protulit ore.
Tunc etiam Bethlei præclari nominis hoſpes, Hierony.
Hebræo ſimul & Graio, Latioque venuſtus
Eloquio, morum exemplum, mundique magiſter
Hieronymus, libris valde excellentibus hoſtem
Diſſecuit: noſcique dedit, quo turbine veram
Vellent exortæ lucem obſcurare tenebræ.
Quid loquar? & curam magna quam geſſit in vrbe,
Conſtantinopoli docto bonus ore ſacerdos
Atticus, antiqua Legatos hæreticorum Atticus.
Confutando fide? de qua tunc impia corda, H
Quamuis ſe obducta regerent velamine forma,
Iudicij & tacitæ tulerant tormenta repulſæ.
Prætereo quanto fuerit bene mota tumultu
Clara Epheſos, non paſſa ſuis conſiſtere tectis Epheſus.
Vaſa iræ, & morbi flatus, & ſemina mortis:
Quaque fide tellus etiam Trinacria feruens, Sicilia.
Agmen vipereum proprijs exegerit oris. Africa.
Tu cauſam fidei flagrantius Africa noſtræ
Exequeris: tecumque ſuum iungente vigorem
Iuris Apoſtolici ſolio, fera viſcera belli
Conficis, & lato proſternis limite victos.
Conuenêre tui de cunctis vrbibus almi
Pontifices, geminoque ſenum celeberrima cœtu, Duæ ſynodi Africanæ contra Pelagiū.
Decernis quod Roma probet, quod regna ſequantur,
Nec ſola eſt illic ſynodorum exerta poteſtas,
Ceu quos non poſſent ratione euincere noſtri,

A

Vi premerent:diſcuſſæ artes,viruſque retectum eſt
Hæretici ſenſus:nullumque omnino relictum,
Docta fides quod non diſſolueret argumentum.
Condita ſunt,& ſcripta manent,quæ de cataractis
Æterni fontis fluxêre vndante meatu,
Et tercentenis procerum ſunt edita linguis:
Sic moderante ſuam legem bonitate ſeuera,
Vt qui damnato vellent de errore reuerti,
Acciperent pacem,pulſis qui praua tenerent.
An aliud in finem poſſet procedere ſanctum
Concilium,cui dux Aurelius ingeniumque (Aurelius Auguſt.)
Auguſtinus erat?quem Chriſti gratia cornu
Vberiore rigans,noſtro lumen dedit æuo,
Accenſum vero de lumine?nam cibus illi,
Et vita,& requies,Deus eſt:omniſque voluptas

B

Vnus amor Chriſti eſt,vnus Chriſti eſt honor illi:
Et dum nulla ſibi tribuit bona,ſit Deus illi
Omnia:& in ſancto regnat ſapientia templo.

Cap. 3.

Iſtius ergo inter cunctos,qui de grege ſancto
Inſanas pepulêre feras,induſtria maior:
Maius opus,totum præſtantius imbuit orbem.
Nam quocunque gradum conuertit callidus hoſtis,
Quaque per ambages anceps iret egit opertas,
Huius ab occurſu eſt præuentus,mille viarum
Inſidiis aditum non reperientibus vllum.
Cumque foris rabies auidorum excluſa luporum
Frenderet,inque omnes mendacia verteret artes,
Ne mentes vllarum ouium corrumpere poſſet,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
Iſtius ore viri fecit Deus:iſtius ore
Flumina librorum mundum effluxêre per omnem,
Quæ mites humileſque bibunt,campiſque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere riuos.

Cap. 4.

Iamque procelloſæ diſiecto turbine noctis,
Heu noua bella,noui partus oriuntur in ipſo
Securæ matris gremio:quæ creſcere natis

C

Viſa ſibi,diſcors horret conſurgere germen,
Degeneres pauitans inimico ex ſemine fœtus:
In quibus antè diu,ſpecie fallente,benignus
Errârat genitricis amor,cùm obducta decoris
Moribus,externæ ſtirpis tegeretur origo.
Sic veris ſubeunt falſa,& diſcrimine cæco,
Fronte placent,quæ ſine latent:ſic laudis amore,
Virtutum ſtudium corrumpitur:atque ab honeſto
Principio in vitium exitur plerunque tumoris:
Quo quidam inflantur nunc turpiter,atque perempti
Dogmatis extinctas tentant animarê fauillas:
Dum libertatem arbitrij,affectumque volendi
In naturalis motus virtute locantes,
Tam bona quemque docent ſectari poſſe ſuopte
Ingenio,quàm poſſe ſubeſt cuique in mala ferri.

Cap. 5.

Quod qui confirmas, quinam diſtabis in illis,
Qui dicunt nullo peccati vulnere læſum
Naturale bonum,cumque illo lumine naſci
Nunc omnes homines,quod primis ingeneratum eſt?
An verò excerpis quædam,quæ parte reciſa
Suſcipias,cordiſque ſinu purgata recondas?

D

Dic igitur quidnam inde probes,quid verò refutes,
Et de damnatis quid ſit,quod crimine ſoluas
An dextram pacis palam dare te pudet hoſti?
Nec tutum eſt vlla pulſos ex parte tueri
Simpliciter?Quos non dubitas excludere templo,
Pelle animo.noua te diſcordia diuidit abs te.
Corde foues,quod in ore premis.coniungere amicis
Mentibus,& tecum cupidis componere fœdus:
Lege tua iam parce minis,& congrue pactis.

Cap. 6.

Ecce pererratis terrarum finibus adſunt,
Implenteſque tuas lachrymoſis queſtibus aures
Incipiunt:Pulſi mundo,nullaque recepti
Sede vagi,tandem fama exhortante redimus,
Quæque placent vobis amplectimur,edita nobis
Doctrinæ veſtræ eſt pietas:nihil inficiando
Diſcutimus:liceat vobiſcum iungere ſenſum.
Immortalem hominem factum ſi creditis,& nos
Credimus:inciderit mortem peccando,ſuamque

E

Progeniem culpa & letho deuinxerit omnem,
Nullus non egeat ſacro baptiſmate Chriſti,
Infanteſque etiam purgentur fonte lauacri:
Dum noſtri decus arbitrij,lumenque creatum
Principio,quod ſponte poteſt inſiſtere rectis,
Manſerit illæſum,nec viribus abſit ab illis
Quas condente Deo generaliter omnis in Adam
Suſcepit natura hominis,nec ſuppetat vlli
De non accepta arbitrij virtute querela:
Cùm ſine delectu ſeu lex ſeu gratia Chriſti
Omnem hominem ſaluare velit:donumque vocantis
Sic ſit propoſitum, vt nullus non poſſit ad illud
Libertate ſua proprioque vigore venire:
Sitque ſalus dignis ſaluari ex fonte volendi.

F

Hæc ſi veſtra fides,veſtra eſt doctrina,remotis
Quæ veſtro exemplo reiecimus,addite ſanctis
Nos gregibus,tandemque * bonis defendite veſtros.

Cap. 7.

Talia ſubmiſſus ſi defleat hoſtis apud te
Quid referes?quo te affectu comperta mouebunt?
Conſultas,trepidas,nutas,cunctaris,& hæres:
Quo ve anceps ſe præcipitet ſententia voluis.
Iniuſtum eſt animis cognatis non dare pacem:
Et quos vna fides,eadem ſapientia nectit,
His communem aditum ſanctorum ad Sancta negare:
Iungere ſed fœdus cum talibus,& violare
Sanctorum decreta patrum regumq; piorum
Scriptas lege Dei leges contemnere,multum
Hoſtile eſt,nimiumq; audax & pernicioſum.

Cap. 8.

Ergo Petri ſolium Romam & Carthaginis altæ
Concilium repetant humiles:eademq; precentur,
Quæ fruſtra hic trepido ſunt deplorata fauori.
Sed cùm mille ſenum prudentia peruigil olim,
Perſpectum notumq; tenens,quòd tota nefandæ
Hæreſeos ſumma,exigua ſub parte tegatur,
De qua plena mali labes renouetur,& omne
Commenti corpus per ſingula membra reſurgat:
Antiquas adhibentem artes reiecerit hoſtem,

G

Limitibuſq; ſuis ſteterit cenſura ſalubris:
Nunquid non iuſtus poterit dolor abdita cordis
Rumpere,& in tales miſeros excire querelas,
Vt dicant:Quænam iſta patres in cordibus almis
Iuſtitia eſt?quo ſine graues,quo ſine ſeueri,
Claudere terrarum nobis perſiſtitis orbem?
Noſne ſumus toto mundo,quorum vndique vobis
Sit ſuſpecta fides,quos non tolerare queatis?
Si noſtra à veſtro vel ſyllaba diſſonet ore,
Non verbis iam nos argumentiſve tuemur.
Iudicium extemplo petimus.Quod pace manente
Libera multorum vox adſtruit,hoc ſine bello
Cedatur nobis.non noſtra inuenta fouemus,
Nec primis ſtudijs inſiſtimus.ecce reciſum eſt
Vnde olim certamen erat:veſtriſq; reuerſi
Cedimus,& quæcunque illis placuêre probamus.
Quid ſupereſt culpæ,quo nos decet vſque repelli?
Si verò hæc etiam,quæ nos pia ducimus,abſunt
A veris,& veſtra illis bene cura repugnat:
Cur extra inuidiam,pœnamque erroris habentur

H

Qui damnata docent,& per clara oppida tuti
His magnos implent populos,quæ nos perhibentes
Plectimur, & nulla ſinimur conſiſtere terra?
Hæc in Pontificum ſancto deprompta ſenatu,
Quam curam exigerent,& quæ decreta mouerent,
Perſpicis?an quoniam culpa ſecurus operta
Non premeris ſynodo,nec te pœnæ metus vrget,
Spernis propoſiti ſpeciem terroris,& iſthæc,
Plena velut vanis ſimulachris ſomnia rides?
Ergo gerendorum euentu,& fine remoto,
Hæc tantum in medium quæ iam ſunt geſta vocemus:
Vt facilè ex illis,quale hoc ſit diſcutiatur,
Quod diſceptantes dudum in diuerſa mouemur.

Cap. 9.

Inter multa ſuis quæ tradidit hæreſiarches,
Quod cognoſcis,ait,naturam quæ bona facta eſt,
Nullis cum vitijs in quoquam omnino creari,
Nec cuiquam primi culpam nocuiſſe parentis:
Et quoniam tales naſcantur nunc quoque,qualis

* *fortè* bonos

Ille

A Ille fuit noſtri generis pater ante reatum:
Poſt hominem ſine peccato decurrere vitam,
Si velit: vt potuit nullo delinquere primus
Libertate ſua. Nempe hæc damnata fateris
Concilijs, mundique manu. Connectit & illud
Idem autor, quod lex ita ſanctos miſerit olim
Cœlorum in regnum, ſicut nunc gratia mittit.
Hoc quoque iudicio ſancto ſcis eſſe peremptum.
Obiectum eſt aliud, ipſum dixiſſe magiſtrum
Quòd meritis hominum tribuatur gratia Chriſti,
Quantum quiſque Dei donis ſe fecerit aptum.
Sed nimis aduerſum hoc fidei, nimiumque repugnans
Eſſe videns, dixit ſe non ita credere, & illos
Damnari dignos quorum mens iſta teneret.
Quo cernis, cum iudicibus damnantibus iſta,
B Conſenſiſſe reum: nec quenquam hæc poſſe tueri:
Quæ tamen ipſe ſuis rurſum excoluiſſe libellis
Deregitur, reprobum in ſenſum fallendo reuerſus.
Cap. 10. Nunc igitur, quoniam quid noſtris diſplicuiſſet
Oſtenſum eſt: quàm ſana fides ſit veſtra pateſcat.
Gratia qua Chriſti populus ſumus, hoc cohibetur
Limite vobiſcum, & formam hanc aſcribitis illi:
Vt cunctos vocet illa quidem, inuitetque: nec vllum
Præteriens ſtudeat communem adferre ſalutem
Omnibus, & totum peccato abſoluere mundum.
Sed proprio quenque arbitrio parere vocanti,
Iudicioque ſuo, mota ſe extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ ſe non ſubtrahat vlli,
Sed cupidos recti iuuet illuſtretque volentes.
Hinc adiutoris domini bonitate magiſtra
Creſcere virtutum ſtudia, vt quod quiſque petendum
Mandatis didicit, iugi ſectetur amore.
Eſſe autem edoctis iſtam communiter æquam
Libertatem animis, vt curſum explere beatum
Perſiſtendo queant: finem, effectumque petitum
Dante Deo, ingenijs qui nunquam deſit honeſtis.
Sed quia non idem eſt cunctis vigor & variarum
C Illecebris rerum trahitur diſperſa voluntas:
Sponte aliquos vitijs ſuccumbere, qui potuiſſent
A lapſu reuocare pedem, ſtabileſque manere.
Cap. 11. Iam quia ſummatim, vt potuit, ſententia veſtra
Decurſa eſt: Dic vnde probes, quod gratia Chriſti
Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit? nec enim vel tempore noſtro
Omnibus in terris iam certum eſt inſinuatum
Chriſti Euangelium: ne dicam, exordia doni
Non potuiſſe ſimul toto decurrere mundo,
Illa quidem ad cunctos ferri ſunt miſſa: ſed vno
Matt. vlt. Tempore non agitur, quod tempore dicitur vno.
Dumque ſuis aditus domino pandente miniſtris
Creſcunt primitiæ, fuerint omnino neceſſe eſt
Quædam terrarum partes, vbi gratia nondum
Corda hominum tenebris abſorpſerat impietatis,
Et dira innumeri demerſi nocte peribant,
Cùm multæ accepto fulgerent lumine mentes.
Cap. 12. An bonitas diuina quidem non deſtitit omnes
Velle vocare homines, ſed non ſimul apta fuerunt
D Corda, quibus poſſent conferri dona ſalutis:
Dum morum obſiſtit feritas truculenta magiſtris,
Difficileſque aditu tranſcurrit gratia gentes,
Vt quoniam lucem offerri voluiſſet, & ipſis
Demonſtrare Deus: ſua quemque aduerſa voluntas
Arguat, & culpa obſtringat: quia lumine primo
Per vitia oppreſſo, ſit facta indigna ſecundo?
† proſruſtra Quod ſi firmatur, † nequicquam plectimus illos,
† innatū Qui nullum † illatum vitium naſcentibus aiunt,
Incolumique omnes cum libertate creari,
Gratia quos Chriſti meritorum examine iuſto
Eligat, & dignos vita voce accipiatque.
Namque vtruoque ſimul ſapitis, qui diciris, omnes
Omnibus oblatum potuiſſe apprendere munus:
Naturæ quoniam non ſit detracta facultas:
Nec ſine iuſtitia pereant, qui mentis honorem
Sordibus obruerunt vitiorum: vt lumen ab alto
E Emiſſum, indigna nollet requieſcere ſede:
Sic, quod naſcendo eſt vnum, diſtare, volendo:
Vt meritum ad paucos, natura ſpectet ad omnes.
Cap. 13. Sed tamen hæc aliqua ſi vis ratione tueri,
Et credi tam ſtulta cupis: iam pande quid hoc ſit,
Quòd bonus omnipotenſq; Deus, non omnia ſubdit
Corda ſibi, pariterque omnes iubet eſſe fideles?
Nam ſi nemo vſquam eſt, quem non velit eſſe redemptū: *Pſal. 113.*
Haud dubiè implerur quicquid vult ſumma poteſtas.
Non omnes autem ſaluantur, magnaque pars eſt
Quæ ſedet in tenebris mortis, nec viuificatur.
An varij motus animorum talia gignunt?
Libertaſque facit cauſam non omnibus vnam?
Ergo hominis valida arbitrio diuina voluntas,
Aut etiam inualida eſt, operis cui finis in illo eſt.
Quem fruſtra iuuiſſe velit, niſi præferat ille F
Affectum, cuius comitetur gratia curſum.
At ſi dimota certandi nube, ſerenis Cap. 14.
Quæ ſunt vera oculis mecum intueâre modeſtè:
Et vetera exemplis manifeſtis plena videbis
Secula, & in noſtro cognoſces tempore multa,
Quæ doceant, virtute Dei conuerſa malorum
Corda, quibus recti nihil vnquam inſederat, & quæ
Nullum iuſtitiæ ſignum ſenſumve gerebant.
Namque vt nunc ſæuas gentes & barbara regna,
Ignoti prius aut ſpreti noua gratia Chriſti
Attrahit, & tenta templum ſibi condit in omni:
Sic prius, immites populos, vrbeſque rebelles
Vincente obſtantes animos pietate, ſubegit:
Non hoc conſilio tantùm hortatuque benigno
Suadens atque docens, quaſi normam legis haberet
Gratia: ſed mutans intus mentem, atque reformans,
Vaſque nouum ex fracto fingens, virtute creandi.
Non iſtud monitus legis, non verba prophetæ,
Non præſtata ſibi præſtat natura: ſed vnus
Quod fecit reficit. Percurrat Apoſtolus orbem,
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, inſtet,
Quaque viam verbo reſeratam inuenerit, intret: G
Vt tamen his ſtudijs auditor promoueatur,
Non doctor, neque diſcipulus, ſed gratia ſola
Efficit: inque graues adolet plantaria fructus.
Hæc ſemen fidei radicem adfigere menti,
Eque ſinu cordis validum iubet edere germen.
Hæc maturandam ſegetem ſeruatque fouetque,
Ne lolium & tribuli & vanæ dominentur auenæ:
Ne ventus frangat, torrens trahat, æſtus adurat:
Neu cùm ſe nimium læta, & præfortis in altum
Extolerit, turpi procumbat ſtrata ruina.
Et nos iſta, inquit, ſentimus de bonitate Cap. 15.
Ac virtute Dei: quæ ni foueatque regatque
Quos vocat, & tutos peccato præſtet ab omni,
Non ſua ſeruabit quenquam prudentia, nec ſe
Perficiet ſolis naturæ viribus vllus.
Sed quia iam in nobis & velle & nolle creatum eſt,
Arbitrijque ſui quò vult intendere motus
Libertas accita poteſt, patuitque per aurem
Iudicio cordis, quo mundum propoſuiſſet
Conſilio ſeruare Deus: mens excita longum
Excutiat ſomnum, ſeque illi ſubdat & aptet,
Qui cupidam & fidam promiſſa in gaudia ducat. H
Hoc eſt nobiſcum quod te ſentire ferebas?
Hæc ſyncera fides? hæc Chriſti gratia tecum eſt?
Cuius opus fixo diſtinctum limite totum,
Extra hominum ſtatuis clauſæ penitus † fore mentis, *† fore eſt ablatiuus caſus.*
Vixque Deum ſenſus carnis permittis adire,
Per quos ſumpta foris animus diiudicet intus:
Seque ferat, quoquo librata examina pondus
Preſſerit arbitrij. veluti cùm voce loquentis,
Aut rerum actarum ſpecies quas vidimus, aut quas
Legimus, exoritur ſecreta cordis in aula
Nunc amor aut odium, nunc ſpes, metus, ira, dolorque:
Nec tamen hos motus ſcriptor, narrator, & autor
Inſeuêre animo (quamuis forte hoc quoque vellent)
Sed de perceptis mens iudex ſponte mouetur,
Ex proprio more ſuo, quantum ſe exercuit iſtis,

Tranſit

A Tranſit in affectum quem confirmauerit ex ſe,
Illa volendo ſequens, iſtis nolendo reſiſtens.
At verò omnipotens hominem cùm gratia ſaluat,
Ipſa ſuum conſummat opus: cui tempus agendi
Semper adeſt quæ geſta velit, non moribus illi
Sic Aug. lib. de prædeſt. Sanct. c. 8. item contra colla. c. 6. Fit mora, non cauſis anceps ſuſpenditur vllis.
Nec quod ſola poteſt, cura officioque miniſtri
Exequitur, famuliſve vicem committit agendi:
Qui quamuis multa admoueant mandata vocantis,
Pulſant, non intrant animas. Deus ergo ſepultos
Suſcitat, & ſoluit peccati compede vinctos.
Ille obſcuratis dat cordibus intellectum:
Ille ex iniuſtis iuſtos facit, indit amorem
Quo redametur amans: & amor quem conſerit ipſe eſt.
Hunc itaque affectum, quo ſumunt mortua vitam,
Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda niteſcunt
B Quo ſtulti ſapere incipiunt, ægrique valeſcunt,
Nemo alij dat, nemo ſibi, non litera legis,
Nec naturalis ſapientia: quæ ſemel acta
In præceps, labi nouit, conſurgere neſcit.
Cap. 16. Et licet eximias ſtudeat pollere per artes,
Ingeniumque bonum generoſis moribus ornet
Cæca tamen finem ad mortis per deuia currit,
Nec vitæ æternæ veros acquirere fructus
De falſa virtute poteſt: vnamque decoris
Occidui ſpeciem, mortali perdit in æuo.
Omne etenim probitatis opus, niſi ſemine veræ
Exoritur fidei, peccatum eſt, inque reatum
Vertitur, & ſterilis cumulat ſibi gloria pœnam.
Cap. 17. Vſque adeò donum eſt quod credimus: & data gratis
Gratia, non merita ditat mercede vocatos:
Nec iuſtorum operum diſcernit facta, ſed omnes
Sola ex immundis mundos facit: vtque legentem
Lectus amet, non hoc ſtudio, ſed munere ſumit.
Nam ſi ſpectatrix meritorum eſt gratia, & illis
Se tribuit, quorum eſt animus purgatior, & quos
Per libertatem arbitrij ſibi reppetit aptos:
C Inſontes tantùm iuſtoſque adſumere ſolos
Debuit, & veri cupidos, ac recta volentes.
Peruerſos autem, & ſcelerum aſſuetudine turpes,
Deturbare procul: lucemque negare tenebris.
Atqui ſaluator mundi non præmia iuſtis
Soluere, nec ſanis venit conferre medelam:
Sed quod diſperſum ceciderat, fractum atque iacebat,
Quærere: & inuentum reparare, ac reddere curæ.
Cap. 18. Denique ne quiſquam ex morum ſplendore putetur
Cenſeri, aut fidei merito ad bona ſumma vocari,
Ceu non diuino ſit munere mentibus ipſa
Inſpirata fides: recole innumerabile vulgus
Retrò ſenum & iuuenum, qui cæca turpiter vſi
Libertate animi, per cultus dæmoniorum,
Per magicas artes, per amorem rapta tenendi,
Per ſtupra, per cædes vitam duxêre nefandam:
Et tamen incumbente obitu, iam limite in ipſo
Extremi flatus, miſerantem nocte remota
Cognouêre Deum: purgatoriſque lauacri
D Munere, nulla mali linquentis ſigna prioris,
Exempti mundo mutarunt tartara cœlo.
Quæ merita hic numeras? ſi præcedentia cernas,
Impia: ſi quæris poſt addita, nulla fuerunt.
Cap. 19. Si verò meritò aſcribis, voluiſſe renaſci.
Nempe vtero fidei parta eſt tam recta voluntas.
Porrò fidem quis dat, niſi gratia? ſic, bene velle
Gratia dat tribuendo fidem quæ credita poſcat,
Quæque voluntatis meritum creet, ipſaque ſolo
Naſcatur ſpirante Deo, mentemque reformans,
De cinere algenti ſopitum ſuſcitet ignem.
Ergo voluntatis genitrix, operumque creatrix
Non eſt ex merito: quoniam quod non fit ab illa,
Non bene fit, quem non recto via limite ducit,
Quanto plùs graditur, tanto longinquiùs errat.
Idem lib. 1. de voca. gen. ca. 6. Siue igitur meritum, credens exiſtere poſſe
Ante fidem, donas virtutibus impietatis:
Siue illam vis eſſe tuam, non munere dantis
Sumptam, ſed genitam de libertate volendi:

Nullam habet in vobis ſaluatrix gratia ſedem, E
Inflato excluſa arbitrio, quod fronte ſuperba
Erigitis, ſpatio vt grauius maiore ruatis.
Diuinorum operum quod ponitis in redimendis Cap. 20.
Principium: Mandata Dei facere ante lauacrum,
Noſſe & amare Deum, promiſſis credere Chriſti,
Quærere, pulſare, & petere, proprium omnibus eſſe
Aſſeritis, qui ſe ſtudeant aptare vocanti.
Annè ab aquis diuina manus renouare receptos
Incipit? & vitæ cauſa eſt ſua cuique voluntas: *Idē li. 2. de pec. mer. & rem. c. 5.*
Vt merces operum ſit gratia, iudiciumque
De pretio, quo, quod donum perhibetur, ematur?
An verò auxilium verbo Deus inchoat, & ſe
Voce miniſtrorum mundo declarat in omni:
Vt pulſante aures ſermone illecta voluntas
Iudicio præcurrat opem, nec gratia iam ſit
Gratia: quæ legis fungens vice, iure monentis F
Solùm agat: atque agro cum plantatore miniſtret,
Terraque ſeminibus det, non Deus, incrementum:
Vbere ceu gleba ſubſiſtat, & arte colentis
Exoritura ſeges: neque quicquam cordis in aruo
Præfulcet diuina manus, quo temperet æquor
Edomitum, faciatque ſatis gaudere nouales?
Talibus adſumptis inimico ex dogmate, nonne
Perſpicuum eſt quantum damnatos confoueatis,
Dum cuique ad veræ capienda exordia vitæ
Naturam affectum fidei conferre docetis:
Dumque aliud non eſt vobiſcum gratia, quàm lex,
Quamque Propheta monēs, & quàm doctrina miniſtri,
Scilicet vt tale arbitrium generaliter inſit
Semine damnato genitis in corpore mortis,
Quale habuit nondum peccati lege ſubactus
Primus homo: & nullum in prolem de vulnere vulnus
Tranſierit, niſi corpoream per conditionem:
Quæ ſic exterius reſpondeat, vt nihil intus
Imminuat, teneatque ſuum ſubſtantia mentis
Splendorem, & nulla pœnali nocte prematur. G
Addite quod ſupereſt tumidi, ruituraque vani Cap. 21.
Congerite, & cauſis cauſas aptate ſequentes.
Et quia nil primæ perijt virtutis apud vos,
Dicite ab illæſis animis procedere veram
Iuſtitiam, regno dignam cæloque locandam:
Et fruſtra Chriſtus ſit mortuus edite, multos *Gal. 2.*
Arte & ſponte ſua ſanctos ab origine mundi
Abſque Deo placuiſſe Deo: decretaque legis
Tunc data, cùm peior mos & corruptior ætas,
Terrore inſtanti & formidine mortis egeret.
Dicite plectentes apices mortiſque miniſtros
Hoc expleſſe operis, quod gratia viuificatrix.
Nunc agite, & quoniam fuerit ſine lege voluntas
Libera, quam ſcripti munibat pagina cordis:
Sic vitam æternam adquiri potuiſſe, vacante
Hac ope quæ legem ſupereminet, vt ſine lege
Ex naturali potuit virtute capeſſi:
Nunc autem, ſtudijs vergentibus in mala multa,
Creuiſſe auxilium: non quo ceſſante, ſalutem
Non caperet, per difficiles natura labores,
Sed quo conatus operum affectuſque iuuante, H
Propoſitam citiùs ferret mens libera palmam.
Dicite, cum infantes renouantur, non renouari
Inſontes animas: & ſola carne renaſci
Exterius lotos, non exiſtentibus illis
Interius maculis: quoniam licet edere rectæ
Signa voluntatis nequeant, tamen hoc magis omni
Sorde vacent, ſuper autoris quòd conditionem
De proprio nihil addiderint, quod fons aboleret.
Hæc ſi non veſtris ſpirant de cordibus, & vos Cap. 22.
Non cum damnatis eadem ratis extulit alto
Mergendos pelago, ſummittite vela rumoris,
Nobiſcumque humiles placido conſiſtite portu.
Edite conſtanter naturæ vulnera victæ.
Exutam virtute animam, cæcataque cordis
Lumina, & in pœnam propriam iaculis * ſuperatis *ſuperantis
Armatum arbitrium nunquam conſurgere poſſe
Inque nouos lapſus ſemper nitendo reuolui:

A Cui ſua ſit laqueus ſapientia, morſque ſubactum
Detineat, niſi vera ſalus ex munere Chriſti
Adſit, & oppreſſam dignetur gratia mentem.
Cap. 23. Au veſtrum ſublimem animum pudet iſta fateri,
Ne ſub iam multis morbis ſit vilior æger?
Cùm nihil ex omni maiorum dote ſuperſit,
Quo medici mereatur opem, & mercede valeſcat?
Ergo in caſtra gradum reuocate hoſtilia, & illis
Addite vos, quorum ingenio & fallacibus armis
Luditis, eiuſdem vibrantes ſpicula linguæ.
Exultare bonis naturæ, & mentis honorem
*illæſum Omnibus à ſeclis * illapſum ſtare docete.
Neu vos in totum tegatis dogmate nudo,
Corporeo tantùm decurrere tramite pœnam
Peccati perhibete, animis nibil imminuentem:
B Vulnere transfixos abſoluite crimine, & ipſam
Sic contra Col. c. 20. Iuſtitiam accuſate Dei, tranſite ſinentis
Supplicium, quo non vultis tranſire reatum.
Cap. 24. Rom. 5. Sed non iniuſtus Deus eſt, manifeſtaque Pauli
Vox docet, vno omnes homines cecidiſſe ruente:
In quo tota ſimul ſeries proſtrata nepotum
Deperijt, nec habet quiſquam quo ſurgere poſſit
Ad vitam, ſacro niſi rurſum naſcitur ortu.
Quotquot enim ſummo iuſtos numeratis ab æuo,
Hac ope non dubium eſt ſaluatos, quam modo toto
Latius omnipotens exercet gratia mundo.
Cap. 25. Hæc, ſicut dictum eſt, non iudex eſt meritorum:
Quæ niſi plena malis non inuenit: & niſi donet
Quæ bona ſunt, nihil efficiet bene cæca voluntas.
Hæc vt cuiuſquam ſtudio affectuque petatur,
Ipſa agit, & cunctis dux eſt venientibus ad ſe:
Idem ad 8. obiect. Gal. Perque ipſam niſi curratur, non itur ad ipſam.
Ergo ad iter pariter ſeriimur. ſine lumine lumen
Nemo videt. vitam ſine vita inquirere mors eſt.
Cap. 26. Hic vanam inſano profertis corde querelam,
Omne opus arbitrij ſublatum vociferantes,
Currere currentum ſi non & velle volentum eſt:
Nec vitijs pœnam deberi, aut præmia laudi,
C Si vel naturam obſtrictam mala velle neceſſe eſt,
Vel noſtro aſcribi nequeunt bene geſta labori.
Nunquid non eadem ſapiunt, eademque perorant
Veſtri illi, quorum ructatis verba, magiſtri?
Cap. 27. Sed quia conſimili cognata ſuperbia quæſtu
Proſilit, & vobis nunc reſpondetur & illis.
Inuiolata Dei quondam & ſublimis imago
In primo cuncti fuimus patre, dum nemore almo
Degit, & edicto parens cauet arbore ab vna.
At poſtquam rupta mandati lege ſuperbum
Conſilium mixtum inuidiæ de fonte recepit,
Corruit, & cuncti ſimul in genitore cadente
Idem contra Col. c. 19. Corruimus: tranſcurrit enim viroſa per omnes
Peccati ebrietas, corrupti & cordis in aluo
Perſiſtit, cruda feruet carbunculus eſca.
Hinc animi vigor obtuſus, caligine tetra
Induitur, nec fert diuinæ fulgura lucis
Lumen iners: hinc arbitrium per deuia lapſum
Claudicat, & cæcis conatibus inque ligatis
Motus ineſt: non error abeſt, manet ergo voluntas
D Semper amans aliquid quò ſe ferat: & labyrintho
Fallitur, ambages dubiarum ingreſſa viarum.
Vana cupit, vanis tumet & timet: omnimodaque
Mobilitate ruens, in vulnera vulnere ſurgit.
Cap. 28. Hoc itaque arbitrium cùm ſanat gratia, tolli
Dicitis, & perimi vita aſpirante putatis.
Quid mirum tabido ſi corde phreneticus æger
Morbum amat, & pellit medicum? cognoſcite tandem
Antiqui commenta doli: & deſueſcite captas
Aures vipereo rurſum præbere ſuſurro.
Parcite de fractis præcerpere noxia poma
Arbitrij ramis. non hæc vos eſca reformat,
Nec ſpeciem angelici nutrit cibus iſte decoris.
Sed vetitorum auidos, & tetra bile tumentes,
De faſtiditæ procul abripit arbore vitæ:
Huius ope & fructu veſcendum eſt, vt renaſceſcens
Languida mens, etiam proprijs bene viribus vtr

Poſiti: & in Chriſto inueniat, quod perdidit in ſe. E
Non igitur, quiſquis terreni veſte parentis Cap. 29.
Exueris, priſcum naturæ perdis honorem,
Sed recipis: ſic adquirens quibus ante carebas,
Vt tua ſint, ſi collatis vtare modeſtè,
Et quod habes, hoc te acceptum fatearis habere.
Fons igitur meriti eſt, lucis pater. inde quod in nos
Fluxerit, hoc nobis maiorum eſt cauſa bonorum,
Dum largitori ſua reddimus: eque relatis
Augemur, noſtrumque bonum ſit gloria dantis.
Sed qui iudicium arbitrij meritumque tueris, Cap. 30.
Quique hominum ſtudijs aſcribis dona vocantis:
Infantum diſcerne animos, & diſſere quales
Affectus qualeſque habeant hæc pectora motus.
Da teneris mores, & libertate volendi
Inſtrue, vix auræ tenuis lactiſque capaces. F
Nulla tibi arbitrij reſpondent ſigna, nec vllis
Diſſociare pares meritis potes: omnibus vna eſt
Natura, & pariter nequeunt bona vel mala velle.
Et tamen ex iſtis miſeratrix gratia quoſdam
Eligit, & rurſum genitos baptiſmate transfert
In regnum æternum, multis in morte relictis.
Quorum cauſa fuit ſimilis de vulnere eodem.
Nec meritis iſtud poteris aptare parentum: Cap. 31.
Ceu pia profuerit redimendis cura bonorum,
Abſtuleritque alijs aliena ignauia vitam:
Cùm videas multos ſanctis genitoribus ortos,
Nullo ſaluari ſtudio potuiſſe ſuorum.
Expoſitiſque alijs ob turpia crimina matrum,
Miſſam externorum curam, quæ ſtercore raptos
Per fontem vitæ, cæleſti traderet aulæ.
Quid ſi diuerſum hunc finem, quo gratia Chriſti
Vnum alio pereunte legit, donatque ſalute,
In geminis etiam videas: quod diuidis vno
Tempore conceptos atque vno tempore natos,
Non vllos potes arbitrij prætendere motus.
Ceſſat opus, ceſſat meritum, nihil editur impar.
Sed Deus & tales diſcernit, quò magè Chriſti G
Excellat bonitas, quæ ſola eſt cauſa vocatis
Et fidei & meriti: quoniam ſapientia diues
Huc etiam tribuit multis, vt ſancta operatis,
In finem vitæ, fieret de munere merces. Sap. 4.
Non autem rectè, nec verè dicitur, illos, Cap. 32.
Qui ſunt exortes diuini muneris, & quos
Gratia neglexit degentes mortis in vmbra,
Peccati non eſſe reos quia recta gerendi
Non data ſit virtus, naturæ compede vinctos
Procubuiſſe negant, nec ab vno germine credunt
Omnigenam prolem cum pœna & crimine naſci.
Quod qui non renuit, videt huius pondera culpæ
Tam valida pariter miſeris incumbere mole,
Vt ſi nulla etiam cumulent mala, ſit tamen vnum hoc
Sufficiens ſcelus, ad mortem oalcendo luendam.
Hanc igitur legem, quam per ſe nemo reſoluit,
Si meritò & iuſte poſitam impoſitamque fatemur,
Cur queritur quod non omnes ſaluantur ab illa? Idem in epiſt. ad Ruf. & in 6. dubium Genuen.
Cùm ſi progeniem ſuper omnem irrupta maneret,
De cunctis iuſtè damnatis non quereremur.
An quod de toto ferretur, non toleratur
De parte: & melius foret omnia debita cogi, H
Quàm ſumma ex ſolida clementer multa remitti?
Quis verò exemptus ſqualenti carcere pulſet
Inuidia miſerantis opem, quia non ſimul omnes
In lucem veram tenebris eduxerit iſdem:
Cùm pœnam qua merſus erat, non experiatur,
Quam miſerè ferat addictus, niſi liber ab illa?
Denique tunc illum ſocialem mente benigna Cap. 33.
Concipit affectum, quo * cum ſumma prece Chriſtum *ſummiſſa.
Conciliet miſeris, ſueta qui nocte grauati
Nulla gerunt vota effugij, tantum nocet error
Vt iuuet errare: & veteris contagia morbi
Tam blandè obrepunt, vt quo languetur ametur. Idem ad 6 obi. Gal.
Vnde ergo hæc oritur querimonia, non mouet illos
Talis cura: quibus necdum eſt ſua pœna dolori,
Et qui ſe nulla credunt à luce relictos,

Qui

Digitized by Google

A

Item ad 13 obi. Gal. & ad 8. dubium Gen. Qui verò tenebris exempti in lumine viuunt,
Gaudent:& quantum ſibi ſit bonitate vocantis
Dimiſſum,ex illis diſcunt qui debita ſoluunt.
Vos igitur ſoli queruli,ſolique ſuperbi:
Vos ſoli ingrati quos vrit gratia:cuius
Cap. 34. Omne opus arbitrio vultis ſubſiſtere veſtro:
Et quòd non cuncti mortales atria vitæ
Ingrediuntur,ita ex ipſis pendere putatis,
Vt tam ex iudicio conſtet cuiuſque quod intrat,
Quàm quod non intrat:ceu par in vtrumque facultas
Suppetat:vt tam ſit proprium bona quàm mala velle.
I procul inſana impietas,arteſque malignas
Aufer,& autorem comitare excluſa Britannum:
Nos humiles tenueſque ſumus,grex paruus,& altis
Inniti metuens:quia ſufficientia noſtra
2 Cor. 3. Ex Chriſto eſt,ſi quid recti ſapimus volumuſque,
Illi debemus:qui vincula noſtra reſoluit,
B
Proque malis bona reſtituit,non inueniendo
Quod meritò legeret,ſed donans quo legeretur,
Vt de perceptis prodiret cauſa merendi:
Deque datis in danda gradus,induſtria creſcens
Scanderet,atque bonum fieret Deus omnibus vnum.
Cap. 35. Cur verò humani generis de germine toto
Pars quædam in Chriſto rurſum generanda legatur,
Pars pereat,cùm cauſa eadem ſimul implicet omnes:
Nec diſcernantur merito,qui munere diſtant:
Non ſatis audemus ſcrutari,nec per opertas
Ire vias,calleſque gradu pulſare remotos,
Multa etenim bene tecta latent,neſcitaque proſunt:
Dum manſueta fides quædam dilata modeſtè
Suſtinet,& nullo ignorat non edita damno.
Sic quando electum ex cunctis populum Deus vnum
Lege,ſacris,templo,vnguento,ligniſque fouebat.
Quod fuit occultum,mundique in fine retectum eſt,
Non oberat neſcire,omnes quandoque vocandas
Matth 13. In regnum æternum gentes,totumque per orbem
Donandum,quod ſpes paruæ tunc plebis habebat.
C
Sic poſtrema dies qua mundi clauditur ætas:
Notitiæ noſtræ non eſt data,nec tamen huius
Secreti impatiens ſanctorum turba laborat.
Ipſa quoque humani generis carnalis origo,
Quàm multas vario circuntegit ordine cauſas?
Cumque omnes de fermento producat eodem
Vna manus,nec diuerſis elementa parentum
* procedit Principijs coëant:limo * procedat ab vno
Rom 9. Diſpat opus,mutat numeros per vaſcula fictor,
Materiamque vnam diſcernit iure creantis.
Ergo eadem natura animæ,naturaque carnis
Diuerſis mundum ſub conditionibus intrat.
His regnare datum eſt:illos ſeruire neceſſe eſt:
Hos decor,& vires validæ,viridiſque ſenectus
Suſcipit:hos ſpecies inhonora,& debile corpus:
Aug. li. 4. contra Iulia. cap. 3. His viget ingenium præclaris artibus aptum:
Horum tarda premit gelidus præcordia ſanguis.
Quoſdam nec licitus calor incitat ad generandum:
At alij inſanum nequeunt frænare furorem.
Hunc mitem & placidum tranquilla modeſtia comit.
His & mille modis ſemen variantibus vnum,
Impariles ſubeunt diſtincta exordia formas.
D
Nec tamen hæc inter tam compugnantia quiſquam
Arguit autorem,qui ſecum continet huius
Legem operis,dum iudicio placita explicat æquo,
Et rerum cauſas obſcurat iuſta poteſtas.
Si terrenum igitur figmentum,addictaque morti
Progenies,ita diſſimili producitur ortu,
Vt cùm operis ſpecies pateat,tamen edita non ſit
Norma voluntatis de qua venit hic modus impar:
Quid mirum ſi conſilij ſuper omnia magni
Arcanum latet,& placito ſubducitur alto?
Quod dum vana fluunt mundi,dum in corpore mortis
Viuitur,& poſiti expletur certamen agonis,
Non cognoſcendum texit Deus:vtiliuſque
Duxit,ad examen quædam velare piorum.
Non ergo inſtamus clauſis,nec operta procaci
Vrgemus cura,ſatis eſt opera omnipotentis

E

Cernere,& autorem cunctorum noſſe bonorum:
Quo ſine nil rectum mens inchoat,audeat amens
Impietas tumido arbitrio ſubnectere cauſas
Diuinorum operum:nos cùm manifeſta videmus
Dona Dei,quorum eſt fons vnus,ſumma voluntas,
Cum Paulo tremuiſſe iuuat,ſtupidumque modeſtè Rom. 11.
Inuictum ad ſolium Chriſti ſuſpendere nutum:
Cuius iudicium ſic inſcrutabile & altum
Dicimus,vt verax prorſus fateamur & æquum.
Nam meritum ad mortem ſubeundam ſufficit vnum:
Ad vitam,niſi quod donarit gratia,nullum. Rom. 5.
Tu verò ô noua gens veteris quæ ſtirpe oleaſtri Cap. 37.
Velleris,& ſacræ ramis moleſcis oliuæ, Rom. 11.
Quærere formatæ ſeuris te frondis honorem
Non ſtudio cœpiſſe tuo,ſed iure potentis
Agricolæ inſertam fœcundo viuere ligno:
Vince ſuperborum flatus,& vana furentum:
Turbinibus ſtabili fortis pietate reſiſte.
F
Nec tibi fallacis ſubrepat imago decoris.
Nullum ex his errare putes:licet in cruce vitam
Ducant,& ingrati macerent ſua corpora morte,
Abſtineant opibus,ſint caſti,ſintque benigni,
Terreniſque ferant animum ſuper aſtra relictis:
Si tamen hæc propria virtute capeſſere quenquam
Poſſe putant,ſitve vt dignus labor iſte iuuari,
Ingenium meruiſſe ſuum bona vera petentis:
Creſcere quo cupiunt,minuuntur proficiendo,
Deficiunt:ſurgendo,cadunt:currendo recedunt.
Vnde etenim varij ſua caſtra ſplendeſcere quærunt,
Inde obſcurantur,quoniam ſua,laudis amore,
Non quæ ſunt Chriſti,quærunt:nec ſit Deus illis
Principium:& capiti non dant in corpore regnum.
Non horum templo eſt Chriſtus petra fundamentum: 1. Cor. 3.
Sed ſuper inſtabilem arbitrij nutantis arenam
Aſſurgunt,fœda lapſuri mole tumoris.
Iſti,quem quidam reprobarunt ædificantes, Act. 4.
Nunc etiam reprobant lapidem:parieſque ſine ipſo Pſal. 117.
Tertius eſſe volunt,quem nullo fœdere nectat
Angelus,& quem nulla habeat compago ligatum: Epheſ. 2.
Hi thalamum ad ſponſi non perducuntur,& intrant
G
Libertate ſua,quæ Chriſti gratia confert, Matt. 22.
Non acceperunt,& habent,non attrahit illos Ioan. 6.
Vis patris ad verbum,ſed ſponte & præpete curſu
Præueniunt ceſſantis opem:nec ad omne gerendum Ioan. 15.
Eius egent,ſine quo ſibi plurima poſſe videntur.
Quid prodeſt verbis commentum Pelagianum Cap. 38.
Reſpuere,& ſola damnatos plectere voce?
Cùm paucis ſqualida ſublatis de cute neruis,
Intima viperei foueantur viſcera ſenſus?
O bene quod diri erroris malus ille magiſter
Nullo prælcuit lethalia pocula melle:
Sed non ambigua infectum feritate venenum
Protulit,& guſtu virus detexit amaro.
Nam ſi argumenti primordia non oneraſſet
His,quæ diſcipuli dempſerunt callidiores,
Innumeras dubio cepiſſet plaſmate mentes:
Quæ dum multa vident informia lumine in ipſo,
Horrida terrificæ declinant atria mortis.
Nec tam illis poſſunt attriti illudere fures:
H
Quorum quò tendant artes,atque vnde oriantur,
Non dubijs promptum eſt cuiuis cognoſcere ſignis.
Non igitur cum damnatis ſentire videntur, Cap. 39.
Cùm dicunt mortem in cunctos tranſiſſe per vnum
Primum hominem,cuius crimen reſperſerit omnes.
Nec quenquam in vitam æternam,niſi fonte renatum
Venturum:infanteſque reos hoc munere ſolui,
Quos prima ad mortem generaliter edat origo.
Sed cum damnatis ſapiunt,damnataque promunt,
Cùm dicunt nihil eſſe animis per vulnus auitum
Detractum decoris,ſplendoremque omnibus illum
Nunc talem innaſci,qualis fuit ante ruinam.
Hinc libertatem arbitrij diſcernere ſano
Poſſe oculo cordis,quicquid ſit ritè gerendum,
Nec ſolùm ad vitæ præſentis commoda ſolers
Sufficere ingenium,quo ſe tueatur & ornet:

A Sed ſummis etiam mentem aptam percipiendis,
Æterniſque bonis, ſponte ad cœleſtia ferri:
Perque viam ad Chriſtum, quam fecerit ipſa venire.
Hinc hominem multa recti aſſuetudine firmum
Poſſe repugnare aduerſis, nec cædere pœnis,
Quas ſuperandæ animæ per carnem admonerit hoſtis,
Auxilio abſcedente Dei: qui deſerat aptè,
Vtiliterque ſuos, vt de certamine agonis
Qualitas referant palmas: ne nulla piorum
Sint merita, & veræ priuentur laudis honore:
Fortè Si quod naturæ ſenſu. *Sicut naturæ ſenſum noluntque voluntque,
Præceptiſque tenent legalibus inſinuatum,
Diuini auxilij manus hoc operetur in illis:
Ceu ſolis Chriſti famulis virtute carere
Sit dignum, & non poſſe probos apprehendere mores,
Quos plerunque habeant etiam ſimulachra colentes.
B Talia lingua procax cùm verbis fundit ineptis,
Cap. 40 Effuge tu noua gens, hoſtiles effuge ſenſus,
Et procul à laqueis ſapiens abiungere mortis.
Chriſtus enim tua iuſtitia eſt, quo te duce oportet
Currere: ne curſus, Chriſto ſine, ſit vagus error.
Nemo etenim nemo eſt, qui non cum vulnere primi
Sit patris genitus: quo vulnere mens prius intus
Percuſſa eſt, quàm membra foris: cum oriente receptũ eſt
Quod regione poli deiecta ſuperbia ſuaſit.
Sic animus cui lumen erat de lumine ſummo,
Arbitrium inuoluit tenebris: & luce relicta
Conſilio legit terræ nigreſcere noctis.
Nec iam captiuos oculus extollere in altum
Sponte poteſt: quoniam hoc etiam ſpoliante tyranno
Perdidit, vt quanto iaceat ſub vulnere norit.
Cap. 41. Si quid enim de principijs fœlicibus illi
Et vita exilij ſupereſt prudenter agenda,
Hoc ſanum, & quo nil fuerit ſublimius in ſe
Credit: amatque ſuum mundi ſapientia ſenſum,
Innumeras ſeſe claram mirata per artes,
C Quod coniecturis ſublimibus abdita quærit,
Quod meminit rectè, ſapit acriter, æſtimat aptè,
Quod ſtudium fandi excolitur, quòd legibus vrbes
Inſtituit moreſque feros ratione recidit,
Vt pœnæ metus officio certarit amoris.
Iam cura exercerit numeris, ad ſidera cœli
Per curſus noſcenda ſuos: & ſcire videtur
Defectus Solis varios, Lunæque labores,
Fortè effectus. Quàm ſpecioſa ſibi eſt: & quàm vaneſcit in ipſis?
Quæ licet ex primo naturæ habeantur honore,
Cap. 42. Non tamen ad veram poſſunt perducere vitam.
Denique ab his præceps in multas religiones
Decidit, & factis hæſit factore relicto.
Nam ſi nunc etiam illæſus vigor ille maneret,
In quo inſons natura fuit: ſua quenque voluntas
Conciliare Deo, pœnaque abſoluere poſſet:
† ligaret Ne quicquam Chriſtus mortem moriendo expiaret:
Ioan. 1. Peccatum & mundi ſanguis non tolleret agni:
Ioan. 3. Nec genus humanum generari rurſus egeret
Conditione noua. quoniam ſapientia ſana,
Sana fides, ſanum arbitrium, mens libera morbo,
D Vitam agerent dignam ſummorum participatu.
Cap. 43. Sed proſtrata ſemel, quanto natura profundo
Immerſa, & quantæ ſit mole oppreſſa ruinæ?
Verbum homo fit, rerumque ſator ſub conditione
Seruilis formæ dignatur virgine naſci:
Inque infirmorum cunctos deſcendere ſenſus.
Vexatur virtus, ſapientia ludificatur:
Iuſtitia iniuſtos tolerat, clementia ſæuos:
Gloria contemptum ſubit, & tormenta poteſtas:
Inque crucis pœnam nullis violabilis vſquam
Vita agitur: cuius perimatur morte peremptor,
Iuſto vt pro iniuſtis effuſo ſanguine, ſit mors
Vnius inſontis multorum vita reorum.
Hoc igitur pretio captiui cùm redimuntur,
Agnoſcant quali concluſi carcere, quoue
Obſeſſi fuerint morbo: quibus eripiendis
Succurri haud aliter potuit, quàm morte medentis.
Et quia de magnis opibus nonnulla ſuperſunt,

Quæ decorent nudos, & quæ ſolentur egenos: E
Non ita pro ſummis oblectent vltima lapſos,
Vt de ſupplicio tumeant: atque ordine verſo
Quo ſunt effecti miſeri, ſint inde ſuperbi.
Aut cùm hebetes viſus, longa ex caligine tandem,
Naturæ hoc potiùs libertatique volendi,
Quàm Chriſto tribuant: ne ſcilicet euacuetur
Arbitrij virtus, ſi deſit recta legendi.
Hoc patribus primis mortis ſator inſinuatus
Conſilio eſt: hac arte omnes proſtrauit in vno:
Dum ſuadet multo præſtantius eſſe, quod ipſis
(Non tribuente licet domino) ſponderet habendum
Prudens libertas, vetitoque inſtructa cupido:
Quæ nunc per veteris ſerpens veſtigia fraudis,
Deceptos ſimili ſtudet inflammare furore:
Vt quoniam pulchrum eſt veris impendere curam F
Iuſtitiæque auidos bona noſſe & velle, ſalubre eſt:
Suadeat ingenio cuiuſque hoc lucis ineſſe,
Vt naturali mens viuida † mobilitate, *† Fortè nobilitate.*
Non ſpirante Deo, Chriſti exardeſcat amore,
Vtque ita ſaluatrix nil gratia conferat iſtis,
Sed referat: pretioque bonos, non munere ditet.
His de ſeminibus multo iam plura oriuntur,
Et frumenta inter primo turgentia lacte,
Spinis fulta ſubit ſeges horrida zizaniorum.
Sed nos qui domini ſemen ſumus, agricolæque Cap. 44.
Stamus ope, & ſupera perflati viuimus aura: *1 Cor. 3.*
Viperei calicis guſtum procul excutiamus,
Diuinique operis conſtanter confiteamur
Figmentum nos eſſe nouum: quod prorſus ab illa *Epheſ. 2.*
Stirpe vetuſtatis diſcretum eſt, atque reciſum.
Et iam ſit penitus carnalis originis exors, *Epheſ. 4.*
Qui membrum eſt Chriſti, capitiſque in corpore viuit: *Ioan. 15.*
A quo ſubiectos vigor omnis manat in artus:
Et ſic quæque ſuo vegetantur in ordine partes,
Vt quod agunt, & diſpoſitis quod motibus explent, *Coloſ. 1.*
Ex illo poſſint, qui ſumma atque vltima pacans, G
Vt nos insereret ſummis, ſe miſcuit imis.
Conticeant igitur, qui dicunt eſſe cauendum, Cap. 45.
Ne deſit ſanctis tribuendæ cauſa coronæ,
Si non ipſorum bona repetantur in illis.
Hoc etenim tumidi animis impietate doctores,
Quid niſi iuſtitia nos, & virtute Deoque
Diſpoliare volunt: ne lux in nocte coruſcet,
Languida ne in vires redeant, ne mortua viuant?
Sed nobis ſummo verorum à fonte bonorum
Haurire hæc, ſupero & ſemper ſplendore nitere,
Gloria ſit: non ſpes in fœni flore caduco. *Ioan. 15.*
Sicut enim palmes nullos valet edere fructus
Non in vite manens, quæ de radice miniſtra
Succum agat in frondes, & muſto compleat vuas:
Sic infœcundi virtutum, & fruge carentes,
Perpetui cibus ignis erunt: qui vite relicta
Audent effuſa de libertate comatum
Fidere, ne Chriſti ſint vbertate feraces:
Et mage ſe credunt proprijs excellere poſſe,
Quàm ſi virtutum placitarum ſit Deus autor. H
Viles ergo putent ſe, deformeſque futuros,
Cùm transformatis fiet Deus vnica ſanctis
Gloria: corporei nec iam preſſura laboris *1. Cor. 15.*
Conteret incertos, ſed in omnibus omnia ſemper
Chriſtus erit, quod ſi pulchrũ, & ſuper omnia magnũ eſt,
Cur pudet hac etiam ſterili in valle potentes
Eſſe Deo, minimumque operis mortalis habere,
Quod non eſt niſi peccatum, quo diſtrueretur
Libertas: ad quam ſolam malè geſta recurrunt?
Et tamen in ſanctos animum cum intendimus actus,
Cùm deſiderijs carnis mens caſta repugnat,
Cùm tentatori non cedimus, & per acerbas
Vexati pœnas, illæſo corde manemus,
Libertate agimus: ſed libertate redempta
Cui Deus eſt rector, ſummoque ex lumine lumen,
Vita, ſalus, virtus, ſapientia: gratia Chriſti eſt,
Qua currit, gaudet, tolerat, cauet, eligit, inſtat,
Credit, ſperat, amat, mundatur, iuſtificatur.

A Si quid enim recti gerimus, Domine, auxiliante
Te gerimus tu corda moues: tu vota petentis
Quæ dare vis, tribuis: ſeruans largita creanſque
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.
Non autem hoc curam minui, ſtudiumque reſolui
Virtutum, aut opus ingenij torpere putandum eſt,
Quòd bona ſanctorum tua ſunt: & quicquid in illis
Aut ſanum aut validum eſt, de te viget: vt videatur
Nil actura hominis, te cuncta gerente, voluntas.
Quæ ſine te quid agit? niſi quo procul exulet à te.
Præcipites ſemper calles, & deuia motu
Ingreſſura ſuo: niſi feſſam tu bone & ægram
Suſcipias, referas, foueas, tuearis, honeſtes.
Tunc fiet curſus velox, oculique videntes,
Libera libertas, ſapiens ſapientia, iuſtum
Iudicium, & fortis virtus, & ſana facultas.
Huius opis ſemper pater indigeamus: ab ipſa
B Prodeat arbitrium noſtrum, nihil, hac ſine, ſenſus
Corporei poſſunt, opus vt ſeruile quieſcat.
Et tua dum in nobis agitur, non noſtra voluntas,
Legitima in ſanctis ducamus ſabbata feſtis.

FINIS.

ARGVMENTA CAPITVM CARMINIS PROSPERI DE INGRATIS.

Proœmium.

Caput I. *Dogma Pelagij proponitur.*

Caput 2. *Summa cura Pelagij doctrinam fuiſſe reiectam, ratione, & autoritate, à Sede Apoſtolica, Concilijs & Patribus.*

C Caput 3. *Auguſtini imprimis eruditione illam fuiſſe confutatam.*

Caput 4. *De defenſoribus reliquiarum illius hæreſis, rectè volendi affectum dicentibus homini tam naturalem quàm male volendi.*

Caput 5. *Illos à Pelagianis non diſcrepare: & perinde publicam pacem cum illis iniri debere.*

Caput 6. *Inducit Pelagianos verbis queruloſis eos interpellantes, quo in gratiam recipiantur ab eis, vt quorum probent ſententiam.*

Caput 7. *Quomodo reliquiarum defenſores ſuſpenſi ſint & anxij audita euiuſmodi querela.*

Caput 8. *Pelagianos rationabiliter poſſe petere, ſic de ſe iudicari, vt vel in Eccleſiam recipiantur, quodque illi docent docere permittantur: vel etiam illi vna ſecum foras pellantur.*

Caput 9. *Aduerſario oſtendit, quam Pelagij doctrinam Patres damnarint.*

D Caput 10. *Quæ & quàm ſana ſit fides aduerſarij.*

Caput 11. *Eam confutaturus, primùm oſtendit Deum non ſemper voluiſſe omnes ſaluos facere.*

Caput 12. *Reſpondere non poſſe, Deum quidem nunquam deſtitiſſe omnes vocare, &c. ſed gratia vocantis plurimos reſtitiſſe fera voluntate, qui per ſe potuerint acquieſcere: primò, quia tunc verum eſſet, naturam humanam non eſſe læſam, &c.*

Caput 13. *Secundo, quia ſequeretur Dei voluntatem eſſe infirmam.*

Caput 14. *Oſtendit, gratia & virtute Dei omni tempore conuerſa eſſe peſſima corda, quibus nihil recti vnquam inſederat: & hanc conuerſionem non eſſe expectandam ex legis monitu, nec ex Prophetæ aut Apoſtoli cohortatione.*

Caput 15. *Per gratiam Dei non tantùm nos protegi in virtute, ſed & ipſum primum bonum affectum accipere, idque nulla interſacta mora: nec hoc vel ex naturali ſapientia vel lege contingere.*

Caput 16. *Natura per ſe non valet vitæ æternæ fructum edere: quinimò peccatum eſt etiam quod probè videtur ſic gerere.* E

Caput 17. *Ipſum credere, donum eſt gratiæ: quæ ſola ex immundis mundos facit, nec ſpectat quos ſic dignos inueniat, ſed ipſa dignos facit.*

Caput 18. *Idem confirmat, quòd percepto baptiſmo in vita vltimo multos flagitioſiſſimos ad cælum mittit.*

Caput 19. *Illis ipſis gratia Dei inſpiratum eſſe baptiſmi deſiderium, ac fidem quò tam ſalubre quid poſcerent: ſine qua etiam longinquius errent, quo plus gradiantur.*

Caput 20. *Supradictos errantes, nullum aliud Deo aſſignare principium reparationis humanæ naturæ, quàm quod per legem & prædicatores humanæ inſinuat voluntati, quæ facere eam oporteat.* F

Caput 21. *Eoſdem pari poſſe ratione dicere, veram virtutem ab illæſis animis ſine Chriſto prodire: multos ſua ſponte Deo placuiſſe ab origine mundi ſine Deo: quod præſtatur gratiæ, id irritamentis legis præſtitum (quæ etiam data ſit in remedium, cùm corruptior eſſet ætas) & inualeſcentibus malis legi gratiam demum ſuperadditam, non quaſi ſine ea ſalutem natura conſequi non poſſet, ſed vt facilius id poſſet: atque ita, infantes inſontes eſſe, & corpore non animo per baptiſmum ablui.*

Caput 22. *Errantes eoſdem hortatur, vt tumore depoſito naturam ſic vulneratam confiteantur, vt nunquam per liberum arbitrium conſurgere poſſit: ſed nitendo, etiam in nouos lapſus ſemper reuoluatur, ſua ſapientia laqueata.*

Caput 23. *Eos, ſi hæc confiteri recuſent, Pelagianis pacem negare non poſſe: & Deum iniuſtitiæ arguere, ſiniunt eò tranſire ſupplicium, quò negant tranſire reatum.* G

Caput 24. *Deum non eſſe iniuſtum: quoniam ruente Adam omnes etiam ſic ceciderint, vt ad vitam poſtea reſurgere, niſi Chriſti gratia, nemo potuerit.*

Caput 25. *Gratia Dei nulla inuenit bona hominis merita. dat ſui deſiderium, & dux eſt ad ſe venientibus.*

Caput 26. *Queruntur Aduerſarij hac prædicatione gratiæ auferri liberum arbitrium.*

Caput 27. *Liberam voluntatem remanſiſſe in humana natura: tametſi eadem natura, quæ ante peccatum imago Dei erat, per peccatum ſit errore, vano timore, ac tumore inebriata.*

Caput 28. *Suadet ne in vigore arbitrij confidant, ſed in Chriſto arbore vitæ, quæ languidam mentem & reualeſcere facit, & proprijs viribus bene vti.*

Caput 29. *Gratia Chriſti non perdimus, ſed recipimus priſtinum naturæ honorem: qua gratia quod facimus & noſtrum eſt, & maiorum cauſa bonorum.* H

Caput 30. *In paruulis à baptiſmo mox hinc migrantibus, maximè lucere, gratiam Dei non dari ſecundum humanæ voluntatis ſtudia.*

Caput 31. *Eorundem ſalutem baptiſmo conceſſam non eſſe in primis parentum ſollicitudini, nec damnationem ignauiæ aſcribendam, maximè cùm etiam in geminis diuerſum hunc euentum cernamus.*

Caput 32. *Peccati reos rectè etiam eos dici, quos gratia neglexit in vmbra mortis: nec excuſari quia rectè agendi negata eſt virtus, cùm etiam ſi nemo à damnatione liberaretur, iuſte nemo conquereretur.*

Caput 33. *Conſideratione iuſtæ totius generis humani condemnationis, pios ad Deo gratias agendas excitari, concipereque affectum precandi Chriſtum, vt miſere*

A ſeri reconcilientur ei, qui de ſua ipſorum captiuitate non dolent.

Caput 34. *Non eſſe hominis tam proprium bona quàm mala velle: ſed ſi quid rectè ſapimus volumuſve, ex Chriſto eſſe.*

Caput 35. *Scrutandum non eſſe, cur de toto humani generis germine pars vna eligatur altera reiecta, quum eadem cauſa totum genus humanum implicet: eò quod id ignorare non obſit, ſicut nec oberat neſcire omnes gentes fore ad fidem vocandas: nec nunc, quando mundus finietur, vel quæ ſit tanta in genere humano varietatis cauſa, vt licet eadem omnium ſit natura, vnus tamen regat alter ſeruiat, &c.*

Caput 36. *Conſilio diuino non perſpecto agnoſcatur interim vnus cunctorum autor bonorum: ſine quo nil rectum mens inchoet, & ſine cuius gratia nullum ad vitam meritum, omnibus verò vnum ad mortem ſuppetat.*

B

Caput 37. *Aduerſus id optat non falli imagine vel ſpecie virtutum Pelagianorum: quod illis hiſce virtutibus, ſi partæ patent ſola liberi arbitrij libertate, non creſcant, ſed minuantur, non proficiant, ſed deficiant, &c. eo quod adijciens ſpiritalis fundamentum, & lapis angularis Chriſtus eſſe debeat.*

Caput 38. *Ab illis votetenus damnari Pelagium: & quòd Pelagius innumeros ſeduxiſſet, ſi doctrinæ ſuæ poculum aliquo melle prælimiſſet, quoſdam errores ſuos minùs planè tradendo.*

Caput 39. *Quid ab iſtis de Pelagiano dogmate & damnetur & retineatur.*

Caput 40. *Nemo naſcitur ſine primi parentis vulnere, quo prius mens intus eſt læſa quàm corpus foris, & hinc curſus ſine Chriſto eſt vagus error, inuoluto arbitrio tenebris, vt nec quidem oculos mentis ſpõte poſſit in altum attollere.*

C Caput 41. *Quod ſi quid ei ſuperſit de prima honoris ac fœlicitatis reliquijs, falsò putat id ſanum, eoq; nihil vnquam in ſe fuiſſe ſublimius, hinc ſuam amans fatuitatem, ſeſeq; vehementer admirans.*

Caput 42. *Ex reliquijs legis naturæ hominem non perduci ad ſalutem: & non neceſſarium fuiſſe mediatorem, ſi illæſa fuiſſet natura humana poſt peccatum Adæ.*

Caput 43. *Ex ineffabili Dei humilitate, qua homo miſer fieri dignatus eſt, vt hominem redimeret: agnoſcat homo captiuus quo carcere clauſus, quove morbo obſeſſus ſit: cui eripiendo non niſi morte medici ſuccurri potuit: nec quibus decoratur nudus, aut ſolatium capit egenus, his tumeat, quaſi vt bene ei ſit, ex vna arbitrij libertate pendeat.*

Caput 44. *Nos, qui fideles ſumus, confiteamur nos nouum eſſe figmentum, diſcretum prorſus à vetuſtatis Adami radice per Chriſtum, per quem vnum poſſumus, quicquid poſſumus.*

D Caput 45. *Sanctis non auferri cauſam obtinendæ coronæ, ſi in eis non reperiantur bona quæ ſolis ſuis viribus fecerint: nec ſtudium virtutum reſolui, aut opus ingenij torpere, ſi eorum bona Chriſti dona ſunt.*

F I N I S.

S. PROSPERI AQVITANICI PSALMORVM A CENTESIMO VSQVE AD CL. EXPOSITIO.

PSALMVS C.

Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.

PSALMVS iſte à primo verſu de toto intelligendus eſt corpore, & confitendum Deo, quoniam *vniuerſæ viæ eius miſericordia & veritas*: vt quælibet ſe noſtris cogitationibus de rerum veritate ingerant cauſæ, non in aliquam moueamur querelam: ſed miſericordiam & iudicium Domino pia confeſſione cantemus. Ad reſoluendas enim vniuerſas quæſtiones, quas contra prouidentiam Dei exercere audet mũdi huius ſtulta ſapientia, inuictiſſima eſt ratio, per quam intelligitur, inter præſentis vitæ inæqualitates, nec à iuſtitia Dei miſericordiã, nec à miſericordia abeſſe iuſtitiam, donec peractis temporalibus iuſto iudicio fiant vtraque perpetua, cùm pro qualitate geſtorum dextros gloria, ſiniſtros pœna ſuſceperit. (F; Pſal. 24.; Matt. 25.)

Pſallam, & intelligam in via immaculata: quando venies ad me.

In hac, inquit, confeſſione boni intellectus ero, & per immaculatam conuerſationis meæ viam ad me venire te ſentiam: cùm enim ſine te bonus eſſe non poſſim, ſi recta ſunt quæ ago, te mihi ineſſe non dubito. (G)

Deambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.

Innocentia vera eſt, quæ nec ſibi, nec alteri nocet: Quoniam *qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Deambulare in latitudine animæ ſuæ, id eſt, in habitaculo cordis ſui, non poteſt, quem anguſtat reatus, & vitæ illicitæ actionis accuſat. Pia autem, & impolluta conſcientia liberis intra ſe vtitur ſpatijs: & quæ integros habet ſuæ ædificationis receſſus, in appetitus non euagatur alienos. (Sentent. 1. in lib. Sentent.; Pſal. 10.)

Non proponebam ante oculos meos rem malam.

Ante oculos habemus, quæ diliguntur: & in quibus delectatur animus, in his moratur aſpectus. A re ergo mala oculos auertere, eſt quicquid Deo diſplicet non amare.

Facientes præuaricationes odio habui.

Diligendi ſunt homines, vt odio habeantur præuaricationes: quia aliud eſt, amare quod facti ſunt: aliud, odiſſe quod faciunt. (Sentent. eſt 2.)

Non adhæſit mihi cor prauum: declinantem à me malignum non agnoſcebam.

Prauo, inquit, cordi conſenſum non præbui: & ab immaculata via declinantem malignum non cognoſcebam: hoc eſt, propter diſſimilitudinem non probabam. (H)

Detrahentem proximo ſuo occultè, hunc perſequebar.

Bona perſecutio, quæ non hominem, ſed peccatum hominis inſectatur.

Superbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc ſimul non edebam.

Superbia fomes inuidiæ eſt, quæ nunquam niſi maligna eſt, & malis non ſatiatur alienis. Cum his igitur qui tali delectabantur veneno, nec conueſcebar: quia cibum iniquitatis ipſorum, quo inceſſabiliter replebantur, horrebam. *Beati* enim, *qui eſuriunt iuſtitiam: quoniam ſaturabuntur.* (Matt. 5.)

Oculi

A *Oculi mei ſuper fideles terræ, vt ſimul conſiderent hi mecum.*

Matt.19. Vox Domini dicentis imitatoribus ſuis, *Sedebitis ſuper duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael.*

Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat.

Philip.2. Mihi, ait, non ſibi: multi enim non ſynceri prædicatores Euangelij ſibi miniſtrant, *ſua quærentes, non quæ Ieſu Chriſti.*

Non habitauit in medio domus meæ faciens ſuperbiam.

Non habitauit in corde iuſti, quæ eſt domus eius, iniuſtus: quia ſemper à ſe diſſimilitudo longinqua eſt.

Loquens iniqua non direxit in conſpectu oculorum meorum.

Iniquorum iter non eſt directum: & diuerſum longè eſt ab illa via, cui oculi Domini præſident, & per quam
B ad ſuos venit.

In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ: vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.

Diem iudicij ſui denuntiat Dominus, qui loquitur in Propheta: quoniam ſecundùm veritatem in principio Pſalmi dictum eſt: Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Nam quia tempus huius ſeculi tempus eſt noctis & ignorantiæ, & tribulationis, nec cuiquam patet in quem finem ſit quiſque venturus: dat locum pœnitentiæ miſericordia Dei, & diuerſis modis agit, vt proficiant iuſti, vt erigantur lapſi, vt conuertantur auerſi. Sed hæc patientia manente adhuc nocte præſtatur. Vbi au-
1.Cor.4. tem illuxerit dies, & omnia occulta fuerint reuelata, diſcretis impijs à ſocietate iuſtorum, non vltra parcetur malis, ſed interficientur omnes peccatores terræ: in illo manè, quo declarabitur quid quiſque mereatur.

PSALMVS CI.

C Pſalmi huius titulus eſt, Oratio inopis cùm angeretur, & in conſpectu Domini effundit precem ſuam. Iſte ergo pauper Chriſtus eſt, qui formam ſerui acci-
1.Tim.2. piens, noſtra indutus eſt paupertate: & cùm ſit *mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus,* idem eſt in humilitate corporis, qui eſt in gloria patris: vt quorum ſuſcepit naturam, exequatur & cauſam.

Exaudi Domine orationem meam, & clamor meus ad te perueniat.

Ne auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

Quod eſt, Exaudi orationem meam: hoc idem eſt, Et clamor meus ad te perueniat. Sed geminata petitio oſtendit petentis affectum. Ne auertas autem faciem tuam à me, dicit pro humilitate membrorum. Nam quando pater à filio, quando Deus auerteretur à Chriſto? Et ideò petit ſe, in quacunque die tribularetur, exaudiri: quia pietas capitis cum omni corporis portio-
D ne compatitur: & labor omnium, qui & locis & temporibus variatur, nunquam ſine illo eſt, qui omnium miſeretur.

In quacunque die inuocauero te, velociter exaudi me.

Cito obtinentur, quæ bono deſiderio poſtulantur: nec differuntur preces, quæ hoc petunt, quod vult ille qui petitur. Velox itaque exauditio eſt, cùm ipſa primitus exauditur oratio: nec tardat auxilium, qui dedit votum.

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei.

Dies primi hominis, quem ſuſcepit ſecundus, fumo in ſua elatione deficienti aptiſſimè comparantur. Et quia nemo in nouitatem Chriſti, niſi ex Adæ vetuſtate transfertur, gemit in his, quos reparat ipſe reparator.

Et oſſa mea ſicut in frictoriolo confrixa ſunt.

Oſſa dicuntur hi, qui ſunt in Chriſti corpore fortiores, quorum firmitate omnium compago membrorum
E munitur: dicente oſſe fortiſſimo Paulo, *Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* *2.Cor.11*

Percuſſum eſt ſicut fœnum, & aruit.

Omne humanum genus in Adam, à quo eſt vniuerſalis propago, percuſſum eſt: & de illius vulnere gemunt, qui ſpe ſaluantur in Chriſto, non ſine miſerijs mortalitatis inde contractæ. *Rom.8.*

Quoniam oblitus ſum manducare panem meum.

Acceperat primus homo panem verbi in lege mandati: ſed vetitum cibum ſumens, panis illius de quo viuebat oblitus eſt: & ob hoc, ſicut percuſſum fœnum, cor eius exaruit. Modò ergo reuiuiſcat, & edat panem quem fuerat oblitus, qui iam in corpore eſt dicentis: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.* *Ioan.6.*

A voce gemitus mei adhæſerunt oſſa mea carni meæ:

F A voce, inquit, gemitus mei, non à voce gemitus illorum: de quibus gemo quòd non rectè gemunt, quòd carnalia cupiunt, quòd corporalia concupiſcunt. Sed quia non deſunt validiora membra, quæ curam habeant infirmorum, nec ab affectu capitis diſcrepent, voce gemitus mei erudiuntur oſſa, id eſt, fortiora corporis, vt adhęreant carni meæ, id eſt, infirmioribus meis, ſecundum quod ſcriptum eſt, *Debemus enim nos firmi infirmitatem infirmorum portare.* *Rom.15.*

Similis factus ſum pellicano ſolitudinis: factus ſum ſicut nycticorax in parietinis.

Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſingularis in tecto.

Omnis ſtrenuus & deuotus Euangelij prædicator his tribus quæ commemoratæ ſunt, auibus comparabilis inuenitur, ſecundùm eorum formam, quibus verbum veritatis adnuntiat. Si enim infidelibus loquitur, in ſolitudine eſt tanquam pellicanus, nec faſtidit deſerta & inculta: quia etiam in talibus facit ſibi Spiritus ſanctus habitaculum. Si autem his prædicat, qui acceptam gratiam perdiderunt, fit quodammodo nycticorax in parie-
G tinis, non deſerens eos qui corruunt, vt ædificij benè fundati & ſtabilitatem recipiant & decorem. Si verò eos cohortatur, qui cùm videantur fideles, tepidi tamen ſunt atque carnales, fit ſub tecto poſitis, id eſt, ſub carnis infirmitate viuentibus quidam paſſer, increpans eos atque incitans, vt in tecto ſint potiùs quàm ſub tecto: hoc eſt, vt ſubiectam ſibi carnem habeant, non vt ipſi ei ſubijciantur. *Qui enim in tecto eſt, non deſcendat tollere aliquid de domo.* Et quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Sed harum affectionum ſedulitatem nemo magis, quàm Dominus Ieſus Chriſtus voluntatius pauper exequitur: qui veniens peccatores ſaluos facere, omnium labores infirmitateſque ſuſcepit. Quia *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi,* vt & ſolitudo gentilis acciperet notitiam veritatis: & obcæcatis Iudæis, ac ſua præuaricatione ruinoſis, & lux, & ſtabilitas præſtaretur: dum ille qui tenebrarum illuminator eſt, per Apoſtolum dicit, *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Idem verò à tenebris, quas dilexit, occiſus vigilauit, id eſt, ſurrexit, & factus eſt ſicut paſſer ſingularis in tecto, id eſt, in cælo, quò adhuc *nemo aſcendit niſi qui de cælo deſcendit,* qui eſt *primitiæ dormientium,* & *primogenitus ex mortuis.* *Matt.10.* *2.Cor.5.* *Ephes.5.* H *Ioan.3.* *1.Cor.15.* *Coloſ.1.* *Apoc.1.*

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui laudabant me, aduerſum me iurabant.

Ea ſignificantur, quæ in tempore paſſionis geſta ſunt. Exprobratur Domino, quòd qui alios ſaluat, ſeipſum ſupplicio eruere non poſſit: & qui fuerant falſi laudatores, in occiſione ipſius conſpirabant. *Matt.27.*

Quoniam cinerem ſicut panem manducabam: & potum meum cum lachrymis miſcebam.

Oſtenditur ſacramentum miſericordiæ Saluatoris, qui etiam eos membra ſua facit, quibus talis congruit medicina: & perſonæ ſuæ eorum copulat cauſam, in quibus ſe cinerem dicit ſicut panem manducaſſe, & potum cum

A cum lachrymis miſcuiſſe: quod quidem infideles opprobrio deputant, dicentes ſpem remiſſionis fomitem eſſe peccandi.

A facie iræ tuæ, & indignationis tuæ, quoniam eleuans alliſiſti me.

Ipſa eſt ira, quam Adam meruit, & in qua omnes nati

Epheſ. 2. ſumus, ſecundùm quam dicit Apoſtolus, *Eramus natura filij iræ ſicut & cæteri, non ex conditione Dei, ſed ex iudicio.* Et ideò natura filij iræ dicimur, quia ita ipſis noſtris principijs inſedit, vt ab illa, præter Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, nullius hominis natura ſit libera. Eleuatus eſt autem homo, quia rationalis & ad imaginem Dei factus eſt. Eliſus verò eſt, quia ſuæ dignitatis oblitus eſt, ſicut

Pſal. 48. ſcriptum eſt, *Homo cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus.*

B *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt: & ego ſicut fœnum exarui.*

Receſſi ab æterno die per peccatum, & in dies tranſitorios decidi per iudicium: & quia ſicut fœnum arui,

1. Cor. 15. per eum qui inter mortuos liber eſt, ſpe ſaluus fio. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.*

Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generatione & generationem.

Temporalem, inquit, ſeuer æternus: non enim quia cecidi, tu ſenuiſti: qui eras ad me humiliandum, ipſe es ad me liberandum: & promiſſionum tuarum non obliuiſceris.

Tu exurgens miſereberis Sion: quia tempus eſt miſerendi eius.

Gal. 4. Quod tempus, niſi de quo dicitur, *Cùm autem venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret?*

Quoniam beneplacitum habuerunt ſerui tui lapides eius, & pulueris eius miſerebuntur.

C In Sion multi ſunt lapides, & plerique ſunt puluis. In lapidibus gaudium ſanctorum eſt, in puluere miſeratio. De Sion ſancti Patriarchæ, ſancti Apoſtoli, & prædicatores Euangelij: hi omnes lapides electi & probati: Cæteri autem qui iſtis non ſunt connexi, puluis ſunt, quos auferet ventus à facie terræ, niſi agnoſcant ſe, & dicant, Memento Domine quòd puluis ſumus.

Et timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam.

Hoc fundamento poſito in Sion, & hac miſericordia pulueri eius impenſa, veniet etiam de gentibus alius paries, qui angulari lapidi coaptetur, & duo in vno condantur, qui facit vtraque vnum.

Quoniam ædificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua.

Matt. 25. Creſcit quotidie Eccleſia in templum Dei, & ab ipſo capite totum corpus extruitur. Et apparebit Ieſus Chriſtus in gloria ſua, cùm venerit iudicare mundum, à dexteris & ſiniſtris alios aſſumpturus in regnum, alios in ſupplicium detruſurus.

Reſpexit in orationem humilium Dominus, & non deſpexit precem eorum.

D Hæc eſt ædificatio Sion, & ſtructura eius: ſic viui lapides inſtruuntur: quia ad compagem decoris eius non niſi per humilitatem & orationem, per gemitus & lachrymas peruenitur: ne perfecta & dedicata domo fruſtra pulſet, qui ſecus aduenerit.

Scribantur hæc in generatione altera: & populus qui creabitur laudabit Dominum.

Scribuntur hæc in veteri teſtamento per prophetiam pertinentem ad noui teſtamenti generationem, hoc eſt, ad populum qui creandus erat in Chriſto, de quo Apo-

2. Cor. 5. ſtolus dicit, *Si qua igitur in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt, ecce facta ſunt noua.* Omnia autem ex Deo, hoc eſt, vetera & noua, quoniam per vnam fidem vterque populus accepit iuſtificationem.

Quoniam proſpexit ex alto ſancto ſuo, Dominus de cælo in terram proſpexit.

E *Vt videret gemitus compeditorum: vt ſolueret filios mortificatorum.*

Proſpiciente in terram Deo: hoc eſt, miſericordiam ſuam hominibus tribuente, tam fortia facta ſunt vincula charitatis, vt ea non potuerit vincere violentia perſecutionis: per timorem enim Dei ſuperauerunt martyres timorem mundi: & compedes fidei continuerunt eos ab exceſſu tranſgreſſionis: qui labor perſeuerantiæ tranſijt in libertatem gloriæ, vt gemitus verterentur in gaudia, & compedes in coronas. Soluuntur autem etiam filij mortificatorum, id eſt, martyrum, qui eadem inflammati fide ſæcularium cupiditatum vinculis liberati poſſunt dicere, *Diſrupiſti vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.* Pſal. 115

Vt annuncietur in Sion nomen Domini: & laus eius in Hieruſalem.

F Vt ſolutis vinculis peccatorum libera charitas ſeruiat Deo, & laus Domini multiplicetur in Sion, id eſt, in ſpecula, quæ eſt Eccleſia, quæ non præſentia diligens, ſed futura proſpiciens, in ſpe promiſſionum lætatur.

In conueniendo populos in vnum, & regna vt ſeruiant Domino.

Factum eſt ſanguine martyrum, & gemitibus compeditorum, vt exauditis illis qui erant in gemitibus & preſſura, hanc noſtris temporibus haberet Eccleſia libertatem, qua omnium gentium populi in fidei coëant vnitatem: & regna quæ perſequebantur Chriſtianos, iugo Chriſti ſubiecta ſint.

Reſpondit ei in via fortitudinis ſuæ.

Siue Sion, ſiue Hieruſalem, quæ eſt Eccleſia, in qua laus Domini celebratur, reſpondit ei, quem per fidem laudat, per ſpem, per charitatem. Nam vocationi eius reſpondere, eſt credere atq; obedire, & in præceptis ipſius ambulare. In via fortitudinis: quia ab ipſo eſt, vt perſeueretur inter omnes illecebras & labores.

Exiguitatem dierum meorum adnuncia mihi.

G Exiguum eſt omne quod finitur, & tranſijt: vita enim temporalis in comparatione æternitatis exigua eſt: cuius dies idem ſibi adnunciare Eccleſia poſtulat, vt nouerit ſe vſque in finem ſeculi eſſe manſuram, donec veniant illi dies, qui nec numerum poterunt habere, * nec terminum. * al. nec imminui.

Ne reuoces me in dimidium dierum meorum.

Non imminuantur, inquit, dies mei, quouſq; in conſummationem ſeculi ſpopondiſti, *donec plenitudo gentium introeat, & omnis Iſrael ſaluus fiat.* Rom. 11.

In generatione & generationem anni tui.

Ab initio vſque ad conſummationem ſanctos Dei diuerſa ſecula alios & alios protulerant: quorum iuſtificatio non eſt niſi in Chriſto, per quem omnium generationum vna generatio eſt, quam Deus æternitatis facit eſſe participem, vt abſque commutatione ſit omnia in omnibus. 1. Cor. 15.

Principio Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli:

Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent,

H *Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.*

Vera æternitas, & vera immortalitas non eſt niſi in deitate Trinitatis, cui quod eſt eſſe, perpetuum eſt: & neque per initium, neque per incrementum, neque per defectum vllam recipit mutabilitatem. Creaturæ autem, etiam illæ quibus æternitatem creator dedit vel daturus eſt, non penitus carebunt fine, dum illis finis eſt ipſa in augmentum facta mutatio. Et terra ergo quam tu Domine fundaſti, & cœli qui opera ſunt manuum tuarum, ſicut veſtimentum & opertorium veteraſcent & peribūt: non vt non ſint, ſed vt aliter ſint: nouatione ſcilicet ſubſtantiæ, non defectione naturæ. Tu autem idem ipſe es, nec ab alio in aliud tranſis: quia tu es qui verè es, & qui in gloria tua nec minor potes eſſe, nec maior: dans filijs ſeruorum tuorum, vt ad non deficientes annos tuos valeant peruenire. Sentent. eſt 3.

A *Filij ſeruorum tuorum inhabitabunt, & ſemen eorum in ſeculum dirigetur.*

Filij ſeruorum Dei, ſunt filij iuſtorum, filij patriarcharum, prophetarum, apoſtolorum, & martyrum: filij poſtremo totius Eccleſiæ, *Eph. 5.* quæ corpus eſt Chriſti, & quę mater eſt omnium patrum omniumque filiorum. Hi ergo in æternitate annorum Dei habitabunt, & ſemen eorum in æternum dirigetur. Semen autem eorum rectè intelligitur, opus iuſtitiæ ipſorum, quod debet vnumquemque præcedere: quoniam ſterilem & infructuoſum illa æternitatis beatitudo non recipit.

PSALM. CII.

Benedic anima mea dominum: & omnia interiora mea nomen ſanctum eius.

Eph. 5. TOta eccleſia cum ſuo capite, quod eſt Chriſtus, vnus eſt homo: cuius proprium officium eſt in omni tem- B pore benedicere dominum: ſeque in laudem eius, quem ex tota virtute ſua diligit, cohortari. Interiora autem eius ſunt ratio intelligentiæ, ſpes fidei, humilitas timoris, fortitudo charitatis: & ſi quæ ſunt aliæ affectiones, quibus mens in admirationem ſui autoris erigitur.

Benedic anima mea dominum: & noli obliuiſci omnes retributiones eius.

Iterata cohortatio docet, nunquam à Dei benedictione ceſſandum. Erit autem perſeuerans benedictio, ſi retributionum eius nulla vnquam ſubrepat obliuio: quæ retributiones non ſecundum merita humana ſunt factæ. Nam damnatio peccatoribus debebatur: ſed gratia præſtita eſt malis, & ſalus perditis: *Luc. 19.* Quoniam *filius hominis venit quærere, & ſaluare quod perierat*: *Luc. 5.* & *non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Benedicendus ergo eſt, qui non ſolum non plectit malos, ſed etiam bona pro malis reddit, & bonos facit.

Qui propitius fuit omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes languores tuos.

C *Qui redimet de corruptione vitam tuam, qui coronat te in miſeratione & miſericordia.*

Qui ſatiat in bonis deſiderium tuum: renouabitur ſicut aquilæ iuuentus tua.

Enumeratio retributionum Dei oſtendit per quos gradus gratiæ anima humana ſaluetur. Qui propitius fit, inquit, omnibus iniquitatibus tuis. Non ait, omnibus virtutibus tuis: quæ vtique nullæ ei ineſſent, niſi fieret remiſſio peccatorum. Quæ ne rurſus exurgant, Sanat, inquit, omnes languores tuos. Qui autem ſunt iſti languores, niſi concupiſcentiæ malæ, deſideria carnalia, & morbi omnium vanitatum? de qua corruptione redimitur vita infirmorum: quia corpus mortis noſtræ corpus factum eſt ipſius vitæ; vt coronaret nos in miſeratione & miſeri- *Rom. 9.* cordia: ſicut ſcriptum eſt: *Miſerebor, cui miſertus ero: & miſericordiam præſtabo, cui miſericordiam præſtitero*: vt intelligamus, per eãdem miſericordiam dari coronas meritorum, per quam data ſunt merita coronarum. Deinde additur: Qui ſatiat in bonis deſiderium tuum. His enim curatio- D nibus perducta eſt anima ad deſideria bona, vt ſpretis & abiectis carnalibus, atque terrenis, ſpiritalia, & cœleſtia *Matt. 5.* concupiſcat: quoniam *beati qui eſuriunt iuſtitiam, quia ipſi ſaturabuntur.* Renouabitur ergo ſicut aquilæ iuuentus tua: hoc eſt, à vetuſtate in nouitatem, & in iuuentam à ſenectute mutaberis, ad ſimilitudinem aquilæ, quæ depoſitis alis roſtroq; mutato, in nouas vires rediuiuo vigore iuueneſcit.

Faciens miſericordias dominus, & iudicium his, qui iniuriam accipiunt.

Nouit dominus, quod in hac vita ſerui ipſius laboribus iniurijſque ſubiecti ſunt: ſed vult eos eſſe mites, eſſe patientes: quia ſicut miſericors eſt ad liberandum, ita etiam iuſtus ad iudicandum. Dicens enim omnibus iniuriam *Rom. 12.* accipientibus, *Mihi vindictam, & ego retribuam*: non denegat opem qui denuntiat vltionem. Facit ergo Dominus miſericordiam: facit & iudicium. Sed perfectorum eſt, et- E iam his qui iniuriam fecerint, miſericordiam magis quam optare vindictam.

Notas fecit vias ſuas Moyſi, filijs Iſrael voluntates ſuas.

Magnum mirandumque myſterium eſt, ideò datam legem, vt creſcente peccato humiliarentur ſuperbi, hu- *Rom. 5. Gal. 3.* miliati confiterentur, confeſſi ſanarentur. Iſtæ ſunt viæ occultæ quas notas fecit Moyſi, per quem legem dedit: quia peccatum non haberet, vt ſuperabundaret gratia: quam vtiq; veri Iſraëlitæ intellexerunt, & à Deo reuelante viderunt quæ ratio diſpoſitionum, quod conſilium diuinarum fuerit voluntatum.

Miſerator & miſericors dominus: longanimis, & multæ miſericordiæ.

Quid tam longanimum, quid tam abundans quam *Matt. 5.* Deus, *qui in miſericordia pluit ſuper iuſtos & iniuſtos: & ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos?* Parcit contemptus, par- *Sententia eſt 4.* cit negatus: & mauult vitam peccatoris quam mortem. Quoniam omnis longitudo patientiæ eius, eruditio eſt pœnitudinis, & oblatio correctionis: nec vlla opera ipſius F miſericordia vacant: quando homini & manſuetudine conſulit, & flagello.

Non in finem iraſcetur: neq; in æternum indignabitur.

Diuina bonitas ideo iraſcitur, ne iraſcatur: & miſeri- *Sententia eſt 5.* corditer adhibet temporalem ſeueritatem, ne æternam referat vltionem.

Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis: neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.

Quoniam ſecundum altitudinem cœli à terra confirmauit dominus miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.

Sicut cœlum, inquit, protegit terram, ſic timentes ſe protegit Deus.

Quantum diſtat Oriens ab Occidente, longè fecit à nobis peccata noſtra.

Regenerationis hæc virtus eſt, quę homines exuit pec- *Tit. 3.* catis, & gratiæ induit donis: vt vetuſtas occidat, & veritas oriatur. Facta enim mutatione ſtatus, innocentia conſtituitur in Oriente, peccata remanent in Occaſum.

Sicut miſeretur pater filiorum, ita miſertus eſt Dominus timentium ſe. G

Quia ipſe cognouit figmentum noſtrum: memento quod puluis ſumus.

Qui perſonam ſuſcipere dignatus eſt patris, nihil circa filios non miſericorditer facit: flagellat adoptatos potius quàm deſerat abdicandos. Nouit autem ipſe quod nos fecerit, & de quo lapſu in quem ſtatum reformauerit, quantumque nos puluis terrenæ fragilitatis infirmet. Petitur ergo Deus, vt meminerit conditionis humanæ: id eſt, vt miſereri ipſius perſeueret. Quoniam non ipſe obliuiſcitur: ſed vt nos gratiæ eius non obliuiſcamur, facit.

Homo tanquam fœnum dies eius: & ſicut agri flos ita florebit.

Non ſuperbiat homo, cuius dies ſunt ſicut fœnum paululum florens, & mox areſcit: ſed non deſperet homo, cuius infirmitas à Dei virtute ſuſcipitur. *Verbum enim caro fa- Ioan. 1. ctum eſt*, vt flos qui in Adam erat caducus, in Chriſto eſſet æternus.

Miſericordia autem domini à ſeculo & in ſeculum ſuper timentes eum: & iuſtitia eius in filios filiorum. H

Timentibus dominum æterna gaudia promittuntur: & quia timor obedientiam parit: obedientia autem mandatorum gignit effectus: ideo iuſtitia Dei, hoc eſt, retributio ſuper filios filiorum: qui melius intelliguntur in germine bonorum operum, quàm in prole natorum: quos multi iuſti non habuiſſe noſcuntur: & qui habuerunt, non omnes ſunt aut in omnibus gloriati.

Cuſtodientibus teſtamentum & memoria retinentib. mandata eius, vt faciant ea.

Ille mandata Dei memoriter tenet, qui, quod mandatis Dei continetur, operatur: nec falli poteſt in latitudine præceptorum, cum *in duobus mandatis tota lex pendeat & prophetæ.* *Matt. 22.*

Dominus in cœlo parauit thronum ſuum: & regnum eius, omnium dominabitur.

A

Quid aliud ſignificatur, niſi domini deſcenſio, & aſceſio, & adſumpti hominis in paterna ſede confeſſio? cui
Phil. 2. *genu omne flectitur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confitetur quoniam dominus Ieſus Chriſtus in gloria patris eſt.*

Benedicite dominum omnes angeli eius, potentes virtute, facientes verbum eius, ad audiendam vocem ſermonum eius.

Potentes ſunt verbo, qui verbi famulantur imperio: quia ipſius implentur virtute, cui ſeruiunt.

Benedicite dominum omnes virtutes eius, miniſtri eius facientes voluntatem eius.

Sentent. eſt 6. Vera eſt confeſſio benedicentis, cùm idem ſonus eſt oris & cordis. Benè autem loqui & malè viuere, nil aliud eſt quam ſua ſe voce damnare. Benedicendus ergo eſt dominus ipſis maximè operibus, quibus ſic debet vti conſcientia, vt de ipſis *in domino glorietur.* 1. Cor. 1.

B

Benedicite dominum omnia opera eius, in omni loco dominationis eius.

Sicut nullus eſt locus, qui non dominationi eius ſubijciatur: ita nullus eſt locus, in quo eius debeat ceſſare benedictio.

Benedic anima mea dominum.

Ipſo verſu Pſalmus concluſus eſt, quo inchoatus: vt intelligamus, perſeuerari in Dei benedictione debere: quæ verè continuatur, ſi ſine ceſſatione bene viuitur.

PSALM. CIII.

Benedic anima mea dominum.

Sicut in præcedente Pſalmo, ita etiam in iſto qui ſequitur, vox eſt membrorum corporis Chriſti. Vnus eſt homo, & cuius in vna fide vnum cor & anima vna eſt, cohortans & excitans ſe in laudem Dei: vt in contemplatione creaturarum magnificetur creator.

Dominus Deus meus magnificatus es vehementer.

C

Magnitudini Dei nec accedere aliquid, nec decedere poteſt: qui quod eſt, incommutabiliter ſemper eſt, magnificatur ergo non ſibi, ſed nobis, tanto vehementius, quanto magis ſe intellectui noſtro innoteſcere facit, vt non illius gloria, ſed admiratio noſtra proficiat.

Confeſſionem & decorem induiſti.

Induit ſe Dominus Deus noſter confeſſionem & decorem, id eſt, induit ſe eccleſiam, quæ per confeſſionem depoſuit fœditatem, & accepit decorem: ipſa enim confeſſio peccatorum, decus eſt recte factorum.

Circumamictus lumine, ſicut veſtimentum.

Eph. 5. Ipſa eſt veſtis eius, *non habens maculam neque rugam*, & ſplendida facta per gratiam, quæ & lux vocatur: dicente Apoſtolo, *Fuiſtis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino.* Ibid.

Extendens cœlum, ſicut pellem.

Si facturam cœli ſecundum literam cogitemus in ſimilitudinem pellis extenſæ, celeritas quædam demonſtrata eſt, qua ſine vlla difficultatis mora opus ſuum creator explicuit. Dixit enim, *Fiat firmamentum inter aquam,* Geneſ. 1. *& aquam & factum eſt ſic.* Quoniam *verbo domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* Pſal. 32. Si autem figuratam ſignificationem adnitamur inſpicere, inuenimus extendiſſe Deum cœlum ſicut pellem: cùm intelligimus ſanctam ſcripturam cœlum appellatam, cuius autorem primo quaſi firmamentum in eccleſia ſua poſuit: & quam ſuper omnem orbem terrarum per miniſteria prædicantium quaſi pellem extendit. Pellis autem nomine ſignificata eſt mortalitas miniſtrorum, manente ipſorum opere per quod vbique veritas innoteſcit, & inuiſibilitas Dei per viſibilia literarum elementa intellecta conſpicitur. Rom. 1.

D

Qui protegis in aquis ſuperiora eius.

Et hoc ſecundum literam bene intelligitur: quia iuſſit Deus, vt fieret firmamentum inter aquas & aquas, factúmque eſt ſic: & pars aquarum reſedit in terram, pars autem eſt cœlo ſuperpoſita, remota ab aſpectu noſtro, & fidei commendata. Secundum verò figuram, qua ſcripturam ſanctam diuina autoritate firmamentum cœlum accepimus, quod ſuper orbem terræ ſicut pellis per famam prædicantium extenditur: ſuperiora cœli protegi aquis in eo intelligimus, quod in hoc cœlo, id eſt, in eloquijs, præceptiſque diuinis, nihil eſt ſublimius charitate: quæ inter Dei omnia dona ſupereminet. *Diffuſa eſt* Rom. 5. enim *in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Quæ diffuſio aquas ſanat, de quibus dicitur: Et in plateis tuis diſcurrent aquæ. Nemo alienus communicet tibi. Hæc quippe aqua, id eſt, charitas Dei & proximi, propria & ſpecialis virtus eſt piorum atque ſanctorum: cùm Sentent. eſt 7. cæteræ virtutes & bonis & malis poſſint eſſe communes. Superiora itaque cœli his aquis proteguntur: quia præceptum charitatis ſuper omnes cœlos, id eſt, ſuper omnes libros eſt. Cui militat omnis lingua & omnis doctrina ſanctorum. Protectio autem huius aquæ, ſubtectum cœlum ſcripturarum non erat, ſed ſuſpendit

E

F

quia in gemino charitatis præcepto, *tota lex pendet & prophetæ.* Matt. 22.

Qui ponis nubes aſcenſum eius.

Impletum eſt hoc viſibiliter, cum in conſpectu diſcipulorum dominus nube ſuſceptus, aſcendit in cœlum, & Act. 1. de reſurrectione Apoſtolus loquens, dicit: *Deinde nos qui viuimus, ſimul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Chriſto, &* 1. Theſ. 4. *ita ſemper cum domino erimus.* Sed videndum eſt quæ ſint illæ nubes, quibus in cœlum diuinarum ſcripturarum aſcenditur. Prædicatores vtique veritatis, qui corda audientium à terrenis ſenſibus erigunt, & ad ſublimitatem cœleſtis intelligentiæ ſubuehunt. Ab iſtis nubibus verbum Dei diffundentibus, vinea domini ſabaoth, quæ eſt eccleſia, fœcundatur: vt accepta pluuia edat fructum, & edat vuas, non ſpinas: & non ſit talis vinea de qua dicit Dominus per prophetam, *Mandabo nubibus* Eſai. 5. *meis ne pluant ſuper eam.* Et qualis illa, cui dixerunt apoſtoli: Ad vos miſſi eramus: *ſed quia repuliſtis verbum Dei, imus ad gentes.* Act 13.

G

Qui ambulat ſuper pennas ventorum.

Poteſt ad literam ita accipi, vt velocitatem verbi omnia peruagantis in hoc intelligamus, quod ſuper ventorum pennas dicitur ambulare: quia velocius nihil nouimus ventis, quorum celeritas ſignificata eſt nuncupatione pennarum: ſed his pernicior eſt veritatis adnuntiatio, quæ *attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Sap. 8. Per figuratam autem ſignificationem ventorum nomine non abſurdè animæ intelliguntur: non quia eiuſdem naturæ ſint, ſed quia ſimiliter inuiſibiles. Quarum Matt. 22. pennæ ſunt duo præcepta charitatis, quibus ad dominum tendunt. Sed quia maior & ſublimior eſt Dei charitas qua dilexit nos, quam in eundem noſtra dilectio: ideo ſuper pennas ventorum, hoc eſt, ſuper charitatem animarum dicitur ambulare: quia *charitatem* noſtram ſupergreditur charitas Dei: qui ipſam charitatem qua diligimus, *diffudit in cordibus per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Rom. 5.

*Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem * vrentem.* * alias flagrantem

H

Secundum literam non dubitamus eſſe ſpiritus nobis inuiſibiles, miniſtros Dei: qui ab officio quod agunt, angeli nuncupantur. Spiritus enim naturæ nomen eſt, angelos actionis. Hos itaque miniſtros ſuos Deus facit etiam ignem vrentem ſiue flagrantem: ſicut legimus ignem in Exod. 3. rubo apparuiſſe, & miſſum ignem deſuper, & impleſſe quod præceptum eſt, miniſterio executionis angelicæ. Figuratè verò ſpiritales quique in eccleſia ſpiritus appellantur: qui fiunt angeli, cùm fiunt prædicatores & nuntij veritatis. Idemque ſunt ignis, cùm feruēt ſpiritu, & eos quos exhortantur accendunt: duplicem habentes efficiētiam, vt & illuſtrent animas & adurant, cùm eadem vi & ardorem virtutis inijciunt, & peccatorum ſpinas tribuloſque conſumunt.

Fundaſti terram ſuper firmitatem eius: non inclinabitur in ſæculum ſæculi.

Digitized by Google

A Matt.24. De terra iſta laborioſè adſeritur, quòd non inclinanda ſit in ſeculum ſeculi, cùm dictum ſit, *Cælum & terra tranſibunt*. Nam fundatam eam ſuper firmitatem ſuam, poſſumus ita intelligere, vt illa vis qua ſuſtentatur & continetur, firmitas ipſius dicta ſit, quæ licet abſcondita à nobis ſit, tamen rectè creditur in ſapientia & virtute creatoris, qui omnia in ſe firmauit, in quo & omnia condidit. Myſtico verò intellectu accipimus terram eccleſiam, cuius
Heb 1 & 2. Coloſ. 1. 1. Cor 3. firmitatis & fundamentum eius, ſuper quod fundata eſt terra, Chriſtus eſt. *Fundamentum autem nemo poteſt ponere, præterquam quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* A quo fundamento non recedens non inclinabitur in ſeculum ſeculi.

Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius: ſuper montes ſtabunt aquæ.

Terræ nomine eccleſiam intelleximus prophetatam, quæ Chriſtum, habens fundamentum, non inclinabitur
B in ſeculum ſeculi. Veruntamen diluuio perſecutionum (quæ abyſſi & aquarum nomine præſignantur) ita circumtegenda indicatur, vt quaſi veſtimento ab impugnantibus operienda ſit populis: in tantum perſecutione creſcente, vt etiam ſuper montes, id eſt, eminentiſſimos quoſque ſanctorum, attollenda ſit oppreſſio perſequentium.

Ab increpatione tua fugient: à voce tonitrui tui formidabunt.

Factum eſt hoc, quum Deus contriuit gentes increpationis ſuæ tonitru, ceſſauerunt enim impij eccleſiam premere: & montes Dei, quorum ſublimitas aquis ſuperſtantibus obtegebatur, iiſdem aquis recedentibus, receperunt eminentiam: tonante enim domino formidauerunt aquæ, & montes à diluuio exuti ſunt.

Aſcendunt montes, & deſcendunt campi, in locum quem fundaſti eis.

Montes elationes aquarum ſunt, id eſt, fluctus perſequentium populorum, qui cum ſæuirent, montes erant: ſed iuxta patientiam quieuerunt, & campi facti ſunt, fundato ipſis loco in quo cohiberentur. Qui locus intelligitur quæ-
C dam menſura formidinis, intra quam ſæuientium corda conclusa ſunt, vt etiam ſi adhuc retinent infidelitatis ſuæ amaritudinem, ſuper dulces tamen aquas, id eſt, fideles populos nequeant eleuari, neque reuertentur tegere terram fluctus illi magni & amari, acceperũt modum, quem non tranſgrediantur: neq; poterunt eccleſiæ inferre diluuium.

Qui emittit fontes in conuallibus.

Super humilem & quietum requieſcit ſpiritus Dei: &
Ioan 7. *qui credit in me* (inquit) *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Conualles ergo humilitatem ſignificant, quæ nunquam ſine fonte gratiæ eſt. Non eſt autem inſolens, vt qui montes ſunt propter ſancti ſpiritus magnitudinem, conualles ſint propter ſui ſpiritus humilitatem: ſicut Apoſtol. Pau-
1. Cor 15. lus mons erat, dicendo: *Non autem ego*, & habebat fontem, dicendo: *Sed gratia Dei mei mecum.*

Inter medium montium pertranſibunt aquæ.

Montes ſunt prædicatores magni, qui de humilitatis conuallibus aquas veritatis emittunt: de qua abundantia nihil ſibi adſcribunt, nihil quaſi proprium vendicant: ſed communis, & media eſt emanatio ſpiritalium fluen-
D torum. Aut de aquis, id eſt, de prædicatione, nulla ſit diſcordia montium: ſed pax contentionis & ſocietas charitatis faciat vnum, & commune quod proſtat.

Potabunt omnes beſtiæ ſyluæ.

Vidimos quidem hoc etiam in iſta creatura, beſtias ſyluæ bibere de fontibus, & de riuis inter montes currentibus: ſed quia per hæc quæ omnibus nota ſunt, quædam ſignificantur abſcondita, quibus iuuentis ſtudia ſpiritalium gaudeant, beſtias ſyluæ, gentes intelligimus: quoniam ſæpe inueniuntur in ſcripturis ſanctis gentes indicatæ nomine beſtiarum. Sicut congregatæ in arca Noë to-
Geneſ. 7. tius generis beſtiæ: & diſcus quatuor lineis in viſione
Act 10. Petri Apoſtoli, demiſſus de cœlo omnium plenus animalium non aliud declaratur, quàm vniuerſi generis homines in vnitate eccleſiæ congregandos. De his ergo aquis inter medium montium pertranſeuntibus, id eſt, de do-
E ctrina apoſtolica in medio fluente, propter concordiam communionis omnis beſtiæ ſyluæ: Omnes enim erant in arca, omnes in diſco. Pertranſeuntes autem ſunt aquæ iſtæ: quia omnis doctrina, quæ in hoc tempore diſpenſatur, tranſit: dicente Apoſtolo, *Et ſcientia deſtruetur*, & *pro-* 1. Cor. 13.
phetia euacuabitur. Ex parte enim ſcimus, ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum eſt: quod ex parte eſt, euacuabitur.

Suſcipient onagri ſitim ſuam.

In onagris maiores fortioresq; beſtię nominantur, quę de aquis prætereuntibus tantum ſuſcipiunt, quantum ſitiunt. Sunt enim aquæ iſtæ ita ſufficientes, vt & parua & magna animalia, quantum ex eis deſiderauerint hauriant. Doctrina quippe apoſtolica, tam ſalubris tamque vitalis, Sententia eſt 8.
vt pro capacitate venientium, neminem ſui dimittat exortem quia ſiue paruuli ſiue magni, ſiue infirmi ſiue fortes, habent in ea vnde alantur, vnde ſatientur.

Super illos volatilia cæli inhabitabunt: de medio petrarum dabunt vocem ſuam.

F Sunt quædam volatilia, quæ non habitant niſi ſuper montes: & horum nomine ſpiritales animæ ſignificantur, aëre libero, & cæli ſerenitate gaudentes: quibus tamen habitatio & paſtus in montibus eſt, mõtes enim ſunt prophetæ, montes apoſtoli, montes omnes prædicatores veritatis, & ſublimes quique doctores, à quibus qui ſpiritalis eſt non aberrat, ſed in eis & cibum ſumit & requiem. Tales ergo aues in montibus, in quibus habitant, inueniunt petras, firmamenta quædam præceptorum. Sicut enim vna illa petra Chriſtus verbum Dei: ſic mul- 1. Cor. 10.
ta verba Dei, multæ petræ: de quarum medio dant vocem ſuam, & illis ſonantibus reſpondent & reſultant petræ, cùm diſputationibus conſonant teſtimonia ſcripturarum.

Rigans montes de ſuperioribus ſuis.

Montes iſti, quicquid de conuallib. ſuis aquarum fundunt, quicquid vocum de medio dant petrarum, deſuper acceperunt, & diuina gratia ſunt rigati, vt & aquis & vocibus abundarent: quibus & ſitientes implerent, & audientes delectarent, ea proferentes quæ vnicuique ſecun- G
dum menſuram capacitatis ſuæ congruerent.

De fructu operum tuorum ſatiabitur terra,
Producens fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum.

Nemo glorietur in operibus ſuis, quaſi de proprio habeat quod habet: ſed *qui gloriatur, in domino glorietur*: quia 1. Cor. 1.
non meritorum ſuorum, ſed gratiæ fructus eſt vnde ſatiatur. Terra igitur iuſtificata, & ſupernis rigationibus fœcundata, producit fœnum iumentis, & herbam ſeruituti hominum: vt agri dominici cultoribus ſemen verbi ſeminantibus neceſſaria præbeantur: & *qui euangelium annun-* 1. Cor. 9.
tiant, de Euangelio viuant. Perceptores enim ſpiritalium, debitores ſunt carnalium, quæ fœni & herbæ nomine ſignificata ſunt. Nam quis vnquam militat ſuis ſtipendijs? aut quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? vel quis paſcit gregem, & de lacte gregis non percipit? Prębenda ergo ſunt pabula præſidentium ſeruituti. Quoniam prædicatores verbi, & iumenta & ſerui ſunt. *Et qui* Matt. 10.
ſuſcipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet. Qui ſuſcipit prophetam in nomine Prophetæ mercedem prophetæ accipiet: H
& qui dederit calicem aquæ frigidæ vni ex his minimis, tantum in nomine diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.

Vt educat panem de terra: & vinum lætificet cor hominis.

Terra fœnum producit, vt panem de terra producat, plebes ſcilicet ſanctæ pie ſeruientibus ſibi ſeruiunt: & præbentes carnalia, accipiunt ſpiritalia à prædicatoribus verbi Dei, qui eſt *panis qui de cælo deſcendit*: per quos ad- 1. Cor 9. Ioan. 6.
huc in terra ambulantes, & terrenum corpus portantes (propter quod & ipſi terra dicuntur) calix præclarus & inebrians miniſtratur, vt bibentes ſancti ſpiritus lætitia repleantur.

Vt exhilaretur facies in oleo:

Gratia quædam, quæ eſt hominum ad homines, pręcipua ad conciliandum ſanctum amorem, oleum dicitur, in nitore diuino, quo totum vngitur corpus Chriſti, qui principaliter vnctus & fons huius eſt olei.

A

Et panis cor hominis confirmat.

Manifeſtauit de quo pane loqueretur. Panis enim viſibilis ventrem ſatiat, ſtomachumq; confirmat. Iſte autem cibus, cordis eſt & animæ fortitudo, de quo ipſe Dominus dicit: *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.* Ioan. 6.

Saturabuntur ligna campi.

De iſta gratia ſaturabuntur ligna campi, id eſt, plebes Iudæorum.

Et cedri libani, quas plantaſti.

Satiabuntur hac gratia, non ſolum humiles huius mũdi, ſed etiam nobiles atque ſublimes: qui propter excellentiam ſuam dicuntur cedri: ſed quas plantauit dominus, qui etiam de diuitibus & illuſtribus, multos iuſtificauit.

Illic paſſeres nidificabunt: fulica domus dux eſt eorum.

In iſtis cedris Libani, quas gratia Dei plantat & ſatiat, nidificabunt paſſeres, hi ſcilicet qui elegerunt humilitatem, & relictis quæ habebant, aut venditis, nihil ſibi in hoc ſeculo reſeruarunt: ſed diuitum Chriſtianorum domibus agriſque ſuſcepti, neceſſarijs ſolatijs adiuuantur. B Qui tamen licet in cedrorum altitudine requieſcant, non ipſis cedris ducibus vtuntur, ſed fulicæ domus dux eſt eorum. Domus autem fulicæ, quæ marina eſt auis, non eſt in terræ foraminibus, neque in ramis arborum, ſed in petra, quæ aquis ſit circundata. 1. Cor. 10. Petra verò intelligitur Chriſtus, qui exemplum patientiæ præbuit humilibus & paſteribus: quorum ipſe eſt fortitudo, vt circumſtrementibus fluctibus non moueantur: & ſi quid in cedris Libani offenderit, fulicæ domum ſequantur.

Montes altiſſimi ceruis, petra refugium ericijs.

Cerui ſunt magni & præcipui ſpiritales, qui mandatorum Dei ſublimiſſima quæq; ſectantur, & in montibus habitant ſcripturarum. Sed & qui ea celſa tenere non poſſunt, habent humilitatis ſuæ refugium: ac licet ſint minutis quibuſdam peccatis hiſpidi & ſpinoſi (quod ſignificatum eſt ericiorum nomine) tamen & ipſi ſuſcipiuntur à petra, quæ ſiue in montibus, ſiue in mari, ſiue in conuallibus, omnium eſt vbique præſidium. C

Fecit lunam in tempore.

Fundauit Dominus eccleſiam, quæ per temporalia tranſit ad æterna: & quamuis ad claritatem deſtinata ſit perpetem, mutationibus tamen, dum hic degit, obnoxia eſt.

Sol cognouit occaſum ſuum.

Chriſtus agnouit paſſionem ſuam. Occaſus CHRISTI, paſſio Chriſti eſt. Sed nunquid ſol ſic occidit, vt non oriatur? Pſal. 40. *nunquid qui dormit, non adijciet, vt reſurgat?* Quid eſt autem, Agnouit occaſum ſuum: niſi, placuit ei vt moreretur? Iſa. 53. Voluntate enim ſuſcepit crucem & mortem: & ſicut aliena ſunt ab eius notitia, quæ ipſi non placent: ita ea quæ voluntati ipſius congruunt, nouit atque cognoſcit.

Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox:

Luc. 24. Cum paſſus eſſet Dominus, conturbata ſunt tenebris formidinis corda Apoſtolorum: & quædam illic nox facta eſt, cùm occiſus eſt qui redemptor omnium videbatur.

D

Ibi pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ.

Catuli leonum rugientes vt rapiant, quærentes à domino eſcam ſibi.

In hac nocte deſperationis, & in his tenebris ignorantiæ inſidiabantur beſtiæ ſyluæ, id eſt, maligni ſpiritus, & catuli leonum, hoc eſt, ſæuiores quiq; dæmonum, furentes ad rapiendos in eſcam ſuam, quos in tenebris infidelitatis inuenerint. Quibus tamen nihil noxæ inferre poſſunt, niſi Deus permiſerit: & ideo ab ipſo petunt rapiendi poteſtatem, cuius iudicio homo inimicis ſuis aut caſtigandus traditur, aut probandus.

*Ortus eſt ſol, & congregati ſunt: & in cubilibus ſuis * collocabuntur.*

† alias cubabunt.

Ortus eſt ſol, quia occidit ſol: id eſt, Chriſtus mortuus reſurrexit, & vniuerſum mundum claritatis ſuæ manifeſtatione impleuit: & quamuis in cordibus infidelium tenebræ perſeuerent, Eccleſia tamẽ toto orbe terrarum, cui ſol eſt ortus, in lumine eſt. Vnde illi ſpiritus, qui ad perſequendos Chriſtianos impiorum animos incitant, in tanta luce vbique receptæ veritatis ſæuire non audent, & in ſua cubilia congregati, intra infidelium corda cohibentur.

E

Exiuit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam.

Quia modò in pace eccleſiæ homo Dei, iuſtitiæ Dei ſeruiens, liberè agit, & ad profutura ſibi opera ſecurus egreditur vſq; ad veſperam. In fine enim mundi erit quædam contenebratio perſecutionis externa.

Quam magnificata ſunt opera tua domine? omnia in ſapientia feciſti.

Admiratio hæc, qua magnificentia ſtupetur operum diuinorum, ad vtramque conditionem pertinet: id eſt, & mundi huius & eccleſiæ: quia temporalium pulchritudo gloriam ſignificat æternorum: & per viſibilia, ea quæ non apparent, *intellecta conſpiciuntur.* Omnia autem in ſapientia F feciſti, id eſt, in Chriſto facta ſunt, qui eſt *Dei virtus & Dei ſapientia.* Rom. 1. Heb. 1. & 2 1. Cor. 1.

Repleta eſt terra creatura tua.

Latè oculis apparet, & multipliciter ſpectabilis eſt pulchritudo mundana, quæ ſapientiam & virtutem ſui teſtatur autoris. Sed illam magis creaturam debemus attendere, de qua dicit Apoſtolus, *Si qua igitur in Chriſto noua creatura: vetera tranſierunt, ecce facta ſunt noua.* 1. Cor. 5. Venit enim qui renouaret opus ſuum, qui conflaret argentum ſuum: qui formaret monetam ſuam. Et videmus plenam terram Chriſtianis in eum credentibus, & ad ſpem noui ſeculi, relicta præterita vanitate, currentibus.

Hoc mare magnum, & ſpatioſum: illic reptilia, quorum non eſt numerus.

Licet ad nouum ſeculum noua creatura pertineat, in hac tamen vita peregrinatur, & non poteſt ad patriam ſuam, niſi per hoc magnum & inquietum mare inter pericula nauigare: inſidiante innumerabilium reptilium dolo, hoc eſt, multarum tentationum incurſu: à quibus cauendum eſt, ne dum repunt, ſubrepant: & non recedendum à ligno crucis, in quo hoc ſæuum mare ſub Chriſti gubernaculis tranſitatur. G

Animalia puſilla & magna, illic naues commeabunt.

In hoc mari ſunt infideles, & inter aquas amaras ſtenleſque verſantur, Puſilli & magni, id eſt, & infirmi & primates iſtius ſeculi: qui licet Chriſtianæ religioni aduerſentur: tamen inter ipſos tutus eſt noſtrorum nauium cõmeatus: hoc eſt, inter procellas & fluctus maris, gubernante Chriſto, eccleſiarum tutus eſt curſus.

Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei:

In mari iſto magno, vbi ſunt reptilia, quorum non eſt numerus, vbi animalia puſilla & magna, vbi etiam noſtrarum nauium commeatus: ibi eſt & draco, qui de ſummis in ima deiectus iudicio Dei, ad hoc ex angelo diabolus factus eſt, vt malitiæ & nequitiæ ipſius à ſanctis illuderetur. Qui etſi indeſinenter habet nocendi cupiditatem, nemini tamen plus tentationum poteſt inferre, quàm ſinitur.

Omnia à te expectant domine, vt des illis cibum in tempore opportuno.

H

Dante te illi colligent:

Vniuerſis reptilibus cunctis animalibus, atque ipſi draconi non ſuppetit cibus, niſi quem dominus dederit. Quamuis enim draco ſemper ſit cupidus ad vorandum, vorare tamen non poteſt, niſi quod Deus iuſtus ciborum omnium diſtributor eſui eius addixerit. Eſt autem eſca ipſius terra. Non igitur edendus dabitur, qui terra non fuerit: hoc eſt, qui non ſe terrenis cupiditatibus actibuſq; dediderit.

Aperiente te manum tuam, vniuerſa replebuntur bonitate,

Auertente autem te faciem tuam, turbabuntur.

Apertio manus Dei, reuelatio eſt Chriſti: manus enim Domini, Chriſtus eſt, *& brachium domini cui reuelatum eſt?* Iſai. 53. quod cui reuelatur, illi aperitur, & cui aperitur, bonitate impletur. Vtq; hanc bonitatem deſuper accepiſſe ſe nouerit, nonnunquam dominus auertit faciem ſuam: & qui videbatur plenus bonitate, turbatur: vt per ſubitam

inopiam

A inopiam intelligat illam boni abũdantiam non ſibi fuiſſe de proprio.

Auferes ſpiritum eorum, & deficient: & in puluerem ſuum reuertentur.

Qui in ſe gloriabantur, docentur derumeſcere: auferetur ab eis ſpiritus ſuperbiæ, vt conuertantur in puluerem ſuum, agnoſcentes quod terræ ſint, & pœnitentes quòd ſuperbierint, vt rurſus bonitate repleantur.

Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur: & renouabis faciem terræ.

Eph.2. *Ipſius enim ſumus figmentum*, dicit Apoſtolus, *creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.* Ab ſpiritu Dei accepimus gratiam, vt iuſtitiæ viuamus. Deus enim iuſtificat impium, & renouat faciem terræ, condens in toto mundo nouam creaturam per ſpiritum gratiæ, vt depoſito vetere homine, in nouitate vitæ ambulemus.

Sit gloria domini in æternum: lætabitur dominus in operibus ſuis.

B Deo ergo ſit gloria, Deus lætetur in operibus ſuis: quia ſi quid laudandum, ſi quid lætandum ab homine agitur, opus Dei eſt, & munus gratiæ eius, qui aufert ſpiritum ſuperbum, & dat ſpiritum ſanctum.

Qui aſpicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigabunt.

Hęc opera Dei conuertentis auerſos, vt aſpiciat ad terram præſidentem ſibi, ac de ſuis viribus præſumentem. & faciat eam tremere, & hanc ſibi eſſe cauſam tremoris agnoſcat: quia Deus in ipſo operatur vt bona ſit, quo ſe auertente defecerat. Eodem autem opere tãguntur & mõtes, id eſt, ſublimiores quidam, & potentiores huius ſeculi: & fumigabunt: id eſt, dabunt Deo confeſſionem, & preces ipſorum ad Deum, qui illos tetigit, quaſi fumus aſcendent.

Cantabo domino in vita mea: pſallam Deo meo quamdiu ſum.

Omnia, inquit, ad laudem Dei referam, & dominum in omnibus ſuis ſine fine laudabo.

Suaue ſit ei diſputatio mea: ego autem iocundabor in domino.

C Suauis eſt domino diſputatio illius, qui per humilem confeſſionem ſe indicat ſcienti Deo, & cui ſe indicat neſcienti Deus. De hac autem tali diſputatione oritur delectatio: quia confeſſio non in ſe gloriantis, in agnitionem Dei proficit.

Deficient peccatores à terra. & iniuſti, ita vt non ſint.

Iracundię & odij videtur eſſe vox iſta, ſed eſt præcipuę charitatis: hoc enim ait quod & ſupra, vt auferatur ſpiritus ſuperborum, & deficiant: & mittatur in illos ſpiritus Dei, vt fiat noua creatura, deficiente malitia, non pereunte ſubſtantia. Qui enim, cùm eſſet impius, iuſtificatus eſt, non erit impius, ſed erit iuſtus.

Benedic anima mea Dominum.

1.Cor.1. Benedicat anima fidelis in omnibus Deo, & *qui gloriatur, in domino glorietur.*

PSALM. CIV.

Primus hic Pſalmus prænotatur Alleluia: quod eſt, laudate dominum, ideo à laude cœpit.

D *Confitemini domino, & inuocate nomen eius.*

Laudate, inquit, dominum, & inuocate: ſemper enim inuocationem debet præire laudatio, quæ hic dicta confeſſio eſt.

Adnuntiate in gentibus opera eius.

Euangeliſtis hoc dicitur in propheta, vt vniuerſo mundo Chriſtus adnuncietur.

Cantate ei, & pſallite ei:

Hoc eſt, verbo & opere prædicate: quoniam ore canitur, manibus autem pſallitur.

Narrate omnia mirabilia eius.

Laudamini in nomine ſancto eius.

Opera, inquit, Dei confitendo narrate: & in operibus veſtris ſic eſtote laudabiles, vt Deus laudetur in vobis. E

Lætetur cor quærentium dominum.

Quærite dominum & confirmamini:

Dominum quærens, gaudium quærit: ſic ergo quæratur, vt non de ſe, ſed Deo gaudeat & confortetur. Sentent. eſt 9. Accedendo enim ad dominum & illuminabitur ignorantia, & corroboratur infirmitas: data ſibi & intelligentia qua rideat, & charitate qua ferueat.

Quærite faciem eius ſemper.

Facies pro præſentia ponitur, ſicut facies vẽti, & facies ignis. Præſentia ergo Dei ſemper quærenda eſt: & perſeueranti ſtudio agendum, vt qui præſentem ſe tribuit, nõ recedat. Hoc autem in iſta vita fides quærit, ſpes inuenit, charitas verò obtinet in vita æterna, vbi amor veræ præſentiæ nec minuitur, nec finitur.

Mementote mirabilium eius quæ fecit: prodigia eius & iudicia oris eius.

Semen Abraham ſerui eius: filij Iacob electi eius. F

Quia multum eſt paucisque poſſibile eſt, ſecundùm id ſemper Deum quęrere, quod ipſe de ſe ait. *Ego ſum qui ſum:* Exod.3. ſecundum id ſaltem à paruulis eſt quærendus, quod ipſe ait, *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob, hoc mihi nomen eſt in æternum.* Mementote ergo mirabilium eius quæ fecit, qui ſemẽ eſtis Abrahæ, & filij eius Iacob, quem elegit Deus: vt ſi altius Deum non poteſtis deſiderare, vel ſecundum ea quæ cum patribus veſtris operatus eſt, præſentiam ipſius expetatis.

Ipſe Dominus Deus noſter: in omni terra iudicia eius.

Manifeſtauit, quòd hi eſſent filij Abraham, qui eſſent filij promiſſionis, dicendo. In omni terra iudicia eius: quia Rom.9. in toto mundo fuerant filij Abrahę, quos nũc ſermo propheticus cohortatur, vt meminerint mirabilium Dei.

Memor fuit in ſeculum teſtamenti ſui, verbi quod mandauit in mille generationes:

Quod diſpoſuit Abraham: & iuramenti ſui ad Iſaac.

Et ſtatuit illud Iacob in præceptum, Iſrael in teſtamentum æternum.

Dicens, Tibi dabo terram Chanaam, funiculum hæreditatis veſtræ. G

Per ea quæ tranſierunt, ſignificantur ea quæ manebũt: & per imaginem veteris teſtamenti, confirmata eſt promiſſio hæreditatis æternæ; per verbum quod mandauit Deus in mille generationes: hoc eſt, in omnes. Nam vt nihil vacui prætermitteret, eum numerum poſuit generationum, quem conſtat nec ab ipſo Adam vſque ad finem mundi poſſe compleri, donec omnes generationes finiantur, quæ ex abundanti millenario numero comprehẽſæ ſunt. Verbum mandati permanet: id eſt, verbum fidei, cui promiſſa eſt hæreditas æterna. Quod enim ait, *Tibi* Geneſ.12. *dabo terram Chanaam*, non mandatum eſt, ſed promiſſum. Abac.2. Mandatum autem eſt, vt *iuſtus ex fide viuat*, cui patria Rom.1. æterna promittitur nomine cuiuſdam terræ: cuius dum Heb.11. non eſt perpetua poſſeſſio, certum eſt quia alia ſignificatur. Heb.13.

Cum eſſent numero breui, pauciſſimi & incolæ eius.

Id eſt, in terra Chanaan.

Tranſierunt de gente in gentem, de regno in populum alterum.

Non reliquit hominem nocere illis, & corripuit pro eis reges. H

Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignare.

Quando, inquit, in terra Chanaan habitauerũt patres Abraham, & Iſaac & Iacob, peregrini erant illic, priuſquã illam acciperent in hæreditatem: cùm eſſent pauciſſimi, tranſierunt de gente in gentem ſine noxa. Non enim permiſit Deus, vt quiſquam illis noceret: ita vt ipſa protectio Dei dicere videatur, Nolite tãgere Chriſtos meos, & cætera. Quæ verba etſi non ſunt in hiſtoria, fuerunt tamẽ in ipſo rerum effectu: cùm diuinitus hoc ageretur in cordibus alienigenarum, vt electi Dei eſſent illæſi. Qui ideo iã tunc Chriſti dicti ſunt, cùm adhuc in vſu chriſma non eſſet: quia & ipſi in ea viuebant fide, quæ erat nouiſſimis tẽporibus reuelanda. Ab initio enim omnibus ſanctis non niſi in Chriſto, iuſtificatio fuit.

Et

A *Et vocauit famem ſuper terram, & omne firmamentum panis contriuit.*

Miſit ante eos virum: in ſeruum venundatus eſt Ioſeph.

Per hanc diſpoſitionem factũ eſt, vt tranſirent de gente in gentem, & regno in populum alterum. Quod autem vocauit famem, non ſic accipiendum, quaſi fames aliqua perſona ſit, vel res ſubſtantialis & viuẽs, quæ imperio vocantis acta ſit cum fames nihil aliud ſit, quàm ex inedia contracta pernicies: ſed vocata, dictum eſt, pro facta. Rom. 4. *Vocat* enim Deus *quæ non ſunt, tanquam quæ ſint*: quæ non ideo vocata ſunt quia erant, ſed ideo erant quia vocata ſunt: id eſt, exiſtere iuſſa ſunt per eum qui fecit quæ futura ſunt. In eo verò, quod miſit ante eos virum, in ſeruum venundatus eſt Ioſeph: diligens inſpectio neceſſaria eſt, qua videamus, quomodo malis operibus hominum bene vtatur: cum homines bona opera Dei ad inſtrumentum malitiæ ſuæ transferant.

Humiliauerunt in compedibus pedes eius: ferrum pertranſiuit animam eius.

Donec veniret verbum eius: eloquium domini inflammauit eum.

B Compedes quidem Ioſeph accepiſſe non legimus, ſed dubitandum non eſt de eo: quod licet hiſtoria prætermiſerit, tamen propheta non tacuit. In ferro autem, quod pertranſiſſe animam eius dixit, tribulationem duræ neceſſitatis debemus accipere: quæ tribulatio tam diu manſit, donec implerentur ſomnia quæ verbo ipſius fuerant interpretata, & per quæ commendatus eſt Regi, vt etiam ipſi futura prædicaret. Ne quis autem hęc homini tribueret, non gratiæ Dei, congruenter adiectum eſt. Eloquium domini inflammauit eum: vt etiam ipſe intelligatur ſancto ſpiritu ferbuiſſe.

Miſit rex, & ſoluit eum: princeps populorum, & dimiſit eum.

Ipſe eſt rex, qui princeps populorum, ſoluit eum compeditum, dimiſit incluſum.

Conſtituit eum dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ.

Vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum: & ſeniores eius prudentiam doceret.

Ne hoc quidem in illa ſublimitate Ioſeph hiſtoria refert, quod Ægyptios ſenes ſapientia imbuerit ſpiritali. C Sed qui fieri poſſet, vt vir tantus, vnius veri Dei cultor, alendis tantummodo Ægyptiorum corporibus, & ſolis terrenis rebus proſpiciendis eſſet intentus: non autem curaret, vt eorum quos habebat ſubditos, etiam animos erudiret?

Et intrauit Iſrael in Ægyptum: & Iacob accola fuit in terra Cham.

Quod eſt Iſrael, hoc eſt Iacob: & quod eſt Ægyptus, hoc terra Cham. De ſemine enim Cham filij Noë, exorta eſt gens Ægyptiorum: apud quos peregrinati ſunt Iſraelitæ. Si autem quæritur, quomodo de regno in populum alterum tranſiſſe dicatur, cum terram Chanaan necdum in regnum accepiſſent: poteſt per anticipationem, id eſt, prolepſim, ſic dictum accipi, vt quod futurum erat, quaſi factum dictum ſit.

Et auxit populum ſuum vehementer, & firmauit eum ſuper inimicos eius.

D Quod breuiter præmiſſum eſt. Firmauit populum ſuũ ſuper inimicos eius: tanquam quæreremus, quomodo factum ſit, incipit dicere, donec id etiam narrando determinet.

Et conuertit cor eorum, vt odiſſent populum ſuum: vt dolum facerent in ſeruos eius.

Cor Ægyptiorum non Deus deprauauit à recto, ſed cum ſponte mali eſſent, & tales vt poſſent inuidere felicibus, in odium illos Hebræorum conuertit beneficentia ſua, qua populum ſuum multiplicabat: benefaciendo autem ſuis Ægyptios ad eorum inimicitias incitauit: non ipſos malos faciendo, ſed iſtis bona, quę malos vrerent, largiendo.

Miſit Moyſen ſeruum ſuum, & Aaron, in quem elegit ipſum.

Poſuit in eis verba ſignorum ſuorum, & prodigiorum in terra Cham.

E Multa ſine vllis verbis facta ſunt, vel virga, vel manu extenta, vel fauilla in cœlum miſſa: ſed quia illa ipſa ſine verbo facta ſunt, nõ erant ab aliquibus ſignificationibus vacua, ſicut verba quæ loquitur. Ideo etiam ipſa dicta ſunt verba, non vocum & ſonorum, ſed ſignorum & prodigiorum.

Miſit tenebras, & obſcurauit: & non exacerbauerunt ſermones eius.

Id eſt, Moyſen & Aaron Ægyptij, quamuis eſſent duriſſimi, patienter tulerunt, donec omnia quæ Deus facere diſpoſuerat, complerentur.

Conuertit aquas eorum in ſanguinem, & occidit piſces eorum.

Dedit terra eorum ranas in penetralibus regum ipſorum.

Hyperbolicos dictum eſt, tanquam ipſam terram eorum conuertiſſet in ranas.

Dixit, & venit cynomia, & cinipehes in omnibus finibus eorum.

F Si quæritur quando dixerit: in verbo eius erat antequam fieret, & ſine tempore ibi erat, quo tempore fieret.

Poſuit pluuias eorum grandinem: ignem comburentem in terra ipſorum.

Et percuſſit vineas eorum, & ſiculneas eorum: & contriuit lignum finium eorum.

Hoc vi grandinis, & fulminibus factum eſt: Vnde & ignem dixerunt comburentem.

Dixit, & venit locuſta & bruchus, cuius non erat numerus.

Vna plaga eſt locuſtæ, & bruchi: quoniam altera eſt parens, altera fœtus.

Et comedit omne fœnum terræ eorum.

Etiam fœnum fructus eſt, ſicut loqui ſcriptura conſueuit, quæ etiam ſegetes frugum fœnum appellat.

Et percuſſit omnem primogenitum in terra eorum: primitias omnis laboris eorum.

Hęc plaga nouiſſima eſt, excepta morte in mari rubro: quæ plagæ cùm ſint decem, nec omnes commemoratæ ſunt, nec eodem ordine quo in Moyſe leguntur: libera eſt enim prophetica laudatio à lege narrationis hiſtoricæ.

Et eduxit eos in argento & auro.

Dolus quidem, quo Ægyptij decepti ſunt, vt argẽtum & aurum Hebræis diſcedentibus darent, non ad præceptum nec ad inſpirationem Dei referendus eſt, ſed ad permiſſionem tantum, qua carnales quoque hac decipi cupiditate paterentur. Veruntamen habeat aliquid fraus iſta iuſtitiæ, quę ab iniquis hoc quodammodo abſtulit, quod pro mercede multorum operum debebatur. Exod. 11. G

Et non erat in tribubus eorum infirmus.

Etiam hoc magnum beneficium Dei fuit, vt in illa profectione nullus eſſet infirmus, corpore ſcilic. non animo.

Lætata eſt Ægyptus in profectione eorum: quia incubuit timor eorum ſuper eos.

Intelligendum, quod hoc tunc factum ſit, quando oppreſſo aquis Pharaone cũ exercitu ſuo, reſidui Ægyptiorum timere potuerunt, ne ad delendos eoſdem, Hebræi reuerterentur: quibus profectis in longinquiora, cauſas habuerunt lætandi.

Expandit nubem in protectione eorum: & ignem, vt luceret eis per noctem.

Petierunt, & venit coturnix:

H Quæ vtiq; caro eſt: quæ petitio non querulorum, ſed electorum præſtita eſt, ad carnalium munera comprimẽda. Quoniam hic Pſalmus non de eis loquitur, in quibus non eſt beneplacitum Deo, ſed de fide filiorum promiſſionis, propter quos etiam illi iuuabantur.

Et pane cœli ſaturauit eos.

Id eſt, manna.

Diſrupit petrã & fluxerunt aquæ: abierunt in ſicco flumina.

His omnibus beneficijs Dei, fidei Abrahæ meritum commendatur.

Quoniam memor fuit verbi ſancti ſui, quod locutus eſt ad Abraham puerum ſuum.

Et eduxit populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia.

Et dedit illis regiones gentium: & labores populorum poſſederunt.

A Tanquam quæreremus, cui bona iſta data ſunt, ne hoc ipſum putaretur ſummum bonum, quod iſta felicitas temporalium rerum data eſt, continuò eam ad aliud retulit, vbi ſummum bonum oportet inquiri.

Vt cuſtodiant iuſtificationes eius: & legem eius requirant.

Ergo intelligendum eſt, Dei ſeruos, & electos filios promiſſionis imitantes fidem Abrahæ, propterea iſta bona terrena ſumere à domino, vt non in eis luxu diffluant, ſiue peruerſa ſecuritate torpeſcant: ſed ideo habeant hæc omnia ex diuina miſericordia præparata, in quibus quærendis poſſent negotioſiſſimis laboribus occupari: vt ad hoc vacent, vnde bonum æternum poſſit acquiri: hoc eſt, vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant.

PSALMVS CV. ALLELVIA.

Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

B DVo iſti Pſalmi, id eſt, CIV. & CV. ita inter ſe coniuncti ſunt, vt in vno eorum, qui præcedit, commendetur populus Dei in electis eius, de quibus nulla querela eſt, & in quibus beneplacitum eſt domino: in iſto autem qui ſequitur, hi commemorantur, qui in eodem populo amaricauerunt. Nec tamen etiam ipſis miſericordia Dei defuit. Dicuntur autem iſta ex eorum perſona, qui veniam conuerſi precantur: & exempla commemorantur illorum, in quos etiam peccatores dites apparuit miſericordia Dei. Incipit ergo iſte Pſalmus, ſicut ille; *Confitemini domino*: ſed ibi ſequitur, *Et inuocate nomen eius*: hic autem, Quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Confeſſio igitur peccatorum habet laudationem Dei: quoniam qui indulgentiam petit, cum ſpe debet orare, & cum laude eius miſericordiæ quam credit æternam.

Pſal. 104.

Quis loquetur potentias Domini: auditas faciet omnes laudes eius?

C Quis enarrabit opera omnipotentis miſericordiæ Dei, vel poterit facere, vt omnes laudes ipſius audiantur: quia quod ore promitur, & quod opere agitur, in laudem Dei dicendum eſt, atque faciendum.

Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore.

Iuſtitia & iudicium tam ſimilia ſibi ſunt atque vicina, vt quodlibet eorum pro altero poni poſſit: verumtamen ſi proprietas eorum diligentius ſeruanda ſit, iudicium cuſtodire dicendus eſt, qui rectè iudicat: Iuſtitiam verò facere, qui rectè agit.

Memento noſtri domine in beneplacito populi tui.

1. Cor. 10. Id eſt, vt in eis ſimus, in quibus beneplacitum eſt tibi: quia non in omnibus illis beneplacitum eſt Deo.

Viſita nos in ſalutari tuo.

Hoc eſt, in Chriſto tuo, in quo peccata dimittuntur, & animæ ſanantur, vt cuſtodiant iudicium, faciantque iuſtitiam.

Ad videndum in bonitate electorum tuorum: ad lætandum in lætitia gentis tuæ.

D Viſita nos, inquit, ad videndum, id eſt, illumina nos, ne ſimus cæci, & extra bonitatem electorum tuorum. Quoniam oculi interiores recta vident, æquitatem vident, bona concupiſcunt, in hac ergo bonitate fac & nos videre, & lætari in lætitia populi tui, quæ non eſt præter te: quia omnes tui non gaudent niſi de te.

Vt lauderis cum hæreditate tua.

Id eſt, vt omnia bona hæreditatis tuæ, quam elegiſti & adoptaſti, ad tuam gloriam laudemque referantur. Quia quos viſitas in ſalutari tuo, laudari niſi in tua laude nõ poſſunt, qui eos laudabiles facis.

Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus.

Dupliciter intelligi poteſt, quòd peccauerint poſteri cũ patribus ſuis, tanto antiquioribus; ſiue quia in lumbis patrum erant, quando illi in Ægypto fuerunt: quia & *Leui cum Abraham decimatus eſt*? ſiue quia imitatores fuerunt per ſimilitudinem contumaciæ, & cum illis peccauerunt, quos ſuis moribus retulerunt.

Heb. 7.

Patres noſtri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis miſericordiæ tuæ.

E Et intellectũ redarguit, & memoriam: intellectu quippe videre debuerunt, ad quorum bonorum æternitatem, per illa temporalia vocarentur. Memoria verò ad hoc ſaltem inſtrui debuerunt, vt mirabilium Dei non obliuiſcerentur: cum ad confirmationem eorum multum poſſet valere beneficiorum Dei fidelis recordatio.

Et irritauerunt aſcendentes in mare, in mare rubrum.

Aſcendentes, dictum eſt, pro tertæ poſitione: quæ talis eſt, vt deſcenſio dicatur in Ægyptum de terra Chanaan, & in eam de Ægypto aſcenſio.

Et ſaluauit eos propter nomen ſuum: vt notam faceret potentiam ſuam.

Et increpuit mare rubrum, & ſiccatum eſt.

Non legitur vlla vox facta, qua ſiccaretur mare: potentia ergo qua id factum eſt, increpatio dicta eſt.

Et eduxit eos in abyſſis, ſicut in deſerto.

Quia ſiccitate factum erat ſicut deſertum, vbi fuerunt abyſſi.

F *Et ſaluauit eos de manu odientium: & redemit eos de manu inimici.*

Quid pretij datum eſt in hac redemptione? an prophetia eſt, quòd in figura baptiſmi hoc factum ſit, vbi redimimur de manu diaboli magno pretio, quod eſt ſanguis Chriſti? Vnde conuenientior hoc magis mari rubro figuratio eſt.

Et operuit aqua tribulantes eos: vnus ex eis non remanſit.

Et crediderunt in verbis eius: & laudauerunt laudem eius.

Talis locutio eſt, cum dicitur, hanc ſeruitutem ſeruiuit: aut talem vitam vixit. Laudem verò Dei illam dicit, quæ cantico Exodi continetur.

Citò fecerunt, obliti ſunt operum eius: non ſuſtinuerunt conſilium eius.

G Feſtinauerunt beati fieri temporalibus rebus, & magis concupierunt præſentia, quàm futura: cùm deberent de tantis erga ſe beneficijs intelligere, quòd ad aliquam ſine fine beatitudinem vocarentur.

Concupierunt concupiſcentiam in deſerto: & tentauerunt dominum in inaquoſo.

Talis locutio eſt, Concupierunt concupiſcentiam: qualis eſt ſuperior, Laudauerunt laudem.

Et dedit eis petitiones eorum: & miſit ſaturitatem in animam eorum.

Animam hoc loco, non ſecundùm quòd rationalis eſt, dixit: ſed ſecundùm id quod animatum corpus anima facit: ad cuius animalis ſuſtentationem pertinet cibus & potus.

Et irritauerunt Moyſen in Caſtris, & Aaron ſanctũ domini.

Et aperta eſt terra, & deglutiuit Dathan: & operuit ſuper congregationem Abiron.

Quod eſt deglutiuit, hoc eſt, ſuperoperuit: amborum autem vna erat cauſa, ob impium ſchiſma.

H *Et exarſit ignis in ſynagoga eorum: & flamma combuſſit peccatores.*

Licet iuſti quoque & laudabiliter viuentes, non ſint abſque peccato, ſcriptura tamen peccatores non leuium culparum homines ſed multorum facinorum, & profundæ iniquitatis, hoc nomine appellare conſueuit.

Et fecerunt vitulum in Choreb: & adorauerunt ſculptile.

Et mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.

Deus erat gloria eorum, ſi eius conſilium ſuſtinerent: cui dicitur: *Gloria mea, & exaltans caput meum.* Iſtam gloriam ſuam, id eſt, Deum, immutauerunt in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum, vt ab eo comederentur, à quo quo comeduntur, qui ſapiunt ſecundùm carnem: *Omnis enim caro fœnum.* Pſal 3. Iſaia 40.

Obliti ſunt Deum, qui liberauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.

Quæ ſunt mirabilia, eadem terribilia. Nulla quippe eſt admiratio ſine quadam formidine.

A *Et dixit diſperdere eos ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius.*

Non ita dixit, In confractione, quaſi vt confrangeret iram Dei: ſed in plaga, qua erant illi conterendi: in qua Moyſes obiecit ſeipſum pro eis. Et demonſtratum eſt, quantum pro malis valeat apud dominum ſanctorum interceſſio.

Vt auerteret iram eius, ne diſperderet eos: & pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem, nec crediderunt verbis eius.

Nullo modo iſti culparētur, quia pro nihilo habuerunt terram, cuius temporale regnum etiam nos pro nihilo habere debemus: niſi terra illa, quæ dicebatur fluens lac & mel, magni ſacramenti habuiſſet ſignificationem: quod non intelligentes nec deſiderantes, ſed in terrenis tantum fœlicitatem ſuam conſtituentes, non crediderunt verbis Dei: & pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem: id eſt æternam atque cæleſtem.

Et murmurauerunt in tabernaculis ſuis: nō exaudierunt vocem domini.

B *Et eleuauit manum ſuam ſuper eos, vt proſterneret eos in deſerto.*

Et deijceret ſemen eorum in nationibus: & diſpergeret eos in gentibus.

Et conſecrati ſunt Belphegor: & manducauerunt ſacrificia mortuorum.

Et irritauerunt eum in adinuentionibus ſuis: & multiplicata eſt in eis ruina.

Suſpenſa fuerat ira iuſtitiæ, & in peccatores dilata vindicta: ſed poſtea quàm conſecrauerunt ſe idolis, & manducauerunt ſacrificia mortuorum, id eſt, quæ mortuis hominibus immolabant: fornicationi quoque alienigenarum mulierum miſcuerunt, multiplicata eſt in eis ruina, vt ob augmentum criminum grauius vaſtarentur: in qua vaſtatione dominum Phinees ſacerdos placauit: quia maſculum & fæminam, in complexu adulterino deprehenſos, pariter interemit: & deputatum eſt hoc ei ad iuſtitiam: quia vidit Dominus, quòd hoc totius populi charitate feciſſet.

C *Et ſtetit Phinees, & placauit: & ceſſauit quaſſatio.*

Et reputatum eſt ei ad iuſtitiam in generatione & generationem, vſque in ſempiternum.

Et irritauerunt eum ad aquam contradictionis, & vexatus eſt Moyſes propter eos, quia exacerbauerunt ſpiritum eius, & diſtinxit in labijs ſuis.

Sanctus Moyſes perturbatus murmure populi, non tenuit fiduciam qualem debuit, & dubitanter petram virga percuſſit, diſtinguens hoc miraculum à cæteris, quaſi non poſſet qui cætera fecerat, etiam illud efficere. Hinc ergo meruit prius mori, quàm terram repromiſſionis intraret. Cui tamen Deus, tanquam electo ſuo etiam poſt mortem, bonum perhibet teſtimonium: vt intelligamus, eum huius tantùm hæreditatis priuatione mulctatum: non autem illius æternę, quam ſignificabat temporalis & terrena poſſeſſio.

Non diſperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis.

Commixti ſunt cum gentibus, & didicerunt opera eorum: & ſeruierunt ſculptilibus eorum, & factū eſt illis in ſcandalum.

D Illud, quod gentes non diſperdiderunt, & quòd eis permixti ſunt, factum eſt illis in ſcandalum.

Et immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmonijs.

Et effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan.

Hiſtoria quidem talium ſacrificiorum non meminit: ſed nemo dubitet, pſalmum vera narrare.

Et interfecta eſt terra in ſanguinibus: & contaminata eſt in operibus eorum.

Tropica locutio eſt, qua ſignificatur per id quod continet, id quod continetur: ſicut dicimus, malam domum, in qua mali habitant: & bonam, in qua boni. Interfecta ergo terra in ſanguinibus, cùm ipſi, qui eam habitant, interfecti ſunt in animam, & contaminati in operibus ſuis.

Et fornicati ſunt in adinuentionibus ſuis.

Non ſic dictæ ſunt adinuentiones ipſorū, quaſi ab ipſis repertæ, nullo præcedente, quod ſequerentur, exemplo: ſed in eo dictæ ſunt ipſorum, quia illas ſuas imitando fecerunt. E

Et iratus eſt furore dominus in populum ſuum:

Perturbatio iræ in Deum non cadit: ſed conſuetudine loquendi, potentia vindictæ indeclinabilis hoc vocatur.

Et abominatus eſt hæreditatem ſuam:

Et tradidit eos in manus gentium: & dominati ſunt eorum, qui oderunt eos.

Et tribulauerunt eos inimici eorum: humiliati ſunt ſub manibus eorum.

Quando eos hæreditatem Dei vocat, non ad perditionem, ſed ad diſciplinam hæc abominatio fuit.

Sæpe liberauit eos: ipſi autem exacerbauerunt eum in conſilio ſuo.

Perniciosum conſilium eſt hominis ipſi homini, quo ea quærit quæ ſua ſunt, non quæ Dei: & ideo exacerbat conſilium Dei, qui ſe ipſum ſuis promittit hæreditatem, vt nō temporalibus beati fieri cupiant, ſed æternis.

Et humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis. F

Et vidit cùm tribularentur, cùm audiret orationem eorum:

Et memor fuit teſtamenti ſui: & pœnituit eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ.

Pœnituit, dictum eſt, quia ſententiam, qua eos puniturus videbatur, in miſericordiam vertit: quod Deus ſine commutatione conſilij ſui facit. Quia etſi apud nos quædam ipſius iudicia & opera variantur: apud ipſum tamen, omnium rerum exitus præſcientem, nihil noua diſpoſitione agitur: qui fecit quæ futura ſunt. Cùm ergo pœnituit eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ: hoc fecit, quòd diſpoſuerat, vt concederet, quod ſe conceſſurum eſſe præſcierat.

Et dedit eos in miſericordias, in conſpectu omnium qui ceperant eos.

Bene hoc ad omnes filios promiſſionis refertur, qui redimuntur per ſanguinem, & eruuntur de poteſtate tenebrarum: *vt reſipiſcant de diaboli laqueis: a quo captiui tenentur, ad ipſius voluntatem.* 2. Tim. 2.

G *Saluos fac nos domine Deus noſter: & congrega nos de nationibus.*

Vt cōfiteamur nomini ſancto tuo: & glorientur in laude tua.

Benedictus Dominus Deus Iſrael, a ſeculo, & vſque in ſeculum.

Id eſt, ab æterno vſque in æternum: quia ſine fine laudabitur ab eis, de quibus dicitur: *Beati qui habitant in domo tua, in ſecula ſeculorum laudabunt te.* Tunc enim perficietur quod in primordio Pſalmi huius oratum eſt, Memento noſtri domine in beneplacito populi tui: viſita nos in ſalutari tuo. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, vt lauderis cum hæreditate tua. Non enim de gentibus ſolas congregat *oues, quæ perierunt domus Iſrael:* ſed etiam illas, *quæ non ſunt de hoc ouili: vt ſit vnum † grex,* vt dictum eſt, *& vnus paſtor.* Iudæi verò cōputant ad ſuum regnum viſibile etiam pertinere prophetiam: quia ſpe inuiſibilium bonorum gaudere non norunt, in laqueos illius ruituri ſunt, de quo dominus ait, *Ego veni in nomine patris, & non ſuſcepiſtis me: alius veniet in nomine ſuo, hunc ſuſcipietis.* Pſal. 83. Matt. 15. † ouile Ioan. 5.

H *Et dicet omnis populus:*

Id eſt, omnis electio prædeſtinatorum, omnes filij promiſſionis, qui ſunt ex circumciſione, & in præputio gens ſancta, populus adoptionis.

Fiat, fiat.

PSALMVS CVI.

Confitemini domino quoniam ſuauis eſt: quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Confiteri poteſt ſuauitatē domini, qui guſtauit. Nam quomodo dicet ſuaue eſſe, quod neſcit? Accedat ergo ad guſtandum, vt poſſit excitari ad confitendum. In ſeculum autem, id eſt, in æternum, eſt miſericordia eius: quia æterni erunt, quorum in hoc tempore miſeretur.

Dicant

A

Dicant qui redempti ſunt à domino, quos redemit de manu inimicorum, de regionibus congregauit eos.

Ab oriente & occaſu, ab aquilone & mari.

Redemptus quidem videtur Iſrael de terra Ægypti, de domo ſeruitutis: ſed hîc hi vocantur redempti, qui in toto orbe terrarum, de magna & lata Ægypto, quaſi per mare rubrum baptiſmum ſacratum Chriſti ſanguine liberantur. Dicant ergo Chriſtiani, qui vocati ſunt de vniuerſo mundo, quoniam ſuauis dominus, & in ſeculum miſericordia eius.

Errauerunt in ſolitudine, & in ſiccitate: viam ciuitatis habitationis non inuenerunt.

Eſurientes & ſitientes, anima eorum in ipſis defecit.

Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos.

Et duxit eos in viam rectam, vt irent in ciuitatem habitationis.

Confiteantur domino miſericordiam eius, & mirabilia eius filijs hominum.

B

Quater in hoc Pſalmo repetuntur hi verſus: & miſerationum domini toties facta confeſſio, ſignificat vnumquemque redemptorum, vt perueniat ad perfectam pacem, quatuor tentationum periculis liberari. Nam primum periculum eſt, deuium à veritate hominem, in ignorantiæ ſolitudine atque errore verſari, & carentem cibo potuque ſapientiæ, fame, ſitique deficere. Sed cùm hoc labore fatigatus exclamauerit ad Dominum, deducitur ad viam fidei, per quam incipiat pergere ad ciuitatem quietis, & confiteatur domino miſerationes eius, & mirabilia eius filijs hominum.

Quoniam ſatiauit animam inanem: & animam eſurientē impleuit bonis.

Sedentes in tenebris & in vmbra mortis: compeditos in mendicitate, & in ferro.

Quoniam exacerbauerunt eloquia Dei: & conſilium Altiſſimi irritauerunt.

Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum: infirmati ſunt, nec fuit qui adiuuaret eos.

C

Sicut prima tentatio fuit erroris & famis, in ignorantia veritatis, ita poſteaquàm quis agnouerit viam Chriſti, & noſſe cœperit quid ſibi credendum, quidve faciendum ſit, laboribus ſecundæ tentationis excipitur: vt cùm vult quaſi viribus ſuis contra peccata confligere, inueniat cupiditatum difficultatibus præpeditum, & nō poſſe viam quam didicit, propter compedes ambulare. Exclamet ergo & in hac tribulatione, & de gratia Dei poſcat auxilium, vt ruptis vinculis impoſſibilitatis ſuæ, ad rectè agendum accipiat facultatem, quam vtique puſſet dominus, remotis obſtaculis, ſponte præuenire, niſi vtile eſſet homini, experiri infirmitatem ſuam: & de bonis operibus, nō in ſe, ſed in domino glorari, vt nouerit confiteri domino miſerationes eius, cuius munera accipit, vt cupiditates ſuas poſſit euocere.

Et clamauerunt ad dominum cum tribularentur: & de neceſſitatibus eorum ſaluauit eos.

D

Et eduxit eos de tenebris & vmbra mortis: & vincula eorum diſrupit.

Confiteantur domino miſericordias eius: & mirabilia eius filijs hominum.

Quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.

Suſcepit eos de via iniquitatis eorum: propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt.

Quia priuſquam à dominatione peccati per gratiam liberarentur, *ſuam* volebant iuſtitiam *conſtituere, ignorantes Dei iuſtitiam*: humiliati ergo ſunt per experimenta impoſſibilitatis ſuæ, & inuenerunt ſe ſine Dei adiutorio nihil poſſe. Sed tertia eos tentatio ſuſcepit, quæ infert faſtidium verbi Dei: plerumque enim, quos ignorantia & concupiſcentia non extinxit, inedia & tædium, & faſtidij languor occidit: niſi fortè non eſt periculum, quando nec in lectione, nec in oratione eſt delectatio. Rom. 10.

Omnem eſcam abominata eſt anima eorum: & appropinquauerunt vſque ad portas mortis.

Sicut corpori noxium eſt corporalē eſcam nō poſſe percipere: ita animæ periculoſum, ſpiritales delicias faſtidire. Sententia eſt 10.

E

Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur: & de neceſſitatibus eorum liberauit eos.

Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos: & eripuit eos de corruptela eorum.

Quædam mentis corruptela eſt, cùm ſalubria & ſuauia non amantur: ergo & de hoc liberari malo, plurimum bonum eſt.

Confiteantur domino miſerationes, & mirabilia eius filijs hominum.

Et ſacrificent ſacrificium laudis: & annuntient opera eius in exultatione.

Non cum tædio, non cum mœrore, non cum anxietate: ſed in exultatione. Verùm ſupereſt quarta tentatio, & quę ad præſidentes, & ſubditos pertinet: quoniam cùm gubernator tempeſtate vrgetur, omnes qui ſimul nauigant, eodem periculo premuntur, & ſimul in portu ſedata tempeſtate ſaluantur. Denique ſequitur:

Qui deſcendunt in mare in nauibus: facientes operationem in aquis multis.

F

Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.

Quorum ergo opera eſt vt populos regant, hi de profundo cordis humani tempeſtates ſeditionum & diſſenſionū frequenter exortas, quæ nauem poſſint perturbare, patiuntur: & agnoſcunt, ideo Deum ſinere vt hæc fiant, *vt probati manifeſtiores ſint*: & vt ipſe in preſſuris à fidelibus inuocetur. 2. Cor. 11.

Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ:

Id eſt, permanſit & perdurauit, vt turbati vehementiùs ſupplicarent.

Et exaltati ſunt fluctus eius.

Aſcendunt vſque ad cœlos, & deſcendunt vſque ad abyſſos: anima eorum in malis tabeſcebat.

Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius: & omnis ſapientia eorum exorta eſt.

Qui ſedent ad gubernacula, & nauem fideliter amant, vim huius perturbationis agnoſcunt. Quoniam plerumque talibus ſcandalis exagitatur eccleſia, vt præſidentium corda deficiant. Et quid reſtat, niſi quod ſequitur?

G

Et clamauerunt ad dominum cùm tribularentur: & de neceſſitatibus eorum eduxit eos.

Et imperauit procellæ, & ſtetit in auram: & ſiluerunt fluctus eius.

Et lætati ſunt quoniam ſiluerunt, & deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Confiteantur domino miſerationes & mirabilia eius filijs hominum.

Vbique omnino confiteantur domino, non merita noſtra, non vires noſtræ, non ſapientia noſtra, ſed miſerationes eius: ille ametur in omni noſtra liberatione, qui eſt inuocatus in omni tribulatione.

Exaltent eum in eccleſia populi: & in cathedra ſeniorum laudent eum.

Iam ergo dubium non eſt, quòd omnes ſupradictæ tentationes, tribulationes, liberationes, in eccleſia aguntur: quid ergo in hac eccleſia operatus eſt dominus, niſi vt *ſuperbis reſiſteret, humilibus autem daret gratiam*? qui Iudæos extollentes ſe de genere Abrahæ, & de legis eloquijs, ſpreuit: & amputatis naturalibus ramis, oleaſtrum vice inſeruit, & de omnibus gentibus Abrahæ, ſpiritale ſemen elegit. Iac. 4. 1. Pet. 5. Rom. 11.

H

Poſuit flumina in deſertum: & exitus aquarum in ſitim.

Terram fructiferam in ſalſugine, à malitia inhabitantium in ea.

Propter hanc ſuperbam malitiam Iudæos deſeruit gratia, & facta eſt terra eorum ſterilis atque deſerta, quia omnis prophetia, omne ſacrificium, omnia ibi ſacramenta ceſſarunt, & ad humilitatem gentium tranſierunt.

Poſuit deſertum in ſtagna aquarum: & terram ſine aqua in exitus aquarum.

Et habitare fecit illic eſurientes:

Opera gratiæ narrantur, quæ effuſa eſt in nationes immundas prius, atque deſertas, & à cultu veritatis alienas. Rom. 10.

Et conſtituerunt ciuitatem habitationis.

Quoniam cœleſtem Hieruſalem iam ſponſe obtinet, qui fide iuſtificatus eſt.

A

Et ſeminauerunt agros, & plantauerunt vineas: & fecerunt fructum frumenti.

Philip. 4.

De quo gaudet ille operarius, qui dicit: *Non quia quæro datum, ſed requiro fructum.*

Et benedixit eos, & multiplicati ſunt nimis: & iumenta eorum non ſunt diminuta.

Iumenta & pecora dicuntur in eccleſia, ſimpliciter ambulantia, ſed vtilia: non multum docta ſed fide plena. Ergo & ſpiritales & carnales benedixit Deus, & multiplicauit, ita vt non minuerentur.

Et pauci facti ſunt, & vexati ſunt à tribulatione malorum & dolorum.

Eccleſia catholica in electis ſuis, præcognitis à Deo, filijs promiſſionis, membris corporis Chriſti non minuitur, nec ad paucitatem redigitur: quia ipſi verè ſunt: aut cùm lapſi fuerint, reparantur ac permanent: & ſemper multi ſunt, quia de numero eorum nihil perit. Qui ergo in hanc ſoliditatem æternæ multitudinis, aut non introierunt, aut cùm viderentur introiſſe, ab eadem receſſerunt, ipſi pauci facti ſunt: quia ab illa, quæ permanet, multiplici vnitate

B

Sentent. eſt 11.

diuiſi ſunt. Nunquã.n. multi ſunt, qui ad nõ eſſe tendunt. Et quid tam obnoxium paucitati, quàm quod eſt debitum perditioni?

Effuſus contemptus eſt ſuper principes.

Hæretici & Schiſmatici ab Eccleſia reprobati: & ideo magis contempti, quia principes eſſe voluerunt.

Et ſeduxit eos in inuio, & non in via.

Illi qui ad ciuitatem habitationis tendebant, directi ſunt & deducti: iſti autem ciuitatem ſanctam, id eſt, eccleſiam catholicam deſerentes, per errores ſui inuium abire permiſſi ſunt, & ſuæ ſunt traditi voluntati. Deus enim non deceptionis malignitates educit, ſed iudicij veritate diſcernit.

Et adiuuit pauperem de mendicitate.

Pauper & mendicus eſt ille, qui nihil ſibi tribuit, ſed totum de miſericordia Chriſti expectat, ante dominicam ianuam cotidie clamans, & pulſans, vt ei aperiatur, & vt eius nuditas veſtiatur.

C

† patriam.

Et poſuit ſicut oues † familias.

Hunc quaſi vnum pauperem, & vnum mendicum adiuuit Deus, eumq; in familias multiplicauit: id eſt, vnam eccleſiam, vnam plebem, vnam ouem in latitudinem totius orbis extendit.

Videbunt recti & iocundabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os ſuum.

Iniquitas illa garriens contra vnitatem, conuicta à veritate, obſtruet os ſuum, non habens quod loquatur.

Quis ſapiens & cuſtodiet hæc, intelligens miſerationes domini.

Quid cuſtoditurus eſt ſapiens, niſi vt ſit pauper, non diues, id eſt, non ſit ſuperbus, non ſit inflatus: quia hæc cuſtodiens intelliget miſerationes domini, non merita ſua, non vires ſuas, ſed miſerationes domini, qui errantem & egentem in viam deduxit, & pauit: qui pugnantem aduerſum difficultatem peccatorum, & colligatum vinculis ſolicitudinis ſoluit & liberauit: qui faſtidio languentem & penè morientem, miſſa verbi ſuauitate recreauit: qui periclitantem inter naufragia ſcandalorum, à diſcrimine

D

maris in portum deduxit tranquillitatis: qui eum denique conſtituit in eo populo, vbi humilibus dat gratiam: non in illo, vbi ſuperbis reſiſtit. Et fecit eum ſuum, vt intus manẽs multiplicaretur, non vt foras exiens minueretur.

PSALMVS CVII.

Pſalmus autem centeſimus ſeptimus prætermiſſus eſt, quia in poſtremis quinquageſimi ſexti, & in quinquageſimi noni videtur expoſitus. Itaque incipit.

PSALMVS CVIII.

Deus laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris, & doloſi ſuper me apertum eſt.

PSalmum iſtum de Chriſto habere prophetiam, quiſquis Actus Apoſtolorum fideliter legit, agnoſcit: vbi euidenter oſtenditur, de Iuda traditore domini prophetatum, quod hic ſcriptum eſt: Fiant dies eius pauci, & epiſcopatum eius accipiat alter. Sed ſi de vno illo omnia,

E

Actor. 1.

quæ hic in malo dicta ſunt, conemur accipere, expoſitionis ratio vacillabit. Melius ergo vniuerſa clarebunt, ſi quædam ad omne genus inimicorum Chriſti, quorum Iudas primatum gerit: quædam autem ad ipſum Iudam propriè pertinere intelligantur. Vox ergo domini eſt: Deus laudem meam ne tacueris. Laus verò ipſius vera & maxima eſt, quia hoc ipſum quod eſt vnigenitus Dei filius, prædicatur. Contra quem os doloſi peccatoris erupit, cũ virtus mea infirmitatis carne tegeretur.

Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa:

Tunc vtique, quando eum tanquam magiſtrum bonũ captioſa adulatione laudabant.

Et ſermonibus odij circumdederunt me: & expugnauerunt me gratis.

Illi qui doloſe antea loquebantur, poſteà in me aperti odij vocibus ſæuierunt gratis: quia cauſam inimicitiæ non habuerunt, niſi iniquitatem ſuam, & nullo ſibi propoſito

F

commodo gratuito, maligni & crudeles fuerunt.

Pro eo vt diligerent me, detrahebant mihi.

Non paruum aliquid putari debet, quia non ait: Pro eo vt diligerent me, interficiebant me: ſed, Detrahebant mihi. Ideo quippe interfecerunt, quia detraxerunt, negantes filium Dei, & dicentes quod *in principe dæmoniorum ejicit dæmonia*: &, *Dæmonium habet & inſanit: quid eum auditis?* & cætera talia: qua detractione auertebant ab eo, quorum conuerſionem ille quærebat: quod nocentius erat, quã quòd mox reſurrecturum putabant occidere.

Matt. 9.
Ioan. 10.
Matt. 11.

Ego autem orabam.

Non quidem dixit, quid orabat: ſed illud intelligimus, quod in cruce pendens ait: *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Quàm bene intelligitur pro diſcipulis ſuis oraſſe, quod etiam ante paſſionem ſuam dixit, ne deficeret fides eorum: quando ipſe fixus in ligno, non vtebatur potentia ſua, ſed patientiæ præbebat exemplum: ne inimicos ſuos diuina poteſtate delendo, ad hoc nos ædificaret, vt impatienter feſtinaremus de his, quos malos patimur, vindicari: cùm ſcriptum ſit: *Melior eſt patiens quàm fortis.*

Luc. 23.

Luc. 22.

G

Prouer 16.

Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea.

Quamuis voluntaria ſit pœna patientis, hoc eſt tamen maximum perſequentium crimen, quòd bonitati malitiam, & dilectione odia reddiderunt: pro qua impietate quid recepturi ſint, optantis ſimilitudine incipit prophetare. Non autem pœnam reorum concupiſcit Deus, tanquàm exaturari deſiderans vltione: ſed quod iuſtum eſt, cum tranquillitate diſponit, vt etiam mali non ſint inordinati.

Sentent. eſt 12.

Conſtitue ſuper eum peccatorem, & diabolus ſtet à dextris eius.

Cùm ſuperius querela de pluribus fuerit, nunc de vno loquitur Pſalmus, & in vnius intellectam perſonam vltio futura diſponitur: non quia illi extra ſupplicium ſint futuri: ſed quia in caput ſceleris bene fertur ſententia, quæ conſortes impietatis non omittit in vltione, quos damnat in principe. Quid eſt ergo: Conſtitue ſuper eum peccato-

H

rẽ: niſi, vt ei diabolus præſit, cui ipſe ſe ſubdidit: & ipſum in dextris habeat, quem elegit? Quia vnicuique, ſiue in bono, ſiue in malo, hoc fiet dextrum, quod omnibus præfert.

Cum iudicatur, exeat condemnatus: & oratio eius fiat in peccatum.

Iudas non potuit orare per eum, quem vendidit. Oratio quæ non fit per Chriſtum, nõ ſolum non poteſt delere peccatum, ſed etiam ipſa fit ad peccatum.

Fiant dies eius pauci.

Id eſt, dies apoſtolatus eius.

Et epiſcopatũ eius accipiat alter.

Hoc ita factum eſſe, vt prophetatum eſt, Actus Apoſtolorum loquuntur.

Actor. 1.

Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.

Mortuo ipſo vtrunque factum eſt.

Nutantes transferantur filij eius, & mendicent:

Nutantes, incerti quo eant.

A *Eijciantur de habitationibus ſuis.*

Hoc eſt quod ſupra dixerat, Transferantur.

Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius, & diripiant alieni labores eius.

Non ſit illi adiutor: nec ſit qui miſereatur pupillis eius.

Id eſt, nec adiutorem habeat, nec tutorem.

Fiant nati eius in interitum: in vna generatione deleatur nomen eius.

Id eſt, vt quod de eo generatum eſt, iam non generet, & & citò tranſeat.

In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu domini: & peccatum matris eius non deleatur.

Si Iudas maneret in eo, ad quod vocatus eſt, nullo modo ad eum vel ſua præterita, vel parentum iniquitas pertineret. Quia autem non tenuit adoptionem in familia Dei, ſed iniquitatem potius vetuſti generis elegit: rediit iniquitas patrum eius in conſpectu domini, vt in eo etiam ipſe puniretur: & peccatum matris eius non eſt in eo deletum.

B *Fiant contra dominum ſemper: & diſpereat de terra memoria eorum.*

Fiant contra dominum, dixit, non vt domino aduerſentur, ſed vt ſint in conſpectu domini, ne vlla meriti ipſorum fiat obliuio. Diſpereat autem memoria eorum in eo, vt nomen ipſorum, nulla ſuccedente generatione, deficiat. Si autem quæritur, an credibile ſit, miſerias viuentium poſterorum ad pœnam mortui pertinere: ſequeſtrata omni diſputatione, quæ de hac multiplex oritur, rectè credimus, hæc quæ per Spiritum ſanctum prophetata ſunt, accidiſſe: ac ſi poſſit adſeri, quòd defunctos viuorum pœna non cruciet: in Iudam tamen ſceleſtiſſimum eam damnationem eſſe prolatam, vt inter ſupplicia ſua etiam ſuorum miſeria infelicior fieret, & generationis ſuæ ſemper doleret interitum. Hæc ſanè omnia quæ in Iudam dicta ſunt, etiam in Iudæorum populum prophetata intelliguntur. Quia & ſuper ipſum conſtitutus eſt peccator, id eſt, diabolus, cui ſe ſubdidit: & idem ſtat à dextris eius, quem præſulit ſaluatori: & ipſe in iudicio condemnabi-

C

Rom. 2. tur, quia perſeuerādo in impietate, *theſaurizat ſibi iram in die*

1. Tim. 2. *iræ.* Et oratio eius fiat in peccatum: quia nō fit per *mediatore*

Pſal. 109 *Dei & hominū, hominē Chriſtum Ieſum, & ſacerdotem in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Et facti ſunt dies eius pauci: quod de regno ipſorum accipiendum eſt: quia non diu manſit poſt crucem Chriſti. Et epiſcopatum eius accipiat

Matt. 15. alter: quoniam Chriſtum, qui *non venerat niſi ad oues perditas*

Matt. 8 *domus Iſrael*, reſpuerunt. Facti ſunt quoque filij eorum orphani: de quibus dictum eſt: *Filij autem regni ibunt in tenebras exteriores:* qui vtique Deum patrem bene intelligunt

1. Ioan. 2. omiſiſſe, *Qui* enim *filium non habet*, ait Veritas, *nec patrem habet.* Et vxor eius vidua. Vxor regni, plebs intelligi poteſt, quæ amiſſo ipſo regno vidua facta eſt. Nutantes transferantur filij eius, & mendicent. Nutantes quippe perculſis debellati ſunt filij ipſius regni, qui oſtenduntur mendicare: quia non dubium eſt, eos ad alienam miſericordiam viuere. Eijciantur, inquit, de habitationibus ſuis: ita factum eſt. Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eius: vt ſcilicet omnis vita eorum, quæ ſubſtantiæ nomine ſignificata eſt, inquiratur: & nullius debiti, id eſt, peccati

D eorum, remiſſio fiat: quia illum reſpuerunt, in quo ſolum eſt abolitio peccatorum. Et diripiant alieni labores eius. Diabolus, & angeli eius, rapiant fructus operum ſibi impenſorum. Non ſit illi adiutor: à quo enim iuuari poteſt, qui non habet Chriſtum? Nec ſit qui miſereatur pupillis eius: Quia amiſſo Deo patre, cuius filium perſecuti ſunt, non habent qui eorum miſereatur: non ad temporalem vitam ſumendam, vel ſuſtentandam: ſed ad veram vitam, id eſt, æternam. Fiant nati eius in interitum: vtique ſempiternū. In generatione vna deleatur nomen eius: Quia generati ſunt, non regenerati: ideo in vna generatione deleatur. In memoriam redeat iniquitas patrum eius in cōſpectu domini, vt reddat eidem populo dominus, perſeueranti in malitia, etiam patrum iniquitatem. Peccatum matris eius non deleatur: Peccatum in Hieruſalem, quæ ſeruit cum filijs ſuis, quæ interficit prophetas, & lapidat miſſos ad ſe. Fiant contra dominum ſemper: iniquitas &

peccatum eorum à conſpectu domini non auferatur, Deo in æternum vindicante. Et diſpereat de terra memoria E eorum. Terra Dei, ager Dei, Eccleſia Dei eſt, de qua terra perit memoria eorum: quia cùm eſſent *rami naturales propter incredulitatem fracti ſunt.* Rom. 11.

Pro eo quòd non eſt recordatus facere miſericordiam.

Siue Iudas, ſiue ille populus: ſed meliùs de populo accipitur, qui recordari potuit pœnitēdo, quòd occiſo Chriſto, ſaltem in diſcipulos & membra eius ſæuire non debuit.

Quia perſecutus eſt hominem pauperem & mendicum.

Non enim dedignatus eſt dominus *pauper fieri, cùm diues eſſet, vt illius paupertate nos ditaremur.* Mendicus autem, in eo intelligi poteſt: quod Samaritanæ mulieri dicit: *Da mihi bibere:* vel quod in cruce ait: *Sitio:* quæ verba tanquam indigentis ſunt. 2. Cor. 8.

Et compunctum corde mortificare.

Cordis compunctio, quæ propriè ad conuerſos à peccatis pertinet, non conuenit Chriſto, qui ſolus extitit abſque peccato: in membris itaque ſuis pœnitentiam agentibus, & ad caput ſuum compunctione redeuntibus, ipſe quoque erat compunctus corde: quia non aberat à capite, quod gerebatur in corpore, in quo vſque in finem patitur perſequentes. F

Et dilexit maledictionem: & veniet ei.

Quanquam & Iudas maledictionem dilexerit, vendendo atque tradendo ipſum benedictionis auctorem: apertius tamen ille populus maledictionem dilexit, quando dixit: *Sanguis huius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Matt. 27

Et noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

Et Iudas quidem benedictionem abiecit in Chriſto: ſed apertius eam populus refutauit, quando illi illuminato dicenti: *Nunquid & vos diſcipuli eius vultis fieri?* reſpondit, *Tu ſis diſcipulus eius.* Et longè facta eſt ab eo benedictio, quia tranſiuit ad gentes. Ioan. 9.

Et induit maledictionem, ſicut veſtimentum.

Siue Iudas, ſiue ille populus.

Et intrauit ſicut aqua in interiora eius:

Ergo & foris, & intus: foris, ſicut veſtimentum: intus, ſicut aqua: quoniam in eius incidit iudicium, *qui poteſt & corpus, & animam occidere in gehennam.* G Matt. 10.

Et ſicut oleum in oſſibus eius.

Oſtendit impium hominem, vel populum, cū voluptate mala facere: & iniquitate intus, quaſi aqua: & foris quaſi oleo delectari. Quæ actio ideo maledictio dicitur, quia talibus Deus æterna tormenta denunciat.

Fiat ei ſicut veſtimentum, quo operitur.

Apertior malitia eſt, qua ſe peccator quaſi pallio tegit, & inde opertus videtur, vnde etiam in oculis hominū gloriatur: malum ſe diſſimulans, ſed oſtentans.

Et ſicut zona, qua ſemper præcingitur.

Maledictione ſe præcingit, quia malum non repentinū, ſed diſpoſitum aggreditur: & ita diſcit male facere, vt ſemper paratus ſit.

Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud dominum.

Hi ſunt qui detrahunt Chriſto, ipſi quorum lex domini & prophetæ prænunciāuerunt.

Et qui loquuntur mala aduerſus animam meam.

Negando eum poſſe reſurgere, cum dicat, *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Ioan. 10 11

Et tu domine, domine fac mecum.

Quidam ſubaudiendum putarunt, miſericordiam: quidam & addiderunt. Sed emendatiores codices ſic habent: Et tu domine, domine fac mecum, propter nomen tuum. Vnde intelligendum eſt, dicere ad filium patrem, Fac mecum: quia eadem ſunt opera patris, & filij, quod etiam in miſericordia ſentiri poteſt. ſequitur enim:

Quia ſuaue eſt miſericordia tua.

Quia miſericordiam rectè intelligimus & patrem & filium ſimul facere in vaſa miſericordiæ. Poteſt autem & ſic intelligi quod ait, Fac mecum: ac ſi dixiſſet, Adiuua me. pater quippe adiuuat filium, inquantum Deus hominem, propter formam ſerui. Nam in ea forma, in qua æqualis eſt patri, non indiget adiutorio: quia vtriſque vnum opus eſt, & par atque inſeparabilis poteſtas. Rom. 9

A Egeſtas & paupertas ſuſceptæ infirmitatis eſt, ex qua crucifixus eſt.

Libera me, quia egenus & pauper ſum ego: & cor meum turbatum eſt in me.

Secundum illud quod propinquante paſſione ait, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.*

Sicut vmbra, cùm declinat: ablatus ſum.

In hoc ipſam mortem ſignificauit: Sicut enim ex vmbra declinante fit nox, ita mortali carne fit mors.

Excuſſus ſum ſicut locuſta.

Iam hoc in membris eius conuenientius intelligimus. Excuſſi enim, id eſt, fugati ſunt à perſecutoribus fideles eius: quorum vel multitudinem ſignificare voluit nomine locuſtarum, vel quòd tranſilierunt de loco in locum.

Genua mea infirmata ſunt præ ieiunio: & caro mea immutata eſt propter oleum.

Propter oleum, propter gratiam ſpiritalem: quia cũ caro eius mutata eſſet per gloriam reſurrectionis, cumq; aſcendiſſet ad patrem, miſit ſpiritum ſanctum ad vngendos credentes: quorum ſtabilitas, quæ ablato ſibi pane, id eſt,
B Chriſto, quaſi ieiunio fuerat infirmata: accepto dono ſpiritus ſancti valida effecta eſt: vt in ſuis afflictionibus non vinceretur, quæ in domini paſſione defecerat.

Et ego factus ſum opprobrium illis.

Gal. 3. Per mortem crucis. *Chriſtus* enim *nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.*

Viderunt me, & mouerunt capita ſua.

Quia viderunt in ligno pependiſſe, & non viderunt de ſepulchro reſurrexiſſe.

Adiuua domine Deus meus: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

Hoc & ad caput referendum eſt, propter formam ſerui: & ad corpus, propter ſeruos. Potuit enim & in ipſis dicere domino, Adiuua me, & ſaluum me fac: in quibus
Actor. 9. Saulo dixerat, *Quid me perſequeris?* Quod autem ait, Secundum miſericordiam tuam, gratuitam gratiam commendauit.

Et ſciant quia manus tua hæc: & tu domine feciſti eam.

De eis dixit, ſciant, pro quibus ſæuientibus & orauit:
C quia inter illos erant etiam hi, qui in eum poſtea crediderunt. Manus autem Dei Chriſtus eſt, ſicut dictum eſt: *Et*
Eſa. 53. Ioan. 12. *brachium domini cui reuelatum eſt?* Hæc ergo manus erat, &
Ioan. 1. fecit eum: *Quia in principio erat verbum, & verbum caro factum eſt.*

Maledicent illi, & tu benedices.

Vna eſt ergo maledictio filiorum hominũ, diligentium vanitatem, & quærentium mendacium. Deus autem cùm benedicit, facit quod dicit.

Qui inſurgunt in me, confundantur.

Qui ſe aduerſus me proficere arbitrantur, cùm exaltatus fuero ſuper cælos, & effuſa fuerit ſuper omnẽ terram gloria mea, confundentur.

Seruus autem lætabitur.

Siue in dextra patris, ſiue in ſuis mẽbris: & nunc in ſpe, & pòſt in æternum.

Induantur qui detrahunt mihi pudore.

Id eſt, pudeat eos detraxiſſe mihi, ſed hoc poteſt bonum
D eſſe correctis.

Et operiantur ſicut diploide confuſione ſua.

Diploidis pallium duplex eſt, per quod inimicis Chriſti duplex denunciatur confuſio: hoc eſt, intus & foris, coram Deo ſcilicet, & coram hominibus.

Confitebor domino nimis in ore meo: & in medio multorum laudabo eum.

In medio multorum laudabo eum: accipi poteſt Chri-
Matt. vlt. ſtus, quia ipſe in eccleſia præſens eſt, *vſque ad conſummationẽ ſeculi.* In medio autẽ eſſe dicitur, cui præcipuus honor præbetur. Si verò cor hominis quaſi medium eius eſt, rectiſſimè intelligitur quod in multorum cordibus, id eſt, in multorum medio laudaturus ſit dominum. *Habitat* enim *Chri-*
Ephes. 3. *ſtus per fidem in cordibus noſtris:* & ideo ait, In ore meo: id eſt, in ore cordis mei, quod eſt eccleſia.

Qui adſtitit à dextris pauperis, vt ſaluam faceret à perſequentibus animam meam.

De Iuda dictum erat, Et diabolus ſtet à dextris eius; qui ſuas diuitias volebat augere Chriſto vendito: hic autem
E dominus adſtitit à dextris pauperis vt diuitiæ eius ſint ipſe dominus. Salua fiet autem à perſequentibus anima, ſi non eis conſentiatur ad malum: non autem eis conſentitur cùm dominus adſiſtit à dextris pauperis, ne ipſa paupertate, id eſt, infirmitate ſuccumbat.

PSALMVS CIX.

Dixit dominus domino meo, Sede à dextris meis:
Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.

DOminus noſter Ieſus Chriſtus cùm à Iudæis quæreret, cuius filium eſſe dicerent Chriſtum, & reſpondiſſent DAVID: continuò illis reſpondentibus ait, *Quomodo* Matt. 22.
ergo Dauid in ſpiritu dicit eum dominum, Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos ſub pedibus tuis? Si ergo in ſpiritu vocat eum dominum, quomodo filius eius eſt? Iudæi ſub hac interrogatione tacuerunt: ipſum quoque eſſe dominum, & filium Dauid non agnouerunt, nec agnoſcere voluerunt: & maluerunt inflata taciturnitate diſrumpi, F
quàm humili confeſſione eruditionem mereri. Nos autẽ Euangelio ipſius veritatis edocti, nouimus Ieſum Chriſtum & dominum eſſe Dauid, ſecundum quòd *in principio* Ioan. 1.
erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Et filium eſſe Dauid, ſecundum quòd *verbum caro factum eſt: & habitauit in nobis.* Nouimus Dominum Dauid, quia *cùm eſſet in forma Dei, non rapinam arbitra-* Philip. 2.
tus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Et nouimus filium Dauid, quia *ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* Hoc ergo & Dauid ipſe in ſpiritu videns, initio Pſalmi huius effatus eſt, dicens. Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Sedet autem Chriſtus ad dexteram patris poſt reſurrectionem à mortuis, & aſcenſionem in cœlos. Vnde etiam eo ipſo quo erat Chriſtus filius Dauid, factus eſt dominus Dauid. Illud enim quod natum eſt ex ſemine Dauid, ita honoratum eſt, vt ei cùm eſſet filius, eſſet & dominus: ſecundum hanc enim diſpenſationem, etiam ab Apoſtolo de G
Chriſto dicitur, *Propter quòd eum exaltauit à mortuis, & de-* Philip. 2.
nauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quoniam dominus Ieſus, in gloria Dei patris eſt. Sedet autem Dominus ad dextrã patris, & inimici eius ſubijciuntur ſub pedibus. Omnis enim qui ei aduerſatur, erit eius ſubditus, aut per correctionem, aut per condemnationem. Nam neceſſe eſt, vt omnis aut adoptatus, aut victus ſub pedibus eius ſit, ſiue per gratiam, ſiue per pœnam.

Virgam virtutis tuæ emittet dominus ex Sion.

Quæ eſt Sion, ipſa eſt Hieruſalem: ex qua prænuntiatur emittenda virga virtutis Chriſti, id eſt, regnum potentiæ eius: quod regnum incipit à Chriſtianis, & non habet finem. Nam ſecundum quòd eſt verbum patris, vnius deitatis & omnipotentiæ, ſemper cum patre regnauit. Hoc ergo regnũ quod mediator Dei & hominum, homo Chriſtus acquirit, incipit ab Hieruſalem: quia inde in totum H
mundum virtus & poteſtas Euangelicæ prædicationis emiſſa eſt.

Dominare in medio inimicorum tuorum.

Tu: inquit, fili Dauid, & domine Dauid, in medio paganorum, in medio Iudæorum, in medio hæreticorum, & in medio fratrum falſorum dominare: quod fieri quotidie videmus, donec impleantur tempora gentium. *Cæci-* Rom. 11.
tas enim ex parte in Iſrael facta eſt, donec plenitudo gentium intraret & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, & dominaretur Chriſtus in medio inimicorum ſuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ.

Dominus, interrogantibus quis eſſet, reſpondit, *Princi-*
pium, qui & loquor vobis: hoc eſt, Ego qui loquor vobis, principium ſum. Eſt autem & pater principium, in quo *principio* Ioan. 8. Ioan. 1.
erat verbũ, & verbũ erat apud Deum. Nunquid ergo quia pater principium, & filius principium, duo ſunt principia? abſit.

Sicut

A Sicut enim pater Deus, & filius Deus: pater autem & filius non duo dij, ſed vnus eſt Deus: ſic pater principium, & filius principium: pater autem & filius non duo principia, ſed vnum principium. Tecum ergo principium in die virtutis tuæ, in die qua videbitur quomodo creditur. Quamuis enim etiam in forma ſerui, ipſa illa noſtræ infirmitatis
1. Cor. 1. ſuſceptio, non caret virtute diuina, quando & *infirmum* tuum *fortius eſt hominibus*, & in virga virtutis tuæ dominaberis in medio inimicorum tuorum: veniet tamen dies ille, quo omnibus diſpenſationibus temporalibus peractis atque finitis, manifeſtabis te ſanctis tuis, & in illa eis apparebis gloria, in qua æqualis es patri, vt videant tecum principium, in die virtutis tuæ.

In ſplendoribus ſanctorum.

Præſens vita ſanctorum, quamuis gratia floreat, quamuis moribus niteat, non eſt in ſplendore, quia nondum
Coloſ. 3. exempta eſt à corruptione. *Cùm* ergo *apparuerit Chriſtus, vita*
Matth. 13. B ſanctorum, *tunc & ipſi apparebunt cum illo in gloria. Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris ſui*, id eſt, in vita æterna.

Ex vtero ante luciferum genui te.

Si de illa generatione hoc dictum eſt, qua ex patre Deo genitus eſt Deus filius, ex vtero ſignificat, ex ſecreto, ex occulto, de ipſo patre, de ſubſtantia patris. Ante luciferum verò, ait, ante tempora. Per luciferum enim, vtpote per fulgentiſſimum ſidus, tanquam à parte totum, omnia ſidera ſignificata ſunt, quæ in hoc facta ſunt, vt ſint
Gen. 1. in ſignis, & temporibus, & in diebus, & annis. Quod eſt ergo ante luciferum, hoc eſt ante ſidera: & quod eſt ante ſidera, hoc ante tempora, atque adeo ex æternitate. Si verò hoc ex perſona prophetæ dictum eſt, qui ait, Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis: non eſt dubium illam natiuitatem ſignificatam, qua dominus Dauid, filius Dauid eſt Dauid: Potuit enim dicere propter propaginem, qua de ipſius ſtirpe Maria virgo deſcendit, Ex vtero genui te: hoc eſt, ex vtero virginali, ex vtero quò maſculus non acceſſit. In quo ſola fuit conceptio matris, ſine ſemi-
C ne genitoris. Et conuenienter dictum eſt, Ante luciferum: quia ante exortum diei natus eſt dominus, hoc indican-
Luc. 2. tibus teſtimonijs paſtorum, qui vigilias exercebant ſuper gregem ſuum.

Iurauit dominus, & non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æ-
Pſalm. 2. *ternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech.*

Si natum ex vtero virginis ante luciferum intelligimus ſaluatorem, exinde proculdubio ſacerdos eſt in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Nam ſecundum quòd dominus natus ex patre eſt, gignenti coæternus & æqualis, non eſt ſacerdos. Iurauit ergo dominus: hoc eſt, cum conſtitutione promiſit. Et non pœnitebit eum: hoc eſt, non mutabit conſilium, non aliud faciet, nec vnquam ei hæc ſententia diſplicebit. Tu es ſacerdos in æternum: hoc eſt, non finitur ſacerdotium tuum: nec ſicut Aaron ordo ceſſauit, ita etiam tuum pontificium commutabitur. Sacerdotij tui non erit finis: ſed ſecundum ordinem Melchiſedech, hoc eſt, ſecundum myſteria quę per eum decla-
D rata ſunt, in æternum permanebit.

Dominus à dextris tuis, conquaſſauit in die iræ ſuæ reges.

Ad ipſum dominum, qui dixit domino, Sede à dextris meis, prophetæ ſermo directus eſt: ipſe, inquit, domine cui iuraſti, tu es ſacerdos in æternum. dominus à dextris tuis, qui conquaſſauit in die iræ ſuæ reges: illos de quibus dictum eſt, Adſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Quicunque enim talium, qui Chriſtianum nomen oderunt, in ſua impietate perſiſtunt, iam quidem conquaſſati ſunt, nec potuerunt efficere quod volebant: ſed in die iræ, id eſt, retributione iuſti iudicij Dei, penitus conterentur.

Iudicauit in gentibus, repleuit ruinas:

Qui in ſuperbiam eriguntur, & in ſua elatione perſiſtunt, ſic deſtruentur vt non ædificentur: Non enim deſinunt deſtrui, qui non deſinunt eleuati. Qui autem per humilitatem cadunt & ſe proſternunt, vt fiant ſub pedibus eius, cui dixit dominus, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum: reparabuntur in integrum: quia non damnauit has ruinas do-
E minus, ſed repleuit: quod fit in hoc tempore, cùm vniuerſis gentibus ruinatum reparationem Chriſtus operatur.

Conquaſſauit capita in terra multa.

Multorum capita, in hac vita conquaſſata, Chriſtus inclinat, dum è ſuperbis humiles facit.

De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput:

Sicut torrens pluuialibus aquis collectus, redundat, perſtrepit, currit, & currendo decurrit, id eſt, curſum finit: ſic eſt omnis iſte curſus mortalitatis humanæ: Naſcuntur homines, viuunt, atque moriuntur, rurſuſq; morientibus alij oriuntur, ſuccedunt, accedunt, decedunt. De hoc ergo torrente, de hoc ſtrepitu tranſeunte, de hac mortalitate bibit filius Dauid, dominus Dauid dignatus propter nos naſci & mori: & ita bibit de torrente in via, quod in via peccatorum non ſtetit. Propterea ergo exaltabit caput: quia *humiliatus eſt, & factus eſt ſubditus vſque ad mortem, mor-* Philip. 2.
tem autem crucis. Propter quod exaltauit eum à mortuis, *& donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne*
genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis F
lingua confiteatur, quoniam Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.

PSALMVS CX. ALLELVIA.

Confitebor tibi domine in toto corde meo:

NON ſemper confeſſio peccatorum eſt, ſed etiam laus Dei deuotione confeſſionis expromitur. Illa luget, hæc gaudet: illa medico vulnus oſtendit, hæc de ſanitate gratias agit.

In concilio rectorum & congregatione.

Eorum, ſine dubio, qui *ſedebunt ſuper duodecim thronos, iu-* Matth. 19.
dicantes duodecim tribus Iſrael. A quorum concilio & congregatione, omnis hypocrita ſegregatus, omnis erit tentator excluſus.

Magna opera domini: exquiſita in omnes voluntates eius.

Scrutare, exquire, veſtiga, ſi potes, omnes voluntates domini, in omnibus ſemper magna opera eius inuenies. G
Nulla enim voluntas potentior eſt ipſius voluntate: contra quam cùm aliquid fieri ſinit, miſericordiam ſuam iuſtitiamque demonſtrat. Sicut enim vult, vt homo non peccet, ita vult peccanti parcere vt reuertatur & viuat: ita etiam vult in peccatis perſeuerantem punire, vt iuſtitiæ potentiam contumax non euadat. Ac ſic quicquid elegeris, ô homo, non deerit domino, vnde ſuam de te compleat voluntatem. Siue ergo iuſtificet impium, ſiue arguat pigrum, ſiue expectet auerſum, ſeu deſerat puniendum: ſemper miſericors eſt, ſemper iuſtus, ſemper omnipotens.

Confeſſio & magnificentia opus eius: & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.

Magnificentia domini circa nos in eo appareat, quod nullis præcedentibus meritis confitentem iuſtificat peccatorem: vt *vbi abundauit peccatum, ſuperabũdet gratia*, per quam Rom. 5.
excitata eſt etiam ipſa confeſſio: vt nemo in ſe extollatur, H
ſed *qui gloriatur, in domino glorietur:* quia & confeſſio pecca- 1. Cor. 1.
toris, & magnificentia iuſtificationis, opus domini eſt: apud quem iniquitas non eſt, etiam ſi nos iudicia eius non comprehendimus. Quoniam iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator dominus: eſcam dedit timentibus ſe.

In omni quidem creatura Dei mirabilia eius & quotidiana & magna ſunt, ſed quia parum ea conſuetudo miratur, quædam dominus ſigna & prodigia certis temporib. promenda diſpoſuit, vt per inuſitata & noua, humana excitaretur intentio, & nutriretur in ea de inſolitis vtilis timor, cui tamen miſericors dominus daret eſcam virtutis & vitæ: *panem* ſcilicet illum incorruptibilem *qui de cælo deſcen-* Ioan. 6.
dit, vt verbum Dei eſſet eſca hominum, ſicut cibus eſt angelorum.

Memor erit in æternum teſtamenti ſui, virtutem operum ſuorum adnuntiauit populo ſuo.

Impleuit dominus promiſſiones ſuas, qui eſt virtus & fortitudo ſanctorum, quoniam quæ hominibus difficilia ſunt, Deo facilia ſunt, & ipſe *operatur omnia in omnibus.* 1. Cor. 12.

A *Vt det illis hæreditatem gentium:*

Id eſt,quam præparaui: omnibus gentibus.

Opera manuum eius,veritas & iudicium.

Hoc eſt, vt veritas iudiciumq; ſeruetur: manus enim operatur,hoc eſt,vt non ſeparet à Chriſto tribulatio, anguſtia,fames,nuditas,gladius.

Fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſeculum ſeculi.

Qui dedit mandata,& dedit promiſſa:quæ fideliter retribuit confirmata in æternum,nec vnquam defectura.

Facta in veritate & iudicio.

Hoc enim verum,& iuſtum,vt hîc laboretur:ibi requieſcatur.

Redemptionem miſit populo ſuo.

Ciues, & hæredes cœleſtis Hieruſalem, ab huius peregrinationis captiuitate redimuntur.

Mandauit in æternum teſtamentum ſuum.

Teſtamentum ſuum,vtiq; nouum,quod æternum promiſit: non illud vetus, cuius tranſitoriæ promiſſiones fuerunt.

B *Sanctum & terribile nomen eius.*

Sapientia vera eſt, nolle & diligere Deum: ſed ad hunc gradum de timore conſcenditur: quia ſicut deſideranda ſunt eius munera,ſic metuenda iudicia.

Initium ſapientiæ timor domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum:

Sent.eſt.13 Is bonum habet intellectum, qui quod faciendum rectè intelligit, facit: quia talis eſt ſine opere intelligentia, qualis ſine timore ſapientia.

Laudatio eius manet in ſeculum ſeculi.

Nemo ergo quicquam ſuæ iuſtitiæ adſcribat, nemo de ſuis quaſi proprijs meritis exultabit: ſed in Dei laudem & gloriam,omnis ſanctorum beatitudo in æternum refertur.

PSALMVS CXI. ALLELVIA.

C TItulus Pſalmi eſt reuerſionis Aggei, & Zachariæ, qui poſt euerſionem templi Hieruſalem, & tranſmigrationem in Babyloniam,completis ſub Dario LXX. captiuitatis annis, prophetare cœperunt ea, quæ ad relaxationem captiuitatis,& reparationem templi pertinerent. Sed quia quæ corporaliter tunc gerebantur, rerum futurarum indicia præferebant,per illam captiuitatis remiſſionem,& templi reſtitutionem,ſpiritaliter figurabatur fabrica ipſius templi,cuius Chriſtus eſt fundamentum:in quo etiam (Epheſ.2.) *angulari lapide*,viuis lapidibus coaptatis,cœleſtis ædificij ſtructura conſurgit, vt ex ruina vetere, quæ facta eſt in Adam, nouum Dei templum cum reparatione omnium gentium reformetur. Ad hoc ergo templum pertinet prophetatio Aggei & Zachariæ,qui in Pſalmi titulo præferuntur:vt qui hoc ſacramentum intelligit, & qui cupit in huius ædificij compage ſolidari, ſciat reuerſionis & renouationis ſuæ in timore Dei eſſe principium.

Beatus vir qui timet dominum: in mandatis eius volet nimis.

Beatitudo viri iuſti,à timore incipit domini, & proficit in deſideriũ mandatorũ Dei,quib. templum eius efficitur.

D *Potens in terra erit ſemen eius.*

Gal.6. Semen futuræ meſſis opera eſſe miſericordiæ Apoſtolus teſtis eſt,dicens: *Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim * proprio metemus.* Quid autem potentius hoc ſemine,cuius impendio comparatur regnum cœlorum, & vita æterna?

* ſuo.

Generatio rectorum benedicetur.

Id eſt, opera eorum qui recto ſunt corde, non turbantur propter promiſſorum dilationem: nec tranſeuntia carnaliter appetunt, ſed manſura fideliter, patienter expectant.

Gloria & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.

Qui talis eſt in domo ſua, id eſt,in corde ſuo, vbi templum Dei eſt, gloriam & diuitias habet: quia ſpe non dubia futura iam poſſidet,& regnum Dei intra ipſum eſt. Huius iuſtitia manet in ſeculum ſeculi, quia ipſa eſt gloria atque diuitiæ.

Exortum eſt in tenebris lumen rectis corde:

Meritò dirigunt cor in dominum ſuum, meritò ambulant recti cum domino ſuo, qui cùm eſſent in tenebris, lucem viderunt magnam, & meminerunt *fuiſſe ſe aliquando tenebras,nunc autem lucem in domino.* E Epheſ.5.

Miſericors & miſerator & iuſtus dominus,

Qui miſeretur vt miſereatur, & iuſtus eſt in retributione, quia nulli faciet iudicium ſine miſericordia.

Suauis homo qui miſeretur & commodat,

Hunc ſuauem & mitem atq; iocundum, non euomit Deus ex ore ſuo, tanquam mali odoris, aut faſtidiendi ſaporis: tota autem ſuauitas eius in eo eſt, qui miſeretur & commodat, remittendo ſcilicet peccata, & largiendo beneficia, quibus duobus benignitatis officijs, omnia pietatis opera continentur, dicẽte domino, *Dimittite,& dimittetur vobis:date, & dabitur vobis.* Luc.6.

Diſponet ſermones ſuos in iudicio: quoniam in æternum non commouebitur:

Qui hæc facit, diſponit ſermones ſuos in iudicio. Facta enim quædam verba ſunt teſtium, quibus in iudicio defenderetur. Quia in æternum non commouebitur, qui ad dexteram ſegregatus audiet, *Venite benedicti patris mei: percipite regnum,quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Matth.25. F

In memoria æterna erit iuſtus, ab auditu malo non timebit.

Non timebit audire quod dicitur ſiniſtris: *Ite in ignem æternum,qui præparatus eſt diabolo & angelis eius.* Matth.25.

Paratum eſt cor eius ſperare in domino:

Quia non ſua quæſiuit,ſed quæ Ieſu Chriſti,& promiſſa eius confidenter expectat.

Confirmatum eſt cor eius, non commouebitur, donec videat ſuper inimicos ſuos.

Inimici eius præſentia concupierunt, & cùm eis inuiſibilia promitterentur,dicebant, *Quis oſtendit nobis bona?* Pſal.4. Illi voluerunt videre bona hominum in terra morientium: hic credidit videre bona domini,in terra viuentium. Non ergo commouebitur cor eius,nec tranſitoria malorum felicitate turbabitur,donec videat, non deorſum, quod inimici eius,ſed ſurſum ſuper inimicos ſuos *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quod præparauit Deus diligentibus ſe.* 1.Cor.2. G

Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi:

Diſperſit viſibilia, vt inuiſibilia compararet: dedit temporalia,accepturus æterna.

Cornu eius exaltabitur in gloria.

Peccator videbit,& iraſcetur:

Iraſcitur peccator: cui magis quàm ſibi? ſed ſera illa atq; infructuoſa pœnitudine,cùm dicit: *Quid nobis profuit ſuperbia,aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis?*

Dentibus ſuis fremet,& non reuireſcet.

Sicut fieret, ſi opportuno eum tempore pœniteret: ſed tunc fremet quando deſiderium peccatorum peribit.

PSALMVS CXII. ALLELVIA.

Laudate pueri dominum: laudate nomen domini. H

EXhortatio hæc non ad pueriles tantum annos, ſed ad omnem profertur ætatem: omnibus enim Apoſtolus dicit, *Nolite effici pueri mentibus,ſed malitia paruuli eſtote,vt mentibus perfecti ſitis.* 1.Cor.14. Qua malitia, niſi ſuperbia? ipſa enim de vana granditate præſumens, non ſinit hominem ambulare per arctam viam & intrare per anguſtam portam. Puer autem facilè intrat per anguſtam:& ideo nemo, *niſi conuerſus fuerit vt puer, intrat in regnum cœlorum.* Luc.4. Puerorum ergo nomine, non ætas infantium, ſed animorum humilitas compellatur:quia non laudant nomen domini, qui ſe magnos putant, *& ſuam iuſtitiam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* Rom.10. Non enim ſunt pueri: & dum prædicari ſe volunt,non laudant nomen domini.

Sit nomen domini benedictum, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.

A ſolis ortu vſq; ad occaſum,laudabile nomen domini.

Vt ſcilicet nomen domini ſemper benedicatur, & vbique laudetur.

A *Excelſus ſuper omnes gentes dominus: ſuper cælos gloria eius.*

Non ſolum ſuper omnes gentes maieſtas domini, ſed etiam ſuper cœlos gloria eius excelſa eſt.

Quis ſicut dominus Deus noſter, qui in altis habitat: & humilia reſpicit in cælo & in terra?

Eſa. 54. Per Eſaiam ſpiritus ita loquitur: Hæc dicit altiſſimus in excelſis habitans in æternum, nomen ei dominus altiſſimus, in ſanctis requiem habens. Meritoque cœlum intelliguntur, qui habitantur à domino: qui cùm ſint ſancti, atque ideo excelſi, iidem tamen ſunt humiles, neq; aliunde, niſi de humilitate ſublimes. In altis itaq; dominus habitat: id eſt, in ſanctis, & ſpiritalibus, atque cœleſtibus. Et humilia reſpicit: id eſt, ipſos ſanctos, nunquam in ſe, ſed ſemper in domino gloriantes. Delectatur enim altitudine humilium, & humilitate celſorum in cœlo & in terra: hoc eſt, quorum conuerſatio in cœlis eſt, licet mortali ſint carne circundati. Si verò alia ſunt, quæ dominus noſter in cœlo humilia reſpicit, alia, quæ in terra, poſſunt cœlum hi
B intelligi, quos vocatos & ſanctificatos iam inhabitat. Terra autem, quos vocat, vt habitet in eis. Sed abſolutior ſenſus eſt, ſi cælos dictos accipiamus eos, qui ſedebunt ſuper
Matth. 19. duodecim thronos, & cùm domino iudicabunt. Terræ autem nomine, cæteram multitudinem ſanctorum, qui
Luc. 16. conſtituentur ad dexteram, vt per opera miſericordiæ collaudati recipiantur ab eis in tabernacula æterna, quos amicos ſibi de mammona iniquitatis in huius vitæ mortalitate fecerunt. Et hos ergo & illos humiles reſpicit Deus, quia meminerunt vtriq; quid fuerint per ſuam malitiam & quid facti ſint per Dei gratiam.

Qui erigit de terra inopem, & de ſtercore exaltat pauperem.

Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui.

Non itaque dedignentur eſſe humilia capita excelſo-
Matth. 19. rum ſub manu domini. Quamuis enim collocetur fidelis
1. Cor. 6. dominicæ pecuniæ diſpenſator cum principibus populi Dei, quamuis ſeſſurus ſit in duodecim ſedibus, & angelos
C quoq; iudicaturus, à terra tamen inops erigitur, & de ſtercore pauper exaltatur: quia donum Dei eſt omnis celſitudo ſanctorum.

Qui habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

Eccleſiam enim antea ſterilem Dei gratia fœcundauit,
Iſa. 54. vt in multis filijs lætaretur: in qua *dominus, qui in altis habi-*
Pſal. 112. *tat & humilia reſpicit in cælo & in terra*, habet ex ſemine Abraham & ſublimem ſanctitatem ſicut ſtellas cœli in ſupernis ſedibus collocandam, & ſicut arenam in ora maris miſeri-
Matth. 25. cordem atq; innumeram multitudinem, à ſiniſtris fluctibus & ab impia amaritudine ſegregandam.

PSALMVS CXIII. ALLELVIA.

In exitu Iſrael ex Aegypto, domus Iacob de populo Barbaro,
Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius: Iſrael poteſtas eius.
Mare vidit & fugit: Iordanis conuerſus eſt retrorſum.

D PRæteritorum geſtorum recoli videtur hiſtoria: & quéadmodum populus Iſrael, qui eſt domus Iacob, de iugo Aegyptiæ dominationis eductus ſit, in memoriam reuocari. Sed per propheticum eloquium, magis futura indicantur, quàm præterita retexuntur. Et ideo quædam aliter hic dicuntur quàm ibi acta ſunt: vt vigilanter intelligatur prophetia, vbi non conſtat hiſtoria. Primum enim Iordanem ipſum non reuerſum eſſe retrorſum, ſed ſtetiſſe legimus, ab ea parte qua deſuper influebat: deinde, montes exultaſſe & colles geſtiſſe non legimus: quæ ſic addidit, vt omnia iſta etiam reperiret. Intelligendum ergo eſt, quia illa facta figuræ noſtræ fuerunt. Et ideo de eis aliter quid dicitur, vt quibus temporibus congruat agnoſcatur.
Rom. 4. Si enim gratiam Dei, quæ data eſt nobis, firmo corde reti-
Gen. 15. neamus, nos ſumus Iſrael ſemen Abrahæ: qui non carnaliter circunciſæ genti tantummodo factus eſt pater, ſed & omnium qui ſequuntur veſtigia fidei Abraham: qui cum eſſet in præputio, credidit domino, & iuſtificatus eſt ex fide, & conſtitutus eſt omnium gentium pater: dictum-
Gen. 12. que ei eſt, *Benedicentur in te omnes gentes.* Quia ergo populus
Apoc. 11. Chriſtianus verus eſt Iſrael, & Aegyptus ſæpe in figura totius ſeculi ponitur, à quo ſpiritaliter recedendum eſt: quemadmodum ille populus non potuit ad terram promiſſionis venire, niſi diuino liberaretur auxilio: ita ab huius ſeculi vinculis nullus eruitur, niſi per gratiam Dei, in manu forti & brachio excelſo, vt cœleſtis Hieruſalem ciuis eſſe mereatur. Quicunque ergo ſunt Iſraelitæ, domus Iacob, & Abrahæ, ſecundùm promiſſionem hæredes, cognoſcunt etiam ſe exiſſe de Aegypto, cùm huic ſeculo renuntiauerunt: exiſſe de populo Barbaro, cùm confeſſione pietatis à blaſphemijs impiarum gentium receſſerunt. Interrogent corda ſua, ſi ea circuncidit fides, ſi purificauit confeſſio Dei Abraham, & Dei Iſaac, & Dei Iacob: Facta eſt in eis Iudæa ſanctificatio eius, & Iſrael poteſtas eius. *De-* Ioan. 1.
dit enim *eis poteſtatem, filios Dei fieri.* Iam hic recordetur vnuſquiſque, qui ſub dura dominatione diabolicis in hoc ſeculo operibus ſubditus laborabat, quomodo ab hoc iugo liber effectus ſit: quomodo inter diſſuadentium retinacula, & obſiſtentium impedimenta ad viam libertatis & ad ſpem æternæ hæreditatis euaſerit. Mare ergo vidit &
fugit cùm obſtacula ſeculi, verbo Dei tremefacta ceſſerunt. Iordanis conuerſus eſt retrorſum: quoniam qui auerſus à principio ſuo, creatorem ſuum deſerit, tanquam fluuius in mare labitur, cui bonum eſt vt retrorſum conuertatur, & rediens ad autorem, retro ſibi faciat mare, ad quod antè tendebat: & ſic Iordanis conuertatur retrorſum, cùm illi conuertuntur ad dominum qui gratiam baptiſmi perceperunt. F

Montes geſtierunt velut arietes: & colles velut agni ouium.

Fideles diſpenſatores verbi veritatis, ſancti Apoſtoli, ſancti Euangeliſtæ montes & duces ſunt gregum, & colles velut agni ouium ſunt quibus dicitur, *In Chriſto Ieſu, per* 1. Cor. 4.
Euangelium ego vos genui. De quibus dicitur, *Afferte domino* Pſal. 28.
filios arietum, qui montium pabulis opimantur, & ſub arietum principatu exultantes reguntur.

Quid eſt mare quòd fugiſti? & tu Iordanis quia conuerſus es retrorſum?

Montes quia geſtitis velut arietes: & colles velut agni ouium?

G Quid eſt, inquit, ô ſeculum, quòd tua impedimenta ceſſerunt? Quid eſt, quòd tot milia fidelium, toto orbe huic mundo renuntiantium conuertimini? quid eſt quòd gaudetis? quibus in fine dicetur. *Euge bone ſerue, quoniam in* Luc. 19.
paucis fidelis fuiſti, ſupra multa te conſtituam. Quid eſt quòd gaudetis? quibus in fine dicetur: *Venite benedicti patris mei,* Matth. 25.
percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.

A facie domini commota eſt terra: à facie Dei Iacob.

Quid eſt? A facie domini, niſi, ab eius præſentia qui dixit, *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.* Ipſe Matth. 28.
ergo commouet terram, ipſe pigra & inertia corda conuertit.

Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.

Iſta eſt *ſpiritalis petra*, id eſt, Chriſtus, qui doctrinam 1. Cor. 10.
ſuam, quæ priùs dura & rigida videbatur, in multa fluenta conuertit, & miſſo de cœlis ſpiritu ſancto, ſermonem ſuũ fecit eſſe potabilem, quem diſcipulis inſinuarat, incipiens à Moyſe per omnes prophetas, *quia ſic oportebat Chriſtum* Luc. 24.
pati. H

Non nobis domine non nobis: ſed nomini tuo da gloriam.

Gratia prædicatur, quæ aquam regenerationis de pe- Rom. 5.
tra, quæ eſt Chriſtus emittit, nullis hominum præcedentibus meritis: quoniam *Chriſtus pro impijs mortuus eſt*, ne vllus 1. Cor. 1.
niſi *in domino glorietur.*

Super miſericordia & veritate tua:

Duo hæc, Miſericordia, & Veritas, in ſcripturis ſanctis penè ſemper iuncta inueniuntur. In ſua quippe miſericordia Deus vocauit impios: & in veritate iudicauit eos qui venire noluerunt.

Nequando dicant gentes, Vbi eſt Deus eorum?

In nouiſſimo enim manifeſtabitur miſericordia & veritas. Nec dicent impij, Vbi eſt Deus eorum? cum apparente ſigno filij hominis in cœlo, & inſtante iudicio non adhuc prædicabitur credendus, ſed oſtendetur tremendus.

Deus autem noſter in cælo ſurſum, & ſuper terram: omnia quæcunque voluit fecit.

Non in cœlo, vbi ſolem & lunam vident, qui creaturam

A colunt: ſed in cœlo ſurſum, quod tranſgreditur omnia corpora cœleſtia & terreſtria. Quanquam nec in ipſo ita ſit, vt ſine ipſo eſſe non poſſit: quoniam in quibus eſt, ipſe ea tanquam indigentia continet, qui in cœlis & in terra omnia quæcunque voluit fecit: hoc eſt, & in ſuperioribus & inferioribus populi ſui voluntariam gratiam ſuam conſtituit, ne quis de operum meritis glorietur. Quia ſiue montes geſtiant, velut arietes: ſiue colles, velut agni ouium, à facie domini commota eſt terra: ne in terrenis ſordibus permaneret.

Simulachra gentium argentum & aurum.

Habent quidem & ærea & lignea & fictilia ſimulachra, & alterius alteriuſq; materiæ: ſed pretioſum eorum maluit commemorare ſpiritus ſanctus: quia cùm in eo quiſque eroboerit quod illi carius eſt, multo faciliùs auertitur à veneratione viliorum: vt intelligat etiam in auro & argento nihil aliud eſſe quàm terram.

Os enim habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt.

B *Aures habent, & non audient. nares habent, & non odorabunt.*

Manus habent & non contrectabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in faucibus ſuis.

Similes ſint illis omnes, qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.

Videant ergo impij apertis & ſcotientibus oculis: & adorent clauſis & mortuis mentibus, nec videntia ſimulachra nec viuentia.

Domus Iſrael ſperat in domino: adiutor eorum & protector eorum.

Rom. 8. *Spes* enim *quæ videtur non eſt ſpes: quod enim videt quis quid ſperat? ſi autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus.* Sed vt perducet vſq; in finem ipſa patientia, adiutur & protector eſt dominus.

Domus Aaron ſperauit in domino: Adiutor eorum, & protector eorum eſt.

C Philip. 3. Ergo etiam ſublimiores quique, atq; in ſummo excellentes gradu, etiam ipſi perſeuerantes currant, donec adprehendant in quo adprehenſi ſunt, & cognoſcant ſicut & cogniti ſunt, adiutorio & protectione domini muniuntur.

Qui timent dominum, ſperauerunt in domino: adiutor eorum, & protector eorum eſt.

Dominus memor fuit noſtri. & benedixit nos.

Omnes, inquit, timentes dominum, & ſperantes in domino, auxilio ipſius perficiuntur. Non enim noſtris meritis præuenimus miſericordiam domini, ſed dominus memor fuit noſtri, & benedixit nos.

Benedixit domum Iſrael. benedixit domum Aaron.

Benedixit omnes timentes dominum:

Hoc eſt, & ſuperiores & inferiores: quia vtrique timent dominum. Si ergo quæris, quos vtroſque benedixerit: reſpondetur, puſillos cum maioribus: hoc eſt, domum Iſrael & domum Aaron.

Adijciat dominus ſuper vos, ſuper vos & ſuper filios veſtros.

D Matth. 3. Ioan. 10. Et ita factum eſt. Acceſſerunt enim etiam *de lapidibus ſuſcitati filij Abraham.* Acceſſerunt *oues quæ non erant de hoc ouili: vt fieret vnus grex, & vnus paſtor.* Acceſſit fides omnium gentium, & creuit numerus, non ſolum ſapientium antiſtitum, ſed etiam obedientium populorum, adijciente domino, non ſolum ſuper patres, ſed etiam ſuper filios eorum, qui patrum piè veſtigia ſequerentur.

Benedicti vos domino, qui fecit cœlum & terram.

Tanquam diceret: Benedicti vos domino, qui vos fecit.

Cœlum cœli domino, terram autem dedit filijs hominum.

Non ergo iſtud viſibile cœlum plenum luminaribus fecit vos: ſed multò excellentius, in quo ſibi præparauit habitaculum, quod ſunt ſublimiores purioreſq; mentes: in quarum comparatione, quicquid cernitur terra eſt: quamuis poſſint & paruuli in eccleſia terræ nomine nuncupari, qui proficiendo futuri ſunt cœlum: & in ipſa ſpe lacte nutriuntur à magnis. Sed tamen quia illi iam non ab homine: neque per hominem, ſed per ipſum dominum carpunt ſynceritatem vbertatemq; ſapientiæ, acceperunt paruulos futuros quidem cœlum, vt cœlum cœli eſſe ſciant: adhuc
1. Cor. 3. tamen terram, cui dicant, *Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus*

E *incrementum dedit.* Ipſis enim filijs hominum, quos fecit cœlum, terram dedit in qua operetur, qui nouit terræ prouidere per cœlum. Maneant igitur cœlum & terra in domino ſuo qui fecit ea, & viuant ex eo, confitentes ei laudantes eum. Nam ſi ex ſe velint viuere, morientur: ſicut ſcriptum eſt, *A mortuo, quaſi qui non ſit, perit confeſſio.* Eccl. 17.

Non mortui laudabunt te, neq; omnes qui deſcendunt in infernum.

Clamat enim alio loco ſcriptura ſancta, *Peccator cùm venerit in profundo malorum, contemnit.* Prou. 18.

Sed nos qui viuimus, benedicimus dominum: ex hoc nunc & vſq; in ſeculum.

PSALMVS CXIV. ALLELVIA.

Dilexi, quoniam exaudiet dominus vocem orationis meæ:

CAntet hoc anima quæ peregrinatur à domino: cantet hoc ouis illa quæ errauerat: cantet hoc filius ille, qui Luc. 15.
F mortuus fuerat & reſurrexit: perierat & inuentus eſt. Quid eſt enim, Dilexi, quoniam exaudiet dominus: niſi, dilexi, quoniam in hac ſpe ſum poſitus, vt exaudiendum eſſe me credam? Non enim fruſtra hoc ſpero.

Quoniam inclinauit aurem ſuam mihi:

Ideo ergo exaudiet, quia inclinauit aurem ſuam mihi. Iam ſi quæramus, vnde crediderit, anima, quòd ad eam aurem dominus inclinauit: nonne reſpondebit *quia prior dilexit nos, & filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum?* Rom. 8. 1. Ioan. 4. Quod mihi cum annunciaretur, quomodo non crederem inclinaſſe dominum aurem ſuam mihi, tanta miſericordia præuenientem, tanta vocatione pulſantem?

Et in diebus meis inuocaui.

In diebus ſcilicet miſeriæ meæ, in diebus mortalitatis & præuaricationis, qua deſerui Deum, & merui carcerem, id eſt, tenebras ignorantiæ, & compedes difficultatis accepi. In his igitur diebus.

G *Circundederunt me dolores mortis: pericula inferni inuenerunt me.*

Quæ niſi aberrantem abs te, non inuenirent me. Ego autem illa non inueniebam: id eſt, non aduertebam. Amabam enim deceptiones meas, & gaudens falſis proſperitatibus ſeculi, veris periculis demergebar inferni. Sed cum mihi illuxit gratia tua, & cauſas tribulationis meæ ac doloris inueni, & nomen domini inuocaui.

O domine erue animam meam.

Tanquam diceret: Et inter aduerſitates, & inter proſperitates huius ſeculi miſerum me eſſe cognoui: quia illa premunt, iſta decipiunt. *Quis ergo me liberabit de corpore mortis huius, niſi gratia Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum.* Rom. 7.

Miſericors dominus & iuſtus, & Deus noſter miſerebitur.

Miſericors primo, quia inclinauit aurem ſuam mihi: Iuſtus, qui facit me agnoſcere vnde conterérer: & rurſum miſericors, quia ad hoc vt inuocem & miſereatur.

H *Cuſtodiens paruulos dominus, humiliatus ſum, & liberauit me:*

Cuſtodit paruulos, quos volt eſſe perfectos, & in ſeruitutem per ſuperbiam lapſos, per humilitatem facit liberos.

Conuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi.

Conuertere, inquit, anima mea, quia conuerſionis facultatem ab illo habes, qui benefecit tibi.

Quia exemit animam meam de morte:

Exempta eſt à morte anima, etiam mortali adhuc carne circundata, quæ ex infideli fidelis effecta eſt: & præter illam perfectam, æternam à cunctis laboribus requiem, quam adipiſcitur pretioſa in conſpectu domini mors ſanctorum eius: habet etiam in hac vita requiem ſuam anima quæ de morte infidelitatis exempta eſt, & quæ non ab operibus iuſtitiæ, ſed ab iniquitatis abſtinet actione. Talis autem anima, quæ iam viuit domino & mortua eſt mundo, quæ ſpiritali induſtriæ vigilanter intenta, in humilitatis & manſuetudinis, non pigra, ſed quieta tranquillitate requieſcit: pro adeptis iam habet, quicquid non dubia ſpe patienter expectat. Et ideo addit, & dicit,

Oculos meos à lachrymis. pedes meos à lapſu.

Hæc bona non temporalis vitæ ſunt, ſed æternæ: nec

ubtinere

A

Rom. 8. obtinere poſſunt mortali carne circumdati, vt non fleant, non gemant, & nulla tentatione pulſentur. Spes ergo ſanctorum, qui ſecundum id quòd *ſpiritu Dei aguntur*, iam *in carne non ſunt*, meritò de his gaudet & gratias agit, quę ſibi à veritate promiſſa ſunt. Deniq; vt hæc ſe non iam habere, ſed ſperare monſtraret.

Placebo (inquit) *domino, in regione viuorum.*

Non ergo ad plenum domino placet, qui adhoc eſt in regione mortalium: nec poteſt talis eſſe in vita occidua, qualis futurus eſt in æterna.

PSALMVS CXV. ALLELVIA.

Credidi, propter quod locutus ſum.

TAM reprobi ſunt, qui verum quod credunt non loquuntur, quàm qui verum quod loquuntur non credunt. Perfecta ergo huius fides eſt, qui dicit non tantùm credidiſſe, ſed & propter hoc locutum eſſe quia credidit.

B

Ego autem humiliatus ſum nimis.

Cur addidit, Ego autem, cùm poſſit dicere, Locutus ſum & humiliatus ſum? niſi, quia homo veritatem prædicans, humiliari poteſt ab his qui veritati contradicunt, nõ ipſa veritas: quam qui credit, eloquitur. Ego credidi propter quod locutus ſum.

Ego autem dixi in exſtaſi mea, Omnis homo mendax.

Exſtaſis, hîc pauor intelligitur, quoniam martyrum vox eſt, inſtante cruciatu vel morte trepidantium, & agnoſcentium non eſſe virtum ſuarum, vt quæ inſeruntur euincant: atque ideo mendacem inuenit humanam infirmitatem, quæ non poſſit non fallere, præſumens de viribus ſuis: cum fortitudo patientiæ ex Deo ſit, qui & conſtantiam dat non timenti, & fiduciam reparat formidanti:

Matt. 10. quoniam vetus eſt dicens, *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Dicitur autem exſtaſis, etiam cum mens non pauore alienatur, ſed aliqua inſpiratione reuelationis adſumitur.

C

Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi?

Hoc dicens, profitetur ſibi aliud retributum à domino, quàm merebatur: id eſt, pro malis recepiſſe ſe bona: & quærit quid ipſe reddat pro bonis: nec aliud inuenit niſi quod dominus ipſe donauit, & dicit:

Calicem ſalutaris accipiam, & nomen domini inuocabo.

Matth. 20. Quis iſtum dat calicem, niſi qui ait, *Poteſtis calicem bibere, quem ego bibiturus ſum?* & dans exemplum patiendi, contulit donum, redimens ipſam infirmitatem ſuorum ſanguine ſuo: & dans pretium imitationis ipſorum, vt fieret:

Pretioſa in conſpectu domini mors ſanctorum eius.

Fudit enim eum ſanguine ſuo, quem fudit dominus pro ſeruis: vt & ſerui pro domino ſuo fundere non timerent:

1. Ioan. 3. Cùm tamen & domini mors, & ſeruorum, ſeruis eſſet profutura, non domino.

D

O domine ego ſeruus tuus: ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Tanquam diceret, Multi ſe martyres dicunt, multi ſeruos tuos ſe profitentur, quia nomen tuum habent in varijs hæreſibus & erroribus: ſed quia præter eccleſiam tuam ſunt, non ſunt filij ancillæ tuæ: ego autem, & ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Diſrupiſti vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.

Tu me, inquit, ſeruum tuum, tu feciſti filium ancillæ tuæ, qui captiuitatis meæ vincula diſrupiſti: & ideo laudis

1. Cor. 15. tibi hoſtiam debeo, quia tua *gratia ſum quod ſum*, & in tua eſt mihi gloria gloriandum.

Vota mea domino reddam.

Sent. ps 15.

Matth. 22. Quiſquis bene cogitat quid voueat domino, & quę vota reddat, ſeipſum voueat, ſeipſum reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Imago Cæſaris, reddatur Cæſari. Imago Dei, reddatur Deo. Sed ſicut videndum eſt quid offeras: ita etiam conſiderandum eſt vbi offeras.

In atrijs, inquit, domus domini:

Quæ autem domus domini, niſi populus eius? Ideo ſequitur.

E

In conſpectu omnis populi eius:

Quid eſt autem populus eius, niſi quod addit?

In medio tui Hieruſalem.

Hieruſalem verò interpretatur viſio pacis. Tunc ergo quod offeretur gratum eſt, ſi de pace atque in pace reddatur. Qui autem non ſunt filij huius ancillæ, bellum quàm pacem potiùs amauerunt.

PSALMVS CXVI. ALLELVIA.

Laudate dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

IN fine ſuperioris Pſalmi ne in Hieruſalem Iudæi gloriarentur, & hanc dignitatem ſibi Iſrael etiam carnalis adſumeret, qui ſint Iſraelitæ & in quibus ſit Hieruſalem, Pſalmi huius principio demonſtratur: omnes, ſcilicet, gentes, & omnes populi, qui per imitationem fidei, facti ſunt filij Abraham, & ſpiritale ſemen Iſrael. Rom. 4. Galat. 3.

F

Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: & veritas domini manet in æternum.

Confirmata eſt miſericordia domini ſuper nos, cùm eius nomini, per quod liberati ſumus, inimicarum gentium rabida ora ceſſerunt: & quem negando blaſphemauerunt, credendo laudauerunt. Veritas autem domini manet in æternum: ſiue in his quæ promiſit iuſtis: ſiue in his, quæ minatus eſt impijs.

PSALMVS CXVII. ALLELVIA.

Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia eius.

SEd hic confeſſio non pœnitentium eſt, ſed laudantium dominum: quibus per gratiam præſtitum eſt, vt eruerentur de tenebris, & *poteſtate tenebrarum, & transferrentur in regnum filij* Dei: ob hoc ſolùm, quia Deus bonus eſt, & eius miſericordia miſeretur, quæ permanet in æternum. Coloſſ. 1.

G

Dicat nunc domus Iſrael quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Dicat nunc domus Aaron quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Domus Iſrael & domus Aaron, ipſi ſunt omnes qui timent dominum: puſilli ſcilicet atq; maiores. Ex quibus, ſiue Iudæis, ſiue gentibus, vnus factus eſt populus, concurrens in vnum gregem, ad vnum paſtorem Ieſum Chriſtum: quæ ſocietas in eius gratia facta eſt qui bonus eſt, & cuius miſericordia æterna eſt & æternos facit. Ioan. 10.

In tribulatione inuocaui dominum, & exaudiuit me in latitudine.

Qui tribulatur, in anguſtia eſt: ſed qui exauditur, latitudinis infinitate ſuſcipitur.

Dominus mihi adiutor eſt: non timebo quid faciat mihi homo.

Apoſtolus dicit, *Non aduerſus carnem & ſanguinem nobis*, quod eſt homo iniquus: *ſed aduerſus principes & rectores tenebrarum, eſſe certamen.* Quarum autem tenebrarum, niſi hominum diabolo ſubditorum? non ergo metuit quid ei faciat homo, qui ipſius incorrupto Dei viuit auxilio. Epheſ. 6.

H

Dominus mihi adiutor eſt: & ego deſpiciam inimicos meos.

Siue ex malis hominibus, ſiue ex malis angelis, deſpiciet inimicos is, cui adiutor eſt dominus.

Bonum eſt confidere in domino quàm confidere in homine.

Etiam ſi bonus homo, aut bonus angelus adiouet, non in eis, inquit, confidam: ſed in domino, qui me per illos iuuat.

Bonum eſt ſperare in domino, quàm ſperare in principibus.

Principes & homines & angeli poſſunt intelligi: ſed in neutris ſpes collocanda eſt: quia *poteſtas non eſt niſi à Deo.* Rom. 13.

Omnes gentes circumdederunt me: & in nomine domini vltus ſum eos.

Circumdantes circumdederunt me: & in nomine domini vltus ſum eos.

Circun-

A *Circundederunt me ſicut apes: & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis: & in nomine domini, quia vltus ſum in eos.*

Ipſum dominum caput eccleſię intelligimus, circundatum à perſecutoribus, ſicut circundant apes fauum. Sed myſticè ſignificatum eſt, quòd concurſus ad perſequentes, fauus autem ad credentes pertineret. Quoniam impij, neſcientes quid facerent, dulciorem cruciando fecerunt: vt guſtemus & videamus quàm ſuauis eſt dominus. Quòd autem exarſerunt, ſicut ignis in ſpinis: ad totũ corpus Chriſti, id eſt, populum eius, meliùs refertur. Omnes gentes circundederunt me: quia ex omnib. collectus eſt gentibus, & vbiq; in eum exarſerunt perſecutionis incendia. Sed vltus eſt perſequentes: quia extincta malitia, facti ſunt Chriſtiani. Siue quia omnes qui pertinaciter infideles fuerunt, quem ſpreuerunt vocantem, ſentient iudicantem.

Impulſus euerſus ſum, vt caderem: & dominus ſuſcepit me.

Tanquam cumulus arenæ verſatus ſum vt caderem, & dominus ſuſcepit me. Multitudinem fidelium in vnitatem fidei congregatam perſecutio gentium non habuit quò impelleret. Et quamuis multum vexando verſaret,
B conuellere tamen ac proijcere non præualuit: quia ab omnibus ſimul in eum creditum eſt, quia & ſingulos & vniuerſos vbiq; ſuſcepit.

Fortitudo mea & laudatio mea dominus: & factus es mihi in ſalutem.

Qui ſibi ſua fortitudo, & ſua volunt eſſe laudatio, cadunt. Quorum autem fortitudo & laudatio eſt dominus, tam non cadunt, quàm non cadit Dominus. Et ideo eis factus ſalus: non quia ipſe aliquid cœperit eſſe, quod non erat, ſed quia ſalutem in eo, quam auerſi non habuerant, cœperunt habere conuerſi.

Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum.

Sæuitia perſequentium ſpem ſanctorum internis gaudijs priuare non poterat: nec valebant impij eorum auferre lætitiam, quorum nequibant expugnare patientiam.
1.Cor. 6. Vnde & Apoſtolus dicit: *Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes.*

C *Dextera domini fecit virtutem, dextera domini exaltauit me: dextera domini fecit virtutem.*

Magna virtus exaltare humilem, deificare mortalem, præbere de infirmitate perfectionem, de ſubiectione gloriam, de paſſione victoriam. Sed quia non homo ſe exaltauit, non homo ſe perfecit, non homo ſibi gloriam dedit, non homo vicit, nec ipſe ſibimet ſaluti fuit: piiſſima confeſſione laudem Dei repetit: Dextera domini fecit virtutem.

Non moriar, ſed viuam: & narrabo opera domini.

Vox Eccleſiæ eſt, non in ſe, ſed in domino gloriantis. Extinguendum Dei populum perſecutores arbitrabãtur: ſed aucta eſt Eccleſia, & vbiq; Chriſtus martyrum gloria eſt: in quorum paſſionibus Domini opera prædicantur.

Caſtigans caſtigauit me dominus: & morti non tradidit me.

Non ergo quicquam viribus ſuis licuiſſe arbitretur fremitus impiorum: non haberent iſtam poteſtatem, niſi deſuper
D daretur. Sæpe filios ſuos paterfamilias per nequiſſimos ſeruos emendari iubet: cùm illis hæreditatem, his compedes præparaset. Quæ eſt iſta hæreditas? auri eſt, & argenti? an gemmarum? an fundorum, amœnorumque prædiorum? Vide quà intretur, & cognoſce quid ſit.

Aperite mihi portas iuſtitiæ, & ingreſſus in eas confitebor domino:

Intra portas iuſtitiæ, vox eſt confeſſionis & exultatio-
Pſalm. 83. nis. *Beati enim qui habitant in domo domini, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.*

Hæc porta domini, iuſti intrabunt per eam.

Hæc porta illius eſt Hieruſalem, quam nemo incircunciſus, nemo intrat iniuſtus, vbi dicitur, Canes foras.

Confitebor tibi domine, quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

Confeſſio hæc laudis eſt, non vulnera medico oſtendens: ſed de percepta ſanitate gratias agens ei, qui ipſe eſt ſalus.

Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.

E *Vt duos conderet in ſemetipſum in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliaret vtroſq; in vno corpore Deo:* circunciſionem ſcilicet & præputium. Epheſ. 2.

A Domino factus eſt:

Quamuis enim non eſſet lapis angularis, niſi paſſus eſſet: non tamen hoc ab eis, à quibus paſſus eſt, factus eſt. Nam illi qui ædificabant, reprobauerunt: ſed in eo quod dominus occultè ædificabat, fecit in caput anguli, quem reprobauerunt.

Et eſt mirabilis in oculis noſtris.

In oculis interioribus hominis: in oculis credentium, ſperantium, diligentium.

Hæc dies eſt quam fecit Dominus: exultemus & iucundemus in ea.

Dies quo mihi ſalutem dedit: dies quo ille mediator Dei & hominum, factus eſt in caput anguli.

O domine ſaluum me fac, ô domine bene proſpera:

Saluum fac quia dies ſalutis eſt, proſpera iter à peregrinatione redeuntibus, quia tu nobis factus es via. F

Benedictus qui venit in nomine domini.

Maledictus ille, qui venit in nomine ſuo, quem ſuſcipient qui Dei filium non receperunt. Ioan. 5.

Benediximus vos de domo domini:

Vox iſta magnorum eſt ad puſillos: eorum ſcilicet magnorum, qui verbum Dei Deum, ſicut in hac vita poſſunt, mente contingunt, & tamen ſermonem ſuum propter paruulos temperant.

Deus dominus, & illuxit nobis.

Illuxit nobis *mediator Dei ille & hominum, homo Chriſtus Ieſus*, qui & Deus æqualis patri, quod fecit credi, fecit intelligi. 1.Tim. 2.

Conſtituite diem feſtum in frequentationibus: vſque ad cornu altaris.

Id eſt, vſque ad interiorem domum Dei, de qua nos benediximus, vbi ſunt altaris excelſa, vbi ſpiritale ſacrificium laudis perpetuæ: Vbi eſt ſacerdos æternus, & altare ſempiternum: ad quod non tepidè, neque ſegniter, ſed in frequentatione currendum eſt, vt de filio Deo, qui nos Ioan. 1.
propter caro factus eſt, non iam humiliter ſecundùm carnem, qua conformis nobis eſſe dignatus eſt. ſed ſublimiter ſecundùm diuinitatem, qua patri æqualis eſt, * ſenriendum. G
* ſentiamus.

Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi domine, quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem.

Non ſtrepitu iſta verborum dicentur in illa domo, ad quam vt intremus hortatur, ſed dilectio inhærens Deo, ipſa erit vox laudationis æternæ.

Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Iiſdem verbis Pſalmum quibus inchoauerat, claudit: quia ab initio vſq; in finem debet in nobis laudationum Dei perſeuerare confeſſio.

PSALMVS CXVIII. H

ALEPH.

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege domini.

Beati eſſe non poſſunt, niſi immaculati: Immaculati autem non ſunt, niſi qui in via ambulant: via verò non eſt, niſi lex domini. Quæris ergo beatitudinem, immaculatus in via ſit: & in lege domini, quę beatorum via eſt, ambulet: id eſt, non ſit otioſus.

Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius: in toto corde exquirunt eum.

In via domini hi ſine dubio ambulant, qui ſcrutantur teſtimonia eius: ſed quia multi volunt habere ſcientiam ſine operibus, meritò addidit: In toto corde exquirunt eum. Tum enim rectè quæritur Deus, ſi non per ipſum alia, ſed per omnia ipſe quæratur. Beatitudo autem quærentium dominum, in huius vitæ laborib. non poteſt eſſe perfecta. Sed beati iam dicuntur, qui hoc ſine dubio ſunt futuri,

A quia in via ambulant immaculati, & ſcrutantes teſtimonia legis domini, in toto corde exquirunt eum. Spe ergo beati ſunt, quia talibus beatitudo promiſſa eſt.

Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt.

Hic quæritur, cùm iniquitas peccatum ſit, & non operentur peccatum qui ambulant in vijs domini: quomodo illi ſancti in vijs domini ambulauerunt, qui dicunt: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Ergo & peccatum habuerunt, & in vijs domini ambulauerunt, ſecundùm Paulum dicentem, *Si quod nolo, ego hoc facio. non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Itaque nec operantur peccatum, qui ambulant in vijs domini, & tamen non ſunt abſque peccato: quia tamen non ipſi operantur illud, ſed quod habitat in eis peccatum. Non autem ipſi operantur illud, quando illicitis deſiderijs conſenſum non accommodant voluntatis. Veruntamen cum omnes ſancti, in carne degentes, veraciter dicant, *Dimitte nobis debita noſtra*: Quomodo intelligitur. Immaculatos eos in via domini ambulare, quos oportet, quotidiana oratione remiſſionem poſcere peccatorum? niſi quia verum eſt, ambulantes in via domini nullis conſentire criminibus, & tamen quibuſdam cogitationum carnalium obreptionibus titillari, & ob hoc eis neceſſariam quotidianam remiſſionem, vt fiant immaculati; quoniam & hoc ipſum, ad viam pertinet domini, de qua non receedit, qui ſe immaculari ſemper expoſcit.

1. Ioan. 1. — *Rom. 7.* — B *Matth. 6.*

Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.

Nimis, ſiue ad mandantem, ſiue ad cuſtodientem referas, non pro eo, quod eſt plus quàm oportet, accipiendum eſt: ſed pro, valde. Valde enim mandatur, & valde cuſtodienda ſunt præcepta diuina.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.

Dediſti, inquit, mandatum, & cuſtodiri illud præcepiſti: ſed vtinam præbeas & auxilium, vt poſſim facere te iuuante, quod faciendum didici te docente.

C *Tunc non confundar, cùm perſpicio in omnia mandata tua.*

Rom. 1. Cùm, inquit, directæ fuerint viæ meæ per gratiam tuam, tunc inſpectione mandatorum tuorum non confundar,

* qui eio. * quæ ero non vtilis auditor, ſed efficax factor.

Confitebor tibi domine in directione cordis: in eo quòd didicerim iudicia iuſtitiæ tuæ.

Si directum fuerit iter meum & cor meum: & prædicabo domine te, laudabo, & tui eſſe hoc operis cognoſcebo.

Iuſtificationes tuas cuſtodiam.

Hoc eſt, faciam quod iubes, ſi me adiuueris.

Non me derelinquas vſquequaque.

Non ita accipiendum, quaſi in aliquo ſe relinqui velit: ſed hoc petit, ne penitus deſeratur, & ita potius, vt ab eo nunquam & nuſquam diuinum abſcedat auxilium.

B e t h.

D *In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? In cuſtodiendo ſermones tuos.*

Interrogatio eſt, in quo iunior viam ſuam corrigat: & reſpondetur, quòd correctio eius hæc ſit, vt Dei verba cuſtodiat. Sed quæritur quis iſte ſit iunior, cuius iſta correctio eſt? cùm & ſenes multi conuertantur ad dominum, per quamlibet ſeram obſeruantiam mandatorum. Bene ergo iſte iunior intelligitur populus nouus, per Chriſti gratiam renouatus, qui ab erroris veteris via, verbum fidei cuſtodiendo, corrigitur.

In toto corde exquiſiui te: ne repellas me à mandatis tuis.

Feciſti, inquit, vt toto corde meo exquirerem te: fac vt in mandatis tuis maneam: quæ vt mihi poſſibilia ſint adiuua me, & noli me ab eis repellere: id eſt, noli mihi auxilium tuum ſubtrahere.

In corde meo abſcondi eloquia tua: vt non peccem tibi.

Benedictus es domine: doce me iuſtificationes tuas.

Quid adhuc eloquia domini quærit diſcere, quæ iam abſcondit in corde? Quod vtiq; non feciſſet, niſi ea didiciſſet. Vt quid addit, & dicit, Doce me iuſtificationes tuas: niſi quia eas vult faciendo diſcere, & operandi notitia comprehendere, non loquendi tantum facilitate & memoriæ recordatione retinere? E

In labijs meis enuntiaui omnia iudicia oris tui.

Nihil, inquit, iudiciorum tuorum tacui, ſed omnia proruſus in labijs meis enuntiaui: ea ſcilicet, quæ mihi ore tuo, id eſt, eloquiorum tuorum prædicatione dixiſti.

In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs.

Via teſtimoniorum Dei Chriſtus, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* In hac ergo via, quaſi in omnibus diuitijs delectatur, qui videt per illum multa erga nos teſtimonia diuinæ dilectionis impleta: & non dubitat, quæ expectantur implenda. *Coloſſ. 2.*

In mandatis tuis exercebor: & conſiderabo vias tuas.

Vniuerſæ viæ domini, miſericordia & veritas: quarum plenitudo inuenitur in Chriſto, in quo omnis Eccleſia, contra inimicos fidei Chriſtianæ, copioſis diſputationibus exercetur. *Pſal. 24.*

F *In iuſtificationibus tuis meditabor: non obliuiſcar ſermones tuos.*

Idem vtiq; meditabor, vt non obliuiſcar ſermones tuos: meditabor vt non obliuiſcar: meditatio enim non obliuiſcendi, eſt perſeuerantia operandi, propter quod poſtulauit adiutorium gratiæ, dicens: Benedictus es domine, doce me iuſtificationes tuas: vt quod ſermone nouerat, etiam opere compleret.

G i m e l.

Retribue ſeruo tuo, viuifica me: & cuſtodiam ſermones tuos.

Quatuor ſunt retributiones: aut enim mala pro malis retribuuntur, ſicut Deus ignem æternum retributurus eſt impijs: aut bona pro bonis, ſicut regnum æternum retributurus eſt iuſtis: aut bona pro malis, ſicut Chriſtus per gratiam iuſtificat impium: aut mala pro bonis, ſicut Iudas per malitiam perſecutus eſt Chriſtum. Harum quatuor retributionum, duæ priores pertinent ad iuſtitiam, vt retribuantur mala pro malis, bona pro bonis. Tertia pertinet ad miſericordiam, vt retribuantur bona pro malis. Quartam Deus neſcit. Nulli enim malum pro bono retribuit. Hæc autem quæ tertio loco poſita eſt, primitus neceſſaria eſt. Niſi enim Deus retribueret bona pro malis, nullo modo eſſent quibus retribueretur bona pro bonis. Qui ergo dicit, Retribue ſeruo tuo: & addidit, Viuifica me, & cuſtodiam ſermones tuos: ſcit *iuſtum ex fide viuere, quæ operatur * pro dilectione.* Et quia mortuus erat per ſuam malitiam, petit ſibi vitam per Dei gratiam: quam profectò non peteret, ſi omnino non crederet, id eſt, omnino non viueret. Sed quia id quod acceperat ad deſiderandum, non ſufficiebat ad obediendum, poſcit ſe viuificari: hoc eſt, eam in ſe fidem, quam accepit, augeri: vt viuificetur per omnem diem, qui renouatur de die in diem. G

Sent eſt 1. *Abac. 2.* *Gal. 5.* * per dilectionem

Reuela oculos meos: & conſiderabo mirabilia de lege tua.

Da, inquit, mihi intellectum, quo poſſim mirabilia tuæ legis inſpicere, & virtutem præceptorum tuorum videre. H

Incola ego ſum in terra: ne abſcondas à me mandata tua.

Ibi quiſq; eſt peregrinus, vbi abſens eſt à patria ſua. Iſte ergo qui ſupernæ Hieruſalem, cuius adſcriptus eſt, peregrinum ſe profitetur in terra: quia certus eſt de hæreditate promiſſa, Sed quia *tentatio eſt vita humana ſuper terram*, petit ne in tempore tribulationis & difficultatis, abſcondantur ab eo mandata Dei: quæ vtique in medio conſtituta ſunt, & poſſunt etiam ab impijs ſciri. Nam quem latet breuiſſimum pleniſſimumq; mandatum, *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*: Et: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum? In quibus duobus mandatis, tota lex pendet, & prophetæ.* Quomodo ergo hic terræ incola orat, vt ab eo non abſcondantur, quæ pæne neminem latent, niſi quia dominum noſſe paucorum eſt, & conſequens eſt vt ei mandatum dilectionis ſit abſconditum, quia aliud pro alio diligit: & qui errat in domini amore, errat etiam in proximi charitate? Rectè itaque qui incola eſt in terra, & qui terrena non diligit, poſtulat ſibi mandatorum Dei ſcientiam reuelari: ne vel in Dei, vel in proximi dilectione fallatur.

Vide ſententia 17. *Iob. 7.* *Matt. 22*

A

Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore.

Concupiuit, inquit, iuſtificationum tuarum deſiderium habere vſq; in finem. Tu enim me iuſtificas, tua me facit gratia iuſtum & bonum: mihi eſt ſemper hoc deſiderare, & in hoc tuo præſidio delectari. Alioquin iuſtus non ero, ſi aut defuerit mihi gratia tua, aut inflauerit me ſuperbia.

Increpaſti ſuperbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis.

Illa increpatio hîc intelligenda eſt, quam primi hominum genitores ſua tranſgreſſione meruerunt, declinantes à mandato Dei per ſuperbiam, quam concupiuerant, non quod Deus diligendum præcepit, ſed quod diabolus inuidendo perſuaſit. Omnis itaq; ſuperbus, huic increpationi ſubiectus eſt, ſiue hæreditario, ſiue voluntatis arbitrio.

Aufer à me opprobrium & contemptum: quia teſtimonia tua exquiſiui.

Matth. 5. Vox iſta Eccleſiæ eſt, iam diligentis inimicos ſuos, & orantis pro perſecutoribus ſuis. Dicat itaque omnis Chriſtianus: dicant omnia membra corporis Chriſti: Aufer à

B

me opprobrium, quod ideo audio: & contemptum, quod ideo contemnor. Quia teſtimonia tua, id eſt, martyria tua, exquiſiui vt inimici noſtri inde venerentur, vnde contemnunt, cum quos perſequendos putauerunt, intellexerint honorandos.

Etenim ſederunt principes, & aduerſum me loquebantur.

Inde perſecutio grauis erat, quia eam ſedentes, id eſt, iudiciarijs ſedibus eminentes principes decernebant: quod & in ipſum caput, & in corpus eius actum eſſe non dubium eſt.

Seruus autem tuus exercebatur in tuis iuſtificationibus.

Qualis exercitatio hæc fuerit, ſequentia docent.

Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt: & conſilium meum iuſtificationes tuæ ſunt.

Sic ergo exercebatur ſeruus Chriſti, vt contra perſequentes dilectione certaret. Conſilium ſedentium principum fuit, innocentes martyres perdere: conſilium patientium martyrum fuit, inimicos perditos inuenire: reddebant illi mala pro bonis, iſti bona pro malis. Quid ergo

C

mirum, ſi iſti occidendo defecerunt, illi moriendo vicerunt?

Adhæſit pauimento anima mea: viuifica me ſecundum verbum tuum.

Qui ſe viuificari petit, quoniam adhæſit pauimento anima eius, videtur hoc poſcere, vt à terrenis cupiditatibus eruatur. Sed non talia verba præmiſſa ſunt, vt de eo qui dicebat, Nam & teſtimonia tua meditatio mea, & conſilium meum iuſtificationes tuæ, credendum ſit, quòd terrenæ magis conuerſationi inhæſerit quàm cœleſti. Non ergo à concupiſcentijs mundi auelli, nec à carnis ſocietate ſeparari, ſed ab affectibus carnalibus optat abiungi: vt illa concupiſcentia quæ concupiſcit aduerſus ſpiritum, magis cõminuatur: & concupiſcentia quæ concupiſcit aduerſus carnem, perſeuerantibus profectibus augeatur. Nemo eſt

Sent. eſt 18
Sap. 9.
1. Cor. 15.

D

enim, cuius animam corruptibile corpus & inhabitatio terrena non aggrauet, donec *corruptibile hoc induatur incorruptionem*, & verbum Dei, quo vita æterna promittitur, impleatur.

Vias meas enuntiaui, & exaudiſti me: doce me iuſtificationes tuas.

Peccata, inquit, mea confeſſus ſum, & exaudiſti me: enuntiaui vias meas, & deleſti eas: doce me tuas. Non ergo eas iuſtificationes vult diſcere, in quibus exercebatur: ſed ab illis ad illas deſiderat peruenire.

Viam iuſtificationum tuarum inſinua mihi: & exercebor in mirabilibus tuis.

Hæc petens, magis profectibus concupiſcit augeri. Sunt autem quædam iuſtificationes tam ſublimes, atque mirabiles, vt hi qui experti non ſunt, putent ad eas humanam infirmitatem peruenire non poſſe.

Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.

Fatigor namq; ex infirmitate, & relabor ex tædio: confirma me in promiſſionibus tuis: atq; per ea quæ dediſti, enitar aſcendere, vt dormitans in infirmitatibus meis exciter, atq; inerter in verbis tuis.

Viam iniquitatis amoue à me: & de lege tua miſerere mei.

E

Ne lex facturum, per quam abundauit peccatum, ad iniquitates me adducat infirmum. Lege, inquit, tua, hoc eſt, lege fidei, miſerere mei, vt per gratiam tuam faciam, quod per meipſum non valeo. Rom. 5.

Viam veritatis elegi, iudicia tua non ſum oblitus.

Adhæſi teſtimonijs tuis domine: noli me confundere.

Viam veritatis elegi, vbi currerem: iudicia tua non ſum oblitus, vt currerem. Adhæſi teſtimonijs tuis, cum currerem domine, noli me confundere. Quomodo quò curro, perrendam: quò tendo, perueniam? *Non enim volentis, nec currentis: ſed miſerentis eſt Dei.* Rom. 9.

Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.

Cordis dilatatio, veritatis eſt dilectio: quod Dei munere fit, vt ei non timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ ſeruiatur, cùm *charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Ideo ergo iſte viam mandatorum Dei cucurrit, quia cor eius dominus dilatauit. Rom. 5.

Legem pone mihi domine viam iuſtificationum tuarum: & exquiram eam ſemper.

F

Qui viam mandatorum Dei ſe dilatato corde cucurriſſe iam dixerat, quomodo nunc legem ſibi poſtulat poni? niſi quia proficiens loquitur, & donũ Dei nouit eſſe quòd proficit: & vt magis magiſq; proficiat, quod habet, à quo accepit, poſcit augeri. Ergo & cucurrit hanc viam, & currere cupit: exquiſiuit & exquirere amat, donec perfectum ſit gaudium ſine periculo amittendi, quod vt apprehendat ſemper exquirit.

Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam: & cuſtodiam illam in toto corde meo.

Ergo altitudinem & profunditatem legis nemo penetrat, niſi qui intellectum acceperit. Cùm autem *plenitudo legis ſit dilectio*, & ille legem intelligat, qui operum mandatorum eius exequitur: profectò hic illam ſibi charitatem multiplicari petit, qua Deus proximuſq; diligitur, vt huius duplicis mandati, de quo *pendet tota lex & prophetæ*, perfectam habeat ſcientiam, eamq; toto corde cuſtodiat. Rom. 13. Matth. 22.

Deduc me in ſemita mandatorum tuorum: quoniam ipſa volui.

G

Quam priùs dixit viam iuſtificationum, eandem dicit ſemitam mandatorum: quia *anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam*: Et cùm ſit anguſta, niſi dilatato corde non curritur. Sed quoniam adhuc iſte proficit & adhuc currit, ideo dominum quo deducatur quærit auxilium. Sent. eſt 19 Matth. 7.

Inclina cor meum in teſtimonia tua: & non in auaritiam.

Qui cor ſuum inclinari in aliquid petit, plenius & perfectius id, quàm vult, velle deſiderat. Volebat enim cùm diceret, Deduc me in ſemita mandatorum tuorum, quoniam ipſa volui: Et orat vt velit, cùm dicit, Inclina cor meũ in teſtimonia tua, & non in auaritiam. Orat ergo vt in ipſa voluntate proficiat, & cor non in auaritiam ſed in teſtimonia Dei habeat inclinatum: quæ teſtimonia hoc inſinuant, hoc docent, vt Deus gratis colatur. Quia ſi cor non Sent. eſt 20 in auaritiam ſit declinatum, Deum non colimus niſi propter Deum, vt Dei cultus ipſe ſit merces. Nam qui Deum ideo colit, vt aliquid aliud promereatur quàm ipſum: non quem colit, diligit: quia non ipſum, ſed aliud concupiſcit.

H

Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.

Auerte, inquit, oculos meos, non corporeos: quorum intuitus etiam nolens multas vanitates videt: ſed cordis oculos, ne intenti ſint vanitati, ne humanam gloriam quærant, nec cùm boni aliquid appetunt, non dilectione ipſius ſummi boni, ſed amore præſentis vtilitatis aut laudis hoc faciant: ne poſtremò iuſtitiam ſuam ad ſe magis quàm ad dominum referant, & in ſe magis quàm in domino glorientur. Hanc ergo vanitatem perhorreſcens, meritò adiecit, in via tua viuifica me, id eſt, in Chriſto, qui eſt contrarius vanitati: & non ſolùm *via eſt*, ſed *& vita & veritas*. Ioan. 14.

Statue ſeruo tuo eloquium tuum in timore tuo.

Stabile ſit eloquium Dei in corde noſtro, cùm ſit quod eodem iubetur eloquio, & auellitur, cùm contrarium opus agitur. Petit ergo ſeruus Dei, vt in eo confirmetur obedientia perſeuerans, quæ de ſtatu ſuo nullo malæ actionis moueatur impulſu: quod non habetur niſi per ſpiri-

tum &

A tum & caſtum timorem, quo cauetur ne offendatur charitas: non quo metuitur, ne damnetur impietas.

Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum: quia iudicia tua ſuauia.

Sent.eſt 21. De occultis cordis alieni temerè iudicare, peccatum eſt: & eum cuius non videntur opera niſi bona, ex ſuſpicione reprehendere. Hoc ergo opprobrium, hoc ſuſpicionis vitium, hic, qui vult eſſe perfectus, à ſe optat auferri. Quoniam eorum quæ incognita homini ſunt, ſolus Deus iuſtus inſpector eſt: & iudicia eius ſuauia ſunt, quoniam vera.

Ecce concupiui mandata tua: in tua iuſtitia viuifica me.

Feciſti me, inquit, cupidum mandatorum tuorum, fac & efficacem: adiuua vt faciam quod commendas, dona ipſe quod mandas. Quia in me vnde morerer habui: vnde autem viuam, non inuenio niſi in te, qui homini tuo omnem æquitatem in tua & proximi dilectione poſuiſti.

B

V A V.

Et veniat ſuper me miſericordia tua domine: ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum.

Quid poſcit, niſi vt mandata quæ concupit, per eius miſericordiam faciat, quæ mandauit? Et quæ eſt miſericordia,
Rom. 4. niſi Chriſtus? Et ſecundum quod eloquium niſi ſecundum verbum promiſſionis, quo *vocata ſunt ea, quæ non erant, tanquam eſſent*? Quia & quibus promiſſum eſt, etiam ipſi
1. Cor. 15. promiſſi ſunt, vt totum corpus Chriſti dicat. *Gratia Dei ſum, quod ſum.*

Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum: quia ſperaui in ſermonibus tuis.

Verbum, Exprobrantibus, an verbum, Reſpondebo, ambiguum eſt: ſed vtrunq; Chriſtus ſonat: ipſum enim nobis exprobrant, à quibus eſt crucifixus, vel *ſcandalum*, vel
1. Cor. 1. Ioan. 1. *ſtultitiam*: ignorantes quia *verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*. Quod verbum in principio erat, & apud dominum erat. Sed & ſi ipſi exprobratores non verbum
C exprobrēt, quod eos latet: quia diuinitas eius ab eis non cognoſcitur, à quo infirmitas in cruce contemnitur: nos tamen omnibus exprobrantibus verbum reſpondeamus. Parum eſt enim in corde habere Chriſtum, niſi quod corde credi-
Rom. 10. mus, ore profiteamur. Sed hoc ita demum fieri poteſt, ſi in promiſſis Dei ſpes fuerit firma credentis.

Et ne auferas à me verbum veritatis vſq; valde:

Hoc eſt, non ita conturber ſub perſecutionis flagello, vt à me penitus auferatur confeſſio veritatis: quia multi qui ad horam negando defecerunt, poſteà pœnitendo reparati ſunt, & palmam quam perdiderant, reſumpſerunt.

Quia in iudicijs tuis ſuperſperaui.

Id eſt, quia iudicia tua, quibus me corripis & flagellas, non ſolùm mihi non auferunt ſpem, ſed etiam augent: dū
Hebr. 12. *quem diligis, corripis: flagellas autem omnem filium quem recipis*. Et ideo plerunq; eum, qui ſibi fortis videbatur, infirmari ſinis: vt pręſumptio auferatur, & perſeuerantiæ virtus ex tua
D opitulatione reparetur.

Et cuſtodiam legem tuam ſemper: in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

Quod dixit, ſemper, ne ad omne iſtius vitæ tempus tantummodo referretur, adiecit, Et in ſeculum ſeculi. Lex autem, quam perpetuò cuſtodire deſiderat, *charitas* accipi-
Rom. 13. enda eſt, quia ipſa *eſt plenitudo legis*: & ceſſantibus cæteris mandatis, ſola permanet in æternum.

Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquiſiui:
Et loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu regum: & non confundebar.
Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi valde:
Et leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: & exercebar in iuſtificationibus tuis.

Superiores verſus precationem habuerunt, qua adiutorium gratiæ poſtulatum eſt. Hi autem narrationem habēt, qua oſtenditur quid gratia petita contulerit: tanquam diceret, Hæc cùm orarem, exaudiſti me, & ambulabam in
Rom. 5. latitudine, id eſt, ambulabam in *charitate*, quæ *diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*. Hic eſt ille ſpiritus, *in quo clamamus, Abba pater*, ac per hoc ipſius eſt E Rom. 8.
quod mandata Dei exquiſiuit: qui acceptus etiam hoc agit, vt largiùs accipiendus petendo, quærendo, pulſando quæratur. Per hunc itaq; dilectionis ſpiritum, confirmatus eſt, vt in conſpectu regum non confunderetur, vt in mandatis Dei cogitationem ſuam exerceat, & valde eadem mandata diligeret: eleuans manus ſuas, non ad terrena opera, ſed ad cœleſtia, exerceretur in iuſtificationibus Dei.

Z A I N.

Memento verbi tui ſeruo tuo: in quo mihi ſpem dediſti.
Hæc me conſolata eſt in humilitate mea: quia verbum tuum viuificauit me.

Cum dicitur Deo, memento, orantis deſiderium, quo promiſſum accelerari poſcit, oſtenditur: non Deus, quaſi id eiā recordatione exciderit, admonetur. Memento ergo, inquit, verbi tui ſeruo tuo: hoc eſt, imple promiſſum tuum, in quo mihi ſpem dediſti: hoc eſt, in quo verbo me ſperare feciſti. Hæc me conſolata eſt in humilitate mea. Hæc ſcili- F
cet ſpes mea conſolata eſt, quæ data eſt humilibus, dicente ſcriptura, *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Iacob. 4.
Quia verbum tuum viuificauit me: quia fecit me in te ſperare, & non deficere in tribulatione.

Superbi iniquè agebant vſq; valde: à lege autem tua non declinaui.

Superbos intelligi voluit perſecutores humilium, hoc eſt, impios perſecutores piorum: & ideo ſubiecit, A lege autem tua non declinaui, quia hoc eum facere perſecutio compellebat.

Memor fui iudiciorum tuorum à ſeculo domine: & conſolatus ſum.

A ſeculo, inquit, ex quo genus hominum ſumpſit exordium, memor fui iudiciorum tuorum: & quia probaui, quod omnes viæ tuæ miſericordia & veritas: conſolationem accepi in auxilio gratiæ tuæ: & per ipſa quoq; vaſa iræ, intellexi diuitias gloriæ tuæ, in vaſa miſericordiæ.

Tædium detinuit me à peccatoribus derelinquentibus legem tuam. G
Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ, in loco incolatus mei.

Quamuis tædium pateretur à peccatoribus, cum quibus eum præſentis vitæ peregrinatio detinebat, tamen cantabiles ei erant iuſtificationes Dei, quia peregrinantem gratia ſolabatur.

Memor fui in nocte nominis tui domine: & cuſtodiui legem tuam.

Nox eſt in æternum. Nam mortalitatis nox in ſuperbis iniquè agentibus: nox in tædio peccatoribus derelinquētibus Dei legem: nox eſt poſtremò in loco peregrinationis
huius, *donec veniat dominus, & illuminet abſcondita tenebrarum.* 1. Cor. 4
In hac ergo nocte memor debet eſſe homo nominis domini, vt legem eius cuſtodiat, & hoc ipſum ad gloriam Dei
referat: quoniam *adiutorium noſtrum in nomine domini.* Pſal. 123.

Hæc facta eſt mihi: quia iuſtificationes tuas exquiſiui.

Iuſtitias vtiq; tuas, quibus iuſtificas impium, non meas, H
quæ non pium faciunt, ſed ſuperbum. Quæ eſt ergo de qua dicit, Hæc facta eſt mihi? non enim lex intelligenda eſt, quam maſculino genere Græcus enuntiat, cùm melius accipiatur de nocte: quia ſuperiùs dixerat, Memor fui in nocte nominis tui: Quæ facta eſt mihi, id eſt, vt prodeſſet mihi, quoniam hæc ipſa humilitas, in loco peregrinationis huius, quæ meritò nox intelligitur, prodeſt eis, qui ſalubriter exercentur in ea, vt diſcant non ſuperbire, propter quod malum in iſtam noctem pulſus eſt homo.

T H E T H.

Portio mea domine, dixi, cuſtodire legem tuam.

Niſi quia ita erit portio cuiuſq; dominus, cùm legem ipſius cuſtodierit. Sed quia hoc non fit ſine adiutorio Dei, quid præcipiat obtineri oſtendit, adiungens,

Precatus ſum faciem tuam in toto corde meo: miſerere mei ſecundum eloquium tuum.

Quid autem hac prece obtinuerit, & in quem profectum peruenerit, conſequenter, oſtendit, dicens:

A

Cogitaui vias meas: & auerti pedes meos in teſtimonia tua.

Auerti, inquit, pedes meos à vijs quæ mihi diſplicuerunt, vt irent in teſtimonia tua, atque ibi haberent viam. Quòd autem hic poſitum eſt, Auerti pedes meos, in nonnullis legitur, Auertiſti pedes meos: vt hoc Dei potiùs gratiæ tribuatur: Sed ſiue hoc, ſiue illud ſit, dubitari non poteſt, diuini eſſe muneris & cùm rectè cogitamus, & pedes noſtros ab errore reuocamus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atq; nobiſcum, vt operemur operatur.

Sent. eſt 21 & canon. 9. Secundi conci. Arau.

Paratus ſum, & non ſum turbatus: vt cuſtodiam mandata tua.

Confitetur humiliter, ad cuſtodienda mandata conſtantem ſe factum eſſe per gratiam.

Funes peccatorum circumplexi ſunt me: & legis tuæ non ſum oblitus.

Peccatorum, non ab eo quod ſunt peccata declinatum eſt: ſed ab eo quod ſunt peccatores: Funes itaque peccatorum, impedimenta ſunt inimicorum, ſiue ſpiritalium, ſiue carnalium: qui ſanctos, pro Dei lege vſq; ad ſanguinem decertantes, quibuslibet difficultatibus implicare conantur: quibus eos à conſtantia patiendi, quaſi funibus ac reſtibus retrahebant. Sed ſi implicant corpus, non implicant animum: in quo iſte legis Dei non eſt oblitus, quia ſermo Dei non eſt alligatus.

B

Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.

Sent. eſt 23

Media nox, profunda tribulatio eſt, quia non ſic affligebatur, vt ſurgere non valeret. Surgebat autem, vt confiteretur Deo, iuſto iudicio eius datam peccatoribus poteſtatem qua ſanctos Dei perſequerentur, quos adiuuat gratia Dei, vt huiuſmodi exercitia facerent clariores.

Particeps ſum ego omnium timentium te: & cuſtodientium mandata tua.

Vox iſta, propriè ipſius capitis intelligenda eſt: non enim efficeremur participes diuinitatis Chriſti, niſi ipſe mortalitatis noſtræ particeps fieret: per hanc autem participationē, eius nobis gratia ſubminiſtratur, vt caſtè timeamus Deum, & cuſtodiamus mandata eius. Ideo quippe Deus hominum, immortalis mortalium, ſuſcepit naturam, & participando ſuam fecit, vt granum caderet in terra, mortificatumq; multum fructum faceret.

C

Ioan. 12.

Miſericordia tua domine plena eſt terra:

In eo vtiq;, quòd iuſtificatur impius, in cuius ineffabilis gratiæ ſcientia, vt proficiatur, adiungit:

Et iuſtificationes tuas doce me.

T e t h.

Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo domine, ſecundùm verbum tuum.

Feciſti, inquit, domine vt me delectaret bonum, quod vtique magnum eſt tuum donum. Secundùm verbum tuum, hoc eſt, ſecundùm promiſſum tuum *vt firma ſit promiſſio omni ſemini.*

Rom. 4.

D

Suauitatem, & eruditionem, & ſcientiam doce me, quia in mandatis tuis credidi.

Augeri ſibi illa poſcit, & perficit ei gratia Dei, magis magiſq; in omni dulcedine bonitatis. Docet autem Deus ſuauitatem, inſpirando dilectionem: docet diſciplinam, temperando tribulationem: docet ſcientiam, inſinuando cognitionem. Quia mandatis tuis credidi, hoc eſt, credidi quod tu illa mandaueris, qui donas vt fiant: nō autem homo, qui etſi poteſt notum facere præceptum obedientiæ, tamen tribuere non poteſt donum. Doce diſciplinam, docendo patientiam: doce ſcientiam, illuminando intelligentiam: quoniam te credidi illa mandaſſe, qui Deus es, & homini donas vnde poſſit facere quod mandas.

Priuſquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum ego cuſtodiui.

Propter primum, inquit, delictum humiliatus ſum: & ne rurſum humiliarer, eloquium tuum cuſtodiui: ita per gratiam tuam profuit experiri pœnam, vt adquirerem obedientiam.

Suauis es tu domine: & in tua ſuauitate doce me iuſtificationes tuas.

E

Verè vult facere iuſtificationes Dei, quando eas in eius ſuauitate vult diſcere.

Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum:

Eorum ſcilicet, quibus non profuit, quòd poſtea quàm deliquit humiliata eſt humana natura.

Ego autem in toto corde meo ſcrutabor mandata tua.

Quantalibet, inquit, *abundet iniquitas*, non *refrigeſcet* in me *charitas*: ad hoc enim mandata tua amans ſcrutor, vt perfectiùs ea faciendo cognoſcam. Matt. 24.

Coagulatum eſt, ſicut lac cor eorum: ego autem legem tuam meditatus ſum.

Cor, inquit, ſuperborum obduratum eſt: ego autem legis tuæ meditatione didici, quia *ſuperbis reſiſtis, & humilibus das gratiam.* 1. Pet. 5.

Bonum eſt mihi, quòd humiliaſti me: vt diſcam iuſtificationes tuas.

Pœnam conuertiſti mihi ad diſciplinam, & humiliationem ad eruditionem: quia iuſtificationes tuas ita cupio noſſe, vt faciam. Non enim eſt vera ſcientia boni, niſi ad hoc cognoſcatur, vt agatur.

Pars eſt ſent. 24.

F

Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti.

Vt ampliùs diligat charitas legem Dei, quàm diligit cupiditas millia auri & argenti.

I o d.

Manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me:

Manus domini, ſunt poteſtas Dei, quæ efficit opera voluntatis ſuæ, vt nihil de Deo per nuncupationem manus corporeæ cogitemus. Quod ſi pluralis numerus mouet, accipiantur manus *Dei virtus & Dei ſapientia*: quod vtrumq; vnus eſt Chriſtus, qui & *brachium domini* dicitur. Accipiantur poſtremò manus Dei, filius & ſpiritus ſanctus, qui & ſpiritus ſanctus cooperator eſt patris & filij, tantum vt in natura incommutabilis deitatis nulla forma corporea ſentiatur. Quod ergo ait, Manus tuæ fecerunt me, & finxerūt, ſiue plaſmauerunt me: non incongruè ita diſcernitur, vt, fecerunt, ad animam: finxerunt verò, ad corpus pertineat. Licet ſoleant hæc indifferenter poſita reperiri. Hoc autem opus Dei, non ſolum in primi hominis conditione præceſſit, in quo omnes ſeminali ratione ſunt conditi: ſed etiam in quotidiana ſingulorum hominum creatione perficitur: quia ſi operatoria illa Dei potentia, ab hoc ſe opere contineret, cuncta deficerent.

1. Cor. 1. Iſa. 53. & Ioan. 12.

G

Vide ſententi. 277.

Da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua.

Nunquid ita condita eſt humana natura, vt careat intellectu? Quid igitur ſibi dari poſtulat, quod accepit, niſi quod peccati vitio ipſum primitus rationale corruptum eſt, & gratiæ munere reformandum eſt? Non enim ſufficit naturæ quod ei remanſit, niſi recipiat à reparatore quod perdidit. Dominus ergo Ieſus in hoc Pſalmo per prophetam tanquam ſibi petiuit intellectum dari à Deo corpori ſuo, quod eſt eccleſia. Cum ipſo enim vita corporis eius, hoc eſt, populi eius abſcondita eſt in domino, & ipſe in eodem corpore ſuo indigentiam patitur, & per id quod membris ſuis eſt neceſſarium.

Epheſ. 5. Coloſ. 3.

Qui timent te videbunt me, & iucundabuntur, quoniam in verba tua ſperaui.

H

Præſens vita ſanctorum, timoris eſt, & laboris: ſed habent ſpem lætitiæ, & iucunditatis æternæ. Quia ergo adhuc timet eccleſia, & nondum ſe videt in eo regno, vbi ſecura gaudebit, ipſa eſt quæ videbitur: quoniam inter præſentes tentationes, in promiſſa Dei ſperare non deficit.

Cognoui domine quoniam iuſta iudicia tua: & in veritate tua humiliaſti me.

Fiat autem miſericordia tua, vt conſoletur me: ſecundum eloquium tuum ſeruo tuo.

Quamuis *graue iugum ſit ſuper filios Adam*, quo creatura humana deprimitur: cognouit tamen, quòd iuſta ſint iudicia tua, & ſecundum veritatem humiliatus eſt homo. Fiat ergo miſericordia tua ſecundum promiſſionem tuam, de præſentibus muneribus accipiat mortalis vita ſolatium, & futura æternitatis bona patienter expectet. Eccl. 40.

Veniant mihi miſerationes tuæ, & viuam:

Tunc verè viuam, quando non timebo ne moriar. Ipſa eſt enim vera vita, quæ ſine vllo additamento dicitur,

quaſi

A Gal. 5. Pars altera ſeq. 24. quaſi aliud ibi non ſit viuere, quàm ſine vllo fine, & ſine vlla miſeria viuere.

Quia lex tua meditatio mea eſt.

Hæc meditatio, niſi eſſet in *fide, quæ per dilectionem operatur*, ad vitam non perueniret æternam. Non ergo videtur meditatur legem Dei, qui laborat, vt memoria teneat, quod * actione non implet. * Aut lectione.

Confundantur ſuperbi, quia iniuſtè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

Quamuis ſæuiant ſuperbi, & iniquitatem operentur in ſanctos: charitas tamen piorum non refrigeſcit, & à mandatorum Dei exercitatione non deſinit.

Conuertantur ad me qui timent te: & qui cognoſcunt teſtimonia tua.

Non eſt quiſquam hominum qui poſſit hoc dicere, præter illum qui cum ſit Deus vniuerſitatis, naturam ſibi voluit humanam: ad quem conuertentur timentes dominũ, & cognoſcentes completa teſtimonia Dei, quæ de illo per prophetas tantò antè prædicta ſunt.

B *Fiat cor meum immaculatum in tuis iuſtificationibus: vt non confundar.*

Redit ad vocem corporis, hoc eſt, membrorum ſuorum, quorum cor fit immaculatum per ipſum corporis caput, hoc eſt, per gratiam Dei, in generationis lauacro, vbi abluta ſunt omnia peccata præterita, in adiutorio ſpiritus, quo concupiſcimus aduerſus carnem, ne eius cupiditate vincamur, in dominicæ orationis effectu, qua dicimus, *Dimitte nobis debita noſtra.* Ita donata nobis regeneratione, fuſa precatione, fit cor noſtrum immaculatum vt non confundamur: quia & hoc ad iuſtificationes Dei pertinet, quando inter alia eius mandata præcipitur, *Dimittite, & dimittetur vobis. date, & dabitur vobis.* Matth. 6. Luc. 6.

C a p h.

*Defecit in ſalutare tuum anima mea: & in verbum tuum * ſemper ſperaui.* * ſuper.

C Non ait, defecit ſalutari tuo: ſed, defecit in ſalutare tuũ, hoc eſt, ad ſalutare tuum, anima mea. Bonus eſt ergo iſte defectus: indicat enim deſiderium boni, nondum quidem adepti, ſed auidiſſimè concupiti: quo deſiderio inflammati ſunt omnium temporum ſancti. Quia ſicut nunquam defuerunt, qui incarnationis Chriſti aduentum deſiderarent: ita poſtquàm aſcendit in cœlos non deſunt, qui manifeſtationem ipſius, qua ad iudicandos viuos & mortuos venturus eſt, concupiſcant. Defecit ergo in ſalutare tuum anima mea, & in verbum tuum ſuperſperaui. Hæc enim ſpes promiſſi tui, facit vt quod nondum video, & vehementer deſiderem, & patienter expectem.

Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, Quando conſolaberis me?

In oculis interioribus, idem defectus deſiderij eius ad Dei eloquia, id eſt, promiſſa, tendentis: cui ſperatarum conſolationum longæ ſunt moræ. Quia etiam quod ſubuenienti breue eſt, longum videtur optanti.

D *Quoniam factus ſum ſicut vter in pruina: iuſtificationes tuas non ſum oblitus.*

Per vtrem, carnem mortis huius: per pruinam verò cœleſte beneficium vult intelligi, quo carnales concupiſcentiæ, velut frigore cohibente torpeſcant: & hinc fit, vt iuſtificationes Dei de memoria non labantur.

Quot ſunt dies ſerui tui: quando facies de perſequentibus me iudicium?

Et in Apocalypſi eſt iſta vox martyrum, & diſcipuli ad dominum indicari ſibi diem finis expoſcunt. Sed illis patientia indicitur, & iſtis conſtitutio ſecreta non panditur. In his ergo Pſalmi verbis, bene intelligitur hæc ipſa eccleſiæ inquiſitio prophetata. Apoc. 6. Matt. 24.

Narrauerunt mihi iniqui delectationes: ſed non vt lex tua Domine.

Fabulas vanarum opinionum, delectabilis eloquij arte compoſitas, ab iniquis ſibi dicit eſſe narratas: ſed nihil ſe in eis vtile reperiſſe, ſicut in lege domini, in qua eſt omnis veritas.

Iniuſtè perſequuti ſunt me, adiuua me.

Mendaciorũ, inquit, fabulis veritatis mandata præpoſui: & ob hoc me iniuſtè perſecuti ſunt falſitatis amatores. Ergo adiuua me, vt poſſim vſq; ad mortẽ pro veritate certare.

Paulominus conſummauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

E Strage martyrum facta, dum confitentur & prædicant veritatem, quam à te adiutus non deſerui.

Secundum miſericordiam tuam viuifica me: & cuſtodiam teſtimonia oris tui.

Martyres enim, quia miſericordia Dei adiuti & viuificati ſunt, veritatem, quæ vita eſt, non negantes, pro eadem moriendo, vicerunt.

L a m e d.

In æternum domine permanet verbum tuum in cœlo.

Permanet verbum in angelis cuſtodientibus ſine defectione æternam militiam.

In generatione & generatione veritas tua: fundaſti terram, & permanet.

F Poſt cœleſtem Hieruſalem, reſpexit & filiam eius eccleſiam, quæ in hoc mundo conuerſatur, & dicit, In generatione & generatione veritas tua. Hac autem repetitione vel omnes generationes ſignificauit, à quibus non defuit veritas Dei: vel duas intelligi voluit, vnam ſcilicet ad legem & prophetas, alteram verò ad Euangelium pertinentem, ſupra fundamentum æternum, quod eſt Chriſtus: & terra hæc permanet, quæ tali fundamento conſtabilita non inclinatur in ſeculum ſeculi. Pſal. 103.

Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt.

Omnia ſcilicet, de quibus loquebatur, & quæ ad æternum pertinent diem.

Niſi quia lex tua meditatio mea eſt: forſitan periſſem in humilitate mea.

Lex iſta, *fides eſt quæ per dilectionem operatur*: in cuius meditatione permanens, auxilium gratiæ promeretur, vt in tribulationum humilitate non pereat. Gal. 5.

In æternum non obliuiſcar iuſtificationum tuarum: quoniam in ipſis viuificaſti me.

G Ecce vnde factum eſt, vt non periret in humilitate ſua: quoniam vnde eſt iuſtificatus, inde eſt viuificatus.

Tuus ſum ego, ſaluum me fac domine: quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui.

Non voluntates meas exquiſiui, quibus fui meus: ſed iuſtificationes tuas vt eſſem iam tuus.

Me expectauerunt peccatores, vt perderent me. teſtimonia tua intellexi.

Non hac morte corporis perire metuebar, quæ erat pro veritate ſubeunda. Expectabant ergo peccatores, vt eis conſentirem ad mala, tunc enim eum perderent. Sed ideo non præualuerunt, quia teſtimonia Dei intellexit: id eſt, quia veritatem confitens, etiam ſi oporteret, non periret.

Omnis conſummationis vidi finem: latum mandatum tuum valde.

H Qui intellexit teſtimonia, & ſciuit ſibi vſq; ad mortem pro veritate certandum, non ignorauit omnem exitum piorum quàm beatus finis exceperit. Mandatum autem Dei valde latum, charitas intelligenda eſt, qua diligi Deus iubetur & proximus, quo quid eſſe latius poteſt, cùm ibi *pendeat tota lex & prophetæ?* Matt. 22.

M e m.

Quomodo dilexi legem tuam domine: tota die meditatio mea eſt.

Sic, inquit, dilexi legem fidei quæ per dilectionem operatur, vt tota die, id eſt, omni tempore, meditatio mea ſit.

Super inimicos meos ſapere me feciſti mandato tuo: quoniam in æternum mihi eſt.

Finis legis Chriſtus eſt ad iuſtitiam omni credenti, vt iuſtificetur *gratis per gratiam ipſius*, in quem inimici huius non crediderunt. Hic autem, qui iuſtitiam non ſuam quærit, ſed quæ ex Deo eſt, quem ſupra inimicos ſuos ſapere Deus fecit, ipſum mandatum ſibi inuenit in æternum, quoniam non temporalia pro eo præmia concupiuit. Diligentis enim remuneratio eſt ipſe dilectus. Rom. 10. Rom. 1.

Super omnes docentes me intellexi.

Super omnes doctores intellexit, quem pater docuit: quod ex perſona verbi difficile intelligitur, niſi quis vtcunque capere valeat, id eſſe filium à patre doctum eſſe, Ioan. 6. Vide ſer. tom. 3 [illegible]

A quod genitum. A quo enim ei eſt eſſe, ab ipſo & ſimul doctum eſſe. Ex perſona verò hominis, vbi formam ſerui accepit, ſacratiùs intelligitur à patre didiciſſe, quæ dixit. In qua forma puerum putauerunt homines maioris ætatis docendum. Sed ille quem pater docuit, vlterioris erat intelligentiæ quàm docentes. Luca 2.

Quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.

Ideo ſuper omnes docentes ſe intelligebat, quia teſtimonia Dei meditabatur, quæ de ſe prænunciata ipſe melius nouerat & implebat.

Super ſenes intellexi: quia mandata tua exquiſiui.

Mandata tua, non mandata hominum, mandata tua, non mandata ſeniorum, qui *volentes eſſe legis doctores, non intelligunt neq; quæ dicunt, neq; de quibus affirmant.* 1. Tim. 1.

Ab omni via mala prohibui pedes meos: vt cuſtodiam verba tua.

Membrorum eſt vox illa, non capitis. Non enim ipſe ſaluator, corporis noſtri vllis concupiſcentijs pulſabatur, vt ei neceſſe eſſet pedes ſuos à via malignæ cupiditatis inhibere. Noſtros ergo motus, noſtros cohibet appetitus, vt in praua itinera noxijs deſiderijs non trahamur. B

A iudicijs tuis non declinaui: quoniam tu legem poſuiſti mihi.

Perſeueranter, inquit, iudicijs tuis credidi: quia tu mihi legem in corde poſuiſti, tanquam digito tuo ſcribens: vt eam, non tanquam ſeruus ſine amore metuerem, ſed tanquam filius caſto timore diligerem. Iere. 31. Pſal. 18.

Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua: ſuper mel & fauum ori meo.

Hæc eſt illa ſuauitas quam dominus donat, vt *terra noſtra det fructum ſuum*: & vt bonum verè benè, id eſt, non mali carnalis formidine, ſed boni ſpiritalis delectatione faciamus. Pſal. 84.

A mandatis tuis intellexi:

Spiritalium membrorum Chriſti vox iſta eſt. Hoc enim rectè dicit corpus Chriſti in eis, quibus mandata ſeruantibus, propter ipſam cuſtodiam mandatorum præbetur vberior doctrina ſapientiæ.

C *Propterea odio habui omnem viam iniquitatis.*

Neceſſe eſt enim, vt oderit omnem iniquitatem amor iuſtitiæ, qui augetur & inflammatur. Ideoq; obtemperat Deo, & in mandatis eius intelligit.

Lucerna pedibus meis verbum tuum domine: & lumen ſemitis meis.

Verbum hîc intelligendum eſt, non illud quod eſt æquale gignenti, & quod eſt *verum lumen, illuminans omnem hominem*: ſed verbum quod factum eſt ad prophetas, vel quod prędicatum eſt per Apoſtolos: verbum ſcilicet Chriſti, de quo ſcriptum eſt: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Nam & verbum propheticum lucernæ comparans apoſtolus Petrus, *Habemus*, inquit, *certiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis intendentes, velut lucernæ in obſcuro loco.* Quod itaq; hic ait, Lucerna pedibus meis verbum tuum domine, & lumen ſemitis meis: verbum eſt quod ſcripturis ſanctis omnibus continetur. Non itaq; ſermo deitas, ſed ſermo deitatis. Ioan. 1. Rom. 10. 2. Pet. 1.

D *Iuraui, & ſtatui cuſtodire omnia iudicia iuſtitiæ tuæ.*

Hoc appellauit iuramento, quod ſtatuit præter ſacramentum: quia ita debet eſſe mens fixa in cuſtodiendis iudicijs iuſtitiæ Dei, vt ſit omnino pro ratione quòd ſtatuit.

Humiliatus ſum vſque valde domine, viuifica me ſecundum verbum tuum.

Pro eo quòd iurauit & ſtatuit cuſtodire iudicia iuſtitiæ Dei, perſecutionem maximam paſſus eſt: & ne in tanta humiliatione deficeret, viuificari ſe, ſecundùm verbum promiſſionis, expoſcit. Quia in nocte tribulationum lucerna eſt pedibus, & lumen ſemitis ipſa promiſſio.

Voluntaria oris mei fac beneplacita domine, & iudicia tua doce me.

Voluntaria oris, quę approbari petit, ſacrificia ſunt laudis, confeſſione charitatis, non timore neceſſitatis oblata. Iudicia autem Dei doceri ſe cupit, non quia ignorat, ſed vt proficiat.

Anima mea in manibus tuis ſemper: & legem tuam non ſum oblitus.

Ita dictum, tanquam ad non obliuiſcendam legem Dei, memoria eius illius manibus adiuuetur.

Poſuerunt peccatores laqueum mihi, & à mandatis tuis non erraui. E

Vnde hoc, niſi quia anima eius, in manibus Dei ſemper eſt?

Hæreditate adquiſiui teſtimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei ſunt.

Vt teſtis, inquit, tuus eſſe cuperem, tu donaſti: & vt pro veritate mori non metuerem, tuæ hæreditatis, tuæ eſt gratiæ, quod mihi donum in æternum eſt, quia non eſt in eo gloria temporalis, propter quod etſi corpore afflictus ſum, tamen corde lætatus ſum.

Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.

Qui dicit, Inclinaui cor meum, ipſe iam dixerat, Inclina cor meum in teſtimonia tua: vt intelligamus, ſimul hoc eſſe & diuini muneris, & propriæ voluntatis. Faciat autē hoc propter retributionem, vt quia iuſtificationes Dei dilectione ſectatur, in æternum mereatur habere quod diligit. F

Samach.

Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.

Qui legem Dei diligit, probat ſe in hominibus iniquis id quod contra legem eſt odiſſe, non homines. Sentent. eſt 25.

Adiutor meus & ſuſceptor meus es tu: & in verbum tuum ſuperſperaui.

Adiutor & ſuſceptor, ad mala euadenda.

Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei.

Mandata Dei ſcrutari, niſi quieta mens non poteſt: vt ergo exerceatur hoc ſtudium, abigenda ſunt ſtudia malignorum. Sen. eſt 2.

Suſcipe me ſecundùm eloquium tuum, & viuam: & non confundas me ab expectatione mea.

Poſcit magis magiſq; ſuſcipi à domino is, qui ſperat intentus: vt tum demum, cum illa adeptus fuerit, ſe ſciat eſſe victurum: quia præſentia, morti ſunt ſimiliora quàm vitæ. G

Adiuua me, & ſaluus ero: & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper.

Vt viuam, vt non confundar, vt in tuis iuſtificationibus ſemper exercear. Adiuua me, inquit, & ſaluus ero: quia ad promiſſiones tuas, niſi tuo auxilio non venitur.

Ad nihilum deduxiſti omnes diſcedentes a iuſtificationibus tuis, quoniam iniuſta cogitatio eorum.

Omnia opera, vel bona, vel mala, à cogitatione procedunt: qui ergo corde iniquus eſt, ad nihilum deducitur, qui à Dei iuſtificationibus iniuſta cogitatione diſcedit.

Præuaricatores exiſtimaui omnes peccatores terræ, ideo dilexi teſtimonia tua.

Cùm præuaricator dici non poſſit, niſi qui legis mandata tranſgreditur: quæritur, quomodo omnes peccatores terræ præuaricatores debeant exiſtimari, quorum multos conſtat ſine lege peccatores? & inuenitur, omnes quidem gentes præter populum Iſrael extra legem fuiſſe: ſed omnē hominem teneri lege naturæ: vt quod pati non vult, ſciat alij non eſſe faciendum. Quamuis ergo multo ampliùs præuaricatus ſit, qui non ſolum naturalis, ſed etiam diuinæ tranſgreſſor eſt legis: nullus tamen, niſi tranſgreſſione peccator eſt: quia etiam quem non condemnat litera, arguit conſcientia. Inter hos etiam paruuli congruè deputantur, propter originalis vincula peccati. Quia etiam ipſi *in ſimilitudine præuaricationis Adæ*, ad illam præuaricationem pertinere monſtrantur, quæ in paradiſo prima commiſſa eſt. Cum ergo omnes peccaſſent, & egerent gloria Dei, nec cuiquam in ſua iuſtitia ſalus eſſet, reſtabat, vt per gratiam ſaluatoris donata à Deo fidei iuſtificatio ſubueniret. Vnde ait Apoſtolus: *Per legem cognitio peccati.* Cognitio; non abolitio. *Nunc autem ſine lege*, inquit, *iuſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata per legem & prophetas.* Meritò igitur adiecit: Propterea dilexi teſtimonia tua: tanquam diceret: Quoniam lex ſiue in paradiſo data, ſiue naturaliter inſita, ſiue literis promulgata præuaricatores fecit omnes peccatores terræ: propterea dilexi teſtimonia tua, quæ ſunt in lege tua de gratia tua. H Rom. 5. Rom. 3.

Confige

A

• *Confige clauis à timore tuo carnes meas:*

Galat. 6. Quid in his verbis vult intelligi, niſi quod ait Apoſtolus: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo?* Et iterum:
Galat. 2. *Chriſto confixus ſum cruci. Viuo autem iam non ego: viuit verò Chriſtus in me.*

A iudiciis enim tuis timui.

Si iã timuit vel timebat, cur adhuc vt à timore ſuo Deus crucifigeret carnes eius orabat, niſi quia addi ſibi volebat timorem, qui ſufficeret mortificandis concupiſcentijs affectibuſq; carnalibus? Aliter quoque ita intelligitur: Confige clauis à timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui: hoc eſt, à timore tuo caſto, qui permanet in ſeculum ſeculi, carnalia à me deſideria comprimantur, à quibus me iudiciorũ tuorũ formido frenauit. Cum ergo voluntatem tuam facere, & rectè viuere non metu pœnæ, ſed iuſtitiæ amore deſiderem, da hunc ergo caſtum & liberum timorẽ, ad quem petendũ me tanquam pædagogus legis ille perduxit, quo à iudicijs tuis timui.

B

A I N.

Feci iudicium & iuſtitiam, non tradas me nocentibus me.

Quiſquis timore Dei caſto, crucifixas habet carnes ſuas, & nulla carnali corruptus illecebra facit iudicium opuſq́ue iuſtitiæ, orare debet ne aduerſantibus tradatur, id eſt, ne timendo perpeti mala, ad facienda mala perſequentibus cedat, à quo enim accipit victoriam, ne concupiſcentiæ voluptate ſuperetur, ab illo etiam robur patientiæ, ne
Pſal. 84. dolore frangatur. Quoniam de quo dicitur: *Dominus*
Pſal. 70. *dedit ſuauitatem*: de illo etiam dicitur: Ab illo eſt *patientia mea.*

Suſcipe ſeruum tuum in bonum, vt non calumnientur mihi ſuperbi.

Id eſt, ne illi impellant vt cadam in malum, tu ſuſcipe in bonum. Illi calumniantur in ſuperbia: tu humilitate defende, & non mihi noceant calumniæ ſuperborum.

Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum, & in eloquium iuſtitiæ tuæ.

In eloquium iuſtitię Dei, hoc eſt, in promiſſionem Chri-
C ſti, defeciſſe dicit oculos cordis ſui: non quia intentio deſiderantis animi victa ſuccubuerit: ſed quia in expectatio-
1. Cor. 1. nem gratiæ Dei, toto mentis ardore tranſierit. Iuſtitia autẽ Dei, Chriſtus eſt, qui iuſtos facit.

Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam.

Non vtique ſecundum iuſtitiam meam.

Iuſtificationes tuas doce me.

Illas proculdubio, quibus facit iuſtos, non ipſe ſe.

Seruus tuus ſum ego.

Neque enim bene mihi ceſſit, quando eſſe volui liber meus, non ſeruus tuus.

Da mihi intellectum, vt diſcam teſtimonia tua.

Sentent. eſt 27. Nemo tam intelligens, nemo tam doctus eſt qui hac poſtulatione non egeat. Non enim horum donorum ita vlla augmenta ſufficiunt, vt non ſemper ſuperſit quod & intelligi deſideretur, & ſciri.

Tempus faciendi domine, diſſipauerunt ſuperbi legem tuam.

Quid eſt, Diſſipauerunt legem tuam? ſi præuaricationis iniquitate, integritatem eius nõ cuſtodierunt. Diſſipata er-
D go lege, tempus fuit vt per vnigenitum filium Dei, miſeri-
Rom. 5. cordia mitteretur. *Lex enim ſubintrauit, vt abundaret delictũ,* quo delicto lex diſſipata eſt: & opportuno iam tempore Chriſtus aduenit, vt *vbi abundauit delictum, ſuperabundaret gratia.*

• *Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion,*

Id agit gratia, vt mandata Dei dilectione impleantur, quæ impleri timore non poterant. Diliguntur autem ſuper aurum & topazion, id eſt, ſuper ea quæ pretioſa habentur in terra, quando in obſeruantia mandatorum, nõ aliquod
Matt. 5. temporale præmium quæritur, ſed ipſa iuſtitia: quia nihil eſt melius eo bono, quo ipſe homo fit bonus.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebar.

Quia illis rectis, vt etiam ipſe rectus eſſem, dilectione cohærebam.

Omnem viam iniquitatis odio habui.

Vnde enim fieri poterat, vt iniquam viam non odiſſet diligens rectum?

E

P H E.

Mirabilia teſtimonia tua: propter hoc ſcrutata eſt ea anima mea.

Omnia quidem opera Dei, teſtimonia ſunt maieſtatis & bonitatis eius: nihilq́ue eorum eſt, quod non ſtupendum ſit atque mirandum. Sed multa mirabilia ſunt teſtimonia legis ipſius: quorum vtilitas & iuſtitia altiſſimè latet, cùm quæritur, quare data ſit lex quæ viuificare non poſſit, & ex qua *non iuſtificaretur omnis caro coram Deo.* Meritò ergo hanc Galat. 2.
altitudinem ſcrutatus eſt, qui intellexit, per legis difficulta- Rom. 3.
tes id egiſſe miſericordiam Dei, vt qui legem implere non poterant, conuerterentur ad gratiam: † ſed diuina ope † &
adprehenderent, quod proprijs viribus adſequi non valebant.

Manifeſtatio verborum tuorum illuminat, & intelligere facit paruulos.

Scrutando hoc intellexit hic paruulus, quod & apoſtolus Paulus, ideo *datam legem quæ viuificare non poſſet,* quia *con-* Galat. 3.
cluſit ſcriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Huius ergo myſterij manifeſtatio illu- F
minat, & intelligere facit paruulos. Non enim hoc ſecretum gratiæ, niſi humilibus infirmiſque reſeratur: qui confugientes ad adiutorium Dei, viribus ſuis ſe iuſtificari non poſſe profitentur.

Os meum aperui, & abſtraxi ſpiritum, quoniam mandata tua deſiderabam.

Deſiderabat mandata diuina vt faceret, ſed non erat vnde faceret infirmus fortia, paruulus magna. Aperuit os, cõfitens quod facere per ſe ipſe non poſſet.

Reſpice in me, & miſerere mei, ſecundũ iudicium diligentium nomen tuum.

Id eſt, ſecundũ iudicium quod in eos feciſti qui diligunt nomẽ tuum: quoniam, vt diligerent te, priùs dilexiſti eos.

Greſſus meos diriges ſecundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniuſtitia.

Quid orat niſi vt Dei præcepta, quæ imponit iubendo, impleri faciat adiuuando?

Redime me à calumnijs hominũ, & cuſtodiam mandata tua. G

Tu, inquit, age infuſo ſpiritu tuo, ne me calumniæ hominum terroribus vincant, & à tuis mandatis, ad ſua malefacta traducant. Si enim me hoc modo redemeris, vt mihi inter perſecutiones calumniantium conſtantiam dones atque patientiam, cuſtodiam mandata tua.

Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas.

Præſentiam, inquit, tuam ſubueniendo & opitulando manifeſta: & ita me iuſtificationes tuas doce, vt mihi eas didiciſſe, feciſſe ſit.

Exitus aquarum deſcenderunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.

Deſcenſio oculorum per effuſionem lachrymarum, humilitatem indicat pœnitentis. Cur autem non cuſtodita lege ſic fletur, niſi vt impleretur gratia, quæ confitentis delet iniquitatem, & credentis adiuuat voluntatem.

Z A D I C H.

Iuſtus es domine, & rectum iudicium tuum.

Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua, & veritatem nimis. H

Idem affectus pœnitentiæ perſeuerat, reddens rationẽ cur multum flere debuerit: quia niſi ipſe ſe condemnaret, rectiſſimè plecteretur. Magna eſt ergo in vtroque iuſtitia Dei, rectumq́ue iudicium, quo & pœna peccatori decernitur, & pœnitenti iuſtificatio non negatur.

Tabefecit me zelus domus tua: quia obliti ſunt verba tua inimici mei.

Zelus iſte, amoris eſt, non liuoris: ſancta enim æmulatione inimicos ſuos vult eſſe correctos, dolens & tabeſcens quòd obliti ſint verborum Dei.

• *Ignitum verbum tuum valde, & ſeruus tuus dilexit illud.*

Diligens diuinum eloquium, ea charitate feruebat, vt ad amorem Dei, etiam inimicos ſuos vellet accendi.

Iunior ego ſum & contemptus, iuſtificationes tuas non ſum oblitus.

Bene hic duorum populorum intelligitur ſignificatio, qui etiam in Rebeccæ vtero luctabantur: quando *non ex* Gen. 25.
operibus, ſed ex vocante dictum eſt: Maior ſeruiet minori. Con- Rom. 9.

A templum ergo ſe dicit hic iunior: & ideo factus eſt maior,
1 Cor. 1. quia *ignobilia & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt*
Rom. 4. *tanquam ſint: vt quæ ſunt, euacuentur:* id eſt, vt ſuperbi deſtruantur, & humiles iuſtificentur.

Iuſtitia tua iuſtitia in æternum, & lex tua veritas.

Rom. 3. Quomodo enim non veritas lex, per quam *cognitio peccati*, & quæ teſtimonium perhibet iuſtitiæ Dei?

Tribulatio & neceſſitas inuenerunt me: mandata autem tua meditatio mea eſt.

Sæuitia inimicorum infert huic iuniori tribulationem, ſed non adimit charitatem: Meditatio enim ipſius mandata ſunt Dei, ex quibus his qui eum oderunt, dilectionem rependit.

Iuſtitia teſtimonia tua in æternum, intellectum da mihi & viuam.

Intellectum poſcit iunior hic qui ſupra ſeniores ſe intellexit, in tribulatione, in neceſſitate: vt intelligat quàm
B ſit contemnendum, quod ei auferri poteſt, qui propter æternam iuſtitiam Dei temporalia negligens, vitam ſperat æternam.

C O P H.

Clamaui in toto corde meo, exaudi me domine, iuſtificationes tuas exquiram.

Clamor cordis, eſt ſilenti ſono vocis magna cogitationis intentio: qua ad hoc iſte toto corde clamauit, & hoc ſibi deſiderauit à domino exaudiente præſtari, vt iuſtificationes eius exquirat: quas non ſolùm ſcientia comprehendat, ſed etiam opere exerceat.

Clamaui ad te, ſaluum me fac, & cuſtodiam teſtimonia tua.

Salus animæ facit, vt pro cuſtodiendis teſtimonijs Dei, vita corporis contemnatur: etſi hoc flagitat extrema tentatio, vt vſque ad mortem pro veritate certetur.

Præueni intempeſta nocte, & clamaui, & in verba tua ſperaui.

Nox intempeſta, tempus eſt noctis mediæ, rebus quæ per diem aguntur incongruum: quo ſignificatur quoddã obſtaculum præſentis ſeculi, quod in comparatione futuri ſeculi nox vocatur: & quo promiſſiones Dei, donec æ-
C ternę lucis veniat manifeſtatio, differuntur. In hoc ergo tempore intempeſtæ noctis clamat ad Dominum, tempus retributionis deſiderio ſuo præuenit, qui promiſſa Dei vigilanter expoſcit. Quod etiam ad illa referri tempora poteſt, quibus eccleſia propheticis vocibus Chriſti poſtulabat aduentum, & ſperabat implendum vt in ſemine Abrahæ benedicerentur omnes gentes.

Præuenerunt ad matutinum, vt meditarer eloquia tua.

Iſa. 9. Matutinum factum eſt eccleſiæ, quando *qui ſedebant in tenebris & in vmbra mortis, lux orta eſt eis.* Quod matutinum ſpes credentium præbebat. Et meditabatur eloquia Dei, quæ in lege ac prophetis, hanc lucem prænuntiabant.

Vocem meam exaudi domine ſecundũ miſericordiam tuam: & ſecundum iudicium tuum viuifica me.

Prius enim Deus ſecundũ miſericordiam aufert à peccatoribus pœnam, eiſque poſteà iuſtis ſecundum iudicium
Pſal. 100. dabit vitam: quia non fruſtra illi hoc ordine dicitur: *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi domine.*

Adpropinquauerunt perſequentes me iniquitati, à lege autem tua longè facti ſunt.

D Tunc adpropinquant qui perſequuntur, quando vſque
* perueniunt. ad carnem cruciandam perimendamve * pereunt. Sed quantò viciniores ſunt perſequendis iſtis, tantò longinquiores ſunt à lege iuſtitiæ.

Propè es tu domine, & omnes viæ tuæ veritas.

Etiam in tribulationibus ſuis, quod eas non immerito patiantur, Deo tribuere veritatem, ſanctorum eſt viſitata confeſſio. Sed quæri poteſt, quomodo hoc dictum ſit: Omnes viæ tuæ veritas, cùm in alio Pſalmo legitur:
Pſal. 24. Sententiæ 20. *Vniuerſæ viæ domini miſericordia & veritas.* Si ergo omnes homines conſideremus, quorum alij miſericordia liberantur, alij à veritate damnantur: *vniuerſæ viæ domini, miſericordia & veritas.* Si autem ſolos ſanctos intueamur, non diſcernuntur hæ viæ. Indiuidua enim ibi eſt & à miſericordia veritas, & à veritate miſericordia, quia beatitudo ſanctorum eſt & de munere miſericordiæ, & de retributione iuſtitiæ.

Ab initio cognoui de teſtimonijs tuis, quia in æternum fundaſti ea. E

Quæ ſunt iſta teſtimonia, niſi quibus teſtatus eſt Deus, daturum ſe regnum ſuis filijs ſempiternum? & ideo ipſa teſtimonia in æternum fundata, quia id quod promiſit, æternum eſt: qui, quia fundamentũ promiſſionis eſt Chriſtus, in quo huius ſpei teſtimonia vera ſunt: quæ hic ab initio cognouiſſe ſe dicit, quia verbis Eccleſiæ loquitur, quæ ab initio humani generis exorta, nullis generationibus defuit.

R E S.

Vide humilitatem meam, & eripe me, quia legem tuam non ſum oblitus.

Vox iſta totius Eccleſiæ eſt, & omnium membrorũ corporis Chriſti. Hoc autem loco, vbi ad liberandam humilitatem dominus inuocatur, nullam Dei legem conuenientiùs intelligimus, quam illam quæ immobiliter fixum eſt, vt *omnis qui ſe exaltat humilietur, & omnis qui ſe humiliat, exalte-* Luc. 14.
tur. Superbus ergo malis, vt humilietur, inuehitur: Humi- F
lis à malis, vt exaltetur, eripitur.

Iudica iudicium meum & redime me: propter eloquium tuũ viuifica me.

Eiuſdem ſenſus repetitio eſt: hoc eſt enim, Iudica iudicium meum, quod, Vide humilitatem meam: & hoc eſt, Redime me, quod, Eripe me. Nec aliud ſonat, Propter eloquium tuum, quam illud, Quia legem tuam nõ ſum oblitus. Tantundem eſt, viuificari humilem, quantùm & exaltari: quia ſanctorum exaltatio, vita æterna eſt.

Longè à peccatoribus ſalus: quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt.

Longè eſt à ſuperbis ſalus, quia nõ exquiſierunt gratiam tuam, quę ſola iuſtificat, & non de te tibi, ſed de ſe ſibi, placere voluerunt.

Miſerationes tuæ multæ domine.

Etiam hoc, inquit, quod exquirimus iuſtificationes tuas, pertinet ad miſerationes tuas.

Secundum iudicium tuum viuifica me.

Non enim, quia & iudicium tuum, ſine miſeratione nõ G
erit ſuper me.

Multi perſequentes me, & tribulantes me: à teſtimonijs tuis non declinaui.

Vox iſta eſt eccleſiæ in martyribus ſuis, qui inter tormẽta & multiplicata ſupplicia, perſequentibus non ceſſerunt, & quorum exemplis glorioſiſſimis totus mundus illuſtris eſt: qui tamen victoriam ſuam non ſibi, ſed Deo tribuunt, dicentes in alio Pſalmo: *Niſi quòd dominus erat in nobis forſi-* Pſal. 123.
tan viuos deglutiſſent nos.

Vidi non ſeruantes pactum, & tabeſcebam.

Qui ſunt qui pactum non ſeruauerunt, niſi qui tribulationes multorum perſequentium non ferentes, à Dei teſtimonijs declinauerunt? Hos ergo, inquit, cùm viderem, tabeſcebam, dolens eos à tanta gloria decidiſſe.

Quia eloquia tua non cuſtodierunt.

Hoc erat pactũ non perſeuerare, promiſſa Dei perdere.

Vide quoniam mandata tua dilexi.

Ipſa eſt inuicta tolerantia, quæ ſæuitiam perſequentium dilectione ſuſcipit mandatorum.

Domine in tua miſericordia viuifica me. H

Cuius miſericordia obtinuit palmam, eius miſericordia poſcit & vitam.

Principium verborum tuorum veritas, & in æternum omnia iudicia iuſtitiæ tuæ.

Iudicia iuſtitiæ Dei ſunt, quibus prænuntiatur in æternum vita iuſto, pœna impio.

S I N.

Principes perſecuti ſunt me gratis: & à verbis tuis formidauit cor meum.

Terreni reges Eccleſiã Chriſti gratis perſecuti ſunt, quia nullam cauſam perſecutionis habuerunt, cùm eos Chriſtiani in nullo læderent, & ipſi Chriſtianis negationem veritatis extorquere non poſſent. Habuerunt ergo verba minacia, intulerunt ſæua ſupplicia: ſed me tua potiùs verba terruerunt: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, &* Matth. 10.
poſtea non habent quid faciant: ſed eum timete, qui habet poteſtatem & corpus & animam perdere in gehennam. Ab his ergo

verbis

Digitized by Google

A verbis formidauit cor meum: & ſperans in æternum præmium, contempſi temporale ſupplicium.

Exaltabo ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa.

Per ipſa verba victi, quibus formidauit. Victis enim ſpolia detrahuntur: & multa ſpolia capta ſunt, quando etiam per ſe cuſtodes plurimi admirati patientiam martyrum, in eum in quem ſæuierant, crediderunt.

Iniuſtitiam odio habui, & abominatus ſum: legem autem tuam dilexi.

Lex, eloquia ſunt Dei, quæ ſic timuit vt amaret, conſequens enim erat vt diligeret iuſtitiam, qui oderat prauitatem. Timor ergo ille verborum Dei à quibus formidauit, non fuit à charitate diſſentiens, ſed metuens ab eo quod amabat, † velli.

† auelli.

Septies in die laudem dixi tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.

Quod ait Septies, ſignificat ſemper: hoc enim numero omnes explicantur dies, & tempora vniuerſa voluuntur. Eccleſia ergo nullis perſecutionibus ſuperata, in iſto tribulationum die, ſemper patientiæ & perſeuerantiæ ſuæ laudat autorem: quia cum *tempus eſſet, vt iudicium inciperet à domo Dei*, in omnibus tentationibus atque preſſuris, non infirmitate, ſed coronis martyrum gloriata eſt.

1. Pet. 4. B

Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt eis ſcandalum.

Ipſa lex diligentibus ſe ſcandalum non eſt: an diligentibus eam nullum eſt vndecunque ſcandalum? Sed vtrunque rectè intelligitur. Qui enim diligit Dei legem, etiam quod in ea nõ intelligit honorat, & in profunditate quam non penetrat, magnum aliquid ac myſticum latere no dubitat. Et item qui Dei legem diligit, ſi eam non ex mutabilibus hominum moribus pendit, nullum ſcandalum patitur: quia etiam ſi bonæ profeſſionis homines propoſitum ſuum deſerant, legis tamen iuſtitia perſeuerat.

Expectabam ſalutare tuum domine, & mandata tua dilexi.

Omnes quidem ſancti, ante incarnationem Chriſti, eiuſdem ſemper expectauerunt redemptionem: ſed poteſt hæc prophetia etiam eorum conuenire perſonæ, qui ea quæ reuelata gratia Euangelium prædicatur, diligentes mandata Chriſti, aduentum eius expectant: *vt cum Chriſtus apparuerit, vita noſtra, tunc & nos cum ipſo appareamus in gloria.*

Coloſſ. 3.

C

Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea valde.

Cuſtodiuntur Dei teſtimonia, dum non negantur: ſed quia pro teſtimonijs Dei, etiam flammis concremari, ſine charitate non prodeſt, ideo addidit: Et dilexit ea valde.

1. Cor. 13.

Cuſtodiui mandata tua & teſtimonia tua: quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo domine.

Plerumque, dum mandata Dei cuſtodiuntur, fiunt inimici qui eadem mandata contemnunt: & neceſſarium eſt vt tunc pro teſtimonijs Dei fortiter ſtetur. Quod hic ideo feciſſe ſe dicit: Quia omnes viæ eius in domini conſpectu fuerunt, tanquam diceret: Si auertiſſes à me faciem tuam domine, conturbatus fuiſſem, nec tua mandata nec teſtimonia cuſtodiſſem. Nunc autẽ ideo vtraque ſeruaui, quia vias meas conſpectus tui lumine direxiſti.

T A V.

D

Appropinquet oratio mea in conſpectu tuo domine: ſecundum eloquium tuum da mihi intellectum.

Pſal. 33. Appropinquat oratio, quæ recipitur: quoniam *propè eſt dominus his, qui tribulato ſunt corde*: & dat intellectum, ſecundum promiſſum ſuum, qui ait: *Intellectum dabo tibi.*

Pſal. 31.

Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo domine: ſecundum eloquium tuum eripe me.

Repetiuit quodammodo quod petiuit. Nam qui & intellectum accipit, eripitur ne non intelligens ſubtrahatur.

Eructabunt labia mea hymnum, cùm docueris me iuſtificationes tuas.

Laudabo, inquit, dominum, & gloriabor in te, cùm docueris me illa doctrina tua, qua quod iubes fieri, auxiliaris vt fiat.

Pronunciauit lingua mea eloquia tua: quia omnia mandata tua iuſtitia.

Spondet ſe prædicatorem futurum eloquiorum Dei, quia etſi *Deus dat incrementum*, tamen à miniſtris verbi, & plantandum eſt, & rigandum.

1. Cor. 3.

Fiat manus tua vt ſaluũ me faciat: quia mandata tua elegi. E

Vt pronunciarem eloquia tua, mandata tua elegi, & conſtantẽ me fecit dilectio veritatis. Fiat ergo manus tua, vt ſaluum me de manu faciat aliena: non ita, vt carnem perſecutor non perimat: ſed ita, vt animam tormenta nõ vincant.

Concupiui ſalutare tuum domine: & lex tua meditatio mea eſt.

Salutare Chriſtus haud dubium eſt, & ipſum ſe concupiſſe, iuſti antiqui veraciſſimè confitentur. Ipſum concupiuit eccleſia venturũ de viſceribus matris: Ipſum concupiſcit eccleſia venturum à dextra patris. Legis autem meditatio nutrit & firmat hoc deſiderium, dum teſtimonijs ſuis pronunciat Chriſtum.

Viuet anima mea, & laudabit te: & iudicia tua adiuuabunt me.

Illa ſunt hæc iudicia, quæ & *tempus erat, vt inciperent à domo domini*: ſed his Eccleſia ſemper adiuta eſt, quia Deo dante victoriam, paſſionibus ſuis creuit. 1. Pet. 4.

F

Erraui ſicut ouis, quæ periit quære ſeruum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.

Hæc eſt ouis propter quam paſtor eius nonaginta nouem dimiſit in montibus, & eam quærens, Iudaicis laceratus eſt vepribus, verberibus: ſed ea parte inuenta, adhuc quæritur: ea ea namque parte qua iſte dicit, Mandata tua non ſum oblitus, inuenta eſt: ſed per eos qui mandata Dei eligunt, colligunt, diligunt, adhuc quæritur, & per ſui paſtoris ſanguinem fuſum atque diſperſum in omnibus gentibus inuenitur.

Matt. 18. Luc. 15.

PSALMVS CXIX.

PRænotatio tituli, canticum graduum indicat inchoari. Nomine verò graduum ſignificatur aſcenſio, qua proficientes quique à temporalibus ad æterna, à terrenis ad cœleſtia prouehuntur. Iidem autem gradus & aſcenſionum ſunt & deſcenſionum: non quia deficient qui profecerant, ſed quoniam, *qui ſe humiliat exaltabitur*: & præcipua ſublimium virtus eſt, compati cum infirmis, & ad eos qui inſipientes ſunt, hoc eſt, ad paruulos inclinari, vt omnes *quæ ſurſum ſunt ſapiant*, & frater fratrem adiuuans exaltetur. Habent enim omnes fideles formam deſcenſionis ipſum dominum Ieſum Chriſtum, qui manens in gloria ſua, qua æqualis eſt patri, naturam & ſimilitudinem ſerui recepit: vt quibus gradibus ad noſtra ima deſcendit, ipſis poſſimus ad eius ſumma conſcendere.

G

Luc. 14. Rom 12. 1 Cor 6. Coloſſ. 3

Ad te domine cum tribularer clamaui, & exaudiſti me.

Omnis cogitans ingredi viam domini, & in mandatis ambulare diuinis, neceſſe eſt vt multis tribulationibus incipiat laborare: cui nihil eſt vtilius quàm eius auxilium ad quem tendit, expetere, qui ait: *Sine me nihil poteſtis facere.*

1. Tim. 6 Ioan 15.

Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua doloſa.

Religioſæ voluntati, & piam vitam agere diſponenti, amatores huius ſeculi contradicunt, & doloſis verbis ſanctum propoſitum cupiunt deterrere: quorum iniqua labia difficillimum eſt euadere, dum per quendam affectum videntur conſulere, & ab aſpero labore tanquam parcendo reuocare: vt videatur piæ eſſe ſollicitudinis, quod eſt nocentiſſimæ ſuaſionis.

H

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam?

Vis, inquit virtutum gradus ſcandere? vis doloſæ linguæ officia fraudulenta ſuperare? Dic quid auxilij concupiſcas, vt ſi capax es eruditionis ſupernæ, eo ipſo quo vtilia poſcis, aſcendas.

Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatorijs.

Sagittæ acutæ, verba ſunt Dei: quæ cũ animos fidelium penetrant, inflammant corda, non ſauciant. Vt autẽ mens ſuperno amore transfixa ab omni contracta cupiditate ſit libera, ſpiritalium carbonum petitur ignita purgatio, per quam noxiorum germinum congregatione vaſtata, fiat in homine ſalutifera deſolatio, ſi interiora eius vacua ſunt ab hoſpitalitate vitiorum.

Heu me

A *Heu me quia incolatus meus prolongatus eſt: habitaui cum habitantibus Cedar.*

Gemitus iſte totius eccleſiæ eſt, omniumque ſanctorum, qui per fidem ſpeculantes ſupernæ patriæ bona, inter longinqua peregrinationis aduerſa ſuſpirant, quia ſpirituales cum carnalibus habitant, & ad cœleſtia proficientibus

Galat. 4. moleſti ſunt, terrena ſectantes. Vnde & ſecundum Apoſtolum in duo genera diuiditur vnum ſemen Abraham: & alij ſunt pertinentes ad Iſmaël filium ancillæ: alij ad Iſaac filium liberæ. Tabernacula autem Iſmaël, appellata ſunt Cedar, vt intelligantur non eſſe in lumine, qui non ſunt in hæreditate.

Multum peregrinata eſt anima mea.

Ne peregrinationem corporalem intelligeres, animam dixit peregrinari: corpus enim abſentatur loco, anima peregrinatur affectu: & ideo cauendum eſt, ne longè ſimus ab illo, cui appropinquare debemus mentis aſcenſu.

Cum his qui oderant pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

B Sentent. eſt 29. Chriſtianæ perfectionis eſt, pacificum eſſe etiam cum pacis inimicis, ipſe correctionis, non conſenſu malignitatis: Vt ſi nec exemplum nec exhortationem ſequuntur: cauſas tamen non habeant, propter quas odiſſe nos debeant.

PSALMVS CXX.

Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi.
Auxilium meum à domino, qui fecit cœlum & terram.

INgreſſus viam virtutum, in qua ſunt gradus aſcenſionũ ad montes, id eſt, ad ſublimes quoſque ſanctorum, oculos cordis attollit, & per ipſos Dei poſcit auxilium, qui fecit cœlum & terram. Terram ſcilicet, de qua cupit ſurgere: & cœlum, quò optat aſcendere. *Quis enim ſicut dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit?*

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui cuſtodit te.

Ipſa ſibi fidelis anima ex Dei inſpiratione reſpondet, & deſiderantem profectus contra ſuperbiam munit: quæ & angelo & homini prima fuit cauſa labendi. Det igitur tibi

C cuſtos tuus perſeuerantiam humilitatis, ne vlla elatione mouearis: ne cùm tu non habueris vigilantiam ſtandi, protegens te dormitare videatur.

Ecce non dormitabit, neque obdormiet, qui cuſtodit Iſrael.

Si vis, inquit, habere cuſtodem non dormitantem, eſto

2. Cor. 5. Exod. 33. Iſrael, id eſt, videns Deum. Vide igitur Deum primo per fidem, vt poſteà poſſis videre per ſpeciem. Sicut enim Moyſi dictum eſt à Domino: *Non poteris videre faciem meam, poſteriora mea videbis.* Ita & tu vide quæ poſteriora ſunt, vt

Ioan. 1. poſſis videre quæ prima ſunt. Prima autem ſunt: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum.* Poſteriora ſunt,

Actor 15. Matt. 5. *Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Vnde quia hac fide corda mundantur, *Beati mundo corde, quia ipſi Deum videbunt.*

Dominus cuſtodit te: dominus protectio tua, ſuper manum dexteram tuam.

Frequens inſinuatio inculcat auditui, quòd principaliter in Dei protectione fidendum eſt. Dextera autẽ eſt hominis, amor Dei, & eorum quæ Deo ſociant appetitus: &

D huius dexteræ manus eſt, poteſtas quam dedit Deus credentibus, vt poſſint eſſe filij Dei, abſtinentes à ſiniſtris, & dextris inhærentes. Vnde per omnia in domino confidendum eſt, in Domino gloriandum: quia poſſibilitatem in dextris proficienter perſeuerandi ipſe dedit, ipſe cuſtodit.

Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem.

In Sole, ſignificatur Chriſtus, lumen verum: & Luna ſignificatur eccleſia illuminatione ſua facta. Quia ergo omne ſcandalum quo homo aut infirmatur, aut vritur, ex duabus naſcitur cauſis: cùm aut in confeſſione deitatis erratur, aut ab eccleſiæ vnitate diſceditur, hoc præſtat protectio Dei, vt in fide & charitate, quæ ipſius dona ſunt, nulla tentatione ſuperemur.

Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam Dominus.

Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.

Cuſtodit dominus ab omni malo, non vt nihil patiamur aduerſi, ſed vt ipſis aduerſitatibus anima non lædatur: cum enim tentatio adeſt, fit quidam in id quod impugnat introitus, & cum bono fine, id eſt, ſine vulnere animę tentatio conſummatur, ad æternam requiem de profundo tentationis exitur: ſicut Apoſtolus dicit, *Fidelis Deus, qui nõ permittet vos tentari ſupra id quod poteſtis ferre, ſed faciet cum tentatione etiam exitum, vt poſſitis ſuſtinere.* — E Sentent. eſt 30. — 1. Cor. 10.

PSALMVS CXXI.

Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus.

OMnis homo fide illuminatus, & promiſſionum Dei cupidus, meritò exultat & gaudet in his, quæ à prophetis dicta, quæque ab Apoſtolis prædicata, & vtriuſque teſtamenti paginis declarata ſunt de vocatione Dei, quæ diligentibus dominum & proximum, æternũ domus Dei ſpondet habitaculum.

Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Hieruſalem. — F

Non in iſta Hieruſalem, *quæ occidit prophetas, & lapidauit ad ſe miſſos,* quæ ob impietates multas ſtare non potuit: ſed in illa cœleſti Hieruſalem, quæ eſt ſanctorum omnium mater, filij ipſius ſe ſtare lætantur: qui licet in via ſint, & adhuc illo tendant: ita tamen quaſi peruenerint gaudent, quia de adipiſcendis fides firma non dubitat. — Matt. 23.

Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas:

In illius, inquit, atrijs Hieruſalem, fidei noſtræ firmitas ſtabat, quæ non molе ſaxorum, ſed virtutum ſoliditate cõſurgit, & ſanctorum ſocietate, quæ nunquam diſſoluetur, extruitur.

Cuius participatio eius in idipſum.

Patuit quod de æternæ ædificatione Hieruſalem, nihil deberet carnale ſentiri, quandoquidem participatio eius, id eſt, communicatio, in idipſum eſt. Quid autẽ eſt in idipſum, niſi quod vere & ſempiternè eſt: neque vlla varietate mutatur deitas, ſcilicet trinitatis, quæ nunquam nõ fuit quod eſt, nihil diſſimilitudinis recipiens, nihil inæqualitatis admittens, cui per incarnationem verbi vnitur humana natura, vt liberata à commutationibus temporalibus, incommutabili æternitate potiatur. — G

Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus domini, teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini domini.

Aſcendiſſe dicuntur ad æternam Hieruſalem tribus, id eſt, populi per ſuas familias diſtributi: ſed de toto paſsim intelligenda eſt, quia in omni genere hominũ alij iuſti, alij inueniuntur iniuſti. Nec omnes aut perſecutores ſunt, aut diſcipuli veritatis. Ad concordiam itaque cœleſtis Hieruſalem non aſcendunt, niſi tribus domini, quibus teſtimonium fides perhibet, quod ſint Iſrael, id eſt, videns Deum, & ſine ſimulationis dolo donum gratiæ præferentes. Ille enim verè aſcendit, qui confitetur non proprij operis, ſed diuini eſſe muneris quod aſcendit. — Sentent. eſt 31.

Quia illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid.

Sublimiores quique ſanctorum throni ſunt Dei, ſicut ſcriptum eſt, Anima iuſti thronus ſapientiæ eſt. Et dicit Apoſtolis ſuis dominus: *Sedebitis ſuper duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Tota ergo domus Dauid, id eſt, tota eccleſia, quæ in Chriſto, ſemine Dauid, & ſemen Abraham, venit in iudicium: cum & ipſi qui ſedebunt, ſedes erunt Dei: & per eos omnes iudicantium, omnes dilectores Dei & proximi, in vnitatem adimplentur corporis Chriſti. — Matt. 19. — H

Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, & abundantia diligentibus te.

Ad ipſas ſedes Dei propheticus ſermo dirigitur, & ait: Vos qui iudicaturi eſtis, per quos fiet conſcientiarum interrogatio, quiq; eſtis ipſa Hieruſalem, diſcernite à ſuperbis humiles, ab implacidis ſeparate pacatos: & fiant vnitas & abundantia diligentium te. Quia qui tecum habent pacem, tuis in æternum diuitijs abundabunt.

Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.

Virtus tua, ô Eccleſia, ô Hieruſalem, charitas eſt, qua & diues & fortis es, in hac fiat pax filiorum tuorũ, hoc abundet tuarum turrium celſitudo: vt vnde ipſa magna es, inde tui participes augeantur.

A *Propter fratres meos & proximos meos, loquebar pacem de te.*
Propter domum domini Dei noſtri, quæſiui bona tibi.

Prædicator pacis tuæ, non propter me, ſed propter fratres meos exiui: Nec meum honorem, ſed aliorum quæſiui ſalutem: non vt mea creſceret gloria, ſed vt tua dilataretur hæreditas. Nam ipſe apud te minuerer, ſi non profectibus laborarem.

PSALMVS CXXII.

Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælo.

Coloſſ. 3. MEns proficiens & aſcendens, *quæ ſurſum ſunt ſapit, non quæ ſuper terram*: & ideo dirigit cordis aciem quò peruenire deſiderat, non corporeis greſſibus, ſed proficientium aſcenſione virtutum. Habitatio autem Dei, non hoc cœlum intelligendum eſt quod videtur, & de quo dicitur: Matt. 24. *Cœlum & terra tranſibunt*: ſed de illa Hieruſalem *quæ ædificatur vt ciuitas*, non tantum in ſanctorum angelorum ſublimitate, ſed etiam in totius eccleſiæ glorificatione, quę in Chriſto fundata, vnum eſt cum ſupernis poteſtatibus Dei templum.

B *Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum.*
Et ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur nobis.

Quæ humilitas, qualiſue ſubiectio ſcandala oſtendit, cùm inter tentationum moleſtias & eruditionum plagas, gementium oculos ad Deum dicit eſſe conuerſos, donec miſereatur & parcat, à cuius iudicio venit quicquid inferri aut iubetur, aut ſinitur. Quia ſicut ſerui & ancillæ in poteſtate ſunt dominorum ſuorum atque dominarum: ita ſancti modum caſtigationum ſuarum, ex Dei ſententia pendere nouerunt.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri:

Iob. 7. Vox vapulantis eſt, & intelligentiam inter flagella poſtulantis: quia omnis hæc vita plena tentationum eſt, plena plagarum.

Quia multum repleti ſumus deſpectione.
Et multum repleta eſt anima noſtra opprobriũ abundantibus, & deſpectio ſuperbis.

C Sentent. eſt 32. 2. Tim. 3. † al. perdant. Omnes qui ſecundum Chriſtum piè volunt viuere, neceſſe eſt, vt ab impijs & diſſimilibus patiantur opprobria, & deſpiciantur tanquam ſtulti & inſani, qui præſentia bona † ſperant, & inuiſibilia ſibi ac futura promittunt: ſed hæc deſpectio & error in ipſos retorquebitur, cùm & abundantia eorum in egeſtatem, & ſuperbia tranſierit in confuſionem.

PSALMVS CXXIII.

Niſi quòd dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, niſi quòd dominus erat in nobis.

Epheſ. 5. COrpus Chriſti, quod eſt Eccleſia, ita diſtributum eſt, vt alia membra eius pericula tribulationum iam euaſerint, alia iiſdem adhuc laboribus atterantur. Sed quia & præcedentium, & ſubſequentium ſanctorum vnus eſt liberator, vna eſt omnium exultatio, & illorum qui iam aduerſa vicerunt, & horum qui ſperant ſe præſentibus periculis liberandos: & promiſſione Dei firmam dante conſtantiam, vno vtuntur cantico, quia vno muniuntur auxilio, dicentes: Niſi quòd dominus erat in nobis, perſecutionum nos magnitudo ſuperaſſet: ſed illo preſidente cordibus noſtris, illo dante tolerantiam, illo conſummante victoriã, habitantis in nobis ſimus gloria, nõ hoſtiũ præda.

Cùm inſurgerent homines in nos, forſitan viuos deglutiſſent nos.

Sentent. eſt 33. Tota ergo fidelium ſalus, tota patientium fortitudo ad Deum qui in ſanctis eſt mirabilis referenda eſt: quia niſi in illis Dominus eſſet, furori impiorum fragilitas humana ſuccumberet. Dicat ergo Iſrael, dicat populus redemptus, populus regeneratus, populus adoptiuus: niſi quia dominus erat in nobis, cũ inſurgerent homines aduerſum nos, forſitan viuos deglutiſſent nos. Viui autem deglutiuntur, qui perſecutione ſuperati, in ſocietatem tranſeunt impiorum, & amore exiguæ vitæ, in profundum ruunt mortis æternæ.

E *Cùm iraſceretur furor eorum ſuper nos, forſitan viuos abſorbuiſſent nos.*

Viui abſorbentur, qui fidem quidem ſuam in conſcientia ſua retinent, ſed metu pœnæ acquieſcunt idolorũ culturæ, viuunt itaque tenentes fidem, ſed dum contra fidem faciunt, adorantes quod nihil eſſe nouerunt, non occiduntur & pereunt.

Torrentem pertranſiuit anima noſtra, forſitan pertranſiuit anima noſtra aquam intolerabilem.

Vel ſine ſubſtantia magnitudo periculi, quod hi quibus dominus aderat, euaſerunt, facit eoſdem qui liberati ſunt mirari, quòd tanta oppreſſi tentatione non fuerint. Ideo enim verbum dubitationis ponitur, vt id ſuperatum demonſtretur, quod humana vinci facultate non poterit. Per vim autem aquarum, ſignificauit populorum furorem, & ideo iſta aqua ſine ſubſtantia dicitur, quia peccatum nullius ſubſtantiæ eſt: & *qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam*, eo plenam quod non erit, & quod egentem facit. Pſal. 10

F *Benedictus dominus, qui non dedit nos in venationem, vel in captionem, dentibus eorum.*

Fidelis anima, non in ſuis viribus, ſed in Dei exultat auxilio: ideo enim venantium euaſit inſidias, quia dominus fecit irrita omnia genera captionum.

Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.

Laqueus vel muſcipula venantium, amor eſt iſtius vitæ, cuius dolos paſſeres, id eſt, humiles quique fidelium, preſidio ſupernæ protectionis effugiunt.

Laqueus contritus eſt. & nos liberati ſumus.

1. Cor. 7. 1. Ioan. … *Præterit enim figura huius mundi*, & omnes præſentium vanitatum illecebræ conteruntur, cũ liberati paſſeres, id eſt humiles, à contritione temporalium, dicent exultantes atque gaudentes.

Adiutorium noſtrum in nomine domini, qui fecit cœlum & terram.

Meritò ergo non ſunt capti à venatoribus iſtius mundi, qui adiutorium quæſierunt in nomine domini, qui cœlum & terram creauit.

G

PSALMVS CXXIV.

Qui confidunt in domino ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem.

INter mundi ſcandala, & rerum temporalium varietates, non diſcedere à domino, ſed in charitate eius ac proximi ſtabilem permanere, tam clarum atque ſublime eſt, vt qui in hac firmitate conſiſtunt, montis Sion inſtar obtineant. Ipſi enim fide & ſpe habitant in Hieruſalem, non hac terrena, ſed in illa cœleſti & æterna, *quæ ædificatur vt ciuitas.* Pſal. 121.

Montes in circuitu eius.

Montium nomine ſignificantur prædicatores veritatis ſiue angeli, ſiue Apoſtoli, ſiue prophetæ: qui ſplendorem veritatis quem de ſupernis accipiunt, in inferiora diffundunt.

H *Et dominus in circuitu plebis ſuæ.*

Quicquid ergo eſt lucis in montibus, ipſe eſt, qui ſplẽdere montes facit, & quicquid per miniſtros auxilij venit, illius eſt, *qui operatur omnia in omnibus.* 1. Cor. 12.

Ex hoc nunc & vſque in ſeculum.

Vt à temporalibus transferamur ad æterna.

Quia non derelinquetur virga peccatorũ ſuper ſortem iuſtorũ: vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.

Sæpe in hoc ſeculo peccatores mundanam potentiam conſequuntur, cùm & ipſi ſint iniqui, publicarum tamen legum ſunt miniſtri: quorum poteſtas etiam fidelibus honoranda eſt, propter vtilitatem diſpoſitæ diſciplinæ: ſed ſi in id prorumpant, vt iuſtos veri Dei cultu conentur auertere, nulla eis obedientia, nulla eſt præbenda conſenſio. Quia non derelinquet dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, quorum ſors ipſe Deus eſt, qui iuſtis ſuis eam perſeuerantiam dabit, vt impetus ſæuientium non metuant impiorum, & ab omni opere iniquæ actionis abſtineant. Ita ergo & à plebibus principes, & à Sentent. eſt 34.

ſeruis

A ſeruis domini ſunt ferendi: vt ſub exercitatione tolerantiæ ſuſtineantur temporalia, ſperentur æterna. Auget enim meritum virtutis, quicquid propoſitum non violat religionis.

Benefac domine bonis & rectis corde.

Sentent. eſt 35. Recti ſunt corde, qui de præceptis Dei & conſtitutionibus non queruntur, nec varietate rerum temporalium deprauantur: quia iuſtum eſt æquanimiter ferri, quod iudicaturus voluit tolerari.

Declinantes autē in obligationem adducet dominus cum operantibus iniquitatem.

Impias, inquit, querelas, à fidei limite deuiantes, & in imitationem multorum ſceleratum tranſeuntes adducet dominus ad iudicium retributionis, paribus conſcientiarum vinculis obligatos, vt quem non crediderunt iudicem experiantur vltorem.

Pax ſuper Iſrael.

Hieruſalem interpretatur viſio pacis: & Iſrael, videns B Deum. Qui ergo videt Deum, pacem videt, & pax ſuper ipſum eſt, cui Deus ſemper placet, & in nullo ab ipſius voluntate diſcordat.

PSALMVS CXXV.

Cum auerteret Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati.

PRopheticus Pſalmos ad aſcenſionē pertinet graduum, quibus bene currentium creſcit profectus. Sub appellatione vnius vrbis & populi, ea quæ de vniuerſa eccleſia ſunt intelligenda ſignificat. Sion quippe in toto mundo eſt ſanctorum omnium corpus, & ciuitas, à captiuitate Babylonis, quæ confuſio interpretatur, educta: ab ipſo enim

Eccl. 40. Adam totum genus humanum iugum ſubijt ſeruitutis, per quem omnia mundi ſecula, & generalis captiuitas, à filijs adoptionis auertitur, & quicunque ad redemptionē pertinent ſanguinis Chriſti in ſpem non dubiæ ſalutis, habent gaudium conſolationis.

C *Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione.*

Gaudium quidem propriè animi eſt, ſed quia ore promitur, quod corde concipitur, ipſam linguam exultatione dixit impletam, cuius ſe miniſterium actionem gratiarum, abundantia mentis effundit: quod etiam tacente lingua fieri poteſt, quia & interior homo habet os inuiſibile, & linguam ſecretam, cum quo tacito ſono clamat affectu.

Tunc dicent inter gentes, magnificauit dominus facere cū eis.
Magnificauit dominus facere nobiſcum, facti ſumus lætantes.

Inter omnes gentes ſunt ciues Sion, qui redemptione ac pretio ſanguinis Chriſti de captiuitatis iugo quotidie liberantur, & dicunt: Magnificauit Dominus facere nobiſcum, qui nos per magnificentiam gratiæ ſuæ, cœleſti patriæ reformauit. Lętantes, quia ſpei manifeſtæ vera ſunt gaudia.

Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in auſtro.

D Vita præſens multis tentationibus impugnatur, vt etiā redempti captiuitatis mala metuant, & indeſinenter opem redemptoris implorent: petentes, vt in via domini per aſcenſionem graduum, abſoluti curſus habeant libertatem. Et ſicut aquæ, quæ gelu fuerint ligatæ, auſtro flante laxantur: ita ipſi per Spiritum ſanctum reſoluta glacie peccatorum, veloci ad patriam reditu ferantur more torrentium.

Qui ſeminant in lachrymis, in gaudio metent.
Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua.
Venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos ſuos.

2. Tim. 3. Eccleſ. 3. Galat. 6. *Omnes qui volunt in Chriſto piè viuere, perſecutionem patientur:* & moleſtia laborum ſanctarum eſt cauſa lachrymarū. Sed tempus flendi, tempus eſt ſeminandi: quia opera charitatis, quę releuandis hominum miſerijs adhibentur, æternorum meſſem pariunt gaudiorum. De fructu enim bonorum operum pij coronabuntur agricolæ: & cum manipulis gloriæ, id eſt, meritis actionum, aduentui domini ſaluatoris exultanter occurrent.

PSALMVS CXXVI.

E PSalmi huius titulus eſt, Canticum Salomonis. Et mirū 3. Reg. 11.
eſt quòd aſcenſionis canticum eius nomine prænotatur, quem notum ab his virtutum gradibus decidiſſe. Sed illo cadente ſi quæ per ipſum dicta ſunt delerentur, æſtimaretur quòd quæ ſpiritus Dei loquutus eſt ipſe dixiſſet, & repudiari quaſi eius propria debuiſſent. Nunc autem, ſequeſtrato hominis merito, quòd à Deo factum eſt non tacetur, & doctrina ſpiritalis ſecernitur à præuaricatione doctoris. Manet ergo autoritas prophetiæ quæ nō huma- 2. Pet. 1.
na eſt ſed diuina: & quia templum Dei, non niſi ipſius opere ædificetur oſtendit.

Niſi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt ædificantes eam.

APoſtoli vna eſt, dicentis populo fideli, *Dei ædificatio* 1. Cor. 3.
eſtis, Dei agricultura eſtis. Qua voce etiam propheta vtitur, proteſtans vanum laborem eſſe ædificantium do- F
mum, niſi auxilio domini opus ædificij inchoatum fuerit & effectum. Quod vtique de tota eccleſia intelligendum eſt, quæ eſt Hieruſalem, in omnium compage ſanctorum vna domus, & vnum templum, & vna ciuitas: cuius extructio, ab initio vſque in finem, domino ædificante, conſurgit: ſine cuius gratia nihil eſt ſolidum, nihil firmum, ſed vana omnia atque ruitura.

Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem, in vanum laborauit qui cuſtodit.

Omnis ſancti ædificij ſtatus, ſicut domino operante Sentent. eſt 36.
proficit, ita domino cuſtodiente conſiſtit: quoniam vtilis Præpoſitorum cuſtodia eſt, cùm ſpiritus Dei populo ſuo præſidet, & non ſolum gregem, ſed etiam ipſos dignatur cuſtodire Paſtores.

In vanum eſt vobis ante lucem ſurgere.

Pręſumptionis ſpiritus increpatur, cui vanum eſt ſuis viribus releuari: cum gloriæ Chriſti particeps eſſe non poſſit, niſi qui fuerit humilitatis eius verus imitator, & amator. Si ergo quis ante lucem ſurgere, & obſcurum noctis G
vult effugere, fallitur. Inordinata quippe excellendi cupiditas, cui humilitate creſcendum fuerat, dum præpropere leuatur, in profunda demergitur.

Surgite poſteaquam ſederitis qui manducatis panem doloris.

Cùm dicitur, Surgite, proijcendæ ſublimitatis hortatio eſt: cùm autem dicitur, Poſteaquam ſederitis, prius humilitati ſtudendum eſſe monſtratur: quoniam *qui ſe humi-* Luc. 14.
liat, exaltabitur. Et ne dubitaretur penes quos eſſet hoc meritum, Qui manducatis panem, inquit, doloris: hoc eſt, qui propter iuſtitiam patimini, & in lachrymis tribulationum tempus vitæ præſentis exigitis: vt qui de corpore eſtis domini, viam capitis ambuletis, ſeruantes participationem tolerantiæ vſque in finem: quoniam ſpes vobis in Chriſto certa eſt, & gloria reſurgendi.

Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum:

Electi Dei ſunt ſancti eius, quorum mortem ſimilem facit ſomno, de quo Chriſtus ſurrexit à mortuis: ita ſurgent & hi, qui membra ſunt ipſius: ſequentes enim præ- H
uiam lucem, poſt labores humilitatis, introibunt in conſortium glorificationis.

Ecce hæreditas domini filij, merces fructus ventris.

Hæreditas domini filij ſunt Eccleſiæ in quibus & merces eſt fœcunditatis, & gaudium de fructu ventris ſui, quoniam vtero fidei ipſa eos concepit, parturiuit, & peperit: ſimul quidem cum reprobandis ventre geſtatos, ſed poſtmodum pro ſui qualitate diſcretos, tranſacto ſomno, quē dilectis ſuis dominus dedit, vt ſeſſionem reſurrectio conſequantur.

Sicut ſagittæ in manu potentis, ſic filij excuſſorum.

Filij excuſſorum intelliguntur apoſtoli, filij prophetarū. quorū prophetia multis fuit tegminibus obumbrata, quā prædicatores Euangelij excutiendo reſerârunt. De prophetis ergo poſtea orti Apoſtoli excuſſerunt patres ſuos, & ſecreta eorum ventilando * eruerunt: vt eſſent tanquam * rumina- ſunt.
ſagittæ miſſi in vniuerſos fines terræ, arcu dominicæ iuſſionis.

A

Beatus qui implebit deſiderium ſuum ex ipſis.

Beatitudinis Apoſtolicæ fit particeps, qui ea concupiſcit, quæ illi deſiderando adepti ſunt, & adipiſcendo docuerunt. Ex ipſis ergo impleri dicitur deſiderium, quia imitatione ipſorum ad eadem gaudia peruenitur.

Non confundetur, dum loquetur inimicis ſuis in porta.

Quis eſt qui loquitur in porta, niſi qui euangelizat in Chriſto: quoniam ipſe eſt ianua introitum Dei regnum. Inimici autem eorum ſunt, qui prædicationi veritatis reſiſtunt: & dum deitati incarnationis domini contradicunt, ab ingreſſu portæ merentur excludi.

PSALMVS CXXVII.

Beati omnes qui timent dominum, qui ambulant in vijs eius.

MVlti homines malæ conſcientiæ timent dominum, agnoſcentes quæ operibus ſuis retributio debeatur: ſed cum permanent in peccatis, quorum delectationes ſuperantur, non medelam capiunt ex ſuo timore, ſed

B

pœnam. Igitur timor, beatitudinis particeps eſt, in ijs qui

Rom. 12. in Dei vijs ambulant, & metuunt ne quid de bono quo beatificantur amittant, *ſpe gaudentes, & in tribulatione patientes.*

Labores fructuum tuorum manducabis, beatus es, & bene tibi erit.

A plurali numero ad ſingularem propheta tranſlatus

Gal. 5. 1. Cor. 10. & 11. eſt: quia *omnes in Chriſto vnum ſumus*: ex multis membris vnũ corpus efficimur, dum ſiue in pluribus, ſiue in ſingulis vnus eſt Chriſtus: quia & caput in compage, & compago omnis in capite. Iſte ergo timens dominum, & in vijs eius ambulans, quomodo fructum laborum ſit manducaturus, inquiritur: & inuenitur, quod iuſti non ſolum fructibus laboris ſui, ſed etiam ipſo illo, quo ad fructum tendunt, labore paſcuntur, dum priuſquam præmia pij laboris accipiunt, fit eis tolerantiæ amor, futuræ portio voluptatis.

Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.

C

Cum multi ſanctorum non habuerint coniugia neque filios, quomodo accipientur huius benedictionis fuiſſe participes: niſi harum affectionum ſocietas in totius eccleſiæ corpore intelligatur? per illud ſcilicet ſpiritale coniugium, quo viro ſuo Chriſto, id eſt, ſponſo, ſponſa connectetur. Sacramentum vero iſtius copulæ, multis nominibus ſignificatur, vt qui adhærent capiti, nunc membra eius, nunc mater & fratres, nunc vxor & filij, nunc templum & vinea nuncupentur: dum per has neceſſitudinum ſpecies illa indiuidua vnitas fidei, & ſpei, & charitatis oſtenditur: & quicquid Chriſto ſubiungitur, ſibi quoque inuicem colligatur, vt totius domus latera fœcundæ vitis abundantia veſtiantur.

Filij tui ſicut nouellæ oliuarum, in circuitu menſæ tuæ.

Qui vxoris vocabulo appellati ſunt, iidem commemorantur nomine filiorum, de fructu pacis nouellis oleis

Matth. 5. comparati: *quoniam pacifici filij Dei vocabuntur*, qui menſam

D

dominicam ſacramentorum atq; doctrinæ cum vnanimitate circundant, vt quod inde percipitur, nulla diſſenſione violetur.

Ecce ſic benedicetur omnis homo, qui timet dominum.

Caput & corpus, Chriſtus & eccleſia vnus homo, vnus eſt Chriſtus, qui in ſuis atq; in ſe habens benedictionem & ſumit & confert.

Benedicat te dominus ex Sion, & videas quæ bona ſunt in Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.

Non humana hæc, ſed diuina benedictio eſt, nec terrenæ, ſed cœleſtis Hieruſalem bona incorruptibilia promittuntur. Quamuis enim etiam temporalia commoda dona ſint Dei, non ea tamen ſpondet proprie ſanctis, quæ

Sent. eſt 37. communiter largitur & probis. Æternæ igitur ciuitatis æterna ſunt gaudia, & ſtantium dierum perpes infinitas nec variabitur, nec labetur. Ibi videbuntur filij filiorum, id eſt, fructus ſanctorum operum, & perpetuæ iuſtitiæ præmia, quæ pacis nomine vniuerſaliter exprimentur: quia omnis illa beatitudo Hieruſalem, incommutabili pace gaudebit, & erit bonum omnium, quod fuerit ſingulorum.

E

Et videas filios filiorum tuorum, pax ſuper Iſrael.

Omnis promiſſio æternorum bonorum, pacis nomine comprehenſa eſt: quæ ſpecialiter ad eos pertinet, qui ſunt Iſrael, id eſt, videntes Deum: de quibus dicitur, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Matth. 5.

PSALMVS CXXVIII.

Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſrael: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea:

PRophetiæ ſpiritus eccleſiam Dei ad perſeuerantiam cohortatur, vt de ſuperatis perſecutionibus in Domino glorietur. Ab initio enim in ſanctos, qui ſunt Iſrael, impij ſæuierunt: ſed eccleſia, ſiue in iuuentute ſua, ſiue in ętate maiore, ſiue in ſenectute vltimi iam ſeculi, nullis oppreſſionibus, nullis eſt victa ſupplicijs, cui per paſſiones & mortes ſuorum, coronæ ſemper triumphique creuerunt.

F

Etenim non potuerunt mihi.

Super dorſum meum fabricauerunt peccatores: prolongauerunt iniquitatem ſuam.

Omnis malorum intentio contra bonos, hęc eſt, vt eos ſimiles ſui faciant, & in conſenſum iniquitatis ſuæ à fide ac probitate traducant. Quod cum obtinere non poſſunt, opprobrijs & criminationibus impetunt innocentium vitam, cõſtruentes ſuper dorſum eorum congeriem falſitarum: quia perfectorum fidelium eſt, etiam tales & iniuſtorum odiorum onera ſuſtinere, etiam ſi prolongent iniquitatem ſuam, & nulla correctione mutentur: quę pertinacia malorum longe ab innocentibus ſeparatur, & qui eſt rectus, nulla eorum ſocietate polluitur.

Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum:

Generale quidem nomen eſt Peccatorum, quod nec ſancti quidem à ſe exiſtimant alienum. Sed aliud eſt quod quotidie aufertur, aliud quod ſemper augetur. Vnde ex ipſa vltionis ſpecie, quales hic peccatores commemorentur oſtenditur: cum dominus nõ manus peccatorum, ſed ceruices conciſurus denuntiatur. Per ceruices enim ſuperbia ſignificata eſt eorum, qui in nullo ſe reprehendi volunt, & Dei verba tanquam deliramenta contemnunt. G

Confundantur & reuertantur retrorſum omnes qui oderunt Sion.

Oderunt Sion, qui oderunt eccleſiam, & qui Dei præcepta contemnunt. Sed quia ſuper dorſum fabricauerunt, quid faciet eccleſia, niſi tales ſpe correctionis ipſorum toleret vſque in finem: veniet enim quod ſequitur.

Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur, areſcit.

De quo non implebit manum ſuam qui metit, & ſinum ſuum, qui manipulos colligit.

Contemptores eloquiorum Dei & amatores mundi, fœno quod ſuper tecta & ſuper parietes naſcitur comparantur: qui ante tempus meſſis areſcunt, & cum videntur ſtare, ceciderunt: nec inueniunt meſſores, id eſt, angeli, quod de eis, dominicis horreis inſeratur, quia igni deputabitur, quicquid carebit ſubſtantia charitatis. H

Et non dixerunt qui præteribant, benedictio domini ſuper vos.

Superbi & vani in agro domini nihil operati ſunt, nec meruerunt ab eis qui per temporalia ad æterna tranſibũt, gratiam benedictionis accipere. Omnes enim prophetæ & Apoſtoli vniuerſique ſancti, bene viuentibus benedixerunt in nomine domini, non in ſuo, ſed in illius cuius gratia erant quod erant, & cuius pollicitationes bonis & fidelibus promittebant.

* * *

A

PSALMVS CXXIX.

De profundis clamaui ad te domine, domine exaudi vocem meam.

QVi profunditatem malorum vitæ huius intelligit, & à terrenis erui cupit, iam de his eſt qui ad aſcenſionũ pertinent gradus, & qui ſuperno auxilio cupiunt adiuuari, vt per virtutum profectus ab imis ad ſumma conſcendant. Clamandum ergo eſt voce deſiderij ſperantis ad dominum, vt non de vno tantum, ſed de multis profundis humanarum miſeriarum eruat laborantes: quia etiam qui valde profecerunt, habent vſque in finem de quibus cupiant liberari, etſi magnorum & fidelium iſta conditio eſt, vt quandiu in ſeculo mundani maris profunda patiũtur, quæ extremitas demerſos habet eos, qui ipſis imis

B profunditatibus delectantur, & tanto magis ſunt miſeri, quanto ſe putant eſſe fideles.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitatem obſeruabis domine, domine quis ſuſtinebit?

1. Ioan. 3. Quia qui venit *ſoluere opera diaboli*: hoc eſt, peccata: &

Luc. 19. *venit quærere quod perierat*, dedit ſpem etiam in vltimo profundo iacenti, per quam ſe ad opem ſaluantis erigeret: & ideo quantalibet mole malæ conſuetudinis peccator oppreſſus, habet in Pſalmi huius forma quod ſequatur implorationis exemplũ, ne de ſua liberatione deſperet: quia ſi diuina iuſtitia hoc hominib. in hac vita redderet quod merentur, nemo poſſet retributionis ſuſtinere iudicium. Quid ergo ſpei ſit confitenti, aperit ſermo qui ſequitur.

Quoniam apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te domine.

Quæ eſt propitiatio, niſi ſacrificium? & quod ſacrificium, niſi occiſio illius agni, *qui tulit peccatum mundi*, & venit vt legem veteris teſtamenti, noua lege Euangelicæ veritatis impleret? Lex autem perfectio charitatis eſt, qua

C Deus proximuſque diligitur, & per quam dicitur condi-

Sent. eſt 38. tori legis: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus*

Matth. 6. *debitoribus noſtris.* Bene enim ſuſtinet promiſſiones Dei, qui mandatum eius exequitur: nec fruſtra ſperat parcendum peccatis ſuis, qui ignoſcit alienis, dicente Apoſto-

Gal. 6. lo. *Inuicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.*

Suſtinuit anima mea in verbum tuum:

Expectationis, inquit, meæ ſubſtantia Chriſtus eſt, & verbi tui promiſſione non fallor, quia ipſe eſt veritas qui promiſit.

Sperauit anima mea in domino.

A vigilia matutina vſque ad noctem, à vigilia matutina ſperet Iſrael in domino.

Spes fidelium, expectatioque ſanctorum, non vnius diei concluditur fine, cum etiam intra breuia tempora iſtius vitæ, multorum dierum ortus atque occaſus ſæpe renouentur. Virtus igitur patientiæ, de illa ſumenda eſt vigilia matutina, in qua dominus Ieſus Chriſtus, in noſtræ naturæ carne ſurrexit a mortuis, vt quod præceſſit in ca-

D pite, hoc in ſe ſperarent omnia membra faciendum: quæ ſpes nullis terrenda aduerſitatibus, nullis terroribus obſcuranda, ſed vſque in finem præſentis vitæ, vbi nox quædam mortis interuenit, fortiter cuſtodienda eſt, vt omnis Iſrael quouſque de hac vita exeat, hoc quod in Domino factum eſt, in ſe quoque faciendum ſperare non deſinat. Hæc enim ſpes propria eſt Iſraelitarum ſpiritalium, quorum deſiderium non vana neque temporalia concupiſcit, ſed à vigilia matutina reſurrectionis Chriſti, vſque in noctem finis ſui eo currit, eo tendit, quo iam in præcedente peruenit.

Quoniam apud dominum miſericordia eſt, & multa apud eum redemptio eſt.

Fiducia ſperantium, miſericordia Dei eſt: nec ideo quiſquam debet de capeſſenda domini promiſſione dubitare, quia ſe participatione eius nouit indignum: cum ipſa confeſſio per commutationem actionis & mentis indulgentiam mereatur, & multiplex ſit redemptio eius,

E qui nihil donorum ſuorum correctis negat, & vniuerſa vincula captiuitatis abrumpit.

Et ipſe redimet Iſrael ab omnibus iniquitatibus eius.

Non ergo timeat aliquas iniquitates acceſſurus ad dominum, tantum vt toto corde ſe voueat, & ea in quibus etiam ſibi diſplicet agere ac velle deſiſtat: nec dicat quod illa forte iniquitas remittenda ſit, illa autem pro ſua qualitate plectenda: ſed clamet de profundis, & à vigilia matutina ſperet vſque in noctem, quia redemptor ſine peccato ideo pro iniuſtis pretioſum ſanguinem fudit, vt omnium in ſe credentium omnia peccata deleret.

PSALMVS CXXX.

Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei.

Neque ingreſſus ſum in magnis, neque in mirabilibus.

F SVperna cuiuslibet ſpiritualis Iſraelitæ, in qua totum Chriſti corpus oſtenditur, ſanctæ humilitatis veritas commendatur. Et hanc Pſalmi vocem omnes eccleſiæ filij ſuam eſſe cognoſcunt: quorum temperantia nihil humanæ gloriæ concupiſcit, neque optat de operum mirabilibus gloriari, vt pro oſtentatione virtutum pretium laudis acquirat, cum omnis gratia Dei, quæ in quocunque fidelium dignatur operari, à nullo membro corporis Chriſti poſſit abiungi: & ſuum quiſque faciat bonum, quod per alium gaudet effectum.

Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam.

Sicut ablactatus eſt ſuper matrem ſuam, ſic retributio in animam meam.

Mens perfectæ humilitatis delectat à propoſito, intrepide de hac ſe lege conſtringi, vt cuidam maledictioni fiat obnoxia, ſi alta ſapere, & de aliquibus miraculis voluerit ſuperbire. Sicut ergo male agitur cum infante nondum idoneo ad perfectionem ſolidioris cibi, ſi à matris vberibus auferatur, cum ſubſtantia alimoniæ eius in ma-

G tre ſit: Ita, inquit, retribuatur animæ meæ, vt cum panem angelorum edere nõ valeam, potum materni lactis amittam: & cum ea quæ ſupra me ſunt, adprehendere non queam, humilitatis bono caream, in quo ſalubrius eſt proficere, quam timere.

Speret Iſrael in domino ex hoc nunc, & vſque in ſeculum.

Verus ergo Iſrael, quæ ſibi ſint in domino præparata proſpiciens, totam ſpem ſuam confirmet in domino, & quæ ſurſum ſunt ſapiat, non quæ ſuper terram: non temporalem quærat gloriam, ſed æternam: ne dum bona fallacia amat, vera non capiat.

PSALMVS CXXXI.

Memento domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius:

COngruit quidem perſonæ beati Dauid, vt apud dominum memoriam haberi cupiat mãſuetudinis ſuę, cuius obſeruantiſſimus fuit, & de qua ſecundum hiſtoriã teſtis eſt ordo geſtorum. Sed altiore intellectu ſermo propheticus accipiendus eſt, vt ſcilicet ad illum hominem,

H qui in capite & in corpore, id eſt, in Chriſto & eccleſia vnus homo eſt, hæc verba referantur, quibus plene vtitur tota Dei ciuitas, & omnis compago ſanctorum manſuetudine potentium, & humilitate ſublimium, huiuſque propoſiti votum offerentium Deo, vt tabernaculũ ipſius efficiantur, & templum, quod anima omnis fidelis quodam inſolubili iuramento profitetur & ſancit, cupiens ſe in æternum à domino poſſideri, & habitaculum eſſe ſpiritus ſancti.

Sicut iurauit domino, votum vouit Deo Iacob:

Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtratus mei:

Si dedero ſomnum oculis meis, aut palpebris meis dormitationem,

Et requiem temporibus meis, donec inueniam locum domino, tabernaculum Deo Iacob.

In his omnib. voti perſeuerantia, & fidei feruor oſtenditur. Vt enim quis locus ſit domino & tabernaculũ Deo

A

Iacob, à propria vtilitate ad bonum debet commune tráſire: non in ſe requieſcere, nec in ſuis delectationibus dominare: quod faciunt, qui ſua quærunt, non quæ Ieſu Chriſti: quæ autem ſunt Ieſu Chriſti, non ſingulorum membrorum, ſed totius corporis bona ſunt, & nullus non habet, de quibus nemo non gaudet. Fit ergo locus domini & tabernaculum Dei Iacob, qui eccleſiæ coaptatur, qui corpori Chriſti per ſpiritum charitatis vnitur, nec vſquam alibi beatus fieri cupit, niſi in illa domo, de qua dicitur:

Pſalm. 83. *Beati omnes qui habitant in domo tua, in ſecula ſeculorum laudabunt te.*

Ecce audiuimus eam in Effrata, inuenimus eam in campis ſyluæ.

Effrata nomen Hebræum interpretatur Latine ſpeculum, in quo propheticæ ſignificationis imago præceſſit: per ſpeculum enim prophetiæ, adnuntiata hæc ſedes vel habitatio Dei, de qua dicitur, Ecce audiuimus eam in effrata, hoc eſt, in eloquijs prophetarũ, inuenimus eam in campis ſyluæ: hoc eſt, in altitudine gentium, in quibus fuerunt vepres idololatriæ, concretiones errorum, & ſylueſtres incultarum mentium feritates. Quod ergo audiuimus ex libris Iudæorum, manifeſtum eſt in fide gentiũ.

B

Intrabimus in tabernacula eius, adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius.

Qui intrant vt inhabitent, ipſi ſunt qui vt inhabitentur intrantur: & hi ſunt in domo Dei, qui ſunt domus Dei, vt verè in regno Dei ſint quibus dici poteſt,

Luc. 17. *Regnum Dei intra vos eſt.* Adorant ergo iſti in loco vbi ſteterunt pedes, vel ipſius domus permanentes in domino: vel ipſius domini, qui domus perſeuerantis habitator eſt. Sicut autem non eſt locus adorandi, niſi in eccleſia Catholica: ita

1. Cor. 12. *nemo poteſt dicere dominum Ieſum Chriſtum, niſi in ſpiritu ſancto.*

Exurge domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.

Eccleſia, id eſt, corpus Chriſti, capiti ſuo dicit: Dormiſti per conturbationem crucis: ſurge in requiem æternitatis, tu & arca ſanctificationis tuæ: vt gloria reſurrectionis, non ſolum in capite membrorum, ſed etiam in membris capitis impleatur: quæ membra arca ſunt ſanctificationis Deo, ſiue per incarnationis veritatem, ſiue per gratiæ electionem, vt in perſona mediatoris Dei & hominum hominis Chriſti Ieſu intelligatur, & altare propitiationis, & arca ſacrificij, & arca doctrinæ.

C

Sacerdotes tui induantur iuſtitia, & ſancti tui lætentur.

Te, inquit, reſurgente à mortuis, & eunte ad patrem, regale illud ſacerdotium induatur fide, quia

Abac. 2. *iuſtus ex fide viuit*: & accepto pignore ſpiritus ſancti, lætentur membra ſpe reſurrectionis quæ præceſſit in capite.

Propter Dauid ſeruum tuum, non auertas faciem Chriſti tui.

Hoc Deo patri dictum eſt ab eccleſia, ſupplicante vt meminerit promiſſionum ſuarum in domum Dauid: ne omne Iſraeliticum genus pereat, propter facinus impiorum: qui licet receperint, & recipiant quod merentur, multa tamen ex ipſis milia iuſtificata ſunt per fidem, & inde apoſtoli, inde doctores, inde tot martyres, & primogeniti, totius adoptionis electi, vt frumenta diſcernerentur à paleis, & reliquiæ ſaluæ fierent. Pro quibus & dominus in cruce orabat dicens:

D

Rom. 11. Luc. 23. *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.*

Iurauit dominus Dauid veritatem, & non pœnitebit eum.

Sicut iuramenti nomine, in Deo conſtitutio ſignificatur incommutabilis veritatis, ita pœnitentiæ appellatione, conuerſio ſententiæ demonſtratur. Vnde ideo dicitur dominus non pœnitere, quod ſtatuit nunquam immutare: quo quid aliud, quam æternitas donorum, & iudiciorum eius oſtenditur?

De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Dauid, in quo perſona eſt capitis & corporis, id eſt, Chriſti & eccleſiæ, hanc promiſſionem accipit, quod fructus ventris eius, ſuper ſedem ipſius eſſet ponendus, cuius regnum manet in æternum: qui ideo fructus ventris dicitur, quia ſaluator ſecundum carnem virginis matris eſt filius conceptus, non per virilem coitum, ſed per ſpiritum ſanctum.

Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos:

Et filij eorum vſque in æternum ſedebunt ſuper ſedem tuam.

Cuſtodibus teſtamenti, hæc duas p[illegible] [illegible] & æterni regni beatitudo promittitur, quia non [illegible] Dauid, ſed etiam filiorum eius filij de [illegible] [illegible] poſteriam, ſemen fidei, non carnis propagine conſequenti, & in toto mũdo qui ſunt in fide ſanctorum patrum, [illegible] honore numerantur hæredum.

Quoniam elegit dominum Sion, prælegit eam in habitationem ſibi.

Sion ipſa eſt eccleſia, & ipſa eſt Hieruſalem cæleſtis, ad cuius pacem currunt, qui etiam nunc peregrinantur: ipſa eſt ciuitas Dei, quæ ex meliore ſui parte, ſemper cum autore ſuo manſit: & partem, quæ per Dei gratiam quotidie ab exilio reuocatur, expectat, vt ſimul tota ſit ſui habitatoris ædificatio.

Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: hic habitabo, quoniam prælegi eam.

Apparet quam ineffabili dilectione eccleſiam ſuam diligat Deus, quando eam requiem, qua ipſam facit requieſcere, ſuam dicit: cum indemutabilem de ſatis tranquillitatem nullius vnquam laboris perturbatio fatigaret. F

Huius vero tanti muneris quæ principalis cauſa ſit, pleniſſime demonſtrator, cum dicit, Quoniam prælegi eam. ſecundum quod in Euangelio dominus ait: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.* Ioan. 15.

Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius ſaturabo panibus.

Tota eccleſia Dei, in dominum ſperans, & humilitate proficiens, formam viduæ gerit, quæ, quoniam conſolationem huius mundi non habet, inſtat oratione nocte & die, & ſolo & diuino fidit auxilio. 1. Tim. 5.

Pauperes quoque hi ſignificantur, de quib. dicitur. *Beati pauperes ſpiritu* &c.: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*: Cibo vtique gratiæ & pane doctrinæ, vt educant illum, qui dicit: Matt. 5.

Ego ſum panis, qui de cœlo deſcendi. Viduitas igitur & paupertas, non in ſolis mulieribus maritorum conſortio deſtitutis, neque in eis tantum qui inopia laborant intelligatur: ſed in omnibus membris corporis Chriſti. Quia aliud eſt quod tolerat labor neceſſitatis, aliud quod elegit amor religionis. Ioan. 6.

G

Sacerdotes eius induam ſalutari: & ſancti eius exultatione exultabunt.

Salutaris, id eſt, ſalutem adferens, Chriſtus eſt, quo quiſque regeneratus induitur, dicente Apoſtolo: *Quotquot in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Et hoc vniuerſa eccleſia ſub nomine acquirit ſacerdotum: quia totus populus Chriſtianus ſacerdotalis, atque regalis eſt. Verum plenius hoc ipſi rectores plebis accipiunt, qui ſpecialius ſummi pontificis & mediatoris perſonam gerunt. Gal. 3.

Illic producam cornu Dauid:

In cornu altitudo ſignificatur, non in ſe, ſed in Domino glorantium: quia ſublimitas cornuum, meritum totius carnis excedit.

H

Paraui lucernam Chriſto meo.

Id eſt, præmiſi ante ipſum propheticam, cuius lumine vterentur, qui erant in ignorantiæ tenebris conſtituti. Vnde & beatus Petrus Apoſtolus dicit: *Habemus firmiorem propheticum ſermonem cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Et ipſe dominus ait de Baptiſta Ioanne. *Ille erat lucerna ardens & lucẽs.* Merito ergo ſancti exultatione exultabunt, quia non in ſe, ſed in domino glorificantur. 2. Pet. 1. Ioan. 5.

Inimicos eius induam confuſione: ſuper ipſum autem florebit ſanctificatio mea.

Aperte ſignificatum eſt, quid debeatur inimicis gratiæ Chriſti, & quæ in ipſo ſanctis gloria præparetur, cũ Chriſtus in toto ſuo corpore refulgebit, & erit *dominus omnia in omnibus.* 1. Cor. 15.

PSALMVS CXXXII.

Ecce quam bonum, & quam iocundum habitare fratres in vnum.

BOna & iocunda habitatio eſt, quæ inter filios adoptionis efficit vnitatem, & præter corpoream ac localem habitationẽ, fraternos animos fidei pace connectit: quod

A tunc verè impletur, cum in vnum caput, totius corporis Chriſti, omnia fidelium membra concurrunt.

Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam illius Aaron.

Per Aaron ſacerdotem ille indicatur ſacerdos, qui veri pontificis ſacramentum, non in alieni generis hoſtia, ſed in oblatione corporis & ſanguinis ſui ſolus impleuit: idem ſacerdos, idem victima, propitiator, & propitiatio, omniũ que myſteriorum, quibus nunciabatur effector: qui mortuus, ſepultus, reſuſcitatus, aſcendit in cœlos, naturam humanam ſuper omne nomen exaltans & mittens ſpiritum ſanctum, cuius vnctio omnem eccleſiam penetraret. A capite enim, id eſt, à Chriſto, manans benedictio, non ſolum in barbam, ſed etiam in ora veſtimenti eius, id eſt, vſque ad infima membra deſcendit. In barba autem, quæ vnguentum fluens à capite prima ſuſcepit, Apoſtoli ſignificantur & martyres, in quibus virtus capitis & ſacramento eminet, & exemplo.

B *Quod deſcendit in ora veſtimenti eius, ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.*

Roris deſcenſio, ſupernæ gratiæ ſignificatio eſt, quæ ſanctorum eſt origo meritorum. Hermon autem interpretari dicitur flumen exaltatum, quod intelligitur Ieſus Chriſtus, qui *aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Ab ipſo enim in Sion, id eſt, in eccleſiam, venit plenitudo charismatum, exoritur ex tota compage ſanctus benedictionum, & fortitudo virtutum. Pſal. 67. Epheſ. 4.

Quoniam illic mandauit dominus benedictionem: & vitam vſque in æternum.

Gratia roris Hermon ibi deſcendit, vbi per vnitatem charitatis habetur participatio benedictionis: ipſi enim in vnum habitant, qui in Chriſto concorditer viuunt: & in diligendis non ſolum fratribus, ſed etiam inimicis ſeruãt præceptum, quo pro perſecutoribus ſuis iubentur orare: quando pro inimicis ſuis eſt mortuus dominus, quieos facit participes æternitatis, quos imitatores habuerit dilectionis. Matt. 5. Rom. 5.

C
PSALMVS CXXXIII.

Ecce nunc benedicite dominum omnes ſerui domini:
Qui ſtatis in domo domini, in atrijs domus Dei noſtri.

NVnc, inquit, id eſt, in hoc tempore tribulationum & anguſtiarum, in tempore perſecutionum & lachrymarum benedicite dominum, omnes qui in vno corde, & vno ſpiritu, in confeſſione, & in laude domini permanetis: ſtantes, id eſt, perſeuerantes in latitudine fidei & ſpei & charitatis.

In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite dominum.

In aduerſitatibus, ait, quæ diem vitæ huius obſcurant, nolite deficere, ſed manus veſtras in opere ſanctitatis extollite, vt benedictiones quę voce promuntur, in conuerſationis veſtræ pietate videantur.

Benedicat te dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram.

D Plures hortatus eſt vt benedicerent dominum, & ipſe vnum benedicit, quia ex pluribus vnum fecit, vt omnis eccleſia, cuius corpus vnum, & anima vna, benedictionem tanquam homo vnus accipiat.

PSALMVS CXXXIV.

Laudate nomen domini, laudate ſerui dominum:
Qui ſtatis in domo domini: in atrijs domus Dei noſtri.

BOna cohortatio & vtilis, qua in domini laudem ſerui ipſius incitantur, cum vtique hoc non egeat Deus, cuius gloria, nec minor ſe poteſt eſſe, nec maior; Sed quia tali officio proficiunt laudatores, & diſcunt eum timere atque amare quem laudãt, perſiſtat fidelis deuotio in diuinarum confeſſione virtutum, vt obſeruantia conſuetudinis fiat ſacrificium voluntatis. Quales autem eſſe debeant prędicatores Dei conſequenter oſtenditur, cum dicitur. Qui ſtatis in domo domini, in atrijs domus Dei noſtri: id eſt, qui in præceptis Dei infatigabiles permanetis, E ex hoc ipſo quod in domini domo ſtatis, ipſi gratias agitis, qui *ſoluit compeditos, illuminauit cæcos, erexit eliſos*, & dedit vobis ſpiritum intelligentiæ, qui vos in dilectionem & in laudem eius accenderet. Pſal. 145.

Laudate dominum, quoniam bonus dominus: pſallite nomini eius, quoniam ſuauis eſt.

Laus domini nec vberius ſignificari, nec plenius poteſt, quam cum dicitur bonus: verum hoc non cum cæteris bonis, quæ non ſunt niſi per ipſum, ſed præ omnibus ſingulariter intelligendum eſt: quia aliud eſt bonum omnia bona faciens, & autorem ſui non habens: aliud quod niſi fieret, eſſe non poſſet. Vnde dicitur. Nemo bonus, niſi vnus Deus. Nec eſt vlla creatura comparabilis creatori, quæ ſi quid boni habet, non eſt ei proprium, ſed acceptũ. Hoc itaque ſummum & incommutabile bonum, laudatoribus ſuis participationem ſuæ ſuauitatis impertit, per hoc quod æqualis patri filius Dei factus eſt, *mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus*. Ipſe eſt enim ſecundum quod *verbum caro factum eſt* panis hominum, qui deſcendendo ad nos, per nos, nobis ad ſe, per ſe fecit aſcenſum: & bibẽdo calicem noſtræ infirmitatis, fecit nos calicem ſuæ guſtare virtutis: vt agnoſceremus & confiteremur quoniam ſuauis eſt dominus. Matt. 10. 1. Tim. 2. Ioan. 1. F

Quoniam Iacob elegit ſibi dominus, Iſrael in poſſeſſionem ſibi.

Tota ſuauitas bonitatis Dei in gratia ipſius demonſtratur: quia Iacob elegit ſibi dominus, & Iſrael in poſſeſſionem ſuam fecit: excipiens illam ſibi domum, quam ſpecialius eligeret & ornaret. Quamuis enim omnes gentes ipſe condiderit, hanc tamen non ſicut aliam commiſit angelis, ſed ſuo nomini proprie deputauit, ita diſponens ſacramentum vocationis ſuæ, vt electio Iſrael, ad ſalutem omnium gentium pertineret promiſſionis filijs, in æternã hæreditatem, non ex carnis propagine, ſed ex regenerationis adoptione venturis.

Quoniam ego cognoui quia magnus eſt dominus, & Deus noſter ſuper omnes Deos.

G Contemplatio prophetica altiora operum Dei ſecreta conſpiciens, Ego, inquit, cognoui quam magnus eſt Deus, & quod propoſitum eius atque conſilium nullo explicatur eloquio: ſed quia ſuper omnem potentiam excellit omnipotens, neque vlla natura eſt ſuper quam non creator eius emineat: commemorentur de conditis, per quæ intelligantur mirabilia conditoris.

Omnia quæcunque voluit dominus fecit in cælo & in terra: in mari, & in omnibus abyſſis.

Quicquid creaturarum eſt in cœlo, & in terra, in mari, & in abyſſis Deus fecit: nec eſt vlla natura, vllaue ſubſtantia, quæ non præcepto eius exiſterit. In creanda autem vniuerſitate rerũ atque formarum, non operatio fuit laboris, ſed ratio voluntatis: quam nullum præceſſit tempus, nullus eſt moratus effectus. Hanc potentiam homo totius mundi conſideratione cognoſcens, confiteatur quia cum in agro cordis ſui, aliquid boni naſcitur, de opere & munere eſt cœleſtis agricolæ; qui ea quæ inſtituit per naturam, & corrupta ſunt per inobedientiam, dignatur reparare per gratiam.

Suſcitans nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit. Qui producit ventos de theſauris ſuis.

H Hæc omnia in toto mundi corpore, Dei nutu & Dei aguntur arbitrio: quæ vtique cum multa admiratione laudanda ſunt, & in eis intelligendum eſt, quæ operetur Deus in ipſis hominibus, quos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecit, & refecit.

Qui percuſſit primogenita Ægypti ab homine vſque ad pecus.

Primogenita hominum, ſunt principia bonæ & probabilis vitæ, quæ initium ſumit ex fide. Cum igitur aliqui Chriſtiani aut ſchiſmata, aut hæreſes mouent, & eccleſiam Dei quib. poſſunt afflictionibus impetunt fiunt Ægyptij. quorum nomen interpretatur afflictio populi Dei: & percutiuntur in primogenitis ſuis, id eſt, in fide, quæ dũ à charitate eccleſiæ deſerit, extinguitur. Hæc autem peſſima plaga in homines. Percutiuntur & pecora, hoc eſt, qui ſapientium, doctorumque ſpeciem gerunt: & hi

A qui pro cauſa ſtultitiæ & imperitiæ poſſunt pecorib. comparari.

Immiſit ſigna & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem & omnes ſeruos eius.

Nihil habent bonæ ſignificationis eorum nomina, in quos iram ſuam dominus effundit, nam & Phare diſſipationem: & Ægyptus adflictionem ſonat. Adflictio regum habet diſſipationem, quia illi qui adfligunt eccleſiam, diſſipati adfligunt, & regi ſuo ſua primum euerſione famulantur.

Qui percuſſit gentes multas, & occidit reges fortes.

Seon regem Amorreorum, & Og regem Baſan, & omnia regna Chanaan.

Interfectiones quidem regum, & gentium aduerſantium populo Dei, ita vt narrantur impletæ ſunt: ſed quia propheticus eſt textus hiſtoriæ, non carent figuris ſcriptorum nominum qualitates, vt per interpretationum ſignificationem cognoſcat eccleſia, quorum maxime hoſtium cæde ſaluetur. B Interpretatur namque Seon tentatiō colorum, & Amorrei interpretantur, amaricantes. Cū itaque tentatiō colorum non ſit niſi mendacium, quod vt facilius obrepat, colorem ſibi veritatis adſumunt, quid mirum ſi amaricantes, mendacis regis ſimulatione ducūtur? quoniam & ipſe mendacij pater diabolus, *transfigurat ſe in angelum lucis*: & tentatio colorum contrarios veritati faciat eſſe, quos decipit: ſed hi homines ſpiritaliter occiduntur, cum moriuntur diabolo, vt viuant Deo: & qui crediderant mendacio, credant potius veritati. Manus autem Dei quia ſuccifiones, & viuificationes facit, Og regem, & Baſan, populum eius interimit. Og enim interpretatur concluſio: & Baſan interpretatur confuſio. Talis quippe concluſio intercludit viam, quæ ducit ad dominum, & interceptos ad confuſionem perducit, & iniquos modo concludit, ne credant in Chriſtum: quando Chriſtus apparuerit, confundentur, niſi nunc gratia conuertente inuentur. Chanaan vero, interpretatur Paratus humilitati. Quæ humilitas pœnalis intelligenda eſt, quæ paratur ſuperbis, qui modo non in humilitate, ſed in elatione ſunt poſiti, & præordinantur in id quod retribuendum eſt vanitati.

Ioan. 8. 2. Cor. 11.

C *Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Iſrael populo ſuo.*

Fit hoc quotidie: nam quod alij per meritum ſuū perdunt, alij per gratiæ munus acquirunt: quoniam Iacob elegit ſibi dominus Iſrael in poſſeſſionem ſibi: & habenti dicitur: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.*

Apoc. 3.

Dominus nomen tuum in æternum: & memoriale tuum in generatione & generationem.

Id eſt, virtutum tuarum miracula non ceſſabūt, & quæ operatus es ſignificando, operaberis indeſinenter implēdo. Memoriale autem domini in eo intelligitur, quod nō obliuiſcitur promiſſionum ſuarum, ſed omnino efficit quod ſpopondit, & hoc fit à generatione in generationē: quia alia eſt generatio hominum qua naſcuntur mundo, alia qua renaſcuntur Deo: Sed in vtraque ſub altiſſimo iudicio Dei, & opus naturæ impletur & gratiæ.

D *Quoniam iudicabit dominus plebem ſuam, & in ſeruis ſuis deprecabitur.*

Excepto iudicio futuro iam iudicata eſt plebs Iudæorum. Quid eſt, iudicata? ſeparati inde ſunt iuſti, & remanſerunt iniuſti. Audi dominum dicentem, *In iudicium veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant*: excæcati enim ſunt ſuperbi, illuminati ſunt humiles: & in hoc vno populo, qui & Iacob & Iſrael generaliter appellatur: vna enim perſona eſt domus Iacob & domus Iſrael: vna gens, vna plebs: hanc inuitat, & hanc dimittit, mites à ferocibus, credentes ab infidelibus ſeparando. In ſeruis ſuis igitur deprecabitur dominus: id eſt, inuocabitur vel exorabitur, & in omnibus nationibus erunt homines Iſraeliticæ dignitatis, cum Iudæi ex maxima ſui parte erunt impij, & veritatis inimici: ſed quia ſpiritalis Iacob ex omni gente adſumitur, idolorum cultoribus infidelitatis cæcitas exprobratur.

Ioan. 9.

Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.

E Omnes ex quacunque natione verum Deum neſcientes, & Chriſti euangelio reſiſtentes idolorū cultores ſunt: & cum in cordibus ſuis falſitatum dogmata fabricantur; id quod finxerint, ſimulachrum eſt: & ſi quid ratiocinando minuerint, id argenteum videtur, aut aureū: quod ita humanæ ſapiētiæ argumentis & eloquio coloratur, vt reuerentiam ſibi pro mendaciorum arte conciliet. In huiuſmodi ergo figmentis, opera ſunt manuum hominum, quę humanus error excogitauit, non doctrina veritatis inſtituit.

Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non vident:

Aures habent, & non audiunt: nares habent, & non odorabunt:

Manus habent, & non operantur: pedes habent & non ambulabunt.

Non clamabunt in gutture ſuo: nec enim eſt ſpiritus in ore eorum.

Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.

F Propriè quidem hæc de paganis dici videntur: ſed etiam hæreticos comprehendunt, qui dum falſis inhærent, & impia hominum commenta ſectantur, omnia rationalis vitæ officia perdiderunt. Nam quid eſt habere oculos, & non videre, quam in errorum nocte verſari? Habere aures, & diuinæ inobedire doctrinæ? Habere nares, & bonum Chriſti odorem non capere? Pedes habere, & vocantem non ſequi gratiam? Habere linguam, & non loqui veritatem? Habere manus & ſine opere eſſe iuſtitiæ? Quia *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Mendaces igitur conformabuntur mendacio: & quo magiſtro fidunt, cum eodem confundentur: & tamen ex ipſis quotidie commutantur per miracula Dei: quotidie aperiuntur oculi cæcorum, & aures ſurdorum: inſpirantur nares inſenſatorum, reſoluuntur ora mutorum: fiunt operariæ manus paralyticorum: diriguntur pedes claudorum: ex lapidibus excitantur filij Abrahæ, quibus omnibus ſimul dicatur.

Rom. 14.

Domus Iſrael benedicite dominum: domus Aaron benedicite dominum:

G *Domus Leui benedicite dominum:*

Quia omnes hos gradus, quos vna gens habuit, per ipſam fidem, qua illa iuſtificata eſt, totus mūdus obtinuit: & in cunctis iam nationibus inuenitur Abraham credentium pater.

Qui timetis dominum, benedicite dominum.

Benedictus dominus ex Sion, qui habitat in Hieruſalem.

Habitatio Dei, non eſt illa Hieruſalem, quæ cecidit: ſed eſt in cordibus fidelium, atque ſanctorum, ex quibus ædificatur æternum templum Dei cum compage angelorum, qui nunquam à domino receſſerunt. Benedicit ergo eccleſia dominum, ex Sion, id eſt, de ſpecula, ex qua promiſſiones Dei proſpicit venturas in Hieruſalem, id eſt, in viſionem pacis, vbi iam nullum periculum infirmitatis, nulla erit aduerſitas tentatoris.

H

PSALMVS CXXXV.

Confitemini domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

PSalmus iſte laudem continet Dei, & eodem modo in omnibus ſuis verſibus terminatur, vt quicquid operum Dei percurritur, ideo intelligatur effectum, vt bonitatis & miſericordiæ eius manifeſtaretur æternitas. Quamuis enim poſt iudicium, quo in fine ſeculi, viui & mortui iudicandi ſunt; miſſis iuſtis in vitam æternam, impijs autem in ambuſtionem æternam, nō ſint deinceps futuri, qui diuinæ gratiæ diſpenſatione ſaluandi ſint: recte tamen intelligi poteſt, in æternum futuram miſericordiam eius, quam ſuis ſanctis fidelibuſque largitur; quoniam ea beatitudo, quam ex Dei miſericordia conſequētur, nulla vnquam tentatione pulſabitur: ſed in æterna pace & gloria, incommutabilis permanebit: quod opus ineffabilis pietatis, quia in ſempiterno Dei propoſito atq; conſilio fuit, vt per temporalia præordinarentur æterna:

Matt. 25.

A mirè totius mundi elementorumque conditio propter hanc miſericordiam dicitur inſtituta, cui perficiendę omnium rerum ordo ſeruiſſet.

Confitemini Deo deorum quoniam in æternum miſericordia eius.

Confitemini domino dominorum, quoniam in æternum miſericordia eius.

Deorum nomen cum in bono poſitum reperitur, ſecundum gratiam intelligendum eſt, non ſecundum naturam, dicente Apoſtolo: *Nam etſi ſunt qui dicuntur dij, ſiue in cœlo, ſiue in terra: quemadmodum ſunt dij multi, & domini multi: ſed nobis vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos per ipſum.* (1. Cor. 8.) Qui ergo ſunt filij Dei, & per adoptionis ſacramentum diuinæ fiunt conſortes naturæ, habent huius nominis donum: quia vni Deo ſeruiunt, vni domino voluntaria ſubiectione famulantur. Dij autem gentium dæmonia, quæ quoniam gaudent ſe ab errantib. coli, in æternum ignem cum ſuis cultoribus damnabuntur.

B *Qui facit mirabilia magna ſolus, quoniam in æternum miſericordia eius.*

Poſſunt ea mirabilia accipi à Deo ſolo facta, quæ neq; per angelos, neque per homines ſunt effecta: ſed ſola Dei operante virtute: quamuis enim ipſe operetur omnia in omnibus, naturas tamē cunctarum creaturarum, cœlum & cœleſtia, terram & mare, cum vniuerſis quæ in eis ſunt, ſolus inſtituit: non quod ſine filio ſuo verbo aut ſpiritu ſancto aliquid fecerit pater: ſed quia trinitas vnus Deus eſt, qui creaturas non per creaturam fecit, ſed ſola potentia Deitatis. Quod autem in ſecundis dicitur. Quoniam in ſeculum miſericordia eius: ad reparationem humani generis referendum eſt, quod Dei miſericordia per ſacramentum regenerationis vitæ reddit æternæ.

Qui fecit cœlos in intellectu: quoniam in ſeculum miſericordia eius.

In intellectu facti ſunt cœli, ad erudiendam eam creaturam, quæ ad cognitionem ſui præordinabatur autoris: *inuiſibilia enim Dei*, ſicut ait Apoſtolus, *à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*: ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas: & hic idem propheta dicit: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* (Rom. 1. C Pſal. 18.) Quia maieſtatis inuiſibilis pulchritudo, & per corpoream creaturam incorporeus creator agnoſcitur.

Qui firmauit terram ſuper aquas: quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Bene quidem intelligitur ſuper aquas terra fundata, in eo, quod circunfluentibus aquis ſupereminet: & ita etiā in infimis natura inuenitur humoris, vt ei ſolidum ſubdatur elementum, ſed ſecundum ſacramentum eccleſiæ, quod per totum mundum in regenerationis lauacro celebratur, ſacratius hoc accipitur dictum de præparatione baptiſmatis, ſupra quod naturæ humanæ terra fundatur, ita vt ab aquis tota æterni templi ſtructura conſurgat.

Qui fecit luminaria magna ſolus: quoniam in æternum miſericordia eius.

D Ideo & hic addidit Solus, quia cætera mirabilia quæ dicturus eſt, aut per homines, aut per angelos fecit.

Solem in poteſtatem diei: lunam, & ſtellas in poteſtatem noctis.

Splendor ſolis in die potens eſt, & lunæ & ſtellarum in nocte: ſed hæc, præter vtilitatem quam mundo vicibus ſuis præbent, & præter decorem quo totius mundi augetur ornatus, dant ſignificationem ſpiritualium gratiarum. Nam præcipuum fidelium cordium lumē eſt, veniens ab ipſo iuſtitiæ ſole ſapientiæ: ſecundum autem lumen eſt ſcientiæ, quæ inter ſeculi huius obſcura dat quodammodo lunare ſolatium: deinde plurimorum chariſmatum munera ſtellarum ignibus merito comparantur, vt ambulantibus per difficilem viam nunquam deſit cœleſte præſidium.

Qui percuſſit Ægyptum cum primogenitis eorum.

Nulla pars mundi eſt, quam non percutiat gladius veritatis, vt Chriſto præcipua quæq; ſubdantur.

Qui eduxit Iſrael de medio eorum.

Quotidie ſancti ab iniquis & aduerſis tribulationibus eruuntur.

E *In manu potenti, & brachio excelſo.*

Quid potentius eo, de quo dictum eſt. *Et brachium domini cui reuelatum eſt.* (Ioan. 12.)

Qui diuiſit rubrum mare in diuiſiones.

Rubri maris diuiſione ſignificatur baptiſmus Chriſti, in quo fiunt diuiſiones, vt vna res alijs ſit in vitam, alijs in mortem: in vitam fidelibus, in mortem perſecutoribus.

Et eduxit Iſrael de medio eius.

Et educit populum ſuum dominus innouatum per lauacrum regenerationis.

Et excuſſit Pharaonem, & virtutem eius in mare rubrum.

Perit in aquis rea peccati: & baptizatis reatus excutitur.

Qui traduxit populum ſuum in deſerto.

Traducit & nos per huius mundi ariditatem & ſterilitatem, ne in ea pereamus.

Qui percuſſit reges magnos, & occidit reges fortes.

F Percutit, atque occidit etiam per nos diabolicas & noxias poteſtates, quoties dat victoriam per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Seon regem Amorrhæorum.

Germen inutile, quod interpretatur Seon: & regem Amorrheorum, quod interpretatur Amaricantium, percutit per eccleſiam ſuam dominus.

Et Og coaceruantem Baſan.

Hoc eſt, confuſionis: quid enim coaceruat diabolus niſi confuſionem?

Et dedit terram eorum hereditatem, hæreditatem Iſrael populo ſuo.

Dat etiam, quos diabolus poſſidebat, hæreditatem ſeminis Abrahæ, quod eſt Chriſtus.

Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri, & redemit nos ab inimicis noſtris.

Redemit nos ſanguine vnigeniti ſui.

Qui dat eſcam omni carni.

Hæc eſt eſca, de qua dominus dicit: *Caro mea vera eſt eſca*, quæ datur omnibus gentibus. (Ioan. 6.) G Quia nullus renatorum fidelium ab eſu eius excipitur.

Confitemini domino cœli, confitemini domino dominorum: quoniam in æternum miſericordia eius.

Quod hic ait, Domino cœli, hoc videtur ſuperius dixiſſe, Deo deorum: & quod ibi ſubdidit, hoc etiam hic cōneauit: Confitemini domino deorum: vt *ſi ſunt qui dicantur dij, & domini ſiue in cœlo, ſiue in terra, nobis tamen vnus ſit Deus pater, ex quo omnia, & nos in ipſo: & vnus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum*, cui confiteantur quoniam in æternum miſericordia eius. (1. Cor. 8.)

PSALMVS CXXXVI.

Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, cum recordaremur Sion.

PRophetia Pſalmi non ſolum hoc denuntiat, quod ſecundum gerendarum rerum ordinem ad Iſraeliticum populum propriè pertinebat, ſed etiam quod in omni Eccleſia Dei, quæ in toto mundo eſt, agitur & impletur: vniuerſi enim fideles, qui ciues ſunt Hieruſalem, & in hoc ſeculo peregrinantur, aptè his vocibus & congruenter vtūtur, vt dicant quod Pſalmi verba pronuntiant. H Nam qui fide iuſtificati ſunt, & *ſpe ſalui facti*, ad patriam cœleſtem angelicamque deſiderant, recordantes promiſſionis Dei: (Rom. 5. Rom. 8.) flent & gemunt de habitatione terrena, quæ in quacunq; ſui parte Babylonia eſt, & flumina eius ſunt omnes illecebræ temporales ſiue in moribus, ſiue in opinionibus, quas ſibi quiſque delegerit, in quibus nihil ſtabile, nihil firmū eſt, ſed omnia fluida, & in maris profunda ducentia. Qui autem *quæ ſurſum ſunt ſapiunt, non quæ ſuper terram*, ſedent quidem ſuper mundi flumina atque torrentes, ſed tamen curſu aquarum labentium non trahuntur, nec miſcentur confuſioni (quæ interpretatur, Babylon) ſed recordantes Sion, (quæ exprimitur, ſpecula) in quod Deus promiſit intendunt, & à temporalibus ad æterna proficiunt. (Coloſ. 3.)

In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra.

Habent organa ſua ciues Hieruſalem, ſcripturas, Dei præcepta, & promiſſa Dei, & meditationem quandam futuri ſeculi: ſed cum agunt in medio Babyloniæ, organa ſua in ſalicibus eius ſuſpendunt. Ligna autem Babylonis fluminibus rigata, & nullum fructum afferentia, ſimilitudinem gerunt hominum ſterilium, qui mundanis paſcuntur illecebris, & nulla ſunt virtute fœcundi, nec poſſunt eis vlla diuinarum ſemina ſcripturarum inſeri, quia capaces non ſunt præceptorum Dei: & merito in eis differendo ſuſpenditur, quod pro ſua inſipientia audire non poſſunt.

Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantuorum:

B *Et qui adduxerunt nos, Hymnum cantate nobis de canticis Sion.*

Zoan. 8. Omnes homines prima tranſgreſſione à diabolo captiuati ſumus: quoniam *qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*: ſed ab hac captiuitate redemit nos ſuo ſanguine Ieſus Chriſtus. Pars ergo quæ captiuatoribus ſuis volens ſeruit, & eis delectatur quæ hoſtibus placent, præbet ſe miniſtram ad impugnandos redemptos, & per ipſam diabolus quicquid contra ſanctos audet exequitur: vt merito ipſe agere dicatur, quod per homines ſibi ſubditos gerit. Interrogant ergo Chriſtianos pagani, & impij eorum quorumque dogmatum ſectatores, quæ nobis religionis ſit ratio, quæ vtilitas in fide Chriſti, quive ſit fructus: & interrogatio eorum non veritatem vult diſcere, ſed credentium corda turbare: vnde à talium auribus ſuſpendenda ſunt organa: nec canticorum, hymnorumque noſtrorum ſacramenta pandenda: *ne ſanctum detur canibus, & iaciantur* Matt. 7. *margaritæ ante porcos.* Volentibus igitur de confeſſione fidei noſtræ inſtruere calumnias ſuas, reſpondendum eſt quod ait Pſalmus:

Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena?

Homo deditus carni, deditus mundo, ſeruiens vanitatibus, plenus erroribus, terra aliena eſt: in qua ſeri ſacra ſemina, quæ ſunt diuina cantici verba, non poſſunt: quia niſi in Sion, id eſt, in Eccleſia, non congrue celebratur di-
C uina laudatio. Ne ergo per alienorum contagia quædam cœleſtis patriç irrepat obliuio, quodam iureiurando confirmanda eſt fides, & dicendum:

Si oblitus tui fuero Hieruſalem, obliuiſcatur me dextera mea.

Dextera noſtra eſt vita æterna, ſiniſtra eſt vita temporalis: illa plena ſpe beatitudinis, hęc plena periculo perditionis. Quicquid fit propter vitam æternam, dextera operatur: ſiniſtrum vero eſt quicquid propter gaudia tranſitoria aut optatur, aut agitur: & in obliuionem venit dextera ſiniſtræ: quum virtutis amor, & conſuetudo ſuperauerit. His ergo, qui ab Hieruſalem charitate diſcedunt, hoc contingit, vt obliuiſcatur eos dextera eorum. Vita enim æterna in ſe manet: illi autem remanent in delectatione mortifera, amplectentes mala pro bonis, falſa pro veris, ſiniſtra pro dexteris.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui, ſi non propoſuero Hieruſalem in principio lætitiæ meæ.

Obmuteſcam, inquit, niſi tui meminero. Quid enim loquitur, aut quid ſonat, qui cantica Sion in laude non ſonat? Eloquium linguæ noſtræ eſt Hieruſalem canticum.
D Os autem carnalia loquens, & ſecularia canens, mutum eſt & obſtructum: quia inde delectatur, vnde confunditur. Verus ergo Hieruſalem amator & ciuis, hac ſe lege conſtringit, vt huius pœnæ ſubeat damnationem, ſi non omnibus iucunditatibus præpoſuerit cœleſtis patriæ charitatem.

Memento domine filiorum Edom in die Hieruſalem.

Homo Iſraelita inter alienigenas conſtitutus precatur dominum, vt meminerit, quia inter filios Edom, id eſt, Eſau, & inter filios Iacob concordia eſſe non poſſit: & illæ inimicitiæ maneant, quas iam in matris vtero ſignificabat nondum natorum lucta geminorum: & poſt ita diſcreuit præſcientia creatoris, vt diceret: *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Vnde omnes filij promiſſionis perſonam gerunt Iacob: Eſau vero nomine tota pars infidelium figuratur. Perit igitur, vt meminerit Deus, quomodo Eſau inſurrexerit in Iacob: meminerit etiam diem laborum Hieruſalem, quæ ſuperbiam tolerer impiorum: vel diem felicitatis eius, qua à ſeruitute captiuitatis quotidie eruitur: & ad æternæ patriæ bona vera perducatur. Malac. 1. Rom. 9.

Qui dixerunt, exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.

Perſecutoribus populi Dei non ſufficit qualiſcunque vaſtatio, niſi etiam fidem, quæ ſancti eſt ædificij fundamentum, ſæua exinanitione ſubuertant.

Filia Babylonis miſera.

Ipſa eſt eadem, quæ Babylon: quæ in propagine ſua & mater, & filia eſt: mater generando: filia ſuccedendo: infelix vtique & miſera, quę ad perditionem & generatur, & generat. F

Beatus qui retribuit tibi retributionem tuam quam retribuiſti nobis: beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram.

Omnes primo ortu in Babylonia geniti ſumus, & ab ipſo carnali exordio paruulos nos accepit mundana confuſio, nec aliud nobiſcum egit hoc ſeculum, quam vt per varias opiniones & diabolicas artes diuerſis implicaremur erroribus. Sed de hoc generali malo innumeros eruit Dei gratia, & adhuc inter oblectamenta Babylonis morantes iam inter Hieruſalem computat ciues, quos qui beatus eſt & beatos facit, *eruit* de tenebris & *de poteſtate tenebrarum*, vt ſint filij lucis & regni, alliſi ad petram Chriſtum, vt moriendo mundo, viuerent Deo, deiecti & erecti, deſtructi & ædificati, in puluerem comminuti & in petra, petra inſtaurante, ſolidati. Coloſſ. 1.

PSALMVS CXXXVII.

Confitebor tibi domine in toto corde meo: quoniam audiſti omnia verba oris mei.

Pſalmi titulus ſub nomine Dauid eum ſignificat, *qui eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem*, ad quem prophetica eſt directa confeſſio, quæ laudis eſt diuinæ, non iniquitatis humanæ: cõfeſſionis enim nomine ſolet indicari confeſſio pœnitentis, ſed hic manifeſtatur gratulatio laudatoris, quæ toto corde profertur: quia nulla illi alia affectio ſociatur: & ideo exaudita ſunt verba oris eius: cuius oris, niſi cordis, vnde ſumunt ipſa verba principium? ea ibi auribus Dei vox mentis auditur. Rom. 1. G

In conſpectu angelorum pſallam tibi, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Super miſericordia tua, & veritate tua.

Si in vera exultatione cordis ſpiritualiter Deo pſallimus, coram angelis pſallimus: quia non terrena, ſed cœleſtia ſapimus: in quo pietatis officio beatitudo excellit angelica: nam carnalia deſideria non pſallunt niſi coram hominibus, quorum ſe animi ſupra terrena non erigunt, & qui ſanctorum gaudijs intereſſe non poſſunt: quia nec adorant ad templum ſanctum Dei, quod eſt Hieruſalem, vna ſimul & mater & filia: mater in angelis, filia in hominibus, quibus dicitur: *Templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis.* Confeſſio autem religioſa veritatem & miſericordiam Dei prædicat: veritatem in iudicando, miſericordiam in ſubueniendo. Non enim aliæ ſunt viæ, quibus ad nos venit, aut aliæ quibus nos ad ſe prouehit. H 1. Cor. 3.

Quoniam magnificaſti ſuper nos nomen ſanctum tuum.

Magnificauit dominus ſuper omnes nomen ſanctum ſuum, ſuper Abraham, & Iſaac, & Iacob, ſuper duodecim tribus Iſrael, quas eruras de iugo ſeruitutis introduxit in terram promiſſionis, & ſuper vniuerſas nationes, de quibus tanquam *de lapidibus ſuſcitat* quotidie *filios Abrahæ, vt in nomine domini Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.* Matt. 3. Philip. 2.

A *In quocunque die inuocauero te, velociter exaudi me.*

Eſa. 58. Quare velociter? quia ipſe dixiſti: *Adhuc loquente te dicam, Ecce adſum.* Quare velociter? quia non in diuerſa tendo, nec ſuperflua concupiſco: ſed quod docuiſti peti, hoc mihi concupiſco præſtari.

Multiplicabis me in anima mea, in virtute multa.

Expreſſum votum ſecundum deſiderium, & ab omni carnali cupiditate purgatum. Si, Multiplicabis me, tantummodo diceret, videri poterat terrena aliqua conceptio: ſed cum addidit, in iuſtitia, nihil eſt quod poſſit plenius & perfectius poſtulari, quia ſummi boni ſignificatio eſt in appellatione virtutis.

Confiteantur tibi domine omnes reges terræ: quoniam audierunt omnia verba oris tui.

Matt. 24. Pſal. 18. Vbique Euangelium prædicabitur, vbique Apoſtolica doctrina diſcernitur: *In omnem enim terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Confiteantur ergo tibi domi-

B ne omnes reges terræ: & quia non habent neceſſitatem ſublimiora cupiendi, laudent te de excellentia, quam dediſti: quia latere eos iam non poteſt, quod eorum ſceptra, tua dona ſunt.

Et cantent in viis domini: quoniam magna gloria domini.

Pſalm. 24. In quibus vijs, niſi de quibus dicitur: *Vniuerſæ viæ domini, miſericordia & veritas?* vt dum omnia opera Dei in his conſummantur, nemo niſi in ipſius gloria glorietur.

Quoniam excelſus dominus, & humilia reſpicit, & alta à longe agnoſcit.

Sub oculis domini eſt & humilis, & elatus: ſed humilem, quia placet, proximus videt: ſuperbum, quia diſpli-

Pſal. 33. Pſal. 118. cet, longinquus agnoſcit: & cum *iuxta ſit his qui tribulato ſunt corde* longè tamen eſt *à peccatoribus ſalus.*

Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me.

Si præſentia, inquit, non amauero, & ſi ad promiſſiones tuas tendens terrenis illecebris non inhæſero, viuificabis me, & cito exaudies, quia tribulationem mihi adferent temporalia, quem ſpes initiat æterna.

Super iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſaluum me fecit dextera tua.

Protectio, inquit, brachij tui defendit me ab inimicis

C meis, & vt aduerſitatibus non vinceret, fecit dextera tua, quæ me à ſiniſtris omnibus liberauit.

Domine retribue pro me.

1. Cor. 15. Ego, inquit, debitor ſum, & conditione proprij debiti liber eſſe non poſſum: tu domine pro me retribues, qui nihil debes: & qui mortem, dum moreris, occidis, ſoluens mea, vt ſequatur tua.

Domine miſericordia tua in æternum: opera manuum tuarum ne deſpicias.

Illam, inquit, miſericordiam quæro, qua temporalibus eruis, & ad æterna perducis, domine: opera manuum tuarum ne deſpicias, quia ſiue in eo quod homines ſumus, ſiue in eo quod ex noſtra impietate mutati & iuſtificati ſumus, tuarum manuum ſunt opera, quibus nos & condis & renouas.

PSALMVS CXXXVIII.

Domine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam.

D

Ioan. 10. Ioan. 1. IN Prophetia Pſalmi verba ſunt ipſius Domini Ieſu Chriſti, qui ſecundum deitatem conformis & æqualis ſit patri: tamen ſecundum quod *verbum caro factum eſt*, & habitum formæ ſeruilis accepit, dicit patri, Domine: qui ei & pater & dominus eſt: pater formæ Dei, dominus formæ ſerui, Probaſti, & cognouiſti me: non quia non nouerat, ſed quia notum alijs fecerat. Sedere autem eſt humiliari: ſurgere, exaltari: vnde ſedit dominus in paſſione, reſurrexit in reſurrectione. Quod inquit, tu voluiſti domine, approbaſti: & ideo factum eſt, quia ſic tibi placuit. Qui autem vocem capitis ex perſona corporis mauult accipere, confeſſionem intelligat pœnitentiam, qui ſedent

E per humilitatem pœnitudinis, & ſurgunt per iuſtificationem remiſſionis.

Intellexiſti cogitationes meas de longe: ſemitam meam, & limitem meum inueſtigaſti, & omnes vias meas præuidiſti.

Agnoſcamus hic vocem illius filij minoris, qui diſſipata ſubſtantia patris in longinqua diſceſſerat, & perſonam gerens gentium quæ defluxerant in idolorum culturam, tandem reſipiſcens ait: *Surgam & ibo ad patrem meum:* & cui reuertenti occurrit pater, quia intellexerat cogitationes eius de longinquo. Semitam igitur, inquit, meam qua diſceſſit: & limitem meum, quouſque perueni, inueſtigaſti: quia deſertorem tua præſentia vbique concludebas: ideo ſinens me laborare vias meas, vt ſi perpetuo miſer eſſe nollem, redirem ad vias tuas.

Quoniam non eſt dolus in lingua mea.

F Confiteor, inquit, quod mihi diſcedenti à te conteri miſerijs vtile fuit: Nam ſi bene mihi eſſet ſine te, nollem forſitan redire ad te.

Ecce domine tu cognouiſti omnia nouiſſima & antiqua.

Antiquum peccatum, quo in primis parentibus ruimus: nouiſſimam pœnam, quam omnes per multos labores communi mortalitatis conditione dependimus.

Tu finxiſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.

Omnes in vteris matrum Deo plaſmāte finguntur, ſub ea lege quam ſuperbiæ merito humanum genus ſuſtinet ſuperpoſita diuinæ potentiæ manu, quæ vt humiles erigat, elatos premit.

Mirificata eſt ſcientia tua ex me, inualuit, & non potero ad eam.

Mea, inquit, ſuperbia & diſceſſione factum eſt, vt obſcuraretur cor meum, nec poſſent mihi tua patere iudicia: dum enim meæ poteſtatis libertate delector, factus ſum egentior, atque tenerior: ex me mihi iſta difficultas conualuit: ex me extra lumen ſciētiæ tuæ factus ſum, ad quod niſi ex te redire non potero.

Quo ibo à ſpiritu tuo, aut quo à facie tua fugiam?

Diſcedenti à ſpiritu Dei nullus inuenitur locus, qui eius præſentia, & poteſtate ſit vacuus: nemo itam eius fugit, niſi qui ad iratum confugit. Vide ſent. 23. G

Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero ad infernum, ades.

Si ad cœlum extollor elatus, te inuenio reſiſtentem: ſi ea quæ infra me ſunt eligam, te experiar perſequentem: quia ſicut malum mihi eſt præſumptione erigi, ita malum eſt deſperatione demergi.

Si ſumpſero pennas meas in directum, & habitauero in poſtremis maris.

Iam bono conſilio vtitur, qui pennas ſuas, geminæ ſcilicet præſidia charitatis, quibus in directum volet, meditatur aſſumere: & in vltimis maris: id eſt, in fine ſeculi huius habitare, vt tota intentio animi & temporalis vitæ concluſione ſollicita non iam vanis occupetur cupiditatibus, ſed ad promiſſiones Dei de hoc ſeculo valeat euolare. Verum hoc ipſum quis efficit ſuis viribus, niſi adiuuet ille qui iubet? Propter quod ſequitur, & dicit:

Etenim illuc manus tua deducet me, & adducet me dextera tua.

Conſiderans autem longinquitatem viæ, & de laboris exitu timens, addit:

H *Et dixi, fortaſſe tenebræ conculcabunt me:*

Hoc eſt, forſitan ſuperabor aduerſis, & magis magiſque tenebrabor, ſi perſeuerantiæ finem non apprehendero.

Et nox illuminatio in delitijs meis.

Quoniam tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

Tempus, inquit, laboris mei tempus eſt noctis, quam tamen gratiæ tuæ ſplendor illuminat: *Verbum* enim Pſalm. 118. *tuum lucerna* factum eſt *greſſibus meis*, vt quæ mihi erant tenebræ, inciperent eſſe delitiæ: quia tenebræ quæ à ſemetipſis obſcurantur, à te lumen accipiunt. Qui ideo agētes opera tenebrarum flagellas, ne temporaliū deliciarum oblectatione cæcati, bona non deſideremus æterna.

Nocte

A Nocte autem nobis lucere ſoles, & tanquam diem facis. quum per auſtera remedia ad vitam nos vocas, vt dulcia ſint flagella patris, ne ſit amara ſententia patris. Quia ergo & aduerſa vitæ iſtius, & ſecunda non carent tentatione, qua aut eleuamur, aut premimur, vtrunque ſit nox, ſi deſit illa lux, quæ nec ſuperbire nos ſinat, nec deſperare permittat.

Quoniam tu poſſedisti renes meos domine.

Gal. 1. Tu, inquit, domine non ſolum cor meum, ſed & renes meos poſſides: & te habitante interiora mea, factum eſt, vt me aliquid lucis delectaret in nocte.

Suſcepiſti me ex vtero matris meæ.

Qui Paulum Apoſtolum ſegregauit ab vtero matris ſuæ, ipſe & nos ſegregauit ab vtero matris ſuæ illius Babyloniæ: vnde in nouam vitam regenerati, noua ſpe, nouis delitijs, noua luce gaudemus: quoniam nec fœlicitas
B ſeculi huius nos beatos facit: nec aduerſitas miſeros, ſi vera bona & manſura diligamus.

Confitebor tibi, quoniam terribiliter mirificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit valde.

Terrorem, inquit, mihi incutiunt miracula gratiæ tuæ: & vnde eſt ratio gaudij, inde eſt cauſa formidinis. Cognoſcit enim anima mea quanta operaris vt ſalues, & quæ mihi ſint pericula cauenda ne peream.

Non eſt abſconditum os meum à te, quod feciſti in abſcondito.

Eſt quædam in ſanctis hominibus Dei inſuperabilis fortitudo, & inuicta patientia, quam in eis occultè finxit Deus, & abſconditam fecit, habentem oſſeam firmitatem, quæ nec corrumpatur ſecundis, nec frangatur aduer-
Pſal. 61. ſis. De qua virtute in alio Pſalmo dicitur. *Veruntamen Deo ſubjicitur anima mea, quoniam ab ipſo eſt patientia mea.*

Et ſubſtantia mea in inferioribus terræ.

In hac, inquit, ſubſtantia fragilis & infirmi corporis, quod eſt in infimis terræ, fortitudinem quærit, quæ inter ſæuas tribulationes etiam carni perſeuerantiam daret.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur.

C In his verbis perſona eſt ipſius capitis, quod nunc in ſe,
Ephes. 5 nunc in corpore ſuo loquitur: quia *duo ſunt in carne vna.* De illis ergo in quibus erat patientiæ roboranda conſtantia, vt ipſi pro domino pati poſſent qui in eius paſſione titubauerant, dicit ipſe: Imperfectum meum viderunt oculi: & quia qui vſque ad deſperationem expauerant, vſque ad victoriæ coronas te aſpiciente coronati ſunt, addidit. Et in libro tuo omnes ſcribentur. Igitur omnibus timidis, & de propria infirmitate trepidantibus ſperandum eſt ſupernæ virtutis auxilium: vt inde non excidat charitas, vnde præſtatur facultas.

Per diem errabunt, & nemo in eis.

Siue vt in quibuſdam codicibus inuenitur:

Die formabuntur, & nemo in eis.

Imperfecti, inquit, mei, qui omnes erunt in vita æterna, per diem errabunt: hoc eſt, in me turbabuntur, & nemo erit in eis, quem non timoris tenebræ ad deſperationem vſque perducant. Si autem legamus, Die formabuntur: intelligendum, quod hi quorum nemo conturbabitur, die formabuntur: hoc eſt, illuminatione illius viſionis qua beatum Petrum nimis trepidum ad remedium patientiæ ſuo reformauit aſpectu.

D *Mihi autem valde honorificati ſunt amici tui Deus: valde confortati ſunt principatus eorum.*

Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.

Ipſi, inquit, qui in die errauerunt, & quorum nullus fuit quin conturbaretur, amici mei & valde honorabiles facti ſunt, & totius Eccleſiæ habuerunt principatum: & quamuis à me ſint dinumerati, ſuper arenam tamē multiplicabuntur: quia in infinitum & multitudo eorum creſcit & gloria.

Exurrexi & adhuc ſum tecum.

Hoc tempus ſignificat, quo adhuc in occulto eſt ad dexteram patris, antequam reueletur in ea maieſtate, in qua iudicaturus eſt viuos & mortuos. Vnde ſequitur & dicit, quid interea per totum hoc tempus in Eccleſia agatur de bonorum & malorum permixtione, & omnibus afflictionibus vitæ temporalis: obuiam formaſti occultum, dum eis differtur aduentus.
E

Si occideris domine peccatores: viri ſanguinum declinate à me.

Quod dicitis in cogitatione, accipient in vanitate ciuitates ſuas.

Occiduntur ſuperbi, cum deſeruntur gratia Dei: quibus in cogitatione humilium, & vnitate cuſtodientium dominus dicit occulte. Viri ſanguinum declinate à me: quod palam in iudicij ſui manifeſtatione dicturus eſt, Matt. 7.
Nunquam noui vos: diſcedite à me qui operamini iniquitatem. Viri autem ſanguinum qui ſunt, niſi qui oderunt fratres? ſicut
Ioannes dicit, *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Iſti ergo ab 1 Ioan 3.
vnitate Eccleſiæ per ſuperbiam recedentes, qui quaſi vſ-
ſenti permixtione palearum, ante diſcretionis ventilabrū F
triticum deſerunt, accipient in vanitate ciuitates ſuas: id eſt, in reprobam ſocietatem & in vana ſe concilia congregabunt, quia quod charitate catholica non † vtitur, hæ- † vtitur.
retica vanitate diſpergitur.

Nonne qui oderunt te domine, odio habui? & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?

Perfecto odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi.

Perfecta in dominum dilectio eſt, nō amare quod non amat, & ipſius inimicos Dei ſic odio habere, vt prauitas eorum odioſa ſit potius quam natura: quia aliud eſt in illis quod ipſi faciunt, aliud quod creator inſtituit. Hoc eſt
enim perfecte, id eſt, ſcienter odiſſe, vt nec propter vitia Sent. eſt
homines oderis: nec vitia propter homines diligas. 65.

Proba me domine, & ſcito cor meum: interroga me, & cognoſce ſemitas meas.

Et vide ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna.

Scrutare, inquit, ſemitas meas, id eſt, conſilia & cogitationes meas, probans & examinans quo affectu diligam bonos, & quo animo tolerem malos, & deduc me in via
æterna. Niſi ille qui dicit, *Ego ſum via, veritas, & vita*: & qui Ioan. 14.
eſt *mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus*: per quem ha- 1. Tim. 2.
bemus acceſſum ad patrem, & qui eſt exoratio pro peccatis noſtris. 1. Ioan. 2.
G

PSALMVS CXXXIX.

IN FINEM PSALMVS IPSI DAVID.

FInis non alius intelligendus eſt, quam qui eſt ab Apo-
ſtolo declaratus, dicens. *Finis enim legis Chriſtus ad iuſti-* Rom. 10.
tiam omni credenti. Titulo ergo ſuo indicat Pſalmus vnde locutus ſit: nam & dicendo, Ipſi Dauid: quem ſignificat,
qui eſt ſecundum carnem ex ſemine Dauid. Ergo non ſecun-
dum diuinitatem, qua creator eſt non ſolum Dauid, ve- Rom. 1.
rum etiam viſibilium atque inuiſibilium naturarum: ſed ſecundū carnem filius Dauid eſſe dignatus eſt, vt totum corpus eius, id eſt, eccleſia, capitis ſui vſitatus auxilio: & omne membrum eius, voce ipſius dicat:

Eripe me domine ab homine malo: à viro iniquo libera me.

NOn ab vno maligno, ſed ab vno genere malignorum: nec à vaſis tantum, ſed ab ipſo principe: id eſt,
ab ipſo diabolo ſe erui cupit, qui vult ab iniuſtitia libera- H
ri. Dicit enim Apoſtolus, *Non eſt nobis colluctatio aduerſus car-* Ephes. 6.
nem & ſanguinem: ſed aduerſus principes & poteſtates, & rectores mundi tenebrarum harum: id eſt, rectores peccatorum, quibus præſidet & dominatur totius malignitatis inceptor. Qui autem eſt homo malus, idem eſt & vir iniquus: nullus enim iniuſtus malitia caret, & in diſſimilibus peccatis vnius nomen eſt peccatoris: qui etiam ſi ſic peccet, vt ab aliorum ſe læſione contineat, quolibet tamen modo ſibi nocens, innocens non eſt.

Qui cogitauerunt iniuſtitias in corde, tota die conſtituerunt bella.

Minus noxia eſt iniquitas aperta quam tecta: & ille eſt inſidioſior inimicus, qui in labijs portat bona, & in

pene-

A penetralibus animi occulit mala: in talibus autem ſecretis non niſi bella conſtituuntur: hoc eſt, ea ordinantur, quæ bonis ſint aduerſa & repugnantia: quia contra omnia vitia continua ſunt bella virtutibus.

Acuerunt linguam ſuam ſicut ſerpentes: venenum aſpidum ſub labijs eorum.

Non eſt dubium quales ſint qui ſerpentibus comparantur, qui ſine ſtrepitu ac ſono leniter ſerpunt, ſed nocentes irrepunt.

Conſerua me domine de manu peccatoris: & ab hominibus iniuſtis erue me, qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos.

Omnes quidem maligni, ſiue occulti ſiue manifeſti, ſolicitè ſunt cauendi, ne quid excitent periculi, ne quid inferant damni: ſed in nullo magis eorum metuenda verſutia, quam ne nos ſocios faciant, & greſſus noſtros à via recta in ſua itinera moreſque traducant. Ipſa eſt ſæuiſſima

B ſupplantatio, quando fideles & religioſi relicto propoſito bono in imitationem tranſeunt impiorum.

Abſconderant ſuperbi muſcipulam mihi, & reſtes extenderant in laqueum pedibus meis.

Totum corpus diaboli breuiter explicauit, dicens, Superbi. Inde eſt enim, quod iuſtos ſe videri volunt, cum ſint iniqui: & nihil magis refugiunt, quam peccatorum confeſſionem: cumque ſint falſi iuſti, veris iuſtis inuidẽt, quia moleſte ferunt illorum ſynceritate ſuam detegi ſimulationem. Agunt ergo omnia arte fallaciæ, vt ſubruant greſſus bonorum, & imitatores ſui faciant, quos ad condemnationem ſuam dolent eſſe meliores. Doli autem iniquorum ideo reſtes dicuntur, quia inſidiantes rectorum greſſibus adijciant malitiam ſuper malitiam, & peccatis peccata contexant.

Iuxta ſemitas ſcandalum poſuerunt mihi: dixi Domino, Deus meus es tu.

Semitæ iuſtorum mandata ſunt Dei: in quibus ſcandala conſtituere mali nequeunt, ſed iuxta inſidias tendunt, & veris veriſimilia adiungunt, ne à lege iuſtitiæ diſcordare videantur. Non ergo diſcedatur à ſemitis, & tendiculæ non nocebunt. Ambulans autem per viam mandatorum

C Dei dicat domino, Deus meus es tu, quæ vox propriè iuſtorum eſt, cum Deus etiam malorum ſit Deus: ſed hac confeſſione non adiuuantur, quandiu domino conditione potius quam voluntate ſubduntur.

Percipe auribus vocem deprecationis meæ domine: domine virtus ſalutis meæ.

†potuiſſe. Cum videatur rectè* potius ſe dicere: Percipe auribus deprecationem meam: id eſt, non ſonum, qui eſt etiam animalium, ſed vocem, quæ eſt ſperantium atque viuentium (nam infernorum ſoni ſunt: voces autem niſi rerum viuentium non ſunt) magnus tamen affectus precantis oſtenditur, cum & domini appellationem repetit, & ſalutis ſuæ non in ſe eſſe cauſam, ſed in domini virtute profitetur.

Obumbraſti ſuper caput meum in die belli:

Iob. 7. Præſens vita, quæ tota tentatio: dies eſt belli: quia vel foras, vel intus nunquam deeſt aduerſitas, cui debeat repugnari. Laborans igitur in hoc bello, rectè ſibi obumbrationem petit gratiæ Dei, ne æſtu laborum fatigatus areſcat.

D *Ne tradas me à deſiderio meo peccatori.*

Ideo ait obumbratum ſe in die belli, vt non vreretur æſtu deſiderij: quo qui vincitur, traditur peccatori, & aduerſæ ſubijcitur poteſtati. Pertinacia enim malæ voluntatis ducit in laqueum, à quo eximitur, cuius concupiſcentia ſuperna obumbratione ſedatur.

Cogitauerant aduerſum me: ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

Cogitatio aduerſantium fraudulenta eſt: ſed vt mihi, inquit, non noceat, ne derelinquas me, ne de mea abiectione lætentur.

Caput circuitus illorum, labor labiorum ipſorum teget eos.

Me, inquit, vmbra alarum tuarum tegat in die belli: illi autem mendacio ſuo ſe tegere laborabunt, & hoc erit caput circuitionis ipſorum: non enim vnquam quieſcent in ſuis commentis veritatis inimici: qui volentes ſuis ſe operire mendacijs, ad hoc laborant vt non finiendis laboribus implicentur: quia velare ſe non poterunt, niſi mendacium laborent labiorum. E

Cadent ſuper eos carbones ignis, in terra deijcies eos.

Sicut prædicatio crucis Chriſti *alijs* erat *odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem*: ſic & iſti carbones eius ſunt 1.Cor. 2.
operationis, quæ & illuſtrare valeat fideles, & punire peccatores. Fit autem hæc malorum pœna in terra, id eſt, in hoc ſeculo & in hac vita, cadente ſuper eos igne ſupplicij temporalis antequam veniat ignis æternus.

In miſerijs non ſubſiſtent.

Victi, inquit, tribulationibus cadent, & non ſubſiſtent: quia debitis plagis non emendabuntur, ſed peiores fient.

Vir linguoſus non dirigetur ſuper terram.

Linguoſus non capit ſcientiam veritatis: amans enim ſemper loqui, non poteſt erudiri. Praua ergo ſtudia ipſius non dirigentur: quia loquacitas imperita mauult docere quam diſcere. F

Virum iniuſtum mala venabuntur in interitum.

Venient mala, & non ſubſiſtent iniuſti, cum aliqua clade opprimuntur, intereunt: non enim quæ inciderint mala, pro iuſtitia patiuntur: & ideo non ſubſiſtent, quia in miſerijs ſuis nulla poſſunt bonæ ſpei fiducia ſuſtinere.

Cognoui quia faciet dominus iudicium inopis, & in cauſam pauperum oſtendet iniquus.

Pauperes ſunt humiles, & ſancto ſemper deſiderio ſuſpirantes: *qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quia ſaturabuntur*: Matt. 5.
quorum cauſam Deus non negligit: & in quorum gloria Sap. 5.
videbunt impij quid amiſerint.

Veruntamen iuſti confitebuntur nomini tuo: habitabunt recti cum vultu tuo.

Glorificabuntur, inquit, iuſti, & æterna beatitudine ditabuntur: ſed tamen nihil operum tuorum ſuis meritis vindicabunt. Confitebuntur tibi opera miſericordię tuæ, & omne bonum ſuum tuæ gratiæ deputabunt: & in hoc inhabitabunt cum vultu tuo: hoc eſt, æterna vultus tui viſione potientur. *Beati enim mundo corde quoniam ipſi Deum* Matt. 5.
videbunt.

PSALMVS CXL.

G *Domine clamaui ad te, exaudi me: intende voci deprecationis meæ dum clamauero ad te.*

ORatio corporis Chriſti non ſeparatur à capite, quod in ſuſcepta membrorum natura manet, & orare totam Eccleſiam facit, dicente domino, Clamaui ad te: non alta voce, ſed forti fide. Nec quia exaudiſti, ideo clamare ceſſabo: cum humilitatis meæ conditio talis ſit, vt non ceſſantibus tribulationibus ſemper gaudeat adiuuari.

Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.

Hoc de ipſo capite intelligendum omnis Chriſtianus agnoſcit. Declinante enim die in veſperam, dominus in cruce *emiſit ſpiritum*. Rurſum inſerendum corpori, vt ſpes Matt. 27.
omnium fidelium hoc in ſe non dubitaret implendum quod in capite præceſſiſſet. Supra omnia ergo holocauſtomata hoc ſacrificium fuit, quod imitantur corda ſanctorum, cum de bona flagrantia orationum tanquam de ara ad Deum odor tendit incenſi. Cuius oblatio non fit ſine illa confeſſione, quam Chriſtus ex perſona ſui corporis ſuam fecit, dicens, *Verba delictorum meorum*: vt agnoſceremus ſemper nobis neceſſariam confeſſionem peccato- Apo. 5. & 8.
rum, quę ineſſe nobis, ipſius qui nos ſuſcepit voce cognoſcimus. H

Pone domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.

Nunquid hoc præſidio, & hac munitione indiget caput? Sed agit cauſam corporis ſui: & quæ membri ſunt, profutura ſibi poſtulat: quoniam qui dicit, *Cum vni eorum* Matt. 25.
feciſti, mihi feciſti, & perſequenti Eccleſiam ait, *Quid me per-* Act. 2.
ſequeris? Ipſe eſt, qui ex perſona ſuorum poſcit & dicit, Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labijs meis.

Non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis:

Cum hominibus operantibus iniquitatem.

Cuſto-

Digitized by Google

A

Cuſtodiam ergo ſibi apponi os fideliũ petit, & vt oſtio continentiæ muniatur: quod nec clauſum ſit ad confitenda, nec apertum ad excuſanda peccata. Sunt enim qui ſcelera ſua nolunt ſibimet imputari, & pondera malæ conſuetudinis ad neceſſitatem retorquent naturæ, vt accuſatione conditionis defendant crimina volũtatis: cum quibus homo corporis Chriſti non vult habere conſortium, dicens.

Et non communicabo cum electis eorum.

Hoc eſt, Non ſociabor cum electis eorum, quos in his excuſationibus præcipuos habent quadam ſcientia tumidos, & cauſam facinorum quaſi doctius defendentes, ne videantur peccata eſſe hominum, quæ facta ſunt ſiderum. Nomen itaque electorum in bonis donum eſt gratiæ, in malis mendacium ſuperbiæ: qui etiam perdita innocentia defenſione commiſſorum ſcelerum gloriantur.

B

Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me:

Caſtigatio iuſti non ſæuitia eſt odij, ſed medicina charitatis, quæ non laudat, ſed arguit delinquentem. Melior eſt ergo ſeuera iuſti miſericordia, quam blanda adulatio peccatoris, de qua dicitur:

Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Intima, inquit, conſcientiæ meæ non oblectet falſa laudatio: quoniam argui me malo quam decipi. *Quis enim gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut mundum ſe eſſe à peccato*, cum quotidie *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem*: ſciatque & ſuum eſſe quod patitur concupiſcentem, & gratiæ eſſe quod ſuperat rebellantem?

Prou. 20. ſecundum. 70. Gal. 5.

Quoniam adhuc oratio mea in beneplacitis eorum.

Oratio, inquit, Chriſti, ſiue quam docuit, ſiue qua quotidie *interpellat pro nobis*, adhuc placebit eis, qui ridendam putant confeſſionem noſtram, qua dicimus, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus.* In toto enim mundo hæc ſupplicatio conualeſcit, & qui ſe falſo iuſtificant, probabunt hanc homines veram eſſe ſapientiam: vt nemo de ſe præſumat, ſed *qui gloriatur, in domino glorietur*.

Matt. 6. Heb. 7. 1. Cor. 1.

Abſorpti ſunt iuxta petram iudices eorum.

Iudices eorum, id eſt, magiſtri ipſorum, qui ſibi iudiciũ vindicant de mundanorum dogmatum diſciplinis, ſi petræ iungantur, id eſt, ſi Chriſto cõparentur, abſorpti ſunt, id eſt, nihil loci habebunt, ſed in ſua vanitate deficient: quia etſi aliquid recti verique dixerint, non cuiuſquam hominis, ſed eſt ipſius veritatis.

C

Audient verba mea, quoniam præualuerunt.

Euangelium veritatis nulla perſecutione ſuperabitur: cedent impij, cedent loquaces, & ingenia aduerſantium diſcipulos Chriſti facient doctores. Non eos exilia, non damna, non mortes, non crux ipſa terrebit: quoniam præualebunt verba mea, & paſſionibus martyrum multiplicabitur gloria triumphorum.

Sicut craſſitudo terræ diſrupta eſt ſuper terram, diſperſa ſunt oſſa noſtra ſecus infernum.

Mortibus martyrum, & ſanguine occiſorum ſanctorum, quorum oſſa diſperſa ſunt, incraſſata eſt terra: & ſicut agri de cinere ac de ſtercore, ac de viliſſimis excrementis vires vbertatis accipiunt, ita cruore cæſorum teſtium Chriſti totus fœcundatus eſt mundus, vt vbique ſeges martyrum creſceret, & inſererentur cœlo, qui deputabatur inferuo.

D

Quoniam ad te domine oculi mei: in te ſperaui, ne auferas animam meam.

Contra ſæuitiam perſequentium vox ad dominum emittitur in tribulatione poſitorum: ne fidei fortitudinem ſuperet atrocitas paſſionum. Petitur igitur tolerantia, vt validior ſit dilectio Dei, quam magnitudo ſupplicij.

Cuſtodi me à muſcipula, quam ſtatuerunt mihi: & ab ſcandalis operantium iniquitatem.

Quæ erat muſcipula, niſi vox perſecutoris, dicentis: Si conſentis parco: vt per cibum præſentis vitæ iretur in laqueos mortis æternæ? Quæ autem erant ſcandula, niſi exempla lapſorum, quorum impio defectu patientia perſeuerantium grauabatur:

Cadent in retiaculo eius peccatores.

Non quia cuiquam virtutem non cadendi iuſtitia ſua dederit, cum gratia Dei multos etiam ex impijs martyrio coronarit: ſed ideo dicuntur peccatores caſuri, quia iſte caſus etiam eos qui iuſti videbantur, facit peccatores.

E

Singulariter ego ſum, donec tranſeam.

Solus Chriſtus martyrum fortitudo, pro quo nullus eſt prius mortuus, quam ipſe moreretur: ſicut dicit: *Cum exaltatus fuero à terra, omnia ad me traham.* &, *Niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Priuſquam ergo moreretur, & reſurgens tranſiret ad patrem, ſingularis fuit, nec habuit ſocios paſſionis, qui poſtea in multiplicem ſegetem de vnius grani fœcunditate creuerunt.

Ioan. 12. Ibidem.

PSALMVS CXLI.

Voce mea ad dominum clamaui, voce mea ad dominum deprecatus ſum.

F

QVod dixit, Clamaui, expoſuit dicendo, Deprecatus ſum voce mea: id eſt, interiori affectu, nec corporis voce, ſed mentis.

Effundo in conſpectu eius precem meam.

Id eſt, in ſecreto cordis, quod ſolus Deus audit & videt: in quo cubiculo clauſo oſtio iubemur orare, ne penetralia noſtra pateant tentatori: Duo quippe ſunt, quibus maxime hominis interiora pulſantur, amor ſcilicet, & timor: quibus geminis motibus animus aut aperitur, aut clauditur: ſed cum terrenum eſt quod cupit vel timet, diabolo præbet introitum: cum autem quæ ſurſum ſunt ſapit, non quæ ſuper terram, Deus recipitur, & tentator excluditur.

Matt. 6.

Tribulationem meam ante ipſum pronuntio.

Quod dictum eſt, In conſpectu eius: hoc eſt &, Ante ipſum: ſed repetitione oſtenditur quam inceſſanter hoc faciat, & quam nihil ſine Deo agat, qui ſemper ipſum ſe habere & adiutorem profitetur & teſtem.

In deficiendo in me ſpiritus meus.

Confeſſio eſt humilitatis, quia potens fit qui in tribulatione non deficit: vinceretur enim qui ſpiritum non profiteretur infirmum: quia ille ſpiritu Dei agitur, qui ſuo ſpiritu non inflatur.

G

Et tu cognouiſti ſemitas meas.

Quo, inquit, deſiderium meum tendat, & ad quem finem omnes meę properent actiones, ſcientiam tuam non latet: quia ſemitas meas cognoſcis eſſe miſericordias tuas. Cognitio autem Dei ſalus eſt cogniti: eum enim non cognoſcit, in quo opera ſua & dona non inuenit.

In via hac, qua ambulabam, abſconderunt laqueos mihi.

Via ſanctorum omnium Chriſtus eſt, *in quo volentes pie viuere, perſecutionem patiuntur*: quia crux Chriſti *Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitia eſt.* Qui ergo Chriſto aduerſantur, in via ſe ponere ſcandalum putant, cum Chriſtianis crucifixi nomen exprobrant. Sed cum ab eius Euangelio greſſus fidelium non absterrent, nihil poſſunt in via collocare laqueorum: quia in veritate falſitas non latet: nec valent tenebræ in luce deliteſcere. Secundum animum ergo inſidiantium dictum eſt, quod in via abſconderunt laqueos: qui proxima quæque ſuis fraudibus obſidentes, nulli per viam gradienti nocere potuerunt.

2. Tim. 3. 1. Cor. 2.

Conſiderabam ad dexteram, & videbam: nec erat qui cognoſceret me.

H

Dextra ſunt, quæ Dei ſunt, & ad Dei promiſſa perducunt: quibus animus eius qui perſecutionem ſuſtinet, non auertitur. Hæc ergo quæ dextra ſunt intuens, promiſſa perſeuerantibus præmia videt & accipit: perſeuerantiam tolerantiæ & dilectionem Dei adſequitur, ne ſuperetur. Hanc tamen intentionem nemo cognoſcit: quia impoſſibile eſt homini penetralia alieni cordis aſpicere: vnde merito dixerat Deo, Tu cognouiſti ſemitas meas.

Periit fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam.

Circumcluſus quidem à perſecutoribus perdidit licẽtiam fugæ, qua vti poſſet abſque peccato, ſi manente fide, ſupplicijs membra hærerent. Sed cum in propoſito mentis ſit lapſum magis timere quam pœnam, perijt ab eo fuga, qui mauult omnem ſæuitiam tolerare, quam cedere.

A cedere. Secundum autem multitudinem perſequentium dixit, non eſſe qui requirat animam eius: quia præter donum Dei nulla hominum conſolatio hoc cuiquam poteſt conferre præſidij, vt inter vrgentia mala fides illæſa permaneat.

Clamaui ad te domine, dixi, tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium.

Oſtendit vnde tribulationum magnitudinem tolerauerit, quia ſcilicet & hic tota ſpes ipſius Deus eſt, & in futuro totum præmium ipſius Deus eſt, qui *erit omnia in omnibus.* 1. Cor. 15.

Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus ſum nimis: erue me à perſequentibus me.

Nimia humiliatio, nimia perſecutio: cuius vim ſola protectio Dei vincit. Poteſt quidem præſtare ſanctis, vt in eos non habeant aduerſarij poteſtatem: ſed mirabilius tribuens vt omnem ſuperent paſſionem. In perſecutoribus autem non humana tantum cauenda ſunt odia, ſed multo magis inimicitiæ ſpirituum malignorum, qui opere miniſtrorum ſuorum iuſtos Dei latenter impugnant: de quibus dicit Apoſtolus: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem: ſed aduerſus principes, & poteſtates, & rectores huius mundi tenebrarum harum.* Quem vero rectorem habent iniqui, niſi diabolum? quum & fideles non habeant niſi Christum.
B
Ephe. 6.

Quomodo corroborati ſunt ſuper me?

Vox eſt eccleſiæ conquerentis, quod multum creuerit numerus impiorum, quod abundet iniquitas, & refrigeſcet charitas multorum.

Educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo.

Omnes quidem anguſtiæ & concluſiones turbationũ carcerem faciunt, quia coartant animam, & auferunt libertatem: ſed ipſa inhabitatio corporis poteſt carcer intelligi: non quia malum ſit quod Deus fecit, qui omnia quidem bona condidit: ſed *corpus quod corrumpitur, adgrauat animam.* Non à corpore, ſed à corruptione corporis animã ſuam optat educi, vt confeſſionem laudationis Dei nulla neceſſitas mortalitatis impediat.
Gen. 1.
Sap. 9.

Me expectant iuſti, donec retribuas mihi.

C Totus Pſalmus ipſius capitis voce concluditur: cui & quod membra eius patiuntur infertur, & in quo omnis Eccleſia glorificabitur, quæ beatorum retributionum expectat autorem, dicentem patri: *Volo vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum.*
Ioan. 17.

PSALMVS CXLII.

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe deprecationem meam in veritate tua, exaudi me in tua iuſtitia.

Titulus Pſalmi paſſionem indicat Christi: ipſe eſt enim verus Dauid, qui & in ſe & in ſuis perſecutionẽ & falſorum fratrum, & falſorum ſuſtinet filiorum. Clamat ergo ad Deum & caput in corpore: & corpus in capite: hoc eſt, eccleſia in Chriſto, & Chriſtus in eccleſia: & cum orans in Dei iuſtitia poſcit audiri, mirabili confeſſione exprimit gratiam Dei, ne quiſquam in ſua iuſtitia precem ſuam exiſtimet recipi, cum ſi quid boni meretur, ex Deo ſit, nec poſſit peccator bene agere niſi ab illo iuſtificatus, qui neminem hominum niſi in peccatorum remiſſione iuſtificat.

D *Et non intres in iudiciũ cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.*

Cito aperuit, quare nollet ſe diuinæ comparare iuſtitiæ, & cur à Deo metueret iudicari: Quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Quomodo præſumam de innocentia, cum à te conuincendus ſim de iuſtitia? Aut quid mihi boni proprij vindicabo, qui quod non dederis non habeo? Expaueſco igitur diſcuti, metuo iudicari: quia nemo in hac mortali carne viuentium veraciter poteſt dicere, ſe peccati contagia non habere: cum etiam ipſi præcipui arietes ouium Chriſti ſic orare iubentur, vt dicant, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*
Matt. 6.

Quoniam perſecutus eſt inimicus animam meam humiliauit in terra vitam meam. E

Collocauerunt me in obſcuris, ſicut mortuos ſeculi.

Et à corpore hoc dictum, & à capite congruenter accipitur: quoniam & diabolus perſecutus eſt animam Chriſti: & Iudas animam magiſtri: idemque diabolus ad perſequendum corpus Chriſti manet, nec Iudas deeſt in falſis fratribus ſuccedendo. Quid enim nobiſcum quilibet aduerſarius agit, niſi vt relicta ſpe cœleſti, corruamus in terram? Sed contra hos vigilandum eſt, vt poſſimus dicere, *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.* Quod ergo dictum eſt, *Collocauerunt me in tenebris, ſicut mortuos ſeculi:* in quo melius quam in domino intelligitur, qui ſolus fuit inter mortuos liber: *& cum iniquis deputatus eſt:* qui cum vo[ ]s fuit qui proprie, & ſingulariter diceret, *Non eſt inuenta in me iniquitas.* Philip. 3. Pſal. 87. Iſa. 53. Pſal. 16.

Anxiatus eſt in me ſpiritus meus.

Agnoſcitur dominus, dicens, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem:* in quo vtique & nos eramus, quia noſtræ naturæ erat illa triſtitia, *& vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt cruci* cum illo. Matt. 26. F Rom. 6.

In me conturbatum eſt cor meum.

Conturbatio hæc voluntaria fuit, & in ipſo tantummodo manſit conſilium miſericordiæ eius. Nam cæteri receſſerunt non intelligentes magnæ pietatis Sacramentum, nec reſurrecturum credentes, qui & paſſioni ſubdebatur & morti.

Memoratus ſum dierum antiquorum, & annos æternos in mente habui: & meditatus ſum in omnibus operibus tuis.

Hæc commemoratio antiquorum dierum, & recordatio omnium temporum, atque in eis diuinorum operum contemplatio non ex capitis, ſed ex corporis ſenſu eſt. Nam autori omnium rerum quid vnquam non conſpicuum eſt, apud quem & præterita adſunt, & futura iam facta ſunt? Membrorum igitur voce Dei gratia prædicatur, & opera miſericordiæ Dei lingua Eccleſiæ confitetur: quæ totius æui ſeriem reuoluens nihil inuenit, niſi Dei prouidentia & bonitate ſubſiſtere: & à quo cuncta ſunt condita, in ipſo, & per ipſum eſſe renouata: quoniam *vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua.* 2 Cor. 5.

In factura manuum tuarum meditatus ſum, & extendi manus meas ad te. G

Meditatio, inquit, mea, qua vidi omne bonum à tua bonitate manare, & tui eſſe operis quicquid in nobis tuæ poteſt placere iuſtitiæ, ad hoc me confirmauit, vt omnem ſpem meam in te conſtituerem, & tui per omnia peterem toris alimoniam.

Anima mea velut terra ſine aqua tibi: velociter exaudi me domine, defecit ſpiritus meus.

Ariditas, inquit, animæ meæ tibi ſitit, quia à te deſiderat irrigari, & tu accendiſti æſtum cordis mei, vt me exaudiri velociter petam: Defecit enim ſpiritus meus, vt impleat me ſpiritus tuus, & fecisti me pauperem ſpiritu, vt tribuas mihi quod humilibus ſpopondiſti, quorum eſt regnum cœlorum.

Ne auertas faciem tuam à me, & ero ſimilis deſcendentibus in lacum.

Auerſo à me vultu tuo conturbatus ſum, & factus ſum terra ſine aqua. Quia eaciaſti ergo deſiderium, redde cõſpectum, ne auerſa à me facie tua, ſimilis efficiar deſcendentibus in lacum. Qui autem iſti ſunt, niſi de quibus dicitur: *Peccator cum venerit in profundum malorum contemnit:* id eſt, non conuertitur. In quod profundum deſcendentes, in æternæ miſeriæ lacum decidunt: quia per contumacem ſuperbiam remedia confeſſionis pœnitentiæ perdiderunt. Prou. 18. H

Auditam mihi fac mane miſericordiam tuam, quia in te ſperaui.

Oriatur, inquit, in me lux miſericordiæ tuæ, fiatque quod credidi, vt ſpes, quæ auditu concepta eſt impleatur.

Notam mihi fac domine viam, in qua ingrediar.

Dux mihi ſit veritas tua, & greſſus mei tua gratia dirigantur.

Quoniam ad te leuaui animam meam.

Quoniam non de me præſumo, ſed vt mihi auxilieris poſco.

Digitized by Google

A

Exime me de inimicis meis domine, quoniam ad te confugi.

De illis ſe inimicis erui cupit, per quos etiam humana odia commouentur: id eſt, diabolo & angelis eius, qui
Epheſ. 6.
ſunt *rectores tenebrarum*, & incentores impiorum, à quibus fugiens ad dominum confugit, ne veteris hominis ſequatur exemplum, qui ſe à facie domini mala conſcientia conturbatus abſcondit.

Doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus meus.

Imple in me, inquit, affectus gratiæ tuæ, vt & hoc velim quod velle te noui: & non aliud ſit in meo opere, quā quod in tua eſt voluntate. Hoc autem ideo peto, quia tu
1. Cor. 12.
es Deus meus, *qui operaris omnia in omnibus.*

Spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam: propter nomen tuum domine viuificabis me in tua iuſtitia.

Ab omni me errore bonus ſpiritus tuus eruet, & in terram rectam, quæ eſt viuorum regio, perducet, non propter meritum meum, ſed propter nomen tuum: quia omnis mihi doni cauſa eſt miſericordia tua.

B

Educes de tribulatione animam meam, & in miſericordia tua diſperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ſeruus tuus ego ſum.

Quanta dignitas, & quanta beatitudo eſt, eſſe Dei ſeruum, cui nullo præcedente merito tanta præſtantur?

PSALMVS CXLIII.

1. Reg. 17.
PSalmi titulus rei geſtæ tangit hiſtoriam, qua Golias bellator potens à puero Dauid ſingulari certamine ſuperatus agnoſcitur. Sed & Golias ſignificat diabolum, & Dauid indicat Chriſtum, qui etiam in corpore ſuo, id eſt, eccleſia, intelligitur: quia in nullo membra ſeparantur à capite. Sic ergo accipiendus eſt Pſalmus, vt hiſtoricas actiones formas eſſe rerum ſpiritalium nouerimus: & victoriam Dauid, qua Goliam perculit, ad ipſum dominum
Rom. 1.
qui eſt ex ſemine Dauid, & ad omnia eius membra referamus.

C

Benedictus dominus Deus meus, qui docet manus meas in prælium, digitos meos ad bellum.

VOx eſt membrorum corporis Chriſti, quibus ad ſuperandum Goliam diuinum neceſſarium eſt ſemper auxilium, vt ſiue in prælio, ſiue in bello, & manus doceātur, & digiti. In manibus enim ſignificatur omnis operis plenitudo. In digitis autem laborum quædam diuiſio, vt totæ vires ad conficienda bella pertineant: ad partes animi virtutum, diuerſæ ſpecies præliorum. Vnde quibus armis, quibuſque præſidijs milites Chriſti inſtruantur, manifeſtat Apoſtolus, dicens.
1. Cor. 12.
Alij quidem datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ: alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundē ſpiritum: alij fides in eodem ſpiritu: alij donationes curationum in vno ſpiritu: alteri genera linguarum: alij prophetia: alij iudicatio ſpirituum: omnia autem hæc operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens propria *vnicuique prout vult.* His ergo digitis ſiue in bello, ſiue prælio pugnat corpus Chriſti, & omnem hoſtem, ſiue viſibilem ſiue inuiſibilem, lapidis iaculatione, hoc eſt, Chriſti ſoliditate proſternit.

D

Miſericordia mea, & refugium meum: ſuſceptor meus, & liberator meus.

Recte & veraciter dicimus domino, Miſericordia mea: quia nō ſolū miſeretur noſtri, ſed & nos ipſos miſericordiam facit, ne ſit *iudicium ſine miſericordia ei qui non fecit mi-*
Iacob. 2.
ſericordiam. Refugium autem eſt, à quo reparationem & conſcientiam ſumit infirmitas. Suſceptor eſt, qui pugnāti præſtat ne cadat. Liberator eſt, qui tribuit ne vulneretur dimicans, propter quod addit, & dicit:

Protector meus, & in ipſo ſperaui, qui ſubdis populum meum ſub me.

Voce capitis dictum videtur, Qui ſubdis populum ſub me: id eſt, Eccleſiam mihi per fidem ſubdis. Voce autem corporis intelligi poteſt, ſpiritalis quiſquis bellator, qui populum rebellem cupiditatum, & morum, carnalium deſideriorum, legi mentis ſuæ per opem gratiæ ſubditum confitetur.

E

Domine quid eſt homo, quoniam innotuiſti ei: aut filius hominis, quoniam æſtimas eum?

Magna dignitas hominis, qui ſic à Deo creatus, vt ſuū noſſet autorem: & tanti æſtimatus eſſet, vt vnigenitus Dei ſanguinem pro redemptione eius impenderet.

Homo vanitati ſimilis factus eſt: dies eius ſicut vmbra prætereunt.

Naturæ ſuæ homo immemor in ſimilitudinem vanitatis voluntaria præuaricatione mutatus eſt; vt qui factus fuerat in æternis, eſſet in vanis, id eſt, in occiduis & non permanentibus, dieſque eius ſicut vmbra tranſcurrerent: in comparatione quippe æternorum vana ſunt temporalia, nec vera ſunt quæ vel eſſe deſinunt, vel quod ſunt perdunt. Mira ergo circa homines bonitas & dilectio Dei, quod etiam ad ſe cognoſcendum vocat talem, & dignum æſtimat, quem tanto pretio redimat, & ab vmbra vanitatis educat. *Qui* enim *filio proprio non pepercit, ſed pro nobis om-* Rom. 8.
nibus tradidit eum, quomodo non & cum illo omnia nobis donauit?

F

Domine inclina cælos tuos, & deſcende: tange montes, & fumigabunt.

Coruſca coruſcationes, & diſperge eos: emitte ſagittas tuas, & conturbabis eos.

Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis.

Cæli ſunt prædicatores veritatis, enarrantes gloriam Dei, per quorum inclinationem, & tolerantiam paſſionum innoteſcit mundo coruſcatio Euangelij, & fulgura miraculorum illuſtrant corda credentium. Montes enim, id eſt, elati quique & tumidi tangente eos Dei gratia fumigabunt, & accenſi cordis vaporem cum lachrymis cōfeſſionis emitient. Sagittæ autem Dei verba ſunt Dei, quibus diſſipatur conſideratio ſuperborum, & percutiuntur malè ſani, vt ſanentur bene vulnerati: & hoc fit per emiſſam manum Dei de alto: quoniam brachium Dei, quod Ioan. 12.
eſt Chriſtus, homo factus eſt, & membra ſui corporis non relinquit, & eruit eccleſiam ſuam de aquis multis: id eſt, de populis infidelibus, ſiue foris oppugnantibus, ſiue intus inſidiantibus.

G

De manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis.

De quibus aquis eruit dominus humilitatem Dauid: id eſt, humilitatem corporis Chriſti: niſi de manu filiorum alienorum? omnes enim infideles alienigenæ ſunt, nec in filiorum Dei adoptione numerantur: & os eorum loquitur vanitatem, quorum lingua à confeſſione veritatis aliena eſt: & dextera eſt in illis iniquitas, quia in his quæ iniuſta ſunt, gaudent, & prauis tanquam rectis lætantur.

Deus canticum nouum cantabo tibi, in pſalterio decem chordarum pſallam tibi.

Canticum nouum eſt canticum gratiæ & noui hominis, ac noui teſtamenti, quod in decachordo, id eſt, in decem præceptis legis canitur: quia perfecta eſt in charitate cantatio: *Charitas legis eſt plenitudo.* Rom. 13.

Qui das ſalutem regibus.

Hoc eſt, qui tangis montes, & fumigabunt, vt humiliati ſubdantur tibi cum ſatisfactionis confeſſione.

Qui redimis Dauid ſeruum tuum.

H

Non caret Dauidis nomine, qui corpus eſt Chriſti, & cui contra Goliam decertatio eſt.

De gladio maligno eripe me.

Non ſufficit vt, De gladio, diceret, niſi adderet, &, Maligno: quia eſt ſine dubio & benignus, de quo dominus dicit: *Non veni pacem mittere in terram, ſed gladium.* Malignus Mat. 10.
ergo eſt, qui ſeparat à Chriſto: benignus, qui abſcindit à mundo.

Et eripe me de manu filiorum alienorum.

Qui ſcilicet vtuntur gladio maligno: *Filij* quippe *homi-* Pſal. 56.
num dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Qui ergo ſunt filij alieni, ipſi ſunt gladius malignus, ipſi ſunt aquæ multæ: & ideo eadem ſubiungit quæ prius dixerat, vt de quibus loquatur, apertius pandat, dicens:

Quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis.

Quam ergo vanitatem filij alieni loquantur, & quæ ſit dextera iniquitatis ipſorum, ſubiecta demonſtrant.

A

Quorum filij ſicut nouellæ conſtabilitæ à iuuentute ſua.

Filiæ eorum compoſitæ, & ornatæ ſicut ſimilitudo templi.

Cellaria eorum plena eructantia ex hoc in hoc.

Oues eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis: boues eorum craſſi.

Non eſt ruina maceriæ: neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum.

Hæc abundantia atque proſperitas communis eſt & malis, & bonis: ſed à malis in dextera habetur: à bonis autem in ſiniſtra reputatur: non quia & ipſa non Dei dona ſunt: ſed quia terrenis & temporalibus cœleſtia, & æterna ſupereminent: & ſicut *vtuntur* ſancti præſentibus *tanquam non vtantur, ſintque habentes quaſi non habentes.* Filij autem alienigenæ, qui dextram ſibi in tranſitorijs bonis, & in lubrica felicitate conſtituunt, non de opulentia arguuntur, ſed de peruerſo rerum amiſſibilium amore culpantur: cuius & vanitas, & iniquitas eius ſententiæ eſt, vt neque fide, neque ſpe, neque charitate, quæ ſurſum ſunt ſapiant, ſed infirma & caduca præmia diligant, quæ deſerunt, & à quibus deſeruntur.

1.Cor.7.

B

Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt.

Vanitate pleni, fide vacui, iniquitate armati, & à ſorte æternæ hæreditatis alieni in hoc protupetunt, vt dicerent beatum populum cui hæc ſunt. Sed dicant filij promiſſionis.

Beatus populus, cuius eſt dominus Deus ipſius.

PSALMVS CXLIV.

Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomen tuum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

TOtus Pſalmus Dei laude contexitur: & cum in titulo Pſalmi Dauid ſit prænotata laudatio, euidenter ille oſtenditur prædicari, qui eſt ſecundum deitatem dominus creatorque Dauid: & ſecundum quod *verbum caro factum eſt*, filius Dauid eſt: & non duplex perſona, ſed vnus eſt Chriſtus, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Huius ergo laudatio etiam in præſenti tempore continuanda eſt, quæ in æternitate manſura eſt: à quo officio qui in hoc ſeculo alienus eſt, futura laudationis Dei gaudia non intrabit.

Ioan.1.

C

Per ſingulos dies benedicam te, & laudabo nomen tuum in æternum, & in ſeculum ſeculi.

Dubium non eſt, ad præſentem quoque vitam pertinere Dei laudem: quandoquidem per ſingulos dies benedictio Dei celebranda diſponitur, non obſiſtere rerum mutabilium varietate: quia ſiue lætus de ſecundis: ſiue triſtis de aduerſis ducatur dies, nunquam à Dei laude ceſſandum eſt: qui enim nunquam tentatur, nunquam probatur: & melius eſt cum tribulatione exerceri quam cum proſperitate puniri.

Magnus dominus, & laudabilis valde: & magnitudinis eius non eſt finis.

Nullo fine laudatio eius concluditur, cuius magnitudinis nullus terminus inuenitur: & in cuius prædicatione quicquid laudator poterit cogitare, non ſufficit. Qui ergo omni laude ſemper eſt maior, ſine fine laudetur: ex hoc ipſo homo ſpem ſuæ æternitatis accipiat: quia nunquam non erit qui dominum laudare non deſinit.

D

Generatio, & generatio laudabit opera tua, & virtutem tuam adnunciabunt.

Omne humanum genus generatio repetita ſignificat, quæ ab initio ſui vſque in finem per conſiderationem creaturarum rationabiliter intelligit vniuerſitatis autorem, vt de his quæ videre poſſibile eſt, & in quibus tanta admirationum materia eſt, ea quæ cerni nequeant, æſtimentur, & ille omnem aciem mentis exuperet, de quo parum digne ſentit, qui putat ſufficere quod intelligit. Poteſt autem per vnam generationem prima ſignificari vita mortalium: per alteram vero generationem reſurrectio accipi: quia & ipſa regeneratio nuncupatur: ſecundum quod dictum eſt: *In regeneratione* autem *cum ſederit filius hominis in maieſtate ſua.* Laudatur ergo in hoc ſeculo, & multo magis laudabitur in futuro: Nam ſi nunc hoc faciunt compediti, quomodo non amplius facient coronati?

Matt.19.

E

Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua enarrabunt.

Et virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam enarrabunt.

Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitiam tuam exaltabunt.

Veri laudatores Dei nihil operum eius iudiciorumque non laudant, & ſic omnia facta mirantur, vt mirabilior ſit ipſe qui fecit: quia quicquid in creatura laudabile reperitur, ad illius recurrit gloriam, *qui operatur omnia in omnibus*: vnde & terribilia eius, laudis honore ſunt plena: Nun enim blanditur, & non minatur: ſi non blandiretur, nulla eſſet correctio: miniſtri igitur eloquiorum Dei & miſericordiam eius, & iuſtitiam prædicabunt: & ſicut regnum æternum, ita regnum perpetuum non tacebunt, vt in via, qua ad retributionem tenditur, conſtituti, ſciant quid eligere debeant quid cauere. Magnitudinem autem Dei, quæ non habet finem, quomodo enarrabunt, niſi quia ſemper hoc prædicabunt, quod finis eius nequeat inueniri? ineffabilium enim nullus eloquentior eſt narrator, quam qui fatetur inexplicabilia eſſe quæ loquitur. Hi ergo, inquit, narratores magnitudinis tuæ memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, quia non es oblitus noſtri, noſque tui meminiſſe facis. Doctrina itaque ſana hoc de abundantia ſuauitatis diuinæ ructat, facitque eructari, vt omnes boni Dei gratia ſe regi, Dei gratia nouerint cuſtodiri, & per ipſam ſibi, vt de illa poſſint gaudere, præſtari.

1.Cor.12. Sent. eſt 70.

F

Miſericors, & miſerator dominus, longanimis, & multum miſericors.

Suauis dominus vniuerſis: & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.

Miſericordia & gratia, bonitas & patientia Dei per omnia declaratur: & nemo deſperet, nemo præſumat: quia ſicut ſuauis eſt lenitate, ita iuſtus eſt vltione: & nihil longanimitati eius perit, quem & conuerſus benignum & obduratus experitur ſeuerum: miſerationes enim eius in omnia opera eius: quia in his qui ſaluabuntur, damnauit aliena.

G

Confiteantur tibi domine omnia opera tua, & ſancti tui benedicant te.

Quæcunque ſunt in vniuerſitate rerum à ſummis vſque ad infima, opera vtique ſunt Dei: & quamuis rationales tantum intellectualeſque creaturæ diuinæ laudis affectione moueantur, non fruſtra tamen ad confitendum Deo omnia opera ipſius incitantur: quia nihil eſt tam exiguum, tamque à ſenſu remotum, in quo non mirabilis ſit creator: quem cum angeli, & homines confitentur & laudant ipſæ infinitæ mundi partes, & ſpecies, atque naturæ ſuum ſemper loquuntur autorem & vtilitate ac pulchritudine ſua immenſam dant materiam laudatoribus: & videntur laudantia, quæ ſunt laudabilia, dum quod non poſſunt eloqui, faciunt non taceri.

Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur:

Vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui.

Omnis ſpecies, & virtus, & pulchritudo creaturæ regnum eſt Dei, quia diuerſorum ipſe eſt author & dominus: ſed ab his quæ videntur, diſtinguuntur & ea quæ nondum innotuerunt: & intelligitur ex decore viſibilium quantum excellant, & in qua gloria emineant quæ regnum Dei ſpecialius nominantur: vnde quotidie dicimus, *Adueniat regnum tuum*: cuius nec magnitudinem, nec gloriam, nec decorem vlla poſſunt corda concipere: ſed quia ſicut promittitur, ita creditur, certiſſimo deſiderio, donec adſit, expetitur.

H

Matt.6.

Regnum tuum regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione, & progenie.

Repetitio generationis, & præſens ſeculum indicat & futurum: quia & reſurrectio generatio dicitur, quæ ſanctos ad incorruptionem beatæ æternitatis creauit.

Fidelis dominus in verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

A Multa dominus, & magna promiſit, & quædam eredita impleuit: quædam ſeruanda ſeruauit, vt ſecura eſſet expectatio, cui vires ſua præcepta præberent.

Confirmat Dominus omnes, qui decidunt, & erigit omnes eliſos.

Prou. 4. *Septies cadit iuſtus, & reſurgit: impij autem infirmabuntur in malis.* Aliter ergo ſancti, aliter decidunt infideles: & horum nunc fit commemoratio, quorum nullus confirmatur à domino: ruiſſe enim quodammodo videntur cum omnibus temporalibus carent, & inhonori ac pauperes ſpernuntur à potentibus mundi, & inter abiecta quæque

Iacob 4. reputantur: Sed *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*

Oculi omnium in te ſperant, & tu das eſcam illis in tempore opportuno.

Sicut bonus medicus nouit qua eſca ægrotus, & quo

B tempore ſit cibandus: ita dominus ſeruos ſuos opportunè ſalubribus cibis reficit: & quid cuique congruat, ineffabilis ſcientiæ benignitate diſcernit, vt ſubiectio fidelium de omnibus proficiat, quæ illi adhibenda cenſuerit, ſiue aſpera, ſiue blanda, vt in nullo murmurent ægri, ſed quodlibet curationis genus æquanimiter ab autore ſuæ ſalutis accipiant, dicentes, quod ad eruditionem patientiæ no-

Mar. 26. ſtræ ipſe ſaluator dignatus eſt dicere: *Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte: verum non quod ego volo, ſed quod tu vis: pater fiat voluntas tua.*

† omne animal. *Aperis tu manum tuam, & imples† omnem animam benedictione.*

Ex Dei largitate eſt quicquid benedictionis adſequitur: quia nemo eam concupiſceret, niſi ad incitandum ipſum deſiderium manum ſuæ bonitatis aperiret.

Iuſtus dominus in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.

Pſal. 24. *Vniuerſæ*, inquit, *viæ domini, miſericordia, & veritas*, ſiue circa nos ſeueritas, ſiue lenitas: quia qui etiam flagella meditatur, ideo caſtigat, vt parcat.

Prope eſt dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus qui inuocant eum in veritate.

Multi non in veritate inuocant dominum, aliud ab illo quam ipſum deſiderantes: à quibus longe abeſt: quia

C diuerſum & remotum eſt ab ipſius voluntate, quod cupiunt. Si autem id concupiſcunt quod præcipit, iuſtus, & bonus, propinquus omnino eſt his, quos inſpirauit affectibus: & timentium ſe voluntatem facit: quia quæ domini, eſſe cœpit & ſerui.

Voluntatem timentium ſe faciet, preces eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos.

Cuſtodit dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet.

Quos omnes peccatores niſi perſeuerantes in peccatis, & quotidie contra Deum diſputantes? Pars autem dextera, cui nullum eſt cum ſiniſtra parte conſortium, quia ſemper illi iudicia Dei vniuerſa placuerunt, quid in æternum ſit factura profitetur, & dicit:

Laudem domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomen ſanctum eius in æternum, & in ſeculum ſeculi.

PSALMVS CXLV.

D *Lauda anima mea dominum, laudabo dominum in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu ſum.*

SAncta & ſpiritalis anima ipſa ſe ad laudandum dominum cohortatur: excellentiore ſui parte ea quæ in ſe minora ſunt, incitat. Non enim alia eſt quæ dicit, & alia cui dicit: aut carnis hæc vox eſt, quæ ab anima & vitam ſumit, & ſenſum: nec ſine anima aliquid poteſt velle, & non velle. Quia vero ipſius animæ duplices actiones ſunt, & alio officio erigitur ad dominum, alio inclinatur ad carnem: ſi bene ſpiritui ſeruit, bene præſidet carni: & per id quod adhæret Deo, id etiam, quod adhæret corpori, ad ſuperiores inuitat affectus: vt rationali dominatu tantum ſubditis tribuat, quantum ad ſalutem ſat eſt: ne ſi Deo nō eſt ſubiecta, minuatur. Mens itaque ſumma quædam pars animæ ſemetipſam in omnibus ſuis incitans conatibus,

E dicit: Lauda anima mea dominum: non quia hoc non faciat quantum poteſt, ſed quia parum eſt, quod infirmitate corruptibilis corporis poteſt, ad illam perfectam & æternam laudationem proficere concupiſcit: & memor præſentis conditionis, in qua deſiderij ſui non inuenit vires, quantum hoc per ſe factura, reſpondit, dicens: Laudabo dominum in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu ſum. Nunc enim quamuis fide & ſpe & charitate roboremur, tribulationibus tamen & ſcandalis ac mœroribus non caremus: & inter innumera mortalitatis obſtacula, & æternæ vitæ officia, non implemus: Quoniam *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Sap. 9. In vita igitur mea, quam nulla ægritudo infirmat, nulla egeſtas facit inquietam, laudabo dominum tota mei libertate atque virtute, & pſallam Deo meo quamdiu ſum: quia ſicut eſſe erit mihi æternum, ita erit mea in domino æterna laudatio.

Nolite confidere in principibus: neque in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus. F

Qui in defenſione principum & hominum præſidio gloriantur, in vanitate confidunt: ſolus enim Deus, de quo ſperanda ſit ſalus: & bene ab eo expectatur, quo ipſe non indiget. Nam quid ſit filius hominis, breuiter in eo, quod ſequitur, demonſtratur.

Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Totum ergo quod in hoc mundo agitur, temporale eſt & tranſitorium: & nemo veraciter ſpondet alteri, quod præſtare non poteſt ſibi: mortalis enim eſt emiſſo ſpiritu, in terram ſuam terrena carne redeunte: quicquid diſpoſuit quicquid cogitauit, intercidit.

Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in domino Deo ipſius, qui fecit cælum, & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt.

Beatus, inquit, homo cui adiutor eſt Deus: non ille quē ſibi ignorantia humana confingit, ſed Deus Iacob, qui ipſum Iacob Iſrael fecit, vt fide & intellectu videat vniuerſitatis autorem.

Qui cuſtodit veritatem in ſeculum, facit iudicium iniuriam patientibus.

Et timendum Deum commendauit & amandum: timendum, quia iniqua facientes veritate damnauit: amandum, quia pro iuſtitia laborantes miſericordia coronauit. G

Dat eſcam eſurientibus.

Dominus ſoluit compeditos, dominus ſapientes facit cæcos.

Dominus erigit eliſos, dominus diligit iuſtos.

Dominus cuſtodit aduenas.

Omnibus quidem animantibus prouidentia Dei conſtituit & præſtat alimoniam: ſed hominibus non terrenum tantum, ſed & ſpiritalem cibum præbet, quem hi accipiūt qui deſiderant, de quibus dicitur: *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ſaturabuntur.* Matt. 5. Talis ergo eſt & compeditorum abſolutio, qui mortalitatis compedes æternitate adoptionis euadent. Talis & illuminatio cæcorum, qui ſapientes ex inſipientibus fiunt. Talis quoque eliſorum eleuatio, qui voluntaria humilitate proſtrati ad altitudinem cœleſtium prouehuntur. Dominus enim diligit iuſtos, quoniam ipſe eſt iuſtitia eorum: & ipſe cuſtodit aduenas, qui omnes gentes in Chriſto vnum facit, & in Abrahæ filios lapidea corda conuertit. H

Pupillum, & viduam ſuſcipiet, & viam peccatorum exterminabit.

Regnabit dominus in æternum, Deus tuus Sion, in generatione & generatione, in ſeculum ſeculi.

Iſtis quidem pupillis, qui mortuis patribus indefenſi remanent, Deus opitulatur, & omnes viduas Deus protegit. Sed hic illos orphanos, & illas viduas melius intelligimus, quibus in huc ſeculo nullum eſt præſidium, nulla eſt conſolatio, ſed ſpes eorum in domino Deo. Ipſorum anima ergo, quæ in bonis temporalibus non fidit, ſed mundi iſtius peregrina eſt, ſupernum patrem & ſupernam deſiderans matrem, merito pupilla appellatur & vidua: quæ donec & patrem videat & ſponſum, nunc videtur eſſe longinqua. Via vero peccatorum exterminabitur, cum

A

omnium iniquitatum defecerint actiones, & vanitas in latitudine ambulantium in ſupplicia æterna mergetur. In hunc autem finem proruentibus malis, quid audiet ciuitas Sion, quid adſequetur ciuitas Dei: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Matt. 25. Quoniam tu Sion in eccleſia regnum eris æternum domini Dei tui, & regnante ipſo ſine fine regnabis.

PSALMVS CXLVI.

Laudate dominum, quoniam bonus eſt Pſalmus, Deo noſtro iucunda laudatio.

BOnum eſt dominum laudare, in gloriam Dei pſallere, non voce tantum, quæ inceſſabiliter canere non poteſt, ſed multo amplius modulatione rationabilis vitæ, quæ nullo tempore omittenda eſt: Quoniam in conuerſationem ſpiritalium ſeruorum Dei, quicquid domi foriſque agitur, laus illius eſt, cuius & doctrina & munere ita viuitur, vt nihil actionum non Dei laude ſit dignum: dicente Apoſtolo: *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis omnia in gloria Dei facite:* quod qui faciunt, nunquam à Dei laudibus ſilent: & à bonis operibus ipſorum, ſemper Deo eſt iocunda laudatio.

B

1. Cor. 10.

Aedificans Hieruſalem dominus, & diſperſiones Iſrael congregans.

Extructio Hieroſalem, *quæ ædificatur vt ciuitas*, pace cõſurgit: omnem Iſrael pax ad ſoliditatem colligit vnitatis. Non ergo ab operibus vox, nec à voce debent opera diſſonare: & laus quæ voce promitur, de bona conſcientia proferatur. Nam non eſt firma compago, ſi in officio laudis non vnus ſonus eſt cordis & vocis.

Vide ſerm. 6.

Qui ſanat contritos corde & alligat contritiones eorum.

Ecce quomodo colliguntur diſperſiones Iſrael, vt ſanentur contrito corde: quoniam *cor contritum & humiliatum Deus non ſpernet*: vt humilitas ſanet quod ſuperbia vulnerauit. Per alligationes autem contritionum, ſignificatur diuerſitas remediorum, quæ ſummus medicus miſericorditer & ſcienter apponit: quia multarum eliſionum non eſt curatio vna.

Pſal. 50.

C

Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocans.

Non eſt præcipuum in laudibus Dei ſtellas cœli habere numeratas, cui *capilli capitum numerati ſunt.* De illis ergo ſtellis dignius intelligitur hoc dictum, quæ in Eccleſia Dei ad conſolandam præſentis temporis noctem, bonæ conuerſationis exemplo & cœleſtis doctrinæ luce reſplẽdent: quibus dicit Apoſtolus, *Iuxta natione praua & peruerſa, in quibus apparetis tanquam luminaria in mundo, verbum vitæ habentes.* Has ergo ſtellas Deus numerat in æternam præelectas gloriam, & nominatim ex omnibus gentibus aduocatas. *Nouit enim dominus qui ſunt eius*, cum quibus non computabuntur quibus dicitur: *Diſcedite à me operarij iniquitatis, non noui vos.*

Matt. 10.

Phil. 2.

2. Tim. 2.

Luc. 13.

Magnus dominus, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus.

Multa in natura magna ſunt, & multarũ naturarum magna virtꝰ eſt. ſed in cõparatione Dei nihil vere magnũ, nihil vere dicitur potẽs: & in illo vera eſt magnitudo, & magna virtus: Vniuerſa ergo excellẽtia habẽt limites ſuos: & intra modum ſibi poſitum natura quæque ſubſiſtit. Deus autem magnitudine gloriæ ſuæ excedit vniuerſa: & omnipotentia ſapientiæ eius nullo numero comprehenditur: quoniam *ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.*

D

Rom. 11.

Suſcipiens manſuetos dominus, humilians autem peccatores vſque ad terram.

Non accedunt ad cognitionem Dei humiles atq; manſueti, qui etiam quod nondum intelligunt, credunt: & reuelationem occultorum expectant. Hos erudiendos ſuſcipit dominus, & doctrina ſuæ capaces facit, quorum deſideria delectatione exercuit, & accendit: Peccatores autem humiliat vſque ad terram. eos vtique peccatores, qui ad promendum ſcripturarum intellectum manſuetudine carent: & ea quæ intelligere nequeunt, tanquam ſuperflua & vana contemnunt. Horum contumaciam Deus in terrena demergit, cum ipſos tradit inſipientiæ, vt qui ſpreuerunt gratiam illuminationis, ſubeant ſupplicium cæcitatis.

E

Præcinite domino in confeſſione: pſallite Deo noſtro in cithara.

Deſiderantibus intelligentiam ſacramentorum à confeſſione incipiendum eſt, vt ſemetipſos accuſantes, & ſibi adſcribentes caliginem & tarditatem ſuam radium ſupernæ lucis accipiant. Nec ſit eorum dum ocioſa confeſſio: ſed pſallant Deo in cithara: id eſt, in quadam bonarum actionum conſcientia: vt miſericordiam quam confitendo quærunt, operando mereantur: & quod recte offerunt, recte diuidunt.

Sap. 9.

Qui operit cælum nubibus, deſcendit in terram ſitientem pluuia gratiarum.

F

Ad hoc enim Deus obſcurauit dicta prophetica, vt obumbratio pararet imbrem: imber vero & fructum gigneret & operiret ſerenum.

Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum.

Vtilitas pluuiæ ſpiritalis non ſolum valles, ſed & montes vberes facit: in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum. Montes autem intelliguntur ſublimiores quique hominum ſecularium, qui ita ſæpe ſuperioribus opimantur, vt vnde fructuoſæ ſunt valles, inde altitudines etiam montium ſint fetaces. Producit ergo Dei gratia in montibus fœnum: & potentes ac diuites accepto ſemine charitatis præbent profutura pauperibus: & miniſtrant herbam ſeruituti hominum, qui famulatum deuotionis ſuæ Deo eccleſiæque dependunt.

Dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.

Iumentorum & pecorum nomine ſignificatur multitudo plebis, quæ neceſſario cibo non fraudatur: & dum ſpiritalium eſt particeps, fit miniſter carnalium, vt impleatur illud Apoſtoli: *Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non percipit?* Diſpenſatio igitur miſericordiæ Dei non tantum ad Iſraeliticum genus, ſed ad omnium quoque gentium propaginem pertinet. Patres enim idola venerantes coruorum habuere figuram, mortua & immunda ſectantes: quorum pulli, id eſt, filij Deum verum inuocant, & ſancti ſpiritus paſcuntur alimonia: quia parentibus non inuocantibus Deum, ſed in ſua obduratione manentibus, credidit poſteritas, quod ignorauit antiquitas.

1. Cor. 9.

G

Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tabernaculis viri beneplacitum eſt ei.

Beneplacitum eſt domino ſuper timentes eum, & in eos qui ſperant in miſericordiam eius.

In equi potentia ſuperbiæ indicatur elatio, quæ Deo ſemper odioſa eſt. Tabernacula quoque ſublimia & magnifica diuitiarum manifeſtant tumorem, in quibus nihil adprobat Deus: qui *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*: non enim illi placent niſi mites & pauperes ſpiritu, ad hoc timentes dominum, vt ſperent in miſericordiam eius. Ille eſt enim vtilis timor, qui ſpe erigitur, non qui deſperatione demergitur.

Iacob. 4.

PSALMVS CXLVII.

Lauda Hieruſalem dominum, lauda Deum tuum Sion.

H

CVm in titulo Pſalmi Aggæi & Zachariæ prophetarũ nomina prænotentur, quos in Babylonia cum populo ſuo captus eſſe non dubium eſt, & reparationem eius ciuitatis Hieruſalem prænuntiaſſe, ac ſicut facta eſt denuntiaſſe: intelligitur cohortatio Pſalmi ita ad vniuerſam eccleſiam pertinere, vt omnes ciues & filij Hieruſalem in præſenti vita quadam ſe vinctos captiuitate cognoſcant, & conſolationem de ſpe futuræ libertatis accipiant. Nemo enim ſanctorum ſine laboribus ac moleſtijs poteſt præſens tempus exigere: & in quadam captiuitate ſe eſſe ſentiunt, cum exurgentibus ſcandalis & manentibus inter ſpiritum carnemque diſcordijs, *non omnia quæ volunt, faciunt*, & multa aduerſa patiuntur. Recte ergo ſpe futurorum bonorum ipſam Hieruſalem hortatur vox prophetica in laudem & gloriam Dei, vt cum ſanctis angelis, quo-

Gal. 5.

Rom. 7.

tum

A rum adipiſcitur indiuiſam ſocietatem, in gaudijs æternæ pacis exultet.

Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum.

Concluſio Hieruſalem & ſerarum eius confirmatio ſecuritatem indicat incommutabilem gaudiorum: quia nullius mali ad bona patebit introitus, neque inde vllus iuſtorum timebit excludi.

Benedixit filios tuos in te.

Extra Hieruſalem nulla benedictio eſt: quia non ſanctificatur, niſi qui eccleſiæ, quæ eſt Chriſti corpus, vnitur.

Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.

Nullæ eam ciuitatem bella perturbant, quæ pacis eſt ſepta limitibus, nec aliquid patitur inquietum, in qua nihil eſt à Dei voluntate diuerſum. Ne autem tranquillitas iſtius pacis aliqua indigentiæ neceſſitate turbetur, adeps

B *Matt. 5.* ei panis indeficiens miniſtratur, vt iuſtitię cibus ſit in epulis, qui fuit in deſiderijs. *Beati enim qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.*

Qui emittit verbum ſuum terræ, velociter currit ſermo eius.

Verbi miſſio Chriſti eſt incarnatio, cuius Euangelio currente per omnem terram omnium gentium fit vocatio, præueniente gratia Dei credentium fidem. Nihil eſt velocius & ſcientia, & opera Dei: qui quæ futura ſunt nouit, & fecit: & quæ nondum ſunt orta, iam apud illum ſunt præordinata.

Qui dat niuem ſicut lanam: nebulam ſicut cinerem ſpargit.

Valent quidem iſta ad opimandam terram, ſecundum literæ ſuperficiem: quia & nubes decidentes habent vellerum ſpeciem: & nebularum ros non aliter quam cinis ſpargitur, atque ex eo terra pingueſcit: ſed ſublimius in his gratiæ Dei opera ſentiuntur, per niuium vellera vocatione gentium figurata: quæ ad conficiendum veſtimentum Chriſti, quod eſt eccleſia, in vnum confluit, & in idipſum tota contexitur, non habens maculam aut rugam, ſed in illa puritate manſura, quæ æterna glorificatione reſplen-

Pſal. 103. deat, ſitque in ea compage, de qua dicitur, *Dominus amictus lumen ſicut veſtimentum*, ad quod ſignificandum pertinuit,

Matt. 17. C quod veſtis Chriſti transfigurati in monte, *ſicut nix* legitur refulſiſſe. Per nebulam autem caligo ignorantiæ, quæ ad pœnitentiæ cinerem confugit, indicatur. Non enim quiſ-

Matt. 9. *Rom. 5.* quam ante vocationem dici iuſtus poteſt: quoniam *filius hominis non venit iuſtos eligere, ſed peccatores*, & impios ſaluos facere.

Qui mittit cryſtallum ſuam ſicut fruſta panis: ante faciem frigoris eius quis ſubſiſtet?

Niues antiquitus obduratæ conuertuntur in cryſtallum: quo ſignificantur lapidea corda infidelium, quæ gelu nimiæ vetuſtatis obſtricta nullum calorem ſancti Spiritus receperunt: ſed tam potens eſt gratia Dei, vt tam annoſam glaciem faciat superno igne feruefcere: & eos qui cryſtallino frigore fuerant obdurati, afflatu ſuo faciat cōcaleſcere, vt etiam ipſi qui vitæ cibum neſciebant, panem verbi incipiant miniſtrare, ſicut in Beato Paulo factum eſt: qui cum eſſet credentium perſecutor, factus eſt Euangelij prædicator. Quis autem poterit ſubſiſtere, quem ab hoc frigore non liberauit Chriſtus? qui *venit ignem mittere*

Luc. 12. *in terram*, & ad feruorem fidei, quod gelu infidelitatis obtorpuerat, excitare.

D *Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea: flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.*

Verbu Euangelicæ prædicationis obduratio infideliũ

Pſal. 104. ſoluitur, vt fiat hoc quod alibi dictum eſt: *Rupit petram, & fluxerunt aquæ.* Flante autem ſpiritu calor charitatis emittitur, vt terram ſitientem flumina rigent, & in aridis cordibus *fiat fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

Annuntians verbum ſuum Iacob, iuſtitias, & iudicia ſua Iſrael.

Dans ſcilicet intellectum vocatis, & iuſtificans: quia omnes ex quibuslibet gentibus electi, Iacob & Iſrael nuncupantur, & diſcunt omnia Dei iuſta eſſe iudicia: nec aliquid ab eo fieri, vnde poſſit ignorantia humana cauſari: quia abundarent etiam circa iuſtos cauſæ vitiorum, niſi iuſtitiam ſuam miſericordia temperaret.

Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.

E Altitudinem diuitiarum ſapientiæ ſuæ nulli genti Deus voluit eſſe perſpicuam, neque cuiquam nationi iudiciorum ſecreta patuere: ſed ex omnibus gentibus vna eſt gens, & vnus eſt populus, qui ſe ab æterna perditione non ſuis meritis, ſed Dei gratia intelligit liberari, & vnumquemque fidelium miniſtrum miſericordiæ Dei, vt quod in ipſis factum eſt, etiam in alijs fiat, & in vnitatem confluat vniuerſa diſperſio.

PSALMVS CXLVIII.

Laudate dominum de cœlis: laudate eum in excelſis.

POpulus Dei cuius *conuerſatio eſt in cœlis*, & cuius ſpes in *Philip. 3.* domino Deo ipſius, ad ſupernam Hieruſalem pertinens, & de æterna ſanctorum angelorum ſocietate iam gaudens, exultat in ſpiritu Dei, & vniuerſam creaturam in laudem accendit creatoris. Non quia omnia irrationabi- F lia & ſenſu carentia poſſunt Deum propria confeſſione laudare: ſed quia nihil eſt in vniuerſitate rerum à ſummis vſque ad infima, quod non ſua æqualitate naturæ potentiam ſui proteſtetur autoris. Duarum propriè creaturarum eſt tota iſta laudatio, angelicæ ſcilicet & humanæ: quæ hunc affectum ex totius mundi conſideratione concipiunt: vt cum laudatoribus Dei ipſa laudis materia Deũ laudare dicatur. Quia ergo in hoc officio cœleſtia obtinent principatum, merito ipſis primitus dicitur, vt de excellentia dignitatis & pulchritudinis ſuæ in domino glorientur.

Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius:

Laudate eum ſol, & luna: laudate eum omnes ſtellæ, & lumē:

Laudate eum cœli cœlorum: & aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen domini.

Nihil eſt in ſublimitate cœleſti, quod non pulchrum atque mirandum ſit: & quia omnia in creatoris ſui concinunt laudem, non quaſi ceſſantibus ab inferioribus dicitur vt in confeſſionem diuinæ laudis exurgant, ſed vt homo inſpiratus oſtendat ſibi placere quod faciunt, & eo G ſe per ſpem fidei delectari, ad quod per exhortationes promiſſionum Dei etiam ipſe prouehetur. Cum autem dominus Ieſus Chriſtus verbum ſit Dei, in nullo patris laude diſcernitur, dicente Pſalmo:

Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.

Quod enim Deus dicit, verbo dicit: & verbum, per quod facta ſunt omnia, mandatum dicentis exequitur.

Statuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi: præceptum poſuit, & non præteribit.

Omnia quæ ad cœleſtem beatitudinem ſunt creata, hanc plenitudinem ſufficiẽ ſuſceperunt, vt in Dei laudatione permaneant: cui operi etiam natura humana ſociatur, propter quod Apoſtolus dicit: *Quæ ſurſum ſunt ſapi-* *Coloſſ. 3.* *te, non quæ ſuper terram. Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* Bene ergo ſpiritalis quiſque deuotioni ſe cœleſtium iungit, & in conſideratione totius creaturæ laudat artificem, vt pro modulo ſuo iam faciat, quod ſine fine factura eſt.

Laudate dominum de terra dracones, & omnes abyſſi.

Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellæ, quæ faciunt verbum eius.

H Terræ nomine appellantur, quæ vicina ſunt terræ: & quicquid hoc nubilo aere aut humidum in rore, vel pluuijs, aut in niue, & grandine glaciale, aut in procellis turbidum, vel in coruſcationibus apparet ignitum, terræ & abyſſi appellatione perſtringimus: quorum nihil fortuitis motibus ſubiacet, & ſingula quæque eius legibus ſeruiũt, qui vt vult, de omnibus atque in omnibus ſecundum cauſas occultæ rationis operatur.

Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.

Beſtiæ, & omnia pecora, ſerpentes, & volucres pennatæ.

Nihil horum non in magna ſapientia factum eſt: & ideo quædam perſtringuntur, vt vniuerſitatis creator in omnibus prædicetur.

Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ:

A

Iuuenes & virgines, ſeniores cum iunioribus laudent nomen domini:

In multitudine hominũ diuerſitas eſt graduum, differentia ſexuum, & diſſimilitudo meritorum: ſed in Dei laudibus omni ordini atque ætati vna materia eſt: Tota enim in Chriſto eccleſia vnum corpus eſt, & quod recte agit quælibet portio, tota ſibi bene vendicat plenitudo.

Quoniam exaltatum eſt nomen eius ſolius.

Confeſsio eius ſuper cœlum, & terram: & exaltauit cornu populi ſui.

†Forte eſt. Super omnia enim* & omnium conditor, & vnius autoris laus eſt quicquid in vniuerſitate laudabile eſt: quod ipſa rerum pulchritudo multiformi confitetur ornatu. Ab ipſo ergo eſt honor ſanctorum eius, & ipſos exaltat cornu populi ſui. Quoniam qui magna contulit per naturam, ipſe dat maiora per gratiam.

Hymnus omnibus ſanctis eius: filiis Iſrael, populo appropinquanti ſibi.

B

Hymnus eſt canticum, quo laudatur Deus, & quo vtuntur omnes ſancti eius, omneſque filij Iſrael, non illi qui fruſtra carnali ſemine gloriantur: ſed qui per illam, qua Abraham placuit, fidem nati, veri ſunt filij Iſrael, appropinquantes Deo per ipſum qui eſt *via, veritas, & vita.* Ioan. 14.

PSALMVS CXLIX.

Cantate domino canticum nouum: laudatio eius in Eccleſia ſanctorum.

BEne laudantes dominum canticum nouum cantant, non in vetuſtate carnis, ſed in ſpiritus nouitate viuentes, vt laus Dei in ſanctorum Eccleſia celebretur: quæ ſibi ex fide & moribus & charitate concordat. Nam ſine hac paritate nulla eſt canentium ſuauitas, nec eſt modulatio concinens, vbi eſt fides ac vita diſſentiens.

Lætetur Iſrael in eo qui fecit ipſum: & filij Sion exultent ſuper regem ſuum.

Qui ſunt veri Iſraelitæ ipſi ſunt filij Sion, ſiue Hieruſalem. Vtrunque enim nomen vnius eſt ciuitatis, quæ conſtat ex angelis & hominibus, ad eandem ſocietatem per fidem, & ſpem, & charitatem de longinqua peregrinatione tendentibus. Qui ergo ſpe credit, ipſe gaudeat: quia Deus eſt noui populi & creator, & redemptor, & rector. Heb. 12.

C

Laudent nomen eius in choro, in tympano, & pſalterio pſallant ei.

Chori nomine concordia ſignificatur laudantiũ, quorum voces niſi fuerint conſonæ, placere non poſſunt. Rationalis itaque cantus, cuius tota eſt in fide & charitate modulatio, neque in moribus, neque in confeſſione diſſideat: ſed bene vtatur pſalterio & tympano diligens Deũ, diligens proximum: & in tympano & pſalterio manus concinat voci, & impleatur opere quod ore cantatur. In tympani autem & chordarum extenſione crucifixio carnis accipitur: quia nerui quanto plus fuerint extenſi, tanto acutius ſonant.

Quia beneplacitum eſt domino in populo ſuo: & exaltabit manſuetos in ſalutem.

Quid tam benignum quam eſt dominus in populo ſuo, quem dignatur conuertere auerſum, ſuſcipere correctum, iuuare pugnantem, coronare vincentem? Dabit enim exultationem humilibus: & inde eriguntur manſueti, vnde premuntur elati.

D

Exultabunt ſancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis.

Exultatio ſanctorum non in diuitijs, non in honoribus, neque in vlla eſt proſperitate terrena: ſed in cubilibus ſuis: id eſt, in conſcientia bona, quam tamen non ſibi, ſed gratiæ Dei aſcribunt, ne ſint de hominibus ſibi placentibus, ſed ſint de his qui in Chriſto gloriantur.

Exaltationes Dei in faucibus eorum: & gladij ancipites in manibus eorum.

Gratias agentes Deo de omnibus profectibus ſuis ipſum exaltant, & ad ipſum referunt quod ei placere nouerunt, habentes in manibus ſermones Dei, qui eſt gladius bisacutus, efficax & carnales affectus diuidere, & peccata reſecare.

E

Ad faciendam vindictam in gentibus: obiurgationes in populis.

Poteſtas verbi, quo infidelium corda feriuntur, non ſolum præſidentibus data eſt, ſed omnibus etiam diſcipulis veritatis, qui poſſunt arguere errantes, & increpatione ſua deuios reuocare.

Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in vinculis ferreis.

Potentes mundi & reges ac nobiles niſi Deũ timeant, quem timebunt? ſed prædicatur illis Euangelium Chriſti, & percutiuntur framea bis acuta: annunciatur illis iudicium & auditis æternis ſupplicijs ſiniſtrorum ligantur, & compedes ſapientiæ ab initio amoris accipiunt, vt dura præcepta molliant voluntatem, & ſit obedientibus blandum, quod aſperum videbatur auerſis.

Vt faciant in eis iudicium conſcriptum: gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.

F

Omnium ſanctorum gloria hæc eſt, vt totus mundus ſubijciatur Deo: & diuinis legibus, quarum iuſtitia vniformiter vbique conſcripta eſt, ſimili obſeruantia ſeruiatur. Ad hoc enim vtuntur in omnibus gentibus ſpiritus poteſtate, vt vbique cantetur canticum nouum, *& omnis lingua confiteatur, quoniam dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.* Phil. 2.

PSALMVS CXL.

Laudate dominum in ſanctis eius:

AD Confeſſionem pertinet gratiæ, dominum in ſanctis ſuis laudare, cuius habent ſanctificatione quod ſancti ſunt. Vnde & in alio Pſalmo dicitur: *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis:* vt quicquid in illis virtutum atque meritorum eſt, totum ad Dei gloriam referatur. Pſal. 67.

Laudate eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in potentatibus eius: laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius.

Omnia iſta inſtrumenta laudium Dei, ipſi ſancti ſunt, per quos ad Deum multiplex ſonus concinentis confeſſionis emittitur: & ideo in omnibus eorum officijs laudatur Deus: quia omnis canentium motus, eius ſpiritu quem prædicat, animatur.

Laudent igitur eum in ſono tubæ.

G

Propter excellentiſſimam Euangelij in Chriſto declarationem: *in omnem* enim *terram exijt ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Pſal. 18.

Laudent eum in pſalterio & cithara.

De ſuperioribus ſcilicet & inferioribus, tanquam eum qui fecit cœlum & terram: vt pſalterio cœleſtia, cithara autem terrena laudentur: quia cauum illud lignum, ſupra quod chordarum reſultat extenſio, in pſalterio ſuperius, in cithara habetur inferius.

Laudent eum in tympano & choro.

Dum ad ſimilitudinem tympani, quod de ſicco extenſoque fit corio, ad confeſſionem Dei ſenſus mutæ carnis aptantur, & ad ſpeciem chori ſocietas canentium in omni modulatione concordat, vt nihil diuerſum de eo cui cantur, ſentiatur.

Laudate eum in chordis & organo.

Id eſt, in quolibet inſtrumento muſico, quod vel pulſu poteſt ſonare, vel flatu.

Laudent eum in cymbalis benè ſonantibus.

H

Dum vnuſquiſque honoratur à proximo, non à ſeipſo. Cum autem dicitur:

Laudate eum in cymbalis iubilationis.

Euidenter oſtenditur per omnia opera muſica nõ corporeos ſonos, ſed affectus animi deſignatos: ſiquidem nulla ratio ſinat, vt iubilatio eſſe poſſit in cymbalis, niſi ipſa cymbala ad motus animi transferantur: cum enim mens cœptas Dei laudes verbis non poteſt explicare, admiratio eius ſimilis fit iubilationi, quæ in eo miratur ſono, qui nullis ſyllabarum comprehenditur articulis. Nihil ergo extra ipſos ſanctos, quibus laus Dei indicitur, cogitetur, nec vile aliquid ſpiritalibus officijs ſentiatur: & quia ſapere ſecundum carnem mors eſt: Rom. 8.

Omnis ſpiritus laudet Dominum. ALLELVIA.

FINIS.

S. PROSPERI AQVITANICI, RHEGIENSIS EPISCOPI, DE VOCATIONE OMNIVM GENTIVM,

LIBER PRIMVS.

In Cambronenſi nulla eſt capitum in ſeq. libro diuiſio.

Proponit hoc libro tractanda: & non ſanè ſentire eos, qui putant gratiæ prædicatione negari liberum arbitrium.

B

CAPVT I.

Caput I. * c. vetitur reſt.

INter defenſores liberi arbitrij, & prædicatores gratiæ Dei, magna & difficilis dudum * quæritur quæſtio. Quæritur enim, Vtrum velit Deus omnes homines ſaluos fieri. Et quia negari hoc non poteſt, cur voluntas omnipotentis non impleatur, inquiritur. Cumque hoc ſecundum * voluntates hominum fieri * videatur, gratia videtur excludi: quæ ſi meritis redditur, conſtat eam non donum eſſe, ſed debitum. Vnde iterum quæritur: Cur hoc donum ſine quo nemo ſaluus * eſt, ab eo qui omnes ſaluari vult, non omnibus conferatur? Atque ita, contrariarum diſputationum nullus terminus reperitur, dum non diſcernitur quid manifeſtum, quid ſit occultum. De hac igitur compugnantia opinionum, qua menſura & temperantia ſentiendum ſit, quantum dominus adiuuerit, annitar inquirere; exercens atque diſcutiens modulum facultatis meæ in his quæ cordi meo ſobrie (quantum arbitror) inhæſerunt, vt ſi in eas regulas proceſſerit ſtylus, quæ nihil offenſionis, nihil habeant prauitatis, non ſolum nobis, ſed & alijs vtile ſit, ad aliquem nos limitem perueniſſe, quem non debeamus excedere. Primitus itaque de voluntatis humanæ motibus & gradibus diſputandum eſt. Inter quam & gratiam Dei quorundam non ſana diſcretio eſt, † exiſtimantium quod prædicatione gratiæ liberum negetur arbitrium: nec aduertentium eadem regula ſibi poſſe obijci, quod gratiam negēt, cum eam humanæ voluntatis non ducem volunt eſſe, ſed comitem. † Si enim tollitur voluntas, vbi ipſa eſt verarum origo virtutum? Si tollitur gratia, vbi eſt ipſa bonorum cauſa meritorum?

* c. voluntatem. * c. dicitur. * c. eſſe poteſt.

C

† c. æſtimantium.

† c. Siceeum tollitur voluntas, nihil ipſa eſt verarum origo virtutum. Tollitur gratia, nihil ipſa eſt cauſa bonorum mer. Cap. 2.

Omnis animæ humanæ naturaliter ineſſe qualemcunque voluntatem: quæ aut ſenſualis, aut animalis, aut ſpiritualis eſt.

CAPVT II.

D

SEd iam auxiliante Chriſto, quod tractandum concepimus, inchoemus. Omni animæ humanæ quantum intelligere atque experiri datur, naturaliter qualiſcunq; ineſt voluntas, qua aut appetitur quod placet, aut declinatur quod diſplicet. Huius voluntatis (quantum ad naturalem pertinet motum, ex vitio primæ præuaricationis infirmum) genera ſunt duo, ſecundum quæ voluntas hominis, aut ſenſualis aut animalis eſt. Sed cum adeſt gratia Dei, accedit ei per donum ſpiritus tertium genus, vt poſſit fieri † ſpiritalis: & per hunc excellentiorem motum, omnes affectus vndecunque naſcentes, ſupernæ rationis lege dijudicet.

† c. ſpiritualis.

* * *

De voluntate ſenſuali.

CAPVT III.

SEnſualis igitur voluntas, quam & carnalem poſſumus dicere, non erigitur ſupra eum motum, qui de corporis ſenſibus naſcitur, qualis eſt in animis paruulorum: qui licet nullo iudicio rationis vtantur, oſtendunt tamen aliquid ſe velle, aliquid nolle, cum videndo, audiendo, odorando, guſtando, tangendo, & ea quibus delectantur, amant: & ea quibus offenduntur, oderunt. † Quid autem eſt amare, † niſi velle? † aut quid eſt odiſſe, niſi nolle? Habent ergo etiam ipſi voluntatem ſuam, quæ † etſi prouidendi & conſulendi impos atque ignara † ſit, in his tamen amat agere, quæ eorum ſenſibus blandiuntur, donec vigor † rationalis ingenij per maturiora miniſteria corporis excitetur, & ad famulantium ſibi membrorum vſum, non alieno † motu, ſed ſua lege moueatur.

† c. Quid eſt enim am. † c. & † & ſi eſt ei. † e ratio nabilis. † c. nutu

F

De voluntate animali: qua nihil ſupra mercedem temporalis gloriæ acquiritur, etiam ſi dono Dei in ea ſublimiùs ſapiatur.

CAPVT IV.

AB hoc ergo ſenſuali appetitu, in quo remanent hi, quos etiam in annis maioribus excordes videmus & fatuos, ad animalem ſurgitur voluntatem: quæ prius quā ſpiritu Dei agatur, etiam ſi ſupra ſenſualem motum ſeſe attollere poteſt, tamen ſine † ſui † amoris participatione in terrenis occiduiſque † verſatur. In hac humana etiam ingenia, ſi corporeæ voluptati non turpiter ſeruiant, & cupiditates ſuas iuſtitiæ atque honeſtatis legibus temperent, nihil ſupra mercedem gloriæ temporalis acquirunt. Et cum præſentem vitam decenter exornent, æternæ tamen beatitudinis præmiū non habent, quia rectas actiones & bona ſtudia ſua, non ad eius laudem atque honorem referunt, à quo acceperunt vt † in ipſa animali diſcretione ſublimius ſaperent, & excellentius cæteris eniteſcerent. Cum enim quidam non ſolum ad inſtituta vtiliſſimarum artium, & doctrinas liberalium diſciplinarum, ſed etiam ad inquiſitionem ſummi boni aciem mentis intenderint, & *inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpexerint*: non agentes gratias tamen Deo, nec confitentes illum ſibi eſſe huius facultatis autorem, ſed dicentes ſe eſſe ſapientes, hoc eſt, non in Deo, ſed in ſemetipſis gloriantes, quaſi ad veritatis inſpectionem ſuis ſtudijs atque rationibus propinquaſſent, euanuerunt in cogitationib. ſuis: & quod illuminante Dei gratia † inuenerant, obcæcante ſuperbia perdiderunt, relapſi à ſuperna luce † ad tenebras ſuas, hoc eſt, ab incommotabili atque æterno bono ad mutabilem corruptibilemque naturam. Cum ergo tales in amorem ſui recidunt, & ita ſibimet placent, vt totum quod in ſe laudabile iudicant, non ad dona Dei referant, ſed ſibi vendicent, & ſtudio propriæ voluntatis aſcribant, procul ab illa † ſpiritali † exulant voluntate, & nihil in ſe habent quo ad vitam proueantur æternam, incipientes in ſemetipſis etiam illa temporalia Dei dona corrumpere, & à bono eorum vſu in conſuetudinem innumerabilium tranſire vitiorum.

† e ſimi. † i. Dei † e verſatur.

G

† hæc voces, in ipſa animal. diſcretione non ſunt in c. Rom. 1.

† c. inuenerat. † c. in

† c. ſpiritualis. † c. exulant.

H

Omnes gentes in elementis accepiſſe præcepta legalia, vt inexcuſabiles ſint in idololatria.

CAPVT V.

QVamuis enim ſcriptum ſit, quod *cum diſpergeret excelſus gentes, quemadmodum diſperſit filios Adam, ſtatuit terminos gentium ſecundum numerum angelorum Dei*, & *facta eſt portio domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Iſrael*: & ſcriptum ſit, dominum dicere ad Iſrael: *Eritis mihi ſancti, quia ego ſanctus ſum dominus DEVS veſter, qui ſegregaui vos ab omnibus gentibus eſſe mihi.* Deut. 32. Leuit. 19.

A Et quamuis ſcriptum ſit in libro Heſter, dicente Mardochæo, *Gratias tibi domine, quoniam feciſti noua ſigna & prodigia, qualia non ſunt facta in gentibus, diuident omne ſeculum in ſortes duas, elegiſti vnam tibi populi tui, relinquens aliam gentibus.* Et Paulus & Barnabas dicant: *Et nos mortales ſumus ſimiles vobis homines, annunciantes vobis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis ſunt, qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas.* Quãuis ergo hæc & multa ſimilia veritatis ſcriptura pronunciet, ſecundum ipſam tamen credimus & pijſſime confitemur, quod nunquam vniuerſitati hominum diuinæ prouidentiæ cura defuerit. Quæ licet exceptum ſibi populum ſpecialibus ad pietatem direxerit inſtitutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis ſuæ dona ſubtraxit, vt propheticas voces & præcepta legalia conuincerentur in elementorum obſequijs ac teſtimonijs accepiſſe. Vnde & inexcuſabiles facti ſunt, quia deos ſibi dona fecerunt: &
B quæ creata erant ad vtendum, venerati ſunt ad colendum.

Heſt. 10. Iux. 70. Interp.
Act. 14.

Quòd abſque diuina gratia voluntas tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni, quia non in gloriam Dei viuit.

CAPVT VI.

IN quam impietatem etiam illa gens, quam ſibi ab omnibus gentibus dominus ſegregauit, tota tranſiſſet, niſi miſericordiæ ſuæ propoſitum ſuſtentandis electorum lapſibus prætendiſſet. Nam plenæ ſunt paginæ veteris teſtamenti de Iſraeliticæ defectionis reatu: vt apertè appareat diuinæ ſemper fuiſſe gratiæ, quod non omnis ille populus diſceſſit à domino. Ita humana natura in primi hominis præuaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta & auxilia Dei, ſemper in deteriorem eſt procliuior voluntatem, cui committi non eſt aliud quàm di-
C mitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, inſtabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, ſuſpicionibus inquieta, gloriæ quam virtutum auidior, famæ quam conſcientiæ diligentior, & per omnem ſui experientiam miſerior fruendo his quę concupiuerit, quã carendo: nihil in ſuis habet viribus, niſi periculi facilitatem: quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni. Quamdiu ergo homini ea placent quæ Deo diſplicent, voluntas eius animalis eſt: quia etiamſi in bonis moribus agat, malè adhuc viuit, ſi non in Dei gloriam viuit. Hoc eſt enim proprium & præcipuum piorum, vt in domino glorientur, nec ſe niſi in Deo diligant. Bene enim ſe amant, qui in ſe opera Dei amant. Nam & Deus hoc amat in nobis, quod ipſe fecit: & hoc odit, quod ipſe non fecit. Si ergo
D opus Dei amamus in nobis, bonam voluntatem rectè amamus in nobis, quæ vtique ſi opus Dei non eſſet, amãda non eſſet. Quis autem homo (niſi malæ voluntatis* fuerit) bonam in ſe non *amat voluntatem, quæ superni agricolæ prima plantatio eſt? Dicente enim veritate, *Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur:* Quicquid non eſt eradicandum, manifeſtum eſt à patre eſſe plantatum. Bona autem voluntas, omnium virtutum germen eſt primum. Quæ inuixa origini ſuæ in illa æterna & incommutabili voluntate requieſcit, vt verè ſit* ſpiritalis quoniam *qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt,* dum per communionem illuminantis & illuminati, iuſtificantis & iuſtificati, regentis & ſubditi, omnis actio ad vnum refertur: & quod ad vnum refertur, vtrinſq; eſt. Quia nec à Deo alienari poteſt quod dedit, nec ab homine quod accepit.

* fuerit ab eſt a c.
* c. amet
Matt. 15.
* c. ſpiritualis.
1. Cor. 6.

E

In homine, cum ad pietatem redit, non aliam in eo creari ſubſtantiam, ſed eandem quæ fuerat labefactata, reparari, nec aliud ab eo auferri niſi vitium, priore voluntate correcta.

CAPVT VII.

HIc tractandum videtur: Vtrum cum bonæ voluntatis eſſe homo incipit, eadem quæ in ipſo erat corrigatur voluntas, an alia ei quam non habebat, & quæ priori repugnet, detur. Quod vt euidentius appareat, altius id non pigeat inquirere. Omnes homines in primo homine ſine vitio conditi ſumus, & omnes naturæ noſtræ incolumitatem, eiuſdem hominis præuaricatione perdidimus: inde tracta mortalitas, inde multiplex corporis* animique corruptio, inde ignorantia & difficultas, curæ
F inutiles, illicitæ cupiditates, ſacrilegi errores, timor vanus, amor noxius, iniuſta gaudia, pœnitenda conſilia, & non minor miſeriarum multitudo quam criminum. His ergo atque alijs malis in naturam humanam irruentibus, fide perdita, ſpe relicta, intelligentia obcæcata, voluntate captiua: nemo in ſe vnde repararetur inuenit. Quia etſi fuit qui naturali intellectu conatus ſit vitijs reluctari, huius tantum temporis vitam ſteriliter ornauit, ad veras autem virtutes æternamque beatitudinem non profecit. Sine cultu enim veri Dei, etiam quod virtus videtur eſſe, peccatum eſt, nec placere vllus Deo ſine Deo poteſt. Qui vero Deo non placet, cui niſi ſibi & diabolo placet? A quo cum homo ſpoliaretur, non voluntate ſed voluntatis ſanitate priuatus eſt: quia nec detrudi ab innocentiæ ſtatu poſſet, niſi voluntate peccaret. Quæ ergo natura erat bona, qualitate facta eſt mala, & ille animi motus, qui nunquam poteſt ſine aliquo eſſe amore, hoc eſt, ſine aliqua voluntate, non perdidit appetitum, ſed mutauit affe-
G ctum, id recipiens deſiderio, quod debuit refutare iudicio. Cum igitur homo ad pietatem redit, de quo ideo dictum eſt, *Spiritus vadens & non rediens*: quia niſi illum Deus conuerteret, non rediret: non fit nouum figmentum, nouaque creatura, non alia in eo creatur ſubſtantia, ſed eadem quæ fuerat labefactata, reparatur. Nec aliud ab eo aufertur, niſi vitium quod natura non habuit.

Cap. 3.
* C. animæque.
Pſal. 77.

Gratiam ſic reparare opus Dei, vt liberum arbitrium non auferat: ſed potius per ipſummet illud ſanet.

CAPVT VIII.

FVit enim in Adam natura ſine vitio, qui per voluntatis inobedientiam mala multa contraxit, & in poſteros magis magiſque multiplicanda transfudit. Quæ vt vincantur atque in nihilum deducantur, non* efficit niſi gratia ſaluatoris, qui opus ſuum opere ſuo reparat. Sicut enim dicit Ioannes Apoſtolus: *In hoc apparuit filius Dei, vt ſoluat opera diaboli.* Et ſic rumpit vincula captiui, ſic ve-
H ſtit nuditatem ſpoliati, ſic ſanat vulnera ſauciati: vt quod in ipſo agit, etiam per ipſum geratur. Cui vtique contra hoſtem ſuum non expedit ſine protectore confligere. Cũ illo enim habet certamen, à quo aliquando ſuperatus eſt. Non ergo fidat * de viribus ſuis, quæ etiam cum eſſent integræ, non ſteterunt: ſed per illum quærat victoriam, qui ſolus non eſt victus & omnibus vicit. Et ſi quærit, non dubitet quærendi affectum ab illo ſe accepiſſe quem quærit. Nec quia *ſpiritu Dei agitur*, ideo ſe putet liberum arbitrium non habere: quod ne tunc quidem perdidit, quando diabolo voluntate ſe dedit, à quo iudicium voluntatis deprauatum eſt, non ablatum. Quod ergo non *interfectum eſt per vulnerantem, non tollitur per medentem: vulnus ſanatur, non natura remouetur. Sed quod in natura perijt, non reſtituitur niſi ab autore naturæ.

* C. efficit
1. Ioan. 3.
Mar. 3.
Luc. 10.
* vox, de, non eſt in C.
Rom. 8.
* c. ereptũ
Idem c. 26. cõt. Collat.

Hæc quæ ſequuntur ex manuſcripto Bibliothecæ Cambionenſis codice rectè ſupplenda tranſcripſimus.

Apud quem quod perdidit natura, non periit. æterna eſt enim ſapientia, æterna veritas, æterna bonitas, æterna iuſtitia: omnium denique virtutum lumen æternum eſt, totumque quod virtus eſt, Deus eſt. Qui ſi non operatur in nobis: nullius poſſumus particeps eſſe virtutis. Sine hoc quippe bono, nihil eſt bonum: ſine hac luce nihil eſt lucidum: ſine hac ſapientia, nihil ſanum: ſine hac iuſtitia nihil rectum. Dicit enim per Eſaiam Dominus. Ego ſum, ego ſum Deus, & non eſt præter me qui ſaluet, & Hieremias ſcio (inquit) domine quia non in homine via ſua: nec viri eſt vt dirigat iter ſuum. Homo namque mortalis damnata in Adam origine carnaliter natus: ad ſpiritualem noui generis dignitatem, niſi ſpiritu ſancto regente non peruenit. Sed nec vllo hanc deſiderio appetit, qui calorem ipſius deſiderii non accepit à Deo: de quo dicit Dominus, ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat? Ignis autem iſte, dilectio eſt Dei: quam amator mundi corde captiuo non poteſt concipere, plenus eſt enim amore vanitatum; aquas etiam ſi potuerit ex aliqua parte vitare, & tranſcenſis temporalibus ac viſibilibus ad æterna & inuiſibilia intelligendo profecerit; ſi à colendis quoque ſimulacris receſſerit; & venerari cœlum ac terram, omniaque mundi huius elementa deſtiterit; fidem tamen dilectionemque Chriſti, conturbatus de eius ipſa humilitate, non capiet & ſcandalum Dominicæ natiuitatis ac mortis, proprio iudicio non euincet. Propter ſapientiam enim mundi reſiſtentem ſapientiæ Dei, vt ſuperbia præſumentium de ſe cæcaretur, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Vnde qui doctrinis ſecularibus tument, ridendam magis quam adorandam crucem Chriſti exiſtimant: & quanto ſublimius quiſque ad humanarum diſciplinarum inſtituta conſcendit, tanto magis prædicationis noſtræ humilia & infirma faſtidit. Nec mirum ſi Euangelio crucis Chriſti philoſophia obnititur, cui etiam iudaica eruditio reluctatur. Nec docti igitur nec indocti, cuiuslibet ſtirpis aut ordinis, humana ratione ad dominum ducuntur; ſed omnis homo qui ad deum conuertitur, Dei primum gratia commonetur. Non enim ipſe ſibi lumen eſt, nec cor ſuum radio propriæ lucis accendit. Si enim Beatus Ioannes, quo nemo hominum maior natus eſt, non erat lumen, quia non ſuo ſplendore lucebat: ſed de illo vero lumine quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, vt lux eſſet acceperat; quis ille erit qui tot opinionum colluctationes, tot vincula conſuetudinis, tot præiudicia vetuſtatis, ſuo tantum iudicio abrumpat; & ſola voce extrinſecus ſonante doctoris hoc tantum de gratia habeat quod audiuit, & totum de voluntate quod credidit? Quod ſi ita eſſet, nihil inter gratiam legemque diſtaret, nec indulgentiæ quenquam ſpiritus viuificaret, ſi occidens littera permaneret. Lex enim quod fieri aut non fieri iubet, non præſtat vt aut fiat aut non fiat: quoniam ſeueritati eius non libertate ſed timore ſeruitur. Dominus autem vt legem non ſolueret ſed impleret, per gratiæ auxilium efficax fecit legis imperium, & multiplicando clementiam ſuſtulit pœnam: vt peccatum non vlciſcendo plecteret, ſed remittendo deleret. Vnde adulteram ex legis conſtitutione lapidandam, & veritate liberauit & gratia; cum exſecutores præcepti de conſcientiis territi trementem ream ſub illius iudicio reliquiſſent, qui venerat quærere & ſaluum facere quod perierat, & ideo inclinatus, id eſt, ad humana dimiſſus, & in opus noſtræ reformationis inflexus digito ſcribebat in terram, vt legem mandatorum per gratiæ decreta vacuaret, & oſtenderet ſe eſſe qui dixerat: Dabo leges meas in ſenſu ipſorum & in corde ipſorum ſcribam eas. Quod vtique cotidie facit, dum cordibus vocatorum ſuam inſerit voluntatem, & ſtylo ſpiritus ſancti quidquid in anima paginis diabolus inuidendo falſauit, veritas miſerendo reſcribit. Cum igitur verbum Dei per miniſterium prædicantium auribus carnis infertur, miſcetur operatio potentiæ diuinæ cum ſono vocis humanæ: & qui incitauit euangelizantis officium, audientis quoque firmauit affectum. Dulceſcit animæ cibus verbi: veteres tenebræ noua luce pelluntur, & obtutus interior caligine antiqui erroris exuitur: tranſit animus de voluntate in voluntatem: etſi illa quæ pellitur, aliqua contagione remoratur; ea tamen quæ gignitur electiora quæque ſibi vendicat. Vt lex peccati, & lex Dei diuerſas atque diſcretas in eodem homine habeant manſiones: & concupiſcente carne aduerſus ſpiritum, carnis autem concupiſcentiis ſpiritu repugnante, per exteriora quidem inſidiari tentator audeat, ſed mens auxilio Dei munita præualeat. Ad magnam enim vtilitatem fidelium materia eſt reſeruata certaminum, vt non ſuperbiat ſanctitas dum pulſatur infirmitas. Vnde & Apoſtolus dicit, In magnitudine reuelationum ne extollar, datus eſt mihi angelus Sathanæ qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui vt diſcederet à me: ſed dixit mihi ſufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. Quærat ergo dominus imaginem ſuam, & errantem ouem bonus paſtor inueniat, nec dedignetur ægram diu in itinere fatigatam humeris ſuis ferre, & non reuocando tantum, ſed etiam portando ſaluare. Quærat Dominus imaginem ſuam, & omnium, quæ in eam inciderunt ſordium contritione detersa, ſpeculum humani cordis enubilet. Scriptum eſt enim: Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es? Quærat Dominus imaginem ſuam, vt in reuelatione ac inſtitutione eius, gratia reformantis appareat, ſicut in ſe factum Paulus Apoſtolus proteſtatur & dicit: Eram autem ignotus facie Eccleſiis Iudææ, quæ erant in Chriſto: tantum auditum habebant, quod is qui perſequebatur nos aliquando nunc euangelizat fidem quam expugnabat, & in me clarificabant dominum. Sic ergo tunc Chriſtianus populus didicerat, & illi primitiuæ Eccleſiæ, quorum erat vnum cor & vna anima ſic credebant; vt cum viderent quempiam ad agnitionem veritatis ab errore conuerſum, glorificarent dominum: & fidem correctis confiterentur muneris eſſe diuini. Ipſe quoque dominus diſcipulos ſuos magiſtros omnium gentium ſic docebat dicens: Sic luceat lumen veſtrum coram hominibus, vt videntes opera veſtra bona, magnificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Fixa ergo hac fide in cordibus noſtris, immobiliterque fundata; qua ſaluberrimè credimus omnia bona, ac maximè ea quæ ad æternam vitam prouehunt, Dei munere cuſtodiri, puto quod pius ſenſus non debeat in ea quæſtione turbari, quæ de omnium & de non omnium hominum conuerſatione generatur: ſi ea quæ clara ſunt, non de his quæ occulta ſunt obſcuremus; & dum procaciter inſiſtimus clauſis, excludamur ab apertis; cum ſufficere debeat vt in eo quo peruenimus ambulemus. Quid enim mirum ſi quidam ad vitæ ſacramenta non perueniunt, de quibus dicitur: Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis; ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum. Quorum ſimiles ſunt illi qui profitentur ſe Dominum ſcire; factis autem negant. Nam cum ſcriptum ſit, omnis qui inuocauerit nomen domini ſaluus erit; de quibuſdam tamen dominus ait. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum. Et multi mihi dicent in illa die Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus: & tunc dicam illis: Nunquam noui vos: diſcedite à me operarii iniquitatis. Tales non inuocant nomen domini qui non habent ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater. Nemo autem poteſt dicere Dominum Ieſum niſi in ſpiritu ſancto: & quicunque ſpiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei. Qui ad Dominum per Dominum veniunt & ſaluari volentes omnino ſaluantur, quia ipſum deſiderium ſalutis ex Dei inſpiratione concipiunt, & per illuminationem vocantis in agnitionem veniunt veritatis. Sunt enim filii promiſſionis, merces fidei, ſpirituale ſemen Abrahæ, genus electum, regale ſacerdotium, præſcitum & præordinatum in vitam æternam, ſicut teſtatur ſpiritus ſanctus per Hieremiam Prophetam dicens: Ecce dies veniunt, hinc iam ſequitur cap. 9. in vulgatis codic.

Quòd ſcriptura, ſiue de bonis, ſiue de malis loquatur, ſiue de electis, ſiue de reprobis, ita meminit vnius partis, quaſi neminem hominum prætermittat.

CAPVT IX.

Hiere. 31. *Dicit Dominus: Et diſponam domui Iſrael, & domui Iudæ teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum quod diſpoſui patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Ægypti: quia ipſi nõ perſeuerauerunt in teſtamento meo, & ego eos neglexi, dicit Dominus, quia hoc eſt teſtamentum quod diſponam domui Iſrael: poſt dies illos dicit dominus,*

A

Hiere. 32. in 70.

Dabo leges meas in ſenſu ipſorum, & in corde ipſorum ſcribam eas, & ero illis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque fratrem ſuũ, dicens: Cognoſce dominum, quia omnes cognoſcent me à puſillo eorum vſque ad magnum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum memor non ero. Et dabo illis viam alteram & cor aliud, vt me timeant omnes dies in bonum ipſis & filijs eorum poſt eos, & conſtituam illis teſtamentum æternum, quod non auertam poſt eos: & timorem meum dabo in cor eorum, ne diſcedant à me, & viſitabo eos, vt bonos eos faciam. Per Eſaiam quoque de gratia ſua dominus, qua ex omnibus hominibus nouam creaturam facit, eadem prænunciat, dicens: *Ecce faciam noua quæ nũc* orientur, & cognoſcetis ea, & faciam in deſerto viam, & in ſicca terra flumina. Benedicent me beſtiæ agri, ſirenæ & filiæ ſtruthionum quod dederim in deſerto aquam, & flumina in ſicca terra ad potandum genus meum electum, populum meum quem mihi acquiſiui, vt enarrent virtutes meas.* Et iterum: *Per* meipſum iuro, niſi* exibit de ore meo iuſtitia, & verba mea non auertentur, quia mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua Deo.*

Eſa. 43.
* C. oriũtur.
Eſa. 45.
* c. memetipsũ.
* exiet.

B

Si ergo impoſſibile eſt ita non fieri, quia nec incerta præſcientia Dei eſt, nec mutabile conſilium, nec inefficax voluntas, nec falſa promiſſio, omnes iſti de quibus hæc prædicta ſunt, ſine cuiuſquam exceptione ſaluantur. Dat enim leges ſuas in* ſenſum ipſorum, eaſque in cordibus eorum digito ſuo ſcribit, vt agnitionem Dei, non doctrinæ humanæ opere, ſed magiſterio ſummi eruditoris accipiant. Quia *neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus.* Omnes hi à puſillo vſque ad magnum cognoſcunt Deum,* quia vt venirent ad Chriſtum, à patre audierunt atque didicerunt, omnes educti ab errore diriguntur in viam vitæ, omnib. corde mutato recta ſapere & recta velle donatur, omnibus timor, quo in mãdatis Dei* erudiantur inſeritur. Fit in deſerto via, & terra arida fluminibus irrigatur, vt qui prius ad confitendum Deum os non aperiebant, & velut muta atque irrationabilia animalia in feritatem tranſierant beſtiarum, diuinorum eloquiorum fontibus mundati, benedicant & laudent Deum, enarrantes virtutes & mirabilia miſericordiç eius, qui elegit eos, & in filios adoptauit, ac noui teſtamenti fecit hæredes. Si autem (vt Apoſtolus loquitur) *hominis confirmatum teſtamentum nemo ſpernit aut ſuperordinat,* quomodo fieri poteſt, vt ex vlla parte, diuina promiſſio reſoluatur? Manet prorſus & quotidie impletur quod Abrahæ dominus ſine conditione promiſit, ſine lege donauit. Quia etſi quidam quibus hæc* prædicata ſunt, non crediderunt, incredulitas* eorum fidem Dei non euacuauit. *Eſt enim Deus verax, omnis autem homo mendax.* Et illi quidem qui audito euangelio credere noluerunt, inexcuſabiliores facti ſunt, quam ſi nullum præconium veritatis audiſſent. Sed certum eſt, eos apud præſcientiam Dei Abrahæ filios non fuiſſe, nec in illorum ſorte numeratos, de quibus dictum eſt, *Benedicentur in ſemine tuo omnes tribus terræ.* Credituros enim promiſit qui dixit, *Et non docebit vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque fratrem ſuum, dicens: Cognoſce dominum, quia omnes cognoſcent me à puſillo eorum vſque ad magnum.* Reconciliandos promiſit, qui dixit, *Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum memor non ero.* Obedituros promiſit qui dixit, *Dabo illis viam alteram, & cor aliud, vt timeant me omnes dies.* Perſeueraturos promiſit qui dixit, *Timorem meum dabo in cor eorum, ne diſcedant à me, & viſitabo eos, vt bonos eos faciam.* Poſtremo, omnes ſine cuiuſquam exceptione* promittit qui dixit, *Per memetipſum iuro, niſi* exibit de ore meo iuſtitia, & verba mea non auertentur, quia mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua Deo.* Hic ſi dicamus non fieri quod Deus iurauit eſſe faciendum, falſitatem Deo (quod abſit) & mendacium aſcribimus veritati. Si autem, vt pietas fideſque perſuadent, Dei verba non excidunt, & fit omnino quod ſtatuit: quomodo nobis veracis promiſſionis firmitas apparebit, cum multa adhuc hominum millia dæmonijs ſeruiant, & idolis genu flectant? Niſi huiuſmodi denuntiationes Dei ſecundum illam incommutabilem ſcientiam editas nouerimus, in qua apud illum iam vniuerſitas humana diſcreta eſt, & ſiue de bonis ſiue de malis loquatur, ita vnius partis meminit, quaſi neminem hominum prætermittat. Nam cum dicit Apoſtolus, *Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua:* nunquid non omnes homines videtur dixiſſe renouatos? Aut cum dicit: *quia in ipſo* complacuit *omnem plenitudinem habitare,* & per ipſum reconciliari omnia in ipſo: nunquid non ita loquitur, quaſi neminem velit † exortem huius reconciliationis intelligi? Aut cum ait: *Nouiſſimis iſtis diebus locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum:* nunquid aliud ſonat forma † ſententiæ, quam omnes homines in Chriſti hæreditate à patre eſſe transſcriptos, ſecundum prophetiam Dauid, dicentis: *Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ?* Dicente † enim domino: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me:* nonne vniuerſorum videtur promiſſa conuerſio? Aut cum de eccleſia prophetatur & dicitur: *Omnis vallis replebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas:* nunquid vllus hominum videtur omiſſus, qui non ſignificatus ſit Chriſto eſſe ſubdendus? Quid cum dicitur, *Et veniet omnis caro in conſpectu meo, vt adorent in Hieruſalem, dicit Dominus?* Aut illud: *Et erit in diebus illis: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem?* Aut illud: *Alleuat dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos?* Nunquid non ita pronunciatum eſt quaſi ab hoc Dei munere nemo diſcretus ſit? Habet ergo populus Dei plenitudinem ſuam: & quamuis magna pars hominum, ſaluantis gratiam aut repellat aut negligat, in electis tamen & præſcitis, atque ab omnium generalitate diſcretis, ſpecialis quædam cenſetur vniuerſitas, vt de toto mundo totus mundus liberatus, & de omnibus hominibus omnes homines videantur aſſumpti. Sicut etiam cum de impijs ſermo eſt, ita locutionem ſuam diuinus ſtylus ordinat, vt ea quæ de quadam parte dicuntur, ad omnes homines pertinere videantur, veluti eſt illud quod ait Ioannes Baptiſta: *Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt, quod vidit & audiuit, teſtificatur, & teſtimonium eius nemo accipit.* Aut illud Apoſtoli: *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Aut illud quod Pſalmus Dauidicus canit: *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt [illegible] ſi eſt intelligens, aut requirens Deum: Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* His igitur & alijs documentis quæ poſſunt ab inquirentibus numeroſiora proferri, non dubie demonſtratur, interdum & pro parte terræ omnem terram, & pro parte mundi totum mundum, & pro parte hominum omnes homines nominari. Quorum tamen diſcretionem plerunque ſcriptura cito aperit, vt ſenſus legentis ab vniuerſitatis appellatione ad partem quæ intelligenda eſt, transferatur. Sicut eſt illud Apoſtoli dicentis: *Prædicamus Ieſum Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis vero vocatis Iudæis atque Græcis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Nunquid ipſis Chriſtus virtus quibus ſcandalum, aut ipſis ſapientia quibus ſtultitia? Sed quoniam quidam ex † eiſdem † iuſtificabuntur fide, quidam autem ſua impietate † obdurabuntur: vnum credentium & non credentium genus ſub vocatorum appellatione diſcreuit, vt quos à fide ſignificabat alienos, eos quamuis audiſſent euangelium, oſtenderet vocationis extraneos.

* c. ſenſu.
1. Cor. 3.
* c. qui.
* c. cuſtodiantur.
Gal. 3.
C
* c prædicta.
* c. tamẽ add.
Rom. 3.
Geneſ. 26.
Hier. 31.
Eſa. 45.
D
* Forte ſibi obſecuturos.
* C. exiet.
Vide Ro. 14 Philip. 2.
2. Cor. 5.
Coloſ. 1.
† c. extorem.
Heb. 1.
† c. ſcientiæ.
Pſal. 2.
† autẽ c.
Ioan. 12.
Eſa. 40.
F
Eſa. 66.
Ioel. 2.
Pſal. 144.
Ioan. 3.
Philip. 2.
Pſal. 13.
G
1. Cor. 1.
† c. ipſis.
† iuſtificabantur.
† obdurabantur.
H

Quòd ſcriptura, de electis & reprobis eiuſdem populi loquitur tanquam de iiſdem.

CAPVT X.

† HAc regula per Eſaiam promittit ſermo diuinus, dicens: † *Educam cæcos in viam quam non nouerunt, & ſemitas quas neſciunt calcabunt. Et faciam illis tenebras † illuceſcere, & praua in directum. Hæc verba faciam, & non derelinquam eos.* Sed quod ſequitur: *Ipſi autem conuerſi ſunt retro,* ad partem quandam generis ipſorum referendum eſt, non ad eos de quibus ait: *Non derelinquam eos.* Iterum dicit dominus ad Iacob: *Noli † metuere, quia tecum ſum, Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab † Oraſu colligam te.*

† Hanc regulã c.
Eſa. 42.
† duca c
† in lucem c.
† c. timere.
Eſa. 43.
† c. occidente.

Dicam

A

Dicam Aquiloni, adduc: & Africo, noli vetare, adduc filios meos de terra longinqua, & filias meas à ſummo terræ, omnes in quibus vocatum eſt nomen meum. In gloriam enim meam parani illum, & finxi & feci illum. Quod autem ſequitur: *Et produxi plebem cæcam, & oculi eorum ſunt cæci, & ſurdas aures habent:* non poteſt eis vlla ratione congruere, quos in gloriam ſuam paraſſe ſe dicit. In his quippe omnibus verbis, quæ de vno hominum genere dicuntur, alijs perſonis priora, alijs poſteriora conueniunt. Apud Apoſtolum quoque quod in parte populi agitur, ſub totius populi nuncupatione narratur, & in † reliquis plenitudo cenſetur. Cum enim de Iudæorum obcæcatione diſſereret, & quoſdam ex ipſis gratia ſaluos fieri demonſtraret, *Dico ergo*, inquit, *Nunquid † repulit Deus populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraelita ſum, ex ſemine Abraham de tribu Beniamin, non † repulit Deus plebem ſuam quam præſciuit.* Plebs ergo præſcita, plebs non repulſa, hi ſunt qui in Chriſto iuſtificati ſunt. Et quod de omni Iſraele dici videtur, in his tantum quos ſibi gratiæ electio reliquos fecit oſtenditur, ſicut ſequentia Apoſtolici ſermonis enarrant. Adiungit enim & dicit: *An neſcitis in Elia quid dicit ſcriptura, quemadmodum interpellat Deum aduerſus Iſrael? Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderunt, & ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi reſponſum diuinum? Reliqui mihi ſeptem millia virorum qui non curuauerunt † genu Baal. Sic ergo*, inquit, *& in hoc tempore reliquiæ † per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia.* Non ergo omnis Iſrael reprobatus, nec omnis electus eſt, ſed partem cæcitas † voluntaria auertit, partẽ ſibi † illuminatio gratuita reſeruauit, & tamen ita de eis ſermo habetur, vt & in his qui pereunt, & in his qui ſalui fiũt, nulla totius generis videatur facta diſcretio. Nam cum legitur, Secundũ euangelium quidem inimici propter vos, ſecundum electionem autem † dilecti propter patres: ita locutio ſonat, tanquam eoſdem dicat dilectos, quos dixit inimicos. Sed hanc caliginem Apoſtolus ipſe deterſit, dicendo: *Quia cæcitas ex parte in Iſrael contigit*, vt vnum genus in duas ſpecies intelligeremus eſſe diuiſum, & omnem hominem, omnem plenitudinem, omnem Iſraelem non ſemper ad vniuerſitatem, ſed plerunque ad partem eſſe referendum.

† C. reliquijs.
† c. repellit.
Rom. 11.
† c. repellit.

B

† c. genua ante Baal.
† c. ſecundum.
† c. volũt deeſt.
† illuminatione.
† c. Dei add.

C

Quod ſcriptura de diuerſorum temporum hominibus loquitur, quaſi de eiuſdem temporũ generatione.

CAPVT XI.

INter has autem formulas locutionum, etiam illam in ſcripturis dictionem debemus aduertere, qua id quod ad diuerſorum temporum homines pertinet, ita † promittitur, quaſi de vna eiuſdem ætatis generatione dicatur. Sicut eſt quod Sanctus Petrus Apoſtolus ſcribens ſui & futuri temporis gentibus, ait: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuũ, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti.* Nunquid cum prædicarentur hæc, adhuc illi homines permanebant, quos omnes Deus in præteritis generationibus dimiſerat ingredi vias ſuas, & ijdem ipſi qui prius traditi fuerant voluntatibus ſuis, nunc de tenebris in lumen admirabile vocabantur? Nonne illi iam defecerant, iam in hoc mundo non erant? nec ab errore ad veritatem reditus olim mortuis ſupperebat? Et tamen quod poſt multa ſecula † gratia in poſteris impiorum † fit, loquendi conſuetudo perſtrinxit, vt ipſi videantur nunc elegi, qui prius fuerant derelicti. Pertinent autem hæc non ad eoſdem homines, ſed ad eiuſdem † gẽtis homines, & vocatio quæ illuxit prope mundi finem, ad præteritam non recurrit ætatem, ita modo † quodam & ipſi & nõ ipſi ſunt, de quibus & quibus iſta dicuntur, dum in aliquo † ſpecialia generalibus non diuiduntur, in aliquo vero à communibus ſeparantur.

† c. promitur rect.
1. *Pet.* 2.
Act. 14.

D

† c. agebat add.
† c. ſic loq.
† c. generis.
† c. quidẽ
† c. ſpecialia.

Quod illud Apoſtoli: Vult omnes homines ſaluos fieri: de omni genere hominum intelligitur.

CAPVT XII.

SED cum legerint hæc vel audierint qui amant calumnioſa certamina, dicent nos per huiuſmodi diſputationes Apoſtolo contradicere † diffinienti quod *Deus omnes homines velit ſaluos fieri, & † in agnitionem veritatis venire.* Quam particulam verborũ Apoſtoli, ita nos integre pleneque ſuſcipimus, vt nihil ei de præcedentibus ſiue ſubiectis, quæ ad ipſam pertinent, ſubtrahamus. Quoniam vt cætera diuinorum eloquiorum teſtimonia ſequeſtremus, hic locus ſufficit ad euacuandum quod calumnioſe obijciunt, & ad defendendum quod impie diffitentur. Scribens itaque ad Timotheum † Paulus Apoſtolus, ait: *Obſecro igitur primo omnium fieri obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum eſt & acceptum coram † ſalutari noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & † in agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, & vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* De hac ergo doctrinæ apoſtolicæ regula, qua eccleſia vniuerſalis imbuitur, ne in diuerſum intellectum noſtro euagemur arbitrio; quid in ipſa vniuerſalis eccleſia ſentiat, requiramus: quia nihil dubiũ eſſe poterit in præcepto, ſi obedientia concordet in ſtudio. Præcepit itaque Apoſtolus, immo per Apoſtolum dominus, qui loquebatur in apoſtolo, *fieri obſecrationes, & poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro regibus, ac pro his qui in ſublimitate ſunt.* Quam legem ſupplicationis ita omnium ſacerdotum & omnium fidelium deuotio concorditer tenet, vt nulla pars mundi ſit, in qua huiuſmodi orationes non celebrentur à populis Chriſtianis. Supplicat ergo vbique eccleſia Deo, non ſolum pro ſanctis & in Chriſto iam regeneratis, ſed etiam pro omnibus infidelibus & inimicis crucis Chriſti, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Chriſtum in mẽbris † ipſius perſequuntur, pro Iudæis, quorum cæcitati lumen euangelij non refulget, pro hæreticis & ſchiſmaticis, qui ab vnitate fidei & charitatis alieni ſunt. Quid autem pro iſtis petit, niſi vt relictis erroribus ſuis conuertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant charitatem, & de ignorantiæ tenebris liberati in agnitionem veniant veritatis? Quod quia ipſi præſtare ſibi nequeunt, malæ conſuetudinis pondere oppreſſi, & diaboli vinculis alligati, neque deceptiones ſuas euincere valent, quib. tam pertinaciter inhæſerunt, vt quantum amanda eſt veritas, tantum diligant falſitatem: miſericors & iuſtus dominus pro omnibus ſibi vult hominibus ſupplicari, vt cum videmus de tam profundis malis innumeros erui, non ambigamus Deum præſtitiſſe, quod vt præſtaret oratus eſt: & gratias agentes pro his qui ſalui facti ſunt, ſperemus etiam eos, qui † nondum illuminati ſunt eodem diuinę gratiæ opere eximendos de poteſtate tenebrarum, † vt in regnum Dei priuſquam de hac vita exeant, † transferantur.

E

cap. 4.
† c. definienti.
1. *Tim.* 2.
† c. add.

F

Ibidem.
† c. magiſter gen. c. ũ. add.
† c. ſaluatore.
† c. ad.

G

† c. ſuis
† c. needũ
† c. &
† c. transferendos.

H

Secreti illius profunditas, quo Dei ſaluantis gratia aliquos pro quibus eccleſia orat, præterit, nobis in hac vita patere non poteſt.

CAPVT XIII.

QVòd ſi aliquos (ſicut videmus accidere) ſaluãtis gratia præterierit, & pro eis oratio eccleſiæ recepta non fuerit, ad occulta diuinæ iuſtitiæ iudicia referendum, & agnoſcendum † eſt ſecreti huius profunditatem nobis in hac vita patere non poſſe. *Ex parte enim ſcimus, & ex parte prophetamus, & videmus nunc per ſpeculum in ænigmate.* Nec ſapientiores aut ſcientiores beatiſſimo Apoſtolo ſumus, qui cum de gratiæ potentia diſputaret, magnorum myſteriorum ingreſſus arcanum, ijs quæ † impoſſibile

† c. ſine, eſt
1. *Cor.* 13.
† c. impoſſibilia enarrari.

erat

A Rom. 11. Iſa. 59.

erat enarrare, ſuccubuit. Cum enim dixiſſet : *Nolo vos ignorare fratres myſterium hoc, vt non ſitis vobiſipſis ſapientes, quia cæcitas ex parte in Iſrael contigit, donec plenitudo gentium intraret. & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt : Veniet ex Sion qui eruat & auertat impietates ab Iacob, & hoc illis à me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum. Secundum euangelium quidem inimici propter vos, ſecundum electionem vero dilecti propter patres. Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei. Sicut enim aliquando & vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter illorum incredulitatem: ita & iſti nunc non crediderunt, in veſtra miſericordia, vt & ipſi miſericordiam conſequantur. Concluſit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur.* Cum ergo hæc diuinorum operum myſteria ſupra menſuras humanæ intelligentiæ excellentia, quodam mentis ſuæ profudiſſet exceſſu, totum expoſitionis rationem tranſtulit ad ſtuporem, & admirator eorum quæ protulerat, exclamauit & dixit: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis enim cognouit ſenſum domini, aut quis conſiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.* Præmiſſa enim docentis aſſertio locum dabat multimodæ quæſtioni, vt variaretur per tot populos ac tempora gratiæ Dei cauſa quæreretur, Cur ſcilicet anterioribus ſeculis dimiſſæ eſſent omnes gẽtes ingredi vias ſuas, vno tantum Iſraele (qui diuinis eloquijs erudiretur) excepto, & ad cognitionem veritatis electo, cuius infidelitas locum tandem ſaluandis gentibus fecerit, tanquam ſi vnus populus in fide ſui generis permaneret, miſericordia Dei cæteris ſe nationibus præſtare non poſſet. Cur denique ipſi quorum diminutio ſalus* gentibus eſt, ab obcæcatione ſua non liberentur prius quam ingrediatur *gentium plenitudo*, quaſi illuminari cum omnibus nequeant, qui omnes facta omnium gentium adoptione ſaluãdi ſunt? Aut quomodo omnis Iſrael ſublata obcæcatione ſaluandus ſit, cuius innumerabilis multitudo in ſua infidelitate deficiens, ad tempora * ſaluandis promiſſa non peruenit? Vel quomodo ipſarum gentium (quarum prius non eſt facta vocatio) dicatur nunc ingredi plenitudo, cum * tot promiſcuæ ætatis & conditionis hominum millia in omnibus nationibus quæ ſunt ſub cœlo, ſine Chriſti iuſtificatione moriantur? Sed horum myſteriorum iudiciorumque cauſas pius & doctus magiſter maluit ad altitudinem diuinarum ſapientiæ Dei ſcientiæq; ſuſpendere, quam iuſtiſſimæ veritatis & miſericordiſſimæ bonitatis ſubtractum ab humana * cognitione ſecretum temeraria inquiſitione diſcutere, nihil omittens de his quæ non oportet ignorari, nihil contrectans de his quæ non licet ſciri.

Rom. 11. — B — Capur 5. — Act. 14. — Rom. 11. — * C. gentium. — *C. ſalutis — * C. tanta — C — * C. conditione.

Multa eſſe in diſpenſatione operum diuinorum, quorum, cauſis latentibus, ſoli monſtrantur effectus.

CAPVT XIV.

* C. diuinorum operum. — D

MVlta enim ſunt in diſpenſatione * operum diuinorum, quorum cauſis latentibus ſoli monſtrantur effectus, vt cum pateat quod geritur, non pateat cur geratur, negotio in medium deducto, & in occultum ratione ſubducta, vt in eadem re & de inſcrutabilibus præſumptio comprimatur, & de manifeſtis falſitas refutetur. Neque enim ſi neſcio cur ille Græcus creetur, hic barbarus, iſte in diuitijs, ille in egeſtate naſcatur; hunc valida proceri corporis pulchritudo ſublimet, illum debilium membrorum exilitas contracta deformet, iſte à Catholicis editus, in veritatis cunabulis nutriatur, ille hæreticorum progenies, cum ipſo lacte matris hauriat virus erroris: ſi denique mille alias differentias in habitu corporum, in qualitatib. animorum, in conditione temporum, in more regionum, diiudicare non poſſum: ideo quod omnium horum Deus ſit conditor atque ordinator ignoto. Qui vtrique ſingulorum hominum itaque & corpora creauit & ſpiritus, vt præter illam ſecuturam ex vniuſcuiuſque ſtudio voluntariam diuerſitatem, ipſa conditionis exordia diſſimillima numeroſitate variaret. Turbarent autem nos, & in diuerſum diſtraherent multæ vaniloquorum opiniones, qui de incognoſcibilibus * deuenire in inconuenientia præſumpſerunt, & has originales inæqualitates fatis (quæ nulla ſunt) & ſideribus deputarunt: niſi certiſſima notitia teneremus, Deum creatorem de elementis naturalibus prout vult vas vnumquodque formare, & vnam naturam animarum, & vnam naturam corporum, placitis ſibi temperare mẽſuris. Quæ vtique opera Dei, humanæ intelligentiæ * cognoſcibilia eſſent, ſi innoteſcere debuiſſent: & manifeſtaretur cur ita quidque fieret, niſi quod ita *; fieret, ſcire ſufficeret. Dicit Dominus ad Moyſen: *Quis dedit os homini, & quis fecit mutum & non audientem, videntem & cæcum? nonne ego dominus Deus?* Et per Iſaiam: *Nonne ego * fœcundum & ſterilem feci, dicit dominus?* In libro Eccleſiaſtico legitur. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* Et Iob dicit: *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deum, cum ipſe dederit omnia in manibus eorum.* Et idem de omnium rerum humanarum profectu & defectu diſputãs, omneſque mutationes ad iudicia Dei referens. *Apud ipſum eſt* (inquit) *ſapientia & fortitudo, ipſe habet conſilium & intelligentiam. Si deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet: ſi incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat: ſi continuerit aquas, omnia ſiccabuntur: ſi emiſerit eas, ſubuertent terram. Apud ipſum eſt fortitudo & ſapientia: ipſe nouit & decipientem, & eum qui decipitur: adducit conſiliarios in ſtultum finem, & iudices in ſtuporem. Baltheum regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum. Ducit ſacerdotes * ingloriosos, & optimates ſupplantat, commutans labium veracium, & doctrinam ſenum auferens, effundens deſpectionem ſuper principes, & eos qui oppreſſi fuerant, releuans. Qui * reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis. Qui multiplicat gentes & * perdit eas, & ſubuerſas in integrum † reſtituit. Qui immutat cor principum terræ, & † decipit eos, vt fruſtra incedant per inuium. Palpabunt quaſi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quaſi ebrios.* Et iterum idem, dicens voluntatem Dei irritam eſſe non poſſe: *Ipſe enim* (inquit) *ſolus eſt, & nemo auertere poteſt † cogitationem eius: & anima eius quodcunque voluerit, hoc fiet.*

E — *C. definite inconuenientia — * C. non ſubtrahentur, ſi — * C. fieri — Exod. 4. — Iſaia 66. — * C. fœcũdam — Eccl. 11. — Iob. 12. — F — Ibidem. — * C. inglorios — * C. reuelat — * C. perdet — † reſtituet — † C. decipiet — Iob. 23. — † C. cogitationes — G

Quod pars hominum liberatur, aſcribi non poteſt meritis voluntatum. velut bonos elegerit gratia, malos præterierit.

CAPVT XV.

LIberatur pars hominum, parte pereunte: & ſi hoc voluntatum meritis † velimus aſcribere, vt malos neglexiſſe gratia, bonos autem elegiſſe videatur, reſiſtet nobis innumerabilium cauſa populorum, quibus per tot ſecula nulla cœleſtis doctrinæ annunciatio coruſcauit. Nec meliores fuiſſe eorum poſteros poſſumus dicere, quibus ſcriptum eſt: *Gentium populus qui ſedebat in tenebris, lucem vidit magnam, & ſedentibus in tenebris & vmbra mortis, lux orta eſt illis.* Et ad quos apoſtolus Petrus dicit: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus adquiſitionis, vt virtutes annuncietis eius qui de tenebris vos vocauit in tam admirabile lumen ſuum: qui quondam non populus, nunc autem populus Dei, quorum aliquando non eſt miſertus, nunc autem miſeretur.* Non ergo meritis minorum tribuitur quod non meruere maiores. Par enim impietas & patres accuſabat & filios, eademque ignorantiæ cæcitas omnes ſimul in eoſdem mergebat errores. Sed cur illorum non miſertus & horũ ſit miſertus Deus, quæ ſcientia comprehendere, quæ poteſt inueſtigare ſapientia? Latet diſcretionis † iſta ratio, ſed non latet ipſa diſcretio. Non intelligimus iudicãtem, ſed videmus operantem. Quid calumniamur iuſtitiæ occultæ, qui gratias debemus miſericordiæ manifeſtæ? Laudemus & veneremur quod agitur, quia tutum eſt neſcire quod tegitur.

† C. voluntatum — Iſa. 9. — 1. Pet. 2. — H — † C. iſtius

A

Ex eo quòd parium paruulorum alij ad æternam vitam, alij ad mortem æternam ante intelligentiæ vſum hinc migrant, oſtenditur inſcrutabilitas diuinorum iudiciorum.

CAPVT XVI.

RESpice autem & ad vniuerſalem multitudinem paruulorum, in quibus, excepto illo, quo in damnationem naſcitur gens humana, delicto, nec præterita poſſunt merita, nec futura cenſeri. Omnes enim de quibus nunc loquimur, ante vllum intelligentiæ vſum, ante liberum voluntatis arbitrium, alij ad æternam beatitudinem regenerati, alij ad perpetuam miſeriam tranſeunt non renati. Si originalem culpam fateris, omnis numerus in reatu eſt. Si naturalem innocentiam quæris, omnis ſumma ſine vitio eſt. Nō inuenit quod diſcernat humana iuſtitia, ſed habet quod eligat inenarrabilis gratia Dei. In abſcondito eſt conſilium, ſed non latet donum: opus* erexit pietas, cauſam obſcurat poteſtas. Sed tam indubitale eſt quod nō videtur, quàm quod videtur: quia autori manifeſti operis, negari confeſſio etiam* incognitæ non poteſt æquitatis.

B

*C. exercitu recti.

*C. ignotæ.

Ex impijs qui in extremis conuerſi ſaluantur, oſtenditur & gratiam ſine meritis dari, & inſcrutabile eſſe Dei iudicium.

CAPVT XVII.

QVòd ſi & ad illos dirigas mentis intuitum, qui longam agentes in flagitijs & ſceleribus ætatem, ſacramento baptiſmatis Chriſti in ipſo vitæ fine renouantur, & ſine vllo ſuffragio bonorum operum in regni cœleſtis cōſortium transferuntur, quo intellectu diuinum iudicium comprehendes? niſi vt indubitanter agnoſcas gratuita eſſe Dei munera: & ſicut nulla ſunt tam deteſtanda facinora, quæ poſſunt gratiæ arcere donum, ita nulla poſſe tam præclara opera exiſtere, quibus hoc quod gratis tribuitur, per retributionis iudicium debeatur. Vileſceret enim redemptio ſanguinis Chriſti, nec miſericordiæ Dei humanorum operum prærogatiua ſuccumberet, ſi iuſtificatio quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, vt non munus largientis, ſed merces eſſet operantis. Vnde autem* poſſet probari, quòd ad euacuandum originale peccatum nulla idonea eſſet induſtria? niſi & impij & facinoroſi per lauacrum Chriſti aſſumerentur in regnum agnoſcerentque qui in ſua iuſtitia gloriantur, quàm nihil dignum agere poſſint adoptione filiorum Dei, ſi ad regenerationis non* perueniunt ſacramentum, cum eadem qua ſceleſtiſſimi peccatores conditione teneantur, pares futuri in ſanctificatione, ſi* affuerit* regeneratio, ſimul perituri, ſi ceſſauerit ablutio. Si ergo etiam ex nequiſſimis in ipſo vitæ exitu gratia inuenit quos adoptet, cum tamen multi etiam qui minùs nocentes videntur, doni huius alieni ſunt: quis hoc aut ſine diſpenſatione Dei fieri, aut ſine profunda dicat æquitate decerni? Quod vtique non ideo iniquum eſt, quia occultum eſt, ſed ideo æquum eſt, quia iudicium Dei eſſe non dubium eſt. Quod enim ab illius pendet arbitrio, qua ſententia iudicari debeat priuſquam iudicetur, incertum eſt. Cum autem res ad finem ſuum venerit, nemini liberum eſt de exitu conqueri: quia certiſſimum eſt, nihil aliter Deum facere debuiſſe quam fecerit. Qui multimodæ vocationis varietatem, ad vnam gratiam pertinentem etiam illa regula euangelicæ comparationis aſtruxit, qua oſtendit patremfamilias diuerſo tempore conducentem operarios vineæ ſub pactione denarij,* quo vitæ æternæ ſignificatur æqualitas. Vbi ſine dubio hora vndecima intromiſſi in vineam, totius diei operarijs* exæquati, iſtorum, de quibus nunc loquimur, præferunt ſortem, quos ad commendandam gratiæ excellentiam in defectu diei & concluſione vitæ, diuina indulgentia* numerauit, non labori pretium ſoluens, ſed diuitias bonitatis ſuæ in eos, quos ſine operibus elegit, effundens: vt etiam hi qui in multo

C

*C. poſſit.

*C. perueniunt.

*C. adfuerit miſeratio

D

*C. deeſt totū illud. quo vitæ f. æqualitas

*C. aggregati.

*C. numeratur.

labore ſudarunt, nec amplius quàm nouiſſimi acceperunt, intelligant, donum ſe gratiæ, non operum accepiſſe mercedem. Vnde ſi & nos* aduerſum patremfamilias murmuremus, eo quòd nouiſſimè* vocati totius diei operarijs coæquentur, nec amplius multa opera quàm penè nulla mereantur, dicetur nobis quod vni eorum reſponſum eſt: *Amice, non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conueniſti mecum? Tolle quod tuum eſt & vade. Volo autem & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi. Aut non licet mihi de re mea facere quod volo? Aut oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Certè huic calumniatori iniuſta videbatur hæc largitas, & quid eruditionis retulit? quid rationis accepit? non eſt ei diſpenſationis huius reuelata iuſtitia, nec ad inſpectionem ſecreti latentis admiſſus eſt, ſed vt à diſcutiendis Dei iudicijs abſtineret, oppoſita eſt ei bonitas miſerantis, & volentis poteſtas, quaſi illi & ab Apoſtolo diceretur: *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, Quare me feciſti ſic?*

E

*C. vocati ſint totius diei operarijs exequemur.

Matth. 20.

Rom. 9.

F

Gratia ſine qua bona merita eſſe nequeunt, non accipitur à quoquam niſi ex Dei voluntate ſine meritis.

CAPVT XVIII.

OMnibus ergo hominibus cuiuſlibet* generis, cuiuſlibet conditionis & ætatis, cauſa percipiendæ gratiæ voluntas Dei eſt, apud quam ratio electionis abſcondita eſt, ab ea gratia incipientibus meritis quam accepére ſine meritis. Quæ ſi poſſent bona eſſe ſine gratia, non diceretur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum:* Et, *niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis*, ſed diceretur: Niſi quis fuerit iuſtus & bonus, beatus in æternum eſſe non poterit. Nec opus eſſet per aquā & ſpiritum renaſci, ſi per mandatum ſufficeret erudiri. Et euacuaretur fides, quæ credit per baptiſmum omnia peccata dimitti, ſi gratia non malis & impijs, ſed bonis & rectis doceretur impendi. Origo itaque veræ vitæ, veræque iuſtitiæ in regenerationis eſt poſita ſacramento, vt vbi homo renaſcitur, ibi etiam ipſarum virtutum veritas oriatur. Et* incipiunt ad perpetuam gloriam proficere per fidem, qui vix ad temporalem vanæ laudis poterant peruenire mercedem. Siue enim Iudæus legis ſcientia tumens, ſiue Græcus ſtudio ſapientiæ naturalis inflatus, priuſquā iuſtificetur per fidem Chriſti, concluſus eſt ſub peccato: Et ſi in ſua* infelicitate perſtiterit, ira Dei manet ſuper eum, illa ſcilicet in Adæ præuaricatione contracta, de qua Apoſtolus loquitur, dicens: *Et vos cum eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi huius, ſecundum principem poteſtatis aëris huius, ſpiritus qui nunc operatur in* filios diffidentiæ, in quibus & nos aliquando conuerſati ſumus in deſiderijs carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri.* Et iterum: *Qui eratis illo tempore ſine Chriſto alienati à conuerſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in mundo.* Et iterū: *Eratis aliquando tenebræ nunc autem lux in Domino.* Et iterū: *Gratias agentes patri, qui dignos nos fecit in parte ſortis ſanctorū in lumine, qui eripuit nos de tenebris & poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* Et iterum: *Eramus enim & nos aliquando inſipientes, increduli, errantes, ſeruientes deſiderijs & voluptatib. varijs, in malitia & inuidia agētes, odibiles, odientes inuicem. Cum autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris noſtri, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis* Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.*

(.·.)

*C. gentis & add.

Ioan. 3.

Ioan. 6.

G

*Et incipiant C.

*infidelitate. C.

Epheſ. 2.

*C. filijs.

Ibidem.

H

Epheſ. 5.

Coloſ. 1.

Titum 3.

*C renouationis add.

A

Qualis ſit natura ſine gratia.

CAPVT XIX.

Caput 6.

ET vt breuiſſimè pateat, qualis ſit natura humana ſine gratia, dicat Iudas Apoſtolus quid agat vel ignorantia imperitorum, vel doctrina ſapientium: *Hi autem* (inquit) *quæcunque quidem ignorant, blaſphemant: quæcunque autem naturaliter* * *vt muta animalia nôrunt, in his corrumpuntur.* Dicat * etiam ſub verbis Zachariæ euangeliſta Lucas, ante illuminationem gratiæ in qua humanum genus nocte verſetur, & de quibus ignorantiæ tenebris Dei populus eruatur: *Et tu* (inquit) *puer propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam ſcientiam ſalutis populo eius in remiſſionem peccatorum ipſorum, propter viſcera miſericordiæ Domini, in quibus viſitauit nos Oriens ex alto: Lucere his qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.*

* C. velut bruta. *C. autem

Luc. 1.

B

Viſcera miſericordiæ Dominus ad omnium nationum impendit ſalutem, omneſq; ſaluat: & tamen etiam verum eſt, quod teſtimonium eius nemo accipit.

CAPVT XX.

HÆc autem viſcera miſericordiæ Dominus non ad vnius tantum populi redemptionem, ſed ad omnium nationum impendit ſalutem, dicente euangeliſta: *Quia Ieſus* * *moriturus erat pro gente, non tantum pro gente, ſed etiam vt filios Dei diſperſos congregaret in vnum.* Hoc enim agit illa vox Domini, quæ per quandam pietatis tubam toto terrarum orbe reſonantem, omnes homines & inuitat & conuenit. Nam cum dixiſſet: *Confitebor tibi pater Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, ita pater. quoniam ſic beneplacitum eſt ante te,* addidit: *Omnia mihi tradita ſunt à patre meo & nemo nouit filium niſi pater, neque patrem quis nouit niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Et deinde adiecit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue eſt.* Ioannes verò Baptiſta in Euangelio Ioannis prophetico ſpiritu proteſtatur dicens: *Qui de cælo venit ſuper omnes eſt, quod vidit & audiuit, teſtificatur, & teſtimonium eius nemo accipit. Qui accipit teſtimonium eius ſignificauit quoniam Deus verax eſt.* Igitur quantum attinet ad humani generis cæcitatem, longa ignorantiæ & ſuperbiæ nocte contractam, venit in hunc mundum Creator mundi, & *mundus eum non cognouit: Lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt. Qui ſuper omnes eſt, quod vidit & audiuit teſtificatur, & teſtimonium eius nemo accipit.* Sed quia non fruſtra Deus Dei filius venit in mundum, & dedit ſemetipſum pro omnibus: mortuus eſt, non tantum pro gente, ſed etiam vt filios Dei diſperſos cōgregaret in vnum, & vniuerſis dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis,* & ſeruato ſibi incognoſcibilis electionis arbitrio, dat ſui patriſque notitiam, quibus * eum voluerit reuelare. Omnes filij lucis, filij promiſſionis, filij Abrahæ, filij Dei, genus electum, regale ſacerdotiū, veri Iſraelitæ, præcogniti & præordinati in regnum Dei (qui eos vocauit non ſolum ex Iudæis ſed etiam ex gentibus) teſtimonium eius qui de cælo venit, accipiunt, ſignificantes quia Deus verax eſt, id eſt, expreſſe ſignificantes in ſui ſaluatione quoniam Deus verax eſt, implens & perficiens quod promiſit Abrahæ omnium gentium patri, qui pollicente Deo quod hæres futurus eſſet mundi non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide dans gloriam Deo, & pleniſſimè ſciens, quoniam quod promiſit, potens eſt & facere: Quis autem tam alienus eſt à fide Abrahæ, quis tam degener ab vniuerſarum gentium patre, qui promiſſionem Dei aut non impleri, aut ab alio præter eum qui promiſit, dicat impleri: Ille quidem erit mendax, Deus autem eſt verax, & omnis qui accipit teſtimonium eius, hoc ſignat, hoc indicat, quòd per lucem illuminantem factus eſt videns, factus eſt obediens, factus eſt intelligens, ſicut Ioannes Euangeliſta teſtatur dicens: *Scimus quia mundus totus in maligno poſitus eſt, & ſcimus quia filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio eius.*

*C. moriturus. Ioan. 11. Matth. 11. C Ioan. 3. Ioan. 1. D *C. eum. Rom. 4.

B 1. Ioan. 5.

Non eſſe ſcrutandum, cur Deus alios eligit, alios non eligit: ſicut nec, cur anteà omnibus gentibus prætermiſſis, vnum Iſraelem elegit.

CAPVT XXI.

SI verò quæritur, cur Saluator omnium hominum non omnibus dedit hunc ſenſum, vt cognoſcerent verum Deum, & eſſent, id eſt, permanerent in vero filio eius: quamuis credamus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuiſſe ſubtractam (de quo pleniùs in ſequētibus diſſeremus) tamen ita fortè hoc velatum ſit, ſicut illud abſconditum eſt, cur antea, omnibus gentibus prætermiſſis, vnum populum ſibi quem ad veritatis cognitionem erudiret exceperit, de quo iudicio Dei ſi non eſt conquerendum, multo minùs de hoc quod cum electione omnium gentium geritur, murmurandum eſt. Quæ enim Deus occulta eſſe voluit, non ſunt ſcrutanda: quæ autem manifeſta fecit, non ſunt * neganda, ne & in illis illicitè curioſi, & in iſtis damnabiliter inueniamur ingrati. Non autem ignoramus eſſe quoſdam tam inconſideratæ præſumptionis, & tam ſuperbæ arrogantiæ, vt quod præcipuus magiſter gentium, non ab hominibus neque per hominem, ſed diuinitus eruditus, ſupra menſuram ſcientiæ ſuæ longè & altè remotum eſſe confeſſus eſt, audeant falſi nominis temeraria doctrina, & nihil illic occultum, nihil velint eſſe ſecretum, vbi Apoſtolus non quid ſentiendum eſſet aperuit, ſed quid non ſcrutandum eſſet, oſtendit. Nullis enim (quod ſuprà iam diximus) ſtudijs, nullis ingenijs indagare conceſſum eſt, quo iudicio, quoue cōſilio Deus incommutabiliter bonus, incommutabiliter iuſtus, ſemper præſcius, ſemper omnipotens, ideo *omnia in incredulitate* * *concluſerit, vt omnium miſereatur,* & tamen illis ſeculis quibus vnum Iſraelem erudiebat, innumerabiles populos impiorum illuminare diſtulerit, & nunc eundem Iſraelem, donec vniuerſitas gentium introeat, obcæcatum eſſe patiatur, pereuntem in tot millibus naſcentium atque morientium, & ſaluandum in eis quos mundi finis inuenerit. Quo myſterio toto ſcripturarum corpore dilatato, innotuit quidem nobis quid factum ſit, quid fiat, quidve faciendum ſit: ſed quare ita fieri placuerit, ab humanæ intelligentiæ contemplatione ſubtractum eſt.

Caput 7. Hi tres verſ. vſq; ad illud Quamuis cred. abſunt à C. F *C. negligenda. Rom. 11. G *C. dimiſerit.

Eos qui diſcretionem qua Deus alios eligit, alios non eligit, ad meritum referunt voluntatis humanæ, docere, neminem gratis, ſed ex retributione ſaluari: & ex paruulis apertè confutari.

H

CAPVT XXII.

ISti autem qui neſcire aliquid erubeſcunt, & per occaſionem obſcuritatis tendunt laqueos deceptionis: omnem diſcretionem qua Deus alios * eligit, alioſque non * eligit (*multi enim ſunt vocati, pauci autem electi*) ad merita humanæ referunt voluntatis, docentes ſcilicet neminem gratis, ſed ex retributione ſaluari, quia naturaliter omnibus ſit inſitum, vt ſi velint, poſſint veritatis eſſe participes, eiſque affluere gratiam, à quibus fuerit expetita. Quæ diffinitio vt interim de gratiæ veritate taceatur, de his videtur aliquam oſtentare ratiunculam, qui libero vtuntur arbitrio. De paruulis verò, quibus ſine vllo bonæ voluntatis merito in originali vulnere cum cæteris mortalibus cauſa communis eſt, nihil poteſt expoſitionis afferri, qua doceatur cur iſti ſalui fiant renati, illi pereant non renati, ſub illius prouidentia & omnipotentia, *in cuius manu eſt anima omnis viuentis, & ſpiritus vniuerſæ carnis hominis.* Et cui dicitur: *Breues dies hominis ſunt, numerus dierum eius apud te eſt.*

* elegit. * elegit. Matt. 20. Iob. 12. Iob. 14.

A eſt. Non autem puto iſtos voluntatum patronos, ſimplicitate illorum tam impudenter vſuros, vt aut * fortuitu iſta dicant accidere, aut non renatos aſſerant non perire. Apertè enim aut cum Paganis conuincerentur ſentire de fato, aut cum Pelagianis transfuſum in poſteros Adæ negare peccatum. Fato autem non baptizari paruulos, nec Pelagiani potuerunt dicere: ſed quia eos liberos à peccato auſi ſunt profiteri, metuere damnari. Cum autem de diſcretione omnium hominum quæſtio ventiletur, & ab omnibus hominibus paruuli nequeant ſeparari, ſimulque de totius ætatis hominibus Veritas dixerit: *Filius hominis venit quærere & ſaluare quod perierat*: fruſtra profunditatem inſcrutabilis gratiæ per liberum arbitrium conantur aperire, qui cauſam electionis in eorum conſtituunt meritis qui eliguntur. Et cum multa de maiorum voluntate ac iudicio inepta & falſa protulerint, in paruulorum tamen diſcretione deficiunt, nec poſſunt de eius quæſtionis ratione reddita gloriari, quæ de omnibus hominibus tractatur, & non de omnibus expeditur. B

* C. fortuito.

Luc. 19.

Omne bonum hominis meritum ab initio fidei vſque ad perſeuerantiæ conſummationem donum eſſe diuinum, & primùm hoc oſtenditur de fide.

CAPVT XXIII.

MVltiformitas autem & magnitudo diuinæ gratiæ, probat iſtos contra veritatem, etiam quod de maiorum voluntatibus loquuntur, aſtruere, eorumque perſuaſioni diuinorum eloquiorum teſtimonia repugnare. Quæ ſi omnia ſermoni noſtro velimus annectere, modus non erit * differendo. Quæ tamen ſe recordationi offerunt, non * omittentur, vt, quantum ſatis eſt, manifeſtetur omne hominis bonum meritum ab initio fidei vſque ad perſeuerantiæ conſummationem, donum atque opus eſſe diuinum. C Igitur fides, quæ bonæ voluntatis & iuſtæ actionis eſt genitrix, quo ipſa fonte naſcatur, Apoſtolus Paulus exponat, qui pro Romanorum fide Deo gratias agit, dicens: *Primùm quidem gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.* Ad Epheſ. quoque ſcribens: *Propterea* (inquit) *& ego audita fide veſtra quæ eſt in Domino Ieſu, & dilectione in omnes ſanctos, non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis: vt Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis veſtri, vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis eius, quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis.* De fide etiam Coloſſenſium ſimiliter Deo gratias agens: *Gratias agimus* (inquit) *Deo & patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſemper pro vobis orantes, audientes fidem veſtram in Chriſto Ieſu, & dilectionem quam habetis in ſanctos omnes, propter ſpem quæ repoſita eſt vobis in cœlis.* Et vt alia bona ab eodem bonorum autore percipiant, quid pro eis oret enarrans: *Ideo* (inquit) *& nos ex qua die audiuimus, non ceſſamus pro vobis orantes, & poſtulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni ſapientia & intellectu * ſpiritali, vt ambuletis dignè, Deo placentes in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei, in virtute confortati ſecundum potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate cum gaudio.* D Item ad Theſſal. qui ſpiritu fidei dilectioniſque feruebant: *Gratias agimus* (inquit) *Deo ſemper pro omnibus vobis memoriam facientes in orationibus noſtris ſine intermiſſione, memores operis fidei veſtræ & laboris & charitatis & ſubſtinentiæ ſpei Domini noſtri Ieſu Chriſti ante Deum & patrem noſtrum.* Et infrà: *Ideo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis non vt verbum hominum, ſed ſicut eſt verè verbum Dei, qui operatur in vobis qui crediditis.* Potuitne pleniùs aut euidentiùs demonſtrari, Dei eſſe donum credentium fidem, quàm vt ideo agerentur gratiæ Deo, quoniam hi quibus verbum Dei per homines prædicabatur, non quaſi de hominum ſermone dubitarunt, ſed tanquam Deo loquenti per homines crediderunt, qui in ipſis eſt operatus vt crederent? In ſecunda quoque ad eoſdem Theſſalon. epiſtola, de fide in Chriſto proficientium ita Apoſtolus loquitur: *Gratias agere debemus Deo ſemper pro vobis fratres, ita vt dignum eſt, quoniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat charitas vniuſcuiuſque veſtrum in inuicem, ita vt & nos ipſi in vobis gloriemur in Eccleſiis Dei pro patientia veſtra & fide in omnibus perſecutionibus veſtris & tribulationibus, quas ſuſtinetis in exemplum iuſti iudicij Dei, vt digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini.* E Petrus quoque Apoſtolus ex Deo haberi fidem prædicans, ita ſcribit: *Scientes quòd non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis de vana conuerſatione veſtra paternæ traditionis, ſed precioſo ſanguine quaſi agni incontaminati & immaculati Chriſti Ieſu, præcogniti quidem ante conſtitutionem mundi, manifeſtati autem nouiſſimis temporibus propter vos; qui per ipſum fideles eſtis in Deum, qui ſuſcitauit eum à mortuis, & gloriam ei dedit, vt fides veſtra & ſpes eſſet in Domino.* Item idem in ſecunda epiſtola de fidei perceptione ſic loquitur: *Simon Petrus ſeruus & Apoſtolus Ieſu Chriſti, his qui coæqualem nobis adepti ſunt fidem per iuſtitiam Domini & Saluatoris Ieſu Chriſti.* Vnde autem habeatur ſpiritus fidei, Ioannes Apoſtolus manifeſtiſſimè docet dicens: F *Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum in carne veniſſe, ex Deo eſt, & omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus.* Item dicit, ab eo recipi euangelium, in quo eſt ſpiritus veritatis: *Nos* (inquit) *ex Deo ſumus. Qui nouit Deum audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos. In hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris.* Item in actibus Apoſtolorum Petrus Apoſtolus fidem eſſe per Dominum Ieſum pronuncians: *Hunc* (inquit) *quem videtis & noſtis, confirmauit nomen eius, & fides quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum.* De fide quoque Lydiæ, cuius inter alias mulieres quæ euangelium pariter audiebant, Dominus cor aperuit, ita in eadem narratur hiſtoria: *Die autem ſabbatorum egreſſi ſumus extra portam iuxta flumen, vbi videbatur eſſe oratio, & ſedentes loquebamur mulieribus quæ conuenerant: & quædam mulier nomine Lydia, purpuraria ciuitatis Thyatirorum, colens Deum audiuit, cuius Dominus cor aperuit, vt intenderet his quæ dicebantur à Paulo.* Non autem ex humana ſapientia eſſe fidem, ſed ex inſpiratione diuina ipſius veritatis voce firmatur: G dicente enim Domino ad diſcipulos ſuos: *Vos autem quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Reſpondens autem Ieſus, dixit ei: Beatus es Simon bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* Paulus verò Apoſtolus hanc ipſam fidem ſecundum menſuram dari pro arbitrio largientis ita prædicat: *Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, ſicut vnicuique diuiſit Deus menſuram fidei.* Item idem vnitatem rectæ fidei, & conſenſionem in honorem Dei à Deo eſſe commendans: *Deus autem* (inquit) *patientiæ & conſolationis det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Ieſum Chriſtum vt vnanimes vno ore honorificetis Deum & patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Et infrà: *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis ſpe in virtute Spiritus ſancti.* Quo teſtimonio non ſolùm fides, ſed etiam gaudium & pax & abundantia ſpei, docentur niſi in virtute ſancti Spiritus non haberi. H Ad Epheſios verò ſcribens Apoſtolus de diuitijs gratiæ pro malis bona retribuentis, & de fide quæ non ex nobis, ſed ex Dei dono habetur, hæc loquitur: *Deus autem qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam ſuam charitatem qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto, cuius gratia ſalui facti ſumus, & conreſuſcitauit & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu. gratia enim eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.* Proprium ergo hoc habet noua creatura per gratiam, vt qui figmentum Dei ſunt, qui natiuitate cœleſti conduntur in Chriſto, non otio torpeant, nec deſidia reſoluantur, ſed de virtute in virtutem proficiant per viam bonorum operum ambulando: hoc eſt enim fingi, hoc de vetere creatura nouam fieri, hoc de imagine terreni hominis ad imaginem cœleſtis hominis reformari. Quod totum ſiue palam per cooperatores gratiæ, ſiue occultè per ſubminiſtrationem ſpiritus, ille inchoat, ille auget & perficit, cuius agricultura, cuius ædificatio, & cuius figmentum ſumus.

* C. diſſerendi. * omittantur C. Cap. 8.

Rom. 1.

Epheſ. 1.

Coloſſ. 1.

* ſpiritualis C.

1. Theſſ. 1.

1. Theſſ. 2.

2. Theſſ. 1.

1. Petr. 1.

2. Petr. 1.

1. Ioan. 4.

Ibidem.

Act. 3.

Act. 16.

Matt. 16.

Rom. 12.

Rom. 15.

Epheſ. 2.

A

Omne bonum in homine eſſe ex gratia, & fidem dari non petitam, vt ipſius petitionibus cætera bona conſequamur.

CAPVT XXIIII.

Caput 9. ABunde, quantum arbitror, his teſtimonijs (quamuis & alia documenta aggregari potuerint) demonſtratum eſt, fidem qua iuſtificatur impius, niſi ex Dei munere non haberi, eamque nullis meritis præcedentibus tribui, ſed ad hoc donari, vt principium poſſit eſſe meritorum,* & cùm ipſa data fuerit non petita, ipſius iam petitionibus bona cætera conſequamur. Vnde quædam de plurimis aſſumenda ſunt teſtimonia, quæ in diuerſitate donorum oſtendant gratiæ largitatem. Ex Deo itaque eſſe, vt homo viam Dei eligat, & reſurgat à lapſu, pſalmus Dauidicus canit dicens: *A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet. Cum ceciderit, nõ collidetur, quia Dominus ſuppo nit manum ſuam.* Item idem quòd duce Deo veniatur ad Deum: *Emitte lucem tuam & veritatem tuam. ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.* Item quòd in Domino ſit hominis fortitudo, & Dei voluntas præueniat liberandum: *Fortitudinem* (inquit) *meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus: Deus meus,* voluntas eius præueniet me.* In Prouer. quoque legimus de ſapientia & intellectu: *Quoniam Dominus dat ſapientiam, & à facie eius ſcientia & intellectus.* Item in eodem libro de diſpenſationibus ſapientiæ Dei, ſine qua nullæ rectæ ſunt actiones, ita dicitur. *Meum conſilium & mea tutela, ego prudentia, mea autem virtus. Per me reges regnant, & tyranni per me obtinent terram.* Item alibi, quòd nemo poſſit rectè incedere niſi Domino dirigente: *A Domino corriguntur greſſus viri, mortalis autem quomodo intelligat vias ſuas?* Item alibi: *Omnis vir videtur ſibi iuſtus, dirigit autem corda Dominus.* Et infrà: *Præparatur voluntas à Domino.* Item ibidem de cogitatione atque conſilio: *Multæ cogitationes in corde viri, conſilium autem Domini obtinet.* In libro verò Eccleſiaſtæ* dicitur, quòd & habere neceſſaria, & eis bene vti, donum ſit Dei: *Non eſt,* inquit, *bonum homini, niſi quod* manducet & bibat, & oſtendat animæ ſuæ bonum in labore ſuo. Et quidem hoc vidi ego, quia à manu Dei eſt.* Quoniam quis manducabit aut parcet abſque illo? Item in eodem libro legitur, quòd corda & opera iuſtorum in manu ſint Dei, & tantum in ſtudijs ſuis proficiant, quantum ille * donauerit: *Quantumcunque laborauerit homo vt quærat, non inueniet: & quodcunque dixerit ſapiens vt ſciat, non poterit inuenire: quia vniuerſum hoc dedi in cor meum, & cor meum vniuerſum hoc vidit, quia & iuſti & ſapientes & operationes eorum in manu Dei.* In libro autem Sapientiæ de eodem gratiæ opere ita dicitur: *Quoniam ipſe & ſapientiæ dux eſt, & ſapientium emendator. In manu enim eius & nos & ſermones noſtri, & omnis ſapientia & operum ſcientia & diſciplina.* De continentia quoque quòd ex Dei ſit beneficio munere, eadem ſcriptura ſic loquitur: *Vt ſciui, quia aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det: & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cuius eſſet hoc donum.* Cui ſententiæ Pauli Apoſtoli doctrina concordat in prima ad Corinthios hæc ſcribentis: *Volo autem omnes homines eſſe ſicut meipſum, ſed vnuſquiſque proprium habet donum ex Deo, alius ſic, alius verò ſic.* Dominus verò in Euangelio ſecundum Matthæum hæc de continentiæ dono inſinuaſſe narratur. Dicentibus namque diſcipulis ſuis, *Si ita eſt cauſa viri cum vxore, non expedit nubere: dixit illis Ieſus, Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt à patre meo.* De timore Dei & ſapientia ita in Eccleſiaſtico legitur: *Corona ſapientiæ, timor Domini: vtraque autem dona ſunt Dei.* Item in eodem, *Timor Domini ſuper omnia ſe ſuperpoſuit, beatus cui donatum eſt habere timorem Domini.* Iſaias quoque de diuitijs ſpiritalibus, quarum autor eſt Dominus, ita loquitur, *In theſauris ſalus noſtra aduenit, ſapientia & pietas & diſciplina à Domino. hi ſunt theſauri iuſtitiæ.* Item de altitudine diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, cuius bonitas nullius merito præuenitur, hæc dicit: *Quis menſus eſt manu aquam, & cælum palmo, & vniuerſam terram pugillo, qui ſtatuit montes in libra, & rupes in ſtatera? Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis eius fuit conſiliarius, qui inſtruat eum, aut quem conſuluit, & inſtruxit eum, vel quis oſtendit ei iudicium, aut viam prudentiæ quis oſtendit ei, vel quis prior dedit ei, & retribuetur illi?*

Margin (left): Al.* vt — Pſal. 36. — B — Pſal. 42. — Pſal. 58 — *C. miſericordia — Pr ... 2. — Prou. 8. — Prou 10. — Prou 21. — Pr 8 in 70 — C — *C. ſcribitur. — Prou 19. — *manducauit & bibit & oſtendit. — Eccl. 5. — *C. voluerit. — Eccleſ 9. — Sap. 7. — Sap. 8. — D — 1. Cor. 7. — Matt. 9. — Eccl 1. — Eccl 25. — Iſai. 25. in 70. — Iſai 40.

E

Vnde & in libro Iob ſecundum eundem ſenſum leguntur Domini verba dicentis: *Quis ante dedit mihi, vt retribuam illi? Omnia quæ ſub cælo ſunt, mea ſunt.* Iob 41. Ieremias verò quòd à Deo ſit homini recta ſapientia, ſic profatur: Iere. 10. *Scio, Domine, quia non eſt in homine via eius, nec viri eſt vt dirigat iter ſuum.* Item quòd ad Deum conuerſio cordis ex Deo ſit, per ipſum Dominus proteſtatur & dicit: Iere. 24. *Reſtituam illos in terram iſtam, & reædificabo, & non deſtruam, & plantabo eos & non euellam, & dabo illis cor vt ſciant me, quia ego ſum Dominus, & erunt mihi in populum, & ego ero illis in Deum, quia conuertentur ad me ex toto corde ſuo.** Item idem prædicans quòd vt Deus cognoſcatur, ex Deo ſit: *Et ſcient,* inquit, *quia ego Dominus Deus illorum, & dabo illis cor cognoſcendi me, & aures audiendi.* *C. Baruh quoq. prædicat. Quòd autem omne verbum bonum, & omne opus ſanctum ſubminiſtratio ſit Spiritus ſancti, ſine quo nihil rectè agatur, in prima ad Corinthios Paulus Apoſtolus docet, dicens: 1. Cor. 12 *Ideo notum vobis facio, quod nemo in ſpiritu Dei loquens dicit anathema Ieſu. Et nemo poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto. Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum. alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alij prophetatio, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult.* Tantum verò vnumquenque habere gratiæ, quantum Dominus donauerit, idem Apoſtolus ad Epheſios ait: Epheſ 4. *Vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus & pater omnium, qui ſuper omnes eſt, & ſuper omnia, & in omnibus nobis. Vnicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, propter quod dicit: Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Item idem in ſecunda ad Corinth. dicit, quòd ne ad cogitandum quidem quod ſpiritale eſt, idonei ſimus niſi per gratiam Dei: 2. Cor. 3. G *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deũ, non quod ſufficientes ſimus aliquid cogitare à nobis, quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos fecit nos miniſtros noui teſtamenti non litera, ſed ſpiritu. Litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat:* & iterum in eadem epiſt. dicens bonorum operum effectum & ſufficientiam à Dei gratia miniſtrari: *Potens eſt autem,* inquit, *Deus omnem gratiam* abundare facere in vobis, vt in omnibus per omnia ſufficientiam habentes* abundetis in omne opus bonum, ſicut ſcriptum eſt: Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in æternum. Qui autem miniſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ, vt in omnibus locupletati abundetis in omnem ſimplicitatem.* 2 Cor 9. *abũdantem C. Pſal. 111. Ad Epheſ. verò ſcribens Apoſtol. docet quòd omnia bona quibus placetur Deo, dona ſint Dei, & quòd ab ipſo peti oporteat, vt ea non habentibus tribuat: Epheſ. 3. *Huius rei,* inquit, *gratia, flecto genua mea ad patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ virtutem corroborari per ſpiritum eius in interiore homine, habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, ſublimitas & profundum,* ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens eſt omnia facere ſuperabundantiùs quàm petimus aut intelligimus, ſecundum virtutem quæ operatur in nobis, ipſi gloria in eccleſia & in Chriſto Ieſu, in omnia ſecula ſeculorum, amen.* H *C. ſcire etiã add. Omnis autem boni Deum eſſe autorem, cuius dona nec incerta ſint nec mutabilia, ſed ex æterna voluntate venientia, Iacobus Apoſtolus ita loquitur: Iacob. 1. *Nolite errare fratres mei dilecti. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.* Cui & Zacharias propheta concinit, dicens: Zach. 9. *Saluabit Dominum in die illo ſicut oues populum ſuum. quoniam lapides ſancti voluuntur ſuper terram ipſius. Quia ſi quid bonum ipſius eſt, &*

ſi quid

A *Matth. 13.* *C. ſcientia.*

ſi quid optimum, ab ipſo eſt. In Euang. vero ſecundum Mat. quod * ſcientiæ & intellectus dona ſint Dei, quæ quibus voluerit largiatur, ita dicitur: *Tunc accedentes diſcipuli eius, dixerunt: Quare in parabolis loqueris ad eos? At ipſe reſpondens, ait illis: Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cælorum, illis autem non eſt datum.* Ioannes quoque Euangeliſta pronũciat, *Ioan. 3.* neminem aliquid boni habere, niſi quod deſurſum acceperit, dicens: *Non poteſt homo accipere quicquam niſi fuerit ei datum de cælo.* In eiuſdem vero euãgelio doctrina eſt ipſius Veritatis, quòd nemo veniat ad filium niſi attractus à patre, quia venturum Deus & intelligentem & obedientem facit. *Ioan. 6.* *Nemo, ait, poteſt venire ad me niſi pater qui miſit me, attraxerit eum, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Scriptum eſt enim in prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me.* Et infrà: *Propter hoc dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi datum fuerit ei à patre meo.* In fide autem & in operibus bonis proficere ac perſeuerare vſque ad finem, muneris atque auxilij eſſe diuini, ſanctarum ſcripturarum confirmat autoritas. Etenim ſcribens B *Philip. 1.* Paulus Apoſtolus Philippenſibus ait: *Confidens hoc ipſum quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu.* Huius autem teſtimonij virtutem quidam volens ad ſui ſenſus prauitatem cõuertere, ita quod dictum eſt: *Qui cœpit in vobis,* volebat intelligi, quaſi dictum eſſet: qui cœpit ex vobis, vt & initium & conſummatio operis non ad Deum, ſed ad hominem referretur, qui & incipere, & perficere voluiſſet. Sed hanc inſaniſſimam ſuperbiam, in eadem epiſtola excellentiſſimus gratiæ prædicator elidit dicens: *Ibidem.* *In nullo terreamini ab aduerſarijs, quæ eſt illis cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo. Quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini.* Et iterum: *Philip. 2.* *Cum metu* (inquit) *& tremore veſtram ſalutem operamini, Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* *1. Theſſ. 3.* Item in 1. ad Theſſ. docet ex Deo eſſe principium & profectum, conſummationemque virtutum, dicens: *Ipſe autem Deus & Pater noſter, & Dominus Ieſus dirigat viam noſtram ad vos, vos autem Dominus multiplicet,* C *& abundare faciat charitatem in inuicem & in omnes, quemadmodum & nos in vos ad confirmanda corda veſtra ſine querela in ſanctitate vita ante Deum, & Patrem noſtrum in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus ſanctis eius.* *1. Cor. 1.* Ad Corinth. quoque ſcribens, & omnium virtutum proficientem perſeuerantiam Dei donum eſſe commendans: *Gratias* (inquit) *ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu, quia in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo & ſapientia, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis, ita vt nihil vobis deſit in vlla gratia, expectantibus reuelationem Domini Ieſu Chriſti, qui & confirmabit vos vſque ad finem ſine crimine, in diem aduentus Domini Ieſu Chriſti.* *Rom. 8.* Item ad Romanos de charitate Chriſti, quæ eos quos diligit, inſeparabiles facit, id eſt, vſque in finem perſeuerantes. Nam quid eſt aliud perſeuerare, quam tentatione non vinci? *Quis nos* (inquit) *ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? ſicut ſcriptum* *Pſal. 43.* D *eſt: Quia propter te mortificamur tota die, exiſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. ſed in his omnibus ſuperamus per eum qui dilexit nos.* *1. Cor. 15.* Item ad Corinth. de victoria, quam perficit Chriſtus: *Stimulus* (inquit) *mortis peccatum eſt, virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Item ad Theſſalonicenſes de perſeuerantia quam Deus tribuit: *Ipſe autem* (ait) *Deus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſine querela in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Fidelis eſt* *2. Theſſ. 2.* *qui vocauit vos, qui etiam faciet.* Item ad Theſſal. quòd omnia bona noſtra, ſiue in operando, ſiue in loquendo, & in eis perſeuerantia, dona ſint Dei, ita prædicat, dicens: *Ipſe autem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam & ſpem bonam in gratia exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere & ſermone bono. De cætero fratres orate pro nobis, vt ſermo Domini currat & clarificetur, ſicut & apud vos, & vt liberemur ab importunis hominibus & malis. Non enim omnium eſt fides.* *Ibidem. 3.* *Fidelis autem Deus eſt, qui & confirmabit vos & cuſtodiet à malo.* Petrus quoque Apoſtolus, vnde eſſe virtutem perſeuerantiæ doceat, audiamus: *1. Petr. 5.* *Deus autem* (inquit) *omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu, modicum paſſos ipſe perficiet* E *confirmabit, ſolidabitq́ue, cui eſt virtus & poteſtas in ſecula ſeculorum.* *1. Ioan. 4.* Ioannes verò Apoſtolus, quòd victoria ſanctorum opus Dei ſit, habitantis in ſanctis, ita loquitur: *Vos ex Deo eſtis filioli, & vicistis mundum, quoniam maior eſt qui in vobis eſt, quàm qui in mundo.* Item idem: *1. Ioan. 5.* *Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum, & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* *Luc. 22.* In Euangelio autem ſecundùm Lucam, Deum dare vt in fide perſeueretur, ita * promittitur: *C. promittitur.* *Dixit autem Ieſus Petro: Simon Simon, ecce Satanas poſtulauit vt vos * cerneret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua, & tu conuerſus confirma fratres tuos, & rogate ne intretis in tentationem.* *cernere pro, ſacernere cribrare* *Ioan. 10.* In Euangelio quoque Ioannis, de ouibus Chriſti quę de manu ipſius à nullo rapiuntur, hæc legimus dicere Veritatem. *Sed vos non creditis, quia non eſtis de ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego noui illas, & ſequuntur me, & vitam æternam do illis, & non peribunt in æternum, nec quiſquam rapiet eas de manu mea.* Item in eodem Euangelio, de his F quos pater dat filio, qui & omnes veniunt ad filium, & quorum nullus perit, hæc ipſius Domini ore dicuntur: *Ioan. 6.* *Omne quod dat mihi Pater, venit ad me: & eum qui venit ad me, non eijciam foras, quia deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me patris, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquam, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die.*

Quæſtionem, cur potiùs hic quàm ille accipiat gratiam, eſſe impenetrabilem, nec poſſe ex libero arbitrio ſolui.

CAPVT XXV.

MVlta ſunt alia in canonicarum ſerie ſcripturarum, quæ vitandæ prolixitatis ſtudio prætereimus, quoniam quæ aſſumpſimus, nec pauca ſunt, nec obſcura, nec leuia: quibus pleniſſimè declaratur, omnia quæ ad promerendam vitam æternam pertinent, ſine gratia Dei nec G inchoari, nec augeri poſſe, nec perfici: & contra omnem * electionem de libero arbitrio gloriãtem, illam inuictiſſimè teneri ſententiam dicentis Apoſtoli: *elationẽ C. rect.* *1. Cor. 4.* *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Igitur profunditas illius quæſtionis, quam ſecundum admirationem Apoſtoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrij velle & nolle non ſoluitur; quia licet inſit homini * bonum nolle, tamen niſi donatum non habet bonum velle: & illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam. *Nota.* *C. velle & nolle* Sed quid illud ſit, quòd hæc eadem natura in omnibus hominibus ante reconciliationem * mala, in omnibus miſera, non in omnibus iuſtificatur, & à pereuntibus quadam ſui parte diſcernitur ab eo qui *venit quærere & ſaluare quod perierat,* humano ſenſu prorſus non poteſt indagari. *C. rea.* *Luc. 19.* Quantumlibet enim impiorum malignitas accuſetur, reſiſteos gratiæ Dei, nunquid * probabuntur eam, quibus eſt collata, meruiſſe? aut illa virtus gratiæ, quæ ſibi quos voluit, ſubdidit, conuertere eos qui inconuertibiles permanſere, non potuit? *C. probabunt.* H Tales fuerunt qui ſunt attracti, quales hi qui in ſua duritia ſunt relicti. Sed illis tribuit gratia ſtupenda quod voluit, iſtis * tribuit veritas iuſta quod debuit, vt iudicium Dei magis inſcrutabile ſit in electione gratiæ, quàm in retributione iuſtitiæ. *C. retribuit.* Veruntamen ne illa pars fidei, qua piè credimus Deum velle, vt omnes homines veritatis agnitione ſaluentur, per hoc quod de effectibus gratiæ euidenter oſtenditur, infirmata videatur, annitendum eſt auxiliante Chriſto, vt nobis ſtabilitas huius * diffinitionis appareat. *definitionis.* Sed quia neceſſariæ inquiſitionis negotium non leuem operam ſibi poſcit impendi, ſecuturam diſputationem ab exordio alterius voluminis inchoemus.

A

S. PROSPERI AQVITANICI, RHEGIENSIS EPISCOPI, DE VOCATIONE OMNIVM GENTIVM,

LIBER II.

Tria eſſe in hac quæſtione certa, Deum velle omnes ſaluos fieri, cognitionem veritatis & ſalutem eſſe ex gratia, & iudicia Dei eſſe impenetrabilia.

B

Caput 1.

CAPVT I.

REMOTIS abdicatiſque omnibus concertationibus, quas intemperantius diſputationum gignit animoſitas, tria eſſe perſpicuum eſt, quibus in hac quæſtione de qua ſecundum volumen incipimus, debeat inhæreri. Vnum,* quòd profitendum eſt: *Deum velle omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire*: Alterum, quòd dubitandum non eſt, Ad ipſam * cognitionem veritatis & perceptionem ſalutis, non ſuis quenquam meritis, ſed * ope atque opere diuinæ gratiæ peruenire: Tertium, * quòd cõfitendum eſt, Altitudinem iudiciorum Dei humanæ intelligentiæ penetrabilem eſſe non poſſe, & cur non omnes * ſaluet, *qui omnes vult ſaluos fieri*, non oportere diſquiri: quoniam ſi quod cognoſci non poteſt, non quæratur, inter primam ac ſecundam definitionem non remanebit cauſa certaminis, ſed ſecura ac trãquilla fide vtrumque prædicabitur, vtrumque credetur. Deus quippe *apud quem non eſt iniquitas, & cuius vniuerſæ viæ miſericordia & veritas*: omnium hominum bonus conditor, iuſtus eſt ordinator, neminem indebitè damnans, neminem debitè liberans, noſtra * plectens cum punit noxios, ſua tribuens cum facit iuſtos, vt *obſtruatur os loquentium iniqua, & iuſtificetur Deus in ſermonibus ſuis, & vincat cum iudicatur*. Nec damnati iuſta querimonia, nec iuſtificati verax eſt arrogantia, ſi vel ille dicat non meruiſſe ſe pœnam, vel iſte aſſerat meruiſſe ſe gratiam.

*C quo.
1. Tim 2.
*C. agnitionem.
*opere atque ope. C.
*C quo
*C. homines nõſ. q. o. homines v. ſ. f. add.
Rom 9.
2. Par 19.
Pſal 24.

C

*C. complectens.
Pſalm. 62.
Pſalm. 50.

Scriptura docet Deum velle omnes homines ſaluos fieri.

CAPVT II.

SIcut autem ea quæ ad manifeſtationem gratiæ ex diuinis proferuntur eloquijs nulla poſſunt * ratione diſſentiaiate violari, vt perſpicuæ conſonanteſque in tanta numeroſitate ſententiæ ad aliquod prauæ interpretationis trahantur incertum: ita etiam quod de ſaluatione omnium hominũ in eodem ſcripturarum corpore reperitur, nulla contraria argumentatione temerandum eſt, vt quanto hoc ipſum difficiliore intellectu capitur, tanto fide laudabiliore credatur. Magna enim fortitudo eſt conſentionis cui ad ſequendam veritatem autoritas ſufficit, etiam latente ratione. Proinde vigilanter conſideremus, prædicatoribus Euangelij quid à Domino iubeatur. Secundùm Matthæum quippe ſic ait: *Data eſt mihi poteſtas omnis in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis. Et ecce vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Secundum Marcum verò eiſdem Apoſtolis ita dicitur: *Ite in orbem vniuerſum, prædicate Euangelium vniuerſæ creaturæ: & qui crediderit & baptizatus fuerit, ipſe ſaluus fiet: qui verò non crediderit, damnabitur.* Nunquid * hac præceptione vllarum nationum vllorumve hominum facta diſcretio eſt: neminem merito excepit, neminem * ſeparauit genere, neminem condi-

* vocatione. ſecſtè abeſt à C.

D

Matth. 28.
Marc. 16.
*C. in add.
*C. genere ſeparauit.

E

tione diſtinxit. Ad omnes prorſus homines miſſum eſt Euangelium crucis Chriſti. Et ne prædicantium miniſteria humano tantùm viderentur opere peragenda, *Ecce ego* (inquit) *vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi*, id eſt, cum ſicut oues introieritis in medium luporum, nolite de veſtra infirmitate trepidare, ſed de mea poteſtate confidite, qui vos vſque ad conſummationem ſeculi in omni hoc opere non derelinquam: non ad hoc vt nihil patiamini, ſed quod multo maiùs eſt, præſtiturus vt nulla ſæuientium crudelitate * ſuperemini. In mea enim poteſtate prædicabitis, & per me fiet, vt inter contradicentes, inter ſæuientes, *Abrahæ filij de lapidibus ſuſcitentur*. Ego inſinuabo quod docui, ego faciam quod promiſi. *Tradent enim vos in concilijs, in ſynagogis ſuis flagellabunt vos, & ante reges & præſides ſtabitis propter me in teſtimonium illis & gentibus. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Tradet enim frater fratrem in mortem, & pater filium, & inſurgent filij in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Apparuit ergo* (vt Apoſtolus ait) *gratia * ſalutaris Dei omnibus hominibus*, & tamen multis gratiæ odio erant omnibus hominibus. Et cum alij eſſent qui oderant, alij qui odijs perſequentium premebantur, neutra tamen pars nuncupatione omnium hominum priuabatur, habente quidem ſalutis ſuæ damnum, rebellium portione, ſed obtinẽte plenitudinis cenſum, fidelium dignitate. Dicit enim Ioannes Apoſtolus: *Sed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.*

Matt. 28.
Matt. 10.
*C. ſeparemini.
Matth. 3.
Matt. 10.

F

Tit 2.
*C. ſaluatoris noſtri.
1. Ioan. 2.

Inſcrutabile eſſe cur Deus iudicarit quorundam vocationem differendam.

G

CAPVT III.

MAgni autem & inenarrabilis ſacramenti myſterium eſt, quòd prædicatoribus, quibus dictum eſt, *Ite in orbem vniuerſum & prædicate Euangelium vniuerſæ creaturæ*, iiſdem priùs dictum fuerat: *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne introieritis, ſed potius ite ad oues quæ perierunt domus Iſrael.* Quamuis enim ad omnium hominum vocationem euangelium dirigeretur, *omneſq;* Dominus *ſaluos fieri & in agnitionem veritatis vellet venire*, non tamen ſibi diſpenſationum ſuarum abſtulerat poteſtatem, vt aliter quam occulto iuſtoque iudicio ſtatuerat, conſilij ſui ordo decurreret. Vnde locum non habent contumacium minima querelarum, quia quod Deus fieri voluit, conſtat non aliter fieri debuiſſe quàm voluit. Poſteriore verò tempore, cum iam Dominus Ieſus in Dei patris gloria conſideret, & prædicatores verbi ſuſcepto negotio deſeruirent, volentes Apoſtoli euangelizare verbum in Aſia, vetiti ſunt ab Spiritu ſancto, & diſponentes ire in Bithyniam, prohibiti ſunt ab ſpiritu Ieſu, non vtique negata illis populis gratia, ſed, quantum apparuit, retardata. nam * poſtea etiam apud ipſos fides Chriſtiana conualuit. Quæ autem fuerit differendæ vocationis cauſa, non claret, & tamen rei geſtæ docemur exemplo, quod inter generalia, vel promiſſa, vel opera, vel præcepta, quædam Deus à communibus excepta cauſis, occultiore nouit ordinare ratione. Credo vt interpoſitis quibuſdã * obũbrationibus, ea quæ ſecretiùs micant, mirabiliùs innoteſcant, ne negligentior fiat acies de facilitate cernendi, & quodammodo dormiet aſſuetis, ſi nõ excitetur inſolitis. Has autẽ incognoſcibiles illuminationum dilationes, inter quas vtique multi in infidelitate deficiunt, nõ ſolùm in populis remotioribus impiorum, ſed etiam in ciuitatibus fidelium per plurimas domos ac familias nouimus fieri, dum Chriſtianæ fidei etiam qui Chriſtiani futuri ſunt, aduerſantur. Multi enim quod oderũt, amabunt, quod nõ recipiunt, prędicabũt. Et quis inter hęc * querulus aut * curioſis

Marc. 16
1. Tim. 2.

H

Act. 16.
* C. poſtmodum.
*C. vmbrationibus.
Malac. 4.
*C. querulus aut curioſus.

notum

A

Sap. 5. † C. veritatis.

notum faciet, cur adhuc Sol iuſtitiæ quibuſdam gentibus non oriatur, & à tenebroſis cordibus, etiam nunc radios ſuos † veritas reuelanda contineat? Cur corrigendi tam diu ſinantur errare. & quod ſenibus in fine præſtandum eſt, per tam longam non tribuatur ætatem? Cur filijs iam in Chriſtum credentibus, necdum credant parentes? Et rurſum, à religioſis parentibus ſoboles praua diſcordet? Cum tamen Deo (qui initiorum fidei, incrementique largitor eſt) ſecundum ipſius præceptum quotidie pro omnibus ſupplicetur, vt etſi exaudiat, nota ſit gratia miſerationis: & ſi non exaudit, intelligatur iudicium veritatis.

In præteritis ſeculis ſemper admonuit diuina bonitas homines ſui cultus per elementa: ſicut populum Iſrael, peculiariter per legem & prophetas.

B

CAPVT IV.

Pſal. 76.

† C. conſtat.

† C. ſuni.

Act. 14.

SEd ne in præteritis quidem ſeculis hæc eadem gratia (quæ poſt domini noſtri Ieſu Chriſti reſurrectionem vbique diffuſa eſt, & de qua ſcriptum eſt: *Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ*) defuit mundo. Quamuis enim ſpeciali cura atque indulgentia Dei populum Iſraeliticum † conſtet electum, omneſque alias nationes ſuas vias ingredi, hoc eſt, ſecundum propriam permiſſæ † ſint viuere voluntatem, non ita ſe tamen æterna creatoris bonitas ab illis hominibus auertit, vt eos ad cognoſcendum ſe atque metuendum, nullis ſignificationibus admoneret. Cœlum quippe ac terra & mare, omniſque creatura quæ videri atque intelligi poteſt, ad hanc præcipuè diſpoſita eſt humani generis vtilitatem, vt natura rationalis de contemplatione tot ſpecierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem ſui imbueretur autoris, implente omnia ſpiritu Dei, *in quo viuimus, mouemur & ſumus.* Quoniam & ſi *longè eſt à peccatoribus ſalus*, præſentia tamen ſalutis ipſius ac virtute nihil vacuum eſt. Igitur, ſicut dicit propheta, *miſericordia domini plena eſt terra:* quæ nullis vnquam ſeculis, nullis generationibus defuit, eamque prouidentiam, qua vniuerſitatem rerum adminiſtrat & continet, regendis alendiſque naturis ſemper impendit, diſpoſitum habens ex † incommutabilis æternitate conſilij, † quibus quidque temporibus diſtribueret, & multiformis gratiæ ſuæ inſcrutabiles inueſtigabileſque menſuras, per quæ dona ac ſacramenta variaret. Sicut enim iſta gratiæ largitas, quæ in omnes nouiſſimè † effulxit, non euacuat eam, † quæ ſuper vnum Iſrael ſub lege † rorauit, nec præſentes diuitiæ ſidem præteritæ abrogant parcitati: ita nec de illa cura Dei, quæ patriarcharum filijs propriè præſidebat, conijciendum eſt gubernacula diuinæ miſericordiæ cæteris hominibus fuiſſe ſubtracta. Qui quidem in † comparatione electorum videntur abiecti, ſed nunquam ſunt † manifeſtis occultiſque beneficijs abdicati. Legimus enim in † Actis apoſtolorum, Paulum & Barnabam apoſtolos Lycaonijs dicere: *Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cœlum & terram & mare, & omnia quæ in eis ſunt, qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas. Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens, de cœlo dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda veſtra.* Quod eſt autem hoc teſtimonium, quod ſemper domino deſeruiuit, & nunquam de eius bonitate ac poteſtate conticuit, niſi ipſa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius diues & ordinata largitio per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, vt in paginis elementorum, ac voluminibus temporum, communis & publica diuinæ inſtitutionis doctrina legeretur? Cœlum ergo cunctaque cœleſtia, mare & terra, omniaque quæ in eis ſunt, conſono ſpeciei ſuæ ordinationiſque concentu proteſtabantur gloriam Dei, & prædicatione perpetua maieſtatem ſui loquebantur autoris. & tamen maximus numerus hominum,

Act. 17. Pſal. 118. Pſal. 32.

C

† incommutabili C.

† C. quid quid t. d.

† C. illuxit.

† quam.

† C. erogauit.

† C. cõparationem.

† C. à add.

† C. Actibus.

Act. 14.

D

E

* C. quia.

* qui vias voluntatis ſuæ ambulare permiſſus eſt, non intellexit, nec ſecutus hanc legem eſt, & *odor vitæ*, qui ſpirabat ad vitam, factus eſt * ei *odor mortis ad mortem*, vt etiam in illis viſibilibus teſtimonijs diſceretur, quod *litera occideret, ſpiritus autem viuificaret.* Quod ergo in Iſrael per conſtitutionem legis & prophetica eloquia gerebatur, hoc in vniuerſis nationibus totius creaturæ teſtimonia & bonitatis Dei miracula ſemper egerunt.

* C. eis. 2. Cor. 2. 2. Cor. 3. Capute 2.

Qui inter gentes Deo placuerunt, ſpiritu fidei & gratiæ ſunt diſcreti.

CAPVT V.

SEd cum in illo populo (cui vtraque eruditio præfuit) nemo niſi gratia iuſtificatus ſit per ſpiritum fidei, quis ambigat eos, qui de quibuſcunque nationibus quibuſlibet temporibus Deo placere potuerunt, ſpiritu gratiæ Dei fuiſſe * diſcretos? Quæ etſi parcior * antea atque occultior fuit, nullis tamen ſeculis ſe negauit virtute vna, quantitate diuerſa, conſilio incommutabili, opere multiformi.

F

* C. directos?

* ante.

Non omnibus, etiam nunc, eadem menſura gratiæ confertur.

CAPVT VI.

NAm & in his diebus quibus totum mundum ineffabilium donorum flumina rigant, non idem modus omnibus, nec eadem menſura confertur. Quamuis enim per miniſtros verbi & gratiæ Dei eadem cunctis veritas prædicetur, eadem cohortatio adhibeatur, Dei tamen agricultura eſt, dei ædificatio, cuius virtus inuiſibiliter agit vt incremento proficiat quod ædificatur aut colitur. Sicut atteſtatur Paulus Apoſtolus, dicens: *Quid igitur eſt Apollo? quid vero Paulus? miniſtri eius cui credidiſtis, & vnicuique ſicut dominus dedit: Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Qui plantat autem & qui rigat, vnum ſunt. Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Dei enim ſumus adiutores, Dei agricultura eſtis, dei ædificatio eſtis.* Agriculturæ ergo huius atque ædificationis intantum quiſque adiutor & operarius ac miniſter eſt, inquantum vnicuique dominus dederit. Et hi qui miniſtrorum labore excoluntur, ad eum proficiunt modum, ad quem illos incrementi autor euexerit. In agro enim domini non vniformis, nec vna plantatio eſt. Et quamuis in vnum decorem totius templi ſtructura conueniat, non idem tamen locus eſt, nec idem vſus omnium lapidum, ſicut & in vno corpore non omnia membra eundem actum habent, dicente Apoſtolo: *Nunc autem poſuit Deus membra, & vnumquodque eorum ſicut voluit.*

1. Cor. 3.

G

1. Cor. 12.

Cum omne bonum ex gratia Dei ſit, imparitas meritorum nec in liberum arbitrium eſt referenda, nec in querelam eſt vocanda.

H

CAPVT VII.

HÆc verò membra vnde apta, vnde vtilia, vnde ſint pulchra, idem doctor exponit, dicens: *Ideo notum vobis facio, quod nemo in ſpiritu Dei loquens, dicit anathema Ieſu. Et nemo poteſt dicere dominum Ieſum niſi in ſpiritu ſancto. Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem dominus, & diuiſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu * alij operatio virtutum, alij prophetatio, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.*

Ibid.

* C. alij gratia ſanitatum in eodem ſpiritu add.

A — † C. quæ ratio quæ cauſa dubitandi eſt. — 1. Cor. 12. — † C. &. — 1. Cor. 3.

Hæc magiſtro gentium tanta luce, tanta euidentia prædicante, † qua ratione, qua cauſa dubitandum eſt, An omnium nobis virtutum germen ex Deo ſit? vel quis niſi inſipientiſſimus de differentia diuinorum munerum cõqueratur. Aut imparibus aſcribendum meritis arbitretur, quod non æqualiter de ſupernæ liberalitate confertur? Si enim hæc diſtributio ſecundùm præcedentium operum merita proueniret, non ipſorum donorum catalogum tali concluſione Apoſtolus terminaret, vt diceret: *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult.* Vbi vtique ſi meritorum cauſas voluiſſet intelligi, diceret: Diuidens ſingulis prout merentur, ſicut plantatoribus † aut rigatoribus præmium deuotionis ſpopondit, dicens: *Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.*

Vnicuique ſine merito datur, vnde tendat ad meritum: & à gratia iam donato expectatur, vt id quod accepit, augeat per illum qui dat incrementum.

B

CAPVT VIII.

† C. ex doctrina e. v. agnoſc. — Matt. 25. — † C. ſanus. — † C. ſanũ. — C — Matt. 25. — D — † ideo tã. — Ioan. 12. — 1. Cor. 3. — † C. & rationalis nab quod ex ipſ.

DAtur ergo vnicuique ſine merito, vnde tendat ad meritum, & datur ante vllum laborem vnde quiſq; mercedem accipiat ſecundum ſuum laborem. Quod ita eſſe, etiam † euangelicæ veritatis teſtimonio agnoſcitur, vbi per comparationem dicitur, quòd *homo peregre proficiſcens vocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis ſubſtantiam ſuam, & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique ſecundum propriam virtutem*, id eſt, ſecundum propriam & naturalem poſſibilitatem: non autem ſecundum proprium meritum, quia aliud eſt poſſe operari, aliud operari, & aliud eſt poſſe habere charitatem, aliud habere charitatem, & aliud eſt capacem eſſe continentiæ, iuſtitiæ, ſapientiæ, aliud verò eſſe continentem, iuſtum, atque ſapientem. Non itaque omnis reparabilis reparatur, nec omnis ſanabilis † ſanatus eſt: quia reparabilem & ſanabilem eſſe, de natura eſt, reparatum autem & † ſanatum eſſe, de gratia eſt. Denique iſti quibus ſecundum modulum capacitatis ſuæ, quem in eis diſtributor ſubſtantiæ præuidebat, diſpar creditus eſt numerus talentorum, non meriti remunerationem, ſed operis accepere materiam. In qua duorum ſeruorum vigilantiſſima induſtria non ſolum glorioſis laudibus honeſtatur, ſed etiam in æterna domini ſui gaudia intrare præcipitur. Tertij verò pigrum otium, & deſidioſa nequitia ſic punitur, vt & vituperationis dedecoretur opprobrio, & portione quam acceperat, exuatur. Dignus enim erat perdere inutilem fidem, qui non exercuerat charitatem. Vnde & in ſubſequenti ſermone, quo apertiſſimè declaratur futuri forma iudicij, ſedente filio hominis in ſede maieſtatis ſuæ, antequam facta congregatione omnium gentium, alij ducuntur ad dexteram, alij ad ſiniſtram conſtituendi, laudatis dextris de operibus charitatis: nihil aliud ſiniſtris obijcitur, quam miſericordiæ beneuolentiæque neglectus. Acceperant ergo etiam iſti fidem, ſed non ſectati fuerant dilectionem. Nec de non ſeruato, ſed de non aucto munere damnabuntur. Quamuis enim omnia bona, dona ſint Dei, † à Deo tamen quædam etiam non petita tribuuntur, vt per ipſa quæ accepta ſunt, ea quæ nondum ſunt donata quærantur. Semen quippe quod iacitur in terram, non ob hoc ſeritur vt ipſum ſolum maneat, ſed vt fructum afferendo, multiplex atque numeroſum ſit. Qui quidem profectus ab illo eſt, *qui dat incrementum*: ſed terra viuens, † & de gratiæ iam imbre fœcunda, habet quod ab ipſa expectetur ad id quod accepit, augendum.

(.·.)

Variata per diuerſa tempora gratiæ cauſa à nobis non eſt inueſtiganda.

E

CAPVT IX.

Caput 3. — Rom. 11. — † C. ſemper rect. — † C. tẽporibus add. — F — Eſaiæ 65. — Act. 14. — Rom. 11. — Ibid. — † C. æſtimet.

HIs rectè (vt arbitror) quantum dominus tribuit pertractatis, ad id vnde degreſſa eſt diſputatio, reuertamur: Ad conſiderationem ſcilicet differentiarum, quibus diuinæ gratiæ opera ac dona variata ſunt: *Altitudo* quippe *diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia & inueſtigabiles viæ*, ſic † per miſericordiam ſuam & iudicium temperauit, vt ſecretiſſima æterni conſilij voluntate, noluerit in omnibus † ſuper omnes generationes, aut ſuper omnes homines, æquales donorum ſuorum eſſe menſuras. Siquidem aliter eos iuuerit, quos ad cognoſcendum ſe, cœli & terræ teſtimonijs cõueniebat: aliter illos, quibus non ſolùm elementorum famulatu, ſed etiam doctrina legis, prophetarum oraculis, miraculorum ſignis, & angelorum cooperationibus conſulebat: & multo magis aliter miſericordiam ſuam vniuerſis hominibus declarauerit, quando filius Dei factus eſt filius hominis, vt inueniretur ab eis qui eum non quærebant, & appareret his qui illum non interrogabant, & non in vno tantùm populo Iſraeliticæ ſtirpis excelleret, ſed in omni gente quæ eſt ſub cœlo, multiplicatum Abrahæ ſemen oriretur: in quam hæredum ſucceſſionem non filij carnis, ſed filij promiſſionis intrarent: & quanta in præteritis ſeculis ſuper cæteras nationes, tanta nunc eſſet in gente Iudæa parcitas gratiæ, cùm tamen introducta plenitudine gentium, etiam ipſorum ariditati earundem rigationum inundatio ſpondeatur. Quæ itaque cauſæ ſint harum ſub eadem gratia diſſimilitudinum, quæve rationes, ſanctis ſcripturis non loquentibus quis loquetur? Et cum in eis ſcientia Pauli Apoſtoli à diſputatione tranſeat ad ſtuporem, cuius erit tanta præſumptio, qui hæc diſſerendo † exiſtimet aperienda potius quàm ſilentio miranda?

Omnibus ſæculis miſericordia Dei & corpora aluit, & mentes iuuit.

G

CAPVT X.

† C. cognitione. — Act. 14. — Matth. 5. — H — † C. impertiit. — Rom. 8. — Gen. 6. — † ſpiritualis. C.

PAtienter igitur & æquanimiter ignoretur tam remotum ab humana † cogitatione ſecretum. Nec tamen quia nequeunt clauſa penetrari, ideo etiam reſeratorum eſt prætereundus introitus. Manifeſtauerunt enim diuinorum eloquiorum multæ autoritates, & continua omnium ſeculorum experimenta docuerunt, iuſtam Dei miſericordiam miſericordemque iuſtitiam nec alendis vnquam corporibus hominum, nec docendis iuuandiſque eorum mentibus defuiſſe. Semper etenim *pluit ſuper bonos & malos*, ſemper *ſolem ſuum oriri facit ſuper iuſtos & iniuſtos*, ſemper vitales auras præbuit, ſemper diei & noctis viciſſitudines miniſtrauit, vbertatem agris, multiplicationem ſeminibus, fœcunditatem generandis hominibus ſemper † impendit. Et ſi quando aliquid horum minuit, benignis correptionibus auerſionem deſidiamque malè viuentium caſtigauit, vt miſerationes eius quærerent in aduerſis, cuius iuſtitiam non timuerant in ſecundis. Denique ſi ad ipſa mundi exordia recurramus, inueniemus, omnium ſanctorum qui diluuium præceſſerunt, Dei ſpiritum fuiſſe rectorem, propter quod & filij Dei nominati ſunt: quoniam, ſicut ait Apoſtolus, *quicunque ſpiritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei.* Et cum ijdem neglecta obſeruantia patrum, illicitis ſe reproborum connubijs miſcuiſſent, atque ob nefariam ſocietatem digni exterminio iudicarentur, dominus ait: *Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quoniam caro ſunt.* Vnde apparet quòd iſte populus, cuius generationes diſcreto ordine cum annorum numero digeruntur, † ſpiritalis antea fuit, ea vtique voluntate cui Spiritus ſanctus præſidebat: ſic impendens moderaminis ſui regimen, vt declinandi ad vitia nõ adimeret poteſtatẽ:

qua

A

Eccleſ. 31.

qua poteſtate hic populus ſi non vteretur, non relinqueret Deum, nec relinqueretur à Deo, eſſetque ille de quo dictum eſt: *Felix qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus.* Quamdiu ergo apud Deum manſit, ea voluntate manſit, quam Deus inſpirauit & rexit. *Præparatur* enim (ſicut ſcriptum eſt) *voluntas à domino.*

Prou. 8 ſecundū 70.

Hominibus ferè paulatim & particulatim accreſcit, quod ſuperna largitas eis dare decreuit.

CAPVT XI.

SEd huius præparationis non vnus ſemper prouectus, nec vna menſura eſt. Quoniam multis modis, & innumerabilibus differentijs gratiæ opera & dona variantur, inque ipſis ſingulis generibus munerum diſſimiles ſunt gradus & impares quantitates. Sicut enim in germinibus herbarum atque lignorum quæ terra producit non vna ſpecies, nec vnum in omnibus genus eſt, ſed ſingula quæque in ſui ſeminis forma, & in ſuæ ſtirpis qualitate gignuntur, plenum autem decorem non ſtatim vt eduntur accipiunt, ſed certis & ordinatis prouehuntur augmentis, donec ad perfectam ſui habitus quantitatem per ſuccedentia ſibi incrementa perueniant: ita & ſemina chariſmatum plantæque virtutum, non in omni agro cordis humani totum hoc pariter, quod ſunt futura, naſcuntur: nec facilè reperitur in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio. Exerit quidem frequenter potens & miſericors Deus mirabiles iſtos ſuæ operationis effectus, & quibuſdam mentibus non expectata profectuum mora, totum ſimul quicquid collaturus eſt, inuehit. In Abrahæ lumbis Leui ſanctificatur, & ſimul cum eo domus Aaron & ſacerdotalis ordo benedicitur. In Iſaac de repromiſſione conceptio, & contra ſpem ſterilium ſenum nato, omnium gentium vocatio, & tota Chriſti forma præconditur. Iacob nullo merito ſuffragante dilectus priuſquam naſcatur, eligitur. Hieremiæ dicitur: *Priuſquam te formarem in vtero, noui te: & priuſquam exires de vulua, ſanctificaui te.* Ioannes intra Elizabet matris viſcera Spiritu ſancto repletus exultat, & vt nullus inter natos mulierum maior ſit, priùs ſentit initia gratiæ quàm naturæ. Sed cum & alia ſimilium documentorum exempla non deſint, quæ breuitatis ſtudio præterimus, multo tamen crebrior multoque numeroſior pars illa hominum eſt, cui particulatim quicquid ſuperna largitas donat, accreſcit, vt conferendorum munerum cauſæ, de his quæ ſunt collata, pariantur. Quidam accepta fide, diffidentia non carent quam vtique ineſſe ſibi nouerat, qui dicebat: *Credo domine, adiuua incredulitatem meam.* Quam nec illi abeſſe penitus à ſuis animis ſentiebant, qui dixerunt: *Domine, auge nobis fidem.* Quidam quod credunt, non intelligunt, & multi eorum diu in ſuæ ſimplicitatis modulo detinentur. Multi verò citò intellectus lumen accipiunt. Ipſa autem intelligentia non in omnibus eundem habet vigorem, aut ſimilem facultatem. Et plurimi cùm & fide & intellectu videantur ornati, laborant tamen indigentia charitatis, & his quæ fide & intellectu vident, nequeunt inhærere, quoniam perſeuerari in eo non poteſt, quod non toto corde diligitur. Donum quoque ipſius charitatis non ſemper eiuſmodi eſt, vt quicquid ad plenitudinem ipſius pertinet, ſimul à percipiente ſumatur. Eſt enim amor qui poteſt alio amore ſuperari, & ſæpe dilectio Dei ex mundi dilectione marceſcit, niſi ad eum feruorem Spiritu ſancto inflammante profecerit, qui nullo extingui frigore, nullo poſſit tepore languere. Cum itaque in hoc inenarrabili dono Dei, omnium ſumma donorum & quædam ſit cunctarum vita virtutum, ad hoc cætera conſecuntur, vt habeat animæ fidelis intentio per quæ ad perfectam charitatem poſſit eniti. Quæ quoniam non ſolum ex Deo, ſed etiam Deus eſt, ſtabiles & perſeuerantes atque inſuperabiles facit, quos flumine ſuæ * voluptatis impleuerit. Qui autem iſtarum aquarum dulcedinem neſciunt, & adhuc de mundi huius torrentibus bibunt, aut etiam ſi aliquid primoribus labris de vitæ fonte guſtauerunt, inebriati tamen aureo Babylonis calice delectantur, ſuo prorſus decipiuntur arbitrio, ſua voluntate labuntur, & ſi in hac deſidia perſeuerant, ipſi ſe his quæ accepere diſpoliant. Facilè enim quælibet bona ſine charitate poſſunt perire, quæ non poſſunt ſine charitate prodeſſe.

B · Heb. 7. · Gen. 17. · Rom. 4. · Malac. 1. · Rom. 9. · Hier. 1. · Luca 1. · C · Matt. 9. · Luca 17. · D · 1. Ioan. 4. · * C. volūtatis

E · Apoc. 14. & 16. d. · 1. Cor. 13.

Diuinæ conſtitutionis non eſt noſtra à Deo auerſio, ſed propriæ voluntatis: ideoq́; meriti hominis eſſe ſi ſteterit, quia cadere potuit.

CAPVT XII.

HÆc autem ſummatim breuiterque perſtricta, ad id valeant, vt certiſſimè nouerimus nullum fidelium à Deo non diſcedentem relinqui, neque cuiuſquam ruinam ex diuina eſſe conſtitutione diſpoſitam: Sed multis qui iam iudicio rationis vtuntur, ideo liberum eſſe diſcedere, vt non diſceſſiſſe ſit præmium: & vt quod non poteſt niſi cooperante ſpiritu Dei fieri, * eorum meritis deputetur, * quorum id potuit voluntate non fieri. Quæ voluntas in malis * actionibus ſola eſſe poteſt, in bonis autem ſola eſſe non poteſt. Quamuis enim ſecundum naturam ſit * homini, vt bonæ ſit voluntatis, vitium tamen quod per malam voluntatem irruit in naturam, non naturæ ſuperatur virtute, ſed gratiæ.

Cap. 4. · F · * C. eius. · * C. cuius. · * C. actib. · * C. ſit eius, vt bona ſit v. t. q. p. m. v. incidit in ruinam n. n. &c.

Bonitatem Dei non ſolùm ſanctis, ſed & impijs inſtituendis affuiſſe ante diluuium.

CAPVT XIII.

REgebatur ergo primus ille populus Dei ſpiritu Dei, & à maledicti ac prædamnati populi ſocietate ac moribus per eruditionem ſancti Spiritus abſtinebat, cuſtodiens diſcretionem ſui à permixtione carnalium: quorum mala tam diu ſuſtinuit patientia Dei, quamdiu boni per id quòd eos non imitabantur, placere potuerunt: vbi verò etiam boni malorum imitatione corrupti ſunt, & per * voluntatis defectum in eandem nequitiam conſpirauit vniuerſitas: quos (excepta Noë domo) vna impietas prophanauit, ſententia vna deleuit. Bonitas autem Dei ne illi quidem parti defuit, quæ in charitate non ſtetit, & ab initio ſui veneno diabolici liuoris intumuit. Principem enim gentis impiæ, ſancti fratris meritis inuidentem, cædemque eius parricidali corde meditantem, dignatur dominus paterno mitigare conſilio, dicens ad Cain: *Vt quid triſtis factus es? vt quid concidit vultus tuus? Nonne ſi rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccaſti? quieſce. Ad te enim erit conuerſio eius, & tu dominaberis eius.* Depone (inquit) ortam de inuidiæ æmulatione triſtitiam, & flammas odij crudelis extingue, nihil tibi Abel nocuit, nec mihi placendo te læſit. Deſpexi munera tua meo iudicio, non illius voto. Opus enim bonum negligenter egiſti, recta fuiſſet oblatio tua, ſi fuiſſet recta diſcretio, ſciens cui offerres, ſcire debueras quid voueres. Non dignè inter me & te diuiſiſti, quoniam tibi electiora ſeruaſti. Tuus ergo hic error eſt, tuumque peccatum, quieſce & noli in inſontem fratrem moueri, ad te potius tua culpa reuocetur. Noli peccato regnum in te dare, ſed tu potius in ipſum ſume dominatum. Pœnitendo enim nec in maius facinus progredieris, & ab eo in quo te doles diſplicuiſſe, mundaberis. Cùm ergo talia ad Cain loqueretur Deus, nunquid ambiguum eſt voluiſſe eum, & (quantum ad illum medendi modum ſufficiebat) egiſſe, vt Cain ab illo impietatis furore reſipiſceret? ſed malitia pertinax inde facta eſt inexcuſabilior, vnde debuit eſſe correctior. Et vtique præſciebat Deus, ad quem finem inſanientis eſſet progreſſura cóceptio. Neque ex eo quòd falli ſcientia diuina non poterat, neceſſitate peccandi vrgebatur facinus voluntatis. A cuius vtique intentione atque effectu potuit incolumitas Abel illæſa defendi, niſi placuiſſet Deo cum magna laude patientiæ ſuæ, vt temporalis furor impij fieret perpetuus honor iuſti. Poſteris verò iſtius * fratricidæ, quamuis in progenitoris ſui

G · * C. voluntatium. · Gen. 4. · H · * C. parricidæ.

moribus

A moribus viuerent, nunquam ſe diuinam bonitatem negaſſe, quis non facilè aduertat, ſi conſideret quantum eis prodeſſe potuerit tam longa patientia Dei, tam diues bonorum temporalium copia, & multiplicatæ fœcunditatis tam numeroſa propagatio? Quæ beneficia licet obduratis nihil remedij & emendationis attulerint, probant tamen auerſionem eorum non diuinæ fuiſſe conſtitutionis, ſed propriæ voluntatis.

In diluuio, & poſteà vſque ad Chriſtum reuelata ſunt opera diuina gratiæ, & Chriſtiana gratiæ miracula præſignata: etſi abundantia gratiæ quæ nunc mundum rigat, pari largitate non fluxit.

CAPVT XIV.

B IN* conſeruatione autem Noë filiorumque eius & nurum, in quibus omnium gentium ſeminarium diſponebatur, quanta diuinæ gratiæ opera reuelata ſint, ſancta ſcriptura manifeſtat, dum in illa mirandæ capacitatis arca, vniuerſi generis animalium quantum reparationis aderat, receptrice congregatura ad ſe omne hominum genus eccleſia figuratur: dum per lignum & aquam redemptio crucis Chriſti, & ablutio regenerationis aperitur: dum in his qui ex illa mundi vaſtatione ſaluati ſunt, omnium gentium plenitudo benedicitur: dum donum fœcunditatis iteratur, & ſolo *eſu ſuffocatorum & ſanguinis interdicto, libertas edendi quod placuerit, augetur, ſalutiſque ſecuritas in teſtimonio verſicoloris arcus, hoc eſt, in ligno multiformis gratiæ conſecratur. Quæ vtique myſteria atque ſacramenta non vnius tantum familiæ pauciſſimos tunc homines, ſed in ipſis omnes eorum poſteros imbuebant, vt quod eruditioni impendebatur parentum, proficeret ſcientiæ filiorum. Iam verò procurrente humanæ propagationis augmento, cum ipſa mortalium numeroſitas de ſuis multiplicationibus ſuperbiret, & ſecundum elationis ſuæ altitudinem, cœlo cuperet molem immodicæ inſtructionis inſerere, quàm mirabilis erga cohibendam hanc inſolentiam fuit diuinæ cenſura iuſtitiæ? Quæ vnam illorum populorum loquelam notis ſibi inuicem ſignificationibus conſonantem, ſeptuaginta & duarum linguarum varietate confudit, vt & inter diſſonas voces operantium pereunte concordia, inſanæ molitionis machina ſolueretur, & habitando orbi terrarum daret incolas malæ congregationis opportuna diſperſio. In iſto autem opere prouidentiæ Dei præordinabantur miracula gratiæ Chriſtianæ, quæ omnem hanc diſperſionem in illius ædificationis erat *vocatura compagem, in qua *omne genu flectitur Deo, & omnis lingua confitetur, quoniam Ieſus in gloria Dei patris eſt.* Hanc latitudinem gratiæ, in plenitudine diſpoſitorum temporum reuelandæ, facta ad Abraham promiſſio Dei, ſignis iam luculentioribus indicabat, quando duplex eius ſucceſſio (filij ſcilicet carnis, & filij promiſſionis) multitudini arenarum comparabatur & ſiderum, & vir ſenex per annoſam vxoris ſterilitatem, ab ſpe iam prolis alienus, credebat laudabili fide per germen vnius filij patrem futurum eſſe ſe mundi, proſpiciens illum in ſemine ſuo, imò conſpiciens, qui dixit: *Abraham diem meum vidit, & gauiſus eſt.* Qua fide Abraham cum iuſtificaretur, nondum mandatum circumciſionis acceperat, ſed cum eſſet in præputio naturali, reputata eſt fides eius ad iuſtitiam. Et *eadem fides ſignaculum circumciſionis acceperat in eo corporis membro, per quod ſemen procreationis peruenturum erat ad eam carnem, in qua ſine carnali ſemine Dei filius Deus, verbum caro fieret, ac de Abrahæ filia Maria virgine naſceretur, aſſumptis omnibus in huius natiuitatis conſortium, qui in Chriſto per Spiritum ſanctum regenerati, quod Abraham credidit, crediddiſſent. Hæc autem fides antequam veniret, hoc ſemen de quo Abrahæ dictum eſt: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ*, intra vnius ſtirpis populum continebatur, vigente apud veros Iſraelitas ſpe redemptionis noſtræ. Quoniam etſi fuerunt ex alienigenis, quos temporibus legis veritas illuſtrare dignata ſit, tamen tam pauci fuerunt, vt vix *cognoſcantur an fuerint. Neque ob hoc excuſabiles ſint nationes quæ alienatæ à *conuerſatione Iſrael, ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo ſub ignorantiæ tenebris perierunt, quia hæc abundantia gratiæ quæ nunc vniuerſum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit.

*C. conuerſione. Gen. 7. — Gen. 8. Gen. 9. — *vox eſu abeſt à C. — C — Gen. 11. — *C. compatatura. Philip. 2. Epheſ. 3. — Gen. 15. — D — Ioan. 8. Rom. 4. — *C. ea ſig. cir. accepit. — Capur 5. — Gen. 22. — E — *recognoſcātur. Epheſ. 2. — *conuerſione.

Meliora non naſci nunc ingenia, quàm ante Chriſti aduentum, quinimo tempore aduentus Chriſti inuenta eſt iniquitas robuſtior, vt gratia Dei manifeſtaretur.

CAPVT XV.

ADhibita enim ſemper eſt vniuerſis hominibus quædam ſupernæ menſura doctrinæ, quæ etſi parcioris occultioriſque gratiæ fuit, ſufficit tamen ſicut dominus iudicauit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium: vt non dubiè, ſed euidenter appareat, quod niſi *vbi abundauit peccatum, ſuperabundaret & gratia*, nunc quoque vniuerſum genus humanum ſimilis obcæcaret impietas. *An fortè (vt plerique garriunt) meliora quàm veterum ingenia noſtris ſeculis orta ſunt, & aptiores diuinis donis animas tempora extrema pepererunt? Quod etiam ſi ita eſſet, ad bonitatem id referendum eſſet autoris, qui vocandis ad vitam æternam populis, ea quæ non reniterentur, corda finxiſſet. Sed nihil prorſus nouatum eſt in generatione carnali, nec generoſior auis minorum orta ſucceſſio eſt, cum potius in hominibus illius temporis quò mundi redemptor aduenit, quanto erat *propago tardior, tanto ſit iniquitas inuenta robuſtior. Probauit hoc Iudaici furoris impietas. Et quàm apta euangelio Chriſti fuerit illa generatio, non ſolùm populi, ſed etiam ſcribarum & principum ac ſacerdotum corda docuerunt. Quibus parum fuit in *agnum Dei tollentem *peccatum mundi*, contra teſtificationem legis, contra oracula prophetarum, contra diuinarum experimenta virtutum, ſeditionibus, contumelijs, ſputis, alapis, colaphis, lapidibus, flagris, & ad poſtremum crucis atrocitate ſæuiſſe, niſi etiam teſtes reſurrectionis eius eadem perſequerentur inſania. Quam Apoſtoli quando à Pontificibus flagellati ſunt, oſtenderunt in Pſalmo Dauidico *prophetam, dicentes: *Domine, tu es qui feciſti cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis ſunt, qui Spiritu ſancto per os patris noſtri Dauid pueri tui dixiſti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Conuenerunt enim verè in ciuitate iſta aduerſus ſanctum filium tuum Ieſum (quem vnxiſti) Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſrael, facere quæ manus tua & conſilium decreuerūt fieri.* Igitur ad manifeſtandam gratiam Dei, quæ ex alieno eius incommutabilique conſilio in ſalutem omnium gentium diſponebatur, non priora quaſi incapacia declinata ſunt tempora, ſed iſta electa, quæ tales populos ediderunt, quorum ferox & voluntaria iniquitas non conſulendi affectu, ſed intentione ſæuiendi perſiſteret facere quæ manus Dei & conſilium decreuerunt fieri, vt mirabilior eſſet gratia & potentia Dei, quæ de tam duris animis, tam tenebroſis mentibus, tam inimicis cordibus fecit ſibi populum fidelem, ſubditum, ſanctum, qui non per ſapientiam huius mundi perueniret ad lumen ſapientiæ Dei, ſed per illius donum, de quo teſtatur Ioannes Apoſtolus, dicens: *Scimus quia filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio eius.* Cui teſtimonio Apoſtolus Paulus conſonat dicens: *Gratias agentes patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuit nos de tenebris & de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* Et iterum idem: *Eramus enim* (inquit) *aliquando inſipientes, increduli, errantes, ſeruientes deſiderijs & voluptatibus varijs, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cum autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris noſtri, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam*

F — Rom. 5. — *C. ante. — G — *C. peccata. Ioan. 1. — *C. profatum. Act. 4. Pſal. 2. — H — 1. Ioan. 5. — Coloſ. 1. — Titum 3.

miſeri-

A

miſericordiam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, vt iuſtificati gratia ipſius, heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ. Potuitne plenius, luculentius, verius explicari, quæ merita hominum Chriſtus inuenerit, & quos ſibi mores ſubiecerit, quæ ad ſe corda conuerterit, quando venit mederi non ſanis, ſed malè habentibus, & *vocare non iuſtos, ſed peccatores?* Quoniam *gentium populus, qui ſedebat in tenebris, lucem vidit magnam, & ſedentibus in tenebris & vmbra mortis, lux orta eſt illis.* Fremebant gentes, iraſcebantur populi, ſæuiebant reges, & poteſtates contradicebant, ſuperſtitiones & totius mundi reluctabantur errores. Sed de reſiſtentibus, furentibus, perſequentibus, populum ſuum Chriſtus augebat, & per vincula ac ſupplicia morteſque ſanctorum roborabatur fides, vincebat veritas, perque vniuerſum mundum dominici agri ſegetis multiplicabatur vbertas. Tanta enim deſuper præbebatur conſtantia fidei, fiducia ſpei, fortitudo tolerantiæ, vt ille ignis dilectionis, quem in cordibus fidelium Spiritus ſanctus accenderat, nullo modo ab opprimentibus poſſet extingui: cum & qui cruciabantur, vehementius exardeſcerent, & qui ſæuiebant, eandem quam perſequebantur flammam ſæpe conciperent, qua beatus Apoſtolus Paulus ignitus, fidenter feruenterq; dicebat: *Iuſtificati igitur ex fide pacem habeamus ad dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem & acceſſum habemus fide in gratiam iſtam in qua ſtamus, ſed & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Et iterum: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die, exiſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus per eum qui dilexit nos. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro.* Hæc charitas diffuſa per Spiritum ſanctum, fecit vt mundus fidelium mundum vinceret impiorum. Hæc Neronis crudelitatem, Domitiani furorem, multorumq; poſt eos principum, * glorioſo innumerabilium martyrum fine contudit, donante Chriſto imitatoribus ſuis, de perſecutionibus regum, æternarum ſtemmata coronarum.

Matt. 9. Eſa. 9. — B — Rom. 5. — Rom. 8. — Pſal. 43. — C — * C. tabe add.

Quòd Chriſtus pro omnibus impijs mortuus ſit.

CAPVT XVI.

NVlla igitur ratio dubitandi eſt, Ieſum Chriſtum dominum noſtrum pro impijs & peccatoribus mortuum, à quorum numero * liber inuentus eſt, non eſt pro omnibus mortuus Chriſtus. Sed prorſus pro omnibus mortuus eſt. * Chriſtus. Nemo ergo omnium hominum ante reconciliationem, quæ per Chriſti ſanguinem facta eſt, non * autem peccator aut impius fuit, dicente Apoſtolo: *Si enim Chriſtus cum adhuc infirmi eſſemus, iuxta tempus, pro impijs mortuus eſt: vix enim pro iuſto quis moritur, nam pro bono forſitan quis audeat mori: commendat autem ſuam charitatem Deus in nobis, quoniam ſi cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multo magis iuſtificati ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati ſalui erimus in vita ipſius.* Idem Apoſtolus in ſecunda ad Corinth. ait: *Charitas enim Chriſti vrget nos, iudicantes hoc, quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt, vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* De ſeipſo verò quid pronũciet, audiamus: *Fidelis* (inquit) *ſermo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum: ſed ideo miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri ſunt illi in vitam æternam.* Siue ergo circumciſio, ſiue præputium peccato vniuerſaliter concludebatur, vnuſque omnes reatus obſtrinxerat, & inter magis minuſque impios nemo erat qui poſſet abſque Chriſti redemptione ſaluari: quæ redemptio vniuerſo ſeſe intulit mundo, & omnibus hominibus indifferenter innotuit: quandoquidem in die quinquageſimo ab illo Paſcha, in quo ſe hoſtiam Deo verus agnus obtulerat, cum Apoſtoli & qui cum eis vnanimes erant, repleti Spiritu ſancto linguis omnium gentium loquerentur, conueniebat excita miraculo diuerſi generis hominum multitudo, vt Euangelium Chriſti in eis qui aderant, totus mundus audiret. Confluxerant autem (ſicut ſcriptum eſt) *Parthi & Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Meſopotamiam, Iudæam & Cappadociam, Pontum & Aſiam, Phrygiam & Pamphyliam, Aegyptum & partes Libyæ, quæ eſt circa Cyrenen, & aduenæ Romani, Iudæi quoque & Proſelyti, Cretes & Arabes,* audientes * eorum linguis prædicari magnalia Dei: quorum teſtificatio etiam in eas gentes quæ remotiores ſunt, longè lateque procurreret. Ad cuius rei effectum credimus prouidentia Dei, Romani regni latitudinem præparatam, vt nationes vocandæ ad vnitatem corporis Chriſti, prius iure vnius conſociarentur * impietatis: quamuis gratia Chriſtiana non contenta ſit eoſdem limites habere quos Roma, multoſque iam * populorum ſceptro crucis Chriſti illa ſubdiderit, quos armis ſuis iſta non domuit. Quæ tamen per Apoſtolici ſacerdotij principatum amplior facta eſt arce religionis, quàm ſolio poteſtatis.

Cap. 6. — * C. ſi aliquis add. — * deeſt. C. — D — * C. aut rect. — Rom. 5. — 2. Cor. 5. — 1. Tim. 1. — E — Act. 2. — F — * C. omnes linguis ſuis p. m. g. — * C. imperij recte — * C. populos.

Nationes quibus nondum gratia Saluatoris illuxit, diſpoſito tempore vocandas eſſe ad Euangelium.

CAPVT XVII.

QVod ſi fortè, quemadmodum quaſdam gentes, * * quod antè non norunt in conſortium filiorum Dei dominus adoptatas, ita etiam nunc in extremis mundi partibus ſunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia ſaluatoris illuxit: non ambigimus, etiam circa illas occulto iudicio Dei tempus vocationis eſſe diſpoſitum, quo euangelium quod nondum viderunt, audiant atque ſuſcipiant. Quibus tamen illa menſura generalis auxilij, quę deſuper omnibus ſemper hominibus eſt prębita, non negatur: quamuis tam acerbo natura humana vulnere ſauciata ſit, vt ad cognitionem Dei neminem contemplatio ſpontanea plenè valeat erudire, niſi obumbrationem cordis vera lux diſcuſſerit, quam inſcrutabili iudicio Deus iuſtus & bonus, non ita * præteritis ſeculis quemadmodum in nouiſſimis diebus effudit. Vnde & beatus Apoſtolus Paulus ſcribens Coloſſenſibus, ait: *Myſterium quod abſconditum fuit à ſeculis & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ ſacramenti huius gentibus, quod eſt Chriſtus in nobis.*

G — * C. non olim in conſortiu rect. — * quod nõ volunt. — *Tempore Proſperi ad Chriſtum venere Scoti opera Cœleſtini vt in fine libri contra Collatorẽ legitur.* — * C. in add. — Coloſ. 1. — H

Prioribus ſeculis abſconditam fuiſſe Gentibus gratiam Chriſti, non tamen Prophetis.

CAPVT XVIII.

NVnquid hoc myſterium etiam prophetis incognitum fuit: & illi per quos Spiritus ſanctus loquebatur, ea quorum ab ipſis * fiebant denunciationes, neſciebant? Non ita planè intelligendum puto, ſed, ipſis gentibus * abſconditum fuiſſe myſterium, quod dominus quando voluit & quibus voluit, reuelauit. Nam de vocatione gentium, quæ non erant populus Dei, & quibus prius non miſertus eſt, nunc autem miſeretur, in Deuter. ita dicitur: *Et vidit dominus & zelauit, & iratus eſt propter iram filiorum ſuorum & filiarum. & dixit: Auertam faciẽ meam ab eis, & oſtendã quid erit in nouiſſimo: quia generatio peruerſa eſt filij, in quibus nõ eſt fides in illis. Ipſi me zelũ copulerunt*

Cap. 7. — * C. fiebat denunciatio. — * C. hoc add. — Rom. 9. Deut. 32.

A *me in hoc quod non eſt Deus, irritauerunt me in idolis ſuis, & ego in zelum incitabo eos in eis qui non erant gens, ſuper gente inſipiente irritabo eos.* Et Dauid hæc de adoraturis Deum omnibus
Pſal. 85. gentibus præcinit: *Omnes gentes quaſcunque feciſti, venient & adorabunt coram te domine, & glorificabunt nomen tuum.* Et i-
Pſal. 71. terum idem: *Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.* Et iterum: *Benedicentur in ipſo omnes tribus terræ,*
Ibidem. *omnes gentes magnificabunt eum.* Eſaias quoque ſimilia an-
Eſai. 2. nunciat dicens. *Quoniam erit in nouiſſimis diebus manifeſtus mons domini, & domus Dei in cacumine montium, & exaltabitur ſuper colles, & venient ad eum omnes gentes.* Et iterum idem:
Eſa. 25. *Et faciet* (inquit) *dominus Sabaoth omnibus gentibus, in monte iſto bibent in iucunditate vinum, vngentur vnguento in monte iſto, tradet hæc omnia gentibus: hoc enim conſilium ſuper omnes*
Eſai 52. *gentes.* Et iterum idem: *Et reuelabit dominus brachium ſuum ſanctum in conſpectu omnium gentium, & videbunt omnes gentes*
Eſa 54. *terræ ſalutem quæ à domino eſt.* Et iterum: *Ecce aduenæ ad te per*
Eſa 55. *me accedent, & ad te fugient.* Et infra: *Gentes quæ te non cognouerunt, inuocabunt te: & populi qui te neſciunt, ad te confugient.*
B Oſee quoque pariter prophetat dicens: Et erit in loco in
Oſee 1. quo dictum eſt eis. *Non populus meus vos, ibi vocabuntur filij Dei viui, & congregabuntur filij Iuda & filij Iſrael in idipſum.* Et
Oſea 2. iterum: *Miſerebor non dilectæ, & dicam non populo meo, populus meus es tu: & ipſe dicet, Deus meus es tu.* Sub Apoſtolis vero, cum ij qui in Chriſtum ex circumciſione crediderant, eos qui gentiles erant, dicebanturque præputium, iuſtificationum gratiæ arbitrarentur participes eſſe non poſſe, docet Beatus Apoſt. Petrus quam indiſcretus apud Deum vterque ſit populus, ſi in vnitatem fidei ambo conuene-
Act. 11. rint. *Cum autem* (inquit) *cœpiſſem loqui, decidit ſpiritus ſanctus ſuper eos, ſicut & in nos in initio. Recordatus ſum autem verbi domini, ſicut dicebat: Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini ſpiritu ſancto. Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus ſicut & nobis, qui credidimus in dominum Ieſum Chriſtum, ego quis eram qui poſſem prohibere Deum? His auditis tacuerunt, & glorificauerunt Deum dicentes: Ergo & Gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit?* Iacobus quoque Apoſtolus de hac
C
Act. 15. vocatione gentium dicit: *Viri fratres audite me, Simon narrauit quemadmodum primum Deus viſitauit ſumere ex gentibus populum nomini ſuo, & huic concordant verba prophetarum, ſic-*
Amos. 9. *ut ſcriptum eſt: Poſt hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid quod cecidit, & diruta eius ædificabo, & erigam illud, vt requirant cæteri hominum dominum, & omnes gentes ſuper quas inuocatum eſt nomen meum, dicit dominus faciens hæc, notum à ſeculo eſt domino opus ſuum.* Symeon quoque ille cui reſponſum erat à ſpiritu ſancto, non eum viſurum mortem priuſquam videret Chriſtum domini, de ſalute omnium gentium quæ in Chriſto reuelabatur, hæc dicit: *Nunc di-*
Luc. 2. *mitte ſeruum tuum domine, ſecundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum: Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.* His & alijs teſtimonijs ſcripturarum non dubiè demonſtratur, iſtam ditiſſimam potentiſſimam, benigniſſimam gratiam, qua in nouiſſimo mundi tempore omnes gentes in regnum Chriſti vocantur, prioribus ſeculis in occulto Dei abſconditam fuiſſe conſilio.

D

Deus pro omni tempore vult omnes homines ſaluos fieri, aut generalibus donis, aut etiam peculiaribus.

CAPVT XIX.

ET cui hac manifeſtatione quæ nunc vniuerſis nationibus innoteſcit, antea reuelata non fuerit, nullam
† C. ſcientiam rect. add. poſſe † comprehendere, nullam intelligentiam penetrare, cum tamen illud quod de bonitate Dei pijſſimè cre-
1. Tim. 2. ditur, quia *omnes homines velit ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire,* non oporteat niſi perpetuum æternumque ſentiri, ſecundum eas menſuras quibus Deus dona generalia ſpecialibus nouit cumulare muneribus: vt & qui exortes gratiæ fuerint, de ſua nequitia redarguantur: & qui eius lumine enituerint, non in ſuo merito, ſed in domino glorientur.

E

Obiectio ex paruulis contra illud: Qui vult omnes homines ſaluos fieri.

CAPVT XX.

IN hoc ſanè anguſto quidem, ſed tamen tecto intelligentiæ tramite, non parum difficultatis opponit conſideratio paruulorum, qui nullo iudicio rationis vtuntur, quo autoris ſui beneficia ſentientes, ad agnitionem valeant veritatis accedere, nec videntur de neglectu opitulantis gratiæ iuſtè argui, in illa ignorantia naturaliter conſtituti, quam dubium non eſt nullam recipere ſcientiam, Caput 8.
nullam ſentire doctrinam. Vnde cum omnes homines velit Deus ſaluos fieri, quid eſt quòd alienatur à ſalute perpetua tanta infantium multitudo, totque in his ætatibus hominum milia extra vitam relinquuntur æternam: quaſi ad hoc tantum conditi ſint ab eo, qui neminem odiens creauit, vt quia in hunc mundum cum peccati carne venerunt, in ſolubilis culpæ vincula ſine reatu
F
propriæ actionis inciderent? quid hoc profundius, quid mirabilius eſſe poteſt? Neque * credi fas eſt, eos qui re- * C. enim add.
generationis non adepti ſunt * ſacramentum, ad vllum * C. ſacramenta.
beatorum pertinere conſortium. Et magis ſtupendum, magiſque ſit mirum, quòd vbi actio non offendit, vbi arbitrium non reſiſtit, vbi eadem miſeria, ſimilis imbecillitas, cauſa communis eſt, non vnum eſſe de tanta parilitate iudicem, & quales reprobat abdicatio, tales adoptat electio.

Iuſtè agi cum paruulis pereuntibus, tam in hoc ſeculo quàm futuro, propter originale peccatum.

CAPVT XXI.

G
VEruntamen de hac altitudine diſcretionis Dei non conturbabitur cor † noſtrum, ſi firma & ſtabili fide † C. humilitatis noſtræ i. ſ.
omne iudicium Dei iuſtum eſſe credamus, nec appetamus habere cognitum, quod voluit eſſe ſecretum, vt vbi inueſtigari non poteſt quare ita iudicet, ſufficiat ſcire quis iudicet. Quanquam non ita incognoſcibilis iſta ſit quæſtio, vt nihil † ſit quod de ea eruditionis poſſimus ac- † C. inde eruditionis p. a.
quirere, ſi ad contemplandum id quod videri poteſt, tranquillus ſobrij cordis adhibeatur intuitus. Cum enim conſideramus inter paganos, inter Iudæos, inter hæreticos, inter † ipſos catholicos Chriſtianos, quàm multi- † C. q. add.
plex pereat numerus paruulorum, quos † quantum ad † totũ illud quam. a. p. p. volunt. abeſt a. C.
proprias pertinet voluntates, neque † bonum aliquid, † C. boni.
neque † malum conſtat egiſſe, diſcimus ſuper eos illam † mali.
manere ſententiam, quam humanum genus † præuari- † C. in Adæ præ ſuſcepit add.
catione primi parentis excepit, cuius ſententiæ rigor, dum etiam circa tales non reſoluitur, quàm magnum illud peccatum fuerit, demonſtratur. Nemo autem putaretur non innocens naſci, niſi etiam talibus eſſet noxium non renaſci. De immaturitate verò mortis non eſt ratio conquerendi, cum ſemel in naturam noſtram per pecca-
H
tum ingreſſa mortalitas, obnoxium ſibi omnem vitæ noſtræ fecerit diem. Eſſet enim, † quoniam ſecundùm ali- † C. quando rect.
quem modum immortalis dici homo poſſet, ſi eſſet tempus intra quod mori omnino non poſſet. Sed nunquam corruptio ita incorruptionis eſt particeps, vt non ſemper obnoxium ſit defectioni, quod debetur occaſui. Vitæ huius principium mortis exordium eſt, nec prius incipit augeri ætas noſtra, quàm minui. Cui ſi quid adijcitur ſpatij temporalis non ad hoc accedit vt maneat, ſed in hoc tranſit vt pereat. Quod ergo ab † initij ſui die mortale † C. ab homo ſui mo. eſt rect.
eſt, qualibet occidat die, non contra legem mortalitatis occumbit, nec vnquam ei vicinius eſt poſſe viuere, quàm poſſe deficere. Quamuis autem ex vna cauſa omnium hominum ſit orta mortalitas, non in vnam tamen, ſed in multiplicem imbecillitatem corruptibilis natura diſtrahitur. Et ſiue morbis, ſiue debilitatibus, ſiue vulneribus, non ſolùm anni, aut menſes, vel dies ætatis humanæ, sed & omnes [illegible] omniaq; momenta ſubiecta ſunt. Nec eſt

aliquod

A aliquod mortis genus, aut vllus obeundi modus, qui non intra vniuerſitatem mortalium in aliquam incidat portionem. Manet enim *graue iugum ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, in diem ſepulturæ in matrem omnium.* *Eccl. 40.*

Diuina iuſtitia cuilibet menſuram & modum miſeriæ ordinat.

CAPVT XXII.

SEd huius aſperrimi iugi pondera, non ita in Adæ filios irruerunt, vt diuina iuſtitia nihil eis ſuæ dimenſionis adhiberet, quæ deſectionum legibus ita deſectura ſubiecit, vt ab eis moderationum ſuarum non auerteret poteſtatem. † Ideo omnia omnes inciderent mala, quia per communem conditionem omnes omnibus ſubiacerent: ſed vt generali neceſſitate variata, cauſas ſibi dominus indulgentiæ correptioniſque ſeruaret, eſſetque in vno omnium debito, quod & miſericors remitteret, & iuſtus exigeret. Cum igitur iuſta & omnipotens prouidentia Dei inceſſabiliter vniuerſa dijudicet, & nemo in hunc mundum veniat, neque ab hoc mundo exeat, niſi eo ortu atque diſceſſu, † quem rerum arbiter ſecundum altiſſimam ſcientiam ſuam ſapientiamque decernit, ſicut ſcriptum eſt in libro Iob: *Quis ignorat quòd omnia hæc manus domini fecerit, in cuius manu anima omnis viuentis, & ſpiritus vniuerſæ carnis hominis?* Et iterum: *Breues dies hominis ſunt, & numerus dierum eius apud te eſt.* Quis audeat cauſas operum & conſiliorum eius inquirere? Inſcrutabile enim eſt, valdeque ſecretum, cur tantis differentijs conditio humana variata ſit. Illum ab infantia vſque in ſenectutem longæua carpit infirmitas, nec inter perſeuerantes dolores ſtaturæ deficit tempus ætatis. Illum integris valentem viribus annoſiſſimus vigor vegetat. Huic in puerina finis eſt, illi in adoleſcentia. Huic vitra iuuentutem non licet progredi, illi impoſſibile eſt vſque ad loquendi rudimenta grandeſcere. Quis vitæ metas multiformiter inæquales, minus acerbas experiretur caduca mortalitas, ſi præſentis tantum ſeculi detrimenta pateretur, & non in æternas miſerias caderent, qui hinc ſine lauacro regenerationis exiſſent.

Margin notes: † C. Nec ideo rect. — B — † C. quæ. — Iob. 12. — Iob. 14. — C

Paruulis pereuntibus generalis gratia tribuitur, dum ea parentibus datur.

CAPVT XXIII.

SEd cum † inſcrutabilis ſit cauſa tam donorum quæ gratia tribuit, quàm miſeriarum quas natura promeretur, ipſa nos intelligentiæ difficultas ad noſtrum reuertit autorem. Et cum quærimus: Quomodo *omnes homines ſaluos fieri velit,* qui non omnibus illud tempus † impertit, in quo per voluntariam fidem percipiendæ gratiæ ſint capaces? Non irreligioſè arbitror credi, neque inconuenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper vniuerſis eſt impenſa nationibus: qua vtique ſi bene eorum vterentur parentes, etiam ipſi per eoſdem iuuarentur. Omnium namque exordia paruulorum, totaque illa principia needum rationalis infantiæ, ſub arbitrio iacent voluntatis alienæ, nec vllo modo eis niſi per alios conſuli poteſt: & conſequens eſt, illos ad eorum pertinere conſortium, quorum vel recto vel prauo aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confeſſione credunt, ita ex aliena infidelitate aut diſſimulatione non credunt. Et cum ipſi nec præſentis vitæ deſiderium habuerunt, nec futuræ: quam ipſorum factum eſt naſci, tam ipſorum efficitur non renaſci. Sicut autem circa maiores præter illam generalem gratiam parciùs atque occultius omnium hominum corda pulſantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio ſpecialis exercitur: ita etiam circa innumeros paruulos eadem manifeſtatur electio. Quæ quidem nec illis qui renati non ſunt, in parentibus defuit, ſed ijs qui renati ſunt, præ parentibus affuit: ita vt multis ſæpe quos ſuorum impietas deſereret, alienorum cura ſeruierit, & ad regenerationem venerint per extraneos, quæ eis non erat prouidenda per proximos.

Margin notes: † C. inſcrutabilior ſ. e. d. q. — 1. Tim. 2. — † C. impertitur. — D — E

Non eſſe iuſtam querelam ex diſcretione paruorum paruulorum, ſed magnam diuinæ iuſtitiæ & gratiæ Chriſti commendationem.

CAPVT XXIV.

IN quo opere gratiæ quis niſi arrogantiſſimus atque vaniſſimus de diuina iuſtitia conqueratur, quòd non omnibus paruulis ſimilis prouidentia conſulat, omniaque pericula quæ moriturorum regenerationem prohibere poſſunt, aut poteſtate ſubmoueat, aut miſeratione præueniat? Quod vtique erga omnes ita fieret, ſi ita fieri omnino deberet. Non autem latet, quantum † cordibus fidelium deſidiæ gigneretur, ſi in baptizandis paruulis nihil de cuiuſquam negligentia, nihil de ipſorum eſſet † mortalitate metuendum: quandoquidem vt tales baptiſmo fraudarentur, nullo modo poſſet accidere. Hac verò tam inamiſſibili ſelicitate infantium, vehementiſſimè opinio illius roboraretur erroris, qui gratiam Dei ſecundum merita hominum dari, audet contra fidem catholicam prædicare. Videretur quippe inculpabili innocentiæ hoc tota æquitate deberi, vt neminem eorum adoptio præteriret, quos nullus reatus perſtringeret: nec impiè à quodam de paruulorum baptiſmo dictum fuiſſet, Habet gratia quod adoptet, non habet vnda quod diluat. Sed hoc deteſtabiliter prædicatum omnes diſcipuli veritatis intelligunt: & inde manifeſtum eſt, eos qui ſalui fiunt, non merito, ſed gratia liberati, quia ſine baptiſmo mortuos, periſſe non dubium eſt. Qui vtique niſi grauiſſimi peccati eſſent participes, non perirent. Nunc autem occulta quidem Dei diſcretione, ſed iuſta, ſic oſtenditur & quid conferat gratia, & quid præuaricatrix mereatur natura: vt nec contra donum eleuetur ſuperbia, nec contra periculum ceſſet induſtria.

Margin notes: † C. in add. — † C. mortale — F — G

Deum ob generalem gratiam omni tempore velle omnes ſaluos fieri: at peculiari gratia, quoſdam tantum.

CAPVT XXV.

SIue igitur notiſſima contemplemur ſecula, ſeu prima, ſeu media, rationabiliter & piè creditur, omnes homines ſaluos fieri Deum velle, ſemperque voluiſſe: & hoc non aliunde monſtratur, quàm de ijs beneficijs † eaque prouidentia Dei, quam vniuerſis generationibus communiter atque indifferenter impendit. Fuerunt enim ac ſunt huiuſmodi dona ita generalia, vt † per ipſorum teſtimonia ad quærendum verum Deum poſſent homines adiuuari: quibus donis autorem ſuum per omnia ſecula proteſtantibus, ſpecialis gratiæ largitas ſuperfuſa eſt. Quæ licet copioſius nunc quàm ante præſtetur, cauſas tamen diſtributionum ſuarum dominus apud ſcientiam ſuam tenuit, & intra ſecretum potentiſſimæ voluntatis occuluit: quæ ſi omnibus vniformiter affluerent, non laterent. Et quàm nulla eſt ambiguitas de benignitate generali, tam de ſpeciali miſericordia nihil quod ſtupendum eſſet exiſteret, ac proinde illa eſſet gratia, iſta non eſſet. Deo autem placuit & hanc multis tribuere, & illam à nemine ſubmouere, vt ex vtraque appareat non negatum vniuerſitati, quod collatum eſt portioni, ſed in alijs præualuiſſe gratiam, in alijs reſiluiſſe naturam.

(*,*)

Margin notes: † C quæ prouidentia Dei vni ge. c. a. m. m. — † C vtr. ipſorum teſtimonio. — H

A

Quod in omnibus iuſtificationibus gratia quidem principaliter præemineat, ſed voluntas ei ſubiungatur, quia gratia primò ſibi, tanquam receptricem & famulam donorum ſuorum præparat voluntatem.

CAPVT XXVI.

* C. ita credimus benignã v. n. m.
* C. ſi quid in ſ. Caput 9.
* C. omni iuſtificatione.

HAnc quippe abundantiorem gratiam ita * credimus atque expetimur potentem, vt nullo modo arbitremur eſſe violentam, quo * quicquid in ſaluandis hominibus agitur, ex ſola Dei voluntate peragatur, cùm etiam ipſis paruulis per alienæ voluntatis ſubueniatur obſequium. Gratia quidem Dei in * omnibus iuſtificationibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, mouendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: ſed etiam voluntas hominis ſubiungitur ei atque cõiungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidijs, vt diuino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum quod * ſuperno ſemine concepit ad ſtudium, de ſua habens mutabilitate ſi deficit, de gratiæ opitulatione ſi proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, ſiue occultos ſiue manifeſtos, omnibus adhibetur, & quòd à multis refutatur, ipſorum eſt nequitiæ: quod autem à multis ſuſcipitur, & gratiæ eſt diuinæ, & voluntatis humanæ. Siue igitur initia, ſiue profectus fidelium, ſiue vſque in finem * perſeuerantium cogitemus * genus, nulla ſpecies cuiuſquam virtutis occurrit, quæ vel ſine dono diuinæ gratiæ, vel ſine conſenſu noſtræ voluntatis habeatur. Ipſa enim gratia hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit, vt in eo quem vocat, primam ſibi receptricem & famulam donorum ſuorum præparet voluntatem. Nam virtus nolentium nulla eſt, nec poteſt aſſeri vel fidem, vel ſpem, vel charitatem eis ineſſe, quorum ab his bonis conſenſus alienus eſt.

B
* C. de add.
* C. perſeuerantiã.
* C. nullũ gen⁹ add.

C

Conſenſum voluntatis per gratiam gigni, non ſolum ex doctrina & illuſtratione, ſed etiam ex terrore & metu.

CAPVT XXVII.

* etiam C.
Prou. 9.
Eccl. 5.
* C. q'o autore eodem proficit timore q. c.

HVnc autem conſenſum non ſolùm cohortatio prædicantium & incitamenta doctrinæ, ſed * & metus gignit, propter quod ſcriptum eſt, *Principium ſapientiæ timor domini.* Qui quantilibet terroribus inſectatur, non aliud agit, quàm vt quem fecerit timentem, faciat & volentem, nec ſolum volentem, ſed etiam ſapientem. Vnde & illud ſcriptum eſt: *Beatus cui donatum eſt habere timorem Dei.* Quid enim tam beatificum, quàm hic timor, qui genitor eruditorque ſapientiæ eſt? In cuius vtique deuotione deuota eſt & voluntas, * quæ autore gratiæ eodem proficit timore quo cœpit. Cùm ergo hic timor etiam per quandam vim magni terroris immittitur, non ibi ratio extinguitur, nec intellectus aufertur, ſed illa potius quæ mentem premebat caligo diſcutitur, vt voluntas deprauata prius atque captiua, recta efficiatur & libera. Vnde ſicut animus nihil virtutis capit, niſi radium veri acceperit luminis, ita gratia nihil ei quem vocat confert, niſi oculos in eo aperuerit voluntatis. Quæ in pleriſque (ſicut ſuperius diſputatum eſt) ab ipſo initio ſui ardentiſſima * citis & magnis ditatur augmentis: in pleriſque autem tardè cunctanterque proficiens, vix ad ea incrementa prouehitur, quæ idoneam ad perſeuerandum habeant firmitatem. Dicit quidem dominus: *Nemo venit ad me, niſi pater qui miſit me, attraxerit eum.* Sed hoc ideo dictum eſt, vt illam fidem, ſine qua nemo ad Chriſtum venit, ex patris haberi munere nouerimus, ſecundum illud quod Apoſtolo * dicitur: *Beatus es Simon bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt.* Qui in cordibus trahendorum hoc egit vt crederet, hoc effecit vt vellent. Non enim eſſet vnde traherentur ſi ſequaces fide & voluntate non eſſent: quoniam qui non credunt, nec trahuntur omnino, nec veniunt, neque accedunt qui diſſentiunt, ſed recedunt. Qui ergo veniunt, amore ducuntur, dilecti enim ſunt, & dilexerunt, quæſiti ſunt & quæſierunt: & quod eos voluit Deus velle, voluerunt.

D
* C. citis rect.
Ioan. 6.
* C. Petro add.
Matt. 16.

E

Poſſe eos qui gratia Dei in Chriſtum credunt, non credere: & eos qui perſeuerant, à Deo recedere.

CAPVT XXVIII.

† C. à add.

QVi † ad obediendum ſibi, ipſum velle, ſic donat, vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem quę poteſt nolle, non auferat. Alioquin nemo vnquam fidelium receſſiſſet à fide, neminem concupiſcentia vinceret, neminem triſtitia eliderer, neminem iracundia debellaret, nullius charitas refrigeſceret, nullius patientia frangeretur & collatam ſibi gratiam nemo negligeret, ſed quia hæc poſſunt fieri, & in conſenſum talium tentationum facilis nimium procliuiſque deſcenſio eſt, nunquam debet in auribus fidelium vox illa domini non ſonare, qua Apoſt. dicitur: *Vigilate & orate ne intretis in tentationem.* Vbi ſi de vigilando tantum, non etiam de orando diſcipulos admoneret, ſolas liberi arbitrij vires videretur hortatus. Sed cum addidit: *Et orate,* ſatis docuit, ſuperni futurum muneris, vt eos etiam vigilantes tentationis procella non vinceret. Tale eſt & illud quod ait: *Simon Simon, ecce ſatanas expoſtulauit vt vos † cerneret velut triticum, ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua, & tu tandem conuerſus, confirma fratres tuos, & † roga ne intretis in tentationem.* Si ergo defectura erat fides tanti Apoſtoli, niſi pro † eo Chriſtus oraret, inerat ei proculdubio mutabilitas, quæ poſſet in tentatione nutare. Et non ita iam perſeuerantiæ fuerat virtute ſolidatus, vt nullis periculis eſſet obnoxius. Siquidem tam grauis eum perturbatio etiam poſt iſta concuſſerit, vt in Caiphæ domo vnius ancillæ interrogatione pauefactus, vſque ad trinam negationem Chriſti (cui moriturum ſe ſpoponderat) conſtantia deficiente perductus ſit. Qui ergo tunc conturbatum cor Apoſtoli non humanis, ſed diuinis conuenit oculis, & ad largos pœnitudinis fletus potenti incitauit aſpectu: potuit hanc firmitatem animi præcipuo conferre diſcipulo, vt ſicut ipſum Dominum nihil ab explendæ paſſionis propoſito deterrebat, ita nec beatum Petrum vlla tunc formido ſuperaret. Sed hæc ſtabilitas illius tantummodo propria fuit, qui ſolus verè potenterque dicebat: *Poteſtatem habeo ponere animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumere eam.* In cæteris verò hominibus donec *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem,* & donec *ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma,* incommutabilis animi fortitudo non poteſt reperiri, quoniam non huius ſed alterius vitæ eſt † verè perfecta & ſecura felicitas. In præſentis autem agonis incerto, vbi tota *vita tentatio eſt,* & ab † inſidianti ſuperbia nec ipſa eſt tuta victoria, mutabilitatis periculo non caretur. Et licet innumeris ſanctis ſuis donet virtutem perſeuerandi vſque in finem diuina protectio, à nullis tamen † aufert quod ipſis repugnat ex ipſis: vt in omnibus ſtudijs eorum atque conatibus ſemper inter ſe velle & nolle † decertet. Quam compugnantiam idem beatiſſimus Petrus etiam in ipſa palmarum omnium conſummatione perpeſſus eſt. Siquidem hoc † ipſe dominus proteſtetur & dicat: *Amen Amen dico tibi, quando iuuenis eras, præcingebas te & ambulabas vbi volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te præcinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, ſignificans qua morte † glorificaturus eſſet Deum.* Quis ergo ambigat, quis ignoret hanc fortiſſimam petram, quæ ab illa principali petra communionem & virtutis ſumpſit & nominis, hoc deſiderium ſemper habuiſſe, vt ei † moriendi pro Chriſto conſtantia donaretur? Verumtamen ita ineuitabilis erat obluctatio trepidationis, vt vir martyrij auidiſſimus, adepturus quidem denunciaretur victoriam paſſionis, ſed non ſine tentatione formidinis. Meritò igitur non

F
Matt. 26.
Luc. 22.
† C. cribraret.
† C. rogare.
† C. ea.
G
Ioan. 10.
Gal. 5.
Matt. 26.
† C. veræ pacis perf.
† C. inſidiantis.
Iob 7.
H
† C. auſertur.
† C. decertent.
† C. ipſi.
Ioan. 21.
† C. clarificaturus.
Matth. 16.
† C. mori pro Chriſto con.

A

† prouectis C. Matth.6. † C. inferas 1. Cor.1.

totum ab incipientibus, verumetiam à † prouectiſſimis ſanctis vniformiter Domino ſupplicatur & dicitur: *Ne nos † inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Vniuerſis enim qui in fide & dilectione permanent, ab ipſo donatur ne in tentatione ſuperentur, vt *qui gloriatur, in domino glorietur.* Ipſamque gloriam iiſdem quibus eam impertit adſcribit: vt quamuis auxilio Dei ſteterint, tamen quia in ſe habebant vnde caderent, ipſorum ſit meritum quòd ſteterunt. Igitur ſicut qui crediderunt, iuuantur vt in fide maneant: ſic & qui nondum crediderunt, iuuantur vt credant. Et quemadmodum illi in ſua habent poteſtate vt exeant: ita & iſti in ſua habent poteſtate ne veniant. Fitque manifeſtum quòd diuerſis atque innumeris modis (1.Tim. 2.) *omnes homines vult Deus ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire,* ſed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur: qui non veniunt, ſua pertinacia reluctantur.

Promiſſio benedictionis omnium gentium ita completur quotidie, vt nec pereuntibus ſit excuſatio iuſta, nec ſaluatis de ſua iuſtitia gloriatio.

B

CAPVT XXIX.

† C. enim. Iſa. 40. Ioan.6. & 10. 2 Tim.2. † C. rapere.

QVamuis † autem multi amantes tenebras ſuas, ſplendorem non recipiant veritatis, & multi qui illu minati fuerant, tenebreſcant, *verbum* tamen *Dei manet in æternum,* & de promiſſionis veritate nihil excidit. Intrat quotidie præſcita & promiſſa gentium plenitudo, & in Abrahæ ſemine omnis gens, omnis tribus, omnis lingua benedicitur. Quod enim pater filio dedit, filius non amittit, neque quiſquam poteſt de manu eius † eripere quod accepit. Firmum fundamentum Dei ſtat, & manſuri in æternum templi ædificatio non vacillat, præterita ſuper omnes veritate & miſericordia Dei: à quo quod & nemini negatur, & nulli debetur, in iis quos promiſit efficitur: Ipſe enim *operatur omnia in omnibus.* Sed omnia proculdubio iuſta & bona. *Vniuerſæ* enim *viæ domini miſericordia & veritas.*

C

1 Cor. 12. Pſal. 24.

Qui ſicut præſciuit ante ſecula, quanta totius mundi hominum multitudo, vel communibus vſa donis, vel ſpecialibus adiuta præſidiis, declinans tamen ab itinere veritatis & vitæ, ingreſſura eſſet latitudinem erroris & mortis: ita ſemper præcognitum habuit quantus piorum numerus per opem gratiæ, & per ſeruitutem obedientiæ ad æternam beatitudinem pertineret: vt nullo excidente de plenitudine promiſſorum, qui nec prouectu erat fallendus, nec auxilio defuturus, eos glorificaret præ omnibus, quos elegit ex omnibus. Vniuerſitati quippe hominum (quod abunde probauimus) ita multiplex atque ineffabilis bonitas Dei conſuluit ſemper & conſulit, vt neque vlli pereuntium excuſatio ſuppetat de abnegato ſibi lumine veritatis, neque cuiquam liberum de ſua iuſtitia gloriari, cum & illos propria nequitia demergat ad pœnam, & iſtos Dei gratia perducat ad gloriam.

D

Repetitio primi capitis libri ſecundi.

CAPVT XXX.

Cap. 10. 1.Tim. 2. Galat. 5.

QVod itaque in principio ſecundi huius voluminis inſinuauimus, hoc nunc iterum commendamus, vt cum de gratiæ profunditate & altitudine diſputatur, tribus illis ſaluberrimis & veraciſſimis diffinitionibus ſimus innixi. Quarum vna profitetur æternum & propriũ diuinæ eſſe bonitatis, vt *omnes homines ſaluos fieri velit, & in agnitionem veritatis venire.* Alia ſimul prędicat, omnem hominem qui ſaluus fit, quique in agnitionem veritatis venit, Dei auxilio iuuari & regi; vtque in fide *quæ per dilectionem operatur,* permaneat, cuſtodiri. Tertia verò temperanter & ſobrie proteſtatur, non omnem voluntatis Dei comprehendi poſſe rationem, & multas diuinorum operum cauſas ab humana intelligentia eſſe ſubductas: vt cum in temporibus, in nationibus, in familiis, in paruulis, in nondum natis & † genitis quædam aut variè aut inſigniter geſta noſcuntur, non † ambigimus ea ex illis eſſe quæ iuſtus & miſericors Deus in hoc † tranſituro ſeculo noluit ſciri. Quod quidem ad vtilitatem noſtram diſpoſitum ſentiendum eſt, vt quoniam † ſalui facti ſumus, cui *præparauit Deus quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit,* ſicut conſtanter credimus videndum quod nondum videmus, ita patienter expectemus intelligendum quod nondum intelligimus. Si ergo ceſſet inſidioſa malignitas, ſi inſolens præſumptio conquieſcat: his rectè (vt arbitror) pertractatis, nullius ſupereſt cauſa certaminis, neque vltra neceſſe eſt nos interminabilibus quæſtionibus occupari.

E

† C. geminis † ambigamus. † tranſitorio. † C. ſpe add.

Omnibus ſeculis adfuiſſe omnibus hominibus generalem Dei bonitatem: ſed tantum ſaluandis peculiarem gratiam.

F

CAPVT XXXI.

ELaboratum eſt enim quantum dominus adiuuit, vt non ſolum in nouiſſimis diebus, ſed etiam in cunctis retro ſeculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus affuiſſe, prouidentia quidem pari & bonitate generali, ſed † multimodo opere diuerſaque menſura: quoniam ſiue occultè ſiue manifeſtè, *ipſe eſt* (vt Apoſtolus ait) *ſaluator omnium hominum, maximè fidelium.* Quæ ſententia ſubtiliſſimæ breuitatis & validiſſimi roboris, ſi tranquillo conſideretur intuitu, totam hanc (de qua egimus) controuerſiam dirimit. Dicendo enim: *Qui eſt ſaluator omnium hominum*: confirmauit bonitatem Dei ſuper vniuerſos homines eſſe generalem. Adiiciendo autem, *Maximè fidelium*: oſtendit eſſe partem generis humani, quæ merito fidei diuinitus inſpiratæ, ad ſummam atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficiis prouehatur: quod vtique nulla iniquitate agitur iuſtiſſimi & miſericordiſſimi Dei, cuius iudicium in his diſpenſationibus non cum arrogantia diſcutiendum, ſed cum tremore laudandum eſt.

† C. multimoda diuerſaq; (ſine opere) 1.Tim. 4.

G

Inter fideles varios eſſe gradus munerum Dei, idq; non ex meritis eorum, ſed iuſto & latenti Dei iudicio.

CAPVT XXXII.

SIquidem in ipſis quoque fidelium populis (quod iam ſuperius oſtenſum eſt) non eadem omnibus, nec paria conferuntur, & ante vlla humanorum pondera meritorum, diſſimillima diuinorum menſura ſit munerum. Si enim de parentum carnalium iudiciis conqueri nõ audemus, cũ aliquos filios ſuos ante vlla morum examina, ante aliqua pietatis obſequia, indulgentiore amplectuntur affectu: in dominis quoque erga famulos libera eſt diſpoſitio, nec iuſtè à quoquam reprehenditur, qui de vnius conditionis familia quoſdam ſibi, quos benignius honeſtaret, & quos liberius erudiret, elegit: nunquid de ſummi patris & veri domini beneuolentiſſima æquitate cauſandum eſt, quòd in magna domo eius innumeris differentiis vniuerſa variantur? Cumque nemo aliquid boni habeat, quod non ille donauerit, non omnes tamen iiſdem virtutibus micant, aut eadem claritatum dote ditantur. Nec poſſumus hanc diuerſitatem graduum cauſis aptare meritorum, cùm totius boni meriti principalis cauſa ſit gratia, de cuius opibus ſumitur quicquid in ſingulis probabile reperitur.

H

(∴)

A

Nemo perit, qui perire non debet: ſed omnes ab æterno electi, ſalui fiunt.

CAPVT XXXIII.

SIcut ergo de ijs quæ intra eccleſiam multiformiter Spiritus ſanctus operatur, impium eſt vllam querelam corde concipere: ita etiam de illa prouidentia quæ infidelibus prætendet, nullatenus murmurandum eſt. Quoniam & iuſtus & bonus arbiter nec voluntatis iniqua eſt, nec diſcretionis incertæ, vt ſub immenſa omnipotentis Dei miſericordia atque iuſtitia putemus quòd quiſquam pereat qui perire non debeat. Nulla pars mundi ab euangelio vacat Chriſti. Et licet illa generalis vocatio non quieſcat, tamen etiam iſta ſpecialis iam vniuerſis eſt facta communis. Ex omni gente, ex omni conditione adoptantur quotidie milia ſenum, milia iuuenum, milia paruulorum: & affectibus gratiæ Chriſtianæ, etiam ipſa quibus mundus atteritur, arma famulantur. Quam

B

multos enim qui in tranquillitate pacis ſacramentum baptiſmatis ſuſcipere differebant, ad aquam regenerationis † confugere inſtantis periculi metus impulit, & lentis tepidiſque animis quod diu cohortatio quieta non ſuaſit, minax ſubitò terror extorſit? Quidam eccleſiæ filij ab hoſtibus capti, dominos ſuos Chriſti Euangelio manciparunt, & quibus conditione bellica ſeruiebant, eiſdem fidei magiſterio præfuerunt. At alij barbari dum Romanis auxiliantur, quod in ſuis locis noſſe non poterant, in noſtris didicere regionibus, & ad ſedes ſuas cum Chriſtianæ religionis inſtitutione remearunt. Ita nihil obſiſtere diuinæ gratiæ poteſt, quo minus id quod voluerit, impleatur, dum etiam diſcordiæ ad vnitatem trahunt, & plagæ in remedia vertuntur, vt eccleſia vnde metuit periculum, inde ſumat augmentum. Ad quoſlibet igitur rerum humanarum exitus ſe noſtra conuertat inſpectio, nulla ſecula, nulla negotia, nullos generationum ortus atque deceſſus ab æternis & incommutabilibus iudicijs Dei vacare reperiet. Omnes varietatum compugnantiæ, & vniuerſæ diſſimilium prouentuum cauſæ,

† C. conſurgere.

C

quas inueſtigare & diſcernere non valemus, in illa æterna ſcientia ſimul notæ ſimulque diuiſæ ſunt. Et nihil ibi inordinatum eſt, etiam de necdum exiſtentium qualitatibus actionum: Quoniam non eſt in Deo accidens motus, aut noua voluntas, aut temporale conſilium, nec cogitatio eius cum rerum mutabilium inæqualitate variatur, ſed cuncta pariter tempora & temporalia, ſempiterno ac ſtabili comprehendit intuitu, & omnibus omnia iam tribuit, † qui quæ ſunt futura, iam fecit. Hinc illud eſt Beati Pauli Apoſtoli ſcribentis ad Epheſios: *Benedictus Deus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto: ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ,* & cætera quæ ſub eiuſdem ſenſus prædicatione connectit, docens donum atque opus gratiæ in æterno ſemper

† C. quæque.

Epheſ. 1.

D

Dei manſiſſe conſilio, omneſque adoptionis filios non ſolum in eo tempore quo iam exiſtentes vocati ſunt, ſed etiam prius quàm mundus † conderetur, electos. In qua electione quicquid hominum in Chriſto præcognitum non eſt, nulla eidem ratione ſociabitur. Omnes enim qui in regnum Dei de cuiuſlibet temporis vocatione venturi ſunt, in iſta quæ ſecula cuncta præceſſit, adoptione ſignati ſunt. Et ſicut nullus infidelium in hac ſorte numeratus, ita nullus piorum ab hac ſorte diſcretus eſt. De plenitudine quippe membrorum corporis Chriſti, præſcientia Dei, quæ falli non poteſt, nihil perdit, & nullo detrimento minui poteſt ſumma præcognita, atque in Chriſto ante ſecula æterna prælecta, ſicut ad Timotheum ſcribens Apoſtolus, dicit: *Collabora Euangelio ſecundum virtutem Dei, qui nos liberauit & vocauit vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum ſuum propoſitum & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora æterna.*

† C. conſtitueretur.

2. Tim. 1.

E

Non fruſtra laborari ad acquirenda bonorum operum merita, vel orationibus inſiſti: quamuis incommutabile ſit Dei propoſitum ſuper ſalute electorum.

CAPVT XXXIV.

COntra hanc inuictæ veritatis ſplendidiſſimam lucem ſolent quidam non ſobriè dicere, ſuperfluò ad acquirenda bonorum operum merita laborari, fruſtra etiam orationibus quibus Deus exorandus ſperatur, inſiſti, ſi ex incommutabili propoſito eius Chriſtianæ gratiæ ſubſiſtit electio, nec aliter quicquam procedere poteſt, quàm omnipotentis voluntate diſpoſitum eſt. Sed qui ſe ingenioſè hoc arbitrantur opponere, non intelligunt ſcientiam Dei, quæ & præterita, & præſentia, & futura complectitur, tempore non teneri, & tam in conſpectu eius aſtare ea quæ gerenda ſunt, quàm illa quæ aut geruntur, aut geſta ſunt. Quod cum veriſſimum ſit, non

F

indiget mora cernendi & diſcernendi illa virtus quæ perpetuo veroque contuitu creata & creanda, orta & oritura, acta & agenda ſimul aſpicit: & quicquid in vniuerſitate rerum per ſecula præfinita euoluitur, ac multimodis varietatibus explicatur, id totum in eo iam ordine comprehendit, quem ex ipſius ſummo illo perfectoque iudicio mundi huius finis accipiet. Hæc autem æterna & ſemper tranquilla cognitio, nulla nos vrget neceſſitate peccandi, nec inde manat iniquitas vnde iuſtitia. Quia cum bonus Deus omnia bona fecerit, & mali nulla ſit omnino natura, à liberis voluntatibus, quas vtique bonum fuit liberas fieri, ſpontanea eſt orta tranſgreſſio, & natura mutabilis, cuius incolumitas ab incommutabili pendebat eſſentia, à ſummo ſe bono, dum proprio peruerſè delectatur, abrupit, cui nunc ruinæ medetur gratia Dei.

G

Gratia datur electis, non vt otientur vel à nullo hoſte impetantur: ſed vt bene operentur, & hoſtem vincant.

CAPVT XXXV.

ET propterea Ieſus Chriſtus venit in hunc mundum, *vt ſolueret opera diaboli*: quæ vtique ſic ſoluuntur, vt in deſtructione eorum etiam ab ijs quibus ſuccutitur, laboretur, quoniam & hoc à ſaluante donatur. Ideo beatus Apoſtolus: *Non ſolum autem*, inquit, *ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem ſpem, ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Itemque idem ad Epheſios: *Gratia*, inquit, *ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus figmentum, creati in Chriſto in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.* Deus ergo his quos eligit

1. Ioan. 3.

Rom 5.

Epheſ. 2.

H

ſine meritis dat vnde ornentur & meritis. Et fruſtra dicitur, quòd ratio operandi non ſit in electis, cùm etiam ad hoc operentur vt electi ſint. Virtutum quippe munera otioſa eſſe non poſſunt, quoniam, ſicut Veritas ait, *omni habenti dabitur, non habenti autem, etiam quod habet auferetur ab eo.* Non igitur ad hoc datur continentia, vt concupiſcentijs non repugnet. Nec ideo cuiquam tribuitur ſapientia & intellectus, vt non *die ac nocte in domini lege meditetur.* Quid agit donum dilectionis, ſi beneuolentiæ ſolicitudo non vigilat? Quis fructus eſt patientiæ ſi non habet fortitudo quod toleret? Aut quomodo in Chriſto piè viuere oſtenditur, qui nulla perſecutione pulſatur? Vel pax quæ eſt à Deo & cum Deo, nunquid bene quieta eſt, ſi non diſcordat à mundo? Aut amor Dei poterit ſine diaboli inimicitijs obtineri? Neminem prorſus Dei gratia intentabilem facit. Neque ob hoc cæleſtium armorum præſidio à dextris & ſiniſtris inſtruitur Chriſtiana

Matt. 25.

Pſal. 1.

2. Tim. 3.

mili-

A † C. vtiq; † vor, felicius abeſtà C. militia, vt nullo cum hoſte confligat: cùm laudabilius ſit † atque † fœlicius pugnantem non potuiſſe vinci; quàm deſidem non potuiſſe tentari.

Electio non tollit orandi ſtudium, ſed eius effectus per orationem & bona opera completur.

CAPVT XXXVI.

ORationum verò ſolicitudinem diuinæ electionis propoſito non reſolui, vno teſtimonio euidenter probabo, vt cætera ſtudio breuitatis omittam. In libro

Tob. 6. igitur Tobiæ ad filium eius Tobiam Raphael Angelus dicit: Memor eſto mandatorum patris tui; quoniam præcepit tibi accipere debere vxorem de genere patris tui. Et nunc audi me frater, noli computare dæmonium illud, ſed poſtula eam. Et ſcito quoniam dabitur tibi hac nocte vxor, & cum intraueris in cubiculum, tolle de iecore piſcis illius, & impone ſuper carbones, &

B odor manabit; & odorabitur illud dæmonium, & fugiet, & non apparebit circa illam omnino in perpetuum: Et cum cœperis velle eſſe cum illa, ſurgite primum ambo, & deprecamini dominum cœli, vt detur vobis miſericordia & ſanitas. Et nolite timere: tibi enim deſtinata eſt ante ſecula, & tu eam ſanabis. Quamuis ergo quod ſtatuit Deus, nulla poſſit ratione non fieri, ſtudia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propoſitum liberi arbitrij deuotio relaxatur: cum implendæ voluntatis Dei ita ſit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per inſtantiam † ſupplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum: & qui bona geſſerint, non ſolùm ſecundum propoſitum Dei, ſed etiam ſecundum ſua merita coronentur. Ob hoc enim in remotiſſimo ab humana cognitione ſecreto, præfinitio huius electionis abſcondita eſt.

† C. ſupplicantiũ.

C

De nullo ante finem vitæ huius pronunciari poteſt, quòd in electorum gloria ſit futurus: & nullius lapſi eſt deſperanda reparatio.

CAPVT XXXVII.

ET de nullo ante ipſius finem pronunciari poteſt, quòd in electorum gloria ſit futurus, vt perſeuerantem humilitatem vtilis metus ſeruet, & *qui ſtat, videat ne cadat*: † & ſi fortè aliqua victus tentatione corruerit, non abſorbeatur triſtitia, nec de eius miſeratione diffidat, *qui alleuat omnes, qui* † *ruunt, & erigit omnes eliſos*: Dum enim in hoc corpore viuitur, nullius eſt negligenda correctio, nullius eſt deſperanda reparatio. Oret itaque ſancta eccleſia: & pro iis qui crediderunt gratias agens, proficientem eis perſeuerantiam petat: pro iis autem qui extra fidem ſunt, poſcat vt credant: Nec

† C. ac.
1. Cor. 10.
† C. corruunt.
Pſal. 144.

D
1. Tim. 2.

ideo ab obſecrationibus ceſſet, ſi pro aliquibus exaudita non fuerit. Deus enim *qui omnes vult ad agnitionem veritatis venire,* non poteſt quenquam ſine iuſtitia refutare.

(∴)

F I N I S.

S. PROSPERI AQVITANICI, RHEGIENSIS EPISCOPI, AD SACRAM VIRGINEM DEMETRIADEM, MAGNIS PRÆconijs veram humilitatem exaltantis, aduerſantemque illi ſuperbiam digna vituperatione confundentis, ac per hoc ipſam ad elationem cauendam, & præſidio ſinceræ humilitatis armandam perſuadentis.

E

EPISTOLA.

PRosper Epiſcopus ſacræ virgini Demetriadi. Cum ſplendidiſſimæ ſanctimoniæ tuæ ſublime propoſitum ſuper humilitatis fundamenta conſiſtere, piè & ſapienter intelligis: in hoc vſque, ô ſacra virgo Demetrias, dignationem tuæ dignitatis inclinas, vt prouectiones tuas etiam meo ſtylo exigas adiuuari. Quod ego, ad tenuitatem facultatis meæ reſpiciens; omnibus modis recuſarem: neque tam maturo & erudito animo cohortatiunculas meas adhibere præſumerem, niſi fiduciam efficiendi id quod iubetur, à iubente conciperem: & tuis meritis atque orationibus confiderem eſſe præſtandum, vt oriatur in deſerto aqua: & fiant in ſicca terra flumina. Vnde collaborandum tibi mecum eſt, vt qui *ſapientiam præſtat paruulis, & linguas mutorum facit diſertas*: iubeat de cordis mei ariditate profluere, quod ſitis tua dignè poſſit haurire. Quæ ergo materia ſtylo dabitur? & vnde loquendi tecum cauſa ſumetur? Si laudes tuas ſcribere aggrediar, & maiorum ſeriem, quæ per te multum illuſtratur, euoluam: oneroſum me fortè & impudentem videri poſſe arbitror, qui vel humanæ tibi gloriæ tentationem adulando ingeram, vel tuis ac tuorum prædicationibus ingenium meum par eſſe præſumam. Si verò de commendando virginitatis bono diſſeram: ſuperflua erit eius nunc propoſiti inſinuatio, quod tu à primo ætatis tuæ flore ſine humanis cohortationibus elegiſti: & de quo inter ipſa principia multi qui tunc in eccleſia præeminebant, meritò non ſiluerunt. Valde enim mirabile erat, & inter præcipua diuinæ gratiæ exempla numerandum: quòd virgo Anicia ſuper omnes faſtigium trahens beatæ nobilitatis euecta, de cuius fœcunditate auis atque atauis reſponſura poſteritas, & familiæ votis expectabatur & patriæ: conuerſo repente animo deſiderio cœleſtium nuptiarum declinaſti mortale coniugium: & vt omnem proſapiam tuam etiam huius virtutis titulo conſecrares, primam ſtirpis tuæ perpetuam & virginem filio virginis ſpopondiſti. Illam ergo ætatem tuam & illa principia rationabiliter doctiſſimi viri ſuis adhortationibus incitarunt. Et licet plantationi ſuæ ſummus agricola valida ad profectum tuum incrementa præberet: cooperatores tamen gratiæ Dei opportunè piam adhibuere culturam, vt germen tenerum fortitudinis robur acciperet, & dignos generoſitate ſua fructus propoſiti tui arbor afferret. Noſtris autem paginis quid erit loci? & poſt ornatiſſima ſcripta excellentium magiſtrorum quid vtilitatis in eo quem indicere dignata es ſermone reperies: niſi fortè; quia & illorum in doctrinis & tuis ſtudijs ad ſublimiores gradus virtutum conſuetudo proficit, cauendam te elationis admoneam, & humilitatis tibi ſinceritatem fida ſuggeſtione commendem, vt in omnibus actionibus in quibus tibi es bene conſcia, nunquam audeas eſſe ſecura. De hoc igitur congruentiſſimo tibi & ſalubertimo bono quod dominus donauerit diſſeramus: vt inſpectioni noſtræ non tantùm viſibilia eius, ſed etiam occulta referentur. Eſt enim multiplex virtutis iſtius qualitas: & licet in exterioribus quoq; pulchra ſit, in intimis tamen ſuis multo eſt ſpecioſior multoq; luculentior: vbi

F
Pſal. 104.
Pſal. 8.
Sap. 10.
G
H

A

Pſal. 118. * obiectionem.

nihil obſcurum, nihil turbidum, nihil eſt inquietum: quia *pax multa diligentibus legem Dei, & non eſt illis ſcandalum.* Acceſſuri autem ad beatæ humilitatis intuitum: omnem illam * obiectionem, quæ ignauos & inconſtantes animos deprimit, repellamus. Nec generale nomen ita nos à iudicio diſcretionis excludat: vt omnes quoquomodo humiles putemus eſſe laudabiles. Imitatur quidem plerumque neceſſitas voluntatem, & ab imagine modeſtiæ parum differt forma ſegnitiæ. Sed aliud eſt quod grauat, aliud quod exercet: nec in eundem finem venit labor indeclinabilis miſeriæ, & expetita fortitudo patientiæ. Vnum eſt paupertatis vocabulum, ſed non vna mens pauperum: quia non idem eſt gaudere bene expenſis diuitijs, quod aut gemere de non acquiſitis, aut dolere de perditis. Timoris etiam quo Deus metuitur, nulla eſt in appellatione diſtinctio. Sed aliud eſt timere quia peccaueris: aliud timere ne pecces: & ibi eſt formido de ſupplicio: hic ſollicitudo de præmio. Ob hoc enim de illo ſeruili metu dicitur quia *perfecta charitas foras mittit timorem.* De hoc verò liberali: *Timor domini manens in ſeculum ſeculi.*

1. Ioan. 4. — Pſal. 18.

B

Remota itaque illa ſpecie humilitatis quæ tota ſine fructu eſt: voluntarios tantum pendamus affectus. Qui etiamſi in gradibus meritorum inueniuntur impares, non ſunt tamen ab ipſa virtute diſcordes. Prima ergo humilitatis ratio in communis vitæ verſatur officijs: quibus & diuina clementia conciliatur, & ſocietas humana connectitur. Multum enim ad roborandam dilectionem valet: cum ſecundum doctrinam Apoſtolicam inuicem ſe homines honore præueniunt: & alteri alterum ſuperiorem exiſtimantes amant ſeruire ſubiecti, & neſciunt timere prælati: cum & pauper diuitem non ſibi dubitat anteferre, & diues pauperem ſibi gaudet æquare: cum & ſublimes nõ ſuperbiunt de claritate proſapiæ, & pauperes non extolluntur de communione naturæ. Cum denique non plus tribuitur magnis opibus quam bonis moribus, nec maior ducitur phalerata iniquorum potentia quã rectorum inhonora iuſtitia. Ab hoc æquo & modeſto iure cõcordiæ, in quo nullum eſt de gradu ſuperiore certamen, nec fœlicitas attollat propria, aut vrat aliena: pulchrè & mirabiliter a pleriſque proficitur ad illam humilitatis fortitudinem, quæ & ſe extra omnẽ conſtituit dignitatẽ & mauult apta eſſe iniurijs accipiendis quam idonea repellendis, vt impleatur quod ait dominus: *Qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere: dimitte ei & pallium. Et quicunque te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo.* Illud quod Apoſtolus docet dicens: *Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Tales enim multum ad imitationem ipſius domini noſtri & Saluatoris accedunt: qui *cum diues eſſet, pauper factus eſt*: & *cum malediceretur, non maledicebat: & patiens non ſe comminabatur:* & quoniam dixerat: *Diligite inimicos veſtros, benefacite ijs qui vos oderunt:* vt huiuſmodi beneuolentiam confirmaret exemplo, ipſe pro ijs a quibus crucifigebatur, orabat. Qui ergo fideliter & ſcienter intelligunt quo opere ſaluati, & quo precio ſint redempti: nolunt de mundi huius ſapientibus, nolunt eſſe de fortibus: quoniam ſicut ait Apoſtolus, *Quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret: vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius,* id eſt, vt nemo ſe placere Deo per mundi ſapientiam putet, quæ tota carnalis eſt, & à vera ſapientia cum omni ſua vanitate deſtruitur. *Dominus* enim *nouit cogitationes ſapientum, quoniam vanæ ſunt.* Cum itaque diſcipuli veritatis humanam gloriam fugiũt, & à temporalium amore deſciſcunt, vt quæ Dei ſunt ſapiant, non quæ hominum: proficiunt ſenſibus non deficiunt: neq; vigorem cordis amittunt, ſed excellentiſſimæ intelligentiæ lumen accipiunt, viuentes quidem in hoc mundo, ſed omnes mundi ſtrepitus relinquentes: vt redimant tempus, quia dies mali ſunt. Quo autẽ precio quies huius temporis aptiùs cõparatur: quam vt ipſi mundo omnes diuitiæ, omnes dignitates & vniuerſarum cupiditatum materiæ refundantur, & ſancto beatoq; cõmercio ematur chriſtiana libertas, fiantq; filij Dei de paupertate diuites, de patientia fortes, de humilitate ſublimes? Non

C — Rom. 12. — Matt. 5. — 1. Cor. 6. — 2. Cor. 8. — 1. Pet. 2. — Matt. 5. — 1. Cor. 1. — D — Pſal. 93.

E

enim, vt dilectores huius ſeculi putant, praui cordis aut ſegnis eſt animi terrenas opes ſpernere, honores occiduos faſtidire, nec ibi gloriam quęrere, vbi *laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & qui iniqua gerit, benedicitur.* Vnde ſi verè intelligatur contemptus iſte rerum pręſentium ad quæ tendat, & qualia concupiſcat: nihil huiuſmodi mentib. rectius, nihil inuenietur electius, quę ſacratiſſimis deſiderijs vniuerſa tranſcendunt, neq; ad vllam creaturam quamuis potentem atq; mirabilem, ſed ad ipſum omniũ viſibilium & inuiſibilium ambiũt creatorem: cui appropinquare clareſcere eſt, quem timere gaudere eſt, cui ſeruire regnare eſt. Sed hæc virtus, quæ temporalis copiæ & patientiæ negligens, ad vitam æternam anguſta & ardua mittitur, debet voluntarios pauperes in conſortium Chriſtianæ humilitatis admittere: eos autem à ſocietate boni huius excludere, qui ampla prędia, magnifica patrimonia, & multas in hoc ſeculo poſſident facultates: cum in populo Dei multi ſemper qui diuitijs bene vterentur exiſterint, nec vllo modo vel dici vel cogitari liceat quòd Abraham & Iſaac & Iacob, quorum ſe eſſe Deum dominus proteſtatus eſt: ideo vera humilitate caruerint, quia pauperes non fuerunt. Aut quòd vir ſacratiſſimus Melchiſedech, domini & Saluatoris noſtri præferens formã, non fuerit perfectè humilis, quia & ſacerdotio eminebat & regno. Vel quòd beato Iob, de quo Deus pronunciat, dicens: *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob quòd non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex & rectus, & timens Deum, & recedens à malo:* ideo virtus iſta defuerit, quia *erant* (ſicut ſcriptum eſt) *in poſſeſſione eius ſeptem milia ouium, & tria milia camelorum, quingenta quoque iuga boum, & quingentæ aſinæ, ac familia multa nimis. Eratq; vir ille magnus inter omnes orientales.* Quaſi tunc iſtius gratiæ particeps factus eſt: quando omnibus facultatibus perditis, vniuerſa quoque familia filijſq; priuatus, & percuſſus vulnere peſſimo à planta pedis vſq; ad verticem capitis, teſta ſaniem radebat, ſedens in ſtercore, ad imaginem elationis poſtmodum reuocatus eſt: quando corporis incolumitate renouata, ſeptem rurſus filiorum triumq; filiarum factus eſt pater, & duplo in vniuerſam ſubſtantiam eſt ditatus augmento. Abſit autẽ ab animis fidelium tam irreligioſa perſuaſio: vt cuiquam ſanctorum quib. Deus & diuitias eſt largitus & honores, ad capiendum veræ humilitatis meritum credatur vel opulẽtia obſtitiſſe, vel dignitas: cũ eis ad huius virtutis prouectum vtraque profuerint. Quamuis enim tota *vita hominum tentatio ſit ſuper terram,* & tam abundantia quã inopia materia ſoleant eſſe peccati: cum vel diues extollitur ad ſuperbiam, vel pauper proſilit ad querelam: extiterunt tamen in omni tempore, & in noſtra quoque ætate non deſunt, ſicut & boni pauperes, ita & boni diuites. Nec fruſtra Beatus Apoſtolus Paulus Timotheum admonet: dicens: *Diuitibus huius ſeculi præcipe, non ſuperbè ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum: bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonũ in futurum: vt apprehendant veram vitam.* Quod vtique fieri in vniuerſa eccleſia quæ per totum mundum eſt diffuſa, non dubium eſt, & pauperes Chriſti non eorum tantùm facultatibus ſuſtineri, qui vt expeditiores dominum ſequerentur, ſimul ſe omnibus ſuis opibus exuerunt: ſed eidem operi etiam illorum ſubſtantias deſeruire, qui poſſeſſionibus ſuis non aliter quã rebus pauperũ præſint: vt eccleſiaſticę vtilitati ſub quadam procuratione famulentur, elaborãtes ſinguli pro ſuarum virium portione, vt ad victum atq; veſtitum familiæ Dei neceſſaria conferãtur, & ſimul proſpicientes vt in domibus ipſorum ſub iuſto ſanctoq; moderamine omnes & benignitas foueat, & diſciplina contineat: dicente Apoſtolo: *Si quis autem ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit: & eſt infideli deterior.* Cum itaque Eccleſia Dei quæ eſt corpus Chriſti, ita ſit multimoda varietate contexta, vt in vnum decorem etiam quæ non ſunt paria, concurrant: & de omni genere hominum, & de omni gradu officiorum, de omni menſura operum, de omni qualitate virtutum fiat totius ædificationis inſeparabilis connexio, & indifferens pulchritudo: nec deſit ſoliditati quod non defuerit

Pſal. 9. — F — Exod. 3. — Iob. 2. — Iob. 1. — G — Iob. 7. — 1. Tim. 6. — H — 1. Tim. 5.

portio-

A portium, tantaque ſit in pace unitaque concordia, vt non poſſit eſſe niſi omnium quod eſt etiam ſingulorum: indubitanter apparet, cupulatricem quandam eſſe virtutem, qua ſibi confœderatur & concinit multiplex ſanctorum vnitas, & ſpecioſa diuerſitas. Hæc autem virtus vera humilitas eſt, quæ inter quoslibet meritorum gradus nunquam ſui poteſt eſſe diſſimilis. Nam & in officiorum viciſſitudine, & in manſuetudinis lenitate, & in voluntariæ paupertatis electione, inuenitur multa diſtantia, & alter altero in propoſiti ſui deuotione aut maior aut minor eſt. In vera autem humilitate nihil diuiſum, nihilque non ſolidum eſt: & ideo omnes participes ſuos vnum facit, quia inæqualitatem ipſa non recipit. Huius igitur boni proprietas in confeſſione eſt gratiæ Dei: quæ tota repellitur, niſi tota ſuſcipitur. Sicut enim alienus eſt à numero fidelium & à ſorte ſanctorum qui in aliquo à catholica veritate diſſentit: ita extra gratiam efficitur qui aliquid de eius plenitudine diſtrahit: quaſi homo auxilio Dei in quadam

B actionum ſuarum parte egeat, in quadam autem parte nõ egeat: ſitque vllum tempus vllumve momẽtum quo perniciosum illi eſſe non poſſit, ſi ab eo Spiritus ſanctus deſuerit: qui vtique ſecundum veræ deitatis eſſentiam, vbique totus eſt, & omnia comprehendit: ſed ab illis modo quodam intelligitur recedere, quos deſierit gubernare. Ceſſatio quippe auxilij eius pro abſentia accipitur, quam ſibi utilem putat qui in ijs quæ rectè geſſerit, ſe magis quam Deum gaudet operatum. Plenè ergo & veraciter confitenda eſt gratia Dei: de cuius hoc primũ munere eſt, vt auxilium ipſius ſentiatur. Propter quod dicit

1. Cor. 2. Apoſtolus: *Nos autem non ſpiritum mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt: vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Vnde ſi quis eſt qui aliqua ſe habere exiſtimat bona, quorum nõ Deus largitor ſit, ſed ipſe ſibi auctor exiſtat: manifeſtum eſt, hunc non Dei ſpiritum habere, ſed mundi, & de illa ſecularis ſapientiæ tumere doctrina, de qua dicit Dominus:

1. Cor. 1. *Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor huius ſeculi? nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi:* ſecundum quam

C

Rom. 1. (ſicut ait Apoſtolus) quidam *cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt cor inſipiens eorum. dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Videſne qualis ſuperbis retributio debeatur, & quali mercede repleantur, qui ſi quo modo ad cognitionem veritatis acceſſerint, ſuæ hoc ſapientiæ tribuunt, & de naturali ingenio gloriantur, tanquam Deum non Dei munere, ſed proprij intellectus facultate cognouerint: Omnia quidem elementa mundi & vniuerſæ creaturarum naturæ, hoc ipſa ſui exigunt ſpe-

Rom. 1. cie, vt *inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciantur:* & in pulchritudine cœli & terræ quædam ſunt paginæ ad omnium oculos ſemper patentes, & auctorem ſuum nunquam tacentes: quarum proteſtatio doctrinam imitatur magiſtrorum & eloquia ſcripturarum. Sed quid illud eſt quo corporeorum ſenſuum exteriora pulſantur in agro cordis cui impenditur iſta cultura, nec radicem poteſt figere nec germen emittere, niſi ille ſummus & verus agri-

D cola potentiam ſui operis adhibuerit, & ad vitalem profectum ea quæ ſunt plantata, perduxerit? Siue enim contemplatio creaturarum, ſiue ſacrorum ſeries voluminum, ſiue ſcientia diſſerentium, ſincero & aſſiduo teſtimonio

1. Cor. 3. prædicet veritatem: *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Inter omnes igitur lapſus hominum, inter omnia commiſſa peccantium, nulla eſt grauior quàm ſuperborum ruina: maximè cùm ipſa elatio in Dei tendit iniuriam. Nam aliter inflantur qui cupiditate extollentiæ ſingularis omnibus appetunt anteferri, aliter verò intumeſcunt qui Dei auxilium refutantes, quæ fieri ſine ipſius opere non poſſunt, ex ſua perfici virtute contendunt, & ſpem ſuam à Domino auferunt, atq; ad ſe transferunt, vt adimpleatur in eis quod ſcriptum eſt:

Hiere. 17. *Maledictus homo qui ſpem habet in homine, & firmat carnem brachij ſui, & à Domino diſcedit cor eius.* Hæc ſuperbia à diabolo ſumpſit exordium: qui quoniam ſua quam à creatore acceperat, potentia & dignitate ſibi placuit, ſeque auctoris ſui gloriæ comparauit, cum ijs angelis quos in cõſenſu im-

E pietatis ſuæ traxerat, à cœleſti ſublimitate deiectus eſt. Et

Cap. 43 carminis de ingratis. ideo primis hominibus nocere potuit: quia illis malè credulis per mendacia venenata perſuaſit, vt meliores ſe futuros putarent, ſi in libertate ſui arbitrij proſilirent, quàm ſi in legis datæ cuſtodia permanerent. Siue itaque in lapſu diaboli, ſiue in præuaricatione hominis, initium peccati ſuperbia eſt: quæ congruenter & auaritia nominatur, quia vtraque appellatio eum ſignificat appetitum, qui & ſuam menſuram concupiſcat excedere, & non dignetur diues eſſe niſi proprijs: tanquam habeat hoc ſimile Deo, vt bonorum ſuorum ipſe ſibi fons, ipſe ſibi ſit copia. Hæc autem elatio de peruerſo vſu donorum Dei naſcitur. Nam ſi conditor naturarum nulla pulchra, nulla ſublimia naturis rationabilibus contuliſſet: vnde ſe extollerent nõ haberent. Nemo enim de ijs quæ non accepit ſuperbit, nec inflari quiſquam de eo poteſt quod à participatione eius alienum eſt. Nunquam gloriatur de ſobrietate* temulentia, neque de beneuolentia inuidus, aut de lenitate ſæuus,

* temulentus.

F vel de caſtitate extollitur impudicus. Ipſa ſe à virtutibus vitia ſecernunt: & cum in peccatis agitur, non inſita per naturam, ſed ex mala voluntate concepta & propria diliguntur, quia ſicut ſcriptum eſt: *Mendax de proprio loquitur.*

Ioan. 8. Cum autem in bonis & rectis actibus laudabilibus vita ducitur: Dei eſt quod geritur, Dei eſt quod amatur. *Omne e-*

Iacob. 1. *nim datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.* Vnde quia inter vitia aut nulla eſt, aut rara iactantia, & facilè ſpernitur qui de opprobrio gloriatur: malum ſuperbiæ maximè virtutibus eſt cauendum, quia nullis opportuniùs inſidiatur quã quibus laus iuſta debetur. Cum ergo per ineffabilem miſericordiam Dei captiuis libertas, perditis ſalus, mortuis vita reparatur: cum in ſacramento crucis & reſurrectionis Chriſti ad nouitatem redit vetuſtas, & ad innocentiam regeneratur impietas: antiquus hoſtis malignus fremit & acriùs mardeſcit, & cum innumeris nocendi artibus humanum genus nitatur euertere, ſerens diſcordias, incitans iras, acu-

H ens cupiditates, ſuadens turpia, falſa commẽtans & errorum laqueos per opinionum cõmenta multiplicans plus vritur de virtute ſtantium, quàm lætetur de fragilitate labentium. Multi enim ſeruientes Deo, & in lege eius die ac nocte meditantes, crucifixerunt carnem ſuam cum deſiderijs & concupiſcentijs, omniumque illecebrarum incentiua domuerunt, non damnis victi, non perſecutionibus fracti, non proſperitatibus deprauati, mundum iſtum nec dilexêre obſequentem, nec timuere terrentem. Tantam itaque firmitatem, & tam ſublime propoſitum quia impugnatione diabolus poſſe ra dormi, niſi vt quibus non potuerat perſuadere vitiorum amorem, immitteret laudis cupiditatem: & inde nouiſſima inſtrueretur tentatio, vnde nocuit prima deceptio? Non itaque deſidioſis & tepidis, neque inertibus & incultis, ſed magis quibuſdam animis ſedulis & bonorum actuum probitate luculentis, per gloriam irrepſit humanam: & quos impulſione non mouit, elatione deiecit. Quanto enim clariores erant meritis, tanto eos aptiores ſuis inuenit inſidijs. In para-

G diſu namque Eccleſiæ conſtitutos, & virtutum delitijs abundantes, ad confidentiam liberi incitauit arbitrij: vt profectus ſuos in ſe conſtituerent, & ad arborem propriæ voluntatis manum præſumptionis extenderent. Reſtiterunt quidem huic impietati rectè innumerabilia corda ſanctorum, & non ſolum docti quique Pontifices, verumetiam vniuerſales eccleſiæ plebes Apoſtolicæ ſedis exemplo inſaniam noui dogmatis horruerunt: ſed inuenerunt quoſdam viperina conſilia, quibus doctrinæ ſuæ virus infunderent, & quorum linguam per do[...] falſæ rationis armarent. Hinc illa erat naturæ humanæ fraudulenta laudatio, & illatæ per omnes homines originalis defenſio dignitatis. Hinc Adæ peccatum exemplo poſteris aſſerebatur nocuiſſe, non tranſitu: & quàm illi poſſibile fuerat non violare mandatum, tam liberum eſſe vnicuique declinare delictum. Hinc euacuatio baptiſmatis paruulorum: qui ſola adoptione donati, nullo autem reatu dicerentur abſolui. Hinc poſtremò diuinæ gratiæ ſimulata & inſincera confeſſio: quæ ſecundum merita daretur, non ex qua merita naſcerentur. quam partem

 ſuperbæ

A ſuperbæ prædicationis quidam ſibi cum cætera abnuerent, ſeruauerunt. Sed hoc eos aut nimis imperitè aut valde nequiter feciſſe non dubium eſt: vt omnium hominum generalem ruinam, meritorum priuilegio ſubleuarent: & cum inter noſtros originalis peccati vulnera faterentur, inter ſuos tamen hoc tenere oſtenderent, quòd primorum hominum præuaricatio ſolis imitatoribus obfuiſſet: Naturalem autem facultatem, nihil ſui in alieno amiſiſſe peccato, cui & poſſibile eſſet & liberum per voluntariam deuotionem promereri gratiæ largitatem. Verum iſtam damnati dogmatis portionem catholicæ mentes facilè intelligunt, & meritò deteſtantur. Dicente enim
Matth. 9 Domino Ieſu: *Non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* conuincuntur iſti in ſuperbia etiam ſine voce clamare: Sani ſumus, opus medico non habemus. Quæ nobis expectanda ſunt præſidia de ope gratiæ, quibus ſuppetunt vires de incolumitate naturæ? Non autem fruſtra Ioannes proteſtatur & dicit: *Ec-*
Ioan. 1. B *ce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Nec fruſtra ſcriptum
Iob 15. eſt: *Nemo mundus à ſorde, nec infans cuius vnius diei vita eſt ſuper terram. Et quis poterit facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?* Propter quod ſicut nunc in Eccleſia manet conſtitutio Saluatoris dicentis: *Niſi quis rena-*
Ioan. 14. *Ioan. 3.* *tus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum:* Ita ſacratiſſimè erat in lege præcautum, vt natus puer, niſi die circumcideretur octauo exterminaretur anima eius de populo ſuo: nullum in hæreditate Iſrael habitura conſortium. Quæ omnia & multo plura documenta non tanta cura ſacris paginis Spiritus ſanctus inſeruiſſet: ſi talis eſſet natura in filijs Adam, qualis in ipſo eſt principaliter inſtituta. Sed quia *filius Dei venit vt ſolueret opera dia-*
1. Ioan 3. *Luc. 19.* *boli, & vt quæreret ac ſaluaret quod perierat:* manifeſtum eſt, omnes in Adam damnationi obnoxios eſſe naſcendo, niſi in Chriſto liberati fuerint renaſcendo. Vnde vigilanter nobis conſiderandum eſt, in ipſo regenerationis munere quid geratur. Quamuis enim ad vnum concurrant omnes eiuſdem myſterij portiones, aliud tamen eſt quod
C viſibiliter agitur, aliud quod inuiſibiliter celebratur. Nec idem eſt in ſacramento forma quod virtus: cum forma cum humani miniſterij adhibeatur obſequio, virtus autem per diuini operis præſtetur effectum. Ad cuius vtique potentiam referendum eſt, quòd dum homo exterior abluitur, mutatur interior: & fit noua creatura de veteri, vaſa iræ in vaſa miſericordiæ transferuntur, & in corpus Chriſti conuertitur caro peccati. De impijs iuſti, de captiuis liberi, de filijs hominum fiunt filij Dei. *Qui non ex ſan-*
Ioan. 1. *guinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt.* Quod quia indubitanter accepimus: veriſſimum eſt quod Apoſtolus docet dicens, *Quicunque enim ſpi-*
Rom. 8. *ritu Dei aguntur, hi filij ſunt Dei.* Vnde videant cuius ſe haberi filios velint, qui definierint omnes homines voluntate propria regi: cum idem Apoſtolus proteſtetur & dicat,
Ibidem. *Qui ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.* Refutata igitur ſuperborum impia vanitate, quibus in peccatum etiam illa quæ in eis videntur laudanda vertuntur: nos illam humilitatem, cui virtus & gloria Dei eſt, eligamus, ſcientes
D prophetam Dauid cecinisse de ſanctis, *Domine in lumine*
Pſalm. 88. *vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in tua iuſtitia exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es.* Qui & alibi piiſſimè confitetur Dominum in ſanctis ſuis
Pſalm. 67. eſſe laudandum, dicens: *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis: Deus Iſrael ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebis ſuæ.* Hinc etiam
Hiere. 9. Hieremias concordat, & dicit: *Hæc dicit Dominus, Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur diues in diuitijs ſuis: Sed in hoc glorietur qui gloriatur, intelligere & ſcire quia ego ſum Dominus.* Ipſe verò intellectus & ſcientia vnde habeantur: pandunt pro-
Prouer. 2. uerbia Salomonis, & dicunt, *Quoniam Dominus dat ſapientiam, & à facie eius ſcientia & intellectus.* Vnde in Eccleſiaſte libro ipſius legimus, quod & corda & opera iuſtorum in manu Dei ſint: & tantum in ſtudijs ſuis proficiant: quantum eos ille prouexerit. *Quantumcunque,* inquit, *laborauerit homo vt quærat, non inueniet. Et quodcunque dixerit ſapiens vt ſciat, non poteſt inuenire: quia vniuerſum hoc vidit cor meum, quia iuſti & ſapientes & operationes eorum in manu Dei.* Tale eſt

E quod Apoſtolus prædicat dicens: omne verbum bonum & omne opus ſanctum donum eſt Spiritus ſancti, ſine
1. Corin. 12 quo nihil rectè agatur. *Ideo,* inquit, *notum vobis facio quòd nemo in ſpiritu Dei loquens dicit anathema Ieſu. Et nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus: niſi in Spiritu ſancto. Diuiſiones verò ſunt gratiarum, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alteri operatio virtutum: alij prophetia: alij diſcretio ſpirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio ſermonum. hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* Sunt & alia innumerabilia teſtimonia, quæ ex paginis & noui & veteris teſtamenti quadam conclamatione confirment, hanc eſſe veræ humilitatis excellentiſſimam dignitatem, vt omnia quæ hominem faciunt Chriſtianum, ad diuinæ gratię donum referantur. Sed tantam multitudinem ſententiarum in vnū
F congerere, immodicum fuit: præſertim cum mihi ſermo eſſet ad ſanctimoniam tuam, cui ex formula eorum quæ commemorauimus, omnia ſe aut recordanti offerent, aut legenti: licet quædam etiam breuiſſima tantæ ſint plenitudinis, tantæque virtutis, vt nullo aduerſarius ingenio poſſint in ſenſum alium detorqueri. Nam quæ contradictio admitti poteſt in eo quòd ipſa Veritas diſcipulis ſuis per Euangelium Ioannis dixiſſe narratur? *Sicut palmes,* in-
Ioan. 15. quit, *non poteſt facere fructum niſi manſerit in vite: ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis: vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructū: quia ſine me nihil poteſtis facere.* Nonne conuincitur palmes elatus quòd omni fertilitate vacuatur, ſi vitis vbertate non alitur? Quis enim ſine auxilio gratiæ fructum poteſt afferre iuſtitiæ? Aut quis audet dicere ſe à Chriſto non diuidi, qui Chriſtum in ſe diffitetur operari? An fortè verendum eſt ne liberum tollere videamur arbitrium, cum omnia per quæ propitiatur Deus, ad ipſum dicimus eſſe referenda? Quod nequaquam eſſe
G conſequens veritatis oſtenditur. Operante enim ſpiritu Dei mutatur arbitrium, non aufertur: & hoc agit gratia, vt voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, ſeductionibus circumſepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus ſuis: ſed per opem miſericordis medici curata reualeſcat, & gaudeat ſe non interrogantem edoctam & non quærentem eſſe quæſitam. Quia impletur quotidie quod Eſaias propheta prædixit: *Quibus non eſt an-*
Eſa. 52. *nunciatū de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent.* Quomodo autem hoc fiat, Ioannes Apoſtolus docet dicens:
1. Ioan 5 *Scimus quia ex Deo ſumus: & mundus totus in maligno poſitus eſt. Et ſcimus quoniam filius Dei venit & dedit nobis ſenſum: vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio eius.* Quod vtique nunc eadem potentia Dominus indeſinenter operatur qui ait: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſum-*
Matt. 28 *mationem ſeculi.* Vt ergo miſericordiam Dei quæramus, Dei miſericordia eſt: qui ait, *Miſerebor cui miſertus ero, & miſeri-*
Exod. 33 *Rom. 9.* *cordiam præſtabo cui miſericordiam præſtitero.* Vnde mire per
H Hieremiam idem Dominus manifeſtat, quòd Dei gratiam nemo præueniat merito ſuo: ſed propter dilectionem qua Deus diligit, etiam auerſos ad miſericordiam trahi. *Dilectione,* inquit, *æterna dilexi te: propterea traxi te*
Hiere. 31 *ad miſerationem. quia ædificabo te, & ædificaberis virgo Iſrael.* Cui ſententiæ Ioannes quoque Apoſtolus congruit, dicens:
1. Ioan. 4. *Non quaſi nos dilexerimus Deum: ſed quoniam ipſe dilexit nos.* Et infrà: *Nos ergo diligamus, quoniam Deus prior dilexit nos.* Paulus quoque Apoſtolus in eadem eſt ſententia, dicens in epiſtola ad Timoth. ſecunda: *Collabora Euangelio ſecundum*
2. Tim. 1. *virtutem Dei qui nos liberauit, & vocauit vocatione ſancta: non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam quæ data eſt nobis ante tempora æterna.* Ad Titum etiam ſcri-
Tit. 3. bens docet, nullo bono hominis merito Dei gratiam præueniri. *Eramus,* inquit, *& nos inſipientes aliquando, increduli, errantes, ſeruientes deſiderijs & voluptatibus varijs, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cum autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris noſtri: non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis Spiritus ſancti:*

A *quem effudit abundè in nos per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Omnis igitur illuminatarum mentium pius motus, alienari quidem non poteſt à propria hominis voluntate: Siquidem nihil rectè faciet niſi quod volens egerit: ſed vt ad id quod æquum & vtile eſt, animi tendat intentio, de illius æternæ & incommutabilis voluntatis inſpiratione concipitur. Et ſicut arte medici fit in oculis caligantibus, vt poſſint videre quod non vident, nec tamen non ipſorum eſt viſio quam medicina contulerit: ita in cordibus tardis & hebetibus per Spiritum ſanctum acies obducta tergitur, & de vero lumine tenebroſæ iam & deficientes lucernæ lumen accipiunt, nec tamen niſi ipſarum erit quicquid fulgoris acceperint. Vnde dicit Dominus: *Ignem veni mittere in terram: & quid volo niſi vt ardeat?* (Luc. 12.) Et idem iubet, lucernæ noſtræ ſint ſemper ardentes: vt ſcilicet ſuperno igne accenſus animus non tepeſcat, ſed ſtudeat ſemper ardere: ac ſi vigorem eius aliqua turbarit aduerſitas, vnde cœpit inflammari, inde poſcat igniri. B Proinde quia manifeſtiſſimè, & prophetica, & euangelica, & apoſtolica doctrina, nec ſuperbos nos vult eſſe nec deſides: cooperatores nos eſſe oportet gratiæ Dei, vt illam excitantem, iuuantem, locupletantem, & quotidie prouehentem, vigilanter & ſobriè ſubſequamur: nunquam ceſſantes ab actione gratiarum, quia inter ſecunda vitæ iſtius & aduerſa, quibus gemina ſemper tentatione pulſamur, ſi proficimus, inde ſurgimus: ſi ſtamus, inde ſubſiſtimus: ſi decidimus inde reparamur. Dicit enim ſpiritus per Prophetam Dauid: *A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet. Cum ceciderit non colliditur: quia Dominus ſupponit manum ſuam.* (Pſalm. 36.) Non itaque fruſtra præcipitur vt boni ſimus, cum dicitur: *Declina à malo & fac bonum.* (Pſal. 36.) Sed nec fruſtra per Hieremiam dicit Dominus: *Timorem meum dabo in cor eorum: & viſitabo eos, vt bonos eos faciam.* (Hiere. 31.) Nec ſuperflua erat præceptio Pauli Apoſtoli ad Romanos dicentis: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum:* (Rom. 12.) cùm Corinthijs dicat, *Oramus autem ad Deum, vt nihil mali faciatis.* (2. Cor. 13.) C In omnibus enim monitis Dei atque mandatis vna eademque ratio eſt & diuinæ gratiæ, & humanæ obedientiæ. Nec ob aliud vnquã datur præceptum niſi vt quæratur præcipientis auxilium. Voces enim docentium & litteræ paginarum quæ ad eruditionem audientium vel legentium à Deo ſeruiunt, non carent eius virtute cui ſeruiunt: & quando id quod iubetur, ab obediente perficitur, tunc effectus diuini operis declaratur. Vigilant autem tentatoris inſidiæ, vt vbi proficit deuotio, ſubrepat elatio, & vt homo de bono opere in ſe potius quàm in Domino glorietur. Sed ſollicitando nos Apoſtoli contra hoc periculum monet, dicens: *Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.* (Philip. 2.) Quanto ergo excellentiùs in mandatis Dei quique proficiant, tanto maiores habent cauſas formidinis & tremoris: ne de ipſis probitatis augmentis mens ſibi conſcia, & laudis auida, in ſuperbiæ rapiatur exceſſus, & fiat immunda vanitate, dum ſibi videtur clara virtute. Sed contra hoc periculum quid beatus Petrus in prima epiſtola prædicet, D audiamus: *Si quis,* inquit, *loquitur, tanquam ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute quam adminiſtrat Deus: vt in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria & imperium in ſecula.* (1. Petr. 4.) Item idem in epiſtola ſecunda: *Gratia,* inquit, *vobis adimpleatur in recognitione Domini noſtri Ieſu Chriſti: qui nunc omnia nobis diuina virtute ſua quæ ad vitam & pietatem pertinent, donauit per agnitionem ſuam: qui vocauit nos propria gloria virtute, per quam maxima nobis & precioſa promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.* (2. Petr. 1.) Si ergo omnia quæ ad vitam & pietatem pertinent, Deus nobis diuina ſua virtute donauit: nihil magis fugiendum eſt quàm appetitus huius concupiſcentiæ: quæ virtutem negat diuini operis, amore propriæ dignitatis. Et cum aliç cupiditates ea tantum bona quibus aduerſantur imminuant: hæc dum omnia ad ſe trahit, ſimul vniuerſa corrumpit. Cum itaque totius ſuperbiæ generale nomen odioſum ſit: ſiue illa de honore ſuo, ſeu de nobilitate, vel de immodicis opibus intumeſcat: hæc pars ipſius omnibus tentationibus nocentior inuenitur, quæ videtur ijs quas perditas cupit, amica eſſe virtutibus.

E Sed quia ſublimiora quæque grauiùs corruunt: gaudet princeps ſuperbiæ, eos quos potuerit ſua impulſione proſternere, ad celſiora creuiſſe. Huic autem malo firmiſſimum bonum humilitatis occurrit. Quam ideo diximus veram: quia omnium virtutum inexpugnabilis fortitudo, & quædam ſuorum eſt vita membrorum. Diſcernimus enim illam ab ijs officijs quæ poteſt etiam cum mundi ſapientibus habere communia: & in eo proprietatem ipſius definimus, quòd per omnia Deo ſubditur. Nec poteſt quicquam de meritis ſuis perdere, quorum cauſas atque profectus nõ in ſe, ſed in ſuo auctore cõſtituit. Dignum quippe eſt, vt imago Dei Deo ſplendeat, & inde pulchra, inde ſit compta, dicens: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* (Pſalm. 4.) Alioquin adultera eſt, & à diuino aliena coniugio: ſi alterius cuiuſquam decorem in ſpeculo ſui cordis oſtentat, aut vllis alijs monilibus acquieſcit ornari, niſi illis quæ de theſauris ſponſi per ſancti Spiritus pignus accepit. F Si autem quælibet anima chriſtiana huius debet continentiæ ſoliditate muniri, quia omnes nuptiale ſacramentum in quocunque vocationis ſuæ ordine ſuſceperunt: quanto magis perſonæ tuę dignitas præſidio huius virtutis armanda eſt, cui de opulentiſſimis gratiæ Dei donis tam multiplex ſe ingerit materia gloriandi. Quamuis enim communis tibi ſit cum multarum virginum puritate virginitas, non tamen facilè reperitur quæ poſſit tibi magnificentia domus & ſplendore antiquiſſimæ familiæ comparari. De quibus vt non ſuperbias, nec tibi hoc ipſum quod eis Chriſtum præpoſueris aſcribas: ipſa eſt vera humilitas, vera charitas, vera virginitas. Ab omni quippe contaminatione mens libera eſt, quæ ſiue in ſe, ſiue in proximo nihil diligit, niſi quod ex Deo eſſe nouit. Nam amare aliquid quod non ex opere & ſpiritu Dei ſit: non eſt caſta dilectio, & ſufficit tentatori ſublimes & claras animas hac illuſione violaſſe, vt quas ad illicita non impulit, placendo ſibi ad elationem deiecerit. De hac charitate ſine dubio Apoſtolus loquebatur, G & iſtius proprietatem ſubtiliſſimis diſcretionibus eliquabat, dicens: *Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam: factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habuero: nihil mihi prodeſt.* (1. Cor. 13.) In quarum definitionum formula multo laboraremus * obſcurio, niſi ſequentia demonſtrarent, quæ eſſet ſpecies iſtius charitatis, cui ſoli tot operum labores, tot virtutum merita non præirent. (* obſcuro) Eſto enim vt multiplex loquendi peritia quæ non ſolùm ad omnem humanæ facundiæ artem, ſed etiam ad angelici eloquij peruenerit facultatem, ſi charitate careat, inutili æris ſono & tinnitui ſit comparabilis cymbalorum. Eſto vt habens prophetiam, ſcientiam, habens fidem dæmonibus imperantem nihil ſit, quia charitate ſit vacuus, vt etiam ille ab hac eſſe poſſit alienus qui in alimoniam pauperũ ſuas diſtribuerit facultates, vel qui corpus ſuum igne torrendũ pro Chriſti H confeſſione tradiderit: incredibile videretur, niſi B. Paulus hoc diceret. qui tamen cũ euſdem charitatis membra deſcriberet, doceretque qualis eſſet hæc virtus, ſine qua nullæ poſſint prodeſſe virtutes: *Charitas,* inquit, *patiens eſt, benigna eſt, charitas non æmulatur, non agit perperam, nõ inflatur, non eſt ambitioſa, nõ quærit quæ ſua ſunt,* (Ibidem.) & reliqua. Inflatio ergo & ambitio, & propriorũ bonorũ ſuperba defenſio poſſunt deſtruere eleemoſynas, poſſunt euacuare martyria: ſi & magnas opes amore quis humanæ laudis effũdat, & ſæua ſupplicia non ea fortitudine quam Deus tribuit, ſed ea quã de ſe præſumſit excipiat. Hoc eſt enim propria fiducia inflari: hoc vanã gloriã quibuſlibet ambire diſpendijs: hoc poſtremò eſt nolle habere quæ Dei ſunt: & ibi ſuũ conſtituere meritũ, vbi diuinũ ceſſarit auxiliũ. hęc ſuperbia omni peccato nocẽtior, omni genere eſt elationis inſanior. A quibuſlibet enim lapſib. delictorũ facilè ſurgitur, quando opem à reparatore ſuo poſcit eliſus: Huic autẽ ruinæ nihil ſubuenit, quia aut difficilè peccatũ ſuũ ſuperbus agnoſcit,

A

aut etiamſi intellexit, non currit ad medicum, ſed de ſe ſibi remedium pollicetur: nec vnquam ibi proficit cura, vbi morbus eſt ipſa medicina. Hunc autem corruptiſſimũ peſtilentiæ ipſius flatum ſpiritus veræ humilitatis & veræ charitatis excludit. In nullo enim hæ virtutes ab inuicem diuiduntur, & ambarum tam indiſcreta connexio eſt, vt qui in vna earum conſtruitur, ſimul vtraque potiatur. Sicut enim pars charitatis eſt humilitas, ita pars humilitatis eſt charitas. Et ſi illa recolamus quæ ſine bono charitatis infructuoſa eſſe Apoſtolus definiuit: inueniemus, eadem ſimilem habere charitatem, ſi eis humilitas vera defuerit. Quem enim fructum habebit aut cum inflatione ſcientia, aut cum humana gloria fides, aut cum iactantia largitas, aut cum elatione martyrium? Vnde quia in diſtrictione ſuperbiæ & humilitas tendit & charitas: de vtraq; habeatur dictum, quicquid de vna eſt diſputatum. Supereſt nunc ſacratiſſima Dei virgo vt ſobrio caſtoq; iudicio ſancti cordis tui arcam diſcutias, & aculeo totius elationis obtrito, inueſtiges in te atque dinumeres quæ & qualia tibi ſponſus tuus dona contulerit: quæ à me non oportuit recenſeri, ne aut plura contexerem, aut pauciora percurrerem.

B

Verecundiæ enim tuæ oneroſa foret etiã vera laudatio, & ipſe contra diſputationem meam facerem, ſi cui ab humana gloria continentiam ſuaſiſſem, ad eandem te tuis præconijs incitarem. Ipſa ergo aulam tuæ mentis ingredere, & in ſecretario puriſſimæ conſcientiæ tuæ qualia tibi repoſita ſint ornamenta circunſpice: & quicquid ibi ſplendidum, quicquid pulchrum precioſumq; reperetis, diuini operis & muneris eſſe ne dubites: ita vt in omnibus bonis opulentiæ tuæ & gratiam donatoris & ius proprietatis agnoſcas. Accepiſti enim quæ habes: & quicquid tibi diligentia tui laboris accreuit, per ipſum tibi eſt auctum, per quẽ fuerat inchoatum. Itaq; vtẽdum eſt eis quę largitus eſt Deus: & ab eodem ſemper eſt petendum, vt donis eius fideliter & ſciẽter vtaris. Quid enim nobis boni poteſt eſſe ſine ipſo, quandoquidem etiam vt rectè oremus, ex ipſo eſt: dicente Apoſtolo,

Rom. 8.

C

Nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus, quoniam ſecundùm Deum poſtulat pro ſanctis: Et ne dubium eſſet de quo ſpiritu loqueretur, iam ſuprà dixerat, *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timorem, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba pater. Itaque ipſe ſpiritus teſtimoniũ reddit ſpiritui noſtro, quoniã ſumus filij Dei. Si autẽ filij: & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur vt conglorificemur.* Implet igitur Spiritus ſanctus organum ſuum: & tanquam fila chordarum tangit digitus Dei corda ſanctorum. Qui ideo cum die Pentecoſtes in Apoſtolos plebemque credentium, ſicut à Domino fuerat promiſſus, influeret: in ſpecie linguarum apparuit igneatum, & loquelis omnium nationum eos ſuper quos inſederat, fecit affari: vt dubium non eſſet, per ipſius inſpirationem, vtilem affectum, rationabilem ſermonem, animis fidelium miniſtrari. Sicut ipſe Dominus diſcipulis ſuis inſinuauit, & dixit:

Matt. 10.

D

Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris qui loquitur in vobis. Quod non in ſolo magnarum tribulationum tempore credamus fieri, ſed etiam in pace præſtari. Audiamus Apoſtolum definientem quòd ipſæ quoque cogitationes noſtræ: niſi à Deo nobis inſitæ fuerint, rectæ eſſe non poſſint.

2. Cor. 3.

Fiduciam, inquit, *talem habemus per Chriſtum ad Deum: non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Vnde cum ſanctorum animis ex Deo ſit vt illis meditatio iuſta, petitio efficax, actio ex Deo ſit, in fide firmitas, in tribulatione patientia, in perſecutione victoria, magna eſt in vera humilitate fœlicitas, cui Deus dilectio, Deus ſapientia, Deus cõſilium, Deus fortitudo eſt. Nec dubiè iſta ſubiectio iam ex magna parte in illius futuræ beatitudinis eſt conſtituta conſortio: vbi

1. Cor. 15.

Deus erit omnia in omnibus. Quod ideo in hac vita ad plenum nõ poteſt obtineri, quia nondum mortale noſtrum induit immortalitatem, nec corruptio tranſijt in incorruptionem:

Gal. 5. Rom. 7.

caro adhuc contra ſpiritum, & contra carnem ſpiritus concupiſcit: nec inuenitur in vllo hominum tanta concordia, vt legi mentis lex quæ membris eſt inſita, non repugnet.

E

Propter quod ex omnium ſanctorum perſona accipitur quod Ioannes Apoſtolus ait:

1. Ioan. 1.

Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Cum tamen idem ipſe dicat:

1. Ioan. 3.

Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet: & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt. Vtrumque ergo verum eſt: quia & nemo ſine peccato eſt: in eo quòd nemo eſt ſine lege peccati: & qui nat⁹ ex Deo, peccatum non facit: quia per legem mentis, id eſt, per charitatem, quæ Dei ſemen eſt, peccatum non facit.

1. Petr. 4.

Charitas enim *operit multitudinem peccatorum*, & ſine qua nullum prodeſt bonum, per quam deletur omne peccatum. Dum igitur

Sap. 9.

corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem: non quidem obtinetur vt iam anima in omnibus Deus ſit, quia nullus eſt ſine tentationis ſtimulo & ſine mutabilitatis incerto: ſed quia

Iacob. 1.

F

omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum: ſine dubio inde habetur virtutum omnium portio, vnde habebitur plenitudo: & tanto quiſque eſt beatior deoque coniunctior, quanto plus in eo fuerit gratiæ diuinæ quàm actionis humanæ.

Pſalm. 33.

Benedic itaque *Domino in omni tempore, & laus eius in tuo ore ſit ſemper.* Anima autem tua non acquieſcat niſi in Domino laudari. Superbi quidem refragabuntur: ſed manſueti hæc audient & lætabuntur.

Finis Proſperi Operum.

Quamuis ſupra initio in Catalogo operum S. Proſperi, ponatur Chronicon eiuſdem S. Proſperi omiſſum eſſe, quia habetur paſſim poſt Chronicon Euſebij Cæſarienſis: tamen poſtea mutata ſententia, hæc 3. diuerſa ſubſequentia Chronico Proſperi, vti ab Henrico Caniſio edita ſunt, adiungere placuit.

AD LECTOREM.

H

HENRICVS CANISIVS.

PRÆTER vulgatum illud Chronicon Proſperi Aquitanici, quod S. Hieronymi chronico ſubiungitur, Pithœus aliud edidit Proſpero Tironi Aquitano inſcriptum, longè diuerſum ab illo. Porro nobiliſſimus & exquiſitæ eruditionis ocellus M. Velſerus Duumuir Auguſtanus, miſit nobis codicem M.S. Auguſtani Monaſterij SS. Afræ & Vdalrici: vbi Euſebij & S. Hieronymi chronicis ſubiunctus Proſper; hoc titulo: *Incipit ex chronicis Tironis Proſperi, chronicorum Euſebij temporibus prætermiſſis.* Hic Proſper, nouo Tironis nomine auctus, licet cum vulgato illo in multis ne verbo quidem diſcrepet, tamen in quibuſdam minutior eſt, in multis verò longè auctior, præſertim ſub finem, vbi inſignis acceſſio. Quare dignus viſus, qui lucem videret, bono hiſtoriæ publico. Et vt ſingula conferre poſſis, ſigillatim damus primo veterem editionem, Vlricianum ſecundo loco apographum, tertiò Pithœi Tironem.

G

Vnum moneo, & præmunio contra id quod occurrere queat docto lectori: Gennadius Preſbyter Maſſilienſis affirmat ſe legiſſe chronicon Proſperi ab orbe condito vſque ad captam à Vandalis Romam. Hoc ſi verum, dicet quis, neceſſe eſt Proſperũ ſcripſiſſe copioſius quoddam chronicon; cuius initium non à Valentis morte vt hic, ſed ab orbe cõdito: ita vt hæc tria chronica vel vnum ex his, ſint illius membra, hactenus non niſi mutila. Pithœus quidem ſui Tironis, quem dedit, chronicon, putat eſſe germanum membrum amplioris illius, quod ab orbe condito ad captam à Vandalis Romam Gennadius ſe legiſſe teſtatur. At quidquid ſit de hoc, vt ego pro certo id aſſerã, Gennadius certè non me mouet, & quo minùs moueat, facit hoc noſtrum Vlricianum Tironis apographũ, vbi in fine hæc, in nulla Proſperi editione hactenus lecta: *Collecta ergo omnis ſumma annorũ ab Adam vſq; ad VVandalorũ perditionem ſunt anni V M.DCC.XXXIII.* Quæ verba reſpexit

A proculdubio Gennadius. Neque hoc ſine exemplo. Nam (vt notauimus in Victoris Tunnunenſis chronicon, quod nuper cum Biclarenſi, Luitprando, & Synodo Bauarica edidimus) Iſidorus lib. de viris illuſtribus cap. 25. dicit, à Victore Tunnunenſi ſcriptā eſſe hiſtoriam ab orbe condito vſque ad primum Iuſtini iunioris annum; cùm tamen Victor nullo modo ab orbis ortu ordiatur; quippe qui teſtatur ipſe, finem Proſperi ſibi eſſe principium ſcribendi. In fine verò, prorſus eodē modo ſicut Proſper colligit numerum annorum ab Adam vſque ad Iuſtinum. Et hoc eſt, quod ait Iſidorus Victorem, & Gennadius Proſperum ſcripſiſſe ab orbe condito. Neque aliud hîc requiras myſterium. Vnde etiam patet, illa quibus Vlricianum apographum ceteris auctius eſt, verè eſſe Proſperi, quippe quæ Gennadius legit. Adſcribam autem verba Gennadij catalog. illuſtr. vir. *Proſper homo Aquitanicæ regionis, ſermone ſcholaſticus, & aſſertionibus neruoſus, multa compoſuiſſe dicitur. Ex quibus ego Chronica nominis illius prætitulata legi: continentia à primi hominis conditione iuxta diuinarum Scripturarum* B *fidem, vſque ad obitum Valentiniani Auguſti & captiuitatem vrbis Romæ à Genſerico VVandalorum rege factam.*

PROSPERI AQVITANICI
CHRONICON.

HVc vſque Hieronymus preſbyter ordinem præcedentium digeſſit annorum, nos quæ ſecuta ſunt adijcere curauimus. Igitur Valente à Gothis in Thracia concremato, Gratianus cum fratre Valentiniano XLI. regnauit annis VI.

Auſonio & Olybrio Coſſ. Gratianus poſt mortem patrui C Theodoſij Theodoſium filium in conſortium aſſumit Imperij, & ei regnum tradidit Orientis. Theodoſius ſumma fœlicitate multis atque ingentibus prælijs Gothos ſuperat & è Thracia pellit. Longobardi ab extremis Germaniæ finibus, Oceanique protinus littore, Scandiaque inſula magna multitudine egreſſi, & nouarum ſedium auidi, Iborea & Aione ducibus, Vandalos primùm vicerunt. Sempronius vir apprimè eruditus agnoſcitur. Ea tempeſtate * Priſcianus Epiſcopus de Galatia ex Manichæorum & Gnoſticorum dogmate hæreſim nominis ſui condidit.

*al. Priſcillianus.

Gratiano V. & Theodoſio Coſſ. Pro catholica fide multa ſublimiter Ambroſius ſcribit. Theodoſius cùm Theſſalonicæ ægrotaret à Baſilio eiuſdem ciuitatis Epiſcopo baptiſma ſuſcepit. Procurante Gratiano, eò quòd Theodoſius ægrotaret, pax firmatur cum Gothis. Synodus Patrum CLXXX. apud Conſtantinopolim celebrata eſt contra Macedonium, Spiritum ſanctum Deum eſſe negantem. D

Euagrio & Eleutherio Coſſ. Martinus Epiſcopus Turonorum Galliç ciuitatis multis clarus habetur. Gregorius Nazianzenus vir ſua ætate eloquentiſſimus & Heronymi præceptor obijt.

*al. Syagrio & Eucherio.

al. Euagrio.

Antonio & Syagrio Coſſ. Athanaricus Rex Gothorum apud Conſtantinopolim XV. quo fuerat ſuſceptus die * occiditur.

* *lege, occidit, vel: obijt, teſte Marcellino. Amminano lib. 27. Zoſimo lib. 4. Themiſtio, ora. 6. Oroſio lib. 7 c. 34. Caſſiodoro & alijs.*

Merobaude II. & Saturnino Coſſ. Arcadius Theodoſij Imperatoris filius Auguſtus appellatur. Petronius Bononienſis Epiſcopus vir ſtudijs & ſanctitate clarus moritur.

* *Ricimere & Clearcho Coſſ.* Honorius Theodoſij filius naſcitur. Romanæ Eccleſiæ poſt Damaſum * Vrſinus XXXVI. præfuit. In Britannia per ſeditionem militum Maximus Imperator eſt factus, quo mox ad Gallias transferente ſe, Gratianus Pariſijs Merobaudis magiſtri militum proditione ſuperatus, & fugiens Lugduni captus atque occiſus eſt, Maximus victorem filium ſuum Cæſarem conſortem regni facit. Valentinianus cum Theodoſio XLII. Romanorum regnauit annis VII. E

al. Nicomede.

al. Syrici*.

Arcadio & Bautone Coſſ. Hoc tempore Hieronymus preſbyter toto iam mundo clarus habitat in Bethleem, egregio ingenio, & ſtudio vniuerſali Eccleſiæ ſeruiens. Priſcillianus in ſynodo Burdegalenſi ſe damnandum intelligens, ad Imperatorem Maximum prouocauit, audituſque Treuiris ab Euodio præfecto prætorio, à Maximo gladio addictus eſt cum Eucrocia Delphidij Rhetoris coniuge, & Lattoniano alijſque erroris conſortibus.

Honorio N. P. & Euodio Coſſ. Burdegalæ quædam Priſcilliani diſcipula nomine Vrbica, ob impietatis pertinaciam per ſeditionem vulgi lapidibus extincta eſt.

Valentiniano III. & Eutropio Coſſ.

Theodoſio II. & Cynegio Coſſ. Maximus tyrannus à Valentiniano & Theodoſio Imperatoribus in tertio ab Aquileia lapide ſpoliatus indumentis regijs, ſiſtitur, & capite damnatur, cuius filius Victor ab Arbogaſte interfectus in Gallijs. F

Timaſio & Promoto Coſſ. Ithacius & Vrſacius Epiſcopi ob necem Priſcilliani, cuius accuſatores fuerant, Eccleſiæ communione priuantur. Longobardi eorum ducibus defunctis, primum ſibi regem creauerunt Algelmundum Aionis filium, qui regnauit annis XXXIII.

*Valentiniano IV. & * Neoterio Coſſ.* Signum in cœlo, quaſi columna pendens ardenſque per dies XXX. apparuit. Theodoſius venerabile Ioannis Baptiſtæ caput ex vico Coſlai Conſtantinopolim deportans ſeptimo ab vrbe lapide in Baſilica, quam magno ſumptu in eius honorem erexerat recondit.

*al. Nectorio.

Titiano & Symmacho Coſſ. Eugenius fauore Arbogaſtis confiſus imperium ſibimet vſurpauit.

Arcadio II. & Rufino Coſſ. Valentinianus ad vitæ faſtidium nimia Arbogaſtis magiſtri militum auſteritate ductus, laqueo apud Viennam perijt. Arbogaſtes magiſter exercitus mortuo Valentiniano cuius exercitu grauabatur, Eugenium in Gallijs imperare facit. G Theodoſius XLIII. Romanorum, cùm iam per XIV. regnaret annos, regnat cum Arcadio & Honorio filijs annis III.

Theodoſio III. & Habundantio Coſſ. Honorium pater ſuus Theodoſius in eodem loco, quo fratrem eius Arcadium, Cæſarem fecerat, principem conſtituit, XVII. ab vrbe miliario, cùm hora tertia tenebræ factæ ſunt.

Arcadio III. & Honorio II. Coſſ. Ioannes monachus anachoreta clarus habetur, qui ornatus prophetiæ gratia Theodoſium conſulentem de euentu belli, quod aduerſus Eugenium mouebat, victorem futurum prædixit.

Olybrio & Probino Coſſ. Theodoſius Eugenium vincit & perimit. Auguſtinus beati Ambroſij diſcipulus multa facundia doctrinaq; excellens Hippone regione Africæ H Epiſcopus ordinatur. Hoc tempore Claudianus poëta innotuit. Theodoſius Imperator Mediolani moritur. Arcadius XLIIII. Romanorum, cum iam regnaſſet annis XII. regnat cum fratre Honorio annos XIII.

Arcadio & Honorio Coſſ. Terræmotus per dies plurimos fuit, cœlumq; ardere viſum eſt. Oroſius Hiſpanus preſbyter vir eloquens & Hiſtoriarum cognitor claret.

Cæſario & Attico Coſſ. Flacilla nata eſt Arcadio filia. Euagrius incredibilis abſtinentiæ monachus, & in ſacris literis eruditus apud Ægyptios habetur inſignis.

* *Mallio Theodoro Coſſ.* Cum hoc conſulatum inierat Eutropius eunuchus, qui mox honore & vita exutus eſt.

*al. vitioſe Manilio & Theodoro.

Honorio IV. & Eutychiano Coſſ. Anaſtaſius XXXVII. Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum tenet annos III. dies XXI.

Stilicone & Aureliano Coſſ. Gothi Italiam Halarico & Rhadagaiſo ducibus ingreſſi.

Vincentio & Frauitta Coſſ. Ioannes Conſtantinopolitanus & Theophilus Alexandrinus illuſtres Epiſcopi habentur;

A

ſed vtrumque obſcurauit diſcordia, quæ coulque proceſſit, vt Ioannes à Theophilo oppreſſus Pontum exilio pergere cogeretur; cùm tamen communionem eius maxima pars eorum Epiſcoporum, Romani Pontificis exemplum ſecuta, ſeruauerit.

Arcadio V. & Honorio V. Coſſ. Aduerſus Gothos vehementer vtriuſque potentiæ partis clade pugnatum eſt. Innocentius XXXVIII. Romanæ Eccleſię præeſt Epiſcopus annis XV. menſibus II. diebus XXI.

*al. Rimoridio.

*Theodoſio Auguſto & * Rumorido Coſſ.* Eudoxiæ Arcadij vxoris ſtatua ſuper porphyreticam columnam poſita eſt.

Honorio VII. & Ariſteneto Coſſ. Eudoxia vxor Arcadij diem clauſit.

Stilicone II. & Anthemio Coſſ. Rhadagaiſus in Thuſcia multis Gothorum millibus cæſis, ducente exercitum Stilicone, ſuperatus & captus eſt.

Arcadio VI. & Probo Coſſ. Vandali & Alani Gallias, traiecto Rheno, pridie Kal. Ianuarias ingreſſi.

B

Honorio VII. & Theodoſio II. Coſſ. Conſtantinus ex infima militia ob ſolam ſpeciem nominis in Britannia tyrannus exoritur, & ad Gallias tranſit.

Baſſo & Philippo Coſſ. Arcadius Imperator Conſtantinopoli moritur. Honorius cum Theodoſio fratris filio XLV. Romanorum regnauit annis XVI.

Honorio VIII. & Theodoſio III. Coſſ. Vandali Hiſpanias occupauerunt. Attalus Romæ Imperator factus, qui mox priuatus regno Gothis ceſſit.

al vitioſe Fl. Varrone & Terrullo Cõſulib.

* *Flauio Varrone Conſule.* Roma orbis quondam victrix à Gothis Halarico duce capta, & ob hoc ſolus fuit Orientalium partium conſul, quod in ſequenti anno obſeruatum eſt.

Theodoſij Auguſti IIII. conſulatu. Conſtantinus per Honorij duces Conſtantium, & Vlfulam apud Arelatenſe oppidum victus & captus eſt, cuius filium Conſtantem in Hiſpania regnare orſum Gerontius comes, in Maximũ quendam tyrannidem transferens, interemerat.

C

Honorio IX. & Theodoſio V. Coſſ. Maximo in Hiſpania, regno ablato, vita eſt conceſſa; eò quòd modeſtia humilitatis affectati imperij inuidiam non merebatur. Gothi rege Athaulpho Gallias ingreſſi. Eodem tempore Heros vir ſanctus & B. Martini diſcipulus, cum Arelatenſi oppido Epiſcopus præſideret, à populo ipſius ciuitatis inſons & nullis inſimulationibus noxius pulſus eſt, inque eius locum Patroclus ordinatur, amicus & familiaris Conſtantij magiſtri militum, cuius per ipſum gratia quærebatur, eaque res inter Epiſcopos regionis illius magnarum diſcordiarum cauſa fuit.

*al. Lucio

* *Luciano viro clariſſimo conſule.* Huius collega in conſulatu fuit Heraclianus, qui nouarum in Africa rerum reus & honorem amiſit & vitam. Burgundiones partem Galliæ propinquantem Rheno obtinuerunt. Iouinus & Sebaſtianus fratres in Gallijs regno accepto interempti. Hac tempeſtate Pelagius Brito dogma nominis ſui contra gratiam Chriſti Cæleſtino & Iuliano adiutoribus exeruit, multoſque in ſuum trahit errorem, p.ȩdicans vnumquemque ad iuſtitiam voluntate propria regi, tantumque accipere gratiæ quantum meruit: quia Adæ peccatum ipſum ſolum læſerit, nec poſteros eius obſtrinxerit.

D

Vnde & volentibus poſſibile ſit omni carere peccato, omneſque paruulos tàm inſontes naſci, quàm primus homo ante præuaricationem fuit, & ideo baptizandos, non vt peccato exuantur, ſed ſacramento adoptionis honorentur.

Conſtantino vero Conſule. Attalus Gothorum conſilio & præſidio tyrannidem reſumit in Gallijs.

Honorio X. & Theodoſio VI. Coſſ. Attalus à Gothis ad Hiſpanias migrantibus neglectus, & præſidio carens capitur, & Conſtantio Patricio viuus offertur. Athaulphus à quodam ſuorum vulneratus interijt, regumq; eius Wallia parentis, qui idem cupere intelligebatur, inuaſit.

Theodoſio VII. & Palladio Coſſ. Placidiam Theodoſij Imperatoris filiam, quam Romæ Gotiii ceperant, quamque Athaulphus coniugem habuerat, Wallia pacem Honorij expetens reddidit, eiuſque nuptias Conſtantins promeretur. Zoſimus XXXIX. Romanæ Eccleſiæ Epiſcopa-

E

tum ſuſcipit, anno vno, menſibus IX. diebus VIII. Quo tempore Pelagius iam à Pontifice Innocentio prædamnatus, ei Afrorum vigore & maximè Auguſtini Epiſcopi ſcientia reſiſtebatur.

Honorio XI. & Conſtantio II. Coſſ. Honorius triumphans Romam ingreditur, præeunte currum eius Attalo, quem Lyparæ viuere exulem iuſſit.

Honorio XII. & Theodoſio VIII. Coſſ. Hoc tempore Conſtantius ſeruus Chriſti ex vicario Romæ habitans, & pro gratia Dei Pelagianis reſiſtens, factione eorum, multa pertulit, quæ illum ſanctis Confeſſoribus ſociauerunt. Concilio apud Carthaginem habito CCXVII. Epiſcoporum *, ad Pontificem Zoſimum Synodalia decreta perlata, quibus probatis per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt. Valentinianus Conſtantij & Placidiæ filius naſcitur ſexto nonas Iulias. Bonifacius XI. Romæ Epiſcopatum tenet annis tribus menſibus IX.

*al. à Pontifice Zoſimo ſ. d. ſunt perlata.

F

Maximo & Pliuta Coſſ. Conſtantius pacem firmat cum Wallia, data ei ad habitandum Aquitania, & quibuſdam ciuitatibus confinium prouinciarum.

Theodoſio VIII. & Conſtantio III. Coſſ. Conſtantius ab Honorio in conſortium regni aſſumitur. Hieronymus presbyter moritur anno ætatis ſuæ XCI. pridie Kalendas Octobris.

Agricola & Euſtathio Coſſ. Conſtantius Imperatot moritur.

Honorio XIII. & Theodoſio X. Coſſ. Hoc tempore exercitus ad Hiſpanias contra Vandalos miſſus eſt, cuius Caſtinus dux fuit, qui Bonifacium virum bellicis artibus præclarum inepto & iniurioſo imperio ab expeditionis ſuæ ſocietate auertit: nam ille periculoſum ſibi atque indignum ratus ſequi quem diſcordem ſuperbiemque expertus eſſet, celeriter ſe ad portum vrbis, atque inde ad Africam proripuit, idque reipublicæ multorum laborum initium fuit.

G

Mariniano & Aſclepiodoro Coſſ. Placidia Auguſta à fratre Honorio pulſa ad Orientem cum Honorio & Valentiniano filijs proficiſcitur. Cæleſtinus XLI. Romanæ Eccleſiæ præſidet Epiſcopus annis IX. Longobardorum II. regnauit Lamiſſus meretricis filius annis III. Honorius moritur, & regnum eius Ioannes occupat, conniuente, vt putatur Caſtino, qui exercitui magiſter militum præfuit. Theodoſius XLVI. Romanorum regnauit ann. XXX.

Caſtino & Victore Coſſ. Theodoſius Valentinianum amitæ ſuæ filium Cæſarem facit, & cum Auguſta matre ſua ad recipiendum occidentale mittit imperium: quo tempore Ioannes dum Africam, quam Bonifacius obtinebat, bello repoſcit, ad defenſionem ſui infirmior factus eſt.

Theodoſio XI. & Valentiniano Coſſ. Placidia Auguſta, & Valentinianus Cæſar mira felicitate Ioannem tyrannum opprimunt, & regnum victores recipiunt, data venia Aëtio, quòd Hunni, quos per ipſum Ioannes accinerat, eiuſdem ſtudio ad propria reuerſi ſunt. Caſtinus autem in exilium actus eſt, quia videbatur, Ioannem ſine Conniuentia regnum non potuiſſe aſſumere. Valentinianus decreto Theodoſij Auguſtus appellatur. Archillas nobile oppidum Galliarum à Gothis multa vi oppugnatum eſt, donec imminente Aëtio non impuniti diſcederent.

H

Theodoſio XII. & Valentiniano II. Coſſ. Patroclus Arelatenſis Epiſcopus à tri…no quodam barbaro multis vulneribus laniatus occiditur, quod facinus ad occultam iuſſionem Felicis magiſtri militum referebatur, cuius impulſu traditur etiam Titus diaconus vir ſanctus Romæ pecunias pauperibus diſtribuens interfectus.

*al. Hierone

*m. ſ. abnuebat.

* *Hierio & Ardabure Coſſ.* Bonifacio, cuius potentia gloriaque in Africa augebatur, bellum ad arbitrium Felicis, qui ad Italiam venire * annuerat, publico nomine illatum eſt, ducibus Mauortio & Galbione, & Sinoce, cuius proditione Mauortius & Galbio, cùm Bonifacium obſiderent, interempti ſunt: moxque ipſe à Bonifacio dolo detectus, occiſus eſt. Exinde gentibus, quæ nauibus vti neſciebant, dum à concertantibus in auxilium vocantur, mare peruium factum eſt, bellique

contra

contra Bonifacium cœpti in Sigiſuultum Comitem cura tranſlata eſt. Gens Vandalorum ab Hiſpanis ad Africam tranſijt.

Felice & Tauro Coſſ. Neſtorius Conſtantinopolitanus Epiſcopus nouum Eccleſiis molitur errorem inducere, prædicans Chriſtum ex Maria hominem tantum, & non Deum natum, ieque diuinitatem collatam eſſe pro merito. Huic impietati præcipua Cyrilli Alexandrini Epiſcopi induſtria, & Papæ Cæleſtini repugnat auctoritas. Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci poſſidendam occupauerant, Aëtij Comitis armis recepta.

Florentio & Dionyſio Coſſ. Felice ad patriciam dignitatem prouecto, Aëtius, magiſter militum factus eſt, ex agricola. Pelagianus, Seueriani Pelagiani Epiſcopi filius, Eccleſias Hiberniæ dogmatis ſui inſimulatione corrupit; ſed actione Palladij diaconi Papa Cæleſtinus Germanum Antiſiodorenſem Epiſcopum vice ſua mittit, vt deturpatis Hæreticis Britannos ad Catholicam fidem dirigat.

Theodoſio XIII. & Valentiniano III. Coſſ. Aëtius Felicem cum vxore ſua Padiſia, Egrumitium diaconum eos inſidiari cum præſenſiſſet, interemit. Auguſtinus Epiſcopus per omnia excellentiſſimus moritur v. Kalendas Septembris, libris Iuliani inter impetum obſidentium Vandalorum in ipſo dierum ſuorum fine reſpondens, & glorioſè in defenſione Chriſtianæ gratiæ perſeuerans.

Baſſo & Antiocho Coſſ. Congregata apud Epheſum plus ducentorum ſynodo ſacerdotum, Neſtorius cum hæreſi nominis ſui, & cum multis Pelagianis, qui cognatum ſibi dogma iuuabant damnatur. Ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatur à Papa Cæleſtino Palladius, & primus Epiſcopus mittitur.

Aetio & Valerio Coſſ. Romanæ Eccleſiæ XLII. præficitur Epiſcopus Sixtus.

Totius orbis pace & confeſſione mirabili Bonifacius ad Italiam peruenit in vrbem, accepta magiſtri militum dignitate, qui cum ſibi reſiſtentem Aëtium prælio ſuperaſſet, paucos poſt dies morbo extinctus eſt. Aëtius verò cùm depoſita poteſtate in agro ſuo degeret, ibique cùm quidam inimicus eius repentino eum incurſu opprimere tentaſſet, profugus ad vrbem atque illinc ad Dalmatiam, deinde Pannoniam ad Hunnos peruenit, quorum amicitia auxilioque vſus pacem principum Aëtius interpellatæ poteſtatis obtinuit.

Theodoſio XIIII. & Maximo Coſſ. Maxima vrbis regiæ pars ſeptentrionalis per tres dies continuò incenſa collapſaque eſt, menſe Auguſto. Ioannes monachus cognomento Caſſianus Maſſiliæ inſignis & facundus ſcriptor habetur.

Aſpare & Areobinda Coſſ.

Theodoſio XV. & Valentiniano IIII. Coſſ. Pax facta cum Vandalis, data eis ad habitandum per triennium à loco Africæ portione Hippone, III. Idus Februarij. Eodem tempore Gundicarium Burgundionum regem intra Gallias habitantem Aëtius bello obtriuit, pacemque ei ſupplicanti dedit, qua non diu potitus eſt: Siquidem illum Hunni cum populo ſuo atque ſtirpe deleuerunt.

Iſidoro & Senatore Coſſ. Gothi pacis placita perturbant, & pleraque municipia ſedibus vicina ſuis occupant; Narbonenſi oppido Maxime infeſti, quod cum diu obſidione & fame laboraret, per Littorium Comitem ab vtroque periculo liberatum eſt. Siquidem per ſingulos equites binis tritici modijs aduectis ſtrenuiſſimè & hoſtes in fugam vertit, & ciuitatem annona impleuit.

Aetio II. & Sigiſuulto Coſſ. Bellum aduerſus Gothos Hunnis auxiliantibus geritur. Geiſericus Rex Vandalorum intra habitationis ſuæ limites volens Catholicam fidem Arriana impietate ſubuertere, quoſdam noſtrorum Epiſcoporum eatenus perſecutus eſt, vt eos priuato iure baſilicarum ſuarum etiam ciuitatibus pelleret, cùm ipſorum conſtantia nullis ſuperbiſſimi Regis terroribus cederet. Valentinianus Auguſtus ad Theodoſium principem Conſtantinopolim proficiſcitur, filiamque eius in matrimonium accipit. Eodem anno piraticam barbarorum fœderatorum deſertores exercuerunt. Per idem tempus quatuor Hiſpani viri Arcadius, Probus, Paſchaſius, & Eutychius dudum apud Geiſericum merito ſapientiæ & fidelis obſequij clari habebantur, quos Rex vt populariores ſibi faceret, in Arrianam ſectam tranſire præcepit. At illi facinus conſtantiſſimè reſpuentes, excitato in rapidiſſimam iram barbaro, primùm proſcripti, deinde in exilium acti, tum atrociſſimis cruciati ſupplicijs, ad poſtremum diuerſis mortibus interempti, illuſtri martyrio mirabiliter occubuerunt. Puer autē Paulillus nomine, frater Paſchaſij & Eutychij, pro elegantia formæ atque ingenij admodùm Regi acceptus, à profeſſione atque amore Catholicæ fidei cùm nullis minis deturbari poſſet, diu fuſtibus cæſus ad infamem ſeruitutem damnatus eſt, nec ideo, vt apparet, interfectus, ne ſuperata ſæuitia impij Regis etiam illa ætas gloriaretur.

Theodoſio XVI. & Fauſto Coſſ. Hoc quoque anno ijdem piratæ multas inſulas, ſed præcipuè Siciliam vaſtauêre. Aduerſum Gothos in Gallia quædam proſperè geſta.

Theodoſio XVII. & Feſto Coſſ. Littorius, qui ſecundæ ab Aëtio patricio poteſtati Hunnis auxiliantibus præerat, dum Aëtij gloriam ſuperare appetit, dumque haruſpicum reſponſis & dæmonum ſignificationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conſeruit; fecitque intelligi, quantum illa eorum, quæ periit, manus prodeſſe potuerit, ſi potioribus conſilijs quàm ſua temeritate vti maluiſſet, quando tantam ipſe hoſtibus cladem intulit, vt niſi inconſideranter prælians captiuitatem incidiſſet, dubitandum foret, cui potius parti victoria adſcriberetur. Hac tempeſtate Iulianus Athelenenſis iactantiſſimus Pelagiani erroris aſſertor, quem dudum amiſſi Epiſcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis ſpem præferens, molitus in communionem Eccleſiæ irrepere: ſed his inſidijs Sixtus Papa diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens nullum aditum peſtiferis conatibus patere permiſit; & ita omnes Catholicos defectione fallacis beſtiæ gaudere fecit, quaſi tunc primùm ſuperbiſſimam hæreſim Apoſtolicus gladius detruncaſſet. Per idem tempus Vitricus reipublicæ noſtræ fidelis multis documentis bellicis clarus habetur. Pax cum Gothis facta, cùm eam poſt ancipitis pugnæ lachrymabile experimentum humilius quam vnquam ante popoſciſſent. Aëtio rebus quæ in Gallijs componebantur intento, Geiſericus, de cuius amicitia nihil metuebatur, XIIII. Kalendas Nouembris Carthaginem dolo pacis inuadit, omneſque opes eius, excruciatis diuerſo tormentorum genere ciuibus, in ius ſuum vertit, nec ab Eccleſiarum deſpoliatione abſtinens, quas & ſacris vaſibus exinanitas, & ſacerdotum adminiſtratione priuatas, non iam diuini cultus loca, ſed ſuorum iuſſit eſſe habitacula. In vniuerſum captiui populi ordinem ſæuus, ſed præcipuè nobilitati & religioni infenſus; vt non diſcerneretur, hominibus magis an Deo bellum intuliſſet. Carthago à Vandalis capta anno poſtquam Romana eſſe cœperat, DXXCV. aliàs DXXCIII.

Valentiniano V. Auguſto, & Anatholio Coſſ. Defuncto Sixto Epiſcopo, XL. amplius diebus Romana Eccleſia ſine Antiſtite fuit, mirabili pace, atque patientia aduentum Diaconi Leonis expectans, quem tunc inter Aëtium & Albinum amicitiæ redintegrandæ Galliæ detinebant: quaſi ideo longus eſſet aduentus, vt electi meritum, & eligentium iudicium probaretur. Igitur Leo diaconus legatione publica accitus, & gaudenti patriæ præſentatus, XLII. Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus ordinatur. Geiſericus Siciliam grauiter affligens, accepto nuncio de Sebaſtiano ab Hiſpania ad Africam tranſeunte, celeriter Carthaginem redijt, ratus periculoſum ſibi ac ſuis fore, ſi vir bellandi peritus recipiendæ Carthagini incubuiſſet. Verùm ille amicum ſe magis quàm hoſtem videri volens, diuerſa omnia apud barbaros, quàm præſumpſerat, reperit; eaque ſpes cauſa illi maxima & calamitatis & infelicis mortis fuit.

A

Cyro conſule. Theodoſius Imperator bellum contra Vandalos mouet, * Areobinda & Anaxilla atque Germano ducibus cum magna claſſe directis, qui longis cunctationibus negotium differentes, Siliciæ magis oneri quàm Africæ præſidio fuerunt.

* al. Ariounda & Auſila.

*Dioſcoro & * Eudoxio Coſſ.* Hunnis Thraciam & Illyricum ſæua depopulatione vaſtantibus exercitus, qui in Sicilia morabatur, ad defenſionem orientalium partium reuertitur. Cum Geiſerico autem ab Auguſto Valentiniano pax confirmata, & certis ſpacijs Africa inter vtrumque diuiſa eſt. In Geiſericum apud ſuos de ſucceſſu rerum ſuperbientem quidam optimates ipſius conſpirauerunt: ſed molitione detecta multis ab eo ſupplicijs excruciati atque extincti ſunt. Cumque idem audendum etiam alijs videretur, moltis regis ſuſpicio exitio fuit, vt hac ſui cura plus virium perderet, quàm ſi bello ſuperaretur.

* al. Leudoxa.

*Maximo II. & * Paterno Coſſ.* Hoc tempore plurimos Manichæos intra vrbem latere diligentiæ Papæ Leonis innotuit, qui eos de ſecretis ſuis erutos & oculis totius Eccleſiæ publicatos omnes dogmatis ſui turpitudines & damnare fecit & prodere, incenſis eorũ Codicibus, quorum magnæ moles fuerant interceptæ. Quæ cura viro ſancto diuinitùs, vt apparuit, inſpirata non ſolum Romanæ vrbi, ſed etiam vniuerſo orbi plurimum profuit. Siquidem confeſſionibus in vrbe captorum, qui doctores eorum, qui Epiſcopi, quiuè presbyteri, in quibus prouincijs vel ciuitatibus degerent, patefactum eſt. Multique Orientalium partium ſacerdotes induſtriam Apoſtolici Rectoris imitati ſunt.

* al. Pateruo.

B

Theodoſio XVIII. & Albino Coſſ. Attila Rex Hunnorum Bledam fratrem & conſortem ſuum perimit, eiuſque populos ſibi parere compellit.

Valentiniano VI. & Nomo Coſſ.

PROSPERI AQVITANICI FINIS.

C

CHRONICON
TIRONIS PROSPERI EX M. S. AVGVSTANO, NVNC PRIMVM EDITVM.

IGitur Valente à Gothis in Thracia concremato, Gratianus cum fratre Valentiniano XV. regnat annos VI.

Theodoſius ordinatur imperator à Gratiano Sirmij; ad quem Theophilus Paſchale ſcribit.

D

I. *Auſonio & Olibrio.* Gratianus poſt mortẽ patrui Theodoſium, Theodoſij filium in conſortium adſumpſit, imperijq; ei regnum tradidit Orientis. Ea tempeſtate Priſcillianus Epiſcopus de Gallis ex Manichæorum & Gnoſticorum dogmate hæreſim nominis ſui condidit.

II. *Gratiano V. & Theodoſio.* Ambroſius Epiſcopus pro Catholica fide multa ſublimiter ſcripſit.

III. IV. *Syagrio & Eucherio.* Martinus Epiſcop. Toronorum *..... apud Conſtantinopolim quartadecima die qua fuerat ſuſceptus * occiditur.

V. *Merobaude II. & Saturnino.* Arcadius Theodoſij Imperatoris filius Auguſtus appellatur.

VI. *Ricomede & Clearcho.* Honorius Theodoſij filius naſcitur. Romæ xxxvi. * Vrſinus ordinatur poſt Damaſum annis xiv. In Britannia ſeditione militum Maximus Imperator eſt factus. Quo mox ad Gallias transfretante Gratianus Pariſijs, Merobaude magiſtro militum, proditione ſuperatus fugiens, Lugduni captus atque occiſus eſt. Maximus Victorem filium ſuum conſortem regni facit. Valentinianus xv. regnat cum Theodoſio viii.

* Hæc lacuna ex vulg. ſic explenda. Martinus Ep. T. Galliæ ciuitatis multis clarus habetur. Greg. Nazianz. vir ſua ætate eloquentiſſimus & Hieronymi præceptor obijt. Auſonio & Syagrio Coſſ. Athanaricus ex Gothorum rege apud Conſtantin. * Corrig.

I. *Arcadio & Bautone.* Hieronymus Presbyter hoc tempore in Bethlehem, toto iam mundo clarus, habitabat, egregio ingenio & ſtudio vniuerſæ Eccleſiæ ſeruiens. Priſcillianus in Synodo Burdegalenſi damnandum ſe intelligens ad Imperatorẽ Maximũ prouocauit. auditusq; Treueris ab Euodio Præfecto Prætorij, gladio addictus eſt, cum * Euchrotia Delphidij rhetoris coniuge, & Latroniano, alijsq; erroris conſortibus. Burdegalæ quædam Priſcilliani diſcipula nomine Vrbica ob impietatis pertinaciam per ſeditionem vulgi lapidibus extincta eſt.

II. *Honorio Imperatore & Euodio.*

III. *Valentiniano III. & Eutropio.*

IV. *Theodoſio II. & Cynegio.* Maximus Tyrannos Valentiniano & Theodoſio imperatoribus in tertio ab Aquileia lapide ſpoliatus indumentis regijs ſiſtitur, & capite damnatur. Cuius filius Victor eodem anno ab Arbogaſte eſt interfectus in Gall.

V. *Timaſio & Promoto.* Ithacius & Vrſacius Epiſcopi ob necem Priſcilliani, cuius accuſatores fuerunt, Eccleſiæ communione priuantur.

VI. *Valentiniano IV. & Neoterio.*

VII. *Tatiano & Symmacho.*

IIX. *Arcadio II. & Rufino.* Valentinianos ad vitæ faſtidium nimia Arbogaſtis, magiſtri militum, auſteritate perductus, laqueo apud Viennam perijt. Arbogaſtes magiſter militum & exercitus, mortuo Valentiniano, cuius * exitu grauabatur, Eugenium in Gallia Imperatorem facit. Theodoſius xvii. cum iam per xiv. regnaſſet annos, regnat cum Arcadio & Honorio filijs annos iii.

E

occidit vel obijt. * leg. Syagrio. Hæc lectio Proſperum vertit, & Merobaudem proditionis ſuſpicione liberat. Nā Gratianus proditione militum victus, Merobaude magiſtro militum, ad conj.... ſed inaudita & dolore quem Maximus, vt amicum Gratiano ... fi...m, teſte Pacato, occidit.

F

* leg. Euchrocia Delphidij rhetoris coniuge & Latroniano. Neq; enim Anulphius Maſſalianus hæreticus hic intelligendus qui damnatus in Synodo Syda anno 383.

I. *Theodoſio III. & Abundantio II.*

II. *Arcadio III. & Honorio II.* Ioannes monachus Anachoreta clarus habetur. Qui ornatus prophetiæ gratia, Theodoſio conſulente de euentu belli, quod aduerſus Eugenium mouebat, victoriam futurum prædixit.

III. *Olibrio & Probino III.* Theodoſius Eugenium tyrannum vincit & perimit. Auguſtinus beati Ambroſij diſcipulus multa facundia doctrinaq; excellens, Hippone, regione Africæ, Epiſcopus ordinatur. Claudianus Poëta inſignis habetur. Theodoſius Imperator Mediolani moritur. Arcadius xviii. cùm iam regnaſſet annos xii. regnat cum fratre Honorio annos xii.

I. *Arcadio IV. & Honorio III.*

II. *Cæſario & Attico.* Concilium Carthaginis cùm Hipponenſis Concilij ſtatuta firmantur & inſeruntur.

III. *Honorio IV. & Eutychiano.* Romanæ Eccleſiæ xxxvii. ordinatur Anaſtaſius. Anno iv. Eugenius occiditur.

IV. *Theodoſio V. C.* Cum hoc conſulatum inierat Eutropius eunuchus, qui mox & honore defunctus eſt.

V. *Stilicone & Aureliano.* Gothi Italiam Alarico & Ragadaiſo ducibus ingreſſi.

VI. *Vincentio & * Fravito.* Ioannes Conſtantinopolitanus & Theophilus Alexandrinus illuſtres Epiſcopi habẽtur. Sed vtrumque obſcurauit diſcordia, quæ eò vſq; proceſſit, vt Ioannes à Theophilo oppreſſus Pontum in exilio perurgeretur: cùm tamen communionem eius maxima pars Epiſcoporum, Romani Pontificis exemplum ſecuta ſeruauerit.

G

An Latius Adelphi vxor Euchrociæ. Nil ſimile lege Euchrociæ ac filia eius Procula, inquit Seuerus lib. 2. de qua fuit ſermo hominum, Priſcilliano ſtupro grauidam.

VII. *Arcadio V. & Honorio V.* Pollentiæ aduerſum Gothos vehementer vtriuſque partis clade pugnatum eſt.

VIII. Romanæ Eccleſiæ xxxviii. ordinatur Epiſcopus Innocentius annis xiv.

*Theodoſio Auguſto & * Rumorido.* Carthaginenſe Concilium habitum de Donatiſtis.

IX. *Honorio VI. & Ariſteneto.*

X. *Stilichone iterum & Anthemio.* Rhadagaiſus in Tuſcia, multis Gothorum millibus cæſis, ducente exercitum Stilichone, ſuperatus & captus eſt.

XI. *Arcadio VI. & Probo.* Wandali & Alani Gallias trajecto Rheno III. Kalendas Ianuarias ingreſſi.

XII. *Honorio VII. & Theodoſio II.* Conſtantinus in Britannia tyrannus exoritur, & ad Gallias tranſit.

XIII. *Baſſo & Philippo.* Arcadius Imperator Conſtantinopoli moritur. Honorius XLV. cum Theodoſio fratris filio regnauit annis XV.

H

* al. exercitu. Se ex tu veteri ... nunc alludit, ni fallor, Arbogaſtis de lo Valentiniano notum: teſtes pluren... S. Hier. Ep. ... Necatus eſt & cadauer exanime ſuſpendio infamauit atrauita Flabite. * leg. Rumorido.

A I. *Honorio II X. & Theodoſio III.* Wandali Hiſpanias occupauerunt. Attalus Romæ Imperator factus, qui mox priuatus regno, Gothis cæſis.

II. *Varane V. C. Conſule.* Roma à Gothis Alarico duce capta: & ob hoc ſolus fuit Orientalium partium Conſul; quod & ſequenti anno obſeruatum eſt.

III. *Theodoſio IV. Conſule* Conſtantinus apud Arelatenſe oppidum victus & captus. Cuius filium Conſtantinum, in Hiſpanijs regnare orſum, Gerontius Comes in Maximum quendam tyrannidem tranſferens interemerat.

IV. *Honorio IX. & Theodoſio V.* Maximo in Hiſpania regno ablato vita conceſſa, eo quod modeſtia humilitaſque hominis, affectati imperij inuidiam non merebatur. Gothi rege * Athaulfo Gallias ingreſſi. Eodem tempore Heros vir ſanctus & beati Martini diſcipulus, cum Arelatenſi oppido Epiſcopus præſideret, à populo eiuſdem ciuitatis inſons, & nulli ſimulationi obnoxius pulſus eſt: inque eius locum Patroclus ordinatur, amicus & familiaris Conſtantij magiſtri militum, cuius per ipſum gratia quærebatur, inter Epiſcopos regionis illius magnarum diſcordiarum materia fuit.

*al. Thaulpho.

B V. *Lucio viro clariſſimo Conſule.* Huius collega in Conſulatu Herodianus fuit: qui nouarum in Africa rerum reus & honorem & vitam amiſit. Burgundiones partem Galliæ propinquam Rheno obtinuerunt. Ioninus & Sebaſtianus fratres in Gallijs regno arrepto perempti ſunt. Hac tempeſtate Pelagius Britto dogma nominis ſui contra gratiam Chriſti, Cæleſtio & Iuliano adiutoribus erexit, multoſque in ſuum errorem trahit, prædicans vnumquemque ad iuſtitiam voluntate propria regi, tantumque gratiæ accipere quantum meruerit. quod peccatum ipſum ſolum læſerit. Vnde & volentibus poſſibile ſit, vt non etiam poſteros eius perſtrinxerit. Omnia carere peccato omneſque Paruulos, tam inſontes naſci, quam primus homo ante præuaricationem fuit; nec ideo baptizandos, vt peccato exuantur, ſed ſacramento adoptionis honorentur.

Hic locus ex m. ſ. fide redditus, ſed ſine dubio vitioſus, ut reſtitue ex vulg. à tadit. ſuprà data & ex hiſtoria illius aui.

VI. *Conſtantio V. C. Coſſ. & Conſtante.* Attalus Gothorum conſilio & præſidio tyrannidem præſumit in Gallias.

C VII. *Honorio X. & Theodoſio VI.* Attalus à Gothis ad Hiſpanias migrantibus neglectus & præſidio carens capitur. Ataulfus vero à quodam ſuorum vulneratus interijt; regnumque eius perempti Wallia, qui idem cupere intelligebatur, inuaſit.

IIX. *Theodoſio VII. ac Palladio.* Placidiam Theodoſij Imperatoris filiam, quam Romæ Gothi ceperant, quamque Ataulfus coniugem habuerat, Wallia pacē Honorij expetens, reddit, eiuſq; nuptias Conſtantius promeretur. Romanæ Eccleſiæ xxxix. Epiſcopatum ſuſcipit Zoſimus annos III. Quo tempore Pelagianis iam à Papa Innocentio prædamnatis Afrorum vigore ac maximè Auguſtini Epiſcopi induſtria reſiſtebatur.

IX. *Honorio XI. & Conſtantio II.* Honorius Romam triumpho ingreditur, præeunte currum eius Attalo quem * liberè viuere iuſſit exulem.

*al. Lypara.

X. *Honorio XII. & Theodoſio VIII.* Hoc tempore Conſtātius ſeruus Chriſti ex vicario Romæ habitans, & pro gratia Dei deuotiſſime Pelagianis reſiſtens, factione eorundem multa pertulit, quæ illum ſanctis Confeſſoribus ſociauerunt. Concilio apud Carthaginem habito amplius ...... Epiſcoporum ad Papam Zoſimum Sinodi decreta perlata ſunt. Quibus probatis per totum mundum Hæreſis Pelagiana damnata eſt. Valentinianus Conſtantij & Placidiæ filius naſcitur quinto Nonas Iulias. Carthaginis Concilium contra Pelagianos.

D XI. * *Monaxio & Plinta.* Romanæ Eccleſiæ XL. Epiſcopatum ſuſcipit Bonifacius annis IV. Conſtantius pacem firmat cum Wallia, data eidem ad inhabitandum ſecunda Aquitania, & quibuſdam ciuitatibus confinium prouinciarum.

*Maximo.

XII. *Theodoſio IX. & Conſtantio III.* Conſtantius ab Honorio in conſortiū regni aſſumitur. Hieronymus Presbyter moritur anno ætatis ſuæ XCI. II. Kalend. Octobris.

XIII. *Agricola, & * Euſtaſio.* Conſtantius Imperator moritur.

*Euſtachio Euſtathio.

E XIV. *Honorio XIII. & Theodoſio X.* Hoc tempore exercitus ad Hiſpanias contra Wandalos miſſus eſt, cui Caſtinus dux fuit; qui Bonifacium virum bellicis artibus præclarum, inepto & iniurioſo imperio ab expeditionis ſuæ ſocietate auertit. Nam ille periculoſum ſibi atque indignum ratus eum ſequi, quem diſcordem ſuperbientemq; expertus eſſet, celeriter ſe ad portum vrbis, atque inde ad Africam proripuit: idque Reip. multorum laborum initium fuit.

XV. *Mariniano & * Aſclepio.* Placidia Auguſta à fratre Honorio pulſa ad Orientem cum Honorio & Valentiniano filijs proficiſcitur. Romanæ Eccleſiæ XLI. Epiſcopatum ſuſcipit Cæleſtinus annis IX. Honorius moritur & regnum eius Ioannes occupat. Theodoſius XLVI. Romanum Imperium tenet annis XXVIII.

*Aſclepiodoro. A. ſclepiodoto.

F I. *Caſtino & Victorino.* Theodoſius Valentinianum amitæ ſuæ filium Cæſarem facit, & cum Auguſta matre ad recipiendum Occidentale mittit imperium. Quo tempore Ioannes, dum Africam, quam Bonifacius obtinebat, bello repoſcit, ad defenſionem ſui infirmior factus eſt.

II. *Theodoſio XI. & Valentiniano Conſule.* Placidia Auguſta & Valentinianus Cæſar mira velocitate Ioannem tyrannum opprimunt, & regnum victores recipiunt, data venia Aëtio, eo quòd Hunni, quos per ipſum Ioannes acciuerat, eiuſdem ſtudio ad propria reuerſi ſunt. Caſtinus autem in exilium actus eſt; quia videbatur quod Ioannes ſine conniuentia ipſius regnum non potuiſſet præſumere. Valentinianus decreto Theodoſij Auguſtus appellatur. Archilas nobile oppidum Galliarum à Gothis multa vi oppugnatum, donec imminente Aëtio non impuniti accederent.

*leg. Arelas.

III. *Theodoſio XII. & Valentiniano II.* Patroclus Arelatenſis Epiſcopus à tribuno quodam barbaro multis vulneribus laniatus occiditur. Quod facinus ad occultam iuſſionem Felicis magiſtri militum referebatur, cuius impulſu creditus etiam Titus diaconus, vir ſanctus, Romæ pecunias pauperibus diſtribuens interemptus.

G IV. *Hiero & Ardabure.* Bonifacio, cuius intra Africam potentia gloriaque augebatur, bellum ad arbitrium Felicis, qui ad Italiam venire abnuebat, publico nomine illatum, ducibus Mauortio & Galbione & Saonece, cuius proditione Mauortius & Galbio, dum Bonifacium obſident, interempti ſunt. Moxque ipſe à Bonifacio dolo detentus eſt, atque occiſus. Exinde gentibus, quæ vti nauibus neſciebant, dum à concertantibus in auxilium vocantur, mare peruium factum eſt: belliqne contra Bonifacium cœpti in Sigiſuultum cura tranſlata eſt. Gens Wandalorum ab Hiſpania ad Africam tranſit.

V. *Felice & Tauro.* Neſtorius, qui Conſtantinopolitanus Epiſcopus, nouum molitus Eccleſijs errorem; prædicans Chriſtum ex Maria hominem tantum, non etiam Deum natum; eique diuinitatem collatam eſſe pro merito. Cui impietati præcipua Cyrilli Alexandrini Epiſcopi induſtria & Papæ Cæleſtini repugnauit auctoritas.

H Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci poſſidendam occupauerunt, ab Aëtio Comite recepta.

VI. *Florentio & Dionyſio.* Felice ad Patritiam dignitatem prouecto, Aëtius magiſter militum factus eſt. Agricola Pelagianus Seueriani Epiſcopi Pelagiani filius Eccleſias Britanniæ dogmatis ſui inſinuatione corrupit. Sed ad actionem Palladij diaconi Papa cæleſtinus Germanum Antiſiodorenſem Epiſcopum vice ſua mittit, & diſturbatis hæreticis Britannos ad Catholicam fidem redegit.

Corrige Theod. XIII. & Valen. III. Ex vulg.

* *Theodoſio XIIII. & Valentiniano IIII.* Aëtius cum Felicem cum vxore Padulia & Grunnium diaconum .... Epiſcopus per omnia excellentiſſimus moritur V. Kalendas Septembris, libris Iuliani inter impetum obſidentium Wandalorum, in ipſo dierum ſuorum fine reſpondens, & glorioſe in defenſione Chriſtianæ gratiæ perſeuerans.

explend. Egrumitū diaconum inſidiari præſēſiſſet, interemit. Auguſtinus Ep. &c.

VIII. *Baſſo & Antiocho.* Congregata apud Epheſum plus ducentorum Synodo ſacerdotum, Neſtorius cum hæreſi nominis ſui & cum multis Pelagianis, qui cognatū erroris noui iuuabant dogma, damnatur. Ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatus à Papa Cæleſtino Palladius primus Epiſcopus miſſus eſt.

IX. *Aëtio & Valerio.* Romanæ Eccleſiæ XLII. ordinatus. .... Epiſcopus Sixtus ann. IIX. Bonifacius ab Africa Italiam per Vrbem venit, accepta magiſtri militum dignitate: qui cum reſiſtentem ſibi Aëtium in prælio ſuperaſſet, paucos poſt dies morbo extinctus eſt. Aëtius vero cum depoſita poteſtate in agro ſuo degeret, ibique eum quidam inimicus repentino incurſu opprimere tentaſſet, profugus ad Vrbem; atque illinc ad Dalmatias; deinde per Pannonias ad Hunnos peruenit. Quorum amicitia auxilioque vſus pacem Principum Aëtius interpolatæ poteſtatis obtinuit.

X. *Theodoſio XIV. & Maximo.*

XI. *Aſpare & Ariobinda.*

XII. *Theodoſio XV. Valentiniano IV.* Pax facta cum Wandalis: data eis ad habitandum Africæ portio. Eodem tempore Gundicarium Burgundionum regem intra Gallias habitantem Aëtius bello obtriuit, pacemque ei ſupplicanti dedit; qua non diu potitus eſt: ſiquidem illum Hunni cum populo ſuo abſque ſtirpe deleuerunt.

XIII. *Iſidoro & Senatore.* Gothi pacis placita perturbant, & plura municipia vicina ſedibus ſuis occupant, Narbonenſi oppido maxime infeſti: quod cum diu obſidione & fame laboraret per Litorium Comitem ab vtroque periculo liberatū eſt. Siquidem per ſingulos equites binis tritici modijs aduectis ſtrenuiſſime hoſtes in fugam vertit, & ciuitatem annona adiuuit.

XIV. *Aëtio II. & Sigiſuulto.* Bellum aduerſus Gothos Hunnis auxiliantibus geritur. In Africa Giſiricus Rex Wandalorum inter habitationis ſuæ limites volens Catholicam fidem in Arrianam impietatem ſubuertere, quoſdam noſtrorum Epiſcoporum eo tenus perſecutus eſt, vt eos priuatos iure Baſilicarum ſuarum etiam ciuitatibus pelleret, cùm ipſorum conſtantia nullis ſuperbiſſimi regis terroribus cederet. Valentinianus Auguſtus ad Theodoſium Principem Conſtantinopolim proficiſcitur, filiamque eius in matrimonium accipit. Eodem anno piraticam Barbari exercuerunt. Per idem tempus quatuor Hiſpani viri, Arcadius, Probus, Paſchaſius, & Eutychius dudum apud Gaiſericum merito ſapientiæ & fidelis obſequij clari habebantur: quos rex vt copulatiores ſibi faceret, in Arianam ſectam tranſire præcepit. At illi facinus conſtantiſſime reſpuentes: excitato in rapidiſſimam iram Barbaro, primum proſcripti, deinde exilio acti, ac poſtremum diuerſis mortibus interempti, illuſtri Martyrio mirabiliter occubuerunt. Puer autem Paulillus nomine, frater Paſchaſij & Eutychij præ elegantia formæ atq; ingenij admodum regi acceptus, cum à profeſſione atque amore Catholicæ fidei nullis minis perturbari poſſet, diu fuſtibus cęſus, & ad infimam ſeruitutem damnatus eſt. Ideo, vt apparet, non interfectus, ne de ſuperata ferocia impij etiam illa ætas gloriaretur.

XV. *Theodoſio XVI. & Fauſto.*

XVI. *Theodoſio XVII. & Feſto.* Hac tempeſtate Iulianus Atelcnenſis iactantiſſimus Pelagiani erroris aſſertor, quem dudum amiſſi Epiſcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis ſpeciem præferens, molitus eſt in communionē Eccleſiæ irrepere. His inſidijs Sixtus Papa diaconi Leonis hortatu, vigilanter occurrens nullū aditum peſtiferis conatibus patere permiſit. Et ita omnes Catholicos de retectione fallacis beſtiæ gaudere fecit; quaſi tunc primùm ſuperbiſſimam hæreſim Apoſtolicus gladius detruncauiſſet. Pax cum Gothis facta, cùm eam poſt ancipitis pugnæ lachrimabile experimentum, humilius quam vnquam antea popoſciſſent. Aëtio rebus, quæ in Gallia componebantur, intento, Geiſericus, de cuius amicitia nihil metuebatur, Carthaginem dolo, tempore pacis inuadit; omneſque opes eius, excruciatis diuerſo tormentorum genere ciuibus, in ius ſuum vertit. Nec ab Eccleſiarum deſpoliatione abſtinens, quas & ſacris vaſis exinanitas, & ſacerdotum adminiſtratione priuatas, non iam diuini cultus loca, ſed ſuorum iuſſit eſſe habitacula; in vniuerſum captiui populi ordinem ſæuus; ſed præcipuè nobilitati & religioni infenſus: vt non diſcerneretur hominibus magis, an DEO bellum intuliſſet.

XVII. *Valentiniano V. & Anatholio.* Defuncto Sixto Epiſcopo, XL. amplius diebus Romana Eccleſia ſine Antiſtite fuit, mirabili paceatque patientia præſentiam Diaconi Leonis exſpectans, qui tunc inter Aëtium atque Albinum amicitiæ integrandæ in Gallia detinebatur. Igitur Leo legatione publica accitus, & gaudenti patriæ præſentatus XLIII. Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus ordinatur. Geiſericus Siciliam grauiter affligens, accepto nuncio de Sebaſtiani ab Hiſpania ad Africam tranſitu, celeriter Carthaginem redit, ratus periculoſum ſibi ac ſuis fore, ſi vir bellandi peritus recipiendæ Carthagini incubuiſſet.

XIIX. *Cyro V. C. Conſule.* Theodoſius bellum contra Wandalos mouet. Ariobinde & Auſila atque Germano ducibus, cum magna claſſe directis, qui longis cunctationibus negotium differentes, Siciliæ magis oneri, quam Africæ præſidio fuerunt.

XIX. *Dioſcoro V.C. Coſſ. & Eudoxio.* Hunnis Thracias & Illyricum ſæua depopulatione vaſtantibus, exercitus qui in Sicilia morabatur, ad defenſionem Orientalium prouinciarum reuertitur. Cum Geiſerico autem & Valentiniano Auguſto pax confirmata, & certis ſpatijs Africa inter vtrumque diuiſa eſt.

XX. *Maximo II. & Paterio.* Hoc tempore plurimos Manichæos intra vrbem latere, diligentia Papæ Leonis innotuit, qui eos de ſecretis ſuis erutos, & oculis totius Eccleſiæ publicatos, omnes dogmatis ſui turpitudines & damnare fecit & prodere, incenſis eorum codicibus.

XXI. *Theodoſio XVIII. & Albino.* IX. Kalendas Maias Paſcha celebratum eſt.

XXII. *Valentiniano VI. & Nomo.*

XXIII. *Aëtio III. & Symmacho.*

XXIV. *Alipio & Ardabure.* Eutyches Hæreſiarches Conſtantinopolites Epiſcopi Presbyter fretus Theodoſij Auguſti amicitia, conatus eſt, non perfectum hominem in Chriſto aſſerere; contra quem Flauianus eiuſdem vrbis Epiſcopus ſuſcipiens..... cum ſacerdotibus ſuis damnatus eſt, auctore Dioſcoro Alexandrinæ vrbis Epiſcopo. Contra quem Papa Vrbis Leo miſit Epiſcopum, Presbyterum, & Diaconum. Qui iniuriam paſſi, Flauianum nunciant in defenſione Catholica per iniurias grauiſſimas defeciſſe.

XXV. *Poſthumiano & Zenone.* Theodoſius Imperator pro defenſione Eutychetis Leonem Papam Vrbis ad ſe vocat: qui dum ire vellet, à populo prohibitus, Presbyteros & Diacones direxit.

Aſturio & Protogene. Iterum vocati Catholici audiendi. *al Aſterio.*

XXVI. *Valentiniano VII. & Auieno.* Præualente iterum Papa Leone diriguntur ad Orientem Presbyteri & Diacones ad Hæreſin confutandam. Et eodem anno defecit Theodoſius Auguſtus.

XXVII. *Adelphio V. C. Conſ.* Theodoſius cum magna pompa à Placidia & Leone & omni Senatu deductus, & in mauſoleo ad Apoſtolum Petrum depoſitus eſt.

XXVIII. Nunciatur defuncto Theodoſio regnare Marcianum, & Pulcheriam eiuſdem coniugem, Auguſtam factam. A quo damnatur Eutyches, & omnes eius fautores. Et leuatus eſt Imperator Marcianus XLVII. Placidia defuncta eſt. V. Kalendas Decembris ordinatur Imperator ann. VIII.

Marciano & Adelphio. Pugna facta in Gallijs inter Aëtium & Attilam regem Hunnorum, cum vtriuſque populi cæde Attila fugatur in Gallias ſuperiores.

* *Honorio & Aſpere.* Iconica Marciani Imperatoris Romam ingreſſa III. Kalendas Aprilis.

* alij legunt *Herculano & Aſporatio* ſeu *Sporatio.*

II. Opi-

A

II. *Opilione & * Vincemalo.*

* *Vincomalo.*

III. *Actio & Studio.* Eo anno occiſi ſunt Aëtius & Boëtius Patricij. Carthagine ordinatur Epiſcopus Deogratias in Baſilica Fauſti, die Dominico VIII. Kalendas Nouembris.

IV. V. *Valentiniano VIII. & Anthemio.* Valentinianus ipſe occiſus ad duas Lauros XVII. Kalendas Aprilis. Et leuatus Petronius Maximus, Imperaror: qui LXXII. die occiſus, per vrbem tractus. Geiſericus Romam ingreſſus prædâ factâ Carthaginem reuertitur. Et poſt aliquot dies leuatur in Imperium Auitus.

VI. *Varane & Ioanne.*

VII. *Conſtantino & Rufo.*

Ardabure & Maximiano.

Poſt Conſulatum Theodoſij XVII. & Feſti, Geiſericus Wandalorum Rex Carthaginem ingreſſus eſt die XIV. Kalendarum Nouembrium. Qui rexit eandem Africam ciuitatem annis XXXVII. menſibus III. diebus VI. Poſt hunc regnauit Hunerix, filius eius annis VII. menſibus X. diebus XIIX. Qui in fine anni VII. regni ſui Catholicæ Eccleſiæ perſecutionem fecit omneſque Eccleſias clauſit, & cunctos Domini Catholicos ſacerdotes cum Eugenio Carthaginenſi Epiſcopo exilio relegauit. Qui Dei iudicio ſcatens vermibus vitam finiuit. Poſt eum regnauit * Guntamundus * Gentunis eiuſdem Hunerici regis fratris filius annos XI. menſes IX. dies XI. Qui tertio anno regni ſui Cœmeterium Sancti Martyris Agilei apud Carthaginem Catholicis dare præcipit, Eugenio Carthaginenſi Epiſcopo, ab eodem iam de exilio reuocato. Decimo autem anno regni ſui Eccleſias Catholicorum aperuit, & omnes Dei Sacerdotes petente Eugenio Carthaginenſi Epiſcopo de exilio reuocauit. Quæ Eccleſiæ fuerunt clauſæ annos XI. menſes VI. dies V. hoc eſt, ab octauo anno Hunerici, id eſt, ex die VII. Idus Februarij vſque in decimum annum Regis Guntamundi in diem IV. Idus Augusti. In quo completi ſunt ſupradicti * anni X. menſes VI. dies V. Qui memoratus Guntamundus Rex poſtmodum vixit annos II. menſem I. Poſt quem regnauit Traſamundus Gentunis filius annos XXVI. menſes VIII. dies IV.

B

* *al.* Gundabundus. * *al.* Gentonis, *ſeu* Genzonis.

* *fort.* anni XI.

C

Ab exordio ergo Imperij Auiti vſque ad annum XXVII. Traſamundi .... XVIII. A. XIV. autem anno Imperij & morte Valentis vſque in annum XXVII. Traſamundi anni ſunt CXVIII. Poſt quem regnauit Hilderix filius Hunerici annos VII. dies VIII. Qui in exordio regni ſui Bonifacium Epiſcopum apud Carthaginem in Eccleſia Sancti Agilei ordinari præcepit; & omnibus Catholicis libertatem reſtituit. Quo regnante aſſumpta tyrannide Geilamer regnum eius inuadit, in quo ſedit annos III. menſes. III. Qui tanta homicidia ſceleſtus commiſit, vt nec ſuis parentibus parceret. Fiunt ergo ab exordio Regis Geiſerici vſque ad exitum Wandalorum anni XCII. menſes X. dies XI. Ab interitu ergo Valentis in XIV. anno regni eius vſque ad ſupradictum tempus anni CLIV. Collecta ergo omnis ſumma annorum ab Adam vſque ad Wandalorum perditionem ſiunt anni ↀ.DCC.XXXIII.

D

F I N I S.

E

CHRONICON PROSPERI TIRONIS AQVITANI,

A MORTE VALENTIS IMP. AD CAPTAM à Genſerico vrbem, longè aliud ab eo, quod hactenus B. Hieronymi Chronico ſubiunctum eſt. Ex edit. Pithœi.

Pe. Pithœus Lectori S.

HOC Chronicon Proſpero non antiquorum modò exemplarium fidei, ſed & Sigeberti Marianiq; teſtimonia adſerunt. Et verò quamuis in annorum notatione valde confuſum perturbatumq; ſit, Proſperi tamen ingenium ſic refert, vt non immeritò videatur membrum eſſe amplioris eius, quod ipſius nomine ab orbe condito ad captam à Vandalis Romam Gennadius Maſſilienſis presbyter ſe legiſſe teſtatur: ac miremur vnde factum ſit, vt aliud per Coſſ. digeſtum hactenus in omnibus Hieronymiani Chronici editionibus Proſperi titulo ſubiungeretur. quod etſi cum iſto non pauca habet communia, vtpote ad eiuſdem ætatis hiſtoriam pertinentia, alterius tamẽ genij eſſe facilè intelliget, qui vtrunque attentius legerit. Id vt iam poſſis Lector & hoc beneficio noſtro habe ac fruere.

F

PROSPERI CHRONICON.

* * *

G

IGITVR Valente à Gothis in Thracia concremato, Gratianus cum fratre Valentiniano regnat annos ſex. Hic paruulum fratrem habens regni conſortem, probatæ ætatis virum Theodoſium in ſocietatem regni aſciſcit. Hic Gratianus valde religioni fauens & Eccleſijs per omnia promptus fuit. Martinus Turonenſium Epiſcopus Apoſtolicis virtutibus inſignis habetur.

GRATIANVS. I.

II. Theodoſius in Orientis partibus laſſam Rempublicam reparauit.

THEODOSIVS.

III. Maximus Tyrannus in Britannia à militibus Imperator conſtituitur.

IV. Incurſantes Pictos & Scotos Maximus ſtrenuè ſuperauit.

H

Priamus quidam regnat in Francia, quantum altius colligere potuimus.

V. Ambroſius libros contra Arrianorum perfidiam luculentiſſimos ad Gratianum Auguſtum ſcribit.

VI. Maximus in Gallias tranfretauit & conflictu contra Gratianũ habito eundem fugitantem Lugduni interfecit.

Theodoſius annis XI.

I. Maximus timens Orientalis imperij principem Theodoſium cum Valentiniano fœdus iniji.

THEODOSIVS.

Apud Treueros Manichæi deprehenſi ſummo Maximi ſtudio exterminati.

II. Iuſtina mater Valentiniani Arrianis fauens, in Ambroſium & omnem Mediolanenſem Eccleſiam diuerſa iniuriarum genera congerit.

Reliquiæ Geruaſij & Prothaſij ab Ambroſio primum Mediolani repertæ.

Hymni Ambroſij compoſiti, qui nunquam ante in Eccleſiis Latinis modulis canebantur.

III. Maximus indignum ducens contra Eccleſiæ ſtatum agi, locum irrumpendi, quod cum Valentiniano iunxerat

A fœdus, inuenit. Valentinianus veritus imminentem iam ceruicibus ſuis Tyrannum, ad Theodoſium confugit.

Honorius & Arcadius XXXII. CCCC.

Theodoſius & Ioannes XXV. & XXIII.

Valentinianus & Martianus III. CCCC.XXV.

Auguſtinus Mediolani Rhetoricam adprimè docens, omiſſis ſcholis ad fidem rectam conuertitur, cùm ante Manichæus fuiſſet.

IV. Theodoſius cum exercitu ad Italiā trāſgrediens Maximū interfecit, & Valentinianū proprio regno reddidit.

Iuſtina, quæ Eccleſias vexauerat, ne regnum cum filio reciperet, morte præuenta eſt.

Immane Theſſalonicæ geſtum facinus extincti populi egregio pœnitentiæ exemplo Imperator religioſus eluit.

V. Hæreſis Apollinariſtarum ab Appollinare cœpta.

Arriani, qui totum pene Orientem atque Occidentem commaculauerant, edicto glorioſi Principis Eccleſiis ſpoliantur, quæ Catholicis deputatæ ſunt.

B VI. Ioannes Ægyptius monachus, qui ob vitæ puritatem prophetiæ gratiam à Domino meruit, inſignis habetur.

Poſt Damaſum Romanæ Eccleſiæ regimen XXXVI. Syricius ſuſcepit.

Apud Alexandriam defuncto Petro Timotheus & poſt hunc Theophilus Epiſcopi conſtituuntur.

Ieroſolymis poſt Cyrillum Ioannes Eccleſiam recipit.

Apud Antiochiam defuncto Miletio ſubſtituitur Flauianus. Ingens inter noſtros contentio oborta, quòd ſcilicet Epiſcopi, qui ab hæreticis depulſi fuerant, nollent his ab Imperatore delectis alios, quàm ſe, ſubſtitui Sacerdotes.

Terribile in cœlo ſignum, columnæ per omnia ſimile apparuit.

VIII. Apud Alexandriam templa deſtructa in quibus Serapis antiquiſſimum & notiſſimum templum, quod

C quaſi quædam columna ruentem ſuſtinebat idololatriam

IX. X. Valentinianus Viennæ ab Arbogaſte Comite ſuo extinguitur, in cuius locum Tyrannidum Eugenius inuadit.

Ad vindicandum Valentiniani interitum & opprimendam Eugenij tyrannidem Theodoſius in Italiam tranſgreditus, aperto Dei fauore conſpirantibus in idipſum elementis.

Eugenio ſuperato Theodoſius XI. regni ſui anno diem obiit.

ARCADIVS & HONORIVS. Arcadius & Honorius XXXII. annis.

I. Conſtantinopolis eminentem iram Dei, igne ſuper nubem terribiliter fulgente formidans, toto ad pœnitentiam animo conuerſa ſubterfugit.

Rufinus Bolphoritanus cum ad ſummam militiæ perueniſſet, præferri ſibi Stiliconem non ferens, ab eodem interficitur, Hunnorum, quo fulciebatur, præſidio ſuperato.

II. Claudianus poëta admiratione dignus habetur.

D Gildo Africanus in rebellione commora, conſueta Romanis ſtipendia ſubtrahit.

Prudentius Lyricus, poëta noſter, Hiſpanus genere illuſtri, ingenij ſui robur exercet.

III. Stilico magiſter militiæ Gildonem Mauritaniæ interfecit, Africa ad priſtinum ius redacta.

Romanæ Eccleſiæ cathedram XXVII. Innocentius tenet.

IV. Toto orbe Romano antiquæ ſuperſtitionis templa deſtructa.

Paulinus, Nolanus poſtmodùm Epiſcopus, admirabili exemplo venditis omnibus cùm eſſet dominus innumerabilium prædiorum, religionem expeditus elegit.

V. Ioannes Conſtantinopolites Epiſcopus dictis factiſque clareſcit.

Martinus poſt egregiè actam vitam corpore exuitur.

VI. Pelagius veſanus doctrina execrabili Eccleſias commaculare conatur.

VII. Contentioſa doctrina Origenis ſynodum apud Alexandriam mouit, cuius extitit ſententia, vt extra Eccleſiā fieret, quicunque ſupradicti viri opera probauiſſet.

E IIX. Solis facta defectio.

Auguſtinus plurima libris innumerabilibus diſſerit.

IX. Seuerus ex diſcipulis ſancti Martini eius vitam tribus explicat libris.

X. Sæua Italiæ barbarici motus tempeſtas incubuit. Siquidem Radagaiſus Rex Gothorum Italiæ limitem vaſtaturus tranſgreditur. Ex hoc Arriani, qui Romano procul orbe fugati, barbararum nationum, ad quas ſe contulêre præſidio erigi cœpere.

XI. Multis ante vaſtatis vrbibus Radagaiſus occubuit: cuius in tres partes per diuerſos principes diuiſus exercitus aliquam repugnandi Romanis aperuit facultatem. Inſigni triumpho exercitum tertiæ partis hoſtium, circumactis Hunnorum auxiliaribus Stilico vſque ad internecionem deleuit.

XII Archadius Orientis imperium gubernans vitam explet, paruum admodum Theodoſium filium Imperij

F ſucceſſorem relinquens. Cæleſtinus XXXVIII. Romanam Eccleſiam gubernauit.

XIII. Diuerſarum gentium rabies Gallias dilacerare exorſa, immiſſu quàm maximè Stiliconis indignè ferentis filio ſuo regnum negatum.

XIV. Vrtæ in foro Traiani terra diebus ſeptem mugitum dedit. Inter alia multum Reipublicæ Stiliconis morte conſultum eſt, qui ſaluti Imperatoris tendebat inſidias.

Neſtorius Conſtantinopolitea Epiſcopus ad hæreſim, quæ in Chriſto Deum ab homine ſeparat, vertitur.

Ioannes Comes Africæ occiſus eſt à populo.

XV. Proculus Maſſilienſis Epiſcopus clarus habetur: quo annuente magna de ſuſpecto adulterio Remedij Epiſcopi quæſtio agitatur.

Hac tempeſtate * præ valitudine Romanorum vires funditùs attenuatæ Britanniæ. *m.ſ. viribus.

XVI. Saxonum incurſione deuaſtatam Galliarum partem Wandali atque Alani vaſtauêre: quod reliquum fuerat Conſtantinus tyrannus obſidebat.

G Hiſpaniarum partem maximam Sueui occupauêre. Ipſa denique orbis caput Roma deprædationi Gothorum fœdiſſimè patuit.

XVII. Conſtantinus Tyrannus occiditur.

XIIX. Rurſum alia prædatio Galliarum, Gothis, qui Alarico duce Romam ceperant, Alpes tranſgredientibus.

XIX. Iouinus tyrannidem poſt Conſtantinum inuadit, induſtria viri ſtrenui, qui ſolus tyranno non ceſſit, Dardani.

Ataoulfus, qui poſt Alaricum Gothis imperitabat, à ſocietate Iouini auertitur. Saluſtius quoque & Sebaſtianus occiſi.

Valentia nobiliſſima Galliarum ciuitas à Gothis effringitur, ad quam ſe fugiens Iouinus contulerat.

H XX. Ingens in Gallijs fames.

Aquitania Gothis tradita.

Patroclus Arelatenſis Epiſcopus infami mercatu ſacerdotia venditare auſus. Heraclianus Comes Africæ qui in Romanæ Vrbis reparationem ſtrenuum exhibuerat miniſterium, noua quædam molitus interimitur.

XXI. Placidia ſoror Imperatoris diu captiua, poſtea etiam Regis vxor, Rege fraude ſublato, Conſtantis connubio copulatur.

XXII. Gothi cum ſe iterum Ataulfo perempto, mouiſſent, Conſtantis repelluntur occurſu.

XXIII. Prædeſtinatorum hæreſis, quæ ab Auguſtini libris male intellectis accepiſſe dicitur initium, his temporibus ſerpere exorſa.

XXIV. XXV. XXVI. Tricelimus nonus Xiſtus Romanam Eccleſiam regit.

Solis hoc anno facta defectio.

Feramundus regnat in Francia.

XXVII. Signum in cœlo mirabile apparuit.

Maximus Tyrannus Hiſpaniarum dominatum vi obtinet.

XXIIX. Honoratus, Mineruius, Caſtor Iotianus ſingulorum monaſteriorum Patres in Gallijs florent.

A

XXIX. Conſtantio dignitas Imperij ab Honorio ſponte delata, qua vix octo menſibus vſus interijt, Valentiniano octo annorum filio derelicto.

XXX. Maximus Tyrannus de regno deijcitur, ac Rauennam perductus ſublimem ſpectaculorum pompam tricennalibus Honorij præbuit.

XXXI. Placidia, cùm inſidias fratri tenderet, deprehenſa eſt, & Romam exilio relegata.

XXXII. Honorius Rauennæ defunctus.

Nullo iure debitum Iuannes ex Primicerio Notariorum regnum ſumit, qui vulneratum multis cladibus reliquit imperium.

THEODOSIVS.

Theodoſius annos XXVII.

I. Placidia ad Theudoſium auxilium precatum mittit. Sigiſuuldus ad Africam contra Bonifacium properauit.

II. In Gallijs Exuperâtius præfectus à militibus interficitur. Muro Carthago circumdata, quæ ex tempore, quo vetus illa deſtructa eſt, ſanctione Romanorum, ne rebellioni eſſet, munimento murorum non eſt permiſſa vallari.

B

Ioanne ab exercitu Orientis victo & perempto Rauenna deprædatione vaſtata eſt.

Aëtius, Gaudentij Comitis à militibus in Gallijs occiſi filius, cum Chunnis Ioanni opem laturus Italiam ingreditur.

III. Valentinianus Romæ Imperator factus.

IV. Arelas à Gothis per Aëtium liberatur.

V. Placidia tandem illata optato regno.

Clodius regnat in Francia.

VI. Caſſianus compertas in Ægypto vitas patrum doctrinaſque & regulas, libris ad plurimos datis exponit.

VII. Aëtius Iuthungorum gentem delere intendit.

IIX. Viginti fermè milia militum in Hiſpanijs contra Wandalos pugnantium cæſa. Wandali in Africam tranſferantes ingentem, lacerata omni prouincia, Romanis cladem dedere.

C

IX. Conſulatu Aëtiis edito Bonifacium, qui ab Regina accitus ea Africa fuerat, declinans ad munitiora conſcendit.

Aſperitas nimij frigoris etiam ſaluti plurimorum pernicies extitit. Bonifacius contra Aëtium certamine habito percuſſus, victor quidem, ſed moriturus abſcedit.

X. Cum ad Chunnorum gentem, cui tunc Rugila præerat, poſt prælium ſe Aëtius contuliſſet, impetrato auxilio ad Romanum ſolum regreditur. Gothi ad ferendum auxilium à Romanis aciti.

Germanus Epiſcopus Antiſiodori virtutibus & vitæ diſtrictione clareſcit.

XI. Aëtius in gratiam receptus.

Rugila Rex Chunnorum, cum quo pax firmata, moritur, cui Bleda ſuccedit.

D

XII. Gallia vlterior Tibatonem principem rebellionis ſecuta à Romana ſocietate diſceſſit, à quo tracto initio, omnia pæne Galliarum ſeruitia in Bagaudam conſpiranêre.

f per Aë-tium.

XIII. Bellum contra Burgundionum gentem memorabile exarſit, quo vniuerſa pænè gens cum Rege * Peretio deleta.

XIV. Capto Tibatone & cæteris ſeditionis partim principibus vinctis, partim necatis, Bagaudarum commotio conquieſcit.

XV. Theodoſianus liber omnium legum legitimorum Principum in vnum collatarum hoc primùm anno editus.

Siluius turbatæ admodum mentis, poſt militiæ in Palatio exacta munera, aliqua de religione conſcribit.

XVI. Eccleſiæ Romanæ XL. Leo ſuſcepit principatum.

XVII. Pacatis motibus Galliarum Aëtius, ad Italiam regreditur. Deſerta Valentinæ vrbis rura Alanis, quibus Sambida præerat partienda traduntur.

XVIII. Britanniæ vſque ad hoc tempus varijs cladibus, euentibuſque laceratæ in ditionem Saxonum rediguntur.

XIX. Alani, quibus terræ Galliæ vlterioris cum incolis diuidendæ à Patritio Aëtio traditæ fuerant, reſiſtentes armis ſubigunt, & expulſis Dominis terræ, poſſeſſionem vi adipiſcuntur.

E

XX. Sabaudia Burgundionum reliquijs datur cum indigenis diuidenda.

XXI. Carthago à Wandalis capta cum omni ſimul Africa lacrymabili clade & damno Imperij Romani potentiam decicit. Ex hoc quippe à Wandalis poſſidetur.

XXII. Thracia Hunnorum incurſione concutitur.

XXIII. Bleda Chunnorum Rex Attilæ fratris fraude percutitur, cui ipſe ſuccedit.

XXIV. Noua iterum Orienti conſurgit ruina, qua ſeptuaginta non minus ciuitates Chunorum deprædatione vaſtatæ, cùm nulla ab occidentalibus ferrentur auxilia.

XXV. Meroueus regnat in Francia.

Eudoxius arte medicus, praui ſed exercitati ingenij, in Bagauda id temporis mota delatus, ad Chunnos confugit.

F

XXVI. Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus & Arelatenſis egregiam vitam morte conſummant.

XXVII. Hæreſis nefaria à quodam archimandrita commota, cui fauorem præbens Theodoſius obijt, ſeptem ſuper viginti annis in imperio exactis. Cui Martianus ſubſtituitur.

Placidia quoque poſt irreprehenſibilem conuerſationem hoc anno vitam expleuit, filio viceſimum quintum annum in ipſo conſummante.

VALENTINIANVS & MARTIANVS.

Valentinianus & Martianus.

I. Hac tempeſtate valde miſerabilis Reipublicæ ſtatus apparuit, cùm ne vna quidem ſit abſque barbaro cultore prouincia: & infanda Arrianorum hæreſis, quæ ſe nationibus barbaris miſcuit, Catholicæ nomen fidei toto orbe diffuſa præſumat.

G

Attila Gallias ingreſſus quaſi iure debitam poſcit vxorem: vbi graui clade inflicta & accepta ad propria recedit.

II. Plurima hoc anno ſigna apparuerunt.

Inſperata Gallijs clade accepta furiatus Attila Italiam petit, quam incolæ metu ſolo territi præſidio nudauere.

III. Synodus Chalcedonenſis, vbi Eutyche Dioſcoroque damnatis, omnes, qui ſe ab eis retraxerunt, in communionem recepti, confirmata vniuerſaliter fide, quæ de Incarnatione Verbi ſecundum Euangelicam & Apoſtolicam doctrinam per ſanctum Papam Leonem prædicabatur.

Attila in ſedibus ſuis mortuo, magna primum inter filios ipſius certamina de obtinendo regno exorta, deinde aliquot gentium, quæ Hunnis parebant, defectus ſequuti, cauſas & occaſiones bellis dederunt, quibus ferociſſimi populi mutuis incurſibus contererentur.

IV. Inter Valentinianum Auguſtum & Aëtium Patricium poſt promiſſæ inuicem fidei Sacramenta, poſt pactum de coniunctione filiorum, diræ inimicitiæ conualuerunt; & vnde fuit gratia charitatis augenda, inde exarſit fomes odiorum, incentore, vt creditum eſt, Heraclio ſpadone, qui ita ſibi Imperatoris animum in ſincero famulatu aſtrinxerat, vt eum facile, in quæ vellet, impelleret. Cum ergo Aëtius placita inſtantius repetit, & cauſam filij communis agit, Imperatoris manu & circumſtantium gladijs crudeliter confectus eſt, Boëtio præfecto Prætorij ſimul perempto, qui ei multa amicitia copulatus erat.

H

V. Mortem Aëtij mors Valentiniani non longo pòſt tempore conſecuta eſt, tam imprudenter non declinata, vt interfecti Aëtij amicos armigeroſque eius ſibimet ſociaret: Qui concepti facinoris opportunitatem diſſimulanter aucupantes, egreſſum extra vrbem Principem, & ludo geſtationis intentum inopinatis ictibus confoderunt, Heraclio ſimul, vt erat proximus, interempto, & nullo ex multitudine regia ad vltionem tanti ſceleris accenſo. Vt autem hoc parricidium perpetratum eſt, Maximus vir gemini conſulatus & Patriciæ dignitatis ſumpſit Imperium. Qui cùm periclitanti Reipublicæ profuturus per omnia crederetur, non ſero documento quid animi haberet, probauit, ſic quidem,

A vt interfectores Valentiniani non ſolùm non plecteret, ſed etiam in amicitiam reciperet, vxoremque eius Auguſti amiſſionem viri lugere prohibitam, intra paucisſimos dies in coniugium ſuum tranſire cogeret. Sed hæc incontinentia non diu potitus eſt. Nam poſt alterum menſem, nunciato ex Africa Genſerici Regis aduentu, multisque nobilibus ac popularibus ex vrbe fugientibus, cùm ipſe quoque, data cunctis abeundi licentia, trepidè vellet abſcedere, à famulis Reginæ dilaniatus & membratim deiectus in Tyberim ſepultura quoque caruit.

Poſt hunc Maximi exitum confeſtim ſecuta eſt multis digna lacrymis Romana captiuitas, & Vrbem omni præſidio vacuam Genſericus obtinuit, occurrente ſibi extra portas ſancto Leone Epiſcopo: cuius ſupplicatio ita eum Deo agente, leniuit, vt cùm omnia in poteſtate ipſius eſ-
B ſent, tradita ſibi ciuitate, ab igne tamen & cęde, atque ſupplicijs abſtineret. Per quatuordecim igitur dies ſecura & libera ſcrutatione omnibus opibus ſuis Roma vacuata eſt: multaque milia captiuorum, prout quæque aut ætate, aut arte placuerunt, cum Regina & filiabus eius Carthaginem abducta ſunt.

F I N I S.

ARNOBII IVNIORIS

Opuſcula quæ extant omnia.

EX BELLARMINO DE SCRI-
C ptoribus Eccleſiaſticis.

ARNOBIVS, non ille, qui ſcripſit contra gentes, & ſub Diocletiano floruit, ſed alius Iunior, qui paulò pòſt ſanctum Leonem Papam vixiſſe videtur, ſcripſit *librum titulo conflictus Catholici cum Serapione de Deo trino & vno.* Item *de duabus in Chriſto ſubſtantijs in vnitate perſonæ*: Item *de gratia & liberi arbitrij concordia*: qui libri editi ſunt. Neque eſt improbabile huius Arnobij Iunioris eſſe Commentarios in Pſalmos, qui ſub Arnobij nomine circumferuntur: de quibus vide quæ diximus ſuprà in Arnobio, Sæculo tertio.

CONFLICTVS

ARNOBII CA-
D THOLICI ET SERA-
PIONIS, DE DEO TRINO ET VNO; DVABVS IN CHRISTO SVBSTANTIIS IN VNITATE PERSONÆ, GRATIÆ & LIBERI ARBITRII CONCORDIA, in duos libros diſtributus.

CANDIDO LECTORI,

F. Fr. Feu-ardentius.

CVM *Anno Domini M. D. XCIII. incommodæ valetudini cõſulturus, ex Gallia ſecedens, Spadanorum acidos fontes per Leodium ampliſſimam Belgij ciuitatem peterem, à veteri diſcipulo, ſodalitijque Franciſcani ibidem Lectore in monaſterium S. Iacobi memoriæ ſacrum perductus, veteremque Bibliothecam perquirens, in manuſcriptum codicem incidi, cuius titulus erat,* Incipit Conflictus Arnobij Catholici cum Serapione Ægyptio, &c. *Quedam eius euoluo, deprehendo Conflictum de re omnium inter Chriſtianos maxima inſtitutum, & nunquam antea typis euulgatum. Rogo venerandæ pietatis Priorem, vt per aliquem*

E *fratrum noſtrorum poſſet exſcribi, admittit, exſcriptum Spadium ad me tranſmittitur, ibi attentius perlego; placet breuitas, acre Authoris ingenium, opus dignum luce videtur. Hæc tantùm morabantur, quod neſcirem quis ille, aut quando vixiſſet atque ſcripſiſſet.*

Inprimis enim certiſſimum, non fuiſſe eum Arnobium, qui Diocletiano Imp. ſeptem libros aduerſus Gentes edidit, quoniam forma dicendi omnino diuerſa: & quod maius, reprehenſi Ariani, Photiniani, Neſtoriani: laudati verò Auguſtini, Ambroſii, Cyrilli Alexandr. Damaſi, & Leones, alium Authorem produnt. Itaque ſi de re obſcura & dubia indicare, cognoſcere, & ſtatuere poſſum, is eſt qui breues in Pſalmos Commentarios reliquit, quoniam eadem breuitas, acies animi, ſtylus neglectus, loca eodem ſenſu ac penè verbis reddita, eædemque confutatæ hæreſes, temporis denique ratio conuenientiſſima, nimirum Leonis ſummi Pontificis ætas, qua initium fuiſſe non difficilè deprehenditur. Accedit Alcuini Caroli magni præceptoris huiuſmodi teſtimonium, ARNOBIVS: in Conflictu quem habuit cum Serapione, tubum poſuit maſculini generis, &c. *quæ hic ad verbum reperiuntur. Et idem rurſus libro ſexto, contra Felicem Vrgelitanum, noſtri huius* ARNOBII *ita meminit:* (Epiſtol. ad Flauium Merium.)
F ARNOBIVS vir acris ingenij, in Conflictu quem cum Serapione habuit, &c. *Quin & ante Alcuinum idem à nonnullis ita aduerſus Arianos citatur ſancti Auguſtini nomine:* Auguſtinus in Altercatione ARNOBII & Serapionis, &c. *Quibus manifeſtum eſt ad illud quod diximus ſeculum pertinere.*

*Multa in hoc adhuc hiulca, & mutila comperies, quæ non niſi emendatioribus exemplaribus poterunt ſanari: quædam prioris Latij Patribus minus vſitata, Authori condonanda: omnia verò pia, Orthodoxa; & aduerſus nouos Arianos, Neſtorianos, Pelagianos cõmodiſſima. Opus per particulas diſtribuimus, vt Notis noſtris quarundam emendationum, & illuſtrationum indicaremus rationes: I*RENAEI *operibus Conflictum adiunximus, quod etiam iſte plurimas contra Deum hæreſes refellãt: & quod illius edendi tum commodior eſſet ratio. Hoc itaque bene fruere, & noſtris pro Chriſtiana pietate ſtudijs & laboribus Chriſtiano animo faue. Coloniæ Agrippinæ 1595. Septembris XVI.*

G

---

1 CONFLICTVS

ARNOBII CA-
THOLICI, ET SERA-
PIONIS, DE DEO TRINO ET VNO; DVABVS IN CHRITO SVBSTANTIIS IN VNITATE perſonæ; Gratiæ & liberi arbitrij concordia: adiectis F. Fr. Feu-ardentij ſacræ Theologiæ Doctoris notis.

S2VPERVENIENTES Ægyptij, qui,
H vt oſtenderent ſe antiquorum prouinciæ ſuæ magiſtrorum diſcipulos, Iannes videlicet & Mambres, quos memorat Apoſtolus famulo Dei Moſeo quibuſdam præſtigijs reſtitiſſe: ita & hi veritati reſiſtentes, cùm hanc nobis calumniam imponere niterentur, quod fides noſtra de incarnatione Dominica à recti itineris tramite deuiaret; hoc ab eis tandem impetrauimus, vt ceſſante ſeditione verborum, ſingulis ex vtraque parte altercantibus, cæteri Cognitorum loco ſedentes, ſingulos tantùm eſſe Iudices permitterent, quibus liceret pro merito concluſionum dare ſententiam. factumque eſt vt Arnobius à parte Sedis Apoſtolicæ defenſor fieret, & Serapion à Synedrio Ægyptiorum altercator exiſteret: iudices verò eſſent à parte Catholica Decius Conſtantius, & à parte Ægyptiorum Ammonius. (Exod.7.11. 2.Tim.3.8)

N O T Æ.

1. CONFLICTVS] *Infra, ſecundæ congreſſionis initio libellus iſte vocatur* ALTERCATIO, *quo nomine & à quibuſdam citatur ſed cùm ante plurima ſecula* CONFLICTVM *Alcuinus nuncupauerit, eundemque titulum Author libro ſuo præfixerit, inſuper, ſic frequenter poſtea nominetur, hanc appellationem retinuimus. Addidimus porrò, de Deo trino & vno, &c. quod his tribus præſertim capitibus in eo diſſeratur. Pri-*

A

tur. Primum contrarijs licet hæreſibus, conuellere nitebantur Sabelliani & Ariani, ſecundum Eutychiani & Neſtoriani, poſtremū Manichæi & Pelagiani: quorum aſſecla etiamnum Leonis magni R. P. tempore quo initum fuiſſe hunc Conflictum exiſtimamus, doctrinæ Catholicæ obſtrepebant. Certè conſtat hunc Leonem primū cùm adhuc eſſet Diaconus, quendam Iulianum Pelagianæ hæreſis ſatorem repreſſiſſe: conſtitutum quoque in Pontificatu Manichæos expugnaſſe: Eutychem verò perdoctis ſcriptis confutaſſe atque damnaſſe, vt ex Epiſtolis eius ad eundem Eutychem, Flauianum, & Conſtantinopolitanos, &c. peruium eſt.

Proſper ad annum 16. & 40. Theodoret.

2 Superuenientes Aegyptij] *Exordio ſummam totius Conflictus rationem exponit, id eſt, qua de re, à quibus, quibusq; iudicibus, initus ac terminatus fuerit. Manifeſtum eſt autē ex hiſtoria illius ſeculi, & actione ſecunda ac inſuper in Epheſina ſynodi, non modò Dioſcorum Alexandriæ, quæ caput fuit Ægypti, Epiſcopum; ſed & multos eius prouinciæ Epiſcopos, imo tercentos etiam minus hos Eutychiana hæreſi deprauatos, & ea de cauſſa concilij Chalcedonenſis ſententia ſacrorum communione priuatos fuiſſe, adeò etiam inter Ægyptios illa peſtis inualuerat. Apoſitè verò non his tantum, ſed & cæteri omnes hæretici cum magis comparantur: quandoquidē & diuinæ veritati ſuas præſtigias & ſtrophas impudenter opponant, & cū dæmonibus maleficioq; hominibus magnam habeant conſenſionem. Hæc de Simone mago, Menandro, Marco, Carpocrate, Cerdone, alijsq; priorum ſæculorum hæreſiarchis teſtificantur Irenæus, Tertullianus, Euſebius, ac Epiphanius: nos idem de nouiſſimis non vna ſemel loco notum fecimus. Nemo etiam inficiari poteſt magicas artes in Galliam, Germaniam, Poloniam, Liuoniā, Sueciam, Daciā & Angliā, ex quo iſſo Caluiniſmo plus à quinquaginta annis inualuiſſe quàm à mille & quingentis antea inualuerat.*

Euag. Lib. 2. 3. & 4.

Annotat. in Irenæū, & Præfat. in Pſellum.

B

Hoc autem ordine cœptum eſt negotium. Serapion dixit: Antequam ad hæc veniamus, 1 quod vos Homuſionates arguamus, dicentes, duas naturas eſſe in Chriſto, duaſque ſubſtātias, cupio ſcire, quis ſis? Arnobius dixit: Sū planè ſeruus Chriſti, & tam Catholicæ fidei, quā veritatis aſſertor. Serapion dixit: Ipſa fides tua quid credat, edicito. Arnobius dixit Deum omnipotentē, omnium creatorem, vnum credo. Serap. dixit: 2 Hunc Deū, quē vnū credis, vnde noſti quod omnipotens, omniumq; creator ſit? Arnobius dixit: Quia ipſe virtutibus magnis ſe manifeſtare dignatus eſt generi humano. Serapion dixit: Quibus virtutibus? Arnobius dixit: Vt antiquiora prætercam, prouinciæ tuæ terra teſtatur, 3 quòd decē plagis percuſſa Regē ſuum perdidit cum ſuo exercitu, iraſcentibus penè omnibus elemētis, quod in Deum creatorē omnium rebellis exiſteret. Populum autē, quem de gladio eius *in manu forti & brachio excelſo* eripuit, per famulum ſuū Moyſem fecit, quod ipſe ſit Deus, & non ſit alius præter ipſum. Si contrauenire diſponis edicito. Serapion dixit: De his locis, in quibus concordat fides noſtra, tranſeamus. Conſtantius & Ammonius iudices electi dixerunt: Conſtat Arnobium ſatisfeciſſe de vno omnipotenti Deo, & aſſertioni eius Serapionem conſenſiſſe: aut ſi non eſt ita Serapion edicat. Serapion dixit: Ego Arnobium ſcire ſtudeo, vtrumnā in alijs non erret fides eius, ne fortè ſi alia præter iſta, de quibus quæſtio eſt, quæ poſſint iure refelli & occaſione huius temporis omittentes, 4 ne hic aliquid egiſſe videamur. Cognitores dixerunt: Dicat Arnobius, vtrum permittat hunc alia quærere, præter ea, de quibus orta videtur eſſe contentio. Arnobius dixit: Non abnuo inquit ab eo de quibuſcunque voluerit, ne locum mihi inquirendi ab eo quæcunque voluero, videar amputare.

Exod 6. & 7. Deut. 5. 15.

Pſal. 135. 12

C

NOTÆ.

1. Quod vos Homuſionates] *Homouſianorum cognomen Catholicis impoſitum per Arianos, adhuc illo ſæculo perſeueraſſe, multis in locis oſtēdit Victor Vticenſis libris de perſecutione Vandalica. Notandum tamen Homuncionum à Prudentio non Catholicos, ſed Ebionitas, Samoſatenianos aliosq; hæreticos vocari & confutari, eò quod Chriſtum purum hominem eſſe, nihilq; diuinæ eſſentiæ ac virtutis habere contenderent.*

D

2. Hunc Deum, quem] *Attende in Serapione hæreticorum diſceptantium mores, de quibus Apoſtolus ait:* Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. *Et Tertullianus:* Nunquam ordinatè quæſtiones tractant, &c. *Reipſa comperiū eſt, eos in ſtatu quæſtionis propoſitæ nūquam conſiſtere: ſed pro vertiginis ſpiritu, quo ſemper agitantur, aliam, aliamq;, ſubinde & quartam quintamq; cumulare importuniſſimè, vt ordine diſputandi turbato, velut colubri gliſcentes elabantur, aut ſepiarum more, quæ atramentum habent pro ſanguine effuſa veritatis luce in tenebris effugiant, & vīſi non videantur. Cæterum, vbi vera fides eſt, ait Chryſoſtomus,* nulla quæſtionum neceſſitas eſt: quæſtio nempe fidem tollit. Qui enim quærit, nondum inuenit: qui nondum inuenit, nondum credit. Fides autem animū cogitationemq; facit conquieſcere.

2. Tim. 3. 7

Li. Præſcrip.

Hom. 1. in 1 Epi. ad Tim.

3. Quod decem plagis] *Quod ſi legeremus,* quæ decem plagis?

4. Ne hic aliquid] *Lubens legerem,* nihil hic egiſſe.

Iudices memorati dixerūt: Dicat Serapion quę ſint, quę ab eo velit addiſcere. Serap. dixit: Iſtum vnum Deum liberatorem Hebræorū, ſolum dices eſſe Deum an fortè alterum? Arnob. dixit: Deus Hebræorum *Deus vnus eſt.* Quādo audis, *Deus vnus eſt*, alterū Deum omnino non quæras. Serap. dixit: 1 Ergo Iudaica eſt tenenda aſſertio, qua ſolus & vnus Deus Hebræorum Deus prædicatur & creditur? Arnob. dixit: Deum Iudæi ſic prædicant ſolū, vt negent Filiū eius; negent ſimul cum eo vnum eſſe, qui natus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine. Serap. dixit: Iſte qui natus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, ipſe vnus an eſt alius? Arno. dixit: In Deitate vnus, 2 in generatione verò ſic eſt alius, vt Deus vnus eſſe nō ceſſet Pater & Filius. Deus enim tunc verè vnus creditur & integra in eo Diuinitas non negatur. Serap. dixit: Et quomodo integra in eo Diuinitas credenda eſt? Arnob. dixit: Tunc integra in eo Diuinitas non negatur, ſi Pater cū Filio & Spiritu ſancto Deus vnus penitus non negatur. Sera. dixit: Eijciens me de Synagogæ ſynedrio, 3 in Sabellij me inſaniā induxiſti: qui vnum Deū Patrem & Filium & Spiritum ſanctum confitetur. Arnob. dixit: Si verè vnum Deum diceret Sabellius, Filium eius & Spiritum ſanctum non negaret. Negat enim verum Patrē, qui verum Filium non dicit, negat Spiritum ſanctum, qui integra Trinitate Deum integrum eſſe non credit. Serap. dixit: Ego tibi Sabellium lego anathema dicētem his, qui Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum auſi ſunt denegare ad conuincendam Trinitatem. Arno. dixit: 4 Sed ipſum ſe Patrem, ipſum ſe Filium, ipſum ſe Spiritum ſanctum impiiſſima defenſione cōtendit. Nos autem Patrem dicimus & credimus qui genuit Filium: & eſt Pater vnici Filij ſui ante tempora geniti.

E

Deut. 6. 4. 1. Cor. 5. 4. Epheſ. 4. 5. 1. Tim. 2. 5.

Mat. 1. 20. Luca 1. 35.

Ioan. 5. 23. 1. Ioa. 2. 22.

F

NOTÆ.

1. Ergo Iudaica] *Iudæi ſenectutis Prophetarum teſtimonijs conuicti, Deum quidem Patrem eſſe fatentur; ſed huius mundi ac cunctorum hominum creatione, nunquam verò coæterni atque conſubſtantialis Filij generatione. Quinimò iſtud adſcribunt blaſphemiæ, Chriſtum lapidibus petentes, quod ſeipſum affirmaret eſſe Filium Dei. ſicq; perſonarum pluralitatem cum Deitatis vnitate accenſere ſeruono poſſunt.*

Ioan. 10. 36

2. In generatione verò] *De æterna loquitur, qua ſic verè à Patre ingenito, & à Spiritu ab vtroque procedente alia eſt perſona, vt tamen vnicus & verus Deus eſſe cum eiſdem non deſinat.*

3. In Sabellij me inſaniam] *Sabellius nolens Iudæis omnino ſubſcribere, Trinitatem in Deo fatebatur, ſed nominum, officiorum, ac proprietatum ſolummodò, non autem propriè dictarum perſonarum, veluti de eo & ſectatoribus teſtificantur Dionyſius Alexandr. Epiphanius, Hilarius, atq; Theodoretus, &c. Viderint Caluiniani perſonæ veram finitionem cum ſuo Caluino peruertentes, quàm turpiter ad Sabellianos deficiant.*

4. Sed ipſum ſe Patrem] *Codex vetus nomine Arnobij obliteræ, iſtud Serapioni tribuit. Deinde, tertiò repetit,* ſi Patrem, ſi Filium, ſi Spiritum; *nos ſe repoſuimus. Poſtremò,* contendit, *pro* contendis *ſcripſimus.*

G

Ser. dixit: Nolo me in altum ducas; & de hoc iam agas, quod ante tempora genuit. Hinc me prius egredi facito, quia te tres deos dicere intelligo. Arn. dixit: Intellectus tuus errorē patitur. 1 Ná debes me meminiſſe dixiſſe, te verè vnū Deum integrum cōfiteri, cùm Patrem & Filium & Spiritum S. vnum Deum ita crederes, vt niſi putatiuè dicas Patrem, ſed verum Patrem, qui genuit verum Filium. Ser. dixit: Ergo & alius, & alius, & alius eſt. Arn. dixit: Alius, & alius eſt; & tamen vnus Deus eſt. Serap. dixit: Hoc ſtare non poteſt, vt alius ſit Pater, qui genuit; & alius ſit Filius, qui genitus eſt: ita vt non ſit ipſe Pater, qui eſt Filius, & tamen vnus Deus ſit. Ar. dixit: Ego in teipſo aſſignabo tibi duas perſonas habere vnam ſubſtantiam. Ser. dixit: 2 Ceſſet ars dialectica. Ar. dixit: Ars dialectica in rebus obſcuris ingreditur, vt videatur eſſe verū quod verū eſt. Ego autē promitto me in teipſo oſtenſurū perſonas duas vnam habere ſubſtantiam: in te, inquam, quia * dialecticos me agere, & non ſimpliciter autumas. Serap. dixit: Doce ergo ſimpliciter aliquas in me duas perſonas vnam habere ſubſtantiā. Arn. dixit: Ecce in vno capite tuo duo ſunt oculi, ſed eſt ſubſtantia eorum vnus aſpectus: duæ nares, ſed vnus odoratus eſt: duæ aures, ſed vnus auditus eſt. Quod ſi vnius ſubſtantiæ in te iſta bina continent vnitatem, non vis in Deo Patre & Filio verè duas perſonas vnam habere ſubſtantiā? Ser. dixit: Incongrua comparatio eſſe dignoſcitur, vt de incorporeo corporea membra in exemplum aſſumas. Iudices dixerunt: Fruſtra quæris de corporeis mēbris ab Ar. ſumptum exemplū. Si enim corporea membra oculorum, narium & auriū ſuis formis diuiſa, & à ſe inuicē quaſi in ſuis cubiculis manentia, hanc obtinent vnitatem ſubſtantiæ, vt vno lumine, vno odoratu, vno fruantur auditu: quāto magis Deus, qui incorporeus eſſe fatendus eſt,

H

* *forte dialecticum*

A dus eſt, vnam cum Filio ſuo ſubſtantiam habens, vnam etiam cum eo obtineat omnipotentiæ maieſtatem? SER. dixit: Acquieſco quidem rationi corporeæ: ſed niſi incorporea fuerint exempla, ad incorporeum illa duci non patior. AR. dixit: Deprecor Iudices, vt indulgenter feratis veſtram renuentē ſententiam. Non enim expaueſco illa incorporea exempla quærerem, cum verum Patrem, verum Filium, verum Spiritum ſanctum, verè tres, verè vnū confiteor omnipotentem & credam. Compellatur ſanè Serpion de hac interrogatione profiteri ſilentium, cùm ſicut de corporeis, ita & de incorporeis, exēpla protulero, quibus aſtruā tres perſonas in vna eſſe ſubſtantia. Iudices dixerunt: 4 Edicat Serapion ad huius rei probationem hoc ſolum deeſſe. vt ab Arnobio incorporea proferātur exempla. SER. dixit: Satisfactum fatebor ſane cum incorporea

B exempla ita fuerint ſicut corporea euidēter expreſſa. AR. dixit: Nunquid poſſumus in vno homine aliquo perfectā dicere ſapientiam eſſe, in quo minimè ſit memoria aut ingenium, aut intellectus? SER. reſpondit: Quomodo perfecta poteſt ſapientia credi, cui vnum de his tribus deeſſe poterit? AR. dixit: Ergo ſi ita eſt, imò quia ita eſt; ſicut in vna ſapientia tres iſtæ incorporeæ perſonæ ſubſiſtūt, id eſt, memoria, & ingenium, & intellectus, & cum tres ſint, non tres faciunt, ſed vnam ſapientiā perfectam, ſi tota tria perfecta fuerint; ita vna Deitas perfecta erit in fide noſtra, cū perfectum Deum credamus Patrem & Filium & Spiritum S. vnam Deitatis omnipotentiam obtinere. Et ſicut nō eſt integra ſapientia, vbi quidpiam de ingenio, aut de memoria, aut de intelligentia defuerit; ſic nec eſt integra fides in homine eo, qui in Patre quidpiam, aut in Filio, aut in Spiritu ſancto, quantum poteſt vnius puncti menſura eſſe, offenderit. Oculorum enim interiorum lumen eſt fides: & ſicut ſi acu tenera aliquam partem pungas in oculo, totū

C lumen conturbas atq; debilitas; ita etiam 5 cum erratum fuerit in hac ſancta Trinitate in aliqua parte quantū concedetur atomo, vel momento, vel puncto, totum ſerenum lumen fidei conuertit in nubilum: & ſemel iam animus vulneratus, nil præter tenebras videt. Iudices dixerunt: Serapion, qui ideo non acquieuit corporeis exemplis aſſumptis, quia videbantur ei incorporeis aptari non poſſe; cedat incorporeis neceſſe eſt prolatis exemplis, vt verè vnam Deitatem veris tribus perſonis fateatur rationabiliter eſſe aſſignatam.

N O T Æ.

1. Nam debes me] *Vetus codex*; Nam debes me meminiſſe dixiſſe te verè vnum Deum integrum confiteri, cum Patrem, &c. *nos* confiteri, cùm Patrem *legendum indicauimus.*

2. Ceſſet ars dialectica] *Cum hæretici paralogiſmis & meris fallacijs tantum ſuos errores ſtabilire conentur: non mirum ſi à Dialectica, quæ ſophiſmata detegere & refellere docet, vt plurimū abhorreant. Hinc enim Donatiſtæ cum Auguſtino congredi nolebant, quod hac diſſerendi arte peritus & munitus eſſet. Et noſtrorum Vbiquiſtarum alter antiſtes Smidelinus, in colloquio Badenſi, iuſſus (ſecundum pacta) in modo & figura ſyllogiſmos nectere, & ſecundùm Dialecticorum regulas diſputare, cum id præſtare non poſſet, in hanc præclaram diſciplinam inuectus, cum fanaticis opinionibus ſuis theatro exſibilatus & pulſus, paulo poſt mœrore confectus animam exhalauit.*

3. Vnam habere ſubſtantiam] *vocem* vnam *adiecimus.*

4. Edicat Serapion] *Vetus codex* Edicat Serapion ad huius reprobationem hoc non ſolùm deeſſe, &c. *Et paulò poſt*: Satisfactum fateor: *pro quo nos* fatebor *collocauimus.*

Li.3 de Trin. 5. Cum erratum fuerit in hac ſancta Trinitate] *Ita & magnus Antiſtes Auguſtinus de eodem myſterio ſcribit*: Nec periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius inuenitur.

SERAP. dixit: Permittite me, Iudices, ab eo inquirere, quæ ſequuntur. Iudices dixerunt: Sicut non permitteris ea quæ iuſtè finita ſunt iterare; ita non prohiberis, quæ non ſunt intimata proponere. SER. dixit: Patrem & Filium ad comparationem primo corpoream, ſecundo incorporeā ducens, vnam Deitatē in his duobus, id eſt, in Patre & Filio docuiſti: modo Spiritum S. noſſe volo quid eſſe commemores: quoniam ſentio quod Patrem duos filios habere credas. ARN. dixit: Niſi te ad rationem humanam duxero, non potes pertingere ad Diuinam. SER. dixit: Duc quocūque volueris, tantum vt me facias ad rationem peruenire Spiritus ſancti. ARN. dixit: Interrogo te vt dicas mihi, cùm dixerit Rex, Ædificetur forum, aut palatium, vel aliquid

E huiuſmodi, hic ſermo qui ex ore Regis egreſſus eſt, ego puto quod ipſe fecit fieri quod non erat. SER. reſpondit: Conſtat quod hic ſermo ex ore Regis egreſſus, facit fieri quod non erat. AR. dixit: Ergo ſermo Patris ex ore procedens, virtute plenus facit omnes viſibiles creaturas. SER. dixit: Iterum me ad Patrem & Filium reuocaſti, cum ego Spiritum ſanctum à te, naſcentem inquiram. AR. dixit: Nō potes inuenire naſcentem Spiritum ſanctum, ſed procedentem. SER. dixit: Ipſam iam proceſſionem oſtende. AR. dixit: Non tibi dixi, quoniam impatienter audis ea, quæ te potuerūt perducere ad indaginem veritatis. SER. dixit: Patienter audiam, ſequar quo volueris, iam mihi Spiritum ſanctum oſtende quid ſentias. AR. dixit: 1 Prius eſt vt fatearis de Filio ſuo dixiſſe Patrem: *Eructauit cor meū verbum bonū.* Pſal.44.1.
SER. dixit: Etiam ſi negare voluerim, præſentes me omnes qui audiunt, confutabūt. AR. dixit: Sermo cum ex ore Patris naſceretur, qui omnia viſibilia & inuiſibilia ſua virtute creauit, nunquam potuit Sermo ſine ſancti Spiritus flatu procedere. SER. dixit: Ergo duo ſunt filij, qui ex ore Patris F
egreſſi ſunt, Sermo ſcilicet & Spiritus. AR. dixit: Erras in auditu. Excidit enim tibi, quia dixi te prius ad exemplum Regis, qui imperauit fora fieri, aut palatia, aut thermas; & adieci: Sermo imperij eius tantā virtutē obtinuit, vt fierent quæ nunquā fuerant. Hæc tu corā hominibus confirmaſti. Reſponde nunc iterū, ſi ita eſt: SER. dixit Ita eſt. AR. dixit: Ergo ſi ita eſt, imo quia ita eſt: reſponde mihi: Vtrū Sermonem hunc natum ex ore imperātis, iuſta ratione confirmetur? SER. dixit: Iuſta ratione natum Sermonem aſſentior. AR. dixit: Nunquid cum naſceretur ſermo iubentis, qui egreſſus ex ore, quæ non erant faceret? Nunquid & flatus, qui procedebat ex eo, qui verbū emiſit, natus potius quā procedens, poterit aliqua ratione monſtrari? Quod ſi id in homine non poteſt fieri imperante, quanto magis hoc in G
Deo? Verbum ex ore generante cadere non poteſt vt ipſe flatus Spiritu ſancto plenus Filius dicatur. Sed eſt Pater qui eructauit Verbum; & Spiritus ſanctus, qui à Patre non ceſſat procedere, habens hanc virtutem quam Filius. Nam *Verbo* Patris *cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Pſal.32.6. Si ita recordaris ſcriptum edicito. SER. dixit: 2 Ita ſcriptum eſſe in libro Pſalmorum primo nemo eſt qui neſciat. Iudices dixerunt: De ſancto Spiritu ſatisfactum tibi, euidens eſt aſſertio, quam tuus probat aſſenſus: nunc ad ea, quæ nondum dicta ſunt, accedamus.

N O T Æ.

1. Prius eſt vt fatearis] *Hunc quoq; Pſalmum de Chriſto intelligendum eſſe non modo Patres Latini & Græci conſentiunt; ſed & Paraphraſtes Chaldæus de rege Meſſia. & quod omniū maximum eſt, Paulus Apoſtolus de Domino Ieſu æterno Filio Dei interpretatur.* Heb.1.2. *Iuſtinus martyr contra Iudæos ſcribens, ait*: Certe in 44. Pſalmo Chriſtus prædicatur ſic: Eructauit cor meum verbum bonum. *Athanaſius vero*, Quis hominum audiens his Dei Patris verbis, Eructauit cor meum verbum bonum, auſit dicere, Verbum quod ex corde Dei progreſſum eſt, ex non entibus exiſtere? *Et idem rurſum*: Si Pater eſt & Filius, neceſſum eſt Filium naturalem & verum eſſe, hoc eſt, coeſſentialem Patri. De operibus quidem ait ſermo diuinus, Ipſe dixit & facta ſunt: de Filio autem: Eructauit cor meum Verbum bonum. *Alios interpretes prætermitto*

Dialog. Epiſt de ſententia Diony. Alexand. Compendio de Spiritu ſancto.

2. Ita ſcriptum eſt in libro Pſalmorum primo] *Epiphanius obſeruauit Hebræos Pſalterium in quinque libros partiri. A primo enim Pſalmo vſq; ad 40. vnum librum faciunt. A quadrageſimo primo vſq; ad ſeptuageſimū primum ſecundū librum. A ſeptuageſimo ſecundo vſq; ad 88. tertium. Ab octogeſimo nono vſq; ad 105. quartum librum. A centeſimo ſexto vſq; ad centeſimum quinquageſimum, quintum librum numerant. Cæterum etiam hunc verſum Pſalm 32.* Verbo Domini cæli firmati ſunt, *&c. etiam ad Filium & Spiritum ſanctum, qui eadem cum Patre voluntate & potentia cælos condiderunt, pertinere, non modo hic Arnobius, ſed & magnus Athanaſius Serm. 4. contra Arianos, Damaſus Papa in ſymbolo, Epiphanius primo libro, tom. 2. Philaſtrius, Fulgentius, & alij Orthodoxi conſtanter docuerunt.*

H Li. de menſ. & ponder.

SERAP. dixit: Ecce ſicut in vna ſapientia, quæ perfecta eſt, memoriam, ingenium, & intelligentiam conteneris, ſic & Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum in vna Deitate eſſe confiteor. Sed quæro abs te: Si vere genuit Pater? ARNOB. dixit: 1 Nihil in Deo factum inuenies, quam quòd eſt. Hoc eſt: Pater enim Pater verus eſt, verus genitor Filij: verus Filius, verus vnigenitus Patris. SERAP. dixit: 2 Antequam generaret Filium, tantummodo Deus fuit; non tamen Pater? ARNOB. dixit Erras in interrogatione: ſemper

enim &

A enim & Deus & Pater fuit. SER. reſpondit: Ergo nô verè genuit. AR. dixit: Verè genuit. SER. reſpondit: Si verè genuit, antequã generaret Deus, Deus fuit: non tamen & Pater ſimul eſſe potuit antequam generaret iſte, qui genuit. AR. dixit: Ideo errorem pateris, quia humanæ fragilitatis comparationem omnipotentiæ Diuinæ impingis. Homo enim antequam filium habeat tantummodo homo eſt: poſtea verò quàm filium habere cœperit, & homo eſt, quod fuit; & pater eſſe incipit, quod antequam filium generaret eſſe non potuit. Hanc iniuriam Deo ne feceris. Deus eſt immutabilis & permanens, nihil in ſe recipit nouum: ſemper enim fuit & Deus & Pater, nec illi hoc nomen paternitatis acceſſit: quoniã omne quod accidens eſt, recedere poteſt; & quod recedere poteſt, etiam deficere poteſt. Diuinitas autẽ, quæ immutabilis perſeuerat, nihil in ſe ex accidẽti aliquid recipit. Hoc enim eſt hodie, quod ſemper fuit. Nihil enim ſicut tibi, ô homo, deficiet ex præterito, nihilq́; ei de futuro excreſcet: nec ſic ei tempora dominantur vt tibi, qui fuiſti prius infantulus, poſtea puerulus, deinde iuuenis, poſtea ſenex, poſt ſenectutem tibi finis occurrit. B Hoc penitus in Deum ſi putaueris venire, & ſtultus oſtenderis, & blaſphemus execrabilis comprobaris. SERAPION reſpondit: Auertat hanc blaſphemiam Deus, quæ nunc ſtultitia nata in ridiculo blaſphemantem arguit. ARN. dixit: Ergo Deus immutabilis eſt, an mutatur in aliquo? SERAP. reſpondit: Immutabilis eſt Deus: ſed tamen te aſtruente quod genuit Filium, mutabilis oſtenditur. ARN. dixit: Reuerti habemus ad comparationes aliquas, per quas oſtendamus ſic naſci, vt inter generantem & generatum nulla poſſit temporum eſſe diuiſio.

NOTÆ.

1. Nihil in Deo factum inuenies] *Lubens legerem* ſictum, *vt huic interrogationi*, Si verè genuit Pater, *correſponderet*.

2. Antequam generate] *Huiuſmodi fuiſſe Arianorum delirationem teſtatur Alexander Eccleſiæ Alexandrinæ Patriarcha, velut ex eius ad omnes Catholicos Epiſtola referunt Socrates & Nicephorus. Athanaſius his verbis eam effert:* Deus, inquit Arius, potentia quidem ſemper, ſed effectu non ſemper Pater fuit: & antequam generaret non erat Pater, ſed erat omnipotens Deus. *Sed huic inſaniæ ſic idem Athanaſius occurrit:* Verum Patrem ſempiternum, verus declarat Filius ſempiternus, qui de eo natus eſt: & verum Filium ſempiternum, verus Pater demonſtrat ſempiternus. Ideo nunquam Pater ſine Filio, quia ſemper Filius fuit cum Patre. *Auguſtinus verò ait:* Nulla ibi tempora cogitentur, quæ habent prius & poſterius: quia omnino nulla ibi ſunt. *Et iterum:* In illa ſumma Trinitate quæ Deus eſt, interualla temporum nulla ſunt, per quæ poſſit oſtendi, aut requiri, vtrum prius de Patre natus ſit Filius, & poſtea de ambobus proceſſerit Spiritus ſanctus &c.

Lib 1. hiſt. cap.6.
Lib.2.c.8.
Lib. de vnitate ſanctiſſ. Trinit.
C
Lib. 11. de Trin. c.26.

SERAPION dixit: Nouam rem audio, vt inter generantem & generatum nullum medium poſſit tempus oſtendi. ARNOBIVS dixit: Ideo Cognitores habemus & Iudices, vt vereamur nos dicere oſtenſuros quod oſtendere non valemus. SERAPION dixit: Caue ne iterum corporea mihi aliqua exempla adferas quibus nitaris incorporea coaptare. ARNOBIVS dixit: Iam timeo prudentiam tuam in hac parte offendere. SERAPION dixit: Non meam prudentiam, ſed omnium cognitorum & iudicum. ARNOBIVS dixit: Audi ergo incorporeã generationem de corporeo homine. SERAPION dixit: In dialecticum ſophiſma prorumpis. ARNOBIVS dixit: Dialecticum ſophiſma duas facies recipit: & vt verum probetur quod aſtruitur, & non verum ex aliqua parte arguatur. Nunc autem quod dixero, cùm veritatem ſolùm oſtendam, & ex nulla parte fallaciæ notam incurrat, quomodo poterit dialecticum quod ingero, argui? Nunquid nam ſi dixero, vox hominis incorporea eſt, mentior? SERAP. dixit: Quis enim vocem vnquam corpoream dixerit aliquando? ARNOB. dixit: Non dixit hoc vllus, tamen ego hoc volo dicere, quod vox hominis incorporea ſit. SERAP. dixit: Hoc dicis quod nullus ignorat. ARNOB. dixit: Ex voce verbum naſcitur, an vox ex verbo? SERAPION dixit: Ex voce verbum. ARNOBIVS dixit: Verbum quod ex incorporea voce natum eſt corporeum, an incorporeum eſt? SERAP. dixit: Incorporeum. ARNOBIVS dixit: Ecce ex incorporea voce ſermo natus incorporeus eius filius vocis eſt. 1 An poſſit poſterior inueniri? Quod ſi tempus nullum inter verbum & vocem inuenire præuales, quomodo inter Patrem & Filium Deum immutabilem medium aliquod tempus inuenire poteris? In hac autem ipſa indagine, etiam ſancti Spiritus non eſt intermittenda tertia perſona. Quia cùm ex voce naſcitur ſermo, flatus non naſcendo, ſed procedendo egreditur, per quem vocis verbi integritas cuſtoditur: ita & Spiritus ſanctus procedens ex Patre, per quem integra & perfecta Trinitas in Catholicis definitionibus cuſtoditur, patefacit non fuiſſe vnquam ſine filio Patrem. IVDICES dati dixerunt: Probabiliter Arnobij aſſertio ſanctum quoque Spiritum cum Patre & Filio euidenter expoſuit: ſi ſunt alia quæ nondum dicta ſunt, proferantur. SERAPION dixit: Quæ me mouent, ſi non protulero, caſſabuntur in animo meo ea quæ explanata ſunt, per ea quæ minimè prolata ad explicationem pertingere potuerunt. IVDICES dati dixerunt: Videbimur & nos vano labore fatigati audiendo, & vos ſine cauſa laborare dicendo, ſi ea repetantur quæ finita noſcuntur. Vnde cauendum tibi eſt omnimodis & ſtudendum, ne ſemel expoſita & finita, quaſi amens reuoces ad luctamenta verborum. E

NOTÆ. F

1. An poſſit] *Codex vetus:* Filius vocis eſt, poſſit poſterior inueniri. *Cùm ex his nullum poſſemus ſenſum elicere, addidimus*, An poſſit. *De Filij porrò æterna generatione ſcribit Nazianzenus.* De generatione ſilentio eſt colenda. Et quod ſanè genitus ſit Filius didiceſſe te magnum quiddam eſſe conſiſtere: verum quomodo generatus ſit noſſe, ne Angelis quidem datum eſſe conceſſerim. *Et Ambroſius:* Scire licet quod natus ſit, quomodo, diſcutere non licet. *Ephrem Syrus elegantem librum edidit aduerſus eos, qui naturam Filij Dei ſcrutari volunt.*

Libr 3. de Theolog.
Lib. de fid. ad Grat.

SERAPION dixit: Iam quæ ad conſenſum meum pertingere expoſita potuerunt nulla poſtero ratione iterare: ea tamen quæ ex eis ſi quæ finita ſunt oriuntur, neceſſe eſt vt proponam. Et adiecit: Dic mihi Catholice, qui Filium non negas ex Patre genitum, Voluntate eum genuit Pater, an neceſſitate? ARNOBIVS dixit: Nec voluntate, nec neceſſitate. IVDICES dixerunt: Aperi quod dixeris, quia clauſum eſt. ARNOBIVS dixit: Omnis homo qui vult aliquid, aut non vult, ſi ſapientiam ante non habeat, non poteſt aliquid iuſtum velle vel nolle. Ergo per prius eſt vt ſapientiam habeat, quàm virtutem, qua poſſit aliquid vel velle, vel non velle: & ita demum incipiat iam ſapere & velle, cùm per ſapientiam didicerit ſe habere poſſe. Quærit ergo à me Serapion: Si Pater neceſſitate genuit Filium, G an voluntate? Breuiter reſpondeo de vno. Neceſſitatem qui patitur, Deus omnino nec dici debet, nec credi. Quũ ergo de vna re abſoluta ſit quæſtio, altera quæ ſupereſt hoc ordine terminanda eſt, vt interrogem interrogantem me: vtrum ſit prius ſapere rationabiliter, quàm ratione breuiter velle? IVDICES dati dixerunt: Reſpondeat Serapion his, quæ ſciſcitatur Arnobius. SERAPION dixit: Quis eſt qui ignoret, quin prius ſit rationabiliter ſapere, quàm rationabiliter velle. ARNOBIVS dixit: Si prior eſt ſapientia quam voluntas, præceſſit Filius voluntatem, & ante eſt genitus, quàm genitor aliquid vellet aut nollet: quia quando voluntas cœpit, iam ſapientia, quam ipſe confeſſus es, erat anterior. Et licet ratio à me data tuo iam ſit formata H conſenſu, cùm diceres, quis eſt qui neſciat, quod prius ſit rationabiliter ſapere, quam rationabiliter velle: hæc ratio à me data, tamen Apoſtoli eam Pauli authoritate firmabo, qua dicit de Dei Filio, quia ipſe ſit *virtus & Dei ſapientia.* IVDICES dati dixerunt: 2 Conſtat Arnobium rectè dixiſſe, nec voluntate, nec neceſſitate Patrẽ Filium genuiſſe, quia Deus neceſſitatem non habet: voluntatem anteriorem ſapientia eſſe non poſſe, & humana ratione edocuit, & Apoſtoli authoritate firmauit. Si ſunt alia à Serapione proferenda pandantur.

1. Cor. 1. 24

D

NOTÆ.

1. Quam virtutem] *Codex vetus.* & non virtutem.

2. Conſtat Arnobium] *Non modo à priſcis Patribus, ſed etiam à Lombardo accuratè diſcuſſa fuit hæc quæſtio*, An volens, an nolens, *& quod in idem recidit*. An libertate, an neceſſitate Pater genuerit Filium? *quæ hic inter Arnobium & Serapionem ventilatur. De hac Oroſius ſcribit ad Auguſt.* Voluntate genuit Pater Filium, vel neceſſitate? ſed nec voluntate, nec neceſſitate, quia neceſſitas in Deo non eſt: præire autem voluntas ſapientiam

Lib. 1. ſent. diſt. 6
Tom. 4. Aug Dial. quæ. 7.

A

Lib. 15. de Trin. c. 10.

pientiam non potuit. *Idemq; Auguſtinus refert hæreticum verſutiſſimè quendam Catholicum interrogaſſe:* Vtrum Deus Filium volens vel nolens genuerit: *vt ſi diceret, nolens, abſurdiſſima Dei miſeria ſequeretur: ſi autem, volens, continuò quod intendebat concluderet, ſcilicet, non naturæ eſſe Filium, ſed voluntatis. Catholicus verò vigilantiſſimè quæſiuit viciſſim ab illo,* Vtrum Deus Pater volens aut nolens ſit Deus: *vt ſi reſponderet, nolens, ſequeretur grandis abſurditas & miſeria, quam de Deo credere magna eſt inſania. Si autem diceret volens, reſponderetur ei, ergo & ipſe voluntate ſua Deus eſt, non natura.*

Lib. 15. de Trin. c. 20.

Scribit rurſum idem Auguſtinus Eunomium cum non potuiſſet intelligere, aut credere noluiſſet vnigenitum Dei Filium, Verbum Dei eſſe natura, id eſt, ſubſtantia Patris genitum, non natura vel ſubſtantia Filium eſſe dixiſſe, ſed voluntatis: vt hinc aſſereret, acceſſiſſe Deo voluntatem qua illum gigneret, ſicut nos aliquando aliquid volumus, quod antea nolebamus.

Ser. 4. cōtr. Arian. Epiph. contr. hæreſ. 69.

Athanaſius quoque teſtatur Valentinianos & Arianos contendiſſe, Filium quadam excogitatione præcedentiq; voluntate paterna genitum, vt illum adæquarent creaturis quæ non ex diuina ſubſtantia, ſed beneplacito liberaq; Dei voluntate prodierunt.

Quid porrò ad hæc patres ſcholaſtici? Nodum faciiè ſoluunt, docentes, Filium non eſſe genitum voluntate aut præcedente, aut accedente, aut elicita, aut producente, vt contendebant hæretici: ſed bene voluntate cooperante, concomitante ac bene complacente. Primam ſolutionis partem confirmant ex his magni Athanaſij verbis:

B

Ser. 4. cont Arian. Hebr. 2.

Apoſtolus non voluntatis, ſed ipſius paternæ ſubſtantiæ proprium ſplendorem & ſigillum Filium prædicat dicens, qui cùm eſſet ſplendor gloriæ, & forma ſubſtantiæ eius. Quod ſi ex voluntate paterna ſubſtantia non exſtitit; clarum quoque eſt, Filium ex voluntate ortum non habere. Certè ipſe Pater non dixit: Iſte eſt Filius voluntate genitus; neque, quem ex placito obtinui:

Matth. 17.

ſed ſimpliciter: Hic eſt Filius meus, &c. *Secundam verò ex eo quod Pater ſimul eſt bonus, potens, volens, & generant cùm bonitas, potentia, & voluntas ſint eius ſubſtantia: itaque ſi bonus & potens gignit Filium, volens quoque producit.*

Dialogo.

Huc pertinent iſta Iuſtini martyris verba: Pater voluntate ſua Filium genuit. *Et Hilarij cenſura grauiſſima:*

Li. de ſyn.

Eos qui dicunt de non extantibus eſſe Filium Dei, ſimiliter qui dicunt, quod neq; conſilio neque voluntate Pater genuerit Filium, anathematizat ſancta Eccleſia. Si quis nolente Patre dicat natum Filium, anathema ſit. Non enim nolente Patre coactus Pater vel naturali neceſſitate ductus, cùm nollet, genuit Filium: ſed mox vt voluit ſine tempore ex ſe vnigenitum demonſtrauit. *Sed de his iam ſatis.*

SERAPION dixit: Tres perſonas memoror te dixiſſe, Patrem genitorem filij, Filium genitum Patris, Spiritum ſanctum 1 procedentem ex Patre, tres iſtas perſonas habere Deitatem ſuam, & integerrimam memoraſti. ARNOB. dixit: Ita eſt. SERAP. dixit: Pater ergo Filius non eſt, nec ipſe

C

Filius qui Pater, nec Spiritus ſāctus ipſe qui Pater & Filius: ſed vnuſquiſque in ſua perſona perfectus eſt Deus. ARN. dixit: Ita eſt. SERAP. dixit: Quid ergo nunc ais ad interrogationem meam, cum te interrogem; & dicas mihi Pater perfectus eſt Deus, Filius perfectus Deus, Spiritus ſanctus perfectus Deus. Ita dicis? ARN. dixit: Ita dico. SER. dixit: Et ſi ita dicis, 2 quomodo tres deos eſſe non credis? ARNOB. dixit: Et ſi obliuio tui dominatur, non dominatur in vniuerſis Cognitoribus & Iudicibus attributis. Sciunt enim me & duorum oculorum, vnum aſpectum; duarum aurium, vnum auditum; & duarum manuum, vnum adtactum; & duorum pedum, vnum greſſum; & duorum labiorum atque vnius linguæ, vnum memoraſſe ſermonem: & memoriæ, atque intelligentiæ, & ingenij,* his tribus vnam ſapientiam; & tot membris corporeis vnius vitæ ſubſtantiam; & in quinque ſenſibus vnum intellectum; qui per oculos videndo, per aures audiendo, per os deguſtando, per nares odorando intelligat. Cùm ergo iſta om-

D

nia diſputatio noſtra tractaſſet, & ſit de vnitate finitum; quæ ratio nos iterum ad ea reuocat, quæ ſint & mutuo cōſenſu, & Iudicum lata inter partes ſententia iam finita? Cùm dixiſſem, ſicut memoria, & ingeniū, & intellectus, vnum ſapientiæ obtineant munus, ita Pater cum Filio & cum Spiritu ſancto vnum omnipotentiæ ſuæ permanet regnum. SERAP. dixit: De vniuſcuiuſque perfectione Deitatis, nec ego interrogaui, nec tu inde dixiſti. Aio nunc enim: Pater perfectus Deus, Filius perfectus Deus, Spiritus ſanctus perfectus Deus, tres faciunt deos. 3 Aut enim tertiam partem vnus Deus habet, vt per quaternas vncias tantùm tres vnam Deitatem habeant: aut tres dij ſint, ſi vnuſquiſque in ſua Deitate perfectus eſt. ARNOBIVS dixit: Breuitati ſtudenti mihi, laciniosa diſputatione occurris: ſed quantum tu in prolixum ire vis, tantum te ego in breui concludam. 4 Pone tres pretioſiſſimas margaritas incomparabiles, vnius tamen meriti, in obſcuro loco, aut in cæca nocte repoſitas. Cùm tamen venerit lumen diei & ſolis ſplendor, quanto amplior fuerit ſerenitas luminis, tanto

E

erit amplior oculis attendentibus horum trium lapidum pretioſorum ſplendor. Interrogo nunc. Iſti tres lapides incomparabiles antequam manifeſtarentur à lumine, in ſua pretioſitate manebant, & pulchritudo eorum in ipſis erat, oculis tamen hominum non parebant? SERAPION dixit: Ita eſt. ARNOBIVS dixit: Lux quæ eos manifeſtauit totos tres lapides, vna eſt, an duæ, an tres luces ſunt diei? SERAP. dixit: Quis negat quod vna lux eos manifeſtare poteſt, etiam ſi mille ſint? ARNOB. dixit: Ego quidem tres dixi, tu mille concedis. Si ergo mille lapides pretioſi vno diei lumine 5 ornatum ſui ſplendoris oſtendunt, quomodo non Pater & Filius & Spiritus ſanctus vnius Diuinitatis ſuæ omnipotentiam vno pandunt lumine, Deitatem non oculis corporeis, ſed oculis cordis, ſi fuerit fidei Catholicæ feneſtra adaperta, vt intret per eam ſol iuſtitiæ, & ſuo lumine radiantur? Verè itaque tres lapides pretioſos vnius meriti, vnius maieſtatis, vnius pulchritudinis, vnius diade-

F

matis, vnius quoque & regni euidenter oſtendat, non vt vnum bonum, alterum meliorem putes: vt ſic vnum magnifices, vt ad iniuriam alterius alterum magnificentiorem exiſtimes. Vnuſquiſque enim lapis verus ita eſt, vt nihil 6 dehabeat quo poſſit alius verior æſtimari: tantùm & fides aperiat feneſtras animorum, quas ſine credulitate noſtra nec Deus ipſe aliquando patefecit. Non enim ſaluabitur niſi qui credulitatem ſuam fidei rectæ ſubdiderit, & ipſa aperuerit feneſtras intelligentiæ, vt videat iſtas tres pulcherrimas gemmas in vno regno conſtructas, vnum diadema facere, & vnum maieſtatis imperium obtinere. SERAPION dixit: Iſti tres lapides licet vnius pretioſitatis, vniuſque ſint pulchritudinis, tamen à ſe diuiſi ſunt. ARNOBIVS dixit: Tu diuiſionem vidiſti trium, ſed vnum regnum vnius diadematis non vides. SERAPION dixit: Vnum diadema video, ſed in ipſo diademate 7 cataclyzomatis arte ſunt gemmæ conſtructæ. ARNOB. dixit: Sicut tibi cataclyzomatis arte ſunt gemmæ conſtructæ, ita hîc naturaliter in vno omnipotentiæ theſauro poſitæ, illis tantùm manifeſtantur, quorum credulitas egerit, vt fides

G

integra aperiat ianuam theſauri huius perpetui, ac patefaciat & iſtam Trinitatis vnitatem perfectam, & ipſius vnitatis integerrimam vnitatem: verum Patrem qui ſemper fuerit Pater: & verum Filium, cuius ſemper fuerit Pater. 8 Non enim ſicut ante Filius ſi non fuerit Patris ſui, non poteſt effici Pater Filij ſui. Nihil enim mutatur in eo qui verus Deus eſt; ſed immutabilis idem ſemper eſt, & quo ſemper fuit Deus, qui verè vnus & trinus eſt, non poteſt Deus credi qui incipit eſſe quod non fuit. 9 Ex quo enim eſt quod Deus eſt (ſi tamen dici debet) ex quo eſt hoc quo Deus eſt, (quod inopia humani ſermonis dici permittit) non ipſa ratio maieſtatis: ex eo enim quod Deus eſt, ex eo & Pater, ex eo & Filius eius, ex quo & Deus & Pater eſt. Nihil enim in ſe per ſubſtantiam habere cœpit, quod ante non habuit. Semper enim cum virtute fuit, quæ eſt Filius: ſemper cum flatu ſuo, qui eſt Spiritus ſanctus. SERAP. dixit: Ad omnia quieſco, & ſemper fuiſſe totam Trinitatem confiteor. Sed maiorem Patrem quare non credam, cùm non naſcitur Pater de Filio, ſed Filius naſcatur ex Patre? ARN. dixit: Iam diximus

H

ex voce naſci ſermonem, nec ideo vox maior eſt quod ex ipſo naſcitur ſermo: vno eodemque momento & vox ſermoque ſimul oriuntur & flatus. Ceſſat amplitudo, & diminutio, quod tempus nullum interpolat inter vocem &

Pſal. 44.

ſermonem & flatum. Nam ſermonem eſſe Filium approbat Pater, ſacra Scriptura teſtante; *Eructauit cor meum verbum bonum.* Et quid iam bonum quàm Filius, à quo omnis bonitas: Verbum autem eructuantis ex corde, ſine Spiritu eructuantis, & flatu naſci non potuit. Flatus eſt enim qui procedit, quando naſcitur verbum. Vnde & paulò ante

Pſal. 32. 6

iam dixi, *Verbo Domini cæli firmati eſſe* à Prophetis dicuntur, *& Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* IVDICES dati dixerunt: Ex abundanti de inuiſibili maieſtate Trinitatis dictum ſit ab Arnobio, quod repetitis intentionibus Serapionis ex integro ſatis cognouimus factum. Si eſt aliud quod Serapion intimet, pandat.

NOTÆ

A

NOTÆ.

1. Procedentem ex Patre] *Non hic tantum Serapion, ſed & ſupra Arnobius tradit Spiritum ſanctum procedere a Patre, nulla Filij facta mentione quod veteribus ſolenne, antequam aduerſum errorem Græcorum prurientium, nam Eccleſia manifeſtiſsime explicaſſet atque definiſſet. Non quod enim à Filio quoque procedere negarent: ſed quod expreſsis in ſcriptura verbis contentæ, id per amplum explicare tunc non eſſet neceſſe. Sic enim Theodoretum ait:* Spiritum ſanctum ex Deo & Patre ſubſtantiam habere didicimus. *Cyrillus quoque:* Spiritum ſanctum ex ſubſtantia Dei Patris eſſe docemus. *Et ne Latini deſint, Fulgentius etiam ait:* Vnus eſt Patris & Filij Spiritus, totus de Patre procedens, totus in vtroque conſiſtens.

Epitome diuin. decret. Lib. 2. in lo ca 40. Lib. 2. ad Monim.

2. Quomodo tres deos] *Non defuerunt prisc is temporibus hæretici Tritheitæ qui ex tribus perſonis tres deos architectarentur, vt ex Nicephoro aliiſque colligitur: qui & nunc, (ò tempora.) in Tranſſyluania, Hungaria, & Polonia ex illis velut ſcarabei ex ſtercore renaſcuntur. Nos horum confutamus inſaniam, vna Bezam diuinam eſſentiam in trium perſonis realiter diſtinguentem, & Bertheſium eandem triplicantem, & in D. triplicem ſpiritum confingentem confutamus.*

Dialogo primo.

B

3. Aut cui tertiam partem] *Auguſtinus aduerſus hanc Arianorum dementiam & blaſphemiam his verbis fulminat:* Maledictus qui indiuiſam Deitatem Patris & Filij & Spiritus ſancti non confitetur. Maledictus qui propria nomina perſonarum, tres deos, aut tres dominos, aut tres ſpiritus confitetur. *Et alibi rurſum:* Si quis non dixerit Patris & Filij & Spiritus ſancti vnam Diuinitatem, parem maieſtatem & potentiam, vnam gloriam & dominationem, vnum regnum atque vnam voluntatem, anathema ſit, &c.

Serm. 6. de temp.

Ser. 129. de temp.

4. Pone tres pretioſiſsimas margaritas] *Huic exemplo appoſitè conuenit quod Gregorius Turonenſis & Sigebertus referunt: nimirum, irrumpente in Gallias Arianiſmo, cum Epiſcopus Vaſatenſis ſacrum publicum faceret, è ſuperis deſcendiſſe ſuper altare tres aquæ guttas, quas cum vellet colligere, illæ in tres humillimas & pellucidas gemmas coaluerunt, denique in vnicam ita coaluerunt, vt non iam tres, ſed vnica, eaque mirifica pulchra euaſerit.*

5. Originali] *Codex vetus* inormitatem.

6. Dehabeat] *Nouo dictum, pro, careat, deſtituatur, priuetur, &c.*

7. Catacly ſmatis arte] *Fortè, quoddam artificium gemmas diſponendi, iniungendi, ſculpendi, vel pingendi, hac voce ſignificat: niſi malis,* Catacly ſmatis arte *legendum.*

8. Non enim ſicut aote] *Obſcurus locus, & quicodice indiget emendatiore. Puto tamen eum velle: Vt nullus antea filius dici poteſt, quam patrem habeat: ita nec pater cenſeri niſi filius ſit. Sunt enim correlata, quæ poſita ſe ponunt, & perempta premunt: itaque inſanum ac impium eſt imaginari Deum Patrem Filium præceſſiſſe: aut Filium Patre poſteriorem eſſe.*

C

9. Ex quo enim eſt] *Arbitror hunc ſenſum eſſe: Deus Pater non fuit aliquo inſtanti ſeu momento prius Deus, quam Pater: ſed ab omni æternitate & Deus ſimul & Pater: cum Filius ei conſubſtantialis & coæternus ſemper coexſtiterit. Hoc palam prædicat & aduerſus omnes hæreſes aſſerit Irenæus martyr, nimirum Verbum ante omnes creaturas ſemper cum Patre extitiſſe. Athanaſius quoque alicubi laudat Dionyſium Alexandrinum ſcribentem:* Nunquam fuit quando Deus non erat Pater, quod Filius eius Verbum, Sapientia, & virtus nunquam non fuerit. *Et paulo poſt, ita de eodem dicit:* Iam quia ſplendor eſt æternæ lucis, omnibus quoque modis ipſe quoque æternus eſt, luce enim ſemper exiſtente & ſplendor ſemper exſtitit. *Et Aug.* Sicut Pater nunquam fuit non Deus, ita nunquam fuit non Pater.

Lib. 2. cap. 45 & libr. 4. c. 37. De Epiſtola Dionyſij Alexandr. De Eccleſ. dogmat.

SERAPION dixit: Non ſit incongruum hoc quod animi impulſu inquiro, vt exprimas in hac ſancta Trinitate, quis eſt qui primum obtinet locum? ARNOBIVS reſpondit: Pater primum obtinet locum. SERAPION dixit: De Filio quid dicis? ARNOBIVS dixit: 1 Et ipſe primum. SERAPION dixit: Quid etiam de Spiritu ſancto? ARNOBIVS dixit: Et ipſe primum obtinet locum. SERAPION dixit: Ergo non eſt Trinitas. ARNOBIVS dixit: Trinitas ita eſt, vt non dicamus, primus, ſecundus, tertius: ſed vnum, duo, tres. SERAPION dixit: Pater primus eſt, & Filius primus eſt, & Spiritus ſanctus primus eſt: tres primi, tres dij ſunt. ARNOBIVS dixit: 2. Pone tres Imperatores in vno regno, in vna concordia, in vna ſede, in vna ſuauitate, in vno amoris affectu, in vna poteſtate: & quære in ipſis, qui primum locum poteſtatis obtineat? Sine dubio qui toti tres Auguſti ſunt, toti tres primi ſunt: ſecundum vero locum, & tertium poteſtatis ab Auguſtis ordinatæ habebunt. SERAPION dixit: Ergo primus in his Imperatoribus non eſt, qui inter iſtos primum cœpit habere imperium? ARNOBIVS dixit: Inter homines quidem ipſe eſt prior Auguſtus, qui prior cœpit regnare ſolus; & poſtea iſtos aut generando, aut eligendo conſtituit: in Diuino autem imperio nunquam inuenies ex his tribus vnum regnare ſine alio. SERAPION dixit: Et quare trium Imperatorum, in quo dicere poſſimus, primus, ſecundus, tertius, exemplum nobis in medium protuliſti? ARNOBIVS dixit: Vt oſtenderem tibi fragilitatem humanam tantam habere gratiam in regno, vt cum pro certo doceatur primus, ſecundus, tertius, hic ordo per concordiam imperij excluſus, numerum tantummodo teneat; ordinem vero penitus non admittat. Omnes enim hi tres vnum regnum, vnum imperium, vnum Auguſtæ dignitatis faſtigium poſſidentes, hunc habent ſecundum, qui primus non fuerit, ſicut ipſi ſunt primi. SERAPION dixit: Tibi nunquid videtur integrum eſſe, vt Diuinæ & cœleſti maieſtati, temporale hoc regnum aptetur? ARNOBIVS dixit: Et ſi temporale imperium hoc mortale, tantam in ſe continet concordiam pacis, 3 vt qui alijs ætate ſit maior naſcendo, & imperando prius: hic minor, qui poſt multos annos ac hodie ſumpſit imperium; ab ea tamen hora qua eſt Auguſtus effectus, minor eo qui prior generatione cœpit, eſſe non poſſit: quanto magis in hac ſanctæ Trinitatis Diuina concordia, in qua vnus nunquam cœpit cœleſtis æternique ſolij tenere imperium; tanta eſt vnitas, vt numero tres computati, vnum vniuſque poteſtatis habentes imperium, vnus Deus & vnus Dominus nuncupentur? In nullo enim à ſe diſtat Diuina natura. Et ſi ordinem, quem in hominibus prior ætas admiſit, æqualitas poteſtatis excludit; quanto magis Diuina omnipotentia, vbi in Trinitate nullus anterior, 4 nullus eſt omnino poſterior; ita vnitas, ita indiuiſa maieſtas, vt cum vere trium numerum teneant, vere vnus Deus, origo pacis, quietis & tranquillitatis exiſtat? IVDICES dati dixerunt: Aut Serapion ſi valet, contra hæc proferat aliquid, aut Arnobius huius aſſertionis ſuæ breuiter colligat ſummam. Cumque diuturno Serapion vteretur ſilentio, ARNOBIVS dixit: Deus noſter vnus eſt: nam cum ſit Pater & Filius & Spiritus ſanctus, nemo autem Chriſtianus tres deos vel dicere audet vel credere; quoniam (vt dixi) in nullo à ſe Diuina diſtat natura: primum enim & ſecundum vel tertium ordinem, quem inchoatio prima vel ſecunda vel tertia in hominibus per interualla temporum facit, in Deo, quæ ante tempora eſt æqualis inchoatio, in tantum non admittit, vt nec inchoatio dici poſſit, quod ante tempora extitit. Cum ergo gradus fieri ex paſſibus omnis non poſſit, qui ſubdi non poteſt, numerum ſeruat Trinitatis, ordinem vero vnum æqualitatis aſſignat. Et ideo, vt dixi ſuperius, 5 quia non habet ſecundum, qui primus eſt; nec tertium, qui ſecundus de * primo non naſcitur. Tolle diſtantiam, & quod in Trinitate credideris, primum inuenies, vt nullum ſecundum, vel tertium, ſed vnum Deum habere gratuleris.

D E F G *

NOTÆ.

H

1. Et ipſe primum] *Notum eſt tam ex hoc loco, quam ex Athanaſio, Hilario, ac Epiphanio, Arianos tantam inæqualitatem inter Diuinam perſonas conſtituiſſe, vt Patri ſolummodo tribuerent primum honoris & poteſtatis locum, Filio vix ſecundum, Spiritui tertium relinquerent: quam hæreſim nunc inſtaurare Caluiniani conantur, quando cum ſuo Authore contendunt, Nomen Dei & Creatoris per antonomaſiam ſoli Patri conuenire, Filio improprie: Filium etiam ſecundum Diuinam naturam futurum Patri ſubditum: Patrem eſſe primam cauſam rerum omnium, Filium ſecundam, Spiritum tertiam: Chriſtum vt Dei vitatrum, ſecundum vel proximum à Patre honoris ac imperij gradum occupare &c. Contra vero Scriptura diuina clamat.* Hi tres vnum ſunt. *Et Dei Filius ſanctiſſime & grauiſſime conteſtatur,* Ego & Pater vnum ſumus. Ad eum (*pium hominem*) veniemus, & manſionem apud eum faciemus. *Hinc Cyrillus ait:* Vna Deitas Trinitatis eſt, vna glorificatio, eademque dominatio. *Et rurſum.* Abraham in tribus viris ab ipſo conſpectis Trinitatem conſubſtantialem cognouit & adorauit. *Aſſentit & Leo magnus his verbis:* Non alia ſunt Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti: ſed omnia quæcunque habet Pater, habet & Filius, habet & Spiritus ſanctus: nec vnquam in

Athan. in illud, Omnia mihi tradita.

Vide Dialo. 1. contra hæreſ. 12

Lib. 1. theſ. ca. 5. Lo 1 cont. Iulian.

S illa

A illa Trinitate deſit iſta communio. Nulla ibi tempora, nulli gradus, nullæ differentiæ cognoſcuntur, &c. *Item:* Ideo beatam Trinitatem vnum confitemur Deum, quia in his tribus perſonis nec ſubſtantiæ, nec potentiæ, nec voluntatis, nec operationis eſt vlla diuerſitas, &c.

2. Pone tres Imperatores] *Huiuſmodi fuerunt pro tempore Auguſtus, Antonius, & Lepidus, à quibus Triumuiratus. Simul etiam imperauerunt tres filij Conſtantini magni: & poſtea Honorius, Arcadius, Gratianus: tametſi non tanta conſenſione animorum quanta decuiſſet.*

3. Vt qui aliis ætate] *Codex vetus:* Vt cum aliis & à te ſit maior, &c.

4. Nullus eſt omnino poſterior] *Confirmatur illud ſymbolo Athanaſii, quo dicitur:* In hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus, &c. *Et Martialis Epiſtola ad Burdegalenſes docet tres perſonas diuinas eſſe vnius æternitatis, vnius voluntatis, vnius eſſentiæ, &c.* [Cap. 10.]

5. Quia non habet ſecundum] *Vult in Diuinis primum non dici relatiue ad ſecundum, aut tertium: quandoquidem numerus ille qui ad generis aut quantitatis rationem attinet, ibidem nullus ſit: ſed duntaxat tranſcendens ac infinitus, qui abſque tribus perſonis non diſtinguitur. Quod his verbis docet Boetius:* [Libr. de Trin. & vnit. Dei.] Deus à Deo nullis vel accidentalibus, vel ſubſtantialibus differentiis in ſubiecto poſitis diſtat. Vbi vero nulla eſt differentia, nulla eſt omnino pluralitas; quare nec numerus, igitur vnitas tantum. B Nam cum tertio repetitur Deus, cum Pater & Filius & Spiritus ſanctus nuncupatur, tres vnitates non faciunt pluralitatem numeri, &c. Non igitur ſi de Patre, Filio, & Spiritu ſancto tertio prædicatur Deus, idcirco trina prædicatio numerum facit. *Et Auguſtinus:* [Tract. 39. in Ioan.] Eſt aliquid in Trinitate ineffabile, vt & numerus ſit, & numerus non ſit. Pater & Filius & Spiritus ſanctus Trinitas. Si tres, quid tres? deficit numerus. Ita Deus nec recedit à numero, nec capitur numero. Quid ſunt iſti tres, Pater & Filius & Spiritus ſanctus? Non tres dii? Non. Non tres omnipotentes? Non. Non tres mundi creatores? Non. Hoc ergo ſolum numero inſinuant, quod ad inuicem ſunt, non quod ad ſe ſunt.

SERAPION dixit: Fateor mihi de vniuerſis quæ oppoſui ſatisfactum rationabiliter: ſed ſuperſunt mihi multa interrogationum capitula, & præcipue de Incarnationis Dominicæ ſacramentis, 1 quæ ſi inſuper non haberis, me interrogare præcipite: quoniam ſicut fateor ſatisfactum mihi ab Arnobio, ita noſtis Cognitorum electi, nihil me legali authoritate geſſiſſe. C Video enim tam veteris Teſtamenti quam noui, hunc Deum Patrem ingenitum, ita genito præponi, vt ſecundum poſt Patrem locum obtineat. ARNOBIVS dixit: Profer ergo Legis diuinæ teſtimonia, quibus Patrem maiorem Filio oſtendas. SERAPION dixit: 2 Ipſum Filium Dei conſidera Salomonis ore teſtantem: [Prou 8.22.] *Dominus creauit me initio viarum ſuarum in opera, ante ſæcula creauit me.* Ipſe autem Deus Pater de Filio per Eſaiam prophetam dicit: [Iſaia 8.14.] 3 *Ecce ponam in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali: & omnis qui crediderit in eo, non confundetur.* Ita Dauid de eo canit: [Pſ. 117. 22] *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes* & cætera. Vnde & Eſaias dixit: [Iſaia 45.1.] 4 *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Domino.* Vnde ipſe Pater iubet Filio dicens: [Pſal 109 1.] *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis,* & cæt. Vnde & Stephanus de Filio dicit: [Act 7 56.] *Video IESVM à dextris Dei:* Dei vtique Patris, qui eſt (teſtimonio Pauli Apoſtoli) [1.Cor.11.3.] *caput Chriſti, Chriſtus autem viri, vir autem caput eſt mulieris.* Hic eſt Pater qui dicit Filio: [Pſal 109 3.] 5 *Ante luciferum genui te.* Vnde & Chriſto dicitur, [Pſal.90.11.] *Quia angelis ſuis mandauit de te.* Eſt ergo amplior qui mandat, & de quo mandatur minor eſt. D Vnde ad Apoſtolos ſuos ipſe Dominus dicit: [Ioan.14.28] *Si diligeretis me, gauderetis, quia vado ad Patrem:* 6 *quia Pater maior me eſt.* Et iterum: [Ioan.10. 29.] *Pater qui dedit mihi, maior me eſt.* Item dicit ipſe Filius Dei ad Patrem: [Ioan.17 3.] *Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te vnum & verum Dominum, & quem miſiſti IESVM Chriſtum.* Filius ergo ſecunda perſona eſt poſt Patrem, quia Filius eſt, non eripiens Patri illud, quo vnus eſt Deus. Si enim innatus fuiſſet, comparatus ei qui innatus eſt, par æquatio in vtroſque oſtenſa duos faceret innatos: & ideo duos oſtenderet deos, ſi Filius ſicut Pater eſſe ſine origine potuiſſet, & ſicut Pater inuiſibilis & incomprehenſibilis extitiſſet. Nunc autem quicquid eſt Filius, non ex ſe eſt, qui nec innatus eſt: ſed eſt ex Patre, & Patri ſuo originem ſuam debet, quam ſumpſit oriundus ex eo, qui originem non habet. Vnus eſt enim omnium Deus ſine principio, de E quo dicit Filius qui principium habet: [Ioan.14.28] *Pater maior me eſt.* Quod vt probaret, adiecit: [Ioan.5 19.] *Non poteſt Filius à ſeipſo facere quicquam, niſi quæ viderit Patrem facientem.* Et ipſe iterum ait: [Ioan.7.28.] *Non à meipſo veni, ſed ille me miſit.* Et iterum dicit: [Ioan.10 25.] *Opera quæ ego facio teſtificantur de me, quia Pater me miſit.* Item dicit: [Ioan. 7 18] *Qui à ſemetipſo loquitur, propriam gloriam quærit: qui autem quærit gloriam eius qui miſit eum, hic verax eſt.* Inde eſt quod ipſe ait, *A ſeipſo nihil:* ſed imperijs paternis & præceptis obtemperat in omnibus, vt quem probet illum natiuitas Filium, tamen morigera ſubiectio aſſerat illum paternæ voluntati ſubiectum. Vnde ait: [Ioan.8. 28 Ioan.12.49] *A me non ſum loquutus; ſed qui miſit me Pater, ipſe mandatum dedit mihi quid dicam, & quid loquar.* Ecce qualiter ipſe Patri obtemperat, & ſubditum eſſe demonſtrat: per quod oſtenditur quod ſubiectione ſua miniſter ſit; cæterorum vero Dominus approbetur, vt merito Deus Pater omnipotens Deus ſit, Filius autem cæterorum omnium Deus ſit, omnem creaturam ſubiectam ſibi habens; Patri, qui illi ſubdidit omnia, [1.Co 15.26.] cum omni creatura ſubiectus. Propter quod Deus eſt creaturis omnibus conſtitutus, dicens: [Pſalm.2.6.] *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo,* &c. F

NOTÆ.

1. Quæ ſi inſuper non haberis] *Lubens adderem, moleſtum aut ingratum, &c. vt oratio integra eſſet.*

2. Ipſum Filium Dei conſidera] *Hic plurima congeruntur Scripturæ teſtimonia, quibus veteres Samoſateniani, Ariani, Photiniani, cæterique diuinitatis Chriſti aduerſarij eum in ordinem creaturarum cogere nitebantur, vt ex ſcriptis Athanaſii, Hilarii, Epiphanii, Auguſtini, Fulgentii, & Vigilii facile eſt deprehendere. De germano ſenſu illorum ſuis locis dicemus: hic tantum de diuerſa quorundam lectione aliquid obſeruabimus. Ac primum de hoc Prouerbiorum loco,* Dominus creauit me, &c. *in quo Ariani ſententiæ ſuæ proram & puppim conſtituebant, recte Baſilius ac Epiphanius iudicarunt,* [Li. 2. adu. Eunom. Aduerſ. hæreſ 69] *ex Aquila interpretatione, ἐκτήσατό με; & vero Hebraeis,* ADONAI CANANI, *legendum eſſe,* Dominus poſſedit me, ſeu inſtar pulli excluſi ac poſſedit me, *vt & nunc legit vniuerſa Eccleſia Latina: non autem ἔκτισέ με,* creauit me, *vt Ariani contendebant. Et ſane perfacile fuit his Scripturarum corruptoribus ex aoriſto ἐκτήσατο,* G *deſcendentis à verbo κτάω, quod eſt, poſſideo, efficere aoriſtum ἔκτισε, procedentem à verbo κτίζω, quod* [illegible], *condere, & fabricare ſignificat, non difficili vnius literæ transformatione. Accedit Euſebius Cæſarienſis conſilii ac hæreſeos Arianæ ante Concilii Niceni decretum particeps, qui libro tertio ad Marcellum enixiſſime contendit, eo loco non eſſe legendum,* Creauit me, *ſed,* conſtituit, aut ordinauit me: *vt eſt apud Socratem & Nicephorum.* [Apud Niceph. Lib. 9 c.13. & Socr.]

3. Ecce ponam in Sion] *Locus eſt ab Apoſtolo Roman. 9. 33 contextus ex Iſaia 8.14 & 28 16. ſecundum editionem LXX. qui quomodo faceret pro Arianorum ſententia non ſatis video.*

4. Hæc dicit Dominus Chriſto meo Domino] *Apud LXX. legitur τῷ χριστῷ μου κύρῳ,* Chriſto meo Cyro. *Arnobius igitur legit κυρίῳ, pro κύρῳ, quemadmodum & Euſebius præparationis Euangel. libro 6 cap. 9. Tertullianus aduerſus Iudæos: Cyprianus aduerſus Iudæos, libro primo capite vigeſimo primo: Lactantius libr. 4. c. 12. Auguſtinus Orat. de quinque hæreſibus: Cyrillus, & alii.*

5. Ante luciferum genui te] *Athanaſius Orat. contra Arianos, & Fulgentius referunt Arianos hoc de temporali natiuitate Chriſti interpretando, Catholicis obieciſſe. Reſpondent porro, de diuina æternaque generatione dictum: & nomine vteri, per anthropopathiam, diuinæ naturæ fœcunditatem intelligendam eſſe: quod & ſynodus Hiſpalenſis, Act. 13. poſtea confirmauit.* [Libr. 1 ad Thraſim. & Libel. ad 10. Arianorum obiect.] H

6. Quia Pater maior me eſt] *Arianos iſtud aduerſus Catholicos importuniſſime vſiſſe teſtantur omnes. Alexander Alex. Epiſtola quæ eſt apud Socratem,* [Libr.1.c.6.] *aliique Græci hoc tantum referunt ad id quod Pater ſolus ingenitus ſit, ac Filii principium productiuum: Filius autem genitus & productus à Patre. Auguſtinus vero & Latini omnes cenſent propter ſuſceptam humanam carnem dictum eſſe.* [Enchiridij cap.35.] In quantum Deus eſt, (*ait Auguſtinus*) ipſe & Pater vnum ſunt; in quantum autem homo, Pater maior eſt illo. *Quod autem verſu proximo citatur, ex Ioan. ca. 10 verſic. 29.* maior me eſt, *nec apud Latinos, nec apud Græcos, quod meminerim, ſic legitur: ſed tantum,* maior omnibus, vel maius omnibus eſt. *De aliis ſuo loco poſtea dicemus.*

):(o):(

†

A

ARNOBIVS dixit: Si vere ſtudium tuum ad hoc tenderet, vt aut diſceres, aut doceres, non omnia iſta teſtimonia ex diuinis libris deſecans, quaſi vnum faſcem tuæ interpretationis tortuoſiſſimis nodis ligatum in conſpectu Cognitorum & Iudicum ita obijceres. Quapropter ad vos mihi ſermo eſt, ô Cognitores & Iudices, præcipite quæſo, cœptæ diſputationis ordinem non mutari, & ſingulatim capitula Scripturarum ea, quæ dixi, vel alia, quæ nondum dixi à Serapione in conſpectu veſtro proponi, nec liceat ei ſimul alterum & alterum proferre in medium, niſi vnum quod prius propoſuerit explicetur. IVDICES dixerunt: Quæ iuſte petuntur ab Arnobio, neceſſe eſt vt ſortiantur effectum. Vnde exſoluere maturabit Serapion iſta teſtimonia, quæ in vnum obtulit ſua interpretatione conſtricta, vt de ſingulis quibuſque teſtimonijs poſſit Arnobius dare reſponſum. SERAPION dixit: Teſtimonij mei obiectio prima eſt, quam ex libro Prouerbiorum Salomonis vocem Filij Dei eſſe cognoſcis: *Dominus creauit me initium viarum ſuarum.* Vnde oſtenditur Pater maior eſſe qui creauit, quam Filius qui creatus eſt à Patre.

B — *Prou. 8. 22.*

ARNOBIVS dixit: Ergo credis vere Filium ex Patris ſubſtantia genitum; nec tam genitum, quam creatum? SERAPION dixit: Ego Filium Dei non nego. ARNOBIVS dixit: Si non negas verum Filium Dei ex Patris ſubſtantia genitum, hoc teſtimonium ad quam partem protuliſti? SERAPION dixit: [1] Vt oſtenderem Filium minorem Patre. ARNOBIVS dixit: [2] Nec tu minorem Filium Patre conaris oſtendere: ſed creaturam Dei moliris Filium demonſtrare. SERAPION dixit: Ergo * plenam authoritatem [3] diuinæ potentiæ vnum è duobus, aut non eſſe in authoritate hoc teſtimonium aſtrue; aut quare ſit dictum oſtende. ARNOBIVS dixit: adhuc modo rediſti ad ordinem, vt poſſit vniuſcuiuſque teſtimonij explanatio, donante Deo, nobis concedi. SERAPION dixit: Cuius ergo vis hanc vocem intelligi, Dominus creauit me initium viarum ſuarum? ARNOBIVS dixit: Vox eſt ſapientiæ Dei. SERAPION dixit: Sapientia ipſius quæ eſt, niſi Filius ipſius? ARNOBIVS dixit: Cum opus fuerit loco ſuo dicetur, quomodo ſapientia hæc Filius ipſius ſit. Nunc interim ſapientia Dei loquitur per ſapientiſſimum virum Salomonem dicens: Dominus creauit me initium viarum ſuarum. SERAPION dixit: Quid tam euidens, quam vt diceret, creauit me? ARNOBIVS dixit: Hoc quod dixit, creauit me, quod moliris oſtende. SERAPION dixit: Quomodo initium creaturæ ſortitus Filius à Patre, hoc meruit vt principatum vniuerſæ obtineat creaturæ. ARNOBIVS dixit: [4] Omnis certe creatura antequam crearetur, non fuit? SERAPION dixit: Vtique non fuit. ARNOBIVS dixit: Tunc ergo cœpit ſapientia quando creata eſt? SERAPION reſpondit: Tunc cœpit quando creata eſt. ARNOBIVS dixit: Ergo qui illam creauit, inſipientem illum blaſphemas? SERAPION dixit: Auertat à me Deus hanc blaſphemiam. ARNOBIVS dixit: Ergo ignoranter blaſphemas. SERAPION dixit: Ego non blaſphemo: ſed magis [5] laudo creatorem ſapientiæ. ARNOBIVS dixit: Compelleris vnum adſtruere è duobus, vt aut habuiſſe ſapientiam dicas iſtum qui creauit ſapientiam hanc: aut non habuiſſe cum crearet. SERAPION dixit: Nunquam Pater ſine ſapientia fuit. ARNOBIVS dixit: Ergo non creauit ſapientiam. SERAPION dixit: *Noli altum ſapere, ſed time.* ARNOBIVS dixit: Quis altum ſapit, qui blaſphemat Deum, an qui blaſphemiam defendit? SERAPION dixit: Tu defendis Deum? ARNOBIVS dixit: Tempore quo audio blaſphemiam, os blaſphemantis obiurgo, ſicut tuum os increpo, & doceo te Deum Patrem inſipientem dicere. Cum enim diceres, Antequam crearetur ſapientia, non fuit, & ipſam ſapientiam, quæ eſt creata Dei eſſe confirmas: oſtendis non habuiſſe ſapientiam eum, qui illam condidit, & tunc cœpiſſe habere poſtquam creauit. IVDICES dixerunt: Acerrimæ blaſphemiæ locus eſt. Et quid moramur? Et noſtræ aures obtunduntur, & veſtra ora gradiuntur? Vnde par eſt, vt Arnobius qui detexit blaſphemiam, teſtimoniũ iam à Serapione prolatũ exponat.

Ro 11. 20. (beside "Noli altum ſapere, ſed time.")

C, D

E

ARNOBIVS dixit: Semper fuit ſapientia in corde Patris interius repoſita, quomodo in corde Oratoris ars Rhetorica, & in corde Grammatici ars Grammatica. Dicitur autem creaſſe librum artis Rhetoricæ Orator, & Grammaticus librum artium condidiſſe, non quod ex eo cœperit Rhetorica & Grammatica, ex quo hominibus ad legendum eſt tradita. Illis namq; qui eam ſcripſerunt, ex eo tempore quo docti ſunt, ſemper in corde fuit. Nobis autẽ tunc creata eſt, quando noſtra eruditio ſumpſit exordium. Inde eſt quod ante paululum dixi opportune, Filium Dei eſſe ſapientiam [6] antequam fieret. Ergo Deus, qui fecit cœlũ & terram, & omnia quæ in eis ſunt, ſic creauit ſapientiam ſicut (dixi) Orator creat librum artis Rhetoricæ proferens de corde ſuo, quod ex quo didicit, ſemper habuit. Creauit autem nobis, vt quod in corde eius erat per aures noſtras audiendo, & per oculos videndo, etiam in corde noſtro initium daretur. Ita & Deus, qui à nullo didicit, ſine initio habens ſapientiam, cum vellet facere cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, primo omnium ſapientię ſuę virtutem iecit, vt ipſam domum quam fabricare voluit. * Pater primus cum aerem faceret, antequam ſolum fortiſſimum ſolidaret: hoc eſt, prius faceret cœlum, & ita demum terram cum montibus ſolidaret. Sed de creaturis ſuo tempore dicendũ eſt: nunc de creatore dicamus. Ergo dicit ipſa ſapientia: *Dominus creauit me initium viarum ſuarum:* architectus plenus ſapientia, imo fons ipſe ſapientiæ, protulit ex ſe ipſam ſapientiam. Quin audi quid ſapientia dicat: [7] *Ego ſapientia fundaui terram, paraui cœlos prudentia.* Cum ergo tempora non oriuntur niſi de diebus, dies autem de lumine, lux autem niſi de cœlo, cœlum autem non ſit ortum niſi de ſapientia: ante cœlum tempus penitus non fuit. Conſtat ergo ſemper fuiſſe ſapientiam, & ſic creatam ſicut diximus creari librum ſapientiſſimo Oratori. Verbi gratia. Salomon librum ſapientiæ condidit: nunquid non antequam conderet hunc librum, ante non fuit ſapientia? Potes quidem dicere, ante non fuit, ſed in Salomone antequam à Deo illam acciperet: poſtea vero ſemper fuit. Si ergo in homine miſero ad comparationem Dei, & perquam exiguo, intus in corde ſemel poſita non recedit, & quicquid vtiliter crediderit, creditur ſapientia prædicari ſiue in literis, ſiue in ædificijs fabrefactis, atque picturis ipſa cernitur, & in cunctis artibus ipſa laudatur: quanto magis in Deo, qui totus ſapientia eſt, qui eam à nullo accepit? Hanc, inquam, quam ſemper habuit, tunc creauit, cum illa de corde ſuo per fabricam cœli terræq; [8] producere curauit, vt cœlum fieret ſimul, & omnia quæ in eo ſunt, quæ non erant, non vt ipſe inciperet ſapiens eſſe, quod ſemper extiterat. Creauit autem terram, & omnia quæ in ea ſunt, quę non erant, non vt ipſe inciperet ſapere, quod ante non ſapuerat.

F — * — *Pro. 8. 22.* — *Pro. 3. 19.*

G

Tu autem Serapion, qui capitulum loci integrum non protuliſti, audi totum caput huius loci, vt credas illud meæ explanationi concordare. *Dominus creauit me initium viarum ſuarum in opera ſua, ante ſæculum fundauit me, priuſquam terram faceret, priuſquam poneret abyſſos, priuſquam produceret fontes aquarum, priuſquam ſtabiliret montes, ante colles genuit me.* Præſcius ergo Deus quia hoc quod dictum fuerat, *creauit me*, potuiſſe ad periculum blaſphemiæ peruenire, adiecit: *Ante omnes colles genuit me.* Hoc ſermone quod dixit, *me*, illud interpretata eſt ipſa ſapientia quod dixerat, *creauit me*. Vnde & ſequitur. *Cum parabat cœlum, ſimul cũ illo eram: & [9] cum ſegregabat ſedem ſuam; quando ſuper ventos fortes faciebat in ſummo nubes, & [10] cum certos ponebat fontes ſub cœlo; & cum fortia faciebat fundamenta terræ, cum ipſo eram cuncta componens, [11] ad quam gaudebat in faciem meam, cum lætaretur orbe perfecto.*

H — *Prou. 8. 25.* — *Prou. 8. 27.*

Et adiecit: Dicant nunc IVDICES obiectori huius ſententiæ, quam protulit ad hoc vt doceret Dei Filium non eſſe Filium, ſed creaturam eius, dicat ſi eo ordine quo perſecutus ſum, textum integræ ſententiæ percurri, & hoc quod dixerat ipſa ſapientia, *Dominus creauit me*; [12] ipſa

A

ſubiunxit, *Genuit me*; & aut credat ſemper fuiſſe in Patre ſapientiam, aut doceat ſine ſapientia fuiſſe Deum antequam condidiſſet eam. SERAPION dixit: Fateor & integre vt ſcriptum eſt à Salomone proſequutum, & *ante omnes colles genuit me*, propterea vtiliter ſubiunxiſſe, vt hoc quod dixit, *Creauit me, genuit me*, euidenter oſtenderet. ARNOBIVS dixit: Nempe priori conflictu dixiſſe te recoles, cur incorporea me protuliſſe exempla, quare nunc initium viarum Dei per montes & colles, & fabricas viſibiles docentem contentus es, niſi quod myſticum diuinæ ſcripturæ ſenſum in ſolam hiſtoriam videns, & initiū viarum inquirens, vias ipſas non quæſiſti, creatorem vero Deum eſſe non ſolum literarum iudicio, verum etiam ipſius noſtræ naturalis conſiderationis doceamus inſtinctu. Viæ autem Domini iſtæ ſunt, prima fides, ſecunda ſpes, tertia charitas, quarta perſeuerantia, quinta bonitas, ſexta timor Domini, ſeptima conſtantia, octaua patientia, nona lenitas, decima quies, vndecima pax, duodecima obedientia, tertiadecima longanimitas, quartadecima ſolitudo ſancta, quintadecima contemptus ventris, decima ſexta ſtudium mentis, decima ſeptima caſtitas, decima octaua benignitas, decima nona miſericordia, vigeſima iuſtitia, vigeſima prima liberalitas, vigeſima ſecunda ſtudium ſcientiæ legis Dei, vigeſima tertia amor optimarum rerum, vigeſima quarta contemptus temporalis gloriæ, vigeſima quinta affectio gloriæ ſempiternæ. Hæ omnes viæ Dei ſunt, in quibus ipſe Pater

B

Leu.26.12. 2.Cor.6. quotidie deambulabat ſicut per prophetam dicit: *Viuo ego dicit Dominus, quia ego ambulabo in eis, & ero illorum Pater, & ipſi erunt mihi in filios & filias dicit Dominus omnipotens.* In his ergo omnibus vijs Domini prior creata eſt ſapientia, quo qui ſapientiam Dei prior habere cœpit, nec vnam de vijs iſtis incedere poterit.

Apoc.4.4. 5.8. 14 Sunt ergo iſtæ viæ viginti quatuor, viginti quatuor ſeniorum numerum aſſignantes, qui libras ſingulas, & integerrime noui & veteris teſtamenti in vnam libram duodecim Apoſtolorum aſſignant, vt tres iſtæ libræ per tria genera populorum offerantur Trinitatis auctori, id eſt, virginitatis, atque viduitatis & coniugij. Totæ autem tres iſtæ libræ integerrimè per vias ſuas ambulantes, vna fide, vna ſpe, vna charitate, vno conſecratæ baptiſmate ſubſiſtunt: quæ penitus per vias iſtas ambulare non poterunt, niſi in ipſo initio viarum Dominus creauerit in mentibus eorum ſapientiam.

C

Pſal.24.4. Vnde Pſalmiſta cum diceret; *Vias tuas Domine, notas fac mihi*, quia ſciebat non poſſe ambulare vias iſtas, niſi Dominus ſapientiam creaſſet ei in corde, orat Deum

Pſal.50.12. Sap.1.4. * maleuolam. dicens: *Cor mundum crea in me meus: quia in* ſordidam animam non intrat ſapientia, nec habitare poteſt in corpore ſubdito peccatis.*

IVDICES dixerunt: Pluſquam perfecte ſatisfecit Arnobius de teſtimonio ſapientiæ, & quod in Deo ſemper fuerit, & quod creata in mentibus ſit à Deo, qui vias cupiunt ambulare virtutum. Si quid eſt quod Serapion interroget, audiamus.

NOTÆ.

D

Ath. in diſp. Hil. lio. 12. de Trinitat. Epiph. contra hæreſ. 69. Ambroſ. lib. de fide. Auguſtin. contr. Maxim. & Felician.

1. Vt oſtenderem Filium minorem Patre] *Ex ſcriptis Athanaſii, Hilarii, Epiphanii, Ambroſii, Auguſtini & Fulgentii aduerſus Arianos manifeſtum eſt, illos non vno modo ſanctiſſimæ Trinitatis vnitatem laceraſſe, Filiique æternæ Diuinitate detraxiſſe. Aiebant enim, Patrem ſolum inuiſibilem Deum, in natura Deitatis parem ſeu æqualem non habere, non ſemper fuiſſe Patrem, ſolum colendum & adorandum. De Filio vero inquiebant, eum non eſſe de ſubſtantia Patris genitum, ſed ex non exiſtentibus creatum, non natura, ſed gratia tantum & adoptione Dei Filium, non ſemper fuiſſe cum Patre ſeu apud Patrem, non coæternum, aut omnipotentem, &c. quarum hæreſeon magna pars pendet ab his Serapionis hypotheſibus;* Filius eſt creatura, Filius eſt Patre minor.

2. Nec tu minorem] *Libens adiicerem*, tantum, ſed & &c.

3. Diuinæ potentiæ] *Quid ſi adderetur*, laudans ac proponens, peto à te, &c.

4. Omnis certe creatura] *Serapionem cogit ad has anguſtias, vt vel fateatur Patrem aliquandiu fuiſſe inſipientem: vel admittat Filium non eſſe creatum, quod tamen omnino contendebat.*

5. Laudo creatorem] *Vetus codex*, creaturam.

E

6. Antequam fieret] *Nimirum, nobis per externa opera manifeſtus.*

7. Ego ſapientia] *Latina editio in tertia perſona ſic effert:* Dominus ſapientia fundauit terram, ſtabiliuit cœlos prudentia.

8. Produxerat cœtauit] *Vetus codex*, creauit.

9. Cum ſegregabat ſedem ſuam] *In vulgatis Biblijs legimus*, ὅτε ἀφώριζε θρόνον ἐπ' ἀνέμων, cum ſecerneret ſedem ſuam ſuper ventos, & cum validas faceret deſuper nubes. *Verum apud Cyprianum, vt habet hic Arnobius*, Et cum ſecerneret ſuam ſedem: cum ſuper ventos validas faceret deſuper nubes. *Apud Hilarium eodem modo: Itaque vox fortes, referenda eſt ad nubes, non ad ventos: Græcè* ἰσχυρὰ νέφη. *Tertullianus*: Fortia nubila. *Pagninus*: quando firmabat æthera deſuper. Li.2.adu. Iudæos ca. 61.

10. Cum certos, &c.] *Vetus codex*, cum certus: *Quoniam Græcè eſt* ἀσφαλεῖς πηγάς. *Cyprianus*: Et cum confirmatos ponebat fontes ſub cœlo. *Ter. adu. Hermogenem*: Et cum firmos ponebat fontes eius quæ ſub cœlo eſt. *Hic ad verbum transfert verba LXX. Irenæi autem interpres verba Aquilæ & Theodotionis, qui ἀβύσσου verterunt loco τῆς ὑπ' οὐρανόν.*

11. Ad quam gaudebat] *Vetus codex*, ad quem gaudebat in faciem meam. *Nam LXX. habent*, ἐγὼ ἤμην ᾗ προσέχαιρεν. *Irenæus*: Ego eram cui adgaudebat. Quotidie autem iucundabar in facie eius, in omni tempore, cum lætaretur. *Tertull. aduerſ. Hermogenem*: Ego eram ad quam gaudebat: quotidiè autem oblectabar in perſona eius, quando oblectabatur cum perfeciſſet orbem. Li. 4. c 37.

F

12. Ipſa ſubiunxit, Genuit me] *Hieronymus explicans illud Iſaiæ*, Generationem eius quis enarrabit? *ait*: Illud de diuinitate Filij accipiendum eſt, quod impoſſibile ſit Diuinæ natiuitatis noſſe myſterium. De qua ipſe loquitur in Prouerbis: Ante omnes colles generauit me. Iſaia 53.

13. Et aut credat] *Sic correximus pro credam, quod erat in vet. ed.*

14. Sunt ergo viæ iſtæ] *Hanc allegoriam fateor mihi perobſcuram: arbitrorque aliquot menda eſſe, quæ non niſi melioris codicis auxilio corrigi poſſunt.*

SERAPION dixit: Si prior Deus cor mundat, & ſapientiam non creat; non habent culpam ſi in vijs Dei non ambulauerint. ARNOBIVS dixit: Saluus ſit ſtatus diſputationis noſtræ: de Deo enim agere cœpimus Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, & aſſumptum eſt ad hoc teſtimonium, vt oſtenderes Dei Filium creaturam. Hactenus oſtendimus ſapientiam in Deo fuiſſe ſemper, iuſtumque eſt vt de Deitate & Trinitate noſtra currat intentio: tamen tranſitorie etiam

G

hic damus reſponſum. *Deus* ſicut *perſonarum acceptor* penitus *non eſt*, ſic conſiderat mentes, & ſtudia, & cogitationes filiorum Adæ, & nouit optime quid debeat de theſauro ſuo proferre: 1 & ſicut exigit eius æquitas, ſic donare. Et ideo, ſicut dicit Apoſtolus: *Non eſt perſonarum acceptio apud Deum*, ſic ipſe dicit: *Nunquid omnes Apoſtoli? Nunquid omnes Prophetæ?* Sicut ergo certum generis, quod perſonarum acceptor non ſit; ſic certum gere, quod etiam diſtributor non ſit iniuſtus: quicquid circa humanum genus fecerit, penitus 2 nulla poteſt ratione reprehenſibile inueniri. Sane *cor mundum creari in ſe* David fletibus & gemitibus poſtulauit. Imitare Dauid in pœnitendo, & in accipiendo particeps factus cordis mundi, & ſapientiam in te creatorem 3 Deum gratulaberis. Nunc autem ad teſtimonia à te poſita reuertamur. Rom. 2.11 Act. 10.34 Ephe. 6 9. Coloſſ. 3.25 1. Cor.12. 29. Epheſ.4.11. Pſal.50.12.

H

SERAPION dixit: Memoraui *lapidem quem reprobauerunt ædificantes*, eo quod *factus ſit in caput anguli*: 4 hoc à Domino factum eſt mirabile in oculis noſtris. ARNOBIVS dixit: Tria in hoc loco quærenda ſunt: qui ſunt ædificantes: quid ædificantes: & qui reprobantes lapidem. Ædificantes namque Iudæi ſuper fundamentum Prophetarum, Dominum noſtrum IESVM Chriſtum de numero huius ædificationis non ſolùm reprobauerunt, verum & crucifixerunt. *Hic* ab incredulis *reprobatus*, ſed à Deo *in caput anguli factus eſt, vt duos conderet in ſemetipſo*: & fieret ex lege & Prophetis, quæ à Moyſe cœperat perfecta fabrica in Chriſto, de quo noui Teſtamenti apices ſuum parietem habentes, hoc angulari lapide vnam Eccleſiam ex vtriſque apicibus dedicaret ille, qui dixit Petro: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt ei.* Pſ.117.22. Matth.21. 42. Act.4.11. Epheſ. 2.15 Matth.16. 18.

A SERAPION dixit: Die nobis, quæ ſint portæ inferi? ARNOBIVS dixit: Adhuc de petra dicenda eſt expoſitio, quæ dum finita fuerit, tunc de portis inferni reſpondebimus. SERAPION dixit: Vt breuiter de portis inferni dicas exigit integritas dictæ ſententiæ. ARNOBIVS dixit: Portas inferni illas dicimus, quas principes huius mundi diuitijs & paſſionibus, impietatibus & criminibus in introitum perpetuæ mortis poſuerunt: per quas ingrediuntur idololatræ dæmonum templa, verum Deum non timentes, metuentes autem figmenta vaniſſima. Habent & alias portas, per quas ingrediuntur Synagogæ ſynedrium, Chriſtum Dominum Deum denegantes. Habent & alias portas, per quas ingrediuntur ad doctrinam hæreticorum, & ſchiſmaticorum ſectis. Habent & alias portas, per quas ſtupratores, adulteri, fornicatores, plagiatores, fures,
B blaſphemi, omniumque rei criminum ingrediuntur. His principibus in aduentu Domini noſtri IESV Chriſti
Pſ. 23. 7. 9. clamatum eſt à Spiritu ſancto, *Tollite portas*, &c. Illi enim vere temporales non ſunt, in quibus immortalitas ita regnat, vt portæ inferi non præualeant aduerſus eam: per ipſas enim introiuit Rex gloriæ cum omnibus ſuis.

Si inquitis, quis iſte Rex gloriæ? Audies ipſum dicentem Spiritum ſanctum, Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Sunt enim portæ iuſtitiæ in auribus hominum poſitæ, ad quas ſermo fidei Catho-
Pſ. 117. 19. licæ clamat dicens, *Aperite mihi portas iuſtitiæ, & ingreſſus in eas confitebor Domino.* Ipſe autem ſermo poſteaquam introierit per aures in ciuitatem animæ, oſtendit ei portam vitæ æternæ: & dicit, *Hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam.* Anguſtum ſane introitum in iſto mundo habere à Domino noſtro IESV Chriſto oſtenditur, ſed per viam eius anguſtiſſimam & arctam ad latiſſimum vitæ æternæ introitum aſſeritur qui ambulat per-
C uenire. Siquidem ipſius ore Domini affirmatur hortan-
Matt. 7. 13. tis atque dicentis: *Intrate per anguſtam portam. Anguſta enim porta eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui intrant per eam. Lata enim & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad mortem, & multi ſunt qui intrant per eam.* IVDICES dixerunt: Arnobius de portis inferni interrogatus, & infernorum nobis & cœlorum aperuit: ſi alia ſunt parata à Serapione, proferantur.

NOTÆ.

1. Et ſicut exigit] *Vetus codex*: & ſic exigit.

2. Nulla poteſt ratione reprehenſibile] *Vetus codex*, reprehenſione.

3. Deum gratulaberis] *Vetus codex*, gratulaueris.

4. Hoc à Domino factum eſt notabile] *Ex hoc loco apparet, quam vere ſcripſerit Tertullianus, hæreticos eſſe captatores vocabulorum. Siquidem Ariani omnes locos tam veteris quam noui teſtamenti, quibus vel proprie, vel allegorice Chriſtus dicitur factus, venabantur colligebant, vrgebant importuniſſime, vt inde illum creatum eſſe, & non conſubſtantialem Patri æterno aduerſus fidem Catholicam concluderent. Huiuſmodi ſunt hi loci*, factus eſt in caput anguli. Factus ex
D femine Dauid ſecundum carnem. Qui poſt me venit, ante me factus
Epiph. cont. hæreſ. 69. eſt. Tanto melior angelis effectus. Fidelis eſt ei, qui fecit illum. Pon-
Serm. 2. cont. Arianos. tifex factus in æternum, & cæt. *Reſpondet vere magnus Athanaſius, hæc referenda eſſe ad humanæ carnis aſſumptionem, qua vere creatus & factus eſt & homo, & frater, & miniſter, & Pontifex noſter: non autem ad Deitatem, qua vere eſt conditor vniuerſorum, quandoquidem*
Ser. 3. cont. Arian. omnia per ipſum facta ſunt. *Qui & rurſum ait*: Ioannes de Filio Theologicans, eg[illegible] vocum dictionibus, non dixit, In principio factus eſt, aut conditus eſt: ſed, In principio erat Verbum, vt per generationem hæc vox (erat) ſubaudiretur: id cauens, ne quis interuallum temporis interceſſiſſe cogitaret, ſed ſemper & æternaliter Filium exſtitiſſe crederet. *Inde tam in Nicæni concilij, quam Athanaſij ſymbolo profiteri iubemur, Filium genitum eſſe, ſed non factum, &c.*
Ambr. l. 4. de fide c. 5. In Ioan. *Ad illud porro*, Ante me factus eſt, *reſpondent Ambroſius & Chryſoſtomus, id tantundem valere, atque mihi præfectus & antepoſitus eſt: quia inquit idem*, prior me erat quatenus Deus eſt. *Et illud*, Tanto melior angelis effectus, *Chryſoſtomi & Theophylacti ſententia, idem eſt quod declaratus & patefactus.*

):(o):(

†

SERAPION dixit: Ad promiſſam expoſitionem
E reuertamur: ad locum vnde deuiauimus reuertamur. ARNOBIVS dixit: Dominicæ incarnationis exempla panduntur, quando lapis, quando mons, quando virga, quando angelus, quando homo, quando ſacerdos, quando etiam teſtimonium; ſed & multæ aliæ effigies, quas ſenſus Catholicus per vias lucidas, & Spiritus ſancti ſplendore radians, ambulans, orando potius, quam diſcutiendo reperiat. Nam petram, per quam è periculo ſitis poſitus Dei popu-
1. Cor. 10. 4. lus in deſerto liberatus eſt, Chriſtum eſſe beatus Apoſtolus Paulus aſſeruit dicens: *Patres noſtri idem ſpiritale poculum biberunt, bibebant de ſpirituali conſequenti eos petra: petra autem erat Chriſtus.* Et in cantico Moyſi dicitur: *Flu-*
Deut. 32. 13. *xit eis mel de petra, & oleum de ſolida petra.* Et in Pſalmo o-
Pſal. 80. 17. ctuageſimo: *De petra melle ſaturauit eos.* Item in Pſalmo
Pſal. 77. 16. ſeptuageſimo ſeptimo: *Eduxit aquam de petra, & dedu-*
F
Pſal. 26. 5. *xit tanquam flumina aquas.* Item in Pſalmo vigeſimo ſexto, Eccleſia de Chriſto dicit: *In petra exaltaſti me.* Et
Pſal. 39. 3. in trigeſimo nono ipſe dicit: *Statuit ſupra petram pedes*
Pſal. 60. 3. *meos*: & in Pſalmo ſexageſimo: *In petra exaltaſti me*: &
Pſal. 113. 8. in Pſalmo centeſimo decimo tertio: *Conuertit ſolidam petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum*: & in
Pſ. 104. 41. Pſalmo centeſimo quarto: *Percuſſit petram, & fluxerunt aquæ.* Et in Cantico Salomonis Spiritus ſanctus inui-
Cant. 2. 14. tans ad ſe Eccleſiam, dicit: *Veni ad me proxima mea, ſponſa mea, formoſa mea, & in velamento petræ continuata*
Iſaiæ 50. 7. *muro.* Et in Eſaia vox Filii Dei, *Poſui*, ait, *faciem meam*
Ezech. 3. 9. *petram firmiſſimam.* Item in Ezechiele propheta dicit Dominus: *Super adamantem & petram poſui faciem tuam.* Et in Euangelio, Dominus ſapientem virum fabri-
Matth. 7. 24. cantem domum ſuper petram dicit. Quam autem petram niſi illam, de qua dicit Apoſtolus: *Fundamentum*
1. Cor. 3. 11. *autem aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt IESVS Chriſtus?* Sunt & alia multa quæ memorare lon-
G gum eſt, quæ & doceant petram pro immutabilitate & pro conſtantiſſima voluntate Domini noſtri IESV Chriſti, quam in carne ſua exercuit, tentatus à Diabolo, traditus à diſcipulo, fixus in patibulo, cibatus felle, po-
Philip. 2. 8. tatus aceto, perforatus lancea, *humiliatus vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Et cum omnia hæc homo perfectus ſuſtinuerit, nihil tamen de impatientia hominis imitatus, oſtendit Deum per hominem hominibus præſtitiſſe victoriam, ſicut in prima Corinthiorum Epiſtola aſſerit Apoſtolus dicens: *Deo autem gratias, qui*
1. Cor. 15. 57. *dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum.*

SERAPION dixit: 2 Sollicitum reddit me explanatio tua, qua de incarnatione Domini noſtri ita interpretari ſtudes, vt hominem & non Deum memorare videaris. Vnde quia octo effigies ad tropologiam Domini pertinentes, ex quibus vnam hanc, quam in petram memoraueras, euidentibus diuinorum voluminum teſtimoniis exſoluiſti: his reliquis ſeptem exemplis expleris,
H vna mihi explanatio Dominicæ incarnationis ſupererit. Propter iſtam enim ſolam iſtum putamus iniiſſe conflictum. Vnde etiam te nō puto effectum memorem quod inter initia hoc dixerim, iuſtum eſſe vt tecum agerem quaſi vnus ex Arrianis, aut Eunomianis, aut Sabellianis, aut Macedonianis, & fauere ſalua fide mea, illorum aſſertionibus. Idcirco, vt dixi, tecum me iniiſſe conflictum, vt ſi inueniſſem te in aliquem incurriſſe errorem, non tecum hac definitione agerem, de qua tu à me, & ego à te diſſentio. Nihil mihi nunc ſupereſt, niſi vt iſtas octo quas memoraſti ſimilitudines in Chriſto ita compte & irreprehenſibiliter expedias, vt integram Diuinitatem in Chriſto expedias, aperiens ne etiam hoc mihi affectas non totum quod exitit diuinum oſtendas. Oſtende itaque nunc, 3 quare tantum octo commemoraſti, cum ſint aliæ multæ in Chriſto effigies, quæ dici poterant, vt ipſe dixiſti. ARNOBIVS dixit: Conſideraui multa ſacramentorum genera in iſto numero contineri; primo quomodo in veteri teſtamento, cum
Geneſ. 1. 3. ſit prima dies, in qua dixit, *Fiat lux*: etiam in nouo ipſa meruit per reſurrectionem Chriſti & prima effici & o-

A ctaua. Nam ſicut ipſa die aperti ſunt cœli, vt funderetur
Exod. 16. 4. & 15. manna, Dauid quoque octauus eſt filius qui per deſcenſionem omnium ferarum interfector effectus eſt; & per de-
1. Reg. 16. 11. ſcenſionem populi, interfector gygantis. Primo cum adhuc eſſet paruulus, à Deo omnipotente effectus eſt Chri-
1. Reg. 17. 49. & 50. ſtus. Sed & in Euangelio, ore Domini noſtri Iesv Chri-
Matth. 5. ſti octo beatitudines memoratæ ſunt, cum vtique eſſent & aliæ virtutes multæ, quæ meritum beatitudinis habere potuerint. Hoc itaque exemplo viſum eſt mihi vt ſalua multitudine ſimilitudinum, has tantum octo tropologias proferre in medium, certus quod ex his quæ prolatæ ſunt, cæteræ quæ non ſunt prolatæ, inquiri poſſint, & intelligi inuentæ, & oris ratione vtiliter explanari.

NOTÆ.

1 Petræ continuatæ muro] *Ita correximus R. P. Frontonis Ducæi Societatis IESV perdocti Theologi & amici commonitione, pro eo quod vetus Codex habebat,* continuat te muro.

B 2. Solutionem reddit] *Vetus codex, reddet.*

3. Quæ te omnium octo] *Epiphanius pauca hæc plurima Chriſti cognomina colligit.* Chriſtus vocatus eſt & ianua, & oſtium, & via, &
Contra hæreſ. 69. columna, & nubes, & petra, & agnus, & manna, & caper, & vitulus, & leo, & fons, & ſapientia, & verbum, & filius, & angelus, & Chriſtus, & ſaluator, & Dominus, & homo, & filius hominis, & lapis angularis, & ſol, & propheta, & panis, & rex, & ædificator, & agricola, & paſtor, & vitis, *& quæcunque alia, &c. quæ contendit per tropologiam illi conuenire, ſicut & vox creatura, quam nimis pertinaciter ex Prouerbiis & Eccleſiaſtico vrgebant Ariani.*

Serapion dixit: Primo per occaſionem obiectionum mearum lapidem expoſuiſti: cum ergo ſubſequutus eſſem capitula Euangelica, in quibus dicit Do-
Ioan. 14. 28 minus, *Pater maior me eſt*, vnde alia protuliſti. Vnde ne videaris iſta exempla ideo attuliſſe, vt illa teſtimonia declinares, expoſitis his quæ protuliſti, de illis mihi dabis reſponſum: & ita demum accedemus ad noſtrum ſpecialem conflictum. Arnobivs dixit: Oportue-
C rat nos de hoc ſolo ſenſu tractare, de quo vere diſſentis, id eſt, de hoc quod non vis Catholicæ fidei vtiliter credere, in Chriſto Deo noſtro duas eſſe veras perfectaſque ſubſtantias: & ſicut verum Dei Filium, ita verum hominem filium hominis confiteri. Sed quomodo te præuides iure & legibus rationabiliter ſuperandum, ne te ſolum doleas victum, qui plurimorum in te hæreticorum ſumpſiſti perſonas, vt cum ciues tui te ſuperatum increpauerint, tu dicas per noſtram, imo non noſtram, ſed Chriſti victoriam à tali te ſuperatum, [1] qui potuerit plurimorum in te hæreticorum prius acumina, per miram atque potentiſſimam fidei Catholicæ ianuam aperire. Serapion dixit: Sapiens tunc vincit perfidiam, cum eam de ſuis viſceribus pellit: & qui vincit, bis victor eſt, quia & de aſſertione ſua fidei coronã accipit, & de lucro hominum conſequitur palmam. Arnobivs dixit: hoc totum miſericordiæ Dei applicandum eſt: nihil enim noſtris viribus poſſumus, ſed totum de Dei gratia &
D miſericordia quod quærimus, inuenimus. Aggrediar nunc reliquas ſeptem quas propoſui ſimilitudinum formas: dehinc duas quæſtiones, quas ex Euangeliis protuliſti, ipſo Domino dante, exponam. Tu tamen ſagaci memoria eaſdem figuras recolens, incipe ſigillatim reuocare in medium, vt per ſingula doceam de ſacris voluminibus me iſta exemplaria protuliſſe. Serapion dixit: Prius de petra te expleuiſſe ſatis conſtat: ſecundo quod mons prædictus ſit Dominus ex ſcripturis, vt oſtendere te promiſiſti, oſtende.

Exod. 3. 12. Arnobivs dixit: In Exodo legimus: Dixit autem Dominus ad Moyſem. *Hoc tibi ſignum ſit, quoniam ego te miſerim vt eijcias populum meum ex Ægypto, & ſeruietis mihi in monte hoc.* Serapion dixit: De monte Sina hoc dictum eſt. Arnobivs dixit: Si hiſtoriam quæras ſolam, Synagogam ingredere: nos autem hiſtoriam ideo accipimus, vt quæ ſunt intra hiſtoriam ſpiritaliter explicemus, ſequentes Apoſtolum Paulum magiſtrum Eccleſiæ gentium à Domino attributum, qui (vt dixi) eo vſque ſenſus noſtros prouocauit & corda, vt petra quæ pro certo petra eſt, vnde aqua producta eſt, [2] Chriſtum eſſe euidenter aſſereret E
dicens: *Petra autem erat Chriſtus.* Ita & montem, in quo *1. Cor. 10. 4.*
apparuit claritas Dei, in quo ignis illuminans, & non *Exod. 33. 11.*
comburens, in quo Deus cum homine facie ad faciem loquens, in quo Maieſtas ipſa digito ſuo in duabus tabulis lapideis ſuæ legis voluntatem in decem præceptis ſcripſit: in quo Deuteronomij, id eſt, ſecundæ, vel iteratæ Legis ſcriptus eſt liber: montem vbi Deus homi-
Geneſ. 1. 1. ni notum fecit, quod *in principio Deus feciſſet cœlum & terram*, & omnia quæ in eis ſunt, & multa alia ſanctitatis indicia, quæ dicere longum eſſet: de quo Pſalmiſta di-
Pſalm. 67. 16. & 17. cit: *Mons Dei, mons pinguis, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. Etenim Dominus habitabit in finem.* Vt oſtenderet de quo diceret in Pſalmo quartodecimo ait;
Pſal. 14. 1. & 2. *Quis requieſcet in monte ſancto tuo?* & adiecit: *Qui ingreditur ſine macula*, &c. Et quis alius ſine macula, niſi ſolus
F *1. Pet. 2. 22.* Dominus Iesvs Chriſtus, *qui peccatum non fecit, nec*
Pſal. 23. 3. & 4. *inuentus eſt dolus in ore eius?* Nam in vigeſimo tertio Pſalmo; *Quis* (ait) *aſcendet in montem Domini?* Et reſpondit.
Pſal. 47. *Innocens manibus*, &c. Et item Dauid canit: *Magnus Dominus & laudabilis nimis*, &c. Et ſubiungit: *Mons Sion*
Iſaia 2. 2. *latera aquilonis*, &c. Vnde & Eſaias ait: *In nouiſſimis diebus manifeſtus erit mons Domini, & venient ad eum omnes*
Pſal. 124. 1. *gentes.* Dicit & in alio loco Dauid. *Qui confidit in Domi-*
Pſal. 67. 7. *no, ſicut mons Sion*, &c. Vnde & in alio Pſalmo: *Mons Sion, in quo habitas in eo.* Dicit & de ipſo monte: *Hunc*
Pſal. 77. 54. *quem acquiſiuit dextera eius.* Acquiſiuit hominem dexte-
Pſal. 117. 16. ra eius perfectum, *dextera Domini* qui *fecit virtutem.* dextera enim Patris ab operatione dicitur & probatur. Ipſe enim inuiſibilis Filius hanc virtutem per omnipotentiam ſuam operatus eſt, vt per hominis aſſumptionem
Ioan. 14. 9. & 10. ita viſibilis fieret, vt diceret: *Qui me videt, videt & Patrem, quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Serapion dixit: Ergo Iudæi qui eum viderunt, viderunt & Pa-
G trem. Arnobivs reſpondit: Iudæi eum ſic vide-
Iſaia 5. 9. runt, ſic Spiritus ſanctus ad Eſaiam dicit: *Vade, dic populo*
Act. 28. 26. *huic, Videntes non videbitis, & audientes non intelligetis.* Vnde
Ioan. 8. 19. & ipſe Dominus ad eos dicit: *Neque me noſtis, neque Patrem*
Matth. 13. 16. *meum.* Suis autem diſcipulis: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis, & audiunt quæ vos auditis.* Quapropter ſi videtur de monte datum eſſe reſponſum, commemora loco tertio à me dictum exemplum.

NOTÆ.

1. Qui potuerit] *Clarum eſt hanc ſententiam mutilam eſſe & ex meliore codice reſarciendam.*

2 Chriſtum eſſe euidenter aſſereret] *Vetus codex, aſſerere.*

Serapion dixit: Primo lapidem, ſecundo montem, tertio turrem, in ſimilitudine commemoraſti. Arnobivs dixit: Bene commemoras, ſi & bene recipias veritatem. Ipſe eſt enim, de quo in Pſalmo ſexage-
Pſal. 60. 4. ſimo canitur, quod ſit *turris fortitudinis à facie inimici.*
H Hæc eſt turris, de qua dicit Spiritus ſanctus per Eſaiam:
Iſaia 5. 2. *Ædificauit turrim in medio vineæ, quam plantauit.* Vineam
Pſ. 79. 16. hanc ipſe interpretatur Spiritus ſanctus, dicens: *Vinea enim Domini Sabaoth, domus Iſraelis eſt.* Turrim vero, de qua dicit ſe ædificaſſe in medio, vt ſcriptura ſancta dicit, Filius eſt hominis, quem confirmauit ſibi. De quo
Prou. 9. 1. Salomon dicit: *Sapientia ædificauit ſibi domum.* Ipſe enim qui eſt ſapientia Patris, ædificauit ſibi in vtero Virginis
Rom. 1. 4. perfectum hominem Iesvm, *qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundum ſpiritum ſanctificationis*, non ſecundum coniugium pollutionis. Serapion dixit: Nuli dicere coniugii pollutionem: nam coniugium pollutionem non habet, ſed fornicatio pollutio nuncupanda eſt. Arnobivs dixit: Coniugium pollutionem habet, & crimen non habet: fornicatio autem & pollutionem habere probatur, & crimen. Sed permitte me probare turris indiculum. Ipſe autem Dominus in Euangelio
Matth. 21. 33 ſic ait: *Pater familias plantauit vineam, & ſepſit eam, & ædifi-*

cauit

A *... in ea turrim, & locauit eam agricolis*, qui miſſos ad ſe ſeruos à Patre familias plagis affligere non metuerunt: poſtremò ab ipſo patre familias miſſum filium occiderunt. Hoc dicto, interrogantur à Domino, *Cum venerit Dominus vineæ, quid faciet colonis illis? Et reſpondentes Iudæi dixerunt: Malos malè perdet, & vineam ſuam aliis locabit agricolis. Et Dominus ad eos: Amen dico*, inquit, *vobis, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius.*

SERAPION dixit: Quarto nunc loco quærendus ſermo Dominum per virgam præfiguratum oſtendens, vt promiſſio tua ſuo ordine expliceretur. ARNOBIVS
Exod. 4. 17. dixit: Loquitur in Exodo ad Moyſem Dominus: Ego ſtabo in cacumine collis, & virga hæc, quæ in manu tua eſt, in ipſa faciam omnia ſigna virtutum. Dicit & Dauid
Pſal. 44. 7. in ſpiritu: *Virga æquitatis, virga regni tui. Virga tua & baculus tuus*, &c. Et Dauid interpellat Dominum dicens: *Me-*
Pſal. 73. 2. *mento congregationis tuæ*, &c. *Liberaſti virgam hæreditatis tuæ.*
Pſ. 109. 2. Item dicit: *Virgam virtutis tuæ*, &c. Euidentius autem de
Iſaia 11. 1. Domino dicitur: *Exurget virga de radice Ieſſe*, &c. Quæ
Rom. 1. 3. omnia adimpleta ſunt in eo, *qui factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem.* SERAPION dixit: Sextam diſputationem carnis, de qua nobis erit verus apertuſq; Conflictus:
B nunc quæ propoſita ſunt à te, explicare ſtude exempla. Nam quarto loco virgam cur poſueris iam dixiſti: quinto nunc loco, Angelum qua ratione dixeris, pande.

Exod. 23. 20. ARNOBIVS dixit: Audi ad Moyſem loquentem Dominum: *Ecce ego mitto Angelum meum ante te, ad cuſtodiendum te in omni itinere tuo: obſerua eum, & obaudi ei, nomen enim*
Malach. 2. 7. *meum in eo eſt.* Malachias autem dicit: *Labia ſacerdotis erunt in eo, quia Angelus Domini eſt.* Vnde etiam de populo ſanctorum omnium, qui in iſto mundo cauſa nominis ſancti afflicti probantur & paſſi dicuntur: *Iſte pau-*
Pſal. 33. 7. & 8. *per clamauit, & Dominus exaudiuit eum*, id eſt, populum ſanctum, *& ex omnibus anguſtiis eripiet eum. Miſit Angelum Dominus in circuitu timentium eum*, hoc eſt, timentium Dominum, *& eripiet eos*, eundem populum iuſtorum. Item Daniel Angelum commemorat de cælo deſcendiſſe in medium flammarum, vt tres pueros de incendio liberaret,
Dan. 3. 49. cùm Nabuchodonoſor de eo dixiſſet: *Quartus quem video ſimilis eſt Filio Dei*: non eſt mendacium teſtimonio eius.
Pſ. 77. 70. Dauid quoq; in ſuo proprio Pſalmo ſic dicit de Deo: Ipſe
C miſit Angelum ſuum, & tulit me de ouibus patris mei, & vnxit me vnctione miſericordiæ ſuæ.

SERAPION dixit: Propera ad ſextum, in ſimilitudinem hominis Filium Dei ante viſum: quia ſufficit de quinto quod dictum eſt. ARNOBIVS dixit: 1 Legimus in libro Ieſu Naue, quod illo tempore cùm Hiericho continuum iniret prælium, vidit hominem ſtantem contra ſe, & gladius in manu eius: cumq; acceſſiſſet ad eum,
Ioſue 5. 13. & 14. dixit ei: *Noſter es, an aduerſariorum? Qui reſpondens ait: Ego ſum dux fortitudinis Dei.* Item Eſaias Propheta dicit: *Cla-*
Iſaia 19. 20. *mabit populus ad Deum ſuum in anguſtiis ſuis, & mittet illis Do-*
Dan. 7. 13. *minus hominem qui liberet eos.* Item dicit Daniel: 2 *Vidi in nubibus cæli venientem Filium hominis ad veterem dierum, &*
Dan. 8. 16. *data eſt ei poteſtas regni.* Item ipſe Daniel ait: *Stetit contra me quaſi viſio hominis, & vocauit Gabrielem Archangelum, &*
Dan. 10. 5. *dixit ei, vt doceret viſionem quam videbam.* Item ipſe Daniel: *Eleuaui*, inquit, *oculos meos, & vidi, & ecce homo qui indutus erat byſſo, & lumbi eius accincti erant auro.* Item Ezechiel di-
D
Ezech. 1. 26. cit: *Vidi ſuper thronum quaſi figuram hominis.* Item ipſe: Vidi aſcendentem deſuper Cherubim vocantem ad ſe
Ezech. 10. 2. hominem, qui indutus erat podere, qui cinctus erat ſuper lumbos ſuos zona aurea.

SERAPION dixit: Ex abundanti teſtimonia de eo reddenda ſunt, quod in dubium venit: nunc verò breuitati ſtudens, perge ad ſeptimam ſacerdotij à te ſimilitu-
1. Reg. 2. 35. dinem memoratam. ARNOBIVS dixit: In Regum libro primo ad Samuelem loquitur Deus dicens: *Suſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui omnia ex corde meo faciet.* Et Dauid
Pſal 109. 4. dicit: *Iurauit Dominus Dauid, & non pœnitebit eum*, &c.

SERAPION dixit: Euidentia ſunt iſta duo teſtimonia à te prolata de ſeptima ſimilitudine: explica nunc octauam, quod teſtamentum Dei, Filius Dei poſſit intelli-
Gen. 9. 10. gi. ARNOBIVS dixit: Liber Geneſeos loquitur quod
E dixerit Dominus ad Noë, & ad filios eius; *Ecce ego excito teſtamentum meum vobis, & ſemini veſtro poſt vos, & omni animæ quæ viuit vobiſcum.* Item poſt alia dicit Deus ad Noë, & ad filios eius: *Memor ero teſtamenti mei quod eſt inter me & vos, & omnem animam viuam.* Item vox Dei ad Noë, & ad filios eius dicit: *Ponam arcum meum in nubibus cæli, & re-* Gen. 9. 15.
cordabor teſtamenti mei, quod eſt inter me & vos. 3 Item per Eſaiam dicit Dominus: *Teſtamentum meum erit cum vita &* Malach. 2. 5.
pace, lex & veritas erit in ore eius, & iniquitas non inuenietur in labiis eius. In pace dirigens habitabit vobiſcum, & multos conuertet ab iniquitate ſua. Item per Eſaiam dicit Dominus: *Ego Dominus vocaui te, & dedi te teſtamentum gentium, aperire* Iſaia 42. 7.
oculos cæcorum. Item per Eſaiam Dominus dicit: *Audite me,* Iſaia 55. 3.
& manducabitis bona, ambulate in viis eius, & ſaluabitur anima veſtra, & diſponam vobis teſtamentum æternum. Item per Eſaiam Dominus dicit: *Faciam vobis cum pace, cum fide, & diſponam vobis teſtamentum æternum*: quæ omnia vnum Dei Filium præfigurant. Sunt etiam alia multa genera figurarum, quæ ſi exegerit ratio vt proferantur in medium, ſanctarum ſcripturarum authoritate 4 aſſignabo. IVDI-
F CES dixerunt: Tam rationabili manifeſtatione, quàm legali authoritate ab Arnobio quæ ſunt defenſa, firmata ſunt, ita vt Serapion, qui è diuerſo eſt, nobis tacentibus, ita vniuerſa eſſe vt ab eo defenſa ſunt ſuo ſit ore teſtatus. Et quomodo aurorſcente die inchoatam altercationem veſpertinum tempus inuenit, nocturnæ quietis tranſacto ſilentio, die nobis à Deo ſalubriter reſtituto, permiſſa nobis vtriuſq; partis confeſſio oritur.

SERAPION dixit: Peto vt ſermoni noſtro in eo hodie finis occurrat, vt ſcire me faciat Arnobius, pro qua cauſa præfigurationes has Domini noſtri in medium proferre voluerit. ARNOBIVS dixit: 5 Quomodo ſunt quædam quæ inter iſtas præfigurationes, etiam ipſum, pro quo figuratæ ſunt, Dei Filium æſtiment computandum, cùm omnibus illis imago ſit veritatis in iſto homine, quem Virgo peperit ipſa ſit veritas: & ſicut verus Dei Filius Deus, ſic verus filius hominis homo, non ita mixtus, vt vtriuſq; rei permutatio facta ſit, ſed in veritate
G Deitatis & omnipotentia ſua permanens, inuiſibilis Filius Dei ſocietatem ſuam cum homine habeos, & verum Deum Dei Filium noſtræ liberationi exhibuiſſe credatur. Aliter enim Deus carneis oculis videri non potuit. Qui- 1. Ioan. 2. 22. & 4. 3
cunq; ergo negat Deum eſſe in Chriſto, id eſt, in homine, hic Antichriſtus eſt. Qui autem negat aliquid de his ſimilitudinibus, poteſt aut reprehenſibilis, aut fortè nec reprehenſibilis inueniri. Negat enim petram, negat virgam, negat montem, & quicquid illud poteſt dici Chriſto poſſe competere. Virum autem perfectum, & perfectum Deum qui negauerit, ab æterna damnatione non poteſt liberari. 6 Similiter qui duos filios Dei auſus fuerit cogitare, vel credere vnum qui ante tempora ex Patre genitus eſt ſine matre, & alium qui natus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, æterno anathemate ferietur. Noſtræ autem, id eſt, Apoſtolicæ ſedis B. Petri, quæ ab ipſo Apoſtolo cœpit, 7 fidei confeſſio hæc eſt: Vnum Dei Filium ex duabus ſubſtantijs perfectis & integerrimis credentes, ex viſibili & inuiſibili, ex corporeo & incorporeo, ex comprehenſibili & incomprehenſibili, ex paſſibili & impaſſibili, ex mortali & immortali, ex vero Deo & vero homine fateamur, dicentes & credentes Deum in H
Chriſto, & Chriſtum IESVM in gloria Patris ita vnā Deitatem habere, ſicut in duobus oculis vnus aſpectus eſt, in duabus auribus vnus auditus, in geminis naribus vnus odoratus eſt: ita & in his duabus ſubſtantijs Dei & hominis vnus Filius eſt Dei. Sanè quomodo nouit ſolicitum auditorem memorem eſſe me ad vnam Patris & Filij ſubſtantiam, in duobus oculis vnum aſpectum, in duabuſq; auribus vnum auditum, & vnum memoraſſe in geminis naribus odoratum: nunc tibi, non vna ſubſtantia, ſed vna in duabus ſubſtantijs 8 eſſe credenda perſona, non videatur incongruum. Niſus enim ſum oſtendere hoc, vt ſicut 9 in tribus perſonis vnam credimus eſſe ſubſtantiam, ita in duabus ſubſtantiis Dei & hominis vnam Filij Dei credamus eſſe perſonam.

A

NOTÆ.

Dialogo.

1. Legimus in libro Ieſu Naue] *Iuſtinus martyr multis ſæculis ante Arnobium ex hoc loco contendit, Filium Dei olim carnem ſumpturum, ſeſe conſpiciendum Ioſue obtuliſſe & apparuiſſe: præſertim quod hic eum adorarit ille verò dixerit ſe Ducem militiæ Domini. Clemens, Tertullianus, Euſebius, Nicephorus in eadem quoq; fuerunt ſententia.*

2. Vide in nubibus cæli] *Iuſtinus martyr hoc teſtimonio quoq; nixus, ſic Filium Dei hominem futurum probat:* Cùm Daniel tanquam Filiũ hominis dicit aſſumentem regnum æternum, nonne hoc ipſum ſub nodicat? Nam cùm ait, quaſi filium hominis, narrat natum & viſum hominem, ſed non ex humano ſemine. &c.

3. Item per Eſaiam] *Sequentia Iſaiæ teſtimonia citantur ſecundum editionem LXX ideo in vulgata editione Latina eodem quidem ſenſu, ſed non iiſdem verbis comperiuntur.*

4. Aſſignabo.] *Vetus codex,* aſſignam.

5. Quomodo ſunt quędam] *Hic locus ſua obſcuritate deſignat aliqua deeſſe.*

B

Li 7. c. 31. Lib 1. cap 2. In breuiar.

6. Similiter qui duos filios] *Hæc fuit hæreſis Neſtorii dicentis, vt eſt apud Socratem, Euagrium, & Liberatum, duos eſſe Chriſtos, Deum vnum, hominem alterum; duas videlicet naturas duas arbitratus eſt eſſe perſonas cui ſeſe conſtanter oppoſuerunt Euſebius Dorylæi, Ioannes Antiochenus, Cyrillus Alexandrinus, Cœleſtinus, Leo, & Gelaſius Romani Pontifices, Patreſq; Concilii Epheſini, & Chalcedonenſis, vt poſtea fuſius dicetur.*

7. Fidei confeſſio eſt hæc] *Duas priores voces addidimus, aliàs nullus ſenſus apparebat.*

8. Eſſe credenda] *Ita etiam eſſe.* pro eſt, *reponendum indicanimus.*

· Eſplicit liber primus Arnobij.

ALTERCATIONIS
ARNOBII ET SERAPIONIS
LIBER SECVNDVS.

C

POSTERA die, inter initia diei, coram repræſentato conuentu, reſidentibus Conſtantio & Ammonio, ARNOBIVS dixit: Si Serapioni aliqua ſuperſunt de heſterno Conflictu, ſi voluntas eſt, pandat. SERAPION dixit: Vna quæſtio Euangelica noſcitur remanſiſſe, illa ſcilicet, quam Arius videtur 1 habere palmarem, cùm dicit: Me quid culpant dicentem, *Pater maior me eſt*, cùm ipſe Filius de ſeipſo teſtetur dicens: *Pater qui miſit me, maior me eſt?* ARNOBIVS dixit: In ea forma, in qua Filius Patris eſt ſine matre, ipſe & Pater vnum ſunt: in ea verò forma, in qua Filius matris eſt ſine Patre, Patre minor eſt. Naturam enim ſeruilem aſſumpſit, in qua non ſolùm Deo Patre minor eſſet; ſed & matre tantum minor eſſet, quantum matris virginis annoſitas extitiſſet. SERAPION dixit: Nouum hodie mihi dediſti reſponſum, in quo matrem Domini, vt gentiles delirant, Mariam eſſe genitricem ſine patre eius. Dic cuius Pater Deus genitor ſine matre extiterit? ARNOBIVS dixit: Ergo heri non tota ventilatione verborum noſtrorum atque ſermonum hoc ventilatum eſt, vt Patrem genitorem Filij ſui maiorem Filio non eſſe docerem? SERAPION dixit: Vtique humana narratione docuiſti, quod authoritate Euangelica ſtare non præualet.

Ioan. 14. 28.

D

ARNOBIVS dixit: Tamen humana rationabilitate firmatum eſt, nihil in Patre maius, nihil in Filio minus, nihil quod non æquale ſit in Spiritu ſancto reperiri. SERAPION dixit: Et ſi hoc ego denegem, tam Iudices, quàm omnes hi qui aſtant poterunt approbare.

E

ARNOBIVS dixit: Quid ergo ſupereſt? SERAPION dixit: Hoc quod rationis tuæ expoſitionem ſacratiſſima Chriſti impugnat aſſertio, qua dicit, *Pater maior me eſt.* ARNOBIVS dixit: Quicquid dicit Paulus Apoſtolus de Chriſto, putas verum dici, an fallit? SERAPION dixit: Si Paulus fallit, quis verum dicit? ARNOBIVS dixit: Memor es dixiſſe eum de Domino IESV Chriſto, 2 *Qui cùm eſſet in forma Dei, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Dixit hoc Paulus, an non? SERAPION reſpondit: Dixit quidem, ſed integram ſententiam non protuliſti. ARNOBIVS dixit: Ergo ſcis quia Apoſtoli ſermo conſcriptus eſt in Epiſtola. SERAPION dixit: Scio. ARNOBIVS dixit: Ipſum comma integræ ſententiæ dic mihi quod dixi. SERAPION dixit: Dixiſti: *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* ARNOBIVS dixit: De quo hoc dixit?

Ioan. 14. 28.

Philip. 2. 6.

SERAPION dixit: De Filio. ARNOBIVS dixit: Et de quo hoc dicit, *Eſſe ſe æqualem?* SERAPION reſpondit: De Patre. ARNOBIVS dixit: Collige formam Dei, ſi potes. SERAPION reſpondit: Forma Dei eſt hoc quod immenſus eſt, & cælos & terram replet, & tranſcendit menſura eius cælos ſurſum, & terram, & maria, & abyſſos deorſum. Sic quidem legitur in Prophetis, quod palma eius totius cæli menſura ſit, & pugillo comprehendat omnem terram, & omnes aquæ menſura manuum eius ſunt. ARNOBIVS dixit: Oris tui teſtimoniũ verum de Deo amplector, & prædico, & ita eſſe confiteor. Ergo ſi ita eſt, imò quia ita eſt: expliciuiſti ſermone formam Dei hanc eſſe, quod ſit immenſus, & incomprehenſibilis, inæſtimabilis, inuiſibilis. Ita eſt, an non? SERAPION reſpondit: Ita eſt. ARNOBIVS dixit: Iam modò integram Apoſtoli ſententiam proferam de Filio Dei. *Qui cùm in forma Dei eſſet*, hoc eſt, inuiſibilis, incomprehenſibilis, inæſtimabilis, & eſſet æqualis, non minor; ſed ea forma, & in ea æqualitate qua eſt Pater, *exinaniuit ſemetipſum.* SERAPION dixit: 3 Quomodo exinaniuit ſe? Nunquid neceſſaret eſſe Deus? ARNOBIVS dixit: Ne fortè hoc blaſphemiæ ſcelus noſtræ æſtimationi ſubreperet, interpretatus eſt iſtum ſermonem dicens, In quo *exinaniuit ſeipſum*, id eſt, quia cum eſſet Dominus *formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu repertus vt homo, humiliauit ſeipſum factus obediens vſque ad mortem,* &c. Hic ergo qui eſt Filius Patris ſine initio natus ex eo Patre, qui Paternitatis ſuæ initium non habet, hic dicit, *Ego & Pater vnum ſumus.* Hic autem natus ex matre ſine Patre carnali, hic dicit, *Pater maior me eſt.*

F

Iſaia 42. 12.

Phil. 2. 6.

G

Ioan. 10. 30.

Ioan. 14. 28.

SERAPION dixit: Ergo duo ſunt Filij Dei, & vnus de Patre ſine matre, & alius de matre ſine patre eſt?

ARNOBIVS dixit: Puto te non eſſe immemorem oſtendiſſe me quidem duos oculos, ſed vnum aſpectum: duas aures, ſed vnum auditum: duas nares, ſed vnum odoratum. SERAPION dixit: Duo iſta quomodo vis in vnum eſſe? vt ſicut Deïtas Patris & Filij & Spiritus Sancti vna eſt ſubſtantia, ita & ſubſtantia Dei cum filio hominis vna ſit ſubſtantia? ARNOBIVS dixit: Non eſt ita. Homo enim per Deum, qui eum aſſumpſit, factus eſt Deus: 4 non Deus per hominem, quem aſſumpſit, factus eſt homo.

H

SERAPION dixit: At per hoc duo ſunt filij Dei, cum dicis, Deus, Deus eſt; & homo, homo eſt: Deus verus, veruſque homo duo ſunt. ARNOBIVS dixit: Duæ ſunt ſubſtantiæ in vno Filio Dei. Hic enim vnus Filius Patris, qui fecit primum hominem 5 de limo terræ virginis. Cum timore Dei & interrogare te, & audire oportet. SERAPION dixit: Quare hoc dicis? ARNOBIVS dixit: Quia quaſi plauſibilem fuiſſe te exiſtimas, cùm dicis, duos filios Dei eſſe, vnum de Patre ſine matre, & alium de matre ſine Patre. Cùm ego tibi dixerim, Deum per omnipotentiam ſuam formam ſerui aſſumpſiſſe in vtero Virginis, & cum eo ſumpſiſſe temporalem

origi-

A

originem. Non habet hunc Filium Dei, qui penitus temporalem non habet. SERAP. dixit: Tu dixiſti alterum Virginis filium præter Chriſtum: ARN. dixit: Nō dixi alterū Virginis filium præter Chriſtū: ſed dixi; Hic qui de limo terræ virginis primum hominem fecit, ipſe in vtero Virginis ſanctæ hominem, in quo ipſe habitaret, ſua incomprehenſibili omnipotentia fabricauit, ſecundùm quod legimus: *Sapientia ædificauit ſibi domum*. SERAPION dixit: Quis eſt, qui fabricauit ſibi in vtero Virginis hominem? ARNOBIVS dixit: Filius Dei Patris inuiſibilis fabricauit ſibi hominem, in quo quaſi in domo incomparabili manens, ipſe fieret viſibilis ſanctis. SERAPION dixit: Ergo viſibilis factus eſt? ARNOBIVS dixit: Non dixi, 6 viſibilis factus eſt tantùm: ſed dixi, viſibilis factus ſanctis, hoc eſt credentibus, vt *per fidem* videretur, *non per ſpeciem*, ſecundùm hoc quod legimus *Vidimus eum, & non habebat ſpeciem*. Carnis namaſpectus ita incredulis patuit, vt expoliatus veſtimentis, totus per ſingula membra corporis videretur ab his, qui eum expoliauerunt, & irriſerunt, & flagellauerunt, & in crucis patibulo eum poſuerunt: ſed quia fidei oculos non habebant, hominem purum, non illum qui in ipſo erat homine videre potuerunt.

Sap. 9. 1.

2. Cor. 5. 7. Iſaia 53. 2.

Matth. 27 Ioan. 19.

B

SERAPION dixit: Quaſi anguis lubricus, quò plus conſtringeris, plus de ſtringentibus pugnis euadis. Hominem vis eſſe Filium Dei, an Deum? ARNOBIVS dixit: Verum Deum & verum hominem. SERAP. dixit: Ergo, vt dixi, duo filij Dei ſunt, vnus carnalis, & alius ſpiritualis. ARNOBIVS dixit: Cum timore Dei loquere: blaſphemum eſt enim duos Filios Dei dicere. SERAP. dixit: Ergo tu blaſphemas, qui duos Filios Dei dicis. ARNOBIVS dixit: Et tu blaſphemas, & mihi calumniam blaſphemantis impingis. Ego enim dico, vnum Dei Filium, 7 quaſi ignem, in maſſam auri candentis. Nihil in eo vides niſi ignem dum ignitum fuerit, & ſimul aurum purum putaueris, manus ipſa tangendo flammatur. Ita & dum in iſto homine miſeris manum infidelitatis tuæ, vt ſolum hominem æſtimes, incendio æterno conſumeris. Item ſi aurum negaueris, ignem verò qui in eo venit vt eſſet viſibilis, cùm ſit inuiſibilis, denegaueris. Nunc interrogo te, reſponde mihi; Cur non dimittis manum ad candentem maſſam auri? SERAPION dixit: Quoniam manus, quæ eam contigerit, ardeſcit.

C

ARNOBIVS dixit: Iſte ignis viſibilis eſt, an inuiſibilis? SERAP. dixit: Viſibilis. ARNOBIVS dixit: Vnde probas viſibilem eſſe ignem? Per ſeipſum, an per alteram materiam? SERAPION reſpondit: Per alteram. ARNOBIVS dixit: Ergo non eſt viſibilis ignis. SERAP. reſpondit: Quomodo non eſt viſibilis ignis, qui videtur & tangitur? ARNOBIVS dixit: Non videtur, nec tangitur, nec calefaciet, nec comburet per ſuam ſubſtantiam, ſi non fuerit alteri cuicumq; commixtus. SERAPION dixit: Ergo ignis per ſe nihil eſt. ARNOBIVS dixit: Non ſolùm non dico, nihil eſt: ſed dico, magna vis, fortiſſimaque ſubſtantia: ſed tamen niſi mixtus alteri fuerit ſubſtantiæ, inuiſibilis & incorporeus perſeuerat. SERAPION dixit: Ergo ignis Deus eſt. ARNOBIVS dixit: Hoc tibi dixi, quia erras. Nunquid totum quod inuiſibile nobis & incorporeum eſt, hoc etiam Deo & inuiſibile & incorporeum eſt? SERAPION dixit: Ergo Deo viſibilis eſt ignis & corporeus. ARN. dixit: Omnia quæcunq; inuiſibilia & incorporea ſunt, Deo ſoli ſecundū hoc, q ab eo creata ſunt, viſibilia & corporea ſunt. SERAP. dixit: 8 Ergo animæ, & ſpiritus, & angeli corporei ſunt. ARNOBIVS dixit: Nolo me per anfractus tuos à Deo tollas; & ad angelos, & ad animas, & ſpiritus trahas. Tamen ne putes me fugere interrogationem tuam, audi. Quicquid menſuram habet, corpus eſt, non humanis, ſed Diuinis oculis patens: immenſus autem & incorporeus Deus ſolus eſt. Omnes enim Angeli à Deo facti initium habent: & quæ initium habent, & vltimum habent, non noſtris oculis ſeruiens, ſicut ſol, & luna, & ſtellæ, ſed ſolis Diuinis oculis pateſcit. SERAPION dixit: 9 Ergo & anima hominis corporea eſt. ARNOBIVS dixit: Quicquid tangit & tangitur, & in loco

D

Ioan. 4.

E

aliquo continetur, corpus eſſe non dubium eſt. Cùm ergo & intrare animam corpus, & habitare in corpore, & exire è corpore doceatur, quomodo non corporea eſſe, dignoſcitur? Sed interim, ſi de hac re longiorem vis diſputationem fieri, tibi etiam alio tempore proponere licebit. Nunc verò aienti mihi ignem incorporeum eſſe, ſicut animam & ſpiritum, nobis dico ignem incorporeum eſſe. Aſſerenti mihi, ſi qua præuales ratione, obſiſte. SERAPION dixit: Nouam rem audio. Quotidie inter manus nos ignem habere video: ſed noua itropha verborum ignem mihi vult inuiſibilem comprobare. IVDICES dixerunt: Nos Arnobium audiuimus non ita dicentem ignem inuiſibilem, vt negare videatur eſſe viſibilem per alteram ſpeciem cuicunque fuerit mixtus, ſiue ligno, ſiue ferro, aut æramento, aut argento, aut auro: ſed cur hoc dicat, inquire.

NOTÆ.

F

1. Habere palmatem] *Aliquot Arii Epiſtolas, & librum, quem Thaleiam appellauit, citant Athanaſius ac Epiphanius: ſed verba ſubiecta ibidem non leguntur. Conſtat nihilominus eum hunc praſertim locum vrſiſſe aduerſus Filii conſubſtantialem æqualitatem, ex eo quod Patres magno ſtudio ad eum reſpondent. Eo namq; reſpiciens Athanaſius ſcripſit in ſymbolo ſuo:* Æqualis Patri ſecundùm Diuinitatem, minor Patre ſecundùm humanitatem. *Et Fauſtinus presbyter libro ſuo ad Flacillam, ſeu Placillam Auguſtam, de fide contrà Arianos, ait:* Hoc à Filio dictū eſt, de officio miniſtrantis, non de Deitate. *Et rurſum:* Quod dixit, Pater maior me eſt, non impugnat æqualitatis Maieſtatem, ſed ſacramentum ſuſceptæ humilitatis deſignat. *Et Auguſtinus in Enchiridio ſcribit:* Filius in quantum Deus eſt, ipſe & Pater vnum ſunt: in quantum autem homo eſt, Pater maior eſt illo. *Cap. 2. & 4.* *Cap. 35.*

2. Qui cùm eſſet in forma Dei.] *Et hoc teſtimonio Patres tam Græci quàm Latini magna conſenſione atq; conſtantia confirmant Filium Patri omninò æqualem & conſubſtantialem eſſe. Vnius tantùm Athanaſii ad Arium verba ſubiicio:* Quid contulcunt Pauli Apoſtoli eloquium tenuis dicentis de Filio. Dum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo? &c.

3. Quomodo exinaniuit ſe?] *Hanc Gregorii Nyſſeni etiam à Cyrillo laudatam explicationem hoc loco præterire non potui:* Qui rex regnantium, & Dominus dominantium erat, ſerui formam induitur, & ſubditur poteſtatem gerentibus. Dominus creaturæ in ſpelunca diuertit. Qui vniuerſum palmo concludit, non inuenit locum in diuerſorio: ſed in præſepio reclinatur. Mundus & immaculatus humanæ naturæ ſuſcipit ſordes: & omni paupertate noſtra perfunctus, vſque ad mortis finem peruenit, &c. *In Apologetico.*

G

4. Non Deus per hominem quem aſſumpſit factus eſt homo.] *Sanè intelligendus hic locus. Nimirum ſic: Deus aſſumptione non eſt factus humanum ſuppoſitum, ſeu perſona humana, ſicut homo aſſumptus eſt in ſuppoſito vel perſona diuina: quandoquidem ſuppoſiti aut perſonæ ratio in Chriſto tantùm Dei eſt, non hominis.*

5. De limo terræ virginis.] *Illud ſic explicatur apud Tertullianum:* Virgo adhuc erat terra, nondum opere compreſſa, nondum ſemente ſubacta: ex ea hominem factum accepimus à Deo in animam viuam. Igitur ſi primus Adam ita traditur, meritò ſequens vel nouiſſimus Adam de terra, id eſt, carne nondum generationi reſignata in ſpiritum viuificantem à Deo eſt prolatus. *Lib. de carne Chriſti.*

6. Viſibilis factus eſt tantùm] *Vetus codex, pro* tantùm, *habet* tacui: *itaque ſcribendum fuit* tantùm, *aut addendum*, & tacui.

H

7. Quaſi ignem in maſſam auri candentis.] *Damaſcenus libro de duabus voluntatibus, & operationibus in Chriſto, & in lib. de fide orthodoxa, pari ſimilitudine ſuadet in Chriſto verè duas eſſe ſubſtantias, vnica verò hypoſtaſi.*

8. Ergo animæ.] *Vetus eſt diſputatio: An Angeli verè corporei ſint, an verò ſubſtantiæ ita ſpiritales, vt omnino expertes ſint materiæ. Plato imprimis & Platonici omnes tam prophani quàm ſacri affirmantē partē amplexi ſunt, vt patet ex Apuleio, Iamblicho, Porphyrio, & aliis: item ex Origene, Auguſtino, & cæt. Tametſi hic & aliis in locis videatur dubitare. Addo & Ioannem Theſſalonicenſem id quoq; affirmantem, actione quinta ſeptimi concilii generalis, quod eſt ſecundum Nicænum. Tertullianus etiam ſcripſit, Angelos eſſe corporis alicuius: & Ioannes Caſſianus, habere corpus quo ſubſiſtunt. Nec prætereundum eſt Iuſtinum martyrem, Athenagoram, Irenæum, ex Latinis verò Tertullianum, Lactantium, addo etiam Auguſtinum, ex capite ſexto Geneſeos, vbi ſcriptum eſt, Filios Dei accepiſſe in vxores filias hominum, ex iiſque Gigantes genuiſſe, aliquando opinatos eſſe, Angelos tanquam corporeos id effeciſſe: quod tamen de filiis Seth longè melius Athanaſius, Nazianzenus, Hieronymus, Chryſoſtomus, & alii interpretandum cenſuerunt. Conſtat enim Apoſtolum de malis angelis lo-* *Aug. lib. 8. de ciuit. cap. 14. 15. 16. Lib. 2. Poeta. Ench. ca. 59 & li. 21. de ciuit. ca. 10. Lib de carne chriſti collat. 7.*

quen-

A

Epheſ.6. Luc.24. Matth.8.

quentem negare illos componi ex carne & ſanguine: & omnes paſſim in Scripturis appellari ſpiritus, qui carnem & oſſa non habent. Ergo cum hic ab Arnobio, aut alibi à Patribus dicuntur corporei, id propriè, & abſolutè non eſt definitum: ſed ſola ad Diuinam puritatem & ſimplicitatem facta comparatione, vt hoc loco apertè indicatur, cùm ſolum Deum eſſe incorporeum dicit.

9. Ergo & anima hominis corporea eſt.] *Scholaſtici paucis & acutis hanc difficultatem expediunt, dicentes, eam corpoream eſſe aſſumptione & informatione, non autem natura, propriaue ratione. Item, quod quorundam animæ, vt Moſis, Eliæ, Oniæ, Ieremiæ, in qualibuſcunq; corporibus aliquando apparuerunt. Sed hic Arnobius aſſerit, non dubium eſſe, quin corporea ſit. Inſuper, Tertullianus li. de anima, totus in eo eſt, vt probet eã corpore conſtare. Ac certè omnes qui eam ex traduce parentum educi putauerunt, hi autem plurimi & grauiſſimi fuerunt, eadem opera ex materia & corporum ſubſtantia compactam eſſe non obſcurè ſunt profeſſi. Verùm, cùm paſſim in ſacris literis appelletur ſpiritus, prout etiam ſpiritus opponitur corpori, ſpiritus autem carnem & oſſa non habeat: deinde ſanctiſſimi Patres Ambroſius lib. de Noe & arca, c.25. Hieronymus epiſt. ad Auguſtinum idem Auguſtinus epiſt.28. & 157, deniq; Gregorius Magnus lib.21. Moralium, ca. 2 eandem conſtanter credant & doceant eſſe incorpoream: Eccleſia deniq; definitionib. eadem ſtatuatur eſſe ſpiritualis & incorporea, nefarium puto aliter credere aut docere. Itaq; cùm Arnobius vel alij eam vocant corpoream, id non ſimpliciter ac propriè intelligendum eſt: ſed æquiuocè, ac comparatione quadam facta cum ineffabili atq; incomparabili ſimplicitate Dei noſtri.*

Eccleſ.7. Luc.23. Rom.8. Luc.24. Sext.ſyn. Act.11. & 13. Concil. Later.c. Firmiter.

B

ARNOBIVS dixit: Gratias prudentiſſimis Cognitoribus refero, 1 qui ſenſum verborum meorum eo quo eſt à me dictum per ordinem oſtendentes, quaſi lucem in tenebris effulſerunt. Dic ergo Serapion, quod verum eſt: Hanc ignis ſubſtantiam numquid ſine ligno, aut quocunq; metallo videre potes, aut contingere preuales? SERAP. dixit: Cùm de Dei Filio loquimur, ad imaginem me & metalla trahis. ARNOBIVS dixit: Non audiſti Apoſtolum dicentem de Deo, quomodo *inuiſibilia eius, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; virtus eius & Diuinitas*? Ergo ſi tu veſtigas, ſiue vt tu de me dixiſti, tortuoſus anguis ſtringente mihi te conaris euadere, mediis iuſtiſſimis Cognitoribus penitus non euadis. Dic ergo, cùm ignem in ligno, aut quocumq; metallo videris, vnam in eo ſubſtantiam, an duas attendis? SERAP. dixit: Vnam. ARNOBIVS dixit: Non eſt ergo ibi nec lignum, nec ferrum, nec vllius prorſus materiæ genus, per quod virtus eius & inuiſibilitas agnoſcatur. SERAPION dixit: Eſt quidem per quam cognoſcatur virtus & inuiſibilitas, tamen ignis ſola patet eſſe ſubſtantia. ARNOB. dixit: Iſta ignis ſola ſubſtantia in aëre cognoſcitur intra thermarum calorem, 2 ſed ni lignis admixtus intra fornacem, excitauerit flammas, nec teporem exhibet thermis, nec calorem. SERAPION dixit: Benefacis docere homines quod nullus ignorat. ARNOBIVS dixit: Si tecum Hebraico loqui ſermone poteram, nunquid non ſuperfluus, an conſideratus argueret? SERAPION dixit: Ita eſt. ARNOBIVS dixit: Ita ſi tecum loquar quod omnes ignorant, & non tecum hoc loquar quod nullus ignorat, vincere te qua ratione potero? Dic ergo, ignem cernis duas ſubſtantias an vnam? SERAPION dixit: Vnam video ignis ſcilicet. ARNOBIVS dixit: Obſecro Iudices, iam date ſententiam, & vter noſtrum quod fallat oſtendat. IVDICES dixerunt: Sine cauſa reprobauit interrogationem tuam: & cur timeat Serapion duas ſubſtantias dicere in igne dum cernitur, ignoramus. Vnde quia ſubterfugit, nos non ſolum Iudices, ſed & teſtes te habere confidens, perge quo tua tendit oratio.

Rom.1.20.

C

D

ARNOBIVS dixit: Ignis iſte inuiſibilis aliquam aliam materiam ingreſſus, viſibilis per iſtam efficitur, habens in ſe vnum quod exurit, alterum quod illuminat: ita Filius de ſinu Patris egreſſus, Virginea integritas ita illum ſuſcepit, vt poteſt maſſa auri ignem ſuſcipere: & ex ipſa maſſa produxit hominem perfectum *ex ſemine Dauid ſecundum carnẽ*, in quo toto quaſi aureo metallo ipſe ignis incõprehenſibilis, cõprehenſibilis, fieret; impaſſibilis, paſſibilis fieret; impalpabilis, palpabilis fieret; vt dixi, prius vnum quod exurit incredulos, aliud quod omnes credentes illuſtrat. Itaque per duas iſtas ſubſtantias, auri, quod corpus eſt: & ignis, quod corpus non eſt; vna perſona, quam cernimus aut ferri, aut æris, aut argenti, aut auri, vna ſubſiſtit ſpecies, habens duas ſubſtantias auri veri, & ignis veri. IVDICES dixerunt: Vt quid declinat Serapion tam euidentiſſimæ rationi reſponſum dare, neſcimus: vnde, vt diximus, perge quò tua tendit oratio.

Rom.1.2.

E

ARNOBIVS dixit: Calumniam, quam in me ingeſſit confirmare dum ſtudet, fecit rem conſultam homo ſapiens, vt taceret; ne ſuo ſe ore cõfutando conuinceret. Dixit enim me, quod Deum duos filios habere per viſibilem & inuiſibilẽ ſubſtantiam credendo aſſererem; cùm vnum Dei Filium in duabus ſubſtantijs credam: ſicut vnum auri metallum, cùm ignitum fuerit in duabus ſubſtantijs probabiliter aſſeram. Inuiſibilis enim Filius Dei viſibili; filio hominis mixtus vnum filium Dei fecit, vt in ipſo eſſet viſibilis ſicut ignis, qui inuiſibilis fuit in maſſa auri aut cuiuſcunque metalli factus viſibilis, non amiſit quomodo ſolus ignis ſine materia alterius rei, quæ illum viſibilem & ſenſibilem faciat nec videri poteſt ab oculis, nec à corporibus omnino ſentiri. SERAPION dixit: Intelligo te ad hoc peruenire, vt dicas Filium Dei deſeruiſſe filium hominis, nec ſimul crucifixum in ligno. ARNOBIVS dixit: Ego hoc nunquam nec corde concepi, nec ore protuli: quinimò cum Propheta dico, quod non ſolum non deſeruit eum in cruce poſitum: verùm etiam non eum dereliquit euntem in infernum, & non dedit ſanctum ſuum videre corruptionem. SERAPION dixit: Ex quo tempore Deitas in hominem, quem aſſumpſit, aduenit? ARNOBIVS dixit: Ex qua hora Gabriel angelus verbũ iecit, & illa credendo concepit. SERAPION dixit: Ergo ſimul conceptus eſt. ARNOBIVS dixit: Dum conciperetur verbo homo in vtero, qui eum fabricauerat, & adhuc fabricabat, vt in eo maneret, & ibi erat is qui initium nunquam habuit, in eo qui initium eſſentiæ ſuæ in vtero Virginis aſſumebat. SERAPION dixit: Ergo Deus & patrem & matrem habet. ARNOBIVS dixit Patrem habet Filius Dei, qui eum genuit ante tempora ſine matre; & matrem habet Virginem, quæ illum concepit & peperit ſine homine patre. SERAPION dixit: Ergo mater Dei eſt. ARNOBIVS dixit: Mater Chriſti & Dei. SERAPION dixit: Quid eſt Chriſti & Dei? ARNOBIVS dixit: Dei, qui cùm initium non haberet, tamen naſcendo initium aſſumpſit cum Chriſto. Chriſtus enim ſine Deo 4 ſimilis eſt Chriſtis alijs, qui ante eum fuerunt. Chriſtus autem Deus noſter ſimilem per naturam penitus non habet; præter ipſum enim nullus eſt Chriſtus & Deus. SERAPION dixit: Quid ergo in partu Mariæ natum credis? ARNOBIVS dixit: Hominem, qui nunquam fuit, cum Deo qui ſemper fuit. SERAPION reſpondit: Maria ergo mater hominis, & non Dei eſt. ARNOBIVS dixit: Per hominem de Spiritu ſancto conceptum & natum meruit etiam eius mater fieri, qui ita fuit ſemper, vt & non fuerit tempus, quando non fuit. SERAPION dixit: Ergo Neſtorij ſectam ſequeris. ARNOBIVS dixit: Neſtorius θεοτόκον negauit, quam & χριστοτόκον credo. SERAPION reſpondit: Si illum creauit ex ſe, qui ante non fuit, illum ſine dubio non creauit qui ſemper fuit. ARNOBIVS dixit: Si ad rationes humanas vadis, & fidem tecum non ducas: vadis, vacuus redis, & ſemper vacuus permanebis. SERAPION dixit: Si ſcis quia non poſſum & ego tecum iniurioſè loqui, loquere iniurioſè. ARNOB. dixit Iniuria eſſet, ſi non vt vides, cauſa exigeret vt hoc tibi dicerem. SERAPION dixit: Quæ cauſa hoc exigit ſciamus. ARNOBIVS dixit: Quomodo totum quod circa Mariam geſtum eſt rationem hanc habet primam, vt credas: ſi verò rationem habeas, & fidem non habeas, vacua erit ratio tua. SERAPION dixit: Aut ratio, ratio: aut fides, fides erit. ARNOBIVS dixit: Non poteſt fides ſine ratione in hac parte, nec ratio ſine fide ſubſiſtere. SERAPION dixit: Et quę ratio poterit me docere, quod Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo poſt partum permanſit? ARNOBIVS dixit: 6 Hæc ratio eſt Deus omnipotens. SERAP. dixit: Ego tecum de puella ago. ARNOB. dixit: Ego tecum de omnipotente ago. Dicas mihi. Qui fecit cælũ & terrã, & omnia quæ in eis ſunt Omnipotens ipſe eſt, an non omnipotẽs? SER. dixit: Sẽper aliud ꝓponis, vt aliud tibi agere liceat, & nõ ad interrogata reſpõdeas? AR. dixit:

F

Pſal.15.10. Luc.1.

G

H

Ego

A Ego interrogationi tuę ſtudens reſpōdere, interrogo te, Dic mihi, Deus eſt omnipotēs, an nō. Ser. dixit: Qui hoc
Psal. 13. 1. negat, nihil illo ſtultius eſt. Scriptū eſt; *Dixit inſipiens in cord. ſuo, Non eſt Deus.* Ar. dixit: Filius ergo Dei per omnipotentiā ſuam hoc facere voluit, vt efficeretur filius hominis. Ser. dixit: Cuius hominis? Arn. dixit: Mariæ. Ser. dixit: Ergo hoc voluit quaſi putatiuè, & non veraciter. Ar. dixit: In Deo nihil putatitium, nihil fantaſticū, nihil mēdacij exiſtit. Ser. dixit: Vnū è duob. ſtare non poteſt, quia Maria aut [illegible] erit eadē genitrix; aut [illegible] eadem genitrix Chriſti. Ar. dixit: Et [illegible] eſt, & [illegible]. Ser. dixit: 7 Ergo duorum eſt mater filiorū. Arn. dixit: Vnius filij mater eſt. Ser. dixit: Qua ratione hoc poteris docere, cū Filius Dei, Dei Filius ſit; qui ex Deo Patre ante ſæcula eſt genitus Deus: & ille nunc ex tempore ſit genitus filius hominis? Ar. dixit: Filius Dei omnipotens omnipotentis
B Patris per omnipotentiam ſuam hoc voluit, vt vnus cum eo fieret Filius Dei iſte filius hominis. Ser. dixit: Ergo mixta eſt Diuinitas & humanitas. Ar. dixit: Quid eſt hoc quod vis dicere, Mixta eſt? Ser. dixit: Deum hominē, quē mixtū carnis & Verbi vnū corpus effecit. Arn. dixit: Blaſphemū eſt ita credere, vt quaſi conflatib. opere duas naturas in vnā credamus redactā eſſe ſubſtantiam. Euidens eſt enim vtriuſq; partis corruptio: nam qui capax, non capabilis; penetrans, non penetrabilis eſt; implens, non implebilis eſt; qui vbiq; diffuſus, & vbiq; totus eſt, ſimul per omnipotētiam ita ſe naturæ infudit humanæ, 8 vt caro perficeretur in Verbo, non Verbum in carne perficeretur. Non enim dicit
Ioan. 1. 14. Euangeliſta, Verbum cum carne natum eſt, 9 ſed *Verbum caro factum eſt*, & homo naſci non iudicauit indignū. Ser. dixit: Si Verbū caro factum eſt, Verbum eſſe ceſſauit. Ar. dixit: Non homo perfectus in virginali vtero conceptus eſt & natus? Ser. dixit: Homo ergo cum Deo natus eſt. Ar. dixit: Si piè hoc diceres, finita erat contentio: nunc autem
C quod impiè dicas hinc detegeris. Dicis enim Homo cū Deo natus eſt, vt videatur nunc ipſa Diuinitas Filij Dei ſumpſiſſe initium. Dico aūt & ego, Ita homo cū Deo natus eſt, vt Deus qui ſemper eſt & ſine initio, voluntate ſua qua poteſt omnia quæ vult facere in cælo & in terra, in mari & in abyſſis, hoc illi placuit vt ſalua & integra Deitate ſua fieret filius hominis.

Dic mihi Serapion, potuit hoc facere, & noluit: an voluit, & nō potuit? Inuiſibilis huic homini, quem aſſumpſit, vt vnus ſecum eſſet, ſalua ſua ſubſtantia Diuina, ſalua eius ſubſtantia humana fieret? Si voluit, & non potuit, ceſſet eſſe omnipotens, qui ſuam implere non potuit voluntatem. Ser. dixit: Hanc reuerentiam Deo dare debemus, vt ſeorſum quæ Dei ſunt, ſoli Deo demus: & ſeorſum quæ ſunt hominis, ſoli homini reputemus. Ar. dixit: Impia eſt iſta crudelitas, 10 quæ quartā admittit in Diuina Trinitate perſonam. Duo enim Chriſti duo erūt filij: aut certè vnus Chriſtus erit, non tamen Filius Dei. Et vbi eſt quod Symbolo vniuerſalis Eccleſiæ nos credere confitemur, Chriſtum Iesvm Filium eius vnicum Dominum noſtrū, qui natus eſt de Spiritu Sancto ex Maria virgine? Qui ſic-
D ut ante ſæcula natus eſt ex Patre, nobis ex Maria Virgine ſemper confitemur, totum accipiendo quod Dei eſt, homo, totum ſuſcipiendo Deus quod eſt hominis, aliud quàm Deus eſt eſſe non poſſet. Pars enim vna omnipotentia plena, partem illam in ſe ſuſcipiens, quæ omnipotentiam non habebat, tanta in illa ſe ſuauitate infudit, vt ſalua vtriuſq; partis ſubſtantia, vnus nobis Dei Filius naſceretur ex Virgine. Serap. dixit: 11 Facta eſt ergo humanæ ſubſtantiæ tranſmigratio in Deum. Arn. dixit: Num vis dicere, Humanæ ſubſtantiæ corruptio? Iſtam enim tranſmigrationem ſubſtantiæ ſi tibi conceſſero, corruptionem probabis: & videbitur Deus per infuſionem ſuam à ſtatu ſuo quaſi incluſum excluſiſſe ſubſtantiam. Ser. dixit: Non tibi incluſum per quam humillimam ſuam ſubſtantiam à ſtatu ſuo excluſit, vt homo reuerteretur in Deum, non Deus verteretur in hominem? Arn. dixit: Non ſolùm à ſtatu ſuo non eſt excluſa humana ſubſtantia, ſed in ſtatu ſuo magis eſt roborata. Nam ſicut ſtatus virginitatis Mariæ, homine concepto, & partu, non eſt ex ſua integritate deiectus, ſed magis eſt integrior factus: ita ſtatus humanæ ſubſtantiæ in infuſione Diuina, ita inquam, eſt fortior fa- E
ctus, vt quicquid per præuaricationem Adæ fragilitatis incurrerat, per aſſumptionem Dei penitus nō haberet, & firmius ſuæ integritate ſubſtantiæ poſſideret, quam ipſe Adam ante ſuam præuaricationem poſſedit.

NOTÆ.

1. Qui ſenſum verborum meorum] *Vetus codex paulò aliter, nimirum* qui ſenſum meum, eo quo eſt à me dictum, ordinem oſtendentes, quaſi lux in tenebris effulſerunt.

2. Sed in lignis admixtus] *In veteri cod. erat:* ſed in lignis.

3. Filio hominis mixtus] *Mixtionis voce nullam ſubſtantiarum, confuſionem inducit, quod eſt Eutychetis commentum: ſed perfectam hominis cum Verbo vnionem & proprietatum ex ea promanantem communicationem duntaxat intelligit: illam etenim hoc nomine explicare nihil addubitarunt Irenæus, Tertull. Cyprian. Auguſt. Vigilius, vt ad cap. 21. lib. 3. Irenæi pateferimus.* F

4. Similis eſt Chriſtis aliis] *Prophetas, Sacerdotes & Reges Hebræorū intelligit, qui in ſacris literis paſſim appellantur Chriſti, tum quod ad publicum munus capeſſendum inuncti eſſent, tum quod maximum illum futurum Chriſtum noſtrum adumbrarent: quos ille vel in hoc præſertim excellit, quod Deus omnipotens ſit.*

5. Θεοτόκον negant] *Socrates ac Euagrius teſtantur quendam Anaſtaſium Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſub Neſtorio Epiſcopo presbyterū, hanc primum hæreſim euulgaſſe, Nemo Mariam Deiparā vocet. Fuit enim homo Maria, ex homine autem Deum naſci eſt impoſſibile. Cum hanc, vt impiam & blaſphemam opinionem coargueret Leo magnus Rom. Eccleſiæ Pontifex, Neſtorius contra eandem & craſſius extulit, & magis ad huc blaſphemis adiectionibus auxit & propagauit, in ſyn. de Epheſina blaſphemans, Ego bimenſtrem aut trimeſtrem factum Deum (ſic enim Chriſtum Dominum appellabat) nequaquā nominabo vel colam. Atq; adeirco hæreſis iſta magis ſub nomine Neſtorij, quā Anaſtaſij inualuit. Negans porrò Mariam Theotocon, id eſt, Dei genitricem & matrem, venerandum & magnum (vt loquitur Cyrillus) incarnationis Dominicæ myſterium funditus euertebat, Diſtinctè Verbi ab aſſumpti hominis ſubſtantiā ſeparans duoſq; Chriſtos confingens, Deum vnum, hominem alterū. Eandem vero Χριστοτόκον, id eſt, matrem Chriſti admittens, Chriſti nomine hominem purū ſolumq; intelligebat, qui ex ea natus, poſtea munere adoptionis & gratia Deus vocatus fuiſſet, & à Filio Dei ad oſtentationem ſuæ Deitatis circumductus, vt ſolo habitu, non autem vera perſonaliq; vnitione, inueniretur vt homo. Orthodoxi autem, vt hoc loco Arnobius, eandē & Θεοτόκον & Χριστοτόκον, hoc eſt, & Dei, & Chriſti, qui ſimul Deus & homo eſt, veram matrem confitebantur.* Lib. 7. hiſt. c. 32. & 14. Lib. 1. ca. 2. Leo Epiſt. ad Pulcher. Cyrillus in Apologet. G Cyrill. in terp. ſymbol. & in Apol. Euthym. in Panoplia. Epiſt. 3.

6. Hæc ratio eſt Deus omnipotens] *Eadem pulchrè tam doctè quam eleganter ſcripſit Auguſtinus:* Si ratio ie poſtulas, non erit mirabile: ſi exemplum requiris, non erit ſingulare: tota ergo ratio facti eſt potentia facientis.

7. Ergo duorum] *Eandem fuiſſe Neſtorii ſententiam, patet ex iſta Vincentii Lirinenſis ad eum reſponſione:* Vnum Chriſtum Iesvm, non duos, eundemq; Deum pariter atq; hominem Eccleſia Catholica confitetur, vnam quidem in eo perſonam, ſed duas ſubſtantias: quia mutabile non eſt Verbum Dei, vt ipſum verteretur in carnem: vnam perſonam, ne duos profitendo filios, quaternitatem videatur colere, non Trinitatem. *Et beatus Leo ait:* Euangelica auctoritas ita Verbum prædicat carnem factum, vt non duos Chriſtos, nec duos Filios: ſed in vno Domino Iesv Chriſto, & Dei & hominis nobis inſinuet veritatem: & vtriuſque ſubſtantiæ, id eſt, Glorificantis atque ſaluantis, nec proprietates poſſit confundi, nec perſonæ geminari. Libr. aduerſ. profa. Nouat. Epiſt. ad Epiſc. Gal. li. ... H

8. Vt caro perficeretur] *Vetus codex*, vt caro perficeret in Verbum, non Verbum in carne perficeret. *Puto autem ſinſum eſſe, Carnem in Verbo & ex Verbo perfectam hypoſtaſeos ac perſonæ rationem accepiſſe: non autem Verbum in carne vel ex carne quam aſſumpſit. Nam* quod fuit permanſit: quod *autem* non erat aſſumpſit.

9. Sed Verbum caro factum eſt] *Prætermittere nequeo vere aurea beati martyris & Apoſtolici viri Ignatii in hunc Sancti Ioannis locum verba.* Verè, *inquit*, peperit Maria corpus, Deo in eo inhabitante, & verè natus eſt Deus Verbum ex Virgine, corpus ſimile nobis, paſſibile, ſine peccato, induens: verè conceptus eſt in vtero, & factus eſt in vtero, formans & faciens ſibi corpus ex Virgine, ſine ſemine viri: portatuſq; in vtero, ſicut & nos tempore portatus fuimus, &cæt. Epiſt. ad Trallianos.

10. Quæ quartam admittit.] *Neſtoriani duas in Chriſto perſonas confingentes, deinde Patris ac Spiritus ſancti alias duas confitentes & adorantes, quartam in Trinitate admittebant & colebant perſonam. Ab his faſcinatus Anaſtaſius imperator præcepit Quaternitatem adorari, non Trinitatem: propter quod fæmuus cœleſti fulmine percuſſus, miſerum animam exhalauit, vti Pomponius Lætus in vita eius, & alii memoriæ prodiderunt.* Paul Diac. Pomp. Læt. Blondus, In 3 Decadis 1.

A

Theod. lib. 4 hæret. fab. Euthym. in Panopl. p. 2. Concil. Chalced. *Lib. Contra Neſto. & Eutych.*

11. Facta eſt ergo humanæ ſubſt. mors. &c.] *Hæc fuit Eutychis & aſſeclarum eius impietas, qui vt aduerſus Neſtorium vnam in Chriſto perſonam contendentes ſic confiterentur, mox temerè ſimul & imprudenter in eo ſic confuſa ſubſtantias vt humanam affirmaret ſic abſorptam à Diuina immo et in eandem mutatam & transfuſam, vt tantùm eſſe deſineret. Huius impietatis acerrimus propugnator Dioſcorus Alex. aiebat,* Chriſtum ex duabus naturis fuiſſe, in duas naturas non fuiſſe. *Damnatis porrò à concilio Chalcedonenſi defendendas ſibi ſumpſerunt Acephali, Gnaphæani, Phil ponitani, Monophyſitæ ac Methodiſtæ, adeò q; inualuerunt, vt totum ferè Orientem, & Africæ non exiguam partem infecerint, velut ex Paulo Diacono Nicephoro, Euthymio, & Nicetâ facilè colligitur. Aduerſus has hæreſes ita ſcribit B. Gelaſius Papa.* Nec duas perſonas in Chriſto intelligimus, per id quod dicimus duas naturas: vt adunationis diuiſionem facere videamur, & ſit (quod abſit) quaternitas, non Trinitas, ſicut Neſtorius ſentit inſanus. Nec confundimus easdem vnitas naturas, cum vnam perſonam confitemur, vt impius Eutyches dicit. Et in ſymbolo Athanaſij dicitur Chriſtus eſſe: vnus, non confuſione ſubſtantiæ ſed vnitate perſonæ.

Serap. dixit: Omnis ſubſtantia cùm ſubſiſtit, aut magna eſt, & parua non eſt: aut regalis eſt, & priuata non eſt: aut immortalis, & mortalis non eſt: aut diues eſt, & paupercula non eſt: aut Diuina eſt, & humana non eſt. Tu autem confundens omnia, vnum è duobus ſtare dum denegas; nec Deum nobis verum, nec hominem verum præuales edocere. Arnobivs dixit: Audi quid dixiſti; Omnis ſubſtantia aut magna eſt, & parua non eſt. Singulatim tibi exponam, ſi nelcis: In vnico Filio Dei duas eſſe

B

ſubſtantias profiteor & aſſigno. Habet per humanitatem, vt verè minor Patre ſit: habet vnde initium verè ſumpſit ex tempore: habet vnde verè ſit impaſſibilis, habet & vnde paſſibilis extitit: habet vnde verè immortalis ſit, habet vnde verè ſit mortuus & ſepultus: habet vnde nunquam ceſſauit viuere, & vitam omnibus qui viuunt ſuo arbitrio diſpenſare; habuit etiam vnde inter animas defunctorum animam corporis ſui defuncti ne ad inferos permitteret, & redire. Habuit vnde mortis imperium ſubiugatum teneret; habuit vnde mortis ſubiaceret imperio. Habuit vnde ploraret defunctum, & in eo erat vnde iuberet ipſum quem plorabat mortuum ſuſcitari. Et hæc ratio Diuinitatis eius, vt cùm duas iſtas integerrimas ſubſtantias habeat, vnum tantùm in his duabus Filium Dei credas. Serapion dixit: Ergo conuerſionem aliquam in ſemetipſo vnde inciperet eſſe quod non erat, habuit. Arnobivs dixit: Non

Ioan. 14. 28.

Pſalm. 15.

Heb. 2. 14.

Ioan. 11. 35. & 44.

C

ita eſt: ſed ſermo Patris nunquam à Patre diſcedens; homo quippe fieri dignatus eſt ſecreto ſuo myſterio, quod ipſe nouit, qui quoniam totum ſuſcipiens quod eſt hominis, homo eſt; totum accipiens quod Dei eſt, alius quàm Deus eſſe non poteſt. Serap. dixit: Et ſi incarnatus eſt, vt aſſeris, immixtus, quomodo non eſt facta diminutio Diuinæ ſubſtantiæ? Arnob. dixit: Eſt ne aliquid quod aut non poſſit Deus, aut neſciat? Serap. dixit: Nihil eſt quod non poſſit Deus, nihil eſt quod neſciat. Arnob. dixit: Ergo ſi ſcit, & poteſt ſine ſui corruptione miſceri, ſicut potuit hominem ſuſcipere, ita vt nihil ei augmenti de ſuſceptione accederet: ſciuit, & potuit vt totum ſe infunderet, & nihil acciperet detrimenti.

Serap. dixit: Quæ ratio te compellit, vt quotieſcunque de Filio Dei, 3 qui eſt Deus natus ex Maria, loqueris, non ſolùm dicis vt ſit Maria θεοτόκος: ſed ſemper hoc nominas, quod Filius hominis eſt, vt ſit Maria χριστοτόκος? Arnobivs dixit: Sicut ego nunquam χριστοτόκον ſine θεοτόκον dico, & tu ita confitendo confirmas fidem tuam, & finis huius noſtræ altercationis occurrit. Serapion dixit: Vnde tibi hæc authoritas huius definitionis aduenit? Arnobivs dixit: Apoſtoli Pauli non vis recipere hoc quod dixit teſtimonium: *Factus eſt primus homo in animam viuentem, nouiſſimus homo in ſpiritum viuificantem?* Serapion dixit: Dic mihi quo ordine tu iſtum ſenſum accipias? Arnobivs dixit: Ipſe Apoſtolus ſuis verbis hoc quod dixi explanauit, dicens: *Quoniam per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto* 4 *omnes viuificantur.* Serapion dixit: Video quod moliris aſtruere, vt quia in iſto loco nominat Apoſtolus hominem ſolùm, non etiam Deum, docuiſſe videatur reſurrectionis noſtræ gloriam celebrare. Arnobivs dixit: Chriſtum quando audis, & non audis

D

1. Cor. 15. 45.

1. Cor. 15. 21 & 22

E

ſanctæ Mariæ Virginis filium, ſcias te 5 vnum ex rebus Iudæorum audire: & ideo hominem hunc ſolum eſſe iuſta ratione firmamus. Virginis autem filium Deum & Chriſtum eſſe Catholica fidelitate hoc ordine confitemur, vt gloriam quam humanum genus per primum hominem amiſerat, per iſtum filium Virginis, qui Deus & homo, in centuplum melius recuperaret. Nam Paradiſi regio per primum hominem legitur fuiſſe ſublata, per ſecundum verò hominem & regio Paradiſi reſtituitur, & 6 omnium indulgentia confertur. Serapion dixit: Ergo hæc tanta beneficia homo nobis præſtitit, non Filius Dei Deus. Arnobivs dixit: Calumniam vis ex ea naſci, ex qua natus eſt qui nos ex omni liberaret, & ab omni peccato: & inde vis me vinctum tenere, vnde à vinculis ſoluimur: & inde vis mihi libertatem auferre, vnde libertas ſeruo mundo, & captiuo ingenuitas generatur. Serapion dixit: Vnde iſta tam bona tamque præclara naſcuntur? Arno-

F

bivs dixit: Ex iſta confeſſione vt dicam, Dei Filium in carne veniſſe, dicente Apoſtolo; *Qui negat Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, hic Antichriſtus eſt.* Eſt ergo caro, hoc eſt, perfectus homo eſt: & qui venit in carne, hic eſt Filius Dei inuiſibilis, hic eſt perfectus Deus, Filius Dei, creator hominis, cum quo dignatus eſt fieri filius hominis. Serap. reſpondit: Ergo Deus, ſuus creator eſt. Arnob. dixit: Vbi non eſt commixtio viri, qui creator extitit nati?

1 Ioan. 2. 22.

Serapion dixit: Multum me ſuſpectum reddis, cùm & creaturam, & carnem, & hominem, & filium repetis: tamen Filium Dei filium fuiſſe Mariæ non fateris. Arnobivs dixit: Si non eſſet filius hominis Filius Dei factus, Maria mater Dei eſſe non poterat. Per filium ergo ſuum facta eſt mater Filij Dei: per formam ſerui quam aſſumpſit Dominus, facta eſt mater Domini: nec poterat eſſe θεοτόκος, niſi χριστοτόκος fieri meruiſſet. Audi quid habebat concipere in vtero, aut quid habebat parere, aut quid habebat pannis inuoluere, & in præſepio ponere, aut quid habebat lactare, aut quid habebat tollere & fugere in Ægyptum, aut quid habebat creſcere ætate & ſapientia, aut quid octauo die circumcidi, aut quid habebat baptizari à Ioanne, niſi eſſet homo perfectus, in quo eſſet perfectus Deus, qui ipſum ſicuti hominem in vtero

Luc. 1.

Matth. 2. 13.

G

Luc. 2.

fabricauit. Serapion dixit: Neſtorij eſt iſta doctrina. Arnobivs dixit: 7 Neſtorium quæ aſſerit præ manibus habeo: ſi iubent Iudices recitabo. Ivdices dixerunt: Legatur quod ab Arnobio offertur, vt poſſit Serapionis, ſi vera eſt obiectio, demonſtrari. Cumque accepta eſſet homilia, ad locum lecta eſt ita. Non peperit ſanctiſſima Maria Deitatem: nam *quod natum eſt de carne, caro eſt.* Non peperit creatura creatorem: ſed peperit hominem 8 Deitatis miniſtrum. Non ædificauit Deum Verbum Spiritus Sanctus: *quod enim ex ipſa natum eſt*, ait, *de Spiritu Sancto eſt*: Deo itaque Verbo templum ex Virgine ædificauit. Et paulò poſt: 9 Per ſe qui natus eſt Deus in vtero, Deus eſt. Et paulò poſt: Θεοδόχον formam in Deo honoremus. Item in alia prædicatione, cuius initium hoc eſt: Sæpè mecum fructus vitæ verſans, & terreſtrium rerum multiplicem mutabilitatem: ſparſaſque per vitam inſidias cogitans, hæſitans exclamaui. Quis poterit liberari? Et poſt paululum ait: Spiritum diuina

Ioan. 3. 6.

Matth. 1. 20.

H

ſeparat natura, qui humanitatem eius creauit. Quicquid ex Maria natum eſt, de Spiritu Sancto eſt, qui & ſecundum iuſtitiam repleuit quod creatum eſt. Hoc *quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in Spiritu.* Item ait. Qui fecit enim metuendum dæmonibus, de quo dicit ipſe Dominus, *Ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia*, ipſe carnem eius fecit templum. Vnde dicit Baptiſta: *Vidi Spiritum Sanctum deſcendentem de cælo, & manentem in eo.* Item paulò poſt: Qui dedit ei eleuationem in cælum, ait, dedit mandata Apoſtolis quos elegit per Spiritum Sanctum, & poſtea eleuatus eſt in cælum. Hunc itaque qui Chriſto tantam donauit diſpenſationem, qui natum putant carnem, ſeparant à Diuina natura. Item in alia prædicatione, cuius initium hoc eſt, Nulla deterior ægritudo humanis animis, quàm ignorantia.

1. Tim. 3. 16.

Luc. 11. 20. Matth. 3. 16.

Act. 1.

Digitized by Google

A Et paulò poſt: 10 Iſta autem faciunt Deum ſecundum poſt beatam Mariam, cùm matrem temporalem creatricem temporum Deitatem aſſignant: imò nec matrem Chriſti eam eſſe permittunt, quæ & χριστοτόκος eſt. Nam ſicut illi aiunt, non humana natura, ſed Deus Verbum ab illa natus eſt, & ea quæ peperit non eſt mater nati. Quomodo enim mater eſſe poteſt alieni à ſua natura? Si autem mater eſt, vt ab ipſis vocatur; humanitas eſt quod natum eſt, & non Deitas. Proprium eſt enim parere matri eſſentiæ ſuæ ſimilem: aut enim non erit mater, ſi eſſentiæ ſuæ ſimilem non pepererit: aut ſi mater eſt, eſſentiæ ſuæ ſimilem peperit. Item poſt alia: Deus enim menſium & creator eſt, & non menſium partus eſt: fabricator Sanctæ Mariæ, non poſtea ex Spiritu in ipſa fabricatus. Sed ſine mea doctrina audi Angelum ad ipſum Ioſeph dicentem:
Matth. 2. 13. *Accipe puerum & matrem eius.* 11 Igitur pueri dixit, non Deitatis: Item poſt hæc: Vis tibi addi ſecundum teſtimonium?
Luc. 2. 6. *Completi ſunt itaq; dies vt pareret, & peperit filium ſuum primogenitum.* Ecce habes cuius mater fuit χριστοτόκος, id eſt, pueri mater, quem peperit Maria, non Deitatis, quæ omnia
B Matth. 2. 11. circumſtringit. Audi & aliud teſtimonium. *Videntes autem Magi ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno valde, & intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* Vbiq; pueri mater, non Deitatis, Virgo prædicatur. 12 Quid igitur ordinas carnem matrem Deitatis? Et paulò poſt: Virgini χριστοτόκῳ contigit parere humanitatem, Dei verbo Deitatis miniſterium. Et cùm legeret hæc, IVDICES dixerunt: Hactenus Neſtorij dicta ſufficiant: quid ad hæc ſentiat Serapion, pandat.

NOTÆ.

1. Habuit vnde mortis] *His penitus ſimilia ſcribit Gregorius Pontifex Maximus Lib. 18. Moral. ca. 27. aduerſus eundem, licet ſuppreſſo nomine, Neſtorium.*

2. Sine ſui corruptione miſceri] *Iam admonuimus Veteres non abhorruiſſe à verbis miſceri, commiſceri, ac componi, quando intimam Verbi cum carne vnitionem, ſimulq; conſequentem proprietatum communicationem explicare voluerunt.*

C 3. Qui eſt Deus natus ex Maria] *Vetus codex etiam hic valde mutilus eſt: habet enim:* Qui natus eſt ex Maria, vt ſit Maria θεοτόκος, ſed ſemper hoc nominas quod filius hominis eſt, &c. *Cætera nos addidimus*

4. Omnes viuificantur] *Communi editio Latina*, viuificabuntur. *Sed eum Arnobio faciunt Ruffinus in expoſitione ſymboli, & Tertullianus lib. 4. aduerſus Marcionem.*

5. Vnum ex rebus Iudæorum.] *Quid ſi legeremus*, vnum ex Rabbinis?

6. Omnium indulgentia] *Non malè forſan*, omnis, *vel* omnibus.

7. Neſtorius quæ aſſerit] *Neſtorium certè polygraphum fuiſſe non ex his duntaxat ab Arnobio citatis locis apparet, verùm etiam ex Nicephori lib. 14 cap. 36 Socratis lib 7. cap 32. & actis magni concilii Epheſini: vbi ſcripta eius commemorantur: quæ laudabili veterum ſtudio, diuinaque prouidentia, vt & aliorum hæreſiarcharum monumenta perierunt*

8. Deitatis miniſtrum] *Vetus codex*, miniſterium. *Ibidem pro*, non condificauit, *legimus*, Non ædificauit.

Tom. 2. c. 7 noua edit. 9. Per ſe qui natus] *In actis concilii Epheſini legitur:* Non per ſe, & ſecundùm ſe, Deus eſt, quod in vtero formatum eſt. Non per ſe, & ſecundùm ſe, Deus eſt, quod Spiritus ſancti opera effectum eſt. Non per ſe, & ſecundùm ſe Deus eſt, quod in monumento conditum eſt. *&c. Ex quibus locum hunc Arnobii in noſtro vetere codice corruptum emendare non eſt difficile: vt nimirum ita legatur*, Qui in vtero natus eſt, per ſe Deus non erat, &c.

10 Iſta autem] *Fortaſſè* Iſti *melius legeretur. Inuehitur enim in Patres orthodoxos, eiſdemq; multa imponit, vt ex eiuſdem concilii Epheſini actis perſpicitur. Ita forſan, & commodius paulò poſt legeretur*, cum matrem temporalem Creatori temporum & Deitati aſſignant.

D 11. Igitur pueri dixit] *Hæc paulò fuſius extantur in conc. Epheſino, ex Neſtorij quaternione 21. ſic:* Angelorum vox eſt: Surge, & accipe puerum, & matrem eius. Atqui certum eſt Archangelos natiuitatis myſterium te longè exactius perſpexiſſe: neque hi tamen dicunt, Surge & accipe Deum, & matrem eius; ſed ſurge, & accipe puerum, & matrem eius.

12. Quid igitur ordinas carnem matrem Deitatis?] *Commodius fortè legeretur*, Quid igitur carnalem matrem affingis Deitati? *Et paulò poſt, non malè legeretur*, Deitatis miniſtrum, vel miniſtram. *Neſtorius namq; Chriſtum hominem cenſebat tantùm eſſe Deitatis adſcititium miniſtrum, aut cooperarium, vt ex eiuſdem verbis in concilio extatis*
Tom. 2. c. 8. *apparet.*

(:o:)

SERAPION reſpondit: Si ita non ſentit, nec credit Arnobius, quare frequentat χριστοτόκον & θεοτόκον? ARNOBIVS dixit: Si χριστοτόκον dico, & nego θεοτόκον, 1 rectè arguis me Neſtorianum, vel per leue accuſationis tuæ veſtigium forſitan accuſaris. Nunc verò totus defenſionis meæ curſus impugnat negantem θεοτόκον Mariam; & tu mecum Neſtorium damnas, cùm me tecum execretur Neſtorius. SERAP. dixit: Pro qua re me tecum execratur Neſtorius? ARNOB. dixit: Pro eo quod tecum ſanctam Mariam θεοτόκον non nego. SERAP. dixit: Sermone argumentando θεοτόκον qui confiteris, χριστοτόκον illam aſſerendo impugnas. ARNOB. dixit: Tu negas Chriſtum Filium Dei eſſe? SER. dixit: Non nego Chriſtum Filium Dei: ſed te increpo qui Chriſtum hominem aſſeris, & non Filium Dei. ARNOB. dixit: Antequam naſceretur ex Maria, Filius Dei ante fuit: SERAP. dixit: Quis hæc 2 præter Photinum, dixerit? ARNOBIVS dixit: Ergo ſemper fuit. SERAP. dixit: Semper fuit. ARNOB. dixit: Quis eſt iſte, qui natus eſt? SERAP. dixit: Ipſe qui ſemper fuit. ARNOBIVS dixit: Qui ſemper F
fuit purus natus eſt, aut cum homine, aut extra hominem, aut per hominem? SERAPION dixit: Non tibi dixi, quia hominem vis oſtendere. ARNOB. dixit: Si hominem dicerem, & non ſimul Deum, ſine diminutione Dealitatis ſuæ ſimul natum negarem, rectè iſta opponeres. SERAPION reſpondit: Erubeſcis Deum natum, Deum tentatum, Deum crucifixum, mortuum, & ſepultum dicere, cùm & Paulus dicat: *Non erubeſco Euangelium: virtus enim* Rom. 1. 16.
Dei in ſalutem eſt omni credenti? Tu ergo cum erubeſcis hoc credere Dominum, quem Deum impaſſibilem volens oſtendere liberatorem noſtrum ſolum hominem aſſignas. Vnde neceſſe eſt mihi interrogare te: Quis eſt qui pro nobis paſſus eſt, Deus an homo? ARNOBIVS dixit: Et homo natus eſt Deus, & homo paſſus eſt. SERAPION dixit: Et quomodo impaſſibilem Deum Dei Filium à paſſione humanitatis extraneum reddis? ARNOBIVS dixit: Sicut natus eſt ex tempore, cùm ſit ante tempora genitus, & G
tamen filius hominis eſt, ita & cùm ſit verè impaſſibilis, verè paſſus eſt: & cùm ſit verè immortalis, verè mortuus eſt cum paſſibili ſuo. *Mortuus eſt enim ex infirmitate noſtra,* 2. Cor. 13. 4.
ſed viuit ex virtute Dei. Humana enim paſſibilitas ab eo qui impaſſibilis permanet, ita ſuſcepta eſt, vt cum ipſo eſſet quando conceptus, quando natus, quando baptizatus, quando tentatus, quando venundatus, quando traditus, quando irriſus, quando colaphizatus, quando ſpinis coronatus, quando felle cibatus, & aceto potatus, quando crucifixus eſt, & mortuus, & ſepultus. *Non enim dereli-* Pſalm. 15.
quit eum in inferno, nec dedit ſanctum ſuum videre corruptionem. 10. Cum ipſo etiam tertia die reſurrexit à mortuis, cum ipſo aſcendit in cælos, cum ipſo ſedet ad dexteram Patris, cum eo venturus eſt iudex. Siquidem Apoſtolis angeli in hora aſcenſionis dixerunt: *Hic IESVS, qui* Actor. 1.
aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, &c. 11.

NOTÆ.

1. Rectè arguis me Neſtorianum] *Vet. cod. hic mutilus eſt, habens:* Rectè argueris & Neſtorianum vel per leue accuſationis veſtigium forſitan accuſatis. *Nos pro viribus expreſſimus.*

H

2. Præter Photinum] *Hunc tradunt in minori Galatia ortum, Græcis & Latinis literis eruditum, Epiſcopatum Syrmienſem adminiſtraſſe, & cum aliis orthodoxis in Nicæna ſynodo Arianam impietatem damnaſſe. Sed communi omnibus hæreſiarchis morbo, id eſt, ſuperbia, vanaq; gloriæ appetentia, tandem in Ebionis, Sabellii, ac Samoſateni hæreſim incidiſſe, adeò vt aſſereret, Deum ſingulum eſſe & ſolitarium: & more Iudaico confitendum eſſe non tres perſonas, ſed vnam duntaxat, licet tria nomina eidem tribuerentur. Chriſtum porrò nudum eſſe hominem, & ex humanæ generationis natura initium habere, neq; eſſe ante ſæcula genitum. Hæreſibus autem eius conſtantiſſimè ſeſe obiecerunt Athanaſius, Ambroſius, Hieronymus, Epiphanius, Prudentius, Victorinus, Nazianzenus, & alij paſſim præſtantes viri. Socrates libr. 1. cap. 20. refert Euſebium Cæſarienſem confutaſſe librum cuiuſdam Marcelli, Photini præceptoris, tribus integris voluminibus, quos aliquando Græcos vidi inter manus Ioannis Curterij, cuius anima pace fruatur.* Socr. l. 2. c. 8. & l. 7. c. 32. Sozom. li 4. c. 6. Theod. lib. 5 c. 11. Hier. in Cat.

):(o)

A SERAPION dixit: In eo magis Neſtorianum te iuſtiſſima æſtimo ratione, quòd libros Neſtorij circumferens, & S. Cyrilli Epiſcopi, qui contra Neſtorium plurima Catholico ſermone ſcripſit, nihil memorauerit. ARNOBIVS dixit: Gratias tibi ago omnipotens Deus, quod ex ore Serapionis victoriam protuliſti. IVDICES dixerunt: In quo ſermone tibi autumas victoriam prolatam eſſe? ARNOBIVS dixit: In quo ait S. Cyrilli Epiſcopi, qui contra Neſtorium multa Catholico ſermone ſcripſit. Conſtat ergo apud Serapionem ſancti Cyrilli ſanam Apoſtolicamq; eſſe doctrinam. IVDICES dixerunt: Si hoc negauerit Serapion, non ſolùm à nobis, ſed etiam à ſancta Alexandrina, & ab vniuerſali, quæ in toto mundo eſt Eccleſia Catholica reprobatus abſcedat. ARNOBIVS dixit: Apoſtolicæ recordationis vir S. Cyrillus Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopus, cùm cognouiſſet Neſtorianum dogma contrarium fidei pullulare, ſcripſit per totam Ægyptum, 2 & ad ſanctum Cæleſtinum Apoſtolicæ recordationis antiſtitem miſit, dicens ad laudem ſuam pertinere, ſi ab eo qui Pontificatus arcem tenebat, fuiſſet aliquid emendatum. 3 Sanctus verò Cæleſtinus ita ἐγκωμιαστὴς eius extitit, vt in Neſtorij damnationis dictaſſet ſententiam: laudem verò Cyrilli & in conſpectu Dei & omnium prædicaſſet, aſſerens ſenſum eius præclarorum noſtræ prouinciæ Epiſcoporum prædicatione roborari; & Damaſi, Ambroſij, Hilarij hunc fuiſſe ſenſum euidenter expoſuit. 4 Ait enim in ipſo Concilio: Recordor beatæ memoriæ Ambroſium in die natalis Domini noſtri IESV Chriſti, omnem feciſſe populum vna voce Deo canere: Veni Redemptor gentium, oſtende partum Virginis, miretur omne ſæculum, talis decet partus Deum. Nunquid talis partus decet hominem? Et adiecit: Ergo ſenſus fratris noſtri Cyrilli in hoc quod dicit θεοτόκον Mariam, valde concordat, talis decet partus Deum Deum partu ſuo Virgo effudit, ipſius potentia qui omnipotentia plenus eſt. 5 Hilarius quoq; vir acris ingenij ſcribens in Conſtantium Imperatorem, de incarnatione Domini ſic ait: Filius Dei factus homo Deus. Et præpoſterans repetit: Deus filius hominis factus eſt Deus, non Deus factus eſt homo, & filius hominis factus eſt Filius Dei. Superauit enim magnitudo Domini paruitatem ſeruilis formæ, ita vt ipſa forma ſeruilis, quam aſſumpſit, ceſſaret eſſe ſeruilis, per eum Dominum qui eam aſſumpſit. Si enim qui natura non filij Dei, per ipſum efficiuntur filij Dei: quanto magis ipſe, qui natura Filius Dei eſt, hunc cum quo voluntate ſua aluo Virginali

B

C

Philip. 2. 10. conceptus & natus eſt, ita ſublimauit in Deum, *vt in nomine eius omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum?* 6 Item præceſſor meus Damaſus ſcribens ad Paulinum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum, inter cætera ait: Anathematizamus eos, qui duos filios Dei aſſerunt: alterum qui ex Patre eſt genitus, & alterum qui ex aſſumptione carnis natus eſt ex Virgine. Item ipſe Apoſtolicæ memoriæ vir Damaſus in altera Epiſtola ad Paulinum: Anathematizamus eos qui duos in Saluatore filios confitentur: vnum ante incarnationem, & alium poſt aſſumptam carnem ex Virgine, & non eundem Dei Filium, & antea & poſtea ipſum eſſe Chriſtum verum Dei Filium, qui natus eſt ex Virgine confitentur.

D Et cùm perſequeretur hæc Arnobius, SERAPION dixit: Non hæc a te quæſiui; ſed volui videre ſtudium pro Catholica defenſione contra Neſtorianum dogma ita inſtructum, ſicut Neſtorianæ aſſertionis eruditus es. ARNOBIVS dixit: Ego & Neſtorij errorem declinandum didici, & Cyrilli defendendam eſſe doctrinam agnoui. SERAPION dixit: Profer ergo aliqua, per quæ in vno Dei Filio Cyrillum duas doceas aſſeruiſſe ſubſtantias, humanam ſcilicet & Diuinam. Protulit illicò Arnobius codicem Epiſtolarum Cyrilli, qui in capite hanc habebat Epiſtolam. 7 CYRILLVS vniuerſis Epiſcopis, & Presbyteris, & Diaconibus, Patribus monachorum, & his qui vobiſcum vitam ſolitariam habent, & in fide Dei confirmati ſunt, dilectis & chariſſimis, & regionis Alexandrinæ, in Deo ſalutem. Nuper quidam ex vobis Alexandriam more ſolito aduenerunt. Percunctanti verò mihi, & diſcrete admodum cupienti, ſi modeſtè Patrum veſtigia vos quoq; ſectantes, fidem quoq; rectam & immaculatam eniteſcere contendatis: conuerſatione autem egregia decorari religioſæ vitæ ſanctis laboribus 8 voluntatem veram æſtimantes pro nouo labore nouiter tolerare. Et poſt pauca ait: 9 Sempiternæ memoriæ Pater noſter Athanaſius, qui Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopatum annis quadraginta & ſex coornauit, qui prophanis hæreticorum argutiis inexpugnabilem, & Apoſtolicam obtinebat ſapientiam, & quaſi odoratiſſimo vnguento ſuis ſcriptis lætificat orbem terrarum, cuius fidem rectam & veram dogmatum ſcientiam cunctorum teſtimonia comprobant, cùm de ſacroſancta Trinitate, & vnius ſubſtantiæ, quod Græcè dicitur ὁμοούσιον, opus componeret, in libro tertio identidem ſanctam Virginem θεοτόκον appellat. Vtar autem neceſſariò vocibus & dictionibus illius, quæ ſe ita habent. 10 Hæc, inquit, ſententia eſt & character ſanctæ Scripturę, quod ſæpe diximus, duplicem eſſe in ea de Saluatore ſignificationem. Hæc cùm recitarentur, SERAPION reſpondit: Neſcio ſi Athanaſius dixit, duplicem de Saluatore ſignificationem. IVDICES dixerunt: Nulla poteſt ratione quiſpiam mentiri, quæ in archiuis retinentur Alexandrinę Eccleſiæ. Vnde permitte recitari cum omni ſilentio. Certi enim ſumus de ſcripturis ſanctæ memoriæ Cyrilli Epiſcopi, neq; Arnobium, neq; aliquem poſſe aliqua ratione mentiri. Et recitata ſunt ſcripta S. Cyrilli Epiſcopi de Athanaſio. ARNOBIVS dixit: Sanctæ ſcripturæ duplicem habent de Saluatore ſignificationem, quod Deus ſemper fuit, & eſt Filius, & Verbum, & lumen, & ſapientia Patris: & qui poſtea propter nos carnem ſumpſit ex Maria Virgine θεοτόκῳ, & homo factus eſt. Item poſt alia: 11 Multi autem ſancti fuerunt, & mundi à peccato: Ieremias ab vtero ſanctificatus eſt, & Ioannes cùm eſſet in vtero exultauit gaudio ad vocē Mariæ θεοτόκου, Deū portantis. Hæc Athanaſius dixit, vir ſummæ authoritatis, & cui debet credi, & nunquam dixit ea quæ ſanctis literis non conueniunt: neq; poterat fieri, vt verum præclarus vir & memoratiſſimus ignoraret, quem etiam in S. Synodo, quæ tunc temporis Nicææ cōuocata eſt, 12 ante alios admirati ſunt. Nondū quidem in ſedem Epiſcopatus aſcenderat, ſed adhuc adnumerabatur clericis. Cæterū ſagacitatis & modeſtiæ cauſa, & propter ſubtilem, incomparabilemq; ſcientiā adſcitus à patre noſtro beatiſſimæ memoriæ Alexādro Epiſcopo, aderat ſemper, & quaſi filius 13 gubernans patrē in agendis rebus cōſiliū eius, viamq; vtilem ſubminiſtrabat. 14 Sed quoniam fieri poteſt, vt aliqui æſtiment, etiā à venerabili & Diuina Scriptura oportere nos huiuſmodi laborare tractatū, adijciant etiam ſanctā & maximā Synodon, neq; θεοτόκον dixiſſe Domini matrem: nec omnino ſuper hoc aliquid ſtatuiſſe: age modò quantū verum eſt diſpenſationiſq; de Chriſto intelligitur, oſtendamus, quonā nobis modo diuina Scriptura prædicata ſit. Quod aūt & ipſi Patres loquuti ſunt cùm fide ſanctam & 15 inuiolabilē detinerent, inſpirante eis veritatem Spiritu ſancto, neq; enim ipſi loquebantur, ſecundùm vocem Saluatoris, ſed Spiritus Dei & Patris loquebatur in ipſis. Et paulò poſt ait: Sancta & maxima Synodus ex ſubſtantia Dei & Patris ait: 16 ipſum genitum Vnigenitum, per quem omnia propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendiſſe de cælis, incarnatum eſſe & hominem factum, paſſum eſſe & reſurrexiſſe, & in tempore venturum iudicem. Et poſt pauca, ait: *Apprehendit igitur ſemen Abrahæ; & communicauit carni & ſanguini* Dei Verbum, faciens corpus ex muliere, vt non ſolùm Deus, ſed etiam homo factus ſecundùm nos propter coadunationem intelligatur. Ergo ex duabus rebus ſimul euidenter ex Deitate & humanitate Emmanuel eſt, vnus tamen Dominus IESVS Chriſtus, vnus verè Filius, & 17 Deus, & non homo deificatus, id eſt Theopetis, ſicut alij per gratiam: Deus autem magis verus in humana forma apparuit. Item paulò poſt: Cum ſit igitur manifeſtum, quod non dicitur Chriſtus extra carnem, & ſeparatum Dei Verbum, deceat autem eum magis ſic nominari, poſtquam homo factus eſt, probamus autem ſacris literis fidem facientes quod ſit naturaliter Deus, &

E F G H Matth. 10. Ioan. 1. Heb. 2. 14. & 16.

in co-

A

in coadunatione ſua cum carne conuenerit. Item paulò poſt ait: *Sicut enim in Adam morimur, ita* 18 *in Chriſto omnes viuificamur.* Nam ſi non eſt paſſus humano more pro nobis, ergo neq; diuino more noſtræ ſalutis habuit rationem. Dicitur prius 19 tanquam homo eſſe mortuus; reſurrexiſſe verò poſtea, quia erat naturaliter Deus. Ergo ſi non eſt paſſus carnaliter, nec mortuus ſecundùm Scripturas, nec viuificatus ſpiritu; nec idem omnino reuixit. Et ſi hoc verum eſt, *inanis eſt fides noſtra*, & adhuc ſumus in peccatis noſtris. Item poſt paululum ait: Audio eundem Dominum noſtrum Iesvm Christvm euidenter dicentem de ſua anima: *Nemo tollet eam à me, ſed ego ponam eam ex me: poteſtatem habeo ponendi eam, rurſum poteſtatem habeo ſumendi eam.* Deſcendit enim in mortem per carnem ſuam, qui mortem ignorauit, vt nos reſurgamus cum eo in vitam. Reuixit enim cùm ſpoliaſſet interna, non tanquam homo iuxta nos: 20 ſed vt Deus in carne nobiſcum & ſupra nos. Conſequebatur enim natura in ipſo primo immortalitatem, & contundebatur mors, quæ vitæ corpus more hoſtis inuaſerat: quemadmodum vicit Adam, ſic in Chriſto deuicta eſt. Itaq; aſcendenti & propter nos & pro nobis ad cæleſtem Patrem & Dominum, vt tereneis hominibus 21 peruium & aſcenſibile faceret cælum, triumphales cantus referebat diuinus modulator: *Aſcendit Deus in iubilo.* Vnde & Paulus ait: *Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcendit ſuper cælos, vt adimpleret omnia.* Item iuxta finem huius Epiſtolæ ait: Non ignoramus eius gloriam, qui eſt factus homo iuxta nos, manſit tamen idem qui fuerat Deus.

Rom. 5. 1. Cor. 15. 22. — 1. Pet. 3. 18. — 1. Cor. 15. 14. — Ioan. 10. 18.

B

Pſal. 46. 6. Ephes. 4. 9.

Ivdices dixerunt: Ex abundanti ſatisfecit Arnobius, & ratione humana, & authoritate legis diuinæ, & aſſertionibus priorum Epiſcoporum magnorum atq; ſanctorum 22 Ambroſij, Hilarij, Gregorij, ſed & Athanaſij, & ipſius Cyrilli, doctrinamq; eorum hanc fuiſſe euidenter oſtendit, quæ duas aſtruat ſubſtantias in vno Filio Dei exiſtere, Deitatis ſcilicet & humanitatis: per quas duas ſubſtantias in tantum duos filios eſſe non credit; vt etiam ita credere volentes, legerit Damaſi, & Hilarij, & Ambroſij execratione damnatos. Superfluè itaq; moramur palmam dare vincenti: cùm etiam S. Cyrilli Epiſcopi plurima protulerit, quibus & à ſancto Athanaſio legitur in vno Dei Filio Deum hominemq; adunatum, non vt Verbum quod ſemper in principio fuit, & in ſua Deitate manet, hoc quod ſemper fuit, per aſſumptionem hominis Deus eſſe ceſſauit: ſed vt homo inciperet eſſe Deus, quod ante non fuerat, in vtero conceptus eſt Emmanuel, & ideo Θεοτόκος Maria, quia homo qui conceptus eſt & natus à tempore conceptionis Deus cœpit eſſe in vtero, & Deus eſt in partu. Hic ſenſus Cyrilli, hic ſenſus Athanaſij, Damaſi, Ambroſij, Gregorij, Hilarij, hic Arnobij comprobatus eſt. Aut dexteram Serapion concordiæ iungat; aut confutatus abſcedat.

C

NOTÆ.

1. Sancti Cyrilli Epiſcopi] *Cyrillus Alexandria fratre Theophili Epiſcopi natus, vir fuit ingenio excellentiſſimo, in omni doctrinarum genere à patruo eductus, tertia poſt obitum eiuſdem die electus & ordinatus eſt Alexandrinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus. Hoſtem porrò acerrimum & vigilantiſſimum Neſtorij ac errorum eius fuiſſe, non modo ex actis Epheſini concilij, cui nomine Cæleſtini Papæ præſedit, verùm etiam ex eius Epiſtolis, Duodecim capitulis, Apologia, Dialogis, Theſauro, aliiſq; perdoctis monumentis apertius eſt, quàm dicere ſit neceſſe. Proſper Aquitan. vocat eum gloriosiſſ. Catholicæ fidei defenſorem.*

Theodor. lib. 5. hiſt. ca. 25.

D

Niceph. li. 14. c. 14. & 33. Act. Concil. Chalced. — l. 1. de grat. Dei cont. Col. — Niceph. li. 14. c. 33. & 34. — Euagr. li. 1. c. 3. — Liberat. in Breuiar.

2 Et ad ſanctum Cæleſtinum] *Manifeſtum eſt ex hiſtoriis Eccleſiaſticis Cæleſtinum ſummum Eccleſiæ Pontificem à Cyrillo certiorem factum de Neſtorij impietate, eiuſdem Cyrilli pietatem ſimul & ſtudium plurimum laudaſſe; ipſumq; Neſtorium literis dehortatum, vt ab impietate deſiſteret: quod niſi faceret intra decem dies fore, vt non modò à communione piorum ipſe reijceretur: ſed etiam ex catalogo ſacerdotum penitus eximeretur. Inſuper, & etiam ad Ioannem Antiochenum, Iuuenalem Ieroſolymitanum, Ruffum Theſſalonicenſem, Flauianum Philippenſem, & alios verò Apoſtolicis miſſis Epiſtolis, excitatum à Neſtorio aduerſus pietatem bellum iiſdem expoſuit, & ad commune certamen pro eadem retinenda pro ſua authoritate excitauit. Deniq; cum pro alio Neſtorij loco ſubſtituendo contenderetur, eiſdem Ioanni Antioch. Ruffo, Flauiano, & Proclo ſcripſit: Nihil obſtare quominus qui alterius vrbis aut iam ſit Epiſcopus, aut ſaltem delectus, Conſtantinopolim transferatur, qui id inſtauret quod impius Neſtorius labefactauerat.*

Niceph. li. 14. c. 37.

E

3. Sanctus verò Cæleſtinus ἐγκωμιαστὴς eius extitit] *Tam malè accepta fuerat vox Græca per veteris codicis ſcriptorem, vt nobis di illa diutius diuinandum fuerit: Poſtremò tamen auxilio perdocti Patris Frontonis fulti, eam integritati ſuæ reſtituimus. Conſtat porrò ex aliquot epiſtolis S. Cæleſtini tomo primo, capite 17. Concilij Epheſini inſertis, eum maximi feciſſe S. Cyrilli labores & ſtudia, quando eum paſſim appellat, dilectum fratrem, in vera fide tuenda fortiſſimum antagoniſtam, fratrem & ſanctum coepiſcopum, ſtrenuum Catholicæ fidei vindicem, cuius doctrina potens erat ad retundendam falſitatem, & veritatem conſtituendam.*

4. Ait enim in ipſo Concilio] *De quodam concilio Romæ à Cæleſtino congregato, tertius Epiſtola concilij Epheſini ad Neſtorium, ſemel & iterum meminit: itemq; ſynodus Alex. Epiſtola ad Neſtorium, Cyrilluſq; Epiſtola ad Ioannem Antiochenum. arbitror Arnobium loqui: quandoquidem Epheſino non interfuit, Romano autem profuiſſe compertum eſt. Niſi tandem volueris interfuiſſe Epheſinæ ſynodi per litteras, quibus & partes ſuas Cyrillo Alexandrino commendauit, ſimulq; Neſtorium ob hæreſim abdicauit, ſicut Nicephorus recitat lib. 14. cap. 34.* Literæ referuntur tomo 2. concilij Epheſini, cap. 14.

F

5. Hilarius quoq;] *Hoc adornantes, Hilarij tres libros in Conſtantium diligenter percurrimus, in quibus nihil horum legimus: quapropter oportet hos mutilos eſſe; Cæleſtinum verò & Arnobium integros habuiſſe. Rectè tamen libro nono de Trinitate docet, Chriſtum ex vnitis in idipſum naturis, natura vtriuſq; rem eandem eſſe: ita tamen vt neutro careat in vtroq; ne fortè Deus eſſe homo naſcendo deſineret, & homo rurſum Deus manendo non eſſet.*

6. Item præceſſor meus Damaſus] *Inter Damaſum & hunc Cæleſtinum interponuntur Syricius, Anaſtaſius, Innocentius, Zoſimus & Bonifacius: Habetur autem tomo primo conciliorum eiuſdem Damaſi ad Paulinum Theſſalonicenſem Epiſtola, in qua leguntur iſta:* Anathematizamus eos, qui duos filios aſſerunt, vnum ante ſæcula, & alterum poſt aſſumptionem carnis ex Virgine.

7. Cyrillus vniuerſis Epiſcopis] *Titulus huius Epiſtolæ ita nunc in noua Concilij Epheſini editione redditur:* Cyrillus, Presbyteris, Diaconis, Patribus, Monachis, cæteriſq; ſolitariam vitam nobiſcum exercentibus, & in fide Dei conſtanter perſeuerantibus, dilectis & deſideratiſſimis fratribus in Domino ſalutem, &c. *Deleuimus*, patribus monachorum. *Tom. 1. c. 1.*

8. Voluntatem veram] *Noua editio continet:* Nec non exercitationis labores in præcipuis voluptatibus haberetis, *&c. Quibus apparet hic legendum eſſe,* voluptatem veram.

G

9. Sempiternæ memoriæ, &c.] *Hunc locum in vetere codice valde mutilū, ex ſubiecta noua translatione Peltani Epiſtolæ Cyrilli reſtituere licebit. Habet enim:* Percelebris memoriæ Pater noſter Athanaſius, qui totos quadraginta ſex annos Alexandrinæ Eccleſ. Pontificatum egregia cum laude geſſit; loquacibuſq; impurorum hæreticorum commentis inuicta, planeq; Apoſtolica ſapientia reſtitit; quique ſcriptis ſuis veluti fragrantiſſimo quodam vnguento totum hunc orbem mirificè recreauit, & ob dogmatum abſolutam integritatem, fideique rectitudinem, magna apud omnes exiſtimatione & autoritate fuit, &c. *Ergo pro coronauit, quod eſt in veteri codice, legendum* ornauit: *& pro* obtinebat ſapientiam, *fortè legendum*, obnciebat ſapientiam.

10. Hæc, inquit, ſententia] *Acta concilij Epheſini:* Diuinæ ſcripturæ ſcopus ac character.

11. Multi autem ſancti fuerunt] *Hæc ſunt in Oratione quarta contra Arianos, referuntur etiam tomo primo concilij Epheſini, cap. primo: & tomo ſecundo, capite ſeptimo.*

12. Ante alios admirati ſunt] *Cyrillus ex translatione Peltani:* In omnium admiratione habitus eſt.

H

13. Gubernans] *In actis concilij Epheſini legitur:* Verſabatur cum ſene tanquam filius cum patre, ad quiduis vlulter conficiendum ſe ſe ducem præbens: necnon in omnibus quæ obeunda forent, commodum iter oſtendens.

14. Sed quoniam fieri poteſt] *Cyrillus in actis ſynodi interprete Peltano, longè apertius:* Verùm quia veriſimile eſt non defuturos hic quoſdam, qui ex ſacra diuinaq; ſcriptura ea quæ hoc loco aſſerta ſunt, corroboranda eſſe exiſtimabunt: dicturos præterea ſanctam illam magnamque ſynodum, neq; Domini matrem Θεοτόκον vſquam appellaſſe, neq; quicquam omnino ſuper ea re decreuiſſe, age, quonam pacto arcanum illud œconomiæ Chriſti myſterium per diuinas quoq; literas prædicatum ſit, pro virili parte planum faciamus. *Itaq; verbis illis Arnobij*, quantum verum eſt, *addendum*, myſterium.

15. Inuiolabilem detinerent] *Peltanus reddidit:* Sinceræ inculpatæque fidei canonem ediderunt. *Igitur hic legendum* deſinirent *pro detinerent.*

16. Ipſum genitum vnigenitum] *Cùm Græcè ſit apud Cyrillum* γεγεννημένος μονογενὴς, natus eſt vnigenitus: *& ſanctiſſima Synodus apertè profiteatur eum eſſe*. genitum, non factum: *ex vetere Ar-*

A *nobis codice delevimus*, ipſum ſcilicet vnigenitum.

17. Deus & non homo deificatus, id eſt, Theopœus] *Cùm vetus codex haberet affirmandè, & homo deificatus, negationem addidimus, &* non homo deificatus: *quomodo nunc apud Cyrillum legitur*: qui ſimul Deus & homo eſt, non homo deificatus, par illis qui per gratiam Diuinæ naturæ participes efficiuntur. *Quibus conſentit Euthymius parte 14. Panopliæ.*

18. In Chriſto omnes viuificamur] *Sic Tertullianus lib 5. aduerſus Marc. & Ruffinus exponens ſymbolum, præſenti tempore legunt*, mortificamur & viuificamur.

19. Tanquam homo eſſe mortuus] *Vocem* mortuus *ignorat vetus codex: addidimus ergo ex hac Peltani tranſlatione:* Triduum namque mortem primo quidem oppetiiſſe, vt homo: mox verò per id quod ſua natura eſt Deus, in vitam denuò rediiſſe. Si igitur mortem ſecundum ſcripturas corpore non pertuliſſet: neque ſpiritu viuificatus reuixiſſet quoque.

20. Sed vt Deus in carne nobiſcum] *Peltanus elegantius*. Reuixit enim deſpolians inferos, non vt noſtræ conditionis homo, ſed vt Deus, noſtri cauſa nobis ſimilis effectus. Obtinuit autem natura in ipſo tanquam in capite incorruptionem.

B 21. Peruium & aſcenſibile] *Peltanus*: Nobis terræ huius inquilinis viam ad cœlum muniuit.

22. Ambroſij] Huius, & plurimorum aliorum Patrum ſententiæ recitantur tomo ſecundo concilii Epheſini, cap. 7.

Serapion reſpondit: Si non omne quod conſideratione concepit animus, fuerit elimatum, non erit lucida veritatis oſtenſio. Vnde vt euidentius poſſim aſſertionibus Arnobij præbere conſenſum, integrum opuſculum Cyrilli tradat in veſtro recitandum auditu, ne fortè caſtratis ſententiis commoda potius 1 ſecundùm arbitratum ſecuerit, vt defenſioni ſuæ probaret Cyrilli concordare doctrinam. Arnobius dixit: Licet infinita ſint volumina quæ doceant Cyrillum ita de Domino Iesv ſenſiſſe & credidiſſe, vt in vno Dei Filio Deus verus & verus homo eſſe credendus ſit & colendus, & natam eſſe Mariam Θεοτόκον, ſicut Χριστοτόκον; tamen ecce Liber ex integro ſi iubetis, recitandus offertur. Ivdices dixerunt: Semel animus contentione attonitus etiam cùm integer lectus

C fuerit, non dehabebit quod ingerat, & ſuperfluo molimine occupet horarum ſpatia: tamen quia eſt præ manibus Liber S. Cyrilli, recitetur. Cumque fuiſſet codex apertus, recitatus eſt 2 Titulus ſic, &c.

N O T Æ.

1. Secundùm arbitrium ſecuerit] *Addidimus* ſecundùm: *Deinde pro* ſæuerit, *poſuimus* ſecuerit, *vt melius* caſtratis ſententiis *reſponderet*.

2. Titulus ſic &c] *Si res agatur de ſuperiore citata Epiſtola, titulus eſt*: Cyrillus presbyteris, diaconis, *&c. Initium verò*: Ex his qui vna vobiſcum ætatem degunt *&c. Scripſit idem Epiſtolam ad Neſtorium, cuius initium eſt*: Aduenerant Alexandriam viri *&c. Scripſit & ad Theodoſium Imper. librum de recta in Deum fide: rurſumque ad Eudociam & Pulcheriam Imperatrices, eiuſdem nominis alterum librum: & ſecundum ad eaſdem. de recta in IESVM Chriſtum Dominum noſtrum fide: aliaſque ad diuerſos epiſtolas: quæ in grauiſſimis plurimiſque argumentis Catholicæ fidei dogmata propugnat, hæreſes verò Arij, Photini, præſertim verò Neſtorij coarguit. Quæ omnia tam in editis eius operibus, quàm tomo 1 & 2 Actorum concilij Epheſini reperire ac legere omnino obuium eſt.*

D Poſt hanc Epiſtolam publicè perlectam, Ivdices præſati dixerunt: Ecce ex integro liber lectus eſt ſancti Cyrilli, quem Arnobius fidei ſuæ concordem noſcitur protuliſſe: ſi quid Serapioni remanſit quod ingerat, pandat. Serapion dixit: Ego amore fidei ducor, & vinci me magis gloriari potero, quàm confutari. Non enim de ſua victoria ſeruus agere debet, qui de honore Domini, vel exhonoratione eius cum conſeruo contendit; 1 & vt vult oſtendere ſuum Dominum inhonorare in ſuis ſermonibus. Beatiſſimum correptionis genus eſt, in quo non agitur de cenſu pecuniæ, nec de rebus his, quarum poſt depoſitionem corporis, non egemus: ſed agitur de his, quæ ad perpetuum gaudium pertinent, vel irrogant æternum incendium. Hæc ideo ingero, vt ſi adhuc aliqua protulero contra Arnobium, non amore contentionis exiſtimet protuliſſe, vt de mea contentione conet mihi generare victoriam: ſed vt victoriam ipſam veritatis elimatam per omnia membra ſua & ſplendidam Arnobius proferat, vt nihil mihi quod nunc egerim agendi hoc tempore remanſiſſe conteſtetur. Ivdices dati dixerunt: Dic ergo ſi quid tibi ſupereſſe cognoſcis. E

Serapion dixit: Iſte liber qui lectus eſt S. Cyrilli, non docet in Filio Dei duas ſubſtantias: ſed vnam conatur oſtendere. Arnobius dixit: Ipſam vnam, quam conatur oſtendere pande. Serapion dixit: Deitatis tantùm, non humanitatis: vt Dei mater dicatur Maria, non tamen & hominis. Nam Θεοτόκον vult eam vocari, non Χριστοτόκον: aut ſi aliò cunſenſit, & Χριστοτόκον pande. Arnobius dixit: Sanctus Cyrillus contra eos qui ſanctam Mariam Θεοτόκον negant, ſequutus priores ſuos Epiſcopos Theophilum, ſiue Athanaſium, oſtendit illam Θεοτόκον extitiſſe, ne fortè parem habere putaretur, cùm Χριστοτόκος dicitur: 2 fuerunt enim & aliæ Chriſtotocæ, nulla tamen ita Χριστοτόκος & Θεοτόκος, & Virgo effecta fœta eſt ſicut Maria. Memorans ergo hoc quod maius eſt Θεοτόκος, quod minus eſt Χριστοτόκος ſiluit. Modò qui ante dixit, Maria patrem & matrem habuit, & homo fuit, nunquid eam negaſſe hominem eſſe putandus eſt? Impreſſit igitur hunc locum, de quo erat contentio. 3 Neſtorius cùm nullo modo paſſus eſt debere Θεοτόκον credi, & ideo frequenti aſſertione id egit, vt cum hoc quod negabat Θεοτόκος edoceret. Serapion dixit: Doce ergo ſenſum Cyrilli talem extitiſſe, vt ipſum qui ex Maria natus eſt, Deum illum & hominem memoraret. Arnobius dixit: Et nos aſſumus, & liber qui lectus eſt; accipe ex eo quæ lecta ſunt ita. Non ideo factus eſt homo vnigenitum Dei Verbum, vt Deus eſſe ceſſaret: ſed vt in aſſumptione etiam carnis propriæ maieſtatis gloriam intueremur. Hæc primò dixiſſe ſi non ſufficit, quæ in ſecundis dixit, auſculta. In carne poſitus audiebat Patrem dicentem, *Sede ad dexteram meam.* Audi etiam quid dixerit tertiò, Diuinam ſequuti ſcripturam, Dei Verbum 4 cum conditione copulantes, humanam & mortalem, Diuinamque naturam in vnum aliquid conferentes, ita tamen vt ſimpliciter non homo Theoferus intelligatur: ſed Deus incarnatus, qui per diſpenſationem copulationis (nota quid dicat) corpus ſibi ex Virgine ſancta adſcribit. Hoc enim modo, nec aliter intelligitur Chriſtus. Auſculta etiam quarto loco quid aſtruat. In Chriſto aſſerimus quod coierunt quadam arcana ineffabilique ratione in vnum Deitas & humana conditio, vt in eodem ſimul & homo intelligatur iuxta nos, & Deus ſupra nos. Quinto etiam loco audi quid dixerit de Filio Dei. Sicut ipſius Verbi quod eſt ex Deo Patre, propria fuit caro illa pura atque venerabilis, quæ ex ſancta Virgine procreata eſt, ita omnia quæ carni conueniunt abſque ſolo peccato, ſubire debuit, 5 & omnia vt naſceretur ex matre. B F Pſal. 109. 1. G

Audiſti quid dixit? Serapion reſpondit, Audiui. Arnobius dixit: Explana mihi quod dixit. Serap. reſpondit: Caro pura atque honorabilis, quæ ex ſancta Maria procreata eſt, omnino vt naſceretur ex matre. Arnobius dixit: Quicquid intelligis in hoc loco, fac me ſcire. Serapion dixit: Hoc puto illum dixiſſe, quod carnis ſanctæ mater ſit Virgo iſta quæ peperit. Arnobius dixit: Vis videre quia bene intellexiſti? Conſidera quid iſti ſermoni ſubiunxit. Si, inquit, extra carnem intelligatur Deitas, ipſa per ſe erit ſine matre: & rectè quidem. Serapion dixit: Peto vt planum mihi facias, quid conetur aſtruere. Arnobius dixit: Luce clarius eſt, quod Dei Matrem Mariam eſſe per carnem, quam ſolam creauit, exponat. Deitas enim, ait, ſola matrem non habet, vt ſubaudiatur, quia Deus & homo vnus Dei Filius eſt iſte qui natus eſt. Vnde ſexto loco ſubiungens, ait: Si voluerimus rectè calcare, non Deitatem nudam, ſed inter carnem & natum permixtum Dei Patris Verbum ſanctam Virginem creaſſe, quæ electa eſt, ad puerperium venerandum, vt carnaliter cum pareret, qui carnem dignatus eſt induere. Serapion dixit: Clauſis auribus mentis totum librum iſtum audiui: & ideo non vidi iſtas duas perſonas in vno Dei Filio Cyrilli aſſertione expreſſas. Nam quomodo non duæ docerentur perſonæ Virgineo partu edi- H

tæ, cùm

Digitized by Google

A

ræ, cùm dicat Deum carnaliter natum, qui dignatus eſt aſſumere, &c. A R N O B I V S dixit: Vtiq; carnem ſimul cum aſſumptore carnis. Aſſumptor enim carnis Deus eſt, caro autem integer homo eſt: integer autem homo eſt, qui carnem & animam habet. Nam Apollinaris ideo damnatus eſt, quia pro anima Deum poſuit incarnatum. Et ideo res in ſynodo Nicæna damnatas nec meminiſſe debemus. Audi ergo S. Cyrillum dicentem in libello eius qui lectus eſt. Si rectè, inquit, ſapere voluerimus, & ſemitam ſine errore calcare, non Deitatem permixtam Dei Patris Verbum ſanctam Virginem creauiſſe, quæ electa eſt ad puerperium venerandum, vt carnaliter eum pareret, qui carnem eſt dignatus aſſumere.

IVDICES dixerunt: Liquet defenſionem Arnobij Cyrilli aſſertionibus conuenire, iniuſta ergo ratio eſt, quæ cunctatur deferre victoriam ei, qui poſt altercationis exitum palmam meretur.

B

N O T Æ.

1. Et vt vale oſtendere.] *Fortaſſe legendum*, & vt velit ſeipſum mo dum oſtendere. &c. *Paulò poſt*, de his quæ ad perpetuum gaudium, *aſcecimus*, pertinent.

2. Fuerunt & aliæ Chriſtotocæ.] *Cùm nomen Chriſti communiter ſumptum ab vnctione deducatur; vncti q; legantur veteres ſacerdotes, Pontifices, reges & Prophetæ priuſquam publica obirent munera, ipſi certè etiam Chriſti, & matres eorũ Chriſtiparæ appellari poſſunt. Nam de his ſcriptum eſt.* Nolite tangere Chriſtos meos: *De hoc diſſerunt Iuſtinus in Dialogo, Tertull. in Apologetico, & Euſebius initio hiſtoria Eccl.*

1. Paral. 16 a.
Pſal. 104 c.

3. Neſtorius enim] *Vincentius Lirinenſis apertè teſtatur Neſtoriũ Mariam virginem Deiparam ſeu θεοτόκον negaſſe: ſed χριστοτόκον tantùm nominari voluiſſe. Extat eiuſdem Neſtorij epiſtola ad Cyrillum, in tomo primo concilij Epheſ. in qua continentur hæc verba:* Si rem diligentius conſideremus, ſacra Virgo non Deipara, ſed Chriſtipara appellanda eſt.

Lib. adu. profan. nou. Cap. 24.

4. Cum conditione.] *Id eſt, humanitate noſtra in Virginis vtero virtute Altiſſimi condita & formata. Sic enim etiam Tertullianus loquutus eſt.* Addicta conditioni, *pro, orbe condito: &*, conditionem erigentes aduerſus conditorem, *id eſt, creaturam. Et paulò poſt:* non Theotecum intelligatur. *Extat hoc in ſuperiori etiam Cyrilli epiſtola:* Aduerte quo pacto Eſa as Dominum non hominem deiferum, aut numine afflatum, inſtrumentum Diuinitatis tantùm loco aſſumptum & vſurpatum, pronunciet: ſed Deum verè incarnatum. *Idem rurſum Scholio de Vnigeniti incarnatione, cap. 23. illud ipſum refellit. Quinetiam anathematiſmo quarto ait:* Si quis dicere audet, Chriſtum hominem tantùm Deiferum, non verum quoq; Deum, vnicumq; ac naturalem Dei Filium eſſe, anathema ſit.

Lib. de reſur. carn.

Iſaia 15.

C

5. Et omnia vt naſceretur ex matre.] *Docet communicationem idiomatum in Chriſto factam eſſe, etiam à primo inſtanti atq; momento conceptionis eius in vtero virginis.*

S E R A P I O N dixit: Per iuſtitiam veſtram obſecro, vt quomodo primo loco, & ſecundo, & tertio, quod de ea re, de qua agitur, dixerit Cyrillus, ita per ordinem commemorauit Arnobius, vt veniret ad ſextum: nunc ne fortè ſumpſerit alia capitula eiuſdem libri euidentiora, quæ hoc ipſum oſtendere valeant, meæ petitioni concedite. IVDICES dixerunt: Ad quam partem velis eum facere dicito. S E R A P I O N dixit: Ego quidem probatiſſimum iam apud me retineo, & totis ex viſceribus credo ita eſſe vt defendit Arnobius. 1 Sympolitæ & Sympatriotæ in hoc errore poſiti, in quo ego fui, nulla poterunt ratione ab hoc errore vocari, niſi hac ſola, vt dicatur illis & probetur ita S. Cyrillum tenuiſſe. A R N O B I V S dixit: Deprecor & ego æquitatem veſtram vt per ordinem loca oſtendentem ſancti Cyrilli libri, patienter expectare dignemini, quouſq; finem eius attingam. IVDICES dixerunt: Licet expectationis nulla ſit cauſa, tamen veſtræ petitioni annuendum eſſe credentes, patimur ex abundanti loca libelli oſtendi ab Arnobio, quò poſſint & auditores noſtri, & huius actionis noſtræ lectores aut non errare; aut ſi errauerint, ab erroris itinere reuocari. Erit Dei noſtri parata clementia electis his, vt redeant ad Chriſtum, ad pacem, ad concordiam fidei Catholicæ, qui vnum Dei Filium in duas partes diuiſum exiſtimantes tenere Romanam Eccleſiam, ſeipſos miſerabiliter occiderunt, dicente ipſo Domino noſtro I E S V

D

E

Chriſto: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo* 2 *ſine cauſa reus erit concilio.* Ecce cauſa nulla eſt, 3 & interfectio facta eſt populorum, vadit furor cœcus in vniuerſo populo Chriſtiano, per Epiſcopos, per Presbyteros, per Diaconos, per Archimandritas, per omnes penè monachorum, & innumerabilium turbas. Sic tota Aegyptos, ſic tota eſt Palæſtina turbata, vt effuſio ſanguinis humani terram ipſam inebriauerit: & cauſa ſola tumoris eſt, nullius prorſus erroris. Nam cùm omnibus Ægyptijs & Syris prædicatio ſancti Cyrilli placeat, quæ tanta dementia eſt, quæ in ſuos fratres deſæuit, & ſpumat ira, cùm eiuſdem fidei ſit tota fraternitas populorum? S E R. dixit: Fateor errorem meum non aliunde ſumpſiſſe exordium, niſi hinc, quòd duos filios Dei aſtruere aſſerant hi, qui duas ſubſtantias in vno Dei Filio aſſerunt, eaſque perfectas. Nam ſi verè Dei Filius ex Patre genitus ante ſæcula creditur, qui per omnipotentiam ſuam voluit anguſtum virginei ventris intrare hoſpitium: vnde qui ſemel natus fuerat ex Patre ante tempora ſolus, vt iterum non ſolus cum homine naſceretur, conſtat duas eſſe ſubſtantias in vno Domino I E S V, ſicut prædicatio ſancti Cyrilli poſuit in ferri maſſa, quam ignis inflammat: vt ſit ferrum in ſua ſubſtantia, & ignis in ſua natura, ſed vtrunque in vnam ſocietatem connexa, & ita in vna coadunatione ſubſiſtunt, vt non ferrum poſſit, ſed ſolus ignis ſenſibus manifeſtari humanis, ſenſibus, inquam, videndi atque tangendi, quibus ratio noſtra colligitur, & ad id, quod verum eſt, peruenitur. Proſequatur itaque cœpta Arnobius, vt tandem erubeſcant hi, qui fratres ſuos perſequuntur iniuſtè.

Matth. 5. 23.

F

N O T Æ.

1. Sympolitæ & Sympatriotæ] *Quanti paſſim fieret pietas ac eruditio diui Cyrilli per vniuerſam Aſiam & Africam ex his ſatis apparet.*

2. Sine cauſa.] *Notat Deſiderius in quibuſdam Græcorum codicibus aſcriptam eſſe Euangelico textui, εἰκῆ, id eſt temere, aut ſine cauſa. Deinde, ſequentibus adiectum:* Qui dixerit Racha ſine cauſa: qui dixerit fatue, ſine cauſa: *inſuper Chryſoſtomum hom. 16. in Matth. innuere hoc ipſum legendum eſſe, tametſi in vulgata editione Latina non extet. Quibus addo antiquiſſimum martyrem Irenæum lib. 4. ca. 27.*

G

3. Et interfectio facta eſt populorum.] *Neſtorium in primis hominem fuiſſe ſeditioſum atq; crudelem patet ex libello Baſilij archimandritæ, quo apud Theodoſium & Valentinianum Imper. grauiter conqueritur de illius barbarie in pios monachos & clericos, nolentes eius hæreſibus ſubſcribere:* Mandat (*inquit*) decurionibus, vt nos cædant. Cæſi ad tribunal Eccleſiaſticum abducimur, ibidemque velut ſcelerati denudamur, vapulamus, iactamur, calcibuſque impetimur. Diu multumque in Epiſcopali conſiſtorio diuexati, inde fame tabeſcentes, ad ſupplicium ergaſtulum deducimur. Hinc ciuitatis Præfecto tradi nos curauit. Per hunc ergo ferro onuſti, ad publicum reorum carcerem abſtrahimur, &c. *Ibidem & de pio Conſtantinopolis populo, publicè aliquando contra Neſtorium acclamante,* Regium habemus, Epiſcopum non habemus. *Idem Baſilius ſcribit:* Pars illius ipſo temporis articulo comprehenſa, & ad tribunal abſtracta, tali immanitate diuerberata exceptaque eſt, qualis ne apud barbaras quidem nationes quandoq; vſitata fuit. *Et de Neſtoriani ſatellitibus idem ait:* Quos ſemel ſententiæ ſuæ adiunxit, alios ita inflammat, vt verbera quibus ſubitum fuerit, publicè inferre audeant, palamque perſecutionis ſpeciem excitare non dubitent, &c. Et quemadmodum Iudæi in Stephanum, ita & iſti in Chriſtianos Cathol. dentibus ſtrendent, omnemque furorem ſuum in illos explere laborant. *Atque hæc de Neſtorianorum crudelitatibus Conſtantinopoli. Quàm cruentas quoque in Oriente turbas excitarint, libet etiam ex fragmento epiſtolæ Ibæ Edeſſeni Epiſcopi, quod in decima Chalcedonenſis concilij actione inſertum eſt, hoc loco commemorare:* Epiſcopi (*inquit*) contra Epiſcopos contentionibus inſurgunt, populi aduerſum populos, &c. *Et Socrates de his quoque ait:* Non paruam turbam orbi vniuerſo ineptiæ Neſtorij peperere. *Caſſiodorus etiam refert, propter Neſtorium circa Miletum & Sardos facta ſeditione, multos occubuiſſe, Libr. 12 Hiſtor. trip. cap. 4. Et de his hactenus: alibi enim de hæreticorum crudelitate copioſius diſſeruimus.*

Tom. 1. conc. Epheſ. cap. 28.

H

A

ARNOBIVS dixit: Nunc vſq; ſexti capituli cauſa tractata eſt; quid in ſeptimo factum ſit recitabo. Carnaliter eum peperit, qui propter nos homo factus eſt & infans. Erat enim non iuxta nos, hoc eſt, non in ſola noſtri ſimilitudine conſtitutus: ſed erat in humana conditione propter carnem: Diuinus autem & cæleſtis ſuper nos. SERAPION dixit: De quo dixit, Homo factus eſt? ARNOBIVS dixit: De Filio Dei ante tempora & ex Patre genito, de quo ſuperius dixit: Non ceſſauit Deus eſſe, cum carnem aſſumpſit. SERAPION dixit: Hic qui aſſumpſit hominem Deus ipſum hominem per ſuam omnipotentiam Deum fecit? Conſtat ex aſſumente & aſſumpto vnum Dei Filium Cyrillum docuiſſe. ARNOBIVS dixit: Ecce octauo loco proſequutus. Ratio Deitatis nuda, ac ſi ſine carne exiſtimetur, ipſa per ſe noſtri ſermonis non egebit auxilio. SERAPION dixit: Explanationem huius, quæſo, pande ſententiæ. ARNOBIVS dixit: Ratio Deitatis ſi nuda, id eſt, ſine carne exiſtimetur, hoc

B

eſt, ſi ſine homine diuinitus, humanioris ratione non egebit. Quid enim ſermo in inuiſibili Deo dicere præualet? Et ideo in vno capitulo hunc intellectum aperiens ait: Sed quomodo vnigenitus Dei Sermo factus eſt caro, & habitauit in nobis? Ideo ad ipſum referuntur.

Sequamur nunc, & quid in nono capitulo dixerit, recitemus. Propheteſſam ſanctam Virginem vocat. Chriſto enim prægnans prophetæ impleuit officium. Item in decimo capitulo: Natus enim (ait ille) infans diuinus, & omni mundo excellentior, erat quidem in cunabulo gremioq; Genitricis propter morem conditionis humanæ:

Luce 2. 7.

ſed qui erat etiam Deus. SERAPION dixit: Cùm dicit, iſte infans qui natus eſt, erat etiam Deus, duas perſonas euidenter expreſſit: ARNOBIVS dixit: Cœpiſti autes animæ tuæ aperire. Vtiq; qui cùm dixit erat, etiam oſtendere voluit natum quidem infantem, qui non ſolùm infans eſſet, ſed etiam Deus.

Duodecimo etiam loco, quando his preſſius inſiſtat, qui negant duas ſubſtantias in vnico Dei Filio conueniſſe. Ait enim: Sed dicit aliquis: Quomodo fieri poteſt vt

C

hominis natura maieſtatem caperet Deitatis, præſertim cùm Deus ipſe dixerit manifeſtiſſimè beato Moyſi, Quo-

Exod. 33. 20.

modo nemo *videbit faciem meam & viuet?* Et ſi igitur intolerabilis Deitas inacceſſibilem habet attactum, quomodo credibile videbitur, Deum & hominem in vnum conueniſſe? Ego verò aduerſus huiuſmodi quæſtionem dixerim quidem, ſuper omnem modum & genus miraculi, & ſuper mentis noſtræ cogitationem & ſenſus diſpenſationis eſſe huius rationem. Sed tamen agebatur ſapienter Deo ſuam naturam imbecillitati noſtræ tolerabilem faciente. SERAPION dixit: Nullus tam euidenter Diuinam humanamq; naturam in vno Chriſto diſtinxit, vt diceret, obiurgantur contra eum qui negant Deum in vnum & hominem conueniſſe. Et adderet dicens, Ego aduerſus huiuſmodi quæſtionem dixerim, &c. ARN. dixit:

2. Cor. 5. 18.

Bene conſideraſti ſolù illum Apoſtolicè docuiſſe, *Deum eſſe in Chriſto mundum reconcilianteum ſibi;* verùm etiam contra eos ſuſcepiſti, qui dicunt hominem in Dei ſubſtantiam conuenire minimè potuiſſe.

Tranſeamus duodecimum, & ad quartumdecimum veniamus. Ait enim in ſequentibus. Quantum ſpectat ad

D

rationes & ſenſus humanos, nequaquam poſſent inter ſe conuenire Deitas & humana conditio: conueniunt tamen in Chriſtum, & vnus ex ambobus Emmanuel. Qui verò ſeparat & hominem ſeorſum, & Filium Dei, & alium æſtimat, is mihi videtur veritatem non intelligere, & videre non poſſe. Item de quartodecimo dicemus. Vt oſtenderet duas in vno Dei Filio ineſſe ſubſtantias, ait: Quemadmodum ferri materies cùm in medio fornacis æſtu conflatur, ignis inſtar ardeſcit, & in eius ſpeciem vertitur ad calorem, & candorem ipſius imitatur flammæ victricis, ita carnis natura, cùm æterno atq; incorruptibili Dei Filio eſt coniuncta, deſtitit eſſe, quod fuerat. SERAP. dixit: Quid eſt, deſtitit eſſe quod fuerat? ARNOB. dixit: Sequens verſiculus indicat, quare dixerit, deſijt eſſe quod fuerat. Ait enim in ſequenti ſermone. Nec vlterius

E

1 remanſit in........ SERAP. dixit: Aperi mihi vt quid dicat videam. ARNOB. dixit: Omnis natura generis humani fragilitatem habet affectuum & ſenſuum: hic autem in hanc peſtem nunquam incurrit, nec aliquando aliquid ſine ſua paſſus eſt voluntate: ſed ſicut ſcriptum

Pſal. 134. 6.

eſt, *Omnia quæcunq; voluit Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in abyſſis.* IVDICES dixerunt: Quomodo vidimus Serapionem manus tuæ dediſſe victoriæ, ipſius pace dictum ſit, pacis fidei tuæ nobis verbo tenus lineam tende: vt memoranda non tegantur ſilentio.

NOTÆ.

1 Remanſit] *Adeò corruptus & deprauatus eſt in veteri exemplari locus iſte, vt eum legere non potuerimus.*

ARNOBIVS ſeruus IESV CHRISTI dixit: Dum in Vnigenito duas confiremur naturas, duaſq; ſubſtantias, obijcitur quod alterum dicamus Dei Filium, alterum filium hominis. Nos autem authoritate Apoſtoli dici-

F

2. Cor. 5. 18.

mus: 1 *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Si enim mundum reconciliauit, ita vt credentes in ſe faceret

Rom. 5. 10.

filios Dei; 2 homines vtiq; natura ſeruos, non Dei fi-

Rom. 6. 17. 18.

lios; actu etiam reos, & per præuaricationem primi hominis inimico generis humani obnoxios, tamen per ſuam gratiam hos Dei filios fecit. Qui ergo alios Dei filios fecit, quomodo ipſe non eſt Filius Dei, adunatus

Ioan. 1. 12.

cum Verbo, quod caro factum legitur? Verbum quod

Ioan. 1. 14.

erat antequam mundus eſſet; 3 Verbum quod non eſt

Ioan. 17. 5.

à principio, ſed in ipſo principio ſemper fuit; Verbum quod caret initio, ſed ipſum eſt initium; Verbum quod non ſubiacet tempori, vel momento, vel atomo, vel puncto; ſed eſt omnium creator. Hoc Verbum non amittendo intemporalitatem ſuam, ſed aſſumendo tem-

Luc. 1. 35.

poralem hominem perfectum, perfectus Deus, hominem natum de Spiritu ſancto ex Maria virgine per o-

Matt. 1. 20.

mnipotentiam, 4 quia omnipotens Deus ſic Pater & Spiritus ſanctus. Per hanc ergo omnipotentiam ſuam voluit hunc hominem, quem aſſumpſit, hoc facere aſſumendo ex tempore, quod ipſe ſemper fuit ſine tempore: vt nō poſſint ſandici duo filij, alius ante tempora ge-

G

nitus, & alius natus ex tempore: ſed vnus Dei Filius Dominus IESVS Chriſtus. Inde eſt quod dictum eſt ab A-

1. Cor. 5. 16.

poſtolo: *Et ſi cognouimus Dominum IESVM ſecundum carnem, 5 ſed nunc iam non nouimus.* Quaſi quis dicat. Et ſi cognouimus lanam priuſquam ad mixtionem conchilij fieret purpura: ſed iam non nouimus lanam, ſed purpuram, qua inter homines omnes nullus vti poſſit, niſi Auguſti fuerit prædirus dignitate.

Impingitur hoc loco: Ergo vilis lana fuit prius IESVS, & Dealitas ſuperueniens fecit eum purpuram: Non ita

Luc. 1. 35. 36.

dicimus: ſed antequam Spiritus veniret ſuper Mariam, & virtus Altiſſimi obumbraret eam, & hoc conciperet quod ſanctum vocaretur Filius Dei, ante hoc ipſe vterus Mariæ, quamuis mundus eſſet à peccato & ſanctus; tamen vilitate humanitatis erat vt lana optima & incomparabilis vniuerſis quæ erant ſub cælo virginibus: eratq; talis ac tanta, quæ decenter & in ſe Dealitatem Filij Dei, ſicut conchilij lana ſanguinem ſuſciperet, & ipſa lana eſſe ceſ-

H

ſaret lana, ſed vera purpura per ſanguinem fieret memoratum. 6 Non enim lana, ſed pretioſa eſt huius ſanguinis capax. Quod ſi ſanguis hic lanam tanta maieſtate ſublimat per ſuam adunxtionem, vt nulli hac liceat vti, niſi huic, qui regia fuerit præditus dignitate; quanto magis quando Spiritus ſanctus venit in Mariam, & virtus Altiſſimi obumbrauit eam, hoc 7 quod natum eſt

Rom. 1. 3.

ex ea *de ſemine Dauid ſecundum carnem*, ſecum fecit Filium Dei, vt ſic eſſet Maria παρθένος, ſicut χριστοτόκος. Quia ante Mariam 8 fuerunt aliæ chriſtotocæ, ſed non virgines, nec ex Spiritu ſancto, nec virtute Altiſſimi obumbrante. Hæc autem & χριστοτόκος eſt ſola, & παρθένος, ſola virgo, ex Spiritu ſancto & virtute Altiſſimi concipiens.

A

N O T Æ.

1. Deus erat in Chriſto] *Hoc Pauli teſtimonium à Cyrillo aliiſq; Epheſini concilij Patribus non ſemel producitur, ad confirmandam vnitam Chriſti in duabus ſubſtantiis perſonam, aduerſus Neſtorium.*

2. Hominis vtique] *Vetus codex*, hominis.

3. Verbum, quod non eſt à principio] *Temporis nimirum aut durationis, quemadmodum Angeli cæteraque creata ex nihilo, quæ acceperunt eſſe poſt non eſſe. Sed bene eſt à principio producente & generante Patre ſcilicet diuino: quoniam ſolus Pater à ſeipſo eſt, Filius autem à Patre, non factus, aut creatus, ſed genitus.*

4. Quia omnipotens Deus] *quid ſi adderemus ad expletionem ſenſus*, ſic voluit & fecit?

5. Sed nunc iam non nouimus] *Addidimus aduerbium* nunc, *ex ipſo textu Apoſtoli: item ex Cyrillo, ita ex eo aduerſus Neſtorianos diſſerente.* Quid eſt obſecro, quod Paulus hic ait? Nunquid Chriſtum poſt reſurrectionem non ignorat? Nonne illum ſecundum carnem reſurrexiſſe ſcitum, cumque eadem in cœlum profectum; ac olim inde venturum ſciebat: Quomodo igitur Filium ſecundum carnem ſe noſſe negat? Quoniam ſimul atque ex mortuis reſurrexit, ſatius erat ex Diuini eminentia illum & noſſe & profiteri, quam ex carnis infirmitate. Vnus itaque eſt Chriſtus & Filius & Dominus. *Lib. 2 de recta fide ad Reginas.*

6. Non enim ſola] *Vel addendum*, tantummodo vilis & abiecta eſt Maria, ſed &c. *aut certe mutila eſt ſententia.*

B

7. Quod natum eſt ex eadem ſemine Dauid] *Nomen* Dauid *non eſt in vet. cod. Cæterum Auguſtinus libr. 11. cont. Fauſtum, cap. 4. teſtatur in aliquot codicibus Latinis fuiſſe,* natum ex ſemine, *vt hic legit Arnobius: non,* factum, *vt habet vulgata editio noſtra.*

8. Fuerunt aliæ chriſtotocæ] *Et hoc à Cyrillo deſumptum eſt, ad Ægypti monachos ſcribente*: Ab eo quod inuncti ſumus, Chriſti appellamur. Vnctionem habetis à ſancto. Ipſa vnctio docet vos. Ergo nihil faceret abſurdi, qui promiſcue quorumlibet vnctorum matres χριστοτόκους, Chriſtiparas, appellare animũ induceret, &c. Sola autem inter omnes, ſacra Virgo Chriſtipara ſimul ac Deipara appellatur, & eſſe dignoſcitur. *1. Ioan. 2*

Obiicitvr nunc de tentationibus & paſſionibus eius: Verum ipſa Deitas ſimul, 1 interpretatione Diabolica, fuerit in paſſione Iudaica? Ad hæc audi prophetam canentem; Quomodo *Dominus amat iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos. Pſal. 36. 28.* Addo aliud: Si non deſerti ſunt tres pueri in camino ignis, ſed ipſe qui ſemper fuit Filius Dei, ibi 2 inter tres quartus apparuit: quanto *Dan. 3. 92.* magis non dereliquit Sanctum ſuum, cum cœpit in vulua Virginis concipi, & cum naſcente naſci, cum lactante lactari, cum creſcente creſcere? Ipſe vtique 3 cum tentato tentatus eſt, & cum crucifixo crucifixus eſt.

C

Obiicitur: Quomodo ergo Deum impaſſibilem aſſeritis, qui dicitis ſimul conceptus, ſimul natus, ſimul eſt & tentatus, & paſſus, & prorſus Sanctum ſuum nunquam deſeruit? Reſpondeo. Memor eſſe debes exempli lanæ & ſanguinis conchilij. Cum ergo facta fuerit hæc lana per admixtionem ſanguinis purpura, cum netur, aut filatur, aut torquetur, lana vtique recipit maieſtatem. Nunquid nam quæ torquetur, à purpureo colore deſeritur? Addo & aliud exemplum: Verbi gratia dicamus; Securis ictu arborem cum verberaueris, & ſplendorem ſolis, ſi eum ſimul percuſſeris, arbori quidem inflixis vulnus, Solem vero & ſplendorem ſimul percutis, & calorem impaſſibilem derelinquis. Quod ſi arborem ad ictum percutientis Sol non deſerit, quanto magis ſanctum ſuum nequaquam Dei Filius, quod eſt Verbum, in paſſione deſeruit? 4 Et ſicut vere rubus flammam habuit, ſic vere paſſus eſt Filius hominis: & ſicut vere non incenſus eſt, ſic vere non paſſus eſt Filius Dei.

D

N O T Æ.

1. Interpretatione Diabolica] *Lubentius legerem*, in tentatione: *præſertim cum paulo poſt ſcribatur*, cum tentato tentatus eſt.

2. Inter tres, quartus apparuit] *Nabuchodonoſor namque exclamaſſe refertur.* Ecce video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & ſpecies quarti ſimilis Filio Dei. *Sic & Irenæus martyr indicauit ſcribens*: Patris Verbum non in vna figura olim videbatur, ſicut in Daniele ſcriptum eſt, aſſiſtens tribus pueris in fornace ignis, & liberans eos. *Et Tertullianus*: Hic erat viſus Babylonico regi in fornace cum martyribus ſuis quartus, &c. *Libr. 4. aduerſ. Marcionem. Li. 4. c. 37.*

E

3. Cum tentato] *Delenimus* cum tentante, *quod habet vet. cod.*

4. Et ſicut vere rubus] *Flaccus Albinus, qui & Alcuinus dicitur, Caroli Magni quondam præceptor, ante octingentos annos, huius loci etiam ſub Arnobij nomine ita meminit*: Arnobius in Conflictu, quem habuit cum Serapione, rubum poſuit maſculini generis, dicens: Et ſicut vere rubus flammam habuit. *Epiſt. ad Flauium Mercum.*

Obiicitvr iterum: Duos facis, filium hominis, & Filium Dei. Reſpondetur; Non duos ad diuiſionem facio, 1 ſed in vna Deitate duas ſubſtantias diſtinguo, vnam, quæ natiuitatem temporalem habuit, alteram quę penitus tempori ſubiacere non potuit. Vnam, qua infans *Luca 2. 7.* in præſepe poſitus, pannis obuolutus, creuit ætate & ſapientia: alteram, qua ipſe creat naſcentes, & dat eis vt viuant, & creſcant ætate & ſapientia. *Luca 2. 52.* Vnam, qua baptizatur à famulo, quaſi ſanctificationem accipiens: aliam, *Matt. 3. 15.* qua ipſe ſanctificat & aquam pariter & Baptiſtam. Vnam, qua dormit in naui, & excitatur à diſcipulis: aliam, qua ipſe excitat vt excitent Dominum. *Marc. 4. 38* Vnam, quæ ſubſit ventis, flatibus, & tempeſtati: aliam, qua ventis imperat, & *Matt. 8. 24.* tempeſtatibus iubet. Vnam, qua plorat hominem mortuum: aliam, qua imperat morti, vt relinquat mortuum & ſepulcrum. *Ioan. 11 35. & 44.* Vnam, qua venditur à diſcipulo: aliam, qua totum redimit mundum. Vnam, qua felle cibatur, & potatur aceto: aliam, qua pane vitæ æternæ cibat, & propinat *Matth. 26.* poculum gaudij ſempiterni. Vnam, qua triſtatur vſq; ad mortem: aliam, qua à triſtitia liberat, atque dat gaudium *Ioan. 19. Matth. 26.* vitæ. Vnam, qua moritur & ſepelitur: aliam, qua ſepulcra aperiat, &c. Vnam, qua videntibus Apoſtolis eleuatus eſt *Matt. 27. Act. 1.* in cœlos, & ſedet ad dexteram Patris: alteram, qua 2 de ſinu Patris non abſceſſit: ſed ſemper in Patre, & cum Patre fuit, & eſſe non deſinit.

F

Obiicitur ergo: Et quando in vulua Virginis Verbum caro fiebat, & quando in præſepe pannis obuolutus erat infans, & creſcebat ætate & ſapientia, & cætera exercebat, quæ tota vita feciſſe ſcimus; de ſinu Patris nunquam ne diſceſſit? reſpondetur: Cum quidam interrogator cuidam diceret erudito; Dic mihi, in quo loco nunc Deus eſt? Fertur tale dediſſe reſponſum. Dic vbi non ſit, & inquire vbi ſit. At vero cum propheta clamet: *Si aſcendero in cœlum, &c.* Et ipſe dicat: *Cœlum & terram repleo*, quomodo *Pſal. 138. 6. Ier. 23. 24.* poterat fieri, vt qui vnus eſt cum Patre & Spiritu ſancto, deeſſet Patri & Spiritui ſancto, cum eſſet in vulua Virginis, cum naſceretur, lactaretur, &c. tamen de ſinu Patris nunquam diſceſſit. Et cum hæc dixiſſet, Ivdices & omnes auditores dixerunt: Satis ſubtile quod aſſeris, & videri à nobis non poteſt, niſi aliquibus hoc fuerit comparationibus declaratum.

G

Dicite mihi, dixit Arnobivs: Vnde fons naſcitur? Qui reſpondentes dixerunt: De vena terræ. Arnobivs dixit: Vena hæc vnde naſcitur fons. Patris locum opportune in veſtra mente depingat, vt ſit Pater vena, Filius fons, qui natus eſt de vena: de vena vero & fonte non naſcitur fluuius, ſed procedit. 3 Aliud eſt naſci, aliud eſt procedere. Quicquid ad viuificādum pertinet, & ad medendum, & ad lauandum vnius eiuſdemque ſubſtantiæ eſt: ſed tripartitæ perſonæ, vt ſit vena Pater generans Filium, quem diximus fontem: ex vena vero & fonte non naſcens, ſed procedens fluuius ſit Spiritus ſanctus. Sicque ſecum connexa pergens, vt vnum ſint tres, & ſic vere tres, vt vere vnum ſint. 4 Filius ergo idem fons vitæ ſimul cum fluuio eodem Spiritu ſancto procedente ex Patre & Filio, circuit vniuerſa orbis terræ ſpatia, ſitientes potans, ariditates infundens, terras rigans, ſordes diluens, fabricans, ſolidans, omnium q; hominum, auium, pecudum, repentium, piſcium genera viuificando ſuſtentans: nec eſt omnino cuiquam vita, niſi his, quibus fons & fluuius ex vena fontis ex ipſius gremio procedens circumeundo ſordes lauet, ariditates infundat, ſitientes potet, æſtuantes refrigeret, anguſtiatos recreet: hominum, auium, pecudum, reptilium & piſcium generationes vniuerſas ſuo hauſtu ſuſtentet. Vena autem nunquam patitur fontis ex ſe ante naſcentis, fluuij ex ſe & fonte procedentis abſentiam. 5 Quod ſi elementum aquæ ſeruituti noſtræ ſubiectum hanc probant habere potentiam, vt vadens curſu

H

A

rapidiſſimo per montes, per colles, per cuniculos aquæductorum, & fiſtulas, tamen de ſinu venæ non diſcedendo circumfluit, ſed ibidem 6 permanendo diſcurrit: quanto magis Filius & Spiritus ſanctus de illo gremio maieſtatis nunquam penitus abſcedentes, inſeparabili & integra Trinitate perdurant in vnitate ſubſtantiæ, in Trinitate perſonæ?

Volentibus autem huius Sanctæ Trinitatis inquirere maieſtatem & originem, occurrit vena fontis: fodi quantum potes, nunquam poteris ad eius initium peruenire. Occurrit tibi affluentior vena, quicquid pulſando quæſieris, & eo magis plus prohiberis inquirere, quanto plus quærendo potius quam credendo perueniſte. Etſi venæ huius ſubditæ pedibus tuis initium inuenire non præuales, quomodo poteris Patris initium reperire? Patris vero ſi inueneris initium, inuenies & Filii. Si enim inueneris quando cœpit vena manare, inuenies

B

& quando ex ipſa vena natus ſit fons: inuenies etiam quando ex vena fontis fluuius procedere cœperit. Sed ſicut non præuales ad venæ peruenire principium, quomodo in principio iam erat vena, in qua erat fons, & fons erat apud venam, & vena erat Pater eius, qui erat *in principio apud Deum*. Verbum quippe Patris eſt fons, qui eſt venæ filius, fons vitæ, quomodo Pſalmiſta canit ad venam dicens: 7 *Quoniam apud te eſt fons vitæ.* Fluuius autem ex fonte procedens, & vena tunc cœpit procedere, quando vena eructabat fontem. Sic enim legitur Patrem dixiſſe: *Eructauit cor meum Verbum bonum.* Sed ſicut non inuenies venæ initium, ita quoque nec fontis: & ſicut non inuenies initium venæ nec fontis, ita nec inuenies fluminis. Vt ſimul ergo vena emanans, & fons, fluuiuſque; ita ſimul Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: & quantum dignitas Creatoris à creatura, tantum diſtat comparatio creaturæ à Creatore. Quantum vero potueris aliquid melius ſentire & dicere, eo amplius remanebit, vbi melius poſſit & verius Diuinitas credi. Bene, vt dictum

C

eſt, non dictum melius excludit, ſed ornat: male autem dictum à bene dicto eliminatur & pellitur: Ideo meliora dicentibus aures ſemper patere, & mentibus Sapientia imperat dicens: Aperi autem tuam verbo veritatis, & firma cor tuum in ſermonibus iuſtis.

Ioan. 1. 1. — *Pſ. 35. 10.* — *Pſal. 44. 1.* — *Prou. 22.*

N O T Æ.

1. Sed in vna Deitate] *Id eſt, in vnica Filij Dei perſona diuinam humanamque ſubſtantiam profiteor. Certiſſima & clariſſima eſt hæc fides Chriſtiana in Athanaſii ſymbolo deſumpta confeſſio.* Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.

2. De ſinu Patris non abſceſſit] *Vetus codex affirmat,* abſceſſit: *nos exigente ſententia ſenſuque negationem adiecimus.*

3. Aliud eſt naſci, aliud eſt procedere] *Certiſſimum & clariſſimum eſt ex Scripturis fideique Catholicæ ſymbolis Filium Dei à Patre genitum, vnigenitum, & ab æterno ex eadem ſubſtantia ſeu Deitate natum & dici & eſſe. Scriptum eſt enim:* Ego hodie genui te. Ante luciferum genui te. Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, &c. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. Filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum. *Paſſimque Deus Pater de cælo conteſtatur*

D

Chriſtum IESVM eſſe prædilectum ſibi Filium, haudquaquam adoptiuum: & viciſſim IESVS palam confidenterque illum Patrem ſuum appellat: Apoſtolos denique iſtud fidei Chriſtianæ caput toto orbe docuiſſe, inculcaſſe, & innumeris miraculis, ſupplicijſque fortiter exantlatis in animis innumerabilium hominum confirmaſſe. Rurſum ſimiliter apertum & indubitatum eſt, Spiritum ſanctum ex eiuſdem Patris ac eiuſdem Filij ſubſtantia Deitateque ab æterno procedere, quoniam ſcribitur: Spiritus qui à Patre procedit. Ille de meo accipiet. Spiritus Patris mei loquetur in vobis Deitate Mittet Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra, *& c. Et cum Athanaſio profitemur omnes.* Spiritus ſanctus à Patre & Filio nõ factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. *Hæc tanquam duo capita adeo ex Scripturis & ſymbolis dilucida & certa ſunt, vt nemo Chriſtianorum de his addubitet. Sed quare Spiritum ſanctum non poſſit dici ambotum Filium, cum ex horum ſubſtantia natura que vere ſit: quare non æque dicatur genitus atque procedens, & quantum interſit inter naſci & procedere, non ita dilucidum aut clarum eſt. Arnobius certo hic orthodoxe ſcribit,* aliud eſſe naſci & aliud procedere: *& continuo poſt:* Spiritum ſanctum tanquam fluuium, ex Patre & Filio tanquam ex vena fonteque, procedere, non naſci: *verum quantum diſtet iſta proceſſio à natiuitate non explicat*

E

Patres Scholaſtici aliquid ex Auguſtino adferunt, videlicet, propterea Spiritum ſanctum non eſſe Filium æque genitum, quia Filius non ſolet procedere a duobus, niſi vtrorum alter ſit Pater, & alter mater: quo modo certum eſt Spiritum ſanctum non procedere, atque ideirco non naſci. Iteramque ex eodem Auguſtino tradunt, Spiritum ſanctum non eſſe natum, quia non eſt Filius, neque ingenitum, quia non eſt Pater, neque factum, quia non eſt ex nihilo: ſed ex Deo Patre & Deo Filio Deus procedens. Colligunt rurſum ex eodem doctore, Filij generationem eſſe per modum intellectus Patris fœcundi, ideoque proprie naturalem natiuitatem dici: Spiritus vero proceſſionem per modum voluntatis & amoris, ac ideirco ſpirationem & proceſſionem proprie appellari. Ait namque Auguſtin. Spiritus ſanctus procedit à Patre, non quomodo natus, ſed quomodo datus, vel donum; Filius autem procedit naſcendo, exit vt genitus. *Addiunt denique, confuſionem futuram in ſanctiſſima perſonarum Trinitate, ſi duo filij dicerentur, & non vnigenitus ſolusque Filius: Spiritum itaque non oportuiſſe gigni, ſed ſpirari atque procedere.*

Libr. 15 de Trin. c. 27. — *Li. de Eccl. dogm. c. 1.* — *Libr 5 de Trin. c. 4.*

Hæc illi pie quidem ac erudite: verum omnium ſapientiſſime, quantum iudico, Athanaſius Magnus Epiſtola ad Serapionem, & Ambroſius libro primo de fide, capite quarto, aliique veteres Theologi ingenue profeſſi ſunt, ſe huiuſmodi emanationum diſtantiam rationemque nec plane capere, nec aliis dicendo explicare poſſe: ſicque huius myſterij, vt

F

& multorum aliorum, perfectam notitiam à nobis expectandam eſſe, donec in alio ſeculo videamus Deum facie ad faciem ſicuti eſt. Ex quibus Damaſcenus recte concludit: Quoniam quidem eſt differentia generationis & proceſſionis didicimus: quis vero ſit modus huius differentiæ, nequaquam. Quamuis autem iſta intelligere non poſſimus: tamen ita eſſe veraciter confitemur & credimus. *Et Auguſtinus dat non abſimile.* Qui poteſt capere capiat: qui autem non poteſt, credat & oret, vt quod credit, intelligat.

Lib. 1. orthod. f. c. 2. — *Lib. 3. contra Maxim. Ar. cap. 10.*

4. Filius ergo idem fons vitæ] *Sicut hic Arnobius comparatione venæ, fontis, & fluuij, quibus eadem ineſt aqua ſubſtantia, Trinitatis myſterium adumbrat, ſic & ante eum Auguſtinus Solis, ſplendoris, & caloris; deinde ignis, lucis, & feruoris ſimilitudinibus idem ſonerat. Athanaſius quoque Sermone quarto aduerſus Arianos docet Filium procedere à Patre, ſimulque in eo manere, veluti ex lumine proradiationem & fluuium ex fonte.*

Lib. 1. contra Maximin. & Ser. 1 de verbis Apoſt.

5. Quod ſi elementum aquæ] *In vet. co. erat* atque.

6. Permanendo diſcurrit] *Maluimus legere,* diſcurrit *quam* diſcurrunt, *cum vetere codice.*

7. Quoniam apud te eſt fons vitæ] *A ſeipſo, non diſſentit Arnobius, hunc quoque Pſalmi locum in Commentariis de Chriſto exponens. Et de proxime citato Pſalmo, etiam ait* Eructauit cor Patris Verbum bonum, omnia per ipſum facta ſunt, &c. *Perſequitur diſputationem ſuam ARNOBIVS.*

G

CAVENDVM eſt ſane 1 ne ſceleſtati Sabellij ſenſum incurrens, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum ſic vnum Deum credas, vt non putes Patrem verum Filij genitorem, & vnigenitum verum Patris Filium: procedentem ex Patre & Filio non credas Spiritum ſanctum: ſicut vnus Deus ſecundum ſacram ſcripturam credendus eſt, quæ dicit: *Dominus Deus tuus Deus vnus eſt.* Ita ipſe vnus Deus Pater verus, Filius verus, Spiritus ſanctus vnus & verus credendus Deus eſt. Deus enim indiuiſæ ſubſtantiæ nomen eſt, accipienti conferens totum, & nihil minuens conferenti: non ita vt Filius habeatur, qui Pater eſt: neque Pater credatur, qui Filius eſt: nec Spiritus ſanctus, qui eſt Pater æſtimetur. 2 Pater enim eſt, qui dicit Filio: *Ante Luciferum genui te.* Filius qui dicit; *Ante omnes colles generauit me: & antequam quicquam faceret, ego eram cum eo.* Ipſum autem Spiritum ſanctum qui procedit ex Patre & Filio, ſicut de fonte, & de vena fontis procedens fluuius, contra doctrinam Macedonij, DEVM eſſe, Paulus Apoſtolus euidenter oſtendit, cum ipſum,

Deut. 6. — *Pſal. 109. 4.* — *Prou. 8. 21.* — *Ioan. 15. 26*

H

quem Eſaias propheta dicit; *Vidi Dominum ſedentem in thronum excelſum, qui dixit mihi: Vade, dic populo huic: Videntes videbitis, & non videbitis.* Spiritum ſanctum hunc Paulus hoc ordine patefecit, dicens ad Iudæos: *Bene de vobis Spiritus Sanctus dixit per Eſaiam: Vade, dic populo huic, Videntes, &c.* Hoc autem, vt dixi, ſectam Macedonij ſuperat, quæ dicit: Nuſquam legitur in Scripturis ſanctis, Deus Spiritus ſanctus: diximus Apoſtolum Paulum hunc dixiſſe Spiritum ſanctum, quem Eſaias dicit: *Vidi Dominum Deum omnipotentem ſabbaoth ſedentem ſuper thronum, & dicentem mihi, &c.* Nunc etiam Beatum Petrum oſtendam Dominum dixiſſe Spiritum ſanctum, & ſufficit: quia quaſi in capite corporis duo oculi, ita in capite Eccleſiæ Petrus & Paulus ſunt. Dicit ergo Petrus Apoſtolus ad Ananiam mentientem: *Quid vtique conuenit tibi & vxori tuæ mentiri Spiritui ſancto? Non eſtis hominibus mentiti, ſed Deo.* Alia plura poneremus, ſi non

Iſaia 6. 1. & 9. — *Act. 28. 26* — *Actor. 5. 3 & 4.*

ſuffi-

A

ſufficerent horum duorum teſtimonia Apoſtolica authoritate firmata. Sane quomodo iam diximus & probauimus, quod qui deſcendit de cœlis pro aſſumptione hominis nunquam dimiſerit cœlos, quia ſcriptum eſt, *Cœlos & terram ego repleo* : & qui cum ab his ad cœlos aſcendit, nos nunquam dereliquit. Sic enim ipſe promiſit dicens : *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Cum ergo conſtet deſcenſus eius ad carnem, ſic teneamus, vt in ipſo Dei Filio duas natiuitates, ſicut duas ſubſtantias fateamur, ante tempora inuiſibiliter ex Patre, ex tempore viſibiliter ex matre: ante tempora Deus verus de Deo vero ; ex tempore Deus verus & homo verus ex Maria ſemper virgine Spiritu ſancto obumbrante : natus autem verus Deus inuiſibilis cum vero homine viſibili ; verus Deus incomprehenſibilis, cum vero homine mortali. Natus, inquam, non aereus, ſed corporeus : non in phantaſia, ſed carnem, oſſa, ſanguinem, ſenſum & animam geſtans: vnus

Ier. 23. 24. *Matth. 28.*

B

idemque homo verus & Deus verus, adimplens legem & Prophetas, paſſus crucem ſecundum Scripturas, vere mortuus eſt, vere ſepultus, vere à mortuis tertia die reſurrexit. Hoc tamen in eo eſt mortuum, quod mori potuit. Homo enim mortalis eſt à Deo immortali ſuſceptus : reſurrexit autem non Deus in hominem, ſed homo in Deum. Poſtea per quadraginta dies in terris viſus eſt, ac ſic aſſumptus, in cœlum, ſedet ad dexteram Patris, venturus ad iudicandum viuos & mortuos.

Actor. 1.

NOTÆ.

1. Ne ſcelerati Sabellii] *Dionyſius Alexandr. apud Euſebium, ac poſt eum Theodoretus prodiderunt Sabellium origine Afrum & Pentapolitanum fuiſſe: Auguſtinus autem libro de hæreſibus, eundem imò & Noeti, qui primus ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas confudit, diſcipulum à quibuſdam perhiberi tradidit : Epiphanius vero ſimilem ſaltem vtriuſque ſectam fuiſſe confirmat. Hic errores non tantum Noeti, ſed & Praxeæ ac Hermogenis, quos Tertullianus profligauerat, ab inferis reuocans, prædicabat Patrem & Filium & Spiritum ſanctum vnicam eſſe perſonam, quæ his tribus nominibus vocaretur : Hancq́ in veteri teſtamento, Patris nomine legem tuliſſe : in nouo autem, Filij titulo hominem factam eſſe : Spiritus ſancti vero appellatione, ad Apoſtolos veniſſe. Tertullianus libris aduerſus Praxeam & Hermogenem hanc hæreſim ſolide refellit, ſequentium deinde ſæculorum Patres eandem coarguerunt & damnarunt, vt & hoc loco noſter Arnobius.*

Lib. 7 hiſt. cap. 6. *Lib. de ſabu. hæret.*

C

Hil. lib. 4. de Trin. *Athanaſ. Orat. aduerſ. Sabellii gregales.*

2. Pater enim eſt qui dicit Filio : Ante Luciferum, &c.] *Similis ſibi Arnobius ita ad hunc locum com. in Pſalm. ſcribit :* Non ergo ſicut damnabilis Fotinus credit, Dominus ex Maria virgine ſumpſit exordium : ſed ante Luciferum eſt ex Patris ore progenitus.

3. Contra doctrinam Macedonii] *Hic cum ſub Conſtantio Imp. vir aulicus & Arianus eſſet, Conſtantinopolitanum Epiſcopatum factione Arianorum, & eiuſdem Conſtantii fauore, renitente Catholicorum populo, tanta violentia occupauit, vt circiter ter mille homines centum & quinquaginta (vt Socrates tradidit) cum Eccleſiam intraret, conculcati & occiſi fuerint. Hic Spiritum ſanctum creaturam eſſe palam prædicans, idcirco πνευματομάχος & primus dictus eſt, vt Baſilius in expoſitione fidei Nicænæ teſtatur. Ad hanc hæreſim refellendam & compeſcendam coactum fuit concilium œcumenicum Conſtantinopol. ſub Theodoſio. Tunc q́ additum ſymbolo Niceno :* Et in Spiritum ſanctum Dominum & viuificantem. Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, &c.

Sozom. li. 3 cap. 9. & lib. 4 c. 7. *Lib. 2. c. 16* *Niceph. li. 12. c. 30.*

D

Et cum hæc diceret, VNIVERSI dixerunt : Dic nobis, quomodo iudicabuntur viui & mortui ? ARNOBIVS dixit : 1 Viuos, credentes, Catholicam fidem habentes : mortuos, Gentiles, Iudæos, & hæreticos, qui non habent vitam ſecundum ſermonem Domini : *Qui non credit in me, non habet vitam in ſe.* Et verum dicit : *Qui credit in me, ſi mortuus fuerit, viuet.* Ergo, vt dixi, ſequamur. Venturus eſt vt iudicet viuos & mortuos, iuſtos & iniuſtos, fideles & incredulos. Mors enim eius pretioſas facit omnes mortes credentium atque ſanctorum, in tantum, vt in in eadem carne, qua natus, & paſſus, & mortuus reſurrexit, & pro qualitate operum, omnes vel ad æternam coronam gloriæ, vel ad ſupplicia æterna, Deo iudicante, pertingant.

Ioan 3. 36. *Ioan 6. 35.* *Pſal. 115. 15.*

Credendum namque eſt, animam noſtram à Deo factam : & licet ſit perpetua in alterutram conditionem aut boni aut mali futuram, 2 ſine initio tamen non eſſe animam : quia hoc ſolius Dei eſt peculiare, ac per hoc creaturam Dei eſſe animam ſiue facturam. Scriptum eſt enim qui figurauit flatum omnium hominum, ipſe ſcit omnia. Et rurſum : Viuit Dominus, qui fecit nobis animam. Et iterum : 3 *Spiritus à me prodiet, & omnem animam ego feci.* Carnem quoque noſtram ex limo per Deum factam, & idcirco vtramque hominis ſubſtantiam vnius Dei eſſe auctoris : atque ideo omnia quæ facta ſunt nobis ſubdita ſunt, quia illa iuſſu Dei ſunt formata. Igitur non opere. De homine autem dixiſſe Deum legimus : *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram* : & ideo hominem nobiliſſimam Dei fabricam non ſolum ex anima & corpore, ſed & ſpiritu conſtare, & eſſe triplicem Apoſtolus probat dicens : 4 *Vt integer ſpiritus veſter, & caro, & anima in aduentu Dei ſeruetur.* Sane ſpiritum dico, qui accidens eſt, non naturalem, nec eundem, eſſe in omnibus. Sic enim Apoſtolus dicit : *Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus : ſed ſpiritum qui ex Deo eſt.* Iſtum autem quem credentes accipimus, gratiæ diuinæ eſt : alterum vero ſpiritum intentionis diabolicæ. Quia diabolus

E

Iſaia 57. 16 *Gen. 2. 7.* *Gen. 1. 23.* *1. Theſſ. 5. 23.* *1. Cor. 2. 12*

F

non ſine initio eſt creatus, vt Marcion delirat, ſed à Deo bono angelus factus eſt : & omne malum ex ipſo initium ſumpſit.

5 Malum autem eſſe quod prohibet fieri bonus & benignus Deus, etiam ſi id bonum ſit, malum iudicabitur per prohibitionem Legiſlatoris Dei : Iam quid tam bonum, quam ſacrificium Deo offerre ? Sed quomodo expectare ſanctum Samuelem Rex Saul noluit, ipſe autem ſacrificium morante Samuele, incendit, vltra Spiritus ſanctus in eo eſſe non potuit. *Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum,* 6 atque vtinam recedente Spiritu ſancto, alio ſpiritu non ludificaretur, vel etiam vexaretur. Ad qualitatem igitur facti ſi reſpiciamus, bonam rem facit : ſed non reſpiciendum eſt ad qualitatem facti, ſed ad ſuperbiam contemptoris. Nam & communio ſacramenti ſancta eſt, ſed pernicioſum opus perficitur, huic ſi nondum fuerit ſacratiſſima vnda perfuſus. Sunt multa his ſimilia, quæ cum bona ſint opera, perniciem pariunt cum

1. Re. 13. 10. *Sap. 1. 5.*

G

non eo ordine, quo ſunt conſtituta, peraguntur. Ideo Angelus iſte, qui eſt diabolus, de præſumptione incurrit culpam & primus omnium angelorum in ſuo corde peccauit. Sic enim dicitur in Propheta à Domino : *Tu dixiſti in corde tuo : Aſcendam ſuper cœli ſydera,* &c. Primus ergo in ſuo corde peccauit : ex quo pullulare omnium præſumptionum genera tunc cœperunt, cum nullius exemplum ſequutus, à ſe dedit peccandi exordium. Natura autem bonus eſt, ſicut effractor eſt 7 homo aliena rapiens habenti, & liberalis eſt homo propria conferens indigenti. Vterque homo eſt, ſed vnus bonus alijs, in alijs non natura malus, propter Creatoris iniuriam, ſed prauæ voluntatis ſtudio : bonus autem, & natura bonus, & bonæ ſtudio voluntatis. Vnde & angelorum canores his ſermonibus reſonabunt, vt *Deo gloria in excelſis* caneretur, & pacem Dei ſuper terram cum hominibus bonæ ſerrent voluntatis. Malæ ergo voluntatis arbitrio Angelus bonus cum eſſet, declinauit ad malum : hunc ſequutus eſt homo, qui Diuinæ legis inſtituta contempſit. Creator autem præſcius contemptores fore & angelos & homines, iuſtitiæ ſuæ ſubditos fecit, ita vt abſolute eos ſuæ eſſe

Iſaia 14. 13 *Luca 2. 14. & 15.* *Gen 3.* *Ioan. 8.*

H

permitteret voluntatis : 8 quia nec aliter gratiæ retributio iuſta eſſe poſſet.

Initium autem hominis & præuaricationis eius euidens Geneſeos Liber inter ſui initia loquitur. Angeli autem initium teſtatur Propheta dicens : 9 *Tu eras conſignatio ſimilitudinis, & corona decoris, in delitijs Paradiſi Dei fuiſti. Omnem lapidem optimum habens in te ſardium, & topazium, & ſmaragdum, & carbunculum, & ſaphyrum, & iaſpidem & ligurium, & achaten, & amethyſtum, & chryſolitum, & berillum, & onychinum, & auro impleſti theſauros tuos, & apothecas tuas in te. Nam ex qua die creatus es tu,* 10 *cum Cherubin poſui te in monte ſancto Dei, & factus es in medio lapidum igneorum : & abiſti ſine macula in diebus tuis, ex qua die creatus es tu, donec inuenirentur iniquitates tuæ in te,* 11 *à multitudine cogitationis tuæ. Impleſti enim Promptuaria tua iniquitate,* 12 *& peccaſti, & vulneratus es à monte Dei : & eduxi te de Cherubin de medio lapidum igneorum. Exaltatum*

Ezech. 28. 12.

A
enim eſt cor tuum in decore tuo: ideo in terram proieci te in con-ſpectu Regum, & dedi te in traductionem propter multitudinem peccatorum tuorum, & iniquitatem negotiationis tua. 13 *quia contaminaſti ſancta tua. Vt producam ignem de medio tui, & ipſe ignis deuorabit te, & dabo te in cinerem ſuper terram in con-ſpectu omnium videntium te, & omnes qui te nouerunt inter na-tiones contriſtabuntur ſuper te.* 14 *Vt prodigium enim factus es, & non eris amplius in æternum.*

Mundum quoque ipſum credere debemus à Deo fa-
2. Mach. 7. 28 ctum ex nihilo, ſicut legitur in Machabæis: 15 *Aſpici-te fili in cælum & terram: & aſpectis omnibus, quæ in eis ſunt, intelligite quomodo ex nihilo fecit ea Deus.* Ergo ſicut ex ni-hilo factus eſt mundus, ita ad nihilum redigendus erit
Pſal. 101. 26. in finem. quia ſcriptum eſt: *Terram tu Domine fundaſti, &*
Hebr. 1. 10 *opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt, tu autem in æ-*
Eſaia 65. 17. *ternum manes. Cælum* autem *nouum, & terram nouam* fi-deliter Dei eloquia repromittunt, in quibus perpe-
Eſaia 66. 22 tuum hoc ſanctis ſuis inhabitet: quæ cuiuſmodi ſint
Apoc 21. futura, ipſe ſolus nouit, qui facturus eſt; quia *nec o-*
2. Pet 3 13 *culus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ*
B *præparauit Deus diligentibus ſe.*
Iſaia 64. 4
1. Cor. 2. 9. Obtemperaui petitioni, imo iuſſioni veſtræ; & quali-ter credam, expoſui: ſupereſt vt veſtris orationibus mihi donetur amor timoris Domini, vt poſſim habere vel *ini-*
Pſ. 110. 10. *tium ſapientiæ*, & ſit in me *intellectus bonus*, rectis operibus manifeſtus, quo à prohibitis abſtinens, iuſſis inſiſtam.

NOTÆ.

1. Viuos credentes, &c] *Iuſtinus martyr reſponſione ad quaſt. 109 orthodoxorum, viuentium iudicandorum nomine eos interpreta-tur, qui tum adhuc ſuperſtites erunt, cum Chriſtus ad iudicium ve-niet: de quibus iuxta Græcorum lectionem, ſcribitur*: Non omnes obdormiemus. *Horum perſonam induens Paulus ait*: Nos qui viui-mus, qui reſidui ſumus in aduentu Domini, &c. *Auguſtinus vtramque interpretationem amplectitur, ſcribens*: Venturus eſt iudicare viuos & mortuos. Viuos qui ſuperfuerint: mortuos qui præceſſerint. Poteſt & ſic intelligi, viuos iuſtos. mortuos iniuſtos. *Lib. 1. de ſymbolo ad catechu-*
C *menos, cap 4.*

2. Sine initio tamen non eſſe animam] *Hæc dicta videntur ad-uerſus Manichæos & Origeniſtas, quos animas Deo coæternas finxiſſe veteres tradiderunt.*

3. Spiritus à me prodiet] *Tertullianus lib. de anima, capite cui ti-tulus affingitur*, Vnum eſſe animam & ſpiritum, *huius Iſaia loci ita meminit*: Satis declarantur differentiæ Spiritus & animæ, ipſo Deo pronuntiante: Spiritus ex me prodiuit, & flatum omnem ego feci.
Iſaia 42. Eſt anima enim flatus factus ex ſpiritu. *Et rurſus*: Qui dedit flatum populo ſuper terram, & ſpiritum calcantibus eam, &c. *Auguſtinus libro primo de anima & eius origine, cap. 14.* Spiritus à me exiet, & o-mnem flatum ego feci.

4. Vt integer ſpiritus veſter] *Tertullianus libr. de reſ car. ſic hunc Pauli locum reddit*: Et integrum corpus veſtrum, & anima, & ſpiri-tus ſine querela conſeruentur, &c. *Cæterum Irenæus libr. 5. cap. 9. La-ctantius libro ſeptimo capite 12 & libro de opificio Dei cap. 18. & 19. Au-guſtinus quoque libro de ſpiritu & anima ſuſè diſputant, quid inter hæc tria interſit: & nos de hac re quoque diſſeruimus Annot. in prædictum Irenæi locum.*

5. Malum autem eſſe] *Theologi rectè docent quædam eſſe intrin-ſecè mala & quæ nunquam bona eſſe poſſunt, vt blaſphemia, contem-ptus Dei, idololatria, adulteria, & cæt. alia vero mala tantum eſſe, quia*
D *prohibita ſunt, vt eſus immundorum ſub lege, & quod hic notat Arno-bius de ſacrificijs & communione Euchariſtiæ.*

6 Atque vtinam] *Vetus codex*, vtilem.

7. Homo aliena ſapiens] *Ita legendum cenſuimus, pro aliena ſa-piens, quod eſt in veteri codice. Cæterum, de primo angeli mali peccato copioſè tractauimus Commentarijs noſtris in Epiſtolam beati Iudæ A-poſt. Paulo poſt.* non natura malus] *Noſtro iudicio adiecimus vocem* malus. *Nam ad iniuriam Creatoris referretur, ſi quid natura malum condidiſſet.*

Apolog. 1. 8. Quia nec aliter] *Ita & Iuſtinus martyr Apoſtolicorum tem-porum vir*: Angeli (*inquit*) homineſque quoniam initio cum crea-rentur acceperunt à Deo liberum arbitrium, iuſtè pœnam peccato-rum luent in æternis ignibus. Nulla enim laude quicquam eſſet di-gnum, niſi eſſet ad vtrumlibet flexile, &c. *Hæc, & cætera plurima, quo vetus Eccleſia tum aduerſus Simonianos, Marcionitas, & Mani-chæos liberi arbitrij primos hoſtes, quam aduerſus Pelagianos eiuſdem nimios præcones ſanctiſſimè decreuit, vtinam ſerio ſecum meditarentur Lutherani & Caluiniani: deſinerent profectò hac in re falſo nobis Ca-tholicis eſſe moleſti.*

9 [illegible]] *Nomina ſabulctarum gemmarum ita le-*

E
gendo proponimus ex Hieronymi interpretatione LXX Nonnihil e-nim corrupta ſunt in veteri noſtro exemplari. Ruffinus Ioſephi inter-pres Ligurius *ſcribit, melius quam Gelenius* Lincurius *quomodo et-iam legitur apud Hieronymum epiſt 54. Nam Græcè eſt* λιγύριος, *& in vulgata Exod 28. 19.* Ligurius. *Tertullianus lib 2. aduerſ Marc.* La-pidem optimum indutus eſt, ſardium, topazium, ſmaragdum, carbun-culum, ſaphirum, iaſpin, ligurium, achaten, amethyſtum, chryſo-litum, berillum, onychium, &c.

10. Cum Cherubim poſui te] *Ita locum Prophetæ legunt ac in-terpretantur Tertull. libr 2. aduerſus Marcionem, Origenes libr. 1 de principijs cap 5. Hieronymus in cap 54. Iſaiæ, Auguſtinus libr. 11. de Ge-neſi ad literam. cap. 23.*

11. A multitudine cogitationis] *Septuaginta*, ἀπὸ πλήθους τῆς ἐμπορίας. *Hinc Tertullianus*: de multitudine negotiationis tuæ. *Et vulgata editio Latina*: In multitudine negotiationis tuæ. *Ex quibus omnino apparet, legendum eſſe apud Arnobium*, negotiationis, *non cogitationis.*

12. Expeccaſti] *Vetus codex*, & peccatis *Tertullianus*: Promas tuas repleſti, & deliquiſti. *Vulgata editio Latina*: peccaſti.

13. Quia contaminaſti ſancta tua] *Sanctes Pagninus ex Heb.* Pol-luiſti ſanctificationem tuam.

F
14. Vt prodigium enim factus es] *Vulgata editio Latina.* Ni-hili factus es, & non eris in perpetuum. *Ruffinus Origenis interpres*, Per-ditio effectus es. *Septuaginta*, ἀπώλεια ἐγένου. *Melius itaque hoc Arno-bij loco legeretur*, Vt perditio factus es, &c.

15. Aſpicite fili] *Verba ſunt Salomæ matris ſeptem fratrum, ad nouiſſimum eorum quæ ſingulari numero in ſacris Biblijs referuntur*, A-ſpice fili, &c. *Sed veriſimile eſt eandem viraginem eadem exhortatio-ne frequenter vniuerſos illos ad martyrium animaſſe, dum adhuc ſuper-eſſent. Cæterum, tam ex his, quam ex ſexcentis alijs Patrum veterum teſtimonijs, videmus libri ſecundi Machabæorum ſacroſanctam & ca-nonicam fuiſſe authoritatem. Tantum hic adiicio, Auguſtinum ante* Lib 18 ciuit.
mille & ducentos annos aſſeruiſſe, Eccleſiam Catholicam vtrumque li-brum Machabæorum in canonem ſacrorum voluminum recepiſſe. Inſu- Li. de Machab. ad finem.
per Ioſephum genere Hebræum, & dignitate ſacerdotem abhinc mille & quingentis annis conſtanter affirmaſſe, Eleazari, & ſeptem fratrum hiſtoriam, quæ ſecundo libro refertur, etiam apud ſuos Hebræos inter ſacras literas cenſeri. Viderint qua fronte & conſcientia illos reijciant nouiſſimi huius ætatis hæretici.

Serapion dixit: Hanc rem cum orationibus im-pertare debes, ſiue tuis, ſiue quorumcunque ſanctorum quam non habes per arbitrij libertatem conceſſam. Ar-nobius dixit: Et quam rem habeo per arbitrij liber-tatem conceſſam? Serapion reſpondit: 1 Vt à
G prohibitis abſtineas, & iuſſis inſiſtas. Arnobius di-xit: Qui à prohibitis abſtinet, & ſine peccato efficitur: qui vero etiam iuſſis inſiſtit non ſolum à peccati repre-henſione alienus eſt, verum etiam laude dignus eſt. Se-rapion dixit: Ita eſt. Arnobius dixit: Si ita eſt, 2 ergo poteſt per liberum arbitrium ſine peccato effici, & laudem adipiſci diuinam. Serapion reſpon-dit: Ita eſt. Arnobius dixit: Contradico. Serapion dixit: Ergo non eſt liberum arbitrium. Arnobius dixit: Liberum arbitrium & defendo & teneo: ſed intra me-tas ſuas clauſum, & finibus ſuis limitibuſque diſtinctum. Serapion dixit: Deus hominem liberi arbitrij id-circo eſſe voluit, vt iuſte vituperentur mali, quia po-tuerunt eſſe boni: iuſtè etiam laudentur boni, quia po-tuerunt eſſe mali. Tolle enim vtriuſque rei poſſibilita-tem, & non inueniet pœna quem feriat, nec inueniet in remuneratione quem coronet. Arnobius dixit: Dic ergo mihi, ſi tui libertas arbitrij ad hoc te perducere valeat, vt poſſis ita à prohibitis abſtinere, vt ſine peccato
H ſis: aut ita præcepta perficere, vt peruenias ad coronam? Serapion reſpondit: Et ſi non poteſt homo ſine peccato eſſe, peccatum ipſum non ei imputabitur à Deo. Arnobius dixit: Hoc quod illum à peccato facere liberum potuit, 3 in primi hominis præuaricatione periit: vnde creaturam ſuam Creator ad hanc recupe-rationem præuenire potuit, vt qui iam ſuis viribus li-berari à peccato non poterat, Dei gratia liberaretur. Vnde etiam infirmitates noſtræ, Saluatoris Domini Matth. 1. 21.
nomen impoſuerunt: captiuitas noſtra, Redempto-rem: miſeriæ noſtræ, Miſericordem: ſeruitus, Libera-torem.

Nunc te volo Serapionem interrogare. Cupis vt tui miſereatur Deus, an non? Serapion dixit: Et quis eſt qui non vult, vt eius miſereatur Deus? Arnobius

dixit:

A

dixit : Ego quod interrogo, ſicut te interrogo, ad ea volo mihi reſpondeas. Vnde dic mihi, Petis vt tui miſereatur Deus? SERAPION dixit : Plane, quia hoc quotidie Deum precor & obſecro. ARNOBIVS dixit : Ergo miſerum te confitere, vt miſericordiam conſequaris : ad quam rem audi clamantem Apoſtolum :

Rom. 7. 24.

Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per IESVM Chriſtum Dominum noſtrum. Collige ergo rationem & vide, quia ſi potes ſine peccato eſſe, miſerum te eſſe confiteri non poteris : & cum miſerum te non confiteris, à miſericordia Dei te ſuſpendis. Et aut potes teipſum à peccato ita ſuſpendere, vt à prohibitis poſſis viribus tuis abſtinere, & miſer non ſis. Si vero miſerum te ſcis, & non poſſis ſimpliciter confiteri, rectè à Deo miſericordiam conſequi poteris. Nam & ſi habere te aliquid forte exiſtimare valeas, & docere, clamat ad te Apoſtolus :

1 Cor. 4. 7.

Quid enim habes, quod non accepiſti? Aut ſi accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Deinde, quomodo potes Saluatorem tuum Dominum credere, niſi te infirmum agnoſcas?

B

Aut quomodo potes adiutorium Dei & adminiculum poſtulare, niſi te non poſſe ſine eius adiutorio bonum implere credas quod cupias, & malum declinare quod fugias? Vnde vnum è duobus eſt, permitte te dare reſponſum : vtrùm miſerum te fatearis, aut fortem; aut infirmum aut ſanum, vt audias vocem Domini dicentis :

Luc. 5. 31.

Non indigent qui ſunt ſani medico. Vnde & Propheta clamat :

Pſ. 43. 4. 7. & 8.

Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me : ſed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui. Vnum è duobus, aut potes te abſtinere ab omni peccato, aut non potes? Si potes, adiutorio non indiges : Potes enim. Si non potes, rectè auxilium quæris. Teſtimonium autem Dei adiutorium

Pſal. 90. 1.

tale ferre Pſalmiſta dicit : 4 *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi,* &c. Videamus nunc, qui ita credit, & qui ita dicit, quid ei eueniat. *Scapulis ſuis obumbrabit tibi,* &c. SERAPION dixit : Quid ergo habebit libertas arbitrij? ARNOBIVS dixit : 5 Vt ſi non vis ita credere,

C

non ita credas, & auxilio te diuino ſuſpendas. Si vis vero credere, ita ab his quæ tibi imminent, faciente Dei auxilio, libereris & miſericordia.

NOTÆ.

1. Vtà prohibitis abſtineas.] *Iam nunc Pelagianorum perſonam induit Serapion, ſicut Sabellianorum, Arianorum, & Neſtorianorum ſuperioribus diſputationibus non impigrè geſſit. Nam ipſa vi liberi arbitrij, ſine gratiæ ſalutaris auxilio, cunctas peccatorum tentationes vincere, & præceptis diuinis morem gerere poſſe hominem viatorem, error fuit Pelagianorum, damnatus à concilio Mileuitano, & ab Auguſtino lib. de hæreſibus, cap. 88. Quin etiam plurimis & grauiſſimis ſcriptis Pelagianos inſectatur, vt tribus libris de libero arbitrio, tribus libris de peccatorum meritis & remiſſione, Lib. de baptiſmo paruulorum, lib. de natura & gratia, lib. de gratia noui teſtamenti, libris quatuor contra duas epiſt. Pelagianorum, ſex libris contra Iulianum, totidemq́; hypognoſticon contra Pelagianos, & paſſim alibi : Scripſit etiam Hieronymus Dialogos aduerſus Pelagianos. Denique Innocentius, Zoſimus, & Cœleſtinus ſummi Eccleſiæ Pontifices tam ſcriptis quam conciliorum decretis illorum furores conſtanter &*

D

ſapienter repreſſerunt, vt idem teſtatur Auguſtin. libro primo de gratia Chriſti, capite ſecundo : cui Proſper ſubſcribit ſub anno Domini 432.

Epiſtola ad Cteſiphontem.

2 Ergo poteſt per liberum arbitrium, &c.] *Contra iſtam Pelagianorum ſententiam admiſſam à Serapione, ita Hieronymus inuehitur:* Rogo, quæ iſta eſt argumentatio : Poſſe eſſe quod nunquam fuerit? Poſſe fieri, quod nullum feciſſe teſteris? Id cuilibet tribuere, qui an futurus ſit ignores? Et dare neſcio cui, quod in Patriarchis, Prophetis, & Apoſtolis fuiſſe nequeas approbare? *Et Auguſt. lib. ad Quoduult deum* : Si hoc certum eſſet, fruſtra Dominus dixiſſe videretur : Sine me nihil poteſtis facere.

Libr. 2. contr duas epi. Pelag. cap. 5.

3. In primi hominis præuaricatione] *Doctè & rectè de hac re ſcripſit Auguſt.* Peccato Adæ liberum arbitrium de hominum natura periiſſe non dicimus : ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis diabolo. Ad bene autem pieque viuendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, ſermonis, cogitationis adiuta.

4. Qui habitat in adiutorio Altiſſimi] *Per omnia ſibi conſentiens Arnobius, commentariis in hunc Pſalmum etiam Pelagianorum errorem his refellit* : Multi putant libertatem arbitrij euſque poſſe ſibi ſufficere, vt ſeſe per ipſam libertatem ab hoſtibus inuiſibilibus eruere poſſe confidant. Libertatem autem arbitrij & negare periculum

E

eſt, & nudare peccatum. Si enim negaueris, omnibus fræna laxaſti : ſi nudaueris, decepiſti, &c.

Lib. 2. de ſpiritu & lit. c. 32.

5. Vt ſi non vis ita credere] *Ad fidem concipiendam & retinendam liberum hominis arbitrium ſua conſenſione cooperari, his verbis aſſerit Auguſtinus :* Quid eſt enim credere, niſi conſentire verum eſſe quod dicitur? Conſenſio autem voluntatis eſt : profectò fides in voluntate eſt. *Et paulo poſt* : Cum ergo fides in poteſtate ſit : quoniam cum vult, quiſque credit : & cum credit, volens credit. *Et idem rurſum alibi* : Intrare quiſquam Eccleſiam poteſt nolens, accedere ad altare poteſt nolens, accipere Sacramentum poteſt nolens,

Tract. 26 in Ioan.

credere non poteſt niſi volens.

SERAPION dixit : Non ita docentem Auguſtinum audiui. ARNOBIVS dixit : In qua parte non ita audiſti eum docentem? SERAPION dixit : Non imperium legis implere omnia volumina tractatuum & librorum eius teſtantur ſcripta. ARNOBIVS dixit : Tangit me ita ſicut ſunt mira eius verba, in medium proferre & probare quantum legis imperio, quantum libero concedatur arbitrio. SERAPION dixit : Teſtor Deum, quia ſolicitudini meæ vniuerſa ambiguitate eliminas, ſi

F

de his eius mihi diffinita proferas, & de omnibus quæ tranſacta ſunt euidentia eius adferas documenta. Fateor enim me eius aſſertiones ita probatas habere, vt ſeipſum ore ſuo hæreticum detegat, qui Auguſtinum putauerit in aliquo reprehendendum eloquio. ARNOBIVS dixit : Meo ſenſu loquutus es : nam ea quæ eius nunc profero, ac ſi ſacratiſſima Apoſtolorum ſcripta ſic credo, & teneo, & defendo. Ait enim : Inquirens in diuinis Scripturis quid ſit gratia, verum liberum arbitrium eſſet gratia, ſiue gratiam eſſe peccatorum, ſiue gratiam eſſe legis præcepta, & nihil eorum cognoui, quæ per adminiſtrationem Spiritus ſancti pertineat ad concupiſcentias tentationeſque vincendas, quam ditiſſime effundet ſuper nos qui

aſcendit in cœlum, & captiuans captiuitatem dedit dona hominibus. *Pſal. 76. 19.*

Hinc & oramus, vt peccatorum tentationes ſuperare poſſimus, & Spiritus Dei, vnde pignus accepimus, adiuuet infirmitatem noſtram. Qui autem orat & dicit :

Ne nos induci patiaris in tentationem, non vtique id orat, vt *Matt. 6. 13.*

G

homo ſit, quod eſt natura; neque id orat, vt habeat liberum arbitrium, quod iam accepit cum crearetur ipſa natura : neque orat peccatorum remiſſionem, quia hoc ſuperius dicitur; *Dimitte nobis debita noſtra* : neque orat, vt accipiat mandatum : ſed orat plane, vt faciat mandatum. Orat vt non peccet, hoc eſt, ne quid faciat mali : quod pro Corinthijs orat Apoſtolus dicens : *Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali.* Vnde ſatis apparet, quia ad non peccandum, id eſt, ad non malefaciendum : quamuis eſſe non dubitetur liberum arbitrium voluntatis, tamen eius poteſtas non ſufficiat, niſi adiuuetur infirmitas. Ipſa igitur oratio eſt clariſſima gratiæ teſtificatio. Hæc ille confiteatur qui denegat, & cum gaudemus ſiue rectum ſiue correctum. Diſtinguenda ergo lex eſt & gratia. Lex iuuaret niſi eſſet voluntas, nec gratia iuuaret niſi eſſet infirmitas. Iubetur vt habeam intellectum, vbi dicitur, *Nolite fieri equus & mulus,* & cæt. & tamen oramus vt habeamus intellectum, vbi dicitur : *Da mihi intellectum vt diſcam mandata tua.* Iubetur vt habea-

H

mus ſapientiam, vbi dicitur : *Stulti, aliquando ſapite* : & tamen oramus vt habeamus ſapientiam, vbi dicitur : *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Iubemur habere continentiam, vbi dicitur : *Contine teipſum* : & tamen oratur, vt habeamus continentiam, vbi dicitur : *Cum ſcirem quia nemo poteſt continens eſſe niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientis ſcire, cuius eſſet hoc donum, & acceſſi ad Dominum, & deprecatus ſum eum.* Poſtremo, ne nimium longum ſit cuncta percurrere, iubemur vt non faciamus mala, vbi dicitur : *Declina à malo, & fac bonum* : & tamen oratur, vt non faciamus malum, vbi dicit Apoſtolus : *Oramus autem ad Dominum, ne quid mali faciatis.* Iubemur vt non faciamus malum, & faciamus bonum, vbi dicitur, *Declina & à malo & fac bonum* : & tamen oratur, vt faciamus bonum, vbi dicitur : *Non ceſſamus pro vobis orantes, vt ambuletis digne Deo, in omnibus beneplacentes Deo, & in omni opere bono.* Si ergo agno-

A ſcimus voluntatem, cui hæc præcipiuntur: ſic debemus
agnoſcere gratiam, quomodo ſine Dei gratia quæ im-
plere cupimus nullum ſortiuntur effectum. SERAPION
dixit: Quomodo magna hæc aſſertio ſancti viri tanta
eſt æquitate ſubnixa, vt contra hæc mentis homo veni-
re non poſſit: noſſe cupio, ſi etiam de his quæ anteriori
tempore egimus, tali ab eo fuerint ſenſu vel ſermone
definita. ARNOBIVS dixit: Multa ſunt de quibus
diſputatio noſtra per altercationem peruenit ad finem:
de quo nunc titulo ſancti Auguſtini vis roborari ſermo-
ne? SERAPION dixit: De natiuitate IESV Chriſti,
in qua Deus & homo nobis per duas ſubſtantias decla-
ratus eſt, in quibus ſanctam Mariam & χριστοτόκον & θεοτόκον
extitiſſe, te aſtruente & probante cognoui. ARNOBIVS
dixit: Si verba eius per commata inciſa proponere vo-
luero, ſuſpitionem potius quã ſatisfactionem exhibuiſ-
ſe videbor. Vnde congruum cenſeo, vt integrum tibi e-
ius tractatum adſignem, quo euidenter agnoſcas, cum
B duas natiuitates, duaſque ſubſtantias in vnico Dei Fi-
lio prædicaſſe.

SERMO S. AVGVSTINI EPISCOPI DE NATIVITATE DOMINI NOSTRI IESV Chriſti.

Serm. 1. in feſto Natiuit. Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.

SALVATOR noſter natus de Patre ſine die,
per quem factus eſt omnis dies, voluit in ter-
ra habere natalem hunc diem, quem hodie
celebramus. Quiſquis hunc diem miraris, æ-
ternum mirare potius ante omnem diem
permanentem, omnem diem creantem, in die naſcen-
tem, à malitia diei liberantem. Adhuc mirare: Quæ pe-
perit, mater & Virgo eſt; quem peperit infans, &
Ioan. 1. 1. Verbum eſt. Merito cœli loquuti ſunt, angeli gra-
Luc. 2. 10. tulati, paſtores lætati, Magi inuitati, reges turbati,
Matt. 2. 1. paruuli coronati. Lacta mater cibum noſtrum, lacta
Ioan. 6. panem de cœlo venientem, & in præſepio poſitum velut
Luc. 2. piorum cibaria iumentorum. Illic enim *cognouit bos poſſeſ-*
Iſaia 1. 3. *ſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui:* circumciſio ſcilicet
Epheſ. 2. 21 & præputium, cohærendo lapidi angulari, quorum pri-
C mitiæ fuerunt paſtores & Magi. Lacta eum, qui talem
fecit te, vt ipſe fieret in te, qui tibi & munus fœcundita-
tis attulit conceptus, & decus virginitatis non abſtulit
natus: qui ſibi priuſquam naſceretur, & diem qua naſce-
Pſal. 18. 6. retur elegit. Et ipſe condidit quod elegit, vt ille hinc
procederet vt ſponſus de thalamo ſuo, quo mortalibus oculis
poſſet videri, & augmento lucis annuæ ſe lucem mundi
Ioan 9. 6. veniſſe teſtari. Prophetæ cecinerunt conditorem cœli ac
Baruc. 3. terræ in terra cum hominibus futurum, angelus nuncia-
Luc. 1. & 2 uit Creatorem carnis & Spiritus in carne venturum. Sa-
Ioan. 11. lutauit Ioannes ex vtero in vtero Saluatorem: Simeon ſe-
nex Deum agnouit infantem: Anna vidua Virginem
Matth. 2. matrem. Hæc ſunt teſtimonia natiuitatis tuæ Domine
Ioan. 19. IESV, antequam tibi fluctus ſternerentur calcanti, ce-
derent imperanti; antequam ventus te iubente ſiluiſſet,
Marc. 16. mortuus te vocante vixiſſet, ſol te moriente palluiſſet,
D terra te reſurgente tremuiſſet, cœlum te adſcendente pa-
tuiſſet; antequam iſta & alia mirabilia iam iuuenilis tui
corporis ætate feciſſes. Adhuc portabaris in manibus
Iſaia 9. matris, & iam Dominus orbis agnoſcebaris: ipſe puer
Iſaia 7. paruulus ex ſemine Iſrael, & ipſe nobiſcum Deus Em-
manuel.

Quæ & qualis eſt illa generatio Saluatoris, qua gi-
gnenti Patri coæternus eſt Filius? Quando hanc genera-
tionem ex Virgine mundus expauit, quam pia fides exce-
pit & tenuit, infidelitas autem irriſit, ſuperbia timuit ſu-
Ioan. 1. 1. perata? Quænam eſt illa generatio, qua *in principio erat*
Verbum apud Deum, & Deus erat Verbum? Quod eſt hoc Ver-
bum, quod dicturus antea non ſilebat, quo dicto non ſi-
luit qui dicebatur? Hoc eſt Verbum ſine tempore, per
quod facta ſunt tempora. Verbum quod labia nullius a-
peruit cœptum, clauſitve finitum. Verbum quod initium
non habet ex ore loquentium: & aperit ora mutorum.
E Verbum quod linguis gentium deſertis non fit, & lin-
guas infantium diſertas facit. Quænam eſt illa genera-
tio, cui Pater moriendo non cedit, quia non eum viuen-
do præcedit? Segregata ab omnibus locorum interual-
lis, temporumque ſpatijs, quam vel in diebus, vel in cor-
poribus ſentire conſueuimus? Leuemus ad eum, quan-
tum ipſo adiuuante poſſumus, animam noſtram, ſi quo
modo capere valeamus & natum non præuenientem qui
gignit, & gignentem non ſubſequentem qui gignitur, Pa-
trem & Filium: nec Pater parueı nec Filius pariter, & pa-
riter æternus. Non vtrumque generantem, non vtrum-
que naſcentem, ſed alterum ſine altero non viuentem, &
Patrem ſempiternè genuiſſe, & Filium ſempiternè na-
tum eſſe cogitemus, ſi valemus: ſi non valemus, creda-
mus. Non eſt hic quod dicere volumus: ſed tamen non
eſt longe poſitum ab vnoquoque noſtrum. *In illo enim* *Act. 17. 28.*
viuimus, mouemur, & ſumus. Tranſcendamus carnem no-
F ſtram, in qua parentes ante filios viuunt, quia vt filios
poſſent generare creuerunt, & filijs creſcentibus iam ſe-
neſcunt. Nondum natis filijs parentes vixerunt, quia &
parentibus mortuis filij victuri ſunt.

Tranſcendamus & animas noſtras, pariunt enim &
ipſæ: aliquid cogitando, quod ſecum habent ſciendo:
ſed poſſunt amittere obliuiſcendo, quia non habebant
antea naſcendo. Cuncta corpora, & temporalia, &
mutabilia tranſcendamus, vt videamus ſuper omnia,
per quem facta ſunt omnia. Aſcenſus noſter in corde
eſt, quia & illud quo aſcendimus prope eſt: longe au-
tem ab eo ſumus, in quantum diſſimiles ſumus. Aſcendit
ergo ad eum ſua ſimilitudo quã in nobis fecit, & refecit:
quia perſpecta palpitat animi infirmus aſpectus, & ineſ-
fabilem candorem lucis æternæ non poteſt intueri. Cu-
ius ergo fulgorem mentis acies nondum capit: *generatio-* *Iſaia 53.*
nem eius quis enarrabit? Sed *Verbum caro factum eſt, & habi-* *Ioan. 1.*
tauit in nobis.

Hanc ergo generationem, cuius hodiernum cele-
bramus diem; hanc, in qua dignatus eſt venire per Iſ-
rael, & fieri Emmanuel, nobiſcum Deus, in carnis in-
firmitate, non nobiſcum in cordis iniquitate: accedens
G ad nos per id quod aſſumpſit ex noſtro, & liberans nos
per id quod manſit in ſuo: (viſitauit quippe Dominus
ſeruos ſuos per mortalem infirmitatem, vt eos liberos
faceret per incommutabilem veritatem) hanc ergo ge-
nerationem, cuius vtrumque capax eſt humana fragi-
litas; non illam, quæ ſine tempore manet, ſine matre
ſuper omnia: ſed iſtam, quæ in tempore facta eſt ſine
Patre inter omnia. Hunc Virginis Filium, & Virginum
ſponſum, de incorrupta matre naſcentem & incorrupti-
bili veritate fœtantem, laudemus, amemus, adoremus,
vt in eius miſericordia fili de aſtutia diaboli victa trium-
phemus. Diabolus ad nos decipiendos corrupta fœ-
minea mente ſubrepſit, Chriſtus ad nos liberandos in-
corrupta fœminea etiam carne proceſſit, qui eſt bene-
dictus cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum,
Amen.

NOTÆ.

1. SALVATOR noſter natus de Patre] *Arnobij ſcriptum cum Auguſtini ſermone impreſſo Lutetiæ 1571. cum reliquis eiuſdem operibus, diligenter conferentes, multa emendanda, varias quoque lectiones in vtroque comperimus: quæ hic breuibus & ordine conſignabimus. Arnob. habet*: quiſquis inde mirans: *Auguſt.* quiſquis hunc diem miraris. *Arnob* Magi mirati: *Auguſt.* magi inuitati. *Arnob.* qui tibi vnius fœcunditatis: *Auguſt.* qui tibi munus fœcunditatis: *Arnobius*, vt illic procederet: *Auguſt.* vt ille hinc procederet. *Arnob.* venit ſe teſtari: *Auguſt.* veniſſe. *Idem Auguſtinus*, Quando hanc generationem: *Arnobius caret aduerbio*, Quando. *Auguſtinus*, quam pia fides agnouit & tenuit. *Arnobius*, quia fides excepit. *Auguſtinus*, non ſiluit qui dicebat: *Arnobius*, qui dicebatur. *Deinde Arnobio deerant ſex dictiones iſtæ, quas ex Auguſtino reſtituimus*: quia non eum viuendo præcedit. Segregata. *Carebat rurſum hæc quatuor Arnobius, quæ ſunt in Auguſtino*: quia & filios poſſent. *Auguſtinus*, Tranſcendamus & animas noſtras: *Arnobius*, omnes cogitationes noſtras. *Auguſtinus*, quam nondum perfectè palpitat infirmus aſpectus: *Arnobius*, quia perſpecta palpitat animo infirmus aſpectus. *Rurſum, deſunt apud Arnobium hæ voces octo*, per Iſrael, & fieri Emmanuel, nobiſcum Deus in carnis infirmitate: *quas ex Auguſtino repoſuimus. Aberant & hæ duæ*, ſuper omnia: *Auguſtinus ve*

H

A *rũ ſerabit, ſiue matre ſuper omnia. Denique, vbi idem Auguſtinus habet vt nemus miſericordia de aſtutia diaboli ſibi triumphemus: in veteri Arnobij noſtri exemplari legitur, vt eius miſericordia aſtutia diaboli victa, triumphemus. &c. Ex his autem perſpiciet beneuolus Lector, quot locos reſtituerimus, ſimulq́; expendet quantum in alijs multis huiuſmodi deprauatis locis emendandis nobis laborandum fuerit.*

Serapion dixit: Satisfactum eſſe deſiderio meo fateor. Verè enim & duas naturas, & duas ſubſtantias euidẽter aſſeruit. Nunc vt radicitus mihi euellatur omnis cunctatio, probari apud me cupio, 1 Si Dominus meus vir Apoſtolicus Leo Papa venerabilis priores ſuos in hac parte ſequutus eſt, vt alloqueretur Orientales ſuarũ Epiſtolarũ ſcriptis. Arnob. dixit: Accipe quid Apoſtolicæ recordationis vir Papa venerabilis Damaſus ad ſanctum virum Paulinum ſanctæ memoriæ 2 Antiochenæ vrbis Antiſtitẽ ſcripſerit: vt cognoſcas antiquũ vſu ſanctũ & eruditiſſimũ virum Papam Leonẽ ad reuocandas ab errore Eccleſias, ad Orientales literas deſtinaſſe. Cumq́ue hæc dixiſſet Arnobius, protulit codicem, ex quo recitatum eſt ſic.

B Dilectiſſimo fratri Paulino, Damaſus. Per ipſum filium meum Vitalem ad te reſcripta direxeram, quæ tuæ voluntati & iudicio omnia derelinquens, 3 & per Petronium Presbyterũ breuiter indicaueram me in articulo iam profectionis eius aliqua ex parte cõmotum. Vnde ne aut tibi ſcrupulus reſideret, & volentes forſitan Eccleſiæ copulari tua cautio probanda differret, fidẽ noſtrã miſimus, non tã tibi, qui eiuſdem fidei cõmunione ſociatus, quã his, qui in ea ſubſcribentes, tibi, id eſt, nobis per te voluerint ſociari, 4 dilectiſſime frater. Quia poſt concilium Nicænum, 5 & quod vrbe Roma concilium congregatum eſt à Catholicis Epiſcopis, is error inoleuit, vt quidã 6 ore ſacrilego auderent dicere, Spiritum ſanctum factum eſſe per Filiũ, Anathematizamus eos, qui non tota libertate proclamant, Spiritum ſanctum cum Patre & Filio vnius poteſtatis eſſe atque ſubſtantiæ. Anathematizamus quoque eos qui Sabellij ſequuntur errorem, eundem dicentes Patrem eſſe quem & Filium. Anathematizamus Ariũ atque Eunomium, qui pari impietate (licet ſermone diſſimili) C Filiũ & Spiritum ſanctum aſſerunt eſſe creaturas. Anathematizamus Macedonianos, qui de Arij ſtirpe venientes, non perfidiam mutauere, ſed nomen. Anathematizamus Photinum, qui Hebionis hæreſim inſtaurans, Dominum Iesvm Chriſtum tantùm ex Maria Virgine confitetur. Anathematizamus eos, qui duos filios aſſerunt, vnũ ante ſæcula, & alterũ poſt aſſumptionẽ carnis ex Virgine. Anathematizamus eos, qui pro hominis anima rationabili & intelligibili dicunt Dei verbũ in humana carne verſatũ, cùm ipſe Filius ſit Verbũ Dei, & non pro anima rationali & intelligibili in ſuo corpore fuerit: ſed noſtram, id eſt, rationabilem & intelligibilem ſine peccato animã ſuſceperit atque ſaluauerit. 7 Anathematizamus eos, qui Verbũ Dei Filium extenſione, aut collectione, & à Patre ſeparatum, inſubſtatiuũ, & finem habiturum eſſe contendũt. Eos autem qui ab Eccleſijs ad Eccleſias migrauerunt, tandiu à cõmunione noſtra habemus alienos, donec ad eas redierint ciuitates, in quibus ſint primũ conſtituti. Quod ſi quis alius, alio tranſmigrante, 8 in locũ viuentis ordinatus eſt, tandiu vacet ſacerdotij dignitate qui ſuã deſeruit ciuitatẽ, quandiu ſucceſſor eius quieſcat in Domino. Si quis non dixerit ſemper Patrem, ſemper Filium, ſemper D Spiritũ ſanctũ fuiſſe & eſſe, anathema ſit. Si quis non dixerit, Filiũ natũ de Patre, id eſt, de ſubſtãtia Diuina ipſius, anathema ſit. 9 Si quis non dixerit, Verbũ Domini Filiũ Dei, Deum verum ſicut Patrem eius, & omnia poſſe, & omnia noſſe, anathema ſit. Si quis dixerit, quod in carne conſtitutus Filius Dei eum eſſet in terra, in cælis cũ Patre non erat, anathema ſit. Si quis dixerit, quod 10 paſſione crucis dolorẽ ſuſtinebat Filius Dei, 10 & non caro cũ anima, quã induerat in forma ſerui, quã ſibi acceperat, ſicut ait Scriptura, anathema ſit. 11 Si quis non dixerit, quod in carne quam aſſumpſit, ſedet ad dexteram Patris, in qua venturus eſt iudicare viuos & mortuos, anathema ſit. Si quis non dixerit, Spiritũ ſanctũ de Patre eſſe verè ac propriè ſicut & Filiũ de Diuina ſubſtantia & Deũ verũ, anathema ſit. 12 Si quis non dixerit, Spiritũ ſanctum, omnia

Philip. 2.

E poſſe, omnia noſſe, & vbiq; eſſe ſicut Patrem & Filium, anathema ſit. Si quis dixerit, Spiritum ſanctũ facturã eſſe, aut per Filium factum, anathema ſit. Si quis non dixerit, 13 omnia per Filiũ poſtea incarnatũ, & Spiritũ ſanctũ Patrem feciſſe, anathema ſit. Si quis non dixerit Patris & Filij & Spiritus ſancti vnã diuinitatem, poteſtatem, maieſtatem, potentiam, vnam gloriam, dominationẽ, vnum regnum, atq; vnam voluntatẽ, ac veritatẽ, anathema ſit. Si quis tres perſonas non dixerit veras, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, æquales, ſemper viuentes, omnia continentes viſibilia & inuiſibilia, omnia potentes, omnia iudicantes, omnia viuificantes, omnia facientes, omnia quę ſunt ſaluanda ſaluantes, anathema ſit. Si quis non dixerit Spiritum ſanctum adorandum ab omni creatura, ſicut Filium & Patrem, anathema ſit. Si quis de Patre & Filio benè ſenſerit, de Spiritu autẽ ſancto non rectè habuerit, hæreticus eſt: 14 quia omnes hæretici de Filio Dei & Spiritu ſancto malè ſentientes, in Iudæorum atq; Gentilium perfidia inueniuntur. 15 Quod ſi quis partiatur, Deum Patrẽ F dicens, & Deũ Filium eius, & Deũ Spiritum ſanctũ, tres Deos dici, & non Deum propter vnam Diuinitatẽ & potentiam, quam credimus & ſcimus Patris & Filij & Spiritus ſancti, Deum verum; ſubtrahens autem Filium & Spiritum ſanctum, ita ſolum exiſtimet Deum Patrẽ dici aut credi vnum Deum, anathema ſit. Nomen namq; Deorũ, & Angelis, & Sanctis omnibus à Deo eſt impoſitũ & donatum. De Patre autẽ & Filio & Spiritu ſancto propter vnam & æqualẽ Diuinitatem, non nomen deorũ, ſed Dei nobis oſtenditur atq; indicatur, vt credamus, quia in Patre & Filio & Spiritu ſancto ſolùm baptizamur, non in Archangelorum nominibus aut Angelorũ. 16 quomodo hæretici, aut Iudæi, aut etiam gentiles dementes faciunt. Hæc eſt ergo ſalus Chriſtianorũ, vt credentes Trinitati, id eſt, Patri & Filio & Spiritui ſancto, & in eam baptizati, veram ſolamq́ue vnam diuinitatem, potẽtiam, maieſtatem, & ſubſtantiam eiuſdem ſine dubio credamus.

NOTÆ.

G 1. Si Dominus meus vir Apoſtolicus Leo Papa] *Ex his non malè mihi colligere videor, Conflictum iſtum Arnobij & Serapionis velentiũ, vel ſaltem ſcriptum fuiſſe temporibus eiuſdem, ancti ſſimi & doctiſſimi Leonis Papæ. Superiorum enim eius, vt Damaſi & Cæleſtini meminit, vltra Leonis ætatem non progreditur, præterea eiuſdem opera & ſæculo Neſtorij labes magna ex parte dele a, gene q́; extincta fuit, ac neque vllũ aliud tempus occurrit huic diſputationi magis aptum & commodũ. Paulò poſt, vbi legitur,* vt alloqueremur Orientales, *non malè for an legeretur,* vt alloqueretur. *Scripſit enim ad Flauianum Conſtantinopolitanum celeberrimam Epiſtolam aduerſus Eutychen errores, quæ à cunctis orthodoxis in concilio Chalcedonenſi laudata & probata fuit. deinde, rurſum & ad alios Orientales, videlicet, ad ipſum Eutychen, ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem, ad Anatolium Conſtantinop. ad Maximum Antiochenum Epiſc. ad ipſos etiam Orientis imper. Theodoſium, Marcianum, Leonem & Pulcheriam: denique & ad concilium Epheſinum & Chalcedonenſe in Oriente celebrata plurimas & doctiſſimas aduerſus hæreſes emergentes per Orientem Epiſtolas miſit, quæ inter cætera ſcripta eius impreſſa referuntur.*

2. Antiochenæ vrbis Antiſtitem] *Cùm temporibus Damaſi ſummi Pontificis alter Paulinus fuerit Antiochenus, alter eiuſdem quoq́; nominis Theſſalonicenſis Eccleſiæ Epiſcopus, & ad vtrumque Damaſus hi epiſtolas ſcripſerit, addubitarunt nonnulli, ad quem horum directa fuerit, quæ hic citatur eius epiſtola. Verum, tamen ex hoc Arnobij teſtimonio, quàm ex Theodoreto, patet ad Antiochenum ſcriptam fuiſſe: tametſi Nicephorus diſertè ſcribit illam miſſam fuiſſe ad Paulinum in Macedonia Epiſcopum, qui etiam Theſſalonicæ fuerit, lib. 12. cap. 18. In nouiſſima Conciliorum editione Venetijs 1585. prior Epiſtola pars dirigitur Antiocheno poſterior, cuius initium eſt.* Quia poſt concilium Nicænum, *Theſſalonicenſi.*

Lib 5. cap. 10.11.& 15.

H 3. Et per Petronium Presbyterum] *Ita reſtituimus ex Damaſo, delemuſq́; ex veteri Arnobij codice* & te Petrum.

4. Dilectiſſime frater] *Hic multa prætermittit Arnobius, quæ in eadem Damaſi Epiſtola continentur, referunturq́; tomo 1 conciliorum generalium. Et quoniam ad fidei noſtræ confirmationem plurimum conferunt, non ingratum erit pijs ac ſtudioſis lectoribus, ſi ea ſubiecerimus. Sequitur ergo.* Quapropter ſi ſupradictus filius meus Vitalis, & qui cum eo ſunt, tibi voluerint aggregari, primum debent in ea expoſitione fidei ſubſcribere, quæ apud Nicæam pia patrum voluntate firmata eſt. Deinde, quoniam nemo poteſt futuris vulneribus adhibere medicinam, ea hæreſis eradicanda eſt, quæ poſtea in Oriente dicitur pullulaſſe: id eſt, confitendus ipſa ſapientia, ipſe ſermo, Filius Dei humanum ſuſcepiſſe corpus, animam, ſenſum, id eſt, integrum Adam, & (vt expreſſius dicam) totum veterem noſtrum ſine peccato hominem. Sicuti enim confitentes eum humanũ corpus ſuſcepiſſe, non ſtatim ei & humanas vitiorum adiungimus

A

paſsiones:ita & alteres eum ſuſcepiſſe & hominis animam & ſenſum, non ſtatim dicimus & cogitationum eum humanarum ſubiacuiſſe peccato. Si quis autem dixerit: Verbum pro humano ſenſu in Domini carne verſatum, hunc Catholica Eccleſia anathematizat: nec non & eos, qui in Saluatore filios confitentur, id eſt, alium ante incarnationem, & alium poſt aſſumptionem carnis ex Virgine: & non eundẽ Dei Filium & ante & poſtea confitentur. Quicunque huic Epiſtolæ ſubſcribere voluerit, ita tamen vt in Eccleſiaſticos canones, quos optimè noſti, & in Nicænam fidem ante ſubſcripſerit, hunc habebis abſque aliqua ambiguitate ſuſcipere. Non quod hæc ipſa, quæ nos ſcribimus, non potueris conuenientium ſuſceptioni proponere: ſed quo tibi conſenſus noſter liberum in ſuſcipiendo tribuat exemplum. *Hactenus Damaſus. Epiſtola ad Paulinum Antiochenum. Sequitur ibidem.*

PROFESSIO Catholicæ fidei, quam ſcripſit Damaſus Paulino Epiſcopo Theſſalonicæ in Macedonia.

Quia poſt concilium Nicænum, *& cætera, quæ hic referuntur ab Arnobio: inſuper & à Theodoreto lib. 5. cap. 15. & Nicephoro lib. 12. cap. 18. ex quibus ſignatos aliquot locos emendauimus.*

5. Et quod vrbe Roma] *Hoc totum inciſum, vſque ad illud,* is error inoleuit, *additum videtur ab Arnobio, quoniam neq; apud Theodoretũ, neque apud Nicephorum, neq; in Epiſtola Damaſi, quæ eſt in tomo primo concil. legitur. Cæterùm, à concilij Nicæni tempore ad Damaſum vſque plurima concilia Romæ coacta fuerunt: Primum ſub Sylueſtro, præſente Conſtantino Auguſto, in quo à 275. Epiſcopis confirmatum fuit quicquid Patres Nicæni definierant. Secundum ſub eodem, conuenientibus 67. aut vt alij volunt, 84. Patribus, & Sabellium, Arium, Photinum damnantibus. Tertium iterum ſub eodem, 284. Epiſcopis in Thermis Domitiani*

B

congregatis. Quartum ſub Iulio, trecentorum ſexdecim Epiſcoporum, qui omnes eos, qui cum Ario ſentiebant rurſum damnarunt: Athanaſium verò innumeris calumnijs vexatum, ab ijs abſolutum in communionem receperunt. Quintum ſub Damaſo nonaginta Epiſcoporum, qui Ariminenſis conuentus ſymbolum damnauerunt, rurſumq; decreta Nicæna comprobauerunt. Sextum ſub eodem Damaſo, in quo Apollinarij & Timothei hæreſes publicis decretis fuerunt damnatæ. De quo autem horum conciliorum hic ſcribat Arnobius, ſtudioſo lectori inquirendũ relinquo.

Sozom. lib. 6. cap. 23. Theodoret. lib. 2. c. 22.

6. Ore ſacrilego] *Arnobij exemplar vetus,* more ſacrilego.

Lib. 12. ca. 18.

7. Anathematizamus eos qui Verbum] *Nicephori interpres.* Qui dicunt Verbum Dei à Patre extenſione & contractione ſegregatum eſſe, & ſubſiſtere id non poſſe: aut qui finem id ſuum habiturum eſſe blaſphemant.

8. In locum viuentis] *ita ex Theodoreto, Nicephoro, & tomo 1. conciliorum legimus. Exemplar Arnobij,* inuentus eſt ordinatus.

9. Si quis non dixerit Verbum Domini] *Nicephorus.* Si quis non verum Deum eſſe Dei Filium, ſicut verum Deum Patrem, eius &c.

10. Et non caro cum anima] *Nicephorus.* Vnà cum anima. *Theodoretus.* Et non in carne ſolum & anima. *Arnobius,* aut anima.

11. Si quis non dixerit] *Hic locus in Arnobij exemplari planè mutilus, poteſt ex tomo primo conciliorum, Theodoreto, & Nicephoro ſic inſtaurari:* Si quis non dixerit Dei Verbum carne paſſum, carne crucifixum, & carne mortem guſtaſſe, primogenitum factum ex mortuis, prout eſt atque vita eſt & viuificans, quippe Deus, anathema ſit. Si quis non dicat, eum in carne, quam aſſumpſit, ad dexteram Patris ſedere, &c.

C

12. Si quis non dixerit] *Hunc anathematiſmum reliquit Nicephorus, aut eius interpres: ſeruat porrò tomus primus Conciliorũ cum Arnobio.*

13. Omnia per Filium] *Nicephorus, & tomus primus conciliorũ adiciunt,* viſibilia & inuiſibilia: *carent autem quod paulò poſt ſequitur in Arnobio,* quæ ſunt ſaluanda.

14. Quia omnes hæretic.] *Vocem quia ex tomo primo concil. & Nicephoro, addidimus.*

15. Quod ſi quis partiatur] *Arnobius:* Quomodo ſi quis partiatur Patrem dicens & Filium, &c. *Nicephorus ſic clarius effert:* Si quis diuinitatem diuidat, ſingillatim Deum Patrem dicens, &c.

16. Quomodo hæretici] *Notare videtur veteres Gnoſticos, qui traditam à Chriſto baptizandi formulam æquè impiè ac impudenter corrũpebant & immutabant, vt ex Irenæo patet, & nos obſeruauimus in eius libri caput decimum octauum.*

ARNOBII AFRI,

VETVSTI PARITER AC LAVDATISSIMI SCRIPTORIS COMMENTARII, pij iuxta ac eruditi in omnes Pſalmos Dauidis, per R. L. de la Barre recens aucti & emendati.

D

De genere Arnobij nihil aliud reperitur certi quã quod S. Hieronymus in catalogo illuſtrium, & appendice ad Chronicon Euſebij ait in Africa rhetorem clarum & philoſophum habitum, Siccæ per aliquot annos iuuentutem & nominatim Lactantium declamando inſtituiſſe, donec in ſomniis adactus fuerit vt flagitaret baptiſmum: quem quum non poſſet impetrare ab Epiſcopis, quod vix crederent illum qui toties illuſerat arte oratoria ſimplicitatẽ Chriſtianorum, ſyncero animo velle profiteri religionem quam hactenus impugnaſſet, elucubrauit Catechumenus aduerſus priſtinã religionem luculentiſſimos libros, atq; his tandem velut obſidibus datis pietatis fœdus impetrauit, anno domini 300. quo tempore regnabat Diocletianus: libri autem ſi dei teſtes, ſunt illi octo libri aduerſus gẽtes, vel potius ſeptem, nã octauũ nõ meminit Hieronymus ad Paulinum ſcribens: & nuper longiore epiſtola Balduinus demonſtrauit eſſe Minutij Felicis, vt & ſuo loco dicetur. Scripſit præterea lib. 1. de rhetoricæ inſtitutione. & in aliquot Euangeliſtarum locos qualeſcunq; annotatiunculas, quarum initiũ eſt, In principio erat verbum: contra hæreſes etiam cum Romæ doceret ſcripſit opus quod citatur à Centuriatis: quæ omnia quia ſunt leuioris momenti, & vix ſapiunt tanti viri ingenium, non ægre prætermiſimus. Retinuimus autem vna cum diſputatione illa debellatrice gentilium, commentarios in pſalterium, quibus paucis emendatis, quæ fortaſsis vel incuria hominum, vel iniuria tẽporum irrepſerunt, nihil eſt breuius, nihil doctius: licet quidam, inter quos Geneſis lib. 4. biblioth. multis rationibus conentur eos eripere Arnobio: tum quod ſint illi commentarij ſermone humili & ſtylo inornato, ſolœciſmis interdum ſcatentes, neque cœlum à terra ſæpius abſit quã illi à ſeptem libris in gentiles. Quapropter ſuſpicari illum duos Arnobios, poſteriorem pſalmorum interpretem, idque conuincit ex pſalmi 109. expoſitione, in qua refellitur Photinus Hebionitarum inſtaurator, qui vt patet ex 5. lib. hiſt. trip. & Hieronymo tã in catal. quã chronicis impietatẽ ſui dogmatis docere cœpit an. CCCLVIII hoc eſt anno triceſimo poſt interfectum Criſpum Cæſarem, Conſtantini magni filium, cuius adoleſcentiam Lactantius Firmianus præceptor inſtituit. Adijcit & aliud, quod in explicatione pſalmi 108. & 117. oppugnat ſeu hæreticam illorum ſententiam, qui profitentur Deum ab æterno alios prædeſtinaſſe ad benedictionem, alios reprobaſſe ad maledictionem. Conſtat autem ex duabus Epiſtolis Proſperi & Hilarij ad Auguſtinum hãc aſſertionem adeò ſub ipſis Auguſtini temporibus enatam, vt non pauci per Africam & Galliam ſanctiſsimi viri conqueſti fuerint, nullum vnquam ex Eccleſiaſticis patribus ea ſenſiſſe, quæ Auguſtinus de æterna prædeſtinatorum & reprobatorum diſcretione à Deo facta non minus nouè quam inutiliter prædicaret: progrediturq; vlterius eum Arnobium vixiſſe temporibus Auguſtini, quod is opus ſuum Laurentio & Ruſtico Afris Epiſcopis nuncuparit: qui fortaſsis ſunt, qui in concilio Carthaginenſi inueniuntur vna cum Auguſtino interfuiſſe, adfuit enim Ruſticus quidam in Africa Epiſcopus & Laurentius Icoſitanus Epiſcopus prouinciæ Mauritaniæ legatus: addit amplius in his commentarijs eſſe voces aliquas Auguſtini temporibus vbiq; apud Afros vſitatas: quemadmodum in expoſitione Pſalmi 131. vbi legitur ſuper ipſum florebit ſanctificatio mea: quam dictionem floriet Auguſtinus ætate ſua in ore populorum fuiſſe ſcribit lib. 2. de doctrina Chriſtiana ca. 13. & in explicat. Pſalm. 138. occultatum eſt os meum: cum cauerent ipſi Afri oſſum meum ait Auguſtinus: melius eſt vt nos reprehendant Grammatici, quam non intelligant populi. Sed ex his locis vt verum fatear nihil concluditur, cum ea dictione floriet vſus ſit Calaritanus ſub Conſtantino magni filio: vſus ſit & ſimilibus Tertullian⁹ Calaritano vetuſtior, vſus ſit & Irenæi interpres, vel fortaſsis Irenæus. Nec eſt ſatis temporum rationẽ aduocare in præſidium quæ nulla eſt: aut ſtylum, qui mutatur, vel vt ait Quintilianus creſcit in dies: non enim ipſe S. Hieronymus Epiſt. ad Paulinum ſatis probat libros ſeptem contra gentes, quos reprehẽdit veluti ſermone inæquales, & totius operis partitione confuſos. Quid ſi dicamus quod verum eſt, Arnobium de induſtria voluiſſe in his commentarijs ſeſe ad infimæ plebis orationem deijcere, vt depoſito omni eloquentiæ faſtu ſe toto pectore Chriſtianum declararet: habita ratione eorum quibuſcum ageretur diuerſo ſtylo diuerſis ſcripſerit gentilibus, qui ducebantur ornatu orationis, eruditè. Chriſtianis verò nuda veritate contentis, populariter & tenui caractere: medius fidius pluſquam probabile fuerit. Cum enim cerneret Chriſtianos vbiq; in ſacris pſallere, paululum ſeſe ad vulgarem dictionem accommodans, vt cuiuſuis conditionis homines intelligerent quadantenus quid ſaneretur, docentis partes ſuſtinuit non oratoris. Declarant hoc conciones ac diſputationes quædam Auguſtini ad populum habitæ, quas ex ipſa re conſtat non ab Auguſtino ſcriptas fuiſſe, ſed à notarijs exceptas, qui non ſolum retulerunt in ſcriptum, quod dicebatur, ſed etiam quod agebatur. Quòd ſi quis poſtulet ſibi ceu digito commonſtrari, vnde huius rei experimentum certum poſsit capere, legat diſputationem Auguſtini cum Maximo, & conferat initium diſputationis à notarijs exceptum, cum eius operis fine quem ipſe deſcripſit, quod Maximus ſe ſubduxiſſet diſputationi. Legat duas conciones quibus expurgat famam de clericis ſuis ſparſam in populo. Legat orationem qua ex populi ſuffragijs ſibi deſignat Epiſcopum ſucceſſorum, & in leuioribus negotijs futurum vicarium. Legat cantionẽ aduerſus Donatiſtas, quam vulgo canendã lingua vulgari deſcripſit.

E

F

G

H

A ſcripſit. Hæc ſi quis conferat cum his quæ ſcripſit eruditis, veluti de Trinitate, de Ciuitate Dei, facilè colliget quantum interfuerit inter ſermonem eruditorum & imperitæ multitudinis. Ac ne Romæ quidē eo tempore quo maximè florebat ea lingua, oēs loquebantur quemadmodū loquebatur Cicero. Et iam tum vulgus vſurpabat ſibi quædam ſuo iure, quæ docti damnabant. Dixerit aliquis, quid venit in mentem Arnobio viro facundiſſimo, vt hos Commentarios plebeia lingua committere voluerit. Primū olim inoleuerat popularis pſalmus Dauidicus, adeo vt hinc & arator aliquid modularetur ad ſtiuā, & nauclerus ad clauum, & nauita ad remum, & foſſor ad glebam, & textor ad ſtamē, & vxor ad colum. Denique, infantes hinc aliquid geſtirent canere nutrici, priuſquam fari noſſent. Tantus amor olim habebat oēs huius diuinæ muſicæ, quā nunc plerique faſtidiunt etiam catholici. Proinde voluit Arnobius ab omnibus intelligi, quod videbat cantari ab omnibus. Perſuaſit hoc illi Chriſtiana charitas, quæ ſtudet prodeſſe quàm plurimis. Maluit balbutiens vtilitatem adferre multis, quàm eloquentiæ laudem aſſerre apud paucos. Et hāc linguam popularem intelligebant & eruditi, vt nec illis periret fructus myſticæ cognitionis, quo percepto non oportet orationis phaleras efflagitare. Porrò ne quid ſuſpicionis etiam hæreret in animis ſimplicium Chriſtianorū, qui ſuperbam illam & artificio fucatam eloquentiam vel oderant, vel habebant ſuſpectam, in his Commentarijs

B depoſuit omnem rhetoricæ ſtrepitum iuſſu duorum epiſcoporū, Ruſtici & Laurentij, quemadmodum ipſe teſtatur ſua præfatione. Atque hoc factum obedientiā vocat, vt coniectura ſit, aut catechumenum loqui aut certe recens Chriſtianum. Proinde ſi quis reputet, quibus iſta ſcribat Arnobius, non debet videri ſolœciſmus, ſi quid inciderit diuerſum à conſuetudine loquentium emendatius, imò ſolœciſmus erat niſi ſic fuiſſet locutus. Veluti ſi quis vulgo Romanorum hodie loquatur, quemadmodum olim loquutus eſt S. Gregorius, quum adhuc eſſet ſermo popularis incorruptior, aut ſi quis apud Hiſpanos verba faciens ſecus loqueretur quā habet publica illius gentis cōſuetudo, duplex incōmodum lucrifaceret: Primū, nō intelligeretur ab iis quibus loqueretur: Deinde vt Barbarus offenderet ac rideretur. Quare ſcriptoris huius exēplum nihil ſuffragatur his, qui quum ſcribant literatis, & ea lingua, quæ tēporibus his nihil habet cōmercij cum populo tamen laudi ſibi quoque verti volunt, quod ineptis ſenſiculis, ſermonis ineptiā vincunt. Nā præcipua vis eloquentiæ in rerum inuentione ſita eſt. Quāquā nunc quoque, nō eſt faſtidiēda in ſcriptore Chriſtiano munda ſimplicitas, modo ſicut abſunt phaleræ, lenocinia que, ſic

C abſint & ſordes. Neque enim Arnobius ſi nunc ſcriberet iiſdē vteretur ſolœciſmis, ſed aut planè Gallicè ſcriberet, ſi vulgo Gallorū ſcriberet, aut purè Latinè, ſi ſcriberet literatis. Nimirum huius generis erat Apoſtolorum ſermo, quo nobis nouum teſtamentum literis prodiderunt. Sic tum auriga loquebātur & nauta. Talis erat ſermo, quo primum in linguā Latinā tranſlati ſunt noui teſtamenti libri, in quibus ſi qui ſolœciſmi nunc offendunt aures literatorum, magis aſcribendi ſunt illorum tēporum receptæ cōſuetudini, quā interpretum imperitiæ. Sed vt tum expediebat ſic ſcribere, quia populo ſcribebatur, ita nunc ineptū ſit affectare ſolœciſmos, qui nec illiteratis proſint, & literatos offēdant, & rē obſcurent, & autoritatē ſcriptoris eleuent. Cæterùm vt ſatis conſtat populum corrupiſſe Romani ſermonis puritatē, ita veriſimile eſt apud alias nationes aliquibus tēporibus aliter fuiſſe corruptum. Certe duo quædā deprehendimus in hiſce Commentarijs, quæ S. Aurelius Auguſtinus teſtatur ætate ſua vulgo corruptè ſolere pronunciari. Nā in cōmentario pſalmi centeſimi triceſimi octaui, oſſum pro os, vnde ducitur paternus caſus oſſis, & multitudinis caſus oſſa, & floriet, pro florebit, non ſemel ab hoc poſitum eſt, & ita, vt ſatis

Floriet. apparcat non eſſe caſu factum: & quum dixiſſet os, velut interpretans populo adiecit, id eſt, oſſum. Nam in Græco non

D ὀστᾶ, ſed ὀστοῦν poſitum eſt. Vnde plerumque cōſuetudo loquendi vulgaris vtilior eſt ſignificādis rebus, quā integritas literata. Mallem quippe cum Barbariſmo dici, nō eſt abſcōditum abs te oſſum meum, quā vt ideò eſſet minus apertum, quia magis Latinum eſt idē libro ſecundo de doctrina Chriſt. capite decimotertio de vitijs ſermonis diſputās: Illud, inquit, etiā quod iam auferre nō poſſumus de ore cantantium populorum: ſuper ipſum floriet ſanctificatio mea, nihil profecto ſententiæ detrahit. Auditor tamen peritior mallet hoc corrigi, vt nō floriet, ſed florebit diceretur, nec quic. quā impedit correctionē, niſi cōſuetudo cantantium. Ex his colligere licet hos cōmentarios & Afris fuiſſe ſcriptos, & priſcis illis tēporibus. fortaſſis præſtiterit & alios aliquot barbariſmos indicare, quo minus offendatur præmonitus lector quum inciderint, neue ſtatim mutet ſcripturā à librarijs deprauatā ſuſpicans.

Pœniteot. Pœnitemini verbum, nō rarò vſurpat deponētaliter. Itē tribulantes

Tribulantes. frequēter ponit pro iis qui affliguntur, non qui affligunt. Similiter cōfundentes pro erubeſcētes, quaſi tribulari & cōfundi deponentia verba ſint nō paſſiua. Hoc flos, & hoc ros conſtanter pronunciat genere

E neutro, nimirum ad formā oris. Carendi & vtendi verbo adiungit accuſatiuum. Hæc manna mannæ inflectit, vt nos anna annæ. Græcorum exemplo ſæpenumerò nominatiuum ponit abſolutè loco ablatiui, velut in cōmentario pſalmi centeſimi decimiquarti, & pſalmi octogeſimi quarti. Nonnunquam adiungit caſum, non quē recipiunt ea verba quibus vtitur, ſed quem admittit verbum quod circumloquitur, veluti pſalmo octogeſimo octauo: Memor eſto Apoſtolos, pro, memento Apoſtolos. Adtropare dixit alicubi, vocem nimirum id temporis vulgatam magis quam probam, pro eo quod erat per Tropologiam applicare. Hanc vocem paratura, quæ Tertulliano peculiaris eſt, nōnunquam & apud hunc inuenies, qui vt ætate præceſſit ARNOBIVM, ita gentis eiuſdē fuit. His non diſſimilia quædam obuia ſunt in libris Auguſtini maximè iis, quibus loquutus eſt apud populum, velut ſubdiacones & diacones, & baptiſmum genere neutro. Hæc referre viſum eſt, ne cui ſordeſcat opus iucundum iuxtà ac pium, ob hæc & eiuſmodi ſermonis vitia, quæ apud eos quibus tum ſcribebat, adeo vitia nō erant, vt ſi ſecus dixiſſet, habitus fuiſſet barbarus. Huius quidē operis in catalogo ſcriptorum illu-

F ſtrium nō meminit Hieronymus. Fortaſſis in cauſa fuit, quod is liber, vt vulgo ſcriptus, tantum in Africa circumferebatur, aut notior erat, omnium que in manibus tritior, quàm vt Hieronymus putarit recenſendum. Ita rebus nonnullis nimia celebritas obliuionē inducit. Hac nimirum occaſione nunc deſideramus titulos operum Origenis. Simili caſu fueramus ignoraturi libros Tertulliani, niſi nuper aliquam partē felicior ſtudiis Deus prodidiſſet. Profert autem & aliud argumentum, vnde præter ſtyli coniecturam poſſis antiquitatē ſcriptoris colligere. Aliquot hæreticorum per occaſionē meminit, Manichæi, Nouati, & Arrij, ſed nullius, cuius ætas poſterior fuerit ætate ARNOBII. Nam Arrianam hæreſim apparet huius ætate fuiſſe exortam. Floruit enim ſub imperatore Diocletiano, circiter annum orbis redēpti trecenteſimum vigeſimum nonum. Cæterùm nec Donatiſtarum, nec Pelagianorum meminit, quum vtraque peſtis hæc exorta ſit in Africa, quorum priores hoc defuncto, aut admodum ſene exortos apparet, alteros ætate Auguſtini cōſtat extitiſſe. Et tamē ARNOBIVS hic vno atque altero loco diſputat de libero arbitrio, vbi non tacuiſſet Pelagium, ſi ille fuiſſet antiquior. Quum igitur demōſtratum ſit in his quæ ſola poterant offendere, nihil eſſe quod poſſit aut debeat: quum & amorē tātopere nobis cōmendet Hieronymi & Tritemij autoritas qui vnus eorum cōmentariorum mentionē facit, quorum & teſtimonio vtitur

G Beda enarratione ſua in pſalmos: cùm denique opus ipſum tanta commendet antiquitas, nunc paucis aperiam quæ me tantoperè rapuerint in huius voluminis admirationem. Primum illud in cōfeſſo eſt, inter oēs ſacræ ſcripturæ libros nullum eſſe myſterijs abſtruſioribus plenum, quam librū pſalmorū, nec aliū eſſe maioribus tenebris opertum verborum & dilucidū, quod hic vtrumque mirè præſtat, mihi videtur hominis doctè pariter & exquiſita facundia, & penitus intelligentis rē de qua loquitur. Nullus. n. paucis explicat, quæ parum intelligat. Nullus

Stylus Arnobii. tam obſcuratam dilucidè poſſit efferre, niſi dicēdè rationib. omnibus exercitatiſſimus. Nuſquam eſt præfationum ac digreſſionum ambagibus moleſtus, ſed vbique præclarus artifex feſtinat: & in medias res, non ſecus ac notis auditorē rapit, quod in Homero laudauit Flaccus. Nec vſquā eſt ambitioſus in citandis ſacrorum voluminum teſtimonijs, ſed totus ſermo velut ex emblematis ac teſſellis arcanæ ſcripturæ cōcinnatus eſt, ac frequēter ita cōtexit pſalmi quē exponit verſus aliquot, aut paucis verbis additis, vt etiā illa lucē habeant, quæ nō interpretatur, ſed ita refert, vt perpetuus ſibique cohærentis ſermonis tenor ſuam habeat gratiam. Iam quod in perſpicuis etiam argumētis difficillimum eſt, ſic docet apertè vt nihil ſinat frigere ab affectibus. Plus

H indicat oratio quā loquitur, ac properans multū & cogitationum & aculeorum relinquit in animo, vt neſcias verū prius in te efficiat, vt intelligas, an vt rapiaris. Iā hoc nō ſolum eſt eruditi, verumetiā amātis quod docet. Si quid incidit, quod ex recōditis antiquarum rerū hiſtorijs, aut ex eorum libris, qui de naturis animātium, aliarumue rerum ſcripſere, petēdum erat, nihil eſt tā abſtruſum apud ethnicos, aut ſacros etiā ſcriptores, quod his paucis verbis nō indicet, nihil interim oſtentans aut iactitans varietatē eruditionis, quod in nōnullis etiā magni nominis ſcriptoribus ſæpè nobis moleſtum eſt. Sed rē verò ſacrā Apoſtolica quadā ſimplicitate ſynceritateque tractat. Nec congerit aliena, nec vſquā vim facit diuinæ ſcripturæ, ſed quicquid adducit, ei loco natum eſſe dicas. Maluit enim optima referre quā plurima. Porrò quum à iocis abſtineat, quos argumenti ſeueritas non patiebatur, tamen ſentias per totā dictionem fuſam eſſe perpetuam quandam feſtiuitatem & iucunditatē. Nuſquam ipſe languet aut

A

dormitat: & ſic in crebra breuitate lectionis ſublenat ac reficeat lectorē. Sic incipit, vt dicis ſiſtat: ſic properat, vt non poſsit ſomnus obrepere: ſic finit, vt ſitientem adhuc & plena cupientē dimittat. Iā quum in Tertulliani, Origenis ac omnium penè veterum libris quædā admixta ſint, quæ aut manifeſtum habent errorē, vt ſuſpecti dogmatis ſunt ſic vbiq; temperat calamum vt nihil vſquam compererim quod vllis hæreſibus aſſine. Nam quod ſcribit in cõmentario pſalmi decimi quarti: Ieſus immaculatum ſolus virgineam aulam ingreſſus ipſum tabernaculum à maculis carnalibus liberauit. Non ſenſit de maculis quæ ante ingreſſum Chriſti fuiſſent in Maria, ſed quæ in alijs fœminis eſſe cõſueuerunt, à quibus Chriſtus ſuam matrē ſeruauit immunē, & auxit caſtitatē potius quàm violauit. Quin & eccleſia Romana videtur hoc honore deferre, vt extra Catholicam eccleſiam ſit, qui ſit ab hac alienus, & vt exul à vera fide ſine transfuga eliminatus, quæ totius eccleſiæ teneat principatum, quæq; Petrum Apoſtolorum principē meruerit habere paſtorē. Locus eſt cõmentario centeſimo ſexto, & in Cõmentario pſalmi cēteſimi triceſimi octaui docet eximiā quādā poteſtatē Petro tributam à Chriſto, quē ter negauerat, haud dubiè loquens de poteſtate paſcēdarum ouium. De votis alij ſæpius meminit, ſed his duntaxat quibus in baptiſmo Chriſtum profeſsi, mundo ſatanæq; renuntiauimus, nõ quod arbitrer illum reliqua vota contēpſiſſe, ſed quod hæc vt ſunt, præcipua duxerit. Nec dubito quin in his commentariolis Origenis induſtria fuerit adiutus, qui in nullum opus diuinæ ſcripturæ frequētius edidit cõmentarios quàm in pſalterium. Nā locis aliquot declarat ſe Græca calluiſſe. Huius generis vnum exemplum dabo cõmentario ſeptuageſimo ſeptimo: Scriba nõ intelligens ſic pinxerat: quod autem ſuſ aciens. Hic verbis quum nihil omnino ſignificaretur, denique me torſiſſem, diuinaui id quod res eſt, ſcriptum fuiſſe, quod auxeſin faciens. Nam in plerisq; ſcripturis figura huius literæ x nõ multum abhorret ab r. Itaq; ſcriba Græcè penitus ignarus, & Latinè minimus doctus, ex auxeſin fecerat aut res in. Item cõmentario centeſimo quinto ſcriptum erat: ſuſcipiat regulam pœnitentiæ excluſo noua, ita vt centeſimum quintum pſalmum &c. Nos ex coniectura reſtituimus: excluſo Nonato, ſiue Nouatiano. Nā vterq; fuit eiuſdem hæreſis, nec admittebat pœnitentem. Quanquā is potiſsimum occupatus eſt in ſenſu explicādo, qui pertinet ad Euangelicā hiſtoriā, vt quēadmodum ſcribit Paulus Apoſtolus, ex fide in fidē magis in nobis confirmetur ſcientia Chriſti, dū quicquid in Euangelicis literis geſtum legimus, in pſalmis prædictum cõſpicamus. Atq; hæc ſanè pars in tractādo difficillima eſt, qua rectè cõperta, facile vel ex ſeſe reliquos ſenſus addimināt, qui in myſticis literis ſenſus habent exercitatos. Sed vt aliquando finiā, hi cõmentarij eo ferme tēpore quo Adrianus huius tituli ſextus euectus eſt ad Põtificij Romani culmen proditi ſunt è Venerabili monaſterio, quod inter Vuormaciam Vangionū ciuitatem, & Speram Nemetarum vrbem ſitum, vulgò dicitur Frankental.

Virgo immaculata.

Eccleſia Romana.

B

C

ARNOBII IN
COMMENTARIOS SVOS SVPER PSALMOS PROLOGVS.

Quorum hortatu ſcripſerit commentarios.

CHariſſimis patribus Laurentio & Ruſtico Epiſcopis Arnobius. Silentiū bonum eſſe nemo eſt qui neſciat, ſed tunc taciturnitas probatur eſſe cõtraria, quando ad loquendū iubentis cõpellit autoritas. Si enim vobis iubere licet, nobis contēnere nõ licet. Non eſt præſumptionis, ſed obedientiæ hoc quod Pſalterij venas pulſare potius quā patefacere ſtudemus. Hoc cõſiderātes, quod nullus ſitiens præparantibus aquam iraſcitur. Alij parauerint viua fragrantia mella, alij nectareis plena liquoribus pocula, nos ex ſarculo oris noſtri, terrā hinc inde lacero verberantes impulſo, Dauidicū laticē, licet tenuiter ſitim patientibus aperimus, ſitiētes vt bibant. Hi autē qui cū Apoſtolis tertia diei hora ebrij ſunt in Spiritu S. lætētur & floreant, nulla tamen ſitientibus impedimenta patiantur inferri. Neq; enim qui vino exuberant, aquā volentes bibere prohibent. Habeant ergo nobiſcū pacē vniuerſi lectores, qui vos licet ruſticos catholicos cõprobent, & Pſalmū cuius explanationē legunt, prius examinent, vt dū eos legerint ſenſum, ad eū pertinere ſentiant, quē explanationis textus oſtendit. Ipſi quidē melius hoc potuiſtis facere qui iubetis. Non enim impoſſibilitatem veſtrā, ſed occupationem oſtenditis, dum quod nos iubetis facere, vos melius hoc potueritis implere.

D

E

Pſalmus Dauid I.

BEatus vir qui non abijt in conſilio impiorū, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ nõ ſedit. Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum quod plantatū eſt ſecus decurſus aquarū, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Et folium eius non defluet. Et omnia quæcunq; faciet proſperabuntur. Nõ ſic impij non ſic, ſed tanquam puluis quem proijcit ventus à facie terræ. Ideo nõ reſurgunt impij in iudicio, neq; peccatores in conſilio iuſtorum. Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit.

COMMENTARIVM.

PRimus Pſalmus vnde ſit beatitudinē periſſe, inde recuperat. In cõſilio impiorū abijt Adam, id eſt, in ſerpētis & mulieris. Et nunc Adam noſter, id eſt, conſenſus noſter beatus erit, ſi non abierit in cõſilio ſerpentis & mulieris, id eſt, in cõſilio carnis & diaboli. Aut ſi abierit, nõ ibi ſteriliſ ſteterit, nõ ſedeat, id eſt, nõ permaneat: ſed memor legis Dei, ibi ſuā occupet voluntatē. Et diurnā & nocturnam actionem ſuā in meditatione diuinæ Legis exerceat, vt hoc quod Adā perdidit contēnendo, iſte cuſtodiendo inueniat, permanens iuxta fluenta Legis, vt lignū vitæ immortalitatē capiens. Ita demum quæcunq; fecerit proſperabuntur. Illi autē, id eſt impij, cõtempſerunt, non ſic, ſed hoc eis eueniet in finem ſeculi, quod in fine Pſalmi ſermo propheticus comminatur, gloria æterna qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen. Geneſ. 3.

1. Cor. 7. Galat. 5. Rom. 13 d. Eccleſ. 18.

F

Pſalmus Dauid II.

QVare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt Reges terræ & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum. Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper montē Syon ſanctū eius, prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuā terminos terræ. Reges eos in virga ferrea & tanquam vas figuli cõfringes eos. Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terrā. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta. Cum exarſerit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.

G

COMMENTARIVM.

VSque hodie gentes fremunt aduerſus Chriſtū, qui idolis finē impoſuit. *Nam Domino intrante in Aegyptum, idola tēplorum corruerunt iuxta Prophetam Eſaiam decimo nono qui his vtitur verbis: Ecce Dominus aſcendet ſuper nubē leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulachra à facie eius. Chryſoſt. in 2. Matt. Auſ. Leuit. 11. & 19.* Populi, id eſt, Iudæi, meditantur inania, diſtinctiones ciborū & ſabbatorū terias attendentes: veterumq; vincula diſrumpenda quos habitator cœlorum Deus interim irridet, ſed in iudicio iram ſuam illis & furorem oſtēdet, quibus dicturus eſt. Me quē negaſtis filium Dei, vox de cœlo Paterna vos docuit cum in Iordane me poſito dixit, Filius meus es tu. Quod autem dixit, Ego hodie, Deus licet & ætas non habet, ſed ſemper hodie non habet. Tempora enim ſub ipſo agūtur, non ipſe à temporibus agitur. Nā Syon mons quod ſit Eccleſia docet Propheta qui dicit: *Ego Dominus excitabo Syon in gentibus, & dabo eam in feſtiuitatem æternam omni nationi.* In ipſa ego prædicat Filius præceptum Patris. In ipſa reget gentes quaſi virga ferrea. Non enim cedit fortibus mundi nec miſerorū deſpicit facies. Ipſa timorē Regibus imperat. Ipſa iram venturam cõtemptoribus pollicetur, per quam fictilibus vaſculis comminatur interitum. Ipſa beatitudinē confidentibus repromittit, & Chriſto offerente, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Matt. 15 12. Rom. 5. 7. Gal. 3. 4. Matt. 10. 25.

Matth. 3. Heb. 13.

Pſ. 32. 73.

H

Pſalmus Dauid, cum fugeret à facie Abſalon filij ſui. III.

DOmine quid multiplicati ſunt qui tribulant me? multi inſurgunt aduerſum me. Multi dicunt animæ meæ: non eſt ſalus ipſi in Deo eius. Tu autem Domine, ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum. Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit

me

Google

A me de monte ſancto ſuo. Ego dormiui & ſoporatus ſum & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me. Nõ timebo millia populi circumdantis me, exurge Domine, ſaluũ me fac Deus meus. Quoniã tu percuſſiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa, dentes peccatorum contriuiſti. Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua.

COMMENTARIVM.

2 Reg. 15. Matt. 26. Actor. 1. TItulũ pſalmi tertij hac vna ſententia explanamus, Perſecutus eſt Abſalon patrẽ, ſi onde à collo ligatur. Iudas tradidit dominum, & laqueo coartatur: ſicut hiſtoria

Matth 27 paſſionẽ Dauid præteritã iudicat, ita myſteriũ paſſionem domini futurã adnũciat, In qua oẽs eũ negauerunt: dicẽtes: Nõ eſt ſalus ei in deo eius, ſed ſi eſt ex deo liberet eũ: cum irridentes illũ, multis cõtumelijs conuinijſq; afficerẽt Athei & pertinaces Iudæi. Ieſus autẽ voce ſua ad deũ clamauit & exauditus eſt, ita vt mortẽ quaſi ſoporem acciperet. Ex qua exurgẽs vltra nõ timuit, te. I nũc induens corrup-

Rom. 6. 1 Cor. 15. tibile incorruptione, & immortalitate mortale, nõ timet millia millia populi circũdantis ſe. Hæc eſt enim ſalus Domini &

B ſuper nos qui ſumus populus eius. Hæc eſt benedictio eius qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem in carminibus, Pſalmus Dauid. IV.

CVm inuocarẽ exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ, in tribulatione dilataſti mihi. Miſerere mei, & exaudi orationẽ meam. Filij hominum vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatẽ, & quæritis mendacium? Et ſcitote quoniã mirificauit Dominus ſanctum ſuũ, & Dominus exaudiet me cum clamauero ad eum. Iraſcimini & nolite peccare quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris cõpungimini. Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ & ſperate in Domino, multi dicunt: quis oſtendit nobis bona? Signatũ eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, dediſti lætitiã in corde meo. A fructu frumenti, vini & olei ſui multiplicati ſunt. In pace in idipſum, dormiam & requieſcã. Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

COMMENTARIVM.

TItulus quarti in carminibus, id eſt, in myſterijs ponitur. In quib. Deus iuſtitiæ exaudiuit in cruce poſitu Filiũ ſuum, contra quẽ iraſcentes Iudæi peccant vſque hodie, qui nõ peccarẽt iraſcentes, ſi vere Dei nõ eſſet filius quẽ negarent. Quod eis ideo euenit, quia nõ ſacrificant

Gen. 4. ſacrificiũ iuſtitiæ ſicut Abel, ſed ſicut Cain liuoris atq; inuidiæ. Nos autẽ qui credimus, dicamus Domino, Signatũ

C eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. In quo lumine data eſt lætitia in corde noſtro, ab illo tẽpore quo acce-

Ioan. 6. Pſal. 22. Act 8. 19 pimus frumentũ in corpore, vinum in ſanguine, oleum in chriſmate. Offerentes autem in pacem iſta percepimus, quia hæc ſingulariter in ſpe à Domino conſtituta in Chriſto Ieſu, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem pro ea quæ hæreditatem conſequitur, Pſalmus Dauid. V.

VErba mea auribus percipe Domine, intellige clamorẽ meum. Intende voci orationis meæ, Rex meus & Deus meus. Quoniã ad te orabo Domine, mane exaudies vocẽ meã. Mane aſtabo & videbo, quoniã non Deus volens iniquitatẽ tu es. Neq; habitabit iuxta te malignus neq; permanebunt iniuſti ante oculos tuos. Odiſti oẽs qui operantur iniquitatẽ, perdes oẽs qui loquuntur mendaciũ. Virũ ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus, ego autẽ in multitudine miſericordiæ tuæ. Introibo in domũ tuã adorabo ad tẽplum ſanctũ tuum in timore tuo. Domine deduc me in iuſtitia tua propter inimicos meos, dirige in cõſpectu tuo viã meã. Quoniam non eſt in ore eorũ veritas, cor eorum vanum eſt. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant, iudica illos Deus. Decidant à cogitationibus ſuis ſecundum multitudinẽ impietatum eorum, expelle eos, quoniã irritauerunt te Domine. Et lætentur oẽs qui ſperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis. Et gloriabuntur in te oẽs qui diligunt nomen tuum, quoniã tu benedices iuſto. Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.

D

COMMENTARIVM.

QVinti pſalmi titulos oſtendit eam quã hæreditatem

Ioan. 14. conſequitur Chriſtus, & hãc hæreditatẽ, cũ tuſit ecclesiæ cũ diceret apoſtulis: Pacẽ meã do vobis, pacem meã relinquo vobis. Hanc ergo pacẽ, quam diximus in quarti pſalmi fine ſingulariter in ſpe à domino cõſtitutam, hanc in hæreditatẽ titulus datã eccleſiæ proteſtatur. Eſt. n. hæreditas ſucceſſio in vniuerſum ius quod defunctus habuit tẽpore mortis. l. hæreditas, ff. de ver. & verb. ſig. Vnde Paulus, Si ſimus Filij Dei, ergo hæredes. hæredes quidẽ Dei, cohæredes autẽ Chriſti Rõ. 8. Hæreditas de

E morte patẽtis naſcitur filiis. Niſi enim Chriſtus mortuus eſſet, hæc hæreditas nõ patebat. Ipſo ergo moriẽte data, ipſo reſurgẽte cõfirmata eſt, ipſo aſcendente in cœlis, permanet hæc hæreditas in æternũ. In titulo tria ſunt, moriẽs, hæreditas, & hæredes. Et in capite pſalmi tria ſunt ab hærede compoſita, verba, clamor, oratio. Ipſe. n. verba rogat auribus percipi, clamorẽ intelligi, orationẽ audiri. Ipſa dicit, orabo te Domine, mane ſcilicet, cũ abiecero opera tene-

Rom. 13. brarum & induero arma lucis. Tũc te orabo quaſi in matutino poſita, in quo deficiẽtib. tenebris lucis incrementa concreſcunt. Mane aſtabo tibi & videbo. quid videbis tamen prope & mane dic mihi? videbo mane Apoſtolos, fulgẽtes angelos, gaudẽtes Marias reſurrexiſſe Dominũ nunci-

Ioan. 20. antes. Diximus mane poſtea quã tenebræ peccatorũ tranſierunt orandũ dominũ, diximus in luce dominici diei reſurgentẽ videndũ. Quis autẽ ſit iſte Dominus diſtinctio eius voluntatis exprimit. Tu es inquit, Deus nõ volẽs ini-

F quitatẽ. Quis enim dixerat eũ velle iniquitatẽ? Iudæi ſine dubio, qui pro operib. miſericordiæ Dominũ increpantes dicebãt: Nõ eſt iſte homo à Deo qui ſabbatũ nõ cuſtodit. Iſte autẽ &

Ioan. 9. à Deo eſt, & ipſe eſt Deus qui nõ vult iniquitatẽ. Non habitabit iuxta eũ malignus, id eſt, populus incredulus, & non permanebunt ante oculos eius. Odio ei ſunt qui operantur iniquitatẽ, & pereũt qui loquuntur mendaciũ. Omnis enim qui negat Ieſum filiu Dei, hic mẽdax eſt. Qui autem 1. Ioan. 2.

cõfitetur, intrat in domũ Dei, & adorat ad tẽplum ſanctũ, Ioan. 4.

nõ in lapide, ſed in ſpiritu. Hũc deducet Dominus in ſua iuſtitia propter inimicos, vt dirigat in cõſpectu eius viam ſuam, quare propter inimicos? quia inimici alterã viam oſtendũt, quæ ducit ad mortem. Et propter ipſos hic dirigit viã, quæ ducit ad vitã. Ad quã dũ peruenerint credentes, in æter- Matt. 7.

nũ exultabunt, & inhabitabit in eis. Et gloriabuntur oẽs qui diligunt nomen eius. Ibi enim eſt qui benedicit iuſtũ, & ſcuto bonæ voluntatis coronauit eum. Vno eodemque officio, & ab inimicis defendetis dum credidetis, & à Domino coronaris, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem in carminibus pro octaua, Pſalm. Dauid VI.

DOmine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Miſerere mei Domine, quoniã infirmus ſum, ſana me Domine quoniã cõturbata ſunt oſſa mea. Et anima mea turbata eſt valdè, ſed tu Domine vſquequo. Cõuertere Domine & eripe animã meã, ſaluum me fac propter miſericordiã tuam. Quoniam nõ eſt in morte qui memor ſit tui, in inferno autẽ quis confitebitur tibi? Laboraui in

G gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratũ meũ rigabo. Turbatus eſt à furore oculus meus, inueteraui inter omnes inimicos meos. Diſcedite a me omnes qui operamini iniquitatem, quoniã exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam ſuſcepit. Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei, conuertantur & erubeſcant valde velociter.

COMMENTARIVM.

TItulus ſexti Pſalmi dominicã diẽ exprimit, ipſa eſt. n. & octaua dũ deſinit, & prima dũ incipit. In quinto enim mane ipſa incipit in reſurrectione, id eſt, in baptiſmatis noſtri cõlectatione, modo in pœnitentiæ recuperatione octaua eſt, ſeptiformis enim ſpiritus, cui ſatisfacit octa- Ioan. 9.

uus. Agit ergo pœnitẽs, vt nõ in ira arguatur, ſed miſericordiã hic in iſto corpore poſitus cõſequatur. In inferno autẽ cõfeſſio fructũ penitus nõ habet, idcirco hic qui vult ſaluus fieri, laborat in gemitu ſuo, lauat per ſingulas noctes lectũ. Lectũ inquã in noctib. lauat, quẽ in noctib. inquinauerat: & ne putares eũ aquã qualemcunq; haurire, vnde eũ abluat, Lachrymis, inquit, eũ rigabo. Quare? quia turbatus eſt præ ira oculus meus. Audiui igne æternum imminere, & iram iuſti vltoris incumbere: & idcirco turbatus

H ſũ, quia morã feci in peccatis meis, & inueteraui inter oẽs inimicos meos. Nunc moribus malis & ſpiritib. immundis renuncians dicã: Diſcite à me oẽs qui operamini iniquitatem, quia is qui dimiſit peccata, is inquam, qui exaudiuit voce fletus mei, & orationẽ meã ſuſcepit, dixit mihi, Ecce ſaluus factus es, iã amplius noli peccare. Recedãt à me vitia, quæ Ioan 5.

mentita ſunt hactenus. Auertãtur retrorſum & erubeſcãt valde velociter, per filium Dei, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

A In finem pſalmus Dauid, quem cantauit Domino pro verbis Chuſi filij Gemini. VII.

DOmine deus meus in te ſperaui ſaluũ me fac ex omnib. perſequentib. me & libera me. Nequãdo rapiat vt leo animã meã, dum nõ eſt qui redimat, neq; qui ſaluum faciat. Domine deus meus ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manib. meis. Si reddidi retribuẽtib. mihi mala, decidã merito ab inimicis meis inanis. Perſequatur inimicus animã meã & cõprehendat & conculcet in terra vitã meã, & gloriã meã in puluerẽ deducat. Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorũ meorum. Et exurge domine deus meus in præcepto, quod mandaſti, & ſynagoga populorũ circundabit te. Et propter hãc in altũ regredere, dominus iudicat populos. Iudica me domine ſecũdum iuſtitiam meã, & ſecundũ innocentiã meã ſuper me: Conſumetur nequitia peccatorũ & diriges iuſtũ, ſcrutãs corda & renes deus. Iuſtũ adiutorium meum à domino, qui ſaluos facit rectos corde. Deus iudex iuſtus, fortis, & patiens, nunquid iraſcetur per ſingulos dies? Niſi conuerſi fueritis, gladiũ ſuũ vibrauit arcũ ſuũ tetendit, & parauit illũ. Et in eo parauit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardẽtib. effecit. Ecce parturit iniuſtitiã, & cõcepit dolorẽ, & peperit iniquitatẽ. Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet. Confitebor domino ſecundum iuſtitiam eius, & pſallam nomini Domini altiſſimi.

B COMMENTARIVM.

CVm nunciaſſent pueri Dauid quod poſſent Abſolon
2.*Reg*.18. occidere, & diceret Dauid: parcite ei & fugeret ipſe
Dauid à facie eius, apparuit ſuper eum Semei, qui erat de
2.*Reg*.16. cognatione Saulis, & iactãs poſt eũ lapides clamabat eum
eſſe virũ ſanguinũ: quẽ cũ vellent interficere, dixit Dauid:
Nolite, ecce qui de ſubis meis egreſſus eſt pugnat contra
me. Et vos miramini quod filius Semei de tribu Saul, ſit
contra me. Parcẽs ergo & iſti Dauid ſicut & Sauli pepercerat:
parcẽs & tyranno filio orat, vt liberetur à perſequẽtibus,
cõmemorans nõ ſe feciſſe iſtud, quod ille clamabat
Nõ vtiq; reddidiſſe, retribuentib. ſibi mala. Aut ſi reddidi
inquit, mala pro malis: cõprehendat inimicus animã meã,
& gloriã meã vſq; in puluerẽ deducat. Hæc hiſtorico ſermone
in Regũ volumine vſq; ad finẽ leguntur. Hic autem
mysteria Chriſti canemus, cui pro bonis mala reddentes
Mat.26. *Mar*.14. acclamabãt quod *reus eſſet mortis*. Hinc ergo clamat eccleſia.
Exurge in ira tua, & videamus quid in ira facturus ſit:
Exaltare, inquit, in finib. inimicorum. At vbi ſenſerint ingrati
C Domini naſcentẽ, dant finẽ impietatib. ſuis, & finitis
Matt.29. inimicitiis, exaltatur Deus in finib. inimicorũ. Exurge in
Matth.28. præcepto quod mãdaſti. Dixiſti. n. *tertia die reſurgã & præcedam
vos in Galilaam, ibi me videbitis*. Et ideo, exurge, inquit, in
præcepto quod mãdaſti, & poſtea quã te oſtenderis Synagogæ,
ne iterũ excitare æſtimet bellũ, propter hanc iudica
populos. Cũ. n. dederis iudiciũ, finẽ accipiet malicia peccatorũ,
& iuſtus dirigetur. Nõ. n. ad alterius vel vituperationẽ
vel laudẽ dictas ſententiã, quia corda cõſpicis, & renũ
ſecreta contẽplaris, ſaluos facies oẽs qui recto ſunt corde.
His autẽ qui non ſunt recto corde Deus iudex futurus
experimitur, qui terrã ſuã nõ ſe cõuertentib. præparat. Nãm
iuſtitia Iudæorũ parturiit in dolore animi poſita, cũ videret
dominũ pro virtute ſignorũ à multitudine adorari. Cõ
Matth.26. cepit dolore & peperit iniquitatẽ, dicens: *Crucifige reũ mortis*.
Parauit ergo foueã Chriſto, ſed ipſa incidit in foueam
quam fecit. Et conuerſus eſt dolor eius in caput eius, & in
verticẽ eius iniquitas eius deſcendit. Chriſto autẽ reſurgente
à mortuis nos cõfitemur iuſtitiam Dei, & aſcendente
eo, pſallimus nomini eius altiſſimo, altitudinẽ penetrãti,
Phil.2. quæ eſt ſuper omnes cœlos, in quo facto *omne genu flectetur,
D & omnis lingua confitetur, quia dominus Ieſus in gloria eſt Dei
patris*. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem pro torcularibus, pſalmus Dauid. VIII.

DOmine dominus noſter, quàm admirabile eſt nomẽ tuũ in vniuerſa terra. Quoniã eleuata eſt magnificẽtia tua ſuper cœlos. Ex ore infantiũ & lactentiũ perfeciſti laudem, propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vltorẽ. Quoniã videbo cœlos tuos opera digitorũ tuorum, lunam & ſtellas quæ tu fundaſti. Quid eſt homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniã viſitas eum? Minuiſti eum paulominus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuũ tuarũ. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi. Volucres cœli E *& piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Domine dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra.*

COMMENTARIVM.

NOn pro torculari, ſed pro multis torcularib. in octa- *Ioan*.15.
uo pſalm. fixus eſt titulus, quæ torcularia voces ſunt
omniũ prophetarũ, quæ tũc impleta ſunt, quãdo vitis vera
clauorũ ferramentis plantata eſt, & in ligno crucis poſita
lancea percuſſo eius latere, tantã vim in his torcularib.
fudit, vt nõ in Iudæa tantũ, ſed in vniuerſa terra nomẽ domini
mirabile clamarent. Quod factũ tũc conſummatũ eſt,
cũ eleuaretur magnificentia eius ſuper cœlos, vt nõ tantũ
ætates legitimæ, ſed etiã infantes & lactentes ad laudẽ eius
inrũperent, vt deſtrueretur ille populus, qui per defenſionẽ
Dei contra Deũ ageret. Ipſe eſt. n. populus, & defenſor
Dei, & inimicus Dei, defenſor in patre, inimicus in filio:
ſed *omnis qui negat filiũ, nec patrẽ habet*, qui autẽ vtrunque *1. Ioan*.2.
cõfitetur, hic videt cœlos quod opera digitorũ eius ſunt,
& quod lunã & ſtellas ipſe fundauerit. Quid. n. eſſet homo
niſi ipſe memor fuiſſet, & veniens tantam perfectionẽ docuiſſet,
vt modicum minus quàm ſunt in cœlo angeli hic
homines in carne poſitos faceret, dans eis poteſtatẽ virtutũ,
vt etiam mortuos ſuſcitandi traderet poteſtatẽ, & o- F
mnia ſubiiceret homini credenti, ita vt diceret: *Dedi vobis* *Luc*.10.
poteſtatẽ calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones. Nam quod dicit *Quos habet ſubiectos Eccleſia*.
oues, ſimplices nominat: boues, qui laborant ſub iugo domini:
pecora campi, plebs laicorũ: volucres cœli, alta cogitantes:
piſces maris, profunda rimantes. Hos oẽs ſubiectos
habens per paſſionem Chriſti eccleſia, confitetur admirabile
nomen eius in vniuerſa terra. Ipſi gloria in ſecula
ſeculorum, Amen.

In finem pro occultis filij, pſalmus Dauid. IX.

COnfitebor tibi domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Lætabor & exultabo in te, pſallã nomini tuo altiſſime. In cõuertendo inimicũ meũ retrorſum, infirmabuntur & peribunt à facie tua. Quoniã feciſti iudiciũ meũ & cauſam meam, ſediſti ſuper thronum qui iudicas iuſtitiam. Increpaſti gentes & perijt impius, nomen eorum deleſti in æternum, & in ſeculum ſeculi. Inimici defecerunt frameæ in finem, & ciuitates deſtruxiſti. Perijt memoria eorum cum ſonitu, & dominus in æternum permanet. Parauit in iudicio thronũ ſuũ & ipſe iudicabit orbẽ terræ in æquitate, iudicabit populos in iuſtitia. Et factus eſt dominus refugiũ pauperi, adiutor in opportunitatib. in tribulatione. Et ſperẽt in te qui nouerunt nomẽ tuũ, quoniã nõ dereliquiſti quærentes te domine. Pſallite domino, qui habitat in Syon, annunciate inter gentes ſtudia eius. Quoniã requirẽs ſanguinẽ eorũ recordatus eſt, nõ eſt oblitus clamorẽ pauperũ. Miſerere mei domine, vide humilitatẽ meã de inimicis meis. Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciẽ oẽs laudationes tuas in portis filiæ Syõ. Exultabo in ſalutari tuo, infixæ ſunt gentes in interitu quẽ fecerũt. In laqueo iſto quẽ abſconderũt, cõprehenſus eſt pes eorũ. Cognoſcetur dominus iudicia faciens, in operib. manuum ſuarum cõprehenſus eſt peccator. Cõuertantur peccatores in infernum, oẽs gentes quæ obliuiſcuntur Deum. Quoniã nõ in finẽ obliuio erit pauperis, patentia pauperũ nõ peribit in finẽ. Exurge domine nõ cõfortetur homo, iudicẽtur gẽtes in cõſpectu tuo. Conſtitue domine legiſlatorem ſuper eos vt ſciãt gentes quoniã homines ſunt. Vt quid domine receſſiſti longe, deſpicis in opportunitatib. in tribulatione. Cum ſuperbit impius, incenditur pauper, cõprehenduntur in conſilijs quib. cogitãt. Quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ & iniquus benedicitur. Exacerbauit dominum peccator ſecundum multitudinẽ iræ ſuæ nõ quæret. Nõ eſt deus in cõſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tẽpore. Auferuntur iudicia tua à facie eius, omnium inimicorum ſuorum dominabitur. Dixit enim in corde ſuo, nõ mouebor à generatione in generationẽ ſine malo. Cuius maledictione os plenum eſt & amaritudine & dolo, ſub lingua eius labor & dolor. Sedet in inſidijs cum diuitib. in occultis, vt interficiat innocentẽ. Oculi eius in pauperẽ reſpiciunt. Inſidiatur in abſcõdito quaſi leo in ſpelunca ſua. Inſidiatur vt rapiat pauperẽ, rapere pauperẽ dum attrahit eum. In laqueo ſuo humiliabit eum, inclinabit ſe & cadet cum dominatus fuerit pauperum. Dixit enim in corde ſuo, oblitus eſt deus, auertit faciẽ ſuã ne videat in finẽ. Exurge domine Deus, & exaltetur manus tua, ne obliuiſcaris pauperũ. Propter quid irritauit impius Deum, dixit enim in corde ſuo, nõ requiret. Vides quoniã tu laborem & dolorem cõſideras, vt tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor. Cõtere brachium peccatoris & maligni, quæretur peccatum illius & nõ inuenietur. Dominus regnabit in æternum & in ſeculum ſeculi, peri- G H

bitis

A

bitis gẽtes de terra illius. Deſiderium pauperum exaudiuit dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Iudicare pupillo & humili, vt non apponat vltra magnificare ſe homo ſuper terram.

COMMENTARIVM.

NOnus pſalmus docet occulta filij in ſancti ſymboli ſacramento, qui.n. ſuſcepit fidẽ in myſterio abſcõditã, primo cõfitetur non ſummis labiis, ſed in toto corde ſuo, & narrat omnia mirabilia eius. Iã nõ lætatur in rebus labentib. & caducis, ſed dicit domino: Lætabor & exultabo in te, & pſallã nomini tuo Altiſſime, quia feciſti iudiciũ meũ, id eſt, pro me iudicaſti, & cauſam meã obtinui: ſediſti enim ſuper thronũ vt iudicares ſententiã. Increpaſti quod gentes eſſemus & periit impius diabolus, quẽ in idolis colebamus. Nomẽ autẽ idolorũ deleſti in æternũ & in ſeculũ ſeculi. Ibi defecerũt gladio verbi tui in finẽ & ciuitates deſtruxiſti, tẽpla eorũ in toto orbe dũ deſtruuntur, omnis penè ciuitas in tẽplis deſtructa eſt: ſicut.n. eccleſiæ in toto mũdo poſitæ ciuitates ſanctorũ ſunt, ſic tẽpla in toto mũdo poſita ciuitates dæmonũ eſſe noſcuntur.

B

Periit autem memoria eorũ cũ ſonitu, dominus autẽ in æternũ manens parauit in iudicio ſedẽ ſuã, vt iudicet orbẽ terræ in ęquitate. Nõ accipiens aliter diuitẽ, aliter ſeruũ, ſed cõtemnẽs perſonas diuitũ factus eſt magis refugiũ pauperũ, eorũ ſanè qui nouerunt nomẽ tuũ. Nõ enim oẽs pauperes nõ dereliques, ſed nõ dereliques quærentes te domine. Pſallamus ergo domino qui habitat in Syon, id eſt, in eccleſia catholicis definitionib. ſublimata, ibi adnũciemus mirabilia eius. In qua requirẽs ſanguinẽ martyrũ ſuorũ quotidie dominus memorator eſt, nec obliuiſcitur orationẽ pauperis, dicẽtis ſibi, vide humilitatem meã de inimicis dæmonũ natã, exalta me de portis mortis, tollens cor meũ à cõcupiſcentiis carnis, vt adnũciẽ oẽs laudes tuas in portis filiæ Syõ, vt exultẽ in ſalute tua. Nã infixæ ſunt gẽtes in interitu quẽ fecerunt, opus manuũ ſuarũ adorantes, hi cõuertentur in infernũ, quia obliuiſcũtur dominũ, qui nõ in finẽ obliuiſcitur pauperẽ, cuius patiẽtia nõ periet vſq; in finem. Nunc rogat ſpiritus prophetiæ, vt exurgat domin' cõtra fortitudinem hominis, vt iudicet gentes in cõſpectu ſuo. Tollat eas ab idolis, & ſtatuat eas in eccleſia. Cõſtituat legiſlatorẽ ſuper eas, & ſciãt gentes quia dij nõ ſunt quos colũt, ſed ſciant quia homines ſunt, quid, inquit, domine receſſiſti lõge, ita vt deſpicias opportunitates in tribulatione. In quo dũ ſuperbit impius, incenditur pauper. In quocunq;.n. iudicio pauper & diues audiũtur, diuite ſuperbiẽte, pauper incẽditur. Oẽs enim ipſũ arguunt, illũ autẽ laudant etiã peccatorẽ in deſideriis animæ ſuæ, etiã iniqua agentẽ benedicunt. Hic eſt peccator irritans dominũ.

C

Cũ enim nõ ſolũ non arguitur iniqua agẽs, ſed etiã benedicitur, ſi qd autẽ interrogatus fuerit ſecundũ multitudinẽ iræ ſuæ inquirit. Nõ eſt Deus ante oculos eius, polluunt viæ eius in omni tẽpore: iudicia tua à facie eius abſcedũt, & inimicis omnib. inimicis ſuis dominatur, vt dicat in corde ſuo, nõ mouebor in generatione ſine malo: huius os maledictionib. plenũ, nihilq; blandũ habens, cõtra pauperem in lingua eius labor eſt, ſedet in inſidijs cũ diuitib. aliud ad nihil aliud niſi vt interficiat innocẽtẽ: hoc ſanè qui diuites in ſuo cõſilio faciũt, vt in laqueo ſuo capiãt innocẽtes, & ideo iugiter clamãdũ eſt, exurge domine & exaltetur manus tua, ne obliuiſcaris pauperũ in finẽ, vt qd irritabit impius dominũ, dixit.n. in corde ſuo nõ requiret Deus. Ille autẽ requirit, & cõſiderat omnia, ſed patienter agẽs expectat, vt tradat eos in manus ſuas, & tollat eos de manib. dæmonũ. Ipſi.n. derelictus eſt pauper, quẽ enim oẽs deſpiciũt, Deo eũ ſine dubio derelinquũt, & orphano patrẽ nõ habẽti, ipſe extitit adiutor: Cõ terẽs brachiũ diaboli qui per phariſæos quærebant peccatũ aliquod, vnde arguerẽt dominũ, & non inuenerunt.

D

Domin' autẽ regnat in ſecula ſeculorum, & peribũt gentes de terra eius. Deſideriũ.n. pauperũ exaudiuit dominus, & deſideria cordis eorũ exaudiuit auris eius, vt iudicetur in eccleſia eius pupillo & humili, & vt non apponat homo vltra magnificare ſe ſuper terram, per ipſum dominum Ieſum Chriſtum, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Rom. 2. Eph. 6. 1. Pet. 1.

Iacob. 1.

Sap. 2. Iacob 34.

Ioan 10. Matth 22.

In finem pſalmus Dauid. X.

E

IN domino cõfido, quomodo dicitis animæ meæ transmigra in mõtẽ ſicut paſſer. Quoniã ecce peccatores intenderũt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. Quoniã quæ perfeciſti deſtruxerunt: iuſtus autem quid fecit? Dominus in tẽplo ſancto ſuo, dominus in cœlo ſedes eius. Oculi eius in pauperem reſpiciunt, palpebræ eius interrogant filios hominum. Dominus interrogat iuſtum & impium, qui autẽ diligit iniquitatẽ odit animã ſuã. Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum. Quoniam iuſtus dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.

COMMENTARIVM.

POrtuit dici ad Dauid, vt in modũ paſſeris montis inacceſſibilis latebrã quæreret tẽpore quo peccatores cõtra eũ tendebant arcus, ſiue Saul ſiue Abſalon ſiue innumerabiles inimici. Sed hæc & ad noſtram ædificationẽ trahentes, audiamus cõſilia ſanctorum, & aſcenſus in corde noſtro ponentes migremus in montẽ à cõualle fletus, ne nos in campeſtri loco apertos inueniant, qui parauerunt ſagittas ſuas in pharetra vt ſagittẽt in obſcuro rectos corde. Obſcurũ hic pro occulto poſuit. Hi autẽ qui deſtruũt quæ perfecit dominus, hi ſunt qui ſagittare ſtudent rectos corde, & nos pro peccatis illa patiamur, qui iuſtus eſt quare affligitur, qui iuſtus eſt, quare fatigatur, quare percutitur? Quid enim mali fecit agnus immaculatus dominus eſt, quẽ vos putantes qualecunq; hominẽ hominis arbitrio tradidiſtis. Ipſe autẽ in tẽplo ſancto ſuo, id eſt, *Deus eſt in Chriſto mundum cõciliãs ſibi.* In ipſo tẽplo ſancto eſt quod de immaculata virgine ſuſcipiẽs ſedet in cœlis ad dexterã patris, & eſt in cœlo ſedes eius. Oculi eius in pauperẽ reſpiciũt, vt interroget iuſtũ & impiũ, & quis in iſto ſeculo gloriãtibi vindicent peccatores, dũ cœperit iudicium agitari, habebunt talem pluuiã ſuper ſe, qualem pſalmographus memorat, ignis & ſulphuris & ſpiritus tempeſtatis. Iuſtus erit enim dominus tũc qui nunc pius eſt, & æquitatem videbit, qui nunc iniquitatem attendit. Poſt iudicium enim eius non erit peccatum nec poſſibilitas, nec volũtas gloria æterna, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

F

1. Reg. 19. 21. 24. 2 Reg 15.

1. Pet. 1. Matt. 26. 2 Cor 5. Col. 3. Heb. 5.

Rom 2.

In finem Pſalmus Dauid pro octaua. XI.

G

SAluum me fac domine quoniam defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filijs hominum. Vana locuti ſunt vnuſquiſq; ad proximum ſuum, labia doloſa in corde & corde locuti ſunt. Diſperdat dominus vniuerſa labia doloſa & linguam magniloquã. Qui dixerunt linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter dominus eſt? Propter miſeriã inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit dominus. Ponam in ſalutari fiducialiter agam in eo. Eloquia domini eloquia caſta argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum. Tu domine ſeruabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum. In circuitu impij ambulant, ſecundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.

COMMENTARIVM.

ITem vndecimus pſalmus pro octaua, id eſt, pro dominica die ponitur. Saluũ me fac domine, id eſt, exurgẽ a mortuis quoniã defecit ſanctus, defecit credẽs in te, & diminutæ ſunt veritates à filiis hominũ. Ecce etiam cuſtodib. corporis tui pecunias offerunt dicẽtes: *Dicite eum furatũ à diſcipulis*, ſed hæc dicentes, Diſperdit dominus labia doloſa & lingua maliloquam. Qui dicunt, linguam noſtrã magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt. Id eſt nos ſuademus cum furatũ, nos inter nos iſta componimus, tamenim dixerant de eo cum vidiſſent ſcriptũ *rex Iudæorum*. Illi dixerant, quis noſter dominus eſt? *Nos dominum Cæſarem habemus*. Sed propter miſeriã inopũ pro quib. paſſus ſum, nũc exurgã dicit dominus. Et ponã in ſalutare meum ac fiducialiter agã in eo. Fiducialiter, id eſt, paſſibilitate carẽs, nulli timori ſuccumbens. Ad hæc credens eccleſia in Apoſtolis cantat eloquia domini. Ita ſunt vera & caſta vt argentũ igne purgatũ pro ſeptuplo. Tu ergo domine quia mihi dixerunt, Nõ eſt noſter dominus. Tu domine ſeruabis nos & cuſtodies nos à generatione hac & in æternũ. Nã ſicut quãdo te humiliaſti diminutæ ſunt veritates à filiis hominum, ita quando aſcendiſti in cœlos: ſecundũ altitudinẽ tuam multiplicaſti filios hominũ, vt qui diminuti fuerãt in deſcendente, multiplicati fierent in aſcendente, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

Matth 28

Ioan 19.

In finem pſalmus Dauid. XII.

H

VSq; quo domine obliuiſceris me in finem, vſq; quo auertis faciẽ tuã à me? Quamdiu ponam conſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? Vſq; quo exaltabitur inimicus meus ſuper me? Reſpice & exaudi me Domine Deus meus. Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus præualui aduerſus eum. Qui tribulant me exultabunt ſi motus fuero, ego autem in miſericordia tua ſperaui. Exultabit cor meum in ſalutari tuo, cantabo domino qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini domini altiſsimi.

COMMENTARIVM.

EX quo inimicus generis humani per præuaricationem hominis primi ſuper humanum genus ᵱ dominationem ob-

A Gen. 3. obtinuit, obliuionē diuinā incurrit, quæ obliuio non per paſſionē, ſed per auerſionē facta ſuper humanū genus vt dixi, exaltationē inimico relinquere videbatur. Verū quia aduētus filij dei iſta aduerſa promittebatur excludere: in totius generis humani perſona propheticū carmē exorat, vt reſpiciat, vt exaudiat, vt illuminet oculos qui obdormierāt in morte, vt nō dicat diabol⁹, præualui, obtinui, & ero dominus in æternū, qui tribulāt me exultabūt ſi motus fuero, hoc eſt, ſi deſperauero. Exultauit cor meū in ſalutari tuo, id eſt, in domino noſtro Ieſu Chriſto filio tuo & ipſi cantabo qui bona tribuet mihi, & laudabo pſallamq; nomini eius altiſſimo, quē regnat in ſecula ſeculorū, Amē.

In finem pſalmus Dauid. XIII.

Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt deus. Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis, nō eſt qui faciat bonū, non eſt vſq; ad vnū. Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominū, vt videat ſi eſt intelligēs aut requirēs Deū. Oēs declinauerūt, ſimul inutiles facti ſunt, nō eſt qui faciat bonū, non eſt vſq; ad vnū. Sepulchrum patens eſt guttur eorū, linguis ſuis doloſe agebant, venenū aſpidum ſub labijs eorum. B *Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum ad effundēdum ſanguinē. Cōtritio & infelicitas in vijs eorum, & viā pacis nō cognouerunt, nō eſt timor Dei ante oculos eorum. Nōne cognoſcēt oēs qui operantur iniquitatē, qui deuorant plebē meā ſicut eſcā panis? Dominum nō inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Quoniā dominus in generatione iuſta eſt, cōſilium inopis cōfudiſtis, quoniā Dominus ſpes eius eſt. Quis dabit ex Syon ſalutare Iſrael? cum auerterit dominus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob, & lætabitur Iſrael.*

COMMENTARIVM.

Matt. 3. Phil. 2. Rogatus aduentus domini in duodecimo pſalmo, in tertiodecimo præſentatur, ſed hūc videns humilē in habitu incedentē⁹ populus, dicit in corde ſuo: nō eſt Deus. In quo populo oēs declinauerunt, ſimul inutiles facti deuorabant plebē Dei velut eſcā panis. Atq; perſequentes ipſum dominū & eius Apoſtolos, Ioan. 19. 20 Act. 7. 8. 9. Matth. 15. Matt. 3. illic trepidabāt timore, vbi nō erat timor. Obſeruātes ſabbata & baptiſmata calicū & vrceorū, Dei vero filiū & eius diſcipulos, vt diximus, perſequentes, cōfitentes ſe patrē habere Abrahā, de genere nō de iuſticia præſumebāt. Dominus autē in generatione C iuſta eſt, illi autē conſiliū inopis confundentes, nō cōſiderauerūt quoniā dominus ſpes eius eſt. Et licet propter Phil. 2. nos pauper factus ſit, tamē ipſe eſt qui dedit ex Syō ſalutare Iſrael. Non.n. ex ſynagoga Sathanę ſalus nata eſt, ſed ex Syon, quæ eſt Eccleſia Domini, per quam conuertit dominus captiuitatem populi ſui, ita vt lætetur Iacob in cōuerſione ſua & exultet Iſrael in Chriſto Ieſu, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

In finem Pſalmus Dauid XIV.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſticiā. Qui loquitur veritatē in corde ſuo, qui nō egit dolum in lingua ſua. Nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium nō accepit aduerſus proximos ſuos. Ad nihilum deductus eſt in cōſpectu eius malignus, timentes autē dominum glorificat. Qui iurat proximo ſuo & non decipit, qui pecuniā ſuā non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem nō accepit. Qui facit hæc, non cōmouebitur in æternum.

COMMENTARIVM.

Omnis maculatus ingreditur tabernaculū domini, & Heb. 5. D ibi immaculatus efficitur. Ieſus autē immaculatus ſolus virgineā aulā ingreſſus, ipſum tabernaculū à maculis carnalibus liberauit, & dedit ſanctificationē potius quàm accepit, quoniā lex tota in decalogi ſumma concluditur decēplices eius in iſto pſalmo formas expreſſit, quibus ea docuiſſe quę feceſſe probatur. Nā ingreſſu ſuo tabernaculū à maculis ementiū & vendentiū liberauit, & operatus Ioan. 2. Matt. 12. Marc. 2. Luc. 6 eſt iuſticiā, ſalutē hominis ſabbato ferijs præponēdo. Loquebatur autē veritatē in corde ſuo, nihil cogitās, niſi voluntatē patris. Non egit dolū in lingua ſua, ſiquidē ex lin- Matt. 11. gua eius ſermo egreſſus, cæcis lumē, ſalutē ægrotantibus, Matt. 26. & vitā mortuis cōferebar. Opprobriū nō accepit aduerſus proximū ſuū. Siquidem etiā Iudā oſculo ſuſcepit. Ad nihilū deductus eſt in cōſpectu eius malignus, prohibēs vtiq; bonū fieri. Timentes autē dominū ita magnificauit, vt *da-* Ioan. 1. *ret eis poteſtate filios Dei fieri.* Iurauit & proximo ſuo & nō decepit. Quid iurauit? Illud ſine dubio quod promiſit, dicēs: E Ioan. 15. *Amen dico vobis, quia ſi māſeritis in ſermonib. meis, iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos,* & omnia quæ promiſit credentem in ſe proximū nō decepit. Pecuniā vero ſuā nō dedit ad vſurā. Pecuniæ eius virtutes ſanitatū erāt, quæ nō ſolū ipſe ab vllo nihil accipiens exercuit, ſed & ipſos diſcipulos ſuos taliter informauit, dū daret eis poteſtatem infirmos curādi Luc. 9. Matt. 10. ac mortuos ſuſcitādi, diceretque: *Gratis accepiſtis gratis date.* Munera ſuper innocētes nō ſolū nō accepit, ſed etiā ipſe *ſe-* 1. Tim. 2. *ipſum dedit redemptionē pro omnib.* Cōpletis ergo his decē virtutū iudiciis, in hoc de cœlo & perfectionē impletā oſtendit & adiecit dicens, qui facit hæc, id eſt, qui hūc imitatus fuerit non commouebitur in æternum. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Tituli inſcriptio ipſi Dauid. XV.

Conſerua me domine quoniam ſperaui in te, dixi domino: deus meus es tu, quoniā bonorum meorum non eges. Sanctis qui ſunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerūt. Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus, nec memor ero nominum eorum F *per labia mea. Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meā mihi. Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. Benedicā dominum qui tribuit mihi intellectum, inſuper & vſq; ad noctem increpuerunt me renes mei. Prouidebā dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. Propter hoc lætatum eſt cor meum & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Notas feciſti mihi vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vſq; in finem.*

COMMENTARIVM.

A Quinquageſimo quinto pſalmo vſq; ad quinquageſimū nonum omnes habent tituli inſcriptiones, ſed nō puras. Iſte autem pſalmus ſola tituli inſcriptione prænotatur, qua oſtenditur plus ad myſticā intelligentiā quā ad hiſtoricā decātatus, in quo aduertimus hominem perfectum Ieſum Nazaræum ad paſſionem euntem, huius pſalmi orationem effūdere. Quamuis.n. *deus eſſet in Chriſto,* 2. Cor. 5. *mundum reconcilians ſibi,* tamen paſſibilitatib. ſubiacebat, & 2. Cor. 13. timore.n. & mœſtitia agebatur. Et ideo alloquens diuinitatem adorat, dicens: Cōſerua me domine, quoniā ſperaui in te, nō ad arrogantiā ductus pro immaculata cōſcientia ſuperbe ſapui, ſed dixi domino, deus meus es tu, & quā- G uis omnia opera mea, & omnia verba mea, & omnia cogitata mea bona ſint, tamen tu qui me aſſumpſiſti bonorum meorū nō eges. Nō.n. pro dei neceſſitate aſſūptus eſt homo, ſed pro hominis neceſſitate ſuſcept⁹ eſt deus. Hic autem homo qui aſſumptus à deo inter oēs ſanctos mirificauit volūtates ſuas, ita vt omniū merita in inæſtimabili virtute tranſcēderet, & nullū ſibi penitus ſimilem inueniret, & licet multiplicatæ ſunt infirmitates eorū, tamen exemplo domini accelerauerūt tendentes ad palmā, quos à ſocietate malorū ſegregans dominus dicit: Non cōgregabo cōuenticula eorū de ſanguinib. id eſt, credentes in me, ſegregabo ab eis qui in effuſione ſanguinis delectantur: nec memor ero, nominū eorū per labia mea, negans eos corā patre & angelis. Dominus.n. pars mea & paſſionis meæ, id eſt, calicis mei. In quo funes ceciderunt, id eſt, fortes ceciderunt. Mihi in præclaris, in Apoſtolis ſine du- Matth 10. 25. bio. Etenim hæreditas mea tam præclara eſt, vt ipſi ſint Matt. 5. vſque hodie lux huius mundi, in quibus benedicitur H Deus, qui ad hæc tribuit intellectum, nec ſolum ea quæ lucida sūt, ſed & illa quæ occulta ſunt, nō à corde, ſed ab ipſis renibus erudiebar, vt prouiderē dominum in cōſpectu meo ſemper. Ipſe eſt enim à dextris meis ne commouear, vt hoc quod *peccatum non feci, nec dolus inuentus* 1. Pet. 2. *eſt in ore meo,* non humanitati, ſed diuinitati adſcribā. Propter hoc delectatū eſt cor meū, & exultauit lingua mea, & ipſa caro mea requieſcit in ſpe, quoniā à dextris meis dominus, vt nō cōmouear. Et ideo nō derelinques in inferno animā meam, nec dabis ſanctū tuū videre corruptionē, quia notas mihi feciſti vias qua itur ad æternitatē, in quib. poſt triſtitiā paſſionis adimplebis me lætitia cū vultu tuo, & aſcendens in cœlos dabis delectationes in dextera tua vſq; in finē. Ipſi gloria in ſecula ſeculorū, Amen.

A

Oratio Dauid. XVI.

Exaudi domine iuſtitiam meam, intende deprecationem meam. Auribus percipe orationē meam, nō in labiis doloſis. De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem. Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas. Vt non loquatur os meum opera hominum, propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea. Ego clamaui quoniam exaudiſti me deus, inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea. Mirifica miſericordias tuas, qui ſaluos facis ſperantes in te. A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me, vt pupillam oculi. Sub vmbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum, qui me afflixerunt. Inimici mei animam meam circumdederunt, adipē ſuum concluſerunt, os eorum locutum eſt ſuperbiam. Proiicientes me nunc circumdederunt me, oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam, & ſicut catulus leonis habitans in abditis. Exurge domine præueni eum & ſupplanta eum, eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ. Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum, & de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum. Saturati ſunt filiis & dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis. Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo, ſatiabor cum apparuerit gloria tua.

B

COMMENTARIVM.

Titulus orationē inſinuat: In qua de iuſtitia & de iudicio à deo regulā ſumit, vt cū iudicat hominē homo, memor ſit cū ad imaginē dei factū, & non in labiis doloſis de vultu dei iudiciū ſuū proferat, ſed oculi eius videant æquitatē, nō dicat, hic diues & hic pauper, ſed dicat, hic nocens, & hic innocēs, etiāſi patiatur aduerſa, quia iuſt⁹ iudex poterit factionib. fatigari, nō iuſtitia. Hic tamē etiā ignibus examinatus eſt, & non eſt inuenta in eo iniquitas. Quare? propter verba, inquit, labiorū tuorū, quia ipſe dixiſti: *Non accipies perſonam potentis in iudicio.* Ergo propter hęc quæ iuſſiſti, etiā vias duras cuſtodiendas credidi, nō timendo minas carnificū, nō timendo iactorā omniū rerum. Verum

Matt. 10. 24. quia qui permanēs erit, hic ſaluus erit, Deprecor, vt perficias greſſus meos in ſemitis tuis, vt nō moueantur veſtigia mea. Nō timeā homines iniuſtos, & ſalua me à reſiſtentibus dexteræ tuæ. Cuſtodi me vt pupillā oculi, id eſt, in omni hora, in omni puncto, & ſub vmbra alarū tuarū protege me. Vmbra alarū pro affectu domus diuinæ ponitur. A facie impiorū qui me afflixerunt, Impiorū Phariſæorū intellige. Qui adipē ſuū concluſerunt, id eſt, pingues facti. Os eorū loquutū eſt ſuperbiā. Proiicientes me, nunc de ſy-

Matth. 26. 27. nagoga. Circundederūt me, nunc vt crucifigant. Oculus

C enim ſuos ſtatuerūt declinare in terrā, & nō cōſiderantes cœlorū iudicē, ſic ſuſceperūt me: ſicut leo paratus ad prædā, & ſicut catulus leonis. Leonē populū ſacerdotum, catulum leonis populū ſubditum ſacerdotibus poſuit. Illis frementibus ſuper captū, illi ſeditioſa rabie deuorabant. Exurge Domine præueni eos, ſuſcitans Chriſtū tuū, quo reſurgēte ſubuertes eus. Habet enim ruinā hanc inuidia, vt euerſum dicat ſuſceptō ſuū, ſi hunc quē decipi ſtuduit, videat triumphantē. Eripe, inquit, animā meā ab impio, id eſt, à mortis iugo, & gladiū inimicorū de manu tua euelle. frameā humanæ literæ, ſpecialiter dicūt lanceā regis, nos autē frameam generaliter gladiū in ſcripturis ſanctis accipimus. Quod autē à paucis rogat vt ſeparētur hi qui eum

Ioan 18. affligunt, hæc ratio eſt, quod dū teneretur ait: *Ego ſum quem*

Matt 20. *quæritis: hos dimittite*, de quibus ipſe dixerat: *Multi quidem vocati, pauci vero electi.* A paucis ergo hos perſecutores meos

Gen. 27. diuide, & ſubplanta eos in vita ipſorū. Subplantatur qui

Gen. 25. priuilegiū amittit, ſicut à Iacob Eſau ſubplantatus eſt, nō per malitiā Iacob, ſed per contēptum Eſau, qui tā pro nihilo habuit primatus, vt vnius cibi viliſſimi etiam pretio cōputaret. Ita ergo & hi de abſcōditis dei quaſi de porcina ſaciati ſunt, nolētes dare reuerētiam myſteriis eius. Si

D enim ſcrutari cū reuerētia voluiſſent voces propheticas, agnū accepiſſēt Chriſtū, ſalutē ſuam in eius ſanguine collocantes. Nunc autē quaſi porcinā execrabilē comedētes Iudæi, ita eo abuſi ſunt, in quo ſaciati ipſi ſanguine eius, etiam ad paruulos ſuos reliquias criminis tranſtulerunt di-

Mat. 27. cētes: *Sanguis huius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Eccleſia autē execrans eos dicit, quod ſit cū iuſtitia in cōſpectu Dei, & ſaciertur dum apparuerit dextera eius in Chriſto Ieſu, qui regnat in ſecula ſeculorum Amen.

E

In finē puero domini Dauid, qui locutus eſt domino verba cantici huius, in die qua eripuit eum dominus de manu inimicorum eius, & de manu Saul, & dixit. XVII.

Diligā te domine fortitudo mea, dominus firmamētū meū & refugium meum, & liberator meus. Deus meus, adiutor meus & ſperabo in eū. Protector meus & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus. Laudās inuocabo dominū & ab inimicis meis ſaluus ero. Circundederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerūt me laquei mortis. In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad deum meum clamaui. Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam, & clamor meus in cōſpectu eius introiuit in aures eius. Cōmota eſt & contremuit terra, fundamenta montiū conturbata ſunt & cōmota ſunt, quoniā iratus eſt eis. Aſcendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo. Inclinauit cœlos, & deſcēdit, & caligo ſub pedibus eius. Et aſcendit ſuper Cherubin & volauit: volauit ſuper pēnas ventorū. Et poſuit tenebras latibulū ſuū in circuitu eius tabernaculū eius, tenebroſa aqua in nubibus aeris. Præ fulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt, grādo, & carbones ignis. Et intonuit de

F *cœlo dominus & altiſſimus dedit vocē ſuā, grando & carbones ignis. Et miſit ſagittas ſuas & diſſipauit eos, fulgura multiplicauit & conturbauit eos. Et apparuerunt fontes aquarū, & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum. Ab increpatione tua domine, ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ. Miſit de ſummo & accepit me, & aſſumpſit me de aquis multis. Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis, & ab his qui oderunt me, quoniā cōfortati ſunt ſuper me. Præuenerūt me in die afflictionis meæ, & factus eſt dominus protector meus. Et eduxit me in latitudinē, ſaluū me fecit, quoniā voluit me. Et retribuet mihi dominus ſecundū iuſtitiā meā, & ſecundum puritatē manuū mearum retribuet mihi. Quia cuſtodiui vias domini, nec impie geſſi a deo meo. Quoniā omnia iudicia eius in cōſpectu meo, & iuſtitias eius non repuli a me. Et ero immaculatus cū eo, & obſeruabo me ab iniquitate mea. Et retribuet mihi dominus ſecundū iuſtitiā meā, & ſecundum puritatē manuū mearū in cōſpectu oculorū eius. Cum ſancto ſanctus eris, & cū viro innocente innocēs eris. Et cum electo electus eris, & cū peruerſo peruerteris. Quoniā tu populum humilē ſaluū facies, & oculos ſuperborum humiliabis. Quoniā tu illuminas lucernā meā domine, deus meus illumina tenebras meas. Quoniā in te eripiar à tētatione, & in deo meo tranſgrediar murum. Deus meus impollutā via eius eloquia domini igne examinata, protector eſt omnium ſperantium in ſe. Quoniā quis deus, præter dominū, aut quis deus præter deū noſtrū? Deus qui præcinxit me virtute, & poſuit immaculatā viā meā. Qui perfecit pedes meos tanquā ceruorū, & ſuper excelſa ſtatuit me. Qui*

G *docet manus meas ad præliū, & poſuiſti vt arcū æreū brachia mea. Et dediſti mihi protectionē ſalutis tuæ, & dextera tua ſuſcepit me. Et diſciplina tua correxit me in finē, & diſciplina tua ipſa me docebit. Dilataſti greſſus meos ſubtus me, & nō ſunt infirmata veſtigia mea. Perſequar inimicos meos, & cōprehendā illos, & nō cōuertar donec deficiant. Confringā illos, nec poterūt ſtare, cadent ſubtus pedes meos. Et præcinxiſti me virtute ad bellū, & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me. Et inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odiētes me diſperdidiſti. Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret, ad dominū, nec exaudiuit eos. Et cōminuā eos vt puluerē ante faciē venti, vt lutū platearū delebo eos. Eripies me de cōtradictionib. populi, cōſtitues me in caput gentiū. Populus quē nō cognoui ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Filii alieni mentiti ſunt mihi, filii alieni inueterati ſunt, & claudicauerūt à ſemitis ſuis. Viuit dominus & benedictus deus meus & exaltetur deus ſalutis meæ. Deus qui das vindictas mihi & ſubdis populos ſub me, liberator meus de inimicis meis iracundis. Et ab inſurgentib. in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me. Propterea cōfitebor tibi in nationib. domine, & nomini tuo pſalmum dicam. Magnificans ſalutes regis eius, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid, & ſemini eius vſque in ſeculum.*

COMMENTARIVM.

Septimidecimi titulus indicat quidem hiſtoriam, quam qui melius quam in pſalmo canitur ſcire voluerit, Regum volumina legendo, reperiet & qualiter pugnauerit & vicerit, & qualiter ſuorum omnium euaſerit hoſtium manus. Noſtrum autē hoc eſt propoſitum, vt myſtica moralibus admiſcentes: tunc dicamus domino diligā te, cum omnibus amoribus finem quendam & terminum ponētes, ipſi dicimus, diligam te. Tunc enim vere erepti de manu omnium inimicorum noſtrorum, id eſt, de manu om-

H

A niorum vitiorum, & de manu Saul, id eſt, de manu principis huius mundi, dicimus deo diligam te. Interrogemus tamen dominum & dicamus: Quis eſt qui diligit te? Reſpõdebit enim nobis per Euangeliſtam ſuum & dicet: *Qui audit verba mea & facit ea, hic eſt qui diligit me.* (Iohan. 12. Ioan. 14.) Ipſe dicit: Dominus firmamentum meum, id eſt, de quo non dubio. Ipſe refugium meum, ipſe eſt liberator meus, ipſum laudans & ipſum inuocans ab inimicis meis ſaluus ero. Deniq; præterita dicam, vt futura nõ dubitem, dum circumdediſſent me gemitus mortis, & iniquitates, & dolores, & laquei, clamaui ad eum eredẽs. Et exaudiuit de tẽplo ſancto ſuo vocem meam, & clamor meus introiuit in aures eius. Et ex hoc loco futuri iudicij qualitas panditur, contra nos terror, ſi credimus, purgat. Tunc enim ita terra tremore concutitur, vt ipſa fundamenta montium conturbentur. Iraſcente enim domino, etiam ignis ipſe ardeſcit.

B Vt enim ignis omnem materiam à facie ſua facit exardeſcere: ita ipſe ignis à facie dei exardeſcet, cum inclinauerit cœlos, & deſcenderit, & cœperit eſſe caligo ſub pedibus eius. (Matt. 24. 1 Theſ. 3. 2. Pet. 3. Apoc 3. 16. Eſa. 63.) Cuius eius? ſine dubio eius qui aſcendit ſuper Cherubin & volauit ſuper pennas ventorum, quiq; poſuit tenebras latibulum ſuum. Tenebras hic pro inuiſibilitate poſuit, vnde & ſequitur: In circuitu eius tabernacula eius, & tenebroſa aqua in nubib9 aeris. Tũc erit grando ſimul & carbones ignis, cum tonuerit de cœlo dominus, & Altiſſimus dederit vocẽ ſuã: mittet ſagittas ſuas, vt diſſipet eos, vt fulgura multiplicẽt, & conturbet eos. Tunc patebunt fõtes aquarum, tunc patebit quãta ſit virtus baptiſmatis, tunc cũ reuelabuntur fundamenta orbis terræ, Ab increpatione domini & ab ſpiratione ſpiritus iræ ei9. Tũc dicet eccleſia, miſit de ſummo & aſſumpſit me de multitudine aquarũ, vnius enim aquæ ſanctificatione me voluit cõſecrari, per quã eripuit me ab inimicis meis fortiſſimis, & ab his q odierũt me, quoniã cõfortati ſunt ſuper me. Præuenerũt me namq; in die afflictionis meæ, tẽpore quo gladius ſecuit pia viſcera matris, & factus eſt dominus ſuſceptor meus.

C Et produxit me ab anguſtiis in latitudine, liberauit enim me ab inimicis meis fortiſſimis, & retribuit mihi ſecundũ iuſtitiã meã, quia cuſtodiam vias domini vſq ad mortẽ, nec timens gladiũ hominũ impie geſſi à Deo meo. Iudicia enim eius ſemper ante oculos habui, & iuſtitias eius nõ repuli à me. (Rom 4. Heb. 6.) Vnde & populus martyrum eius dicit: Ero immaculatus cũ eo. Cũ eo vtiq; qui immaculatus in cruce pro iniquitatibus noſtris paſſus eſt. Et obſeruabo me ab iniquitate mea, quã vtiq; in martyrio depoſui. Tũc retribuet mihi dominus ſecundũ iuſtitiã meam, & ſecundũ innocentiã manuũ mearũ in cõſpectu oculorũ eius. Nã quod memorat: Cũ ſancto ſanctus eris, nõ ad illud reſpicit quod viſitata vulgo ſententia dicimus: Cũ quo aliquis iũgitur, talis erit. Hæc quidẽ ſententia vera eſt, ſed non pertinet ad interpretationem præſentium verſuũ, hoc enim in loco ſi vis planũ facere ſenſum carnaliter, illud ad memoriã reuocabis, quod per prophetam dominus dicit ad populũ: Si ambulaueritis in cõſpectu meo recti, & ego vobiſcũ rectus incedam: ſi vero ambulaueritis peruerſi, & ego vobiſcum peruerſus ero.

D Ipſi ergo Pſalmiſta loquitur. Cũ ſancto ſanctus eris, cũ innocẽte innocẽs & cætera. Vnde & adiecit: Tu enim, inquit, populũ humilẽ ſaluũ facies, & oculos ſuperborũ humiliabis. (Matt. 6.) Verũ, quia poſuit tenebras latibulũ ſuũ, & videre myſteria ſcripturarũ eius nõ poſſumus, ipſi clamemus cum propheta: Quoniã tu illuminas lucernã meam domine. Sicut lucerna corporis oculus, ita lucerna animæ mens eſt, in qua niſi oleũ gratiæ ſuæ Chriſtus infuderit, penitus lumen habere nõ poterit. Lucernã ergo ſuã clamat propheta illuminari à domino, quæ ſi acceperit lucendi materiã, oſtendit foueas in quas incauti ruũt, & laqueos in tenebris poſitos. In tenebris enim niſi lumẽ habuerit ambulãs, aut offendiculũ incurrit, aut in curſum penitus nõ euadit, vnde & propheta: Cũ illuminaueris, inquit, tenebras meas, ita demũ eripiar à tentatione, & in te Deo meo tranſgrediar muros, ſicut Sampſon clauſis portarũ ianuis intra muros clauſos per virtutẽ Dei tranſgreſſus eſt muros. (Iudic. 16.) Trãſgredimur & nos muros, cum de iſto corpore exeuntes, eos qui nos circundant euadimus. In Deo autẽ migramus, ſi im-

E pollutã viã vitæ noſtræ ambulauerimus. Quia ipſa eſt via Dei, in qua ambulantibus protector eſt omniũ ſperantiũ in ſe. Ipſe enim eos præcingit virtute, & facit immaculatã viã eorũ vt fugiant quaſi ceruũ. Quid fugiant? Sine dubio omne facinus. Omne quippe peccatum ex abiectione vitiorũ. Super excelſa virtutũ aſcendent, ſi tamẽ ipſe doceat manus noſtras in prælio, quia ſine rebellãtibus ad refugiũ montiũ nõ venitur. & ponat vt arcũ æreũ brachia noſtra, vt in oratione nõ deficiant, quoniã dũ ſunt extenſæ in cruce Amalech vincitur. (Exod. 17.) Si ergo ipſe eis dederit fortitudinem vt quaſi arcus æreus in orationib. perſeuerent, non ſolum nos effugientes euadimus perſequentes, ſed nos perſequimur inimicos noſtros, & cõprehendimus eos, & non conuertimur donec deficiant. Affligimus eos, vt ante nos ſtare nõ poſſint, ſed cadant ſub pedibus noſtris, ſi tamẽ præcincti fuerimus virtute ad bellum, tunc inſurgentes ſuper nos, erunt ſubter nos. Et inimicorũ noſtrorũ dorſa videbimus fugientiũ, nõ facies perſequentiũ, ita vt comminuamus eos vt puluerẽ ante faciẽ venti, & vt lutum platearum

F deleamus eos. Hæc omnia nobis per illũ eueniẽt, qui poſuit vt arcũ æreũ brachia in cruce, & quotidie interpellat pro nobis. Ipſe enim dicit ad patrẽ: Eripies me de cõtradictionib. populi increduli, & cõſtitues me in caput gentiũ. Et adiecit: Populus quẽ non cognoui ſeruiuit mihi. Magi crediderũt: quos deus non dedignatur cognoſcere, & illis ſeruientib. & munera offerẽtibus Iudæi abnegãt, & in eius perſecutionib. perſeuerãt: filij alieni mentiti ſunt mihi dicentes: *Scimus quia à deo veniſti, & in veritate doces*, ſed iſta verba eorũ erant plena dolo mẽdacij, in quo inueterati ſunt, (Matt. 2. Matt. 22.) & claudicauerunt à ſemitis ſuis. A ſemitis vtiq; in quibus eos docuerunt ambulare prophetæ, ſed viuit dominus, licet eũ crucifigatis, & ſepultũ ceruetis, ille tamẽ reſurget & viuit, & exaltabitur in cœlis deus ſalutis meæ, ipſe dabit vindictã hanc eccleſiæ ſuæ, vt ſubdat populus ſub ea, & ſit liberator eius à gentibus iracũdis, & ab inſurgentib. ſuper eã, & exaltet eã *ſuper petrã, vt portæ inferi non præualeant aduerſus eã*. Et à viro iniquo eripiet eã, id eſt, à prauo doctore. (Matth. 26.)

G Propterea cõfitetur ei in populis, & pſalmũ dicit nomini eius, Qui magnificat ſalutare regis eius, & faciet miſericordiã Chriſto ſuo Dauid, cum ex ſemine eius excitat regnum quod imperet in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem pſalmos Dauid. XVIII.

COEli enarrãt gloriã dei, & opera manuũ eius annunciat firmamentũ. Dies diei eructat verbũ, & nox nocti indicat ſcientiam. Nõ ſunt loquelæ neq; ſermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnẽ terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquã ſponſus procedens de thalamo ſuo. Exultauit vt gigas ad currendam viam ſuam, à ſummo cœlo egreſſio eius. Et occurſus eius vſq; ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Lex domini immaculata conuertens animas, teſtimonium domini fidele ſapientiam præſtans paruulis. Iuſtitiæ domini rectæ lætificantes corda. præceptum domini lucidum illuminans oculos. Timor domini ſanctus permanens in ſeculum ſeculi, iudicia domini vera iuſtificata in ſemet ipſa. Deſiderabilia ſuper aurum & lapidẽ pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum. Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea, in cuſtodiendis illis retributio multa. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alieno parce ſeruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emũdabor à delicto maximo. Et erunt vt cõplaceant eloquia oris mei & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Domine adiutor meus & redemptor meus.

H

COMMENTARIVM.

SIcut terreni narrauerunt gloriã hominũ, ita cœleſtes enarrant gloriã Dei. Sic autẽ propriũ locũ relinquentes magi ſtellæ indicio, narrabant ipſi gloriã Dei. Sed & cœli facti ſunt Apoſtoli habentes in ſe ſolẽ iuſtitiæ, & merita in modũ ſtellarũ pro varietate diuerſo ſplẽdore radiantia. (Matt. 2.) Ipſis ergo narrantibus gloriã dei, opera manuũ dei annunciabant doctrinæ eorũ firmamẽtũ. ſiue quia crux, quæ firmamentũ eſt æternũ, opere manuũ eius triumphauit & vicit: ſiue quia curabantur infirmi & ſuſcitabantur mortui, opera manuũ eius annunciant firmamẽtum. Cum dies loquebatur ad diẽ, & nox loquebatur ad noctẽ, quia ſic de

A

die in diebus,& nox loquebatur ad noctẽ verbum,& de nocte in noctẽ,vt eius ſciẽtia pãderetur. Hæc ſimpliciter. *Luc. 1.* Cæterũ dies,dies patris filius eſt,pater ergo eructauit verbum,quod verbum inuolutũ in nocte ventris virginei,inuoluto in nocte ventris ſterilis Elizabet ſui indicauit ſciẽtiã. Hæc Apoſtoli prædicantes nõ fuit loquela,neq; ſermo *Act. 2.* quorum non audirentur voces eorũ, ita vt vniuerſarum gentium loquaces dicerent de eis. *Nonne hi viri Galilæi ſunt, & quomodo vnuſquiſq; lingua noſtra audiuimus eos loquẽtes magnalia Dei?* Horum autẽ ſonus in oẽm terrã progreſſus eſt, & in fines vniuerſi orbis verba eorũ penetrarunt,tempore quo dominus in ſolẽ poſuit tabernaculũ ſuum. In ſolẽ,nõ iſtum qui miniſterium diuinum exercens,horarum menſuras ſub certa tẽporum norma diſcurrit:ſed ſolẽ iuſtitiæ, qui in ſplẽdore vitæ æternæ virgineo æditus aluo, lumen *Matth. 1. Luc. 2.* verum mentibus fulſit,& eſt egreſſus de virgine ſicut ſpõſus de thalamo. Hic exultauit vt gigas ad currendã viam, immaculat⁹ viq; ambulauit in via in lege dominicã ſum-

B

mo cœlo egreſſio eius. Nõ ex ſemine viri,ſed ex ore patris qui eſt in ſummo cœlorum,& occurſus eius vſq; ad ſummum eius. Nõ enim de oriente in occidentẽ,aut quaſi de alto ad ima,ſed de ſummo in ſummum,de alto in altum, & de virtute in virtutẽ,atq; à ſummo ad ſummum,nõ erit *Ioan. 1. Matth. 24. Mar. 13. 16. Coloſſ. 1.* qui ſe abſcõdat à calore eius. Nulla enim gens erit in hoc ſeculo,ad cuius notitiã nõ attingat calor fidei Chriſtianæ, in qua eſt lex domini irreprehẽſibilis,cõuertens animas, mutans ab errore ad iter rectum, à mẽdacio ad veritatẽ: ibi ſunt iuſtitiæ lætificantes corda. Quod enim tã iuſtum gaudium cordis,quã hoc in quo iubemur omnia quæ volumus,vt faciãt nobis homines,eadem nos faciamus eis. *Matth. 7.* Hoc præceptum tã lucidum eſt,vt etiã cæcorum illuminet oculos,ſi tamẽ timor domini in nobis permanet,per quẽ cõſideremus iudicia Dei & vera iuſtificata in ſemetipſa. Et deſideremus ea ſuper aurum & lapidem pretioſum,& dulciora nobis fuerint ſuper mel & fauum:quoniã qui ſeruus eſt domini,cuſtodit ea:& credit,quod in cuſtodia præceptorũ dei retributio tã multa ſit,vt *non ſint condignæ paſ-* *Rom. 8.* *ſiones huius tẽporis ad futurã gloriã,quæ reuelabitur in nobis:* ſi tamẽ lapſus noſtros & delicta noſtra intelligere ſtudeamus, quod arguit Pſalmiſta,nullũ velle intelligere delicta ſua. Arguendo enim nõ negando exorauit dicẽs: Delicta quis

C

intelligit? Sicut in centeſimo ſexto dicit: Quis ſapiẽs hæc intelligit?& hic ita: Delicta quis intelligit? Sæpe enim temeritatẽ conſtantiã dicimus,& iniuriã libertatẽ vocamus, fatuitati ſimplicitatis nomẽ imponimus:& adulationem charitatẽ integerrimã appellamus. Ad hæc da ſcrutantem cordis oculũ,intelliget iſta,& idcirco clamat,qui intelligit: Ab occultis meis munda me domine,quia ipſa quæ in me ſancta putãtur,reatui ſubiacent: & ab alienis peccatis quib. adulãdo fomitẽ exhibemus,parce ſeruo tuo,quia ſi in mei per adulationẽ nõ fuerint dominati,tũc immaculatus ero,& mundus ero à delicto maximo,quãdo autẽ ſine adolatione loquutus fuero,tunc tibi placebunt eloquia oris mei. Tunc erit meditatio cordis mei in cõſpectu tuo ſemper. Nihil enim cogitat qui nõ adulatur,niſi hoc,quod nõ timeat videre deũ,& ideo ipſi deo ſecurus loquitur,& placebunt ei eloquia eius,meditatio cordis eius in cõſpectu dei eſt. Et huic dicit: Adiutor meus & redẽptor meus, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem pſalmus Dauid. XIX.

EXaudiat te dominus,in die tribulationis protegat te nomẽ Dei Iacob. Mittat tibi auxiliũ de ſancto,& de Syon tueatur te. Memor ſit omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat. Tribuat tibi ſecundum cor tuum,& omne cõſilium tuum cõfirmet. Lætabimur in ſalutari tuo,& in nomine domini Dei noſtri magnificabimur. Impleat dominus oẽs petitiones tuas,nunc cognoui quoniã

D

ſaluũ fecit dominus Chriſtum ſuum. Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo in potẽtatib. ſalus dexteræ eius. Hi in curribus,& hi in equis, nos autẽ in nomine domini Dei noſtri inuocabimus. Ipſi obligati ſunt & ceciderunt,nos autem ſurreximus & erecti ſumus. Domine ſaluum fac regem,& exaudi nos in die qua inuocauerimus te.

COMMENTARIVM.

CHriſto eunti ad crucẽ dicit eccleſia: Exaudiat te dominus in die tribulationis. Homini vtiq; qui ſe obtulit redemptionẽ pro omnib. Holocauſtum,inquit ,tuũ

E

pingue fiat,quod in altari crucis offers,& ita omne cõſiliũ tuũ cõfirmet,vt lætemur in ſalutari tuo,& in nomine domini dei noſtri inuocemus te , cũ reſurrexeris à mortuis: ſaluum enim facit dominus Chriſtũ ſuũ,& ita erit in potentatibus ſalus dexteræ eius , vt à dextris ſuis latronẽ ad paradiſum ducat. Alij cõfidunt in curribus,alij in equis , *Luc. 23.* nos autẽ in nomine domini dei noſtri magnificabimur,& illis cadentibus,nos reſurgemus,quia rex noſter ſaluus fa- *Luc. 24.* ctus eſt,& reſurgens à mortuis aſcẽdit in cœlos,& ſedẽs ad *Act. 1.* dexterã Dei patris,exaudit nos in die qua inuocauerimus *Coloſſ. 3.* eum,ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem pſalmus Dauid XX.

DOmine in virtute tua lætabitur rex,& ſuper ſalutare tuum exultabit vehementer. Deſiderium cordis eius tribuiſti ei & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum. Quoniã præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis poſuiſti in capite eius coronã de lapide pretioſo. Vnã petijt à te,tribuiſti ei & longitudinẽ dierum in ſeculum & in ſeculum ſeculi. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo gloriã & magnum decorẽ impones ſuper eum. Quoniam dabis eum in benedictionem in ſeculum ſeculi,lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

F

Quoniã rex ſperat in domino,& in miſericordia Altiſsimi nõ commouebitur. Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis , dextera tua inueniat omnes qui te oderunt. Pones eos vt clybanum ignis in tempore vultus tui,dominus in ira ſua conturbabit eos,& deuorabit eos ignis. Fructum eorum de terra perdes,& ſemen eorum à filijs hominum. Quoniã declinauerunt in te mala, cogitauerunt cõſilia quæ non potuerunt ſtabilire. Quoniam pones eos dorſum,in reliquijs tuis præparabis vultum eorum. Exaltare domine in virtute tua , cantabimus & pſallemus virtutes tuas.

COMMENTARIVM.

REgẽ hoc in loco hominẽ perfectum appellat,non in virtute ſua,ſed in virtute eius lætantem qui eum aſſumpſit,qui deſiderium cordis eius tribuit ei,& voluntate labiorũ eius nõ fraudauit eum : præuenit enim eum in benedictione dulcedinis. Amanti enim præcepta eius, *Pſal. 18.* dulcis eſt,iſq; imperat ſicut ſuperius dixit: *Super mel & fa-* *Pſal. 33.* *uum oris meo.* Benedictio ergo dulcedinis eſt corpus eius: *guſtate,ait,& videte quã ſuauis eſt dominus,* hoc autem quod di-

G

cit,Poſuiſti ſuper caput eius coronã: Imitator Chriſti Pau- *Phil. 4.* lus,hoc appellat *gaudiũ ſuum & coronã ſuã,* qui eius monita amplectebãtur,quia Apoſtoli in ei⁹ gloria glorlabãtur,de his dicitur: Corona impoſita in capite domini,facta ex lapide pretioſo,ſicut Ezechielis prophetia,& Ioannis Apo- *Ezec. 16. 23.* calypſis loquitur. Vnã petit,de aſſumpto homine agit,vi- *Apo. 4.* tã enim poſitus in morte ſuſcepit, & longitudinem dierum nõ vſq; ad ſenectutem,ſed in ſeculum ſeculi. Magna enim gloria eius,in quo magna eſt nõ in arrogantia diuinitatis, ſed in ſalute humanitatis,& ideo gloriã & magnũ decore impones ſuper eum,& dabis eũ in benedictione æterna, qa ſic ſperauit in domino,& in miſericordia eius cõmotus *Ioan. 10.* nõ eſt,vt pro ſalute generis humani,etiã ſeipſum ſacrifica- *Act. 2.* ri permitteret. Ex hoc loco pater ad filiũ loquitur,inueni- *Gal. 2.* atur manus tua omnib. inimicis tuis,dextera tua illa quæ *Ephe. 5.* in cruce clauos accepit,ipſa inueniat eos qui te oderunt, pone eos vt clybanum ignis,in tempore vultus tui. Tunc in ira tua conturbabis eos & deuorabit eos ignis. Iudicij enim dies dum venerit,fructus eorum qui increduli perſeuerant,à terra peribit. Nam eos fructificat in reſurre- *1. Cor. 15.* ctionis fructu,quos ſeminatos accepit in obitu:nam corpora noſtra ſeminari Apoſtolus probat,cum dicit: *Seminatur in corruptione, ſurgit in incorruptionem* , ſed hi qui declinant in Chriſto mala, ſicut tunc Iudæi , & contra eum peruerſitatis ſuæ cogitant conſiliũ. In die illa po-

H

nentur in dorſo,& in reliquijs ſuis præparat vultum illorum. Hoc eſt non in prima anaſtaſi reſurgunt cũ ſanctis, ſed quod reſiduũ fuit reſurrectioni primæ,in eo præparabit vultũ illorum. Tunc laudes domino Ieſu Chriſto offerentes in hymno,& iſta verba cantabimus,vt dicamus ei: Exaltare domine in virtute tua. Iã non in perſona ſerui latibulũ tuæ virtutis obumbras,ſed exaltare in virtute tua, & ſentiant te victorem, qui noſtrum te credere dubitant ſaluatorem, tibi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

A In finem pſalmus Dauid pro ſuſceptione matutina. XXI.

DEus deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti, longe à ſalute mea verba delictorum meorum. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiã mihi. Tu autem in ſancto habitas laus Iſrael. In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt & liberaſti eos. Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt, in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi. Ego autẽ ſum vermis & nõ homo, opprobriũ hominum & abiectio plebis. Oẽs videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labijs, & mouerunt caput. Sperauit in domino, eripiat eum, ſaluum faciat eum, quoniã vult eum. Quoniã tu es qui extraxiſti me de ventre. ſpes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus ſum ex vtero. De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne diſceſſeris à me. Quoniã tribulatio proxima eſt, quoniã nõ eſt qui adiuuet. Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me. Aperuerunt ſuper me os ſuũ ſicut leo rapiens & rugiens. Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea. Factum eſt cor meum tãquam cera liqueſcẽs in medio ventris mei. Aruit tanquã teſta virtus B *mea. & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerẽ mortis deduxiſti me. Quoniã circundederunt me canes multi, conſiliũ malignantium obſedit me. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea. Ipſi verò conſiderauerunt & inſpexerunt me, diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtẽ meã miſerunt ſortem. Tu autẽ Domine ne elongaueris auxilium tuũ à me, ad defenſionem meã conſpice. Erue à framea Deus animã meã, & de manu canis vnicã meã. Salua me ex ore leonis & à cornibus vnicornium humilitatem meam. Narrabo nomẽ tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te. Qui timetis Dominum, laudate eum, vniuerſum ſemen Iacob glorificate eum. Timeat eum omne ſemẽ Iſrael, quoniã non ſpreuit, neq; deſpexit deprecationẽ pauperis. Nec auertit faciem ſuã à me, & cum clamarẽ ad eum exaudiuit me. Apud te laus mea in Eccleſia magna: vota mea reddã in conſpectu timentium eum. Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum, viuent corda eorum in ſeculum ſeculi. Reminiſcentur, & conuertentur ad Dominum, vniuerſæ fines terræ. Et adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium. Quoniã Domini eſt regnum,* C *& ipſe dominabitur gentium. Manducauerunt & adorauerunt oẽs pingues terræ, in cõſpectu eius cadent oẽs qui deſcẽdunt in terram. Et anima mea illi viuet, & ſemen meum ſeruiet ipſi. Annunciabitur Domino generatio ventura, & annunciabunt cæli iuſtitiam eius populo qui naſcetur, quem fecit Dominus.*

COMMENTARIVM.

IN paſſione ſua poſitus Domin⁹ explanauit Pſalmi huius myſteria. Nã Hebraicis verbis verſiculũ primũ iſtius *Matth. 6. 27.* Pſalmi exprimens, cætera quę ſequebãtur expoſuit: Nam ibi legimus dicentes Phariſęos: Sperauit in Domino, eripiat eũ: ſaluũ faciat eum, quoniã vult eum. In ipſa paſſione *Ioan. 19. 20.* circũdederũt eũ vituli multi, id eſt, populi Iudæorũ. Tauri pingues obſederunt eũ, id eſt, principes ſacerdotũ: Aperuerunt ſuper eũ os ſuũ dicentes *blaſphemauit*: Dederunt fremitũ ſicut leo rapiens & rugiẽs. Damnabilis ille Cayphas princeps ſacerdotũ ita fremuit, vt & veſtimenta ſua ſcinderet. Sicut aqua effuſa ſunt oſſa eius. Bene poſuit aquam, *Luc. 23. 10. 4. Heb. 6. 1. Ioan. 1. Apoc. 1.* quia nihil nouit corpus Chriſti, niſi peccata lauare. Factũ eſt cor meũ ſicut cera liqueſcẽs in medio ventris mei. Cera dũ ſoluta fuerit ab igne nõ perit, vt cæteræ ſpecies ab igne ſemel incenſæ in cinerẽ rediguntur, cera vero cũ arſerit, ad hoc redit quod fuit. Sciẽs ergo ſe perire nõ poſſe: Sicut cera, inquit, liquefactũ eſt in medio ventris mei. Aruit velut teſta virtus mea: Nõ dixit fractũ eſt velut teſta, nã ſicut fractura eius irremediabilis eſt, ita coctura laudabilis inuenitur. Et ideo quãto plus arſerit figuli opus, tãto melior & ſolidior inuenitur. Aruit ergo in igne tribulationis, D velut teſta, virtus mea. Et lingua mea adhæſit faucibus *Luc. 23. Ioan. 19.* meis. Tacens quaſi reus inclinato capite falſos teſtes in cõſpectu iudicis nõ repellebã. quĩ in puluerẽ mortis deduxerũt me. Et circundederũt me quaſi canes multi, & ita in cõcilio malignitatis ſuæ obſederũt me, vt foderent ma- *Ioan. 19. Luc. 23.* nus meas & pedes, & dinumerarent omnia oſſa mea. Ipſi etiã conſiderarent & cõſpicerent me, ac *diuiderent ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtimentum mitterent ſortẽ.* Neſcio cũ qua animi præſumptione, ô ſceleratiſſimi Iudæi, Pſalteriũ in veſtris cantus ſynagogis. Cõſiderate, miſeri, hũc eſſe Dominũ quẽ negaſtis, & vel tarde timentes Dominũ. Laudate eũ, vniuerſum ſemen Iacob magnificate eũ. Timete eũ E vniuerſum ſemen Iſrael. Nõ enim ſpreuit precẽ veſtrã, in *Ioan. 6.* tantũ, vt in cruce poſitus pro crucifigentib⁹ oret, vt ſit laus eius in Eccleſia magna, & vota ſua reddat corã timẽtibus eũ. Dum edent corpus eius pauperes ſpiritu vt ſatientur, & facti diuites, In fide laudẽt Dominũ requirẽtes eum, & viuat cor eorũ in ęternũ: Et per eos cõuertantur ad Dominũ vniuerſi fines terræ, vt adorẽt in cõſpectu eius, non ſola Iudæa, ſed oẽs patriæ gentiũ, quoniã Domini eſt regnũ, & ipſe dominabitur gentium. Ecce ſchola Chriſti in pauperibus diſcipulis celebrata, nũc ſchola Phariſæorum exurgite & videte mãducantes, & manducantes illi manducauerũt & ſaturati ſunt, & laudauerũt Dominũ requirentes eũ: Iſti autẽ manducauerũt, & adorauerũt oẽs diuites terræ. Et ideo in cõſpectu Dei cadent oẽs qui deſcẽdũt in terrã. Deſcenſus enim terrenus hominibus famulatur, noſtra autem anima Deo ſeruiat, & ipſi viuat. Semẽ verò noſtrũ ipſi ſeruiat in caſtificatione cõtinentiæ, vt annũciemus Domino generationẽ venturã, id eſt, futuram ſancto- F rum gloriam cogitemus: Et annunciemus iuſtitiam Dei fratribus ac filijs ætate, & omni populo qui naſcetur, quẽ fecit Dominus Deus noſter, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus Dauid XXII.

DOminus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit. Super aquã refectionis educauit me, animã meam conuertit. Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ propter nomen ſuũ. Nã & ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniã tu mecum es. Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. Paraſti in conſpectu meo menſam, aduerſus eos qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebriãs quã præclarus eſt. Et miſericordia tua ſubſequetur me, omnibus diebus vitæ meæ. Et vt inhabitem in domo Domini in longitudine dierum.

COMMENTARIVM.

QVi in vigeſimo primo Pſalmo habuimus tribulationẽ paſſionis, in vigeſimo ſecundo Pſalmo lætitiã reſurrectionis accipiamus: vt quia ibi ſeminauimus lachrymas patiẽtis Domini, hic metamus gaudia reſurgẽtis. Di- G cant qui volunt: Reget me ager meus, & nihil mihi deerit. Dicat alius: Reget me negociatio mea, aut militia mea, aut induſtria mea, aut ars mea, aut literæ meæ, & nihil mihi deerit. Nos dicamus cũ Eccleſia, Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Vox ergo iſta continẽntis eſt, ſi habeat: aut habere nolentis, ſi non habeat. Alioquin mentitur in carmine, qui aliud exoptat in voto. Si enim ſtudio agit, vt eũ quæcunq; terrena opera regant, nõ ſatis integrè dicit: Dominus regit me. Perfectorũ ergo iſta vox eſt, quã Eccleſia de Domini paſſione ſuſcepit, in loco paſcuę collocata, ſuper aquã refectionis educata. Vbi enim abundat fons, ac largis profluit venis, ibi viriditas, ibi amœnitas, ibi refectio. Hæc autẽ mihi euenient, quia per paſſionẽ ſuã animã meã cõuertit: Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ, propter nomẽ ſuũ. Nã & ſi ambulẽ in medio vmbræ mortis, iã non timebo mala, quoniã tu mecũ es, qui mortis imperiũ ſubiugaſti. Quid nunc habeat intra ſe Eccleſia videamus. Habet virgã vnde minatur delinquenti. Habet baculũ vnde *Oſe 13. 1. Cor. 15. Eccleſiæ dona.* ſubueniat pœnitẽti. Habet menſam vnde det panẽ credẽti. Habet oleũ vnde impinguet caput in libertatẽ conſcientiæ præſumenti. Habet calicẽ vnde inebriet prædicãtes ſermonẽ, ita vt cũ ſit hora diei tertia, iã ille in prædicatione ſua ebrius æſtimetur. Habet miſericordiã Dei, quæ ſubſequatur eũ omnib. diebus vitæ ſuæ, & vt inhabitet in domo Domini in longitudine dierum ſuorũ, laudans Dominũ Ieſum Chriſtum, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

H Pſalmus Dauid in prima ſabbati XXIII.

DOmini eſt terra & plenitudo eius orbis terrarum, & vniuerſi qui habitãt in eo. Quia ipſe ſuper maria fundauit eum, & ſuper flumina præparauit eum. Quis aſcẽdet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius: Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animã ſuã, nec iurauit in dolo proximo ſuo. Hic accipiet benedictionẽ à Domino, & miſericordiã à Deo ſalutari ſuo. Hæc eſt generatio quærẽtium eum, quærentium faciẽ Dei Iacob. Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens in prælio. Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.

A

COMMENTARIVM.

Geneſ. 1. Pſal. 77. 4. Eſdr. 1. Ioan. 20.

VIgeſimus tertius Pſalm. in introitu ſuo ſuper ipſum limē poſuit titulum de prima ſabbati. In qua die dixit Dominus, *Fiat lux*: In qua *panem Angelorum manducauit homo*: In qua ipſe Dominus reſurrexit à mortuis. Quæ dies idcirco in titulo ponitur: quia in ipſa lucratus eſt terram, quam in principio fecerat orbem terræ, & oēs qui habitāt in ea. Quomodo autem lucratus ſit, ſi requiris, reſpondet, per aquam & Spiritum ſanctum. Ideo clauſa maria nominat ſinum aquarum omniū, quia ſicut omnia flumina vnū hunc habent ſinum, ita omnia vnum hunc habent ſpiritū S. vnū. In quo fiunt homines innocentes manibus & mūdo corde. Et ſicut qui ibi ingreſſus non fuerit, in vanū accipit animam ſuam, ſi tamen non iurauerit in dolo proximo ſuo, quia per baptiſmatis donū proximus ei efficitur Spiritus S. Per hunc promittit ſe renunciare diabolo & omnibus pompis eius. Iurare ergo eſt ius conſtituere, quo

B

renunciata abſtinentur, & promiſſa ſeruantur. Iſta nō iurauit in dolum proximo ſuo, quomodo proximus factus eſt ſpiritui ſancto? Quia is qui longè erat, factus eſt propè. Et qui factus eſt propè, iurauit huic proximo, quando accepit benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Et factus eſt filius Dei in generatione quærentium Dominum, & requirentium faciem Dei Iacob, iam iſti dicient: Tollite portas principes veſtri. Abijcite exemplum Adæ, qui eſt princeps veſter ſecundum carnem, & eleuamini portæ æternales, habentes Regē gloriæ potentem & fortem, & potentem in prælio, vincentem vitia, & inuitatores eorum, ſpiritus nequam. Tollite ergo portas principis veſtri, *ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis*. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Chriſtus filius Dei ipſe eſt Rex gloriæ, excludens principem ignominiæ. Qui deiectis ſimulachrorū templis, veluti portis principis diaboli, eleuauit portas æternales ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, in qua regnat Rex gloriæ. Si interrogas quis eſt iſte Rex gloriæ: reſpōdebit Apoſtolus, Rex omniū ad ſalutē Chriſtus filius Dei, qui regnat in ſecula ſeculorū, Amē.

1. Cor. 15. 1 Tim. 1. 1. Cor. 15. Apo. 11. 19.

C

In finem Pſalm. Dauid. XXIV.

AD te Domine leuaui animam meam, Deus meus in te cōfido non erubeſcam. Neq; irrideant me inimici mei, etenim vniuerſi qui ſuſtinent te non confundentur. Confundantur oēs iniqua agentes, ſuperuacue. Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, & doce me quia tu es Deus ſaluator meus, & te ſuſtinui tota die. Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum quæ à ſeculo ſunt. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Secundum miſericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuā Domine. Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Diriget manſuetos in iudicio, docebit mites vias ſuas. Vniuerſa via Domini miſericordia & veritas, requirentibus teſtamentum eius & teſtimonia eius. Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multū eſt enim. Quis eſt homo qui timet Dominum, legem ſtatuit ei in via quam elegit. Anima eius in bonis demorabitur, & ſemen ipſius hæreditabit terram. Firmamentum

D

tuum eſt Dominus timentibus eum, & teſtamentum ipſius vt manifeſtetur illis. Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. Reſpice in me & miſerere mei, quia vnicus & pauper ſum ego. Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt, de neceſſitatibus meis erue me. Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuerſa delicta mea. Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me. Cuſtodi animam meam & erue me, non erubeſcam, quoniam ſperaui in te. Innocentes & recti adhæſerunt mihi, quia ſuſtinui te. Libera Deus Iſrael, ex omnibus tribulationibus ſuis.

COMMENTARIVM.

AB omnibus terrenis lucris, ab omnibus quæ videntur bona huius mundi, ſubducens animam meam, ad te eam Domine leuaui, iam non confidens in nummo, in domo, in negocio, in militia, in facultatibus, ſed in te confidens peto, vt non erubeſcam dum de corpore exiero: quia ibi confuſio æterna eſt. Non ibi de me irrideant inimici mei, quia ij qui te ſolum contemptis omnibus expectant, non confundentur, ibi. n. confundentur iniqui & facientes vana. Et quoniam te duce Domine peruenitur ad vitam, Vias tuas quas tu ambulaſti notas fac mihi, vt per ipſas ambulem, & ſemitas tuas edoce me, vt in ipſis incedam. Et vt hoc ipſum faciam, tu me dirige in veritate tua; & tu doce me, quia tu es Deus ſaluator meus. Nō. n. ſuſtineo alium præter te tota die. i. omni die. Memor eſto Domine miſericordiarum tuarum, quæ à ſeculo ſunt, & ſicut omnibus fuiſti miſericors, ita quoq; mihi; vt peccata iuuentutis meæ & ignorantias ne memineris, ſed ſecūdum magnam miſericordiam tuam memor mei ſis, nō propter merita mea per amaritudinem meam pereā, ſed quia ipſe dulcis & rectus es, & vniuerſæ viæ tuæ miſericordia & veritas quærentibus teſtamentum tuum & teſtimonia tua, peto vt propitius ſis peccato meo, multum eſt enim. Ideo

E

F

ego. n. contempſi viam meam, & elegi viam tuam, & animam meam ad te leuaui, vt anima mea in bonis commoretur, & ſemen meum illam terram poſſideat, quam non comedit draco, quæ non eſt ſinus mortuorum, quæ non generat ſpinas, ſed in qua eſt Dominus firmamentō timētibus ſe, & teſtimonium vt manifeſtetur illis. Et quia hæc deſiderantib. laqueus ponitur ab inimico: Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos. Reſpice in me & miſerere mei, quoniam vnicus & pauper ſum ego. Omnis qui plus in gemitu & in oratione incūbit, vnicus & pauper eſt, & tribulationes cordis eius multiplicantur, memor omnium quæ aguntur in ſeculo, clamat, vt de ſeculi neceſſitatibus liberetur. Et ideo vide, inquit, humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. Reſpice, inquit, inimicos meos, quia multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me. Humilem Deo dæmones perſequuntur, & odio iniquo infeſtant. Et ideo cuſtodi, inquit, animam meam, & eripe me, vt non confundar, quoniam ſperaui in te. Innocētes & recti adhæreant mihi, quoniam ſuſtineo te Domine, quia liberas Iſrael ab omnibus anguſtijs ſuis. Iam qui innocentibus & rectis adhæret, & ſuſtinet Dominum, Iſrael efficitur, id eſt, videns Deum, & ideo iam Iſrael factus, redimitur ab omnibus anguſtijs ſuis, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

G

Pſalmus Dauid. XXV.

IVdica me Domine, quoniam ego in innocētia mea ingreſſus ſum, & in Domino ſperans nō infirmabor. Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos & cor meum. Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt, & complacui in veritate tua. Non ſedi cum conſilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui eccleſiam malignantium, & cum impijs non ſedebo. Lauabo inter innocentes manus meas, & circūdabo altare tuum Domine. Vt audiam vocem laudis, & enarrem vniuerſa mirabilia tua. Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Ne perdas cū impijs animam meā, et cum viris ſanguinum vitam meam. In quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorū repleta eſt muneribus. Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum, redime me & miſerere mei. Pes enim meus ſtetit in directo, in eccleſijs benedicā te Domine.

COMMENTARIVM.

H

IVdica me Domine, non eſſem auſus dicere, niſi miſericordia tua ante oculos meos eſſet. Certus ergo quod iudicia tua adiuuent me, ideo auſus ſum dicere: Iudica me. Iſtæ duæ res dant fiduciam Chriſtiano, vt miſericordiam Dei ante oculos habeat, & complaceat in veritate Catholicæ fidei, non ſedeat in concilio hæreticorum, ſed lauet inter Catholicos manus ſuas, vt circundet altare Domini: vbi audiat vocē laudis, & narret omnia mirabilia Dei, & dicat Domino: Cùm exiero de corpore, noli perdere cum impijs animam meam, quia dilexi decorem domus tuę, & odiui congregationes malignorum, non pereat cum viris ſanguinum vita mea, eorum qui in iudicio ſedentes acceperunt munera, vt peruerterent iudicium. Ego enim nullum in iudicio nocui, redime me & miſerere mei. Pes enim meus ſtetit in via recta, in recta fide, in eccleſijs benedicam Dominum, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Eſa. 1.

A In finem Pſal. Dauid priuſquam liniretur. XXVI.

Dominus illuminatio mea, et ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Cùm appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt & ceciderunt. Si conſiſtãt aduerſum me caſtra, non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitẽ in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ. Vt videam voluntatem Domini, & viſitem templum eius. Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo, in die malorum protexit me, in abſcondito tabernaculi ſui. In petra exaltauit me, & nunc exaltauit caput meũ ſuper inimicos meos. Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis, cantabo & pſalmum dicam Domino. Exaudi Domine vocem meam qua clamaui ad te, miſerere mei, & exaudi me. Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciẽ tuam Domine requiram. Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſeruo tuo. Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus B *ſalutaris meus. Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me. Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in ſemita recta propter inimicos meos. Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. Credo videre bona Domini, in terra viuentium. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.*

COMMENTARIVM.

PSalmi titulus habet poſitum, prius quã liniretur, Solitum eſt homini in potentatu poſito, recordari quid egerit dum pauper eſſet: Prius ergo quàm liniretur, recordatur iam vnctus, & dicit quæ cogitatio eius fuerit, prius quàm liniretur hoc ordine: quaſi qui diceret, ſi priuſquã vnctus eſſem, ſeptem fratres mei magni viri ab vnctione
1 Reg. 16. 17. recuſati ſunt, & mei curam Deus geſſit, vt paruum & puſillum eligeret & vngeret, nunc ipſo illuminante mihi, & fugante à me tenebras, ego quem timebo? illo defendẽte me, à quo trepidabo? etiam ſi proximẽt mihi a Saul miſſi,
C vt edant carnes meas, qui tribulant me, & inimici mei, ipſi infirmati ſunt & ceciderunt. Si etiam prælium exurgat aduerſum me: ego in illuminatiõe Domini ſperabo. Vnũ hoc eſt quod poſtulo Dominum, & hoc requiro, vt videã quid placeat Domino, ſciam voluntatem eius, & videam protegi templum eius, vt qui ad eum confugerit, honoretur, & ab hoſtium manibus non poſſit inde eripi: tantam reuerentiam habeat eccleſia Dei, vt etiam ab hoſtibus honoretur, vt abſcõdi poſſim in tabernaculo eius in die malorum, & ſuper petram exaltetur, vt portæ inferi nõ præualeant ei, vt exaltetur caput eius ſuper inimicos eius, & circuncam & immolem in tabernaculo eius hoſtiam iubilationis, & cantem in ea, & pſallam Domino, & fundẽs in ea preces, ſecurus dicã Domino: Miſerere mei & exaudi me. Si tamen Dei ſe amatorem oſtendens, inuiſibili inuiſibiliter clamet. Sicut Moyſes ore, inquit, tacebat ſed corde clamabat, vnde ait Dominus ad eum: *Quid*, inquit, *cla-*
Exod. 14. *mas ad me?* Sic & in iſto loco amator Dei, non quærens vllã mundi ſpeciem, ſed ſolam Chriſti pulchritudinem cõcupiſcens, ea verba quæ amatores ſolent eis, quos diligunt, D dicere ſermonibus linguæ, ita iſte ſermonibus exclamat cordis, dicens: Tibi dixit cor meum, quæſiui vultum tuũ, non auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſeruo tuo: Egi enim talia quibus iuſtè iratus à mea concupiſcentia auerteris, ſed quaſi miſericors & adiutor meus es tu, ne derelinquas me, neq; deſpicias me Deus ſalutaris meus. Vide autem qualem amorem Deo offerat. Legimus, Quia
Gen. 2. Matt. 19 *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori*: ita hic, quia adamauit Dominum, Pater, inquit, meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me, etiam quaſi tu, ò Domine, quem derelictum à parentib. aſſumpſiſti: Legem pone mihi in via tua, oſtende quid velis, quid nolis, quid diligas, quid odias. Fieri. n. poterit vt obſequendi voto offendam, ſi qualiter debeam, ante nõ diſcam. Et quia inimici mei nihil aliud ſtudent, niſi vt te offenſo, illi ſuper me habeant poteſtatem: hoc rogo, vt dirigas me in via recta propter inimicos meos, vt non tradas E me in animas perſequentium me, quia inſurrexerũt in me teſtes iniqui. Oſtendunt mundi pulchritudinem, quæ cũ ſit mortalis in guſtu, ſpecioſa eſt in aſpectu, & mentita facie decipit inſpectorem. Ego autem qui hæc contemno, credo quod videam bona Domini in terra, non mortaliũ, ſed viuentium. Ad hæc reſpondit in antiphonia Spiritus ſanctus: Si ergo credis videre bona Domini in terra viuẽtium, expecta Dominũ, age viriliter, confortetur cor tuũ, & ſuſtine Dominũ, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amẽ.

Pſalmus ipſi Dauid. XXVII.

AD te Domine clamabo, Deus meus ne ſileas à me, ne quando taceas à me, & aſſimilabor deſcendentibus in lacum. Exaudi Domine vocẽ deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum ſanctum tuum. Ne ſimul tradas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me. Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum. Da illis ſecundum opera eorum, & ſecũdum nequitiam adinuentionum F *ipſorum. Secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipſis. Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum eorum deſtrues illos, & non ædificabis eos. Benedictus Dominus, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ. Dominus adiutor meus, & protector meus, & in ipſo ſperauit cor meum, & adiutus ſum. Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei. Dominus fortitudo plebis ſuæ, & protector ſaluationum Chriſti ſui eſt. Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege eos, & extolle illos vſque in æternum.*

COMMENTARIVM.

IN Dei filio perfectum Deum, perfectũ hominem confitemur, quem hominem interiorem ſuũ alloqui in iſto Pſalmo aduertimus, in quo clamat, Simul cum peccatoribus ne tradatur *qui peccatum nõ fecit*. Et quia dolus in ore 1. Pet. 2. eius nunquam fuit, hoc orat, vt dum ſimilis fuerit deſcẽdentibus in lacum hoc eſt, cùm ſimilis fuerit ſepultis, nõ habeat partem cum his: qui loquuntur pacem in ore, & in corde fabricant mala, ſicut Iudas fecit, Da illis, inquit, Matt. 26. ſecundum opera eorum, qui opera Domini non intellexerũt, & quem videbant mortuos ſuſcitare, dicebant: *Hic* G Ioan. 9. *homo non eſt à Deo*. At Ieſus dicebat eis: *Si verbis nõ creditis, vel* Ioan. 10. *operibus credite.* Illi autem non intellexerunt in opera Domini, & ideo deſtruentur, nec ędificabuntur, quia Dominus ſuſcitauit Ieſum à mortuis, & refloruit caro eius, & ex voluntate ſua confeſſus eſt illi. Omnia. n. quæ paſſus eſt, pro voluntate ſua paſſus eſt, ſicut ipſe ait: *Poteſtatem habeo* Act. 3. *ponendi animam meam, & iterum aſſumendi eam*. Et ideo ait: Ex voluntate mea confitebor illi. Ipſe eſt. n. fortitudo plebis ſuæ, quia dicta factis impleuit. dixit ſe paſſurum, & paſſus Ioan. 10. Matt. 10. eſt: moriturum, & mortuus eſt, ſurrecturum, & à mortuis reſurrexit, excludens infirmitatem trepidationis, & dans fortitudinem promptiſſimæ voluntatis. Quia protector ſalutarium Chriſti ſui eſt, quia ille ſine dubio qui eſt *Deus* 2. Cor. 5. *in Chriſto, mundum concilians ſibi*, ſaluans populum ſuum, conferendo ſalutem animæ & corporis, & benedicẽs hæreditatem ſuam, gentes à ſubiectione dęmonum liberando, vt regat eos, & extollat eos vſque in ſecula filius Dei cum Patre & Spiritu ſancto, regnans per omnia ſecula ſeculorum, Amen. H

Pſalm. Dauid in conſummatione tabernaculi. XXVIII.

AFferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum. Afferte Domino gloriam & honorem. afferte Domino gloriam nominis eius, adorate Dominum in atrio ſancto eius. Vox Domini ſuper aquas. Deus maieſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani. Et comminuet eos tanquam vitulum Libani, & dilectus quemadmodum filius vnicornium. Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis deſertum, & commouebit Dominus deſertum Cades. Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condenſa, & in templo eius omnes dicent gloriam. Dominus diluuium inhabitare facit, & ſedebit Dominus Rex in æternum. Dominus virtutem populo ſuo dabit, Dominus benedicet populo ſuo in pace.

COM-

A

COMMENTARIVM.

TItulus conſummationẽ tabernaculi memorat. Conſummatio tabernaculi, finis mundi eſt, in quo offerunt Deo filij Dei filios arietum. *Matt. 25.* Filij arietum agni ſunt, qui ponuntur ad dexteram, , vt gloriam & honorem, nomini eius offerentes in operibus pijs quæ geſſerunt, adorent Dominum, iam non in ædificijs manu factis, ſed in aula ſancta eius. i. in Chriſto Ieſu, *in quo habitat plenitudo diuinitatis.* *Ioan. 1.* Vox Domini ſuper aquas: Quando Ieſus baptizatus eſt, Pater cœlis apertis, & Spiritu S. in ſpecie columbæ veniente, vox Domini ſuper aquas facta eſt dicens: *Tu es filius meus.* *Matt. 3.* Deus maieſtatis intonuit, hoc eſt, dedit vocẽ ſuper aquas, id eſt, ſuper ſectas gentium, vt ſiniãtur in virtute & in magnificentia Chriſti Ieſu. Quicunq; autem rebellis extiterit, & elatus ſicut cedrus Libani, cõfringetur & comminuetur ſicut cedrus Libani. *Rom. 1.* In Libano ſactiſicãtes vſq, hodie turpiſſimę Veneti, vitulorum vitilia amputant, & in eius ſactificio huiuſmodi incenſa ſupponunt, B mercedem quam oportuit erroris ſui, deæ ſuæ exhibent meretrici. Ita ergo comminuntur tanquam vitulus Libani, qui caſtitatem Chriſti contempſerint, & vt dilectus filius vnicornium erunt. *Matt. 3.* Quibus vox placuerit intercidentis flammam ignis, id eſt, quibus vox placet baptiſmatis gratiam conferentis, quæ in concuſſione ſolitudinis cœpit: In deſerto enim Iordanis fluenta Dei filius benedixit, & commouit deſertũ oppidi breuiſſimi in confinio eremi conſtituti, quod appellatur Cades: Ibi vox Domini præparauit ceruos qui feſtinarent ad fontes aquarum, vbi reuelauit ea quæ erant condenſa, id eſt, occulta, vt his reuelatis, in templo Dei, quibus reuelata ſunt, omnes dicant gloriam & confiteantur, quia Dominus in diluuio habitat, in aqua quæ diluit crimina, & in eodem diluuio ſedebit Rex in æternum, ibi virtutem populo ſuo dabit, ſuo inquam, credenti ſibi, ibi benedicet plebem ſuam in pace, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

C

Pſalm. cantici in dedicatione domus Dauid. XXIX.

EXaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me. Domine Deus meus clamaui ad te, & ſanaſti me. Domine eduxiſti ab inferno animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum. Pſallite Domino ſancti eius, & confitemini memoriæ ſanctitatis eius. Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius. Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Ego autem dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem. Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor, Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam? Audiuit Dominus, & miſertus eſt mei, Dominus factus eſt adiutor meus. Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum, & circundediſti me lætitia. Et cantet tibi gloria mea & non compungar, Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

COMMENTARIVM.

D

IN vigeſimo nono titulo dedicatur domus Dauid. Illa vtique domus *ex ſemine Dauid ſecundum carnem*, *Rom. 1.* non manu facta, ſed Angeli verbo mandata, & ab Spiritu ſancto conſtructa. Ipſa domus eſt quæ dicit Deo: Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, ſuſcepit enim formam ſerui, vt non delectarentur inimici ſuper hominum genus. Chriſto enim Ieſu Nazareno extracto ab inferis, & ſaluato à deſcendentibus in lacum, pſallunt ei omnes Apoſtoli eius, & confitentur memoriæ ſanctitatis eius: quoniam ira fuit in indignatione eius, quando maledictus eſt mundus in morte Adæ, *Geneſ. 3.* & nunc vita in voluntate eius Domino reſurgente. Ad veſperam quidem demoratur fletus, in occaſum omnium credentium neceſſe eſt vt ſit fletus, pro eo quod deſolabimur ab his, qui nos præcedũt, ſed habebimus cum his in matutino lætitiam. In prima anaſtaſi mox vt tenebræ huius mundi finitæ fuerint, & matutinum tempus reſurrectionis aduenerit, hic decus fidei noſtræ conſiſtit, ſed in voluntate ſua Dominus E præſtat decori noſtro virtutem. Nam ſi auerterit faciem ſuam, quantumuis amemus Dominum, non eum plus Petro amabimus, & ſi ei dicamus cum Petro, *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo:* *Matt. 26.* poterit nobis negandi eum euenire perfidia, ſi auerterit ſe à nobis. Denique, inquit, conuertit ſe Ieſus, & reſpexit Petrum negantem, ſed & recordatus eſt quod ei hoc ipſum prædixerat. *Et egreſſus foras fleuit amariſſime.* Cùm ergo auerteret ſe Dominus in præſumentem & dicentem: Non mouebor in æternum, negauit eum: cùm reſpexit negantem, fleuit, & lauerunt lachrymæ pœnitentis, quod noxa incurrebat præſumentis: Non enim confitetur Dominum puluis, ſi præſumpſerit, nec annunciat veritatem eius, ſi ſe iactauerit: Si autem poſt peccatum pœnituerit, & pœnitudinem ſuam lachrymis amoris oſtenderit, dicere poterit cum Petro: Audiuit Dominus, & miſertus eſt mihi, Dominus factus eſt adiutor meus, F quia conuertit planctum eius in gaudium, vt quod tertio negauerat, tertio fateretur, ſi tamen gloria credentis in Deo non in hominibus extollatur, tunc ſecurus dicit: *Ioan. 21.* Domine Deus meus in æternum confitebor tibi, qui regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem Pſalmus Dauid pro extaſi. XXX.

IN te Domine ſperaui, non confundar in æternum. In iuſtitia tua libera me, inclina ad me aurem tuam, accelera vt eruas me. Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt ſaluum me facias. Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me. Educes me de laqueo quem abſconderunt mihi, quoniam tu es protector meus. In manus tuas commendo ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis. Odiſti obſeruantes vanitates ſuperuacue. Ego autem in Domino ſperaui, exultabo & lætabor in miſericordia tua. Quoniam reſpexiſti humilitatem meam, ſaluaſti de neceſſitatibus animam meam. Nec concluſiſti me in manibus inimici, ſtatuiſti in loco ſpacioſo pedes meos. Miſerere mei Domine, quoniam tribulor, G *conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus. Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Infirmata eſt in paupertate virtus mea, & oſſa mea conturbata ſunt. Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis. Qui viderunt me, foras fugerunt à me, obliuioni datus ſum tanquam mortuus à corde. Factus ſum tanquam vas perditum, quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu. In eo, dum conuenirent ſimul aduerſum me accipere animam meam, conſiliati ſunt. Ego autem in te ſperaui Domine, dixi Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ. Eripe me de manibus inimicorum meorum, & à perſequentibus me. Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum, ſaluum me fac in miſericordia tua Domine, non confundar quoniam inuocaui te. Erubeſcant impij & deducantur in infernum, muta fiant labia doloſa, Quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem, in ſuperbia & in abuſione. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te! Perfeciſti eis qui ſperant in te, in conſpectu filiorum hominum. Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo, à contradictione linguarum.* H *Benedictus Dominus, quoniam mirificauit miſericordiam tuam mihi in ciuitate munita. Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ, proiectus ſum à facie oculorum tuorum. Ideo exaudiſti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te. Diligite Dominum omnes ſancti eius, quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam. Viriliter agite & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Domino.*

COMMENTARIVM.

TRiceſimus Pſalmus ſpem, quæ in Deo eſt, aſſerit hominem ab æterna confuſione liberare. Deus enim pro iuſtitia ſua ſperantes in ſe, liberat & eripit. Et inclinat eis aurem ſuam, & accelerat vt eripiat, vt ſit eis Deus protector, quaſi domus refugij, vt ſalui fiant, vt eripiat eos de laqueo quem occultant eis dæmonia. Si tamen

A ſemper dicat Domino: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, id eſt, interiorem hominem meum in tuas manus commendo. Non enim facio obſeruare vanitatem ſeculi huius, non eum facio lætari in rebus mundi, ſed in tua miſericordia, qui ſaluam feciſti de neceſſitatibus animam meam. Quando reſpexiſti humilitatem meam, & non concluſiſti me in manus inimici, ſed tollens me ab anguſto, vbi anguſtiabar, ſtatuiſti in loco ſpatioſo
Ioel. 2. pedes meos. Vt autem Deum tibi facias miſerantem, te exhibe tribulantem: non enim petit miſericordiam, niſi tribulans, cuius fletu conturbatur aſpectus, & anima eius & venter eius caſtigatus ieiunijs memor eſſe debet. Quoniam quamuis diu viuat homo, vita eius deficit in doloribus, & quantatis annolitate floreat, deficiunt anni eius in gemitibus & quantumuis vitium habeat, pauperaſcunt vires eius, & quantumuis ſoliditate corporali confidat, dicturus eſt, oſſa mea conturbata ſunt. Hoc ſanè cauendum eſt, ne ſuper omnes inimicos ſuos efficiatur opprobrium. Hic locus ſi iuſtu euenit, martyrem fecit: ſi iniu-
B ſto, æternam mortem indixit. Iniuſtè enim odio habitus eſt omnis ſanctus, & ipſe etiam Dominus. Tunc enim exclamat Spiritus ſanctus, ſicut in Chriſto prædictum eſt, vt muta fiant labia iniqua, quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem in ſuperbia & contemptu: & quamuis amaritudines patiuntur iuſti in hoc ſeculo, ſed magna multitudo dulcedinis eos expectat, ſi perſeuerauerint, in futuro, quam interim abſcondit Dominus timentibus ſe. Non vult eam in hoc ſeculo manifeſtare, vt perficiat eam ſperantibus in ſe coram filijs hominum, qui eos irriſerint. Et nunc quidem abſcondit eos in abdito vultus ſui, vt ſicut ipſius vultus ita erat in abdito, vt putaretur homo tantum, ita & iſti cùm ſint magni & ſancti, abſcondit eos in abdito vultus ſui à conturbatione hominum, ne dum manifeſtatum fuerit eos eſſe ſanctos & amicos Dei, conturbetur ab hominum adulatione propoſitũ eorum. Sed tunc mirificat miſericordiam ſuam in eis, cùm apparuerit ciuitas circunſtantium, quam circunſtant Angeli, ciuitas mater ſanctorum Hieruſalem. Quid tum ibi dicturus eſt
C iuſtus: dum viderem me in ſeculo pro ſtercore æſtimari ab omnibus, dixi in corde meo, Proiectus ſum à vultu oculorum tuorum. Tu autem exaudiſti vocem quia clamaui ad te. Nolite ergo terrorem pati ſancti Domini, ſi vos ſuperbia hominum opprimit. Erit enim iudicium, in quo requiret veritatem Dominus, & retribuet his, qui abundanter faciunt ſuperbiam. Viriliter nunc agite, nolite deficere, ſed confortetur cor veſtrum, & eſtote ſecuri omnes, qui ſperatis in Domino, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Intellectus Dauid. XXXI.

BEati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus. Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die. Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua, conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi. Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam
D *Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore oportuno. Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me, exultatio mea erue me à circundantibus me. Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos. Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. In camo & freno maxil-*
* *las eorum conſtringe, qui non approximant ad te. Multa flagella peccatoris, ſperantem autem in Domino, miſericordia circundabit. Lætamini in Domino, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde.*

COMMENTARIVM.

TRiceſimus Pſalmus primus præſens, titulum ſuum in intellectum poſuit, vt det intellectum & inſtruat credẽtem in via qua ingreditur, & firmet ſuper eum oculos, ne efficiatur ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus. Ad caput tamen Pſalmi attendamus, in quo illi beati aſſeruntur, quorum remittuntur iniquitates, & quorum teguntur peccata. Niſi enim *quis renatus fuerit ex* Ioan. 3.
aqua & ſpiritu ſancto, hoc ei euenire non poterit. Quis autem eſt iſte qui remittit peccata? Ille ſine dubio de quo
dicitur: Quia *non eſt in ore eius dolus*. Mundus itaque totus 1. Pet. 2.
in ſente poſitus, & in vulnere conſtitutus, quia grauata erat ſuper eum manus Dei, & conuerſus in ærumna fuerat, pro eo quod fracta eſſet eius ſpina, quæ libertatem ceruicis & capitis eius ſublimabat: clamauit ſemper per voces prophetarum, vt veniret qui ſaluaret eum. At vbi venit Dominus, tacuit dum clamarem: Veniente enim Domi-
no, Lex & Prophetæ, qui clamabant, tacuerunt, & pro- Matt. 11.
nunciante vnoquoq; contra eum ſententiam pro pecca- Luc. 16.
to ſuo, ille remittit impietatem cordis eius, pro qua orat omnis ſanctus in tempore oportuno. Oportunum tempus interueniendi pro ſeruo eſt, quando ſeruus emendatur. Nos ergo damus tempus oportunum ſanctis orandi
pro peccatis noſtris, quando à peccato recedimus. Nam F
quod dicit: In diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Oſtendit per vnam aquam baptiſmatis, Deo homines proximare, quæ eſt refugium à preſſura dæmonum, quæ circundat nos. Et intellectum dat nobis, & ita nos inſtruet in via qua ingredimur, vt firmet ſuper nos oculos ſuos, ne efficiamur ſicut equus & mulus. Qui enim noluerint proximi effici, ſi non tribulationes, & camo ſententiali maxillæ eorum aſtringentur, qui non proximant ei. Multa ſunt enim flagella peccatorum: ſed qui ſperant in Domino, miſericordia eos Domini circundabit. Vos autem qui non camo & freno, ſed iudicio bonæ voluntatis venitis ad Dominum. Lętamini in Dominu, & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde in Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem Pſalmus Dauid. XXXII.

G *EXultate iuſti in Domino, rectos decet collaudatio. Confitemini Domino in cythara, in pſalterio decem chordarum pſallite illi. Cantate ei canticum nouum, bene pſallite ei in vociferatione. Quia rectum eſt verbum Domini, & omnia opera eius in fide. Diligit miſericordiam & iudicium, miſericordia Domini plena eſt terra. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Congregans ſicut in vtre aquas maris, ponens in theſauris abyſſos. Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem. Quoniam ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Dominus diſſipat conſilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum. Conſilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis eius in generatione & generationem. Beata gens cuius eſt Dominus Deus eius, populus quem elegit in hæreditatem ſibi. De cœlo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum. De præparato habitaculo ſuo reſpexit ſuper omnes qui habitant terram. Qui finxit ſigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Non ſaluatur Rex per multam virtutem, & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ. Fallax equus ad ſalutem, in abundantia autem virtutis ſuæ non ſaluabitur. Ecce oculi Domini*
H *ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius. Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Anima noſtra ſuſtinet Dominum, quoniam adiutor & protector noſter eſt. Quia in eo lætabitur cor noſtrum, & in nomine ſancto eius ſperabimus. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te.*

COMMENTARIVM.

SI in iſto mondo ab initio ſeculi, iuſti Dei afflictiones & tribulationes paſſi ſunt, quomodo dicitur, gaudete iuſti? ô an vacat ei gaudere qui cæditur, quique diuerſo genere tormentorum afficitur. Si iſta quis loquatur, ſecum conſideret Apoſtolum, non ſolum gaudere in his, verumetiam placere ſibi in perſecutionibus. Vnde & Ia-
cobus Apoſtolus: *Omne,* inquit, *gaudium exiſtimate fratres,* 2. Cor 12.
cùm in tentationibus varijs incideritis. Ipſe autem magiſter 2. Cor. 4.
Coloſſ. 1.

Apoſto-

A Apoſtolorum docet qualiter gaudeamus: *Cùm vos, inquit,*
Iac.1. Matt.5. *perſequuti fuerint homines, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes, gaudete & exultate, quia merces veſtra magna eſt in cœlis.* Si recti eſtis fide, nolite laudes hominum quærere in terris, quia Angelorum habebitis in cęlis. Ibi vos decet collaudatio, vbi laus veſtra finem penitus non habebit. Nunc in cithara confitemini Domino, & ipſa cithara decem chordas habeat, decalogi virtutes recolens, cuſtodiā præceptorum imponat. Prima chorda ſonat rectum ſermonem Domini Orthodoxum, & omnia opera eius in fide. Secūda chorda, quia diligit miſericordiam & iudiciū. Tertia chorda ſonet, quia miſericordia Domini ita plena eſt terra, vt propter omne genus hominum, Dei ſit filius crucifixus. Quarta chorda ſonet, quia verbo cœli firmati ſunt, id eſt, Apoſtoli corroborati ſunt: De iſtis enim cœlis qui bene voluerit erudiri, Geneſeos lectione docebitur. Hic de his cœlis agit, qui narrant gloriam Dei reſurgentis à mortuis, & aſcendentis in cœlos. Nā & ſpiritus ōris Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod ſit omnis virtus eorū, quinta chorda ſequuta eſt. Sexta nūc loquatur, quod congregentur quaſi in vtrem aquæ maris, & ponatur in theſauris

B Dei abyſſus. Quæ eſt abyſſus in theſauro Dei? & quæ eſt abyſſus vbi dæmonum ſupplicia commorantur? Diligenter aduerte, in theſauro Dei abyſſum ille inuenit, qui di-

Rom.11. cebat: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ Dei!* Ergo cum ſecreta ſcientiæ Dei corde mundo & recta fide perquirit, ſcias te ſextam chordā percutere. Alia verò abyſſus vbi dæmones commorantur, hæreticorum ſcrutatio eſt, de qua nobis

Rom. 11. clamatur ab Apoſtolo, *Noli altū ſapere, ſed time.* Nā quod

Ioan. 4. congregantur aquæ maris, omnium gentium ſectæ ad vnum fontem aquæ viuæ collectæ ſunt, vt de hoc vno vtre excipiant aquam ſalientem ad vitam æternam. Et ideo ſeptima chorda hoc ſonat, vt timeat Dominū omnis terra, non Iudęa ſola, ſed & omnes qui habitant orbem. Octaua ſentit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ipſum eſſe rerum omnium creatorem, qui diſſipauit conſilia gentium in idolis, qui reprobauit cogitationes populorum in ſynagogis, qui reprobat conſilia principum paſſionib. martyrum, qui facit conſilium Domini manere in æternum, in Eccleſijs, in quibus ſunt cogitationes cordis eius, in ſe-

C culum ſeculi. Nona chorda indicat beatam eſſe gentem quæ cognoſcit Dominum Ieſum Chriſtum, Deum ſuum, & hūc eſſe populum quem elegit in hęreditatem ſibi. Decima chorda indicat, quia de cœlo reſpexit Dominus ſuper nos, non ſic de cœlo quaſi de feneſtra, ſed de pręparato habitaculo ſuo. i. de homine perfecto, quem aſſumpſit. De ipſo ergo quem Virgo peperit, reſpexit ſuper omnes ſine acceptione perſonæ. Pro omnibus. n. & natus & paſſus eſt, ipſe vtiq; qui finxit ſigillatim corda eorum: non enim opus erat ei, vt teſtimoniū ei quis perhiberet de homine. Ipſe enim ita videbat quid ageretur in homine, vt quid vnuſquiſq; cogitaret proferret in medium. Nam quod dicitur, non ſit ſaluus Rex in multa virtute ſua, tale eſt, qua-

Matt.2. le ſi dicatur Herodi: Quid? quia potens es Chriſtū ita perſequi, vt poſſis perſcrutari ſcribas, diſcutere magos, infantes occidere, in abundantia virtutis tuę: ita non eris ſaluus ſicut ille qui cōfidebat in equo ſuo, & canitur de eo: *Equū*

Exod.15. *& aſcenſorem proiecit in mare:* Et fefellit eum equus ad ſalutem, ita & tu etiamſi gigas ſis in virtute tua nō eris ſaluus. Oculi enim Domini non reſpiciunt confidentes in virtu-

D te ſua, ſed ſperantes in miſericordia eius. Ipſorum. n. eripit animas de morte, & alit eos in fame. Famem quidē in iſto

1.Cor.4. ſeculo ſi paſſi fuerint, & cum Apoſtolo dixerint, *vſq; in hāc horam & eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus.* Adiungunt tamē dicentes: Anima noſtra patienter agit, nō turbatur, ſuſtinēs Dominū. Ipſe. n. adiutor & protector noſter eſt, & ſicut in capite Pſalmi nobis iuſſū eſt, gaudete iuſti in Domino: in ipſo lętabitur cor noſtrum, & in nomine ſancto eius ſperauimus. Ipſe. n. facit miſericordiam ſuper nos, ſicut ſperauimus in eum, qui regnat in ſecula ſeculorū, Amen.

Pſalm. Dauid cùm mutauit vultum ſuum coram Abimelech, & dimiſit eum & abijt. XXXIII.

B*Enedicam Domino in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. In Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti*

E *& lætentur. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum. Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum. Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus. Beatus vir qui ſperat in eo. Timete Dominum omnes ſancti eius, quoniam non eſt inopia timentibus eum. Diuites eguerunt & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacem, & perſequere eam. Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Iuxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit. Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberauit eos Dominus. Cuſtodit Dominus om-*

F *nia oſſa eorum, vnum ex his non conteretur. Mors peccatorum peſſima, & qui oderunt iuſtum delinquent. Redimet Dominus animas ſeruorum ſuorum, & non delinquent omnes qui ſperant in eo.*

COMMENTARIVM.

NIſi mutaueris vultum tuum coram principe vitiorū, & dimiſeris eum, ac virtutum Domino omne quod tibi ſupereſt vitæ mancipaueris tempus, non verè dicis: Benedicam Dominum in omni tempore, nec ſemper laus Dei erit in ore tuo: ſi tibi vitium maledictionis & amaritudinis viuit. Sit ergo laus Dei in ore tuo, non in adulatione laudibus hominum aſſueſcens, nec timeas ne te vituperēt iniuſtè, quos iuſtè vituperas. Si enim ab homine vituperatus fueris, in Deo laudaberis: & ſuperbos contriſtaueris, audiant manſueti, & lętentur. hi qui magnificant Dominum tecum, & exaltant nomen eius in vnum. Videamus nunc cauſas laudis eius. Inquiſiui Dominum, &

G exaudiuit me, & ex omnibus anguſtijs eripuit me: Et vox, ait, accedite ad eum, qui in cæcitate cordis eſtis, accedite & illuminamini, & vultus veſtri non confundentur. Non confundentur in paupertate facies veſtræ, ſi conſideretis omnium rerum Dominum illum cœli terræque diuitem, pro noſtra paupertate pauperem factum, pro noſtra tribulatione tribulatum, ipſi nec in paupertate erubeſcetis, nec in tribulatione deficietis. Nam iſte pauper clamauit in cruce. Quis pauper? Qui, vt te diuitem faceret, pauper factus eſt. *Factus obediens vſq; ad crucem*, vt te à cruciatibus Phil.2.
liberaret. Clamauit, & Dominus exaudiuit eum, miſit Angelum ſuum in circuitu timentium corpus eius, & *reuoluit* Matt.28.
lapidem à monumento, & eripuit eum. Guſtate corpus vitæ, & videte quam ſuauis eſt Dominus: *Vitam enim habet* Ioan.6.
in ſemetipſo, qui manducauerit carnem eius, & biberit ſanguinem eius, & tunc beatus erit vir qui ſperat in eo. Timete Dominum omnes ſancti eius, quoniam nihil deeſt timentibus eum. Nihil deeſt in præſenti de virtutibus, nihil deeſt perfectioni, vt nihil in futurum gaudijs deſit. Nam præſentis temporis diuitiæ, amatores ſuos ita deſerere ſolent, vt egentes & eſurierētes videas eos, quorum in diuitijs nullus poterat ferre ſuperbiam. Ergo in incerto ſunt poſitæ H
diuitiæ quas confert mundus. Diuitiæ autem quas contulerit Dominus non deficient, ſed permanent in omni bono, & quia iſtæ diuitiæ de timore Dei naſcuntur. Sic enim ait, Timete Dominum ſancti eius, quia nihil deeſt timentibus eum. Qui æterni diuites eſſe deſideratis, venite ad me quaſi filij ad patrem. Clamat Spiritus ſanctus, Venite & audite me, timorem Domini docebo vos. Timorem enim Domini ille doceri vult, qui vult vitam æternam, & deſiderat videre dies bonos. Times ergo Dominum, non ſi tonantem, aut fulgurantem, aut terræ motum facientem timeas, ſed ſi ignem æternum comminantem formides. Quia ſicut habet vitam, qui cohibet linguam ſuam à malo, & ſicut aures Domini in preces eius ſunt, qui ita auertitur à malo vt faciat bonum, ita vultus Domini ſuper

A faciens mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Notandum ſanè, quia inter cætera virtutum inſignia, pax quoque quærenda præcipitur: Inquire, inquit, pacem, & ſequere eam. Pax enim & in præſenti dies bonos facit hominibus, & in futuro Dei filiorum dignitatem impertit, ſecundum id quod ipſe Dominus dicit: *Beati pacifici, quia filij Dei vocabuntur.* (Matt. 5.) Nec hoc nos terreat, quod videmus in iſto ſeculo, multas tribulationes iuſtorum. Tranſeunt enim ipſæ tribulationes, & ex his omnibus liberat eos Dominus. Ipſe etiam in ſepulchro cuſtodit omnia oſſa eorũ, & ea ſeruat reſurrectioni, vt vnum ex his non patiatur perire in reſurrectionis die. (Matt. 10.) Mors autem peccatorum peſſima apparebit tempore quo reſuſcitat in corporibus animas ſuorum: Hoc ſanè ſciatis, inquit, quia non peccat, omni qui ſperat in eo. Abſtinentiam peccatorum in fine Pſalmi commendat eis, qui ſperant in Dominum, vt ad ſpei ſuæ fructum attingant. Non enim peccant, inquit, omnes qui ſperant in eum. Vt autem non peccemus, eius B eſt inſtanter miſericordia poſtulanda, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem Pſalmus Dauid. XXXIV.

IVdica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi. Effunde frameam, & conclude aduerſus eos qui me perſequuntur, dic animæ meæ: ſalus tua ego ſum. Confundantur & reuereantur quærentes animam meam. Auertantur retrorſum & confundantur, cogitantes mihi mala. Fiant tanquam puluis ante faciem venti, & Angelus Domini coarctans eos. Fiat via illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos. Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui, ſuperuacuè exprobrauerant animam meam. Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abſcondit apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipſo. Anima autem mea exultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutari ſuo. Omnia oſſa mea dicent, Domine, quis ſimilis tui? Eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum. Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me. Retribuebant mihi mala pro bonis ſterilitatem animæ meæ. Ego autem C *cùm mihi moleſti eſſent, induebar cilicio, humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinu meo conuertetur. Quaſi proximum, & quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam, quaſi lugens & contriſtatus ſic humiliabar. Et aduerſum me lætati ſunt, & conuenerunt, congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui. Diſſipati ſunt nec compuncti, tentauerunt me, ſubſannauerunt me ſubſannatione, frenduerunt ſuper me dentibus ſuis. Domine quando reſpicies, reſtitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam. Confitebor tibi in eccleſia magna, in populo graui laudabo te. Nõ ſupergaudeant mihi qui aduerſantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis & annuunt oculis. Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, & in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant. Et dilatauerunt ſuper me os ſuum, dixerunt euge euge viderunt oculi noſtri. Vidiſti Domine ne ſileas, Domine ne diſcedas à me. Exurge & intende iudicio meo, Deus meus & Dominus meus in cauſam meam. Iudica me ſecundum iuſtitiam tuam Domine Deus meus, & non ſupergaudeant mihi. Non dicant in cordibus ſuis euge euge animæ noſtræ, nec dicant deuorabimus eum. Erubeſcant & reuereantur ſimul, qui gratulantur malis meis. Induantur confuſione & reuerentia, qui maligna loquuntur ſuper me. Exultent & lætentur, qui volunt iuſtitiam meam, & dicant ſemper magnificetur* D *Dominus, qui volunt pacem ſerui eius. Et lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam.*

COMMENTARIVM.

DOminus Ieſus Chriſtus, ſi præceptis ſuis ſcripturas veteris Teſtamenti vidiſſet eſſe contrarias, à ſua Eccleſia excluſiſſet. Nunc verò cum non ſolum nõ excluſit, ſed etiam à Patre ſanctificatas aſſeruit. Namque cum teſtimonium de filijs Dei daret & diceret verſiculum Pſalmi octogeſimi primi: *Non poteſt*, inquit, *mutari Scriptura, quem Pater ſanctificauit, & miſit in hunc mundum.* (Ioan. 10. Matt. 5.) Quid ergo faciemus: Si maledicamus inimicos noſtros, Euangelica præcepta contemnimus, quibus non ſolum non maledicere, verumetiam pro his orare iubemur. Si cuſtodire volumus Euangelij iuſſiones, Pſalmos relinquimus, quibus frequenter inimici maledicuntur, vt in iſto Pſalmi E loco: in capite, Iudica, inquit, nocentes me, & cætera quæ ſequuntur. Vnde cautius Pſalmiſta caue, ne ad homines aduerſantes tibi, putes iſta competere, ſed fide fixus pro inimicis tuis ora, ſicut iuſſum eſt, & hanc orationem Pſalmi præſentis, non contra carnem & ſanguinem, ſed cõtra ſpiritus aeris huius, qui quotidie nocent, quotidie bella committunt. Induere ſacco ſiue cilicio, & humilia in ieiunio animam tuam, quia non vincuntur, niſi per orationẽ & ieiunium. Quid ergo oras indutus cilicio? Vt expugnet (Eph. 6.) Dominus expugnantes te, vt apprehẽdat arma auxilij ſui, arma inuiſibilia aduerſus hoſtes inuiſibiles. Ipſi enim quærunt animam tuam. Ora vt fiat via eorum tenebræ & lubricum, & angelus Domini perſequatur eos, qui abſconderunt tibi interitum laquei ſui, vanam exprobrantes animam tuam, dicentes ei: Vanum eſt quod oras, quod ieiunas, quod mundum contemnis. Vnde & Propheta hoc ipſum increpat dicens: Ideo, ait, plaga ſuper Iſrael multiplicata eſt, quia dixerunt: Vanus eſt qui timet (Mal. 3.) Deum. Ergo quia hi ſpiritus immundi ſuggeſtionibus ſuis vanam exprobrant animam meam, vt vilem ſe æſtimans, à precioſo Dei timore abſcedat: Veniat illis laqueus quẽ ignorãt: ſicut mihi inuiſibiles hoſtes ſunt ad bonum pergenti, ſic illis inuiſibilis occurrat laqueus ad meum interitum feſtinantibus, vt captio quam occultauerant mihi, apprehendat eos, & in eodem laqueo incidant, vt anima mea exultet in Deo ſalutari ſuo, qui eripit inopem de manu fortioris. In quo exurgunt teſtes iniqui, oſtendentes quod eſt pulchrum fœdum, & quaſi bonum quod eſt inimicum, quæ ignorabam, quæ penitus ad animam non habebã, hæc interrogabant me: retribuebant mihi mala pro bonis. Hic retributio mala pro bonis dæmonum talis eſt, vt dicerem, quotiens oro, quoties à peccatis abſtineo, mala mihi eueniunt, & ſterilitas meam animam comitatur. Quid ergo egiſti dum tibi moleſti eſſent? dic nobis, vt & hoc nos faciamus. Cùm multi, inquit, moleſti eſſent, induebar cilicio, & humiliabã in ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinu meo conuerſa eſt. Quemcunque quaſi G proximũ, & quaſi fratrẽ meũ putabam fidelẽ, & placebã mihi in eo, ita egit vt Iudas in Domino, vt lugerem me & contriſtatum faceret, humilem inimicis. Sic paſſioni Dominicæ hoc applicabis, vt tamen ordinẽ cœptæ explanationis aſtringas, quia ipſa paſſio Domini hoc agit, vt nos ædificemur. Quanto enim plus Deo adhæſeris, tanto plura dæmonum circa te flagella non deerunt, ipſi tentãt te, & de riſu ſuo exagitant, & fremunt ſuper te dentibus ſuis. Tu quod tuum eſt clama: Domine quando reſpicies, reſtitue animam meam à malis factis eorum, à leonibus vnicam meam. Vna nobis eſt anima noſtra, & numero & affectu. Cùm ergo eam reſtitueris in bono propoſito, & liberaueris à malis factis eorum, tunc confitebor tibi in Eccleſia magna, & in populo non leui, non flagitanti pompas, & accipienti perſonas, ſed in populo graui timoris tui cuſtodient: in eo nihil erit aſſiduitas, & in eodem populo laudabo te, non ergo inſultent qui aduerſantur mihi iniqui, qui oderunt me gratis, & annuũt oculis. Hæc, vt dixi, ita paſſioni Dominicæ applica, vt ædificationis tuæ interpretem penitus non omittas: dæmonia enim nobis quotidie H pacificè loquuntur. Pacifica res eſt concupiſcẽtię fructus: ſed ſuper iram doloſam cogitant, ſicut in hamo eſca, dulcis in aſpectu, lætalis in guſtu eſt. Dilatauerunt in me os ſuum, quotidie ſeculi amatores crimina inaudita cõmittunt, & nullus penitus à nullo arguitur. At ibi quis boni propoſiti in leui qualicunq; culpa incurrerit, dilatant ſpiritus immundi ora eorum, qui, vt dixi, criminibus vacant, vt videas eos tale ferre iudiciũ in vno qualicunq; peccato, vt dicant: cur non vrbe pelluntur? vt quid viuere permittuntur? Iſti ſunt per quos mũdus perijt. Hic clamat ad Dominum: Exurge Domine & intende iudicium meum, & cauſam meam iudica ſecundum miſericordiam tuam. Si enim ſecundum miſericordiã iudicaueris, non inſultabunt in me dæmones, nec dicent euge euge animæ meæ, nec dicẽt deuorauimus eum. Eugeeuge, & in bono accipitur & in malo. Nam dicitur, *Euge ſerue bone & fidelis:* dicitur, Et euge viderunt oculi noſtri. Euge ergo vox eius eſt, (Matt. 25. Luc. 19.)

cuius

A cuius deſiderium videtur impletum, ſiue in bono, ſiue in malo. Mox itaque vt hi qui in malo tuo lætantur, non dicant, deuorauimus eum, ſed confundantur qui gratulantur in malis tuis. Et lætentur qui volunt iuſtitiam tuam, & deſiderant pacem tuam, vt lingua tua meditetur iuſtitiã Dei, & omni die in laude eius permaneas, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem ſermo Domini Dauid. XXXV.

Dixit iniuſtus vt delinquat in ſemetipſo, nõ eſt timor Dei ante oculos eius. Quoniam doloſè egit in conſpectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odium. Verba oris eius iniquitas & dolus, noluit intelligere, vt benè ageret. Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo, aſtitit omni via non bonæ, malitiam autem non odiuit. Domine in cœlo miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes. B *Iuſtitia tua ſicut montes Dei, iudicia tua abyſſus multa. Homines & iumenta ſaluabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus. Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te, & iuſtitiam tuam his qui recto ſunt corde. Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt nec potuerunt ſtare.*

COMMENTARIVM.

Diſcernendum eſt inter eum qui delinquit in alio, & inter eum qui delinquit in ſemetipſo. Delinquit in alio, qui cùm poſſit corrigere à malo peccantem, inſuper & adulatur. Delinquit in ſeipſo, qui ſibi ipſi nõ vult ſuadere iuſtitiam, quia non eſt timor Dei in conſpectu eius, vt inueniatur iniquitas ſua ad odium, laudat iniuſtum, vt laudetur iniuſtus. Non vult intelligere actiones bonas, C quibus promerebitur Deus cubile cordis ſui. Iniquitatem meditatur, vt adſit omni viæ non bonæ, & non exerceretur malitiam. Et licet in terra & in mari ſit miſericordia Domini, ſed propriè in cœlo eſt miſericordia eius, vnde venit, inde expectatur. Veritas autem eius vſque ad Apoſtolos, qui nubes idcircò appellantur, quia mundatione ſermonis ſui terram rigantes fidei, eam fructum Deo facere docuerunt. Vnde & de ipſis Dominus dicit: Ioan.14. *Mandabo nubibus vt non pluant ſuper Iudæam imbrem.* Vſque ad ipſos veritas, quæ eſt Chriſtus: cuius iuſtitia eſt ſicut montes Dei, cuius iudicia abyſſus multa ſunt, qui & homines, & iumenta ſuo ſaluabit aduentu, id eſt, Iudæos & gentes. Nam & filij hominum, qui in peccato Adæ deſperantes extiterant, in protectione alarum eius ſperant, id eſt, in expanſione manuum in cruce fixarum: ſperant autem, qui inebriantur ab vbertate domus eius. Domus eius eſt, quæ ex latere ſuo fudit, vnde inebriantur qui credunt, & torrente deliciarum ſuam potabit eos, qui inebriati fuerint ab vbertate domus eius. Quoniam apud ipſum eſt fons vitæ, & quia lux de lumine eſt, in ipſius lumine videbimus lumen, Ioan.4. qui prætendit miſericordiam ſuam ſcientibus ſe. D Iuſtitiam verò ſuã his qui recto ſunt corde. Ipſe enim & indulgentiam prætendit corrigenti, & ſeruat iuſtitiam permanenti. Vnde orandũ eſt, vt non veniat nobis pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat nos. In manu enim diaboli ſunt omnes, qui operantur iniquitatem, & deſperantes de miſericordia Dei, expulſi ſunt & non potuerunt ſtare. Sed Apoſtolus dicit: Rom.14. *Stabit. Potens eſt Deus ſtatuere illum.* Rogandus eſt ergo Dominus Ieſus Chriſtus, vt ipſe nos confirmet, vt in timore eius ſtare poſſimus, per ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui regnat in vnitate Patris & Spiritus ſancti in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus ipſi Dauid. XXXVI.

Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum citò decident. Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & paſceris in diuitijs eius. E *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet. Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem, ſubditus eſto Domino, & ora eum. Noli æmulari in eo qui proſperatur in via ſua, in homine faciente iniuſtitias. Deſine ab ira, & delinque furorem, noli æmulari vt maligneris. Quoniam qui malignantur, exterminabuntur, ſuſtinentes autem Dominum, ipſi hæreditabunt terram. Et adhuc puſillum, & non erit peccator, & quæres locum eius, & non inuenies. Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis. Dominus autem irridebit eum, quoniam proſpicit quod veniet dies eius. Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum ſuum. Vt decipiant pauperem & inopem, vt trucident rectos corde. Gladius eorũ intret* F *in corda ipſorum, & arcus eorum confringatur. Melius eſt modicũ iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas. Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem iuſtos Dominus. Nouit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit. Non confundentur in tempore malo, & in dieb. famis ſaturabuntur, quia peccatores peribunt. Inimici verò Domini mox, vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. Mutuabitur peccator, & non ſoluet, iuſtus autem miſeretur & retribuet. Quia benedicentes ei hæreditabunt terram, maledicentes autem ei diſperibunt. Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet. Cùm ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam. Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Tota die miſeretur, & commodat, & ſemen eius in benedictione erit. Declina à malo, & fac bonum, inhabita in ſeculum ſeculi. Quia dominus amat iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos, in æternum conſeruabuntur. Iniuſti punientur, & ſemen impiorum peribit. Iuſti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſeculum ſeculi ſuper eam. Os iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Lex dei eius in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus eius.* G *Conſiderat peccator iuſtum, & quærit mortificare eum. Dominus autem non derelinquet eum in manus eius, nec damnabit eum cum iudicabitur illi. Expecta dominum, & cuſtodi viam eius, & exaltabit te vt hæreditate capias terram, cum perierint peccatores videbis. Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros libani. Et tranſiui, & ecce non erat, quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Cuſtodi innocentiam, & vide æquitatem, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico: Iniuſti autem diſperibunt, ſimul reliquiæ impiorum interibunt. Salus autem iuſtorum à domino, & protector eorum in tempore tribulationis. Et adiuuabit eos dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos, quia ſperauerunt in eo.*

COMMENTARIVM.

Si hæc ſpes quæ videtur expetitur, zelabimur malignantes, & facientes iniquitatem. Dicere enim poſſumus. Ecce ille & ille, hæc ſcelera perpetrarant & florent: Noli, inquit, iſta conſiderare, ſed conſidera, quoniã tanquam fœnum velociter areſcent. Tu autem ſpera in deum, & fac bonitatem, ſpera quia Rom.8. *ſpe ſalui facti ſumus.* Inhabita terram, & paſcere in diuitiis eius. H Inhabita terram, id eſt, corpus tuum: & paſceris in diuitiis eius. Si operatus fueris terram tuam, ſaturaberis panibus. Offerant oculi fructum ex concupiſcentia cœleſti, aures intentionem audiendi verbum Dei, os diuinis laudibus occupetur, manus eleemoſynis, venter ieiuniis, & totum corpus caſtitatis virtutibus occupetur. Sic inhabitans terram & paſceris in diuitiis eius, tunc delectaberis in Domino, & dabit tibi petitionem cordis tui. Cum ei reuelaueris viam tuam, tunc educet iuſtitiam tuam quaſi lumen, & iudicium tuum clarum faciet ſuper meridiem. Nihil enim clarius meridiano tempore. Perfectum enim hoc tempore progreditur lumen. Subditus eſto Domino, & ora eum: quaſi dicat, ſi ei ſubditus non fueris, vt facias voluntatem eius, ſine cauſa obſecras eum. Noli zelari eum qui proſperis ſucceſſibus pollet, hominem facientem iniquitatẽ. Deſine ab ira, & derelinque furorem. Noli zelari vt maligneris, quoniam qui malignantur, exterminabuntur. Matt.5. Quod differtur non aufertur, puſillum,

A *Matt. 5.* & non erit peccator. Quæres locum eius, nec inuenies. Nam qui manſueti ſunt *poſſidebunt terram*. Non iſtam matrem ſpinarum, & ſerpentium, ſed illam in qua æternitas *Exod. 3. 13. 32. Deut. 6. 26* regnat, terram fluentem lac & mel. Et ibi delectabuntur in multitudine pacis. Hæc ſi iuſtus es, vide ne in præſenti mundo perquiras: non enim melior Paulo eris, in fame & ſiti duranti, in frigore & nuditate perſeueranti. Sed eſto ſollicitus, quia quotidie te diabolus conſiderat, & fremit ſuper te dentibus ſuis, ſed Dominus irridet eum, quia ſcit *1. Cor. 4.* quod eueniat dies eius. Et quantacunque contra te dæmonia bella committant, noli timere: Quia gladij eorum intrabunt in corda eorum, & arcus eorum confringetur. Melius tibi ſit modicum de iuſtitia poſſidere, quàm de iniuſto diuitias peccatorum multas. Nam brachia dæmonum ſi pugnaueris confringet Dominus. Dignatur enim iuſtos ſuos in ſua miſericordia confirmare, quorum ſcit B vias immaculatorum, quorum hæreditas eorũ Chriſtus eſt. Qui in æternum manet, per ipſum non confundentur in tempore malo. Tempus malum eſt Chriſtiano, quando ad peccatum aliquod prouocatur. Sed ſi hæreditas eius in æternum manet, id eſt, ſi perſeuerat in Chriſto, non confundetur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabitur, tempore quo peccatores pereunt. Modo autem regnant etiam ipſi inimici Domini, qui licet honorentur, & ab adulatoribus exaltentur, deficientes quaſi fumus continuo deficient. Iuſti autem exabundabũt, & largientur, & tribuent. Iniuſtus autem etiam mutuabitur, & nõ ſoluet. Semper auarus eget. Iuſtus autem quia à Domino greſſus eius dirigentur, etiam ſi ceciderit, non colliditur, quia Dominus ſupponit manum ſuam. Recordare ab initio, & videbis iuſtum probatum potiùs quàm deceptum, nõ derelinquitur. Qui declinat à malo vt faciat bonum, in æternum conſeruabitur, quia os eius meditabitur ſapientiam. Lex enim Dei eſt in corde eius, & ideò nõ ſupplantabuntur greſſus eius. Conſiderat eum diabolus, & cupit mortificare eum, ſed Deus non derelinquet eum in manibus ſuis, nec dãnabit eum cùm iudicabitur illi. Ex- C pecta Dominum, & cuſtodi vias eius, & exaltabit te vt hæreditates terram, tempore quo pereunt peccatores, videbis: Hoc loco quæ ſequuntur, licet multos conſcientia noſtra retineat ſubito de potentatu corruiſſe, & ita ad nihilum deueniſſe, vt nec locum ſui itineris reliquerint, tamen ſpecialiter hoc de diabolo ait. Ipſe eſt enim impius exaltatus ſuper cedros libani. Sed vbi tranſierit mundus, quæretur locus eius, & non inuenietur. Cuſtodiamus nos vnitatem fidei, vt videamus æquitatem iudicij. Qui faciet reliquias homini pacifico, iniuſtos autem punit ſimul. Reliquiæ verò impiorum tunc peribunt, quando ſalus veniet iuſtorum à Domino, & protector eorum erit in tempore tribulationis: vt autem euadant adiuuat eos Dominus, & liberat eos, & eripit eos à peccatoribus, & ſaluat eos, quoniam ſperant in Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus Dauid in rememoratione ſabbati. XXXVII.

Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti D *ſuper me manum tuã. Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorũ. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meũ, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ. Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem, tota die contriſtatus ingrediebar. Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea. Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei. Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt. Et qui iuxta me erant de longe ſteterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam. Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & doloſ tota die meditabantur. Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Et fa-* E *ctus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Quoniam in te Domine ſperaui, tu exaudies me Domine Deus meus. Quia dixi ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei, & dum cõmouentur pedes mei, ſuper me magna locuti ſunt. Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper. Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo. Inimici autem mei viuunt, & confirmati ſunt ſuper me, & multiplicati ſunt qui oderunt me inique. Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem. Non derelinquas me Domine Deus meus, ne diſceſſeris à me. Intende in adiutorium meum Domine Deus ſalutis meæ.*

COMMENTARIVM.

Bene quidam voluit adtropare in beati Iob paſſionem iſtum Pſalmum exponendo, ſed qui paſſionem Iob F legere & ſcire deſiderat, melius facit ſi ipſum eius librum diſcutiat. Hic autem idem qui in ſexto Pſalmo eſt pœnitens, clamat ad Dominum, ne in ira Domini arguatur, aut in correptionem eius diuinus furor exæſtuet. Sanè quotieſcunque motus iſtos in Deo legeris nõ ſecundũ id quod tu pateris, iram ſenti, quia Deus impaſſibilis eſt, & non ſua commotione, ſed ſua æquitate caſtigat. Nos tamen cùm iram ſentimus, furorem dicimus, quia inopiam patimur & ſermonis & rationis, & de incorporeo corporei, ac de impaſſibili paſſibiles, ſecũdùm quod nos poſſumus, non ſecundùm quod ipſe eſt proteſtamur. Denique ſequitur: Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi. Nunquid quia ſagittas nominat, verè ſagittæ ſunt? Imò ipſæ verè ſagittæ ſunt, de quibus ſpiritaliter pungimur, vt conſideremus, quia non eſt ſanitas in carne noſtra, quando libidinum vulneribus agitamur, ibi vulnus iræ Domini, ibi pacem oſſa noſtra nõ habent à facie peccatorũ noſtrorum. Quando iniquitates noſtræ ſupergrediuntur caput noſtrum. Caput noſtrum Chriſtus eſt. Quando contra eius præcepta aliquid agimus, iniquitates noſtræ caput noſtrum ſupergrediũtur, & ſicut onus graue grauantur ſuper nos. Et quia motas facimus, in ipſis vulneribus noſtris putreſiunt, deteriorant ipſa vulnera, à facie inſipientiæ noſtræ miſeri efficimur, & turbamur vſque in fi- *1. Cor. 11. Epheſ. 1. 4. Coloſ. 1.* G nem. Quid autem in ipſo peccato triſtes efficimur? Quia cognoſcimus animam noſtram impletã illuſionibus dæmonũ, & ideò non eſſe ſanitatem in carne noſtra. Incuruemur ergò & humiliemur vſquequaque, & rugitũ noſtri cordis gemitumq; reddẽtes, ex totis viſceribus exclamemus: Domine ante te omne deſideriũ meũ. Deſideremus enim in ipſis peccatis poſiti, alieni effici à peccatis: & hoc orandum docemur, vt huic deſiderio annuat diuina clemẽtia, quia cor noſtrũ turbatur, & deſerit nos fortitudo noſtra, & lumen oculorũ noſtrorũ, id eſt Chriſtus, & Spiritus ſanctus non eſt nobiſcũ. Quando pollutionibus occupamur, tunc amici noſtri apices Dei aduerſum nos veniunt, & ſtant, increpant, minantur ignem æternum, minantur mortem repentinam. Proximi autem à longe ſtant, id eſt, angeli ſancti, qui proximi nobis ſunt, quando iuſtè, & piè, & caſtè tractamur. Et quia pollutionibus aut impietatibus iuxta eſſe non poſſunt, ideò à longe ſtant: & illis lõge ſtantibus vitio noſtro, vim nobis faciunt qui quærunt animam noſtram, & quærentes mala noſtra, ſuggerũt vanitatem, & dolos tota die medi- H tantur. Iam qui vult ad miſericordiam peruenire, dicit quod ſequitur: Ego autẽ tanquã ſurdus nõ audiebã, illiſq; prouocantibus, vt in aliquo turpi aut malo verbo prorumperem: Factus ſum vt mutus non aperiens os ſuum. Quare hoc? Quia in te ſpero Domine. Spe enim ſalui effici- *Rom. 8.* mur & credimus. Quoniam tu exaudis Domine Deus, vt non inſultent nobis inimici noſtri. Qui inimici? illi qui quando commouentur pedes noſtri, aduerſum nos magna loquuntur. Hæc autem dicimus, ſi agnoſcamus nos pro peccatis noſtris in flagella paratos, & dolor cordis noſtri agat contra nos, atque iniquitatem noſtram pronuncians, faciat nos cogitare pro peccato noſtro. Inimici enim noſtri viuũt, & firmantur ſuper nos, quando delinquimus: quando autem non delinquimus, multiplicantur vt odiant nos inique, vt retribuant nobis mala

A pro bonis: ita vt orantibus & caſtè nos tractantibus, illi zelo ducti, pro his bonis mala retribuant, & faciant nobis detrahi, quando ſequimur iuſtitiam. Et ideo clamandum eſt ad Dominum, ne derelinquat nos pro peccatis noſtris, ſed intendat in adiutorium noſtrum, in quo præterita pœnitemus, præſentia corrigimus, ipſe futura dirigat, vt ſicut titulus commemorationem diei ſabbati pſalmo poſitus proteſtatur, ab omni opere ſeruili ceſſemus, vt liberemur à ſeruitute peccati, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui in vnitate deitatis regnat cum Patre & Spiritu ſancto ante omnia, & nūc & ſemper, & in cuncta ſecula ſeculorum, Amen.

In finem pro Idithum canticum Dauid. XXXVIII.

B *Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me. Obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis, & dolor meus renouatus eſt. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Locutus ſum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum. Et numerum dierum meorum quis eſt, vt ſciam quid deſit mihi. Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihil ante te. Veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens. Veruntamen in imagine pertranſit homo, ſed & fruſtra conturbatur. Theſaurizat & ignorat cui congregabit ea. Et nunc quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus & ſubſtantia mea apud te eſt. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me, opprobrium inſipienti dediſti me. Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu feciſti à me plagas tuas. A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus, propter iniquitatem corripuiſti hominem. Et tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius, veruntamen vanè conturbatur omnis homo. Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam, auribus percipe lachrymas meas. Ne ſileas quoniam aduena ego ſum apud te & peregrinus, ſicut omnes patres mei. Remitte mihi vt refrigerer prius quàm abeam, & amplius non ero.*

COMMENTARIVM.

C IN triceſimo & octauo Pſalmo ingreſſi videmus ſancti propoſiti profeſſionem, in qua poſitus homo Dei quid dixerit, quid cogitauerit, quid doluerit, quid meditatus fuerit, quid orauerit explicatur. Quid ergo dixerit audiamus. Puta mus eum audiſſe: Currite dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant. Et hic volens currere dixerit, vt cuſtodiret vias ſuas. Primo omnium egit, vt non delinqueret in lingua ſua, poſuit ori ſuo cuſtodiam. Quando? Non ſemper tacuit? non omni tempore, ſed eo tempore dum cōſiſteret peccator aduerſus eum, qui eum prouocaret, aut ad maledicēdum, aut ad conuitiandum, aut ad obtrectandum, aut etiam aliquod malum ex ore ſuo proferendum. Hic eo tempore obmutuit, & humiliatus eſt & ſiluit, non ſolùm à malis, ſed etiam à bonis. Perfectius egit Paulus, non obmutuit à bonis, ſed à ſolis malis. Nam dum conſiſteret peccator aduerſus eum, dixit: *Maledicimur, & benedicimus, blaſphemamur & obſecramus.* Hic tamen nec bonum, nec malum protulit: Sed obmutuit, inquit, etiam à bonis, & dolor meus renouatus eſt, id eſt, nouis cōuicijs, nouis doloribus commouebar. Sed quia dixi, vt non delinquerem in lingua mea, concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exarſit ignis genuinus, qui motum conſcientiæ innocētis inflammat. Locutus tamen tandem aliquando dixi Domino: Notum fac mihi finem meum, vt ſciam quàm diu opprobrium inſipienti ero. Conſideraui tamen & hoc, quia vanitati ſubiacet omnis homo viuens, quiſque cùm in imagine tranſeat, ſollicitus eſt, & condit theſauros, ignorans cui congreget eos. Quæ autem cauſa, vt dum agit de eo, qui eum ſuo iurgio prouocabat ad litigandum, ſubitò ad iſtum deuolutus ſit qui theſaurizat. Vtique non eſſet lis in ſeculo, ſi non vnus vellet alio ditior fieri, ſiue in opibus, ſiue in honoribus. Hic autem qui cuſtodit vias ſuas, dicit: Expectatio mea non eſt alia, niſi Dominus, & ſubſtantia mea ipſe eſt, qui ab omnibus iniquitatibus meis eripiat me, & amoueat à me plagas ſuas. A fortitudine enim manus Domini defeci in increpationibus, conſiderans fortitudinem patientiæ Dei, qui vſq; in crucem manus ſuas expādit, & dum illum cupio imitari, defeci in increpationibus. Propter præuaricationem primum hominem corripuiſti, & qui factus fuerat, vt efficeretur per obediētiam immortalis, per inobedientiam mortalis effectus eſt, & cùm mortalis eſt, tabeſcat veluti aranea anima eius. Non dixit mori feciſti, ſed tabeſcere feciſti, & dat araneæ comparationem, vt ſicut ſciſſa tela eius repētino flatu, ita ſciſſo corpore eius à morte, anima tabeſcat, non habens florem corporeum, & tamen vanè conturbatur, cùm ſciat ſe non longo poſt tempore moriturum. Hæc in alio increpans, in ſe emendat, & cum lachrymis orat, vt non taceat Dominus, loquatur in corde eius in confeſſione eius, vt cognoſcat ſe incolam & peregrinum in hoc ſeculo, & dicat: Remitte mihi hic peccata mea, vt ibi refrigerer: Hic, inquit, mihi remitte prius quàm abeam, quia ſi mihi hic remiſeris, ibi refrigerium inuenio, & amplius non ero peregrinus, quia efficior ciuis ſanctorum & domeſticus Dei, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Ioan 12.
1. Cor. 9.
1. Cor. 4.
D
E
Gen. 3.
F

In finem Pſalmus Dauid. XXXIX.

EXpectans expectaui Dominum, & intendit mihi. Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fecis. Et ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos. Et immiſit in os meum canticum nouum carmen Deo noſtro. Videbunt multi & timebunt, & ſperabunt in Domino. Beatus vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas. Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi. Annunciaui & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum. Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi, ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Annunciaui iuſtitiam tuā in Eccleſia magna, ecce labia mea non prohibebo Domine, tu ſciſti. Iuſtitiā tuā non abſcondi in corde meo, veritatem tuam & ſalutare tuū dixi. Non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam a conſilio multo. Tu autem Domine ne longè facias miſerationes tuas a me, miſericordia tua, & veritas tua ſemper ſuſceperunt me. Quoniam circūdederunt me mala, quorum non eſt numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem. Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me. Complaceat tibi Domine vt erues me, Domine ad adiuuandum me reſpice. Confundantur & reuereantur ſimul, qui quærunt animam meam, vt auferant eam. Auertātur retrorſum & reuereantur qui volunt mihi mala. Ferant confeſtim confuſionem ſuam, qui dicunt mihi, euge euge. Exultent & lætentur ſuper te omnes quærentes te, & dicant ſemper magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum. Ego autem mendicus ſum & pauper, Dominus ſollicitus eſt mei. Adiutor meus & protector meus tu es Deus meus, ne tardaueris.

G

COMMENTARIVM.

ISte in triceſimo octauo Pſalmo dixit: *Quæ eſt expectatio mea, nonne Dominus?* Nunc in triceſimo nono dicit: Expectans expectaui Dominum, & reſpexit me. Et qui ibi dixerat: *Exaudi orationem meam.* Hic dicit: Exaudiuit orationem meam. Quid oraſti? Hoc, inquit, oraui, vt educeret cogitationes meas de lacu miſeriæ, & de luto libidinum, quæ meritò feces dicuntur, & ſtatueret ſuper petrā pedes meos, vt vltra non commouear flantibus ventis, id eſt, ſuggerentibus ſpiritibus immundis. Et his factis dirigat greſſus meos, tunc dabit ori meo canticum nouum. Omnis qui vicerit, nouum canticum canit, canit autem non ſibi, reputans quia ſine Deo non reſpondet ſalus, nec Pharaoni, ſed canit hymnum Deo, quia in ipſo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilū redigit inimicos noſtros. Ego ergo expectans Dominū, hoc conſecutus ſum. Videbunt me multi ſperantē in Domino, ad meum deſiderū peruenisse, & ipſi timebunt Deū, & ſperabunt in Domino. Ille enim ſolus beatus, qui nomen Domini ſpem ſuā credens non reſpicit vanitates mundi, & inſanias falſas diaboli.

Pſal. 38.
H

Multa

A Multa fecit Dominus mirabilia, & in cogitatione eius nullus ſimilatur ei, nec in cælis, nec in terris. Ego autem annunciaui, quia expectaui Dominum, & locutus ſum, quia reſpexit me, & multiplicati ſunt qui expectarēt Dominum. Didicerunt enim à me, quia ſacrificium & oblationem noluiſti, aures autē perfeciſti mihi. Dixiſti enim: Plus eſt obedientia aurium, quàm ſacrificium manuum, quod tibi pro peccato offerri minimè poſtulaſti: tunc dixi, ecce veniam. In capite libri ſcriptum eſt de me, id eſt, in initio Pſalterij de me ſcriptum eſt, vt beatus efficiar vir, vt faciam voluntatē tuam, & ſit in lege tua voluntas mea, hoc volui, & legem tuam in medio cordis mei. Annūciaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna, id eſt, in conuentu magnorū iuſtè locutus ſum, iuſtè iudicaui, non accipiens perſonam. Prohibui labia mea, vt quod iuſtum eſt nō
B abſconderem in corde meo, ſed veritatem tuam in iudicio, & ſalutare tuum in perſona humili, dixi: Nō celaui miſericordiam tuam, ſed dixi miſerendum inopi. Nec tacui veritatem tuā in ſynagoga multa, id eſt, in conuētu multorum. Tu ergo Domine ne longè facias miſericordias tuas à me, quia miſericordia tua & veritas tua ſemper ſuſceperūt me: ſuſceptum me ſuum agnoſcit, æquitas dum iudico, miſericordia dum ſubuenio. Et quoniam aduerſa & mala comprehenderunt me fugientem, & non poſſum mihi adeſſe, & multiplicantur ſuper capillos capitis mei, ita vt ipſum cor meum derelinquat me. Deprecor, vt cōplaceat tibi Domine, vt eripias me, Domine ad adiuuandum me reſpice. Quærunt enim ſpiritus immundi animā meam, vt auferant eam, & volunt mihi mala, ita vt dum ſatis ſibi fecerint, dicant mihi, euge euge. Præſta vt quotiens me volunt capere, ferant confeſtim confuſionem ſuam, exultent autem qui diligunt ſalutare tuum in me. Et quia egenus in viribus, & pauper in virtute ſum, & ſine auxilio tuo pugnare nō valeo, tu Domine adiuua me. Feſtinant illi vt interficiant, Domine Deus meus ne tar-
C daueris in reſiſtendo eis, qui regnas cum Patre & Spiritu ſancto, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

In finem Pſalmus Dauid. XL.

BEatus vir qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conſeruet eum & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris eius, vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius. Ego dixi, Domine miſerere mei, ſana animam meam, quia peccaui tibi. Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur & peribit nomen eius. Et ſi ingrediebatur vt videret, vana loquebatur cor eius, congregauit iniquitatem ſibi. Egrediebatur foras, & loquebatur in idipſum. Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei, aduerſum me cogitabant mala mihi. Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me, nunquid qui dormit non adijciet vt reſurgat. Etenim homo pacis meæ in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. Tu autem Domine miſerere mei, & retribuam eis. In hoc cognoui, quoniam voluiſti me, quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me. Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti, & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum. Benedi-
D *ctus Dominus Deus Iſraël à ſeculo in ſeculum, fiat fiat.*

COMMENTARIVM.

Quinque ſenſus in homine.

QVinque ſenſus eſſe in homine, omnibus notum eſt, qui ſunt, viſus, auditus, odoratus, guſtus, & tactus. Sed his omnibus propoſitus, qui nutrimento ſapientiæ coaleſcit, & memoriæ cibo pingueſcit. Agitur ergo cum eo in capite Pſalmi huius, vt intelligat ſuper egenum & pauperem. Nam videre eum omnes poſſunt, ſed niſi intellexerit, inquit, ſuper egenum & pauperem, beatus non erit, & in die mala non eum liberat Dominus, dicit enim & hic egenus & pauper: *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare: Sitiui, & non potaſtis me: Hoſpes fui, & non ſuſcepiſtis me: Infirmus fui, & non viſitaſtis me.* Beatus ergo qui intelligit ſuper egenum & pauperem, Chriſtum eſſe, ipſum enim ſi intelligit non cunctabitur, paratus erit ſuccurrere. In die ergo mala, quādo dicendū eſt hœdis: *Ite in ignem æternum.* Tunc liberat eum Dominus, & vt conſeruet eum, vt viuificet eum, & beatum faciat eum, & emundet in terra animam eius, & non tradat eum in manus inimici eius: &

Matt. 25.

Ibidem.

E vniuerſum ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius. Omnem tentationem inimici eſſe hoc loco cenſemus: Stratū verò eius orationem aſſerimus, in quo inclamat domino: Miſerere mei, Sana animam meā, quia peccaui tibi. Dum ergo ſanata fuerit anima, ſtratus eius, id eſt, proſtratio eius verſatur in infirmitate, id eſt, in illo verſatur qui fecit animam infirmam inimicis ſuis. Ideo deniq; & ſequitur: Inimici mei dixerūt mala mihi, quādo morietur? In peccato perijt ab eo hoc, ꝙ dicitur Chriſtianus. Hoc enim nomen eſt, quod petere nobis dæmonia ſtudēt. Et ingrediuntur cor noſtrum, vt videant ſi conſentimus, & ſi cōſenſerimus, ſimul in vnū ſuſurrant, & cogitant aduerſum nos mala, & verbum iniquum cogitant aduerſum nos, vt ſi peccauerimus non pœniteamus, ſed deſperantes recuperationem, ita demus nos hoſtibus prædā, dicentes eis: Nunquid qui dormit nō adijciet vt reſurgat? Nam & homo pacis meæ, in quo ſperaui, id eſt, homo meus exterior ampliauit aduerſum me ſupplantationem, conſentiens ſuggeſtionibus eorū: qui edebat mecum panem vitæ, ipſe conſenſit eis, accepit ab eis, vt Iudas argenteos, & prodidit Dominum. Ita hic accepit ab eis concupiſcentiam, & ꝑdidit me: ſed tu Domine ſicut ſuſcitaſti filiū tuū à mortuis, ita me ſuſcita à peccatore, ſuſcita me, & retribuam illis. In hoc cognoui, quia pro me paſſus es, vt non gaudeat inimicus meus ſuper me. Voluiſti mecum, pro me mori, etiam non recuſaſti, ſed te iacente in ſepulchro timui, te autem reſurgente nō gaudebit inimicus meus ſuper me, propter innocentiam enim meam ſuſcepiſti me: hoc Eccleſia in Apoſtolis & Prophetis dicit, quia nō philoſophi & rhetores, ſed ruſtici & piſcatores ſuſceptā Deo Eccleſiam parauerunt, quam confirmauit in conſpectu ſuo in æternum. Cui dicimus: Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſeculo & in ſeculū, fiat fiat. Non te offendat diligēs lector, quòd rem myſticā ad moralem traximus cauſam. Nam ſicut Iudam ad prodendū Dominū circumdederūt Phariſæi, & munera ei offerendo fecerunt eum ſalutem ſuā tradere, ita hominē meum exteriorē, qui edit panem meum, ſpiritus immundi circundant, & offerunt ei, nunc pecunias per auaritiam, nunc luxuriam per concupiſcentiam, à quibus ſi acceperit, prodit, dum prodiderit, agunt cum eo vt laqueo ſe ſuſpendat, id eſt, vt deſperet ſe poſſe à pœnitentia liberari, ſed iſtis dicit: Nunquid qui dormit non adijciet vt reſurgat. Quod quidem myſticus, vt dixi, ſenſus ad reſurrectionem Dominicā manifeſtat, ſed nos moralem ex myſtico genuimus locum, qui propter hoc quod nos ipſi nobis nocuimus, abijcimur, ceſſemus nobis nocere, & innocentes efficimur, vt meritò vnuſquiſque dicat Deo: Propter innocentiam ſuſcepiſti me, & qui proieceras à facie tua per peccatum, nunc per pœnitentiam confirmas me in conſpectu tuo in æternum, qui regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

Nomen Chriſtiani ſtudēt petere dæmonia. F

Matt. 26. Ioan. 13.

Ruſtici & piſcatores Eccleſiam Dei fundarunt.

Matt. 26. G

Vt Iudas à Phariſæis corrumpitur, ita homo exterior à diabolo & concupiſcētiis, vt tandē deſperare cogatur.

In finem intellectus filijs Chore, Pſalmus Dauid. XLI.

QVemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus. Hæc recordatus ſum, & effudi in me animā meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei. In voce exultationis & confeſſionis, ſonus epulātis. Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei & Deus meus. Ad me ipſum anima mea conturbata eſt, propterea memor ero tui de terra Iordanis & hermonijm à monte modico. Abyſſus abyſſum inuocat in voce cataractarū tuarum. Omnia excelſa tua & fluctus tui ſuper me tranſierunt. In die mādauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius. Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo ſuſceptor meus es. Quare oblitus es mei, & quare contriſtatus incedo dum affligit me inimicus. Dum confringuntur oſſa mea, exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei. Dum dicunt mihi per ſingulos dies, vbi eſt Deus tuus, quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei & Deus meus.

H

A

COMMENTARIVM.

Homo per Chriſtum reuertitur non ſolū ad paradiſum quo fuit proiectꝰ, verum etiam ad domicilium Dei peruenit.

SIcut ceruus ſerpentinis carnibus paſtus, veneno eæſtuans feſtinat ad fontes, ita ſerpentis antiqui paſtus conſilio feſtinat anima mea ad te Deus. Et quia proiecisti me à facie tua per præuaricationem meam, nunc per pœnitentiam meam ſunt mihi lachrymæ panes die ac nocte dicenti, quando veniam & parebo ante faciem Dei? Patior enim inſultationes dæmonum dicentium mihi: Vbi eſt ad cuius ſimilitudinē factus es? proiecit te de paradiſo ſuo. Ego autem credo quod ibi ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, vbi factus eſt homo, nec ſolum ibi reuertar per Chriſtum, verumetiam perueniam ad domum ipſius Dei. Et qui inde proiectus ſum in voce tribulationis, reuertar in voce exultationis & confeſſionis ſonus epulantis. Noli ergo iam triſtis eſſe anima, ſed ſpera in Deū, quia confitebor illi. Saluator vultus mei, id eſt, imaginis ſuæ recuperator erit Deus meus, qui me à facie ſua, non vt ipſe voluit proiecit, ſed ego à meipſo animam cōturbaui, ego eam læſi à meipſo, anima mea turbata eſt, & propter hoc memor ero nominis tui ad terram Iordanis, ibi accipiam remiſſionem peccatorum. Vbi abyſſus abyſſum inuocat. Filius patrē de profundo terræ & fluminis, & apertis cataractis cœli deſcendente Spiritu ſancto, pater appellat filium de altitudine cœlorum. Cùm ergo altitudo ad altitudinem clamat, excelſa Dei in me ingreſſa ſunt. Homo enim recuperatus eſt, non angelus, non aliqua alia creatura, quando in die mandauit Dominus miſericordiam ſuam gratis in baptiſmo remittendo peccata, & ipſam miſericordiā ſuā mihi in tenebris peccatorū poſito, velut in obſcuro noctis, ibi hanc eandem miſericordiam declarauit. Plus eſt enim miſericors in pœnitente, quàm in credente: ibi per baptiſmatis gratiam ſimplex eſt indulgentia: hic geminatur, & veluti duplici lumine declaratur: quando dicit homo cum lachrymis Deo, ſuſceptor meus es, quare me oblitus es, cū poſſis indulgendo ſuccurrere? Quare me repuliſti, cùm poſſis expulſum & exulem ad patriam reuocare? Et quare triſtis incedo, cùm poſſis lætitiam reddere? Incedo, inquit, triſtis, dum affligit me inimicus, dum confringit omnia oſſa mea. *Triſtitia* enim *animi*, ait Salomon, *exiccat oſſa*. Ceſſa ergo triſtitia, & deſine conturbare me: ſpe enim ſaluus efficior, & erit ſalus vultus mei, reddens libertatem aſpectibus meis Deus meus, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

B

Homo læditur à ſeipſo.

Matt. 3.17

Homo recuperatus eſt, nō angelus. Nuſquā enim angelos apprehendit ſed ſemen Abrahæ. *Heb. 1.*

C

Quomodo Deus plus ſit miſericors in pœnitente quam in credente. *Pro. 17. 25.*

In finem Pſalmus Dauid. XLII.

I*Vdica me Deus & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta, ab homine iniquo & doloſo eripe me. Quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repuliſti, & quare triſtis incedo dum affligit me inimicus. Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipſa me deduxerūt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua. Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Confitebor tibi in cythara Deus Deus meus, quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me: Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi ſalutare vultus mei & Deus meus.*

COMMENTARIVM.

D

Matt. 13.

GEns non ſancta, cogitationum peſſimarum ſunt ſemina, quæ zizania in Euangelio, à malo homine ſuper bonū ſemen ſata naſcuntur. Ab hoc homine iniquo, id eſt, diabolo libera me, quia tu es Deus fortitudo mea, noli me repellere à te, vt non triſtis incedam quando affligit me inimicus, ſed immitte lucem tuam & vince tenebras meas, mitte veritatem tuam, & vince mendacia mea. Lux enim tua & veritas tua, ipſa me perducunt ad mōtem ſanctum tuum, & in tabernacula tua, cùm ingredi me feceris ad altare Dei, vbi quamuis ſenectute confectus venerim, ibi iuuenis fiam, vt quaſi infans cōfitear in cythara Domino Deo meo: iam noli triſtis eſſe anima mea, deſine conturbare me, aufer à te deſperationem, & ſpera in Deum, quoniam cōfitebor illi. Salus enim vultus mei erit Deus meus, qui regnat in ſecula ſeculorū, Amen.

E

In finem pro filijs Chore, intellectus Pſalmus Dauid. XLIII.

D*Eus auribus noſtris audiuimus, patres noſtri annunciauerūt nobis. Opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis. Manus tua gentes diſperdidit, & plantaſti eos, afflixiſti populos & expuliſti eos. Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluabit eos. Sed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti in eis. Tu es ipſe rex meus & Deus meus, qui mandas ſalutes Iacob. In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis. Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me. Saluaſti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos confudiſti. In Deo laudabimur tota die, & in nomine tuo confitebimur in ſeculum. Nunc autem repuliſti nos & confudiſti nos, & non egredieris Deus in virtutibus noſtris. Auertiſti nos retrorſum poſt inimicos noſtros, & qui oderunt nos diripiebant ſibi. Dediſti nos tanquam oues eſcarum, & in gentibus diſperſiſti nos. Vendidiſti populum tuum ſine precio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum. Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ſubſannationem & deriſum his, qui ſunt in circuitu noſtro. Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus, commotionem capitis in populis. Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me. A voce exprobrantis & obloquentis, a facie inimici & perſequentis. Hæc omnia venerunt ſuper nos, nec obliti ſumus te, & inique non egimus in teſtamento tuo. Et non receſſit retro cor noſtrum, & declinaſti ſemitas noſtras à via tua. Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis. Si obliti ſumus nomen Dei noſtri, & ſi expandimus manus noſtras ad Deum alienum. Nonne Deus requiret iſta, ipſe enim nouit abſcondita cordis. Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Exurge quare obdormis Domine, exurge & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis, obliuiſceris inopiæ noſtræ & tribulationis noſtræ. Quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter. Exurge Domine adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum.*

F

G

COMMENTARIVM.

Tria genera hoſtiū Chriſtiano inſurgunt.

TRia genera hoſtium Chriſtiano inſurgunt: vnum genus diaboli & dæmonum eius: aliud perſecutorum: tertium, quod commune eſt omnibus barbaricæ feritatis. Sed tota tria genera non arcu noſtro, nec brachio noſtro ſuperantur, ſed dextera Dei & illuminatione vultus eius, de quo patres noſtri narrauerunt nobis. Quomodo manus illius eiecit gentes, & plantauit eos. Sicut ergo illi non in gladio ſuo poſſederunt terram, ſic & nos nō in virtute noſtra cōfidentes terrā noſtri corporis poſſidemus, ſed tu ſaluas nos ex affligentibus nos, ſiue regibus perfidis, ſiue dæmonijs, ſiue (vt dixi) hoſtibus viſitatis, quia damur eis pro peccatis noſtris, velut oues eſcarum: ſed ſi exclamemus, dicentes: Hæc omnia venerunt ſuper nos, & obliti non ſumus te Domine. Aut ſi obliti ſumus nomen Dei noſtri, aut ſi expandimus manus dijs alienis, tu verus Deus requires iſta, qui optimè noſti occulta cordis. Pro Deo patitur, quidquid aduerſi ſuſtinuerit omnis ſanctus. Quia ſicut qui pecunias multas haber, ſi paſſus fuerit gladium, pro pecunijs ſuis paſſus eſt: ita qui ſanctitatem in moribus obtinet, quicquid paſſus fuerit aduerſi, pro Deo patitur, quæ ſumma eſt integritas ſanctitatis: & patitur inimicum, ſiue perſecutorem fidei, ſiue perſecutorem mundi corporeum, ſiue per ipſum principem mundi & miniſtros eius. Tenentes ergo ſanctitatem, clamemus Domino: Quoniam propter te morte afficimur tota die, rogamus, vt exurgas & non repellas nos in finem, ne obliuiſcaris inopiam noſtram, & tribulationem noſtram, quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra, adhæſit in terra venter noſter. Quando enim corporalibus neceſſitatibus aggrauamur, vexatur in puluere anima noſtra. Dum autem venter noſter terrenis dapibus adhæret, æternum nobis minatur interitum. Oſtendimus tibi vulnera noſtra, tu qui ſaluator es, exhibe vulneribus

Pro peccatis noſtris affligimur.

Quomodo quis pro Deo patitur.

H

2 Cor 4. Quorum finis interitus: quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. ad Phil. 3.

me dica-

A

Contēptu corporis & ventris liberi erimus in Chriſto.

medicamina. Nemo enim ab humilitate pulueris liberam habebit animam, niſi tu per inuiſibilem donaueris animæ contemptum pulueris corporalis. Nec habebit amorem ieiunij & orationis ad contemnendum ventrem, qui terræ adhæret, niſi tu conceſſeris. Exurge Domine adiuua nos & libera nos, propter hoc ipſum quod nominis tui ſplendore cenſemur, libera nos ab occupationibus pulueris, in quibus humiliatur anima noſtra, & ab aggrauatione ventris. Qui tali harum duarum ſpecierum nobis conceſſeris dona contemptum corporis & ventris, liberi erimus in Chriſto Ieſu Domino noſtro, per quem & cum quo tibi eſt Deo Patri & Spiritui ſancto honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem pro his qui commutabuntur filijs Chore, ad intellectum canticum pro dilecto. XLIV.

B

E*Ructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Speciosus forma præ filijs hominum diffuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere gladio tuo, ſuper femur tuū potentiſſime. Specie tua & pulchritudine tua, intende proſpere, procede & regna. Propter veritatem & māſuetudinem, & iuſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent in corda inimicorum regis. Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi, virga directionis virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui. Et concupiſcet rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum. Et filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Omnis gloria eius filiæ regum abintus, in fimbrijs aureis*

C

circumamicta varietatibus. Adducentur regi virgines poſt eam, proximæ eius afferentur tibi. Afferentur tibi in lætitia & exultatione, adducentur in templum regis. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Memores erunt nominis tui Domine, in omni generatione & generationem. Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in ſeculum ſeculi.

COMMENTARIVM.

Ioan. 1.
Act. 17.
Species filij pater, & pulchritudo eius.
Sap. 5.

E*Ructauit cor Patris verbum bonum, omnia per ipſum facta ſunt.* Quia vniuerſa ſuum eam creatorem agnoſcunt. Regi ſuo opera ſua dicunt, hoc eſt, omnia quæ ſubſiſtimus & mouemur, & ſumus opera ſua. Lingua mea calamus eſt. Cuius calamus: Scribæ, inquit, velociter ſcribentis. Quid ruminauerit, quid feſtinanter lingua Prophetæ proferre vult, audiamus: Hoc, inquit, verbum quod pater eructauit, cuius omnia quæ ſumus opera ſumus, Speciosus forma apparebit, & præerit filijs hominū, Speciosus forma, id eſt, virginea forma erit ortus eius. Et effuſa gratia à labijs eius egreditur, per quam benedictus erit in æternum. Et accingit gladium ſuum ſuper fœmur, ad amputandas omnes libidines. Oſtendens ſpeciem ſuam, id eſt, manifeſtans patrem, & pulchritudinem ſuā, id eſt, & Spiritum ſanctum. Species enim filij pater eſt, & pulchritudo eius, Spiritus ſanctus: & in his intendit & proſpere procedit, & regnat propter veritatem: propter

D

Trinitas regnat propter veritatē, manſuetudinē & iuſtitiam.

hanc de cœlo deſcendit, quia perierat à filijs hominum: propter hanc procede, & regna propter veritatem. Nec ſolum propter veritatem, ſed & propter māſuetudinem, & propter iuſtitiam Trinitas regnat. Pro his tribus ſpeciebus in Chriſto, propter veritatem, pater veritatis eſt. Propter manſuetudinem filius, qui *exinaniuit ſeipſum*, & cùm eſſet æqualis patri, *formam ſerui ſuſcepit*, in qua ſpecioſus apparuit: & propter iuſtitiam eius Spiritus ſanctus: ſic enim dicit ad Ioannem cùm baptizaretur, *Sic decet nos implere omnem iuſtitiam.* Et his dictis aperti ſunt celi, & in ſpecie colūbæ venit in eum Spiritus ſanctus. Poſt hæc deduxit eum mirabiliter dextera eius, ex qua cæcos illuminabat, infirmos curabat, mortuos ſuſcitabat. Sagittæ autem

Philip. 2.
Matt. 3.
Ibidem.
Matt. 11.

E

eius acutæ, omnibus notum eſt. ſic vt ipſi mūdi amatores pingerent ſibi ſpiritum immundum in ſpecie cupidinis, intendentis arcum, & exprimētis ſagittas, in amorem libidinis vulnerantes. Ita ergo hic noſter exprimet ſagittas acutas potentiſſimas in amore regni cælorum, ita vt renuncient homines & patrem & matrem, & omnia quæ poſſident. Inſuper & ſeipſos abnegent & ſequantur eum. Iſtæ ſagittæ amicos regis liberant, inimicos regis occidūt. In corde enim percutiuntur, vbi eorum ſuggeſtiones inueniūt. Cùm enim obtinuerint iſtæ ſagittæ in corde noſtro victoriam, tunc ſedem Chriſti in mente noſtra ſuſcipimus, & virgam rectam, hoc eſt, regulam rectæ fidei, virgam regni eius appetimus, in qua ſub diſciplina agentes diligimus iuſtitiam, & odimus iniquitatem: eum ſcilicet imitantes quem vnxit Deus oleo lętitiæ præ conſortibus ſuis. Sicut enim ſpecioſus forma præ filijs hominū in carne natus apparuit, ſic vnctus chriſmate præ omnib. Chriſtus Ieſus apparuit. Multi filij hominum ſancti ab Abel vſque ad Chriſtum, ſed nullus ex virgine natus. Nullus hac ſpecie editus, hac forma manifeſtatus: Quis, inquit, erit ſimilis Deo inter filios Dei? vt ſubaudiamus, illi gratia filij, hic natura: & multi Chriſti vnctione olei, hic autem angelis adorantibus, ſtellis indicantibus, Prophetis præconantibus, Ioanne metuente, cælis apertis, patre de cælis clamante, Spiritu ſancto adueniente de cælis, & in eo manente, Chriſtus eſt præ omnibus participibus, quibus hoc comparticipatus eſt nomen. Myrrha & gutta & Caſſia à veſtimētis eius. Myrrha in aſſumptionem corporis. Gutta cum attactu veſtimentorum eius homines ſaluabantur. Caſſia cùm odor vitę credentibus probabatur. Contra hoc venit, vt dicatur, & Iudas veſtimentum eius tetigit & petijt. Milites autem etiam poſſederunt veſtimētum eius. Et pro hoc ipſum ad interitum ſunt deuoluti. Quomodo ergo odore veſtimētorum eius ſalus animæ gignebatur. Audi Apoſtolum dicentem: *Alijs quidem odor vitæ in vitam, alijs vero odor mortis in mortem.* Sanè illud conſiderandum eſt, quòd domus eum eburneæ delectant. Eburnea domus eſt corpus caſtum, in qua tinea non facit vllam libidinem peccati. Vnde animæ dicitur, in cuius poteſtate datum eſt corpus: Audi filia & vide, inclina aurem tuam his verbis, vt obliuiſcaris populū tuum, id eſt, exempla peccantiū, & domū patris tui, id eſt, imitationē Adæ patris tui ſecundùm carnem. Quare hoc? Quia concupiuit rex decorem tuum. Quis iſte rex eſt? Quem adorant, inquit, filiæ Tyri in muneribus. Si enim Tyrus, quæ ſuperſtitioſior cæteris ciuitatibus ſemper fuit, dat adorantes animas Chriſto, & munera offerentes, quanto magis vultum eius adorabunt omnes diuites plebis? Sanè gloriam omnem quam in gēmis reginæ circumferunt extrinſecus ad videndum hominibus, hic omnem gloriam filiæ regis ab intus eſſe vult in penetralibus mentis, ibi eā vult in fimbrijs aureis circundari varietate virtutū. Tunc adducentur virgines, incorrupta fides, patientia, prudētia, & proximæ earum adducentur in lætitiam & exultationem, vt intrent in templum regis. Vbi pro duodecim patriarchis nati ſunt Deo filij alij duodecim, quos conſtituit principes Ieſus, ſuper omnem terram, memores nominis ſui in omni gente, cùm eis diceret, *baptizate omnes gentes.* Propterea populi confitentur Deo in æternum, & in omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Cupidinis arma, ſunt arc*. ſagittæ, faces, in amorem libidinis vulnerantes: Chriſti verò, in amorē regni cælorum.
Luc. 14.

F

Chriſtus præ cæteris forma ſpecioſus, & chriſmate vnctus apparuit.
Sol* Chriſtus ex virgine nat* ſine commixtione viri.
Mat. 1 2. 3.
Myrrha & gutta, & caſſia in Chriſto & veſtimētis

G

Matt. 26. 27.
Act. 1.
2. Cor. 2
Eburnea domus eſt corpus caſtum.

Tyrus ſuperſtitioſior omnibus ciuitatibus.

12 Patriarchis nati ſunt Chriſto 12. Apoſtoli.
Mar. 16

H

In finem filijs Chore pro arcanis. XLV.

D*Eus noſter refugium & virtus, adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris. Sonuerūt & turbatæ ſunt aquæ eorum, conturbati ſunt montes in fortitudine eius. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, ſanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus. Deus in medio eius non commouebitur, adiuuabit eam Deus mane diluculo. Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna, dedit vocem ſuam mota eſt terra, Dominus virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Iacob. Venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella vſque ad finem terræ. Arcum conteret & confringet arma, & ſcuta comburet igni. Vacate & videte quoniam ego ſum Deus, ex-*

A

altabor in gentibus, & exaltabor in terra. Dominus virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Iacob.

COMMENTARIVM.

QVando in lachrymis & in animi tribulatione fuderis orationem Deo, ſecurus eſto, quod Deus tibi & refugium ſit, & virtus efficitur. Incipis non timere dum conturbatur terra corporis tui. Quia transferuntur montes Apoſtoli Domini, altitudinem eius prædicantes. Ipſi transferuntur, in corde maris, in mentibus ſeculi fluctuantis, quantumuis ſonent & turbentur aquæ eius, & conturbentur etiam ipſi montes, id eſt, Apoſtoli in fortitudine eius, id eſt, in paſſione eius, quantauis peccata ſint quæ conturbent animas, & prædicantibus Apoſtolis, hi qui peccatorum opprimuntur conſcientia, tribulentur: vnus impetus Iordanis dat remiſſam peccatorum, & lætificat ciuitatem Dei, cùm ſanctiſicat tabernaculum corporis tui Spiritus ſanctus. Deus iam in te non commouebitur, cùm adiuuat animam tuam Deus aſpectu ſuo. Hebræus dicit: Adiuuauit eum Deus mane diluculo, id eſt, cùm tenebræ peccatorum per fluminis impetum tranſierint: Deus qui lux eſt, initium lucis dat in cor eius, & adiuuat eam, id eſt, animam quæ dicit: Dominus virtutum nobiſcum, ſuſceptor noſter Deus Iacob, quantumcunque conturbentur gentes, id eſt, idola colentes aduerſus martyres Domini, quantumuis inclinētur regna ad perſecutionem eorum, dat vocem ſuam Altiſſimus in corde eorum, & ita mouetur terra corporis eorum, vt penitus *non timeant eos qui occidunt corpus: timentes autem illum, qui & animam & corpus poteſt perdere in gehennam.* Ita contemnunt animas eorum, vt paſſionibus ſuis arcus eorum cōterant, & arma eorum confringant. Qui hoc faciunt? qui vacant ab omnibus mundi curis, & vident, quoniam ipſe eſt Deus qui negatur à gentibus, qui à Iudæis crucifigitur, hic noſtrū refugium, hic noſtra virtus, hic noſter adiutor, hic Deus virtutum, hic ſuſceptor noſter eſt, qui eſt etiam Deus Iacob regnans cum Patre & Spiritu ſancto nunc & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Montes Apoſtoli.

B

Ioan. 1.

Matt. 10.
Matt. 27.

C

Rom. 5.
1. Ioa. 2. 24.
Apoc. 1.
Luc. 2.
Heb. 9.

In finem pro filijs Chore, Pſalmus Dauid. XLVI.

OMnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Quoniam Dominus excelſus, terribilis, rex magnus ſuper omnem terram. Subiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris. Elegit nobis hæreditatem ſuam, ſpeciem Iacob quam dilexit. Aſcendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ. Pſallite Deo noſtro, pſallite, pſallite regi noſtro, pſallite. Quoniam rex omnis terræ Deus, pſallite ſapienter. Regnabit Deus ſuper gentes, Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam. Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham, quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt.

COMMENTARIVM.

D

OMnes gentes plaudite manibus. Sicut in aduentu diaboli omnibus gentibus planctus indictus eſt: Audiuimus enim vocem de cœlo dicentem, *Væ terræ & mari, quia proiectus eſt diabolus ad vos,* ita in aduentu Domini Ieſu in voce exultationis dicitur: Omnes gentes plaudite manibus, Deus enim ſummus, Deus terribilis, qui eſt magnus ſuper omnem terram, hic ſubiecit populos nobis. Hoc Apoſtoli dicunt: Subiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris. Quando hoc fecit? Quando elegit nobis hæreditatem ſuam in ſpecie Mariæ, quam dilexit Spiritus ſanctus, tunc aſcendit in ſtrepitu & in voce tubæ. Herodes turbatur, paſtores terrentur, Magi fugiunt, infantes occiduntur, angeli pſallunt, dicentes: *Gloria Deo in excelſis:* qui dicunt paſtoribus, quia ecce regnat Deus ſuper omnes gentes, Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam. Si ſedes eius vbicunque virginitas illibata fuerit, quanto magis in Maria? Principes populorum cōuenerunt cum Deo Abraham. Principes hoc loco angelos indicat, qui cum Deo Abraham ad Mariam conuenerunt, quando gloriam cecinerunt. Vt quid autem natus ſit rex magnus, & vt quid cōuenerint principes cum Deo Abraham, audiamus. Ideo, inquit, conuenerunt, quia dij fortes terræ in ſuperſtitionibus ſuis, & in templis ſuis nimium eleuati ſunt, vt his expulſis atque deiectis, regnet Dominus Ieſus Chriſtus ſuper omnes gentes in ſecula ſeculorum, Amen.

Apoc. 12.

Matt.

E

Pſalmus cantici filijs Chore ſecunda ſabbati. XLVII.

MAgnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei noſtri in monte ſancto eius. Fundatur exultatione vniuerſæ terræ, mons Syon latera Aquilonis ciuitas regis magni. Deus in domibus eius cognoſcetur cùm ſuſcipiet eam. Quoniam ecce reges terræ congregati ſunt, conuenerunt in vnum. Ipſi videntes ſic admirati ſunt, conturbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos. Ibi dolores vt parturientis, in ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis. Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri, Deus fundauit eam in æternum. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam, in medio templi tui. Secundum nomen tuum Deus ſic & laus tua in fines terræ, iuſtitia plena eſt dextera tua. Lætetur mons Syon, & exultent filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine. Circumdate Syon & complectimini eam, narrate in turribus eius. Ponite corda veſtra in virtute eius, & diſtribuite domos eius, vt enarretis in progenie altera. Quoniam hic eſt Deus noſter in æternum, & in ſeculum ſeculi, ipſe reget nos in ſecula.

F

COMMENTARIVM.

MAgnus Dominus & laudabilis nimis. Laus Domini pro diuerſitate donorū eius & operum eſt prædicanda. Laudatur in ſanctis, laudatur in donis cibi carnalis & ſpiritualis: laudatur in fabrica mundi, & in diuerſis, vt diximus, largitionibus ſuæ inæſtimabilis pietatis. In iſto autem Pſalmo qua de cauſa laudatur? Quia dilatauit, inquit, exultationem vniuerſæ terræ à mōte Syon, à latere Aquilonis: ibi eſt ciuitas magni regis, ciuitas Bethleem. In huius ciuitatis grauibus, id eſt, in his qui nulla ſunt leuitate ſuperflui, in his cognitus eſt Dominus, quando ſuſcepit eam. Quam eam? Exultationem vtique, quam dilatauit omni terræ. In grauibus vſque hodie cognoſcitur Dominus. Sicut enim ſi videas aliquem leuem & vanum, ibi cognoſcis diabolum: ſic ſi quem videris grauitate conſpicuum, ibi cognoſcis Dominum Ieſum Chriſtum. Sicut tunc cognitus eſt in grauibus, in Mariæ integritate, & in Ioſeph caſtitate. Statim autem vt in his cognitus eſt, reges terræ turbati ſunt. Venerunt enim principes ſacerdotum & ſcribæ populi ad regem, & ad ſtellæ indicium interrogati, dixerūt natum Chriſtum *in Bethleem Iudæ:* Tunc, inquit, *rex turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum eo.* Etiam ipſi videntes ſtellam tunc admirati ſunt, & tremor apprehendit eos, ita vt admoniti in ſomnis non redirent ad Herodem regem. Miſit autem rex, & occidit omnes infantes, & ibi matres eorum dolebant in nece eorum, ſicut parturientes doluerant. Dolebant autem in ſpiritu vehementi. Contritæ ſunt etiam naues Tharſis. Etymologiam fecit naues Tharſis nominando, quod tempore quo non eſt inuentus Dominus, & infantes occiſi ſunt, etiam nauigia regio ſunt iuſſu vexata, quibus magi, qui non redierant ad regem, credebantur fugere potuiſſe. Nos autem ſicut audiuimus ab eis natum Regem: ita & vidimus in ciuitate Dei noſtri, quam fundauit Dominus in æternum. Ibi ſuſcepimus Deus miſericordiam tuam, in medio templi tui ſecundùm nomen tuum, quo ſaluator diceris, ita & laus tua in fines terræ, iuſtitia enim plena eſt dextera, qua nos dignaris eruere, & diabolum ſubiugare: quo facto lætatur mons Syon, lætatur Eccleſia, & exultant filiæ Iudæ, omnes animæ ex vtero Eccleſiæ iterata natiuitate progenitæ, propter iudicia tua Domine, quibus hoc iudicaſti, vt diabolum ſubiugares, & animas hominum liberares. Nunc vos ô animæ liberatæ & iterum genitæ, circumdate matrem veſtram

G

Laus Domini pro diuerſitate donorū & operū prædicāda.

In leui & vano cognoſcitur diabolus: in grauitate conſpicuo, Chriſtus.

Matt. 2.

Herodes occidit infantes.

H

Herodes vexat nauigia, ne Magi fugere valeant.

Mons Syon, Eccleſia: filiæ Iudæ animæ e vtero declaratæ progeni-

A

Syon, & duorum teſtamentorũ plena lactibus vbera ſugite, narrate in turribus eius miſericordiam, quam conſecuti eſtis. In turribus qui ſunt, ciuitatem defendunt, & hoſtibus reſiſtunt. Ponite corda veſtra in virtute eius. Conſiderate qua virtute pro vobis pugnat, & diſtribuite gradus eius, vnumquemque pro ſuo merito facite ad gradum accedere, vt illi iuſtè Epiſcopatus ſedem, illi iuſtè presbyterij gradum tradas. Sic diſtribuite gradus eius, ſine pecunia, ſine acceptione perſonæ, vt enarretis in progenie altera. Quia hic eſt Dominus Deus noſter, qui regnat cum Patre & Spiritu ſancto filius Dei, ipſe reget nos in ſecula, Amen.

Eccleſiæ: duo teſtamẽta, duo vbera lactibus plena. Vnuſquiſque pro merito ad gradum presbyterij vel Epiſcopatꝰ euehendus eſt.

In finem pro filijs Chore, Pſalmus Dauid. XLVIII.

B

AVdite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbem. Quique terrigenæ & filij hominum ſimul in vnum diues & pauper. Os meum loquetur ſapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam. Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in pſalterio propoſitionem meam. Cur timebo in die mala, iniquitas calcanei mei circumdabit me. Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur. Frater non redimit, redimet homo, non dabit Deo placationem ſuam. Et precium redemptionis animæ ſuæ, & laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem. Non videbit interitum cum viderit ſapientes morientes, ſimul inſipiens & ſtultus peribunt. Et relinquent alienis diuitias ſuas; & ſepulchra eorum domus illorum in æternum. Tabernacula eorum in progenie & progenie, vocauerunt nomina ſua in terris ſuis. Et homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Hæc via illorum ſcandalum ipſis, & poſtea in ore ſuo complacebunt. Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos. Et dominabuntur eorum iuſti in matutino, & auxilium eorum veteraſcet in inferno à gloria eorum. Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cùm acceperit me. Ne timueris cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius. Quoniam cùm interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria domus eius. Quia anima eius in vita ipſius benedicetur, confitebitur tibi cum benefeceris ei. Introibit vſque in progenies patrum ſuorum, & vſque in æternum non videbit lumen. Homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

C

COMMENTARIVM.

SOla Chriſti vox omnes vocat ſimul in vnum, excluſa omni acceptione perſonæ, diuitem & pauperem, nobilem & ignobilem, nec omnem omninò terrenum apicem dignitatis excludens, omnes inuitat, ex æquo aperiens in pſalterio propoſitionem ſuam, oſtendens quid timendum ſit nobis in die mala. Ne iniquitas, inquit, calcanei circumdet me. In ſe dicit, quod in te timeas. Calcaneus finem corporis notat, ad ipſum ſerpens attendit, ibi inſidiatur. Hoc ſolum timendum eſt omnibus, ne in fine ſuo iniquitate ſua capiantur. In quo enim opere quis inuentus fuerit in fine, in eo erit vſque in ſempiternum. Vos autem qui confiditis in virtute veſtra, & in abundantia diuitiarum gloriamini, hoc ſciatis, quod nullus vos ab interitu redimat, non pater, non mater, niſi *homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſeipſum redemptionem pro omnibus*. Nullus veſtrum dabit Deo portionem ſuam, precium redemptionis animæ ſuæ, vt laboret in æternum, & viuat in finem, & non videat interitum, cùm viderit, ſapientes morientes. Si enim omnes illi magni & optimati, & ſapientiſſimi mortui ſunt, quomodo non inſipientes peribunt, qui congregant diuitias, & miſeri dum poſſunt egentibus dare, nolunt. Hi relinquent alienis diuitias ſuas: Nam & cùm plures domos habeant, ſepulchra tantùm erunt domus eorum in æternum. Miſer homo, hoc dum in corpore eſt nõ intelligit, dum quaſi pecus cœperit mori, ſimilis erit illis. Interim in hac via in qua viuunt, monita ſancta ſcandalum ſunt illis, poſtea in ore ſuo benedicent. Cùm ſicut oues in inferno poſitos, mors eos depaſcetur, tunc dominabuntur eis iuſti in matutino tẽpore, quãdo lux reſurrectionis inchoauerit, quando glorioſi à gloria ſua expulſi parebunt, tunc Deus liberabit animam meam de manu inferni, accipiens me. Non ergo timeas paupertatem tuam, cùm diuitias attendis alienas, quas bene noſti hic à moriente derelinquendas. Non enim quando moritur, ſecum tollit omnia, neque ſimul deſcendit cum eo gloria domus eius. Anima denique eius ab adulatoribus in vita ipſius benedicetur. Poſt hæc confitebitur Deo inuitus, quod eius bonitate multa habuerit, multa potuerit, pœnitẽs quod cùm poſſet inopes iuuare, noluerit. Et quia ſera confeſſio fructum indulgentiæ non capit, tempore quo progenies ingreditur patrum ſuorum, iam vtique depoſito corpore, vſque in æternum non videbit lumen. Quare? Quia cùm eſſet in corpore, iſta non intellexit, modo comparatus iumentis inſipientibus, ſimilis factus eſt illis. In quo tamen honore fuerit, ſi forte requiris, ſimilis Deo fuit, & nunc ſimilis eſt iumentis inſipientibus. Non enim habens in ſe ſimilitudinem Dei, non videbit lumen, ſed amiſſa ſimilitudine Dei, dum cœperit quaſi pecus ventri & libidini inſeruire. Similis pecoribus iam factus, ita vilis erit Deo, quàm vile eſt pecus. Et ideo ſic intrat progenies mortuorum in peccatis ſuis, quos hic in iſta vita imitatus, quia ibi ſunt patres eorum, non quorum ſunt ſemine propagati, ſed quorum ſunt opera imitati. Denique Iudæi cùm filij Abrahæ eſſent, dicit eis Dominus: *Si filij Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis.* Vide & quid adiecit: *Vos ex patre diabolo eſtis, opera enim patris veſtri vultis facere.* Sic ergo hic intrat in progenies patrum ſuorum, vſque in æternum non videbit lumen. Seruantes autem ſimilitudinem Dei, & non ea abiecta, ſimilitudinem in ſe pecorum ſumentes, *venient ab oriente, & occidente, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno* Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Chriſtus abſq; vlla acceptione omnes ad ſe inuitat.
Matt. 2.
Calcaneꝰ finis corporis.

D

Rom. 2.
Epheſ. 6.
1. Pet. 1.
1. Tim. 2.
Gen. 3.
In quo ſtatu & opere quis inuentus fuerit in fine, in eo permanebit.

E

Eccleſ. 2.
Eccleſ. 9.
Sera confeſſio fructus pœnitentiæ nõ capit.

F

Quomodo ſimilitudo Dei pereat in homine.
Ioan. 8.
Matt. 8.

Pſalmus Aſaph. XLIX.

G

DEus Deorum Dominus locutus eſt, & vocauit terram. A ſolis ortu vſque ad occaſum, ex Syon ſpecies decoris eius. Deus noſter manifeſtè veniet, Deus noſter & non ſilebit. Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu eius tempeſtas valida. Aduocauit cœlum deſurſum, & terram diſcernere populum ſuum. Congregate illi ſanctos ſuos, qui ordinent teſtamentum eius ſuper ſacrificia. Et annunciabunt cœli iuſtitiam eius, quoniam Deus iudex eſt. Audi populus meus, & loquar Iſrael, & teſtificabor tibi Deus, Deus tuus ego ſum. Non in ſacrificijs tuis arguam te, holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſemper. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſiluarum, iumenta in montibus & boues. Cognoui omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum eſt. Si eſuriero non dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo. Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, & proiecisti ſermones meos retrorſum. Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum, hæc feciſti & tacui. Exiſtimaſti inique quòd ero tui ſimilis, arguam te & ſtatuam contra faciem tuam. Intelligite hæc qui obliuiſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei.

H

A

COMMENTARIVM.

Deus nõ eſt proprium nomen Dei.

DEus non nomen eſt Dei, ſed indicium, quo ſuperius aliquid indicari humana lingua non poſſit. Quod nomen participare volens cultoribus ſuis, hoc eos fecit nomine vocitari, vt ipſe quidem cùm ſit Deus deorum, qui ſeruiendo ei hoc meruerint nomine nũcupari. Quãdo ergo locutus eſt pater? Aut quando vocauit terram? Tunc ſine dubio, quando ex Syon ſpecies decoris apparuit. Ipſe tunc manifeſtè veniet iudicare ſeculum per ignem. Ignis denique in conſpectu eius ardebit, & circa eum erit tempeſtas valida. Tunc congregabuntur Apoſtoli & martyres, & orthodoxi, quique doctores, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia, in præſenti erunt monitores, doctores Apoſtoli. Ipſi ſunt cœli, qui
B
narrant gloriam Dei. Tũc ergo cùm Deus iudex eſſe cœperit, annunciabunt hi omnes iuſtitiam eius, qui prædicant nunc miſericordiam eius. Audi ergo hoc populus meus, audi & loquar. Tunc teſtificor te me venturum eſſe ad iudicandum, qui nunc veni ad redimendum. Ego vtique Deus tuus, non æſtimes, quia in ſacrificijs arguam te, obedientiam volo magis quàm ſacrificium. Præcepta mea cuſtodiri ſuper ſacrificia ſtatui. Non enim manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo, quicquid ambulat & volat, meum eſt: Quid mihi meum pro tuo porriges? Hoc tuum eſt, ſi puro corde mihi laudes effundas, & reddas mihi votum, quod in baptiſmate poſitus deuouiſti, quo te renunciaturum diabolo ſpopõdiſti, & mea promiſiſti ſeruaturum te eſſe mandata. Hoc dum feceris, inuoca me in die tribulationis, tẽpore quo de iſto corpore exies: & eripiam te de manibus dæmonũ, & magnificabis me in donis meis. Tu autem qui lucra ſectando gradum ſacerdotij, aut tu qui gloriam humanam deſideras, aut qui in furto participaris, & ſi ipſe adulter non es, tamen cum adulteris viuis: Quare tu enarras iuſtitiam meam, dicit Dominus, cùm aduerſus fratrem tuũ detrahas, & ſcandalum ponas? An taciturnitatem meam contemnens, ſperas me tibi eſſe ſimilem? Ego arguam te,
C
& ſtatuam hæc ante faciem tuam, nolite obliuiſci, Domino quod promiſiſtis reddite, ne rapiat ſicut leo, & non ſit qui eripiat. Finis itaque ſemper ante oculos eſt habendus, & in Dei laudibus permanendum. Ibi enim eſt iter, in quo oſtenditur ſalutare Dei, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Eſa 66. *Mala.* 3. 2 *Pet.* 3. *Luc.* 17. *Apoc.* 21.

Pſalmus in finem Dauid, quando venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Berſabeam. L.

MIſerere mei Deus ſecundùm magnã miſericordiam tuam. Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Ecce enim veritatem dilexiſti, incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Aſperges me Domine hyſopo & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Auditui
D
meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata. Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te cõuertentur. Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ, & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem vtique, holocauſtis nõ delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Benignè fac Domine in bona voluntate tua Syon, vt ædificentur muri Hieruſalem. Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ oblationem, & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

E

COMMENTARIVM.

QVando venit Nathan Propheta ad regem Dauid, non inchoauit peccatum arguere, ſed cœpit iudicium flagitare, dicens: Audiui te habentem greges ouium & armenta multa, ſublatam vnam ouiculam pauperi, ipſam ſolam habenti. Queſtus iudici Regi, dedit Rex ſententiam, dignum eſſe morte eum, qui fecit hanc rem. Tunc Nathan: *Tu es*, inquit, *vir* qui feciſti hanc rem. *Vriam Ethæum occidiſti, & vxorem eius accepiſti. Hæc dicit Dominus, non recedet gladius de domo tua in æternum.* Inuenit reum ſententia, & Rex ſub accuſatore poſitus, depoſita poteſtate, ſuo iudicio condemnatur. Deus enim venit ad eum abditus in Nathan, occultus in Propheta, & ipſe per Prophetam poſtulauit iudicium homo, vicit Deus. Deus enim iuſtificatus eſt in ſermonibus ſuis, quibus ab homine flagitauit ſententiam, iudicatur ſententia inter Deum iraſcentem, & hominem delinquentem, & vicit Deus
F
iudicatus ab homine. Dixit enim homo: Dignus eſt morte vir qui fecit hanc rem. Deus ergo qui hanc volebat in reum promulgare ſententiam, venit ad iudicium, vt ſi iudicatum fuiſſet, non debere hoc factum vlciſci, non iuſtificaretur in ſermonibus ſuis, & non vinceret iudicatus. At vbi dictum eſt, morte dignus eſt vir qui fecit hanc rem, Deus qui venerat ad iudicium iudicandus, iuſtificatus eſt in ſermonibus ſuis, & vicit dum iudicatur. Videamus nunc quid egit victoria Dei, tenuit Imperatorem captiuum, & tradidit ſententiæ reum. Reus ad clementiam conuolat, & exuens ſe purpura, induit ſe cilicio, cinerem tanquam panem manducans, & potum ſuum lachrymis miſcens: Oſtende, inquit, Domine, quibus factis mutetur ſententia. Si enim mihi in hac humilitate poſito dignatus fueris indulgere, etiam impij ad te conuertentur. Miſerere obſecro, ſecundùm magnam miſericordiam tuam, quoniam iniquitatem meam ego agnoſco. Agnoſco iuſtè iratum te, iniuſtè egiſſe me. Tibi ſoli peccaui, omnis qui ſub iudicio viuit: cùm deliquerit, peccat Deo, peccat & legibus mundi. Hic autem Rex ſub nullo alio
G
niſi ſub Deo ſolo agens, ipſum ſolum ſuper poteſtatem ſuam metuens, Deo ſoli peccauit. Malum, inquit, coram te feci, non fugi à facie tua. Volui enim vt iudicares me delinquentem, potius quàm ligares me fugientem. In iniquitatibus conceptus ſum. Seruauit in confeſſione ſua Creatoris bonum. Non enim dixit, cum iniquitatibus, aut cum peccatis genuit me mater mea, ſed in iniquitatibus cõceptus ſum, & in peccatis genuit me mater mea. Dicendo enim matrem in ſuis iniquitatibus eum concepiſſe, & in peccatis ſeculi peperiſſe, ſignauit. Quia omne peccatum corde concipitur, & ore conſummatur. Hic autem qui naſcitur, ſententiam Adæ habet, peccatum verò ſuum non habet. Tu Domine veritatem dilexiſti. Tempore quo ego falſitatem compoſui, vt in grauiori pugna poneretur. Vrias, hoc incertum & occultum in peccatis meis, quod erat in corde meo manifeſtaſti mihi, & ita manifeſtaſti mihi, vt ego contra meipſum proferrem ſententiam. Verùm quia aſperſione hyſopi purificationem fieri ſordium præcepiſti: Aſperges me hyſopo, & mundabor. Lauabis me & ſuper niuem dealbabor. Hoc fiet, ſi auditui meo dederis lætitiam, cùm dictum fuerit
H
mihi: Paſtor ouium, *nuncio tibi gaudium magnum, quia natus eſt hodie Dominus ex ſemine Dauid ſecũdum carnem.* Ecce gaudium, per quod exultent oſſa humiliata, per quod auertis Deus faciem tuam à peccatis meis, per quod omnes iniquitates meas deles, per ipſum cor mundum creas in me Deus, per ipſum ſpiritum rectum innouas in viſceribus meis, vt deſiderio ſpiritali deſiderium carnale excludam, & ita quicquid peruerſum eſt, exterer, vt quicquid rectum coram te probatur amplectar. Hæc deprecãtem, non me proijcias à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Sed redde mihi lætitiam quam perdidi, & ſpiritum quem ad confirmandam indulgentiam tribuis, per ipſum confirma me. Tertiò autem ſpiritum nominando, Trinitatem in vnitate eſſe perdocuit. Cùm ergo, inquit, me confirmaueris, deinde indulgentiam tuam

2 *Reg.* 12.

Homo ſe ipſum cõdemnat.

Vriam occidit Dauid.

Homo in iniquitatibus conceptus.

Peccatum corde concipitur, & ore conſummatur.

Luc. 2. *Rom.* 1.

Leuit. 14. *Heb.* 2.

Matth. 2.

A Heb. 9. Leuit. 14. doccebo & ego iniquos, quia miſereris & indulges impijs pœnitentibus: & hæc audientes impij, per pœnitentiam ad te conuertentur. Libera me de ſanguinibus. De hac vtique ſententia qua dixiſti: *Non recedet gladius de domo tua,* libera me ab hac ſententia, vt exultet lingua mea iuſtitiam tuam. Labia autem mea quæ à reatu meo clauſa ſunt, tu ea aperies indulgentia tua, quibus apertis, os meum annunciat laudem tuam. Verùm quia in lege tua ſcriptum eſt, quod ſacrificium pro vnoquoque peccato offerri debeat, nunc verò placari ſacrificijs non vis, quod vtique ſi velles offerrem: quia ergo his non delectaris, offero tibi in ſacrificio ſpiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum, vt benigne facias in bona voluntate tua ſuper Syon, vt auferas gladium ab ea, quem pro peccato meo conſtituiſti, vt non deſtruantur, ſed magis

B ædificentur muri Hieruſalem. Tunc ibi accepta erunt ſacrificia iuſtitiæ in oblationibus ſpiritus contribulati, & in holocauſtis cordis humiliati. Et ſuper altare tuum imponentur vituli, id eſt, iuuenes qui cognoſcunt, tibi luxuriam ita diſplicere, vt punias, & per lachrymas ſpiritus contribulati delictum eius indulgeas. Hi vituli qui inferiores vitijs luxuriæ erant, à ſemetipſis voluntate ſuper altare tuum, id eſt, in altitudine caſti conſilij imponentur. Quod autem ſolam hiſtoriam tractauimus eius verſiculi, quo iuſtificatur Deus in ſermonibus ſuis, & vincit dum iudicatur: hæc res in iudicio Saluatoris impleta eſt, vicit enim cùm iudicatus eſt in paſſione ſua, & ſic vicit, vt obtineret omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem: tamen & quotidie iudicatur, ſed dum iudicatur vincit. Dicere enim ſolemus, Vt quid mihi ſic fecit Deus? Quare hoc? Ecce iniqui regnant, iuſti affliguntur, vincit cùm iudicatur. Vt medicus qui deſperatis iubet ad velle ſeruiri, & omnia quæ deſiderant, præcipit non negari. Quos autem ſcit poſſe ſaluari, iubet eos artari, amaris potionibus potari, ferro ſecari, cauteriari. Sic fiet, vt dum ſaluati fuerint abſtinentes, & mortui fuerint deſi-

Chriſtus dum iudicatur vincit.

Quos diligit & poſſe ſaluari cognoſcit, Deus corripit.

C derijs proprijs acquieſcentes, iuſtificabitur medicus in ſermonibus ſuis. Dicitur ei: Nos te iniuſtè culpabamus, dum ligares, dum ſecares homines bonos, & malos nec ſecares, nec affligeres, inſuper etiam permitteres ſuis deſiderijs ſerui. Huc accedit vt dicamus de Deo, quia *quem diligit Dominus corripit.* Sed rogemus vt corripiat nos iuſtus in miſericordia ſua, vt iudicia eius adiuuent nos, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Prou. 3.

In finem intellectus Dauid, cùm venit ad eum Doech Idumæus, & nunciauit Sauli, venit Dauid in domum Abimelech. LI.

QVid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua, ſicut nouacula acuta feciſti dolum. Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem, iniquitatem magis quàm loqui æquitatem. Dilexiſti omnia verba præcipitationis, lingua doloſa. Propterea Deus deſtruet te in finem, euellet te & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra

D *viuentium. Videbunt iuſti & timebunt, & ſuper eum ridebunt & dicent: Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum. Sed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, & præualuit in vanitate ſua. Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei, ſperaui in miſericordia Dei in æternum, & in ſeculum ſeculi. Confitebor tibi in ſeculum, quia feciſti, & expectabo nomen tuum, quoniam bonum in conſpectu ſanctorum tuorum.*

COMMENTARIVM.

1. Reg. 21. Mar. 2. FVgiens Dauid à facie Saulis, venit ad Abimelech ſacerdotem, & panes ſanctos inueniens aſſumpſit ipſe, & qui cum eo erant. Quem cùm prohiberet ſacerdos, prohibendi cauſam Dauid prodidit, dicens: *Mundi ſumus ego & pueri mei à mulieribus.* Cùm ergo fugeris gladium principis mundi, & ad altare confolaueris, & mundus panem ſanctum aſſumpſeris, non deerit qui te diaboli impulſione affligat, perſequatur, detegat. Et quia hoc ipſum non alius niſi diabolus operatur, ipſi diabolo tota verba huius Pſalmi ſtans in oratione cantabis, dicens: E

Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate, tota die, id eſt, omni die, iniuſtitia in cogitationibus agis. Lingua tua non ceſſat contra iuſtitiam cogitationibus miniſtrare conſilia. Sicut nouacula acuta faciens dolum, tanto acumine concinnas dolos: vt homo ipſe ſui in perniciem elaboret, & agens præcipitium ſuum gaudeat. Propter hoc Deus deſtruet te in finem. Cùm enim finem fecerit homo peccatis ſuis à te perſuaſis, Deus deſtruet te, & euellet te de corde eius, quia hoc eſt tabernaculum Dei, & radicem tuam de terra viuentium, id eſt, de corpore viuentium Deo. Videbunt iuſti aſtutias tuas, & timebunt Dominum, & ſuper ſuggeſtiones tuas ridebunt, & dicent: Nos in omni opere Deum in auxilium poſtulamus: Tu verò opus quod perpetrare ſuades, non ponitur ibi Deus in adiutorio, ſed qui operantur hæc, ſine Deo ſunt, ſpem ſuam in diuitijs mundi ponentes: ſi diuites ſunt de diuitijs mundi præſumentes, ſi pauperes ſunt à diuitibus mundi, & non à Deo auxilium poſtulantes. Præualent in vanitate ſua, ſed his deficientibus, Qui ſperat in miſericordia Dei, erit ſicut oliua fructifera in domo Dei, ſperans in miſericordia eius in æternum, & confitebitur Domino in ſeculum beneficia eius in conſpectu omnium ſanctorum Dei, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen. F

In finem intellectus Dauid pro Amalech. LII.

DIxit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus, non eſt qui faciat bonum. Deus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. G *Nonne ſcient omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam vt cibum panis? Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, vbi non fuit timor. Quoniam Deus diſſipauit oſſa eorum qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos. Quis dabit ex Syon ſalutare Iſrael, cùm conuerterit Deus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob, & lætetur Iſrael.*

COMMENTARIVM.

QVando Dominus de cælo proſpexit per Ieſum ſuper filios hominum, videns eum ſtultus populus Iudæorum, dicit in corde ſuo: Non eſt Deus. Omnes corrupti, omnes abominabiles facti ſunt, non voluntate Dei, ſed in voluntatibus ſuis, ita vt non eſſet in eis, qui facerent bona vſque ad vnum. Dicendo vſque ad vnum, de his dixit qui dicunt de Chriſto, Non eſt Deus. Nam ſi de omnibus hominibus generaliter dixiſſet, non diceret eſſe plebem ſuam, quæ deuoratur ab eis ſicut eſca panis. Ab his vtique qui Deum cum non inuocauerunt, qui ibi trepidabant timore, vbi non eſt timor, id eſt, in cuſtodia Sabbati, in baptiſmatibus calicum, & vrceorum, Deus autem diſſipat oſſa eorum qui hominibus placent. Vnde magiſter noſter Paulus dicit: *Ego ſi adhuc vellem hominibus placere, Chriſti ſeruus non eſſem.* Ergo dum adhuc Iudæus eſſet, oſtendit hominibus placuiſſe. Qui autem illis placere volunt, inquit, confundentur, quia Deus ſpreuit eos. Qui Deus? Qui dedit ex Syon ſalutem Iſraël, Iacob ſupplantator, Iſraël videns Deum interpretatur. Ergo & Iacob lætetur, quia ſupplantant inimicum, & Iſraël exultet, quia videtur inuiſibilis Deus in genere eius facie ad faciem, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Matt. 15. 23.

H Gal. 1.

Gen. 32.

A

In finem in carminibus intellectus Dauid, cùm veniſſent Cyphæi, & nunciaſſent Sauli, nonne Dauid abſconditus eſt apud nos? LIII.

DEus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua libera me. Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei. Quoniam alieni inſurrexerunt aduerſum me, & fortes quæſierunt animam meam, & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum. Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ. Auerte mala inimicis meis, & in veritate tua diſperde illos. Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum eſt. Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me, & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

COMMENTARIVM.

B

DEus in nomine tuo ſaluum me fac. Iſte ſermo orationis cauſas ſuas exequitur. Libera me, inquit; quia alieni inſurrexerunt in me, & fortes quæſierunt animam meam. Hi qui non propoſuerunt Deum ante oculos ſuos. Dicit titulus, & qui alieni, & qui ſint qui quærunt animam eius. Qui oſtenditur ad inimicos ſuos ille, & per eos euadere voluiſſe. Vide amice, ne te credas inimicis in toto, vide ne in neceſſitate poſitus fortum facias, & eo te putes poſſe refici, ne dicas de bono quia malus eſt, dum vis hominibus complacere, ne à virtutibus pergas ad vitia, faciente aliqua neceſſitate, noli te eis credere. Ideo enim te ſuſcipiunt, vt ſimulent tibi latibulum. Cæterùm tradere te volunt in gaudio ei qui te perſequitur. Fœlix ſi non te credideris eis. Si verò credideris, clama vt propter nomen ſuum ſaluum te faciat Dominus, vt voluntatem tuam liberam faciat. Quia quam diu in vitiorum conſenſu iacet, libera non eſt. Cum autem Dominus adiuuauerit te, & inimicos tuos diſperdiderit, tunc voluntariè ſacrificabis ei, cùm ex omni tribulatione eripuerit, & inimicos tuos deſpiciet oculus eius, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

C

In finem in carminibus intellectus Dauid. LIV.

EXaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam, intende mihi & exaudi me. Contriſtatus ſum in exercitatione mea, & conturbatus ſum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris. Quoniam declinauerunt in me iniquitates, & in ira moleſti erant mihi. Cor meum conturbatum eſt in me, & formido mortis cecidit ſuper me. Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ. Et dixi, quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam. Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Expectabam eum qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. Præcipita Domine, diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate: Die ac nocte circundabit eam ſuper muros eius iniquitas, & labor in medio eius & iniuſtitia. Et non defecit de plateis eius vſura & dolus. Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique. Et ſi is qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus. Qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum conſenſu. Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes: Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum. Ego ad Dominum clamaui, & Dominus ſaluabit me. Veſpere & mane & meridie, narrabo & annunciabo, & exaudiet vocem meam. Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum. Exaudiet Deus & humiliabit illos qui eſt ante ſecula. Non enim eſt illis commutatio, & non timuerunt Deum, extendit manum ſuam in retribuendo. Contaminauerunt teſtamentum eius, diuiſi ſunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius. Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula. Iacta ſuper Dominum curam tuã; & ipſe te enutriet, non dabit in æternum fluctuationem iuſto. Tu verò Deus deduces eos in puteum interitus. Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos, ego autem ſperabo in te Domine.

D

COMMENTARIVM.

E

PRimus conuerſationis ſtatus eſt, vt contriſtetur homo in exercitatione delictorum, & conturbetur potius quàm delectetur à voce inimici, & tribulatione peccatorum. Veniat formido mortis ſuper eum, ne in peccatis moriatur, & contegant eum *tenebræ exteriores, vbi eſt fletus & ſtridor dentium.* Sed ſi fieri poteſt, accipiat pennas animi in Spiritu ſancto, ſicut columbæ deſcendentis de cœlo, & euolet fugiens inimicorum manus, longè vadat, fugiat à peccato, & quaſi in ſolitudine poſitus, ſic nullis curis inuoluatur humanis. Tunc enim expectat Deum qui ſaluat eum à puſillanimitate & tempeſtate, vt præcipitet Dominus, & diuidat linguas eorum. Quoniam vidit iniquitatem, & contradictionem in ciuitatem, quæ iniquitas, & die & nocte circundat eam ſuper muros eius, id eſt, diabolus circundat animam ſuper muros eius, vbicunque ſe vitijs repugnare poſuerit. Et non defecit de plateis eius, id eſt, in cogitationibus eius vſura & dolos. Quoniam ſi inimicus maledixiſſet mihi, id eſt, ſi ipſe diabolus per ſe mala loqueretur aduerſum me, quia certus ſum, quod me odiret, abſconderem me ab eo. Nunc verò tu vnanimis dux meus & notus meus, id eſt, homo meus, exterior homo, vnque corporalis, qui ſimul mecum dulces communicas cibos in menſa myſterij, tu contra me agis, tu cum inimicis meis delectans in conſilijs eorũ, per te veniunt ad me, veniat mors ſuper eos. Et quia natura immortales ſunt, deſcendant in infernum viuentes, quia nequitia in hoſpitijs eorum: in medio eorum, id eſt, in ſuggeſtionibus eorum, id eſt, in medio ſuggeſtionum eorum. Si ergo ad Dominum clamaueris, & vis vt Dominus Ieſus exaudiat te, veſpere, & mane, & meridie, ipſi narrabis, ipſi confiteberis, ipſi preces effundes, & ſine dubio ita exaudiet vocem tuam, vt liberet à bello eorum animam tuam, ab his qui approximant ei. Et inter multos hos, ipſe erit tecum qui humiliet eos, qui ſe nunquã mutant, qui nunquam timent Deum. Extendit manum ſuam Deus, in retribuendo eis, quia ipſi ſunt qui contaminant per conſenſum noſtrum teſtamentum eius, & quamuis diuiſi ſint ab ira vultus eius, quia impaſſibilis eſt, tamen appropiat cor eius. Non eum lateat, quia molliunt ſuggeſtionum ſuarum ſermones ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula. Tu verò Chriſtiane, iacta in Deum cogitationem tuam, & ipſe te enutriet. Noli dicere, *Quid manducabo, quid bibam, quo operiar?* Per iſtas enim cogitationes dæmones ipſi ſunt iacula, quos deducet Dominus in puteum interitus, ſi tu in Deo iactaueris cogitatum tuum: & tibi quidem tollet fluctuationem, illos verò viros ſanguinum & doloſos, non permittet, nec dimidiare dies ſuos, id eſt, ad quantum tentationes parant, non permittit eos, nec dimidiare in te, ſi dixeris in toto corde: Ego in te ſpero Domine, qui regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

Status conuerſationis.

Luc 13. Matt. 3.

Gen 11.

F

Exterior homo aduerſatur interiori. Dæmones natura immortales.

G

Matt 6.

Matt. 25.

In finem pro populo, qui à ſanctis longè factus eſt, in tituli inſcriptione ipſi Dauid, cum tenerent eum Allophyli in Geth. LV.

H

MIſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, tota die impugnans tribulauit me. Conculcauerunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes aduerſum me. Ab altitudine diei timebo, ego verò in te ſperabo. In Deo laudabo ſermones meos, in Deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi caro. Tota die verba mea execrabantur, aduerſum me omnes cogitationes eorum in malum. Inhabitabunt & abſcondent, ipſi calcaneum meum obſeruabunt: Sicut ſuſtinuerunt animam meam pro nihilo ſaluos facies illos, in ira populos confringes. Deus vitam meam annunciaui tibi, poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo. Sicut & in promiſſione tua, tunc conuertentur inimici mei retrorſum. In quacunque die inuocauero te, ecce cognoui, quoniam Deus meus es. In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo ſermones, in Deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi homo. In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudationis tibi. Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu, vt placeam coram Deo in lumine viuentium.

A

COMMENTARIVM.

Caro & ſpiritus inuicem pugnant.

SI tenuerint te Allophyſi, & à ſanctis cogitationibus longè fecerint, clama ad Deum, dicens: Miſerere mei Domine, quoniam conculcauit me homo, vtique exterior. Per te enim agunt contra te, per ipſum tota die pugnant aduerſum te inimici tui. Sed hi qui bellant aduerſum te, timebunt, ſi dixeris Deo: Ego Domine in te ſperabo, non timebo quid faciat mihi caro. Inimici mei verba mea execrantur, dicentes: Ita iſte caſtitatem docet, ſeminemus ei libidines: hic qui contemptum mundi prædicat, amorem pecuniæ immittamus ei. Aduerſum te ergo ſunt iuſti, conſilia eorum in mala. Tanta ſubtilitate agentes, vt abſconditi tibi ſint, quòd dæmones ſint, putas autem angelos Dei miniſtrare conſilium. Illi autem inimici tui ſunt, calcaneum tuum obſeruantes, id eſt, finem tuum expectantes. Suſtinet animam tuam pro nihilo, vt dum ſe vilem æſtimat, pro parui temporis delectamento, pereat in æternum. Anima autem dum vulneratur pro nihilo, illi qui eam vulnerant, ſalui ſic eſſe videntur, victoria enim hoſtium ſalus eſt hoſtium. Ne ergo eueniat, clama ad Deum, nuncia ei vitam tuam, pone lachrymas tuas in conſpectu eius, & ſicut promiſit, quoniam qui ſperat in me, liberabo eum. Sicut in promiſſione ſua pollicitus eſt, ita conuertat inimicos tuos retro: vt cognoſcas, quia tecum eſt Deus tuus, & incipias in Deo laudes canere, & non timere quid faciat tibi homo, ſiue caro, ſiue ipſe, qui inimicus homo in Euangelijs Chriſti deregitur tritico ſuperſeuiſſe zizanias: tunc ergo vota tua reddes Domino, quæ in baptiſmo poſitus promiſiſti. Renunciare te diabolo, & omnibus pompis & criminibus eius. Tunc, inquam, cùm eripuerit Dominus animam tuam de morte luxuriæ, & oculos tuos de interitu concupiſcentiæ, & pedes tuos à lapſu, tunc placebis in lumine viuentium, faciente Domino Ieſu Chriſto, per quem, & cum quo tibi Deo Patri cum Spiritu ſancto eſt vna diuinitas, indiuiſa Trinitas, ante omnia & nunc, & in cuncta ſecula ſeculorum, Amen.

B

Victoria hoſtium ſalus eſt hoſtium.

Matth. 13. Vota baptiſmi Deo reddenda.

C

In finem, ne diſperdas Dauid, in tituli inſcriptione, cùm fugeret à facie Saul regis Iſraël in ſpeluncam. LVI.

MIſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea. Et in vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas. Clamabo ad Deum altiſſimum, Deum qui benefecit mihi. Miſit de cælo & liberauit me, dedit in opprobrium conculcantes me. Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormiui conturbatus. Filij hominum dentes eorum arma & ſagitta, & lingua eorum gladius acutus. Exaltare ſuper cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua. Laqueum parauerunt pedibus meis, & incuruauerunt animam meam. Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & Pſalmum dicam Domino. Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cythara, exurgam diluculo. Confitebor tibi in populis Domine, & Pſalmum dicam tibi in gentibus. Quoniam magnificata eſt vſque ad cælos miſericordia tua, & veritas tua vſque ad nubes. Exaltare ſuper cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.

D

COMMENTARIVM.

1. Reg. 24.

CVm fugeris à facie principis huius mundi perſequentis te, ſicut Saul perſequebatur Dauid, ſpeluncam pete, id eſt, ita te conſtitue, vt ab inimico tuo inueniri non poſſis. Et tu quidem inimicum tuum inter manus habeas, ille verò te nec videat. Hoc enim eueniet, ſi ex toto corde dicas Deo: Et in vmbra alarum tuarum ſpero, donec tranſeat iniquitas, & clames ad Deum altiſſimum: ipſe mittit de cœlo, & liberat te, & dat in opprobrium conculcantes te. Si quod dicis Deo. In te confidet anima mea, non fallat, ſi verè quod in ipſo cōfidas, factis oſtendis. Qui enim in ipſo confidit, non confidet in alio, non in auro, non in prædio, non in aliqua virtute terrena: Alioquin in alijs confidens, mentitur Deo, dicens: In te confidet anima mea. Si verò in ipſo confidit, eripit animam eius de medio catulorum leonum, vbi dormiebat conturbatus. Vbicunque deſperatio eſt recuperationis, ſomnus mortis incumbit, nominauit catulos leonum, quorum dentes aſſeruit arma & ſagittas, & linguam gladium acutum: & in his dormiui, ait, conturbatus, ô ſomnum! credo hic ille ſomnus eſt, de quo idem Pſalmiſta dicit: *Dormitauit anima mea præ tædio.* Si ergo contra paratutas dæmonum paratum cor habeas, & Deo Pſalmum dicas, laqueos quos parauerunt animæ tuæ ipſi, ex eis ligabuntur, & in foueas quas foderunt tibi, ipſi incidunt: ſi tamen in pſalterio & cythara exurgas diluculo, id eſt, *abijciens opera tenebrarum, induatis arma lucis*, tunc inuenies abundantem miſericordiam eius à terra vſque ad cœlos, & ad nubes conſcendens, inueniēs veritatem eius: tunc exaltatum ſuper cœlos inuenies Deum, quod aſcendit in cœlo filius Dei, & ſuper omnem terram regnat gloria eius cum Patre & Spiritu ſancto, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

In Deo ſolo confidere oportet.

E

Pſal. 118.

Epheſ. 6.

F

In finem, ne diſperdas Dauid, in tituli inſcriptione. LVII.

SI verè vtique iuſtitiam loquimini, rectè iudicate filij hominum. Etenim in corde iniquitates operamini in terra, iniuſtitias manus veſtræ concinnant. Alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, loquuti ſunt falſa. Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas. Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter. Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum, molas leonum confringet Dominus. Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens, intendit arcum ſuum donec infirmentur. Sicut cera quæ fluit, auferentur, ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem. Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, ſicut viuentes ſic in ira abſorbet eos. Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. Et dicet homo, ſi vtique eſt fructus iuſto, vtique eſt Deus iudicans eos in terra.

G

COMMENTARIVM.

Ioan. 5. 7. 9. *Luc. 6. 13. 14.* *Matt. 12. 13.*

IVdæi videntes Dominum Ieſum Chriſtum ferias vanas reſpuentem, & diebus ſabbatorum hominibus ſubuenientem, ita erat in illis ſicut ſimilitudo ſerpentis, & ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas. Aſpides ideo ab incantātibus non capiuntur, quia ponunt vnam aurem in terram, & alteram aurem de caudæ ſuæ acumine obturant, vt non exaudiant vocem incātantis ſapienter. Hoc quod ſapienter addidit, noſtrum incantatorem oſtendit, qui non ceſſauit Iudæis incantare ſapienter. Illi autem clauſis auribus, ſicut aſpides ſurdæ, eum non attenderunt. His dicit Spiritus ſanctus: Si verè vtique iuſtitiam loquimini, id eſt, ſi verè ſecundùm Legem agitis, iuſtè iudicate filij hominum, dicite culpam, & ita date ſententiam. Vt quid iniuſtitiam manus veſtræ concinnant? alienamini ab vtero matris Saræ, errаſtis à ventre patris veſtri Abrahæ. Hoc Abraham non fecit, *Si filij Abrahæ eſſetis, vtique opera Abrahæ faceretis.* Nunc verò alienati eſtis ab vtero, non eſtis filij eius, erraſtis à ventre. Vos enim cuius opera vultis facere, huius filij eſtis, *vos ex patre diabolo eſtis*, loquentes falſa. *Ille* enim *ab initio mendax fuit, & in veritate non ſtetit.* Quare excæcauit vos malitia veſtra? Cecidit enim ſuper vos ignis malitiæ, & videntes non videtis ſolem iuſtitiæ: ſed ſicut leones ora veſtra in mortis eius fremitu aperitis. Illo autem exurgēte à mortuis, Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum, molas leonum confringet Dominus, ita vt ad nihilum deueniant, velut aqua decurrens, contra quos intendit arcum Dominus, donec infirmetur. Sicut cera liquefacta auferentur. Cera liquefacta ad naturam ſuam reuertitur, & in ſtatu ſuo iterū redintegratur. Ita vult eos affligi Dominus,

Prudētia aſpidis ne incātantis voce decipiatur.

H

Ioan. 8.

Ibidem.

vt ad

A vt ad ſtatum priſtinum reuertantur. Prinſquam producāt ſpinæ veſtræ rhamnos. Spinæ naturam hanc habent, vt in virgulto magis quam in arboribus prorumpāt. Rhamnus autem arbor eſt ſpinea nullum omnino afferens pomum. Ergo prius quam ſpinæ veſtræ in arborum duritiam conuerſæ, radicitus fundatæ permaneāt: & effœta Rhamnus, quaſi viuentes abſorbeat vos ſpinoſa & obdurata iniquitas veſtra. Verùm quoniam clamaſtis: *Sanguis huius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* (Matt. 27.) Lætabitur cùm viderit vindictam impiorum, cùm religauerit illum in crucis patibulum, ita vt tollat & latronem, & ſecum ad paradiſum ducat, tunc lætabitur in hanc vindictam impiorum, hunc iuſtum vindicat Dominus orans & dicens: *Pater, remitte illis.* Vos autem impij dæmones, tunc videbitis quia eſt fructus iuſto, cùm videritis filiū Dei manus ſuas lauare in ſanguine peccatorum. Cùm enim illi dicerent, incitati ab ſpiritibus immundis *reus eſt mortis*, expandit in crucem Chriſtus manus ſuas, & lauare eas cœpit in ſanguine peccatorum, Fū-
B dens ex eis ſanguinem & lauans peccata eorum: tunc dixit omnis homo, quia eſt vtiq; fructus iuſto, Domino Ieſu Chriſto, & vtique Deus curam mundi gerens iudicat eos in terra, iudicio ſuo adiuuans eos, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem ne diſperdas Dauid, in tituli inſcriptione: quando miſit Saul & cuſtodiuit domum eius vt interficeret eum. LVIII.

E*Ripe me de inimicis meis Deus meus, & ab inſurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris ſanguinum ſalua me. Quia ecce cœperunt animam meam, irruerunt in me fortes. Neque iniquitas mea neque peccatum meum Domine, ſine iniquitate cucurri & direxi. Exurge in occurſum meum & vide, & tu Domine Deus virtutum Deus Iſrael. Intende ad viſitandas omnes gentes, non miſerearis omnibus qui operantur iniquitatem. Conuertentur ad veſperam & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem. Ecce loquentur in ore ſuo, & gladius*
C *in labijs eorum quoniam quis audiuit? Et tu Domine deridebis eos, & ad nihilum deduces omnes gentes. Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus es Deus meus, miſericordia eius præueniet me. Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos ne occidas eos, ne quando obliuiſcantur populi mei. Diſperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine. Delictum oris eorum ſermonem labiorum ipſorum, & comprehendantur in ſuperbia ſua. Et de execratione & de mendacio annunciabuntur in conſummatione, in ira conſummationis & non erunt. Et ſcient quia Deus dominabitur Iacob & finium terræ. Conuertentur ad veſperam & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem. Ipſi diſpergentur ad manducandum, ſi vero non fuerint ſaturati & murmurabunt. Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo mane miſericordiam tuam. Quia factus eſt ſuſceptor meus & refugium meum in die tribulationis meæ. Adiutor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es, Deus meus miſericordia mea.*

COMMENTARIVM.

QVando domus corporis tui à principe huius mundi cuſtodiri præcipitur, vt capiaris, & interficiaris gladio cuiuſcunque peccati, ex totis viſceribus exclama: Eri-
D pe me de inimicis meis Deus meus, quoniam occupauerunt animam meam, irruerunt ſuper me fortes. Ego enim caro ſum, illi vero ſpiritus ſunt. Vnde autem patitur perſequutiones dæmonum Chriſtianus, niſi quia ſine iniquitate vult curſum ſuum currere, & iter ſuum dirigere? Et ideo exurge Domine in occurſum mihi, & vide quia cupio ſine iniquitate currere. Iſti autem qui perſequuntur me, hi ſunt qui operantur iniquitatem, qui conuertantur ad veſperum, & famem patientur, vt canes & circuibunt ciuitatem. Ecce ij loquūtur in ore ſuo quaſi pacifici, ſed gladij ſunt in labijs eorum. Sed quantumcunque ſe ſapientes exiſtiment hi ſpiritus immundi, tu Domine irridebis eos. Pro nihilo enim apud te ſunt omnes gentes, ſiue de virtute præſumentes, ſiue de aſtutia confidentes. Fortitudo mea, à te cuſtodiar, quia tu ſuſceptor meus es, vt te ſuſciperet homo. Tu ſuſcepiſti hominem, vt miſericordia tua præueniret me, & oſtenderes mihi ſu- E
per inimicos meos. Ideo enim immortalitatem eis nō tolles, vt humano generi ſubiecti æternas pęnas luant, vidētes omnes angelos adorantes, filium hominis ſedentē ad dexteram maieſtatis: & ipſe deſtruet eos, qui eſt protector meus, delicta oris eorum ſermo labiorum ipſorum. Siue tunc quando Adam ſeductus eſt, ſiue nunc, quando ſuggeſtionib. fœda conſilia pulchris mentibus ſubminiſtrāt, vt comprehendantur in ſuperbia homines, contemnentes præcepta Domini ſui, & de execratione & mendacio dæmonum, compellantur ad malum, fiat ſuper eos ira indignationis tuæ & non erunt. Et ſcient quia tu Deus dominaris in Iacob & in fines terrę. Ibi enim dominatur Dominus, vbi fines faciunt terrenæ voluptates, tunc conuertentur ad veſperum immundi ſpiritus, vbi viderint, quia lux mentibus noſtris deficit, & tenebræ creſcunt: tunc eſuriunt nos quaſi canes, & circumeunt ciuitatem, mentem videlicet noſtram. Ipſi autem diſpergentur ad deuo- F
randum feſtinantes, vſq; ad interfectionem animæ. Hæc eſt enim ſaturitas eorum, vt videant interire pugnantem. Sed qui ſeruus Chriſti eſt dicit Domino: Ego cantabo virtutes tuas, dicam aduerſarijs meis: Nō ego de virtute mea aduerſum vos arma corripio, ſed de virtutibus Dei mei confido, exultans mane in miſericordia eius. Mane enim exultamus in miſericordia eius: cum tenebras à nobis peccatorum abſtulerit, & dederit lucem ſuam in cordibus noſtris. Exultamus in miſericordia eius quia factus eſt ſuſceptor noſter & refugium noſtrum in die tribulationis. Adiutor meus tibi pſallam. Pſallit Deo, qui ſpiritu & ore pſallit. Pſallit Deo, qui ea quę canit mittit in opera, & ſine ceſſatione dicit Deo mens eius: Tu es miſericordia mea, per quam peruenitur ad vitam, euaſis omnibus inimicis, qui nos conantur occidere gladio noſtri conſenſus, de quorum nos conſilijs & violentijs liberat Dominus Ieſus Chriſtus, qui regnat cum Deo patre & Spiritu S. per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

In finem pro his qui commutabuntur, in tituli inſcriptione ipſi Dauid in doctrinam: cùm ſuccendit Meſopotamiam Syrię & Sobal, & conuertit Ioab: & percuſſit Edom in valle Salinarum duodecim milia. G
LIX.

D*Eus repuliſti nos & deſtruxiſti nos, iratus es & miſertus es nobis. Commouiſti terram, & conturbaſti eam, ſana contritiones eius, quia commota eſt. Oſtendiſti populo tuo dura, potaſti nos vino compunctionis. Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus. Et liberentur dilecti tui, ſaluum fac dextera tua & exaudi me. Deus loquutus eſt in ſancto ſuo, lætabor & partibor Sichimam & conuallem tabernaculorum metibor. Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes, & Effraim fortitudo capitis mei. Iuda Rex meus, Moab olla ſpei meæ. In Idumæam extendam calciamentum meum, mihi alienigenæ ſubditi ſunt. Quis deducet me vſque in ciuitatem munitam, quis deducet me vſque Idumæam? Nonne tu Deus qui repuliſti nos, & non egredieris Deus in virtutibus noſtris. Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis. In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.*

COMMENTARIVM. H

PRoſtratis hoſtibus, victoriam nos docuit Domino reputare, quo irato vincimur, quo miſerante vincimus. Ipſe mouet terram corporis noſtri, & conturbat eam, ſiue comminatione futuri iudicij, ſiue plaga aliqua præſentis exitij, pro qua rogamus vt ſanet contritiones eius. Oſtendiſti.n. populo tuo dura. Durum cor Pharaonis in opere duro. Potaſti nos vino compunctionis. Vbicunq; ira Domini & paſſio cuiuſcunq; plagæ eſt, aut calix iræ, aut vinū ebrietatis memoratur, ſicut dicit Hieremias ad Hieruſalem: Inebriata es calice iræ & furoris Domini. (Iere. 25.) Tempore ergo quo potaſti nos vino compunctionis in Ægypto, dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugerent à facie arcus. Vt qui vaſtabat primogenita, reſpiciēs ſignificatio-

A nem ſanguinis agni, non contingeret eos. Nunc ergo quia idem es Deus qui tunc fuiſti, ſaluum me fac non mea virtute, ſed tua dextera, & exaudi me. Deus enim loquutus eſt in ſancto ſuo famulo Moyſe. Lætabor & diuidam Sichimam, & conuallem tabernaculorum metibor. Ipſe dixit, meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes, & Effrem fortitudo capitis mei ipſe dixit, Iuda Rex meus. Hæc omnia Deus loquutus eſt in ſancto ſuo implenda, id eſt, in Domino noſtro Ieſu Chriſto. Triplici modo in ſancto loquutus eſt. Loquutus eſt in ſancto ſuo, id eſt, in Iacob loquutus eſt de Effrem & Manaſſe, & de Iuda. Hæc ipſa loquutus eſt in ſancto ſuo, vt diximus in Moyſe, ſed in his abuſiuè loquutus eſt, vt in Ieſu Chriſto non abuſiuè, ſed propriè complerentur. In ipſo enim Iudas regnum obtinuit, & regni eius non erit finis. Iudas ergo Rex meus, Moab lebes ſpei meæ. Lebes, id eſt, olla. Quia Moab ſtupri filius, in olla ſuccenſionis libido eius, & quia Idumæam occupauerunt Moabitæ: Eijciam, inquit, inde Moab, & ego ibi extendam calciamentum meum. Ergo & tu ô Chriſtiane, ſi eieceris de terra quam inuaſerat Moab, &

Exod. 3. 4. 24. 33. 34.

Gen. 48. 49.

B captiuato aut incenſo ſicut olla Rege libidinis, Allophylos cœperis habere ſubiectos, deducet te Dominus in ciuitatem circumſtantium, in petra refugij in auxilio ſuo, vbi te circumſtant Angeli & gubernant, quouſque peruenias ad ciuitatem munitam. Cùm regnum obtinueris ſuper Idumæam, cùm in corpore tuo *vbi abundauit iniquitas, ſuperabundat gratia,* vide ne de tua virtute præſumens, iſta te implere poſſe confidas. Gloria enim hominis non eſt certa ſed vana, ſed clamans ad Dominum, dic cum omnibus ſanctis: Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus in homine. In te Domine faciemus virtutem, quia tu ad nihilum rediges omnes tribulantes nos, qui regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

Rom. 5.

In finem in hymnis, Pſalmus Dauid.
LX.

C *Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ. A finibus terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me. Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea, turris fortitudinis à facie inimici. Inhabitabo in tabernaculo tuo in ſecula, protegar in velamento alarum tuarum. Quoniam tu Deus meus exaudiſti orationem meam, dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum. Dies ſuper dies Regis adijcies, annos eius vſque in diem generationis & generationis. Permanet in æternum in conſpectu Dei, miſericordiam & veritatem eius quis requiret? Sic Pſalmum dicam nomini tuo in ſeculum ſeculi, vt reddam vota mea de die in diem.*

COMMENTARIVM.

Mat. 16. Eccleſiam ſupra petræ ſoliditatem fundatam, & turrem fortitudinis factam in qua redduntur vota Deo de die in diem, nullus ignorat. Sed tu, ô amator vitæ æternæ, ſi vis exaudiri deprecationem tuam, ſi vis vt dum anxiatum fuerit cor tuum, dum exieris de corpore, ſi vis vt turris tibi fortitudinis Dominus appareat à facie inimici, ſi vis vt inhabites in tabernaculo eius in æternum, ſi

D vis protegi in velamento alarum eius, ſi vis accipere hæreditatem quam conſequuntur timentes nomen eius, ſi vis vt dies ſuper dies Regis adijciat annos tuos, vt vitam tibi æternam conferat, & permaneas in æternum in conſpectu Dei, miſericordiam & veritatem inſtanter inquire. Et poſteaquam eas charas amicas, & quaſi ſpem vitæ tuæ poſſederis, ſic pſalle Domino Deo in ſeculo, & miſeriarum valle poſitus. Et quaſi quotidie initium faciens diligendi eas, redde vota tua de die in diem Domino Ieſu Chriſto, qui regnat cum Patre & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

(∴)

E

In finem pro Idythum Pſalmus Dauid.
LXI.

Nonne Deo ſubiecta erit anima mea, ab ipſo enim ſalutare meum. Nam & ipſe Deus meus & ſalutare meum, ſuſceptor meus non mouebor amplius. Quouſque irruitis in hominem interficitis vniuerſi vos, tanquam parieti inclinato & maceriæ depulſæ. Veruntamen pretium meum cogitauerunt repellere, cucurri in ſiti, ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant. Veruntamen Deo ſubiecta eſto anima mea, quoniam ab ipſo patientia mea. Quia ipſe Deus meus & ſaluator meus, adiutor meus non emigrabo. In Deo ſalutare meum & gloria mea, Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt. Sperate in Deo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra, Deus adiutor noſter in æternum. Veruntamen vani filij hominum, mendaces filij hominum, in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum. Nolite ſperare in iniquitate & rapinas nolite concupiſcere, diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Semel loquutus eſt Deus, duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia, quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua.

F

COMMENTARIVM.

In omnibus Pſalmis myſticus exuberat ſenſus, ſed mihi cura propenſior ad moralem explanationem incumbit, in qua agitur, vt id quod canimus, faciamus. Vt in propoſito in quo Deo ſubdita eſt anima tua, ita fixus & ſolidus maneas, vt non mouearis amplius, vt dum venerint ad te ſpiritus immundi, & voluerint te à ſeruitio Domini ſeparare, ingerentes tibi occaſiones malas, cogitationes peſſimas, dicas eis: Deus adiutor meus, ego per ipſum non mouebor amplius. Vos autem quouſque irruitis in homines. Et ſicut paries ruitis ſuper vniuerſos nos, qui & meum honorem vultis à me repellere, ſiue prenoſitatem meam vilem facere. Et cùm ſitim habeam ſancti propoſiti, & ſitienter in eo curram, vos ore veſtro benedicitis, id eſt, ſub ſpecie boni conſilij ſuaſiones affertis. Sed corde maledicitis, id eſt, hoc quod bonum dicitis ore veſtro, malum mihi & pernicioſum probatis. Audiamus ſollicitè locum iſtum. Dantur nobis à dæmonijs bona conſilia plena dolis, emamus & reuendamus, & lucra pauperibus erogemus. Nunquid non quaſi bonum eſt, ſed non permittit te hoc opere intrare in potentias Domini. Item præſentes pecunias reponamus, vnde ſcimus quid eueniat. Et hoc bonum videtur, ſed non facit Chriſti diſcipulum. Item illi viduæ iuuenculæ, melius nos quàm alij præbeamus ſolatium. Et hoc bonum eſt, ſed dolis diaboli plenum. Hæc & multa his ſimilia cum ore ſuo tibi benedixerint dæmones, corde ſuo maledicunt, & ideo dic illis: In Deo ſalutari meo eſt gloria mea, nõ migrabo à propoſito meo, quo vos ſtatui contemnendos. Et dic fratribus meis: Sperate in eo omnis conuentus plebis meæ. Fundite coram illo corda veſtra, quia Deus adiutor noſter eſt. His autem qui audiunt conſilia malignorum ſpirituum, hoc ordine loquere: Venite filij hominum, mendaces in ſtateris, quid vos mutuo conſentitis inimicis veſtris? Nolite ſperare in iniquitatem, quia decipit ſperantes in ſe. Rapinam nolite concupiſcere, quia concupiſcẽtia furandi, interficit amatorem ſuum. Diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere, quia *radix omnium malorum eſt auaritia.* Hoc ſolum quod ſemel loquutus eſt, diligenter auſculta, quia poteſtas Dei eſt, & Dei arbitratu conſequimur miſericordiam. Quia ipſe reddet vnicuique ſecundum opera ſua: Vbi autem hæc ipſa Dominus loquutus ſit, ſi fortè requires agnoſce. In Deuteronomio canitur: *Quoniam ego Deus, ego occidam & viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo, & non eſt qui eripiat de manu mea.* Hæc ergo poteſtas Dei eſt, & Patris & Filij & Spiritus ſancti, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

G

H

1. Tim 6.

Deut. 32.

(⁂)

A

Pſalmus Dauid cùm eſſet in deſerto Idumææ. LXII.

Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Sitiuit in te anima mea quam multipliciter tibi caro mea. In terra deſerta inuia & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam. Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas, labia mea laudabunt te. Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea. & labijs exultationis laudabit os meũ. Sic memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuiſti adiutor meus. Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua. Ipſi vero in vanum quæſierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo, quia obſtructum eſt os loquentium iniqua.

B

COMMENTARIVM.

IN toto pſalterio nuſquam inuenies, orabo te Domine hora quacunq; alia, niſi matutino, mane, diluculo. Quo dicto non tempus ſignificat, ſed peccatorum nocte tranſacta, & tenebrarum excluſa perfidia ceſſat dormitare, & vigilare ſtudet, & veluti in diluculo initium lucis tuæ accipiens, incipit ſitire Dominum, non ſolum animo. ſed & corpore, vt videat virtutem eius & gloriam eius. Tũc cognoſcit, quia melior eſt miſericordia eius ſuper vitam. Et labijs mundis à dolo laudat Dominum, rogans vt ita ei proueniat quàm diu viuit, ſic vt benedicat Dominum in vita ſua. Et in ſimilitudine crucis Chriſti leuet manus ſuas, vt ſicut adipe & pinguedine repleatur anima ei⁹. Pinguis fiat in amore Dei, & labia eius exultatione plena, non neceſſitate coacta, ſed beneficijs prouocata laudent nomen eius. Hoc ei euenit, ſi memor fuit Dei ſuper ſtratum eius, & vbi alius memoratur luxuriæ, ego Dei memor in matutinis meditabor in eo, quia ipſe eſt adiutor meus. Dicẽdo ſuper ſtratum, & addendo adiutorium, oſtendit per eius auxilium potuiſſe ſe caſtimoniam obtinuiſſe. Et ſequitur quo ordine auxilium conſequatur. Dæmonia.n. animam per libidinis luxum quærunt capere. Sed iſte audi quid dicat. In vanum, inquit, quæſierunt animam meam. Et qua ratione non ſit captus exponit: In velamento, inquit, alarum tuarum ſperaui, adhæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua. Et ſic factum eſt, vt in vanum quærerent animam meam, ipſi magis fugerunt dum me quærunt. Ingreſſi ſunt in inferiora terræ, peruenerũt vſq; ad inferiora corporis. Inuenerunt ibi gladium verbi Dei ſuper femur potentiſſimum, & ibi traditi ſunt in manus gladij. Nota tibi amator caſtitatis, quo ordine caſtitas cuſtoditur. Ipſi enim qui quærunt animam tuam, ad inferiora terræ tuæ peruenerũt, tu ſtatim ſi gladium ſuper femure cinctus fueris, hoc eos gladio manu tua partibus mittis. Sanè notandum, quod partes ipſæ factæ de eis, nõ auium aut canum, ſed vulpium, quia & canes & aues ſolent perdere partes ſuas. Vulpes tam aſtute agunt, vt non ſolum ſuas non perdant, ſed & alienas & fortiores ſe præſumant. Denique Phyſiologus refert, ſemper vulpem in inſidijs eſſe lupo, vt vbi eius ſenſerit prædam occultam, rapiat ei. Ita & tu caſtitatis amator, non ſolum tuam caſtitatem ſerues: ſed eos quos prædatus eſt, arte qua potes quaſi aſtutus eripias: vt aſtutia tua, quaſi vulpes, partes dæmonum rapiat, caſtitas comedat, & ipſa conſumat in his factis. Rex tuus Chriſtus filius Dei lætabitur in Patre & Spiritu ſancto, & laudabitur omnis qui iurat in eo, non iuramento ad ſatiſfactionem hominis, ſed iura quę in eo ſunt conſeruando. Quo facto, obſtruitur os loquentium iniqua. Non audebunt dæmones loqui iam tuo cordi ſuperflua, faciente auxilio Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui regnat cum Patre & Spiritu S. in ſecula ſeculorum, Amen.

C

Quo ordine ſeruanda eſt caſtitas.

Semper vulpes in inſidijs lupo.

D

In finem Pſalm. Dauid. LXIII.

Exaudi Deus orationem meam cum deprecor, à timore inimici eripe animam meam. Protexiſti me à conuentu malignantiũ, à multitudine operantium iniquitatem. Quia exacuerunt linguas ſuas, intenderunt arcum rem amaram, vt ſagittent in occultis immaculatum. Subitò ſagittabunt eum & non timebunt, firmauerunt ſibi ſermonem nequam. Narrauerunt vt abſconderẽt laqueos: dixerunt, quis videbit eos? Scrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum, & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum. Conturbati ſunt omnes qui videbant eos, & timuit omnis homo. Et annunciauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt. Lætabitur iuſtus in Domino, & ſperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

E

COMMENTARIVM.

EXaudi Deus orationem meam cum tribulor, ſiue cùm deprecor. Quam orationem? A timore, ait, inimici, eripe animam meam, qui protexiſti me à conuentu malignantium, & à multitudine operantium iniquitatem. Tu Domine, à timore inimici libera animam meã, ipſa enim ſuſcepit in ſe ſpiritum ſanctũ. Iſti autem ſagittis in amaro arcu paratis, in occulto conſiſtunt agentes, vt ſagittent in occulto immaculatum. Tamen ſi non conſenſerit homo, etiam ſi ſagittauerint eum, non timebit, non abſcedit, ſtat viriliter, vt recuperet ſanitatem vulneratus. Vt illi autem affirmantes ſibi verbum iniuſtum, in quo diſputãt, vt abſcõdãt laqueos. Et audi quid dicant: Inuiſibiles eis ſumus, non videbunt nos. Et ideo ſcrutantur corda hominum iniquis ambagibus, ſed per gratiam Dei deficiunt ſcrutantes ſcrutinio. Videntes ſe defeciſſe, & hominem accedere ad ſuperiorem gradum iuſtitiæ, faciũt ei cor altum, vt per elationem cordis eius, exultet ſe Deus ab eo. Quantacunque igitur in te, ô Pſalmiſta, virtus contemnendi concreſcit, tanto altitudo cordis ſuo decreſcat. Iuſiſte, *quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur.* Tunc ſagittæ paruulorum fiunt plagæ eorũ. dabitur poteſtas etiam paruis deſiderijs tuis, qui in Chriſto ſunt Paruulis, inquam, mox natis ex te deſiderijs ſpiritalibus dabitur virtus, vt ſagittis ſuis plagas dæmonibus faciant, & pro nihilo computantes eos, contra ipſos faciant linguas eorum, id eſt, ea quę ſuggeſſerint, contra eos reuerti faciat. Quaſicut ſi conſenſerimus, ipſos vulneramus. In hac regula omnis homo qui nos cognouerit agere, timebit Deum, & adnunciat opera eius, & facta eius intelliget. Iuſtus autem qui eſt, non triſtabitur in aduerſis, ſed lætabitur in Domino, & ſperauit in eo, & erit laus omnibus rectis corde in Chriſto Domino noſtro, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

F

Matt. 23.

G

In finem Pſalmus Dauid canticum Aggæi, Hieremiæ & Ezechielis, de verbo peregrinationis, & de populo tranſmigrationis, cùm inciperent proficiſci. LXIV.

Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hieruſalem. Exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniat. Verba iniquorum præualuerunt ſuper nos, & impietatibus noſtris tu propitiaberis. Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti, inhabitabit in atrijs tuis. Replebimur in bonis domus tuæ, ſanctum eſt templum tuum mirabile in æquitate. Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ & in mari longe. Præparans montes in virtute tua accinctus potentia: qui conturbas profundum maris ſonum fluctuum eius. Turbabuntur gentes & timebunt qui inhabitant terminos à ſignis tuis, exitus matutini & veſpere delectabis. Viſitaſti terram & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam. Flumen Dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum, quoniam ita eſt præparatio eius. Riuos eius inebrians multiplica genimina eius, in ſtillicidijs eius lætabitur germinans. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate. Pingueſcent ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur. Induti ſunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento, clamabunt etenim, hymnum dicent.

H

COM-

A

COMMENTARIVM.

IN Hebræo non habet nec Hieremiam, nec Aggæum, niſi ſolum Dauid. Sed Heſdra habens charitatem eorum, voluit eos memorare, aſſerẽs iſtum Pſalmum Dauid cecinifſe eos in prophetationis ſuæ initio, hoc eſt, extra, terra aliena eſt, & non poteſt cantare hymnos in terra aliena. Sit ergo Sion anima noſtra vt deceat hymnum in ea dici. Decebit autem Sion eam eſſe ſi reddiderit votum Hieruſalem, ſi quod votum fecit Deo ſe renunciaturum diabolo & pompis eius impleuerit, tunc exaudit Deus orationem eius, cùm omnis caro ad eum venerit. Non eſt enim nec tribus, nec gens, ex qua non genu flectetur Domino Ieſu Chriſto. (Phil. 2.) Prædicantibus enim Apoſtolis, *in omnem terram exiuit ſonus eorum.* Et licet verba iniquorum, Phariſæorum ſcilicet, præualuerint ſuper eos, & impiè eos afflixerint: ſed impietatibus, inquit, quas patimur tu (B) propitiaberis. Beatus eſt enim Dominus Ieſus Chriſtus, quem elegiſti & aſſumpſiſti, hic habitauit in tabernaculis tuis, quando repleſti in bonis domus tuę, in qua ſanctum templum tuum regnat non manufactum, ſed verbo genitum, & virginali vtero procreatum, cui dicimus: Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpem enim omni generi humano tu tribuiſti, etiam his qui longè ſunt, & iis qui propè. Quando paraſti montes in virtute tua, quibus dixiſti. (Mar. 16.) *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Signa autem credentibus hæc oſtendetis, infirmos curabitis, cæcos illuminabitis, mortuos ſuſcitabitis. Ab his ſignis turbatæ ſunt gentes, & timent Deum omnes qui habitant fines terrę: ab his enim ſignis timor Dei ſuper faciem terræ ſumpſit exordium. Et in exitu matutini & veſperi delectabitur Deùs, id eſt, in oriente & occidente in ædificationibus Eccleſiarùm delectaberis, ex quo viſitaſti terram aduentu tuo. & inebriaſti eam ſanguine tuo, quando flumen Iordanis repletum eſt aquis, vocibus ſcilicet Prophetarum. Tunc paraſti cibum non qui perijt, quia ita eſt præparatio tua. Riuos eius (C) inebriaſti, ita vt cum eſſet hora diei tertia, illi ebrij putarentur. Tempore quo multiplicaſti generationes eius, cuius eius, id eſt Iordanis, quod eſt baptiſmate. Ibi erant quando riuos eius inebriaſti Parthi, & Medi, & Elamitæ, (Coloſſ. 2.) Cretes, Syri, Arabes, Romani, Cyrenæi. Et penè omnes gentes, ex quibus multiplicaſti generationes eius, quando quaſi ſtillicidijs cœleſtibus cœpit exoriri. Tũc inchoauit corona anni diem ſanctum Paſchæ, & campi repleti ſunt vbertate, omnia fertilitate congaudent, feſtiuitate epulantur, ita vt fines deſerti pingueſcant, & exultatione colles accingantur. Induentur enim arietes manſuetudine ouium, non ventilabunt cornibus, & conualles abũdabunt frumento corporis Chriſti. Quod quando accipient, clamabunt arietes, & oues ſimul, hymnum dicentes Chriſto filio Dei, qui regnat cum Patre & Spiritu S. in vnitate deitatis, & in trinitate vnitatis in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem canticum Pſalmi reſurrectionis. LXV.

IVbilate Deo omnis terra, Pſalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius. Dicite Deo, quàm terribilia ſunt opera tua Domine, in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Omnis terra adoret te Deus & pſallat tibi, Pſalmum dicat nomini tuo. (D) *Venite & videte opera Dei, terribilis in conſilijs ſuper filios hominum. Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertranſibunt pede, ibi lætabimur in ipſo. Qui dominatur in virtute ſua in æternum, oculi eius ſuper gentes reſpiciunt, qui exaſperant non exaltentur in ſemetipſis. Benedicite gentes Deum noſtrum, & auditam facite vocem laudis eius. Qui poſuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos. Quoniam probaſti nos Deus, igne nos examinaſti ſicut examinatur argentum. Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Introibo in domum tuam in holocauſtis, reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea. Et loquutum eſt os meum in tribulatione mea. Holocauſta medullata offeram tibi* (E) *cum incenſo arietum, offeram tibi boues cum hircis. Venite & audite, & narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Ad ipſum ore meo clamaui, & exultaui ſub lingua mea. Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Propterea exaudiuit Deus & attendit voci deprecationis meæ. Benedictus Deus qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me.*

COMMENTARIVM.

IVdæorum terra ſola iubilabat Deo, ſed quia nunc oculi eius, id eſt, Dei ſuper gentes per Chriſtum attendunt, non iam ſola Iudæa iubilat Deo, ſed omnis terra Deo Pſalmum dicit nomini eius: & dat gloriam laudi eius, & dicit Deo: Quia terribilia ſunt opera tua in multitudine virtutis tuæ, quibus te verum Deum filium declaraſti, quando mentiti ſunt inimici tui, dicentes: *Non eſt à Deo,* te (Ioan. 8.) dæmonia fugante, mortuos ſuſcitante, leproſos mundante, (F) paralyticos curante, mare pedibus ambulante, ventis imperante. In hac multitudine virtutis tuæ mentiebantur tibi inimici tui, dicentes: *Scimus quia à Deo es, &* (Ioan. 3.) *non accipis perſonas hominum.* Plus autem in multitudine virtutis tuæ tunc mentiti ſunt, quando dixerunt te furatum à diſcipulis, cùm iam reſurrexiſſes, & omnis terra, in cuius corde fueras, adoraret te. Illi dicebant militib. mentimini, *dicite eum furatum vobis dormientibus.* (Matt. 28.) Pſalmus hic reſurrectionem in titulo prænotat, nolite mentiri, ſi dormiuiſtis, non vidiſtis qui rapuit corpus. Aut enim vidiſtis rapientes & non dormiſtis, aut dormiſtis, & non vidiſtis. Quid mentimini? Magis venite & videte opera Domini, ipſe eſt enim iſte qui conuertit mare in aridam, vt tranſirent patres veſtri per ſiccum per medium mare. Ipſe eſt qui diuiſit fluuium vt tranſirent cum pedibus patres veſtri. Magis lætamini in vnum omnes, quia ipſe eſt qui dominatur in virtute ſua in æternum. Et quia oculi eius ſuper gentes reſpiciunt. Vos Iudæi gaudete, quod promiſſum patris veſtri completur. Deus enim dixit Abrahæ, (Gen. 22.) *In ſemine tuo hæreditabo omnes gentes.* (G) Quid eis inuidetis, & more ſolito Dominum ad iracundiam prouocatis, ita vt dicat vobis: (Matt. 21.) *Quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur gentibus facientibus voluntatem eius.* Benedicite ergo gentes Deum noſtrum, & obedite voci laudis eius. Hoc Eccleſia in omnibus ſequitur cum Apoſtolis & martyribus: Poſuit, inquit, animam meam ad vitam, & non dedit commoueri pedes meos, quãdo probaſti nos Deus, & examinaſti igne paſſionum, ſicut examinatur argentum. Induxiſti in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, & homines ſupra capita noſtra. Tamen tranſiuimus per ignem martyrij, & aquam baptiſmatis, & induxiſti nos in refrigerium. Nam & in baptiſmo Spiritu S. & igne cenſiti ſumus, quando intrauimus domum tuam in holocauſtis, & reddidimus vota, quæ loquutum eſt os noſtrum in tribulatione noſtra. Holocauſta medullata offeram tibi. Holocauſta ſine medulla offerat Deo, qui corde inanis, corpore videtur orare & pſallere. Ego autem, inquit, medullata tibi offeram: (1. Cor. 14.) *Orabo ſpiritu, orabo & mente, pſallam ſpiritu, pſallam & mente,* offeram incenſum arietum, viriliter repugnans zelo ouium tuarum, aduerſus omnem hæreticum: offeram tibi boues cum prædico, hircos cum imperium libidinis ſubiugo, vel iugulo. (H) Venite & audite quanta Deus fecit animæ meæ, vt animam meam eriperet, animam ſuam poſuit: vt me à morte eriperet, mortem accepit. Si non credo te verum Deum, & iniquitatem negantis vides eſſe in corde meo, non me exaudias Deus. Verùm quia credo te eſſe, ideo exaudiſti me. Benedico te qui non amouiſti precem meam, nec miſericordiam tuam à me, qui regnas cum Patre & Spiritu ſancto, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

A

In finem in hymnis Pſalm. cantici Dauid. LXVI.

DEus miſereatur noſtri & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri. Vt cognoſcamus in terra viam tuam, & in omnibus gentibus ſalutare tuum. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis. Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum ſuum. Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

COMMENTARIVM.

IN hymnis Pſalmus cantici eſt, quod canebant Angeli *gloria in excelſis*, quando illuminando vultum ſuum ſuper nos venit, & benedixit nos, vt cognoſceremus in terra viam Dei, & in omnibus gentibus ſalutare eius. Confiteantur hoc populi, quia veniſti vt lætentur gentes, quia incipiunt tuo iudicio agi in æquitate, & in terra corporis ſui, à peruerſitate recto tenore auferri & dirigi. Confiteantur & hoc populi omnes, quia Maria ex terreno corpore, ſed cœleſti ſemine dedit fructum ſuum, vt benedicat ipſe fructus in Trinitate. Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus. Ter Deus dictus, vnus in trinitate nominatus, quem metuunt omnes fines terræ, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Matt. 2.

B

Luc. 2.

In finem Pſalm. cantici Dauid. LXVII.

EXurgat Deus & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus deficiant, ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei. Et iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia. Cantate Deo, pſalmum dicite nomini eius, iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum. Dominus nomen illi. Exultate in conſpectu eius, turbabuntur à facie eius patris orphanorum & iudicis viduarum. Deus in loco ſancto ſuo, Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo. Qui educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos qui exaſperant qui habitant in ſepulchris. Deus cùm egredieris in conſpectu populi tui, cùm pertranſieris in deſerto. Terra mota eſt, etenim cœli diſtillauerunt à facie Sinai, à facie Dei Iſrael. Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ & infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam. Animalia tua habitabunt in ea, paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. Rex virtutum dilecti, dilecti & ſpeciei domus diuidere ſpolia. Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri. Dum diſcernit cœleſtis reges ſuper eam niue dealbabuntur, in Selmon mons Dei mons pinguis. Mons coagulatus, mons pinguis, vt quid ſuſpicamini montes coagulatos? Mōs in quo beneplacitum eſt Domino habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem. Currus Dei decem milibus multiplex milia lætantium, Dominus in eis in Sina in ſancto. Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus. Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum. Benedictus Dominus die quotidie, proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum. Deus noſter deus ſaluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis. Verumtamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantium in delictis ſuis. Dixit Dominus ex Baſan conuertam, cōuertam in profundum maris. Vt intingatur pes tuus in ſanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo. Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei Regis mei, qui eſt in ſancto. Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum. In Eccleſiis benedicite Deo Domino de fontibus Iſrael. Ibi Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. Principes Iuda duces eorum, principes Zabulon & principes Nephtalym. Manda Deus virtuti tuæ, confirma hoc Deus quod operatus es in nobis. A templo tuo in Hieruſalem tibi offerant Reges munera. Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum, vt excludant eos qui probati ſunt argento. Diſſipa gentes quæ bella volunt, venient legati ex AEgypto, AEthiopia præueniet manus eius Deo. Regna terræ cantate Deo, pſallite Domino. Pſallite Deo qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad orientem. Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo ſuper Iſrael, magnificentia eius & virtus eius in nubibus. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis, Deus Iſrael ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ: benedictus Deus.

C

D

E

COMMENTARIVM.

ITem Pſalmus cantici in quo exurgit à mortuis, vt diſſipentur inimici eius, & fugiant qui crucifixerunt eum à facie eius. Sicut defecit fumus contra altitudinem cūdo, ſic deficiant: & ſicut fluit cera ignem quidem ſentiens, ſed ad naturam ſuam rediens, ſic pereant peccatores ſine cōſpectu Dei. Iſti verò, id eſt, Apoſtoli exurgente Domino epulentur & delectentur in lætitia, & quouſque aſcendat ſuper occaſum, iter faciant illi, & gaudeant in conſpectu eius. Super occaſum aſcendit, quia iuxta occaſum ſuū cœpit mundus eſſe quando in cœlos aſcendit. Vnde & Apoſtolus Ioannes dicit: *Pueri, nouiſſima hora eſt.* Turbati ſunt à facie eius Iudæi, quando oſtendit ſe patrem orphanorum & iudicem viduarum. Deus in loco ſancto ſuo. Vbicunque ſanctitas eſt, locus Dei eſt, & ibi Deus eſt, & ipſe facit vnanimes in domo, in Eccleſia vtiq; ſua vnam fidem integram exercere, ipſe educet vinctos à diabolo in fortitudine ſua. Et ipſos qui ad iram prouocant, id eſt, qui magicis artibus ſeruiunt, hi ſunt qui habitant in ſepulchris. Deus egredere coram populo tuo, dum trāſieris ad deſertum terram mutaſti, quando cœli ſtellam protulerunt, à facie Dei Iſrael. Tunc pluuiam voluntariā ſegregaſti Deus hæreditati tuæ, quando Angeli cecinerunt *pacem hominibus bonæ voluntatis.* Hæreditas eius in Apoſtolis ſumpſit exordium, in quibus infirmata eſt ipſa hęreditas, ſed ipſe Dominus perfecit eam reſurgēdo à mortuis, oſtēdendo fiſſuras clauorum in manibus, vulneris ſignum in latere: & ita eam perfecit, vt non ſolum ſpiritales, ſed & animales habitent in ea, quia parauit ea dulcedinem ſuam Deus, quando dedit verbum mulieribus Dominus, vt euangelizarent virtutem multam. Dominus ergo eis dedit verbum dicens: *Ite, dicite fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Quis hoc dixit? Rex virtutum dilecti, id eſt, interior Chriſti & ſpecies domus, vtiq; corporis ſpecioſi forma præ filijs hominum, in qua diuidit ſpolia, & captiuauit ſynagogam, & theſauros eius diuiſit in Eccleſia, alij dedit prophetiam, alij verbum, alij virtutem ſanitatum: denique vltra ſynagoga non habet, nec prophetā, nec vnctionem, nec ſacrificium. Hæc captiuæ ſynagogæ ſublata velut ſpolia ſunt, diuiſa cùm dormirent inter medios cleros Scribæ & Phariſæi. Inter medios inquam cleros, id eſt, inter libros ſanctos. Cleros enim libros hoc loco dictos, & Iudæi dicūt & noſtri plurimi tractatores. Ergo ſi inter libros diuinos politi dormiatis, id eſt negligatis, & tenentes claues regni, nec vos intretis, nec alios ingredi permittatis. Qui vos pennæ columbæ deargentatæ, id eſt, ô vos pennæ columbæ deargentatæ, id eſt, imulantes ſimplicitatem columbæ, veluti pennæ eius vos oſtēdiſtis. Porrò autem deargentatę pennæ eſtis, non verum argentum, & ſpeciem auri, non aurum verū oſtenditis. Ergo ſi vos dormitis, ego dabo vigilantes cœleſtes Reges, id eſt Apoſtolos, ſuper terram, vt in omnem terram exeat ſonus eorum. Ita vt hi quos nigredo peccatorum obtinuit, ad prædicationem eorum niue dealbentur in Selmon. Selmon locus eſt in quo purificabantur proſelyti, vel hi, qui fatebantur grauioribus ſe pollutionibus inquinatos, κατ' ἀντίφρασιν locum Selmō voluit dici omnem locum, in quo hi qui nigrificauerunt peccatorum ſordibus, dealbentur. Ergo cùm diſcernit Dominus ſuper terrā Apoſtolos ſuos, quicunque audierunt eos & crediderunt, ſi ſuper feniciū fuerunt nigri, tanquam lana candida facti, quaſi nix dealbati ſunt in Selmō, in loco purificationis, vbi omnia peccata lauantur: vbi mons Dei eſt, mons pinguis, nullus alius niſi Chriſtus Ieſus, ipſe pinguis, ſudans oleo iuſtitiæ, oleo chriſmatis, mons coagulatus eſt. Hic ipſe mons pinguis in vnitate deitatis trinitaté coagulatam gerēs. Videte ne ſuſcipiatis in deitate aliunt aliunde. Nā qui hęc faciūt, arguuntur, & dicitur eis: Vt quid ſic ſuſcipitis mōtes vberes. i. vt quid facitis pluralem deitatem. Coagulatum mōtem in vnitate tenete, & Patrem ac ſpiritum ſanctū in vno

1. Ioan. 2.

F

Magici in ſepulchris habitant.

Matt. 2.

Ioan. 20.

Epheſ. 4.

G

1. Cor. 12.

Spolia ſynagogæ diuiſi: Chriſt⁹ in Eccleſia.

Luc. 11.

Columbę deargentatę.

H

Selmon quid ſit.

Eſai. 1.

Trinitas in vnitate.

Domi-

A Domino noſtro IESV CHRISTO ſuſpicite. Ipſe eſt enim mons in quo placuit Deo habitare in eo, & in ipſo Dominus habitauit in ſecula ſeculorum. Huius currus decem
Matt.26. milibus. Multiplex currus eius in paſſione agitarus eſt, vbi ſibi ipſe plus ſufficit, quàm decem milia legiones angelorum, & milia lætantium, quæ fuerunt cum Moyſe in
Exod. 24. 34. Sina in ſancto. Tunc aſcendit in altum, id eſt, in crucem, cepit captiuitatem, ipſam captiuitatem ligni primi, ipſam cepit, & de peccato damnauit peccatum. De ligno, inquam, crucis lignum concupiſcentiæ cepit, & dona erogauit hominibus. Paſſus eſt etiam, qui non credebant, etiam his dona dedit in cruce poſitus, & non parua dona.
Luc. 23. Audi quàm magna. Preces pro his fundebat, dicens: *Pater remitte illis, quia ignorant.* Dedit ergo dona hominibus, id eſt, credentibus, & non ſolum credentibus, ſed etiam his qui non credunt inhabitare dominum, qui non credunt, quia
2. Cor. 5. *Deus erat in Chriſto mundum concilians ſibi.* Benedictus dominus pater, benedictus deus filius, benedictus
B Dominus Spiritus ſanctus, quia proſperum iter crucis ſuę fecit nobis Deus ſaluator noſter, qui ideo cruciari voluit, vt nos ſaluos faceret. Ideo mortis exitium ſuſcepit, vt cõquaſſatet capita inimicorum ſuorum, & liberaret peccatores de manibus dæmonum, qui à vertice capilli perambulabant in delictis ſuis. Dixit dominus ex Baſan conuertam. Baſan rex fuit, qui pro peccato captiuabat Iſrael.
Baſan, Diaboli locus in abyſſis. Ergo qui pro peccatis ſuis à Baſan capti ſunt, per crucem meam ex Baſan conuertam. Verum quia in abyſſis & in profundo eſt locus diaboli, etiam inde conuertam dicit interior diuinitas perfecta, profecto homini ſuo IESV CHRISTO. Conuertam, inquit, etiam de profundo maris, donec intingatur pes tuus in ſanguine paſſionis. Ibi lingua canum tuorum. Canum vtique latrantium:
Luc. 23. *Crucifige Crucifige.* Ergo hæc lingua canum ex inimicis ab ipſo diabolo excitata eſt. Poſt paſſionem autem viſi ſunt ingreſſus tui deus, probatum eſt, quia ingreſſus eſt in homine deus, & eſt in ſancto. De quo præuenerunt principes prophetæ coniuncti pſallentibus in medio iuuencu-
C larum, quæ exierant in occurſum Dauid, cantantes: *Vicit*
1 Reg 18. *Dauid in decem milibus.* Deiecto Golia, ibi Chriſtus in Da-
Geneſ. 35. uid erat victor in medio iuuencularum tympaniſtriarum.
Phil. 2. Verum quia ibi fuit imago, hic veritas comprobatur. Nolite hæc in ſynagogis canere, ſed in eccleſijs ſanctorum, ibi benedicite dominum, non aliunde venientem, non adoenam, non nouum, ſed ipſum qui ſemper eſt, dominum de fontibus Iſrael. Ibi Beniamin adoleſcentior in
Paulus ante conuerſionẽ vere Beniamin erat. pauore. Vbi? Ibi in eccleſijs ſine dubio. Ibi Beniamin ille qui dicit: *Ego Iſraelita ſum ex tribu Beniamin.* Quare adoleſcentior? Quia nouiſſimus natus eſt patri ſuo. Inter illos vndecim cœpit eſſe duodecimus, ſed in conuiuio du-
Rom. 11. plices partes accepit, ita vt amplius illis omnibus laborans, obtineret hunc ipſum laborem non ſibi, ſed gratiæ Dei patris ſui imputans. Ibi ergo Beniamin adoleſcentior, in pauore, id eſt, in exceſſu mentis. Ruit enim ſubito, & expauit. ruit in terra, & ſorrexit in cœlo: ruit perſecutor, & ſurrexit Apoſtolus: ruit Saulus, & ſurrexit Paulus. Vbi tamen vbi Beniamin? vbi ſi interrogas: ibi, inquit, vbi principes Iuda, vbi principes Zabulon, vbi principes Neptalim, vbi mandauit Deus virtutem ſuam, vbi confirmauit quod operatus eſt in nobis, vbi eſt templum
D in triduo ſuſcitatum, quod eſt in Hieruſalem vbi offe-
Hæreticorum latebræ. runt reges munera, vbi increpantur feræ ſiluæ. Hæretici ſunt qui quaſi feræ in ſilua legis latebram fouent, vt ex occulto lædant conſilium taurorum inter vaccas popu-
Sacerdotes tauri nominãtur. lorum. Lædere enim ſtudent ſacerdotum conſilia, qui hoc loco tauri nominantur apti altario inter vaccas, id eſt, inter plebes ſurdas & ignaras agentes. Quare autem
Exod. 14. increpari à Deo poſtulantur? Vt inſipientia eorum nota fiat omnibus, ne forte cum hi non increpantur, excludant eos qui non ſunt deargentati, ſed probati ſunt argento. Diſſipa eos domine, quia bella volunt. Venient legati ex Ægypto Pharaone demerſo, mitte duces tuos ad Aegyptum; fungantur legatione ex Aegypto: ipſam etiam interiorem partem Aegypti, Aethiopiam præueniat
Luc. 10. manus tua vt regna terræ canant tibi, qui aſcendiſti in ce-
Matt. 10. los cœlorum ad orientem, quando dediſti vocem tuam
Mar. 16
E vocem virtutis, vt in tuo nomine Apoſtoli ſuper omnes infirmantes, & ſuper dæmones, & ſuper ipſam mortem virtutem imperandi ſuſciperent, vt facientes, hæc ſigna dicerent gentibus: Date honorem Deo, ſuper Iſrael magnum nomen eius, & per eum qui videt Deum in Chriſto, cuius virtus in nubibus, In Apoſtolis ſcilicet, quos mittens ad gentes, monuit, ne pluerent in Iudæum, vt
Apoſtoli nubes pluuiam effundentes in terram hominum. compleret quod diceret: *Mandabo nubibus meis, ne pluant ſuper eam pluuiam.* Non enim iam in incredulis mirabilis vult eſſe, ſicut ſemper fuit in incredulis mirabilis, ſed nunc mirabilis in ſanctis, quibus credentibus dat virtutem, & per ipſos dat fortitudinem plebi ſuæ benedictus Deus, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem pro his qui commutabuntur, pſalmus ipſi Dauid. LXVIII.

SAluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ, defecerunt oculi mei dum ſpero in Deum meum. Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Confortati ſunt qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſte, quæ non rapui tunc exoluebam. Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita. Non erubeſcant in me qui expectant te domine virtutum. Non confundantur ſuper me, qui quærunt te Deus Iſrael. Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium, operuit confuſio faciem meam. Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ. Quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. Et operui in ieiunio animam meam, & factum eſt in opprobrium mihi. Et poſui veſtimentum meum cilicium, & factus ſum illis in parabolam. Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta, & in me pſallebant qui bibebant vinum. Ego vero orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus. In multitudine miſericordiæ tuæ exaudi me in veritate ſalutis tuæ. Eripe me de luto vt non infigar, libera me ab his qui oderunt me, & de profundis aquarum. Non me demergat tempeſtas aquæ,
G *Neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum. Exaudi me Domine quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice me. Et ne auertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor velociter exaudi me. Intende animæ meæ & libera eam, propter inimicos meos eripe me. Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reuerentiam meam. In conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me, improperium expectauit cor meum & miſeriam. Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur & non fuit, qui conſolaretur & non inueni. Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributiones & in ſcandalum. Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua. Effunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet. Quoniam quem tu percuſſiſti perſecuti ſunt me, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt. Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in iuſtitiam tuam. Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur. Ego ſum pauper & dolens, ſalus tua Deus ſuſcepit me. Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum*
H *in laude. Et placebit Deo ſuper vitulum nouellum cornua producentem & vngulas. Videant pauperes & lætentur, quærite Deum, & viuet anima veſtra. Quoniam exaudiuit pauperes Dominus vinctos ſuos non deſpexit. Laudent illum cæli & terra, mare & omnia reptilia in eis. Quoniam Deus ſaluam faciet Syon, & ædificabuntur ciuitates Iuda. Et inhabitabunt ibi, & hæreditate acquirent eam. Et ſemen ſeruorum eius poſſidebit eam, & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.*

Digitized by Google

A

In Chriſto duplex natura ſcilicet diuina & humana.

COMMENTARIVM.

IN domino noſtro Ieſu Chriſto duas ſubſtantias Dei & hominis confitemur, & virtutes Deo tradimus, infirmitates homini applicantes, cuius vocem in iſto Pſalmo ab initio vſque ad finem prophetatam aduertimus. Conſuetudo habet humani ſermonis, vt grauem calumniam patientem, graui dicamus tempeſtati accumbere, hoc ordine aquas vſque ad animam ſuam perueniſſe ſignificat. Dicendo autem in limo profundi ſe infixum, fabricam primi hominis ſonat, in qua fixum cruci tempeſtas ſeditioſi populi meruit eum in mortem. Rogat nunc pro diſcipulis vt non erubeſcant in eo, qui expectant reſurrectionẽ eius, neque confundantur qui requirunt te in me Deus Iſrael. Quoniam propter te, inquit, portaui improperium, dum facio voluntatem tuam, illos offendi, operuit reuerentia faciem meam palmis attractatam, exterus factus ſum fratribus meis, omnes me derelicto fugerunt. Hoc ideo paſſus ſum, quia zelatus ſum domum tuam, quia eieci de templo tuo negotiationes, operui ieiunio animam meam, quadraginta diebus totidemque noctibus nihil accipiens, indutus ſum ſacco, forma ſerui. Indutus ſum rex cœlorum, & factus ſum illis in parabolam, hinc inde verborum inſultationibus ſubiacens. Aduerſum me exercebantur ſacerdotes, ipſi in portis eliguntur ſedere, ſicut Hieremias dicit, oderunt arguentem. In portis ergo hi accipiunt pontificium iudicandi & corripiendi, quaſi qui claues ciuitatis teneant in portis ſedere memorantur, & in me pſallebant ebrij. Ego vero orationem fundens agebam, vt eriperes me de luto mortis, ne ibi adhærerem, vt non vrgeret ſuper me puteus os ſuum. Puteus pro diabolo hoc loco poſitus eſt. Puteus à potando dicitur, ipſe potauit primos homines, & per populum oris ſui aperuit ſuper eos os in morte. Vnde ſancti in paſſione euadentes dicunt: *Niſi dominus fuiſſet in nobis, forſitan viuos deglutiſſent nos*, qui? miniſtri vtique eiuſdem inimici. Suſtinui, inquit, qui ſimul contriſtaretur & non fuit. Non enim poterat ſimul pati diuinitas, ſicut ſol, ſi in ligno ſit, quando conciditur ſimul concidi non poteſt, ita diuinitas ſimul fuit paſſioni, & ſimul non patiebatur triſtitiam. Quæſiui conſolantem & non inueni, tot millia ſaturati, tot millia ſaluati, infiniti edocti, & nec vnus inuentus eſt mihi conſolator tempore quo dederunt in eſca mea fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Propter hoc facta eſt menſa eorum coram ipſis in laqueum. Menſam hic ſynagogam canit, ad quam, quaſi refecturi ſpiritaliter euntes, laqueum æternæ mortis incurrunt. Obſcuratos habentes oculos ne videant lumen eccleſiæ, dorſum ſuum parietibus vanis incuruant. Et ideo apponitur iniquitas ſuper iniquitatem ipſorum, quia & ipſi geminant iniquitates ſuas. Occiderunt Chriſtum, ſanctos perſecuti ſunt, eccleſiam negant, voces Prophetarum euacuant. Et ideo delentur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribuntur. Non habent enim patrem cum Abraham, neque cum omnibus ſanctis veteris teſtamenti, quia contempſerunt pauperem in aſpectu, illum de quo omnes patres eorum concionati ſunt: Pauper, inquit, ego & dolens. Pauper vt nos diuites faceret, dolens vt nos à doloribus æternis eriperet. Factus eſt hoſtia Deo pro nobis, *pacificans in ſanguine ſuo, ſiue qui in terris ſunt, ſiue qui in cœlis*. Et placuit in ſacrificio crucis, quaſi vitulus nouellus cornua producens duorum teſtamentorum, & vngulas quatuor euangeliorum, quod videntes pauperes lætantur. Pauperes Apoſtoli, non habentes duas tunicas, non peram, non pecuniam in zonis ſuis. Vnde & Petrus mendicanti infirmo: *Argentum & aurum non habeo, ſed quod habeo hoc do tibi. In nomine Ieſu ſurge & ambula.* In his operibus magnificatus eſt dominus Ieſus Chriſtus in laude, quod videntes pauperes gratulantur, quia ſic exaudit pauperes dominus, vinctos ſuos non ſpernit. Laudate eum cœli, quia aſcendit, & terra quia reſurrexit, & mare quia pedibus illud ambulauit, & Syon quia ædificauit eam non habentem maculam, neque rugam, & ciuitates Iudæ animæ Apoſtolorum, quæ inhabitantur à Chriſto, & hæreditatem primam acquiſiuit eas. Semen etiam ſeruorum Chriſti poſſidebunt eas qui non poſſident terrenas vanitates. Apoſtolorum vtique doctrinas poſſident, & qui diligunt nomen domini inhabitabunt in ea, id eſt, in fide, in doctrina, in eccleſia. In qua regnat dominus noſter Ieſus Chriſtus cum patre & ſpiritu ſancto, nunc & in cuncta ſecula ſeculorum, Amen.

Fabrica hominis de limo terræ.

Matt. 26. 27.

B

Luc. 19. Ioan. 2.

Ier. 26.

Puteus à potando, dicitur. Forte per pocuium.

C

Diuinitas Chriſti nõ eſt paſſa & ſi paſſioni ſimul interfuerit.

Matt. 27.

Menſa Synagogæ mortem eſurientibus miniſtrat. Iudæorum geminatæ iniquitates.

D

Epheſ. 2. Phil. 2. Coloſſ. 1.

Pauperes Apoſtoli. Matt. 10. Actor. 3.

Actor. 1. Matt. 28. Matt. 14.

E

In finem pſalmus Dauid, in rememoratione quod ſaluum fecit eum Dominus. LXIX.

DEus in adiutorium meum intende, domine ad adiuuandum me feſtina. Confundantur & reuereantur, qui quærunt animam meam. Auertantur retrorſum & erubeſcant, qui volunt mihi mala. Auertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi euge, euge. Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te, & dicant ſemper magnificetur dominus, qui diligunt ſalutare tuum. Ego vero egenus & pauper ſum, Deus adiuua me. Adiutor meus & liberator meus es tu, domine ne moreris.

F

COMMENTARIVM.

IN rememoratione, inquit Dauid, eo quod ſaluum me fecit Dominus, ibi dixit *ſaluum me fac domine*, hic gratias agit ſaluatus. Quid tamen orauit, ad adiuuandum me feſtina, feſtinanter ſuſcita me à mortuis, vt erubeſcant ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi, euge, euge. Exultent hi qui ſperant in te, & qui quærunt te, & dicant ſemper magnificetur dominus qui diligunt ſalutare tuum. Liquet Apoſtolos, & quæſiſſe & dilexiſſe: Ego vero, ait, mendicus & pauper ſum. *Exinaniuit enim meipſum factus obediens vſque ad mortem.* Deus adiuua me, non enim fragilitas humana reſurgit, niſi potentia fuerit diuina eleuata. Adiutor ergo & liberator meus eſto domine, ne tardaueris, Deus qui regnas in ſecula ſeculorum, Amen. *Philip. 2.*

Pſalmus Dauid filiorum Ionadab & priorum captiuorum LXX.

G

IN te domine ſperaui non confundar in æternum, in iuſtitia tuâ libera me, & eripe me. Inclina ad me aurem tuam, & ſalua me. Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt ſaluum me facias. Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu. Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui. Quoniam tu es patientia mea domine, domine ſpes mea à iuuentute mea. In te confirmatus ſum ex vtero de ventre matris meæ, tu es protector meus. In te cantatio mea ſemper, tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis. Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. Ne proijcias me in tempore ſenectutis, cum defecerit virtus mea ne derelinquas me. Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui cuſtodiebant animam meam conſilium fecerunt in vnum. Dicentes, Deus dereliquit eum perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat. Deus ne elongeris a me, Deus meus in auxilium meum reſpice. Confundantur & deficiant detrahentes animæ meæ, operiantur confuſione & pudore, qui quærunt mala mihi. Ego autem ſemper ſperabo, & adiiciam ſuper omnem laudem tuam. Os meum annunciabit iuſtitiam tuam, tota die ſalutare tuum. Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias domini, domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius. Deus docuiſti me à iuuentute mea, & vſque nunc pronunciabo mirabilia tua. Et vſque in ſenectam & ſenium, Deus ne derelinquas me. Donec annunciem brachium tuum, generationi omni quæ ventura eſt. Potentiam tuam & iuſtitiam tuam Deus vſque in altiſsima quæ feciſti magnalia, Deus quis ſimilis tibi. Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas, & conuerſus viuificaſti me, & de abyſsis terræ iterũ reduxiſti me. Multiplicaſti magnificentiam tuam, & conuerſus conſolatus es me. Nam & ego confitebor tibi in vaſis pſalmi veritatem tuam Deus, pſallam tibi in cythara ſanctus Iſrael. Exultabunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea quam redemiſti. Sed & lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, cum confuſi & reueriti fuerint, qui quærunt mala mihi.

H

A

COMMENTARIVM.

Vinum nõ bibere. *Ierem. 35.*

PSalmus, inquit, filiorum Ionadab, & priorum captiuorum. Videndum eſt cum quibus canit Dauid, Cũ filijs Ionadab, de quibus Hieremias dicit patria conſtitutione vinum non bibere, & vocem Domini increpantis memorat, qua dictum eſt: *Filij Ionadab cuſtodiunt præcepta patris ſui, & non bibent vinum.* Non ergo putemus filios Ionadab cum Dauid cecinisſe pſalterium, ſed ſobrietatis viros participes fuiſſe, & in pſallendo Deo. Non enim canebatur ad libitum, ſed ad gemitum, vbi captiui primi ſimul lachrymas funderent, dicentes: Deus meus eripe me de manu contra legem agentis & iniqui. In te confirmatus ſum ex vtero. Ex vtero vtique virginali. Nos dicimus in Deo confirmatum Chriſtum, qui tanquam prodigium factus eſt multis incredulis, credentibus autem extitit adiutor & fortis. Repletum eſt os eius nõ in cibo, non ebrietate, ſed laude, & non eſt protectus in tempore paſſionis eum deficeret virtus eius: Non eſt penitus derelictus tempore quo dicebant inimici: Deus dereliquit eum. Tunc Deus non diſceſſit ab eo, quo reſurgente erubuerunt, & confuſi ſunt inſultantes auerſi retro, & confuſi volentes animam eius, nullam cognoſcens aliam negotiationem, niſi hanc vt intraret in potentias domini. Nunc exterior interiori dicit: Quæ feciſti magnalia Deus, quis ſimilis tibi, quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas, & conuerſus ecce viuificaſti me, & de abyſſo terræ iterum reduxiſti me. Dicendo iterum quæſtionem fecit. Semel enim paſſus, ſemel mortuus, ſemel ſepultus, ſemel de abyſſo terræ reductus, quid eſt hoc iterum? Iterum dicendo excluſit noua. Ita nos pœnitentię recuperationem negantes, & prædas leonum in eorum faucibus relinquentes, noſter hic paſtor non relinquet prædam, non videt lupum & fugit, ſed viuentes de ore leonum oues eripiens, iterum ſuis gregibus præſentat incolumes, hoc eſt, iterum qui in ipſo ſepulti ſumus per baptiſmum, & Chriſtum induti morimur, quando nos morti tradimus conſentiendo inimicis noſtris, qui nos ſic terrenis voluptatibus implicant, vt videamur in abyſſo terræ demerſi. Sed quia non patitur in nobis perire quod contulit, iam per baptiſmum ſemel à mortuis ſuſcitatos ad vitam æternam, ab æterna vita per diaboli excluſos aſtuciam, in eo iterum Chriſtus de abyſſo terræ reducit, in quo multiplicans iuſtitiam ſuam, id eſt, excommunicans eum, & à pacis oſculo proijciens, conuerſus iterum conſolatur, reddens ei communionem quam abſtulerat, oſculum quod negabat: Et ego, inquit, confitebor, quia confeſſio eſt quæ liberat pœnitentem. Confitetur ergo in oratione ſua domino Deo ſuo peccata ſua. Dei autem veritatem in vaſis pſalmi. Quæ ſunt vaſa pſalmi? In vaſis pſalmi veritatem Dei nunciant, qui intus intra vaſculum corporis ſui veritatem rectæ fidei habent incluſam. Namque ſi incorporaliter quiſpiam pœnitentiæ ſuæ afflictiones oſtendat, à peccato abſtineat, in ieiunio, cinere, cilicioque permaneat: niſi in vaſis pſalmi veritatem teneat, omnia quæ laborauerit euaneſcunt. Facilius per veritatem fidei ſine ſiſa ad indulgentiam veniet, quàm per afflictionem ſuam ſine veritate attinget. Age ergo in confeſſione tua correptionem etiam ſine cilicio, & in pſalmi vaſculo veritatem include. Pſalmus enim quem canis ad Deum non perueniet, niſi intus in vaſculo ſuo vbi pſalmum includit memoria, in vaſe inquam ipſo veritas Dei ſimul fuerit commorata. Tunc pſallis in cythara ſancto Iſrael, tunc gaudent labia tua, dum cantas domino, & anima tua quam redemit, quam iterum de abyſſo reuocans liberauit, & confundit æterna confuſione qui quærebat eam. Solus enim creator eius poſſidet eam, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

B

Matt. 27. Etiã Hieronymus in cõmentarijs pro litteratura vertit negotiationẽ Atque ita habet pſalterium Romanũ.

C

Ioan. 10.

Confeſſio liberat pœnitentem.

D

Luth.

E

Pſalmus Dauid in Salomonem. LXXI.

DEus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis. Iudicare populum tuum in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio. Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam. Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Et permanebit cum ſole & ante lunam, in generatione & generationem. Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna. Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident AEthiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, reges Arabum, & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes ſeruient ei. Quia liberauit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor. Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum ſaluas faciet. Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo. Et viuet & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo ſemper, tota die benedicent ei. Erit firmamentum in terra in ſummis montium, ſuperextolletur ſuper libanum fructus eius, & florebunt de ciuitate, ſicut fœnum terræ. Sit nomen eius benedictum in ſecula, ante ſolem permaneat nomen eius. Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum. Benedictus dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus. Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum, replebitur maieſtate eius omnis terra: fiat fiat.

F

COMMENTARIVM.

QVi prophetiam in pſalmis credunt, tenent illam regulam quam cecinit Zacharias dicens de Deo, quod ipſe locutus ſit per os prophetarum, liberaturum ſe nos ab inimicis noſtris. *Luc. 1.* Quod autem in capite huius pſalmi legis, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum explanatorem inuenies. Dicit enim in euangelijs: *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium filio dedit.* *Ioan. 5.* Quod ergo per os ſanctorum promiſit in filio ſuo, rex verum impleuit, cuius tunc imaginem Salomon gerens, ſapientis nomen accepit, habens in ſe ſcintillam ſapientiæ. Hic autem ipſa ſapientia veniens dedit pacem montibus, id eſt, Apoſtolis & collibus iuſtitiam, id eſt, plebibus, iudicauit cum iuſtitia pauperibus, contemnens perſonas diuitum. Humiliauit calumniatorem, id eſt, populum Iudaicum. Permanet cum ſole, imo ſuper ſolem, quia ad dexteram patris permanet ſedens, & ante lunam in ſecula. Lunam hoc loco non pro cauſa lunæ, ſed pro æternitate memorauit Domini Ieſu Chriſti. Et deſcendit ſicut pluuia in vellus, id eſt, in velleribus lanæ, ſicut Gedeon ſignum victoriæ in velleribus lanæ percepit. *Iud. 6.* Nam & verbum ſuum pater ſic iuſſit ſicut pluuia expectari: Expectetur, ait, ſicut pluuia verbum meum. *Deut. 2.* Ergo quem in Deuteronomio iuſſit expectari ſicut pluuiam, in euangelijs præſentauit ſicut pluuiam. Non vtique ex inferioribus ſemine humano erumpente progenitum, ſed verbo patris cœlorum altitudine quaſi pluuiam venientem exortum. Exortum, inquam, in tenebris mundi lumen rectis corde. *Ioan. 1.* Orta eſt in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis. *Pacem meam do vobis*, non talem qualem hic mundus habet, ſed pacem meam illam qualem habent cœli, in qua dominatur Chriſtus à mari vſque ad mare, hoc eſt, ſuper omnem terram aquis maris & fluminum circundatam. *Ioan. 14.* Coram illo procident Æthiopes. Æthiopes nigredinis circundati perfidia, non in corio carnis, ſed in ſenſibus animæ. Propter hoc procident ante eum, & terram inimici eius lingent, vt indulgentiam ab eo conſequi mereantur. Reges autem Tharſis & inſulæ munera offerunt, id eſt, qui regnant in corpore ſuo ſecuri & munera offerunt, reges Arabum & Saba dona adducunt, qui dominantur moribus Barbaris. Hi dona adducunt animas ſuas, vt ipſas ei tradant ad adorandum eum cum regibus terræ, qui terrenis voluptatibus dominantur. Omnes autem gentes ſeruient ei, quia liberat pauperem à potente. Vide cauſam, ideo ait omnes gentes ſeruient ei, quia liberat pauperem, ſenſum eorum à potente & aſtuto diabolo, qui eos ſuaſit

G

H

Reges Tharſis Arabum.

opera

A opera manuum ſuarum timere & colere. Ex vſuris & iniquitate liberauit animas eorum. Ampliabantur vſuræ animabus eorum, quia quod debebatur Deo, idolis tardebatur (& illis accipientibus, ſi tamen vel dici poteſt illis accipientibus, qui nihil nec accipiunt, nec recuſant) dæmonijs ergo accipientibus quod ſoli Deo debebatur, iſtis & debitum concreuit & fœnus. Videns pius, cui pa- *Ioan. 5.* ter iudicium ſuum tradidit in reddendo eos ſatis eſſe mendicos, hoc iudicauit: Inuicem, inquit, vos homines remittite vobis debita, & vobis remittit pater veſter qui *Matt. 6.* eſt in cœlis. Et adiecit: Si non remiſeritis, nec vobis remittet. O liberantem ex vſuris & iniquitate animas, verè præclarum nomen tuum nobis, qui viuis in ſecula ſeculorum, viuis & dabitur tibi aurum Arabiæ. Aurum enim terræ illius eſt magnum, aurum accipis probatum, fulgidum in Apoſtolis, in martyribus, in confeſſoribus, in virginibus. Aurum accipis, non tibi poteſt fieri impoſtura. Erit firmamentum tuum in terra corporum noſtrorum, non in conualle fletus, ſed in ſummis montibus ſu- B perextolletur fructus tuus, & ſupergredietur altitudinem etiam Libani montis, & florebit in altitudinibus Apoſtolo- *Hebr. 5.* rum. Quid florebit audiamus: Sicut fœnum, inquit, ergo in illa altitudine laudata floriet fœnum. Florebit in eccleſia vſque hodie, vt paſcantur iumenta, nihil cum populo de lectionibus agitur. Ibi ergo producitur fœnum iumentis. Perfectorum enim eſt ſolidior cibus, quia ergo fœnum floreat montes, nemo fugiat eccleſiam, veniant omnes, vt benedicatur ibi Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus, & ſit ibi nomen maieſtatis eius benedictum in ſecula, vt repleatur maieſtate eius omnis terra: fiat, fiat, ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Defecerunt hymni Dauid filij Ieſſe. Pſalmus Aſaph. LXXII.

QVā bonus Iſrael Deus, his qui recto ſunt corde. Mei autem pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei. Quia zelaui ſuper iniquos, pacē peccatorū videns. Quia non eſt reſpectus morti eorū. & C *firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua. Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis. Cogitauerunt & locuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra. Ideo conuertetur populus meus hic, & dies pleni inuenientur in eis. Et dixerunt quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo. Ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſeculo obtinuerunt diuitias. Et dixi, ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas. Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis. Si dicebam narrabo ſic, ecce nationem filiorum tuorum reprobaui. Exiſtimabam vt cognoſcerem, hoc labor eſt ante me. Donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in nouiſſimis eorum. Verumtamen propter dolos poſuiſti eis, deieciſti eos dum alleuarentur. Quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubito defecerunt, perierunt propter iniquitatem ſuam. Velut ſomnium ſurgentium domine in ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges. Quia inflammatum* D *eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt, & ego ad nihilum redactus ſum, & neſciui. Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Quid enim mihi in cœlo, & à te quid volui ſuper terram. Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quia ecce qui elongant ſe à te peribunt, perdidiſti omnes qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in domino Deo ſpem meam. Vt annunciem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion.*

COMMENTARIVM.

CVm Deus omnibus bonus ſit, & nulli ſit malus, quid ſit voluit dicere. His bonus, qui recto ſunt corde. Hæc dictio humanis ſenſibus applicanda eſt his, qui vituperant iudicia Dei, dicentes: Ille perfidus, ille iniquus, ſordidus, truculentus, inſanus eſt. Ille autem innocens, caſtus, humilis, inſania fatigatur, infirmitate con- E cutitur, & his ſimilia. Hæc rectis corde virtutum ſemina comprobantur. In quibus probata fides ſegetem ſuam in æternæ vitæ amœnitate ſuſcipiat, & in ſeculo quaſi in hyeme glaciali poſiti primæ anaſtaſis, quaſi primi veris flores *Ferre ci.* expectent. Lætantes itaque in pace ſua peccatores, quod cum hominibus non flagellantur teneat ſuperbia, fiant craſſi, prodeat ex adipe eorum iniquitas, ponant in cœlo os ſuum, & loquantur iniquitatem in excelſo, dicant non eſſe ſcientiam in Deo, qui tamen ſunt audiamus: Hi ſunt, inquit, peccatores, & abundantes, qui in ſeculo obtinuerunt diuitias, mei autem penè moti ſunt pedes, & à recto itinere pene effuſi ſunt greſſus mei, quia dixi in corde meo: Ego ſine cauſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas. At vbi conſideraui omnia temporalia eſſe quæ peccantibus miniſtrantur, & ſubito eos deficere & perire propter iniquitatem ſuam, & iſtam vitam eos quaſi ſomnium tranſire. Et quia Deus in ciuitate ſua Hieruſalem quam præparat ſanctis, imaginem eorum ad F nihilum rediget, tunc inflammatum eſt in amore Dei cor meum, & renes mei reſoluti ſunt, id eſt, ad caſtitatis libertatem à mali exempli vinculo reſoluti. Ideo enim ad nihilum redactus ſum, hæc cogitans, quia neſciui non eſſe condignas paſſiones huius temporis ad futuram gloriam. Poſteaquam didici, etiam iumentum æſtimatus, & pecus ad occiſionem poſitus, tamen permanſi ſemper tecum. Tenuiſti manum dexteram meam, in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria aſſumpſiſti me. Hæc in domino Ieſu Chriſto completa ſunt. Ipſe tenuit generi humano dexteram iam mortuo iam fœtenti, duxit à voluntate diaboli ad voluntatem ſuam, & aſſumpſit in gloriam, qui audenter diceret: Quid mihi reſtat in cœlo? Hoc eſt in terra poſitus ita cœleſtem vitam exercui, vt dum in cœlo aſcendero, nihil mihi ſuperſit quod in terra poſitus non impleuerim: nihil enim præter te volui ſuper terram, etiam ſi defecit cor meum, & caro mea in paſſiones, & pars mea, *Rom. 8.* quia Deus eſt, non defecit, ſed manet in ſecula. Non enim pereunt, niſi hi qui longe ſe faciunt à Deo conſeruatore ſuo: & ipſe non perdet, niſi illos qui fornicantur ab G illo: id eſt, quorum anima alterum ducit Deum, aut à veritatis coniugio ſe falſitate commiſcet. Vnuſquiſque autem noſtrum his probatis dicat: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino ſpem meam, vt annunciem omnes laudationes Dei in portis filiæ Sion. Filia Sion anima credens Chriſto, quæ in finem pſalmi inueniet laudes, quas ſibi in titulo defeciſſe teſtatur. Defecerunt ei laudes, quia zelata eſt in peccantibus, quas inueniet in finem, ſi adhæſerit Domino, & in ipſo ſuam ſpem ex integro collocarit, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem intellectus Aſaph. LXXIII.

VT quid Deus repuliſti in finem, iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ. Memor eſto congregationis tuæ, quam poſſediſti ab initio. Redemiſti virgam hæreditatis tuæ, mons Sion in quo habita- H *ſti in eo. Leua manus tuas in ſuperbias eorum in finem, quanta malignatus eſt inimicus in ſancto. Et gloriati ſunt qui oderunt te in medio ſolennitatis tuæ. Poſuerunt ſigna ſua ſigna & non cognouerunt ſicut in exitu ſuper ſummum. Quaſi in ſilua lignorum ſecuribus exciderunt ianuas eius in idipſum, in ſecuri & aſcia deiecerunt eam. Incenderunt igni ſanctuarium tuum in terra, polluerunt tabernaculum nominis tui. Dixerunt in corde ſuo cognatio eorum ſimul, quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra. Signa noſtra non vidimus, iam non eſt propheta, & nos non cognoſcet amplius. Vſquequo Deus improperabit inimicus, irritat aduerſarius nomen tuum in finem. Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam de medio ſinu tuo in finem. Deus autem rex noſter ante ſecula operatus eſt ſalutem in medio terræ. Tu confirmaſti in virtute tua mare, contribulaſti capita draconum in aquis. Tu confregiſti capita draconum, dediſti eum eſcam populis Æthiopum. Tu dirupiſti fontes, & torrentes, tu ſiccaſti fluuios Ethan. Tuus eſt dies, & tua eſt nox, tu fabricatus es auroram & ſolem. Tu feciſti omnes terminos terræ, æſtatem & ver tu plaſmaſti ea. Memor eſto huius, inimicus improperabit Domino, & populus inſipiens irritabit nomen tuum.*

A *Ne tradas beſtijs animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem. Reſpice in teſtamentum tuum, quia repleti ſunt qui obſcurati ſunt terra domibus iniquitatum. Ne auertatur humilis factus confuſus, pauper & inops laudabunt nomen tuum. Exurge Deus iudica cauſam tuam, memor eſto improperiorum tuorum eorum quæ ab inſipiente ſunt tota die. Ne obliuiſcaris voces inimicorum tuorum, ſuperbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper.*

COMMENTARIVM.

IRatus eſt Dominus ſuper Iſrael, cum eſſet arca Dei in Silo, cum Ofni & Finees filij Heli in ſacrificijs ſuis & fornicationibus nec increpati corrigerentur. Tradita eſt etiam arca teſtamenti aduerſarijs, & gloriati ſunt qui oderunt eum in medio atrij eius. Quaſi in ſilua lignorum exciderunt ianuas munitionum. Incenderunt igni vbicunque inuenerunt ſanctuarium, id eſt, locum orationis eorum extructum. Et quieſcere fecerunt feſtos dies Domini in terra, dicentes: Iam in Iſrael non eſt propheta, vtique audientes Heli mortuum & duos filios eius, qui ſummam ſacerdotij tenebant occiſos in prælio. Samuel adhuc erat infantulus, cuius nec opinio cœperat. Et ideo videbatur improperare inimicus populus gentium & inſultare, in quo rogat ne animas pauperum ſuorum obliuiſcatur dominus in ſempiternum vt exurgat & iudicet cauſam ſuam, quia ſuperbia eorum qui odiebant eum, aſcendebat nimis. Hactenus hiſtoricus ſermo ceperit finem. Eſt enim & in vobis arca teſtamenti domini, quam quotidie hoſtes conantur eripere, id eſt, animi conſtantiam, quæ pro defenſione virtutum contra vitia bella committit. Si ergo huius arcæ ſacerdotes, id eſt, corpus & anima mea ex conſenſu coluerunt, requieſcit ſuper eam dominus, & non audebunt dæmonia, nec bellum in cute conſiſtere. At vbi hæc per negligentiam ſacerdotum ceſſerit, capitur ab aduerſarijs, & malignatur inimicus in ſancto, & gloriantur qui oderunt dominum in eo. Poſt hæc cum lachrymis orandus eſt dominus, vt animas pauperum non obliuiſcatur. Dominus in ſempiternum, non auertatur in perpetuo, humilis factus, confuſus, vt non in æternum tradatur beſtijs anima quæ confitetur ei: vt memor ſit creaturæ ſuæ, quia repleti ſunt qui obſcurati ſunt terræ domus iniquitatum. Exurgat ergo dominus & iudicet cauſam ſuam, quoniam per occaſionem peccatorum meorum inimicus improperat domino: Memor, inquit, eſto domine improperiorum tuorum, quæ ab inſipientibus fiunt tota die, vt non obliuiſcaris voces quærentium te per pœnitentiam, & contemnentium te ſuperbia aſcendat ad te, vt illis ſuperbientibus reddas, & nobis confitentibus parcas, qui regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

Arcæ teſtamenti ſacerdotes, corp⁹ & anima.

B

C

In finem ne diſperdas vel corrumpas, Pſalmus cantici Aſaph. LXXIII.

D *COnfitebimur tibi Deus, confitebimur & inuocabimus nomen tuum. Narrabimus mirabilia tua, cum accepero tempus ego iuſtitias iudicabo. Liquefacta eſt terra, & omnes qui habitant in ea, ego confirmaui columnas eius. Dixi iniquis, nolite inique agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu. Nolite extollere in altum cornu veſtrum, nolite loqui aduerſus Deum iniquitatem. Quia neque ab oriente neque ab occidente, neque à deſertis montibus, quoniam Deus iudex eſt. Hunc humiliat & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Et inclinauit ex hoc in hoc, veruntamen fex eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ. Ego autem annunciabo in ſeculum, cantabo Deo Iacob. Et omnia cornua peccatorum confringam, & exultabunt cornua iuſti.*

COMMENTARIVM.

ALiquanta in ſeptuageſimo tertio idcirco prætermiſimus pſalmo, quia in ſeptuageſimo quarto ea credimus melius declaranda: Confitebimur, inquit, tibi Deus. Si peccata confitemur, non vt ſciat quæ ignorat, ideo confitemur, ſed vt ea quæ optime nouit indulgeat. Quia confitemur eum & nomen eius inuocamus. Confeſſio enim pœnitentis ad indulgentiam non attendit, ſi rectæ fidei inuocatio nominis Dei non fuerit ſubſecuta, in qua confeſſione narrantur omnia mirabilia eius, quæ ſancti ſymboli textus oſtendit. Verum quia (vt dixi) in anteceſſione huius pſalmi aliquanta tranſiui, quę ſunt in iſto reddenda hæc ſunt: vt narres contra Manichęum omnia mirabilia eius, & non dicas aduerſis & contrarijs mundum agi, & alium lucis dominum, alium tenebrarum, alium noctis, alium diei, ſed vnum eundemque dominum confitentes, narremus omnia mirabilia eius, dicentes: Tuus eſt dies & tua eſt nox, tu feciſti ſolem & lunam, æſtatem & ver tu feciſti. Confirmaſti in virtute tua mare, tu confregiſti capita draconum in aquis, id eſt, capita dæmonum in baptiſmate. Quod autem aquis, dixit, voluit oſtendere vnum baptiſma in aquis poſſe omnibus celebrari, fluminum, maris, fontium, torrentium, ſtagnorum, ibi capita dæmonum confringuntur, id eſt, in omnibus aquis. Caput autem draconis magni in pœnitentia confringet dominus, & dat eum in eſcam populo Æthiopum. Æthiopes à plaga meridiana nigri ſunt. Hi ergo qui dæmoniorum meridianorum ruinam patiuntur, nigri fiunt apud Deum, & pro ipſa nigredinis perfidia, Æthiopes appellantur. Hi itaque cum baptizarentur, quia in aquis confracta ſunt capita dæmonum, venenum omne in aquis fluentibus euanuit. Et illos iam mundos, quum ab omni veneno defæcatos exhibuit, nunc in ſicco poſitis, draco magnus ipſe princeps draconum aduenit, quem ſuis cibantes nefarijs factis veneno eius iterum nigrarunt. Verum quia pœnitentibus auxilium diuinæ pietatis occurrit, confringitur & huius caput draconis in ſicco. Aqua ibi ſola lachrymarum eſt. Et quia non ſunt fluuij circa eum ſalientes, quæ tantum nefas veneni abluant, datur eis in cibo, & dicitur eis: Quando draconum capita in aquis vobis confracta ſunt, guſtaſtis & vidiſtis quàm ſuauis eſt dominus. Modo quia dominum reliquiſtis, guſtate & videte quàm amarus eſt diabolus. Ibi guſtaſtis mel & lac, hic guſtate cinerem pro pane, & lachrymas veſtras in poculis miſcete. Ibi veſtes candidas & mundas, hic ſacceas ſordidas. Ibi habuiſtis gaudium, hic mugitum gemitumque inter ſuſpiria excrepate. Sicque Æthiopes eſſe ceſſabitis, & priſtinus vobis candor ſplendorque redditur. Ibi enim vobis rumpent iterũ fontes & torrentes, vbi ſiccati fuerunt fluuij Æthan. Æthan fluuij in deſerto Sina inuenti ſunt. Ex quibus qui guſtaſſet, non ſicut de Myrrha amaritudine replebatur, ſed ſtatim tumore correptus, mortis periculo ſubiacebat. Quando ergo quando *conuertit* ſolidam *petram in ſtagna aquæ, & rupem in fontes aquarum*, iſti Æthan fluuij Dei nutu ſiccatur. Quod factum ad hoc ducit, quia pœnitentibus Æthan fluuij exſiccantur. Et ex deſperato lapide atque duriſſima petra in deſerto, & in ſquallentibus locis poſita fontes pariter erumpunt atque torrentes. Hæc fecit rex noſter, Deus ante ſecula qui eſt ipſe. Hæc fecit rex qui *operatus eſt ſalutem in medio terræ*, in domino noſtro Ieſu Chriſto, qui dixit iniquis: Nolite iniqua agere, & nolite delinquentibus exaltare cornu, nolite extollere in altum cornu veſtrum, nolite loqui aduerſum Deum iniquitatem. Si quis autem vobis dixerit, Ecce hic Chriſtus, aut ecce hic, illic, nolite credere, quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à deſertis montibus, ſed ſicut fulgur ita veniet, quoniam Deus iudex eſt. Non ſic venit quomodo homo venit, ſed quomodo Deus iudex vt ſuperbum humiliet ſicut promiſit, & exaltet humilem ferens calicem in manu vini meri plenum mixto, ex quo inclinat ex hoc in hoc. Vinum duas ſpecies habet vnam vnde infirmos ſanat, aliam vnde ſanos debilitet. Ex vno eodemque vino iuſtis propinatur ad ſalutem, peccatoribus ad interitum irrogatur. Sicut ignis iuſtis, fex tamen calicis non exinanitur, vt bibant non pauci, ſed omnes peccatores terræ: quod vno eodemque poculo alijs ſalus, alijs interitus veniat, etiam hodie qui indigne guſtantes hauſerunt: inde iſti, vt ait Apoſtolus, ſibi iudicium ſumunt. Nos autem hæc ſcientes, ſi volumus gaudere in ſecula ſeculorum,

Confitemur Deo

E

peccata non quia ignorat, ſed vt indulgeat.

Error manichęorũ.

Baptiſma in omnib⁹ aquis poteſt celebrari.

F

Æthiopes nigri fiunt, infideles, & impœnitentes.

Pœnitentiæ mod⁹.

Fluuii Æthan ſitientibus mortem inferunt.

G

al Mora.

Exod. 17. Deut. 8. 32 Iob. 28.

Matt. 24. Pſal. 73.

Vinum ſanat infirmos & ſanos debilitat.

H

Vno eodemque poculo alijs ſalus, alijs interitus venit.

1. Cor. 2.

A ita cantemus Deo Iacob, vt omnia peccatorum cornua confringamus, id eſt, vitiorum ventilationes contemnendo frangamus, & virtutum cornua exaltemus in Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem in carminibus, canticum ad Aſſyrios pſalmus Aſaph.
LXXV.

NOtus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius. Et factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Syon. Ibi confregit potentias, arcum, ſcutum, gladium, & bellum. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, turbati ſunt omnes inſipientes corde. Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Ab increpatione tua deus Iacob dormitauerunt qui aſcenderunt equos. Tu terribilis es & quis reſiſtet tibi, ex tunc ira tua. De cœlo auditum feciſti iudicium, terra tremuit & quieuit. Cum exurgeret in iudicium Deus,
B *vt ſaluos faceret omnes manſuetos terræ. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. Vouete & reddite domino deo veſtro, omnes qui in circuitu eius affertis munera. Terribili & ei qui aufert ſpiritum principum, terribili apud omnes reges terræ.*

COMMENTARIVM.

CAnticum contra Aſſyrium, id eſt, contra diabolum inchoamus. Contra eum enim notus factus eſt in
2. Cor. 5. Iudæa Deus, *in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* In Iſrael magnum nomen eius. Iſrael homo Iudæus. Deum ergo qui vidit hominem & credidit Deum, in ipſo primum ſta-
Matt. 16. ctum eſt nomen eius. Ita vt diceret ei: *Tu es Petrus, & ſupra hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Et quia portæ in-*
Primatus Petri. *feri non præualebunt aduerſus eam.* Ibi confregit cornua arcuum, & ſcutum, & gladium, & bellum, fecitque in pace locum eius, & habitationem eius in Syon, & illuminauit ei à montibus æternis, à prophetis qui fuerunt ab
C initio. Contra quam turbantur vſque hodie omnes inſipientes corde. Et qui moriuntur in peccatis ſuis dormientes ſomnum mortis ſuum, id eſt, ſomnum ſuæ dormientes. Nihil inuenerunt in manibus ſuis ibi omnes viri diuitiarum. Hic enim naſcentes quæ inuenerunt, hic morientes relinquunt. Non ſolum diuites dormiunt, ſed & fures qui aſcenderunt equos. Deus enim terribilis eſt, & nemo poteſt reſiſtere ei. Tunc in ira ſua, cum enim cœperit iudicium de cœlo iaculari, terra tremet & quieſcet, cum exurgere cœperit in iudicio Deus, in quo non ſaluabit alios, niſi omnes manſuetos terræ. Ibi cogitatio hominis confitebitur ei, & reliquiæ cogitationum diem feſtum agent Deo. Sicut erunt omnes dies iuſtorum, quomodo nobis ſemel in anno ſanctus dies eſt paſchæ. Omnes ergo ſancti dies feſtus agent Deo: & vos, inquit, ſi vultis gaudere cum ſanctis, vouete & reddite domino Deo
D veſtro, omnes qui in circuitu eius offeretis munera, me-
Vota Chriſtianorum in Baptiſmo. mores debent eſſe quid vouerint, aut cui vouerint. Nam in baptiſmatis conſecratione vouerunt ſeipſos tradere, & omnibus operibus diaboli renunciare. Hoc reddite domino Deo veſtro, ante oculos hoc habentes, quia etiam principum aufert ſpiritus, cum à voto diſcedunt. Et eſt terribilis etiam regibus terræ, ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

In finem pro Idythum, pſalmus Aſaph.
LXXVI.

VOce mea ad dominum clamaui, voce mea ad deum & intendit mihi. In die tribulationis meæ deum exquiſiui manibus meis nocte contra eum, & non ſum deceptus. Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus. Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus ſum & non ſum locutus. Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar & ſcopebam ſpiritum meum. Nunquid in æ-
E *ternum proiiciet Deus, aut non apponet vt complacitior ſit adhuc. Aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet, à generatione in generationem. Aut obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas. Et dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelſi. Memor fui operum domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum. Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor. Deus in ſancto via tua, quis deus magnus ſicut Deus noſter, tu es Deus qui facis mirabilia. Notam feciſti in populis virtutem tuam, redemiſti in brachio tuo populum tuum filios Iacob & Ioſeph. Viderunt te aquæ Deus viderunt te aquæ & timuerunt, & turbatæ ſunt abyſſi. Multitudo ſonitus aquarum, vocem dederunt nubes. Etenim ſagittæ tuæ tranſierunt, vox tonitrui tui in rota. Illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, commota eſt & contremuit terra. In mari via tua & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur. Deduxiſti ſicut oues populum tuum, in manu Moyſi & Aaron.*

COMMENTARIVM.

F IN iſto pſalmo promittit ſe propheta omnia mirabilia Dei ab initio memoraturum, & cauſam huius commemorationis exponit. Ac memorans præterita bona, de malis præſentibus querelatur: Clamaui, inquit, ad do- Exod. 14.
minum in die tribulationis. Et expandi manus meas coram eo in noctibus, & non ſum deceptus. Modo autem tantas moras facit in ſubueniendo dominus, vt dicam: Nunquid in æternum obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordiam ſuam? Et dixi, modo cœpit mutatio dexteræ excelſi: Et vt oſtendam, inquit, quia modo cœpit, memor ero ab initio mirabilium eius, in quibus liberauit populum ſuum. Quis enim tam ma- Exod. 7. 8. 9. 10. 11.
gnus deus quam Deus noſter, quem viderunt aquæ magis & timuerunt. Turbatæ ſunt abyſſi, dantes viam ſiccam pedibus filiorum Iſrael & Ioſeph. Poſt hæc vocem dederunt nubes: In columna enim nubis vox erat, quando ſagittæ Dei in Ægyptios tranſierunt. Vox tonitrui Moyſes rotæ comparatur.
eius in rota. Moyſes rotæ comparatur. Rota licet in terra voluatur, tamen dum ſteterit, magna pars eius aliena eſt à terra, & parua pars eius in terra conſiſtit. Vox ergo G
Dei in rota eſt, qui paruis rebus terrenis contentus, totum quod ſurſum eſt quærit, pergit vbi Chriſtus eſt. Illuxerunt coruſcationes eius orbi terræ, quando in mari viam fecit. Et ſemitam in aquis multis, quando deduxit velut oues populum ſuum, in manu Moyſi & Aaron. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Intellectus Aſaph. LXXVII.

ATtendite popule meus legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris mei. Aperiam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio. Quanta audiuimus & cognouimus ea, & patres noſtri annuntiauerunt nobis. Non ſunt occultata à filijs eorum in generatione altera. Narrantes laudes domini & virtutes eius, & mirabilia eius quæ fecit. Et ſuſcitauit teſtimonium in Ia- H
cob, & legem poſuit in Iſrael. Quanta mandauit patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis, vt cognoſcat generatio altera. Filij qui naſcentur & exurgent narrabunt filijs ſuis. Vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius exquirant. Ne fiant ſicut patres eorum generatio praua & exaſperans. Generatio quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius. Filij Effrem intendentes & mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli. Non cuſtodierunt teſtamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare. Et obliti ſunt benefactorum eius, & mirabilium eius quæ oſtendit eis. Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Thaneos. Interrupit mare & perduxit eos, & ſtatuit aquas quaſi in vtre. Et deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis. Interrupit petram in eremo, adaquauit eos velut in abyſſo multa. Et eduxit aquam de petra, & eduxit tanquam flumina aquas. Et appoſuerunt adhuc peccare ei, in ira concitauerunt excelſum in inaquoſo. Et tentauerunt deum in cordibus ſuis, vt peterent eſcas animabus ſuis. Et male locuti ſunt de Deo, dixerunt, nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto? Quoniam percuſſit petram & fluxerunt aquæ & torrentes inundauerunt. Nunquid & panem poterit dare, parare

A

menſam populo ſuo. Ideo audiuit dominus & diſtulit, & ignu accenſus eſt Iacob, & ira aſcendit in Iſrael. Quia non crediderunt in Deo, nec ſperauerunt in ſalutari eius. Et mandauit nubibus deſuper, & ianuas cœli aperuit. Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Panem angelorum manducauit homo, cibaria miſit eis in abundantia. Tranſtulit auſtrum de cœlo, & induxit in virtute ſua africũ, & pluit ſuper eos ſicut puluerẽ carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata. Et ceciderunt in medio caſtrorum eorum circa tabernacula eorum. Et manducauerunt & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit eis, non ſunt fraudati à deſiderio ſuo. Adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos. Et occidit pingues eorum, & electos Iſrael impediuit. In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius. Et defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum feſtinatione. Cum occideret eos quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum. Et rememorati ſunt, quia Deus adiutor eſt eorum. & Deus excelſus redemptor eorum eſt. Et dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento

B

eius. Ipſe autem eſt miſericors, & propicius fiet peccatis eorum, & non diſperdet eos. Et abundauit vt auerteret iram ſuam & non accendit omnem iram ſuam. Et recordatus eſt, quia caro ſunt ſpiritus vadens & non rediens, quotiens exacerbauerunt eum in deſerto, in iram concitauerunt eum in inaquoſo. Et conuerſi ſunt & tentauerunt Deum, & ſanctum Iſrael exacerbauerunt. Non ſunt recordati manus eius die qua redemit eos de manu tribulantis. Sicut poſuit in Aegypto ſigna ſua, & prodigia ſua in campo Thaneos. Et conuertit in ſanguinem flumina eorum, & imbres eorum ne biberent. Miſit in eos cynomiam & comedit eos, & ranam & diſperdidit eos. Et dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locuſtæ. Et occidit grandine vineas eorum & moros eorum in pruina. Et tradidit grandini iumenta eorum, & poſſeſſiones eorum igni. Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & iram & tribulationem, immiſſionem per angelos malos. Viam fecit ſemitæ iræ ſuæ, non pepercit à morte animarum eorum, & iumenta eorum in morte concluſit. Et percuſſit omne primogenitum in terra AEgypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham. Et abſtulit ſicut oues populum ſuum, & per-

C

duxit eos tanquam gregem in deſerto. Deduxit eos in ſpe & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare. Et induxit eos in montem ſanctificationis ſuæ, montem quem acquiſiuit dextera eius. Et eiecit à facie eorum gentes, & ſorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis. Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Iſrael. Et tentauerunt & exacerbauerunt Deum excelſum, & teſtimonia eius non cuſtodierunt. Et auerterunt ſe & non ſeruauerunt pactum, quemadmodum patres eorum conuerſi ſunt in arcum prauum. In iram concitauerunt eum in collibus ſuis, & in ſculptilibus ſuis ad æmulationem eum prouocauerunt. Audiuit Deus & ſpreuit, & ad nihilum redegit valde Iſrael. Et repleuit tabernaculum Sylo, tabernaculum ſuum vbi habitauit in hominibus. Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici. Et concluſit in gladio populum ſuum, & hæreditatem ſuam ſpreuit. Iuuenes eorum comedit ignis, & virgines eorum non ſunt lamentatæ. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, & viduæ eorum nõ plorabantur. Et excitatus eſt tanquam dormiens dominus, tanquam potens crapulatus à vino. Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit illis. Et repulit tabernaculum Ioſeph,

D

& tribum Effrem non elegit. Sed elegit tribum Iuda, montem Sion quẽ dilexit. Et ædificauit ſicut vnicornium ſanctificium ſuum in terra quam fundauit in ſecula. Et elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium: de poſt fœtantes accepit eum. Paſcere Iacob ſeruum ſuum & Iſrael hæreditatem ſuam. Et pauit eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos.

COMMENTARIVM.

QVod promiſit deo in ſeptuageſimo ſexto, hoc in ſeptugeſimo ſeptimo hominibus tradit: Ibi dixit Deo: *Memor ero ab initio mirabilium tuorum.* Hic dicit populo: Loquar propoſitiones ab initio, virtutes & mirabilia eius quæ fecit, vt cognoſcat generatio altera, vt filij naſcentes exurgant. Ipſi narrent filijs ſuis, vt non confidant in mundi lucris, non in terrenis cupiditatibus ſeculi, ſed in Deo ſolo ponant ſpem ſuam, & non obliuiſcantur opera Dei ſui, & mandata eius exquirant. Vt non fiant ſicut patres eorum, genus prauum & peramarum. Sanè genus

Non condẽnat cre-

E

cum dicit, ante conſidera. Non enim creaturam in damnabilibus Deus, ſed voluntatem condemnat. Videns ergo, quia genus vituperando quæſtionem fecerat, eruens hunc ſermonem à creatoris iniuria, expoſuit non eſſe generis vitium, ſed voluntatis. Proſecutus enim ait, genus, inquit, quod non direxerit cor ſuum. Et quaſi interrogatus eſſet, quomodo non direxerint cor ſuum, reſpondit: Quia non cuſtodierunt teſtamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare. Dicendo noluerunt, excluſit culpam à genere, & crimen voluntatis oſtendit, per quam obliti ſunt benefactorum, & mirabilium Dei, quando diuiſit mare vt tranſirent, & ſtatuit aquas eius hinc inde quaſi in vtre. Quando duxit eos in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem. Quando rupit in deſerto petram, & adaquauit eos velut in abyſſo multa, & potati gratias non egerunt, ſed appoſuerunt peccare. Et ita vt male loquerentur de Deo, vt dicerent: Ecce de petra eduxit aquam, nunquid panem poterit dare? Hęc dicebant, quia non credebant Deo ſuo, nec ſperauerunt in ſalutare eius. Et mandauit nubibus deſuper. Et ianuas cœli aperuit. Ianuas abuſiue dictum, ſicut de terra: Aperuit, inquit, os ſuum: Aperiendi cauſa exegit, & in terra os & in cœlis ianuas nominare, & pluit illis manna ad manducandum: Manna, Latine quod dicimus, quid eſt hoc, dicit Hebræus. Cum ergo tanquam ſemen coriandri plueret cœli, interrogantes filij Iſrael nomen dederunt, dum quærunt. Nam dicentes: *Quid eſt*, id eſt manna, de hoc quod interrogabant verbo, nomen ſpecies ipſa ſuſcepit, quod auxeſin faciens adiecit. Panem cœli dedit eis, per occaſionem mannæ panis qui de cœlo deſcendit nominatus eſt: Panem, inquit, angelorum manducauit homo. Quicquid æternitatem in potando & in manducando præſtat, angelicum eſt, non habens putentes atque ſtercoreas digeſtiones. Habent enim vniuerſa viuendi materiam, & ſiue angeli, ſeu quæcunque in cœlo viuunt, non ſibi ſine alimento ſufficiunt. Ducuntur enim fame & ſiti, ſiue laudis domini. Et eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam eius, per quam pingueſcunt, & æternum apicem tenent. Sicut è contrario apoſtatę angeli eſuriunt & ſitiunt iniuſtitiam, & ex eo opere ſaginantur. Nam & quod dicit dominus *gaudere angelos in cœlo ſuper vnum pœnitentem*: oſtendere voluit, ad eorum refectionem rediſſe per iuſtitiam, eum qui per iniuſtitiam ventres dæmonum ſaginabat. Quanta ſunt etiam in corporibus, quæ ſine ſtercorea digeſtione reficiunt, vt eſt nuncius bonus, vt eſt odor optimus, vt eſt aſpectus mirabilis, vt eſt gratia maiorum, vt eſt opinio optima, quæ dicitur etiam oſſa impinguare. Hæc ideo diximus, vt oſtendamus omnia quæ in cœlo & quæ in terra ſunt inuiſibilia atque viſibilia, & menſuras ſuas habere, quia ſolus Deus immenſus eſt: & per compaginem ſuæ qualitatis ſubſiſtere, quia ſolus Deus incorporeus eſt: & per aliam ſubſtantiam viuere, quia ſolus Deus nullius eget. Ipſe autem omnibus eſt neceſſarius, ipſi nullus. Sed quia nimia gratia pietatis ſuæ facturam ſuam in omnibus diligit, dignatur per legem, per virtutum iudicia, per compunctionem cordis, per magnitudinem operum hominum inuitare hominem. Et ideo non ſolum panes angelorum, ſed & auium carnes innumerabilium concupiſcentibus tribuit etiam ingratis. Et ne multum ingratorum crimen poſteritas non timeret cum adhuc eſcæ eorum erant in ore eorum, ira Dei venit ſuper eos, quia non crediderunt mirabilibus eius. Defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum feſtinatione. Verum quia, vt dixi, tu ſi non malo coactus benefacere non vis: Cum occideret, inquit, eos quærebant eum, & conuertentes diluculo veniebant ad eum. Tunc recordati ſunt, quia Deus adiutor & protector eorum eſt: Sed dicentes, inquit, tu es Deus noſter, hoc ſola, ait, lingua mentiti ſunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo. Vnde & dominus dicit: *Populus*, inquit, *hic labijs me diligit, cor autem eorum longe eſt à me.* Hæc, quare hæc? Quia fides non eſt habita teſtamento eius. *Sine fide* autem, vt ait Apoſtolus, *impoſſibile eſt placere Deo.* Diſcutiamus parumper de quo teſtamento agatur. Audi Apoſtolum: *Hominis*, ait, *teſtamentum nemo irritum facit, aut ſuper-*

ordinat

Margin notes: creaturã de⁹, ſed voluntatem. — *Exod.* 14. *Exod.* 13. *Exod.* 17. *Exod.* 16. *Exod.* 17. — F — Manna quid ſit. — Angeli habent viuẽdi materiam. — Angeli quomodo ſitiũt & eſuriunt. — *Luc.* 15. — G — Sol⁹ Deus immẽſus ſubſiſtens, incorporeus, nullius egens. — H — Amor dei in creaturas. — *Eſa.* 29. *Matt.* 15. *Rom.* 14. *Heb.* 2. — *Gal.* 3.

A

Matt. 27. Luc. 23.

ordinat. *Abrahæ dictum eſt: In ſemine tuo hæreditabo omnes gentes: Non, inquit, dixit in ſeminibus, quaſi in multis, ſed in ſemine tuo, quod eſt Chriſtus.* Hoc ergo teſtamentum quod cum Abraham patre eorum habuit Deus, dum compleret in filio ſuo, fides non eſt habita teſtamento eius. Ipſe autem eſt miſericors, etiam in cruce poſitus, propicius fit peccatis eorum, & cum poſſet non diſperdidit eos, ita vt rogaret patrem ſuum, vt & ipſe indulgeret eis. Quia recordatus eſt, quod caro ſunt, nihil in ſpiritu ſapientes, & ſpiritus eſſent euntes, & non reuertentes.

Quare Deus relinquit peccatoribus abundantiā bonorum in hoc mundo.

Ideo ſæpe dominus peccatoribus in hoc mundo lætitiam & abundantiam & potentiam vſurpatam relinquit, quia ſcit quæ paſſuri ſunt in gehennæ incendio, & condolens eis, auertit in hoc ſeculo iram ſuam ab eis. Hoc conſiderans, quod euntes ibunt in interitum æterni incendij, & vltra non redeunt. Quotiens, inquit, exacerbauerunt eum in deſerto, non recordantes diem qua liberauit eos dominus de manu tribulantis, & inimicos eorum prius decem plagis percuſſit,

B

Exo. 7. 8. 9. 10. 12.

poſtea etiam in mari merſit, ipſos autem eduxit tanquam paſtor oues in deſerto, & induxit in montes ſanctificationis ſuæ, & eiecit à facie eorum gentes. Et poſt omnia, quid fecerunt? Auerterunt ſe, inquit, & non obſeruauerunt pactum ſicut patres eorum, ita etiam vt in ſculptilibus ſuis æmularentur eum: Propter hoc, inquit, repulit tabernaculum Sylon.

Heli filii, Ophni & Phinees.

1. Reg. 4.

Facit locus contra hæreticos qui dicunt, pro duorum peccatis filiorum Heli, Deus iuſtus omnem Iſrael populum tradidit Philiſtæis, Spiritus vero ſanctus detegens crimen vniuerſi populi dicit: Quod auerterunt ſe à Deo, & non obſeruauerint præcepta eius, ſicut & patres eorum: Ideo, inquit, ad nihilum redegit nimis Iſrael, & ideo repulit tabernaculum Sylon, ideo conuertit in captiuitatem virtutem ipſorum. Et pulchritudinem eorum, id eſt, arcam teſtamenti domini tradidit in manus inimici. Concluſit in gladio populum ſuum, & hæreditatem ſuam ſpreuit, ita vt & ſacerdotes eorum gladio caderent, iuuenes ignis comederet, virgines ſine lamento perirent, viduæ ſine plorantibus interirent.

C

Venimus nunc ad locum, qui nos ab hiſtoria ad myſticum & moralem auditum impellat. Excitatus eſt, inquit, tanquam dormiens dominus.

Deus quandiu dormire dicitur.

Quotieſcunque ergo captiuitas ſiue carnalis, ſiue ſpiritalis venit, ſciamus dormire dominum, & tam diu dormit, quandiu inueniantur idonei, qui auſi ſint excitare eum. Hoc namque eſt quod finxit dominus noſter IESVS CHRISTVS in naui dum transfretaret: nimia & incomparabili tempeſtate nauis in qua erat cum diſcipulis ſuis, agebatur, ita vt nihil ſupereſſet, niſi vt mergerentur in fluctibus. Accedentes diſcipuli ad dormientem dominum, clamore eum nimio excitant dicentes. *Præceptor perimus.*

Matth. 8.

Ille autem ſurgens imperauit ventis, & quieuerunt vndæ & tranquillatæ ſunt. Non ergo ideo dormit dominus, vt ſomno teneatur. Semper vigilat, & nunquam dormiet omnino, neque dormitabit. Sed quando et nos ſilentium facimus tale, quale qui dicat: Sic vos ſiletis, ſicut ſolet fieri ſilentium patri familias, vt quieſcat ecce quieſco, ecce ſileo, ecce dormio,

Deus excitatur fletibus ſanctorū.

D

non orationum gemitibus pulſor, non pſalmorum vocibus inquietor, nec aſſiduis deprecationibus excitor, grandi hoc veſtro ſilentio ego dormio, & me dormiente venit ſuper vos aut ſpiritalis, vt dixi, aut carnalis tempeſtas, qua compulſi ad regem confugiatis, vt eius vigilijs liberemini, cuius ſomno capimini.

1. Reg. 5.

Denique excitatus precibus ſanctorum, audite quid fecerit: Percuſſit, inquit, omnes inimicos in ſecreto natium eorum. Tantaque murium copia extitit, vt nullus eorum eſſet cuius anus non à muribus roderetur, ita vt ſicut dicit liber primus regnorum, exirent prominentes extales eorum. Hoc ergo eſt quod ait nunc in iſto pſalmo, excitatum dominum percuſſiſſe inimicos in poſteriora. Opprobrium, inquit, ſempiternum dedit illis, & repulit tabernaculum Ioſeph, in regno Saulis. Duæ iſtæ tribus tenebant imperium, Ioſeph ſcilicet & Beniamin. Vnde adiecit, tribum Effrem non elegit, vt ſubaudiatur ad regnum, ſed elegit tribum Iuda ad regnum, quod licet in Dauid tunc pactum ſit, in Chriſto completum eſt.

In monte, præclara quæque geſſit Chriſtus.

In monte Syon quem elegit, in quo ædificauit ſicut vincornis ſanctuarium ſuum, ibi natus, ibi baptizatus, ibi tentatus, ibi in virtutibus manifeſtatus, ibi paſſus, ibi mortuus, ibi ſepultus, ibi exurgens à mortuis tertia die, ibi aſcēdit in cœlos. In terram quam fundauit in ſecula, id eſt, in Syon, id eſt, in eccleſia ſanctorum.

E

1. Reg. 16.

Nam ibi elegerat Dauid ſeruum ſuum, quando eum, tulit de gregib. ouium, vt paſceret Iacob, & Iſrael hæreditatē ſuam, quos paſcet vſq; hodie Dei filius ſine malicia cordis, & in ſenſu manuum ſuarum ſeducet nos. Ideo enim manus ſuas in cruce leuauit, vt in gloria manuum ſuarum dirigat nos, qui regnat cum patre & ſpiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus Aſaph. LXXVIII.

DEVS venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum, poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam. Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ. Effuderunt ſanguinem ipſorum tanquam aquam in circuitu Hieruſalem, & non erat qui ſepeliret.

F

Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio & illuſio ijs qui in circuitu noſtro ſunt. Vſque quo domine iraſceris in finem, accendetur velut ignis zelus tuus. Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt. Quia comederunt Iacob, & locum eius deſolauerunt. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propicius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. Ne forte dicant in gentibus, vbi eſt Deus eorum, & innoteſcant in nationibus coram oculis noſtris. Vltio ſanguinis ſeruorum tuorum qui effuſus eſt, introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum. Secundum magnitudinem brachij tui poſſide filios mortificatorum. Et redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum, improperium ipſorum quod exprobrauerunt tibi domine. Nos autem populus tuus & oues paſcuæ tuæ, confitebimur tibi in ſeculum. In generatione & generationem annunciabimus laudem tuam.

G

COMMENTARIVM.

SEptuageſimus & octauus pſalmus apicem anteceſſoris ſui ſecutus, lamentum ſimul Deo cum oratione effundit. Cuius hiſtoria præteritam cædem Philiſtinorum explanat, prophetiam futuram Nabuchodonoſoris commemorat moralis noſtri huius ſpiritalis prælij. Vt vere dicendum eſt, plorat veniſſe gentes in hæreditatem Dei. Et liber Regum primus de Salom, & arca teſtamenti memorat. Et Hieremias de Hieruſalem & de templo, ſi prophetico modo hunc pſalmum quæris explanat.

Hieruſalē noſtra anima dicitur.

Nos vero qui Hieruſalem noſtram animam dicimus, ſi tamen rex pacificus requieſcit in ea, hæc quando per contenſum ſuum, & propter negligentiam ſuam, dum non repugnando ſuperatur, ac dum peccando Deo ab eius offenſione diſceſſerit, veniunt ad eam gentes. Ad eam vtique quam in hæreditate ſua poſſidet Chriſtus, & polluunt templum ſanctum eius, ſanctum factum in baptiſmo corpus eius. Ponunt Hieruſalem, veluti pomorum cuſtodiam. Ita deſertam faciunt eam, vt putes illam ciuitatem magnam in vilem caſulam hortulani conuerſam.

H

Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cœli. Hoc loco volatilia ſpiritus immundi nominantur, de quibus dicit Apoſtolus: Spiritus aeris huius.

Ephes. 6.

Ipſi velut volucres comedunt per luxuriam carnes ſanctorum tuorum. Comedunt ſimul beſtiæ terræ, ſi effuderint ſanguinem eorum, velut aquam circa ipſam Hieruſalem. Et non fuerit qui ſepeliat, dum nemo eſt qui exemplo vitæ ab interitu mortis abſcondat. Tunc efficimur in deriſu omnibus dæmonijs, qui ideo vicini noſtri & inimici dicuntur, quia nec vno quidē puncto ab inimicitijs iuxta nos poſiti non recedunt.

Dæmones ne vno pūcto à nobis recedunt.

Ad hæc rogādus Dominus, vt effundat ſuper eos irā ſuam. Quia ipſa ſunt regna quæ nomen eius non inuocant, ſed comedunt quotidie Iacob, & locum eius, quod erat ornatum morib. in eremum conuertunt. Eueniunt nobis hæc ſi memor ſit Dominus iniquitatum noſtrarum, vtinam antiquarum & non nouarū.

Remediū eſt vulneratis neceſſariū.

Sed quia remedium vulneratis eſt neceſſariū, citò nos anticipēt miſericordiæ tuæ Deus. Quia pauperes facti ſumus nimis, perdidimus aurum pudicitiæ, argentum bonæ conſcientiæ. Noſipſi præda hoſtium facti

A

ſumus propter honorem nominis tui Domine libera nos, & propicius eſto, ne gaudeant increduli, & dicant: vbi eſt Deus eorum? Defende ſanguinem ſeruorum tuorum, qui effuſus eſt. Sicut enim in ruina hominum habent dæmones, ita in reparatione noſtra gaudium habent Angeli. Spiritus verò nequiſſimi interitum patiuntur, cùm intrauerit in conſpectu Dei gemitus compeditorum. Si tantum gemitus pro peccatis non poteſt fieri, niſi intret in conſpectu Dei. Et incipit ſecundum magnitudinem brachij ſui poſſidere Dominus filios mortis. Vt qui erant filij mortis, incipiant eſſe & filij vitæ. Cùm reddiderit inimicis ſeptuplum, quia quod ſeptiformi ſpiritu in baptiſmatis tempore promiſſum eſt, horum eſt ſuggeſtionibus ab ijs qui promiſerant denegatum. Satis autem facientes ſpiritui ſancto, quem in conſecratione ſuſcepimus, dicamus ei nos: Populus tuus, & oues gregis tui, ſiue paſcuæ tuæ, confitebimur tibi in ſecula, & in ſeculum ſeculi narrabimus laudes tuas, qui regnas cum Patre & Filio ſancte Spiritus, nunc & ſemper in æterna ſecula ſeculorum, Amen.

Luc. 15. Sicut in hominũ cõuerſione Angeli, ita in ruina dæmones lætantur.

B

In finem pro his qui commutabuntur Pſalmus, pro Aſſyrijs teſtimonium Aſaph. LXXIX.

QVI regis Iſrael intende, qui deducis velut ouem Ioſeph. Qui ſedes ſuper Cherubin manifeſtare coram Effraim. Beniamin & Manaſſe. Excita potentiam tuam, & veni vt ſaluos facias nos. Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Domine Deus virtutum, quouſque iraſceris ſuper orationem ſerui tui. Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in menſura. Poſuiſti nos in contradictionem vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannauerunt nos. Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Vineam de Aegypto tranſtuliſti, eieciſti gentes & plantaſti eam. Dux itineris fuiſti in conſpectu eius, & plantaſti radices eius, & impleuit terram. Operuit montes vmbra eius, & arbuſta eius cedros Dei. Extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius. Vt quid deſtruxiſti maceriam eius, & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam? Exterminauit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Deus virtutum conuertere, reſpice de cœlo & vide, & viſita vineam iſtam. Et perfice eam quam plantauit dextera tua, & ſuper Filium hominis quem confirmaſti tibi. Incenſa igni & ſuffoſſa: ab increpatione vultus tui peribunt. Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, & ſuper Filium hominis quem confirmaſti tibi. Et non diſcedimus à te, viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Domine Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus.

C

COMMENTARIVM.

ADhuc eadem per eadem de exitio & eadem tribulatione populi in iſto Pſalmo cantat. Rogans vt qui regit Iſrael intendat, excitet potentiam ſuam, quia nullus dignus inuenitur qui eum audeat excitare. Ipſe ergo excitet potentiam ſuam, veniat & ſaluos non faciat. Verum quia inuiſibilis eſt, & à nullo penitus videri poteſt, ſumat materiam per quam dignetur faciem ſuam oſtendere, quàm ſi oſtenderit ille, nos ſalui erimus. Veluti ſi in glaciali periculo poſiti, vbi vis frigoris minatur interitum, liberantur ſine dubio, ſi oſtendatur eis ſolis aſpectus. Quanto magis Dei nobis oſtenſa facie, in Domino noſtro Ieſu Chriſto nos ſalui erimus? Si ergo ſentimus captiuitatem vineæ Domini, quam de Ægypto per aquam & ſpiritum ſanctum tranſtulit, quam eiectis dæmonijs plantauit, qui ita fuit via in conſpectu noſtro, vt diceret: *Ego ſum via.* Qui ita plantauit radices noſtras in fide ſua, vt repleret omnem terram corporis noſtri. Et eſſet in nobis vinea vera, cuius membra operuit montes, omnibus ſanctis melior. Cuius arbuſta præſtantiora eſſent, & altiora cedris Dei, hanc exterminauit in paſſione aper de ſylua, populus incredulus, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Quem prius & in nobis tumultum Chriſtus patitur, quando permittimus rabiem dæmonum in corde noſtro ingredi, vbi ſuſcepimus Chriſtum. Et ideo cibus nobis non debet eſſe gaudij, ſed panis lachrymarum, & potus in lachrymis, ſi ſentimus

D

Deus inuiſibilis per materiam ſubiectã apparuit.

Ioan. 10.

Deſcriptio vineæ ex Aegypto tranſlatæ.

E

quia facti ſumus in opprobrium vicinis, & ipſi deriſerunt nos. In oratione enim lachrymarum permanentes, Deus virtutum reſpicit de cœlo, & videt, & viſitat vineam iſtam, & dirigit eam quam plantauit in nobis dextera eius per filium hominis Ieſum, quem confirmauit ſibi incenſo igne, & ſuffoſſa manu, quando Abraham incenſo igne, & armata manu gladio, paratus fuit filium ſuum iugulare coram Domino. Tunc iurauit Abrahæ, quod filium eius ita confirmaret ſibi, vt in ipſo hæreditaret omnes gentes. Ergo memor eſto Domine quod iuraſti, & repara quod donaſti, vt non diſcedamus à te. Non enim diſcedemus à te, ſi tu viuificaberis. Nos autem ſemper nomen tuum inuocabimus. Alia enim ſpes noſtra non eſt, niſi vt conuertas nos, dando bona conſilia in cordibus noſtris, & oſtendendo nobis faciem tuam. Cuius nos aſpectu ſaluemur, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui tecum & cum Spiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Gen. 22.

F

In finem pro torcularibus, Pſalmus ipſi Aſaph quinta ſabbati. LXXX.

EXultate Deo adiutori noſtro, iubilate Deo Iacob. Sumite pſalmum & date tympanum, pſalterium iocundum cum cythara. Buccinate in neomenia tuba in inſigni die ſolennitatis veſtræ. Quia præceptum in Iſrael eſt, & iudiciũ Deo Iacob. Teſtimonium in Ioſeph poſuit illud, cùm exiret de terra Aegypti, linguam quam non nouerat audiuit. Diuertit ab oneribus dorſum eius, manus eius in cophino ſeruierunt. In tribulatione inuocaſti me, & liberaui te, & exaudiui te in abſcondito tempeſtatis, probaui te apud aquam contradictionis. Audi populus meus, & conteſtabor te, Iſrael ſi audieris me, non erit tibi Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, dilata os tuum & implebo illud. Et non audiuit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi. Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis. Si populus meus audiſſet me, Iſrael ſi in vijs meis ambulaſſet. Pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam. Inimici Domini mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſecula. Et cibauit illos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos.

G

COMMENTARIVM.

INſeptuageſimo nono Pſalmo vinea reparatur. Et in octogeſimo pro torcularibus agitur. Exultate Deo adiutori noſtro, quia ſurrexit vinea eius. Iubilate Deo Iacob, reparata eſt vinea eius. Surrexit enim quem exterminauit incredulus populus. Ipſum vtique exterminauit, qui dixit: *Ego ſum vitis vera.* Ipſum qui dixit, *Exterminauerunt manus meas, & pedes meos.* Ipſe verò qui exterminauit populus, apro ſiluestri eſt acrior, ecce ſurrexit. Qui ibi plorabitis, hic exultate: qui ibi tacuiſtis, hic iubilate: qui ibi anxiati eſtis, hic in pſalmis & hymnis congaudete, & in die inſigni, id eſt, in die redemptionis Domini. Quia ipſa eſt dies ſolennitatis noſtræ, in quo præceptum dare dignatur Dominus ad teſtimonium Ioſeph, eo quod viſitatione viſitaturus eſſet eos Dominus. Ergo Ioſeph teſtimonium de ipſo poſuit, cùm exiret de terra Ægypti, linguam quam nõ nouerat audiuit, poſt quadringentos triginta annos. Audiuit vocem Dei per noctem Moyſi genus Abrahæ, ſicut ei promiſſum fuerat, cùm diuerteret ab oneribus grauiſſimis dorſum eius. Quando manus eius in cophino ſeruiebant in luto & latere. Tunc in tribulatione inuocaſti me, & liberaui te, dicit ad Iſrael Dominus: exaudiui te in abſcondito tempeſtatis, te exaudiui, & inimicos tuos merſi. Probaui te in aqua contradictionis, in murmure peſſimo, in quo & Moyſes ſeruus irreprehenſibilis viſus eſt offendiſſe. Audi nunc populus meus. Et loquar Iſrael, & teſtificabor tibi, me quem crucifigis, *ego ſum Deus.* Et qui DEVS? Ipſe *qui te eduxi de terra Aegypti.* Dilata os tuum, & ego adimplebo illud. Quid eſt quod tantopere iubes, vt dilatet os ſuum populus criminoſus atque incredulus, qui crucifixit Dominum? Dilata, inquit, os tuum, & ego adimplebo illud. O piiſſimus Saluator, & humani generis ardentiſſimus reparator. Dilata os tuum, & ego adimplebo illud. Si vultis euadere mortem

Vinea Domini reparatur

Ioan. 15. *Matt. 28.* *Luc. 23.*

H

Exod. 1.

Exod. 14.

Exod. 17.

Num. 20.

A quam locutiſtis, bibite ſanguinem quem fudiſtis. Sed quid ſequitur? Non audiuit populus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi. Et ideo dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, & abierunt in adinuentionibus ſuis.

Matt. 16. Ad populum hunc ego veni, ad hunc populum, & antequam venirem Prophetas miſi. Ad hunc ſolum populum Apoſtolus ante quam paterer deſtinaui, qui me penitus audire contempſit. Si enim me audiſſet, aut ſi in vijs meis ambulaſſet, ad nihilum inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper tribulantes eos miſiſſem manum meam. Sed principes Sacerdotum, & Scribæ & Phariſæi, qui erant inimici Domini Ieſu Chriſti, ipſi mentiti ſunt populo dicentes:

Ioan. 10. 19-20. Matt. 26. 57. *Non eſt à Deo.* Illi autem miſeri contra ſalutem ſuam illis mentientibus crediderunt. Et eum qui eos liberare venerat negauerunt, erit tamen tempus eorum in æternum.

Luc. 23. Cum enim *plenitudo gentium introierit, tunc omnis Iſrael ſaluus fiet*, tunc cibabuntur & ipſi ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturabuntur credentes, ea quo ceciderunt incredentes.

B Potens eſt enim Dominus iterum inſerere illos. Nos autem in fide eius ſtemus, vt ad nihilum inimicos noſtros redigat. Et ſuper tribulantes nos, ſiue ſpirituales hoſtes, ſiue carnales, mittat manum ſuam, per Chriſtum Dominum noſtrum, qui regnat cum Patre & Spiritu ſancto, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus Aſaph. LXXXI.

DEVS ſtetit in Synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat. Vſquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis? Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iuſtificate. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. Neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terræ. Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de principibus cadetis. Surge Deus iudica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.

C

COMMENTARIVM.

OMne quod honorifico nomine generaliter nuncupari poteſt, hoc ſpeciale Dei eſt, per naturam incomprehenſibilis maieſtatis eius, qua eſt Deus, & dicitur tamen homini,

Exod. 7. *dedi te Deum Pharaonis:* dicitur & Dominus homo, cùm Deus ſolus ſit Dominus: dicitur ſanctus homo, cùm Deus ſolus ſit ſanctus, dicitur bonus homo, cùm nemo bonus ſit, niſi Deus ſolus. Et hoc eſt Deo ſimile in hominibus, quod ea quæ Deus naturaliter poſſidet, homo per imaginem ſuſcipit, tanto plus ſimulaturus, quanto fuerit amplius ſuis moribus eius ſimilitudinem imitatus.

Ea quæ Deus naturaliter poſſidet, homo per im gině adoptiuè ſuſcipit. Vnde & in præſenti Pſalmo Deus ipſe loquitur his quibus iudicandi tribuit poteſtatem: Ego, inquit, dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes. Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de principibus cadetis. Vnus de principibus, id eſt, diabolus, & Iudas traditor, & Saul, & Hieroboam, aut vnus ex ijs, qui principatum tenuerunt: Sic & vos cadetis, quia iudicatis iniquitatem. Et facies peccatorum

D ſumitis, non iudicatis pupillo & egeno, humilem & pauperem non iuſtificaſtis, non eripuiſtis pauperem & egenum, nec de manu peccatorum liberaſtis. Et licet generaliter dicta ſint iſta de iudicibus & pauperibus, tamen Phariſæis, vnà cum principibus Sacerdotum prophetia carminis ſonat. Neſcierunt enim neque intellexerunt, quia dictum eſt illis:

Eſa. 14. Luc. 22. Act. 1. 1 Reg. 31. 3 Reg. 14. Eſa. 6. Matth. 13. Mar. 6. Matth. 12. Mar. 3. *Niſi credideritis non intelligetis.* Illi ſi credidiſſent, intelligerent ſuum eſſe Dominum quem negabant, & diligentem ſe odio perſequebantur iniquo. Eſto ſecundum incredulitatem veſtram non erat Dominus, frater tamen erat Hebræus ex Hebræis, & parentes, fratres dicebatis apud vos eſſe. Dicite ergo, quæ fuerit cauſa odij: Quare, inquiunt, infirmos curat in Sabbatis? Et hoc meruit medicus odium pro ſalute fratrum incurrere, & pro charitate ſua, veſtra execrabilitate vexari. Verùm quo-

Ioan. 9. 1. Ioan. 2. niam *qui odit fratrem ſuum in tenebris ambulat*, atque mouebuntur omnia fundamenta terræ, cùm exurget Deus, vt iudicet terram, recedamus ab odio fratrum. Quia *qui odit fratrem ſuum, neſcit quo eat*, quia circumdant eum tenebræ. Agamus ergo ſollicite de fine Pſalmi, vt cùm ſurrexerit Dominus iudicare terram, & nos in hæreditate capiat, in omnibus gentibus, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

E

Canticum Pſalmi Aſaph. LXXXII.

DEVS quis ſimilis erit tibi, ne taceas, neque compeſcaris Deus. Quoniam ecce inimici tui ſonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput. Super populum tuum malignauerunt conſilium, & cogitauerunt aduerſus ſanctos tuos. Dixerunt, venite, & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſrael vltra. Quoniam cogitauerunt vnanimiter ſimul aduerſum te teſtamentum diſpoſuerunt tabernacula Idumæorum & Iſmaelitæ. Moab & Agareni, Gebal & Ammon & Amalech alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Aſſur venit cum illis, facti ſunt in adiutorium filijs Loth. Fac illis ſicut Madian & Siſaræ, ſicut Iabin in torrente Ciſon. Diſperierunt in Endor, facti ſunt vt ſtercus terræ. Pone principes eorum ſicut Oreb & Zeb, & Zebee, & Salmana. Omnes principes eorum qui dixerunt hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei. Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit ſyluam ſicut flamma comburens montes. Ita perſequeris illos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Erubeſcant & conturbentur in ſeculum ſeculi, & confundantur & pereant. Et cognoſcant quia nomen tibi Domine, tu ſolus Altiſſimus ſuper omnem terram.

F

COMMENTARIVM.

OCtogeſimus ſecundus Pſalmus habet quidem nomina gentium aduerſus Iſraelitas dimicantium, contra quas exoratur Altiſſimus, Deus ſolus qui eſt ſuper omnem terram Dominus. Dicit autem contra Hebræos has gentes inſurrexiſſe, Moab ex Loth, Amalech ex Cham. Hi erant in tabernaculis Idumææ, & cum his aſſociati ſunt Iſmaelitæ. Hi conabantur tenere ſanctuarium Dei captiuum. Contra hos vt non ſileat, neque compeſcatur Dominus, exoratur. Ideo autem in capite habet, Deus quis ſimilis tibi. Et in finem. Tu ſolus Altiſſimus ſuper omnem terram.

G Quoniam in dijs ſuis confidentes aduerſum nos excitantur, qui te habemus Deum, qui ſimilem non habes. Tu enim ſolus es altiſſimus ſuper omnem terram. Nos autem, quia iſtæ omnes gentes ab Apoſtolis occupatæ in Chriſti hæreditate titulatæ ſunt: ſi hos factos ciues ſanctorum per gratiam credimus, & domeſticos Dei, non de his dicamus: Inimici tui Domine ſonuerunt, ſed de dæmonijs, quorum conſilijs totus mundus, & carnaliter concutitur, & ſpiritaliter fatigatur. Ephes. 2.

Tamen non vinceremur carnaliter ab hoſtibus viſibilibus, ſi nos inuiſibiles ſpiritaliter vinceremus. *Nemo enim intrat in domum fortis, & vaſa eripit, niſi fortem ligauerit.* Mat. 3.

Fortes ergo ſpiritales homines ſunt, quorum vaſa carnes ſunt exteriores, homines ſunt, cùm illis interioribus agunt dæmonia bellum. Quos cùm vicerint, & occupauerint vaſa eorum, id eſt, corpora eorum, quæ pro armis bellicis tractabant aduerſus inimicos:

H his occupatis, illi excitant gentes, quia illos qui contra eos ſpiritaliter pugnare conſueuerant, & armis orationum, & poræ conſcientiæ vincere, ſciunt ſe penitus non habere. Da enim vnum ſpiritalem, qui iſtum Pſalmum contra centum millia gentes, præſumens de conſcientia, proferat, & vides protinus euenire victoriam. 1. Pet. 5.

Verùm quia cum his nobis adhuc congreſſio eſt quos ſpiritaliter conamur vincere: quia eos nondum vicimus, etiam ſi nos viciſſe putemus: quia ſi viceſſemus ſpiritaliter, vt dixi, nequaquam carnaliter vinceremur: agamus ergo, vt quia terrenæ nobis ſuperantur & occupantur prouinciæ, ſpiritales nobis patriæ non negentur, vt vel in fine vitæ noſtræ in bono ſtudio inueniamur, quia cogitant aduerſum nos, dicentes: Diſperdamus eos ex gente, vt non memoretur DEVS nomen eorum amplius. Ephes. 6.

Sciunt enim dæmones, quia ſi peccamus, ſic erimus Deo execrabiles, ſicut & ipſi ſunt. Rogemus Dominum, vt ſicut ignis comburit ſiluas, & vt flamma comburit montes, ita perſequatur eos in tempeſtate ſua. Quia dicunt, inquit, hære- Dæmones lætantur ruina.

ditate

Digitized by Google

A ditate poſſideamus ſanctuarium Dei. Sanctuarium Dei eſt, vbi myſteriorum ſunt repoſita ſacramenta, ibi caro cœleſtis, ibi ſanguis diuinus, ibi chariſmatis virtus, ibi fons perennis eſt, & lex diuina, ibi ſunt omnia iſta intus in nobis, qui per fidem ſanctuaria Dei facti ſumus. Ergo excitemus in cœlum Dominum, dicentes ei: Domine, quos tuo ſanguine redemiſti, quos tu ſanctuarium dignatus es facere, inuaduntur ab his, qui aduerſum teſtamentum tuum diſpoſuerunt: Imple facies eorum ignominia, vt confundantur & pereant in æternum. Dum enim illi perierint qui impediunt cognoſcere Dominum, tunc cognoſcet omnis gens, quia tu ſolus es Altiſſimus ſuper omnem terram, ſicut deiectis denique vbiq; templis & idolis in Eccleſia Dominus regnat ſuper omnem terram corporis noſtri, regnat Dominus Ieſus Chriſtus, qui eſt cum Patre & Spiritu ſancto, vnus Deus & ſolus Altiſſimus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

B

In finem pro torcularibus filijs Chore,
Pſalmus LXXXIII.

QVam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum vbi reponat pullos ſuos. Altaria tua Domine virtutum, Rex meus & Deus meus. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lachrymarum, in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit Legiſlator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion. Domine Deus virtutum exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Iacob. Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui. Quia melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia. Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus. Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia, Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te.

C

COMMENTARIVM.

CVM in octogeſimo ſecundo Pſalmo confuſi fuerint & perierint, qui occupare volentes ſanctuarium Dei, dabant faſtidium caſtitatis, & legendi, & pſallendi pariter, ac de bonis rebus cogitandi impedimenta gignebant. Regnante in nobis Domino, nos qui eramus filij Chore præuaricatoris, hoc malo patre à terra deuorato, Dei filij efficimur. Et qui antè ignem alienum à Deo bibimus, & auaritiæ ferre cogitabamus, nunc igne amoris diuini ſuccenſi dicimus: Quam amabilia, quam dilecta, quamque pulchra tabernacula tua, in quibus habitas Domine Deus virtutum. Quæ ſunt ipſa tabernacula, de quibus dicit? Quia concupiſcit, & deficit anima mea in atrijs eius, in quibus & cor eius & caro exultat noui huius amatoris, in quibus, inquit, paſſer Chriſtus inuenit ſibi domum: Ibi & turtur nidum, id eſt, Eccleſia, vbi congreget pullos ſuos.

D Vbi ſunt, inquit, altaria tua Domine virtutum, id eſt, myſteria tua, Rex meus & Deus meus. Beati qui ad ea pertingunt, quia in æternum laudabunt te, ſolatium dulce miſeriæ. Ibi enim auxilium habentes tuum, aſcenſiones ponunt in corde ſuo, non in conuiuijs ridentium, ſed in conualle lachrymarum. Ibi enim benedictionem accipiunt à te, à quo Legem ſuſceperunt, & vident in his Deum deorum in Sion, id eſt, in Eccleſia tua, in qua Domine Deus virtutum exaudies preces, non vitiorum Deus: ille amet me, illud acquiram, illud habeam, has vitiorum preces dedignatur Dominus virtutum. Et quid amplectitur? Da mihi caſtitatem, ſapientiam, contemptum mundi, patientiam, charitatem, bonam ſuſpicionem in proximo. Si iſta virtutum genera ſunt, & Deus virtutum eſt quem oramus, his vtiq; rebus annuit, quibus nos ſuæ faciet naturæ conſortes. Cùm reſpicit in faciem Chriſti, & hominem viderit ſedentem ad dexteram ſuam, per quem melior dies vna, quia æterna erit, & noctem non habebit, in lætitia erit credentium, melior erit hæc dies vna in regno eius ſuper millia annorum, quæ ſunt in terra conſumpta. Qui

Petitio fidelis.

E hæc autem credit, plus eligit abiectus eſſe in conuerſatione credentium. Quia domus Dei non cemento conſtat & calce, ſed in homine credente, & eius præcepta ſeruante. Inter nos ergo melius eſt mihi pro abiecto haberi, quam ſi pro Rege habear in tabernaculis peccatorum, vbi miſericordiam & veritatem diligit Dominus, & poſt miſericordiam viderit & veritatem cuſtodiſſe ab eo, cui eam dedit Dominus. Poſt hæc gratiam & gloriam dabit, ita vt ſine ſucceſſione eas poſſideat. Non enim priuabit bonis eos, qui ambulauerint in innocentia. Ad hæc dicamus omnes: Domine Deus virtutum, beatus vir qui ſperat in te. Vir cùm dixeris, non ſexum diſcreuiſti, ſed mentem. Fœmina enim virum aget virtutum. Amat Rex quæ iure vir dicitur, cùm vitia quæ fœminam etiam virum faciunt, animi ſui credulitate proſtrauerit per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui regnat cum Patre & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

Domus Dei.

F

In finem filijs Chore. LXXXIV.

BEnedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob. Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, operuiſti omnia peccata eorum. Mitigaſti omnem iram tuam, auertiſti ab ira indignationis tuæ. Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis. Nunquid in æternum iraſceris nobis, aut extendes iram tuam à generatione in generationem. Deus tu conuerſus viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam. Et ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Verumtamen propè timentes eum ſalutare ipſius, vt inhabitet gloria in terra noſtra. Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit. Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Iuſtitia ante eum ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos.

G

COMMENTARIVM.

OCtogeſimus quartus Pſalmus nihilominus Chore filijs applicatur. Chore filij ſunt, quibus pater ignem alienum in altare volens ponere tollitur, & pater Chriſtus per gratiam condonatur. Sicut enim illius ignis libido eſt contra Deum & contra Moyſen, id eſt, contra Legem vadens: ita huius ignis, corda credentium in amplexu miſericordiæ & veritatis excitat, ita vt iuſtitia & pax oſculentur ſe. Quando autem iſta geſta ſint, ſi requiris auſculta. Quãdo benedixit Dominus terram ſuam aduentu ſuo, tunc auertit captiuitatem Iacob. Tunc remiſit impietatem plebis ſuæ, mitigauit omnem iram ſuam, & auertit à nobis iram indignationis ſuæ. Oſtendens nobis miſericordiam ſuam, & ſalutare ſuum in Chriſto dans nobis. Audiamus quid loquatur, qui venit & benedixit terram ſuam: *Pacem meam*, inquit, *do vobis*. Ecce ſic loquitur pacem in plebem ſuam: Primò ſuper ſanctos, id eſt, ſuper Apoſtolos. Poſt hæc ſuper eos, qui per Apoſtolos conuertuntur ad eum. Propè eſt enim timentibus Deum ſalutare ipſius, ſi inhabitauerit gloria, id eſt, Spiritus ſanctus in terra noſtra, id eſt, in corporibus noſtris, quo habitante, miſericordia & veritas occurrunt ſibi in nobis charis amplexibus. Iuſtitia verò & pax oſculantur ſe. Quia veritas, quæ eſt Chriſtus, de terra, id eſt, de Maria orta eſt, & in illo hoc iudicium factum eſt, quod cùm fieret docebamur, quod iuſtitia de cœlo proſpexit. Cùm Dominus daret hanc benedictionem Mariæ, in qua quaſi terra noſtra, ea noſtra vtiq; materia, daret fructum ſuum. Suum vtique hominem perfectum, ex ſemine Dauid ſecundum carnem ante quem iuſtitia ambulauit in Ioanne Baptiſta, vt ita poneret in via greſſus ſuos, vt ipſe eſſet vox Eſaiæ vaticinatione promiſſa, qua clamaret in deſerto huius ſeculi: *Parate vias Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri.* Nam & Zacharias ſic dicit Ioanni, *Tu quidem puer propheta Altiſſimi vocaberis: Præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.* In ipſo ergo iuſtitia ante eum ambulauit, vt ipſa iuſtitia, per Chriſtum

Aduentus Dei ſalutaris.

Ioan. 14. Pſal 144.

H

poneret

A poneret in viam qua iretur ad cœlos greſſus ſuos, vt ſequamur veſtigia eis, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Oratio Dauid. LXXXV.

INclina Domine aurem tuam & exaudi me, quoniam inops & pauper ſum ego. Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum, ſaluum fac ſeruum tuum Deus meus ſperantem in te. Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamaui tota die, lætifica animam ſerui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui. Quoniam tu Domine ſuauis & mitis, & multa miſericordiæ omnibus inuocantibus te. Auribus percipe Domine orationem meam, & intende voci deprecationis meæ. In die tribulationis meæ clamaui ad te, quia exaudiſti me. Non eſt ſimilis tui in dijs Domine, & non eſt ſecundum opera tua. Omnes gentes quaſcunque feciſti venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus. Deduc me Do-

B *mine in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum vt timeat nomen tuum. Confitebor tibi Domine Deus meus, in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum. Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori. Deus iniqui inſurrexerunt ſuper me, & ſynagoga potentium quæſierant animam meam, & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo. Et tu Domine Deus miſerator & miſericors, patiens & multæ miſericordiæ & verax, Reſpice in me, & miſerere mei, da imperium tuum puero tuo, & ſaluum fac filium ancillæ tuæ. Fac mecum ſignum in bono, vt videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu Domine adiuuiſti & conſolatus es me.*

COMMENTARIVM.

DVM in octogeſimo ſecundo aieret: *Deus quis ſimilis tibi?* Nunc in octogeſimo quinto dicit: Non eſt ſimilis tui in dijs Domine. Quod ſi interrogauerat quaſi ignarus, edocuit. Ibi contra omnes gentes: Hic omnes gentes,

C inquit, quas feciſti, non venient & bellabunt, ait, ſicut ibi dixerat: Sed venient, inquit, & adorabunt coram te Domine. Vnde iſta tibi præſumptio? Si inclinaueris, inquit, aurem tuam, & audieris me, & cuſtodieris me, quia ſanctus ſum, id eſt, quia ſanctificatus ſum, & lætificaueris me, quia ſeruus tuus ſum, & in die tribulationis meæ clamantem me ad te exaudieris, & deduxeris me in via tua, & ambulauero in veritate tua, & liberaueris animam meam ex inferno inferiori, & hos iniuſtos ſpiritus immundos, qui inſurrexerunt in me confuderis, tunc lætabitur cor meum de victoria, & timebit nomen tuum de pugna. In prælio enim hoc vnum & ſolum ſolatium habui, quod te Dominum meum me timere gloriabar: cùm hi qui inſurrexerunt in me, non proponerent te ante oculos ſuos. Verùm quia miſericors & miſerator es, & contemptor es, non occides, ſicut in illis miſericors es, in me verax eſto, & da poteſtatem tuam puero tuo Ieſu Chriſto, & ſaluum fac filium

Efficax ſignum crucis.

ancillæ tuæ Mariæ. Illo enim exurgente à mortuis & aſcendente in cœlum, nos Apoſtoli & diſcipuli eius habe-

D bimus ſignum crucis eius in bono cum vniuerſis qui credimus, ita vt videant in frontibus noſtris ſignum tuum, & confundantur, ſiue viſibiles, ſiue inuiſibiles inimici. In ipſo enim ſigno adiuuas, & in ipſo conſolaris nos, qui regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus cantici filijs Chore. LXXXVI.

FVndamenta eius in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob. Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Memor ero Raab Babylonis, ſcientibus me. Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Aethiopum, ij fuerunt illic. Nunquid Sion dicet homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus. Dominus narrauit in Scripturis populorum, & principum horum qui fuerunt in ea. Sicut lætantium omnium habitatio in te.

COMMENTARIVM.

E

Pſalmi Chore.

OMnes penè Pſalmi qui in filijs Chore titulantur, lætitia pleni ſunt. Non enim ſequuti iniquitatem patris, alienum à Deo ignem libidinoſum aſſumunt, ſed hoc amantes quod diligit Dominus, de ciuitate glorioſa loquuntur. Quod tamen principium dederit Pſalmo octogeſimo ſexto propheticæ ſpiritus, requiramus. Fundamenta eius. Adhuc non dixiſti cuius, & dicis iam eius? Vnde apparet Deum tibi oſtendiſſe ciuitatem, cuius te poſitio, dum cantares Domino, appellauit, & dans tuæ cogitationi reſponſum, ſubitò exclamaſti: Fundamenta illius ciuitatis quam cogito, cuius portas diligit Dominus ſuper omnia tabernacula Iacob, de qua glorioſa dicta ſunt à Prophetis Fundamenta eius in montibus ſanctis. Ibi ſunt fundamenta ciuitatis, quos Chriſtus montes excelſos fecit, quorum vertices cœlum pulſant, in quibus transfigurantur in ſplendore, in quibus apparent cum eo Moyſes &

F

Helias, in quibus Lex & prophetia cum Chriſto concordant, in quibus apertis cœlis, clamat Pater de Chriſto ſuo: *Hic eſt, in quo mihi benè complacui, ipſum audite.* In ipſis montibus fundamenta ſunt Eccleſiæ collocata. *Fundamentum* autem ibi *nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt.* Saxum enim poſitum eſt ſolidum. Et ſi quis præter hoc quod poſitum eſt poſuerit, in arenam poſuit. Sed forte dicis, cùm vnum fundamentum memoret Apoſtolus, quomodo hîc plura memoras fundamenta? Ad hoc illud reſpice: Si Regem dixeris Chriſtum ſolum, dicitur tibi, Rex regum eſt: Si Dominum, reſpondebitur tibi, Dominus dominantium eſt: Si ſanctum, ſanctus ſanctorum eſt. Sic & ſi ſolum fundamentum memores, fundamentum fundamentorum negare non poteris. Vnde idem Apoſtolus ſuperædificari credentes Chriſto deſiderat & exoptat, *ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* In hac ergo ciuitate memorabo Raab, excipientem nuncios, & Babylonem du-

Luc. 9.

1. Cor. 3.

Epheſ. 2.

G

centem captiuos, gentium ſcilicet plebes ſordidas in fornicatione, ſicut Raab, & ſuperbas in virtute, ſicut Babylon. Has dico, inquit, in iſta ciuitate venturas, vt ſciant te. Ibi enim & alienigenæ, ibi Tyrij, ibi etiam populus Æthiopum clamabunt de Apoſtolis, dicentes: *Audiuimus eos vnuſquiſque linguis noſtris loquentes magnalia Dei.* Ibi cognouimus matrem Sion dicentem, quod homo & homo natus ſit in ea, in Sion prouincia matrem ciuium Hebræorum dicentem: Cognouimus nos gentes, quod homo Adam primus factus ſit ex terra in animam viuentem, nunc alius homo nouiſſimus Adam natus ſit ex Virgine, in ſpiritu viuificante: Primus homo generat filios qui poſſideant terram, ſecundus homo generat qui poſſideant cœlos. Ecce homo & homo, hoc vos gentes vnde noſtis? In Sion, id eſt, in ciuitate, cuius fundamenta in montibus ſanctis ſunt. Ibi nobis dictum eſt: Dominus hoc narrauit in Scripturis populorum & principum, qui fuerunt in ea, & hoc didicimus quod in habitatione eius nullus erit tribulans, nullus ſu-

Act. 2.

Gen. 1.

1. Cor. 15.

Diſtinctio filiorum Adã.

H

ſpirans, nullus flens, nullus afflictus, ſed lætantium erit omnium habitatio in ea. Quorum lætitia, quia verbis exprimi non potuit, comparatione diſtincta eſt, vt quanta poteſt omnium noſtrorum, qui in ſeculo ſumus lætitia in vnam ſummam colligi, tanta in vno ei habitatore fundatur, per eum qui fundauit eam Altiſſimus, regnans cum Filio, Patre, & Spiritu ſancto, per æterna ſecula ſeculorum, Amen.

Canticum Pſalmi filij Chore in finem pro Amalech, ad reſpondendum intellectus Hemam Ezrahitæ. LXXXVII.

DOmine Deus ſalutis meæ, in die clamaui & nocte coram te. Intret in conſpectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam. Quia repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit. Aeſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum, factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber. Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius, & ipſi de manu tua repulſi ſunt. Poſuerunt me in lacu inferiori, in tenebroſis, & in vmbra mortis. Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos reduxiſti ſuper me. Longè feciſti notos

meos à

A *nicos à me, poſuerunt me abominationem ſibi. Traditus ſum & non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopia. Clamaui ad te Domine, tota die expandi ad te manus meas. Nunquid mortuis facies mirabilia aut medici ſuſcitabunt & confitebuntur tibi? Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & iuſtitia tua in terra obliuionis? Et ego ad te Domine clamaui, & mane oratio mea præueniet te. Vt quid Domine repellis orationem meam, auertis faciem tuam à me. Pauper ſum ego & in laboribus à iuuentute mea, exaltatus autem humiliatus ſum & conturbatus. In me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Circundederunt me ſicut aqua, tota die circundederunt me ſimul. Elongaſti a me amicum & proximum, & notos meos à miſeria.*

COMMENTARIVM.

IN huius Pſalmi titulo nominantur quidem filij Chore, ſed Pſalmus canticum ſuum pro Malech dirigit, & dat intellectum Eman Iſraelitæ. (Malec. Eman.) B Malec, id eſt, deſtitutum vocant, Eman inopem. Ergo ad deſtitutum & pauperem ſermo eſt. Credo ad illum deſtitutum, quem relinquentes diſcipuli ſolum in manibus, fugerunt. Ad quem autem pauperem, niſi ad eum, de quo Apoſtolus memorat: (2. Cor. 8.) *Quia cùm diues eſſet, pauper pro nobis factus eſt*, ita vt oculi eius inſirmati ſint præ inopia. Pauper, non habens diuitias immortalitatis in paſſione. Cuius oculi per ipſa infirmitate in morte clauſi ſunt. In qua dicit, medici ſuſcitare non poſſunt, in qua dicit poſitum ſe in lacu inferiori, in tenebris & in vmbra mortis. Tempore quo poſuerunt eum abominationem ſibi, quo traditus eſt à Iuda: Tunc, inquit, quàdo traditus ſum & non egrediebar. Calicem non exigebam paſſionis, de manibus ligantium me. Tunc oculi mei infirmati ſunt præ inopia. Non enim vtebar ſalute deitatis, ſed patiebar infirmitatem humanitatis aſſumptæ. Audiamus ergo quid ipſe homo aſſumptus loquatur: Feciſti naſci ex Virgine, vt narrantes mirabilia tua, credant homines, & ab incredulitate fugientes, ad vitam attingant. C Ambulare feciſti ſuper æquora tumentia ſiccis pedibus, imperare ventis, (Matt. 14. Luc 8. Luc. 4. Ioan. 11.) cæcis lumen reddere, infirmantibus ſalutem, mortuis vitam quam amiſerant reuocare. Quid modo ad mortem me ire permittis? Nunquid narrabunt in ſepulchris miſericordiam tuam, aut in perditione poſiti, agnoſcunt veritatem tuam, aut cognoſcunt iuſtitiam tuam reducti in terram obliuionis? Hæc ſunt quæ clamaui ad te in oratione mea dum dicerem: (Mar. 14.) *Si fieri poteſt tranſeat à me calix* paſſionis. Verùm quia *non poteſt tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua*, exalter in cruce, humiliter in conſpectu inimicis, & videar confuſus in mortem, & hoc modo ſim exaltatus, & humiliatus, & confuſus. Verùm quia inter mortuos liber ſum, mane oratio mea præueniet te, & videbunt reſurgentem, quem viderant tota die expandiſſe in cruce manus ſuas. Et poſt hæc in ſepulchro poſitum, à quo longatus eſt omnis amicus, & omnis proximus pro ipſa miſeria paſſionis. Intrat enim oratio eius in conſpectu Dei. Et inclinauit aurem ſuam ad precem eius, & vita eius quæ in infernum appropinquauit, exurgat à mortuis. D Dum enim manè factum fuerit, ſtatim oratio eius præueniet, promiſſionem reſurrectionis perficiens, vt non ſolum ſe viuentem exhibeat, ſed & in cœlos aſcendentem oſtendat. Cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Intellectus Ethan Ezraitæ LXXXVIII.

MIſericordias Domini in æternum cantabo. In generatione & generationem, annunciabo veritatem tuam in ore meo. Quoniam dixiſti in æternum miſericordia ædificabitur in cælis, præparabitur veritas tua in eis. Diſpoſui teſtamentum electis meis, iuraui Dauid ſeruo meo, vſque in æternum præparabo ſemen tuum. Et ædificabo in generationem & generationem ſedem tuam. Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine, etenim veritatem tuam in eccleſia ſanctorum. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino ſimilis erit Domino in filijs Dei. Deus qui glorificatur in conſilio ſanctorum, magnus & terribilis ſuper omnes qui in circuitu eius ſunt. Domine Deus virtutum, quis ſimilis tibi? potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo. Tu dominaris poteſtati maris, motum autem E *fluctuum eius tu mitigas. Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum, in brachio virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos. Tui ſunt cæli, & tua eſt terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundaſti, Aquilonem & mare tu creaſti. Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt, tuum brachium cum potentia. Firmetur manus tua & exaltetur dextera tua, iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tuæ. Miſericordia & veritas præcedent faciem tuam, beatus populus qui ſcit iubilationem. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in iuſtitia tua exultabunt tota die, & in nomine tuo exaltabuntur. Quoniam gloria virtutis eorum tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu noſtrum. Quia Domini eſt aſſumptio noſtra, & ſancti Iſrael regis noſtri. Tunc locutus es in viſione ſanctis tuis, & dixiſti, Poſui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea. Inueni Dauid ſeruum meum, oleo ſancto meo vnxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Et concidam a facie ipſius inimicos eius, & odientes eum in fugam conuertam. Et veritas mea & miſericordia mea cum ipſo, & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Et ponam in mari manum eius, & in* F *fluminibus dexteram eius. Ipſe inuocabit me pater meus es tu, Deus meus & ſuſceptor ſalutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum, excelſum præ Regibus terræ. In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi. Et ponam in ſeculum ſeculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cæli. Si autem dereliquerint filij eius teſtamentum meum, & in iudicijs meis non ambulauerint. Si iuſtitias meas prophanauerint, & mandata mea non cuſtodierint. Viſitabo in virga iniquitates eorum, in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo, neque nocebo in veritate mea. Neque prophanabo teſtamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita. Semel iuraui in ſancto meo ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit. Et thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cælo fidelis. Tu verò repuliſti & deſpexiſti, diſtuliſti Chriſtum tuum. Auertiſti teſtamentum ſerui tui, prophanaſti in terra ſanctuarium eius. Deſtruxiſti omnes ſepes eius, poſuiſti teſtamentum eius formidinem. Diripuerunt eum omnes tranſeuntes viam, factus eſt* G *opprobrium vicinis ſuis. Exaltaſti dexteram deprimentium eum, lætificaſti omnes inimicos eius. Auertiſti adiutorium gladij eius: & non es auxiliatus ei in bello. Deſtruxiſti eum ab emundatione, & ſedem eius in terra colliſiſti. Minoraſti dies temporis eius; perfudiſti eum confuſione. Vſquequo Domine auertis in finem, exardeſcet velut ignis ira tua. Memorare quæ mea ſubſtantia, nunquid enim vane conſtituiſti filios hominum. Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem, eruet animam ſuam de manu inferni. Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine, ſicut iuraſti Dauid in veritate tua? Memor eſto Domine opprobrij ſeruorum tuorum, quod continui in ſinu meo multarum gentium. Quod exprobrauerunt inimici tui Domine, quod exprobrauerunt commutationem Chriſti tui. Benedictus Dominus in æternum, fiat, fiat.*

COMMENTARIVM.

DE tempore illo, quo numeratus eſt populus, huius Pſalmi hiſtoria declaratur. Myſterium verò Pſalmi, ad Domini noſtri paſſionem extenditur. H Dicamus ergo prius hiſtoricum ſenſum, & de hoc ad ſenſum myſticum conuertamur. (Ethan.) Ethan Hebræi humiliatum vocant. Humiliatur ergo rex Dauid per diminutionem populi. Totum de miſericordijs Domini texitur carmen. Se miſericordias dicit Domini æternas cantare, Deum dicit dixiſſe, in æternum miſericordiam ædificare: cœlos dicit miſericordias confiteri Domini, dicit ſibi ſeruo ſuo iuraſſe, & hanc veritatem in cœlis præparaſſe, quando diſpoſuit teſtamentum electis, iuraſſe Dauid ſeruo ſuo. Quid autem iuraſſet, inferius pandit. Quod ſi etiam filij eius, inquit, reliquerint Legem meam, viſitabo in virga & in verberibus peccata eorum, miſericordiam verò meam non tollam ab eis, neque nocebo veritatem meam. Et adiecit: Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar. Tu autem Domine repuliſti, & expuliſti, & diſtuliſti Chriſtum iuſtum, id eſt, Dauid regem. Quia per occaſionem vnius facti eius, (3. Reg 1.) totus populus moritur. Et ideo ait: Nunquid in vanum conſtituiſti filios hominum? Quis eſt homo qui viuit, & non videbit mortem? Aut quis eruit animam ſuam de manu inferi? Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine,

Digitized by Google

A *Pſal.* 131. ſicut iuraſti Dauid in veritate tua? Sufficiat nobis hiſtoricus ſermo, aſcendamus ad myſticum. In Chriſto enim miſericordia æterna ædificata eſt, non manu facta ædificatio, ſed Spiritu ſancto compoſita. Cuius veritas eſt ita in cœlis præparata, vt diſpoſito teſtamento legis ſuæ iuraſſet Dauid ſeruo ſuo, quod de fructu ventris eius poneret ſuper ſedem ſuam, cui nullus ſimilis eſſet inter filios Dei, vt eſt magnus & metuendus ſuper omnes, qui in circuitu eius ſunt. Omnes enim ſerui eius ſunt. Signum autem dedit ſeipſum eſſe Dominus Ieſus Chriſtus, cùm in naui poſitus, ipſe *Matt.* 8. dominatus eſt ſuper poteſtatem maris, & motum fluctuum eius ipſe mitigauit, & humiliauit ſicut vulneratum ſuperbum, ipſum diabolum, & in virtute brachij ſui diſperſit omnes dæmones. *Luc.* 8. Tunc ſuos oſtendit cœlos, cùm cæcis lumen cœlorum daret. *Ioan.* 11. Suam oſtendit terram, cùm ſepultos iuberet eam mortuos reddere. Se quoque Aquilonem creaſſe oſtendit, cùm eius flatibus imperaret. Thabor & *Luc.* 4. Hermon in eius nomine exultauerunt, cùm viderent habitatores horum montium Hieroſolymis vicinorum, in- B firmos ſuos ſaluari, ab eo paralyticos curari, leproſos mũdari, mortuos ſuſcitari. Ipſi montes, id eſt Thabor & Hermon, in Ieſu nomine exultabunt, dicentes ei: Tuum brachium, & tua potentia, quia firmatur manus tua, & exaltatur dextera tua ſuper omnem ægrotãtium ſanitatem. Nos exultamus, non ſolum te iſta faciente, ſed & diſcipulos tuos videmus Domine in lumine vultus tui ambulantes, quoniam gloria & virtus eorum tu es. Tua eſt enim Deus aſſumptio hominis, quod loquutum te ac dixiſſe per os ſanctorum, ſacra teſtatur Scriptura, electuri electum de plebe Dei, in quo glorietur gloria manus tuæ, qui tibi Deo diceret in veritate: *Pater meus es tu.* De quo & tu diceres: *Phil.* 2. Ego primogenitum ponam eum, *vt in nomine eius omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua cõfiteatur: Quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei Patris*, qui poſuit in ſeculum ſeculi ſedem eius, cui teſtamentum ſuum in æternum fideliter ſeruat. Cuius dies ſicut dies cœli ſunt repro- C mittit. Hic tamen pro peccatis noſtris, ab inimicis ſuis tentus, prophanata eſt in terra ſanctitas eius. Non permitti, nec in vno diſcipulo adiutorium gladij eius, ſed clamat ei: *Ioan.* 18. *Recondegladium tuum in theca ſua.* Et cùm poſſet ei exhibere pluſquam duodecim legiones Angelorum, noluit auxiliari ei in hoc bello, ſed minorauit dies temporis eius, & perfudit eum tanta confuſione, vt cum impijs deputatus, in medio homicidarum crucis compelleretur ſubire patibulum. Non eſt hoc iraſcentis Dei, ſed miſerentis. Quid tamen dicit quia patitur? quouſq; accenditur, velut ignis ira tua? Memorare Domine, quia ex Virgine me genuiſti, & memor eſto quæ ſit mea ſubſtantia. Quia cùm omnes homines moriantur in peccatis ſuis, ita vt nullus ſit qui viuat, & non videat mortem, & penè nullus ſit, qui eruat animã ſuam de manu inferi (*concluſa ſunt enim omnia in incredulita-* *Rom.* 11. *te, vt omnibus miſerearis*) veniant miſericordiæ tuæ promiſſæ Domine, & memor eſto Apoſtolos, quos continui in ſinu meo, luctatores multarum gentium, quos exprobrauerunt inimici tui Domine, quos exprobrauerunt ad com- D mutationem Chriſti tui, alium Chriſtum expectantes, iſtum qui paſſus eſt denegantes. Nos autem qui ſcimus iubilationem in lumine vultus eius ambulemus. Et quem fleuimus patientem gaudeamus à mortuis reſurgentem, & adorantes eum, dicamus ei: Benedictus es Domine in æternum: fiat fiat. Orantes vt in fine noſtro confeſſio nobis iſta proficiat, per ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui regnat cum Patre, & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

Quarum autẽ docet Hermãnus in Theatro conuerſionis gentium.

Oratio Moyſi hominis Dei. LXXXIX.

Domine, refugium tu factus es nobis à generatione in generationem. Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à ſeculo & in ſeculum tu es Deus, ne auertas hominem in humilitatem, & dixiſti conuertimini filij hominum. Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna quæ præterijt. Et cuſtodia in nocte, quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt. Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat & tranſeat, veſpere decidat, induret & areſcat. Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati ſu- E *mus. Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, ſeculum noſtrum in illuminatione vultus tui. Quoniam omnes dies noſtri defecerunt, & in ira tua defecimus. Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur, dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni & amplius eorum labor & dolor. Quoniam ſuperuenit manſuetudo & corripiemur. Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Dexteram tuam ſic notam fac, & eruditos corde in ſapientia. Conuertere Domine vſquequo, & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos. Repleti ſumus mane miſericordia tua, exultauimus, & delectati ſumus in omnibus diebus noſtris. Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala. Reſpice in ſeruos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum. Et ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, & opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dirige.*

COMMENTARIVM.

Octogeſimus nonus Pſalmus canit Dominnm noſtrũ, qui refugium factns eſt nobis in Chriſto Ieſu. Hunc F eſſe qui fecit montes, & firmauit terram & orbem, à ſeculo & in ſeculum, antequam iſta fierent, iam tunc regnaſſe. Interroges Dauid, & dicas ei: Vnde hoc noſti, quia Deus tuus antequam fieret terra, iam Deus erat & regnabat? Reſpon- *Exod.* 33. debit tibi: Moyſes ille magnus propheta, qui loquutus eſt *Deut.* 5. cum Deo facie ad faciem, quaſi loquatur cum amico ſuo: ipſe ex ore Dei didicit, & ipſe nos docuit. Hæc quare egimus? Quia legimus in titulo: Oratio hominis Dei. Quæ ergo ab ipſo didicerat, ipſius ei nomini conſecrauit. Quæ Ebionitas taxat. autem cauſa in myſticum vadit? Quia præuidit anathemabiles eſſe hæreſes, dicturas filium Dei, qui refugium factus eſt nobis in Chriſto, non fuiſſe priuſquam mundus fieret, & firmaretur terra orbis. Contra hos ait: A ſeculo & in ſeculum tu es Deus. Non auertas hominem in humilitatem, hoc eſt, in humilitate poſitum hominem non condemnes, quia dixiſti: Conuertimini filij hominum, hoc eſt, dixiſti te ſuperbis reſiſtere, humilibus gratiam condonare. Ne aa- uerteris hominem in humilitate poſitum, qui quaſi herba G oritur, & quaſi flos, quod mane ortum, veſpere areſcit. Cùm apud te mille anni ſic ſint, ſicut vna dies, aut ſicut cuſtodia in nocte. Cuſtodia in nocte quarta pars noctis eſt, quam ſibi paſtores diuidunt, vt ternis horis alijs cuſtodientibus, alijs quieſcentibus tranſeatur. Quod autem memorat, quia defecimus in ira tua, hoc memorat, quod anteceſſor in Pſalmo cecinerat, Poſt populi numerum in ira tua defecimus, quia poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, & ſeculum noſtrum in lumine vultus tui. Contra herbam & araneam, & contra flos fœni, Domine, qui ſemper miſertus es hominibus, quid moueris? Tibi anni mille ſic videntur, ſicut nobis nocturna vigilia. Noſtri autem anni, qui ſicut arena meditantur, vix vt multum octoginta anni ſunt, & plus eſt in eis nobis labor & dolor. Quid tanta manſuetudo venit ſuper miſeros? Quid tam grauiter corripimur? Quis non poteſtatem iræ tuæ? Nunquid ſcie- H bam te iraſci, ſi ego populum numerarem? Sufficeret, quia impeditum corde feciſti ſapere. Conuertere Domine aliquantulum, & eſto deprecabilis ſuper ſeruos tuos. Quotieſcunque tranſierunt à nobis tenebræ peccatorum per correptionem, quaſi in mare poſitis miſericordiam præbuiſti, per quam exultauimus & delectati ſumus, in omnibus diebus, quibus nos humiliaſti, & in annis quibus vidimus mala: Sic fac & modo, quia iam dexteram tuam notam feciſti, & erudiſti nos, & feciſti ſapere quod deſipuimus. Noli delectari in mortem noſtram, qui dixiſti pec- *Ezech.* 18. cantibus: Conuertimini filij hominum, quia non delectaris in perditione viuorum. Reſpice obſecro in ſeruos tuos, & in opera manuum tuarum, quia ſicut ſcriptum eſt, quia opera manum tuarum nos omnes, quia patres indignatione tua correpti defecerunt. Dirigantur filij eorum per aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti filij tui, vt ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, per quem opera manuum noſtrarum. Per ipſum enim directus eſt omnis tenor diſciplinæ, emendata Lex, correcta peruerſitas, æquitas adimpleta, ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

A

Laus cantici ipſi Dauid. XC.

QVI habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Dicet Domino ſuſceptor meus es tu, & refugium meum Deus meus ſperabo in eum. Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero. Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis. Scuto circundabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno. A ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Veruntamen oculis conſiderabis, & retributionem peccatorum videbis. Quoniam tu es Domine ſpes mea, altiſſimum poſuiſti refugium tuum. Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te ne forte offendas ad lapidem pedem tuam. Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Quoniam in me ſperauit liberabo eum, protegam eum quoniam cognouit nomen meum. Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.

B

COMMENTARIVM.

In Pelagianos dictum, ſi temporũ ratio congrueret.

MVlti putant libertatem arbitrij eouſque ſibi poſſe ſufficere, vt ſeſe per ipſam libertatem ab hoſtibus inuiſibilibus eruere poſſe confidant. Libertatem autem arbitrij, & negare periculum eſt, & nudare peccatum. Si enim negaueris, omnibus frena laxaſti: ſi nudaueris, decepiſti. Nam negas ſi dixeris: Deus ſi vult bonus ſum, ſi non vult bonus non ſum: Cùm conſtet Deum velle omnes homines ſaluos fieri, & vnuſquiſque ſuo ſit iniquus arbitrio. Nudas autem, cùm tantùm ipſi arbitrio dederis, vt eum rebus diuini adiutorij denudaris. Nam qui habitat in adiutorium Altiſſimi, & qui in protectione Dei cœli commoratur, & dicit Domino: Suſceptor meus es tu, & refugium meum, quia dicit ſperabo in eum, quia ipſe liberabit me de laqueo dæmonum, & à verbo aſpero ſuggeſtionum eorum. Si ita dixeris, ſi ita credideris, tum demum in ſcapulis ſuis obumbrabit te, & ſub pennis eius ſperabis. Pennæ Dei Angeli eius ſunt, quorum cuſtodiæ mancipamur. Scuto circundabit te veritas eius. Scuto corporis, ſanguinis, chriſmatis, quo ſcuto & defendimur & coronamur. Sic enim Pſalmus alius aſſerit, quod ſcuto bonæ voluntatis coronet nos. Hoc etiam in iſto Pſalmo, vt non timeamus à timore nocturno. Libidinoſæ ſcilicet voluptatis, cuius ſagitta volat per diem. Quod enim in aſpectu luminis concupiſcitur, huius negotium in tenebris perpetratur, aut in ruina, aut in dæmonio meridiano perficitur. Sed ſi habitaueris in adiutorio Altiſſimi, cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Siniſtrum in eo, qui ſub auxilio Dei agit, non nominatur, ſed latus tantum exponitur contra quod mille inſurgunt, à dextris autem decem milia. Latus hoc ſiniſtrum quod noluit nominare, liberum arbitrium eſt, contra quod minor pugna laxatur: In dextera autem Dei auxilium eſt. Et ideò prius nominauit latus, quia in arbitrio eſt, vt credas prius, vt dum credideris, gratiam conſequaris. Inuenies tam multiplicem virtutum cuneum, auxiliorum in dextera. Ipſa armat tropæo crucis frontem, ipſa loricam myſteriorum aſſumit, ipſa ſuſcipit ſalutis remedia, ipſa loquentis exprimit ſigna. Nam & quod memorat ſapientia Dei, quod vias quæ à dextris ſunt nouit Dominus, peruerſæ autem ſunt à ſiniſtris: hoc oſtendere fortaſsè voluit, quod quando vincimus, partis dexteræ virtutibus tradimus: quando autem vincimur, ſiniſtræ partis infirmitatibus applicamus. Auxilium non vincitur Dei, ſed noſtri libertas arbitrij ſuperatur. Qui ſi propenſiores fuerimus in dextera, Angelis ſuis mandat de nobis vt cuſtodiant nos in omnibus vijs noſtris: ita vt ſi ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulemus, id eſt, ſuper diabolum & regnum eius, conculcare poſſimus & leonem & draconem. Hæc enim dicit Dominus, quoniam in me ſperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Inuocauit me, ego exaudiam eum. Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Longitudine dierum adimplebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum, ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

C

D

Libertas arbitrij.

E

Pſalmus cantici in die ſabbati. XCI.

BOnum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo Altiſſime. Ad annunciandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. In decachordo pſalterio, cum cantico in cithara. Quia delectaſti me in factura tua, & in operibus manuum tuarum meditabor. Quoniam magnificata ſunt opera tua Domine, nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ. Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc. Cùm exorti fuerint peccatores ſicut fœnum, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem. Vt intereant in ſeculum ſeculi, tu autem Altiſſimus in æternum Domine. Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt, & diſpergentur omnes qui operantur iniquitatem. Et exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum, & ſenectus mea in miſericordia vberi. Et deſpexit oculus meus inimicos tuos, & ab inſurgentibus in me malignantibus audiet auris mea. Iuſtus vt palma florebit, ſicut cedrus libani multiplicabitur. Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri florebunt. Adhuc multiplicabuntur in ſenecta vberi, & bene patientes erunt vt annuncient. Quoniam rectus Dominus Deus noſter, & non eſt iniquitas in eo.

F

COMMENTARIVM.

DIE ſabbato inimici Domini pereunt, vt die dominica amici Domini gratulentur. Sabbato enim iacet Dominus in ſepulchro mortuus, & die dominica adoratur inter Angelos viuus. In hac re nimis profundæ factæ ſunt cogitationes eius, quas vir inſipiens non cognoſcit, & ſtultus non intelligit ea. Nobis autem bonum eſt, ſi confiteamur peccata noſtra quotidie, & pſallamus nomini eius altiſſimo, ſi annunciemus manè, à tenebris peccatorum exuti, miſericordiam eius, & dum venerit nobis nox quæſtionum, nequaquàm ad libitum, quæ neſcimus, vſurpando loquamur. De Deo enim loqui etiam vera, quia periculoſum eſt, timeamus. Ea ergo quæ lucida ſunt in Scripturis ſanctis, præiudicium ab obſcuris locis pati non debent, vtpotè proferamus aliquid breuiter, ex quo vniuerſa noſcantur. Habes in lucido poſitum, non eſſe perſonarum acceptionem apud Deum, hoc Petrus, hoc Paulus, hoc omnes Euangeliſtæ teſtantur. Quod ſi non dicerent, tam lucida definitio eſt, vt illis eam tacentibus crederemus. Quid nunc? Contra hanc in obſcuro naſcitur quæſtio: *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Et *cui vult miſeretur, & quem vult indurat*, & multa ſimilia. In his poſitus in nocte deueniſti. Non potes luci diei noctis huius caliginem tradere, & diei medio vim tenebrarum inferre. Si eſt tibi ſermo, annuncia veritatem in nocte, ſin aliâs, ſit digitus tuus ſuper os tuum. Si enim mille tales quæſtiones inuenias, nunquàm probabis Dominum per electionem perſonę vnum velle, recuſare alium. Aliud eſt, ſi doceas Eſau bonum fuiſſe in operibus ſuis, & iniquè odio habitum. Aut Iacob malorum operum reum iniuſtè delectum. Sed rumpamus moras alieni operis, & in decem chordarum pſalterio delectet nos Dominus in factura ſua, & in operib. manuum eius, quas expandit in cruce, in his inquam operibus exultemus. Ibi enim magnificata ſunt opera eius, quæ vir inſipiens non cognouit. Populus incredulus Iudæorum, qui ſicut fœnum exorti, paruerunt operantes iniquitatem, vt intereant in ſeculum ſeculi. Atque Domino in æternum manente, ij peribunt & diſpergentur ſuper vniuerſam faciem terræ, omnes Iudæi operantes iniquitatem. Chriſtus autem vt palma floret, plantatus in domum ſuam, in atrijs domus Dei noſtri florebit, & multiplicabitur in ſenecta vberi. Hic ſenectam non ipſius, ſed ſeculi ſenectam commemorat, quia ſecula finiuntur, & ſenectute deficiunt. Dominus autem in æternum permanet. Nec hoc accipias ingratè, quod palmæ florenti comparauerit eum, quia comparatus minus eſt ab eo cui comparatur. Non palma florens ipſe eſt, & comparatio Chriſti diuinitatis comparatur ipſi palmæ ſemper florenti, qui ad dexteram Patris

Cõfeſſio.

G

Cautio in diuinis.

Act.10.

Rom.2.

Rom.9.

H

Comparatio.

ſedens,

A ſedens, victoribus ramos ſuos porrigit, de floribus ſuis coronam tribuens, & de fructibus perpetua refectione ſaginam impertiens. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Laus cantici Dauid in die ante ſabbatum, quando fundata eſt terra. XCII.

DOminus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem & pracinxit ſe. Etenim firmauit orbem terra, qui non commouebitur. Parata ſedes tua ex tunc, à ſeculo tu es. Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem ſuam, eleuauerunt flumina fluctus ſuos, à vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis, domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudine dierum.

COMMENTARIVM.

B DOminus regnauit, id eſt, regnum aſſumpſit in cruce. Decorem induit in reſurrectione. Induit enim infirmitatem in virtute, & præcinxit ſe æternitatem, & firmam fecit terram in reſurrectione ſua. Et paratam ſedem habens, aſcendit in cœlum ſedens ad dexteram Patris. Hunc præconata ſunt flumina Scripturarum ſanctarum, ſuper hunc eleuauerunt voces ſuas, à vocibus aquarum multarum, id eſt, gentium potentius clamantes. Omnes enim ſcripturæ gentium, voces habent: virtutes habent, iſtæ ſcripturæ Regibus imperant, illi deſeruiunt. Ergo cùm eleuarent flumina voces ſuas, mirabilis factus eſt Chriſtus elationi maris, id eſt, mundi huius regibus & ſublimibus, nec his tantùm, ſed & mirabilis in excelſis, Dominus cœlos aſcendens, tunc teſtimonia Dei credibilia facta ſunt nimis. Dedit enim poteſtatem, vt in nomine eius ſanitates generi humano operarentur. Qui cùm Dei filium prædicabant, & ijs iſta ſigna facientibus, teſtimonia eius facta ſunt nimis credibilia, & domum eius quam Phariſæi dicebant
C non poſſe ſuſcipere ſancta præcepta, Leges veteris teſtamenti ſuſcepit. Et decent ea ſancta ſanctorum, vt ibi habitent in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus Dauid quarta ſabbati. XCIII.

DEVS vltionum Dominus, Deus vltionum libere egit. Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem ſuperbis. Vſquequo peccatores Domine, vſquequo peccatores gloriabuntur? Effabuntur & loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui operantur iniuſtitiam. Populum tuum Domine humiliauerunt, & hereditatem tuam vexauerunt. Viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt. Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum, non conſiderat? Qui corripit gentes non arguet, qui docet hominem ſcientiam. Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vana ſunt. Beatus homo quem tu erudieris Domine, & de Lege tua docueris eum. Vt mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea. Quia non repellet
D *Dominus plebem ſuam, & hereditatem ſuam non derelinquet. Quoadusque iuſtitia conuertatur in iudicium, & qui iuxta illam omnes qui recto ſunt corde. Quis conſurget mihi aduerſus malignantes, aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem. Niſi quia Dominus adiuuit me, paulò minus habitaſſet in inferno anima mea. Si dicebam, motus eſt pes meus, miſericordia tua adiuuabat me. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tua latificauerunt animam meam. Nunquid adharet tibi ſedes iniquitatis qui fingis laborem in pracepto? Captabant in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt. Et factus eſt Dominus in refugium, & Deus meus in adiutorium ſpei mea. Et reddet illis iniquitatem ipſorum, & in malitia eorum diſperdet eos, diſperdet illos Dominus Deus noſter.*

COMMENTARIVM.

DEVS vindex eſſe populi ſui iudicibus canit, quibus leue videtur perſonas peccantium ſumere, in iudicio orphanis & egenis, ab ijs autem qui exaltant Dominum in cordibus ſuis, & iudicant terram in corporibus

E ſuis, ij reddunt retributionem ſuperbis. Applicare poſſumus teſtimonium Apoſtoli, quo ait: *Si noſipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* 1. Cor. 11. Iudicamus autem noſipſos, quando finem vicijs ponimus, & principium virtutibus collocamus. Quod ſi non faciemus, populum Dei, id eſt, virtutem humiliamus, & hæreditatem eius, quæ nobis promittitur, ſpernimus, viduam & aduenam occidentes. Vidua eſt anima quæ non habet virum, verbum aut intellectum prudentiæ. Hanc ſi aut verbo tuo aut exemplo decipias, quam liberare debueras, viduam interficis. Aduena eſt, qui ciuis eſſe ſanctorum non nouit. Huic ſi te amatorem mundi oſtendas, tollis ei fidem futuræ ciuitatis, & quaſi interfeceris eum ſpiritaliter, à præſenti Pſalmo argueris. Sic etiam orphani occiduntur. Orphani ſunt, qui Deum ſe poſſe patrem habere ſanctè viuendo non credunt. Hîc tu ſapis, & noſti filios Dei fieri poſſe credentes, ſi exemplum contrarium præbeas; quos ſe filios Dei fieri contemnant, orphanos occidiſti. Nam ſi de his orphanis & aduenis & viduabus agit, ergo qui coniuges, aut ciues, aut
F habentes patrem & matrem filios occiderit, criminis reatum euadit. Aut ſi taceret pſalmographus, quis vnquàm de hoc facto non argueret crimino ſos? Verùm quia hæc agentes noſipſi qui putamus nos ſapere, ſic nobis videtur, quod has minutias ruinarum quæ per nos fiunt non requirat Dominus & non intelligat, iſta quæ non intelligere nolumus: clamatur nobis, Intelligite qui inſipientes eſtis, id eſt, vos qui deſipuiſtis in populo politi, dum vnus alterius ſectamini exempla ad contemptum Domini: & ſtulti, aliquando ſapite quibus imperatur & dicitur ſapite, oſtenduntur ſuo arbitrio non ſapere. Dicunt enim: Modo Deo hinc erit curæ, vt audiat ſingula verba noſtra, & videat ſingula quæque facta noſtra. Ad hæc reſpondetur eis, Ergo qui auditum dedit tibi, ipſe non audit: qui tibi viſum tribuit, ipſe non reſpicit: qui tibi ſcientiæ ſaporem infudit, ipſe non ſapit. Ille totus ſapientia eſt, & videt cogitationes hominum, qui ſibi ſapere videntur, quoniam ipſæ cogitationes eorum vanæ ſunt. Beatus homo eſt quem hoc ipſum erudierit Dominus non eligendo negligentem, ſed
G Legem ſuam docendo credentem. Hic mitigabitur in diebus malis, quando dæmones parant peccantib. foueas, tunc non repellet Dominus plebem ſuam, id eſt, de ſuo auxilio præſumentem, & hæreditatem ſuam non derelinquet, ſed proteget à tentationibus eos, dans eis tolerantiam per promiſſam hæreditatem vitæ æternæ. Et facit eos expectare retributionem, quoadusque iuſtitiam conuertat in iudicio, & qui tenent eam, id eſt, ipſam iuſtitiam, omnes qui recto ſunt corde. Verùm quia maligna conſilia mentibus miniſtrantes inſtant, contra quos animo ſatis eſt arguit pugnandum, qui nouit per ſingulas quaſque ſuggeſtiones acriter dimicandum, clamat: Quis exurget mecum pugnans aduerſum operantes iniquitatem? Quæſo te agoniſta fortiſſime indica mihi, quo ordine hoſtium impetus euaſiſti. Ad hæc audi reſponſum; Niſi, ait, Dominus adiuuaſſet me, modico minus habitaſſet in inferno anima mea. Si dicebam cum lachrymis Domino, quia mo-
H tus eſt pes meus, & à recti tenore auerſus, ſtatim tantum & amplius miſericordia eius adiuuabit me, quantam multitudinem dolorum eſſe videbar in corde meo, & conſolationibus ſuis lætificauit animam meam. Dicas fortè, ô auditor, grandis hic labor eſt. Sed labor iſte temporalis eſt, & præmium laboris æternum, non adhæret Deo ſedes iniquitatis. Qui enim format fatigationem aut laborem, aut dolorem in præcepto, ſiue pro labore certaminis, ſeu, pro labore martyrij, æterni gaudij præmium non negauit. Dum enim captauerint peccatores animam iuſti confitentis Deum, & ſanguinem eius innocentem condemnauerint, tunc efficitur ei Dominus in refugium, & Deus erit in auxilio ſpei eius, ita vt reddat eis iniquitates ipſorum, & in malicia diſperdat perſecutores eorum, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Orphanorũ pater Deus.

Fort. Nõ.

Dæmones parãt peccatoribus foueas.

A

Laus cantici ipſi Dauid. XCIV.

VEnite exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro. Præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in pſalmis iubilemus ei. Quoniam Deus magnus dominus, & rex magnus ſuper omnes Deos, quoniam non repellet dominus plebem ſuam. Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſius ſunt. Quoniam ipſius eſt mare & ipſe fecit illud, & ſiccam manus eius formauerunt. Venite adoremus & procidamus & ploremus ante dominum qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter. Et nos populus paſcuæ eius, & oues manus eius. Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Sicut in irritatione ſecundum diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri, probauerunt & viderunt opera mea. Quadraginta annis offenſus fui generationi illi, & dixi ſemper hi errant corde. Et iſti non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea ſi introibunt in requiem meam.

B

COMMENTARIVM.

Exultatio Chriſtiana.

LAus cantici hæc eſt, vt exultemus non in delectationibus vanis, ſed in domino: antequam præoccupemur, nos præoccupemus faciem eius in confeſſione peccatorum noſtrorum, credentes quod non repellet plebem ſuam confitentem ſibi, ille qui magnus eſt ſuper omnia, cuius cœli ſunt, cuius montes, qui terram manibus ſuis fundauit. Venite hunc adoremus, non in forma ſerui eum attendentes, putemus eum hominem purum. In ipſo eſt, qui hæc omnia fecit. Venite adoremus dominum, ploremus quia pius eſt, ipſe eſt qui fecit nos. Ipſe eſt paſtor, cuius nos oues ſumus. Audiamus vocem eius, & ſequamur eum quocunque vadit. Ideo enim paſtor vocem ad oues emittit, vt audientes eum ſequantur. Aut enim paſcua procurat, aut ab inſidijs ferarum eruere ſtudet. Vnde clamatur nobis hodie, vt ſi vocem eius audierimus, non obduremus corda noſtra, ſicut fecerunt per quadraginta annos filij Iſrael in eremo. Et quia non audierunt vocem eius, non introierunt in requiem eius. Nos autem audiamus paſtorem noſtrum, & ſequamur veſtigia eius, vt euadentes mortem deſerti huius, cum Ieſu terram fluentem lacte & melle mereamur intrare, ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

C

Pſalmus Dauid quando domus ædificabatur poſt captiuitatem. XCV.

CAntate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra. Cantate Domino & benedicite nomini eius, annunciate de die in diem ſalutare eius. Annunciate inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius. Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis, terribilis eſt ſuper omnes deos. Quoniam omnes dij gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit. Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius, ſanctimonia & magnificentia in ſanctificatione eius. Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius. Tollite hoſtias & introite in atria eius, adorate Dominum in atrio ſancto eius. Commoueatur à facie eius vniuerſa terra, dicite in gentibus quia Dominus regnauit. Etenim correxit orbem terræ, qui non commouebitur, iudicabit populos in æquitate. Lætentur cæli & exultet terra, commoueatur mare & plenitudo eius, gaudebunt campi & omnia quæ in eis ſunt. Tunc exultabunt omnia ligna ſiluarum à facie Domini quia venit, quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua.

D

COMMENTARIVM.

QVI plorauimus pœnitentes in nonageſimoquarto, in quinto & nonageſimo gratulemur. Ibi enim domum noſtram fleuimus, credentes nos per miſericordiam eius ad ædificationem huius domus iterum poſſe pertingere. Vnde & titulus ad hæc eadem conſentit, qui poſt captiuitatem ipſam domum ædificari conſcripſit, quam ædificans Chriſtus, dat gaudium omni terræ, & ideo dicitur, vt cantet Domino omnis terra canticum nouum & benedicat nomen eius. Habuit enim captiuitatem mundus

Dij gentium dæmonia.

E

per Adam, quam captiuitatem poſtquàm Chriſtus conuertit, ædificauit domum glorioſiſſimam non habentem maculam neque rugam, quo ædificante domum, templa vniuerſa deſtructa ſunt. Probatum eſt enim quod omnes dij gentium qui in templis poſiti eſſent, habitarent in eis dæmonia. Hic autem qui fabricauit domum, ipſe eſt qui cœlos fecit, confeſſione eius naſcitur omnis, qui non confitetur Dominum Ieſum, anathemabili fœditate deſpicitur. Qui autem confitentur fulgebunt ſicut ſol in conſpectu Dei. Sanctitas enim & magnificentia eſt in ipſa ſancta confeſſione eius. Vniuerſæ ergo patriæ gentium inuitamini, venite, afferte Domino, quid afferemus domino? Afferte gloriam quam incaſſum idolis præbuiſtis. Afferte honorem, quo fruſtrà idolorum antiſtites honoraſtis. Tollite hoſtias ab idolis, & hic introite in domum quam ædificauit, & adorate eum in aula ſancta eius, & gens genti dicat. Quia vnus Dominus regnat à ligno crucis, quia per lignum concupiſcentiæ regnum Dei ab hominibus receſſerat, modo per lignum crucis regnum reuerſum eſt Dei, qui firmauit eam in orbem terræ, vt non commoueatur. In qua eccleſia iudicat populos in æquitate, & gentes in ira ſua. Pro hoc opere lætantur cœli in ſanctis, lætatur & terra in nobis peccatoribus. Ad hoc gaudium mouetur mare, vulgus ignobile & fluctuans, & plenitudo eius, id eſt, diuites pleni opibus, ij commouentur videntes humiles Chriſti, & pſalmos eius, & doctrinam eius frigidas nænias computantes. Ligna verò ſiluarum qui lignei & ſilueſtres videntur mundi ſapientibus, tunc exultabunt ante faciem Domini, cum venerit iudicare terrenos. Non enim iudicat, vt perſonas potentium accipiat, ſed ſola æquitate totum orbem terrarum iudicat, & populos in veritate confirmat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Lignum mortis: Lignum Salutis.

F

Pſalmus ipſi Dauid, quando terra eius reſtituta eſt ei. XCVI.

DOminus regnauit exultet terra, lætentur inſulæ multæ. Nubes & caligo in circuitu eius, iuſtitia & iudicium correctio ſedis eius. Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota eſt terra. Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra. Annunciauerunt cæli iuſtitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius. Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis. Adorate eum omnes angeli eius, audiuit & lætata eſt Sion. Et exultauerunt filiæ Iudæ propter iudicia tua Domine. Quoniam tu Dominus Altiſſimus ſuper omnem terram, nimis exaltatus es ſuper omnes Deos. Qui diligitis Dominum odite malum, cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum, de manu peccatorum liberabit eos. Lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia. Lætamini iuſti in Domino, & confitemini memoriæ ſanctificationis eius.

G

COMMENTARIVM.

SEcurus cantas in nonageſimo ſexto, qui in nonageſimo quinto Dominum cognouiſti. In hoc enim pſalmo, & terra exultat de reſurrectione ſanctorum, & inſulæ non omnes, ſed in quibus habitant ſancti. Ecce enim veniet ſicut promiſit in anteriore pſalmo, venit vt iudicet, nubes & caligo in circuitu eius, iuſtitia & iudicium directio ſedis eius. Ignis ante eum præcedet, ignis duo officia peracturus. Vno enim eodemque aſpectu animos Dei illuminat, & inflammat inimicus eius. Quando apparuerint fulgura eius orbi terræ, tunc montes ſicut cera liqueſcent ante faciem eius, & à facie Domini tremet terra, omnibuſque rebus metuentibus ac formidantibus atque trementib. confundentur omnes qui adorant idola, cum viderint omnes in reſurrectione gloriam Domini Ieſu Chriſti: tunc ſola lætabitur Sion, id eſt, eccleſia. Exultabunt & filiæ Iudæ, id eſt, ſynagogæ omnes, quæ ante aduentum Domini prophetas habuerunt, aduentum Domini præconantes. Propter iudicia Domini iuſta, præiudicium poſterioris temporis non habebunt. Quoniam idem Dominus nunc, qui tunc ante aduentum Domini in ſynagogis illuxit, ipſe eſt ſolus ſuper omnes Deos. Quiſunque

H

Ignis duo officia.

ergo bo-

Digitized by Google

A

Fuga mali electio boni.

Matt. 10.

ergo bonum Domini diligatis, odite omne quod malum eſt. In odio enim mali, boni dilectio comprobatur. Sed & ſi qui vos pro amore boni fuerint perſecuti, ſecuri eſtote, *nolite timere eos qui occidunt corpus.* Cuſtodit enim Dominus animas ſanctorum ſuorum, & de manu peccatorum liberat eas. Ignis enim qui inſlammaturus eſt delinquentes, lux efficitur iuſtis & rectis corde lætitia. Nolite ergo metu pœnæ, ſed amoris gaudio ſeruare iuſtitiam, vt etiam in hoc mundo iam gaudeatis in Domino, & cõfiteamini memoriæ ſanctitatis eius qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus Dauid. XCVII.

Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Saluabit ſibi dextera eius & brachium ſanctum eius. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, in conſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam. Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ: & veritatis ſuæ domui Iſrael. Viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri. Iubilate Deo omnis terra, cantate & exultate & pſallite. Pſallite Domino in cythara, in cythara & voce pſalmi, in tubis ductilibus & voce tubæ corneæ. Iubilate in conſpectu regis Domini, moueatur mare & plenitudo eius, orbis terrarum & qui habitant in eo. Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt à conſpectu Domini, quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbem terrarum in iuſtitia & populos in æquitate.

B

COMMENTARIVM.

Cauſas cantici præſentis ipſe pſalmus exponit. Dicit enim, ideo nouum canticum vt cantetis exhortor, quia mirabilia fecit, & ſicut dixi, ideo cantare quia mirabilia fecit, quaſi ſi audiſſet ſibi dici: ſemper mirabilia fecit Dominus, non ergo nouum ſed vetus eſt canticum mirabilia diuina cantare: ad hæc ille reſpondeat, noua mirabilia nouum carmen expoſcunt. Dic ergo nouum nobis, quæ ſunt noua mirabilia? ſi interrogas audi. Dixerunt Iudæi in cruce poſito Domino, *ſaluum faciat eum*: hunc autem ſaluauit dextera eius, & brachium ſanctum eius tunc quãdo notum fecit Dominus ſaluatorem ſuum, ſuſcitans eum à mortuis, & in conſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam. Memor enim fuit miſericordiæ, quam promiſit Iacob, dicens: *Et ego te faciam in gentem magnam.* Hanc veritatem impleuit domui Iſrael, quando viderunt omnes fines terræ ſalutare Domini Dei Iſrael. Et licet omnes prouinciæ videant ſalutare Domini, tamen hoc non otioſe tranſeat intuentem, quod finem terrenæ cogitationes dum acceperint, naſcuntur cogitationes cœleſtium rerum. Et ipſæ faciunt videri ſalutare Domini Dei noſtri. In hoc ſtudio iubilate Domino vniuerſa terra, id eſt, omnia mẽbra corporis terreni in officio ſanctæ conuerſationis offerte. Non cum triſtitia, ſed cantantes exultate, & pſallite in cythara, cuius cantor inuitat auditum, & in voce pſalmi, cuius myſteria incitant mentes, in tubis ductilibus & in voce tubæ corneæ, quibus vocibus belli victoria declaratur. Iubilate in conſpectu regis Domini, conſpectum Domini præconantes ſeculis. Nolite timere, etiam ſi moueatur mundus ſicut mare & plenitudo eius, & orbis terræ, & omnia quæ in eis ſunt. Tunc flumina plaudent manu ſimul in vnum, quoniam nullum penè flumen eſt in quo non data ſunt remiſſa peccatorum, nulla aqua eſt, quæ non protulit ex ſe animam viuentem ad vitam æternam. In quo facto montes exultabunt, ex quorum viſceribus egrediuntur fontes qui faciunt flumina, montes quorum capita cœlos pulſant, quorum habitatores cœlo vicini ſunt. Hi exultabunt cum venerit iudex, vt iudicet orbem terræ in æquitate, & populos in veritate. Omnes ſancti exultabunt, quia remunerator ſanctitatis aduenit, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

C

Matt. 27.

Gen. 12.

D

Flumina plaudent ſaluti miniſtraſſe.

Pſalmus Dauid. XCVIII.

Dominus regnauit iraſcantur populi, qui ſedes ſuper cherubin moueatur terra. Dominus in Sion magnus & excelſus ſuper omnes populos. Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & ſanctum eſt, & honor regis iudicium diligit. Tu paraſti directiones, iudicium, & iuſtitiam in Iacob tu feciſti. Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum eius quoniam ſanctum eſt. Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius. Inuocabant Dominum & ipſe exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos. Cuſtodiebant teſtimonia eius, & præceptum quod dedit illis. Domine Deus noſter, tu exaudiebas eos, Deus tu propicius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum. Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate in monte ſancto eius quoniam ſanctus Dominus Deus noſter.

E

COMMENTARIVM.

Iraſcantur populi, & in elatione Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum aſpiciant. Ipſe regnauit quem regnare ſuper ſe non putant. Ipſe ſedet ſuper cherubin, quantumcunque moueatur terra. Ipſe erit in Sion magnus ipſe excelſus ſuper omnes populos. Sanè hoc ſcire nos conuenit, quod honor regis iudicium diligit: non enim timent iudicium, niſi qui ſe ſciunt habere, quod iure puniatur, factum ſcilicet quo exhonoratus eſt Deus. Hi autem qui honorem Domini in ſuis mẽtibus ſeruauerunt, hi iudicium diligunt: ſicut illi è contrario metuunt, qui ſciunt ſe in cõtumeliam regis, legis eius iura violaſſe, in quibus rex iſte parauit æquitatem. Ergo æquitatem cuſtodientes regem honorant, & honor iſte iudicium non timet, quin imo etiam diligit. Ipſe tamen iudicaturus eſt, qui iuſtitiam & iudicium in Iacob fecit, qui habuit Moyſen & Aaron in ſacerdotibus ſuis, qui habuit Samuelem ſimilem ipſis. Ipſum quem iſti inuocauerunt & exauditi ſunt, cùm in columna nubis loquebatur ad eos. Hi cuſtodiebant teſtimonia eius & præcepta quæ dedit eis. Quicunque ergo imitantur eos, hi iudicium futurum non ſolum non metuunt, ſed etiam diligunt. Dicamus ergo Domino noſtro Ieſu Chriſto: Tu es Domine qui cum Moyſe & cum Aaron locutus es, tu exaudiſti eos, tu propicius fuiſti illis, tu vindicaſti in omnibus ſtudijs eorum. Exaltemus ergo Dominum Deum noſtrum in Chriſto. Et adoremus in monte ſancto eius, in celſitudine fidei eius, quę altitudine ſua nubes penetrat, dum credimus quoniam ipſe eſt Dominus Deus noſter, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Soli timẽt iudicium mali.

F

G

Pſalmus in confeſſione. XCIX.

Iubilate Deo omnis terra, ſeruite Domino in lætitia. Introite in conſpectu eius in exultatione. Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus, ipſe fecit nos & non ipſi nos. Populus eius & oues paſcuæ eius, introite portas eius, in confeſſione atria eius, in hymnis confitemini illi. Laudate nomen eius quoniam ſuauis eſt Dominus, in æternum miſericordia eius, & vſque in generationem & generationem veritas eius.

COMMENTARIVM.

Act. 10.

H

Exo. 33.

Omnis terra ad iubilationem inuitatur, vt ſine perſonarum acceptione ſciatur eſſe vocatio. *Venite omnes qui laboratis, & onerati eſtis*, & intrate in conſpectu eius in exultatione. Scitote quod Dominus Ieſus Chriſtus, non eſt alius quàm qui cum Moyſe locutus eſt. Ipſe eſt Deus qui fecit nos, de quo Moyſes locutus eſt, quod fecerit hominem, ipſe fecit nos, eius enim factura ſumus omnes homines. Denique multi cupientes filios, quia Deus non dat non habent: Multi nolentes, quia ſeminantes nolunt fructum, eo quod contra ordinem nolunt, etiam quia iniuſtè nolunt, Deus iuſtè creaturam iubet ſemini dare reſponſum: & vt probetur, quia ipſe fecit nos, dum non noſtro arbitrio vel dantur filij, vel negantur. Ergo quia eius populus ſumus, efficiamur oues paſcuæ eius agnoſcentes paſtorem dicentem, *Ego ſum paſtor bonus.* Et intremus portas eius in confeſſione vnitatis: laudantes nomen ſanctum eius, quia ſuauis eſt: credentes, quia eſt in æternum miſericordia eius credentibus, & promiſſionibus eius veritas, quæ manet in ſecula ſeculorum, Amen.

Proles Dei donum.

Ioan. 10.

A

Pſalmus ipſi Dauid. C.

Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Pſallam & intelligam in via immaculata quoniam venies ad me. Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam, facientes præuaricationes odiui. Non adhæſit mihi cor prauum, declinantem à me malignum non cognoſcebam. Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar. Superbo oculo & inſatiabili corde, cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ vt ſedeant mecum, ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat. Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam, qui loquitur iniqua non direxit in conſpectu oculorum meorum. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.

COMMENTARIVM.

B

Iac. 2.

Iudicium ſine miſericordia ijs qui non faciunt miſericordiam, miſericordiam autem facientes euadunt iudicium. Scis ergo ô homo, vnde ponaris in dexteram paſtoris? Fac miſericordiam & iudicium, ſecurus expectas. Non enim dicit iniuſtis ad ſiniſtram poſitis:

Matt. 25.

Ite in ignem æternum, quia mentiti, quia fornicati, quia diuerſa facinora commiſiſtis. Sed quia *eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, ſitiui & non potaſtis me, peregrinus & non ſuſcepiſtis me, infirmus & non viſitaſtis me.* Cum ergo ignis criminibus debeatur, cur criminibus non imputetur ſupplicium, quo crimina per miſericordiam remittantur: *Ite* ergo, inquit, *in ignem æternum*, quia vnde ignis extinguitur contempſiſtis. Audiſtis enim ſcriptum, quod *eleemoſyna à peccato liberat.*

Tob. 12.
Eccl. 3.
Dan. 4.

Audiſtis quia ſicut ignis extinguitur ab aqua, ita ab eleemoſyna tolluntur vniuerſa peccata. Ite ergo in ignem, quia viuere eum vobis vos feciſtis. Ego autem miſericordiam vobis ſuper faciem terræ, cum iudicio feci cantari, vt ille iudicium euaderet, qui miſericordiam non negaret.

C

Pſallam ergo & intelligam in via immaculata, & intelligam quando venies ad me, vt ſi hoſpitem te videro, ſuſcipiam, ſi eſurientem, reficiam. Intelligam quando venies, ne putem qualemcunq; hominem, & recuſem. Si enim perambulem in innocentia cordis mei, non propono ante oculos meos rem iniuſtam. Iniuſtum eſt enim vt conſorti naturæ non miſerear, in quo inhabitas Chriſte. Sed & facientes præuaricationem odio habeam, non adhæreat mihi cor prauum. Declinantes à me malignos non cognoſcam, loquaces occultos perſequar, cum ſuperbis & inuidis non communicem. Sed ſint oculi mei ſuper fideles terræ, qui terram corporis ſui fideliter ſeruant, vt iſti ſedeant mecum. Ambulans autem in via immaculata hic mihi miniſter. Non quæram ab his aliquid conſequi qui reprehenſibiliter viuunt in domo mea. Non inhabitet ſuperbiam faciens, id eſt, in domo corporis mei non habitet inimicus, qui ſuadet contemni Dominum. Quia hæc eſt radix ſuperbiæ.

D

Sed in matutinis interficiam omnes peccatores terræ, id eſt, in ipſo ortu ſuo peccata orientia interficiam, & viuere non ſinam cum pereant de ciuitate Domini. Ciuitas domini anima noſtra eſt, in qua habitat rex & ſancti, apices ciues Dei, qui ex ipſo nati. Cum ergo naſcuntur peccatorum cogitationes in anima, mox vt natæ fuerint occidantur. Et pereant de ciuitate Domini omnes qui operantur iniquitatem, vt ſit Dominus in ciuitate ſua requieſcens, cum omni comitatu virtutum, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Oratio pauperis cum anxiaretur, & coram Domino effudit precem ſuam. CI.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Non auertas faciem tuam à me, in quacunque die tribulor inclina ad me aurem tuam. In quacunque die inuocauero te velociter exaudi me. Quia defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut cremium aruerunt. Percuſſus ſum vt fœnum & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ. Similis factus ſum pellicano ſolitudinis, factus ſum ſicut nycticorax in domicilio. Vigilaui & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Tota die exprobrabant mihi inimici mei, & qui laudabant me aduerſum me iurabant. Quia cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miſcebam. A facie iræ & indignationis tuæ, quia eleuans alliſiſti me. Dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui. Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generatione & generationem. Tu exurgens miſereberis Syon, quia tempus miſerendi eius quia venit tempus. Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius, & terræ eius miſerebuntur. Et timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam. Quia ædificauit Dominus Syon, & videbitur in gloria ſua. Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit preces eorum. Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum. Quia proſpexit de excelſo ſuo, Dominus de cœlo in terram aſpexit. Vt audiret gemitus compeditorum, vt ſolueret filios interemptorum. Vt annuncient in Syon nomen Domini, & laudem eius in Hieruſalem.

F

In conueniendo populos in vnum, & reges vt ſeruiant Domino. Reſpondit ei in via virtutis ſuæ, paucitatem dierum meorum nuncia mihi. Ne reuoces me in dimidio dierum meorum, in generatione & generationem anni tui. Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Et ſicut opertorium mutabis eos & mutabuntur, tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Filij ſeruorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum in ſeculum dirigetur.

COMMENTARIVM.

Gen. 18.

Legimus clamorem Sodomorum aſcendiſſe ad Deum, & ita demum ſulphureo eos imbre crematos. Prius ergo quam ad fletum & ad ieiunium pro peccatis noſtris animum conuertamus, non audeamus dicere, Clamor meus ad te perueniat. Ne fortè non ſit talis clamor, qui miſericordiam conſequatur. Ne fortè ſit in eo ira, cauſatio, maledictio, adulatio, detractio, inſultatio, mendaciũ, & cætera his factis ſimilia.

G

His ergo vicijs peſſimis noſtro clamore ſonante, rogandus eſt Deus, ne clamor hic ad eum perueniat. Sed te, in aliquibus factis nefarijs conſtitutis nobis, rogemus dicentes. Ne auertas faciem tuam à me. Et dicendum eſt. *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Renunciemus ergo omnibus vitijs, & paſſionibus, & facti pauperes ſpiritu, præterita noſtra facta plangentes, ita nos in huius carmine pſalmi fundamus orantes, vt clamor noſter ad eum perueniat, & non auertat faciem ſuam à nobis.

Matt. 5.

Quod tamen flentes dicamus nos, qui pro peccatis oramus, his verſiculis edocemur: Dies, inquit, mei ſicut vmbra declinauerunt, id eſt, perdididi quod vixi, quia in peccatis ſicut fœnum arui. Fœnum autem & ſtipula & lignum eſca ignis eſt. Et ideo tribulor, quia & oſſa mea ſicut frixorium, id eſt, faſciculum ſarmenti aridum, ita confrixa ſunt, parata ad incendium gehennæ. Percuſſus ſum ſicut fœnum, & aruit cor meum. Percuſſus ſum compunctione futuri ſupplicij, & propter hoc oblitus ſum manducare panem.

H

A voce autem gemitus mei, adhæſerunt oſſa mea carni meæ, factus ſum ſicut pellicanus in ſolitudine, id eſt, ſicut auis illa quam pellicanum vocant, quæ non habitat niſi in deſertis, habens eſcas veneno eremi & incultis amaritudinibus plenas.

Pellicanus ſolitarius.

Factus ſum ſicut nycticorax in domicilio. Coruus præ nigredine obſcurus eſt, iam nocte quaſi nigrior, cui & obſcuritas nigredinem geminat. Ergo & ego, inquit, duplicatam nigredinem peccatorum in me deplorans, voces meas quaſi nycticorax dirigo, clamans ſolus, ſicut paſſer ſolitarius in ædificio. In qua tota die exprobrauerunt me inimici mei, & qui dudum laudauerunt me, nunc aduerſum me iurabant, id eſt, non letho illius viuam. Quomodo enim viuebas, vt ſic illi iurarent? Ideo, inquit, ſic iurabant, quia cinerem ſicut panem manducabam, & potum meum fletibus miſcebam. Hoc quare? A facie iræ tuę, & indignationis tuæ. Cuius iræ? Pro peccatis vtiq; in iudicio debitæ. In quo hic eleuantur & exaltantur, ibi allidantur neceſſe eſt. Cum ergo moriatur omne genus hominũ in peccatis, quid ſupereſt, niſi vt perſona totius ſeculi, tibi preces flebili effundat eloquio? Nullus enim ſaluabitur,

niſi tu

A

niſi tu domine exurgens miſerearis Syon. Venit enim tempus, vt venias & miſerearis Syō. Quia beneplacitos habuerunt ſerui tui lapides eius. Lapides vtique de quibus legitur: Lapides iuſti voluuntur in ea. Qui enim ſerui Dei ſunt, benè illi placent libri omnes veteris teſtamenti, qui habent in ſe vnum lapidem angularem. Nec ſolū lapides beneplacitos habuerunt, ſed & terræ eius miſerebuntur. Terra lapidum, corpora ſunt animarum. Nō ſolum nobis animæ ſanctæ placent, ſi ſerui Dei ſumus, ſed ipſa corpora

Corpora ſanctorū.

corū in quibus afflicti ſunt, torti, combuſti, ac diuerſis ſupplicijs macerari miſerantes veneramur. Quomodo miſerantes? Dolor nobis eſt in afflictione & ſupplicio quo paſſi ſunt, & gaudium nobis eſt in perſeuerantia quia vicerunt. Cum ergo domine & tu veneris, & ſancti tui pro teſtimonio nominis tui paſſi fuerint: tunc timebunt gentes, & omnes reges terræ gloriam tuam. Tunc ædificabitur eccleſia tua in Syon, & videberis in maieſtate tua, cum reſpexeris de excelſo tuo Ieſu Chriſto, vt audias gemitum compeditorum, & ſoluas filios interemptorum. Interempti ſunt patres non omnes ſancti qui nobis prædicauerunt Chriſtū.

B

Nos ergo ligati eramus à ſathana, quia ij qui genuerunt nos verbo vitæ, fuerunt interempti. At vbi cognouimus eos in cœlis gaudere & poſſidere gloriam Chriſti, ædificata eſt in nobis Syon, & viſus eſt dominus in maieſtate ſua. Gaudemus enim, quia reſpexit in orationes eorum, & nō ſpreuit preces eorum. Scripſimus paſſiones eorum in progenies alteras, & populus qui creabitur, vſque in ſempiternū laudat dominum in ſanctis ſuis. Ibi conueniunt populi in vnum, & regna, vt ſeruiant domino. Per quos paucitas dierum noſtrorum tegitur, & nunciatur nobis propè eſſe finē,

1. Cor. 7.

reliquum eſſe, vt & qui vtuntur hoc ſeculo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi, & tranſeunte figura, veniet veritas Chriſtus, cui dicimus: In ſecula ſeculorum ſunt anni tui. Initio terram ipſe fundaſti, & cœli opera manuum tuarum ſunt. Non ergo nouum dominum adoramus in Chriſto, ſed deum qui eſt, & ſemper idem eſt, cuius anni nō deficient. Quod autē de cœlo, & terra dicit, Ipſi peribunt:

C

promiſſionem illam confirmat, qua cautum eſt futurū cœlum nouū & terram nouam, in quibus filij ſeruorū Chriſti habitent. Paulus ſeru⁹ Chriſti, ſimiliter & omnes Apoſtoli ſerui Chriſti. Nos qui credidimus per eos filij ſeruorum ipſius ſumus. Et ſi ſecuti fuerimus veſtigia eorum, ſicut illi

Ier. 17.
Eſa. 38.

Chriſti, habitabimus cū eis in cœlo nouo & in terra noua. Et ſemen verbi quod nobis ſpem dedit credentibus, tunc capiet in remuneratione noſtra fructum, quod iam finem nō habeat, ſed maneat directum à Deo irreuocabile; ad dimidium dierum prima iuuentus eſt, & vltimum dierum ſenectus. Ibi ergo iam nec in dimidio dierum finiuntur nec in ſenectute moriuntur. Quia cœli noui ſunt, rorem immortalitatis manantes, & terra noua eſt mortis gremium non habens, ſed habens vitam dominum Ieſum Chriſtum, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus ipſi Dauid. CII.

D

*B*Enedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. Qui replet in bonis deſiderium tuum, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Faciens miſericordias Dominus & iudicium omnibus iniuriam patientibus. Notas fecit vias ſuas Moyſi, & filijs Iſrael voluntates ſuas. Miſerator & miſericors Dominus, longanimis & multum miſericors. Non in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur. Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis. Quoniam ſecundum altitudinem cœli à terra, corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Quantum diſtat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates noſtras. Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam cognouit figmentum noſtrum. Recordatus eſt, quoniam puluis ſumus, homo ſicut fœnum, dies eius tanquam flos agri ſic efflorebit. Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum. Miſericordia autem domini ab æterno, & vſque in æternum ſuper timentes eum. Et iuſtitia illius in filios filiorum, his qui ſeruant teſtamentum eius. Et memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea. Dominus in cœlo parauit ſedem ſuam, & regnum ipſius omnibus dominabitur. Benedicite Domino omnes angeli eius potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius, miniſtri eius qui facitis voluntatem eius. Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius, benedic anima mea domino.*

E

COMMENTARIVM.

BEnedicimus nos Dominum, cum facimus aliquod tale opus, quo nomen domini benedicatur. Nam quomodo poteſt Deus ab homine benedici, niſi hoc ſolū modo, quod opus ex omnibus interioribus noſtris faciendū eſt. Si enim miſericordes fuerimus viſceraliter, & ille cum benedicitur à nobis, propitiabitur omnibus iniquitatibus noſtris, ſanat omnes infirmitates noſtras, replet in nobis deſiderium noſtrum, & coronat nos in regno ſuo, pro miſeratione ſua, & miſericordia ſua. Miſericordibus enim

F

dicturus eſt: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* In quo regno mors non erit, nec dura ſenectus debilitat vires, ſed renouantur ibi iuuentutes, vt aquilę, ibi miſericordibus faciet miſericordias dominus, & iudicium ōmnibus iniuriam patientibus. Ipſe vtique Deus, qui notas fecit vias ſuas Moyſi, ipſe qui oſtendit filijs Iſrael voluntatem ſuam. Ipſe eſt *Deus in Chriſto*, ſiue

Matt. 25.

mundum concilians, ſiue ſanctos remunerans, ſiue miſericordias miſericordibus faciens. Ipſe qui patiens, ipſe qui multum miſericors eſt, ſi nos viderit patientes, & miſericordes, non ſecundum peccata noſtra faciet nobis, neque ſecundum iniuſtitias noſtras reddet nobis, ſed ſecundum altitudinem cœli à terra, confirmat ſuper nos miſericordiam ſuam. Et quantum diſtat ortus ab occaſu, tantum elongat à nobis iniquitates noſtras. Sicut pater filijs ſic miſerebitur noſtri, ſi miſericordes fuerimus. Si conſideremus in hominibus flentibus, aut egentibus, vel neceſſitatem patientibus figmentum noſtrum, in qua menſura menſi fuerimus aliorum neceſſitates, in ea metietur nobis. Non fui

2. Cor. 5.
Luc. 6.

Talionē reddit dominus.

G

miſericors in cauſa aliena, non mihi miſeretur in mea. Subueni egenti, ſubuenitur mihi. Indulſi peccanti, indulgetur mihi. Conſideraui vnius figmenti me agentem in mollibus, & dolui ſuper nudum, & veſtiui eum. Eſurienti compaſſus, alui. Ergo quia conſideraui figmentum vnum meum & indigentis, conſiderat & ille figmentum meum, & recordatur, quia caro ſum terrena & puluis. Ex quo ſi dignatus fuerit, nos poterit ſuſcitare. Nam ſi hoc non eſſet, quis computaret hominem, qui ſicut flos agri, ita floret, & tranſiet ſpiritus eius ab eo, & non eſt, & locum ſuum non agnoſcet amplius. Si verò miſericordiam temporalem exercuerimus fratribus noſtris, miſericordiam conſequemur ſempiternam, quam perficiet ſuper timentes ſe dominus. Iuſtitiam autem ſuam in filios filiorum, qui quoniam non potuerunt pauperum carnalium curam gerere, ſpiritalium pauperum curam egerunt, vt aut verbo aut exemplo ſuo, ad iuſtitiæ diuitias prouocent ſpiritaliter

H

mendicantes. Si vis videre diuitem & mendicum, ſancti Apoſtoli Ioannis lege Apocalypſin. Huic ergo ſimiles ſunt omnes diuites in auro & argento: & in fide, aut in operibus iuſtitiæ mendicantes. Iuſtitia autem Dei in filios filiorum. Filij Apoſtolorum ſunt omnes magiſtri bonorum conſiliorum. Et ſicut ipſi filij eorum ſunt, ita qui

Filii Apoſtolorum.

audiunt eos, filij filiorum ſunt, cuſtodientes teſtamentum Dei, & memoria tenentes mandata Dei, non vt inflentur ſcientia, ſed vt faciant ea quæ memoriter norunt. Videamus nunc illum, cui pater in cœlis parauit ſedem ſuam. Dominus enim domino parauit. Et *dixit dominus domino, ſede à dextris meis.* Ibi ergo ſedet regnans, & regni eius non erit finis. Ideo quia dici poteſt, ſi ſemper

Pſal. 109.

fuit filius cum patre, quomodo ei ante parauit, & poſtea dixit ſede? Aduertendum eſt ergo, quia filio hominis, parauit Deus ſedem ſuam. Nam filius Dei qui aſſumpſit iſtum filium hominis, ſemper fuit in ſinu patris, & eſt, & futurus eſt. Sicut enim fluuius, quamuis per multas

Ioan. 1.

A terrarum prouincias vadat, de ſinu tamen fontis ſui nunquam recedit, ita & Dei filius inuiſibilis lætetur cum Iacub, ſplendeat in rubo, ſit in columna nubis, ſit in columna ignis, ſit in nube, ſit in duce, & in qua voluerit forma pro ſalute hominum, de patris tamen ſinu non recedit. Nec enim legis qui fuit in ſinu patris; ſed qui eſt in ſinu patris ipſe narrauit. Hunc benedicunt angeli, potentes virtutes, obtemperantes verbo eius. Hunc benedicent virtutes omnium inimicæ. (Forte miniſtræ.) Ipſæ enim faciunt voluntatem eius. Hunc benedicunt omnia opera eius in omni loco dominationis eius. Vbicunque enim aliqua creatura eſt, locus dominationis eius eſt, quia ipſe creauit vniuerſa. Hunc operibus his benedicat anima noſtra in omni tempore, qui regnat cum patre & ſpiritu ſancto, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus ipſi Dauid. CIII.

B *Benedic anima mea domino, domine Deus meus magnificatus es vehementer. Confeſſionem & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento. Extendens cœlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius. Qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum. Qui facis angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem. Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius, ſuper montes ſtabunt aquæ. Ab increpatione tua fugient: à voce tonitrui tui formidabunt. Aſcendunt montes & deſcendunt campi, in locum quem fundaſti eis. Terminum poſuiſti quem non tranſgredientur, neque conuertentur operire terram. Qui emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertranſibunt aquæ. Potabunt omnes beſtiæ agri, expectabunt onagri in ſiti ſua. Super ea volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt vocem. Rigans montes de ſuperioribus ſuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra. Producens fœnum iumentis & herbam ſeruituti hominum. Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis. Vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. Saturabuntur ligna campi, & cedri libani quas plantauit, illic paſſeres nidificabunt.* C *Herodij domus dux eſt eorum, montes excelſi ceruis, petra refugium erinaciis. Fecit lunam in tempora, ſol cognouit occaſum ſuum. Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ. Catuli leonum rugientes, vt rapiant & quærant à Deo eſcam ſibi. Ortus eſt ſol & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam. Quam magnificata ſunt opera tua domine, omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua. Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus, illic reptilia quorum non eſt numerus. Animalia puſilla cum magnis, illic naues pertranſibunt. Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei, omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore. Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem turbabuntur, auferes ſpiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Sit gloria domini in ſeculum, lætabitur dominus in operibus ſuis. Qui reſpicit terram & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant. Cantabo domino in vita* D *mea, pſallam domino meo quàm diu ſum. Iocundum ſit ei eloquium meum, ego vero delectabor in domino. Deficiant peccatores à terra & iniqui ita vt non ſint, benedic anima mea domino.*

COMMENTARIVM.

Peruenimos ad pſalmum centeſimum tertium qui continet vniuerſam fabricam mundi in qua magnificatur dominus vehementer. (Chriſtus quando dominus.) Sed cum fabricam memorat, aduentum domini manifeſtat. Prius enim quam veniret Dei filius, non erat hominum dominus, confeſſionem & decorem indutus. Omnes enim in dijs & ſimulachris ſuis, & in vanis figmentis ſpem collocantes à Deo receſſerant. Denique Apoſtolus hoc ipſum aſſerit cum dicit, quod adueniens dominus (Rom. 11.) *concluſerit omnia in incredulitatem, vt omnium miſereatur.* Per ipſum enim confeſſionem & decorem induit Deus, per mediatorem Dei & hominum. Mediatorem qui eſt filius hominis. Cuius hominis? Filius Dauid, Filius Abrahæ. (Matt. 1.) Sic enim legis euangelij caput: *Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham.* Quis autem ſit iſte filius hominis, ne fortè putes eum talem qualis Moyſes, aut Ieſus Naue filius, aut Helias, aut vnus ex magnis, non ita eſt. E Hic enim dominus eorum eſt, & illi ſerui eius. Hic enim amictus eſt lumine ſicut veſtimentum. Ipſe eſt qui extendit cœlum ſicut pellem, & totum illud extendit, vt meretrices & publicanos capiat, quod non capiebat niſi ſolos immaculatos. Et quia quando tenditur pellis, ſuper ipſam aqua aſpergitur, ita hic tenſurus cœlos ſicut pellem, texit in aquis ſuperiora eorum. Non enim poterant tendi, & vſque ad peccatores attingere, niſi aqua facti baptiſmatis tegerentur, ad ipſos cœlos poſuit nubes aſcenſum. Videntibus Apoſtolis, ambulans ſuper pennas ventorum. (Act. 1. Matt. 14.) Venti enim in nubibus agunt, & alia via non eſt qua aſcenſum ſuum ad cœlos haberet, niſi ambularet ſuper pennas ventorum. Tunc fecit angelos ſuos ſpiritus. (Angelus quid.) Angeli nuncij Latino ſermone vocantur, & euangelium bonum nuncium explanatur. Angelos ergo ſuos, id eſt Apoſtolos, tunc fecit ſpiritus, quando eis dixit: *Accipite ſpiritum ſanctum, & euangelizate omni creaturæ.* F Et tunc eos fecit ignem vrentem, cum ipſe ſpiritus ſanctus, ſicut ignis conſedit in eis. Tunc fundauit terram in ſtabilitatem ſuam, terrenas ſcilicet mentes gentium, quæ fuerunt in fabrica turris diuiſæ, nunc ad ſtabilitatem ſuam reuocans in vno verbo Ieſu Chriſto corroborat, & ita fundat in eis eccleſiam ſuper hanc petram, vt non inclinetur in ſeculum ſeculi. Huius ſanè terræ abyſſus, ſicut pallium amictus eſt. Agant ſibi philoſophi infructuoſas exquiſitiones, & magno labore dicant ſe poſſe diſcere, quod terra ſubtus ſe abyſſum habeat, quo veluti pallio amiciatur: nos ad terram iſtam quæ fundatur in ſtabilitate eccleſiæ, ſermonis aciem dirigamus. Abyſſus enim circundat eam. Non enim habet finem *altitudo diuitiarum ſapientiæ*, quæ circundat eam, & ſuper montes eius ſtabunt aquæ. Quicunque ſurſum cor habent montes ſunt, & ſuper ipſos ſtant aquæ. Stat ſuper ipſos baptiſmatis ſanctificatio, ſtant in fide recta, non circunducuntur omni vento doctrinæ. G Qui tamen iſti ſunt montes, diligenter auſculta. Iſti ſunt, qui ab increpatione Dei fugiunt. Fugiunt vtique facta quæ increpantur à Deo, & à voce tonitrui eius formidabunt, timent comminantem incendium ſempiternum & à prohibitis vniuerſis, ſua facta ſuſpendunt. Aſcendunt montes cogitantes regna cœlorum, deſcendunt montes cogitantes quemadmodum terrenas actiones ſuas, in locum quem fundauit dominus dirigant, vbi terminum poſuit Deus, & iuſſit non tranſgredi, & poſitum terminum non tranſgreditur, vt operiant terram, ſicut operuit terram Adam. Ex folijs ficulneis operuit terram, & abſcondit ſe. Iſti non tranſgrediuntur terminum, quem poſuit dominus, & non operient terram. Et quia non eſt operta, rigat eam dominus de ſuperioribus. Si enim dilectam eam inuenerit, imber rigat eam, veniens de ſuperioribus. Si verò tecta fuerit, & cœlo abſconditur, nec de ſuperioribus rigatur. Si vero pateat cœlis, & imber eam cœleſtis infuderit, producet fœnum iumentis, dabit doctrinam talem ſimplicibus ad eſcam animæ eorum, qualem capere poſſunt. Dabit herbam ſeruituti hominum. H Herbam inter ſe ruta, venientibus ad Deum herbam proferet. Non enim poſſunt ſolidioribus cibis refici. Perfectorum namque eſt ſolidior cibus, qui diſcretionem habere poſſint boni & mali. Poſt herbam dabit ſpicam & incipit educere panem de terra. Sicut enim lac de vberibus, ſic de terra per herbam attingitur ad ſpicam, de ſpica peruenitur ad panem, qui de cœlo per imbrem deſcendit. Ergo per fontem perennem, venit tibi panis de terra Mariæ virginis. Imber iſte qui in Maria venit, audi qualiter venit. Angelus ei dicit: *virtus altiſſimi*, id eſt, ex alto veniens *obumbrabit tibi*. (Luc. 1.) Et exiuit nobis panis de terra. Nos ergo ad nos redeamus, qui hunc ex alto venientem imbrem accipimus, ſi veniens ex ſuperioribus fons, nos ſibi patentes inuenerit. Accipimus panem qui confirmet cor noſtrum. Accipimus vinum, quod lætificet cor noſtrum, & duabus confirmationibus cordis acceptis, exhilarantur facies noſtræ oleo chriſmatis, ita vt per lignum crucis ſatientur omnia ligna campi, id eſt, omnis turba ſimplicitatis inter

A Oleum chriſmatis

quos ſunt diuites & ſublimiſſimæ poteſtates, quas pro celſitudine cedros Libani nuncupauit. In his paſſeres nidificant. Non dixit in omnibus paſſeres nidificabunt. Sunt enim aliquanti qui diligunt Chriſtianos, & ſua eos ope ſuſtentant, qui in his requieſcentes nidificant Deo, qui paſſeres ideo nuncupantur, quia cœleſtia & alta petentes, ſic ſe iungunt conuerſationibus hominum, vt fugiant ipſos homines, in quorũ domibus nidificare probantur. In his paſſeres qui nidificant, fulicæ domus dux eſt eorum. Fulica in aqua manet, in aqua nidificat, in aqua viuit, & aqua domus eſt eius. Horum ergo paſſerum fulicæ domus, id eſt, aqua ipſa dux eorum eſt paſſerum. Ibi ſunt montes excelſi, ceruis fugientibus diabolum, fugientibus mundum, Ibi eſt petra præſtans refugium, ſiue Erinaciorũ filijs, quia minora habentes iacula, à canibus non timentur, ſiue lepotibus, quia & lepores canes fugiunt, & Erinacij. Qui ergo fugiunt hos canes, de quibus clamat Paulus: *Videte canes, videte malos operarios*: inueniunt ſibi petram in refugium, & iuxta ſemitam poſitos canum morſus effugiunt. Nunc euaſimus montes ac ſiluas, & facies nobis cœli reſplendet, in qua videmus lunam factã, in tempore paſſionis lucentem in tenebris. In quo tamen tempore doce. In tempore paſſionis diximus. Quomodo? Quia tunc ſol iuſtitiæ occaſum ſuum, ipſa ſexta hora diei poſuit tenebras, & facta eſt nox, in quo tranſierunt omnes beſtiæ ſiluarum phariſæorum ferocias. Et eorum qui deuorant plebem Dei, ſicut eſcam panis, tam ſpiritales beſtiæ quam carnales. Sed propterea dedit lunam in nocte, vt habentes lumen cœleſte, feratum morſibus euadamus. In ipſa enim tenebroſitate eius abundant catuli leonum, id eſt, filij dæmonum, omnes hæretici non docentes ſancta, ſed rugientes vt rapiant, & quærant à Deo tollere eſcam ſibi. Orto autem ſole iuſtitiæ, ſiue reſurgente ab inferis domino ad Iudæos, ſiue exurgente per aſſertionem catholicam contra hæreticos: Hoc ergo oriente vniuerſæ diffugiunt beſtiæ, tendentes inſidias, & in cubilibus ſuis ſe collocabunt. Iudæi ad ſynagogas ſuas, & hæretici ad ſynedria ſua. Illic congregabuntur, & quàm diu reſplendet nobis ſol iuſtitiæ, illi in cubilibus ſuis dormiunt, nõ ſunt auſi exire ad lucem. Omnis enim qui malè agit, odit lucem. Qui odit fratrem ſuum, in tenebris ambulat, beſtia eſt, dormit & ipſe cum Iudæis & hæreticis: ſicut Iudæi in cubilibus infidelitatis, & hæretici in cubilibꝰ malæ credulitatis collocant ſe & dormiunt. Ita his de medio atra nox odij oculis eorum incumbit, & nihil præter tenebras videntes in odio dormiunt. Qui autem homo eſt & non fera, exiet ad opus ſuum credens, & benè credens, & ab operatione ſua quam inchoauit, luceſcente ſibi ſole iuſtitiæ, operatur vſque veſperum, id eſt, quàm diu in hac luce perdurat, & hæc non ſuis viribus reputans clamat: Quam magnificata ſunt opera tua domine. Omnia hæc in ſapientia feciſti, ſiue *viſibilia* ſecundum Apoſtolum, ſiue *inuiſibilia*. Repleta eſt enim terra creatura eius. Venimus ad fines terræ, in tremus nunc mare. Hoc mare magnum & ſpacioſum, non te docet pro magno propheta pſalmographus patriarcha, imò S. Spiritus in his qui loquitur, hoc nos habuit docere, quia magnũ eſt mare & ſpatioſum & ibi repentia quorum non eſt numerus. Animantia magna & parua, & quia ibi naues tranſeunt, non hoc docuit quod nullus ignorat, ſed ſcire nos voluit mare magnum & ſpacioſum eſſe, omnem legem noui & veteris teſtamenti: ibi repentia, quorum non eſt numerus: in lege Iudæi, in lege Samara, & in lege hæretici, & in lege catholici, in lege reges, conſules, diuites, pauperes. In lege puſilli & magni, ibi naues tranſeunt, ſolæ eccleſiæ vniuerſarum prouinciarum, quæ *epibatas ducunt ad regna cœlorum, à ciuitatibus terrenis ad ciuitatem Hieruſalem matrem noſtram. Qui autem ſine naue fuerit in hoc mari magno inuentus, inueniet draconem qui formatus eſt ad illudendum eis. Notandum tamen eſt, quia Deo dicitur: illic eſt, inquit, draco quem formaſti, quia Manichæi dicunt principem tenebrarum à ſe habere principium. Ergo vt creatura aſſignetur Deo, Deo dicitur quem tu formaſti: quod autem ſequitur ad illudendum eis, illis vtique qui naues recuſant, & quaſi animales ſine magiſtro catholico, &

Pro Herodio fulicã vertit, Hieronymus vertit Miluum

Philip. 3.

B

Luc. 23.

Hæretici.

C

Coloſſ. 1.

D

*1. aſcenſiones.

Manichæi.

E

ab Apoſtolis ducente traditionem legis ſe fluctibus, & altitudinibus tradunt. Ergo quia extra eccleſiam ſunt, inter animalia puſilla & magna vagantes inueniunt draconem, ita ſibi illudentem, vt putent ſe melius catholicis ſapere, & ad arbitrium ſuum inueniunt perpetuæ mortis interitum, cum deuenerint in profundum. Quid tamen tu domine *patiens & multum miſericors* & Iudæi & hæretici, & ingrati ſimul cum ſeruis tuis. Omnes quam diu in iſto ſunt corpore omnes à te expectant, vt des illis eſcam in tempore iſto. Iſto vitæ præſentis, quia ſi tu non dederis, nullus colligit. Aperis manum tuam ſuper bonos & malos, & imples omne animal benedictione, ſed cum auertis faciem tuam, tunc turbabuntur, cum auferes ſpiritus eorum & defecerint, & in terra ſua reuertentur, de qua aſſumpti ſunt. Cum autem fuerit reſurrectionis tempus, veniet ſpiritus tuus, & reſuſcitabuntur hi in quibus renouaſti faciem terræ, qui in nouitatem vitæ ambulauerunt, qui ambulauerunt in nouitate ſpiritus, & non remanſerunt in vetuſtate literæ, in quibus omnia *vetera tranſierunt, & facta ſunt omnia noua*. In ipſis erit gloria domini in ſecula ſeculorum, cum beatus fuerit in operibus ſuis, quæ nunc operatur cum patre & ſpiritu ſancto, qui reſpicit terram, id eſt, corpora fidelium, & facit ea tremere iudicium futurum. Qui tangit montes & fumigant. Fumus montium nubes facit. Ergo eos qui ſenſum ad gloriam cœleſtem exaltant, ita vt apud homines in terra imminuti eſſe videantur, vt in futuro inueniantur excelſi, hos tanget dominus, & dant fumum oris ſui, proferentes ſermonem; qui nubes ſunt oculorum, & faciunt multos plorare peccata ſua, multos lauare ea eleemoſynis, multos feſtinare ad fontem ſacrum. Sic ergo tactu Dei montes fumigant ad inundationem nubium, quæ pluuiam dantes tam ſordes abluunt, quam frugibus & arboribus naſcendi copiam adminiſtrant. Cantemus ergo ipſi Domino Deo noſtro in vita noſtra, & pſallamus ei quam diu viuimus, ſuauis ſit ei laudatio noſtra catholicis aſſertionibus ſuauificata, nihil morbo Iudæorum, nihil morbo hæreticorum circumferens: vt & nos delectemur in domino cum deficere cœperint hæretici, aut Iudæi à terra & iniqui, ita, vt non ſint: tunc læta anima noſtra benedicens domino in omni tempore, ipſi gratias aget, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

F

2. Cor. 5.

Alleluia. C I V.

CONfitemini domino, & inuocate nomen eius, annunciate inter gentes opera eius. Cantate ei & pſallite ei, narrate omnia mirabilia eius. Laudamini in nomine ſancto eius, lætetur cor quærentium dominum. Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius ſemper. Mementote mirabilium eius quæ fecit prodigia eius & iudicia oris eius. Semen Abraham ſerui eius, filij Iacob electi eius. Ipſe dominus Deus noſter, in vniuerſa terra iudicia eius. Memor fuit in ſeculum teſtamenti ſui, verbi quod mandauit in mille generationes. Quod diſpoſuit ad Abraham, & iuramenti ſui ad Iſaac. Et ſtatuit illud Iacob in præceptum, & Iſrael in teſtamentum æternum. Dicens tibi dabo terram Chanaan funiculum hæreditatis veſtræ. Cum eſſent numero breui, pauciſſimi & incolæ eius. Et pertranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Non reliquit hominem nocere eis & corripuit pro eis reges. Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari. Et vocauit famem ſuper terram, & omne frumentum panis contriuit. Miſit ante eos virum, in ſeruum venundatus eſt Ioſeph. Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertranſiit animam eius, donec veniret verbum eius. Eloquium Domini inflammauit eum, miſit rex & ſoluit eum, princeps populorum & dimiſit eum. Conſtituit eum dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret. Et intrauit Iſrael in Aegyptum, & Iacob accola fuit in terra Cham. Et auxit populum ſuum vehementer, & firmauit eum ſuper inimicos eius. Conuertit cor eorum vt odirent populum eius, & dolum facerent in ſeruos eius. Miſit Moyſen ſeruum ſuum, Aaron quem elegit ipſum. Poſuit in eis verba ſignorum ſuorum &

G

H

prodigiorum

A

prodigiorum in terra Cham. Miſit tenebras & obſcurauit, & non exacerbauit ſermones ſuos. Conuertit aquas eorum in ſanguinem, & occidit piſces eorum. Edidit terra eorum ranas, in penetralibus regnũ ipſorum. Dixit & venit cynomia & cyniſes in omnibus finibus eorũ. Poſuit pluuias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipſorum. Et percuſſit vineas eorum, & ficulneas eorum, & contriuit lignum finium eorum. Dixit & venit locuſta, & brucus cuius non erat numerus. Et comedit omne fœnum in terra eorum, & comedit omnem fructum terræ eorum. Et percuſſit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum. Et eduxit eos cum argẽto & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus. Lætata eſt Aegyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum ſuper eos. Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem vt luceret eis per noctem. Petierunt & venit coturnix, & pane cœli ſaturauit eos. Diſrupit petram & fluxerunt aquæ, abierunt in ſicco flumina. Quoniam memor fuit verbi ſancti ſui, quod habuit ad Abraham puerum ſuum. Et eduxit populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia. Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt. Vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant.

B

COMMENTARIVM.

Alleluia quid.

ALleluia in iſto pſalmo principium ſumpſit, quam qui interpretantur gloria Deo creatori omnium, verum dicunt. Ad omnes enim gentes imperat nunciari gloriam eius, & enarrari omnia mirabilia eius, quomodo ex virgine natus, quomodo exemplo & verbo docuit, quomodo virtutes exercuit, quomodo in cruce pependit, quomodo mortuus, ſepultus, reſurrexit, & ea quæ ante paſſionem docuit, poſt reſurrectionem ſuam iterũ confirmauit, quomodo aſcendit in cœlos, & miſit paraclitum, qui in conſpectu gentium, quaſi ignis diſperſus, vniuerſarũ gentium quæ in præſenti erant linguas in Apoſtolos reſeraret, ita vt quod imperatum fuerat in præſenti pſalmo, ab ipſo ſpiritu ſancto tunc adimpletũ, gentes ipſæ de Apoſtolis dicerent:

Act. 2.

Nonne iſti, inquiunt, *Galilæi ſunt? & quomodo nos vnuſquiſque linguis noſtris audiuimus eos loquentes magnalia Dei?* Tunc ergo gentibus confeſſi ſunt dominum, & inuocauerunt nomen eius, nomen quod Iudæa ſola retinebat, tunc annunciauerunt inter gentes magnalia eius. Tunc iure primo cantatũ

C

eſt in aduentu ſancti ſpiritus alleluia, in quo narrauerunt omnia mirabilia eius, & docuerunt gentes hoc ordine: Nolite laudari in virtute regum veſtrorum, neque in potentia præliorum veſtrorum, ſed deponentes potentias arcuum, & ſcutum & gladium & bellum, pacem aſſumite. Et Chriſtum quem prædicamus vobis, veſtro nomini ſociate, vt vos qui dicimini gentes, dicamini Chriſtiani, & laudemini in nomine ſancto eius. Et lætetur cor veſtrum, qui quæritis Dominum, quærite Chriſtum, & confirmamini. Et quia aſcendit in cœlis, & parat vobis gaudium ſempiternum, quàm diu ad eum pertingatis, quærite faciem eius ſemper, mementote mirabilia eius quæ fecit, quæ ſupra diximus prodigia eius, & iudicia oris eius, quæcunque Apoſtoli, quæcunque quatuor Euangeliſtæ teſtantur, non ex gentibus venientes, ſed ex ſemine Abraham ſerui eius,

D

Chriſtus non eſt Deus recens.

qui ſunt filij Iacob electi eius. Non eſt enim Chriſtus Deus recens, non aduena, non nouicius, ſed ipſe eſt Dominus Deus noſter, qui ſemper fuit: & qui in Hebræorum gente tantùm ceremonias collocauerat, nunc vult, vt in vniuerſa terra ſint iudicia eius. Quid nunc vultis Iudæi? Dicite ſi vultis, arguimus vos noſcentes, & dicimus vobis: falſas habetis ſcripturas. Si verè Deus erat qui cum Abraham loquutus eſt, cur quod promiſit implere non potuit? ſi non potuit, omnipotens non eſt, ſi potuit & noluit, mentitus eſt. Ad hæc Paulus clamat, Hebræus ex Hebræis,

Tit. 1.
Gen. 17.

impoſſibile eſt mentiri Deum. Docete ergo impletum quod iurauit Deus per ſemetipſum dicens: In ſemine tuo hæreditabo omnes gentes, quod diſpoſuit ad Abraham, & iuramenti ſui ad Iſaac, ſtatuit illud Iacob in præceptum & Iſrael in teſtamentum æternum, dicens tibi quidem dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis veſtræ. Et quando hoc factum eſt? Cùm adhuc eſſent ex Cham numero breues, pauciſſimi & incolæ in ea. Tunc pertranſierunt de gente in gentem, de regno Chananęorum ad populum Ægyptiorum, non tamen permiſit hominem nocere eos, & corripuit pro eis reges, ſicut Amalech, & cæteros, & dixit eis: Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetas meos nolite malignari. Vnde Amalech rex dixit ad Abraham, Niſi Deus admonuiſſet me nocte in viſione, habueram peccare in te: ſed corripuit me in viſione & admonuit me, vt rogem te, & ores pro me.

E

Gen. 20.

Egimus hactenus & myſticum & hiſtoricum ſenſum, ſed vna nobis quæſtiuncula videtur in manibus. Quæritur enim, quomodo verbum hoc mandauit in mille generationes, quod diſpoſuit ad Abraham? Has mille generationes gentium edocere, lacinioſa ſatis narratio flagitat. Sed prout potuerimus, iuuante Domino, commaticè tranſeamus. De gente ad gentem, de regno ad populum alterum. Noë tres filios habuit, Sem, Cham, Iapheth. Sem primogenito pars facta eſt à Perſida & Bactris vſque in Indiam longè, & vſque Rhinocoruras, quæ ſpacia terrarum habent linguas ſermone barbarico viginti & ſeptem, in quibus linguis gentes ſunt patriarum quadringentæ ſex, non diuerſarum linguarum, ſed, vt dixi, diuerſarum patriarum: verbigratia, Cùm vna lingua Latina ſit, ſub vna lingua diuerſæ ſunt patriæ, Brutiorum, Lucanorum, Apulorum, Calabrorum, Picentum, Tuſcorum, & his atque huiuſcemodi patrijs ſimilia ſi dicamus.

F

Quales illæ fuerint, nominatim recenſet Author altercationis eccleſiæ & ſynag. ca. 7. loc. Ge. Trinitatis figura.

Cham verò ſecundus filius Noë, à Rinocoruris vſque Gadira, habens linguas ſermone Punico à parte Garamantum, Latino à parte Boreę, barbarico à parte meridiani, Æthiopum, & Ægyptiorum, ac barbaris interioribus vario ſermone, numero viginti duabus linguis, in patrijs trecentis nonaginta & quatuor. Iafet autem habet flumen Tigridem, qui diuidit Mediam & Babyloniam, in patrijs ducentis ſermone vario, in linguis viginti tribus. Fiunt ergo omnes ſimul linguæ *ſeptuaginta duæ, patriæ autem generationum mille, quæ in tripartito ſeculo hoc ordine ſitæ ſunt. Habet, vt diximus, Iafet flumen Tigridem, qui diuidit Mediam & Babyloniam. Sem autem Eufraten. Cham verò Geon, qui vocatur Nilus. In his tripartitis gentibus ex vno homine manantibus, Trinitas per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum hominem perfectum apparuit, & ſolus his mille generationibus per lignum ſuæ paſſionis occurrit, quia memor fuit verbi quod iurauerat in mille generationes,

G

Gen. 17.

dicens Abrahæ, quod in ſemine tuo hæreditabo omnes gentes. Et ſicut filijs Iſrael famem paſſuris ſuccurrit Ioſeph, qui venditus eſt, qui poſtquam venditus eſt, ad regnum aſcendit, & fame perituris aliquantis gentibus & patrijs frumentatione repoſita caute ſuccurrit. Ita venditus à Iuda Chriſtus, in triumpho crucis exaltatus eſt.

Gen. 39.

Ante quidem paſſus ſynagogam falſam teſtem, ſicut Ioſeph dominam meretricem. Poſt hæc exurgens à mortuis accepit regnum, *vt in nomine eius omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*, & fame pereuntibus his mille generationibus, apertis horreis, manuum ſuarum profluentiſſima largitate ſuccurrit, non ſolam eis ſpeciem frumenti, ſed & vini & olei adminiſtrans. A cunctis eas aduerſitatibus liberauit.

Luc. 2.

Vocauit enim famem ſuper terram eorum, prius qui in idolis confidebant, & omne eis firmamentum panis contriuit, quia panem verum qui de cœlis deſcenderet ignorabant. At vbi venit vir perfectus, qui in ſeruum venundatus eſt, poſteaquam ferrum pertranſiuit animam eius, quia eloquium falſæ teſtis

H

inflammauerat iram ſuper eum. At, vbi miſit rex de cœlo, & ſoluit eum, & princeps qui *eſt Deus in Chriſto mundũ concilians ſibi*, dimiſit eum ſoluens ab omni vinculo fragilitatis, continuo ſtatuit eum dominum domus ſuæ.

2. Cor. 5.

Dominum in cœlo & in eccleſia & principem omnis poſſeſſionis ſuæ, omnis ſanctitatis, vt erudiret Apoſtolos ſicut ſeipſum, qui profecerat ætate & ſapientia, & ſenes ſuos hos ipſos patres omnium credentium, prudentiam docerẽt, & in miniſterio abſconditam. Tunc intrauit Iſrael in Ægyptum videns Deum, Apoſtolos inter idololatras, & Iacob accola fuit in terra Chanaan, & auxit populum eius nimis, ita vt millia hominum haberent cor vnum & animam vnam.

Exod. 9.
Pſal. 77.

Et confirmauit cor eius ſuper omnes inimicos eius qui negabant eum. Contemnentes enim eos, Apoſtoli conuerſi ſunt ad gentes. Conuerſum eſt cor gentium, vt odirent populum eius, & occidentes

A martyres dolum facerent in ſeruos eius, quouſque veniret ad eos Moyſes & Aaron, quouſque pertingeret ad ſenſum eorum lex Dei, & ponerent in mente ſua verba ſignorum, & prodigiorum, quæ aut legentes agnouerant, aut referentes audierant. Cœperunt enim timere, ne paterentur non credentes, quod paſſa fuerat Ægyptus cum rege ſuo, tenebras, aquas ſanguineas, ranas, locuſtas, brucos, cyniſes, cynomias, grandinem, ignitumque ventum, qui combuſſit vineas ficulneas, atque omne lignum finium eorũ. Poſt hæc etiam percuſſionem angeli in omnem primogenitum terræ eorum, & primitias omnis laboris eorum. Dantes ergo omnes timorem his virtutibus vincentis Dei, fugerunt Ægyptiorum incredulitatem, & ſecuti Apoſtolorum fidem, educti ſunt in argento & auro, in duobus teſtamentis, argento veteris, & auro noui, in bono & meliore, & non eſt inuentus in his, qui per aquam tranſierunt, vllus infirmus. Nullus enim inuenitur in omnibus mille his generationibus baptizatis, peccatum vel vnus habens in hora baptiſmatis. Alioquin, ſi peccatum habet non

B credidit, & cum Ægyptijs merſus eſt. Nam omnes qui crediderunt, ex hora qua tranſierunt, venientes ad conſignationem, nõ inuenitur in tribubus eorum infirmus, omnes firmi ſunt. Omnes enim confirmati ſunt. Lætata eſt Ægyptus. Ægyptus totus mundus, licet in peccatis agens, tamẽ lætatur die ſancto paſchæ, in profectione eorum, qui fugientes Pharaonem, & ſequentes Moyſen, per aquam tranſierant, vt inueniant vbi audiant vocem domini. Incubuit enim timor ſuper incredulos, & non ſunt auſi ſine ferijs eſſe in ipſo die, qui ſi non lætantur, credentes Deum, feriantur timentes regnum & populum Chriſtianum. Et ideo lætantur, quia incubuit timor eorum ſuper eos. Expandit enim deus nubem, id eſt, Eccleſiam ſuam in protectionem eorum, & ignem fidei, quæ lucet eis in tenebris mundi, vbi petierunt carnem & acceperunt ortigomettã. Caro enim illis data eſt, tunc coturnices volantes vtique & cœleſtia cupientes, & his datur caro quæ aſcendit ſuper Cherubin, & volauit, & pane cœli ſaturati ſunt. Quando diſrupit petram, & fluxerunt aquæ, & in deſerto totius ſe-

Eccleſia ignis fidei.

C culi currunt flumina, quia memor factus eſt verbi ſancti ſui quod dixit ad Abraham puerum ſuum. Ideoque eduxit populum ſuum in exultatione, in alleluia, in albis veſtibus, & electos ſuos in lætitia, & dedit illis regiones gentium, & ciuitates populorum, vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant. Sic enim ait: *Baptizate*, inquit, *omnes gentes in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, docentes eos cuſtodire omnia quæcunque præcepi vobis, & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi, Amen.*

Matt. 28.

Alleluia, Alleluia: C V.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Quis loquetur potentias domini, auditas faciet omnes laudes eius. Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore. Memento noſtri domine in beneplacito populi tui, viſita nos in ſalutari tuo. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, vt lauderis cum hæreditate tua. Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſte egimus, iniquitatem

D *fecimus. Patres noſtri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerunt memores multitudinis miſericordiæ tuæ. Et irritauerunt aſcendentes in mare, mare rubrum. Et ſaluauit eos propter nomen ſuum, vt notam faceret potentiam ſuam. Et increpauit mare rubrũ & exiccatum eſt, & deduxit eos in abyſſis ſicut in deſerto. Et ſaluauit eos de manu odientium, & ab inſidijs hoſtium tutatus eſt, & redemit eos de manu inimici. Et operuit aqua tribulantes eos, vnus ex eis non remanſit. Et crediderunt verbis eius, & laudauerunt laudem eius. Cito fecerunt, obliti ſunt operum eius, & non ſuſtinuerunt conſilium eius. Et concupierunt concupiſcentias in deſerto, & tentauerunt Deum in inaquoſo. Et dedit eis petitionẽ ipſorum, & miſit ſaturitatem in animas eorum. Et irritauerunt Moyſen in caſtris, Aaron ſanctum domini. Aperta eſt terra, & deglutiuit Dathan, & operuit ſuper congregationem Abyron. Et exarſit ignis in ſynagoga eorum, flamma combuſſit peccatores. Et fecerunt vitulum in Oreb, & adorauerunt ſculptile. Et mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli, comedentis fœnum. Obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham,*

E *terribilia in mari rubro. Et dixit vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius. Vt auerteret iram eius, ne diſperderet eos, & pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem. Non crediderunt verbo eius, & murmurauerunt in tabernaculis ſuis, non exaudierunt vocem domini. Et eleuauit manum ſuam ſuper eos, vt proſterneret eos in deſerto. Et vt deijceret ſemen eorum in nationibus, & diſperderet eos in regionibus. Et initiati ſunt Beelphegor, & comederunt ſacrificia mortuorum. Et irritauerunt eum in adinuentionibus ſuis, & multiplicata eſt in eis ruina. Et ſtetit Phinees & placauit, & ceſſauit quaſſatio. Et reputatum eſt ei ad iuſtitiam, in generatione & generationem, vſque in ſempiternum. Et irritauerunt eum ad aquam contradictionis, & vexatus eſt Moyſes propter eos, quia exacerbauerunt ſpiritum eius. Et diſtinxit in labijs ſuis, non diſperdiderunt gentes quas dixit dominus Deus illis. Et commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum, & factum eſt illis in ſcandalum. Et immolauerunt filios ſuos & filias ſuas dæmonijs. Et effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan. Et infecta eſt terra in ſanguinibus, & contaminata eſt in operibus eorum, & fornicati*

F *ſunt in adinuentionibus ſuis. Et iratus eſt furore dominus in populum ſuum, & abominatus eſt hæreditatem ſuam. Et tradidit eos in manus gentium, & dominati ſunt eorum qui oderunt eos. Et tribulauerunt eos inimici eorum, & humiliati ſunt ſub manibus eorum, ſæpe liberauit eos. Ipſi autem exacerbauerunt eum in conſilio ſuo, & humiliati ſunt in iniquitatibus ſuis. Et vidit cum tribularentur, & audiuit orationem eorum. Et memor fuit teſtamenti ſui, & pœnituit eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ. Et dedit eos in miſericordias in conſpectu omnium qui ceperant eos. Saluos fac nos domine Deus noſter, & congrega nos de nationibus. Vt confiteamur nomini ſancto tuo, & gloriemur in laude tua. Benedictus dominus Deus Iſrael à ſeculo & vſque in ſeculum, & dicet omnis populus fiat: fiat.*

COMMENTARIVM.

Alleluia primum egit vt baptizentur credentes. Alleluia ſecundum agit vt reconcilientur pœnitentes.

Alleluia. 1. & 2.

G Ibi ſuſcepit plebem ſuam in exultatione, & electos ſuos in lætitia. Hic pœnitentes exaudit, & dat eos in miſericordiam in conſpectu omnium, qui eos ceperant. Beati ſunt ergo, qui cuſtodiunt iuſtitiam. Non enim ad hoc veniunt: vt à ſuis hoſtibus capiantur. Hi autem qui capti ſunt clamant ad miſericordem dicentes. Peccauimus cum patribus noſtris: Iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus. Nec illud cum aliqua contronerſia reſpicias volo, quod dixi, omnes qui non cuſtodiunt iuſtitiam, capiuntur ab hoſtibus ſuis. Illos enim magis hoſtes reſpice, qui cum eſſe pro certo noſcantur, pro certo videri non poſſunt. Et cum illos aſpectu mentis adtenderis, illum plus videbis à ſuis hoſtibus poſſideri, qui poſt peccatum exultat, nullo flagello percuſſus. Verum quia verus Chriſtianus ille eſt, qui pro ſuis quotidiè peccatis exorat, ſuſcipiat regulam pœnitentiæ, excluſo Noua ita non centeſimum quintum pſalmum centeſimoquarto ſubiungat, non recuſet flentem in quinto, quem in quarto lætantem accepit. Et ſicut ille cantauit alleluia, & iſte alleluia decantet. Ibi diues factus in argento & auro egreditur gaudens, hic mendicus effectus reuertitur plorans. Et ibi alleluia cantatum eſt, & hic alleluia cantatur. Ibi *confitemini* dictum eſt, *& inuocate nomen eius*, hic confitemini dicitur quoniam bonus. Dicite peccata veſtra, vnde exacerbaſtis dominum. Dictauit enim ſuper vos ſententiam, vt deijciat vos in nationibus, & diſpergat vos in regionibus. Confitemini bono, confitemini volenti parcere. At illi: Peccauimus, inquiunt, cum patribus noſtris. Peccauimus cum patribus, non de tempore poſuit. Cum patribus enim tunc peccauerunt quando irritauerunt aſcendentes in rubrum mare, quando operuit aqua tribulantes eos. Poſteaquam crediderunt verbo Dei, & cantauerunt laudem eius ſtatim obliti ſunt operũ eius. Et concupierunt concupiſcentiam in deſerto, ollas Ægypti, & irritauerunt in ſiccitate, & data eſt eis petitio eorum, & data eſt ſaturitas in animam eorum. Saturitatem ſecuta eſt luxuria, & irritatus eſt dominus à ſuperbis Dathan, Chore, & Abyron. Et ſiue pro igne

Legendũ arbitror excluſo Nouato, nam is nõ recipiebat pœnitẽtes.

H

Exod. 16.

A

alieno, ſine pro ſuperbia contra Moyſen vſa, aperta eſt terra, & deglutiuit eos viuentes. Populus autem liberatus, immemor liberatoris ſui, memoratur ſuperſtitiones Ægipti. Quibus memor aurum ſuum in vituli ſimilitudinem fundit, adorat opera manuum ſuarum. Oblitus eſt eum qui liberauit eum, pro quo facto dum vellet dominus diſperdere eos, ſtetit Moyſes dicens: *Domine dele me de libro tuo, ſi iſtis non parcis.* Putaſne tu ô Moyſes plus miſericors es, quam ille qui blaſphematus manna pluit, qui contemptus de terra producit aquas. Non tu plus miſericors, ſed voluit dominus affectum tuum ducibus populi recitari, vt ſic agant circa peccantes, ſicut te feciſſe cognoſcunt, non citò damnent, ſed volentē dominum condemnare, ſuis precibus flectant. Audi quid cantas: Dixit, inquit, vt deſperderet eos, ſi non Moyſes ſtetiſſet in confractione & ſeditione qua moueri cœperat, & agi populus: Stetit, inquit, in conſpectu eius, vt auerteret iram eius, ne diſperderet eos. Iam ſi placet, quia longus eſt pſalmus tranſeamus ad cauſam noſtram ab hiſtoria Iudæorum. Omnia enim nobis iſta poſt baptiſmatis conſecrationem eueniunt. Ingredimur enim per baptiſmum terram fluentem lac, & mel.

Num. 16.
Exod 32.
Deut. 8.

B

Et poſt hæc pro nihilo habemus terram deſiderabilem, quando polluimus terram corporis noſtri. Non enim verè credimus verbis Dei, perpetuum incendium comminantibus propinquis temporalibus factis. Et quia Deo nō credimus, murmuramus in tabernaculis mentium noſtrarum, quia non exaudiuimus vocem Domini. Qua fronte dicimus Deo: Exaudi vocem noſtram, qui non exaudimus vocem Domini. Inſuper etiam conſecramur Bilſegor, ventri & libidini ſeruientes, aut illos colimus, qui colunt ventres noſtros, aut illos quorum perſona à mundo ſuſpicitur. Quos cùm ſciamus, aut turpes in factis, aut iniuſtos in iudicio, tamen quia potentum amicitijs copulantur, aut ipſi potentes ſunt, hos in ſacerdotio conſecramus, hos dignos clamamus & iuſtos, per quos manducamus mortuorum ſacrificia. Ij enim qui offerunt ſiue pecunias, ſiue munera eccleſijs, & mortui ſunt in peccatis ſuis, propterea vtique offerunt, vt noſtris precibus reuiuiſcant: nos verò peiora ſcelera committentes, illa quæ offerunt ſacrificia mortui comedimus, illi autem in ſua morte perdurant, quia noſtro non reuocabuntur exemplo: ſic fit vt irritemus Dominum in his ſtudijs noſtris, & multiplicatur ſuper nos ruina.

Sic legendū cenſeo, comminanti pro iniquis temporalibus factis.

Preces pro defunctis.

C

Pereunt vrbes, pereunt prouinciæ, quia pereunt diſciplinæ. Supereſt vt ſtet Finees, & exoret pro nobis, id eſt, ſtet populus martyrum, qui non timuerunt ſicut Finees ſanguinem fundere. Vt his orantibus ceſſet à nobis quaſſatio, vt hoc quod euadimus, quia noſtra iuſtitia nulla eſt, illorum reputetur iuſtitiæ, à generatione & generatione in æternum. Nunc videndum eſt, qualiter & nos ſicut illi irritamus Dominum ad aquam cōtradictionis, ita vt vexetur Moyſes propter nos, qui exacerbamus ſpiritum eius. Ita vt dixi, liquet Pſalmus hic in hiſtoria, vt penitus & expoſitor neceſſarius non ſit. Sed quia à litera ingreſſi ſumus infra literam, videamus quomodo irritetur Dominus ad aquam contradictionis. Poſt baptiſma vnum, aqua nobis contradictionis exoritur, contradicitur nobis aqua baptiſmatis: *vnus* enim *Deus, vna fides, vnum baptiſma.* Ibi vexamus Moyſen. Moxſes lex Dei eſt, vexamus legem eius, contemnentes præcepta eius. Inſuper etiam exacerbamus ſpiritum eius ſanctum, in quo ſignati ſumus in die redemptionis. Hoc autem facimus, quando nō diſperdimus gentes quas dixit Dominus, quando nutrimus vitia, amantes ea quæ odit Dominus commiſcemur inter gentes, ſimilia aut peiora facientes, quàm gentes quæ ignorant Deum. Seruimus ſculptilibus eorum, Deum habentes ventrem & gloriam in ſtercore. Hinc naſcitur nobis ſcandalum, id eſt, libido. Tunc immolamus filios noſtros, & filias noſtras dæmonijs, id eſt, ſenſus noſtros, qui ex nobis quaſi filij naſcuntur. Et cogitationes noſtras dæmonijs tradimus. Effundimus ſanguinem innocentem, id eſt, ſanguinem animarum ſimplicium, quæ noſtro exemplo delinquunt. Sanguinem vtique eorum ſacrificamus ſculptilibus Cham. Cham irriſor patris eſt. Ij ergo qui irrident legem Dei noſtri, his eos ſacrificamus, qui noſtro exemplo delinquunt. Iacent enim ante ora eorum, de ipſis loquuntur, de ipſis riſus, de ipſis iocus, de ipſis opprobria vniuerſa reperiunt.

D

Vn⁹ Deus, vna fides, vnum baptiſma. *Epheſ. 4.*

E

Ille monachus hoc egit, ille clericus hoc: illa ſanctimonialis hoc, ſic interficitur terra ſanguinibus, id eſt, terrenæ mentes interficiuntur hoc ordine, ſi ille qui ſanctus vocatur & nonnus ſic ait, Ego quis aut quotus ſum vt non agam, ſic interficitur vitio noſtro terra ſanguinibus, & contaminatur in operibus noſtris. Quia fornicamur in obſeruationibus noſtris, id eſt, in propoſito ſancto poſiti, aut corde, aut opere fornicamur. Ideo iraſcitur Dominus ſuper populum ſuum, & abominatus eſt hæreditatem ſuam. Ideo tradidit nos in manu inimicorum, & dominantur noſtri qui oderunt nos. Et tribulant nos inimici noſtri, & humiliant nos ſub pedibus ſuis, ſæpè diximus: Parce Domine, & ſæpè liberauit nos. Nos autem iterum liberati exarſimus in cogitationibus noſtris. Nihil nobis supereſt, niſi vt de iſto corpore exeamus. Si contempſimus quæ paſſi ſumus, quæ paſſuri ſumus contemnimus. Ibi enim paſſio finem non habet, iam ex integro pœniteamus.

Nonnus hoc verbo Ægyptio niſallor vſus eſt Hieronymus.

F

Quia ſicut contemnentes Deum, Deum nobis fecimus contemnentem: ita dum pœnitemur ex animo, Deum nobis fecimus pœnitentē. Nos pœnitemur, quia contempſimus: ille pœnitetur ſe dictaſſe ſententiam. Tu facta renouas, ille ſententiam: tu pœniteris, & ille pœnitetur ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ, & tollens à nobis iram, dat nobis miſericordiam, in conſpectu omnium qui ceperunt nos. Clamemus ergo ad Saluatorē ex animo dicentes: *Saluos fac nos Domine Deus noſter, & congrega nos de nationibus,* vt vltra non ſeruiamus peccato: Nec mores noſtri ſimiles ſint gentibus, quia etiam ſi in gentibus diſpergamur, ſicut Daniel & tres pueri, non ſumus inter gentes, ſi eis moribus non miſcemur: Quinimò gloriamur in laude eius, cùm videntes homines opera noſtra, laudabunt & benedicent Deum Iſrael, & dicet omnis populus, fiat, fiat: id eſt, fiat fiat, ſēper tale opus eſt in quo benedicatur Deus, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Pœniteor.
Pſal. 105.
Dan. 4.

Alleluia, alleluia. C V I.

CONfitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Dicant nunc qui redempti ſunt à Domino, quos redemiſti de manu inimici, & de regionibus aggregauit eos. A ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari. Errauerunt in ſolitudine in inaquoſo, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Eſurientes & ſitientes, anima eorum in ipſis defecit. Et clamauerunt ad Dominū cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eripuit eos. Et deduxit eos in viam rectam, vt irent in ciuitatem habitationis. Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. Quia ſatiauit animam inanem, & animam eſurientem ſatiauit bonis. Sedentes in tenebris & in vmbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro. Quia exacerbauerunt eloquia Dei, & conſilium Altiſſimi irritauerunt. Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum, & infirmati ſunt, nec fuit qui adiuuaret. Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Et eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum diſrupit. Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. Quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Suſcepit eos de via iniquitatis eorum, propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt. Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquauerunt vſque ad portas mortis. Et clamauerunt ad Dominum cū tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos. Miſit verbum ſuum & ſanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. Et ſacrificent ſacrificium laudis, & annuntient opera eius in exultatione. Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Dixit & ſtetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus eius. Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos, anima eorum in malis tabeſcebat. Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt. Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eduxit eos. Et ſtatuit procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus eius. Et lætati ſunt quia ſiluerunt, & deduxit eos in portum voluntatis eorum. Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. Et exaltent eum in eccleſia plebis, & in cathedra ſeniorum laudent eum. Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim.

G

H

A

Terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea. Poſuit deſertum in ſtagna aquarum, & terram ſine aqua in exitus aquarum. Et collocauit illic eſurientes, & conſtituerunt ciuitatem habitationis. Et ſeminauerunt agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructum natiuitatis. Et benedixit eis, & multiplicati ſunt nimis, & iumenta eorum non minorauit. Et pauci facti ſunt, & vexati ſunt à tribulatione malorum & dolore. Effuſa eſt contentio ſuper principes, & errare fecit eos in inuio, & non in via. Et adiuuit pauperem de inopia, & poſuit ſicut oues familias. Videbunt recti & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os ſuum. Quis ſapiens & cuſtodiet hæc, & intelliget miſericordias Domini?

COMMENTARIVM.

Alleluia 3. TErtium alleluia canitur in Pſalmo centeſimo ſexto, in quo vſus noſter quotidianus retexitur. Audi Nouatiane, audi de quibus loquitur, vult enim in iſto Pſal-

B

mo agere contra te ſpecialiter Spiritus ſanctus. Tu enim dicis, qui adhuc non ſunt redempti, ipſi poſſunt ad indulgentiam per pœnitentiam peruenire. Nos dicimus, illi per fidem ſolam ad indulgentiam attingunt. Iſti autẽ qui iam redempti ſunt, non per fidem ſolam, quia iam crediderunt, ſed per pœnitentiam perueniunt ad miſericordiã redemptoris. Deniq; audi quid dicat: Dicant, inquit, ij qui redempti ſunt à Domino, quos redemit de manibus ini-

Baptiſma micorum, vtiq; per baptiſmum de regionibus, congregauit eos, vtiq; ad fidem, à ſolis ortu & occaſu, ab aquilone & mari. Ij errauerunt, id eſt, à recti tenore receſſerunt, paſſi ſiccitatem in via, id eſt, in Chriſto ambulãtes, quia ipſe eſt via. Paſſi ſiccitatem ſermonis, dum nullus docet, nullus cohortatur, aut nullus eſt cuius exemplo perfunderentur. Paſſi ſiccitatem errauerunt, & ciuitatem habitationis nõ inuenerunt, non inuenerũt cuius exemplo ſpiritaliter viuerent, ſed deſertum huius mundi paſſi eſurientes & ſitientes anima eorũ in ipſis defecit. Quia cibum verbi Dei & boni exempli non habuit, & clamauerunt ad Dominũ cum tribularentur, id eſt, dum pœniterentur, & de neceſ-

C

ſitatib. eorum liberauit eos. Reduxit eos in viam rectam, per pœnitentiam ſunt reuocati ad Chriſtum, vt per ipſum perueniant ad ciuitatem habitationis, & poſſint refici ſermonibus ſanctis. Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. Quia ſatiauit animã quæ ſame peribat, & animam eſurientem. Quid eſurientem? Bona vtiq; quæ non habebat eſurientem. Ergo bona ſatiauit bonis pœnitentem, & ſedentem non in ſchematibus mundi, non in publico glorіantem, ſed ſedẽtem in tenebris, & in vinculis in mendicitate & in ferro. Quare hoc, inquiunt mundi homines, quid ſibi volunt iſti religioſi plorare, ſedere in vinculis, ſedere in tenebris? Vbi eſt ſcriptum? Ecce hic ſcriptum eſt, quia illam animam reſpicit Deus, quæ ſedet in tenebris & in vinculis, pro eo quod exacerbauerit Dominum, & cõſilium Altiſſimi ſpreuerit. Qui humiliant in labore & ieiunijs cor ſuum. Quia ergo cor contritum ac humiliatum Deus non deſpiciet, audi quid ſequitur: Clamauerunt, inquit, non cùm epularentur, ſed cum tribularentur. Ipſi enim ſibi imponunt tri-

D

bulationis iugum: ne fortè dum præterita facta ad indul-

Lætitia facile ruit. gentiam peruenire poſtulant, incurrant præſentia. Lætus enim animus facile lapſum incurrit, quod triſti & afflicto difficile euenit. Humilietur ergo in labore, ieiunio cor noſtrum, ne eum lætificent vino, & oſtendentes infirmitatem noſtrã medico cœleſti, clamemus ad eum. Ipſe enim educet nos de tenebris & de vmbra mortis. Et vincula noſtra diſrumpet, ita vt confiteamur ei, quia contriuerit nobis portas æreas. Portæ æreæ ſunt conſuetudines vitioſæ, quæ ſic claudunt nos, vt propemodum etiam arbitrium noſtræ libertatis includant. Namq; qui conſueuimus verbi cauſa iurare, iurare iam nolumus, ſed quaſi porta clauſa huius conſuetudinis, volentem egredi non ſinit. Sic enim fit, vt etiam non volens ex ore meo proferam iuramentũ. Sic & de vniuerſis vitijs dictum puta. Quia in ipſis vitijs,

Tribulãtibus Græce, pro eo qui tribulatur. velut in portis æreis impingimus, fugientes & volentes egredi non valemus. At vbi tribulantes clamauerimus ad Chriſtum, confringet portas æreas, & vectes ferreos cõminuit. Vectes enim ferrei immundi ſpiritus ſunt, qui

E

portas nobis impiæ conſuetudinis claudunt. Hic ſi ſe ſubduxerit Dominus, libertas ipſa noſtri arbitrij euaneſcit. Sed non ſe ſubducit Dominus, niſi in ſpiritu tribulãti cum lachrymis exoretur. Mittet enim verbum ſuum ſicut miſit ante Filium ſuum. Mittit eum & ſanat nos, & ſicut redemit nos de manu inimici, ita nunc eripit nos de interitu noſtro. Confiteantur ergo Domino pluraliter miſericordiæ eius, & mirabilia eius filij hominum, vt ſacrificent ſacrificium laudis. Ideo annuncient opera eius in exultatione, & non in tribulatione: Ij, inquit, qui deſcẽdunt mare in nauibus. Mare deſcendunt in nauibus, qui in conuerſatione ſancta in iſto mundo degunt. Ipſi enim faciunt operationem in aquis multis, id eſt, & verbo & exemplo ſuo, eorum qui eos aut audiunt, aut imitantur operationem, in aquis multis facere reſcruntur. Ipſi vi-

F

dent opera Domini quotidie, ad hoc vacant vt videant opera Domini, quæ iſte mundus ſic dum fruitur non videt. Ij autem non ſolum opera Domini vident, ſed mirabilia eius in profundo conſiderant. Verum quia nullus iuſtus ſine tentatione tranſijt, audi quid de eis dicatur: Aſcendunt, inquit, vſque ad cœlos. Quid eſt aſcendunt? Diſce in Petro, vt quod in ipſo inueneris, in omnib. cernas. Aſcendit Petrus vſque ad cœlos, dicens Domino: *Etiam ſi oportuerit me tecum mori, non te negabo.* Deſcendit Matt. 16.

vſque ad abyſſos, cum negat. Poſt hæc ita turbatus eſt & motus, ſicut ebrius. Et omnia ſapientia eius ita deglutita eſt, vt niſi clamaſſet ad Dominum cum tribularetur, & ploraſſet amariſſimè, non de his neceſſitatibus euaſiſſet: fleuit ergo & ſtatuit ei procellam in auram. Audi dicentem Dominum: *Petre,* ait, *petiit ſathanas, vt ventilet vos ſicut* Luc. 22.

triticum in area: Ego autem intercesſi pro te, quaſi qui dicat, ſtatui tibi procellam in auram, & feci vt ſilerent à te fluctus eius. Lætatus eſt Petrus, quia ſiluerunt, & deduxit eum in portum voluntatis ſuæ, in Eccleſia ſine dubio. Vbi exaltent eum in Eccleſia populi? Et in cathedra ſeniorũ laudant eum, quia poſuit flumina in deſerto, id eſt, in deſer-

Petrus Romam peruenit. to huius ſeculi perambulans, quouſq; perueniret ad Romam, prædicauit baptiſmum Ieſu Chriſti, in quo vniuerſa flumina benedicuntur vſque hodie, à Petro. Ipſe poſuit

G

exitus aquarum in ſitim, ita vt qui exierit foras ab eccleſia Petri, ſiti pereat. Poſuit terram fructiferam in ſalſuginem. Sicut ſalſugo terram à fructu reuocat, ita litera mũdi à fructu ſpiritali reuocat mentes. Sed per Petrum in ſalſugine literarum poſitam Romam, fecit eam fructum aſferre. Vnde autem ipſa terra ſalſuginem haberet expreſſit: A malitia, inquit, hominum inhabitantium in ea. Et adiecit. Poſuit, inquit, deſertum ab aquis, quæ peccata lauãt. Poſuit in ſtagno aquarum, abundant aquæ baptiſmatis, Martyrum pœnitentiæ eleemoſynarum abundant in deſerto iſto, quod ante Petri aduentum ſiccum fuit & aridum, hoc nunc excultum eſt, cum conſtitueretur in eo ciuitas Eccleſiæ, in qua quotidie ſeminantur agri, & plantantur vineæ, vt fiat fructus natiuitatis, quos benedixit Deus, & fecit vt multiplicentur. Sed poſt hæc perſequutio facta eſt, & pauci facti ſunt. *Multi enim vocati, pauci vero electi.* Pauci vero ad martyrij palmam attingere meruerũt. Matt. 20.

H

Quando effuſa eſt contentio ſuper principes mundi. Tũc ſeduxerunt eos in inuio, & non in via, id eſt, in idolis & non in Chriſto, qui via eſt. Sed adiuuauit Dominus pauperem de mendicitate, & reſpexit, quia tentationes ferre populus credens ei omnino non poterat. Adiuuauit eum de mendicitate vitium, & poſuit ſicut oues familias in vniuerſam faciem terræ, ſtatuens eis paſtores & paſcuas, quæ videntes recti lætabuntur. Non recti vero murmurabunt, ſed iniquitas omnis aduerſus eccleſiam Dei, & aduerſus oues & paſtores iam obſtruxit os ſuum. Qui ſapiens eſt intelligit hæc, & eum intellexerit, nihil aliud intelligit, niſi miſericordiam Domini, qui regnat in ſecula ſeculorum.

AMEN

A

Canticum Pſalmi ipſi Dauid. CVII.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, & cantabo & pſallam in gloria mea. Exurge pſalterium & cythara, exurgam diluculo. Confitebor tibi in populis Domine, & pſallam tibi in nationibus. Quia magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua, & vſque ad nubes veritas tua. Exaltare ſuper cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua. liberentur dilecti tui. Saluum fac dextera tua, & exaudi me, Deus loquutus eſt in ſancto ſuo. Exultabo & diuidam Sichimam, & conuallem tabernaculorum dimetiar. Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes, & Effraim ſuſceptio capitis mei. Iuda Rex meus, Moab lebes ſpei mea. In Idumaeam extendam calciamentum meum, mihi alienigenæ amici facti ſunt. Quis deducet me in ciuitatem munitam, quis deducet me vſque in Idumaeam. Nonne tu Deus qui repuliſti nos, & non exibis Deus in virtutibus noſtris? Da nobis auxilium de tribulatione. quia vana ſalus hominis. In Deo faciemus virtutem, & ipſe ad nihilum deducet inimicos noſtros.

B

COMMENTARIVM.

PSalmus centeſimus ſeptimus ex duorum pſalmorum finibus probatur eſſe conſtructus, ex parte quinquageſimi ſexti & quinquageſimi noni. Quam conſiderationem, ſi diligenter ſenſus ſpiritalis attendat, videt ſatis neceſſarium Deo cor ſuum, & omnes occaſiones mundi ab eo ſeparans, paratum Deo alludet in Pſalmo & in verbo congeminat. Quid eſt enim dicere Deo: Paratum cor meum, niſi hoc, vt dicat ei, Veni Domine paratum cor meum, & in rem tibi præparatam ingredere, vt cantem & pſallam in gloria mea. Quam autem ſuam gloriam memoraret adiunxit: Exurge, ait, gloria mea in pſalterio & in cythara, vt in ipſam gloriam exurgam diluculo, mox vt mihi auxilium tuum fulgeſcens, tenebras à me meorũ excluſerit peccatorum, tunc & in populis confitebor, & dicam: Quia non ſum dignus vocari ſeruus tuus pro peccatis meis, non me iactabo in ſuperbia, etiam cum me per indulgentiam tuam mundatum agnouero. Sicut ille qui vas electionis factus clamabat dicens: *Non ſum dignus vocari Apoſtolus.* Et hæc confeſſus in populis Domino, cœpit Pſalmum dicere inter gentes. Quem Pſalmum Paulus cecinit inter gentes? Hunc ſine dubio. Quia magnificata eſt vſque ad cœlos miſericordia eius. Qui *venit in hunc mũdum peccatores ſaluos facere, quorum primus*, ait, *ego ſum*. Et hæc veritas eius, vſque ad nubes peruenit, id eſt, vſque ad Apoſtolos peruenit veritas, qui eſt Chriſtus. Iam Prophetæ ſilent, ſoli Apoſtoli loquuntur, & Apoſtolorum diſcipuli. Quid loquuntur? Quia exaltatus eſt ſuper cœlos Deus Dei filius, & ſedens ad dexteram Patris, ſuper omnem terram eius gloria prædicatur, vt liberentur in toto orbe terrarum, qui ſunt dilecti eius, in quibus clamat Eccleſia: Saluum me fac dextera tua, & exaudi me. Niſi enim dextera eius traxerit ab inferis animam noſtram, id eſt, ab inferis cogitationibus: non ſoluimur à deſcendentibus in lacum, id eſt, non eripimur, ſed à fornicationis laqueo innodamur. Sed ſicut non eripimur, niſi per dexteram eius, ſic non eripit nos dextera eius, niſi dicamus credentes: Saluũ me fac dextera tua & exaudi me. Ad hæc Deus, inquit, loquutus eſt in ſancto ſuo, id eſt, in Domino Ieſu Chriſto loquutus eſt Deus. Exultabo, & diuidam Sichimam. Ciuitas eſt, quam Hebræi humiliauerunt in gladio, quia ſoror eorũ ibi corrupta fuerat. Nunc vero quia mens eorum corrupta eſt, in gentes miſit Deus Filium ſuum, qui hanc vrbem gentium tollat de poteſtate Hebræorum. Et diuidam eam Apoſtolis, & conualles tabernaculorum eius metiar in tres partes, ita vt ipſas tres partes in vno regno coniungam, & ſit trinitas Dei in trinitate populi Hebræorum, Græcorum & Latinorum. Ex his tribus catur in cunctis partibus mundi vt noſtri ſint omnes per fidem, qui ſine fide noſtri eſſe non poſſunt. Sint noſtri Galaad & Manaſſe in gentibus, & Effrem fortitudo capitis noſtri in benedictionibus. Sit Iuda rex meus in Chriſto, ſit Moab olla ſpei meæ. Moab filia Loth, ex quo Moabitæ ſunt gentes, quæ Angelis ducibus euaſit pluuias igneas de cœlo venientes, pro qua rogat, vt non ardeat in Sodomitijs flammis, ſed in ſpiritu ferueat ſancto, & cum filijs ſuis, id eſt, gentibus quæ ignorant Deum, ſit olla ſpei meæ: In Idumæam, inquit, id eſt, in habitationem gentium. Ibi extendam calciamentum meum, non inde fugiant diſcipuli mei, excutiẽtes puluerem de pedibus ſuis, ſed ibi eant extendentes calciamentum ſuum, vt dicatur de eis: *Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?* Hæc autem & nobis euenient, vt euadamus calores Sodomiticos, & flammis ſancti Spiritus accendamur, ſi Allophylos conemur euincere, & eos quotienſcunque contra nos arma corripiunt, id eſt, immundos ſpiritus ſubiugare nitamur, vt meritò dicamus, Mihi Allophyli ſubditi ſunt: Quibus ſubditis, quis deducet nos in ciuitatem munitam, niſi filius Dei? Aut quis deducet nos in Idumæam, niſi Dominus Ieſus Chriſtus? Ipſe enim dat nobis auxilium. Vnde nobis dat auxilium? de exultatione an de tribulatione? De tribulatione, inquit, quaſi qui dicat, non meretur auxilium conſequi, qui ſe tribulãtem non exhibet Chriſto, & crediderit, quia vana ſalus eſt in homine. In Deo enim facimus virtutem. Quam virtutem? Vt vitia per conſuetudinem ſubiugentur, & virtutes animi ſublimentur. His incumbentes ſtudijs, in DEO faciamus virtutem, & ipſe ad nihilum rediget tribulantes nos, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

C

1 Cor. 15.

1. Tim. 1.

Silent Prophetæ, loquuntur Apoſtoli.

D

Sichima.

Trinitas Dei in trinitate populi.

E

Rom. 10.

F

In Deo virtus.

In finem Pſalmus Dauid. CVIII.

Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & os doloſi ſuper me apertum eſt. Locuti ſunt aduerſum me lingua doloſa, & ſermonibus odij circundederunt me, & expugnauerunt me gratis. Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam. Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Conſtitue ſuper eum peccatorem & diabolus ſtet à dextris eius. Cum iudicatur exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum. Fiant dies eius pauci, & epiſcopatum eius accipiat alter. Fiant filij eius orphani & vxor eius vidua. Nutantes transferantur filij eius & mendicent, eijciantur de habitationibus ſuis. Scrutetur fænerator omnem ſubſtantiam eius, & diripiant alieni labores eius. Non ſit illi adiutor, nec ſit qui miſereatur pupillis eius. Fiant nati eius in interitum, in generatione vna deleatur nomen eius. In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conſpectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur. Fiant contra Dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria eorum, pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam. Et perſequutus eſt hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare. Et dilexit maledictionem & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Et induit maledictionem ſicut veſtimentum, & intrauit ſicut aqua in interiora eius & ſicut oleum in oſſibus eius. Fiat ei ſicut veſtimentum quo operitur, & ſicut zona qua ſemper præcingitur. Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala aduerſus animam meam. Et tu Domine fac mecum propter nomen tuum, quia ſuauis eſt miſericordia tua. Libera me quia egenus & pauper ſum ego, & cor meum conturbatum eſt intra me. Sicut vmbra cum declinat ablatus ſum, & excuſſus ſum ſicut locuſtæ. Genua mea infirmata ſunt à ieiunio, & caro mea immutata eſt propter oleum. Et ego factus ſum opprobrium illis, viderunt me, & mouerunt capita ſua. Adiuua me Domine Deus meus, ſaluum me fac propter miſericordiam tuam. Et ſcient quia manus tua hæc, & tu Domine feciſti eam. Maledicent illi & tu benedices, qui inſurgunt in me confundantur, ſeruus autem tuus lætabitur. Induantur qui detrahunt mihi pudore, & operiantur ſicut diploide confuſione ſua. Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum. Qui aſtitit à dextris pauperis, vt ſaluam faceret à perſequentibus animam meam.

G

H

COMMENTARIVM.

VEnimus ad Pſalmum centeſimum octauum, quem Apoſtolus Petrus interpretatur in Iudam Iſchariotẽ. Huius nos pediſſequi viam, quam ipſe aperuit, ambulemus: homo perfectus interiorem ſuum alloquitur, dicẽs: Deus laudem meam ne tacueris, quaſi qui dicat, homines vituperationes in me excitant falſas. Tu Deus meus laudẽ meam non taceas. Redi ad conſcientiam tuam ô homo Dei, qui Chriſtum ſequeris. Et cum os peccatoris & doloſi

A Cõuitiatur cum malus laudat Deũ.

ſuper te apertum fuerit, gratulare, ſecurus eſto. Quia os peccatoris ad vitupetationem tuam aperitur in terra, & ad laudem tuam os Dei aperitur in cœlo. Loquantur aduerſum te, ſicut Phariſæi contra Dominum lingua doloſa, & ſermonib. odij circumeant te, & expugnent te gratis. Nota tibi gratis non vitio tuo ſit, non culpa tua ſit, ſed eorum mendacium veritati tuæ ſeruiat. Seruit enim mendacium veritati, ſi famam non timeas hominum. Nihil enim agit falſus teſtis, niſi vt ipſam commaculet. Si times hoc, ſeruus effectus es: ſi non times, liber es. Time ergo ſolum Deum, & de bona conſcientia præſumens, ſentiat ſe propoſiti tui famã eſſe ancillam, & eam compelle ſeruire magis quam impetare virtuti. Nam ſi eam timueris, eris omnium qui obtrectare poterunt ſeruus. Et timebis verum dicere, ne de te falſa confingant. Dicas forſitan: Et quid faciã ſi vulnerauerint opinionem meam? Hoc fac quod iſte fecit, cuius carmen exponis: Pro eo, inquit, vt me diligerẽt detrahebant mihi, ego autẽ orabam. Oſtendit tibi quid facias. Nunc ad maledictiones accedentes, caueamus exitum rerum, ne ad homines iſta dirigamus, & putemus nobis hãc regulam datam, quò maledicamus eos qui nos iniquo odio perſequuntur. Hoc Euangelicus magiſter omnino ꝓhibuit, vnde ad principem malitiæ currendum eſt animo.

B

Et quotieſcunq; maledictiones cantaueris, ipſi eas quem maledixit Dominus decantabis. Ipſe enim ponit aduerſum nos mala pro nobis, ſiue dum bona operamur, quia mala nobis per ſuum excitat zelum. Siue dum idola oſtẽdit, mala pro bonis oſtendit. Siue dum cõcupiſcentias carnis exagitant, cum ſint mala omnia opera cõcupiſcentiæ, ille ipſa mala pro bonis oſtentat, & odium pro dilectione immittit, ita vt videatur nobis amare ac diligere, cum ad peccatum tribuit facultatem. Conſtitue aduerſum eum peccatorem. Quomodo ſtare poteſt hoc, diligenter auſculta. Aduerſum me conſtituit diſcipulum meum, aduerſus eum conſtituatur diſcipulus eius. Et ſit perſequutor diaboli, qui perſequutor extiterat Chriſti, & ſtet diabolus à dextris eius ad confutandum, & ad conuincendum. Stetit diabolus à dextris Pauli, ita vt iudicans eum Paulus, faceret eum à ſe exire condemnatum, & totam oratione & conſilium eius ſtatueret in peccatum. Ipſe fecit dies eius paucos. Paulo enim gentibus prædicante, non multo tempore obtinuit principatum in templis. Poſt hæc ceſſauit princeps eſſe ſuper gentes, & magiſterium eius accepit ille qui dicebat: *Ego ſum magiſter gentium, in fide & veritate.* Ille enim fuerat magiſter gentium in infidelitate & fallacia. Tunc ij quibus dictum fuerat à Domino: *Vos de patre diabolo eſtis*, deiecto incredulitatis Rege facti ſunt orphani, facta eſt & vxor diaboli vidua. Sicut enim vni viro deſpõſata eſt Eccleſia per fidem, ſic per infidelitatem, non ſponſa, ſed vxor eſt poteſtas incredulitatis, quæ dabat pontificium dominandi ſacerdotib. templorum, ſiue ſynagogæ, ſeu hæreticorum eccleſijs. Hæc poteſtas deiecto diabolo efficitur vidua, ita vt anathemate filij eius eijciantur vt mendicent. Perſcrutatur fœnerator Dominus noſter omnẽ ſubſtantiã eius, exigit ab ea, id eſt, ab ipſa poteſtate vſuras verbi prudentiæ, quib. illa malè vſa eſt. Diripiunt alieni omnes labores eius, oſtenduntur iniuſtè docuiſſe, iniuſtè ſcripſiſſe, iniuſtè fabricaſſe. Et iſta omnia diripiunt alieni à ſocietate eiuſdem poteſtatis, quę poteſtas deficiens in ipſo diabolo, Deum adiutorem penitus non habet. Nec eſt qui miſereatur orphani eius: in generatione vna, id eſt, in ſolo populo Chriſtiano deletur nomen eius. Ibi in memoriam redit iniquitas patrum eius. Quotidie legitur in Eccleſia in conſpectu Dei: quanta mala fecerunt Chriſto, Apoſtolis & Martyribus, & peccatum matris eius populi, hoc eſt, peccatũ poteſtatis eius non deletur. Sed fit contra Dominũ ſemper, & perdet de terra memoriã. Ecce perijt poteſtas perſequutorum, quia ipſi rerũ Domini ſerui ſunt Chriſti. Perijt ergo de terra poteſtas. Illa quæ nõ eſt recordata, vt faceret miſericordiã, ſed perſequuta eſt hominẽ. Quem hominẽ? Pauperem, inquit, & mendicum. Chriſtũ vtiq;, & in paſſione & in ſuorũ martyrio. Dilexit maledictionẽ Adæ quæ per Chriſtũ aufertur, & veniet ei: noluit benedictionem quæ per Chriſtum affertur, & vtiq; elongabitur ab eo. Nota ex arbitrio eueniſſe vt nollet, propter

Ioan. 6.

2. Cor. 12.

Paulus magiſter gentium.

C

1. Tim. 2.

Ioan. 8.

2. Cor. 11.

D

E

hæreſim, quæ dicit Deum alios prædeſtinaſſe ad benedictionẽ, alios ad maledictionẽ. Hic enim ex dilectione ſua maledictionem habere probatur, & nolle ſuum benedictionis præmiũ non habere. Vnde & adiecit, ꝙ ipſe ſe induerit maledictionem, ſicut veſtimentũ. Sicut enim *per fidem* dicitur nobis, *Chriſtum induiſtis*: ita per infidelitatẽ induit ſe homo maledictum, id eſt, diabolum, qui intrat ſicut aqua ſanctis ad liberandum, ita iſtis ad necandum. Et ſicut oleum ſanctis ad exhilarandum, ita impijs ad tribulandum, fitq; eis ipſa maledictio ſicut veſtimentum quo induti ſunt, & ſicut zona qua præcinguntur. Hoc opus eorum qui detrahunt fidei Catholicæ, & qui quærunt mala ſanctis & orthodoxis definitionibus, quib. Dominus facit miſericordiam propter nomen ſuum. Quia etſi peccator ſit, quicunq; tamen propter hoc ꝙ rectæ fidei eſt, miſericordiam conſequitur: Si cor eius conturbatũ fuerit de timore iudicij, & excuſſus fuerit de manu peccati ſicut locuſta, & genua eius infirmentur in ieiunio, & caro eius immutata fuerit à pinguedine deſtituta, tunc inueniet miſericordiam: qui licet dicat, & verè dicat: Viderunt me, & mouerunt capita ſua, ſicut Phariſæi Chriſto, ita dæmonia in Chriſtiano. Dum pateretur enim Chriſtus, Phariſæi mouerunt capita ſua inſultantes, & dum paſſionib. præmitur Chriſtianus, vident eum dæmones conſentientem & inſultant ei. Sed argutus Dei ſeruus clamat: Adiuua me Domine, vt ſciant quia manus tua mecum, & tu Domine feciſti ea. Ea iſto loco ſic accipe, ſicut dixit Pilato Dominus: *Non haberes poteſtatem, niſi data tibi eſſet deſuper*; ita paruæ & nos relinquimur tentationi. Et ideo ait: Tu Domine feciſti ea, vt moueant ſuper me capita ſua. Sed quia fidelis es, & non pateris nos tentari ſupra quam poſſumus, fac vt induantur, ſicut diploidem confuſionem. Diploidis eſt ſiue chlamydis in quadruplici amictu, ſiue quæcunq; alia ſpecies, quæ in ante duplex eſt, & à tergo duplex: Ergo quadrifariam confuſionem induuntur dæmones, quãdo nos quadrifariam euangeliorum liberationem arripimus. In qua confitemur Domino nimis in ore noſtro, & in medio multorum laudamus eum confitentes. Et quia ipſe eſt qui ſtat à dextris pauperis, vt ſaluet à perſequentib. animas noſtras Chriſtus filius Dei, qui regnat cum Patre & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

Prædeſtinatio.

Gal. 3.

F

Matt. 27.

Ioan. 19.

Pſalmus ipſi Dauid. CIX.

DIxit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante luciferum genui te. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ ſuæ Reges. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

G

COMMENTARIVM.

CEnteſimi noni Pſalmi caput, & à Phariſæis Chriſtus inquirit, dicens: *Si Dauid in ſpiritu vocat Chriſtum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Si ergo*, inquit, *vocat eum Dominum Dauid, quomodo eius eſt filius?* Interrogantis eſt iſta oppoſitio, non negantis. Nos enim eum & Dei filium ante luciferum ex Deo Deum genitum credimus: & Dauid eum filium per partum virginis Mariæ profitemur, qui aſcendens in cœlos, ſedet ad dexteram Patris, vnde venturus eſt iudex. Habebit inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum, ſecundum quod & Apoſtolus dicit: *Cũ euacuauerit omnem principatum, poteſtatẽ & virtutem*: tunc *oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus eius.* Cuius inimicos ſi interrogas, reſpondebit tibi, eius ſine dubio, cuius virgam virtutis miſit Dominus ex Sion. Virga virtutis, hominis corpus eſt ex Virgine nati, quam virgam ex Sion miſit Dominus, vt dominetur in medio inimicorum ſuorum. Non ergo ſicut damnabilis Photinus credit, ex Mariæ partu ſumpſit exordium, ſed ante luciferum eſt ex Patris ore progenitus. Hic qui per myſterium panis ac vini ſacerdos factus eſt in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech, qui panem

Matt. 22.

H

1. Cor. 15.

Virga virtutis.

Photinus

A & vinum ſolus obtulit in ſacerdotibus, dum Abraham victor reuerteretur de prælio. Videamus nunc quomodo à dextris eius, confracti ſunt in die iræ eius Reges. A dextris Domini in cruce poſiti fixus erat latro, quem ſibi vindicabant reges & principes tenebrarum. Hos confregit in die iræ ſuæ. In die vtiq; iræ, quam patiebatur eorum qui eum crucifigebant. Et confractis his principibus conquaſſauit capita multa, ita vt capitales criminoſi dicerent, homicida per fidem vno verbo ſaluatus eſt. Quare nõ & nos credamus? In crucem poſitus ille vnus, multos nos in terra numero copioſo conuertit. Per illum qui de torrente in via bibit. De torrente iracundiæ Iudæorum in via bibit calicem paſſionis. In via immaculata ambulans, conquaſſauit capita dæmonum in terra in corpore conſtitutus. Et exaltauit capita hominis dum à confuſione erigit, à confuſione vtique primæ præuaricationis. Et niſi filius Dei in via bibiſſet, non exaltaſſet caput hominis deiectum ad terras. Non ergo dicas, quia conquaſſauit capita criminũ, B Chriſtus ipſe exaltauit caput. Non enim dixit exaltauit caput ſuum, ſed ſimpliciter ait: Propterea, inquit, quod dijudicauit Deus in nationibus, & impleuit ruinas dæmonum, Vt *vbi abundauit iniquitas* eorum, *ſuperabundaret* Chriſti *gratia*. Et quia bibit calicem paſſionis de torrente ſeditionis, in illa via qua dicit, *Ego ſum via*, propterea exaltauit caput in libertate ligni crucis, quod fuerat deiectum in præuaricatione ligni concupiſcentiæ. Agamus ergo ipſi gratias, qui regnat cum Patre vnus Deus cum Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

Rom. 5.

Alleluia. CX.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in conſilio iuſtorum & congregatione. Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius. Confeſſio & magnificentia opus eius, & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Memor erit in ſeculum teſtamenti ſui, virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo. Vt det illis hæreditatem gentium, opera manuum eius C *veritas & iudicium. Fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſeculum ſeculi, facta in veritate & æquitate. Redemptionem miſit Dominus populo ſuo, mandauit in æternum teſtamentum ſuũ. Sanctum & terribile nomen eius, initium ſapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio eius manet in ſeculum ſeculi.*

COMMENTARIVM.

Magna opera Domini.

Centeſimus decimus Pſalmus in conſilio ſanctorum confitetur magna opera Domini natiuitatis, paſſionis, reſurrectionis, & in cœlos aſcenſionis. Magna hæc opera Domini, magna & exquiſita in omnib. voluntatib. eius. Magna ſunt quidẽ omnia opera eius ab initio ſeculi, ſed iſta non ſolum magna, ſed & exquiſita in omnibus quæ ab initio voluit & fecit. Confeſſio Trinitatis & magnificentia deitatis, opus eſt, iuſtitia eius immutabilis per-D ſeuerat in ſecula ſeculorum, in qua iuſtitia, memoriam fecit mirabilium ſuorum, dicens: *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Quando hoc dixit, miſericors & miſerator Dominus? Tunc ſine dubio, quando eſcam dedit corporis ſui timentibus ſe. Et hoc teſtamẽtum memor erit Dominus in æternum, per quod virtutem operum ſuorum annunciauit populo ſuo. Per quod dedit eis hæreditatem gentium, per quod non in phantaſmate vt anathemabilis Manichæus ſomniatus eſt, ſed & in veritate in iudicio, & quæcunque leguntur mandata eius fidelia & ſancta ſunt. Confirmata in Chriſto manentia in ſeculum ſeculi, quia facta ſunt in veritate. In ipſo vtique Domino noſtro Ieſu Chriſto completa, & in eius æquitate ſunt cuſtodita, quando redemptionem per Apoſtolos miſit populo ſuo dicens: *Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, docentes eos cuſtodire omnia, quæ mandaui vobis.* Quia fidelia omnia mandata ſunt, in quib. mandatis ita ſanctum, & ita terribile nomen eius, vt initium ſapientiæ huius timor ſit Domini. Nam qui ſine timore eſt, incidit in malum, qui autem timorem Dei habet, caput ſapientiæ habet, per quem intellectum habebit bonum, ita vt laus eius maneat in ſeculum ſeculi. Manens imò permanens in timore Dei, habebit in Chriſto laudem, & ipſa laus manet in ſecula ſeculorum, Amen.

Manichæus.

Matt. 28.

E

Alleluia reuerſionis Aggæi & Zachariæ. CXI.

Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Exortum eſt in tenebris lumen rectis, miſericors & miſerator & iuſtus. Iocundus homo qui miſeretur & commodat, diſponit ſermones ſuos in iudicio, quia in æternum non commouebitur. In memoria æterna erit iuſtus, ab auditione mala non timebit. Paratum cor eius ſperare in Domino, confirmatum eſt cor eius, non cõmouebitur donec deſpiciat inimicos ſuos. Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi, cornu eius exaltabitur in gloria. Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit. F

COMMENTARIVM.

Vir Dei Eſdras propheta cum recapitularet omnem legem, Dei nutu quædam adiunxit. Vnde etiam Aggæo & Zachariæ iſtum titulum conſecrauit. Canamus ergo centeſimum vndecimum Pſalmum, & demus laudem eius, quaſi in vno viro perfecto omnibus ſanctis, vt quod de vno dixerimus, ſit de omnibus dictum. Et quod ſingulariter fuerit explanatum, vniuerſalis ſanctitas capiat. Beatus vir qui timet Dominum. Finem præteriti Pſalmi præſentis principio collocauit, vt hoc quod dixit illius fine, laudem timentis, Dominum manere in ſeculum ſeculi, hic in principio ipſi qui timet Dominum beatitudinem applicaret, cuius beatitudinis & ſpecies declararet & facta. Quis ergo qui timet Dominum? Sine dubio, qui mãdata eius cupit nimis, potens erit ſemen eius in terra, non in petroſa, nec *ſecus viam*, nec *inter ſpinas* ſed *in terra bona*. Matt. 13. G Potens eſt & generatio, quæ ex ipſo ſemine naſcitur, ſemper in benedictione erit. Gloria & diuitiæ in domo eius. Audiamus Dei ſapientiam alloquentem: Et ſi diuitiæ, inquit, diligantur in hac vita, quid ſapiẽtia locupletius quæ omnia poſſidet? Qui ergo ſapientiam intra domum corporis ſui habere meruerit, habet intus gloriam. Habet & diuitias non caducas, non quas tinea extermινat, nõ quas fures rapiunt, ſed illas diuitias, quas memorat in ſeculum ſeculi permanere, per quas orietur in tenebris huius mundi lumen rectis corde, quorum videntes homines opera, glorificent Patrem qui eſt in cœlis, ſit tantum miſericors & miſerator homini. Sicut ſibi vult homo effici Dominum, ſit pius, ſit iocundus, miſereatur & commodet, & in iudicio non perſonam inopis confundat, & potentis accipiat, quod ſi non fecerit, in æternum non commouebitur. Memoria autem eius æterna erit, & dum cœperit tuba ſonare de cœlo, dum cœperit ignis ſtrepitu gehennæ frendentibus globis flammas euomere, hic penitus non timebit. Quare? Quia paratum ſemper fuit cor eius ſperare in Domino. Ideoq; confirmato corde non commouebitur, H donec videat inimicos ſuos in ipſum mitti incendium. Omnes ſcilicet immundos ſpiritus, qui ab inimicitijs, quamdiu ſumus in iſto corpore, omnino non ceſſant. Verum quia, vt dixi, ſi vnum aliquem beatum iſtum virum in iſto opere nominat, omnib. applicabitur, qui eiuſdem facti ſimilitudinem perpetrant: ſic dicã in beato Laurentio hæc omnia & prophetata & facta. Diſperſit enim omnia, & dedit pauperibus, non repoſuit, non occultauit, diſperſit & dedit pauperibus. Ideo iuſtitia eius temporalis nõ eſt, ſed permanet in æternum, & cornu eius, id eſt, Chriſtus eius, qui in ipſo regnat, exaltatur in gloria. Hoc peccator vidit Rex amariſſimus, vidit quoniam diſperſit & dedit pauperibus, dentibus cœpit fremere & tabeſcere, ſed deſiderium peccatoris perijt. Deſiderium autem iuſti martyris, manet in ſecula ſeculorum, Amen.

Matt. 6.

Aug. 18. de Ciuit. c. 36

Patitur B. Laurentius ſub Galieno anno 261. Euſeb. 7. cap. 13.

* * *

A

Alleluia, alleluia. CXII.

Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & vſque in ſeculum. A ſolis ortu vſque ad occaſum laudabile nomen Domini. Excelſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cælos gloria eius. Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra. Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem. Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui. Qui habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

COMMENTARIVM.

Ordo naſcendi eſt non moriendi.

Venite pueri, nolite expectare, nolite dicere, nondû ſenes ſumus. Ordo naſcendi eſt, ordo vero moriendi non eſt. Venite ergo pueri, non ad laborem aliquem, ſed ad laudem. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini in Chriſto. In ipſo enim nomen Domini benedicitur, ex hoc nunc & vſq; in ſecula. Non in Iudæa ſola, ſed in omnem terram à ſolis ortu vſque ad occaſum laudabile eſt factum in Chriſto nomẽ Domini. Antea enim quot

B

gentes, tot & ſectæ, tot & dij, ſed ab aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti, ita hæ omnes ſuperſtitiones à gentibus renonciatæ ſunt, & vnum laudant Deum & confitentur in Chriſto. Ipſe eſt enim excelſus ſuper omnes gentes Dominus, cuius in terra quidẽ magna humilitas extitit, ſed ſuper cœlos magna eſt gloria eius. Quis enim ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitans, & humilia reſpicit, non ſicut de tecto attendit ad terram, ſed *quum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui ſuſcipiens*, vt ſuſcitaret de terra inopem illum cui dixerat iratus: *Terra es, & in terram ibis.* Hunc ſuſcitauit de terra inopem, quia perdiderat diuitias vitę æternæ & paradiſi. Hunc de ſtercore erigit in Chriſto, & collocauit eum cum principibus, id eſt, cum Apoſtolis, qui ſunt principes populi Dei. Et quis eſt qui collocauit eum? Ille ſine dubio qui eum aſſumpſit, filius vtique Dei filium hominis. Vbi collocauit eum cum principibus populi? Sine dubio vbi fecit habitare in domo eam quæ ſterilis fuerat, habitare in domo, id eſt, ipſam domum fieri, & dixit ei: *Lætare ſterilis quæ non paris, quia multi filij deſertæ magis quam eius quæ habet virum*, & fecit eam matrem in filijs exultantem. Sanctam vtiq; Eccleſiam, in qua trinitas regnat Patris & Filij & Spiritus ſancti, in vnitate deitatis, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Philip. 2.

C

Eſa. 54.

Alleluia, alleluia. CXIII.

In exitu Iſrael de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro. Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſrael poteſtas eius. Mare vidit & fugit, Iordanis conuerſus eſt retrorſum. Montes exultauerunt vt arietes, & colles ſicut agni ouium. Quid eſt tibi mare quod fugiſti, & tu Iordanis quia conuerſus es retrorſum? Montes exultaſtis ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium. A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob. Qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum. Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Super miſericordia tua & veritate tua, ne quando dicant gentes, vbi eſt Deus eorum? Deus autem noſter in cælo, omnia quæcunque voluit fecit. Simulachra gentium argentum &

D

aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt. Aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt. Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture ſuo. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Domus Iſrael ſperauit in Domino, adiutor eorum & protector eorum eſt. Domus Aaron ſperauit in Domino, adiutor eorum & protector eorum eſt. Qui timent Dominum ſperauerunt in Domino, adiutor eorum, & protector eorum eſt. Dominus memor fuit noſtri, & benedixit nobis. Benedixit domui Iſrael, benedixit domui Aaron. Benedixit omnibus qui timent Dominum, puſillis cum maioribus. Adijciat Dominus ſuper vos, ſuper vos & ſuper filios veſtros. Benedicti vos à Domino qui fecit cælum & terram. Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum. Non mortui laudabunt te Domine, neq; omnes qui deſcendunt in infernum. Sed nos qui viuimus benedicimus Domino, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.

E

COMMENTARIVM.

Videamus in exitu Iſrael de Ægypto, quomodo profecta ſit domus Iacob de populo barbaro. Quomodo facta ſit Iudæa ſanctificatio eius. In Bethleem Iudææ naſcitur Chriſtus, qui ſanctificat eos qui fugiunt Pharaonem, & ſequentes Moyſen, id eſt, legem Dei, veniant ad aquam, per ipſam tranſeuntes exeunt ad locum quietis & ſilentij, qui alio nomine locus deſertus dicitur. Deſertus vtiq; à ſceleribus mundi, ibi inueniunt manna venientem de cœlis. Sane cùm veniſſent ad mare credentes, mare eos vidit & fugit. Fugit vt præberet credentibus tranſitum, & inimicis eorum pararet interitum. Similiter & Iordanis conuerſus poſt ſe, & ipſe, vt tranſitum Dei populo præpararet. Sine aqua enim nec terra Ægypti fugitur, nec terræ promiſſionis intratur: vt quid tamen mare fugerit diximus, & Iordanis quare conuerſus eſt retrorſum expoſuimus. Nunc videamus montes, quare exultant, vt arietes, & colles velut agni ouium? Nunquid montes, terra & ſaxa ipſa exultant? Sed montes ſunt Prophetæ, qui vident voces ſuas impletas in Chriſto, qui loquuti ſunt altitudines Dei. Gaudent enim Prophetæ vt arietes, in omnibus gaudent, videntes *paſtorem* natum, qui *animam ſuam ponat pro ouibus*, & ſic gaudent ſicut arietes. Colles verò ſic gaudent, ſicut agni ouium. Ij vtiq; colles ſunt, qui humilem ſcientiæ locum tenent, nihil ſcientes niſi aut ſignare frontem, aut nomen Domini inuocare, ita gaudent ſicut agni ouium. Oues ſcientiam & ſui habent, & vocem paſtoris audiunt, & cognoſcunt eum, & ſequuntur eum quocunque vadit. Agni vero ouium ſuarum voces intelligũt, quia adhuc paſtorem intelligere nequeunt; tamen per oues, id eſt, matres ſuas, ſequuntur & ipſi paſtorem Dominum Ieſum Chriſtum. Ante cuius faciem cõmota eſt terra, quando conuertit ſolidam petram in ſtagna aquæ, id eſt, ſaxea corda fecit aquas ex ventre ſuo producere, ſalientes ad vitam æternam, & rupem, id eſt, inacceſſibile ſaxum incredularum gentium pectus conuertit ad fontes aquarũ. Hæc in figura facta ſunt, vt hiſtoria Exodi loquitur, & Pſalmus iſte teſtatur, ſed ſcripta ſunt iſta, ait Apoſtolus, non ad eorum narrationem, ſed *ad noſtram ædificationem*, in qua clamamus Domino, dicentes: Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Non per merita noſtra, ſed pro miſericordia tua concede, vt nũ dicant increduli, vbi eſt Deus eorum? Exurge à mortuis & aſcende in cœlo ſurſum, quia tu es qui regnas in cœlo & in terra, & omnia quæ volueris operaris. Nam idola gentium ex quocunq; metallo muta & ſurda & cæca ſunt, ſimiles illis ſunt confidentes in eis. Nos autem omnes de domo Iſrael ſperamus in te Domine, vt tu adiutor noſter & protector noſter eſſe digneris, qui memor noſtri, de cœlo deſcendẽs benedixit nos. Benedixiſti domum Iſrael, naſcẽdo ex Maria. Benedixiſti domum Aaron, fundendo ſacerdotium. Benedixiſti omnes timentes Dominum, eligendo Apoſtolos puſillos cum maioribus. Ibi erant Iacobus & Ioannes cum maioribus, vtique cum eſſent puſilli, adijciat Dominus ſuper vos. Addat vobis Paulum, ſuper vos & ſuper filios veſtros. Addat vobis populum credentium. Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum & terram, Ipſum enim prædicatis qui fecit. Cœlum cœli Domino, terram dedit filijs hominum. Quicquid cœleſte eſt in manibus, in actibus, in cogitationibus, hoc Domino deputandum eſt. Quicquid autem terrenum, quaſi mortale & miſerum cõtemnendum, etiam ſi culpa careat. Eſt enim quicquid fuerit de terra mortale, in quib. non dignatur laudari Dominus. Nec ab his laudari vult qui deſcendunt in inferno, id eſt, qui in inferioribus vitæ actibus degunt, ſed qui viuimus in eo qui dicit: *Ego ſum vita*, nos benedicimus Dominum. Si tamen viuimus recedentes ab omni opere mortali, benedicimus Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Exod. 15.

Deut. 8.

F

Ioan. 10.

G

2. Cor. 12.

H

Alleluia. CXIV.

Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocẽ orationis meæ. Quia inclinauit aurem ſuam mihi, & in dieb. meis inuocabo. Cir-

A *circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me. Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui. O Domine, libera animam meam, miſericors Dominus & iuſtus, & Deus noſter miſeretur. Cuſtodiens paruulos Dominus, humiliatus ſum, & liberauit me. Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte, cor meum à prauis affectibus, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu. Placebo Domino in regione viuorum.*

COMMENTARIVM.

CAuſas dilectionis Domini explicat Pſalmiſta in cantico: Dilexi, inquit, Dominum, quia cùm circundarent me dolores mortis, & ſuggeſtiones dæmonũ circumuallarent me: Ego ad tribulationem ioi, ipſam quæſiui, ipſam inueni, & ſic nomen Domini inuocaui. Neſcio quo enim modo, quando lætitiam inuenimus, nomen Domini de ſummis labijs inuocamus. Tribulationem B vero, aut ipſi nobis per abſtinentiam & pœnitentiam excitantes, aut caſu aliquo incurrentes, talis clamor cordis noſtri excutitur, vt ad ipſas excelſi Dei aures attingat. Tamen videamus quid fecit, vt liberationem Domini mereretur. Opus eſt enim nobis qui volumus liberari, ſcire quid fecerit, qui ſe liberatum annunciat. Dic nobis, quid feciſti, vt te Dominus liberaret? Humiliatus ſum, inquit, & liberauit me. Concordat Euangelijs iſta ſententia. Dicit enim in Euangelijs liberationis ipſius magiſter & Dominus, *quia omnis qui ſe humiliat exaltabitur, & qui ſe exaltat humiliabitur.* Tenenda eſt humilitas, ex qua liberatio & exaltatio æterna conquiritur. Per ipſam enim eripitur anima à morte, & oculi liberantur à lachrymis, id eſt, nihil pœnitendum admittunt. Et pedes liberantur à lapſu. Stãt enim humiles in propoſito ſanctitatis, qui vt placeant Domino in regione viuorum, perſeuerant ſtantes in regione mortalium, vt tranſeant de morte ad vitam, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Matt 23 Humilitas.

C

Alleluia. CXV.

CRedidi propter quod loquutus ſum, ego autem humiliatus ſum nimis. Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomẽ Domini inuocabo. Vota mea Domino reddam coram omni populo eius, precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. O Domine, quia ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ. Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi eius, in atrijs domus Domini in medio tui Hieruſalem.

COMMENTARIVM.

ANtequam dicat quid loquutus ſit, fidem ſuam exponit: Credidi, inquit. Quid credidiſti? Natum & paſſum: & quia credidi, ideo humiliatus ſum nimis. Cum autem credidi, hoc loquutus ſum, ſi Dominus certum exinaniuit ſeipſum, & pro me formam ſerui ſuſcepit, quid ego miſer faciam? Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Quantumuis dicat ſe homo ſeruire ad viciſſitudinem beneficiorum eius, Omnis homo mẽdax. D Quid enim dignum retribuet homo Domino, niſi forte paſſionem paſſione compenſans? Calicem ſalutaris accipiam & nomẽ Domini inuocabo. Precioſa eſt enim in cõſpectu Domini mors ſanctorum eius. Si tamẽ in ipſa morte doceat ſe ſeruum Dei, & filium ancillæ eius. Ancilla Dei eſt diſciplina ſancta. Qui enim in fine corporis dixerit Domino veraciter: O Domine, ego ſeruus tuus, id eſt, non te contempſi, & filius ſum ancillæ tuæ, id eſt, diſciplinæ tuæ velut filius obtemperaui. Dirumpet Dominus vincula eius quib. à diabolo implicatur, & ſacrificat Deo hoſtiam laudis, ita vt vota ſua Domino reddat in atrijs domus Domini, in conſpectu omnis populi eius, id eſt, in eorum cõſpectu, qui populus Dei eſt: non populus huius mundi, vt videat ab hominib. ad perditionem laboris ſancti, coram ſanctis qui gloriantur in medio tui Hieruſalem, in

Homo retribuit Domino.

Ancilla Dei diſciplina.

E qua Imperator eſt Chriſtus, qui regnat cum Patre & Spiritu ſancto, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Alleluia, alleluia. CXVI.

LAudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum.

COMMENTARIVM.

LAudate Dominum omnes gentes. Excluſi ſunt Iudæi, qui tulerunt clauem regni cœlorum, nec ipſi ingrediebantur, nec vos ingredi permittebant. Omnes laudate Dominum, qui abſq; perſonarum acceptione *omnes homines vult ſaluos fieri.* Omnes gentes laudate, quoniam cõfirmata eſt ſuper nos miſericordia eius. Excluſit enim merita noſtra, & induxit ſuper nos miſericordiam ſuam, quã F confirmauit ſuper nos per indulgentiam omnium peccatorum, credentibus & pœnitentibus ſic promiſſa. Veritas ipſa Domini manet in æternum. In hoc enim confirmatio miſericordiæ eius pietatis oſtenditur, in quo corrigentes à peccato, venia nos & indulgentia comitantur, noſtrumq; deſinere à peccato, Dei indulgere eſt, cui gloria per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Iudæi claui geri cœlorum. Act 10. 1. Cor. 3.

Ceſſatio peccati indulgẽtia Dei.

Alleluia, alleluia. CXVII.

COnfitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Dicat nunc Iſrael quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Dicat nunc domus Aaron quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in ſeculum miſericordia eius. De tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine Dominus. Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos. Bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine. Bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus. Omnes gentes circundederunt me, & in nomine Domini quia vltus ſum in eos. Circundantes circundederunt me, & in nomine Domini quia vltus ſum in eos. Circundederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis, & in nomine Domini quia vltus ſum in eos. Impulſus euerſus ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me. Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem. Non moriar ſed viuam, & narrabo opera Domini. Caſtigans, caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino, hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam. Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. O Domine, ſaluum me fac, ô Domine bene & feliciter proſperare, benedictus qui venit in nomine Domini. Benediximus vobis de domo Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis. Conſtituite diem ſolemnem in condenſis, vſque ad cornu altaris. Deus meus es tu & confitebor tibi, Deus meus es tu & exaltabo te. Confitebor tibi quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

G

H

COMMENTARIVM.

COnfitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Licet in æternum regnet miſericordia eius, tamen confeſſio in iſto ſeculo poterit prodeſſe peccantibus. Poſt iſtud enim ſeculum, confeſſio penitus non valebit ad veniam. Itaq; cum eſt tempus confitendi Domino, fateamur. Eſt enim in iſto ſeculo paratiſſima miſericordia eius. Si vis diſcere ita eſſe, docere te poterit & domus Iſrael, & domus Aarõ. In Scripturis omnib. veteris Teſtamenti ibi legis, quia quotieſcunq; conuerſus eſt populus ad confeſſionẽ, & pœnituit, toties eſt miſericordiã cõſequutus. Quod ſi ad legendũ ioca parũ eſſe videtis, require homines qui timent Dominum, & ipſi tibi o-

Solis confeſſio prodeſt viuentibus.

ſtendent

A oſtendent quomodo confitentibus parata ſit miſericordia eius. Nam & ego in tribulatione mea confeſſus ſum, & inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine. Verum quia & nos ipſi nobis hoſtes ſumus, dum contra ſalutem noſtram aliquid concupiſcimus, & nihilominus extra nos alios inimicos habemus viſibiles atque inuiſibiles, oremus vt Dominus nobis adiutor eſſe dignetur contra inimicitias iſtas quas memorauimus, & tunc demum non timebimus inimicos noſtros. Melius eſt enim confidere in Domino, quam confidere in homine. Nota tibi confidentiam quam teneas Chriſtiane. Noli confidere in te, noli dicere, ſic te liberum habere arbitrium, vt tu tibi in te ipſo confidas. Habes quidem liberum arbitrium
Liberum arbitrium ſed noli de eo præſumere, de Deo præſume, quia vinci non poteſt, nam liberum arbitrium vinci poteſt. Bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine, aut in principibus. Si enim confidas in Domino, tunc poteris dicere: Omnes gentes circundederunt me, & in
B nomine Domini vltus ſum eos: Hoc libertas arbitrij dicere non poteſt, aut ſi dixerit, docebo eam apertè mentiri, aut certè ab initio ſeculi det mihi qui ſine Dei auxilio euaſerit, ſiue viſibiles, ſiue inuiſibiles inimicos. Attende etiam in auxilio poſitis, quid accidat: Impulſus ſũ, inquit, verſatus ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me. Et ſubiungat ſi poteſt: Fortitudo mea & laus mea libertas arbitrij, & ipſa facta eſt mihi in ſalutem. Hoc ſi non poteſt dicere, imo quia non poteſt iuſte dicere, dicat ſe à Domino ſuſcipi, & fortitudinem omnem auxilijs diuinis aſcribat. Eius enim dextera fecit virtutem, ſi quam in nobis habemus. Eius dextera exaltat nos ex inferno inferiore. Ipſe enim facit, vt viuamus, & non moriamur, vt narremus opera eius. Ipſe caſtigans, caſtigat nos in miſericordia, & morti
Prædeſtinatio. non tradet nos. Nunc ſtatè audiat me prædeſtinationem docens, & arbitrium hominum infringens, putet me libertatem arbitrij ita excludere, vt peccantes exiſtimem
Quod peccamus eſt arbitrij. Dei abiectione peccare. Quod peccamus, noſtri arbitrij docebitur, quod contemnimus gratiam. Vide quanta libertas eſt arbitrij tui, negetur à ſeruo Dominus, vt dicat homo Deo: nolo tibi credere, & faciat ſibi templum vbi idolum colat, aut ſynagogam vbi ſuum abneget Saluatorem. Quid ergo malum facimus, per libertatem incurrimus, quia non dignatur Dominus iuſtus coacta ſeruitia.
C Si vero aliquid boni fecerimus, imputabimus largitori, qui bona omnia ad ſe confugientibus præſtat, ſecundum
Luc. 11. illud quod ipſe dignatus eſt repromittere. *Omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur.* Pulſemus ergo, & cum Propheta in iſto Pſalmo cantemus: Aperite mihi portas iuſtitiæ, & ingreſſus eas confitebor Domino. Hæc nos clamamus adminiculis auxilijſque diuinis, vnde nobis vox reſponſionis eorum videtur audiri: Hæc porta quam pulſatis non eſt homini libertate conceſſa, ſed eſt tu Domini auxilio conſtituta, & ſoli iuſti introibunt per eam. Confiteamur ergo Domino, quoniam ipſe exaudit nos, & ipſe nobis efficitur in ſalutem. Veniamus nunc ad
Dan. 2. lapidem quem reprobauerunt ædificantes. Hic *lapis* legitur in Daniele *exciſus ſine manibus*, id eſt, ſine opera viri natus ex Virgine. Ædificantes erant Iudæi ſoli ſuper vniuerſam faciem terræ. Omnes enim gentes in deſtructione idolorum morabantur, ſoli Iudæi ſub omnipotenti & vero Deo ædificationem legis & prophetiæ tractabant, quibus ab origine mundi per Moyſen quid egerit circa humanum genus, quidue geſſerint circa Deum homines notum faciens, & hoc notum fecit, quod in nouiſſimis
D temporibus ſuſcitaret eis ex femore Iudæ regem Chriſtũ,
Deut. 18. de quo ipſe Moyſes diceret: Ipſum audiens tanquam me per omnia, de quo iurauit Deus pater ad Dauid, dicens:
Pſal. 131. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* De quo iurauit ad Abraham, quod *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* De quo per Eſaiam dixit Deus, quod *Virgo in vtero concipiet, & pariet Emanuel.* Hæc & his ſimilia, multa in veteribus libris inuenies, quæ & Iudæi ad ædificationem populi legentes ædificantes nominati ſunt. Ii dum ædificant peruenerunt
Mat. 22. Ephe. 2. ad lapidem angularem, qui duos parietes amplecteretur, & *duos conderet in ſemetipſa.* Et quia ipſi in vno pariete ſtare volebant, reprobauerunt lapidem, qui non erat aptus ad vnum, ſed ad duos. Videns Deus iniuſtam reprobationem

E hominum, ipſe quod probauerat illis nolentibus ordinauit, & hunc lapidem ipſe per ſe poſuit in capite anguli, vt ex duobus teſtamentis, & ex duobus populis ædificatio ſurgeret, quam increduli relinquentes, à Deo derelicti ſunt. Credentes autem ſuperædificant ſupra fundamentum hoc, quod ex angulari lapide in capite anguli poſitũ, vtraque conſtringit & continet, & ipſum lapidem mirabilem in ſuis oculis habentes confitentur hunc eſſe diem, cui non ſuccedit nox, quem horæ non diuidunt, quem vmbra, non impedit. Exultemus ergo & lætemur in eo, quia à lumine vero noſtras tenebras fugaturus illuxit, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Benedixit nos in domo Luc. 13.
Domini, Deus Dominus & illuxit nobis. Nos ergo conſtituamus diem dominicam, in confrequentationibus vſque ad cornua altaris. In qua die dicamus Deo: Deus meus es tu, & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te. Confitebor gemens peccata mea, exultabo gaudens
indulgentia tua. Sic denique ſequitur: Confitebor, quia F
exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem. Et quaſi qui ſodales hortetur, vt ſicut ipſi indultum eſt confiteri, & illis confitentibus dimittatur: Et vos, inquit, confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Alleluia. CXVIII.

Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Nõ enim qui operantur iniquitatem in vijs eius ambulauerũt. Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. Tunc non confundar cum perſpexero in omnibus mandatis tuis. Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici iudicia iuſtitiæ tuæ. Iuſtificationes tuas cuſtodiam, non me derelinquas vſquequaque.

In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones G
tuos. In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis. In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Benedictus es Domine, doce me iuſtificationes tuas. In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum ſicut in omnibus diuitijs. In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas. In iuſtificationibus tuis meditabor, non obliuiſcar ſermones tuos.

Retribue ſeruo tuo, viuifica me, & cuſtodiam ſermones tuos. Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Incola ego ſum in terra, non abſcondas à me mandata tua. Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore. Increpaſti ſuperbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis. Aufer à me opprobrium & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſiui. Etenim ſederunt principes, & aduerſum me loquebantur, ſeruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis. Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſilium meum iuſtificationes tuæ.

Adhæſit pauimento anima mea, viuifica me ſecundum verbum H
tuum. Vias meas enunciaui & exaudiſti me, doce me iuſtificationes tuas. Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis. Viam iniquitatis amoue à me, & de lege tua miſerere mei. Viam veritatis elegi, iudicia tua non ſum oblitus. Adhæſi teſtimonijs tuis Domine, noli me confundere. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.

Legem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum & exquiram eam ſemper. Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo. Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui. Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam. Auerte oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua viuifica me. Statue ſeruo tuo eloquium tuum, in timore tuo. Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum, quia iudicia tua iocunda. Ecce concupiui mandata tua, in æquitate tua viuifica me.

Et veniat ſuper me miſericordia tua Domine, ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum. Et reſpondebo exprobrantibus mihi verbum, quia ſperaui in ſermonibus tuis. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque, quia in iudicijs tuis ſuperſperaui.

A

Et cuſtodiam legem tuam ſemper, in ſeculum & in ſeculum ſeculi. Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſiui. Et loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu Regum, & non confundebar. Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi. Et leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi, & exercebor in iuſtificationibus tuis.

COMMENTARIVM.

ALleluia cum alphabeto inchoat, quod eſt magiſterium Dei in Alleluia, & eruditio hominibus tradenda in alphabeto. Dicamus ergo beatos & immaculatos Chriſti diſcipulos, qui vſq; hodie in via ſunt, qui eſt Chriſtus. Ipſe enim qui ſe dixit viam, ipſe dixit eis: *Manete in me, ſicut & ego in vobis.* Ergo maneneiſti beati, quia Apoſtoli immaculati, quia obtemperantes per omnia, in via, quia in Chriſto ſunt, ambulabunt, quia in toto orbe terrarum eorum ambulat ſancta doctrina, quæ eſt in lege Domini.

Ioan. 15.

B

Primus beatitudinis gradus in Apoſtolis conſummatus eſt: ſecundus nobis eſt reſeruatus. Sicut enim in primo Pſalmo, *Beatus eſt qui in lege Domini meditabitur die ac nocte,* legentem noluit negligentem. Nam qui legit, ſi neſciat quid legat, negliget. Deus enim ſciri vult omnia ſuarum myſteria literarum. Et ſicut quod ſcriptum non inuenies, ſi quæras incurris: ſic quod ſcriptum eſt, ſi non inquiras, argueris. Beatus enim perfectus eſſe non poteris, niſi ſcrutatus fueris teſtimonia eius, & in toto corde exquirunt eum. Non enim militantes, negotiantes, terrena cogitantes, his ſtudijs occupari poſſunt, non eis vacat, mundum cuſtodiunt, eius totas partes agunt. Tu quid facis Chriſtiane, ſi militas homini ſcrutare legem eius, quia ſi quid licet iam ignatus incurreris, morieris. Neſcire enim legem nemini licet, negotiatores, inquire precia conſtituta: quia ſi neſcius licet incurreris, non euades. Seruus Chriſti es, ſcrutare teſtimonia eius. Si enim illis non vacat, tu qui clericũ aut religioſum profiteris, nec tibi fortè vacare vis, legem ſuam Deus cui debeat delegare reſponde. Noui iſto loco multos dicere: ergo ſimplices non videbunt regnum Dei, qui ſcrutari iſta non poſſunt. Audi, chariſſime. à nullo Deus quod non poteſt quæret, mutus non damnabitur de taciturnitate, nec æger culpabitur de labore.

Pſal. 1.

Deus non vult ignorari.

C

Voluntas accepta Deo.

Voluntas ſola ſufficit Deo, vbi poſſibilitas deeſt, ipſa reũ efficit, ipſa ſanctum, de his quibus verè voluit, & verè non potuit. Ergo excuſſimus nos de vncino obiectionis, & à ſimplicibus vtcunq; eruimus te. Cum modo cauſas quas memoraui tractabo, qui noſti diſcutere, qui noſti ſpecies veſtium, ſpecies vini, ſpecies cibi, ſpecies argenti. Iſta & his ſimilia, etiam ſi non poſſideas, noſti tamen, & quid impoſturæ habeant, & quid veritatis obtineant diſcutis. Quid vicini tui agunt, non te latere vis, quid loquãtur extranei, quid iudex ciuitatis ſenſerit, quid noui cõſtituerit Imperator, quid agant Orientales, quid Occidentales, quid ruſtici per omnia rura querantur, iſta & multa his ſimilia ſcrutatis, venis ad mandata Dei, & tolles te & dices: Nihil melius niſi ſimpliciter viuere. Ergone aſtutia ex contemptu concepta ſimpliciter viuit, & quis Domini ſui iuſſa cuſtodit, quæ cuſtodire non poterit, niſi ante didicerit, dicente ſancto Spiritu per Prophetam: Niſi quis didicerit iuſtitiam ſuper terram, veritatem non faciet. Et ſicut maius eſt voluntatẽ Dei facere quam noſſe, ita prius eſt noſſe quam facere. Illud merito præcedit, hoc ordine. Et fieri poteſt vt obſequendi voto offendat, qui qualiter obſequi debeat ante non didicit.

Eſa. 26.

D

Nobis ergo deſiderantibus ac dicentibus, vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendum iuſtificationes Dei; Non confundimur, dum reſpicimus ad omnia mandata eius. Si tamen confiteamur Domino in directione cordis, in eo, ꝙ didicerimus iudicia iuſtitiæ eius. Tantum enim exigitur quantum ſapimus, non quantum non ſapimus, imo quantum ſapere poſſumus, non quantum non poſſumus, verum quia mandata, inquit, tua cuſtodiri vis nimis, non me derelinquas vſquequaque. Non eſt enim aliud vbi adoleſcentiæ vias corrigam, niſi in cuſtodia ſermonum tuorum. Videamus nunc orationem, qui orat non mentitur deo in verbis orationis ſuæ: In toto, inquit, corde meo exquiſiui te. Si verum dicis non te repellet à mandatis ſuis: In corde, inquit, meo abſcondi eloquium tuum, vt non peccem tibi: Non ergo ideo ad ſcientiam laboraui pertingere, & præcepta dei memoriter retinere, vt viderer ſciolus, & per ſcientiam inflatus ſuperbia increpationi aptarer, ſed ideo vt non peccarem tibi: Doce ergo me ait, domine, iuſtificationes tuas.

Scientia inflat.

E

Ad hæc reſpondebit tibi ille quem oras, vt doceat te iuſtitias ſuas: Hæc eſt, inquit, iuſtitia mea, vt omnia quæ vis vt faciat tibi homo, eadem tu homini facias. Si amplecteris iuſtitiam dei dices: In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui & in his delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs. Videamus nunc quid eſt quod ſequitur, In mandatis tuis me exercebo. Sicut tyronia corpus exercet, ita animam diuina præcepta inſtituunt. Docẽt enim ea qualiter pugnos cautè ſuſcipiat, qualiter fortiter reddat. Et conſiderabo, ait vias tuas, id eſt, attendo qualiter ſuperaſti, & ipſa imitabor exempla. Si quidẽ qui nos docuit: ſic dixit: *Imitatores mei eſtote ſicut ego* magiſtri:*

F

† Chriſti.

Obliuio vitii eſt non naturæ

Non obliuiſcar, inquit, ſermones tuos. Vides quia obliuio res vitij eſt non naturę: Retribue, inquit, ſeruo tuo. Quid tibi vis retribui? Amoris, inquit, affectum vt viuam. Et ſi tibi vitã dedero quid facies? Forte dixit viuam & epuler, lætet, ædificem, agros excolam, agam cauſas, & cætera, quę cum tempore pereunt, nõ hoc dixit, ſed quid ait, viuam & cuſtodiam ſermones tuos. Verum quia inter apices tuos theſauros, occultos ſentio, quos inuenire nõ poſſum, tu domine reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Cautè ſanè accipiendum eſt quod adiecit: Incola. i. peregrinus ego ſum apud te in terra. i. nihil terrenum quæro: quod quæro hoc mihi noli abſcondere. Non abſcondas à me mandata tua. Non .n. concupiſcit anima mea, niſi deſiderare iuſtificationes tuas & quia ſcio te increpare ſuperbos, aufer à me opprobrium. Superbi ſunt enim, qui contemnunt dominum imperantem, & maledicti ſunt qui declinant à mandatis tuis. Tuis ſane quia nobis pie agentibus, principes aeris huius deiectiones excogitant. Idcirco adiecit: Quod ij principes, ait, aduerſum me loquebantur. Ego vero ſeruus tuus exercebar in tuis iuſtificationibus. Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt, & conſilium meum iuſtificationes tuæ. Videamus quod conſilium ſecutus ſis in iuſtificationibus domini: Adhæſit, inquit, pauimento anima mea, hoc eſt, iacui in pauimento, te domine deprecans, te exorans, viuifica me ſecundum verbum tuum.

G

Quid enim promiſit deus? Promiſit, inquit, deus dicens. *Quia in me ſperauit,* ego *liberabo eum.* Ecce ego ſperans in te iam pauimento adhæſi. Tu qui ſuſcitas de terra inopem, viuifica me ſecundum verbum tuum. Vias tuas enunciaui, & exaudiſti me. Conſidera quid ſe feciſſe dixit, vt exaudiretur, quid eſt vias tuas enunciaui? Hoc eſt quibuſcunque mihi poſſibilitas loquendi fuit, hos illis calles oſtendi, quibus parebant veſtigia. Per ipſos enim euaditur mors & peruenitur ad vitam. Quando ergo vias tuas enunciaui, tunc exaudiſti me. Artem exaudiendi didiciſti Chriſtiane, ſi exaudiri vis, vias dei nuncia, doce caſtitatem, humilitatem, cõtemptũ mundi, & quicquid petieris exaudieris, & rogãs te doceri à domino, quid doceas collibertum, dicito: Ego quia volo vias tuas enunciare, vt exaudias me, viam iuſtificationũ tuarum fac vt intelligam, & exercebor in mirabilib. tuis. Exerceri arguraries eſt: Argutus, inquit, ero non piger. Quid tãtum promittis? ecce vna tentatio naſcitur, & moueris ita vt dicas: Dormitat anima mea præ tædio. Dormire corporis eſt, non animæ. Quantus ſopor tuum corpus inuaſit, qui & animam dormitare compellit. At ille, iſta mihi euenerunt, quia de me præſumpſi.

Dormire eſt corporis.

H

Excita me domine quia dormio. Excitas autem me, ſi confirmaueris me in verbis tuis. Cõfirmas autem me in verbis tuis, ſi viam iniquitatis, id eſt, ipſum tentatorem amoueas à me. Niſi enim longè eum feceris à me, in ſomno animæ, & in mentis meæ tædio permanebo, Tu ergo viam iniquitatis amoue à me, & in via tua miſerere mei. Meum eſt enim eligere viã veritatis, tuum eſt concedere electionis huius effectum. Et quia adhæſi teſtimonijs tuis, credens vt omnis qui petijt accipit, Peto domine, noli me cõfundere. Naturaliter cõfuſio naſcitur quando ꝙ poſcitur denegatur, & ab eo qui prædicat eum quẽ petiturus eſt, nihil negare poſcẽti. Vnde & hic ab hac cõfuſione ſe liberari deſiderãs clamat:

A Domine noli me confundere, quid tamen poſtulas videamus. Quid curris viam mandatorum? Quid poſtulas intellectum vt ſcruteris legem dei? Quid ducem quæris viæ dei? Pande quid poſtulas. Inclina, inquit, cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam. Ideo ergo dormitabat anima tua præ tædio, quia de auaritia cogitabas, attendés ad ea, quæ videntur, quæ in vanitate conſiſtunt, quia dum teneri putantur aufugiunt. Ora ergo, vt auertat oculos tuos, ne videant iſtam vanitatem ſiue in ambitionibus mundi, ſiue in concupiſcentijs carnis. Et dic domino vt ſtatuat ſeruo ſuo eloquium ſuum in timore ſuo, & amputet opprobrium quod ſuſpicatus es. Quid enim ſuſpicatus es, cum præ tædio dormitares? dixiſti: *Quid manducabo, quid bibam, quid operiar?* At vbi inclinauit dominus cor tuum in teſtimonia ſua, liberauit te ab auaritia, & cœpiſti quærere regnum Dei & iuſtitiam eius, credens quod hæc omnia apponantur tibi. Modo ergo iam rogas, vt huius ſuſpicionis opprobrium amputetur à te. B Opprobrium eſt enim, vt credas hominem ſollicitum eſſe de ſeruo ſuo, & deum negligere ſeruientem ſibi. Peccaui domine, quia ita ſuſpicatus ſum: parce, quia iudicia tua iocunda ſunt. Ecce credo ecce nihil concupiſco niſi mandata tua, fac vt veniat ſuper me miſericordia tua, ſi ſalutare tuum ſuper me venerit, ſecundum eloquium tuum quod promiſiſti. Luc. *Quærite regnum Dei, & iſta omnia apponentur vobis.* Dum ergo compleueris ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum, ego reſpondebo exprobrantibus mihi verbum, quia in ſermonibus tuis ſpero. Non ergo auferas ex ore meo verbum veritatis vſquequaque. Ecce inficias in deum validis. Ergo Deus alicui tollit verbum veritatis ex ore? Hoc diabolus facit, tollit veritatem, & mittit mendacium. Quid ergo Deo loquar oſtende: Ego, inquit, volo reſpondere exprobrantibus mihi verbum, quia in ſermonibus Dei ſperans, nihil cogitaui de ventre, ſed de mente: nihil de terra, ſed de cœlo. Cum ergo dicerem deus omnia parat ſeruis ſuis, illi, id eſt, increduli: ſiue immundi ſpiritus huius prædicationis veritatem conuertebant in mendacium. C Tu ergo domine cum compleueris quod de te dum crederem repromiſſi, & illis reſpondebo exprobrantibus mihi verbum, & non eſt ablatus ex ore meo ſermo veritatis vſquequaque, quia benè feci, vt ſperarem in ſermonibus tuis. Matt. 7. Non ergo cuſtodiam nummos meos, non diuitias meas, non gloriam inanem, ſed cuſtodiam legē tuam ſemper in æternum. Audiuimus nunc quid eſt quod dicat ſe ambulaſſe in latitudine, quia mandata Dei quæſiuit, cum latitudo ad mortem ducat. Non ita eſt iſta latitudo. Vis ſcire quomodo ambulat homo in latitudine? Quia mandata Dei exquirit. Latum ambulat quem affectus nō ligat carnis, ſpaciatur quem rerum ſarcinæ non coarctāt. Loquitur teſtimonia Dei etiam in conſpectu regum, & nulla confuſione dicetur ei: tu poſſides, quid contēptum prædicas mundi? Nulla trepidatio, quia nec gloriam ab eo, nec cenſum expectat, ſed ad deum ſolum leuat manus ſuas, quem ſolum diligit, & exercetur in iuſtificationibus eius, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

MEmor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti. Hæc me conſolata eſt in humilitate mea, quia eloquium tuum viuificabit me. D *Superbi inique agebant vſquequaque, à lege autem tua non declinaui. Memor fui iudiciorum tuorum à ſeculo domine, & conſolatus ſum. Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Memor fui nocte nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam. Hæc facta eſt mihi, quia iuſtificationes tuas exquiſiui.*

POrtio mea domine, dixi cuſtodire legem tuam. Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo, miſerere mei ſecundum eloquium tuum. Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua. Paratus ſum & non ſum turbatus, vt cuſtodiā mandata tua. Funes peccatorum circumplexi ſunt me, & legem tuam non ſum oblitus. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ. Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. Miſericordia tua domine plena eſt terra, iuſtificationes tuas doce me.

BOnitatem feciſti cum ſeruo tuo domine, ſecundum verbū tuum. Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me, quia mandatis tuis credidi. E *Priuſquam humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum cuſtodiui. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas. Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum, ego autem in toto corde meo ſcrutabor mandata tua. Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum, ego vero legem tuam meditatus ſum. Bonum mihi quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas. Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri & argenti.*

MAnus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me, da mihi intellectum vt diſcam mandata tua. Qui timent te videbunt me & lætabuntur, quia in verba tua ſuper ſperaui. Cognoui domine quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliaſti me. Fiat miſericordia tua vt conſoletur me, ſecundum eloquium tuum ſeruo tuo. Veniant mihi miſerationes tuæ & viuam, quia lex tua meditatio mea eſt. Confundantur ſuperbi, quia iniuſte iniquitatem fecerunt in me, ego autem exercebor in mandatis tuis. Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt teſtimonia tua. Fiat cor meum immaculatum in iuſtificationibus tuis, vt non confundar. F

COMMENTARIVM.

HActenus à capite vnus eſt ſenſus. Aliter incipit textus orantis, quo ait: Memento domine verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti. In hac oratione omne hominum deplorabat genus. Perierat omne genus hominum in præuaricatione Adæ, & promiſſum fuerat verbū dei venturum in carne, & per ipſum genus noſtrum recuperaturum in melius. Clamatur ergo: Memento verbi tui ſeruo tuo, id eſt, generi humano, in quo mihi ſpem dediſti. Hæc ſpes me conſolata eſt in humilitate mea, dum ſuperbi inique agerent vſquequaque, id eſt, dum immundi ſpiritus ita ſuperbè agerent, vt & capitolia ſibi & templa alta conſtruerent. Capitoliū opus diaboli. Ego memor fui iudiciorum tuorum, quia promiſiſti verbum tuum venire ad deſtructionem eorum. Hoc memor fui, & conſolatus ſum, tamen in præſenti, defectio animi tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam, & euntibus ad legem dæmonum, quæ agebatur in templis, mihi tamen cantabiles erant iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ, vbi aduena comprobabar. Denique tolle ſubito Chriſtianum, & pone inter Iudæos aut Gentiles, nonne aduena videtur, licet in ſua vrbe conſiſtat? G Ibi, inquit, tamen cantabiles mihi erant iuſtificationes tuę, & iniuſte agentibus non tacebam. Memor eram in nocte nominis tui domine, id eſt, in tenebroſis hominum concilijs poſitus, memor eram nominis tui, & cuſtodiui legem tuam, non me exempla multorum à recto tenore reuocabant. Hæc denique ſola mihi facta eſt portio, quia iuſtificationes tuas exquiſiui, cum diſcerem cuſtodire legem tuam. Hęc ſola facta eſt mihi portio. Cum enim illi ſibi diuiderent agros, domus, vineas, gloriaſque mundi diuerſas, me inermem à ſuo contubernio reliquerunt dicentes: Si non in pane viuere potes, ſed in verbo Dei, hæc ſola ſit tibi portio. Et ego dixi tibi, Domine, miſerere mei ſecundum eloquium tuum. Tu promiſiſti, vt nihil horum requiramus, non mihi promiſſionem tuam peccata mea impediant, quia cogitaui vias tuas. Et conuerti pedes meos ad teſtimonia tua. Nunc aūt paratus ſum, & non ſum turbatus, nō me turbet, triticum non eſt in horreo, oleum non eſt in vaſculo, nummus non eſt in ſacculo, veſtimentum in conditis non eſt, expeditus ſum, H paratus ſum, & in hac paupertate non ſum turbatus. Et ad quid paratus es? Vt cuſtodiam, inquit, mandata tua, & licet funes peccator in tenebroſitate diſtendit, ego & funibus peccatorum circumplexus, & in medijs tenebris poſitus, ſurgebam ad confitendum tibi, vadens ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Deſiderabam enim particeps fieri timentium te, & cuſtodientium mandata tua. Conſiderabam tamen peccata mea, ſed miſericordiā tuam plenius cogitabam & dicebam: Quia miſericordia tua plena eſt terra. Quid eſt, plena eſt terra miſericordia Dei? Medicamentū eſt animę. Medicamentum. Medicamētū autem quando vulneribus mittitur, niſi impleuerit vulnera non curantur. Terra ergo corpus noſtrū eſt, quod per omnia membra ſpiritalia vulnera cōtrahendo opus habuit ſaluatorem, cuius miſericordia impleretur terra, & ſaluatos iuſtificationes ſuas doceret. Denique ita ſequitur: Vt bonitatem & diſciplinam & ſcientiam, in-

A quit, doceas me. Quia mandatis tuis credidi, ego, inquit, qui prius quam tibi humiliarer deliqui. Nunc vero quia miſericordia tua plena eſt terra, propterea eloquia tua cuſtodiui. Et licet multiplicetur ſuper me iniquitas ſuperborum, id eſt, licet multiplicentur mihi ſuggeſtiones dæmonum, ego tamen in toto corde meo ſcrutabor legem tuam. Et licet coaguletur ſicut lac cor eorum, ego tamen legem tuam meditatus ſum. Bonum eſt enim mihi quod humiliaſti me, vt diſcam mandata tua. Non eſt afflictio corporalis in miſerijs deputanda, ſi nobis etiam nolentibus veniat. Vide enim quid dixit: bonum, inquit, mihi quia humiliaſti me, vt diſcam mandata tua. Alij poſſideãt & in ſuis locupletationibus glorientur, mihi melior eſt lex oris tui, ſuper milia auri & argenti. Manus enim tuæ fecerunt me, hoc memor eſto, quia cum omnia verbo feceris, me manus tuæ ad tuam effigiem plaſmauerunt. Da ergo mihi intellectum & diſcam mãdata tua, iſta cupien-

Corporalis afflictio

B tem, iſta deſiderantem qui timent te videbunt me, & lætabuntur. Quia in ſermonibus tuis ſperaui. In ipſis enim cognoui, quia æquitas iudicia tua. Et veritate humiliaſti me, id eſt, vera cauſa extitit vt humiliares me. Propter iniquitatem enim corripuiſti me. Fiat nunc miſericordia tua, vt conſoletur me, ſecundum eloquium tuum ſeruo tuo. Veniant mihi miſerationes tuæ & viuam, quia lex tua meditatio mea eſt. Cauendum ſanè & præuidendum, quia quotieſcumque lex Dei meditatio noſtra eſt, tunc ſuperbi iniquitates operantur in nobis. Quanto enim nos humiliores propter Deum eſſe voluerimus, tanto nobis ſuperbi nequiores exiſtunt. Confundantur, inquit, ſuperbi, quia iniuſte iniquitatem fecerunt in me. Ego autem, ait, non receſſi à patientia, ſed cœptis inſiſtens, in toto corde meo ſcrutabar legem tuam. Verum quia orandum

1. Tim. 2. eſt, *vt quietam & tranquillam vitam agamus*, iſti à me auertantur. Et conuertantur ad me qui timent te, & qui nouerũt teſtimonia tua, quia per ſocietatem bonorũ efficitur cor noſtrum mundum. In Iuſtificationibus domini, vt non confundamur. Hoc autem præſtat ipſe ſolus, qui eſt in dextera patris, qui interpellat pro nobis, cui gloria ſimul cum patre & ſpiritu ſancto in vnitate deitatis, per omnia

C ſecula ſeculorum, Amen.

DEfecit in ſalutari tuo anima mea, & in verbum tuum ſuperſperaui. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes quando conſolaberis me. Quia factus ſum ſicut vter in pruina, iuſtificationes tuas non ſum oblitus. Quot ſunt dies ſerui tui, quando facies de perſequentibus me iudicium. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua. Omnia mandata tua veritas, iniqui perſecuti ſunt me, adiuua me. Paulominus conſummauerunt me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua. Secundum miſericordiam tuam viuifica me, & cuſtodiam teſtimonia oris tui. In æternum Domine verbum tuum permanet in cælo. In generatione & generationem veritas tua. fundaſti terram & permanet. Ordinatione tua perſeuerant dies quoniam omnia ſeruiunt tibi. Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tunc forte perijſſem in humilitate mea. In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis viuificaſti me. Tuus ſum ego ſaluum me fac. quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui. Me expectauerunt peccatores vt perderent me, teſtimonia tua intellexi. Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.

D *QVomodo dilexi legem tuam domine, tota die meditatio mea eſt. Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo, quia in æternum mihi eſt. Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt. Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui. Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt cuſtodiam verba tua. A iudicijs tuis non declinaui, quia tu legem poſuiſti mihi. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua. ſuper mel ori meo. A mandatis tuis intellexi propterea odiui omnem viam iniquitatis.*

LVcerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Humiliatus ſum vſquequaque domine, viuifica me ſecundum verbum tuum. Voluntaria oris mei beneplacita fac domine, & iudicia tua doce me. Anima mea in manibus meis ſemper, & legem tuam non ſum oblitus. Poſuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erraui. Hereditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei ſunt. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem.

INiquos odio habui, & legem tuam dilexi. Adiutor & ſuſceptor meus es tu, & in verbum tuum ſuperſperaui. Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata dei mei. Suſcipe me ſecundum eloquiũ tuum & viuam, & non confundas me ab expectatione mea. Adiuua me & ſaluus ero, & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper. Spreuiſti omnes diſcedentes à iudicijs tuis, quia iniuſta cogitatio eorum. Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ, ideo dilexi teſtimonia tua. Configе timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui. E

FEci iudicium & iuſtitiam, non tradas me calumniantibus me. Suſcipe ſeruum tuum in bonum, non calumnientur me ſuperbi. Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum, & in eloquium iuſtitiæ tuæ. Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam, & iuſtificationes tuas doce me. Seruus tuus ſum ego, da mihi intellectum, vt ſciam teſtimonia tua. Tempus faciendi domine, diſſipauerunt legem tuam. Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui. F

MIrabilia teſtimonia tua, ideo ſcrutata eſt ea anima mea. Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Os meum aperui & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam. Aſpice in me & miſerere mei ſecundum iudicium diligentium nomen tuum. Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniuſtitia. Redime me à calumnijs hominum, vt cuſtodiam mandata tua. Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.

IVſtus es domine, & rectum iudicium tuum. Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua, & veritatem tuam nimis. Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei. Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud. Adoleſcentulus ſum ego & contemptus, iuſtificationes tuas non ſum oblitus. Iuſtitia tua, iuſtitia in æternũ, & lex tua veritas. Tribulatio & anguſtia inuenerunt me, mandata tua meditatio mea eſt. Aequitas teſtimonia tua in æternum, intellectum da mihi & viuam.

CLamaui in toto corde, exaudi me domine. iuſtificationes tuas requiram. Clamaui ad te & ſaluum me fac, vt cuſtodiam mandata tua. Præueni in maturitate & clamaui, quia in verba tua ſuperſperaui. Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. Vocem meam audi ſecundum miſericordiam tuam domine, & ſecundum iudicium tuum viuifica me. Appropinquauerunt perſequentes me iniquitati, à lege autem tua longe facti ſunt. Prope es tu domine, & omnes viæ tuæ veritas. Initio cognoui de teſtimonijs tuis, quia in æternum fundaſti ea. G

VIde humilitatem meam & eripe me, quia legem tuam non ſum oblitus. Iudica iudicium meum & redime me, propter eloquiũ tuum viuifica me. Longe à peccatoribus ſalus, quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt. Miſericordiæ tuæ multæ domine, ſecundum iudicium tuum viuifica me. Multi qui perſequuntur me & tribulant me, à teſtimonijs tuis non declinaui. Vidi præuaricantes & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt. Vide quoniam mandata tua dilexi domine, in miſericordia tua viuifica me. Principium verborum tuorum veritas, in æternum omnia iudicia iuſtitiæ tuæ.

PRincipes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis formidauit cor meum. Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa. Iniquitatem odio habui & abominatus ſum, legem autem tuam dilexi. Septies in die laudem dixi tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Expectabam ſalutare tuum domine, & mandata tua dilexi. Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua & dilexit ea vehementer. Seruaui mandata tua & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo. H

APpropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo domine, iuxta eloquium tuum da mihi intellectum. Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo, ſecundum eloquium tuum eripe me. Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me iuſtificationes tuas. Pronunciabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas. Fiat manus tua vt ſaluet me, quoniam mandata tua elegi. Concupiui ſalutare tuum domine, & lex tua meditatio mea eſt. Viuet anima mea & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me. Erraui ſicut ouis quæ perijt, quære ſeruum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.

A

COMMENTARIVM.

CVcurrit vſque ad iſtum verſiculum vnus idem ſenſus, nunc incipit alius qui ex ipſo curſu deſcendit, inchoauit itaque in iſto ſenſu omne humanum genus dicẽs: Memor eſto verbi tui, in quo mihi recuperandi ſpem dediſti. Hæc ſpes me conſolata eſt, quando ſuperbi inique agebant in me. Nunc ad hanc eandem expectationis defectum ſui eueniſſe cauſatus, iterum clamat: Defecit inquit, in ſalutari tuo anima mea, & in verbo tuo ſperaui, defecerunt oculi mei in eloquio tuo, dicentes: Quando venies, quando reſtaurabis me, quando conſolaberis me: Quia per præuaricationem Adæ factus ſum ſicut vter in pruina, intus vacuus, à foris vero contractus, Iuſtificationes tamen tuas non ſum oblitus. Verum quia vita hominis parua eſt ſuper terra, quanti dies reſtant mundo ſeruo tuo, vt finiatur, quando facies de perſequentibus eum iudicium? Quia narrant idololatræ fabulationes, ſed non vt lex tua: Iniqui dæmones perſequuntur eum. Adiuua eum domine, ecce mundi finis prope eſt, & modico minus cõſummabitur ipſe mundus in terra. Veni domine, quia ego qui in his doleo, id eſt, chorus omnium ſanctorum, non dereliqui mandata tua. Vt ſecundum miſericordiam tuam viuam & cuſtodiã teſtimonia oris tui. Quibus promiſiſti, te nobis pereuntibus mittere ſaluatorem. Certus ſum enim, quod in æternum permanebit verbum tuum in cœlo. Qui licet cum hominibus videatur, vt promiſiſti, de cœlo tamen nunquam abſcedit. Sicut nec fluuius cum mare ingreditur, & circuit terras, de ſinu ſui fontis vnquã eſt abſens, Ita proculdubio verbum tuum, cum ad nos venerit, de ſinu tuo ſancte pater nunquam abſcedit. Quid moraris eum mittere, qui huc veniens ſuper terram de cœlo nunquam abſcedit. Veniat vt liberemur repromiſſio, quæ mentiri non poteſt. Quia in ſeculum ſeculi veritas tua. Fundaſti terram & permanet, & homo propter quem terram fundaſti, non permanet. Ecce & ordinatione tua perſeuerant dies, & homo propter quem dies feciſti non perſeuerat. Ideo autem perſeuerant omnia, quoniam omnia ſeruiunt tibi, homo autem non perſeuerat, quoniam non ſicut omnia ſeruit tibi. Qui ſtatim vt à ſeruitio tuo receſſit, tunc quando præuaricatus à ſublimitate bonæ conſcientiæ cadens humiliatus eſt. Qui ideo habuit perire in ipſa humilitate ſua, quoniam his perſeuerantia conceſſa eſt, quia obtemperando receſſit ab eo ſecuritas vitæ, & ſic humiliatus vt putaret ſe ita perire in humilitate ſua, vt vltra genus humanum nõ haberet ſtatum. In ipſius nunc deiectione dicitur Deo: Tuus ſum ego, ſaluum me fac. Veniat qui ſaluet eum, quia ſpiritus immundi expectant, vt perdant eum in perſeuerantia idolorum: & moras faciente ſeruatore, veniat conſummatio ſeculi, ſed illis expectantibus vt pereat mundus, Ego, id eſt, chorus prophetarum, teſtimonia tua intellexi. Et omni conſummationi nequiſſimę vidi finem, mandatum vero tuum latum eſt nimis. Latum, quia omnia terræ ſpacia occupat, & corporis & animę fines tenet, ducit obediẽtẽ ſibi ſurſũ ad cœlos, contẽnentem deponit ad inferos. Latũ nimis eſt eius imperium, ſiquidem & potentibus ſimul & regibus & cunctis gentibus imperat. Hoc mandatum, ait chorus, vt dixi, ſanctorum, ego non timui, ſed dilexi, *Perfecta* quippè *dilectio foras mittit timorem*, & ita dilexi, ait, vt tota die meditatio mea eſſet, videamus nunc, quid ſibi eueniſſe referat per amorem mandati, ſuper inimicos meos, inquit, prudentem me feciſti mandato tuo, quia in æternum mihi eſt. Inimicos hoc loco, & inuiſibiles & viſibiles memorauit. Super oẽs docentes me intellexi, quia mandata tua exquiſiui. Nota tibi eruditiſſime, quia cum ſapientior eſſet docentibus, diſcipuli formam gerebat. Etiam ſuper ſenes intellexi, quia legem tuam non ſum oblitus. Nullus obliuionem rem naturæ exiſtimet, cũ ex vitio negligentiæ oriatur. Quia ergo ait, Legẽ tuã nõ ſum oblitus. Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt cuſtodiam mãdata tua, id eſt, à malo receſſi, & ita ad cuſtodiam tuorum mandatorum acceſſi. Cumque acceſſiſſem à iudicijs tuis non declinaui, quia tu legem poſuiſti mihi, quam ego voluens in ore meo, ſuper mel habeo dulciorem. Et intelligens quanta bona mihi per dilectionem legis tuæ proueniant, odio cœpi habere omnem viam iniquitatis. Et ſicut ſi lucerna in tenebris docet pedes hominis foueas aut offendicula quæ declinant, ita ego greſſibus vel pedibus cordis mei. Veluti lucernam pedibus meis, ita verbum tuum ſenſibus meis. Videns ergo me tenebras per eam euaſiſſe diaboli, & lucidas ſemitas inueniſſe, iuraui atque ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitię tuę. Quid eſt quod dicitur, iuraui? ius conſtitui, ſiue regulam poſui, in qua ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ dei, & propter hoc humiliatus ſum vſquequaque. Ita humiliatus ſum, vt non liceret mihi, nec ſeruum contemnẽtẽ me lædere, iniuriam paſſus, tacui. Et paſſus calumniam quieui, non tendendo vtrique, ſed omnia quæ eueniunt contemnendo humiliatus ſum. Non enim hoc quod ſtatueram cuſtodire, cuſtodire poteram, niſi eſſem humilis vſquequaque, & efficerer tãquam purgamentum huic mundo. Verum quia mortem minantur excitantes infamiam: Domine, ait, viuifica me ſecundum verbum tuum, & hoc quod ſtatui, quia voluntario iudicio ſtatui, non neceſſitatis imperio: deprecor, ait, vt voluntaria oris mei facias beneplacita domine, & iudicia tua doceas me. Sit anima mea in manibus tuis ſemper, & legem tuã non obliuiſcar, & hoc ſtat quod Græci canũt: anima mea in manib. meis ſẽper ſecundũ illam ſententiã: *Si recorderis*, inquit, *nouiſſima tua, in æternũ non peccabis.* Ita iſte animam ſuam dum in manibus ſuis habet, ſemper eam exituram conſiderans, legem dei non obliuiſcitur, etiam ſi peccatores laqueos ei poſuerint, euadet primo, quia lucernam pedibus habens, legem qua deteguntur laquei immundorum, euadit. Adiecit huic bono, vt ſemel cœptam cuſtodiam etiam iurando firmaret. Et hæc faciendo euenit mihi, inquit, vt hæreditatem acquirerem in æternum. Non dicitur hæreditas, niſi mortuus fuerit qui hæredem inſtituit. Ergo mortuo pro me domino, ego hæreditatem acquiſiui, teſtimonia eius in æternum, quia teſtimonia exultatio cordis mei ſunt. Teſtatus eſt enim mihi, quod perpetuam vitam inueniam & æternam mortem euadam. Et ego credens iniquos odio habui, & legẽ tuam dilexi, atq; ideo dixi ſpiritibus immundis: Declinate à me maligni, vt ſcruter mandata dei mei. Nota tibi quomodo ſcrutatum legis, & ita ſcrutare, dic & tu immundis ſpiritibus: Declinate à me, vt ſcruter mandata dei mei. Quia ipſi tibi immittunt impedimentum, quando tuam mentem intentam attendunt. Eueniant itaq; damna rerum, & diuerſa aduerſa vel proſpera. Audi angelos clamantes: Attẽde animam tuam Loth, ne proſpexeris retro. Age quod agis, quia quod tranſis reuocas, ſi ſtare volueris. Noli ergo occupationibus, quæ te à ſcrutatione ſancta reuocant acquieſcere, ſed clama cum propheta ad deum, Adiuua me domine, & ſaluus ero, & meditabor in tuis iuſtificationibus ſemper. i. *die & nocte*, vt in primo pſalmo promiſſum eſt: Quoniam ſpreuiſti, inquit, omnes qui deſcendũt à iuſtitijs tuis. Iniuſta enim cogitatio eorum. Propter hoc ait, præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ, quia legem tuã dilexi. Verũ quia *concupiſcit caro aduerſus ſpiritum*, vt infigas timori tuo carnes meas exoro. A iudicijs enim tuis timui: niſi enim fixæ fuerint carnes meæ timori dei, riſus nobis naſcitur, & dei iudicium non timemus. Et dum non timemus dominũ, inimicis, ac perſequentibus tradimur. Vnde his adiecit: Feci, inquit, iudicium & iuſtitiam non tradas me perſequentibus me. Quod iudicium, quã eius iniuſtitiam expone nobis: Caro, inquit, mea domina volebat fieri animæ, ego eam maceraui & ſeruituti redegi. Ecce iudicium, iuſtitiam vero feci, animæ tradidi dominatũ ſuper eam, quia per carnem calumniabãtur mihi ſuperbi. Elige quæſo te domine, elige ſeruum, id eſt, totum mundum elige eum in bono, id eſt, in Chriſto. Non calumnientur ei ſuperbi, i. e. immundi ſpiritus, qui tenẽt Chirographũ peccati. Veni domine & dele illud, excludens inimicitias ſuperborũ. Oculi enim mei defecerunt in ſalutari tuo. Expectans ſemper attendet, vt venientem aſpiciat, quo morante dicit: Oculi mei defecerunt in expectatione eius. Fac quæſo cũ ſeruo tuo, i. e. cũ ſeculo tuo ſecundum miſericordiam tuam, & iuſtificationes tuas doce me. Tẽpus eſt vt venias, perdiſſipata eſt ab iniquis lex tua, i. e. à

[Left margin notes, column 1: "Mundi finis." beside B; "1. Ioan. 4." beside D; "Anima in manibus." at foot; section letters B, C, D]

[Right margin notes: E; F; "Eccl 7. ff. de reg. iu. l. hæreditas."; G; "Gen 19. Luc. 17."; "Gal. 5."; H; "Abſtinentia."]

A

Iudæis, qui eam accipientes diſſipauerunt eam, ſua præcepta, ſicut arguit dominus, ſtatuentes, & traditiones hominum cuſtodientes, legem vero Dei contemnebant. Diſſipauerunt iniqui legem tuam, nullus credit, omnes declinauerunt. Veni domine quia tempus faciendi miſericordiam, *conclude omnia in credulitate, vt omnibus miſerearis.* (*Rom. 11.*) Memor eſto qui legis, quia vocem diximus hic agi omniũ prophetarum, qui & præconia ſua voluerunt ad effectum adduci per aduentum domini, & humano generi ſubuenini. Hic ergo, id eſt, prophetarum & ſanctorum chorus loquitur: Dilexi, inquit, mandata tua ſuper aurum & topazion, id eſt, ſuper aurum & lapidem precioſum. Sic repetijt in centeſimo octauo decimo, ſicut in octauo decimo iam prædixit. Et propterea, inquit, ad omnia mandata tua dirigebar. Et omnem viam iniquam odio habui, quia mirabilia teſtimonia tua. Pinge, pinge ante oculos tuos qui hæc cantas aliquas fabricas. Quales? Illas quas mirabantur Apoſtoli, pinge thermas, pinge fora & mœnia in

B

vertice excelſo ſurgentia. Et dum iſta conſideras, memento caſulæ cuiuſcunq; ex frondium ſepto contextæ. Nunquid non tanto illa tibi erit deſpectior, quanto iſta mirabilia ſtupueris. Ergo is quicunque legem dei rationem habere vult, totum quaſi vilem caſulam deſpicit mundũ, & ſola mirabilia habens teſtimonia eius, ideo ſcrutatur ea anima eius, cumque declaratio ſermonum eius in rebus æternis illuminauerit eum, & paruulis conſiderationibus eius magnum tribuerit intellectũ, aperiet os ſuum in laudibus dei, & attrahit ſpiritum, id eſt, ſuſpirijs occupatur, quia mandata dei deſiderat, & incipit ſic deſiderare, vt præ deſiderio non dormiat, atque eſcam potumque ſibi ac lætitiam ſubtrahens, præ deſiderio ſui pectoris clamet: Aſpice me & miſerere mei ſecundum iudicium diligentium nomẽ tuum: hæc totius humani generis oratio funditur. Vnde & ſequitur: Greſſus meos dirige ſecundum verbum tuum & viuam, qui greſſus meos in tortum miſi per Adam, & mortem inueni. Tu veni domine, & per te greſſus meos dirige ſecundum verbum tuum, quod ille præuaricatus eſt, & vitam inueniam per te, quam per illum amiſi. Expecto domine veni, & non confundas me ab expectatione mea. Si enim veneris, non dominabitur

C

(*Salutaris Chriſti aduentus.*) mei omnis iniquitas, ſcilicet dæmonum. Nam increduli homines credentes calumniantur, dicentes: Quid negatis deos gentium, & Virginis filium expectatis, quando habet Virgo in vtero concipere, & parere vobis Emanuelem. Veni ergo domine & redime me à calumnijs hominum, & cuſtodiam tua mandata, non hominum. Cum faciem tuam illuminaueris ſuper ſeruum tuum, id eſt, ſuper ſeculum tuum. Tunc doces nos per filium tuum iuſtificationes tuas. Conſideremus nunc ſummum gradum orationis. Summus gradus enim orationis eſt, quando in oratione poſitus, preces ſimul & lachrymas fundis. Impoſſibile enim eſt, vt non oculi tui peccatum incutiant. (*Oculi faciles in malum. 1. Ioan. 2.*) *Omne* enim *quod in mundo eſt*, vt ait Apoſtolus, *concupiſcentia oculorum eſt, & ambitio ſeculi, quæ non eſt à patre.* Dic ergo cum propheta: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam. Dixit equidem miſericordiam tuam, & ſpes mea omnis in ipſa eſt. Sed quid faciam, quia ſcio, quia iuſtus es domine, & rectum iudiciũ tuum. Et mandaſti iuſtitiam tuam, & teſtimonia tua, quibus

D

comminaris æternũ incendium, & ſcio in loquela tua veritatem nimis. Ideo ergo fundunt oculi aquas, quæ abluant plorando, quod concupiſcendo polluerunt. Zelor tamen mundum tuum ab idolis, quia gaudent ſuper eum inimici tui, & ita hinc inde bacchantur, vt obliti ſint verba tua, ipſi inimici generis humani. Sciunt enim & intelligunt voces prophetarum, in quibus verba tua pollicentur noſtri redemptoris aduentum. Sed tantum moratis domine, vt obliti ſint verba ipſa promiſſionis huius inimici mei. Porro autem ignitum eſt eloquium tuum vehementer, ignitum eſt amatorium, excludens amores mortiferos & vitæ æternæ amores includens. Adiecit poſtquam ignitum dixerat: Et ſeruus tuus, inquit, dilexit illud, adoleſcentior ego ſum, & contemptus ijs, qui pugnant aduerſum me, mundo omni ſeniores ſunt, & omnibus vetuſtis ſeculis antiquiores eſſe noſcuntur. His ergo ad oleſ-

E

centior pro contempto habeor, dum iuſtificationes tuas exquiro. Iuſtitia enim tua certus ſum, quod iuſtitia ſit in æternum. Et ſcio quia lex tua veritas ſit, & ideo me tribulatio & anguſtiæ inuenerunt. Quia mandata tua meditatio mea eſt. Non enim faciunt tribulationes & anguſtias dæmones, niſi his quam maximè qui mandata domini meditantur. Et ideo clamaui, inquit, in toto corde meo, exaudi me domine, iuſtificationes tuas exquiram. Ita meos mores in tuo amore diſpone, vt nihil de hoc mundo quæram, ſed ſolas tuas iuſtificationes exquiram. Præueni enim in maturitate & exclamaui: Fui puer poſtea adoleſcens, itemque iuuenis, nunc ecce iam ſenui, & vitæ meæ finem attendens, in hac maturitate poſitus clamo, & præueniunt oculi mei ad te diluculo, id eſt, antequam alius te orare incipiat. Lucem ipſam diei venientem præueniunt ad te oculi mei, vt vocem meam audias ſecundũ

F

magnam miſericordiam tuam, quia propè ſunt qui perſequuntur me. Iniquitates mihi propè ſunt quia à lege tua longè facti ſunt, id eſt, dæmones in idolis, & ſpiritus inmundi in cogitationibus malis. Hi appropinquauerunt perſequentes me, putantes te adhuc longe eſſe, tu autem propè es domine, & omnia mandata tua, quibus mandaſti, tuum expectandum aduentum, omnia mandata tua veritas. Ab initio cognoui de teſtimonijs tuis, quia ſic firma ſunt promiſſa tua, vt in æternum fundaueris ea. Vide ergo humilitatem meam. Chorus ſanctorum pro mundo vniuerſo exorat. Vide humilitatem meam & eripe me, quia legem tuam non ſum oblitus, promiſſam ſalutem aduentus tui. Iudica iudicium meum, & redime me propter eloquium tuum. Vt verum illud vniuerſis non credentibus manifeſtes, propter eloquium tuum eripe me. Longè eſt à peccatoribus ſalus, ſiue qui venturum non credunt, ſeu qui iam veniſſe non credunt. Longè eſt vtique ſalus ab eis, quia iuſtitias tuas non exquiſierunt. Tuæ autem miſerationes multæ ſunt domine, cum non requirentes te requiris, cum contemptores tuos exaudis. Quia ergo illis miſericordiam exhibes qui teſtimonia tua non exquiſierunt, quanto magis & mihi miſerere, qui à teſtimonijs tuis non declinaui. Hoc vt ſæpè diximus, cho-

G

rus ſanctorum omnium proteſtatur, qui & adiecit: Vidi non ſeruantes pactum, & tabeſcebam, quia iuſtitias tuas non cuſtodierunt, quomodo diſtabuit Moyſes in populo præuaricatore, quomodo Finees, quomodo Chaleb filius Iephanæ, quomodo Ieſus Naue filius, quomodo Samuel (*Num. 31. & 13.*) in Saule. Omnis ergo chorus ſanctorum ante aduentum domini, videns non ſeruantes pactum tabeſcebat, & dicebat domino. Vide quia dilexi legem tuam, in tua miſericordia viuifica me. Hoc autem quod diximus ſæpenumero, ſanctorum ab Abel vſque ad Mariam & Ioſeph o- (*Lex triplex.*) mnes quidem in lege veteri placuerunt, vſque ad Abraham legem naturæ ſeruantes, ab Abraham vſq; ad Moyſen legem naturæ & circumciſionis, à Moyſe vſque ad dominum Ieſum Chriſtum legem naturæ, circumciſionis & legis, omnes hi iam tunc ex ſemetipſis fundamentum eccleſiæ conſtruebant, cuius dedicatorem & adimpletorem dominum expectabant, qui compleret quod iurauerat ſeruo ſuo Abrahæ, quod in ſemine eius hæreditaret omnes gentes. Hic chorus omniũ ſanctorũ, iam dei filium ex orè patris didicerat natum, vt euidenter diceret patri: Principium verborum tuorum veritas. Quid minus hic

H

quam Euangelia declarauit. In his ergo iam tunc Chriſtus cum patre & ſpiritu ſancto regnabat. Non enim poterat fieri, vt cuperent eum & confiterentur eum, niſi mentis ſuę oculis eius pulchritudinem aſpexiſſent. In ipſis ergo iam eccleſia Chriſti, ita quæ ſunt futura præloquitur, vt præterita enarrare videatur: Principes, inquit, perſecuti ſunt me gratis, ſed contempta perſecutione eorum, à verbis tuis formidauit cor meum. Eis ſcilicet verbis quibus dixiſti: *Nolite timere qui occidunt corpus, ſed eum qui poteſt corpus & animam perdere in gehennam.* (*Luc. 12.*) Habens ergo in verbis tuis timorem & lætitiam, ſicut qui inuenit ſpolia multa, tempore quo iniquitatem odio habui, id eſt, idolis ſacrificare contempſi, & videns iniquitatem abominatus ſum, ita vt ſupplicijs diuerſis maceratus excederem. Tunc vtique ſepties in die laudem dixi tibi, cum in ſeptiformi ſpi-

ritu

A

ſitu ſeptem eccleſijs textũ ſuperioris fabricæ exttuebam. Sicut enim diximus in veteribus ſanctis Chriſtum in fundamento Eccleſiæ operatum: ita in mœnibus nouis operatum pet quos vnius eiuſdemque fundamenti, vſque ad finem ſeculi arces exurgunt. In quibus pax multa diligentibus nomen tuum domine, & non eſt illis ſcandalum. In quibus expectatur ſalus tua domine, & mandata cuſtodiuntur. In quibus intrat poſtulatio noſtra in conſpectu tuo domine, & ſecundum verbum tuum libera nos. In quibus eructant labia noſtra hymnum, cum docemur iuſtificationes tuas. In quibus pronunciat lingua noſtra eloquia tua, & docetur quod omnia mandata tua ſint æquitas. In quibus manus tuæ, illæ quæ in cruce fixæ fuerunt, ipſæ ſaluos nos faciunt, ſi mandata tua diligimus, & concupiſcimus ſalutare tuum, & lex tua meditatio noſtra eſt. Credentes quod etiam corpore noſtro viuet anima noſtra, & laudet te, credentes quod iudicia tua adiuuent nos. Confitentes quod errauimus, ſicut ouis illa quæ perijt, rogantes vt requitas eam, & humeris imponens, gregi applices permanenti ſecundum promiſſum tuum domine Ieſu Chriſte, qui regnas cum patre, & ſpiritu ſancto, per omnia ſecula ſeculorum.

Lex dei medicatio fidelis. *Luc. 13.*

B

Canticum graduum. CXIX.

AD dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa. Quid detur tibi aut quid apponatur tibi, ad linguam doloſam. Sagitta potentis acuta, cum carbonibus deſolatorijs. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis.

COMMENTARIVM.

CAntica graduum, cantica aſcenſionum ſunt. Veluti ſi alicui qui in foueam ceciderit, ponatur ſcala, vt inde aſcendendi capiat facultatem. In fouea itaque captiuitatis cum populus Iſraeliticus deueniſſet, cum tribularetur clamauit ad dominum, & exauditus eſt, vnde & plorat, dicens: Heu me, quia peregrinatio mea longa facta eſt. Et adiecit: Habitaui cum habitantibus Cedar. Cedar vnus ex filijs Iſrael fuit qui obtinuit ſolitudinem in regione orientis, quæ à deſerto Palæſtinæ vſque ad terras Perſarum extenditur, in qua parte nunc Saraceni habitant, quorum pater Cedar filius Iſmael eſſe reperietur lectione Geneſeos: Hi odientes pacem eouſque probantur, vt nunquam cum gente aliqua fœdus inierint pacis, ex quo orti ſunt vſque ad præſentem diem. Quam gentem ego dæmonibus comparans, ad meum captiuum accedo: fugienſque moras hiſtoricæ narrationis, ei qui cecidit in peccati foueam, iſtum pſalmum expono: dico ei, tribulare, quia male lætatus es. Et cum tribulantem te fecerit pœnitentia, clama ad dominum credens quod te exaudiat, dic ei: Libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa, dicunt ei dæmones: Et cum in cloaca deiecerint peccatorem, interim modo differto clamorem. Reſtat tibi tempus quo poſſis aſcendere. Hos populos idcirco ſeminant, vt qui eos audierit, dum ſperat expiret. His labijs doloſis, & huic linguæ nequiſſimæ præpara ſagittas potentes, orationibus temperatas, & ieiunijs acutas, cum carbonibus diuino igne ſuccenſis. Applica te ad gradum & pone aſcenſiones in corde tuo, à conualle fletus ad montem refugij. Et non ſolum tu ipſe moras non innectas, ſed illatas excogita. Et flebili voce te moratum in peccatis inter ſuſpiria ingemiſce. Heu me, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar. Cum his habitaui qui mihi cum verbo dei, ne pacem facere perſuadebant, ibi multum incola fuit anima mea. Bene poſuit animam. Caro enim quia de terra eſt, vbicunque fuerit, in terra ſua eſt. Ego tamen, licet cum his qui oderant pacem conſiſterem, cum verbo tamen dei eram pacificus. Et cum loquebar illis, quod vellem ad gradum aſcenſionis accedere, illi expugnabant me gratis. Mox enim vt cœperit peccator ad pœnitentiam conuolare, & à fouea mortis ad vitæ ſupernæ montem conſcendere, expugnationes dæmonum quod ſit paſſurus, agnoſcat, ſi credit ſibi vere à dei ſapientia dictum: *Cum acceſſeris ad ſeruitutem dei, ſta in timore & * tremore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Quod ſciens dominus, in eo ſermonem noſtrum orationis noſtræ incluſit, vt clamemus, *ne nos patiatur induci in tentationem, ſed liberet nos à malo*, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

C

Cedar pater Saracenorum.

D

Anima in [illegible]

E

Eccl. 2.
† iuſtitia

Matt. 6.

Canticum graduum. CXX.

LEuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à domino, qui fecit cœlum & terram. Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui cuſtodit te. Ecce non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſrael. Dominus cuſtodit te, dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam. Per diem ſol non vret te, neque luna per noctem, Dominus cuſtodit te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam dominus. Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.

F

COMMENTARIVM.

CEnteſimi viceſimi pſalmi aſcenſus patet, Leua oculos tuos ad montes. Quid moraris in conuallibus? Crede quia ſi leuaueris oculos tuos ad montes euades mortem & vitam inuenies. Si tamen leuaueris oculos tuos ad montes, & tuleris eos à cõtemplatione eorum de quibus dictum eſt: *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*, id eſt, ſtatuerunt deorſum terrena deſpicere, terram deligere. Nobis autem clamat Apoſtolus: *quæ ſurſum ſunt quærite, quæ ſurſum ſunt ſapite.* Et ſacerdotalis vox ad percipienda myſteria nobis omnibus clamat: ſurſum cor. Noli ergo timere, non tuis viribus derelinqueris, ſi aſcendere cogitaueris, veniet tibi auxilium à domino, qui fecit cœlum & terram, tu tantum non des in commotionem pedem tuum, id eſt, non volo, non aſcendendi conſilium ſumas, ſed incunctanter aſcende. Quia non dormit qui cuſtodit te: Ipſe etiam protectio tua erit ſuper manum dexterã tuam, id eſt, porriget tibi manum aſcendere cupienti, præſtabit tibi, vt non vraris à ſole per diem, præſtabit tibi, vt lux ſolis non tibi concupiſcentiæ ignem exagitet, neque vraris ſtimulo. Si enim ex animo ad auxilium dei conuolaueris, ipſe cuſtodit te ab omni malo, & corpus tuum cuſtodit, cuſtodit etiam & animam tuam dominus. Ipſe cuſtodit introitum tuum ad pœnitentiam, & exitum tuum de corpore ex hoc, id eſt, ex hoc die quo ex fide conuerteris. Ipſe iam cuſtodit te dominus Ieſus Chriſtus, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Coloſſ. 3.

G

Canticum graduum. CXXI.

LÆtatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum domini ibimus. Stantes erant pedes noſtri, in atrijs tuis Hieruſalem. Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum. Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus domini teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini domini: Quia illic ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid. Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, & abundantia diligentibus te. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Propter fratres meos & proximos meos, loquebar pacem de te. Propter domum domini dei noſtri, quæſiui bona tibi.

COMMENTARIVM.

H

SEcundum gradum aſcendiſti, accede ad tertium. Bona tibi in iſto gradu promiſſa ſunt, ſi credis, ſume pſalmum & exprime canticum. Tunc te ſcimus crediſſe, ſi lætatus fueris in his, quæ dicta ſunt tibi. Et relinquens conuerſationem peccantium, in domum domini ieris, & ibi ſtantes fuerint pedes tui in atrijs Hieruſalem, vbi ædificatio in muris ciuitatis futuræ extruitur. Ad quam aſcenderunt tribus domini in teſtimonium Iſrael. Tribus domini duodecim Apoſtoli cognoſcũtur, qui priores aſcenderunt hos montes ad confitendum nomini domini Ieſu Chriſti, & ibi ſederunt ſedes in iudicio, ſedes ſuper domum Dauid. Rogantes quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, & abundantia diligentibus te, id eſt, diligentibus Hieru-

A ſalem. Ibi enim confirmata eſt pax Chriſti, quæ in toto
mundo diffuſa eſt. Ibi eis dictum eſt: *Pacem meam do vobis*,
Luc. 8. ipſi ciuitati dicit dominus Ieſus Chriſtus, propter fratres
meos & proximos meos: *Qui ſunt fratres*, inquit, *mei* & pro-
ximi mei, niſi iſti, inquit, qui faciunt voluntatem patris
mei. Propter ipſos ergo loquor pacem de te, promittam
in cœlis vbi vere ædificaris vt ciuitas, promittam quod ſit
mihi participatio in idipſum. Et mecum in ea regnabunt
fratres mei & proximi mei. Propter domum etenim dei
mei quæſiui tibi bona, bona æterna, vt ciues tui tecum
non temporaliter, ſed perpetualiter regnent. Ipſi gloria
qui iſta repromiſit, qui regnat cum patre & ſpiritu ſancto
in ſecula ſeculorum, Amen.

Canticum graduum. CXXII.

*AD te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce ſicut oculi
ſeruorum in manibus dominorum ſuorum. Sicut oculi ancil-*
B *læ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad dominum deum no-
ſtrum donec miſereatur noſtri. Miſerere noſtri domine miſerere no-
ſtri, quia multum repleti ſumus deſpectione. Quia multum repleta
eſt anima noſtra, opprobrium abundantibus & deſpectio ſuperbis.*

COMMENTARIVM.

Eleuatio in Deum. PAulatim à montibus pertingamus ad cœlos. Nam ſi iam
leuauimus oculos ad montes, & lætati ſumus in om-
nibus quæ dicta ſunt nobis: Leuemus nunc oculos no-
ſtros ad cœlos, imo ad eum qui habitat in cœlis. Ideo e-
nim aſcenſionum cantica decantamus, vt paulatim à pec-
catorum foueis aſcendamus. Recordemur nos ſeruos,
quia creati ab eo ſumus. Seruos, quia creati & redempti
probamur. Et ſicut oculi ſeruorum ad dominum, aut ſicut
oculi ancillæ ad dominam, ita oculi noſtri ad dominum
deum noſtrum, donec miſereatur noſtri. Verum quia in
opprobrio iacemus dæmonum ſuperborum, & volenti-
bus nobis euadere crimina, vitia & peccata, noſtra opera
aduerſantur: Ideo rogamus miſerere noſtri domine, miſe-
C rere noſtri. Quia multum repleta eſt anima noſtra oppro-
brio abundantium, eorum qui in malitia eaabundant. Et
deſpectiones nobis ſuperborum exagitant, quibus neceſ-
ſitatibus tuam credimus ſolam miſericordiam ſubuenire,
qui regnas in ſecula ſeculorum, Amen.

Canticum graduum. CXXIII.

*NIſi quia Dominus erat in nobis dicat nunc Iſrael, niſi quia do-
minus erat in nobis. Cum exurgerent homines in nos forte vi-
uos deglutiſſent nos. Cũ iraſceretur furor eorum in nos, forſitan aqua
abſorbuiſſet nos. Torrentem pertranſiuit anima noſtra, forſitan per-
tranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem. Benedictus Dominus
qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima noſtra ſicut
paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Laqueus contritus eſt, & nos
liberati ſumus. Adiutorium noſtrum in nomine domini qui fecit cæ-
lum & terram.*

COMMENTARIVM.

D
Perſecutio viſibilis & inuiſibilis. QVicquid martyribus in perſecutionibus fecerunt
homines increduli, hoc nobis ſi tamen exhibemus
deo ſeruitium, in tentationibus inuiſibiles faciunt inimi-
ci. Cum ergo illorum viſibiles legeris, pugnas tuas inuiſi-
biles cogita. Et ita tu animo contradicito ſpiritui, quod
iniuſtum eſt ſuggerenti, ſicut illi homini ſacrificium per-
ſuadenti. Vnde illi vicerunt, inde vince. Illorum victoria
mors fuit, tua victoria vita ſit, & perſuaſio ibi & via opera-
ta eſt, pone quod & tecum ſic agatur, & perſuaſio tecum
& violentia præliantur, quanquam ſola perſuaſio tecum
agat ô magiſter Chriſtianiſſime. Si enim iuſto iudicio me-
cum loqueris, ſoli perſuaſioni fateberis repugnare, ſed cõ-
cedo & perſuaſionem tecum & violentiam dæmonum
colluctari. Habes vnde vincere parata ſunt adminicula,
incipe præliari, dominus tecum. Imo dominus in te ſicut
in illis fuit, qui poſt victoriam iſtum pſalmum domino
cecinerunt, dicentes: Niſi quod dominus erat in nobis,
E dicat nunc Iſrael, niſi dominus erat in nobis. Dum inſur-
gerent homines in nos, forte viuos deglutiſſent nos. Dum
iraſceretur animos eorum aduerſum nos. Quare non iraſ-
cerentur? Cur illi ſuis contradictionibus repugnabant, &
non timebant minantes, cædentes, torquentes, & ipſam
vitam multis & exquiſitis ſupplicijs auferẽtes. Pone quod
& tecum ſic agatur, Ferio vngulam cordis, ferio mentis in-
Illices peccandi cauſæ. iurias, non conſentio clama. Illi enim offerunt opportu-
nitatem peccandi, ſuauitatem alloquij, elegantiam mulie-
ris, occaſiones lucrorum, pietatem actionis carnalis. Piũ
eſt vt iudicem videas, vt cauſam defendas, vt libellum
porrigas, preces effundas, interim prandeas, hodie lætus
dies ſit, hac nocte non ſunt vigiliæ, & cætera quibus iner-
mis efficitur præliator. Noli credere, ſeduceris: aperte
crede quod loquitur, ora, vigila, clama, tene propoſitum,
martyrum pediſſequum profiteris. Clama ad ſingula, non
F conſentio: & erit dominus tecum, per quem anima tua
eripitur de laqueo venantium, vt cum ſanctis ſuauiter
pſallas: Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus: Ad-
iutorium noſtrum in nomine domini, qui fecit cœlum &
terram, ipſi gloria in æternum, Ameo.

Canticum graduum. CXXIV.

*QVi confidunt in domino ſicut mons Syon, non commouebitur
in æternum qui habitat in Hieruſalem. Montes in circuitu
eius, & dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & vſque in ſecu-
lum. Quia non relinquet dominus virgam peccatorum ſuper ſortem
iuſtorum, vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas. Bene
fac domine bonis & rectis corde. Declinantes autem in obligationes
adducet dominus cum operantibus iniquitatem, pax ſuper Iſrael.*

COMMENTARIVM.

QVi confidit in Imperatorem, milites in circuitu eius:
qui confidit in poteſtatibus mundi, apparitores in
tuitione eius: qui confidit in facultatibus ſuis, nummi, in
manu eius. Qui confidit autem in domino, montes ſunt
G in circuitu eius, qui ſic confidit ſicut mons Syon, qui ſe-
cundum legem dei: De Syon enim procedit lex. Ergo qui
catholicam fidem tenens confidit non commouebitur in
æternum, nulla ſecta, nulla hęreſis, nullus diſputator eum
à rectiori tenore detorquet, montes ſunt in circuitu eius,
& dominus in circuitu populi ſui, hoc eſt, teſtimonia ſcri-
pturarum ſanctarum in circuitu eius, pro defenſione ſim-
plicis populi, quem Chriſtus ſuo ſanguine cõparauit. Ipſe
dominus in circuitu populi ſui ex hoc tempore, quo pro
Matt. 28. eis paſſus eſt, vt ipſe ait. *Vſque ad conſummationem ſeculi*, ipſe
Virga hæreticorum ſuper ſortem iuſtorum. non dereliquet virgam hæreticorum, ſuper ſortẽ catho-
licorum. Egreditur enim virga legis noſtræ de manu le-
giſlatoris, & effecta draco deuorauit virgam eorum, vt nõ
extendant orthodoxi ad hæreſim vanam ſanctas manus
ſuas, id eſt, opera ſua hæreticis non extendant. Verum
quia ſunt aliqui quorum cor illi peruertunt, ſanctos ſpiri-
tus pro rectis corde orat. Declinantes in anathematis
obligationem adducet in diem iudicij cum operantibus
iniquitatem. Sit pax in Iſrael per dominum noſtrum Ie-
ſum Chriſtum, qui regnat in vnitate deitatis cum patre &
ſpiritu ſancto, per vniuerſa ſecula ſeculorum, Amen.

H

Aanticum graduum. CXXV.

*IN conuertendo dominus captiuitatem Syon, facti ſumus ſicut con-
ſolati. Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra ex-
ultatione. Tunc dicent inter gentes magnificauit dominus facere
cum eis. Magnificauit dominus facere nobiſcum, facti ſumus lætan-
tes. Conuerte domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in au-
ſtro. Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant
& flebant, mittentes ſemina ſua. Venientes autem venient cum ex-
ultatione portantes manipulos ſuos.*

COMMENTARIVM.

CAntica graduum ſunt portæ cœli patentis. Iacob
Gen. 28 requieſcens, videt in viſione ſua dominum ſuper ca-

put,

A

pus, cœlis patentibus accubantem, cuius ſuperiora in cœlum incumbunt, per quæ reſpicit dominus, inferiora in terra ſunt vbi dormiuit homo. Quid iſtius ſcalæ aſcenſus ad dominum dicit? *Benefac domine bonis & rectis corde.* Audierunt enim ſibi à ſacerdotibus clamari, Surſum cor, & dixerunt deo: *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlo:* aſcendite, quia benefacit dominus bonis & rectis corde. *Declinantes autem* & diſcedentes à Deo *adducet in obligationem*, & deputat *cum operantibus iniquitatem.* Surge Iſrael, qui dormiſti euigila. Vnge lapidem angularem oleo lætitiæ, pax tecum. Filij enim tui de captiuitate liberati per Chriſtum, iſtud canticum graduum cecinerunt, dicétes: In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus ſicut cõſolati. Gradatim à tribulatione primi cantici ad gaudium aſcendimus, & qui ibi ſeminauimus lachrymas, hic gaudia metemus, & qui ibi captiui gemebamus, dicentes: *Heu me quia incolatus meus prolongatus eſt*, hic repletur gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione. Ecce enim dicunt

B

inter gentes: Magnificauit Dominus facere cum illis: Magnificauit dominus facere nobiſcum, facti ſumus lætantes. Memores eſſe debemus, quia diximus ædificationi noſtræ applicare omnia, quæ myſtico tractu, aut ad Dominum ducunt, aut ad eius martyres trahunt. Notum eſt enim omnibus ſanctis iſta competere. Ad nos vero ab eorum paſſione ritum ducentes, captiuitatem noſtram per pœnitentiam euaſiſſe gratulemur, credentes quod magnificet dominus facere nobiſcum: & vnde nos ei exhibuimus flentes atque triſtantes, inde nos faciat ipſe lætantes atque gaudentes. Si enim lachrymas ſeminauimus pœnitentiæ, fœcunda ſine dubio meſſis nobis indulgentiæ orietur, ex qua exeuntes de corpore, venientes ad Dominum in exultatione, erimus cum ſanctis portantes manipulos noſtros. Nam vbi illi gaudebunt coronati, nos exultabimus liberati, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Canticum graduum Salomonis. CXXVI.

C

Niſi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Niſi dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis qui manducatis panem doloris. Cum dederit dilectis ſuis ſomnum ecce hæreditas domini, filij merces, fructus ventris. Sicut ſagitta in manu potentis, ita filij excuſſorum. Beatus vir qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis, non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta.

COMMENTARIVM.

Lacinioſa diſputatio

Multi iſtius pſalmi male explanantes principia, otiũ prædicant pro labore. Aiunt namque caſſo certamine ſanctos homines ſtudijs occupari. Sed & vana ſpe ſuis aliquid hominem niſibus impetrare, & ex medicamento vulnus faciunt, hoc modo dicentes: Niſi Dominus ædificauerit in vanum ædificas. Niſi Dominus cuſtodierit, in vanum vigilas. Poteram lacinioſa diſputatione ædificationis huius, & fundamenta & parietes & tecta & mœnia demonſtrare, ſed alio propoſito res agitur. Egimus enim ab initio, vt breuiter ſtrictimque loqueremur, tamen parumper circumeo, & cito ad te redibo

D

qui pſalmum expectas. Ab initio ſeculi quicunque ſancti vixerunt, ciuitatem in domino conſtruxerunt. Si quidem ciuitatis futuræ mœnia ſancti erunt: Ædificauit Abel, Enoch, Noe, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Moyſes, Ieſus Naue, & omnes ſancti ædificauerunt domum, & cuſtodierunt ciuitatem. Sed niſi dominus, id eſt, dei filius veniens

Matth. 5.

ædificaſſet omnia quæ illi ædificauerant (Probata eſt vox eius, dicentis: *Non veni deſtruere, ſed adimplere.*) Si ergo illis fundamenta mittentibus, & parietes ædificantibus non veniſſet, qui tecta conſtrueret, & omnia intus ornaret, illi in vanum laborauerant ædificantes domum. Denique

Synagoga cur vana.

hodie ſynagoga ideo vana eſt, quia ædificia parietum habet, & tectum non habet, & in protectione Dei cœli non commoratur. Habet parietes quos ædificarunt ſancti, ſed tectum non habet, quod Chriſtus expleuit. Habet limen,

E

ſed in limine agni ſanguinem non habet. Dum cœperit pluere ſuper peccatores laqueum ignis & ſulphuris iſti ſine tecto patét huic pluuiæ. Dũ cœperit angelus percutere primitias, iſti ſanguine agni percuſſoré angelũ nõ euadũt. Quid ergo ædificatis Iudæi? Quid hæretici vigilatis? Sine cauſa hæc facitis, quia vobiſcum nec ædificat nec vigilat dominus. Vos autem orthodoxi Chriſtum in incorruptione amantes, nolite timere, ſecuri ædificate, quia vo-

1.Cor. 3.

biſcum ædificat Dominus. *Dei enim eſtis ædificatio, dei cultura eſtis*, vigilate, quia non ſolum vobiſcum vigilat, ſed dormientes excitat, dicens: *Vigilate mecum, vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Tale eſt quale ſi dicat in vanum vigila-

Matt. 26.

Matth. 19.

retis, ſi ego non vigilarem vobiſcum. Nunc autem ſatis iniquum eſt, vt me vigilante vobiſcum, vos ſomno occu-

1.Theſſ. 5.

pemini. Vnde & Apoſtolus clamat: *Ædificate alterutrum.* Vana ergo eſſet ædificatio, ſi dominus non ædificaret. Vanæ vigiliæ, ſi dominus non cuſtodiret, dominus cuſtodit, & vanæ non ſunt. In vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, id eſt, lux Chriſtus eſt, & vos qui ante eum ſurgitis, vanum

F

eſt vobis ante eum ſurgere, qui manducatis panem doloris. Niſi enim ille venerit qui panem gaudij tribuat, vos in vanum ſurrexiſtis. Quando autem veniet? Cum dederit, inquit, dilectis ſuis ſomnum, hoc eſt, tũc veniet, quando iſti qui nunc ſancti ſunt, ſomnum pacis acceperint. Vt quid veniet? Vt in reſurrectione hæreditas domini demonſtretur, in qua omnes filij Dei accipiunt hæreditatem, ſi tamen filij ventris eius fuerint, id eſt, ſi in fonte catholicæ fidei fuerint baptizati. Vbi eſt venter Eccleſiæ, qui illi filios parit, qui ſicut ſagitta de manu potentis excuſſa, ſic vulnerant inimicum, quando implent deſideriũ ſuum in bonis, vt non confundantur dum exeunt de cor-

3. Reg 3.

pore. Tunc enim inueniunt inimicos ſuos in porta, cum egrediuntur corpus in quo diabolum ſuperarunt. Notandum tamen eſt, quia in titulo ſic habet, canticum aſcenſus domus Salomonis, vt hiſtoricum ſenſum teneas tu hodie, dictum tunc Salomoni: O prudẽtiſſime Salomon, fabricas quidem domum deo, ſed niſi Dominus ædifica-

Prou 9.

† eandem.

uerit domum, ſicut ipſe dixiſti, quia *ædificat ſapientia ſibi domum, & * ponet columnas ſeptem.* Niſi ergo ipſe qui ſapientia dicitur, ædificauerit domum, tu in vanum laboraſti. Nam

Mar. 13.

G

in domo quam ædificaſti, lapis ſuper lapidem non relinquetur. Domus autem quam ædificat dominus, aſcendit in cœlos, & in ea gloriabitur rex dominus in ſecula ſeculorum, Amen.

Canticum graduum. CXXVII.

Beati omnes qui timent dominum, qui ambulant in viis eius. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit. Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui ſicut nouellæ oliuarum, in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum. Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum pacem ſuper Iſrael.

COMMENTARIVM.

Nihil valet ſi timeas dominũ, quia & dæmones eum

H

timent. Sed beatus eris ſi ſic timeas Dominum, vt ambules viam eius. Si enim ambulaueris in viam eius, id

Mãducatio fidelis.

eſt, in fidem catholicam, ibi labores fructuum tuorum manducabis, carnem filij hominis, vt habens vitam manentem in te, beatus ſis, & bene tibi erit. Tunc vxor tua, id eſt, caro tua, ſicut vitis abundat in lateribus domus tuę, tunc, inquam, quomodo vitis profert botryones, ita ex actibus corporis tui proficiunt filij tui: & te ſicut vite proficiente in ſanguine Chriſti, illi ſicut nouellæ oliuarum proficiunt in circuitu menſæ tuæ, vbicumque conuiuium illis verbi Dei exhibueris. Sic enim benedicetur omnis homo qui timet Dominum, id eſt, qui ſic egerit, ſic benedicetur, vt dicatur ei ab ſpiritu ſancto: Benedicat te dominus ex Sion, id eſt, ex eccleſia ſua, & videas bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et ſicut in Deo filios genuiſti, ita filij tui generent, vt videas in conſpectu domini filios filiorum tuorum, cum acceperit pacem Iſrael, cum

A accelerit tempus hoc belli & veneri tempus pacis, gloria æterno, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Canticum gradunm. CXXVIII.

SAepe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſrael. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam. Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum, confundantur & conuertantur retrorſum omnes qui oderunt Sion. Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit. De quo non impleuit manum ſuam qui metet, & ſinum ſuum qui manipulos colligit. Et non dixerunt qui præteribant, benedictio domini ſuper vos, benediximus vobis in nomine Domini.

COMMENTARIVM.

B NOn patitur pugnam, niſi in iuuentute poſitus. Tu ergo qui ſecundum explanationem nominis Iſrael, videre incipis Deum per munditiam cordis, pugnas neceſſe eſt vt dæmonum patiaris. Sed ſecurus eſto, quia ſic pro te Dominus pugnat, vt concidat ceruices eorum, ſi tamen tu non ceſſaueris præliari, vt poſſis dicere: Non potuerunt mihi, licet ſuper dorſum meum fabricauerunt peccatores, id eſt, licet pondera grauia tribulationum ſuper me ponentes, incuruauerint me, & prolongauerint iniquitates ſuas, id eſt, moras fecerint in afflictionibus ſuis, quibus me tribulauerunt. Dominus autem iuſto iudicio ſuo concidet ceruices eorum. Habeant partẽ cum eis Pharisæi & hæretici omnes, qui oderunt Sion, id eſt, qui oderunt Eccleſiam Chriſti. Fiant ſicut fœnum tectorum, vel ædificiorum, quod priuſquam euellatur areſcit. Hoc loco tectum vel ædificium nominat, quia maximæ partes hæreticorum ad perſonas altas vadunt, vbi quaſi falces fœna ſecantium ſacerdotum euadãt, ſed ſic ibi antequam euellantur areſcent. Non enim implet manum ſuam ex eis qui metet verba eorum: nec ſinus ſuos implentij, qui manipulos eorum colligunt. Ex omnibus enim qui præteribunt ab Apoſtolis ſancti vſque hodie ſiue qui ſunt, ſeu qui prætereunt, nullus eos benedixit in nomine domini.

Munditia cordis.

C Et qui à beato Apoſtolo Petro, aut ab Apoſtolis, vel à poſteris eorum benedictionem non accepit, & ſic plebeculas docuit quas decepit, quia benedictionem vſurpauit, maledictionem incurrit, per quam priuſquam euellatur, id eſt, priuſquam moriatur areſcit, id eſt, dum viuere videtur in corpore iam in ſpiritu aruit: à quibus nos ſeparati, fidem catholicam integerrime continentes, vitam inuenimus æternam, per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Hæretici prius per ſibi iungunt.

Canticum gradnum. CXXIX.

DE profundis clamaui ad te domine, domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit. Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te Domine. Suſtinuit anima mea in verbo eius, ſperauit anima mea in Domino. A cuſtodia matutina vſque ad noctem, ſperet Iſraël in domino. Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Et ipſe redimet Iſrael ex omnibus iniquitatibus eius.

D COMMENTARIVM.

POEnitens meus in bono iam poſitus præteritos clamores recolit. Audi enim ſibi virum ſapientem dicentem: Fili peccaſti, ne adijcias iterum, ſed & pro priſtinis deprecare. Ille ſeruus vtilis eſt, qui culpas ſuas ſemper recolit. Non enim bonam patientiam & miſericordiam domini ſui aliter memorabitur, niſi ſuam impatientiam & iniquitatem fuerit recordatus, illud feci, illud geſſi, contra iuſſionem domini mei. Domine ſi velles conſiderare contemptum noſtrum, olim deleſſes mundum, ſed ſatis apud te propitiatio eſt: propter legem tuã ſuſtinui te Domine. Nam receſſeram à te, non te expectaram, ſed lex tua mihi dixit de te, quia nullum perire vis, ſed *omnes homines ſaluos vis † facere.* Propterea ſuſtinuit anima mea verbum tuum, id eſt, venientem filium tuum, qui promittitur ad huc venire, vt tollat peccata mundi. Hic veniet à cuſtodia matutina. Cuſtodia vna, quarta pars noctis eſt. Ergo prima cuſtodia à veſpere incipit. Secunda ad medium noctis attingit. Tertia pullorum cantus tranſit. Quarta vigilia matutina, quæ in ortum luminis adimpletur, in qua cuſtodia matutina natum dominum noſtrum angeli paſtoribus nunciarunt, ſed nos dicamus vigiliam matutinam in luce naſcente memoratam, in qua luce vſque ad noctem, id eſt, vſque cum finem accipiat ſeculi, vſque tunc ſperet Iſrael in domino, vel quam diu ipſe homo eſt in corpore ſperet, quia eſt apud deum miſericordia. Agat pœnitentiam, ceſſet à peccato vſque ad veſperum ſui ab hora matutina, ex quo ei illuminatio orta eſt ſaluatoris.

Eccl. 5.

E *1. Tim. 2.* *† ſieri.*

Natus dominus 4. vigilia.

F Nullo modo peribit ſi ceſſauerit à peccato & pœnituerit, quia grandis apud deum miſericordia, & ipſe redimet Iſrael. Alium enim non redimet, niſi Iſraelem, id eſt, niſi baptizatum non redimet. Nam ſi forte pœniteatur in malis factis quiſpiam, & in bonis operibus ſe mirificum præbeat, hic ſi Iſrael non fuerit, ſi non baptizatus fuerit, non redimitur ab iniquitatibus ſuis. Sunt enim quidam qui putant ſe ſine Chriſto Chriſtianos, cum homo quod bonum fecerit ad honorem ſuum feciſſe doceatur, quod autem benè crediderit, ad honorem pertinet dei. Magnus ille ſeruus eſt, qui de honore ſuo fortiter geſſit, & domini ſui honorem neglexit, huic præponetur peccator viliſſimus chriſtianus, qui ſe credit per fidem ad miſericordiam peruenire eius, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Sine Chriſto Chriſtiani.

Canticum graduum. CXXX.

DOmine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam. Sicut ablactatus eſt ſuper matrem ſuam, ita retributio in animam meam. Speret Iſrael in domino, ex hoc nunc & vſque in ſeculum.

COMMENTARIVM.

G VSitata vulgo ſententia eſt quæ dicit, iuxta mores domini familiam conſtitutam. Hæc ſententia ſicut inter dominos & ſeruos, ſic inter Chriſtum & Chriſtianos, ſi haberet effectum, iure nos Chriſti famulos diceremus. Ille cum dominus cœli & terræ eſſet, *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, & formam ſerui ſuſcipiens* dixit: Domine non eſt exaltatum cor meum. Age ſeruus iuxta mores domini tui, cum ſis natura humilis, quid exaltaris? Iudex ille refertur humilis, nos ſuperbi, ille ingloriosus, nos è contrario glorioſi, ille in magnis non ambulat, nos in magnis perſonis ambimus, & in eo quod nos adorant aut diligunt nobiles gloriamur, ſi tamen diligunt, & non ridiculo abutuntur, quaſi ignoremus illud: Os quod nos occultatum eſt venientes, in quantum nos lacerer abſcedentes. Nos autem exhonoramus pauperem, cuius in ſe perſonam Chriſtus excepit, & non ambulamus in paruis, ſed in magnis & mirabilibus ſuper nos, & cantamus humiliter ſentire nos, &

Phil. 2.

H non exaltare animam noſtram, immemores Apoſtoli hortantis atque dicentis: *Tanquam paruuli lac concupiſcite, vt in eo creſcatis,* quod ſi faceremus, eſſemus profecto quaſi ablactati ſuper matre ſua. Agnoſcebat in nobis ſua nutrimenta mater Eccleſia, & quaſi ablactatu Eccleſiæ ſuæ, ita retribuebat nobis ſuę Chriſtus charitatis effectum, in quo ſperat Iſrael, id eſt, mũdus corde, quia ipſe eſt Iſrael, quod interpretatur videns Deum. Spes enim eius alia non eſt, niſi vt ad aſpectum diuinum attingat. Tunc enim ſatiabitur, cum ei apparuerit gloria eius, qui regnat in ſecula ſeculorum,

A M E N.

1. Pet. 2.

Iſrael, id eſt, deum videns.

A

Canticum graduum. CXXXI.

MEmento domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius. Sicut iurauit domino, votum vouit deo Iacob. Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei. Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis, dormitationem. Et requiem temporibus meis donec inueniam locum domino, tabernaculum deo Iacob. Ecce audiuimus eam in Effrata, inuenimus eam in campis ſiluæ. Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. Surge domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ. Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, & ſancti tui exultent. Propter Dauid ſeruum tuum non auertas faciem Chriſti tui. Iurauit Dominus Dauid veritatem & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc quæ docebo eos. Et filij eorum vſque in ſeculum ſedebunt ſuper ſedem tuam. Quoniam elegit dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius ſaturabo panibus. Sacerdotes eius induam ſalutari, & ſancti eius exultatione exultabunt. Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo. Inimicos eius induam confuſione. ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.

B

COMMENTARIVM.

MEmento Domine Dauid, non vt ab obliuione ad memoriam redeat. Deus ab homine commonetur, ſed docetur homo qualiter diuinitas votis delectetur humanis. Vt depoſita feritate, quæ iracundias generat, diſcordias nutrit, ſuperbiam gignit, ſub onus Domini manſueſcat. *Leue onus eſt*, porta manſueta: *iugum ſuaue*, trahe Chriſtiane hoc. In te recordabitur Dominus, quod ad portanda præcepta eius, manſuetum pecus tuum, id eſt, corpus tuum, & non recalcitrantem exhibes Chriſto. Memor erit tui Dominus, ſi manſuetudines tuæ eius memoriam interpellatione ſancta pulſauerint, ſi profeciſti de manſuetudine, profice de deuotione: Iurauit, inquit, Domino, & votum vouit Deo Iacob, Audi ſollicitudinem vouentis, & ita demum te participem pſallentis oſtende. Poſtea enim quam votum vouit Deo, non intrauit tabernaculum domus ſuæ, non aſcendit lectum ſtratus ſui, non dedit ſomnum oculis, nõ dormitationem palpebris ſuis, donec inueniret locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Sollicitudo integra & perfecta tamdiu eſt Deo à promittente ſeruanda, quamdiu inueniat locum Domino. Dominus æternus eſt, & locus eius temporalis non poteſt eſſe. Quid quærimus temporalia loca, qui æternum habitatorem inquirimus? Si vero æternum eſt, quod ſollicitè & vigilanter inquirimus perpetuum comprobatur, non ceſſemus ſtrenuiſſime quærere, quouſque quod quærimus inuenire mereamur. Quid tamen quærit Pſalmiſta ſanctiſſimus videamus: Locum, inquit, vbi habitet Deus Iacob. Et adiecit: Hanc habitationem, ait, audiuimus in Ephrata. Ephrateus Helcana qui caput regalium voluminum tenet, pater eſt Samuelis, in quo audiuimus vocem Domini, dicentis: *Suſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum omnia faciat, & ipſi ædificabo domum, & ambulabit coram Chriſto in æternum.* Hanc ergo vocem quam tunc in Ephrateo audiuimus, nunc inuenimus in campis ſiluæ, vbi paſtores ouium Angeli alloquuti ſunt, dicẽtes: *Nunciamus vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Dominus, qui eſt Saluator* omnium, *& hoc vobis ſignum erit. Inuenietis puerum inuolutum pannis & poſitum in præſepio.* Hanc ergo habitationem vbi in æternum habitat Deus, indicantibus Angelis paſtores adepti ſunt: & non paſtores talium qualium pecudum, ſed ouium tantum, nec dormientium, ſed vigilantium: & qui non dormientes, ſed vigilantes inuenti ſunt: neque negligentes, ſed ſolliciti: neque remiſſi, ſed timentes. Deniq; inde Angelus cœpit alloqui, vbi timoris agnoſcebat terrorem: *Nolite*, inquit, *timere*, quaſi qui dicat, quia vigilatis, & eſtis ſolliciti circa gregem manſuetudinis, & paſcitis in campis pectoris veſtri. Ibi ſunt enim campi ſiluæ. Quia ergo cuſtoditis gregem vigilanter, pernoctanter, ne ouem manſuetam, ſiue patientiam, ſiue charitatem, ſiue hoſpitalitatem, ſiue caſtitatem, & cæteras ſocias earum, quas paſcitis verbo Dei, quia timetis Dominũ gregis, & ſolliciti eſtis, ne quid vobis feritas luporum inuadat, iam nolite timere, quia talis *paſtor* natus eſt, *qui animam ſuam ponat pro ouibus ſuis.* Nunc interrogamus vos ô paſtores, dicite nobis ſi inueniſtis puerum ſicut vobis Angeli indicarunt. Ad hæc illi reſpondentes dixerunt: Introiuimus in tabernaculũ eius, adorauimus in locum vbi ſteterunt pedes eius. Certe iacentem in præſepio viſuri perrexiſtis, quomodo ſtantem vos vidiſſe teſtamini: Nos, inquiunt, credentes, ſtantem vidimus non iacentem, incredulis & dubijs iacens & pannis inuolutus oſtenditur, credentibus Rex diadematus demonſtratur. Denique tantam coruſcationem regię eius dignitatis aſpeximus, vt non auderemus ipſum adorare, ſed veſtigia illa adorauimus, in quibus ſteterunt pedes eius. Quid ergo terram adoraſtis? Terram, inquiunt, ſanctam corporis Ieſu Chriſti, in qua terra nobis ſunt oſtenſa veſtigia Dei, dum Virgineo fœtu æditum videremus infantem, cui Angeli choros ducebant, cœlo terræque per eum pacem fore cantantes. Huic dicimus quotidie: Exurge Domine in requiem tuam. Requies Dei in Ieſu euidens & ſpecialis eſt, in quo eſt arca. i. arcanum ſanctificationis eius, per quem Apoſtoli ſunt induti iuſtitia, & ſancti omnes exultant propter Dauid ſeruum Dei, quia de fructu ventris eius poſuit Deus ſuper ſedem ſuam, per quem cuſtodiunt filij eius teſtamentum Dei, id eſt, Apoſtoli ex fœmore Iudæ ſecundum carnem venientes, qui non ſolum cuſtodierunt teſtamentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed & teſtimonia eius quæ docuit eos. Nunc filij eorum vſque hodie ſedent ſuper ſedem eorum, habentes & ipſi ſoluendi, ligandique poteſtatem. Hoc autem eis conceſſum eſt, quia recuſauit Dominus ſynagogam falſitatis, & elegit Sion ſanctam, ſcilicet fidei rectæ Eccleſiam, quam prælegit præſcius in habitationem ſibi, in qua eſt requies Dei in ſeculum ſeculi, in qua habitat, quoniam prælegit eam, in qua viduæ benedicentur in caſtitate, in qua pauperes ſatiantur panibus pietatis: in qua ſacerdotes induũtur iuſtitia, in qua ſancti exultatione exultant, in qua productum eſt cornu. Ideo ſit regnum Dauid. Ipſa eſt lucerna quæ ſuper candelabro poſita, lucet omnibus qui in domo ſunt, id eſt, qui in fide ſunt Ieſu Chriſti, vt è contrario omnis aſſertio præter hanc, lucet quidem in verbis, & habet materias adclamationis & admirationis humanæ, ſed ſub modio poſita nõ lucet ijs, qui in domo ſunt, ſed quos inuenerit ſubtus modium. Subtus modium enim degunt, qui menſuram rectæ fidei viuntur inuerſam, qui ſunt inimici lucernæ, quam Spiritus ſanctus per Apoſtolos parauit Chriſto ſuo Domino noſtro. Inimicos ergo eius induit confuſione anathematis, & ſuper Chriſtum florebit ſanctificatio eius, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Monetur Deus.

C

Ephrateus

1. Reg. 2.

D

Luc. 2.

E

Luc. 2.

F

G

Matth 5.

Canticum graduum. CXXXII.

ECce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum. Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. Quod deſcendit in oram veſtimenti eius, ſicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſeculum.

COMMENTARIVM.

H

Cantica graduum.

IN primo cantico graduum poſiti in captiuitate clamamus tribulantes ad Deum, & exaudit nos. In ſecundo gradu ad montes oculos leuauimus, vnde venit auxilium Domini, quo cuſtodimur ab omni malo. Tertio gradu aſcendentes venimus ad domum Domini. Quartum gradum aggreſſi, oculos quos ad montes leuaueramus, tunc leuauimus ad cœlos. In quinto inuenimus perſequutiones hominum, & defenſionem Dei. In ſexto hæreticos declinantes in obligatione, præcipit Dominus tradi. In ſeptimo gradu, facti ſumus lętantes, qui fueramus ante plorantes. In octauo gradu, ædificantem domum ſanctam *non habentem maculam neque rugam*, inuenimus Chriſtum. In nono gradu vidimus timentes Dominum, & ambulantes in vijs eius. In decimo gradu paſſi ſumus pugnas, & in adiutorio Dei victoriam cepimus. In vndecimo gradu

Ephes. 5.

A

tantam miſericordiam Dei inuenimus, vt per ipſam redimeremur ab omnibus iniquitatibus noſtris. In duodecimo gradu inuenimus contemptum mundi, in quo non exaltatur cor noſtrum. In tertiodecimo gradu illum quem in Effrata audieramus, inuenimus in campis ſiluæ. Ibi inuenimus filium Dei cum ſanctis ſuis exultatione exultantem. Ibi paratam lucernam plenam oleo lætitiæ, vincentem obſcuritatem mundi, vt qui erant tenebris vrgentibus disiuncti, & per ædificationem ſuperbæ turris à ſe inuicem ſeparati: nunc omnes conueniant in vnum, vt illud malum conſilium, Dei conſilio probaretur eſſe correctũ. Videns Sanctus ſpiritus exclamauit: Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Habent enim vnguentum chriſmatis, quod deſcendit de capite in barbam, hoc eſt, de Chriſto in virtutibus. Sicut enim capilli capitis, & barbæ vnguento infunduntur: ſic virtutes omnes, quæ contra vitia luctantur quotidie, vt vincere valeant, Chriſti infunduntur auxilio. Nota tamen chriſmatis ſacramẽta in vnguẽto capitis, & rorẽ Hermon deſcendentem in montem Sion, ad fontis vndam aquæ perennis extende. Ibi enim mandauit Dominus benedictionem, & æternam vitam vſque in ſecula ſeculorum, Amen.

Chriſma.

B

Canticum graduum. CXXXIII.

Ecce nunc benedicite Domino omnes ſerui Domini. Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri. In noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite Domino. Benedicat Dominus te ex Sion, qui fecit cœlum & terram.

COMMENTARIVM.

PEruenit gradus ad charitatem, & vbi ſuperius iret non inuenit. Nam quicquid egit quartusdecimus gradus, in quintodecimo proficit aſcendentibus. Ad charitatem enim à diſcordia fraternitas diuiſa reuertitur, & fiunt omnes boni qui fuerant omnes mali. Modo dicite mihi, quid conueniſtis omnes in vnum vos, qui fratres nominamini, aut vnde eſtis omnes fratres oſtendite. De vno, inquit, patre Chriſto, & de vna matre Eccleſia. Ideo ergo conuenimus in vnum, quia nos ſeruos agnouimus Domini. Datur nobis reſponſum, & dicitur: Nunc ergo quia in vnum conueniſtis omnes, benedicite Dominum, omnes, inquit, ſerui Domini. Et quia poteſt dici, omnes homines ſerui Domini ſunt, reſpondit: Ego vobis ſeruis dico, qui ſtatis in domo Domini, qui meruiſtis ingredi domum, in qua requieſcit Deus cum amicis ſuis, & epulatur cum Apoſtolis ſuis. Soli ergo ij benedicent Dominum, qui intus in domo ſunt? Non, inquit, ſoli ipſi, ſed & ij, qui adhuc in atriis domus conſiſtunt. Et vos, ô Catechumeni, & vos, inquit, qui in atrijs domus Dei noſtri ſtatis, & intus ingredi non audetis, & vos ſimul extollite manus veſtras intus in ſancta ſanctorum, & ſimul benedicite Dominum, in vexillo crucis leuantes ſanctas manus, ſine ira & diſceptatione in nocte huius ſeculi, tanquam luminaria lucentes, vt per vos benedicatur Dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

C

Omnes ſerui Domini.

Vexillum crucis.

D

Alleluia. CXXXIV.

Laudate nomen Domini, laudate ſerui Dominum. Qui ſtatis in domo Domini in atriis domus Dei noſtri. Laudate Dominum quia bonus Dominus, pſallite nomini eius quoniam ſuaue. Quoniam Iacob elegit ſibi Dominus, Iſrael in poſſeſſionem ſibi. Quia ego cognoui quod magnus eſt Dominus, & Deus noſter præ omnibus dijs. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis. Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit. Qui producit ventos de theſauris ſuis, qui percuſſit primogenita Aegypti, ab homine vſque ad pecus. Et miſit ſigna & prodigia in medio tui Aegypte, in Pharaonem & in omnes ſeruos eius. Qui percuſſit gentes multas, & occidit reges fortes. Seon regem Amorreorum, & Og regem Baſan, & omnia regna Chanaan. Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Iſrael populo ſuo. Domine nomen tuum in æternum, Domine memoriale tuum in generationem & generationem. Quia iudicabit Dominus populum ſuum, & in ſeruis ſuis deprecabitur. Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt. Aures habent & non audient, neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Domus Iſrael benedicite Domino, domus Aaron benedicite Domino. Domus Leui benedicite Domino, qui timetis Dominum, benedicite Domino. Benedictus Dominus ex Sion qui habitat in Hieruſalem.

E

COMMENTARIVM.

SCala iſta cuius caput pertingit in cœlum, quindecim gradus habet in quinque libris Moyſi, & in decẽ præceptis Legis: ibi lapis ad caput Iacob vnctus eſt, hic ipſum caput vnctum ad ros Hermon deſtinatum eſt, non ad omne ros Hermon. Ros enim montis per circuitum habet deſcenſus, nos ad illud ros attingimus, quod deſcendit in montẽ Sion, ſolũ huius roris fontem poſt vnguẽtũ Chriſmatis requirentes, qui in montem Sion, id eſt, in altitudinem ſitus Eccleſiæ profluit venis, & ita Trinitatem in vna deitate coniungit, vt & tres verè dicam eſſe perſonas, & vnam verè dicam eſſe ſubſtantiam. Sic enim laudatur à ſeruis Dominus. Sic nomen eius verè laudabile prædicatur, cùm in Trinitate vnitas, & in vnitate Trinitas ore dicitur, & pectore continetur: tũc aſſerimus, quoniam bonus & benignus eſt Dominus: nam ſi ſibi maiorem partem deitatis dicatur Pater aſſumere, aut gradum ſibi ſupra filium hominis vindicare, non vt bonus laudatur, ſed vt æmulus blaſphematur. Nihil ergo in Deo maius eſt, quia nunquam ſeneſcit Pater. Nihil minus in Filio, quia nunquam creſcit. Vbi enim malus aliquid & minus eſt, & maiori defectum minatur grandæuitas, & pollicetur ætas minori profectum. His gradibus diuinitas caret, quia non eſt Deus temporum poſterior. Si enim tempora aliqua ante Deum fuerunt, faciunt eum maiorem qui Pater eſt, & minorem eum qui Filius. Si vero ante omnia genitus, tempus illi nequaquam potuit neceſſitatem imponere, quia vt eſſet tempus ab eo ſumpſit exordium. Sic ergo laus Domini celebratur, in qua laude canendũ eſt, Quoniam Iacob elegit ſibi Dominus. Hunc, inquit, elegit, qui ſupplantat voluptuoſum conſilium, & hunc habet in poſſeſſionem, qui mundo corde ſtudet Deum videre. Sicut enim Iacob ſupplantator dicitur, ſic Iſrael videns Deum. Tunc cognoſcit quod magnus eſt Dominus, cum habuerit mundiſſimum pectus. Quod ſi mundum non fuerit, magnum illi videtur hoc ſeculum, & aut perſonas mirabitur, aut pulchritudines illicitas ſtupebit. Cum vero mũdus fuerit animus, nihil iudicat admirandum, niſi ſolum Deum, & hunc præ omnibus dijs admirabitur Deũ. Quomodo præ omnib. dijs? Cautus cantator auſculta. *Dij gentium dæmonia,* hi mirari nos volunt pulchritudines perituras verbi cauſa in mœnijs, in perſonis, in glorijs mundi, in concupiſcentiis fugitiuis. Cum ergo præ omnibus hunc Deum noſtrum æterna nobis oſtendentem amplectimur, tunc cum præ omnibus dijs honoramus, illorum ſcilicet conſilia reſpuentes, & Dei conſilia amplectentes. Ipſe enim omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra, in mari & in abyſſis. Ipſe nobis produxit nubes ab extremis terræ, id eſt, finem facientes terrenis occupationibus, hos veluti nubes exhibet mundo, propter quod & fulgura in pluuiam fecit, id eſt, vt in igne fulgureo interficiat inimicum, & vnda pluuiæ abluat peccatorem. Et quis hoc fecit? Ille ſine dubio, qui producit ventos de theſauris ſuis, id eſt, Apoſtolos de ſenſibus ſuis. Sicut enim venti nauibus, ita Apoſtoli animabus. Ventis flantibus, naues ad deſiderata pertingunt: & Apoſtolis prædicantibus, animæ ad Chriſtum qui eſt vere portus, perueniunt. Qui percuſſit primogenita in cruce poſitus, & ita percuſſit, vt non homini, non pecudi crederet eſſe parcendum. Quidquid enim Ægyptium eſt, ſimul cum principe Ægypti fluctibus mergitur, perit cum Pharaone, & cum omnibus ſeruis eius. Cum ergo ventum eſſet ad aquam, quæ nobis ſalutis viam aperuit, & omnes qui nos perſequebantur operuit, tunc confeſſi ſumus nomen Domini in æternum, & ſuſcepimus memoriale eius, vt ſit in nobis in ſeculum ſeculi,

Scala cœli.

F

Trinitatis myſter.ũ.

G

Animus mundior Deum admiratur.

H

Exod. 12

cro-

A credentes venturum iudicium, in quo cum indicauerit viuos & mortuos, in ſolis ſuis conſolabitur ſeruis. Melior enim ibi inuenietur fornicator Chriſtianus, quam caſtiſſimus idololatra. Simulachra enim in quibus ſpem habuit, habentia membra omnia ſine ſenſu, & capſam ſine ſpiritu. Similes illis erunt confidentes in eis, id eſt, ſimili incendio conflabuntur, non vt in aliquibus formis deducantur, ſed vt æterno conſumãtur incendio. Sola domus Iſrael in his qui mundo corde vident Deum, id eſt, in Apoſtolis fundata ipſa liberabitur, in qua domo benedicit Aaron in ſacerdotibus, & Leui in miniſtris eum his qui timent Dominum, id eſt, cum omni populo Chriſtiano, qui in canticis Dauidicis pſallit alleluia, benedicens Dominum ex Sion, qui habitat in Hieruſalem. Illam venturam de cœlis, Prophetis & Apoſtolis concionantibus credimus, in qua regnat Pater cum Filio & Spiritu ſancto per vniuerſa ſecula ſeculorum, Amen.

Alleluia, alleluia. CXXXV.

B *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius. Confitemini Deo deorum, quoniam. Confitemini Domino dominorum, quoniam. Qui fecit mirabilia magna ſolus, quoniam. Qui fecit cælos in intellectu, quoniam. Qui firmauit terram ſuper aquas, quoniam. Qui fecit luminaria magna, quoniam. Solem in poteſtatẽ diei, quoniam. Lunam & ſtellas in poteſtatem noctu, quoniam. Qui percuſſit Ægyptum cum primogenitis eorum, quoniam. In manu potenti & brachio excelſo, quoniam. Qui diuiſit mare rubrum in diuiſiones, quoniam. Et eduxit Iſrael per medium eius, quoniam. Et excuſſit Pharaonem & virtutem eius in mari rubro, quoniam. Qui traduxit populum ſuum per deſertum, quoniam. Qui percuſſit reges magnos, quoniam. Et occidit reges fortes, quoniam. Seon regem Amorrhæorum, quoniam. Et Og regem Baſan, quoniam. Et dedit terram eorum hæreditatẽ, quoniam. Hæreditatem Iſrael ſeruo ſuo, quoniam. Quia in humilitate noſtra memor fuit noſtri, quoniam. Et redemit nos ab inimicis noſtris, quoniam. Qui dat eſcam omni carni, quoniam. Confitemini Deo cæli, quoniam. Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum miſericordia eius.*

C

COMMENTARIVM.

Venimus ad alleluia quod duplex ſcribitur, in quo illud conſidero, quod nec caro ſine anima, nec anima ſine carne poterit Domino confiteri. Duo ergo in vnum duo alleluia decantent, vt dum ſunt in vno vitæ huius tranſitu, confitendi ordinem teneant, dicat caro alleluia ſuum, dicat anima ſuum. Duplex homo eſt, duplex alleluia eſt. Vterque confitemini Domino, primo quoniã bonus, & poſtea bona fuerit confeſſio fidei noſtræ. Tunc dicamus, in ſeculum miſericordia eius. Non poteſt perire confeſſio eius, qui in iſto ſeculo ſua delicta accuſat. Inueniet ſine dubio pietatem Dei, qui ſuam ei confeſſionẽ obtulerit: ſi quotidie accipiat confeſſionem noſtram, quotidie ſuam nobis bonitatem impartit. Et ſi nos in confitendo non deficiamus, quomodo ille in miſerendo ceſſabit? Peccauimus, negare non poſſumus, habemus multa peccata. Aliter eis non carebimus, niſi quotidie vt nobis dimittantur, Dominum exoremus. Siquidem eius doctrina ſit, *Dimitte nobis debita noſtra.* Confiteamur nos debitores debitori, nam & nos debitores ſumus Deo, & Deus eſt nobis debitor. Rogemus ne exigamur quod debemus. Rogemus ne reddat quod debet. Væ ergo nobis, ſi quod debemus exegerit. Nihil dicis, quaſi non Deus omnipotens, & regna cœlorum debeat quæ promiſit. Væ nobis, ſi quod debet reddiderit. Verum quia pius eſt, & Deus deorum eſt, & Dominus dominorum, quaſi qui nihil indiget, rogandus eſt vt dimittat. Sane tu qui miſericordiam flagitas, ſcias quia non inuenies, niſi rectæ fidei fueris confeſſione decoratus. Confitere ergo hunc eſſe Deum tuũ, qui fecit cœlos, in intellectu noſtro, vt ipſorum nobis ſolus pulchreſcat aſpectus: qui fundauit terrã ſuper aquas, vt corpus noſtrũ vnda ſacri baptiſmatis abluatur: qui fecit luminaria duo magna ſolus, vnum in die noui teſtamenti, quod ſicut ſol radiat in lumine agentibus, aliud in nocte Iudaica conuerſantibus. In nouo enim aperte quod legitur, ſicut in die in ipſa litera perluſtratur à Chriſto, qui eſt

Confeſſio quotidiana.

Matt. 6. D

Gen. 1.

E ſol verus iuſtitiæ. In veteri autem ſub literæ tegmine, quaſi in nocte poſitum, à luna, id eſt, ab Eccleſia manifeſtatur. Ipſa enim eſt luna quæ creſcit in ſanctis, decreſcit in peccatoribus, lucet in tenebris ignorantiæ poſitis, habet & ſtellas in gradibus ſuis. Aliter enim lucet in epiſcopo, aliter in presbytero, aliter in diacono, & in cæteris clericis, in quibus prædicatur Dominus, qui percuſſit Ægyptum cum primitiuis eorum, terram ſcilicet ſuperſtitionib. plenam cum dæmonijs, qui in ea degunt: qui ideo primogeniti dicuntur, quia nullus vetuſtior aut prior in peccato dæmonijs. Quibus percuſſis, educitur Iſrael de medio eorum. Quicunq; enim viderit *Deum in Chriſto mundum cõciliantem ſibi*, Iſrael factus, vtpote Deum videns, educitur de terra Ægypti quam percuſſit Dominus, & quomodo eijcitur? In manu, inquit, forti & brachio excelſo. Vtique in altitudine crucis eleuato brachio, quo excuſſit Pharaonem & exercitum eius, id eſt, in abyſſo, vbi æternæ tenebræ commorantur in ſinu. Et tranſducit populum ſuum in deſertum, videlicet ad conſilium ab omnib. curis ſecularibus alienum: ibi & educit aquam de petra rupis, & percutit aduerſus eum armatas gentes multas, id eſt, cogitationes iniquas, & reges fortes, id eſt, principes aeris huius mundi. Et Seon regem Amorrheorum. Amorrheos Hebraico ſermone extraneos interpretantur. Regẽ ergo Amorrheorum, id eſt, extraneorum interficit Dominus. Et regem Baſan. Baſan profundum Hebræi dicũt. Et regem ergo profundi, qui nos de ſuperioribus ad inferiora vult ducere, & hunc interficit Chriſtus & omnia regna eius, qui eſt irriſor, interficit: Cham enim irriſor exponitur. Ergo cum hos omnes interfecerit nobis Dominus, tunc dat terram eorum, id eſt, corpora noſtra, in quibus illi regnabant dat eam nobis in hæreditatem: ſi tamen facti Iſrael Deum videre per fidem, & non per ſpeciem cupiamus. Videat poſt hæc humilitatem noſtram, & liberet nos de manu omnium inimicorum noſtrorum. Sic enim & in alio Pſalmo ait, qui liberatum ſe eſſe cantauit: *Humiliatus ſum*, inquit, *& liberauit me.* Videamus illi duo verſiculi qui ſuperſunt, quo intendant. Qui dat eſcam omni carni. Et confitemini Deo cœli, quaſi qui dicat, cœli teſtes eſtis quia omnis caro alitum, hominum, pecudũ, atq; repentium à Deo paſcitur: hoc confitemini vos, ô cœli, Dominum dare eſcam omni carni: aut vos homines, Deum cœli credite creaſſe vniuerſa & paſcere omnia, quod anathemabilis Manichæus denegans, carnem omnẽ diabolo dicit auctore conſtare, & eius miniſterio ad pinguedinem ſaginari. Nos autem confiteamur hunc Deum eſſe cœli, qui dat eſcam omni carni, & ſicut iſte Pſalmus fecit, ita faciamus, vt per ſingula verba confeſſionis noſtræ cãtemus: Quoniam in ſeculum miſericordia eius, id eſt, Dei noſtri Patris, & Filij, qui regnat in vnitate deitatis, ante omnia, & nunc, & ſemper, & per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

1. Cor. 5.

F

Amorræi

G

Manichæus dicit carnẽ à diabolo

Alleluia Pſalmus Dauid. CXXXVI.

Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra. Quia illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum. Et qui abduxerunt nos, hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Si oblitus fuero tui Hieruſalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui? Si non propoſuero Hieruſalem, in principio lætitiæ meæ. Memor eſto Domine filiorum Edom, in die Hieruſalem. Qui dicunt exinanite, exinanite, vſque ad fundamentum in ea. Filia Babylonis miſera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis. Beatus qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad petram.

H

COMMENTARIVM.

Babylon confuſio interpretatur, & prima confuſio nõ fuit, niſi in parentibus noſtris ſecundũ carnem, id eſt, in Adam & in muliere eius. In ipſis nos ſedimus & fleuimus, quouſq; veniret qui nos de captiuitate diaboli & miniſtrorum eius auferret. Hæc quidem cum dicimus, non facimus præiudicium Prophetæ prædicenti Aſſyriorum rabiem & barbaricam feritatem, qua captiui ducendi erãt.

Babylon confuſio interpretatur.

A Factum eſt & ducti in Babyloniam, & omnia quæ Hieremias vir ſanctus ſcripſit. Nobis tamen quando captiuitas euenit peccatorum, ceſſamus ab omni vſu illo pſallendi. Confuſi enim ſumus, & Babylonia obſidet nos, & non eſt nobis fiducia aperiendi os in laudibus Dei. Ibi ſuſpendimus organa noſtra ſuper flumina Babylonis, ſuper affluẽtias facinorum. Ibi ſunt ſalices in medio fluminum, virgulta quæ ad ligandum faciunt, vnde ligantur vites fructiferæ. O Domine, diſrumpe vincula noſtra, vt poſſimus hoſtiam tibi laudis offerre, quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos verba cantionum: & qui abduxerunt nos hymnum. Aperiamus oculos mentis, & videbimus nobis dæmones inſultantes poſt peccatum, & quaſi in his verbis inſultationum ſuarum voces adhibere: Cantate ſicut ſolebatis, pſallite ſicut ſolitum vobis erat. His nos miſeri vel ſi nobis dolet flentes oculos oſtendamus, ſi voces proferre non poſſumus. Videant nos plorã-
B tes, ſi non poſſunt nos audire cantantes: illic, inquit, ſedimus & fleuimus. Ploremus quantum poſſumus, vt fluminibus lachrymarum noſtrarum flumina Babylonia ſuperemus. Suſpenſa ſunt enim organa noſtra, deficit vox gaudij, & non poſſumus cantare canticum Domino in terra aliena poſiti. Aliena enim à Deo facta ſunt corpora noſtra, per eos qui captiuos duxerunt nos. Veniat nobis in mentẽ mater noſtra Hieruſalem, dulcis in caſtitate, pura in ſimplicitate, lenis in correptione, munda in conuerſatione. Videamus animo quid perdidimus, quid inuenimus, & inter lachrymas exclamemus, dicentes: Si oblitus fuero tui Hieruſalem, obliuioni detur dextera mea, Adhæreat lingua mea gutturi meo, ſi non meminero tui. Non habebit principiũ lætitia mea, niſi ad te rediero. Et his dictis, mugitum imi cordis, gemitumque reddentes, clamemus ad Deum dicentes: Memento Domine filiorũ Edom, id eſt, filiorũ Eſau. Inimici tui ſunt, qui inualuerunt ſuper nos. Hæc res nobis conſolationẽ præbet, quia qui nos captiuos
C duxerunt, tu eos nunquã dilexiſti. Iacob ſemper dilexiſti, & Eſau odio habuiſti: id eſt, ſeruos tuos diligis in ſpecie Iacob quem dilexiſti, & filios Edom exhorres in ſpecie Eſau quem horruiſti. Ecce ij quos odiſti & odis, ſuper eos quos dilexiſti & diligis regnant. Exurge Domine, memor eſto impietatis eorum, quib. dicunt ſibi inuicem de Hieruſalem tua, quæ in nobis ſuam charitatẽ infuderat, ij inuicem ſecum agunt, dicentes: Exinanite, exinanite vſq; ad fundamentum, id eſt, vſq; ad fidem eorum pertingite, ne
Pſal. 60. iterum ædificent *turres fortitudinis à facie inimici.* Veni beate, veni Domine Ieſu Chriſte, veni inuiſibiliter contra inuiſibiles, & retribue eis retributionem, quam retribuerunt nobis, & tene & allide, non ſolum ipſos bellatores gigantes, ſed & paruulos eorum ad petram tuam, ſupra quam fundaſti Eccleſiam: ita vt non ſolum crimina illa ingentia, ſed etiam paruulum, & quod minus omnib. peccatis eſſe videtur, etiam hoc mortifices in nobis: dans nobis cõſilia quo peccata ſtatim vbi nata fuerint, allidamus ad petrã, & eadem creſcere nõ ſinamus, ne dum creuerint, iterato nobis barbaricum generent. Faciemus hæc, ſi ipſe qui eſt virtus noſtra, ſuis ita veris mentes figet definitionib. noſtris, cuſpidẽ crucis ſuæ, vt quomodo ad nos peruenerint ſug-
D gerentes, confundentes abſcedant. Si enim ad ſtatuas regum æreas confugientes perſequentes euadunt, quanto magis ad crucem confugientes Domini Ieſu Chriſti, à ſuis aduerſarijs teneri non poſſunt, ſed per ipſum magis, qui vicit in cruce, & ipſi victores exiſtunt, ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Cod. lib. 1. l. vnica, de his qui ad ſtatuas confugiunt ff. de pœnis. l. Capitalium, parag. ad ſtatuas.

Pſalmus ipſi Dauid. CXXXVII.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam audiſti omnia verba oris mei. In conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Super miſericordia tua, & veritate tua, quoniam magnificaſti ſuper omne nomen ſanctũ tuum. In quacunq; die inuocauero te velociter exaudi me, multiplicabis in anima mea virtutem. Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ, quia audierunt omnia verba oris tui. Et cantẽt in vijs Domini, quoniam magna eſt gloria Domini. Quoniam excelſus Dominus & humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit. Si ambu-
E *lauero in medio tribulationis viuificabis me, & ſuper iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſaluum me fecit dextera tua. Dominus retribuet pro me, Domine miſericordia tua in ſeculum, opera manuum tuarum ne deſpicias.*

COMMENTARIVM.

Confiteri in toto corde ille ſe comprobat Chriſto, qui totas duodecim vncias cordis ſui ipſi tradiderit, & ſuperfluis ac labentibus rebus nullam ſuæ mentis conceſſerit partem. Huius confeſſio peruenit ad diuinum auditum. Et qui pure in conſpectu hominũ Deo laudes obtulerat, incipit poſt depoſitionem corporis in conſpectu pſallere angelorum, & adorare templum ſanctum, id eſt,
Dominum Ieſum Chriſtum, *in quo plenitudo deitatis inhabitat.* Confitetur nomini eius, quia *in nomine Ieſu omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Quid confi- *Col. 2. Phil. 2.*
F tetur nomini ſancto? Miſericordiam, inquit, tuam, & veritatem tuam. Nihil aliud confitetur anima Deo in conſpectu angelorum, niſi miſericordiam qua redemptus eſt, & qua eruditus eſt, veritatem. Quam veritatem? Hanc ſine dubio, in qua magnificatum eſt ſuper omnia nomen
eius ſanctum. *Nomen* enim eſt hoc *quod eſt ſuper omne nomẽ.* *Ibidem.*
Videamus nunc quo ordine ad hoc poſſit attingi: In quacunq;, inquit, die inuocauero te, velociter exaudi me. Et quia per infirmitatem ſuam diminuta eſt anima mea, tu multiplica eam in virtute tua. Non enim poterit ſeipſa eruere anima de muſcipulis occultatis, & de foueis cæcis, in quib. regnant vitia ſuper eos, qui inciderunt ſuper eis. Vt ergo domino vitiorum eripiamur, in virtute Domini confidamus, vt ipſe multiplicet animam noſtram in virtute ſua. Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ, id eſt, omnes Apoſtoli, quia terrenis voluptatib. imperant. Reges terræ hoc loco dicti ſunt ipſi, qui audierunt verba ex ore tuo Domine Ieſu Chriſte. Ipſi etiam cantant in canticis Domino canticum. Duas res canit, vnius partis victoriam, alterius perditionem. Cantent ergo, quia magna eſt *Canticũ perditionis & victoriæ.*
G gloria Domini, quando in altis crucis habitans, reſpexit humilia inferorum, & alta de longe cognouit. Poſtea enim vidit inferos & longè factus eſt, nõ ſolum à cœlis, ſed ab ipſa terra: abyſſi profunda deſcendens ſcidit, & quia inde reuerteretur ad ſuperos, & quia à ſuperbis remearet ad cœlos. Sic ergo alta de longe cognouit, quando ambulantes nos in medio tribulationis viuificare dignatus eſt viſitando, & ſuper iras inimicorum noſtrorum extendit manus ſuas, crucis patibulum perferendo, quando ſaluauit nos dextera eius. Ipſi dicimus, Domine retribuo propter me. Propter me enim & natus & paſſus es, Domine miſericordia tua in ęternum. Non enim temporali nos beneficio redemiſti, ſed æterno auxilio tuæ miſericordiæ liberaſti. Opera manuum tuarum non omittas. Opera manuum tuarum ſumus, quia factura tua ſumus: & quia opera manuum tuarum per opera manuum noſtrarũ fuerant interemptá, manus tuæ pro peccatis noſtris cruci affixæ ſunt, vt opera ſua quæ per lignum cõcupiſcentiæ perierant, ipſæ manus quæ tunc creauerant, ipſæ nunc per crucis lignum iterum repararent in paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui regnat cum Patre & Spiritu ſancto, H
per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

In finem Pſalmus Dauid. CXXXVIII.

Domine probaſti me & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de longe, ſemitam meam & funiculum meum inueſtigaſti. Et omnes vias meas præuidiſti, quia non eſt ſermo in lingua mea. Ecce Domine tu cognouiſti omnia nouiſſima & antiqua, tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt & non potero ad eam. Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et dixi forſitan tenebræ conculcabũt me, & nox illuminatio mea in delitijs meis. Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ eius ita &

A *lumen eius. Quia tu poſſediſti renes meos, ſuſcepiſti me de vtero matris meæ. Confitebor tibi quoniam terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis. Non eſt occultatum os meum à te quod feciſti in occulto, & ſubſtantia mea in inferioribus terræ. Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur, dies formabuntur & nemo in eis. Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur, exurrexi & adhuc ſum tecum. Si occideris Deus peccatores, viri ſanguinum declinate à me. Quia dicitis in cogitatione, accipiant in vanitate ciuitates ſuas. Nonne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi. Proba me Deus, & ſcito cor meum, interroga me & cognoſce ſemitas meas. Et vide ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna.*

COMMENTARIVM.

B Domine probaſti me, quando ad militiam tuam acceſſi: & cognouiſti me militem tuum eſſe, quando pugnaui. Quis autem ſit miles Dei indicat beatiſſimus
Miles Chriſti. 2. Tim. 2. Paulus, cum illum approbat Dei eſſe militem, qui ſe à negotijs ſecularibus tollit. Verum quoniam de moralibus pene omnibus Pſalmis inſtituimus myſticum: nunc in Petro Apoſtolo declaremus effectum. Domine probaſti me: me quando vocaſti, cognouiſti: cognouiſti, quando præ-
Mat. 26. ſumpſi & auſus ſui dicere: *Etiam ſi me oporteat mori tecum non te negabo.* Tu autem cognouiſti omnes cogitationes meas longe antequam eas cogitarem. Semitam meam & directionem meam inueſtigaſti, & omnes vias meas præuidiſti & probaſti, & quia non erat dolus in lingua mea cũ dicerem: *Etiam ſi me oporteret mori tecum non te negabo.* Tu autem formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. Firmaſti me de tua præſcientia quod eſſem negaturus, & poſuiſti manum tuam ſuper me, vt peccatum lachrymæ ſequerentur. Mirabilis facta eſt præſcientia tua, ex me cõfortata eſt, non potero ad eam, conatus ſum non negare, promiſi me etiam mori magis eligere, quam negantis crimen incurrere, ſed præſcientia tua ita confortata eſt, vt
C non potuiſſem ad eam. Quid nunc faciam? Negaui Dominum & magiſtrum: nec, vt quidam opinantur, hominem negaui: ego illum negaui cui dixi, *Tu es Chriſtus filius Dei:* illum negaui quem pedibus ambulantem ſuper vndas expertus ſum, illum quem voce vidi ſola vocantem mortuos de ſepulchro, illum quem cœlis patentibus vidi cum Moyſe & Helia, & vocem ſuper eum Patris de cœ-
Ioan. 11. Mat. 17. lo: *Hic eſt Filius meus, ipſum audite:* illum qui cæcos tactu ſuo illuminauit, qui verbo leproſos mundauit, qui iuſſu dæmonia expulit, & multas virtutes ſuæ deitatis oſtendit. Quid nunc facimus Nouatiane, perdimus Apoſtolum Petrum, an recipimus reuertentem ad Chriſtum? Ecce Chriſtus eum recepit, tu eijcis. Sed clamat contra te Pau-
Rom. 8. lus: *Si Deus iuſtificat*, tu quare *condemnas*? Dicis certe baptizatis non debere pœnitentibus ſubueniri. Ecce Apoſtolo pœnitenti ſuccurritur, qui eſt Epiſcoporum Epiſcopus, & maior gradus redditur ploranti, quam ſublatus eſt deneganti. Quod vt doceam illud oſtendo, quod nullus Apoſtolorum nomen paſtoris accepit. Solus enim Do-
Ioan. 10. D minus Ieſus Chriſtus dicebat: *Ego ſum paſtor bonus:* & iterũ, Me, inquit, *ſequuntur oues meæ.* Hoc ergo nomen ſanctum, & ipſius nominis poteſtatem poſt reſurrectionem ſuam Petro pœnitenti conceſſit, & negatus negatori ſuo hanc quam ſolus habuit, tribuit poteſtatẽ: vt non ſolũ recuperaſſe quod amiſerat, probaretur, verumetiã & multo amplius pœnitendo, quam negando perdiderat, acquiſiſſe.
Cogitatio peccati. Hoc magiſter bonus in electo. Diſcipulos Chriſti ſi integro animo peccet oportet vt teneat, ita integro animo pœniteat ſi euenerit vt delinquat. Nec ſibi noxã permittere debet, vt creſcat, & quæ tanto citius vincitur, quanto & citius repugnatur. Certe omnis ſanctitas ad Deũ ducit, & omne peccatũ ad diabolum, & ſub Domino bono poſiti, quomodo credimus nobis poſſibilitatẽ ad diabolum
Credẽtiũ & infidelium populus. eundi cõceſſam, & reuertendi ad Dominũ denegatã? Addo aliud. Certe hominẽ per peccatũ à ſe recedere Deus nõ vult, & peccatorem ad ſe venire Deus vult. Si illud potuit fieri quod Deus non vult, quãto magis hoc poterit fieri, quod Deus vult? Ideo denique cogitatio peccati non eſt à Deo prohibita per naturã, ſed per impetũ præceptorum, vt labore E et pugna incũbente, præmium de certamine proueniret. Voluit enim Deus homini operis fatigationẽ relinquere, ne in aliqua detrimẽti parte præmiũ impediret. Duos certe bonorũ & malorum populos eſſe nemo eſt qui neſciat. Bonos dicimus credentes, & peſſimos nõ credentes. Non credentes eſſe ſub diabolo, & credentes eſſe ſub Deo. Magna prædicatio tua, ô Nouatiane, qui ſeruũ diaboli ad te vocas, & ſeruũ Dei à te repellis: quaſi qui velis Deũ lucrari quod non habet, & perdere quod habet. Huc adijcias & illud, quod poſſit Deus mortuos ſuſcitare, & infirmos ſaluare nõ poſſit. Nã increduli mortui ſunt, & credẽtes, licet peccatores ſint, viuũt in infirmitate ſua. Et ſi Saluator noſter habet, imo quia habet peritiã mortuos ſuſcitãdi, quomodo nõ habet quæcunque fuerint infirmitates curãdi. Ex vtroque latere blaſphematur vobis, qui pœnitentib. negatis effectũ. Si enim poſſe eum docetis infirmitates animæ cu- Pro pœnitentia cõtra Nouatianos. F
rare, ſed nolle, impiũ arguitis: ſi velle & nõ poſſe eum forſitã dixeritis, à deitate excluditis: & manet vobis ex vtroque latere condẽnatio, cum negatis familiæ Dei pereunti poſſe ſuccurri. Hactenus cũ Nouatiano ſim loquutus. Reuertamur ad Apoſtolũ pœnitentem, & flentẽ amantiſſimẽ atque dicentem: Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiã? Scio quia tu es Chriſtus filius Dei, quã ſcientiam *non mihi reuelauit caro & ſanguis, ſed Pater tuus qui in cœlis eſt.* Quo fu- Ioan. 6.
giam? quare Deũ noui & omnipotentẽ agnoui: ſi in cœlos aſcendero tu illic es, ſi deſcendero in infernũ ades. Ibi enim per paſſionẽ ſpecialiter deſcendiſti, vbi per potentiã tuam, ſicut vbique generaliter præſſu es. Si ſumpſero pẽnas meas ante lucẽ. Pennas hoc loco pro cogitationib. poſuit, quæ repentino volatu vbique ſunt, in cœlo, in terra, in abyſſo, & vbicunque finiunt maria. Si ergo, inquit, & in lucẽ reſurrectionis tuæ vadam vbicunque, inacceſſibilitas ſolet fugitiuũ abſcondere: vt illuc ire poſſim, manus tua deducet me, & quaſi fugitiuũ tenebris me dexterã tua. Ante lucẽ hic ante reſurrectionẽ poſuit Saluatoris. Quia in tenebris fuit omne ſeculũ iacente Domino in ſepulchro, in quo tẽpore pœnitentia Petri Apoſtoli agebatur, in qua etiã dixi, forſitan tenebræ conculcabunt me. Et tribus negationib. ſuis G tres fugarũ partes clauſas eſſe, ſi ibi fugeret memorabat, in cœlo, in inferno & in poſtremis maris. Ergo tenebræ negatæ ſunt & fugere cõculcatio tenebrarũ. Hoc timens ne ab his comprehenſus, ab ipſis tenebris calcaretur, quaſi tenebris ſubiectus, operiri eſſet deditus tenebrarũ, habens reatũ perẽnem, iuges lachrymas, dolores æternos. Hoc enim modo conculcantur tenebræ mortis huius, qua corporaliter morimur: Si vero moriens, inquit, non conculcabor à tenebris, ſed ad delicias ſanctorũ attingo, nox ipſa mortis illuminatio erit in delitijs meis. Ibi enim habebo lucẽ meam Chriſtũ meum, qui non patitur obſcuritatem tenebratum, in cuius conſpectu nox ſicut dies illuminabitur. Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Hoc contra Mani- Manichæus.
chæũ qui dicit, alterius principis ſũt tenebræ, alterius principis lux eſt. De noſtro autẽ Deo & cantamus & credimus, quia ſicut tenebræ eius ſunt, ita & lumẽ eius eſt. Tenebræ enim non omnib. creaturis obſcurum faciunt. Siquidẽ & feræ pene omnes, ſed & cattæ noctium nullũ patiũtur obſcurum, ſed & aues multæ ſunt, quæ in noctibus volant. H
Vnde docemur, naturã oculos noſtros à Creatore hanc eſſe ſortitos, vt in tenebris videre nõ poſſint: Deus enim ad requiem hominũ noctes inſtituit, vt generationis humanæ quieti poſſit eſſe conſultũ. Ipſius ergo ſunt tenebræ, cuius eſt lux, quod Manichæus negat. Ipſe eſt etiam Creator corporum noſtrorũ, contra quod ſuſcipit, cui in præſenti pœnitens Petrus ait: Tu poſſediſti renes meos, qui ſuſcepiſti me ex vtero matris meæ. Sicut in ore dum loquimur & in opere aliquo dũ operamur, cordis noſtri cogitata oſtẽdimus: ita quod in corde cogitamus, antequam dicendo vel operando pandatur, à renibus gignitur: ſecundum illud, quod in alio pſalmo dicimus Deo, quod non ſolum corda, ſed & renes ſcrutetur. Cum ergo dicit pœnitẽs Deo: Quoniã tu poſſediſti renes meos: Dicit ei, Quia nã tibi in me nihil occultũ eſt, vt nõ ſolũ cogitata quæ ſunt in corde Nox ad quietem.

A

conſideres, ſed & cogitanda quæ ſunt in renibus cernas tu Domine, qui ſuſcepiſti me ex vtero matris meæ, ita vt quicquid ab ortu meo ſemiſonis balbutiẽtis infantiæ verbis aliquid fortè peccaui cognoſcas. Etiã in hoc confiteor, quia terribiliter mihi mirificatus es, mira opera tua quę oculis meis vidi, & te exercẽte Domine Ieſu Chriſte cognoui, & anima mea nouit nimis. Intus in me eſt ꝙ credidi, nõ in ſuperficie verborum, ſed intus in viſcerib. animæ, quod ita eſſe tibi non eſt occultum. Siquidem tibi occultum nõ eſt, nec os meum, id eſt, oſſum meũ, quod feciſti in occulto. Si ergo nec os meum tibi occultũ eſt quod eſſe naturaliter voluiſti, quid erit ante te occultum in corde ꝙ manifeſtari iuſſiſti? Ad altiora ducimur cum de oſſibus & ſubſtantia quæ in inferiorib. eſt terræ tractamus. Agitur enim hoc loco quod dies reſurrectionis aduenerit: Vbicũque, inquit, fuerit os meum, & vbicunq; in inferioribus terræ fuerit ſubſtantia mea, imperfectum meum videbunt oculi tui. Imperfectum meum carens neruos, carens cutem, ſpiritum non habens, hoc videbunt oculi tui, quia ſolo aſpectu oculorum tuorum exurget. In libro enim reſurrectionis omnes homines qui nati ſunt, omnes ſcribuntur, quotquot ad diẽ formabuntur, & nemo in eis qui ibi ſcriptus non ſit. In quo libro mihi non ſunt in amore & in honore, niſi amici tui Deus. Nimis enim cõfortati ſunt principatus eorum. Siquidem participes eos tui eſſe ęterni imperij repromittis, nec vt hæretici dicunt, nõ debuit mundus ſubſiſtere per eum, qui pręſcius erat homines, per peccata ſua & ſcelera ad æternum gehennæ incendium deſtinandos. Si ita putatis debuiſſe fieri, conſultum magis reis iudicatis eſſe quam ſanctis. Si enim mundus à ſuo fuiſſet tranſitu reuocatus, nullus fuiſſet ſanctorũ particeps regni. Et dum prouidebatur malis, ne ad interitum deuenirent, impediebatur bonis, ne ad gloriam peruenirent: & vt non perirent pro merito ſuo mali, hanc boni accipiebant ſententiam, ne vel temporalem vitam ſuſciperent, quibus debebatur æterna. Nos autem cum Propheta gaudeamus in ſanctis Dei, & cum Apoſtolo dignis honorib. amicos Domini recordemur, quorum tantus eſt numerus, vt ſuper arenam multiplicati eſſe noſcantur. Quid nunc ſi occidit Dominus peccatores? Occidat Neronem, & poſt eum omnes viros ſanguinarios qui ſanctos Domini occiderunt. Si veſtrum, ô hæretici, Deus ſequutus eſſet conſilium, ne perirent Nero aut Diocletianus, vel cæteri interfectores ſanctorum, non feciſſet nec Apoſtolos, nec martyres naſci, eſſetq; par iudicium in iniuſtis & iuſtis, & omnes vna præueniens ſententia, per quam ſimul omnes viderentur ante puniti quam nati. Sed vos, ô viri ſanguinum, declinate à nobis, qui dicitis, Quia in vanum acceperint homines ciuitates ſuas: hoc eſt, ſine cauſa ſunt mortales effecti, & omnia cum mundo pereunt, & ipſa perditio. Non ita eſt, omnes in libro ſcripti ſunt. Omnes reſurgunt, ſed *alijs* dabitur *odor vitæ in vitam* æternam, *alijs odor mortis in mortem* perpetuam, vbi deueniunt hi de quib. dicitur: Nonne qui te oderunt Deus odio habui, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Hæc Petrus in Eccleſia loquitur, & eccleſia in Petro pronunciat? Perfecto, inquit, odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi, & ideo his anathematizatis: Proba me, inquit, Domine, & ſcito cor meum, quid de te ſentiã, quid de te credam interroga me, & ſcito ſemitas meas, ſit tibi ſollicitudo de eccleſia tua, & de ouibus tuis, & vide ſi via iniquitatis diabolus eſt, qui ſe ad ambulandum in ea in incredulis & hæreticis præbet: Vide, inquit, in populũ tuum, ne ſit aliquis in quo via iniquitatis iter errorib. præbeat, & excludens viam iniquitatis deduc me in viam æternam, vt portæ mortis & inferi non præualeant mihi, ſecundum verbum tuum Domine Ieſu Chriſte, qui regnas cum Patre & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

Mirificatus.

Oſſum.

Liber reſurrectionis.

B

C

Malos expedit eſſe

2. Cor. 2.

D

Matt. 16.

In finem Pſalmus Dauid. CXXXIX.

*E*Ripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo eripe me. Qui cogitauerunt iniquitates in corde, tota die conſtituebant prælia. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labijs eorum. Cuſtodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me, Qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. Et funes extenderunt in laqueum, iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi. Dixi Domino Deus meus es tu, exaudi Domine vocem deprecationis meæ. Domine, Domine virtus ſalutis meæ, obumbraſti ſuper caput meum in die belli. Non tradas me Domine à deſiderio meo peccatori: cogitauerunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur. Caput circuitus eorum, labor labiorum ipſorum operiet eos. Cadent ſuper eos carbones, in ignem deijcies eos, in miſerijs non ſubſiſtent. Vir linguoſus non dirigetur in terra, virum iniuſtum mala capiant in interitu. Cognoui quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum. Verumtamen iuſti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.*

E

COMMENTARIVM.

CAuendum eſt, ne quando ſenſus noſter illuc vadat, vbi genuino motu laus creaturæ conſiſtit. Malus enim per creaturam, nec ipſe eſt diabolus. Quod ſi per naturam, nec diabolus malus eſt, quanto magis homo malus agendo non naſcendo probabitur? Nam omnis natura opus eſt Dei. Omne autem peccatum opus eſt contemptoris, quod & ipſum peccatum non ſui natura malum eſt. Malum enim illud non facit ſola operatio, ſed præuaricatio. Quoniam prohibita dum geruntur, & eius qui prohibuit iudicio deſtinantur iræ, increpata damnantur. Denique & ipſa prohibita & in bonis & in malis rebus reum faciunt perpetrantem. Nam homicidium ſummum malum in hominibus, & miſericordia ſummum bonum obtinet locum, quod vtrumque vocatur in crimen. Nam & Cain cur occiderit, à facie Dei proijcitur. Et Saul, cur non occiderit, à regno occiditur. Iſta fortè apud veteres dicas potuiſſe conſtare: Nunc vero in quauis perſona miſericordia probatur eſſe virtutis, cum econtra doceamus grauius puniri ſpiritali nunc iudicio, quam antea puniti ſunt ferro: Nam ferro tollitur vita vt multum quinquaginta annorum. Anathematis autem cæde & vita æterna eripitur, & mors perpetua irrogatur. Eum autem qui pepercerit hæreſiarchis aut prædicatoribus falſitatis, & non eos gladio fidei ſuæ iugulauerit, hoc ei euenire quod euenit Sauli quis ambigat? Aut qui miſericordiam ſuam putauerit ſe in hæreſi permanentibus exhibere, quis neget ſimili modo à regno Dei excludi, ſicut Saul à regno humano probatur excluſus? Quis autem dubitet Cain eſſe participem, qui iuſtum per inuidiam auſus fuerit condemnare? Siquidem auctoritas Apoſtolici ſermonis affirmet, quod *omnis qui odit fratrem ſuum homicida ſit.* Libra ergo iuſti iudicij æquali lance perpenſa, & nocentem dum interficit, & liberat innocentem, oſtendit & miſericordiam iniuſtam in impio, & pio cædem crudeliter irrogatam. Cum ergo arguitur factum in impio, Deus contemptus oſtenditur, in quo non pro qualitate humani operis, ſed pro auctoritate diuini imperij, quæ ſunt perpetrata, ſi ſunt prohibita iure damnantur: ſi iuſſa ſunt, iure laudantur. Nam homicidium in Abel malum, in Goliad bonum eſt: Et mendacium in Iudith bonum, contra Suſannam malum eſt. Et vſus coniugij in coniugibus bonus eſt, in adulteris malus eſt. Et aſtutia ſerpentina contra malos bona eſt, contra bonos mala eſt. Et omne opus etiam ſanctum præſumptio crimen eſt, etiam ſi myſterijs ipſis videatur aptatum. Quid enim tam ſanctum quam communionem Chriſti percipere? Et quid tam iniquum quam ſi non baptizatus eadem ſumat? Aut quid tam magnificum, quam ſacramenta diuina conficere? Et quid tam pernicioſum, quam ſi ea is conficiat, qui nullum officij gradum accepit? Data ergo occaſione ſapienti, fecimus ex omni parte manifeſtum omne malum non eſſe, niſi quod fieri prohibet Deus: nec bonum, niſi quod fieri præcepit DEVS. Cum ergo vel prohibita perpetrauerit homo, vel iuſſa contempſerit, actio eum efficit malum. Et ideo cum dixiſſet: Eripe me Domine ab homine malo, actiones eius militiæ expoſuit, vt malos homines non naturæ qualitas, ſed operationum nequitia manifeſtet. Ait enim Domine libera

F

Diabolus actione malus.

Gen. 4.

1. Reg. 17.

Qui parcit hæreticis, offendit.

G

1. Ioan. 3.

Gen. 4.

1. Reg. 21.

Iudith. 13.

Dan. 13.

H

Non baptizatus arcetur communione.

A me ab his, qui cogitauerunt malitias in corde. Ceſſat generationis accuſatio, vbi cogitationis prauitas increpatur. Tota, inquit, die conſtituerunt prælium. Cum audis prælium pugnantes caue, ſiue quos vides, ſiue quos nõ vides. Nam & iſtos quos vides per illos ſcias, quos non vides excitatos. Quos enim vides, homines ſunt. Quos autẽ non vides, ſpiritus nequã ſunt. Age ergo & pugnantib. pugna. Et ſi auxiliũ poſcis à Rege, te repugnantem oſtende. Linguę contra te pugnant, quas acuunt hæretici, ſicut ſerpentes. His & tu eſto ſicut ſerpens aſtutus, & te ſimplicem, vt columbam eſſe ciuibus tuis, id eſt, Catholicis ſolis oſtende. Cæterum hæreticis & cunctis contra veritatem veniẽtibus, ipſis ſerpentib. eſto aſtutior. Noli timere, iuſſum tibi eſt à Domino tuo: tam bona eſt aſtutia contra malitiam, quam benigna ſimplicitas circa iuſtitiam. Occide hæreticos, & Domini tui ſpiritali gladio interfice inimicos. Quid enim faciunt inimici Dei, id eſt, immundi ſpiritus? Volunt excludere de templo ſuo Dominum, id eſt, Spiritum

B ſanctum. Et ipſi ibi volunt habitare, id eſt, in te. Templũ Dei tu es. Et quid conantur hæretici? Volunt excludere à te veritatem, & in te intus fallaciam claudere. Occide vtroſq;, & aſſertiones falſas, aſſertionib. veris exupera, atque ſuggeſtiones dæmonum, diuinæ legis ſententijs vince.

Matt.17. Verũ quia dæmonia ieiunijs & orationib. ſuperari poſſe didiciſti, tene ordinem belli, ſicut te præſens Pſalmus edocet, Abſconderunt enim ſuperbi laqueos mihi. Quare ſuperbi? Quia contemptores Dei. Quomodo abſconderunt? Faciunt dulce videri quod amarum eſt, & æſtimari bonum quod malum eſt. Et funes tetenderunt in muſcipula pedibus meis. De pedibus mentis euidenter inſtrueris, quib. funes ſunt tenſæ aſſertiones hæreticorum, cum ſyllogiſmis vincula conantur innectere greſſibus ſanctis, vt videantur tibi vera eſſe quæ falſa ſunt. Funes etiam ſunt ſuggeſtiones dæmonum, quib. qui conſenſerit, ligabitur ab eis: Iuxta ſemitam, inquit, ſcandalum poſuerunt mihi. Semitam ambulanti caſtitatis, occurrit fornicationis ſtimulus. Semitam veritatis eunti, occurrit aſſertio fal-

C ſitatis. Quid ad hæc? Clama: Obumbra Domine ſuper caput meum in die belli, tu mihi eſto galea tegens caput, vt non tradat in deſiderio peccatorum. Cogitauerunt enim aduerſum me. Non tradas me, ne vnquam exaltentur. Caput circuitus eorum, ſed labor labiorum eorũ operiat eos, vt de ſuis ſibimet aſſertionibus conuincantur: verbi gratia, dicunt dæmonia ſuggeſtionib. ſuis: Dulcis amplexus, ſuaue oſculum, delectabilis fornicatio. Ego dicam eis: Vnius horæ, imo vnius puncti delectamentum eſt, ſed eſt æternæ mortis interitus. Dicunt verbi cauſa, hæretici aſſertionibus ſuis: Pater maior eſt, Filius minor. Ego reſpondeam. Qui maior eſt, ſeneſcit & deficit: qui minor eſt, iuueneſcit, & ſimiliter grandeſcit: vt deſinat. Deus autẽ, nec minor nec maior eſt, quia ſicut finem non habet, nec initium habuit. Semper fuit immutabilis Pater, & ſemper fuit cuius eſſet Pater, nec vnquam fuit ſine Spiritu ſancto.

Arriani. Ac per hoc Pater nunquam fuit ſine bonitate, quæ eſt Filius: nũquam fuit ſine ſanctitate, quæ eſt Spiritus ſanctus. His itaq; aſſertionibus tuis, labor labiorum eorum operiet eos, & cadent ſuper eos carbones ignis, in ſpiritibus

D immundis, vt exurantur in hæreticis & ſchiſmaticis, vt ad ſuum Dominum reuertantur. Quod ſi permanſerit in aſſertionib. ſuis peruerſus aſſertor, & vir linguoſus non directus fuerit ſuper terram, id eſt, dum eſt in corpore non direxerit vir linguoſus ab aſſertionib. prauis linguam ſuã, iniuſtus effectus iniuſtitiæ ſuæ eum ſententia comitabitur talis, vt eum mala cooperiant ad interitum ſempiternum. Cognoui enim quoniam faciet Dominus iudicium inopum, eorum ſine dubio qui ſimpliciter incurrunt, qui inopia ſenſus fatigati, venenoſos cibos hæreſeos in eſca percipiunt. Quid ergo putamus, quod iudicium futurũ iſtos ſolos percutiat, qui venenoſas eſcas eſurientib. tradunt? Ego æſtimo ad illos magis tendere ſententiam, qui eos cibo ſalubri non reficiunt. Si enim Catholici doctores reficerent, hæretici ſubripere non valerent. Vnde iſte ſermo comminantis iudicium plus ad nos quã ad illos attingit. Nos enim, nos inquam, iſto comminationis ſtimulo excitamur, quo facturus legitur Deus iudicium inopis, & vindictam pauperis. Siquidem vt Propheta teſtatur,

E dicturus eſt: Ecce *lac comediſtis, & lanis cooperiebamini*, & oues meæ à lupis inuaſæ ſunt, & dum non procuraſtis paſcua ſalubria, ab inimicis meis eis ſunt herbæ morbidæ procuratæ. — Audi Epiſcope. Ezech.34.

Caueant ergo omnes, qui poſſunt eſcas vtiles eſurientibus dare. Caueant, inquam, quia ſi ab ipſis vitales non acceperint cibos, ab hoſtibus mortales accipient, & iudicabimur in iudicio, quod erit iudicium inopũ, & vindicta pauperum. Tunc ſine dubio, quando iuſti confitebuntur nomini ſancto, & habitabunt recti cum Chriſto, qui regnat cum Patre & Spiritu ſancto, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Pſalmus Dauid. CXL.

Domine clamaui ad te, exaudi me, intende voci meæ cum clamauero ad te. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis. Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Cum hominibus operantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum. Corripiet me iuſtus in miſericordia & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitu eorum, abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum. Audient verba mea quoniam potuerunt, ſicut craſſitudo terræ erupta eſt ſuper terram. Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum, quia ad te Domine oculi mei, in te ſperaui, non auferas animam meam. Cuſtodi me à laqueo quem abſconderunt mihi, & à ſcandalis operantium iniquitatem Cadent in retiaculo eius peccatores, ſingulariter ſum ego donec tranſeã. — F

COMMENTARIVM.

Ordo Pſalmi qui fidem accepit, in præſentis Pſalmi extenditur textum. Ibi enim dixit: *Eripe me Domine ab homine malo*, &c. Hic, Domine clamaui ad te, exaudi me. Et vt oſtenderet ſe de hæreticis dixiſſe, qui cogitant malitias in corde. Hic dicit: Non declines cor meum in verba malitiæ, ſed pone cuſtodiam ori meo, & oſtiũ circumſtantiæ labijs meis: ne forte dum ſtudio defendendæ veritatis conor multos proferre ſermones, offendam, & habeam partem cum hominibus operantibus iniquitatẽ. — G

Sed quia hoc rogo, vt non communicer cum electis eorum, præſta mihi correptionem tuam, vt ſit iuſtus mihi imperans, cuius meus error corrigatur exemplo. Incomparabile donum Dei eſt, quando nobis quicunq; ſuper faciem terræ, iuſtus oſtenditur. Habet Deus diues in omnibus, habet, inquam habet ſeruos & benignos & iuſtos, ſed non ſumus digni notitiæ eorum. Beatus cui conceditur Dei famulum noſſe, qui corripiat in miſericordia, & increpet in amore Dei. Væ autem mihi & meis ſimilibus, quia inuicem nobis oleo capita impinguamus, & adulantes nobis inuicem in præſenti poſiti, ſanctos nos vocamus & non nos. Abſentes vero nos ita mordemus, atq; percutimus, vt recte canibus comparemur. Horum, inquit, oleum, id eſt, horum adulatio, nõ impinguet caput meum. — H

At magis oratio mea in beneplacitis eorum, id eſt, oro ne placeant mihi, quæ beneplacita ſunt eis, qui abſorpti ſunt iuncti petræ. Iudices eorum iuxta petram ſunt hæretici, non ſuper petram: Nam ſi ſuper petram erant abſorberi non poterant. — Hæretici.

Nunc autem fundamentum petræ ſolidæ relinquentes, iuxta ipſam petram fabricant in arena, vbi nidos ſuos conſtruentes, cum ſuis paruulis abſorbentur: Non ſe, inquit, excuſent ſermo propheticus, ſed audiant verba mea, quoniam potuerunt, habent ſenſum, ingeniũ, intelligentiam. Audiant verba mea, tollant ſua verba. Audiant, aperiant auditum ſuum verbis meis. Sicut craſſitudo terræ eructuat ſuper terram, vbicunq; macra terra eſt, & ſabolo, arenæque permixta non excrepit. Pinguis autem terra ita ſe aperit, vt quaſi os ſuum cœlo apertum oſtendat, vt quicquid è cœlis fuerit miſſum, ſitienter excipiat: ita, inquit, iſti audiant verba mea, ſicut craſſitudo terræ eructuat in fruge, frumenti, vini & olei, & quã pinguis ſit infra ſe, ſuper ſe eructuat. Diſſipata ſunt oſſa noſtra

A ſecus infernum. Græcus dicit, oſſa eorum. Siue ergo noſtra, ſiue eorum oſſa ſecus infernum poſita diſſipantur. Sicut cera ſecus focũ poſita molleſcit, in foco autem maſſa liqueſcit, & deperit: ita oſſa noſtra ſecus infernum poſita molleſcunt, in inferno autem maſſæ liqueſcũt. Nam iuxta infernum ſunt, quando iuxta illos ſumus, qui nobis ſomitem tribuunt delinquendi, ſiue quando illis cogitationibus non reſiſtimus, quæ ſe ingerunt turpiter menti: ſiue quando ſocietatem noſtram diuerſitas ſexus inquietat: ſiue quando talibus iungimur, quib. Chriſtianæ regulæ nũ placet curſus, ſiue quando iungimur hæreticis, & quaſi ſub ſpecie amicitiæ, cum his videmur inire conflictum, & non aperta fronte, vt Romani contra Barbaros repugnamus. Ibi diſſipantur oſſa noſtra iuxta poſita, & ſecus ipſum infernum collocata. Si vero vni horum per ipſam viciniatem fuerimus adiuncti, non ſolum oſſa, ſed & ipſa anima diſſipatur. Dicamus ergo cum clamore: Ad te Domine

B Domine oculi mei, in te ſperaui, nõ auferas animam meã, non eam auferas de libro vitæ, vbi ſunt Catholici, & in libro mortis inferas, vbi hæreticorum conuenticula condẽnantur, ſed cuſtodi me à laqueo quem ſtatuerunt mihi, & ab ſcandalis operantium iniquitatem. Ibi enim reticulũ tetenderunt, vt in vno de quib. ſupra diximus capiant ibi, vbi cadunt peccatores, à quibus bis alienus effectus, ſingulariter viuam donec exeam, ſiue tranſeam. Melius eſt enim mihi ſolitaria conuerſatio habens vitam, quam vt in multitudine conuerſatus, mortem incurram. Singulariter viuendum eſt, vbi ſocietas vitæ præſentis æternæ vitæ cõmodis aduerſatur, cuius retiaculo orẽmus inſtanter, vt dirigatur oratio noſtra in conſpectu Dei, ſicut thymiamatis incenſum. Sic enim in Græco pſallitur: Dirigatur oratio noſtra in conſpectu Dei ſicut thymiama, id eſt, vt in odorem ſuauitatis ſacrificium noſtræ orationis accipiat. Sacrificium noſtrum veſpertinum ſit, id eſt, iuxta finem lucis huius, qua hora ab hac luce migramus. Tunc enim in ſacrificio veſpertino ſumus, ibi eſt tota noſtræ cogitationis

C ponenda intentio, vt leuantes manus noſtras in ſigno crucis, dum ad Dominum pergimus, gratulemur in Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui in vnitate deitatis viuit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

In libro mortis hæretici.

Leuare manus in ſigno crucis.

Intellectus Dauid, cum eſſet in ſpelunca Oratio. CXLI.

Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus ſum. Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuntio. In deficiendo ex me ſpiritum meum, & tu cognouiſti ſemitas meas. In via hac qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. Conſiderabam ad dexteram & videbam, & non erat qui cognoſceret me. Perijt fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam. Clamaui ad te Domine, dixi tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium. Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus ſum nimis. Libera me à perſequentibus me, quoniam confortati ſunt ſuper me. Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo, me expectant iuſti, donec retribuas mihi.

D

COMMENTARIVM.

1. Reg. 24.

CVm à facie Saulis lateret in ſpelunca Dauid profugus, iſtum Pſalmum legitur cecinisse. Voce, inquit, mea, ad Dominum clamaui, & voce mea Dominum deprecatus ſum. Effundo in conſpectu eius orationem meã, & tribulationem meam ante ipſum pronuncio: In defectu enim ait, ſpiritus mei, ibi cognouiſti ſemitas meas. Ibi clama, ô Chriſtiane, ibi effunde in conſpectu Dei orationem tuam, ibi tribulationem tuam pronuntia, non perditis rebus, non facultatibus, non agrorum finibus, vel his quæ nobis depoſito corpore neceſſaria penitus non ſunt, ſed in defectu ſpiritus tui, ibi eſto ſollicitus. Ibi enim cognoſcuntur ſemitæ tuæ. Defectus ſpiritus noſtri eſt, quando nos carnalium rerũ neceſſitates aut delectationes inuadunt. Ibi enim abſconditi ſunt laquei nobis à diabolo, & miniſtris eius. Tunc conſideramus ad dexteram, id eſt,

E ad lectionem, ad orationem, ad pſalmũ, & non delectamur, ſed ſic redimus mœſti, vt ſic noſipſos agnoſcere valeamus. Extranei nobis fiunt ipſi apices ſancti, & quaſi in carcere poſiti, noſmetipſos agnoſcere non valemus. Tunc perijt fuga à nobis, & illud quod nobis clamat Apoſtolus: *Fugite fornicationem*, non ſurda aure tranſimus. Intus eſt enim malum, intus eſt hoſtis. Tunc quando perit iſta fuga à nobis, & non eſt cogitatus, non compunctio ex affectu aliquo qui requirat animam, nec redit ad ſenſum meum, vt requiram animam meam, & dicam illi: Age actus meos noli perdere, quod tanto tempore laboraſti. Hæc nunc dico. Quare? Quia defecit in me ſpiritus meus, tempore quando in via qua ambulam, abſconderunt laqueos mihi. Et quia perijt fuga à me, aliud quo poſſim euadere penitus non habebo, niſi totis viribus clamẽ ad te Domine: Pereant omnia quæ in mundo ſunt, tu ſpes mea, tu portio mea in terra viuentium. Intẽde in orationem meam, quo-

F niam humiliatus ſum nimis. Tenent me peccata mea, & iugum ſuum poſuerunt ſuper me, per peccata mea principes vitiorum & criminum. Tu libera me à perſequentibus me, quoniam confortati ſunt ſuper me, & educ de carcere animam meam. Tunc enim carcerem patitur anima noſtra, dum hinc inde nobis clauſum ad lectionem, vel orationem, vel ad bonum curſum, ſiue mundi occupationes, ſiue corporeæ delectationes efficiunt. Nec, vt quidam putant, corpus humanum carcerem audemus dicere, quod *templum Dei* Paulus Apoſtolus eſſe teſtatur? ſed carcerem patimur, quando orare non delectat, quando faſtidimus in ſpiritalibus cibis, & tunc neceſſitatum terrenarum clauſtris, nunc delectationum oſtijs conclusi deficimus. Verus carcer animæ in te eſt, pro quo totis viribus eſt clamandum ad Chriſtum, vt educat de carcere hoc animas noſtras ad confitendum nomini ſuo, vt incipiat eã delectatio confeſſionis excolere, quæ deſerta facta eſt orationis & lectionis, & ſpiritalis exercitij cultura ceſſante.

G Cum ergo ex hoc carcere eduxeris animam meam, & cœpero recto tenore confiteri nomini tuo, tunc me expectãt iuſti, donec mihi retribuas in Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui regnat cum Patre & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum, Amen.

1. Cor. 6.

Pſalmus Dauid, quando perſequebatur eum filius ſuus Abſalon. CXLII.

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua iuſtitia. Et non intres in iudicio cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Quia perſecutus eſt inimicus animam meam, humiliauit in terra vitam meam. Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi, & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum. Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnib. operibus tuis, & in factis manuũ tuarum meditabar. Expandi manus meas ad te, anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Velociter exaudi me Domine, defecit ſpiritus meus. Non auertas faciem tuam à me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum. Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam, quia in te ſperaui. Notam fac mihi

H *viam in qua ambulem, quia ad te leuaui animam meam. Eripe me de inimicis meis Domine, quia ad te confugi, doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua. Educes de tribulatione animam meam, & in miſericordia tua diſperdes omnes inimicos meos. Et perdes omnes qui tribulant animam meam, quoniam ego ſeruus tuus ſum.*

COMMENTARIVM.

SIc inchoauit Pſalmiſta, vt in terrorem mitteret omne humanum genus. Quis enim audeat Deo dicere exaudi me in veritate tua, & in tua iuſtitia? Verum enim & iuſtum eſt, vt qui peccauerit puniatur acerrimè. Cœpit ſic Propheta, principio tali aliquid iungendo ſubſequere, vt pſallentes reſpirare poſſimus: Non intres, inquit, in iudicio cum ſeruo tuo. Hoc ergo voluiſti dicere iuſtitia tua eſt,

Peccatũ clamat ſupplicium.

vt Do-

A vt Dominus in iudicio intraret cum ſeruo contremiſcas. Quis enim ad comparationem tuam iuſtificabitur homo, quamuis ſanctum, electum, & mundum, & laudabilem in conſpectu tuo, id eſt, ad comparationem tuam, ſiue diuina iudicia, ſiue humana probare non poſſunt. Omnis enim pulchritudo te præſente deformis eſt. Omnis fortitudo te pręſente infirma. Omnes diuitię te pręſente mendicitas. Omnis iuſtitia humana te præſente iniuſtitia. Et vt vicinam iuſtitiæ tuæ iuſtitiam humanam exquirere deſinas quæſo, quoniam perſequutus eſt inimicus animam meam, humiliauit in terra, id eſt, in corpore vitam meam, collocauit me in obſcuro ſicut mortuum ſeculi. Tanta me obſcuritate ſuæ circumdedit fraudis, vt mortuũ me apud Deum credens, putarem me nullum recuperationis apud iuſtitiam tuam auditum inuenire: ideo anxiatus eſt in me ſpiritus meus, & in me turbatum eſt cor meum. Cœpi recordari dierum antiquorũ, quantis pro miſericordia ſubuenire dignatus es. Et meditatus ſum in omnibus operi-

B bus, quibus didici omnibus te deprecantibus ſubuenire. Et ideo ego expandi manus meas ad te, quia anima mea ſicut terra ſine aqua, ſic in peccatis ſicca facta eſt, quaſi quę non habeat aquam baptiſmatis. Velociter exaudi me Domine, defecit ſpiritus meus, id eſt, ſpiritalis in me vita defecit. Non auertas faciem tuam à me, & ero ſimilis deſcendentibus in lacum, id eſt, ſimilis ero in morte damnatis. Non tamen particeps, ſed ſimilis: ſimilis, quia peccaui: & non particeps, quia ad tuam miſericordiam conuolaui. Fac ergo auditam mihi manè miſericordiam tuam, quoniam in te ſperaui Domine. Ideò manè poſuit, quia tamdiu noctem & tenebras patimur, quamdiu pietas diuina compungat, clementia pietatis indulgeat. At vbi vox cœperit pœnitentis audiri, & lux indulgentis oſtendi, nox omnis abſcedit, & initium lucis accedit, in qua luce non erramus, ſed quaſi in die poſiti, honeſti ambulamus. Notam enim nobis faciet viam quam ambulemus in lucem, ſi ad ipſum leuauerimus animas noſtras. Sicut enim in tenebris poſiti, lucem indigent, ita in luce poſiti,

C ducem qui liberet ab errore. Et ideo dicendum eſt ab his, qui in luce ſunt: Notam fac mihi viam in qua ambulem, quoniam ad te leuaui animam meam. Eripe me de inimicis meis, quoniam ad te confugi. Qui ad patronum vadit: ſic ſe ab eo liberari poſtulat, ſi vt eius agnoſcat voluntatem exorat. Dubius eſt enim de patrono ſuſceptus, ſi non & ſuam indicauerit voluntatem. Et ideò poſtea quam dixit Deo: Ad te confugi. Adiecit: Doce me facere voluntatem tuam. Vis ergo o homo, habere patronum Dominum, diſce voluntatem eius. Fac quod vult, & faciet quod vis. Diximus ergo patrono: Eripe me de inimicijs meis: Inimici nobis ſunt ſpiritus immundi. Qui tunc à nobis fugiunt, quando in nobis ſentiunt Spiritum ſanctum. Et ideo rogandus eſt Spiritus ſanctus, vt ipſe deducat nos in terram. Terra enim corporis noſtri tunc recta eſt, cùm in ea eſt Spiritus ſanctus. Et quotieſcunque ſuam viam nobis ſpiritus nequam ad ambulandum ingeſſerit, toties deducet nos in terram rectam: & ſi noſtra merita

D deſunt, imò quia deſunt, Ipſe tamen propter nomen ſuum viuificat nos in æquitate ſua. Hoc æquitatis ſuæ iudicio ſtatuens, vt perdat omnes inimicos noſtros, qui ideo nobis inimici ſunt, quia nos ſerui eſſe Domini ſtudemus. Hanc, inquit, ob cauſam perdes omnes inimicos meos. Quoniam ſeruus tuus ſum. Non ergo aliundè inimicos habentes, nec pro quibuſcunque terrenis actibus aduerſarios, ſed ideo inimicitijs dęmonum aut hominum laboramus, quoniam ſerui Domini eſſe ſtudemus. Non timeamus inimicitias eorum, quia illis pereuntibus nos liberabimur à Chriſto Domino noſtro, qui regnat cum Patre & Spiritu ſancto nunc & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Anima areſcit peccatis.

Pſalmus Dauid aduerſus Goliad. CXLIIII.

BEnedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Miſericordia mea & refugiũ meum, ſuſceptor meus & liberator meus. Protector meus & in ipſo ſperaui, qui ſubdit populum meum ſub me. Domine quid eſt homo,

E *quia innotuiſti ei, aut filius hominis quia reputas eum? Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt. Domine inclina cœlos tuos & deſcende, tange montes & fumigabunt. Fulgura coruſcationem & diſſipabis eos, emitte ſagittas tuas & conturbabis eos. Emitte manum tuam de alto, eripe me & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum. Quorum os loquutum eſt vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. Deus canticum nouum cantabo tibi, in pſalterio decachordo pſallam tibi. Qui das ſalutem regibus, qui redemiſti Dauid ſeruum tuum, de gladio maligno eripe me, & erue me de manu filiorum alienorum, quorum os loquutum eſt vanitatem; & dextera eorum dextera iniquitatis. Quorum filij ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua. Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ vt ſimilitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtoſæ abundantes in egreſsibus ſuis, boues eorum craſſæ. Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt, beatus populus cuius Dominus Deus eius.*

F

COMMENTARIVM.

BEnedictus Dominus Deus meus qui docuit manus meas in prælio. Tempore quo Moyſes leuabat manus ad Deum, & vincebatur Allophylorũ turba pugnantium; cumque eas depoſuiſſet, victi vincebant. Docuit ergo manus noſtras in prælio, non armis ſed precibus pugnaturas. Docuit etiam digitos noſtros ad bellũ, vt dum bellum ſiue viſibilium, ſiue inuiſibilium ſenſerimus hoſtium, nos digitis armemus frontem triumpho crucis. & ſecuri animo dimicemus, dicentes Domino: Tu miſericordia mea, tu refugium meum, tu ſuſceptor meus, tu liberator meus, tu enim ſubdes populos ſubtus me. Infeſtum populum, cogitationum malarum inſurgentem ſuper me, ſubdes ſubtus me. Vt quid autem memoratur pugnam? quid prælium? quid bellũ? quid autem Deus æternus innoteſcere voluerit homini, ſi homo vanitati ſimilis factus eſt? Moritur enim, & dies eius ſicut vmbra prætereunt. Quid ergo lex? quid cõminatio peccatoribus? quid

G terror incredulis? ſi paucorũ dierum vita finem accipiens, effectum ſui vlterius non habebit? Hæc audiens Apoſt. Paulus increpat dicens: *Si in hac vita tantum ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Et ideo Pſalmus præſens audi quid ſentiat. Quaſi dicat: Quoniam vitam æternam eſſe homines Prophetis tuis prędicatoribuſque non credunt, tu ipſe per te inclina cœlos tuos; & deſcende. Inclinauit autem cœlos, quando? *cùm in formà Dei eſſet, eſſetq́, æqualis Deo* Patri, *exinaniuit ſeipſum; formam ſerui ſuſcipiens*: inclinauit cœlos, vt ſi dicas, verbi cauſa, Imperatori, dum te tu humilias inclinans omne palatium. Inclinauit ergo cœlos, & deſcendit vt tangeret montes, vt fumigarent. Montiũ fumus nubes creat, quas producens Deus de theſauris ſuis fundit in terram, vt terra proferat omne fructuum genus, quo eſurientium corpora nutriantur. Cùm deſcenderet *Deus in Chriſto, vt mundum conciliaret ſibi*, tetigit montes & fumigati ſunt, id eſt, tetigit Apoſtolos ſuos, & fumum nubium reddiderunt, quorum tanta fuit

H imbrium pluuia, vt in toto orbe terrarum venæ fontium replerentur, quibus omne ablueretur facinus, & lauaretur omne peccatum. Verùm quia ad eum peruenire nos prohibet princeps huius mundi cum ſpiritibus ſuis & hominibus qui colunt eum, tu mitte ſagittas tuas contra eum, & libera me de aquis multis, vt vno fonte tui baptiſmatis fruar. Libera me de manu Allophylorum, quorum os loquitur vanitatem. & dextera eorum non eſt dextera pietatis, quæ veſtitum expoliat, & ſiue temporalibus, ſiue, quod eſt acerbius, æternis opibus nudant: Quibus dum me liberaueris, inquit, Domine, in cantico nouo cantabo tibi, id eſt, in nouitate vitæ ambulans, In pſalterio decem chordarum pſallam tibi, decem præcepta Legis ſuſcipiens, & decem plagis Ægyptum percuſſam fugiens: pſallam tibi, tibi pſallam, qui das ſalutem regibus, id eſt, qui das æternam vitam victoribus viciorum. Quia ij verè reges ſunt, qui participes regni Dei creduntur. Quis autem eos alius liberat, niſi idem Deus, qui liberauit Dauid ſeruum ſuum? Hunc enim eundemque Deum Marcion negat, ſimiliter Apelles & Valentinus & Manichæus. Infi-

Exod. 17.

Cruce frontem muniendam.

1. Corin. 15.

Philip. 2.

2. Cor. 5.

Marcion. Apelles. Valentin' Manichę

A deles & miſeri, dum nolunt ab ipſo Domino liberari, in æternum damnari non metuunt, à quibus nos ipſe qui liberauit Dauid ipſe liberet. Quia os eorum loquitur vanitatem, &, vt ſupra diximus, dextera eorũ dextera iniquitatis. Hos ſanè aſſerit loqui vanitatem in hoc loco, qui ſeruientium Deo paupertatem ridiculè abutũtur, dicentes: Vt quid inedia laborant colentes Dominum? Et quid opibus affluunt contemnentes? Ignorant medicum his parſimoniam imperare & cõtinentiam præcipere, in quibus ſalutem venarum motibus deprehendunt. Quos verò morituros agnoſcunt, ſinunt ſuis omnibus delectationibus conſentire. Quale eſt, vt de his dicas, quia læti ſunt in filijs ſortibus, & filiabus ornatis, ac de promptuarijs plenis, de fœtoſis ouibus, de bubus craſſis. Qui cum omnia temporalia habeant, Dominum tamen qui eſt æternus non mereantur habere propicium. Quique cum acceperint finem temporalis lætitiæ, æternæ triſtitiæ pœnas aſſumant. E contra hi quos vides lugentes & flentes, & in

Simile.

B Dei timore conſtitutos egenes, cum finem fecerint flendi, æternos gaudij ſuſcipit fructus. Dicant ergo increduli beatum populum habentem copioſè quæ mundi ſunt, nos autem hunc ſolum populum beatum dicamus, cuius eſt Dominus Deus eius in ſecula ſeculorum, Amen.

Laudatio ipſi Dauid. CXLIIII.

EXaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. Per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſeculum & in ſeculum ſeculi. Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt. Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt. Et virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt. Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt. Miſerator & miſericors Dominus, patiens & multum miſericors. Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi.

C *Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur. Vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione. Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos. Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet & ſaluos faciet eos. Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet. Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini ſancto eius in ſeculum & in ſeculum ſeculi.*

D COMMENTARIVM.

EXaltatur Deus ab homine, quãdo Spiritum ſanctum, quem in ſeper conſecrationem baptiſmatis ſacri ſuſcepit, non terrenis & humillimis cogitationibus humiliat. Sed cum cœleſtibus deſiderijs & excelſis exaltat, ità vt per ſingulos dies benedicat Dominum, & quaſi ſemper inchoauerit, ſine faſtidio ſeruiat illi, cui generatio & generatio confitetur, generatio Iudæorum & generatio gentium. In lege Moyſi & prophetarum illa, iſta in euangeliorum & Apoſtolorum doctrina virtutem terribilium tuorum dicent: vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam. Oſtendentes quia regnum tuum Domine regnum ſit omnium ſeculorum. Et ita ſit dominatio in omni generatione & progenie, vt non ſit gens neq; regnum, in quo non tuus filius prædicetur. Fidelis es enim Domine in verbis tuis quibus promiſiſti daturum te nobis, qui alleuaret omnes qui ruunt in hoc mundo, & qui erigeret omnes quos alliſerat inimicus. Oculi enim omnium credentium ſperant in te Domine. *Spe enim ſalui facti ſunt,* quibus dediſti eſcam in tempore oportuno, quando ape-

Rom. 8.

E ruiſti manus tuas in cruce. Tu ſuſcepiſti maledictiones noſtras, & nobis dediſti benedictiones tuas, proximus es enim omnibus. Omnibus, inquam, te inuocantibus in veritate, id eſt, qui te in Domino noſtro Ieſu Chriſto inuocant. Ipſe eſt enim veritas, & voluntatem nõ contemnentium te facies, & orationem eorum exaudies, in quibus te pro rebus æternis exorant: Cuſtodit Dominus, inquit, omnes qui diligunt eum. Videamus qui ſunt qui diligunt eum, ipſum interrogemus, ipſe dicat qui ſunt diligentes eum. Audiamus eum dicentem: *Qui audit verba mea & facit ea, hic eſt qui diligit me*: qui autem non faciunt ea, omnes peccatores hos à ſe reijciet atque diſperdet. Laudem ergo Domini loquatur os noſtrum, diſcedant ab eo vniuerſæ detractiones. Ea quæ nouimus in fratribus laudanda memoremus. Alios ſibi teſtes inueniant aliena peccata, nos noſtri accuſatores, noſtriq; tantum vituperatores effecti, ſemper in Dei laudibus atque in Dei benedictionibus occupemur, agentes ei gratias in ſecula ſeculorum, Amen.

Mat. 7. Ioan. 14.

F Alleluia. CXLV.

LAuda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo quàm diu fuero. Nolite confidere in principibus, neque in filijs hominum in quibus non eſt ſalus. Exibit ſpiritus eius & reuertetur in terram ſuam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt. Qui cuſtodit veritatem in ſeculum, facit iudicium iniuriam patientibus, dat eſcam eſurientibus. Dominus ſoluit compeditos, Dominus illuminat cæcos. Dominus erigit eliſos, Dominus diligit iuſtos. Dominus cuſtodit aduenas, pupillum & viduam ſuſcipiet, & vias peccatorũ diſperdet. Regnabit Dominus in ſecula, Deus tuus Syon in generatione & generationem.

COMMENTARIVM.

G LAudat anima noſtra Dominum, quando opera noſtra in Dei laudibus exercentur. Et laudamus Dominum in vita noſtra, id eſt, in moribus noſtris. Pſallamus ergo Deo noſtro quamdiu in iſto corpore ſumus, nõ confidentes in hominibus qui hodiè dominantur, & cras ſepeliuntur, quia exiet ab eis ſpiritus, & hi reuertentur in terram de qua aſſumpti ſunt, ex ipſa die pereunt cogitationes eorum. Illæ vtique, quæ eos non ſinebant quieſcere, emamus, vendamus, fabricemus, pugnemus. Hæc & his ſimilia cogitationum genera, ſubitò momento vno pereunt. Beatus ergo eſt, qui ſibi ſpem ponit in Domino Deo qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt. Cuſtodit enim veritatem in ſecula, tempore quo ſe putant fallaces vincere per mendacium, ille veritatem cuſtodit, vt faciat iudicium quibus non in iſto ſeculo nec in futuro perit veritas à Deo. Ideò enim & iudicem eum credimus eſſe venturum, quia cuſtodit veritatem, vt faciat tunc iudicium iniuriam patientibus. Qui nũc dat eſcam eſurientibus, ipſe erigit per ſe eliſos per Adam, & per eundem

H compeditos exoluit. Ipſe cæcos illuminat, ipſe diligit iuſtos, ipſe cuſtodit aduenas. Hos vtique, qui ſe peregrinos in hoc exhibent mundo, & propter quam ſunt renati patriam concupiſcunt. Orphanum enim cuſtodiet, qui pro nomine Dei parentes ſuæ deſerit carnis. Et ipſum diabolum, qui eſt via peccatorum, exterminabit ipſe qui eſt Deus tuus Syon. Deus vtique eccleſiæ catholicæ, vnus in Trinitate, trinus in vnitate, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Deus trinus.

Alleluia. CXLVI.

LAudate Dominum quoniam bonus eſt pſalmus, Deo noſtro ſit iocunda decoraque laudatio. Aedificans Hieruſalem Dominus, diſperſiones Iſrael congregabit. Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocans. Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus. Suſcipiens manſuetos Dominus, humilians autem peccatores vſque ad terram. Præcinite Domino in confeſſione, pſallite Deo noſtro in

cithara.

A

cithara. Qui operit cœlum nubibus & parat terræ pluuiam. Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum. Qui dat iumentis eſcam ipſorum & pullis coruorum inuocantibus eum. Non in fortitudine equi voluntatem habebit, neque in tibijs viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius.

COMMENTARIVM.

LAudemus Dominum quoniam bonus eſt pſalmus. Pſalmus bonus eſt in quo Deo noſtro fit iocunda- tio. Ædificat enim Hieruſalem Dominus, & diſperſiones Iſrael congregat. Cottidiè eam ædificat Dominus, cottidiè eccleſiam ſuam per credentes ædificat: & eos qui ab ea diſperſi ſunt, ad eam reuocans, iterum congregationi aſſociat. Sanat pœnitentes contritos corde & alligat contritiones eorum, qui numerat multitudinem ſtellarum & omnium earum nomina vocat. Licet poteſtas virtutis eius his virtutibus ſit parata, & hoc eum poſſe facere non ambigat, niſi qui omnipotentem eſſe non credit: tamen numerare multitudinem ſtellarum eum credamus in ſanctis, his qui in tenebris mundi poſiti, per cœlum ſuos dirigunt curſus, dantes ſolatium luminoſi aſpectus ſui, his qui cœlum aſpiciunt: quæ ſtellæ pro merito actuum ſuorum amplius minuſve reſplendent, in quibus magnus Dominus noſter, & magna eius oſtenditur virtus. Per hominem enim magnificatur ab hominibus, per hominem ab hominibus blaſphematur. Et ſicut his væ per quos oomen Domini blaſphematur: ita hi benedicti ſunt, per quos magna eius virtus oſtenditur, & innumerabilis eius ſapientia declaratur, per quam ſuperbos proijcit, & manſuetos ſuſcipit, & humiliat peccatores ad terram, vt à terra eos exaltet ad cœlos. *Omnis* enim *qui ſe humiliat exaltabitur*, id eſt, qui agens pœnitentiam, ſua peccata Domino confitetur. Incipite ergo in cōfeſſionib. Domioo. & pſallite ei in cithara, cithara habet lignū crucis, habet chordas ex interioribus ouium, habet ex euangelijs plectrum, ſonet iſta cithara & imbrem de cœlo venientem annunciet. Operuit enim cœlos nubibus, id eſt, Apoſtolis ſuis tradidit faciem cœlorum ſuorum, & præcepit eis, vt dent terræ pluuiam, & omnes gentes terrenas, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, cœleſti nimbo perſundant. Hæc pluuia producit in montibus fœnum quo alantur ſimpliciores quique, ex quibus pars maxima in Dei populo comprobatur. Non enim poſſunt ſpiritualium cibo refici hi, qui terrenis actibus occupati, membra tamen videntur eccleſiæ. Hi montes, id eſt, Apoſtoli, non vt ipſi verticibus mentium ſuarum altitudines rerum cœleſtium in cibo offerunt. *Perfectorum* enim *eſt ſolidus cibus*. Quis enim cum eis diſputet de ieiuniorum perſeuerantia, de diurna & nocturna occupatione, eruditioni diuinæ coniuncta? Quis de minutis ſuggeſtionum? Quis de contemptu omnium rerum labentium? Quis de contemptu omnium viciorum? Quis cum eis agat de inuiſibilibus profectibus, vt ſit quis epiſcopus Deo, ſit quis pontifex Chriſto, per inuiſibiles conatus, & gradus quos in corde ſuo diſpoſuit, vt quamdiu de iſto corpore exeat aſcendat & nunquam deſcendat, offerens corpus ſuum Deo hoſtiam viuam. Cottidiè ſeipſum ita corpori Chriſti aſſocians, vt corpus eius corpori Chriſti admixtum, *vnum corpus* ſecundum Apoſtolum fiat. Hæc & his ſimilia dantur in cibo, qui cum Paulo poſſunt dicere: *Mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo.* Sicut ergo oſtendimus ſpiritualium cibum ſolidum virorum perfectorum, oſtendamus nunc iumentorum fœnum, quod producunt hi, quos ſuprà diximus montes: *Omne*, inquit, *quod in macello venundatur* * *emite, nihil interrogantes.* Item: Tu quis es, qui contriſtas fratrem tuum in manducando? Item. *Qui ſe non continet, nubat.* Item. *Qui dat nuptum filiam, benè facit.* Item *Volo adoleſcentulas viduas nubere.* Hoc fœnum montes vicini cœlis, qui in terra poſiti dicunt, *noſtra autem conuerſatio in cælis eſt*: iumentis producunt, quibus conſuetudo carnalis imperat ſola, & ipſi conſuetudini carnali lex ponitur: quam ſequens coniunx coniugi placeat, ſeruus Domino, filij carnales parentibus carnalibus, parentes carnales filijs carnalibus. His herba ſeruituti offertur, datur vt iumentis eſca, & vt pullis coruorum inuocantibus eum. Corui enim fuerunt patres noſtri, qui in nigredine idololatriæ permanentes, ad arcam nunquam reuerſi ſunt. Nos verò pulli eorum ſumus, qui inuocamus Dominum. Qui non in viribus equi voluntatem habebit. Non enim virtute terrena vinci poteſt, qui contra nos terrena virtute non pugnat. Vires ergo equi, terrenæ vires ſunt, quas Deus non in ſua voluit extollentia gloriari, ſed de ſua pietate ſperare permiſit: Nec in viribus, inquit, equi, nec in tabernaculis viri beneplacitum eſt ei, id eſt, in confidentia habitationis ſuæ. Vnde & Græcus non dicit in tabernaculis, ſed in tibijs. Siue ergo, inquit, in curſu equi confidentem, ſiue in ſuis tibijs præſumentem contemnet Dominus. Quod nos latius dicimus, qui confidit in libertate arbitrij ſui, quod per hanc fugiat, perſequentem incurrit. Qui confidit in virtute curſus ſui ſpiritalis, quod poſſit in tibijs ſuis ſtans immobilis permanere, non permanet. Nec iſta dicens excludo, ne coneris ſtare, ſed moneo ne te putes per liberum ſolum arbitrium fugere. Currat equus tuus, ſit paratus ad bellum. Sic enim ſcriptum eſt: *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem ſalutem tribuit.* Tamen dum curris dicito: Deus virtutum tribuit equo meo, vt curreret. Deus dedit tibijs meis perſeuerantiam, vt ſtarem. Non ergo putes quod te libertas arbitrij tui ita habeat, quaſi nauem per quam vis euadere Barbaros de littore, per quam vis euadere fluctibus pelagi, per quam vis ad patriam, quam deſideras peruenire: ſed ſi Dominus imperauerit ventis proſperis, & aduerſis flatibus ſilentium dederit, ſi latentes vadus demonſtrauerit, & ſomnū tulerit gubernantib. nautis, & abſq; læſione portum ingredi fecerit, ages poſt hæc gratias Deo, non naui; gratias Deo nō nautæ. Nec iſta dicentes excludimus nauem & nautas, ſed magis & nauem ornamus & nautas, quibus Deū præſulem confitemur. Si enim nauis nō fuiſſet, vtique quod Dominus gubernaret non eſſet. Si nautæ non eſſent, quos Dominus excitaret non eſſent. Si vela non eſſent, non eſſent quibus daret proſpera flabra ventorum. Ita ergo dicamus, ſi arbitrium in te non fuerit bonæ voluntatis, non erit tecum pax Dei. In terra enim pax Dei cum hominibus bonæ voluntatis. Obijcitur huic loco: Nos hoc ita dicere, vt videamur hominis voluntatem oſtendere, quod Dei gratiam antecedat. Vigilanter age & non calumnioſè, & vide gratiam Dei generalem ſuper omne hominum effuſam genus. Omnes antecedit gratia multiplici largitate diffuſa. Deſcendit de cœlo Deus, homine non volente. Docuit exemplo & verbo, homine nō rogante. Signa multa & virtutes ad ſe manifeſtandum exercuit, homine etiam prohibente. Mortalitatem noſtram ſuſcepit, homine ignorante, irriſus, crucifixus, inter homicidas mortuus, ſepultus, reſurrexit, & in cœlos aſcēdit. Hæc omnia ad hominis ſalutem, ad hominis liberationem, ad hominis redemptionem, ad hominis coronam, ad hominis gloriam exercuit Chriſtus. Nota tibi calumnioſe, quod dico ad hominis ſalutem, non volentis neque currentis. Quid eſt ergo quod legimus? Oſtendimus tibi antecedentem gratiam Dei generalem omnium hominum bonam voluntatem. Nota tibi prædeſtinate quod loquor, omnium generaliter bonam voluntatem Chriſti gratia hoc ordine quo diximus antecedit, ſi tamen pro omnibus natus, ſi tamen pro omnibus paſſus. Si non negas pro omnibus mortuum, ſi cum Apoſtolo aſſeris, quod *omnes homines vult ſaluos fieri*: age nunc tolle te à generali gratia, ad ſpecialem accede, & ſimiliter cum Apoſtolo clama: Non omnis generaliter homo ſaluus erit, ſed omnis homo, quicunq; inuocauerit nomen Domini, hic ſaluus erit. Vade ergo ad officinam medici, qui vltrò venit ad ciuitatem noſtram. Non vtique nobis rogantibus, omnibus nobis medicus ſuperuenit, officinam aperuit & vocem emiſit, quaſi præco exclamans dixit: *Venite ad me omnes.* Iam modo poſt hanc vocem antecedit voluntas gratiam. *Si enim volueritis*, inquit, *& audieritis me, quæ bona ſunt terræ edetis. Si autem nolueritis, gladius vos comedet.* Sicut ergo anteceſſit gratia voluntatem hominis, in oſtenſione ſui, & in adapertione veritatis, ita antecedit

Marginal notes and section letters:

Eccleſiā ædificat quotidie Dominus

B

Luc. 14.

C

Matth. 23. Hebr. 5.

D

1. Cor. 10.

* manducate.

1 Cor. 10.
Rom 14.
1. Cor. 7.
1. Tim. 5.

E

F

Prou. 21

Arbitriū voluntatis

H

Rom. 10.

G

1. Tim. 2.

Eſai 1.

Gratia præcedit voluntatẽ

A volontas hominis gratiam Dei. Non enim prius baptizatis, & ſic velle incipis credere: ſed prius voluntatem tuam perfectam exhibes ſacerdoti, & confeſſionem tuam tuis labijs pandis, & ita demum ad Dei gratiam vt conſequaris, attingis. Quam conſequutus confiteberis, quia omnia Dei dona credendo, & deſiderando conſecutus es. Et ita demum vltimum huius pſalmi cantabis: Quia beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eos, qui ſperant in miſericordia eius, excludere volens extollentiam humanitatis, voluntatem diuinitatis expreſſit. Scit enim Deus, hoſtem noſtrum tunc nobis poſſe ſubripere, cum nos ſine timore diuino repererit. Et ideo ad remedium noſtrum pronunciauit hoc dictum, quaſi qui diceret: Beneplacitum eſt Deo ſuper eos, qui à diabolo liberantur. Non enim Deus affectu ducitur, vt ab hominibus timeatur, ſed miſericordia totus miſerendum ſtudet homini, vult ex imperio timoris fieri, quod profuturum ipſi homini pro certo cognoſcit. Sicut qui literas docent, timorem diſcentibus & terrorem indocunt, non vtique neceſſarium magiſtris, ſed valdè diſcipulis profuturum. Et

B ſicut illos exhorrent qui ſine timore & ſine ſpe ſunt: ſciunt enim eos ad eruditionem peruenire non poſſe: ita in eos dilectioné ſe habere cômemorant, qui timent eos, & in eos qui ſperant in eruditione eorum. Et hoc de hominibus tantum longè eſt à comparatione Dei, quantum longè eſt à diuinitate humanitas. Humana enim natura imbecilla cum ſit, minime ſanè abſque diuinitatis ſubſidio præſtare quicquam boni poteſt. Sed comparatio ad apertionem rei dictæ, ad ſpem nos & miſericordiam diuinam impellat, vt eorum participes faciat, ſuper quos eſt beneplacitum Domino, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Natura hominis ad bonũ impotens

Alleluia Aggei & Zachariæ. CXLVII.

L*Auda Hieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum: benedixit filijs tuis in te. Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te. Qui emittit eloquium ſuum terræ, velociter currit ſermo eius. Qui dat niuem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit. Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit. Emittet verbum ſuum & liquefaciet ea, flabit ſpiritus eius & fluent aquæ. Qui annunciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.*

C

COMMENTARIVM.

LAuda Hieruſalem Dominum. Non pro vna te laudatur à ciuitate ſancta Dominus. Cauſas ergo laudis eius, ac ſi interrogaret ipſa ciuitas cum quæ eam hortaretur ad laudes, audit ſibi ab exhortante expoſitas. Inquit, eum lauda, quia confortabit ſeras portarum tuarum. Vides ergo, quia vt ſupra diximus, noſtrum eſt ſerare portas, hoſtibus impetum facientibus, ſed Domini eſt confortare ſeras portarum Hieruſalem, ergo eſt ciuitas Hieruſalem in qua prophetæ habitant, in qua Chriſtus prædicat,

D & virtutes diuerſas exercet, in qua patitur crucem, in qua omnium ſunt genera perfacta virtutum. Qui ergo hæc omnia tritus in anima ſua die noctuque meditatur, habens intra ſe prophetas, Chriſtum & Apoſtolos. Ciuitas Hieruſalem factus, claudit portas inimico & angelis eius, & neceſſe eſt vt ſeras fidei clauſis ingreſſibus mittat. Nam fides, ſpes, charitas tres ſeræ ſunt nullæ contra diabolum, ſed & fides deficit, & ſpes molleſcit, & charitas refrigeſcit, niſi dono fuerint ſancti Spiritus confortatæ. Cum ergo confortatæ fuerint ſeræ portarum tuarum, benedicentur filij tui in te. Filij tui ſunt, qui tuo informantur exemplo, ſiue in bono ſiue in malo: Hi ergo, inquit, in te benedicentur, ſi ſeræ portarum tuarum in te fuerint confortatæ: ponitur finis tuus in pace dum dies aduenerit vt exeas de mundo, & actibus tuis omnibus finem imponas. Pax erit cum Deo finis tuus, in quo cum exire cœperis, adipe frumenti ſatiarte. Ipſe hoc facit qui emittit eloquium ſuum terræ, id eſt, qui verbum ſuum

Hieruſalem.

Seræ contra diabolum.

E miſit in Mariam. Et tam velociter currit ſermo eius, vt cum per tot millia annorum in ſola Iudæa notus fuerit Deus, nunc intra paucos annos, nec ipſos Indos lateat à parte orientis, nec ipſos Brittones à parte occidentis, vbique cucurrit velociter ſermo eius, qui dat niuem ſicut lanam. Lanam voluit pro tegmine memorare. *Si fuerint*, inquit, *peccata veſtra ſicut coccinum, velut lanam efficiam.* Docens ergo eos qui adipe frumenti ſatiantur, quod candidi vna die in albis veſtibus per totum orbem procedant, bis Dominus, nebulam ſicut cinerem ſpargit. Nebula quæ ſicut cinis ſpargitur, pruina quæ fruges vniuerſas intra terræ viſcera clauſas impinguat, quæ quanto plus incubuerit ſatis, tanto vberius proficit in ariſtis. Pruinam ergo nos in iſtis quos adipe frumenti ſatiat Dominus, ponimus tentationum afflictiones, quibus eo amplius proficiunt in futuro, quanto plus fuerint in præſenti perpeſſi. De hinc mittitur cryſtallum tanquam fruſta panis. Cry-

Eſai.1.

F ſtallum hoc grandinis memorat Dei lapidationem: quam panibus fractis & buccellis aſſimilat. Cæduntur enim credentes vt metalli cuiuſcunque materia, non vt moriantur, ſed vt ad ſtatum à quo ceciderant reuocentur. Additur quod ante faciem frigoris eius nullus ſubſiſtat. Verum quia *fidelis eſt, & non patietur eos tentari ſupra quam poſſunt*, mittit verbum ſuum & liquefaciet ea: id eſt, tenatis flauit Spiritus ſanctus, & fluunt aquæ ex oculis, vt iſtæ aqua lauent ſordes omnes, & maculas abluant peccatorum. Et quis eſt qui hæc facit. Quis vtique alius niſi is, qui pronunciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſrael? Vbicunque Iſrael eſt, qui videt Deum ibi iuſtitiam Deus oſtendet ſuam. Deus enim ſicut ad indulgendum flentibus & pœnitentibus pius eſt, ita ad reddendum pro iuſtitia laborantibus iuſtus. Non fecit taliter omni nationi ſicut iſti, vtique nationi quæ die noctuque ſpem ſuam Deo & charitatem oſtendit. Et nulli iudicia ſua manifeſtat, niſi his qui Domini mandata reſpiciunt, credentes quod ipſe nos in ſuo iudicio cenſeat adiuuandos, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

1. Cor 10.

G

Alleluia Aggæi & Zachariæ. CXLVIII.

L*Audate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis. Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Laudate eum ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen: Laudate eum cæli cælorum, & aquæ quæ ſuper cælos ſunt laudent nomen Domini. Quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Statuit ea in ſeculum & in ſeculum ſeculi, præceptum poſuit & non præteribit. Laudate Dominum de terra, dracones & omnes abyſſi. Ignis, grando, nix, glacies ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. Montes & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri. Beſtiæ & vniuerſa pecora, ſerpentes & volucres pennatæ. Reges terræ & omnes populi principes & omnes iudices terræ. Iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum eſt nomen eius ſolius. Confeſſio eius ſuper cælum & terram, & exaltauit cornu populi ſui. Hymnus omnibus ſanctis eius, filijs Iſrael populo appropinquanti ſibi.*

H

COMMENTARIVM.

COnſuetudo, imò vis quædam naturaliter imperat pullis, vt ſuo cantu à nocte diuidant noctem. Qui clamant quidem vt alios excitent, ipſi verò cunctis vigilantibus dormiunt. Quod ergo ad ruborem dixerim noſtrum, qui excitamus ad laudem Dei eos, qui in cœlo ſunt, dicentes: Laudate Dominum vos qui eſtis in cœlis, laudate eum & vos qui eſtis in excelſis. Sed & ſoli & lunæ & ſtellis & lumini, & cœlis cœlorum, & aquis quæ ſunt ſuper cœlos, vt laudent Dominum imperamus. Ipſi verò dormimus, cum talia opera non facimus, in quibus laudetur Deus & benedicatur nomen eius. Sed quod peius eſt, quod ſine gemitu dicendum non eſt, per nos nomen Domini blaſphematur, cum in iudicio perſonas accipimus, cum ad veſtimentum, & ad annulos & ad glorias hominum attendentes, perſonas pauperum refutamus. Ille quem tu tacere putas, gemet contemptos, ab-

Laudandus quomodo Deus.

ictus

Digitized by Google

A iectus & pro nihilo habitus, nomen beatum laceſſit blaſphemijs, quid ergo ad laudes Dei, & de cœlis Angelos & omnia quæ in eis ſunt excitamus. Et de terra etiam ipſos dracones, & ſerpentes, & volucres, & ignem, & grandinem, & ſpiritum tempeſtatis vocamus. Inuitamus montes & colles, ligna fructifera vniuerſa, reges ipſos & principes & omnes iudices, omnem iuuentutem & omnem ſenectutem, virgines, iuuenes, & omnia quæ ſub cœlo ſunt. Omnes ad laudem Domini excitamus, prouocamus, hortamur & infelices ipſi dormimus. At vtinam dormiremus ſomno carnis, & non inconſiderationis noſtræ ſoporaremur grauedine. Ecce omnia in vnum quæ excitauimus conuenerunt, ipſi dracones nos & ſerpentes & beſtiæ & vniuerſa pecora increpabunt, dicentes: quid nos excitaris ad laudes Dei, conuenimus vt vobiſcum Deum laudaremus, & inuenimus veſtro vicio viduas blaſphemantes nomen ſanctum. Pauperes, orphanos, & omnes qui ſibi adeſſe contra potentes non poterant, quorum vos perſonas deſpicientes, diuitum iniuB ſticijs fauebatis, erectiſque oculis ad ſublimitates mundi, his tantum veſtros hilares atque affabiles tradentes aſpectus; pauperes quaſi quoſdam quos Deus aburi præceperit, renuiſtis. Hæc ad nos omnium verba ſunt, Ad nos, inquam, qui cottidiè huius pſalmi tuba, per totum mundum, mox vt cœperit aurora diei inchoare principium, vniuerſa quæ in cœlo & quæ in terra ſunt ad laudandum & benedicendum Deum prouocamus. (*Simile.*) Verùm ſicut medicinam euacuat medici incontinentia ægrotantis, & non permittit profectum eius oſtendere medicinæ, ſuæ defectum ingerens continentiæ: Ita nos iſta omnia vrumur, quæ etiamſi placeant nobis dum leguntur, dum contemnuntur non placere oſtendimus. Neſcio quo enim modo non poteſt nobis omnino ſuaderi, ne perſonam cuiuſlibet peccatoris, etiamſi iuſtus ſit, negligentiſſimè abutamur, quod vicium vt amputetur à nobis Dominum exoremus. Ipſe enim correctionem morum poſtulantibus annuit, qui in tantum liberalitaC tibus his affluit, vt ipſe imperet quod petatur: *Petite*, inquit, *& dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis*, (*Luc. 11.*) antecedit gratia Dei voluntatem hominis, & vult vt voluntas hominis Dei gratiam antecedat petitionem. Cùm autem petenti donat, ſequitur voluntatem. *Omnis enim*, inquit, *qui petierit accipit*. Petamus ergo, vt & nos cum Angelis omnibus, & cum vniuerſis virtutibus eius in diuinis laudibus participium capiamus, & ſicut de illis dicitur: Præceptum poſuit quod non præteribit, ita & nos præceptum Domini conſeruemus. De omni verò creatura dicitur, quia ipſe dixit & facta ſunt, hoc eſt, per verbum Dei facta ſunt, patre loquente, filio creante, ſancto Spiritu animante, ſtatuta ſunt in æternum & in ſeculum ſeculi, id eſt, quamdiu eſt hoc ſeculum, in ſeculum ſeculi manent, in quo ſunt omnia iſta quæ faciunt verbum eius, id eſt, elementa, ignis, grandinis, niuis & ſpiritus tempeſtatis. Hæc omnia ſeruiunt voluntati Dei, & hæc faciunt quod verbum eius præceperit. Denique (*Marc. 4.*) imperauit procellis & quieuerunt: imperauit ventis D flantibus & ſiluerunt, oſtendentes hunc eſſe, cuius nomen ſolius ita exaltatum eſt, vt ſit confeſſio eius ſuper cœlum, & terrám; & *in nomine eius omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum*. (*Philip. 2.*) Et ipſe exaltauit cornu populi ſui; ita vt hymni canantur in toto orbe terrarum omnibus ſanctis eius, & filijs Iſrael populo appropinquanti ei. Filij ſiue in bono exemplo, ſiue in malo, imitatores in ſacris voluminibus appellantur. Denique dum conſtat quod filij Abrahæ eſſent hi; qui Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum arte ſe putabant, & dolo circumuenire, dicit eis: *Vos ex patre diabolo eſtis*. (*Ioan. 8.*) Cumque illi dicerent ſe patrem Abraham habere, ille reſpondit: *Si filij Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis*: Ergo hi nunc filij hymnum accipiunt, qui Iſraelis ſectantur exemplum. Et ſicut ille patientia & fide proficiens; meruit facie ad faciem Dominum Deum videre, vnde *Iſrael* appellatus eſt, (*Geneſ. 32.*) id eſt, *videns Deum*: Deum autem deſiderantes audiunt ſibi monita dari: *Beati mundo corde, quia ipſi Deum videbunt*: Ita his qui filij eius per imitationem eius facti ſunt, hymnum præcipit cani, quia per mundiciam cordis merentur, vt videant Deum appropinquantem ei; qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

E

Alleluia. CXLIX.

Cantate Domino canticum nouum, laus eius in eccleſia ſanctorum. Lætetur Iſrael in eo qui fecit eum, & filiæ Sion exultent in rege ſuo. Laudent nomen eius in choro, in tympano & pſalterio pſallant ei. Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo, & exaltabit manſuetos in ſalutem. Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendum vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligãdos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Vt faciant in eis iudicium conſcriptum, gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.

COMMENTARIVM.

Canticum nouum cantamus Domino, quando in nouitate vitæ ambulamus in Eccleſia ſanctorum & exemplo vitæ ac morum noſtrorum ædificationem dominicæ congregationi exhibemus lætantes non in gloria mundi, neque in diuitijs ſeculi, ſed in eo qui nos fecit, dum naſceremur, quia in eo apparet filios Sion eſſe, id eſt, eccleſiæ, ſi in rege noſtro & Domino exultemus, F laudantes nomen eius in choro, id eſt, cum omni populo, in tympano, id eſt, in extenſione follis noſtri corporei. Bene enim ſonat, cum eſt ſobrium, mundum & caſtum. Nec ſolum in tympano, ſed & in pſalterio pſallamus ei. (*Fides caſtitatem commendat.*) Non enim caſtitas & abſtinentia nos perducunt ad Deum, ſi nos deſeruerit integritas fidei, quæ in decem chordis pſalterij declaratur. Tunc enim cognoſcimus, quia beneplacitum eſt Domino in populum ſuum, cum ſuperbos humiliauerit in condemnationem, & exaltauerit manſuetos in ſalutem. Tunc, inquam, agnoſcimus quod nunc credimus, cum exultant ſancti in gloria, qui nunc lætantur in cubilibus ſuis, expectantes diem retributionis. G Nam qui habuerunt nunc exaltationes Dei in faucibus ſuis, (*Videtur aliquid deeſſe.*) tempore quo confeſſi ſunt gloriam Chriſti; qui eſt exaltatus in cruce, qui eſt exaltatus in reſurrectione, qui eſt exaltatus in cœlo: Has qui habuerunt exaltationes Dei in faucibus ſuis, quicunque habuit interibit perfidia hominum impiorum. Hi ergo non metu carnificis; non verberum terrore perculſi, has exaltationes Domini ſiluerunt. Quin imò, quanto plus paſſi fuerint affligentes, tanto plus confitentes exiſtunt. Hi habebunt gladios ancipites in manibus ſuis, id eſt, ſententias mortis æternæ & pœnæ perpetuæ, ad faciendam vindictam in gentibus, & increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in vinculis ferreis. Quibus nunc dicitur à Domino: *Sedebitis ſuper duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael*. (*Matth. 19.*) Hi ergo faciunt in eis iudicium conſcriptum. Ipſi enim iudicabunt mundum pro operibus impijs, qui ſunt à mundo afflicti pro operibus ſuis. H Cumque iudicauerint ſancti eos reges, à quibus iudicati ſunt, tunc erit gloria omnibus ſanctis eius. Modo vnicuique dicitur: *Si credis videre bona Domini in terra viuentium, expecta Dominum & age viriliter*; ſi credis, non deſinas ſpectare, & ſi te pro certo quod credis deſiderare cognoſcis. Hanc enim gloriam omnibus ſanctis tunc gratulabimur eueniſſe, ſi in quacunque neceſſitate poſiti, animum penitus non mutemus, ſed expectantes Dominum cottidiè, ipſi per patientiam gratias referamus, qui regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

Alleluia. CL.

Laudate Dominum in ſanctis eius, laudate eum in firmamento virtutis eius. Laudate eum in virtutibus eius, laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis eius. Laudate eum in ſono tubæ, laudate eum in Pſalterio & cithara. Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo. Laudate eum in cymbalis bene ſonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum.

A

COMMENTARIVM.

LAudamus Dominum in ſanctis ſuis, quando eorum imitamur exempla, ſequimur monita, regulam obtinemus. Laudamus eum in firmamento virtutis eius cum firmum fidei noſtræ agonem oſtendimus, & ſicut ſancti contempſerunt pœnas, hoſtes viſibiles, ita nos inuiſibilis hoſtis delectationes ingeſtas abijcimus. Laudamus eum in ſono tubæ, cum quod in aure audiuimus, ſi tempus exegerit ſuper tecta poſiti exclamemus, *non timentes eos qui occidunt corpus.* Laudamus eum in pſalterio & cithara, ſi in cithara lignum crucis amplectamur, & in pſalterio confeſſionem catholicam teneamus. Raucum enim ſonat quod catholicum non probatur. Laudamus eum in tympano & choro, quando in conuerſatione reddendi putri, tympanum corporis noſtris optimis decoramus exemplis. Laudamus eum in chordis & organo, quando chordarum quæ ſunt in cithara noſtra, fila integra exercemus. Etiam pudicitiam quam continentiæ calamellis ab omni rubigine peccati mundantes, Deo ſonos mellifluos exhibemus. Laudamus eum in cymbalis benè ſonantibus, & benè tinnientibus, quando labia noſtra ad bonam perſuaſionem, & ſpiritalem explanationem aptamus. Inuitamus autem vt omnis ſpiritus laudet Dominum, quando ſpiritalia ſpiritalibus comparantes, nihil concedimus carni, ſed omne quicquid ei libuerit, totum ſpiritui mancipantes, ſpiritualium imitamur exempla, per quorum euntes veſtigia, credamus nos ad Domini miſericordiam peruenire, cui gloria & imperium per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Matth 10.

B

FINIS.

C

THEODORI IN COENOBIO RAITHV PRESBYTERI COMMENTATIO PRÆPARATORIA, SEV EXERCITATIO AD EVM SCRIPTA QVI DOCERI CVPIAT, QVIS fuerit modus carnis à Deo aſſumptæ atque diſpenſationis, quove pacto peracta eſt: quæ item ab alumnis Eccleſiæ aſtruantur aduerſum minus rectè de ea ſentientes: Godefrido Tilmanno Carthuſiæ Pariſienſis Monacho Interprete.

Iſagogen, ipſemet Author vno verbo Græco appellat in expoſitione Vnionis 2. Naturarum in Chriſto. Et hæc quidem nunc (inquit) *vt in praua Iſagoge, dicta ſunto,* &c.

D

EX BELLARMINO DE SCRIPTORIBUS Eccleſiaſticis.

THeodorus Preſbyter in monaſterio Raithu, qui à Gennadio dicitur Theodorus preſbyter Antiochenus, ſcripſit quinque libros de Incarnatione Domini; nunc extat Commentarium de Incarnatione Domini cōtra Neſtorium & Eutycherem.

AMORVM probitate alienum eſſe duco, neque id peſſimè mecum reputaui, (Eſt enim abſurdum prorſus & inſolens) ſi illi quidem qui pro tuenda mendaci falſitate Eutychis & Dioſcori, in vnum conſpirant, ac velut militarem delectum agentes contra veritatem, tanta pertinacia, totque peruigilijs ſolam catholicam & Apoſtolicam Dei Eccleſiam oppugnant: ita vt quos habent puerulos linguæ (per ætatem) adhuc impeditioris, & necdum compotes plani eloquij, aliquantò etiam prius quàm ad magiſtros ſe conferant erudiendi, primis litterarum elementis eos exacuant atque perſuadeant inducendo quò dicere poſſint & audire quæ afferuntur pro tuendo dogmate præcipui apud ſe honoris. Nos contrà ſupinè adeo lenteſcimus, vt videamur animis concidiſſe; vt ne hoc quidem ipſum ſcire adnitamur quæ hæc ſit differentia oppugnantium Eccleſiam, & cuiuſmodi initijs hęc velitatis pugna conflata ſit aduerſum nos; quiue item eorum duces ſint hi à quibus ſuam ſortiuntur agnominationem. Quapropter diſſerere de his, non debemus exiſtimare ſuperfluæ eſſe & vacantis operę. Vt ſit Eccleſiæ reſtituta pax, gratia & erga nos benignitate Dei, ſimus licet in tranquillitate, nec vlla nos exagitet perturbatio ſubmota omni procul hæreſi, inque ſuis ſpelæis deliteſcente: non ſtatim conſequitur nos inermes eſſe debere ac proinde imbelles per inexperientiam belli; ne bello præter ſpem ingruente deprehenſi nudi & imparati, ab impietate opprimamur. Vtque dum ſecundo aſpirante vento nauigas, time naufragium (Theologus ille ait Gregorius) & minùs ſenties naufragium, ſubſidio vſos timoris. Itaque iuxta præceptum Apoſtolorum principis, *parati ſimus ad ſatiſfactionem ſemper, omni poſcenti nos rationem de ea quæ in nobis eſt ſpe, cum manſuetudine & timore, conſcientiam habentes bonam*: vt per hanc diligentiam commendatione dignam, ex vtrouis ornatuo alterutrum contingat: aut eos qui ſe ſegregant, ad ſalutem proueharnus & eoſdem ab hac peruerſa dijudicatione abripiamus, vt monet qui Frater Domini cognomento dictus eſt: ſin id non obtinebitur vt ſaltem impudens illorum os increpationibus legitimis oppilemus, nec inde occaſionem arripiant deblaterandi aduerſus veritatem. Quod porrò antiquius eſt bis ac præſtantius, vt nouerimus & compertiſſimum habeamus quanam fide nitamur & gloriemur etiamnum, ſumpta nimirum liberiore fiducia, & aperto ore eam profitentes, cuius confeſſionis gratia, aduerſas Poteſtates à nobis amolimur. Quin etiam, quatenus aſſequi datur tempore futuræ retributionis, merces accedet vberior; plenior item commendatio competentis pœnitentiæ, cui ſolidè ac firmiter adiuncta fuerit religioſa obſeruatio eorum quæ ſemel & vt ferè fit, innotuerunt in ſuſceptione ipſius fidei, iuxta conſuetudinem à maioribus traditam; & hi quidem per accidens ſolùm, illi autem qui fideles fuiſſe deprehenduntur, mente & animi deſtinatione, ſiquidem contigerit eos remiſſioris fuiſſe animi & tutelæ parentum hæreticorum addictos, non interrogaſſe quæ fide digna ſunt, ac ne curaſſe quidem, à ſe vt excuterent veſtem impietatis à maioribus acceptæ: ſic neſcire, nec interim velle doceri, damnabile eſt. Dictum ob id eſt, *Sapientiam & diſciplinam qui negligit, infelix eſt*; qui contra diligit diſciplinam, inueniet ſcientiam cum iuſtitia. Cæterùm, vt lector quiuis propoſiti operis, minore negotio capiat quæ contra impios ex aduerſo dicuntur, neceſſarium putaui pauca quædam in ordinem digerere ad totius Operis introductionem, à quo exorſus ſic loquor.

De vtriuſque & hæreſi & abrogatione, lege

E

lib 2. Euagry Scholaſt

Hæreticorum cura, & Catholicorum ſocordia in inſtituendis pueris

παραίνεσις Catholicis metuendam ſemper ab Hæreſi.

F

H

Hæreticorum filij.

Sap. 3 c.

G

Opinio Manetis.

Manes ille qui ſuo commento tenebras, veriùs, figmentum poteſtatis tenebrarum oppoſuit Deo: Hic imaginatione planè fallaci commentus eſt, & veluti per inſomnium viſus eſt videre, quia Dominus ſe conſpicuum exhibuerit in ſpecie perquàm exili, ſub quetnam habitu corporis. Itaque aſſerit ipſum quidem viſum eſſe pati ſimul & facere, quæ ſecundùm nos & peregit & paſſus eſt: nihil alioqui eorum reipſa aut verè ſubſtitiſſe, ſed in ſpeciem tantùm credita eſſe & fallaci quadam ſuadela impoſuiſſe hominibus quibuſcum conuerſatus eſt. Quare in Domino duas fateri reſpuit naturas, ſed vnam ſolam admittit; nempe diuinitatis: Quaſi verò imaginariam illam corporis habitudinem indignam duxerit quæ à ſe appellaretur & in nomen tranſiret humanæ naturæ.

Μανης, qui & Manichæus.

Digitized by Google

A

Opinio Pauli Samoſateni.

Iſtius Manetis tempore natus eſt Paulus quidam, genere quidem Samoſatenus, Antiochenæ autem Eccleſiæ, quæ in Syria eſt, præſes. Hic blaſphemus mentitus eſt, Dominum nudum fuiſſe hominem, & quemadmodum in vnoquoque Prophetarum, ita & in ipſo habitaſſe Deum Verbum. Hinc commentus eſt duas in Chriſto fuiſſe naturas diſtinctè ſe habentes: nec vnam quouis modo alteri inter ſe fuiſſe communicabilem, ac ſi alius eſſet ipſe Chriſtus, alius in eodem habitaret Deus Verbum. Enimuerò vtramque eius natiuitatem ſiue generationem perfido ac blaſphemo ore cenſuit dici naturam vnam & alteram in Chriſto Saluatore: ſic vt per illam humanitatem auferret, per hanc verò, abrogaret ei diuinitatem.

Opinio Apollinarij.

B

Dein quum pluſculum temporis proceſſiſſet, Apollinarius quidam Laodiceæ Syriæ maritimæ Præſul alterius inſaniæ fuit author. Aſſeuerantibus enim Arianis ad vnum omnibus carnem Domini fuiſſe inanimem, iſte Apollinarius dixit eum carnem aſſumpſiſſe animatam quidem ſed vitali anima, non item accepiſſe mentem ſeu intellectum. Neque enim ea caro humana mente egebat, quippe quæ ab ipſo regebatur qui eam ſubierat, Deo Verbo: quin & ipſa incapax erat alterius intellectilis potentiæ, præterquàm diuinæ: neque enim humana quæuis mens ſuſtinuiſſet cohabitare præſtantiori Domino. His ſuopte ingenio conſtitutis obnoxiè contendebat vnam eſſe & Verbi & carnis naturam: nimirùm vt per abiectam carnis conditionem, totus cenſeretur eſſe homo, nec vlla proinde inueniretur ratio naturæ præſtantioris.

C

Opinio Theodori Mompſueſtiani.

Secundùm hunc Apollinarium mox emicat ſeque promit Theodorus quidam à ciuitate cui Mompſueſtia nomen eſt. In terra Cilicum hic accepto ducatu aduerſus Apollinarium ex diametro pugnans, non leues contumelias impudenti animo & intrepido corde effundit aduerſus Dominum Chriſtum, eum appellans hominem vt vnum aliquem ex nobis communiter, qui & per gradus promouens, accepta à Deo gratia promeruit nominari Deus, idem per baptiſmum in Iordanis fluuio imprimis dignus eſt habitus dono Spiritus ſancti baptizatus in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Cæterum Deus Verbum qui ipſum inhabitabat propter præcellentem eius virtutem, pro bona ſua voluntate, denique poſt conſummationem, conſortem fecit diuinæ maieſtatis & adorationis. Hæc & conſimilis formæ permulta blaſphemus hic ementitus, duas aſſerit in Chriſto ſe noſſe naturas ſuis proprietatibus circumſcriptas, & ſola inter ſeſe habitudine conſertas.

D

Opinio Neſtorij.

Hos proximè ſequitur Neſtorius quidam nomine, ortus quidem è Germanicia Syriæ, verùm Antiochiæ quæ apud Orontem fluuium ſita eſt, aſcriptus Clero, denique is Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſibi vendicat thronum. Rurſus hic duarum naturarum quæ in Chriſto ſunt, voce abuſus eſt, impiè detorquens naturæ nomen, peræquè ac ſui progenitores Paulus & Theodorus. Non enim vt veritatem duarum in Chriſto naturarum, diuinæ pariter & humanæ conſignaret, & earum incommutabilem perſiſtentiam, citra vllam confuſionem oſtenderet, vtramque conſtituit naturam: ſed vt prætextu iſtius ducnionis, dolo malo duas ſubindicaret perſonas, malitioſè ac reuera peruerſo ſuo more accipiens Naturarum vocem pro Perſonis, dum interim per liberiorem & temerariam agnominationem vocis iſtius τῶν φύσεων naturarum, interdictam (in Chriſto) dictionem τῶν προσώπων hoc eſt, Perſonarum in medium adfert: ita vt ſecundùm hunc, alius ſit Chriſtus, alius item Deus Verbum, iuxta errorem illi à maioribus inſtillatum. Filius quippe hic erat Cilicis, at Samoſateni pronepos: & ob hoc perpes & implacabile geſſit bellum aduerſus venerabilem & intemeratam Virginem, nec vllo dignatus eſt honore caſtiſſimam Dei matrem Mariam, vt Domini matrem: ſed perinde ac ſeruus ceruice obdurata & perfricta fronte impudens ſummet negabat Dominum, ſuam ipſius dominam aſpergens pudendo dedecore, dum nomenclaturam hanc, Θεοτόκον, id eſt, Dei-para, non tam ei inuidet, quàm ne is dicatur Deus qui ex ea genitus eſt. Planè hic Neſtorius tertius prodijt Iudaicæ iſtius hæreſeωs auxiliaris patronus, eam in ſe recipiens & contrahens.

E

Neſtori' Pauli Samoſateni pronepos.

Opinio Eutychetis.

F

Oppoſitæ partis quæ à Manete & Apollinario ſtat, rurſum tertius hic Eutyches innotuit propugnator, qui & vnicuipiam præerat monaſterio eorum quæ circa Conſtantinopolim ſita erant. Hic enim non ſuſtinens nos confiteri Dominicam carnem conſubſtantialem nobis eſſe & connaturalem, negauit duas in Chriſto naturas incolumes eſſe potuiſſe ac ſaluas, vnà cum earumdem vnione & connaturali proprietate. Nec ſolo hoc errore contentus, inſuper prodigioſa quædam & abſurda prorſus ſecum comminiſcebatur. aſſerens Domini corpus è cœlo delatum & per Virginem ac ſi per fiſtulam aut canalem præterfluxiſſe Deum Verbum. qui è cœlo aſſumptum ſibi induiſſet corpus: idque vt crederetur prognatus propemodum ex muliere, non item genitus. Doctrina hæc Manichæi eſt, nempe præ illo Manete tantò magis per imaginationem excogitata. Hic igitur Naturam vnam detulit Chriſto, auerſo prorſus & obliquato corde, ſecundùm vnam naturam.

G

Eccleſiæ Definitio.

Duæ ergo partes quum ſint vna quidem iuxta Manetem, Apollinarium & Eutychen: altera autem iuxta Paulum, Theodorum & Neſtorium, & quidem illi ſecundũ vnam naturam, hi autem ſecundùm duas: è regione inter ſeſe pugnantes, Dominum Chriſtum inſcitè admodùm expreſſerunt. Eorum vtrinque peſſimas peruerſiones, inflexioneſq; impias elidens ac reſpuens Catholica Eccleſia, per mediam vtriuſque falſitatis incedens viam, graditur per viam nimirum regiam neutrobi declinans, non ad ea quæ in ſpeciem dextera ſunt, non item ad ea quæ in proſpectu ſiniſtra ſunt. Non enim ſuſtinet fateri iuxta Manetem, Apollinarium & Eutychen, vnam in Chriſto ſimpliciter conueniſſe naturam, ſed vnam naturam Dei Verbi incarnatam, acceſſione dictionis INCARNATAM, declarans naturam humanitatis quam natura Dei Verbi aſſumens, ſimulque & cum eadem vnus Dominus Ieſus Chriſtus natus eſt. Sed neque ipſa Dei Verbi natura à ſeipſa permutata eſt, non item aliena affecta à gloria quæ illam addecet maieſtatem, etiam ſi Deus aſſumpta carne natus ſit, & quidem carne non ſimpliciter natus creditur (hoc enim Arianiſmum reſipit) ſed carne animata. Nec vtcumque animata ſolùm. Reuoluitur enim & hoc in Apollinarij errorem: ſed carne animata, anima vtique intellectu & ratione prædita. Neque verò hominis naturam, qua aſſumpta natus eſt, ſuæ infudit diuinitati, aut eam ipſam permutauit, præterquàm iuxta naturalem & eſſentialem ipſius finitionem atque rationem. Neque quemadmodum aſſolet ignis ceram, ita eam humanitatem aſſumpſit. Itaque integra definitio quam hæc manifeſtant, à pietatis cultoribus ſic effertur: Vna natura Dei Verbi incarnata, carne animata, anima vtique intellectuali & rationali. E diuerſo iuxta Paulum, Theodorum & Neſtorium, duas in Chriſto naturas vtcumque fateri, Eccleſiaſtica improbauit doctrina: ſed duas naturas recipit ſubſtantialiter vnitas, hac inductione

Eccleſia Catholica incedit media inter Hæreſes.

H

Catholica Expoſitio vnionis 2. Naturarũ in Chriſto.

repudians omnem diuiſiuam animi conceptionem, cumque reprobat quiſquis contendit in partes diducere hanc Naturarum vnionem ſupernaturali modo & admirabili conſertam. Nec ſolùm naturas duas ſubſtantialiter vnitas confitetur, ſed vnione quæ ſecundùm perſonalem ſubſtantiam indiuulsè ſimul & inconfusè ſubſiſtit.

Expoſitio Definitionis.

Sanè finitio hæc duas profitens naturas, ſignat alterius quidem generis, alterius item eſſentiæ naturas duas in vnum conueniſſe, aſſumente diuinitate, aſſumpta verò humanitate. Et quidem per hoc quod dicit ſubſtantialiter vnitas, ſignificat vnionem hanc duarum naturarum intelligi debere non ſolum iuxta pium erga nos affectum aut alteram quamlibet habitualem intelligentiam, ſed ipſa eſſentia ac ſubiecto rebuſque ipſis eas ſimul ſubſtitiſſe & eſſe coniunctas. Quod autem dicit, *Vnione ſecundum ſubſiſtentem Naturam*, indicat humanitatem eam non priùs conformatam fuiſſe, & ita eam demùm diuinitati ſubijſſe: ſed quia ſecundum id, vt ſubſiſtit prima ſui origine, vnita eſt diuinitati. Per id portò, quod infertur, *Indiuulsè ſimul & inconfusè*, ſignificat, Naturas, dum in vnum conuenerunt, per eam vnionem nulla ſui parte fuiſſe innouatas: ſed & ratum vnionem ſubindicat ſemper & eodem modo eſſe conſeruatam, & vtramque perſiſtere citra vllam ſui imminutionem. Et hæc quidem pro ſubſtantiali ipſius Vnionis definitione & ratione. Huiuſmodi igitur argumentis nulli prorſus obnoxijs calumniæ & in offenſis, doctrina Eccleſiæ amandat longiùs ac ſubmouet eos qui ab vtraque parte aberrarunt, nec vllum cedit locum volentibus calumniam obtendere veritati. Etenim ſi quis æquò amantior diuiſionis, contentioſiùs volet per duarum Naturarum confeſſionem argumentis colligere duas Hypoſtaſes ſiue duas ſubſiſtentes Perſonas, id quidem iuxta prædictas inductiones nullo vnquam pacto impetrauerit: multò autem magis & per quam facilè ab alterutra finitionum coarguitur. Dico autem vel hac, *Vna Natura Dei Verbi incarnata*: Hæc enim definitio euidenter exprimit nunquam in hypoſtaſi internoſci omnino potuiſſe humanitatem à Chriſto aſſumptam, niſi diuina Verbi natura Virgineam aluum ſubingreſſa, eam humanitatem ex ipſa Virgine ſibijpſi, modo ineffabili conformaſſet atque effinxiſſet, ita vt nec principium quidem aut actum primum † viuentis effectus ſortita foret aſſumpta natura, abſque eſſentiali naturalique & grata ſibi inhabitatione naturæ Dei Verbi ipſam humanitatem aſſumentis. Ecquid loquor de principio † diuinæ operationis, quando ne ſi ipſa quidem beata Virgo ſupra naturæ ordinem, vím accepit prolificam, ad propagationem ac genituram, an non ad hoc promota eſt per Verbi diuini præſentiam? Quo igitur pacto eadem Chriſti humanitas, in ſeparata hypoſtaſi ſecundum ſe nunquam genita, ſed in aſſumente eam Deo Verbo ſortita vt eſſet, vtque ſubſiſteret, dici aliquando potuit hypoſtaſis ſiue perſona per ſe ſubſiſtens, habuerit quò per ſe ſeórſim & particulatim internoſceretur? Stolidi prorſus & vani ſit hominis talia comprobare, duaſque in re eiuſmodi quærere hypoſtaſes aut Perſonas à ſe diſparatas. Id quùm non ſit; cur vtique vnus aliquis talia quidem labijs honorat & complectitur ſuauiter, cor autem eius longè abeſt ab his? Itaque ſi quis ſyncerſter & Eccleſiáſticè confiteri vult duas in Chriſtò naturas: illud item, *Vna natura Dei Verbi incarnata*, eadem ſubmiſſis manibus integro item corde excipiat, ceu prædicta explanatio declarat. Quod ſi is nos putat per hoc permiſcere aut confundere diuinam diſpenſationem, quaſi Incarnati ratio aliter etiam intelligi poſſit quàm continet ſermò pietatis, hanc alioqui recipiens inductionem, *Carne animata anima intellectili & rationali*, deſinat in poſterum cauſificari ac prætexere excuſationes in peccatis. Cuiuſmodi fuerit, ſi dicat: *Incarnata*, poteſt vni acquieſcere naturæ nec interim ſuperinducere ei naturam alteram. Poteſt inſuper conuerſionem aliquam naturæ huius ſiue mutationem deſignare, ſicuti Chryſtallum dicimus eſſe naturam aquæ frigore concretam. Ecce enim quum ſciamus vnam eſſe aquæ naturam, huic ſi addimus, *glacie contractam ſeu compactam*, per eiuſmodi annotatiunculam vtique illi non ſuperinduximus naturam alteram. Tantum eſt, per vocem, κεκρυσταλλωμένον id eſt, *frigore contractam*, intelleximus concretionem quandam ac ſoliditatem factam eſſe circa fluidam aquæ naturam. Ad hoc reſpondemus in rebus eiuſmodi non ſolere reduplicari tales voces. Ibi enim reduplicatio vim habet ſignificandi naturam alteram, cuiuſmodi non poſſumus dicere aquę naturam concretam de Chryſtallo: quando per hæc indicauimus aliud quiddam eſſe aquæ naturam, aliud item Chryſtalli, ceu quum dicimus lignum inauratum auro. Per hanc enim reduplicationem, intelleximus aliud quiddam eſſe lignum aliud item aurum. Eundem igitur in modum & hic, cùm dixerimus vnam eſſe naturam Dei Verbi Incarnatam: ſi adijciamus, CARNE, iam conſignauimus naturam carnis. Adde, quia & ipſa diuinitas neutiquam eſt in carnem permutata: ſed permanens quod erat, per velum, hoc eſt, per carnem, à maieſtate ſibi aſſumptam, nobis ſe manifeſtauit. Talis intelligentia nobis tandem reddita eſt per eiuſmodi reduplicationem. Si quis rurſus confuſaneæ litis amantior ſimul & conſperſione erroris fermentatus non quidem repudiat talem definitionem, quippe qui contendat eam eſſe ſuæ impietati conſentientem: Et quidem maximè quæ à me ſunt præmiſſæ inductiones, illius malignam conceptionem quàm longiſſimè propulſant ac ſubmouent. Sane altera illa finitio quæ Chriſtum in duabus Naturis innotuiſſe mortalibus pronunciat, multò hæc magis elidit, & confutat claucularium dolum ſic malignantis. Hæc enim definitio perſpicuè clamat; nimirum quia vtriuſque naturæ proprietas ſtabilita ſit & inegreſſibilis, atque adeò in ſua perſeuerct vnione: ita vt quis facilè poſſit diſcernere quid vtriq; ſe continentium Naturarum ſit proprium; quid inſuper inter ſe accommodet & diſtribuat vnumquodque eo..., quæ propria ſunt, quæve mutuem recipiat à ſimul ſub..ente ac ſimul adiacente. Hoc proinde eſt proprium ... puriſſimæ & lingua quæque in ordinem digeren... ..., quòd quæ communia ſunt vtrique naturæ, quæ item ſunt propria vnicuique counitarum naturarum declarat. Non enim niſi intellecta priùs proprietate, ipſa communitas agnoſci queat. Quo etenim pacto in re quapiam fiet communicatio, niſi vnumquodque communicantium habeat quiduis ſibi peculiare? Mihi iam attende, quia ſecundùm hanc rationem, proprium naturæ Dei Verbi aſſumentis eſt, Deus vt ſit: proprium item aſſumptæ hominis naturæ eſt, filius vt ſit hominis. Contemperatis igitur hiſce naturis & inter ſe iuſta dimenſione libratis, ratione connaturalis coaleſcētiæ atque vnionis in vnum conueniunt ac temperantur mutua copula, Nec ſecùs ſe habent naturæ vtriuſque appellationes. Efficitur proinde vtraque natura vnus filius Dei ſimul & hominis: hoc eſt: filius Patris & Virginis Mariæ matris. Exempli gratia, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Et, *Emiſit Deus filium ſuum factum ex muliere*. Sermo igitur Eccleſiaſticus inculpatus eſt qui denunciat vnum eſſe Dominum Ieſum Chriſtum. Hæc vox, *Deus*, nomen eſt naturæ, perinde atque, *Homo*, naturæ eſt nomen. Quādo igitur ipſe Chriſtus & Deus eſt & Homō, ob hoc, duæ licet ſint naturæ, vnus tamen & idem conceditur eſſe Dominus. Ruſus quia vnus ipſe eſt filius Dei Patris videlicet atque Virginis matris. Nomen proinde, *Filius*, perſonæ ſubſiſtentis ſignificatiuum eſt non item naturæ; quare hypoſtaſis vna, nempè perſona Chriſti ſecundum diuinam naturam pariter & humanam à piè credentibus glorificatur. Vnam itaque ſubſiſtentem perſonam duas inſuper naturas venerans ſermo Eccleſiæ; media quadam inceſſit via, neque Manichæum ſequens, qui propter Vnionem & Naturas nouo figmento affinxit naturæ: non Pauli errorem imitatur propter diuiſionem, quam commentus eſt per Vnionem naturarum, & ex perſona Perſonas conſtituens. Neque

† ζωοπλασίας.

† θεοπλασίας.

Matth. 10.
2. Cor. 11.

A

enim vna vtrarumuis per partes efficit aut diuiſionem ſine vnione, aut vnionem ſine diuiſione, ſed ſimul ac ſeorſum iunctum. Vnitè enim diuidit, vnam quidem perſonam dicens, naturas verò duas. Diſtinctè etiamnum connectit, duas quidem profitens naturas, perſonam autem vnam iuxta magnum in Theologia * Gregorium. Illic etenim perſonas diuidens vnit naturæ: hic autem in ſubſiſtente perſona ponens vnitatem, diſtinguit naturas. Et quidem perſonæ illic diuerſæ, natura verò eadem: hic contra naturæ quidem diuerſæ, perſona verò eadem. Si quis igitur iuxta mentem Eccleſiæ exponit illud, nempè, *Vnam Dei Verbi naturam incarnatam*, non illibenter excipiat & illud, nimirum vt in Chriſto duas confiteatur naturas ſubſtantialiter vnitas. Si enim ad probationem & ſignificationem humanæ naturæ. vt primùm dixit vnam naturam Dei Verbi, mox addit illud, *Incarnatam*: cui ſermoni non acquieſcens, reſpuit duas confiteri naturas, vnam quidem quæ Dei Verbi eſt, alteram, quæ eſt humana, quam ipſe ſe enuntiare confirmat per dictionem incarnationis indicem. Quæ enim confitetur, eadem & enumerat, iuxta Baſilium magnum. Quòd ſi cauſificatur & culpat numerum duernionis tanquam bipartientem ac diuiduum: noueritis eiuſmodi exceptionem non eſſe rationi conſentaneam. Si quidem ceu ſuperiùs dictum eſt, dum definitio fiebat, ſimpliciter ſe in Chriſto noſſe duas naturas, tumque ab hoc, aliud nihil inferens obticuit, locum forte dabat talibus ſuſpicionibus, necubi ſuam ipſius intelligentiam perſpicuè repræſentans quomodo nollet duas iſaſce naturas inter ſe habere. Si verò inſeri illud, *vnitas, inconfuſas*, ac proindè vnam prædicat ſubſiſtentem perſonam: ne quidem vel volenti, locum relinquit calumniæ. Demonſtratum igitur omni ex parte eſt, quia ambabus hiſce definitionibus idem fuerit conſilium, eadem mens, ita vt altera alterius fuerit interpretatiua magis, non item contraria. Et hæc quidem nunc, vt in præuia Iſagoge dicta ſunto, niſi ſane quatenus Liber enarrare cœpit, quoniam Eccleſia dum ſubmotis à ſe peruerſionibus opinantium, in vtramuis partem pugnantia eminens, mediam vt veriſſimam ſecat viam: Seuerus quidam qui ſe intruſerat primariæ ſedi Antiochenorum anxiè contendit tueri alterutram partem illorum Complicium: eorum ſcilicet qui à parte Manetis Apollinarij & Eutychetis ſtabant, quanta maxima vi poterat, exagitans ac permiſcens Eccleſiæ pacem. Is denique tanquam ſeditioſus ac turbulentus ab Antiochi ciuitate expulſus, immiſit ſe Alexandrinorum turbulentæ leuitati, procelloſi turbinis inſtar, inque morem hybernæ tempeſtatis: quo loci dum alteram [illegible] ſe aſpirantem procellam concit, is quidem [illegible], [illegible] ſolito turbatum [illegible]. Qui porrò, per hunc, fluctibus errorum iactabantur ac circumferebantur, à ſe inuicem diſpertiti ſunt, quin priùs maiore incommodo. Diſperdit enim eos Iulianus factus dæmonium meridianum iis, iuxta Scripturam. Iulianus autem hic Halicarnaſſi quidem quæ in Aſia eſt, erat Epiſcopus, Euthychianicæ verò turbæ propugnator ſtrenuus maximè, Seuero amicitia & familiaritate iunctiſſimus, ambo autem aduerſus veritatem conſpirantes. Denique quum inter eos quæſtio inciderit hæc, vtrum Corpus Domini dicere deberent corruptibile aliquando fuiſſe an incorruptibile: ſed & ratione vnionis eius recenſendam eſſe naturæ corruptionis proprietatem, quaſi verò ex vna natura ſint factæ duæ, & eſſentialis differentia non iam agnoſceretur in vtraque perſona: quod autem præſtantius vtpotè diuinum præualuiſſet, vna cum primaria Naturarum conſertione, & ad ſuam ipſius proprietatem id quod inferius erat, momento temporis tranſmutaſſet, permanente eodem modo naturali proprietate. Ambobus his Iuliano ac Seuero propoſitio hæc negatiua communis erat. Siquidem erant ambo propugnatores confuſaneæ vnionis naturarum.

* Intellige Nazianz.

B

C

Alexandrinorum turbulenta leuitas.

Iulianus Halicarnaſſæus hæreticus.

D

E

Opinio Iuliani.

Iulianus igitur iudicauit ſe non peſſimè facturum ſi ſemel veluti è ſublimi ſpecula progrederetur aduerſus veritatem. Et ne aduerſum ſe ſimul & veritas videretur indecorè congredi, conſequens arbitratus eſt dicenti vnam naturam, non vtique à ſe diſſidentem, hanc alioqui cenſet aliquando fuiſſe differentem. Hæc proinde differentia ſi non eſt, magis impium fuerit dicere, quod peius eſt tranſiſſe in id quod præſtantius: hoc eſt, corruptibile emigraſſe in id quod eſt incorruptibile. Hæc quum ſyllogiſticè collegiſſet, nec aliud quidnis ſibi repugnans præuidiſſet, ſua vnius authoritate cenſuit Domini carnem fuiſſe ſemper & per omnia quid incorruptibile. Seuerus è diuerſo, vt cui hæc neutiquam placerent (quippe quæ luculenter prædicarent refuſionem & commixtionem) neque interim volebat conciliari Eccleſiæ, vt quæ conſequenter differentiæ ac proprietatibus adnumerat etiam Naturas, circa quas attenditur differentia, & quarum ſunt proprietates in ipſis naturaliter conſiſtentes. Quin & pariter cum Iuliani auſu temerario ignominioſum ſibi fore interpretabatur, ac nimiæ temeritati aſcribendum, idque aliud eſſe nihil quàm ſi quis capite retecto & effreni ore oppugnet pietatem.

Iuliani Halicarnaſſæi hæreſis de Vnione 2. Naturarũ in Chriſto.

F

Seueri opinio, & Eccleſiæ definitio.

Ex eo tum tempore, ſe ſibi-ipſi oppoſuit Seuerus, Veritati item atque proximo ſuo mendacio, ſic vt non fieret vſquequaque aut verax, aut certè mendax: ſed ſi dicere liceat, ἀνωμάλως: nimiùm aſſimilis commentitiæ iſti & ab ipſo excogitatæ naturæ. Ob hoc planè aduerſum ſe pugnax, nec conſtantis ſententiæ, ſtolidè prorſus & inerudité, medium neſcio quid perquirens inter mendacium & veritatem, quod certè nuſquam eſt. Medium enim veritatis & mendacij nemo vſpiam inueniat, ſed ne excogitare quidem poſſit. Ipſa enim veritas medium ſemper obtinet locum, in neutram deflectens partem, quare ſtabilis perſeuerat, vndequaque ſui ſimilis & ſingula rectiſſimè diſpertiens: quare nihil in ſui conſortium exceptura eſt à quo detorqueatur in obliquum, aut à propria ſtatione & firmitate dimoueatur. Quicquid enim per inſidias tentat ſe veritati adiungere propiùs, ipſaque velut intercedente concire tumultum, id omne exhaurit: quod ab eadem deprehendimus paſſum eſſe Seuerum. Is namque (ceu diximus) quum argumentis contendiſſet medium quiddam nouè excogitare, præter veritatem: à veritate deflectens (quod alioqui neſciuit) fecit eam eſſe mediam ſuipſius ac ſibi congeneris mendacij. Seuerus enim ijs quum dicat Chriſtum vnius eſſe naturæ, ac differentiam interim naturæ iſtius admittat quàm agnoſcit in Chriſto: E diuerſo Iulianus, ne vnam quidem (iuxta Seuerum) fatetur eſſe naturam, auferens inſuper differentiam: Veritas ipſa, hoc eſt, doctrina Eccleſiaſtica mediam quandam temperiem ſuiipſius vbique ſeruans incolumem, ſuſcipit quidem naturarum differentiam, at certè non iuxta Seuerum: Neque enim aliquando vllam nouit naturam ſibiipſi eſſe contrariam. In Chriſto ſiquidem duas agnoſcens naturas (diuinam pariter & humanam) harum tamen inter ſeſe differentiam lucidiſſima mentis contemplatione perſpicit. Non enim idem ſunt diuinitas atque humanitas, etiamſi vnus Chriſtus, qui in vtraq; exiſtit immò vtraque conſtat natura. Vt ſit ſimul vtraque natura, vnum, at certè non natura. Vnum autem eſſe concurſione Naturarum apertiſſimè clamat præco Eccleſiaſticus. Et Eccleſia quidem non admittens differentiam iuxta Seueri opinionem, eandem alioqui non repudiat, iuxta ſuum ipſius docendi modum ſecundùm ſimilitudinem ab Halicarnaſſæo inductam. Didicit enim Verbum Deum veram aſſumpſiſſe carnem, animamque intellectu præditam cum proprijs idiomatibus. Agnoſcit inſuper immortale vnitum eſſe mortali, ceu prædictus aſſeruit Theologus Gregorius.

G

Nullũ eſt medium inter Mẽdacium & Veritatem.

H

A Itaque quod & dicebamus, Veritas vtriuſque hæreſeos intermedia permanſit atque immota, renuens quidem iuxta Seuerum, fateri vnam eſſe naturam & differentiam: Doctrina enim talis nihil minùs differre videtur ab ænigmate & prodigioſo ſermone: Quomodo enim natura eadem poſſit eſſe ſibi contraria ? At interim nec intempeſtiuè reminiſcendum eſt Domini clamantis, Quia *omnis domus aut regnum aduerſus ſeipſum diuiſum, non ſtabit.* Si igitur iuxta ipſum, natura vna diuiſa eſt aduerſus ſeipſam, quonam pacto ſtabit eius ſubſtantia? Itaque iuxta communem omnium intelligentiam, ſecundùm Domini ſermonem, bene vtique facit doctrina Eccleſiæ, non ſuſcipiens Naturam vnam aduerſum ſeipſam differentem, ſibique contrariam iuxta Seueri conſilium inconſiſtens prorſus ac pugnax maximè. Sed neque iuxta Iuliani opinionem, omnino differentiam reſpuit Eccleſia Dei. Si enim iuxta illum, Chriſtus natura eſt vnica, nec qualemcunque aſſumpſit eſſentialem differentiam, prorſus neceſſe ſit confiteri vtriuſuis alterutrum, quod vtrique hæc
B confirmet: nempè aut nudum hominem fuiſſe Dominum, & quæ de ipſo diuina eſſe dicuntur, non quia Deus ſit, ſed per alteram quandam virtutem diuinam & efficaciter operantem abſque eo facta eſſe: Aut certè Chriſtum, Deum fuiſſe nudum, non item aſſumpſiſſe humanam carnem, & quæ de eo humana fuiſſe prædicantur, non tãquam homo, ſed quaſi Deus ſit paſſus hæc, & talia in ſe receperit in alterutra natura. Denique ſi neutrum iam dictorum ſint, neceſſe fuerit fateri Euangelicam omnem hiſtoriam quæ de ipſo conſcripta eſt, phantaſtica imaginatione ac deceptione fallaci, fruſtra voluiſſe imponere Chriſtianis, quamque in Chriſtum ſpem prædicat beatam, fruſtraneam eſſe & inanem. Et deinceps per hæc ſe offert commoda occaſio recitandi illud Apoſtoli, *Vana ergo eſt prædicatio noſtra.* Inuenimur falſi teſtes Dei, quia falſo teſtificati ſumus aduerſus Deum quia ſuſcitauit Chriſtum quem non ſuſcitauit. Iſtiuſmodi planè ſyllogiſmi aliud nihil ſunt, quàm vanitas & fidei ſubuerſio,
C iuxta magnum Gregorium. Omni igitur ex parte demonſtratum eſt perpurgatam hanc eſſe vniuerſam controuerſiam & irreprehenſibilem, ſolamque ſanctæ Dei & Catholicæ Eccleſię ſententiam pro veritate immobilem cõſiſtere. Quum etenim vellet Eccleſia modum oſtendere per quem ad nos facta eſt condeſcenſio per diuinam erga homines clementiam, vnam Dei verbi naturam confitens incarnatam, nimirum quia Verbum quod in principio erat, nempè Patri conſempiternum, tandem propter nos noſtramque ſalutem, homo vt fieret, ſemen Abrahæ apprehendit, eſtque per omnia aſſimilatus nobis, adempta ſola contagione peccati. Quum verò eadem contemplari vellet quibus conſtitiſſet Chriſtus & quæcunque geſſiſſet, duas confeſſa naturas ſubſtantialiter vnitas, per hoc repræſentat magnitudinem miſericordiæ ac miſerationum Dei circa nos, qui immenſo ad nos amo-
D re ſuſtinuit nobiſcum conuerſari, ſuæque naturę noſtram adnumerari: quare Deo gratia, pro inenarrabili ipſius dono. Et hæc quidem hactenus. Quando autem Seuerus nudis vocibus acquieſcit, vtique pietatem ſupponit conſiſtere in ſolis verbis ac ſonis, reclamante Apoſtolo qui dicit, *Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute & veritate.* E regione, is demum ab ipſo Seuero præſtantiſſimus agnoſcitur Theologus, qui ſcite ſe exercuit in Ariſtotelicis Categorijs & reliqua ſupellectile externorum à Chriſto philoſophorum. Neceſſarium proinde fuerit, vt & ſignificata vniuſcuiuſque dictionis earum quæ vtiliter ſumuntur ad ea quæ dicta ſunt aduerſus Seuerum, pro loci ac temporis opportunitate ipſi explanemus, iuxta mentem Doctorum Eccleſiæ, ſecundùm quam interpretati ſunt, vt qui ſubſcriptos Libros lecturi ſunt, prima mox lectione, vires intelligant eorum quæ dicuntur, neque ſibijpſis impedimento ſint ad propoſitionum apprehenſionem, per ignorantiam ſignificationum dictionum.

Nazianzenum dicit.

Ariſtotelicæ Cathegoriæ in precio apud Seuerum hæreticũ.

F I N I S.

E

SALVIANI MASSILIENSIS PRESBYTERI OPERA OMNIA QVÆ extant.

EX GENNADII MASSILIENSIS PRESBYTERI LIBELLO DE Illuſtribus Viris.

SAluianus Maſſilienſis Eccleſiæ presbyter humana & diuina literatura inſtructus, & , vt abſque inuidia loquar, Epiſcoporum magiſter, ſcripſit ſcholaſtico & aperto ſermone multa, ex quibus iſta legi: De virginitatis bono ad Marcellum presbyterum libros I I I. *Aduerſus auaritiam lib.* I V. *De præſenti iudicio libros* V. *& pro eorum merito ſatisfactionis ad Salonium Epiſcopum lib.* I. *Expoſitionis extremæ partis Eccleſiaſtis ad Claudianum Epiſcopum Viennenſem librum vnum. Epiſtolarum lib.* I. *& in morem Græcorum de principio Geneſis vſque ad conditionem hominis compoſuit verſuum quaſi Exameron lib.* I. *Homilias Epiſcopis multas. Sacramentorum verò quanti nec recordor. Viuit vſque hodie in ſenectute bona.*

Claruit ſub Zenone Imp. ad an. 480. Trith.

F

ADO VIENNENSIS IN BREVIARIO CHRONICORVM CIRCA TEMPORA Chlodouechi Francorum & Burgundionum Regis.

SAluianus Presbyter apud Maſſiliam humana & diuina literatura inſtructus, inter alia ſcripſit ad Claudianum presbyterum Viennenſem librum vnum expoſitionis extremæ partis in Eccleſiaſtem.

G

HILARIVS EPISCOPVS ARELATENSIS IN HOMILIA FVNEbri de Sancto Honorato.

NOn immerito egregius in Chriſto beatiſſimus vir Saluianus Presbyter cæterorum Honorati vnus in ſcriptis ſuis dixit, quod ſicut cœli faciem pro ſua ſol aut obſcuritate, aut ſerenitate mutaret, ita congregatio illa Lirinenſis cœlum ſitiens, & cœleſtibus ſtudijs mancipata ab ipſo Honorato vel ſerenitatem mentium, quaſi à peculiari in Chriſto ſole ſuſciperet.

EX BELLARMINO DE SCRIPTORIBVS ECCLESIAST.

H SAluianus Presbyter, ac poſtea Epiſcopus Maſſilienſis æqualis fuit S. Eucherij Lugdunenſis, quippe, qui filiorum Eucherij, (habuit enim Eucherius ex legitimo coniugio ante Sacerdotium duos filios, qui ipſi quoque Epiſcopi fuerunt) Veranij, & Salonij Epiſcoporum magiſter fuit, teſte Gennadio in libro de viris illuſtribus.

Porrò Saluianus *plurima opera* ſcripſiſſe fertur, ſed nunc extant ſolum, quod ego ſciam, *libri octo de prouidentia, & iudicio Dei, & libri quatuor de Eccleſia ſub nomine Timothei*, in quibus ita exaggerat vitia Chriſtianorum, & maximè clericorum ſui temporis, vt nimius videri poſſet, niſi ex vero zelo gloriæ Dei, & ſalutis animarum Oratio eius proficiſceretur.

(∴)

A

SALVIANI EPISCOPI LIBRI VIII. DATI AD S. SALONIVM EPISCOPVM DE GVBERNATIONE DEI.

Initio operis Salonij annotauimus, certum eſſe Salonium Epiſcopum fuiſſe. Quod autem Viennenſis Epiſcopus fuerit non ita eſſe exploratum, quia magnis rationibus reuocatur in dubium. Conſule annal. Eccleſ. tom. 6 anno 441 cap. 12.

INCIPIT PRÆFATIO.

SAncto Epiſcopo SALONIO SALVIANVS *Epiſcopus ſalutem in Domino. Omnes admodum homines, qui pertinere ad humani officij cultum exiſtimarunt, vt aliquod linguarum opus ſtudio ingeniorum excuderent, ea ſpeciali cura elaborarunt, vt ſiue vtiles res ac probas, ſiue inutiles atque improbas ſtylo texerent, ſeriem tantum rerum nitore verborum illuſtrarent, cauſiſque ipſis quas loqui vellent, loquendo lucem accenderent. Itaque ad hanc ſe partem ex vtroque genere literarum ſcriptores mundalium negotiorum plurimi contulerunt, non ſatis conſiderantes quàm probabilibus materijs ſe impenderent, dummodo ea quæcunque dicerent, aut compto & blando carmine canerent, aut luculenta oratione narrarẽt.* B *Omnes enim in ſcriptis ſuis cauſas tantum egerunt ſuas & proprijs magis laudibus quã aliorum vtilitatib. conſulentes,* C *nõ id facere adniſi ſunt vt ſolubres ac ſalutiferi, ſed vt ſcholaſtici ac diſerti haberentur. Itaque ſcripta eorum aut vanitate ſunt tumida, aut falſitate infamia, aut verborum fœditatib. ſordida, aut rerum obſcœnitate vitioſa: vt vero cum ingeniorum tantum laudem aucupantes, tam indignis rebus curam impenderent, non tam illuſtraſſe mihi ipſa ingenia, quàm damnaſſe videantur.*

Qui ingenia ſua damnant.

Nos autem qui rerum magis quàm verborum amatores vtilia potius quã plauſibilia ſectamur, neque id quærimus, vt in nobis inania ſeculorum ornamenta, ſed vt ſalubria rerum emolumenta laudentur: in ſcriptiunculis noſtris non lenocinia eſſe volumus, ſed remedia, quæ ſcilicet non tam otioſorum auribus placeant, quàm ægrotorum mentibus proſint, magnumq; ex vtraque re cæleſtibus donis fructum reportaturi. Si enim hæc ſalus noſtra ſanauerit quorumdam non bonam de Deo noſtro opinionem, fructus non paruus erit quod multis profui. D *Sin autem id non prouenerit, & hoc ipſum infructuoſum ſaltem non erit quod prodeſſe tentaui. Mens enim boni ſtudij ac pij voti, etiam ſi effectum non inuenerit cœpti operis, habet tamen præmium voluntatis. Hinc ergo exordiar.*

INCIPIT LIBER PRIMVS DE GVBERNATIONE DEI, ET DE IVSTO DEI PRÆſentique iudicio.

Incipiunt Dialogi diſputantis.

INCVRIOSVS à quibuſdam & quaſi negligens humanorum actuum Deus dicitur, vtpote nec bonos cuſtodiens, nec coercens malos, & ideo in hoc ſeculo bonos plerumque miſeros, malos beatos eſſe. Sufficeret quidem ad refellenda hæc, quia cum Chriſtianis agimus, ſolus deberet ſermo diuin9: ſed quia multi incredulitatis paganicæ aliquid in ſe habent, etiam paganorum forſitan electorum atq; ſapientum teſtimonijs delectarẽtur. E Probamus igitur ne illos quidem de incurioſitate ac negligẽtia iſta ſenſiſſe, qui veræ religionis expertes nequaquam vtique Deum noſſe potuerunt, quia legem per quã Deus agnoſcatur neſcierunt. Pythagoras Philoſophus, quem quaſi magiſtrum ſuum philoſophia ipſa ſuſcepit, de natura ac beneficijs Dei diſſerens, ſic locutus eſt: Animus per omnes mundi partes commeans atq; diffuſus, ex quo omnia quæ naſcuntur animalia vitam capiunt.

Pythagoræ opinio de prouidentia.

Quomodo igitur mundum negligere Deus dicitur? quem hoc ipſo ſcilicet ſatis diligit, quod ipſum ſe per totum mundi corpus intendit. Plato & omnes Platonicorum ſcholæ moderatorem rerum omnium confitentur Deum. Stoici eum gubernatoris vice intra id quod regat ſemper manere teſtantur. Quid potuerunt de affectu ac diligentia Dei rectius religioſiuſque ſentire, quàm vt eum gubernatori ſimilem eſſe dicerent: hoc vtique intelligentes, quod ſicut nauigans gubernator nunquam manum ſuam à gubernaculo, ſic nunquam penitus curam ſuam Deus tollit à mundo.

Plato in Timęo gubernatori ſimilis Deus.

F Ac ſicut ille & auras captans, & ſaxa vitans, & aſtra ſuſpiciens, totus ſit ſimul tam corporis quàm cordis officio operi ſuo deditus: ita ſcilicet Deum noſtrum ab vniuerſitate omnium rerum, nec munus dignantiſſimæ viſionis auertere, nec regimen prouidentiæ ſuæ tollere, nec indulgentiam benigniſſimæ pietatis auferre. Vnde etiam illud myſticæ auctoritatis exemplum, quo ſe non minus Philoſophum Maro probare voluit quàm Poëtam, dicens, Deum namque ire per omnes Terraſque tractuſque maris, cœlumque profundum. Tullius quoque: Nec verò Deus ipſe, inquit, qui intelligitur à nobis alio modo intelligi poteſt, quàm mens ſoluta quædam & libera & ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens & mouens.

Maro in Georgicis. Tullius de natura Deorum.

Alibi quoque: Nihil enim, inquit, præſtantius Deo: Ab eo igitur mundum regi neceſſe eſt. G Nulli igitur naturæ obediens aut ſubiectus Deus: omnem ergo regit ipſe naturam, niſi fortè nos videlicet ſapientiſſimi ita ſentiamus, vt eum à quo omnia regi dicimus, & regere ſimul & negligere credamus. Cùm ergo omnes etiam religionis expertes, vi ipſa & quadam neceſſitate compulſi, & ſentiri omnia à Deo, & moueri, & regi dixerint: quomodo nunc eum incurioſum quidam ac negligentem putant, qui & ſentiat omnia per ſubtilitatem, & moueat per fortitudinem, & regat per poteſtatem, & cuſtodiat per benignitatem? Dixi quid de maieſtate ac moderamine ſummi Dei Principes & Philoſophiæ ſimul & eloquentiæ iudicarint. Ideo autem nobiliſſimos vtriuſque excellentiſſimæ artis magiſtros protuli, quo facilius vel omnes alios idem ſenſiſſe, vel certè ſine auctoritate aliqua diſſentiſſe monſtrarem. Et ſane inuenire aliquos, qui ab iſtorum iudicio diſcrepauerint, præter Epicureorum, vel quorundem Epicurizantium deliramenta, non poſſum: qui ſicut voluptatem cum virtute, ſic Deum cum incuria ac torpore iunxerunt, vt appareat eos qui ita ſentiunt, ſicut ſenſum Epicureorum atq; ſententiam, ita etiam vitia ſectari.

Soli Epicurei prouidentiã negauerunt.

H Non puto quod ad probandam nunc rem tam perſpicuam etiam diuinis vti in hoc loco teſtimonijs debeamus, maximè quia ſermones ſacri ita abunde & euidenter cunctis impiorum propoſitionibus contradicunt, vt dum ſequentibus eorum calumnijs ſatisfacimus, etiam ea quæ ſupradicta ſunt plenius refutare poſſimus. Aiunt igitur à Deo omnia prætermitti, quia nec coerceat malos, nec tueatur bonos, & ideo in hoc ſeculo deteriorem admodum ſtatum eſſe meliorum: bonos quippe eſſe in paupertate, malos in abundantia: bonos in infirmitate, malos in fortitudine bonos ſemper in luctu, malos ſemper in gaudio: bonos in miſeria & abiectione, malos in proſperitate & dignitate. Primum igitur ab ijs qui hoc ita eſſe vel dolent, vel accuſant, illud requiro: De ſanctis hoc, id eſt, de veris ac fidelibus Chriſtianis, an de falſis & impoſtoribus doleãt. Si de falſis, ſuperfluus dolor, qui malos doleat non beatos eſſe: cũ vtique quicunq; mali ſunt, ſucceſſu rerum deteriores

Mali deteriores fiũ: rebus ſecundis.

fiant,

A fiant, gaudentes ſibi nequitiæ ſtudium bene cedere. Et ideo vel ob hoc ipſum miſerrimi eſſe debent, vt mali eſſe deſiſtant, vindicantes improbiſſimis quæſtionibus nomen religionis, & præferentes ad ſordidiſſimas negotiationes titulum ſanctitatis: quorum ſcilicet nequitijs ſi miſeriæ comparentur, minus ſunt miſeri quàm merentur: quia in quibuſlibet miſerijs conſtituti, non ſunt tamen tam miſeri quàm mali. Nequaquam ergo pro his dolendum, quod non ſunt diuites ac beati: multo autem pro Sanctis minus: quia quamlibet videantur ignorantibus eſſe miſeri, non poſſunt tamen eſſe aliud quàm beati. Superfluum autem eſt, vt eos quiſpiam vel infirmitate, vel paupertate, vel alijs iſtiuſmodi rebus exiſtimet eſſe miſeros, quibus ſe illi confidunt eſſe felices. Nemo enim aliorum ſenſu miſer eſt, ſed ſuo, & ideo non poſſunt cuiuſquam falſo iudicio eſſe miſeri, qui ſunt vere ſua conſcientia beati. Nulli enim, vt opinor, beatiores ſunt, quã qui ex ſententia ſua atque voto agunt. Humiles ſunt religioſi, hoc volunt: pauperes ſunt, paupertate delectantur: ſine ambitione ſunt, ambitum reſpuunt: inhonori ſunt, honorem reſpuunt: lugent, lugere geſtiunt: infirmi ſunt,

Suo ſenſu quiſque miſer.

B infirmitate lætantur. *Cùm enim*, inquit Apoſtolus, *infirmor, tunc potens ſum*. Nec immerito ſic arbitratur, ad quem Deus ipſe ſic loquitur: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*. Nequaquam ergo nobis dolenda eſt hæc afflictio infirmitatum, quam intelligimus matrem eſſe virtutum. Itaque quicquid illud fuerit, quicunque vere religioſi ſunt, beati eſſe dicendi ſunt: quia inter quamlibet dura, nulli beatiores ſunt, quàm qui hoc ſunt quod volunt. Soleant quamuis eſſe nonnulli, qui turpia atque obſcœna ſectantes, & ſi iuxta opinionem ſuam beati ſunt, quia adipiſcuntur quod volunt, re tamen ipſa beati non ſunt, quia quod volunt, nolle debuerant. Religioſi autem hoc cunctis beatiores ſunt, quia & habent quæ volunt, & meliora quàm quæ habent omnino habere non poſſunt. Labor itaque, ieiunium, & paupertas, & humilitas, & infirmitas non omnibus ſunt oneroſa tolerantibus, ſed tolerare nolentibus. Sine enim grauia hæc,

2. Cor. 12.

Afflictio infirmitatum.

C ſine leuia, animus tolerantis facit. Nam ſicut nihil eſt tam leue quod ei non graue ſit, qui inuitus facit: ſic nihil eſt tam graue, quod non ei qui id libenter exſequitur, leue eſſe videatur, niſi fortè antiquis illis priſcæ virtutis viris, Fabijs, Fabritijs, Cincinnatis graue fuiſſe exiſtimamus, quod pauperes erant, qui diuites eſſe nolebant, cùm omnia ſcilicet ſtudia, omnes conatus ſuos ad communia emolumenta conferrent, & creſcentes Reipub. vires priuata paupertate ditarent. Nunquid parcam illam tunc agreſtemque vitam cum gemitu & dolore tolerabant? cum viles ac ruſticos cibos ante ipſos quibus coxerant focos, ſumerent, eoſque ipſos capere niſi ad veſperam non liceret? Nunquid ægre ferebant, quod auaram ac diuitem conſcientiam auri talenta non premerent, cum etiam argenti vſum legibus coercerent? Nunquid illecebræ & cupiditatis pœnam putabant, quod diſtenta aureis nummis marſupia non haberent, cum patritium * hominem, quod vſque ad decem argenti libras diues eſſe voluiſſet, indignum curia iudicarent? Non deſpiciebant

Animus tolerantis facit leuia aut grauia quæ illi eueniunt.

** Honorem. Val. Max. 2. 4.*

D tunc, puto, pauperes cultus, cum veſtem hirtam ac breuem ſumerent, cum ab aratro arceſſerentur ad faſces, & illuſtrandi habitu conſulari, illis fortaſſe ipſis, quas aſſumpturi erant imperialibus togis madidum ſudore puluerem detergerent. Itaque tunc illi pauperes magiſtratus opulentam Rempub. habebant: nunc autem diues poteſtas pauperem facit eſſe Rempub. Et quæ rogo inſania eſt, aut quæ cæcitas, vt egeſtuoſa ac medicante Repub. diuitias poſſe credant ſtare priuatas? Tales ergo tunc veteres Romani erant, & ſic illi tunc contemnebant diuitias, neſcientes Deum, ſicut nunc ſpernunt ſequentes Dominum. Quanquam quid ego de illis loquor, qui cura imperij propagandi, contemptum propriæ facultatis ad publicas opes conferebant: & licet priuatim pauperes eſſent, diuitijs tamen abundabant communibus? cum etiam Græci quidam ſapientiæ ſectatores ſine vllo publicæ vtilitatis affectu, prope omni ſe rei familiaris vſu, aſſequendæ gloriæ auiditate, nudauerint? Nec ſolum hoc,

Crates ſponte voluntaria ſua pauper.

E ſed etiam vſque ad contemptum doloris ac mortis, doctrinæ ſuæ culmen erexerunt, dicentes ſcilicet, etiam in catenis atque ſupplicijs beatum eſſe ſapientem. Tantam virtutis vim eſſe voluerunt, vt non poſſit eſſe vnquam vir bonus non beatus. Si ergo illi à quibuſdam nunc etiam ſapientibus viris miſeri non putantur, qui nullos laboris ſui fructus niſi ex præſenti tantũ laude capiebant: quanto magis religioſi ac ſancti viri miſeri non putandi ſunt, qui & præſentis fidei oblectamenta capiunt, & beatitudinis futuræ præmia conſequentur? Dixit quidam ex iſtis de quibus querimur, cuidam ſancto viro ſecundum veritatis regulam ſentienti, id eſt, quod Deus omnia regeret, ac pro humano genere neceſſariam noſſet moderationem ſuam, & gubernaculum temperaret. Quare ergo, inquam, tu ipſe infirmus es? hoc vtique eo ſenſu, hoc eſt, ſi Deus vt putas in hac præſenti vita omnia regit, ſi Deus cuncta diſpenſat, qua ratione fortis ac ſanus eſt homo quem peccatorem ſcio, & tu infirmus, quem ſanctum

F eſſe non ambigo? Quis tam profundi cordis virum non admiretur, qui merita religioſorum atque virtutes tam magnis retributionibus dignas vt in præſenti hac vita carnes atque fortitudines corporum, præmia putet debere eſſe ſanctorum? Reſpondeo igitur non vnius tantum religioſi nomine, ſed vniuerſorum. Quæris igitur, quiſquis ille es, qua ratione infirmi ſunt ſancti viri. Reſpondeo breuiter, quia ideo ſancti viri infirmiores ſe eſſe faciunt, quia ſi fortes fuerint, ſancti eſſe vix poſſunt. Opinor enim omnes omnino homines cibis ac poculis fortes eſſe: infirmos autem abſtinentia, ariditate, ieiunijs. Non ergo mirum eſt, quod infirmi ſunt, qui vſum earum rerum reſpuunt, per quas alij fortes fiunt. Et eſt ratio cur reſpuant dicente Paulo Apoſtolo de ſe ipſo: *Caſtigo corpus meum, & ſeruituti ſubijcio: ne forte cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar*. Si infirmitatem corporis appetendam ſibi etiam Apoſtolus putat, quis ſapienter euitat? Si fortitudinem carnis Apoſtolus metuit, quis rationabiliter fortis eſſe præſumit? Hæc ergo ratio eſt, qua homines Chriſto dediti & infirmi ſunt, & volunt eſſe. Abſit autem

Fortes infirmi ſũt vt ſancti ſint.

1. Cor. 1.

G vt hoc argumento religioſos putemus à Deo negligi, per quod confidimus plus amari. Legimus Timotheum Apoſtolum carne infirmiſſimum fuiſſe: nunquid negligebatur à Domino, aut ob infirmitatem Chriſto non placuit, qui ad hoc infirmus eſſe voluit vt placeret? quemque etiam ipſe Apoſtolus Paulus, licet nimis iam infirmitatibus laborantem, non tamen niſi pauxillulum vini ſumere ac delibare permiſit: hoc eſt, ita enim voluit infirmitati ſuæ conſulere, quod noluit tamen ad fortitudinem peruenire? Et hoc cur ita? Cur? abſque dubio, niſi quia, vt ipſe dicit, *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Hæc enim*, inquit, *inuicem ſibi aduerſantur, vt non quæcunque vultis illa faciatis*. Non imprudenter quidam hoc loco dixit, quod ſi repugnante corporis fortitudine, quæ optamus facere non poſſumus, infirmandum nobis ſit carne, vt optata faciamus. Infirmitas enim carnis, inquit, vigorem mentis exacuit: vt affectis artubus, vires corporum in virtutes transferantur animorum, non turpibus flammis medullæ æſtuent, non

1. Tim. 5.

Gal. 5.

Infirmitas carnis mentis vigorem acuit.

H male ſanam mentem latentia incentiua ſuccendant, non vagi ſenſus per varia oblectamenta laſciuiant: ſed ſola exultet anima, læta corpore affecto, quaſi aduerſario ſubiugato. Hæc ergo, vt dixi, religioſis viris cauſa infirmitatis eſt, eamque eſſe nec tu, vt arbitror, iam negas. Sed ſunt fortaſſe, inquis, alia maiora, id eſt, quod multa in vita iſta aſpera atque acerba patiuntur, quod capiuntur, quod torquentur, quod trucidantur. Verum eſt. Sed quid facimus quod & Prophetæ in captiuitatem abducti ſunt, & Apoſtoli etiam tormenta tolerarunt? Et certe dubitare non poſſumus, quod tunc Deo maxime curæ erant, cùm pro Deo iſta paterentur. At forſitan hoc ipſo magis probare te dicis, quod Deus in ſeculo iſto omnia negligat, & futuro totum iudicio reſeruet: quia ſemper & boni omnia mala paſſi ſunt, & fecerunt mali. Non infidelis quidem videtur aſſertio, maxime quia futurum Dei iudicium confitetur: ſed nos ita iudicãdum humanum genus à Chriſto dicimus, vt tamen etiam nunc omnia Deum,

Corpus affectum aduerſarius ſubiugatus. Captiuitas & tormenta ſanctorũ.

A prout rationabile putat, regere ac diſpenſare credamus: & ita in futuro iudicio, iudicaturum affirmemus, vt tamen ſemper etiam in hoc ſeculo iudicaſſe doceamus. Dum enim ſemper gubernat Deus, & ſemper iudicat: quia gubernatio ipſa eſt iudicium. Quot modis hoc vis probemus? ratione, an exemplis, an teſtimonijs? Si ratione quis tam expers humanæ intelligentiæ eſt, & huius ipſius, de qua loquimur, veritatis alienus, qui non agnoſcat ac videat pulcherrimum mundi opus, & inæſtimabilem ſupernarum infernarumque rerum magnificentiam ab eodem regi à quo creata ſit: quemque elementorum fabricatorem, eundem etiam gubernatorem fore: qui cuncta ſcilicet qua poteſtate ac maieſtate condiderit, eadem etiam prouidentia ac ratione moderetur? Præſertim cum etiam in his quæ humano actu adminiſtrantur, nihil penitus ſine ratione conſiſtat, omniaque ita à prouidentia incolumitatem, quaſi corpus ab anima vitam, trahant. Ideoque in hoc mundo non ſolum imperia atque prouincias, atque rem ciuilem ac militarem, ſed etiam minora officia & priuatas domus, pecudes denique ipſas, & minutiſſima quæque domeſticorum animantium genera, non niſi humana ordinatione atque conſilio, quaſi quadam manu & gubernaculo, contineri. Et hæc omnia ſine dubio voluntate ac iudicio ſummi Dei, ſcilicet vt eo exemplo omne genus humanum particulas rerum & membra regeret, quo ipſe ſummam totius mundani corporis gubernaret. Sed in principio, inquis, creaturarum hæc ſunt à Deo conſtituta atque diſpoſita. Cæterum patrata vniuerſitate rerum atque perfecta, remouit à ſe cunctam terreſtrium rerum curam, & ablegauit: laborem videlicet fortè fugiens à ſuo loco † amandauit, & moleſtiam fatigationis euitans, aut occupatus negocijs alijs, partem rerum reliquit, quia totum obire non poſſit. Remouet igitur à ſe, inquis, curam mortalium Deus. Et quæ ergo nobis diuinæ religionis eſt ratio, quæ vel cauſa Chriſtum colendi, vel ſpes propiciandi? Si enim negligit Deus in hoc ſeculo genus hominum, cur ad cœlum quotidie manus tendimus,

C cur orationibus crebris miſericordiam Dei quærimus, cur ad eccleſiaſticas domos currimus: cur ante altaria ſupplicamus? Nulla eſt enim nobis ratio precandi, ſi ſpes tollitur impetrandi. Vides ergo quàm ſtulta atque inanis ſit huius perſuaſionis aſſertio, quæ vtique ſi recipitur, nihil penitus de religione ſeruatur. Sed ad illud forte confugies, vt dicas nos metu futuri iudicij Deum colere: & ideo omni præſentium officiorum cultu elaborare, vt in die futuri ſeculi mereamur abſolui. Quid ergo ſibi vult Apoſtolus Paulus, præcipiens quotidie in eccleſia ac iubens, vt offerantur iugiter Deo noſtro *orationes, obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones:* & hæc omnia quam ob cauſam? quam vtique, niſi, vt ipſe dicit, *vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni caſtitate.* Pro præſentibus, vt videmus, domino ſupplicare iubet & orare. Vtique non iuberet, niſi exorare poſſe conſideret. Quomodo ergo aliquis pro obtinendis futuri temporis bonis, apertas Dei aures, pro præſentibus

D autem, clauſas atque obſtructas putat? Aut quomodo nos in eccleſia ſupplicantes, præſentem nobis ſalutem à Deo poſcimus, ſi audiendos nos penitus non putamus? Nulla ergo nobis pro incolumitatibus ac proſperitatibus noſtris vota facienda ſunt, quin potius vt modeſtia ſupplicationis vocem conciliet poſtulantis, dicendum nobis eſt fortaſſe: Domine non proſperitatem vitæ iſtius petimus, nec pro bonis præſentibus ſupplicamus, ſcimus enim aures tuas his obſecrationibus clauſas eſſe, & auditum te ad preces iſtiuſmodi non habere: ſed pro his tantummodo petimus quæ ſunt futura poſt mortem. Etſi igitur poſtulatio talis vtilitate non careat, quomodo ratione ſubſiſtit? Si enim Deus à reſpectu huius ſeculi curam remouit, & poſtulantium precibus aures ſuas clauſit: abſque dubio qui non audit nos pro præſentibus, non audit etiam pro futuris, niſi forte credimus pro precum diuerſitate aures ſuas Chriſtum vel tribuere, vel negare: id eſt, vt claudat eas cum rogatur præſentia; aperiat cum futura. Sed de his dicendum amplius non

E eſt. Tam ſtulta enim ſunt & tam friuola, vt cauendum ſit, ne id ipſum quod pro honore Dei dicitur, iniuria Dei eſſe videatur. Tanta quippe eſt maieſtatis ſacræ & tam tremenda reuerentia, vt non ſolum ea quæ ab illis contra religionem dicuntur, horrere, ſed etiam quæ pro religione nosipſi dicimus, cum grandi metu ac diſciplina dicere debeamus. Igitur ſi ſtulte atque impie creditur, quod curam humanarum rerum pietas diuina deſpiciat, ergo non deſpicit. Si autem non deſpicit, regit: Si autem regit, hoc ipſo quod regit iudicat: quia regimen eſſe non poteſt, niſi fuerit iugiter in rectore iudicium. Sed parum eſſe fortaſſe quiſpiam putet, quod hæc ratio declarat, niſi probetur exemplis. Videamus qualiter mundum à principio Deus rexerit, & ita cum omnia ſemper gubernaſſe monſtrabimus, vt ſimul etiam iudicaſſe doceamus. Quid enim ſcriptura dixit? *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in eum ſpiraculum vitæ.* Et quid poſtea? *Poſuit*, inquit, *eum in paradiſo voluptatis.*

F Quid deinceps? *Dedit* ſcilicet *legem*, præceptis imbuit, inſtitutione formauit. Quid autem poſt hoc ſecutum eſt? Præterijt homo mandatum ſacrum, ſententiam ſubijt, paradiſum perdidit, pœnam damnationis excepit. Quis non in ijs omnibus & gubernatorem Deum videat & iudicem? Conſtituit enim Adam in paradiſo innocentem, expulit eum reum. In conſtitutione ordinatio eſt, in expulſione iudicium. Quando enim eum in loco voluptatis poſuit, ordinauit: quando autem reum de regno expulit, iudicauit. Ergo hoc de primo homine, hoc eſt, de patre, quid de ſecundo, hoc eſt de filio? *Factum eſt*, inquit ſcriptura ſacra, *poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primitijs gregis ſui, & de adipibus eius. Et reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius: ad Cain vero & ad munera eius non reſpexit.* Priuſquam de euidentiore iudicio Dei dicam, puto quod etiam in his quæ iam diximus quædam cenſura iudicij eſt. In hoc enim quod vnius ſacrificium Deus ſuſcepit, alterius excluſit, euidentiſſime vtique & de vnius iuſtitia, ac

G de iniquitate alterius iudicauit. Sed hoc parum eſt. Cum igitur futuro facinori viam ſternens, fratrem in ſolitudinem trahit, ſecretis patrocinantibus ſcelus peragit, impijſſimus pariter & ſtultiſſimus, qui ad perpetrandum maximum nefas ſufficere ſibi credidit, ſi aſpectus vitaret hominum, fratricidium, Deo teſte, facturus. Vnde puto, quod hæc in illo iam tunc opinio fuerit, quæ nunc in multis eſt: Deum terreſtria non reſpicere, & actus ſceleratorum hominum non videre. Nec dubium eſt, cum poſt facinus admiſſum, Dei ſermone conuentus, nihil ſe de fratris cæde conſcium reſponderit: adeo inſcium facti ſui Deum arbitrabatur, vt crederet feraliſſimum nefas tegi poſſe mendacio. At aliter expertus eſt quàm putabat. Nam Deum, à quo non exiſtimauit videri ſcelera cum occideret, ſenſit videre cum damnaretur. Hic nunc requirere ab illis volo, qui negant res humanas vel reſpici à Deo, vel regi, vel iudicari: an cuncta in his quæ diximus ediuerſo ſint? Puto enim quod præſens eſt, qui

H ſacrificio intereſt: & regit, qui Cain poſt ſacrificia caſtigat: & ſolicitus eſt, qui ab interfectore interfectum requirit: & iudicat qui percuſſorem impium iuſta animaduerſione condemnat. In quo quidem etiam illud non incommode, verum ne miremur, nunc ſanctos homines quædam aſpera pati, cum videamus quod iam tunc Deus etiam per maximum nefas primum ſanctorum ſiuit occidi. Quæ quidem qua ratione patiatur, neque humanæ imbecillitatis eſt plena indagine cognoſcere, neque nunc temporis diſputare. Interim probare ſatis eſt, omnia iſtiuſmodi non negligentia aut incuria Dei fieri, ſed conſilio ac diſpenſatione permitti. Nequaquam autem iniuſtum poſſumus dicere, in quo diuinum eſſe iudicium non poſſumus denegare, quia ſumma iuſtitia eſt voluntas Dei. Neque enim ideo non iuſtum eſt quod diuinitas agit, quia capere vim diuinæ iuſtitiæ homo non valet. Sed ad propoſitum reuertamur. Videmus ergo in his quæ dicta ſunt nihil incuria Dei actum, ſed quia quædam ex his diſpoſitio diuina ita ordinauit, quædam patientia ſubſtinuit, quædam ſententia iudicauit. Sed non ſatis

Marginal notes:
Prouidentia diuina ex humana demonſtratur.
† Commendauit.
Supplicare ad altaria.
1. Tim. 2.
Vota pro huius ſeculi proſperitate.
Maieſtatis ſacræ reuerentia.
Hoc ipſo, quod regit Deus iudicat.
Gen. 2.
Gen. 4.
Cain non credebat prouidentiam.
Cur ſancti multa patiantur ab impijs.

A

quidam forte exiſtimant, hæc quæ dicimus nos probaſſe per paucos: videamus an idipſum manifeſtare poſſimus etiam per vniuerſos. Aucta igitur ac multiplicata humani generis multitudine ſimul & iniquitate,

Gen. 6.

Videns Deus, inquit ſcriptura ſacra, *quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecus, Delebo*, inquit, *hominem quem creaui à facie terræ.* Conſideremus quemadmodum in his omnibus & ſolicitudo Domini pariter & ſeueritas indicetur. Primum enim ait: *Videns autem Deus*: ſecundu, *Tactus dolore cordis intrinſecus*: tertio, *Delebo*, inquit, *hominem quē creaui.* In hoc ſiquidem quod videre omnia Deus dicitur, cura eius oſtenditur: in hoc quod dolet, terror iræ: in hoc quod punit, ſeueritas iudicantis.

Sermo diuinus humano quodam affectu nobiſcū loquitur. Ira Dei quid.

Pœnituit ergo, inquit ſcriptura, *Deum quod hominem feciſſet in terra*: non quod Deus ſit obnoxius huic motui, aut vlli ſubiaceat paſſioni, ſed ſermo diuinus ad inſinuandam plenius nobis rerum ſcripturarum intelligentiam, quaſi humano affectu nobiſcum loquens, ſub nomine pœnitentis Dei, vim demonſtrauit iræ. Ira eſt autem diuinitatis, pœna peccantis.

Gen. 7.

B

Quid ergo poſt hæc ſecutum eſt? *Cum*, inquit, *vidiſſet Deus terram eſſe corruptam, dixit ad Noe: Finis vniuerſæ carnis venit coram me, repleta eſt terra iniquitate à facie eorum, & ego diſperdam eos cum terra.* Et quid poſtea? *Rupti ſunt*, inquit, *omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt, factaq; eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Et paulo poſt: *Conſumpta eſt omnis caro quæ mouebatur ſuper terram.* Et deinceps: *Remanſit autē ſolus Noe, & qui cum eo erāt in arca.* Hic nunc requirere ab illis volo, qui incurioſum rerum humanarum appellant Deum: an illo tempore vel curaſſe eum terreſtria credant, vel iudicaſſe? Puto enim non iudicauit tantum, ſed etiam dupliciter iudicauit. Nam & dum ſeruat bonos, pium ſe retributorem: & dum condemnat malos, ſeuerum iudicem comprobauit. Sed hæc fortitan apud ſtultos, quia ante diluuium, id eſt, quaſi alio quodam ſeculo geſta ſunt, minus autoritatis habere videantur: quaſi vero alius Deus tunc fuerit, aut poſtea eandem mundi curam habere noluerit.

C

Poſſum quidem diuino munere per ſingulas poſt diluuium generationes probare quæ dico, ſed & enormitas vetat, & tamen certa quædam & maiora ſufficiunt: quia cum idem ſit abſque dubio maiorum pariter ac minorum Deus, id profecto intelligendum eſt in minoribus, quod in maioribus comprobatur. Igitur cum poſt diluuium generationi hominum benedixiſſet Deus, immenſamque hominum multitudinem benedictio ipſa generaſſet:

Gen. 12.

Loquitur ad Abraham Dominus è cœlo, iubens vt deſerat terram ſuam, inquirat alienam. Vocatur, ſequitur, adducitur, collocatur, fit de paupere locuples, de ignoto potens, infimus peregrinatione, excellentiſſimus dignitate. Sed ne hæc tamen quæ ei data à domino fuerant, muneris tantum viderentur fuiſſe non meriti, qui lætabatur proſperis, probatur induſtriis. Sequitur quippe labor, periculum, timor: vexatur commigratione, fatigatur exilio, contumelia afficitur, vxore priuatur: immolari ſibi Deus filium iuſſit, pater obtulit, & quantum ad * defunctionem cordis pertinet, immolauit.

Abrahæ merita.

* definitionem.

D

Ruſum exilia, rurſum metus, Philiſtæorum inuidia, Abimelech rapina: multa quidem mala, ſed tamen pauca ſolatia. Nam etſi à plurimis affectu tamen de omnibus vindicatur.

Dei varia nomina ac munera

Quid igitur in cunctis his quæ memorauimus, num Deus non eſt & inſpector, & inuitator, & ductor, & ſolicitus, & ſponſor, & protector, & munerator, & probator, & ſublimator, & vltor, & iudex? Inſpector quippe eſt, dum ex omnibus vnum elegit, quem meliorem vidit. Inuitator, dum vocat: ductor, dum ad ignota perducit: ſollicitus, dum ad ſe eum viſitat: ſponſor, dum futura promittit: protector, quia inter gentes barbaras protexit: munerator, quia locupletauit: probator, quia tentari aſperis voluit: ſublimator, quia potentiorem omnibus fecit: vltor, quia cum de aduerſariis vltus eſt: iudex, quia dum vlciſcitur, iudicauit.

Gen. 18.

Subiungit autem ſtatim huic hiſtoriæ Deus, dicens: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Clamor*, inquit, *Sodomorum & Gomorrhæ, multiplicatus eſt.*

E

Peccata hominū clamant.

Pulchre clamorem dixit in ſe habere peccata. Grandis abſque dubio peccantium clamor eſt, qui à terra aſcendit ad cœlum. Quare autem peccata hominum quaſi clamare teſtatur? Scilicet quia cædi aures ſuas Deus dicit clamoribus peccatorum, ne differatur pœna peccantium. Et verè clamor, & grandis clamor eſt, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, vt peccantes punire cogatur. Oſtendit ergo Dominus quam inuitus puniat, etiam grauiſſimos peccatores, dicens, quod clamor Sodomorum ad ſe aſcenderit. hoc eſt dicere: Miſericordia quidem mea mihi ſuadet vt parcam, ſed tamen peccatorum clamor cogit vt puniam.

Gen. 19.

Cum ergo illa dixiſſet, quid conſecutum eſt? Mittuntur Angeli Sodomam, proficiſcuntur, introeunt, bonorum fouentur officio, maiorum vexantur iniuria, cæcantur improbi, ſaluantur probi.

Loth.

Loth cum affectibus piis vrbe educitur, vrbs cum habitatoribus impiis concrematur.

Sodomæ incendiū ad exemplar gehennæ.

Interrogo hic, vtrumnam Deus ex iudicio malos, an ſine iudicio concremarit? Qui ſine iudicio Sodomitas punitos à Deo dicit, iniquum Deum arguit. Si autem cum iudicio malos perdidit, iudicauit vtique, & quidem iam quaſi adinſtar futuri iudicii iudicauit.

F

Cum enim ad ſupplicium malorum gehennam in futurum arſuram eſſe manifeſtum ſit, Sodomam & vicinas eius vrbes cœleſti flamma conſumpſit. In præſenti autem illud quod futurum eſt. Deus voluit declarare iudicium: quando ſuper impium populum gehennam miſit è cœlo.

2. Pet. 2.

Sicut etiam Apoſtolus dicit, quod Deus ciuitates Sodomam & Gomorram euerſione damnarit, exemplum ponens impie acturis: quamuis idipſum quod ibi actum eſt, plus habuerit miſericordiæ quàm ſeueritatis. Quod enim pœnam eorum tamdiu diſtulit, miſericordiæ fuit iuſtitiæ, quod aliquando puniuit.

Malos inuitus punit Deus.

Et ideo cum Angelos Sodomam Deus mitteret, hoc nobis probare voluit, quod etiam malos puniret inuitus. Scilicet vt cum legeremus quæ à Sodomitis Angeli pertuliſſent, & videremus ſcelerum immanitatem, criminum turpitudinem, libidinum obſcœnitatem: probaret vtique nobis Deus, quod ipſe eos noluerit perdere, ſed ipſi extorſerint vt perirent.

G

Exod. 12.

Poſſum innumera proferre, ſed vereor ne dum ſatis probare rem nitimur, hiſtoriam texiſſe videamur. Moiſes in deſerto poſitus gregem paſcit, rubum ardere conſpicit, Deum ex rubo audit, præcepta accipit, poteſtate exaltatur, ad Pharaonem mittitur, venit, loquitur, contemnitur, vincit. Ægyptus percutitur. Pharaonis inobedientia verberatur, & quidem non vno modo: ſcilicet vt plus ſacrilegus torqueatur diuerſitate ſupplicii. Et quid? poſtremo decies rebellat, decies verberatur. Quid ergo dicimus? Puto quod in his omnibus & curare pariter res humanas Deum, & iudicare, cognoſcas. In Ægypto quippe: tunc enim non ſimplex tantum, ſed multiplex conſtat Dei fuiſſe iudicium. Quotieſcunque enim rebellantes Ægyptios percuſſit, toties iudicauit. Sed poſt illa quæ diximus, quid ſecutum eſt? Iſrael dimittitur, paſcha celebrat, Ægyptios ſpoliat, diues abſcedit. Pharaonem pœnitet, exercitum contrahit, ad fugientes peruenit, caſtris iungitur, tenebris ſeparatur, ſiccatur pelagus, Iſrael graditur, officioſa vndarum patientia liberatur: Pharao ſequitur, mare ſuper eum voluitur, fluctu operiente deletur. Puto iam non obſcurum, in his quæ acta ſunt Dei eſſe iudicium.

H

Et quidem non iudiciū tantùm, ſed etiam moderationem atque patientiam. Patientiæ enim fuit quod Ægyptii rebellantes ſæpe percuſſi ſunt: iudicii, quod contumaciæ pertinaces morte damnati. Igitur poſt hunc rerum geſtarum ordinem ingreditur eremum victrix ſine bello gens Hebræorum. Agit iter ſine itinere, viatrix ſine via, præuio Deo, diuino commilitio honorabilis, ductu cœleſti potens, ſequens mobilem columnam, nubilam die, igneam nocte, congruas colorum diuerſitates pro temporum diuerſitate ſumentem: ſcilicet vt & diei lucem lutea obſcuritate diſtingueret, & caliginem noctis flammeo ſplendore claritatis radiaret.

Exod. 15.

Num. 25.

Adde huc fontes repente natos, adde medicatas aquas, vel datas, vel immutatas, ſpeciem ſeruantes, naturam relinquentes. Adde aperta erumpentibus riuis montium capita, adde ſcaturientia nouis puluerulenta arua

torren-

A

torrentibus, adde inflatos itinerantium caſtris alitum greges Dei pietate indulgentiſſima; non vſibus tantum hominum ſed etiam illecebris ſeruientes: datum per quadraginta annos aſtris quotidie famulantibus cibum: roratos iugiter eſcis dulcibus polos: non ad victum tantum, ſed etiam ad delitias profluentes. Adde homines in nullis membrorum ſuorum partibus acceſſus & deceſſus humanorum corporum neſcientes, vngues non auctos; dentes non imminutos, capillos ſemper æquales, non attritos pedes, non ſciſſas veſtes, calceamenta non rupta; redundantem hominum honorem vſque ad indumentorum vilium dignitatem. Adde huc erudiendæ gentis officio deſcendentem ad terras Deum, accommodantem ſe terrenis vſibus Dei filium, innumeræ multitudinis plebem in conſortium diuinæ familiaritatis admiſſam, ſacræ amicitiæ honore pollentem. Adde huc tonitrua, Adde fulgura, terribiles buccinarum cœleſtium ſonos, tremendum vndique totius aëris fragorem, polos ſacris clangoribus mugientes, ignes, caligines, nebulas Deo plenas, loquentem cominus Dominum, legem diuino ore reſonantem, inciſas digito Dei literas, rupices paginas, ſaxeũ volumen, diſcentem populum, & docentem Deum, ac mixtis pene hominibus atque Angelis vnam cœli ac terræ ſcholam. Sic enim ſcriptum eſt, quod *cum retuliſſet Moſes verba populi ad Dominum, dixit ei Dominus: Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat populus me loquentem ad te*: Et paulo poſt: *Ecce, inquit, cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem*. Et iterum: *Deſcenditq; ſuper montem Sinai in ipſo montis vertice*. Ac deinceps: *Loquebatur cum Moyſe videntibus vniuerſis, quod columna nubis ſtaret ad oſtium tabernaculi, ſtabantq; & ipſi, & adorabant per fores tabernaculorum ſuorum. Loquebatur Dominus ad Moſen facie ad faciem, ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum*. Quæ cum ita ſint, videturne hominis habere curam Deus, hæc tanta tribuens, hæc tanta præſtans, participem ſermonis ſui viſum hominem faciens, & quaſi in conſortium ſacræ ſodalitatis admittens, aperiens ei plenas diuitijs immortalibus pateras ſuas, alens eos nectaris poculo, paſcens cœleſti cibo? Quam rogo maiorem eis gubernaculi ſui præſtare curam, quem maiorem præſtare potuit affectum, quam vt cum præſentis ſeculi vitam agerent, ſpeciem iam futuræ beatitudinis poſſiderent? Sed reſpondeatur forte hoc loco, habuiſſe quondam hanc hominum curam Deum, cæterum nunc penitus non habere. Vnde hoc ita credimus? forſitan quia vt illi tunc mannam quotidie non comedimus, cum agros triticeos plenos meſſibus demetamus: quia coturnices humanis ſe manibus ingerentes non apprehendimus, cum omnia auium, pecudum, beſtiarum genera deuoremus: quod latentes rupibus aquas apertis oribus non excipimus, cum vinarias domus vinearum fructibus irrigemus. Addo ego amplius aliquid, quod nos ipſi, qui illos tunc Deo curæ fuiſſe, & nos à Deo negligi dicimus, ſi accipere pro præſentibus bonis præterita poſſemus, reſpueremus penitus conditionis illius optionem. Nollemus enim hæc quæ nunc habemus amittere, vt poſſemus ea quibus tunc illi vſi ſunt poſſidere: non quod nos nunc meliora habeamus quàm gens illa tunc habuit, ſed quia & illi qui quotidiano tunc cœli ac Dei miniſterio paſcebantur; antiquam ventris ingluuiem bonis præſentibus præferebant: turpiſſima ſcilicet ciborum carnalium recordatione mœſti; & fœdiſſimo ceparum atque alliorum amore ægreſcentes: non quod potiora eſſent quibus antea vſi erant; ſed quia quod nunc à nobis fit, hoc tunc ab iſtis. Illi horrebant quæ erant, & quæ non erant deſiderabant. Nos magis laudamus illa quæ tunc fuerunt; quàm illa quæ nunc ſunt: non quia ſi eligendi facultas eſſet ſemper habere illa mallemus, ſed quia vſitatum hoc humanæ mentis eſt vitium, cum intueatur illa magis ſemper velle quæ deſunt. Et quia, vt iſte ait, aliena nobis, noſtra plus alijs placent. Accedit quoque illud, quod generale ferme eſt omni homini, vt Deo ſemper ingratus ſit, mirumque hoc, & quaſi natiuo malo ſe cuncti inuicem vincunt, vt beneficijs Dei detrahant, ne debitores ſe eſſe cognoſcant. Sed hæc hactenus, nunc ad negotij dudum cœpti ordinem reuertamur.

Iudæorũ vita in eremo. *Deut. 29.*

B

Exod. 19.

Exod. 33.

Dei beneficia in Moſen.

C

D

Minus publicamus.

E

Quamuis, vt reor, non mediocriter iam probauerimus quæ propoſuimus, ſed addamus tamen adhuc, ſi placet, quippiam, quia melius eſt plus probare aliquid quàm neceſſe eſt, quàm minus forſitan quam negotio debeatur. Liberatus quondam de Pharaonis iugo populus Hebræorum, ad Syna montem præuaricatus eſt, & ſtatim à Domino pro errore percuſſus. Sic enim ſcriptum eſt: *Percuſſit ergo Dominus populum, pro errore vituli quem fecit Aaron*. Quod potuit maius & euidentius de peccatoribus Deus ferre iudicium, quàm vt ſtatim conſequeretur pœna peccantes? Et tamen cum omnis populus reus fuerit, cur non eſt in omnes miſſa damnatio? quia pius ſcilicet Dominus partem percuſſit ſententiæ ſuæ gladio, vt partem corrigeret exemplo, probaretque omnibus ſimul & coercendo cenſuram, & indulgendo pietatem. Cenſura enim fuit, quod caſtigauit: pietas, quod pepercit, quamuis vtrumque impari modo. Plus ſiquidem tunc pietati datum eſt quàm ſeueritati. Ideo vtique quia cum indulgentiſſimus Dominus propentiorem ſe ſemper miſerationi præſtet quàm vltioni, licet in coërcenda tunc Iudaici exercitus parte iudicio ac ſeueritati cenſura diuina aliquid attribuerit, maiorem tamen ſibi populi portionem pietas vindicauit: ſpecialiter quidem hoc & peculiari tunc innumeræ plebis miſericordia, ne omnes ſcilicet quos reatus complectebatur, pœna conſumeret. Cæterum erga quaſdam perſonas, vt legimus, ac familias cenſura Dei inexorabilis eſt: ſicut illud, vbi ociante ſabbatis populo, is qui colligere ligna vſurparat, occidi iubetur: quamuis enim opus ipſum hominis videretur innoxium, faciebat tamen eum diei obſeruatio criminoſum: vel cum duobus lite certantibus, vnus qui blaſphemarat, morte mulctatur. Sic enim ſcriptum eſt: *Ecce autem filius mulieris Iſraëlitis, quem pepererat de viro Aegyptio, inter filios Iſrael iurgatus eſt in caſtris cum viro Iſraëlite. Cumq; blaſphemaſſet nomen Domini, & maledixiſſet ei, adductus eſt ad Moſen*. & paulò poſt: *Miſerunt, inquit, eum in carcerem, donec viderent quid iuberet Dominus, qui locutus eſt ad Moſen, dicens: Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes qui audierunt, manus ſuper caput eius, & lapidet eum populus vniuerſus*. Nunquid non præſens Dei eſt manifeſtumque iudicium, & prolata quaſi iuxta humani examinis formam cœleſti diſceptatione ſententia? Primum qui peccauerat comprehenſus eſt: ſecundo quaſi ad tribunal adductus: tertio accuſatus: deinde in carcerem miſſus: poſtremo cœleſtis iudicij auctoritate punitus. Porro autem non punitus tantum, ſed punitus ſub teſtimonio, vt damnare ſcilicet videretur reum iuſtitia, non poteſtas: exemplo ſcilicet ad cunctorum emendationem proficiente, vt ne quis poſtea admitteret, quod omnis in vno populus vindicaſſet. Hac igitur ratione atque iudicio omnia Deus & nunc agit, & ſemper egit: ſcilicet vt correctioni omnium proficeret quicquid ſinguli pertuliſſent. Sicut etiam illud fuit cum Abiu & Nadab, ſacerdotalis ſanguinis viri, cœleſti igne conſumpti ſunt. In quibus vtique non iudicium tantum, ſed præſens Deus oſtendere voluit, impendenſque iudicium: ſic enim ſcriptum eſt. Quod cum *egreſſus ignis à Domino deuoraſſet holocauſtum, arreptis Nadab & Abiu filij Aaron turribulis poſuerunt ignem & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Egreſſuſq; ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui ſunt coram Domino*. Quid enim aliud quàm extentam ſuper nos dexteram ſuam, & imminentem iugiter gladium voluit oſtendere; qui errorem ſupradictorum ſtatim in ipſo opere puniuit: nec penè prius perfectum eſt facinus peccantium: quàm vleiſceretur pœna peccatum: quamuis non id tantum in hac re actum ſit, ſed etiam multa alia. Cum enim in illis tunc non mens impia, ſed facilitas nimium inconſulta punita ſit? declarauit profecto Dominus quo ſupplicio digni eſſent, qui contemptu diuinitatis aliquid admitterent: quando etiam illi percuſſi à Deo eſſent, qui ſola mentis inconſiderationę peccaſſent: aut quàm rei eſſent qui contra iuſſionem Domini ſui facerent, cum etiam illi taliter plecterentur qui inulla feciſſent. Porro autem etiam ex hoc conſulere Deus voluit noſtræ correctioni per cen-

Exod 19. & 32.

Cur non omnes reputatur à Deo.

F

Deus erga quoſdam inexorabilis.

Num 15.

Leu. 24.

G

Num. 26.
Leu. 9. & 10.
1. Par. 24.

H

Pœna Nadab & Abiu, quid indicauerit.

A Laici. ſutam ſalubris exempli: vt omnes laici intelligerent quantum iram Dei timere deberent, cum à præſenti pœna filios ſacerdotis nec meritum parentis eriperet, nec miniſterij ſacri priuilegium vindicaret. Sed ego quid de his dico, quorum inconſiderantia, quodammodo Deum tetigit, & ad cœleſtem iniuriam redundauit? *Sacri miniſterij priuilegium.* *Num. 12. & 20.* Maria contra Moſen loquitur, & punitur: nec punitur tantum, ſed iudicij more punitur. Primum enim ad iudicium vocatur. Deinde arguitur. Tertio verberatur. In obiurgatione excipit vim ſententiæ. In lepra autem patitur piaculum criminoſæ, quamuis coercitio huiuſmodi non Mariam tantum, ſed etiam Aaronem humiliauerit. Quia etſi deformari lepra ſummum Antiſtitem non oportuit, & ipſum tamen Domini caſtigatio flagellauit, nec ſolum hoc, ſed in pœna quam Maria patitur, Aaron etiam quaſi culpæ particeps coercetur. *Aaron ſororis lepra punitus.* Maria enim ſupplicio afficitur, vt Aaron confuſione mulctetur. Porrò autem vt inexorabilem in quibuſdam agnoſceremus formam diuini eſſe iudicij, ne illius quidem intercesſu, qui læſus fuerat, indulſit. B Sic enim legimus ad Aaronem & Mariam dixiſſe Dominum: *Num. 12.* *Quare igitur non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moſi? iratuſq; abijt, & ecce Maria apparuit candens lepra quaſi nix: clamauitq; ad Dominum Moſes, dicens: Obſecro Domine ſana eam. Cui reſpondit Dominus: Si pater eius ſpuiſſet in faciem illius, non debuerat ſaltem decem dierum rubore ſuffundi? Separetur ſeptem diebus extra caſtra, & poſtea reuocabitur.* Sufficiunt igitur de hoc genere diuiſionis, & de hac parte ſermonis, iſta quæ diximus. Infinitum enim eſt de omnibus diſputare, quæ nimis longum eſt etiam ſine diſputatione numerare. *Exod. 16.* Sed adhuc etiam aliquid addamus: pœnitet gentem Hebræorum de Ægypto receſſiſſe, percutitur: dolet deinde fatigari ſe labore itineris, affligitur: carnes deſiderat, verberatur. Et quia quotidie mannam edens explere illecebris cupit ventris ingluuiem, optata quidem cupiditate ſaturatur, ſed in ipſa tamen ſaturitate torquetur. *Pſal. 77.* *Adhuc enim*, inquit ſcriptura, *eſca erat in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit in eos, & occidit plurimos eorum, & electos Iſrael impediuit.* C Og contra Moſen rebellat, extinguitur: Core conuiciatur, obruitur: Datan & Abiron murmurant, deuorantur. *Num 16.* *Aperta eſt* enim, inquit, *terra, & deglutiuit Datan, & operuit ſynagogam Abiron. Ducenti quoque & quinquaginta*, vt ſacer ſermo teſtatur, *principes viri, qui tempore conſilij per nomina vocabantur, ſurrexerunt contra Moyſen.* *Pſal. 105.* *Cumq; ſtetiſſent contra Moyſen & Aaron, dixerunt: Sufficiat nobis quia omnis multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus: Cur eleuamini ſuper populum Domini?* Et quid poſt hæc? *Ignis*, inquit, *egreſſus à Domino interfecit* CCL. *viros, qui offerebant incenſum.* Sed cum hæc tanta fierent, cœleſtis cura non profuit: adhibita eſt ſæpiſſime coercitio, ſed emendatio non eſt ſecuta. Sicut enim nos cum aſſidue flagellamur, non corrigimur: ita & illi, cum cæderentur ſæpiſſime, non emendabantur. Quid enim ſcriptum eſt? *Murmurauit autem omnis multitudo filiorum Iſrael ſequenti die contra Moyſen & Aaron dicens: Vos interfeciſtis populum Domini.* Et quid poſtea? D *Percuſſa ſunt* ſtatim, & diuino igne conſumpta XIIII. *millia hominum & ſeptingenti.* Cum omnis ergo tunc populi multitudo peccauerit, cur non eſt in omnibus vindicatum? præſertim cum ex illa quam ſupra dixi ſeditione Core nullus euaſerit. *Cur aliquando vniuerſitatem, aliquando partē peccatorum puniat Deus.* Cur ibi cunctum peccantium cœtum interfici Deus voluit, hic tantummodo portionem? ſcilicet quia plenus & iuſtitia & miſericordia Dominus, & pietati ſuæ multa donat per indulgentiam, & ſeueritati per diſciplinam. Et ideo ibi præſtitit diſciplinæ, vt proficeret cunctorum emendationi pœna omnium noxiorum. Hic autem miſericordiæ ſuæ tribuit, ne vniuerſus populus deperiret. Et tamen cum tam miſericorditer egerit, quia in parte plebis caſtigatio toties repetita non profuit, ad vltimum omnes morte damnauit: quæ res & timori, & emendationi noſtræ ſimul proficere deberet, ſcilicet ne qui illorum exemplo penitus non corrigimur, illorum forraſſe exitu puniamur. Non enim dubium eſt, quid actum de eis fuerit: nam cum vniuerſa gens Hebræorum ad hoc de Ægypto exierit, vt terram repromiſſionis intraret, præter duos tantum ſanctos nullus intrauit. Sic enim ſcriptum eſt: Locutus eſt Dominus ad Moyſen & Aaron, dicens: E *Num. 14.* *Vſquequo multitudo hæc peſſima murmurat contra me? Viuo ego, ait Dominus, ſicut locuti eſtis ante me hodie, ſic faciam vobis. In ſolitudine hac iacebunt cadauera veſtra.* Et quid poſtea? *Paruulos*, inquit, *veſtros, de quibus dixiſtis quod prædæ hoſtibus forent, introducam vt videant terram quæ vobis diſplicuit. Veſtra cadauera iacebunt in ſolitudine.* Et quid deinde? *Omnes*, inquit, *mortui ſunt, atque percuſſi in conſpectu Domini.* Quid eſt quod in his omnibus non ſit? Vis videre rectorem? ecce & præſentia corrigit, & futura diſponit. Vis videre ſeuerum iudicem? ecce noxios punit. Vis videre iuſtum & pium? ecce innocentibus parcit: Vis videre in omnibus iudicem? ecce iudicium eſt. Nam & vt iudex arguit, & vt iudex regit. Iudex promit ſententiam, iudex noxios perimit, iudex innoxios muneratur.

Explicit liber I.

F

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

SVFFICIVNT igitur de exemplis iſta quæ diximus, quibus vtique iugiter Deus noſter & contemplator ſolicitiſſimus, & gubernator piiſſimus, & iudex iuſtiſſimus comprobatur. Sed cogitat de imperitioribus forte aliquis: Si ſic aguntur nunc à Deo omnia vt tunc acta ſunt, quid eſt quod mali præualent, affliguntur boni: & cum tunc iram mali ſenſerint, & miſericordiam boni, nunc videntur ſentire quodammodo boni iram, & mali gratiam? Paulo poſt ad iſta reſpondebo: G Nunc quia tria hæc, id eſt, præſentiam Dei, gubernationem, atque iudicium, tribus his me probaturum eſſe promiſi, hoc eſt, ratione, exemplis, ac teſtimonijs: quia ratione & exemplis iam ſatisfecimus, ſupereſt vt teſtimonijs declaremus. *Teſtimoniū quid ſit.* Quamuis exempla ipſa quæ diximus haberi pro teſtimonijs debeant, quia recte teſtimonium eſſe dicitur, quo rerum veritas approbatur. Quid igitur ex illis tribus quæ ſupra dicta ſunt, per teſtimonia ſacra primum probari debet: præſentia, an gubernatio, an ne iudicium? Præſentia, opinor: quia vel recturus eſt, vel iudicaturus, præſens abſque dubio eſſe debet, vt vel regere quicquid illud eſt, vel iudicare poſſit. Loquens in voluminibus ſuis ſermo diuinus ſic ait: *Prou. 15.* *In omni loco oculi Domini contemplantur malos & bonos.* Ecce habes præſentem, ecce intuentem, ecce in omni loco cura ac prouiſione vigilantem. Idcirco enim & bonos ab eo conſiderari, & malos dixit: vt probaret ſcilicet nihil ab eo negligi, quem oſtenderet vniuerſa rimari. Quod vt plenius capias, audi quid in alio ſcripturarum loco idem teſtatur Spiritus ſanctus. *Pſal. 32.* *Oculi*, inquit, *Domini ſuper timentes eum, vt eripiat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* H Ecce cur aſpicere iuſtos homines Deus dicitur, vtique vt conſeruet, vt protegat. Aſpectus enim diuinitatis propitiæ, munus eſt conſeruationis humanæ. *Aſpectus propitiæ diuinitatis* *Pſal. 33.* Nam & alibi idem diuinus Spiritus ſanctus: *Oculi*, inquit, *Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum.* Vide qua benignitate agere cum ſuis Deum ſcriptura dicit. In hoc ſiquidem quod ait, *oculos Domini ſuper iuſtos* eſſe, affectus aſpicientis oſtenditur. In hoc autem quod *aures in precibus* paratas, ſemper exaudientis largitas demonſtratur. Quāuis id quod dicit, diuinas aures in precibus ſemper eſſe iuſtorum, non audientia tantum Dei, ſed quædam quaſi obedientia deſignetur. Quomodo enim in precibus iuſtorum diuinæ aures ſunt? Quomodo? niſi vt ſemper audiant, niſi vt ſemper exaudiant, niſi vt prompte audita tribuant, niſi vt ilico exaudita concedant. Semper ergo ad audiendas ſanctorum preces paratæ Domini noſtri aures, ſemper attentæ ſunt. Quàm beati eſſemus omnes ſi quam promptam erga nos Dei audientiam legimus, tam prompte ipſi Deum audire vellemus. Sed forſitan

dicis,

[A] dicis, hoc quod iuſtos aſpicere Deus legitur, parum prodeſſe cauſæ: quia non ſit generalis diuinitatis intuitus, qui iuſtis tantum ſpeciali benignitate tribuatur. Iam [Prou. 15.] quidem ſuperius ſacer ſermo teſtatur, quia *oculi Domini contemplantur malos & bonos.* Sed ſi hoc etiam nunc vis plenius probari, reſpice quid ſequatur, hoc enim ſubditur: [Pſal. 33.] *Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Vides abſque dubio quia non potes queri, quod non aſpiciat etiam iniuſtos Deus: quippe cum intelligis generalem quidem eſſe in omnes Domini viſionem, ſed meritorum fieri diſparilitate diuerſam: boni quippe aſpiciuntur vt conſeruentur, mali vt diſperdantur: cum quibus vtique partem & ipſe habens qui homines à Deo aſpici negas, non ſolum videri te à Domino euidenter intellige, ſed periturum quoque indubitanter agnoſce. Nam cum ad hoc ſit vultus Dei ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum: de gubernatione Dei neceſſe eſt vt qui aſpicere Dei vultum per fidem negas, aſpicientis iram in perditione cognoſcas. Igitur de præſentia ac de aſpectu Dei iſta ſufficiunt. Videamus [B] an nunc qui reſpicit regat, cum vtique ipſa ratio aſpiciendi cauſam in ſe habeat gubernandi: quia non ad hoc reſpicit, vt cum aſpexerit negligat, qui ſcilicet per idipſum non negligere intelligitur, quia reſpicere dignatur: præſertim cum ſuperius ſacer ſermo teſtatus ſit, malos ad perditionem à Deo aſpici, bonos ad ſalutem. Hoc ipſo vtique diſpenſatio diuini gubernaculi demonſtratur: hoc eſt enim iuſta gubernatione regere, & ſingulos quoſque homines pro meritorum diuerſitate tractare. Sed accipe tamen de hac re plenius teſtimonium: dicit ad [Pſal. 79.] Deum Patrem in Pſalmo Spiritus ſanctus: *Qui regis Iſrael intende.* Iſrael videns Deum interpretatur: quem vtique cum Chriſtiani fide & corde videant qui fideliter credunt, licet gubernator omnium Deus ſit, illis tamen peculiariter regimen præſtari à Deo dicitur, qui regi peculiariter à diuinitate mereantur. Vnde & tu quicunque ille es, ſi Chriſtianus es, neceſſe eſt vt regi te à Deo credas. [C] Si autem gubernari te à Deo cum cæteris Chriſtianis omnino non putas: neceſſe eſt extra omnes Chriſtianos te eſſe cognoſcas. Sed ſi illud, vt ſupra iam diximus, magis quæris, quod ad omnes homines, non quod ad ſolos pertinet Chriſtianos: ecce euidenter dicit volumen ſacrum, cuncta quotidie nutu diuinitatis regi, & inceſſabiliter à Deo omnia gubernari. Ipſe enim, inquit, diligit [Sap. 12.] conſilium & diſciplinam. *Nec eſt enim alius Deus, cui cura eſt de omnibus. Cum ſis ergo,* inquit, *iuſtus, iuſte omnia diſponis, & cum magna reuerentia diſponis nos.* Ecce habes iugiter diſponentem Deum, iugiter gubernantem: quamuis in iſto ſcripturæ loco non gubernatio tantum ſacra, ſed etiam dignitas declaretur humana. In hoc enim quod ait, *diſponis nos,* vis diuinæ gubernationis: in hoc autem, quod *cum magna reuerentia,* culmen humanæ oſtenditur dignitatis. Alibi quoque in Propheta: *Nunquid non cælum,* [Hier. 23. & 42.] inquit, *& terram ego impleo?* Cur autem cuncta impleat, ipſe declarat: *Quia vobiſcum ſum,* inquit, *vt ſaluos faciam vos.* Ecce enim modo non regimen ſuum Dominus & impletionem, ſed etiam vim ac beneficium ipſius adim-[D]pletionis oſtendit. Hunc enim fructum in ſe habet diuinitatis impletio, vt ſaluet ea quæ adimplentur. Et ideo in Apoſtolorum Actibus beatiſſimus Paulus: *In ipſo,* [Act. 7.] inquit, *& viuimus, & mouemur, & ſumus.* Plus abſque dubio, quàm gubernator eſt vitæ, in quo motus ipſe viuentis eſt. Non enim dixit, ab ipſo nos, ſed in ipſo moueri, docens ſcilicet inſitam intra viſcera ſacias omnino noſtrum eſſe ſubſtantiam: quia in ipſo profecto viuimus, à quo hoc ipſum ducimus, quod ſumus. Sed & Saluator ipſe [Matt. 28.] in Euangelio: *Ecce ego,* inquit, *vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Non ſolum nobiſcum ſe eſſe dixit, ſed etiam omnibus diebus eſſe nobiſcum. Tu eum ô ingratiſſime homo, qui ſine ceſſatione nobiſcum eſt, nec curam, nec reſpectum noſtri habere dicis? Quid facit ergo nobiſcum? Nunquid ergo ad hoc nobiſcum eſt, vt non reſpiciat, vt negligat? Et quomodo ſibi vtrumque conuenit, vt qui pietati præſtat præſentiam, impietati tribuat incuriam? *Ecce* enim, inquit, *vobiſcum ſum* [E] *omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Præclare ſcilicet affectum Dei interpretamur, ſi nos calumniamur ab eo iugiter negligi, cum ille nos à ſe teſtetur iugiter non relinqui. Ille per hoc oſtendere voluit, quod à nobis affectu & protectione iugiter non diſcederet, qui à nobis etiam præſentia non abeſſet: nos in contemptum noſtri diuinam vertimus charitatem, nos amoris teſtimonia in odij argumenta mutamus. Hoc enim quod præſentem ſe eſſe dicit, odij magis teſtimonium eſſe volumus, quàm amoris. Nam ſi abſentem ſe Dominus futurum eſſe dixiſſet, minus cauſari forſitan de incuria poteramus abſentis. Maioris contemptus res eſt atque faſtidij, ſi nos iugiter negligit, qui à nobis iugiter non recedit: & plus in ſe odij noſtri habet, ſi ad hoc ſemper nobiſcum permanet, vt qui nos præſentia nunquam deſerit, ſemper repudiet affectu. Sed abſit hoc de piiſſimo ac miſericordiſſimo Deo credi, vt ad hoc ſemper nobis voluerit aſſiſtere, vt nos maiore faſtidio negligere videatur aſſiſtens. Abſit hoc ſcelus dici. Nemo enim, puto, vel in toto humano genere tam malus eſt, qui ideo cum [F] vllo homine velit eſſe quia non amet, & ad hoc tantum vti præſentia ſua cupiat, vt maiore odij fructu poſſit deſpicere præſentem. Ipſa nos vel doceat humana natura, vel vincat: ſi non ideo cum quocunque homine eſſe cupimus, quia eum cum quo eſſe cupimus diligamus. Et quia vtique diligimus, prodeſſe ei præſentiam noſtram cupimus quem amamus. Quod ergo etiam malo homini auferre non poſſumus, Deo tollimus, & peiorem peſſimis hominibus Deum facimus, qui ad hoc futurum nobiſcum ſe eſſe dixit, vt faſtidioſius nos negligeret cum fuiſſet. Sed hæc hactenus. Supereſt vt quia teſtimonijs ſacris ſatis & reſpici, ac regi à Deo omnia iam probauimus, etiam iudicari plurima in hoc ſeculo à diuinitate doceamus. Dauid ſanctus cum à Nabale Car- [1. Reg. 25.] melo contumeliæ pertuliſſet iniuriam, quia ſe ipſe vleiſci diſtulit, vltionem ſtatim Deo executore percepit. Extincto itaque paulò poſt aduerſario ſuo, & manu cœleſti obruto, ſic locutus eſt: *Benedictus Dominus qui iudicauit* [G] *cauſam opprobrij mei de manu Nabal.* Eundem quoque cum fugaſſet è regno filius perſecutor, iudex in breui Dominus vindicauit. Nec vindicauit tantum, ſed cumulatius vindicauit quàm ipſe voluit qui vindicabatur: vt oſtenderet ſcilicet Deus grauiorem ſibi eſſe iniuriam iniuſta tolerantium, quàm tolerantibus ſuam. [Iniuſta tolerantium iniuria Deo grauis.] Nam qui ſupra votum eius vindicat qui vindicatur, quid aliud vult intelligi, quam ſe ipſum in eo quem ſic vlciſcitur, vindicari? Acto itaque in crucem non manufactam filio parricida, vindictam ei diuinitus attributam ſic nunciatam refert ſermo diuinus: *Bonum adporto nuncium Domine mi* [2. Reg. 18.] *rex: iudicauit enim pro te hodie Dominus de manu omnium qui ſurrexerunt contra te.* Vides quomodo non rebus tantum, vt ſupra diximus, & exemplis, ſed ipſo nomine atque appellatione iudicij Deum etiam præſenti ſeculo iudicare, diuinæ per ſacros teſtes litteræ probant. Sed forſitan putes id ſpecialiter ſancto viro à Deo præſtitum, vt de aduerſarijs eius protinus iudicaret. Dies me deficiet, [H] ſi de præſentibus in hoc mundo ſententijs Dei atque iudicijs velim dicere. Sed tamen vt euidenter agnoſcas, cenſuram ſuam & examen ſacrum non tam perſonis præſtare, quàm cauſis, audi quomodo iudex Deus, qui pro Dauid ſeruo ſuo ſententiam aſſiduè euidentem dedit, contra Dauid ipſum ſæpius vindicarit. Et quidem hoc non in multorum hominum negocio, aut, quod forſitan potuiſſet Deum magis mouere, ſanctorum, ſed in cauſa & vnius hominis & barbari: & vbi tantùm virum perſona penitus non grauauerat, niſi cauſa multaſſet? interfecto Vria Etheo, homine gentis impiæ & nationis inimicæ, ſtatim fit ad Dauid ſermo diuinus: *Vriam Etheum percuſ-* [2. Reg. 12.] *ſiſti gladio, & vxorem illius accepiſti vxorem, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon. Quam ob rem non recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum. Itaque hæc dicit Dominus: Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo. Tu enim feciſti abſcondite. Ego vero faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu ſolis.* Quid dicis tu, qui non ſolum non iudicari

Digitized by Google

A quæcunque agimus, ſed nec reſpici omnino à Deo credis? Videſne etiam à ſecreto illo, quo Dauid ſemel lapſus eſt, nequaquam Dei oculos abfuiſſe? Vnde & tu, qui, ad ſolatium arbitror peccatorum tuorum, conſiderari actus noſtros à Deo non putas, ex hoc ipſo & aſpici te à Chriſto ſemper intellige, & puniendum fortitan propediem eſſe cognoſce: quia etiam Dauid ſanctum vides, vnum errorem ſuum, nec ſecreto occultiorum penetralium potuiſſe contegere, nec à præſentibus pœnis priuilegio ſaltem magnorum operum vindicare. Quid enim ait ad eum Dominus? *Tollam vxores tuas in conſpectu tuo, & gladius non recedet a domo tua vſque in ſempiternum.* Vides quàm præſens excipiat tantus vir pro vno ſtatim errore iudicium? protinus culpam ſecuta damnatio eſt, & damnatio ſtatim pariens, nihilque reſeruans, atque illico coercens reum, bonum futurum differens reatoo. Et ideo non dixit, quia feciſti hoc, venturum iudicium Dei ſenties, & futuro gehennæ igne torquebere: ſed præſentia, inquit, tormenta ſenties, atque imminentem iam ceruicibus tuis diuinæ ſeueritatis gladium ſuſtinebis. Et quid poſt hæc? agnoſcit ſcilicet reus culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet: gemmas regias abdicat, crepantia auro textili indumenta deponit, purpura exuitur, diademate exhonoratur, cultu & corde mutatur: totum regem cum ornatibus ſuis abijcit: prouidum pœnitentem cum patrocinio ambitioſi ſqualoris aſſumit, ieiunio exigitur, ariditate ſiccatur, fletu effunditur, ſolitudine carceratur. Et tamen rex tanti nominis, ſanctitate maior quam poteſtate, prærogatiuis meritorum antecedentium ſupereminens, cum tanto ambitu ſupplicet, non euadit. Et hic tantus tam grandis fructus pœnitentiæ eſt, quod æternis quidem piaculis non addicitur, ſed in præſenti tamen veniam non meretur. Denique quid pœnitenti Propheta ait? *Quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, filius qui ex te natus eſt, morietur.* Præter pœnam acerbæ orbitatis, etiam hunc addi piiſſimo patri intellectum ſummi ſupplicij Deus voluit: vt dilectiſſimo filio cauſa mortis pater ipſe exiſteret qui doleret, cum vtique natum ex crimine puerorum crimen ipſum occideret quod creaſſet. Hoc ergo primum eſt diuinæ animaduerſionis exordium. Primum vtique, non ſolum: ſecuta namque eſt ærumnarum ingentium longa ſeries, atque à domo eius iugis admodum malorum continuatio non receſſit. Thamar Ammonis furore corrumpitur: Ammon ab Abſalone iugulatur. Scelus quidem grande à bono fratre committitur, ſed peius tamen ab alio vindicatur. Inter hæc tamen Dauid pater facinore vtriuſque punitur: duo filij peccant, ſed tres duorum ſcelere perduntur. In Thamar enim virginitas amittitur: in Ammone etiam Abſalonis perditio lugetur. Et quidem neſcias, quem de filijs duobus tam bonus pater grauius amiſerit, illum qui manu fratris occiſus eſt in hoc ſeculo, an illum qui ſua perijt in futuro. Iam vero hinc iuxta verbum Dei inæſtimabilis mali cumulus: inſidias enim à filio pater patitur, regno pellitur, & ne occidatur profugus abſcedit. Impurior neſcias an cruentior filius: quia interficere patrem non poteſt patricidio, fœdat inceſtu: & quidem inceſtu, præter inceſti nefas, per induſtriam accumulandi ſceleris elato: cum vtique facinus, quod etiam ſecreta abominabile facerent, perſecutor parentis publice perpetraret: ſcilicet vt feraliſſimo crimine non pater tantum abſens deformaretur, cum oculi etiam totius orbis publico fœdarentur inceſtu. Iam ſi addenda eſt & ipſius fugæ facies, quale illud fuit, cum tantus rex, tanti nominis cunctis regibus altior, mundo maior, omnes admodum ſuos cum pauciſſimis ſuis fugeret, in comparatione dudum ſui egeſtuoſus, in comparatione ſui ſolus: fugiens cum metu, cum dedecore, cum luctu, *operto*, inquit ſcriptura, *capite, & nudis pedibus incedens*: ſuper iſtis, prioris ſtatus à ſe ipſo exulans, pene iam poſt ſe viuens: deiectus vſque in ſeruorum ſuorum, vel quod graue eſt, contumeliam, vel quod grauius, miſericordiam, vt vel Siba eum paſceret, vel maledicere Semei publice non timeret. Ita Dei iudicio à ſe alter effectus, vt ei quem timuerat forſitan totus orbis, vnus in faciem inſultaret inimicus.

Priuilegium maiorum operum.

B Dauidis vera pœnitentia.

Prærogatiuus meritorum.

Pœnitentiæ Dauidis fruct⁹.

2. Reg. 12.

C

2. Reg. 13.

Dauidis ærumnæ.

Abſalonis impietas.

D

2. Reg. 15.

E Vbi ſunt qui à Deo reſpici res humanas negant? Ecce quoties teſtes ſacri in perſona vnius hominis non reſpexiſſe tantummodo Deum, verum etiam iudicaſſe docuerunt. Et cur hæc omnia? cur vtique, niſi vt intelligeremus eandem futuram ſemper in mundo cenſuram & coercitionem Dei quæ fuiſſet: & ideo etiam ſanctos homines caſtigatos quondam iudicio Dei legimus, vt iudicandos nos Deo iudice etiam præſenti ſeculo noſceremus: quia ſicut Deus eſt ſemper, ſic iuſtitia Dei ſemper: ſicut omnipotentia Domini indeficiens, ſic cenſura indemutabilis: ſicut Deus iure perpetuus, ſic iuſtitia perſeuerans. Et ideo omnes admodum ſancti in libris ſacris inter diſcriminum imminentium metus, & perſecutorum gladios, conſtituti, præſens iudicium Dei poſtulant. Sic enim iuſtus dicit in Pſalmo: *Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta.* Quod ne ad futurum Dei iudicium trahi poſſit, ſubdit ſtatim: *Ab homine iniquo & doloſo eripe me.* Præſens vtique iudicium Dei poſtular, qui liberari ſe de manu perſecutoris implorat. Et bene pio conſcientia bonæ cauſæ non tam ſuffragium domini quam iudicium deprecatur, quia bonę cauſæ optimum ſemper ſuffragium tribueret, ſi cum iuſtitia iudicetur. Alibi quoque hoc euidentiſſime: *Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi.* Vides etiam hoc loco non futuri examinis ſeueritatem, ſed cenſuram præſentis iudicij poſtulari. Hoc eſt enim illud quod ait: Apprehende ſcutum, & corripe gladium, ſcutum ſcilicet ad protectionem gladium ad vltionem. Non quia iudicans Deus egeat apparatu, ſed quia in hoc ſeculo hæc terribilium rerum nomina, terribilium iudiciorum ſunt inſtrumenta, ad humanam intelligentiam humanarum rerum ſignificationibus loquens: quia iudicari ac vindicari ſe de aduerſarijs precabatur, per inſtrumenta terrenæ iſtius vltionis vim diuinæ animaduerſionis expreſſit. Denique alibi Propheta idem, quid inter præſens & futurum iudicium Dei eſſet, oſtendit. Quid enim de cenſura præſentis examinis dicit ad Dominum? *Sedes ſuper thronum, qui iudicas æquitatem.* Quid autem de futuro Dei æternoque iudicio? *Iudicabit*, inquit, *orbem terræ in æquitate.* Et iterum: *Iudicabit populos in iuſtitia:* ipſis ſcilicet verbis præſentis temporis & futuri, tempus iudicij vtriuſque diſtinxit. Vt enim præſens iudicium oſtenderet, *Iudicas* poſuit: vt autem futurum diſtingueret à præſentibus, ſubiecit poſtea, *Iudicabit.* Hæc igitur de cura erga nos Dei, & gubernaculo, & iudicio, ratione, exemplis, teſtimonijs ſatis eſt probaſſe, maximè quia etiam quæ poſt hoc ſecutura ſunt, ad ipſum omnia pertinebunt. Nunc ſi à Deo, cuius negotium agimus, vires ad agendum acceperimus, ea quæ contra hæc ab aduerſarijs dici ſolent, & proferre ſimul & refutare tentabimus.

Sancti etiam caſtigati.

Pſal. 42.

F

Pſal. 34.

Humanarum rerum ſignificationes.

G

Pſal. 9.

Pſal. 95.

Argumentum librorum ſequentium.

Explicit liber ſecundus.

H

INCIPIT LIBER TERTIVS.

BENE ſe res habet, iacta ſunt fundamenta operis pia molitione cœpti, & diuini officij amore ſuſcepti. Et ideo non ſunt ſolubili luto poſita nec temporali lapide conſtructa, ſed ſacrarum expenſarum confectione valida, & diuini magiſterij arte firmata. quæ vt ipſe in Euangelio Deus dicit, nec ventis poſſint ſorentibus concuti, nec alluuione fluminum ſubrui, nec pluuiarum infuſione diſſolui. Cum enim opus hoc

Matt. 7.

manus

A

manus quodammodo diuinorum voluminum inſtruxerit, & cœleſtium ſcripturarum compago ſolidarit, neceſſe eſt tam firma hæc per Dominum Ieſum Chriſtum eſſe quæ facta ſunt, quàm firma illa ſunt quæ fecerunt ædificium. Itaque hoc naturam ſtatus ſui de ſtirpe ſumit, & labefactari ſaluis autoribus ſuis non poteſt. Sicut enim in terrenis ædificijs deijcere parietes nullus poteſt, niſi prius lapides & cæmenta deiecerit: ſic ædificium quod ſtruximus diſſoluere nullus valet, niſi id vnde ſtructum eſt & conſummatum, ante diſſoluerit. Quod quia labefactari vtique nequaquam poteſt, rectè etiam à nobis incolumitas ædificij præſumitur, cuius ſtatus ſubſidijs immo. talibus continetur. Quæritur itaque, cum hæc ita ſint, ſi totum quod in hoc mundo eſt, cura & gubernaculo, & iudicio Dei agitur; cur melior multo ſit barbarorum conditio quàm noſtra. Cur inter nos quoque ipſos ſors bonorum durior quàm malorum: cur probi iaceant, improbi conualeſcant: cur iniquis & maximè poteſtatibus vniuerſa ſuccumbant.

B

Poſſum quidem rationabiliter & ſatis conſtanter dicere: Neſcio ſecretum, & conſilium diuinitatis ignoro: ſufficit mihi ad cauſæ huius probationē dicti cœleſtis oraculum Deus à ſe, vt libellis ſuperioribus iam probauimus, omnia dicit aſpici, omnia regi, omnia iudicari. Si ſcire vis quid tenendum ſit, habes literas ſacras: perfecta ratio eſt hoc tenere quod legeris. Qua cauſa autem Deus hæc de quibus loquimur ita faciat, nolo à me requiras. Homo ſum, non intelligo ſecreta Dei, inueſtigare non audeo, & ideo etiā attentare formido: quia & hoc ipſum genus quaſi ſacrilegæ temeritatis eſt, ſi plus ſcire cupias quàm ſinaris. Sufficiat tibi quod Deus à ſe agi ac diſpenſari cuncta teſtatur. Quid me interrogas quare alter maior ſit, alter minor: alter miſer, alter beatus: alter fortis, alter infirmus, qua cauſa quidem hæc Deus faciat non intelligo; ſed ad pleniſſimam rationem abunde ſufficit, quod à Deo agi illa demonſtro. Sicut enim plus eſt Deus, quàm omnis humana ratio, ſic plus mihi debet eſſe quàm ratio, quod à Deo agi cuncta cognoſco.

C

Iuſta ſunt Dei opera.

Nihil ergo in hac re opus eſt, nouum aliquid audire: ſatis ſit pro vniuerſis rationibus autor Deus: nec licet vt de his quæ diuino aguntur arbitrio, aliud dicas iuſtum, aliud iniuſtum: quia, quicquid à Deo agi vides atque conuinceris, neceſſe eſt plus quàm iuſtum eſſe fatearis. Hæc ergo de gubernaculo Dei atque iudicio expeditiſſime ac fortiſſime dici poſſunt. Neque enim neceſſe eſt, vt argumentis à me probetur, quod hoc ipſo quia à Deo dicitur, comprobatur. Itaque cum legimus dictum à Deo, quia aſpiciat iugiter omnem terram, hoc ipſo probamus quòd aſpicit, quia aſpicere ſe dicit. Cùm enim legimus quod regat cuncta quæ fecit; hoc ipſo approbamus quòd regit, quia ſe regere teſtatur. Cùm legimus quod præſenti iudicio vniuerſa diſpenſet; hoc ipſo eſt euidens quod iudicat, quia ſe iudicare confirmat.

Humana dicta teſtibus egent, diuina non item.

Alia enim omnia, id eſt, humana dicta, argumentis ac teſtibus egent: Dei autem ſermo ipſe ſibi teſtis eſt: quia neceſſe eſt quicquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum ſit teſtimonium veritatis.

D

Sed tamen cum per Scripturas ſacras ſcire nos quaſi de arcano animi ac mentis ſuę quędam voluerit Deus noſter, quia ipſum quodammodo Scripturæ ſacræ oraculum Dei mens eſt: quicquid vel agnoſci per ſuos: vel prædicari Deus voluit, nō tacebo. Vnum quamuis prius quàm loqui ordiar, ſcire cupiam, cum Chriſtianis mihi loquendum, an cum paganis ſit. Si enim cum Chriſtianis, probaturum me quod ago, eſſe non dubito. Si autem cum paganis, probare contemno: non quia probatione deficiar, ſed quia profuturum quod loquor eſſe deſpero.

Prauus auditor.

Infructuoſus quippe eſt & inanis labor, vbi non recipit probatiooem prauus auditor. Sed tamen quia eſſe oullum omnino arbitror Chriſtiani nominis hoioinem, qui non ſe Chriſtianum videri velit, ego cum Chriſtiano agam. Quamuis enim quis impiæ ac paganicæ infidelitatis ſit, mihi tameo ſatis eſt, à Chriſtiano probari quod dico. Cauſaris igitur, quid ſit iſtud; quod Chriſtiani, qui Deum credimus, omnibus miſeriores ſumus. Sufficere quidem mihi ad reſpondendum hoc loco poterat, quod Apoſtolus ad eccleſias dicit: *Nemo moueatur in tribulationibus, ipſi enim ſcimus quia in hoc poſiti ſumus.* Et ideo cùm in

1. Theſſ. 3.
Rom. 5

E

hoc poſitos non eſſe à Deo Apoſtolus dicat, vt ærumnas, vt miſerias, vt triſtitias perferamus: quid mirum eſt ſi mala cuncta perferimus, qui ad toleranda aduerſa omnia militamus? Sed quia multi iſta non ſapiunt; & putant homines Chriſtianos hæc quaſi ſtipendia fidei ſuæ à Deo capere debere, vt quia ſint cunctis gentibus religioſiores, ſint cunctis etiam fortiores, acquieſcamus opinioni eorum atque ſententiæ.

Deum fideliter credi.

Sed videamus tamen quid ſit Deum fideliter credi. Qui enim tam magnam credulitatis & fidei mercedem in hoc ſeculo eſſe volumus, qualis credulitas aut fides ipſa eſſe debeat, conſiderare debemus. Quid eſt igitur credulitas vel fides? opinor fideliter hominem Chriſto credere, id eſt, fidelem Deo eſſe, hoc eſt, fideliter Dei mandata ſeruare. Sicut enim ſerui hominum diuitum aut procuratores, quibus vel ſuppellectiles copioſæ, vel cellaria opulenta creduntur, fideles abſque dubio dici non queunt, ſi res ſibi traditas deuorarint: ſic profectò etiam Chriſtiani homines infideles ſunt, ſi bona ſibi à Deo aſſignata corruperint.

F

Bona Chriſtianis attributa.

Quæritur forſitan, quæ ſint bona quæ Deus Chriſtianis hominibus aſſignet. quæ? niſi omnia per quæ credimus, id eſt, per quæ omnia Chriſtiani ſumus. Primum ſcilicet legem, deinde prophetas, tertio Euangelium, quarto apoſtolicas lectiones, poſtremum generationis nouæ munus, ſancti baptiſmatis gratiam, diuini chriſmatis vnctionem: ſcilicet vt ſicut apud Hebræos quondam, id eſt, peculiarem ac propriam Dei gentem, cum iudiciarius honor in poteſtatem regiam tranſcendiſſet, probatiſſimos & lectiſſimos viros per vnguentum regium Deus vocauit in regnum: ſic omnes homines Chriſtiani cum poſt chriſma eccleſiaſticum omnia Dei mandata feciſſent, ad capiendum laboris præmium vocarentur ad cœlum.

Chriſma diuinum. Chriſma eccleſiaſticum.

Cum ergo iſta ſint omnia per quæ fides conſtat, videamus quis tanta hæc fidei ſacramenta cuſtodiat, vt fidelis eſſe videatur: quia infidelis, vt diximus, ſit neceſſe eſt, qui fidei commiſſa non ſeruat. Et quidem non quæro, vt cuncta faciat quæ teſtamenta duorum temporum iubent. remitto cenſuram legis antiquæ, remitto omnes prophetarum minas, remitto etiam quæ remitti omnino non poſſunt, vel Apoſtolicorum librorum ſeueriſſimam inſtitutionem, vel Euangelicorum voluminum plenam omni perfectionis genere doctrinam.

G

Dei præcepta vel minima neminem obſeruare.

Pauciſſimis ſaltem præceptis Dei quis obſequatur interrogo: nec illa dico quæ ita multi refugiunt, vt pene & execrentur: tantum apud nos honor & reuerentia Dei proficit, vt quæ in deuotione non facimus, etiam odio digna eſſe ducamus. Deoique hoc quod Saluator cogitare nos de craſtino prohibuit, quis audire dignatur? quod contentos ſingulis tunicis iubet eſſe, quis recipit? quod ambulare excalciatos præcipit, quis non modo faciendum, ſed vel ferendum arbitratur? Itaque & ego iſta prætereo.

Matt. 10.

In hoc enim fides per quam confidimus recidit, vt quæ Dominus nobis ſalutaria eſſe voluit, nos ſuperflua iudicemus. *Diligite*, inquit Saluator, *inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Quis hæc omnia faciat, quis pro inimicis ſuis, iſta quæ Deus iuſſit, non dico votis, ſed verbis ſaltem agere dignetur? Aut etiam ſi quis ſe cogit vt faciat, facit tamen ore, non mente.

Matth. 5.

H

Oratio pro inimicis.

Pręſtat quidem vocis officium, ſed animi non mutat affectum; ac per hoc etiam ſi pro aduerſario ſuo orare ſe cogit, loquitur, non precatur. Longum eſt de ſingulis dicere, ſed adhuc tamen aliquid addam, vt intelligamus nos non modo non omnibus Dei obtemperare verbis, ſed nullis penè illius obedire mandatis. Et ideo Apoſtolus clamat: *Nam qui ſe exiſtimat eſſe aliquid cum nihil ſit, ſe ipſum ſeducit.* Hoc enim ad crimina noſtra addimus, vt cum in omnibus rei ſimus, etiam bonos nos & ſanctos eſſe credamus, ac ſic in nobis cumulentur iniquitatis offenſæ, etiam præſumptione iuſtitiæ. *Qui odit*, inquit Apoſtolus, *fratrem ſuum, homicida eſt.* Intelligere ergo poſſumus multos eſſe homicidas, qui ſe innoxios putant, quia vt videmus homicidium non ſola tantummodo occidentis manu, ſed etiam odientis animo perpetratur. Vnde eſt quod Saluator mandati iſtius normam cēſura adhuc ſeueriore cumulauit, dicens: *Qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit iudicio.*

Gal. 6.
1. Ioan. 3.
Matth. 5

A Ira odij mater.

Ira mater eſt odij. Et ideo Saluator excludere iram voluit, ne ex ira odium naſceretur. Si ergo non ſolum odium, ſed etiam ira nos in Dei iudicio reos faciet, euidenter agnoſcimus, quod ſicut nullus omnino eſt immunis ab iracundia, ſic nullus omnino immunis eſſe poterit à reatu. Proſequitur autem Dominus quaſi fibras præcepti iſtius, & omnes penitus frutices ac ramuſculos ſecat, dicens: *Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Qui dixerit fratri ſuo racha, reus erit concilio* Racha quod genus ſit contumeliæ multi neſciunt: fatuitas autem quàm iniurioſè obijciatur, optimè norunt. Et ideo ſcientia ſua potius homines quàm ignorantia vrentes, malunt reatus ſuos per id conuicium quod ſciunt, diuinis ignibus; quàm per id quod neſciunt, humanis conſilijs expiari. Quæ cum ita ſint, & cum hæc omnia quę iubentur à Domino, non modo à nobis omnino non fiant, ſed pene in diuerſum omnia fiant, quando maiora illa faciemus? *Qui* enim, inquit Saluator, *non renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et qui non tulerit crucem ſuam, & ſecutus me fuerit, non eſt me dignus.* Et, *qui ſe* * *Chriſtianum dicit, debet quemadmodum Chriſtus ambulauit, ſic & ipſe ambulare*, quæ nunc modo illos, qui voluptates & pompas ſeculi ſequuntur, ſed ne illos quidem implere certum eſt, qui ſecularis amoris ius derelinquunt. Nam & qui renunciare diuitijs videntur, non ſic renunciant, vt penitus renunciaſſe videantur. Et qui putantur crucem portare, ſic portant, vt plus habeant in crucis nomine dignitatis, quàm in paſſione ſupplicij. Et omnes tamen iſti, etiam ſi aliquid horum bona fide adimplerent; illud abſque dubio nullus efficeret, vt per viam vitæ iſtius ſic incederet ſicut Saluator inceſſit. *Qui ſe* enim, inquit Apoſtolus, *dicit in Chriſto manere, debet quemadmodum Chriſtus ambulauit ſic & ipſe ambulare.* Sed dura fortitan quidam putant Apoſtolorum eſſe præcepta. Dura plane exiſtimanda ſunt, ſi plus ab alijs officiorum exigunt, quàm ſibi ſoluunt. Porro autem ſi multo minus cæteris imperarunt quàm ſibi, non modo non graues magiſtri, ſed parentes indulgentiſſimi iudicandi ſunt; qui onera quæ ceruicibus filiorum per amoris indulgentiam detrahunt, ſibi per affectum religionis imponunt. Quid enim vnus ex ipſis ad Apoſtolos eccleſiaſticos dicit? *Filioli*, inquit, *mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Et rurſum: *Imitatores*, inquit, *mei eſtote ſicut & ego Chriſti.* Nobis hoc imperat, vt ſe imitemur: qui ſibi hoc imperauerat, vt Chriſti eſſet imitator. Et quidem quod ipſe Chriſtum imitatus ſit, nulli dubium eſt; Chriſtus enim ſe pro nobis ſubdidit mundo, & ſe ipſe pro Chriſto. Chriſtus pro nobis tædia & labores grauiſſimos pertulit: & hoc ipſe pro Chriſto. Chriſtus pro nobis contumelias paſſus eſt: & hoc ipſe pro Chriſto: Chriſtus pro nobis paſſionem mortemque tolerauit: & hoc ipſe pro Chriſto. Et ideo non ſine cauſa meritorum ſuorum conſcius dicit: *Certamen bonum certaui, fidem ſeruaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Itaque cum ille Chriſtum ſic imitatus ſit, videamus quis noſtrum Apoſtoli imitator appareat. Scribit enim ipſe de ſe primum, quod *nulli vnquam dederit offenſionem, ſed in omnibus exhibuerit ſe ſicut Dei miniſtrum, in patientia multa, in tribulationibus, in neceſſitatibus: in plagis, in carceribus, in lacerationibus.* Et alibi, dum ſe alijs comparat, ſic ait: *In quo quis audet, in inſipientia dico, audeo & ego: vt minus ſapiens dico, magis ego in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus, ter naufragium feci.* Sane etſi de cæteris quas dixit virtutibus Apoſtolicis nihil facimus, in hoc tamen vno, vbi Apoſtolus ter naufragaſſe ſe dicit, etiam vincere poſſumus. Non enim ter tantummodo naufragauimus, quorum pene omnis vita naufragium eſt. Intantum quippe vitioſè ab omnibus viuitur, vt prope nullus Chriſtianorum ſit, qui non iugiter naufragare videatur. Sed dicit fortaſſe aliquis: non id eſſe nunc temporis, vt pro Chriſto nos perferamus, quæ tunc Apoſtoli pertulerunt. Verum eſt: non enim ſunt principes pagani, nō tyranni perſecutores, non ſanguis ſanctorum funditur, nec fides ſupplicijs comprobatur. Contentus eſt Deus noſter, vt ei pax noſtra ſeruiat, vt ſola ei immaculatorum actuum puritate

Racha conuiniũ.

Luc. 14.

B

1. Ioan. 2.
* in ipſo manere.

Crucem portare.

C

Gal. 4.

1. Cor. 11.
Paulus Chriſtum imitatus eſt.

2. Tim. 4.

2. Cor. 6.

D

2. Cor. 11.

Naufragamus vbique nos Chriſtiani.

E

& vitæ incontaminabilis ſanctitate placeamus. Quo plus ei fides & deuotio noſtra debet: quia minora à nobis exigit, & maiora conceſſit. Et ideo cum & principes Chriſtiani ſint, & perſecutio nulla ſit, & religio non inquietetur; qui ad probandum fidem experimentis durioribus non compellimur, inferioribus ſaltem officijs Domino plus placere debemus. Probat enim etiam in maioribus, ſi res exigat, executorem ſe idoneum fore, à quo minora complentur. Dimittamus ergo illa quæ beatiſſimus Paulus pertulit: imò quæ in libris poſtea de religione conſcriptis omnes admodum Chriſtianos legimus pertuliſſe: qui ad cœleſtis regiæ ianuam gradibus pœnarum ſuarum aſcendentes, ſcalas ſibi quodammodo de eculeis cataſtiſque fecerunt. Videamus ſi in illis ſaltem religioſæ deuotionis obſequijs, quæ minora atque communia in ſumma quiete & omni tempore omnes Chriſtiani obire poſſumus, præceptis dominicis reſpondere tentamus. Iubet Chriſtus ne litigemus. Quis iubenti obtemperat? Nec ſolum iubet, ſed intantum hoc iubet, vt ea ipſa nos de quibus lis eſt relinquere iubeat, dummodo litibus exuamur. *Si quis* enim, inquit, *voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, relinque ei & pallium.* Interrogo qui ſint qui ſpoliantibus aduerſarijs cedant: imò qui ſint qui aduerſarios ſuos non ſpoliare conentur. Tam procul enim abeſt, vt cū tunicis etiam alia relinquamus, vt ſi quo modo poſſumus, pallium ſimul aduerſarijs tunicaſque tollamus. Tam deuote enim mandatis dominicis obedimus, vt non ſufficiat nobis, quod aduerſarijs noſtris etiam minima veſtimentorum noſtrorum parte non cedimus; niſi eis quantum in nobis eſt, ſi res ſinat, cuncta rapiamus. Iungitur autem præcepto huic par & conſimile mandatum, quo ait Dominus: *Qui percuſſerit te in dextram maxillam, præbe ei & alteram.* Quantos putamus eſſe, qui dicto huic vel aures modeſte præbeant, vel certe etiamſi id facere videntur, animis acquieſcant? Aut quotus quiſque eſt, qui ſi ictum vnum acceperit, non multos pro vno reddat? tantum ab illo abeſt, vt cædenti maxillam præbeat, vt tum ſe vincere putet, non quando aduerſarium vapulando, ſed quando cædendo ſuperauerit. *Quæ vultis*, inquit Saluator, *vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis ſimiliter.* Huius ſententiæ partem tam bene nouimus, vt nunquam prætereamus: partem ſic prætermittimus, quaſi penitus neſciamus. Nam quid ab alijs præſtari nobis velimus, optime nouimus: quid autem ipſi alijs debeamus præſtare, neſcimus. Atque vtinam neſciremus: minor eſſet ignorantiæ reatus, ſecundum illud: *Qui neſcit voluntatem Domini ſui, vapulabit paucis: qui autem ſcit & nō facit eam, vapulabit multis.* Nunc autem in hoc maior offenſa eſt, quod partem ſententiæ ſacræ pro commodorum noſtrorum vtilitate diligimus, partem pro Dei iniuria prętermimus. Exaggerat quoque hoc Dei verbum officio prædicationis ſuæ Apoſtolus Paulus, dicens: *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius.* Et iterum: *Non quæ ſua ſunt*, inquit, *ſinguli cogitantes, ſed ea quæ aliorum.* Vides quàm fideliter præceptum Chriſti fuerit exſecutus, vbi cum Saluator ſic nos pro alijs ſicut pro nobis iuſſerit cogitare, ille plus aliorum nos commodis iuſſit conſulere quàm noſtris: boni ſcilicet domini bonus famulus, & ſingularis magiſtri prędarus imitator; qui in veſtigijs domini ſui ambulans, patentiora quodammodo & expreſſiora pedibus ſuis fecit domini ſui eſſe veſtigia. Quid ergo horum facimus Chriſtiani, quod Chriſtus, an quod Apoſtolus iubet? Puto omnino, quod neutrum. Nam tantum abeſt, vt aliorum commodis aliquid cum propria incommoditate præſtemus, vt omnes vel maximè noſtris commodis cum aliorum incommodo conſulamus. Sed eligere fortaſſe maiora quæque videmur quæ nullus impleat, &, vt ipſi putant, implere omninò non poſſunt; & præterire alia, quæ & impleri queant, & ab omnibus impleantur. Sed primum illud conſiderandum eſt, quia nulli ſeruorum licet, ex his quæ dominus ſuus imperat eligere pro arbitrio quid velit facere, quid nolit; & inſolentiſſima abuſione quod placuerit aſſumere, quod diſplicuerit repudiare: maxime cum & terreſtres domini nequaquam æquo animo tolerandum putent, ſi inſ-

Deus nūc minora à nobis exigit.

F

Matth. 5.

G

Matth. 5.

Luc. 12.

1. Cor. 10.

H

Boni domini bonus famulus.

ſiones

A

ſiones ſuas ſerui ex parte audiant, & ex parte contemnant; & pro libidine ſua quæ putauerint facienda faciant, & quæ putauerint conculcanda conculcent. Si enim pro arbitrio ſuo ſerui dominis obtemperant, ne in ijs quidem in quibus obtemperauerint, obſequuntur. Quando enim ſeruus ex domini iuſſis ea facit tantummodo quæ vult facere, iam non dominicam voluntatem implet, ſed ſuam. Si ergo nos qui homunculi imbecilli ſumus, contemni tamen à ſeruis noſtris omnino nolumus; quos etſi nobis ſeruitutis conditio inferiores, humana tamen ſors reddit æquales: quàm iniquè vtique cœleſtem Dominum contemnimus, qui cum homines ipſi ſimus, contemnendos tamen nos à noſtræ conditionis hominibus non putamus: niſi tanti fortaſſe conſilij ac tam profundæ intelligentiæ ſumus, vt qui pati iniurias ſeruorum nolumus, ſubditum iniurijs noſtris Deum eſſe velimus: & quæ ipſi toleratu humano indigna credimus, Deum à nobis digne hæc tolerare credamus. At per hoc

Serui Dominorum contemptores.

B

ſi qui ſunt, vt ad ſuperiora redeamus, qui de maioribus nos Dei præceptis dicere exiſtiment, & minora tericere, ſuperflue queri intelligendi ſunt. Neque enim iuſta cauſatio eſt, cur præferrentur aliqua, vbi facienda ſunt omnia. Sicut enim dominorum carnalium ſeruis eligere, vt iam dixi, omnino non licet, quæ ex præceptis ſeruilibus faciant, quæ non faciant: ſic nos qui ſerui Domini noſtri ſumus, illicitum omnino exiſtimare debemus, vt vel illa quæ placent, pro animi oblectatione ſumamus; vel illa quæ diſplicent, pro ſuperbiæ abuſione calcemus. Sed acquieſcamus tamen ijs, qui ex præceptis dominicis idcirco fortitan nos nolunt maiora dicere, quia ſe putant minora complere: non quia ſufficiat ad ſalutem, ſi maioribus ſpretis minora faciamus, ſecundum illud: *Quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus*: ac per hoc licet nobis non ſufficiat parua ac minima quæque facere, acquieſco tamen ego minora dicere, vt oſtendam maximam Chriſtianorum omnium partem, ne exigua ſaltem ac minima feciſſe. Iuſſit Sal-

Iacob. 2.

C

uator noſter, vt Chriſtiani homines non iurarent. Plures inuenias qui ſæpius peierent, quàm qui omnino non iurent. Iuſſit quoque, vt nemo malediceret. Cuius non ſermo maledictio eſt? Prima enim ſemper irarum tela maledicta ſunt, & quicquid non poſſumus imbecilli, optamus irati: ac ſic in omni animorum indignantium motu votis malis pro armis vtimur. Vnde vnuſquiſque hominum euidentiſſimè probat, quicquid fieri aduerſarijs ſuis optat, totum ſe facere velle, ſi poſſit. Sed videlicet quia omnes hac improbitate linguarum facile vtimur, qui iuſſis dominicis non obtemperamus, idcirco etiam apud Deum facile hoc putamus eſſe quod iuſſit: *Maledici*, inquit ſermo diuinus, *regnum Dei non poſſidebunt*. Hinc ergo intelligere poſſumus quàm grauis ſit & pernicioſa maledictio, quando etiam ſi alia bona adfuerint, ſola excludit à cœlo. Inuidiam eſſe procul iuſſit Chriſtus à nobis: at nos è contra non extraneis tantum, ſed etiam proximis inuidemus. Nec ſolum inimicos, ſed etiam amicos noſtros liuore perfundimus: adeo prope in omnium ſenſu hoc ma-

Epheſ. 5.
1. Cor. 6.

D

lum regnat: adeo eſuriendi libido terminum habet, detrahendi libido terminum non habet. Nam ſemper admodum cibo, nunquam detractione ſaturamur. Sed forſitan leuis pœna iſtius labis eſt. Detrahens, inquit ſcriptura ſacra, eradicabitur. Grauis profecto & tremenda animaduerſio, ſed tamen nulla correctio. dummodo enim vnuſquiſque hominum alium lacerare non deſinat, tanti putat vt etiam ſibi ipſe non parcat: ſed digna planè mali iſtius retributio eſt, quæ ſolum perſequitur autorem, illi enim nihil nocet penitus cui detrahit, tantummodo illum punit cuius ore procedit. Sed delirare, opinor, videmur iſta repetendo; & ſero vt nos delirare videamur. Nunquid delirauit Dominus, qui præcepit: *Omnis* enim, inquit per Apoſtolum ſuum, *clamor auferatur à vobis cum omni malitia*? Vtrunque quidem hoc in nobis iugiter perſeuerat, ſed magis tamen malitia quam clamor. Clamor quippe non ſemper eſt in oribus noſtris: malitia autem ſemper in cordibus noſtris; ac per hoc puto quod etiam ſi in nobis clamor deſineret, tamē malitia permaneret. *Sine*

Detractio.
Rom. 1.

Inuidia ſolum autorē perſequitur.

Epheſ. 4.

Phil. 2.

E

murmuratione quoque & *querela* nos Deus noſter eſſe præcepit. Quando hæc in humano genere non fuerunt? Si æſtus eſt, de ariditate cauſamur: ſi pluuia, de inundatione conquerimur. Si infœcundior annus eſt, accuſamus ſterilitatem: ſi fœcundior, vilitatem, adipiſci abundantiam cupimus, & eandem adepti accuſamus. Quid dici has re improbius, quid contumelioſius poteſt? etiam in hoc de miſericordia Dei querimur, quia tribuat quod rogamus. Abeſſe à ſeruis ſuis omne omnino, etiam oculorum ſcandalū Deus præcepit. Et ideo *ſi quis*, inquit, *viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Hinc intelligere plene poſſumus, quàm caſtos nos eſſe Saluator iuſſerit, qui etiam licentiam viſionis abſcidit. Sciens enim feneſtras quodammodo eſſe noſtrarum mentium, lumen oculorum; & omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quaſi per naturales cuniculos, introire: extinguere eas penitus foris voluit, ne intus orirentur: & letaliter creſcētibus fibris conualeſcerent fortaſſe in animo, ſi germinaſſent in viſu. Idcirco itaque ait Dominus, petulcos impudi-

Hominū murmur contra Deum.

Matth. 5.

Oculi ſunt feneſtræ mentis.

F

corum hominum intuitus noxa adulterij non carere: ſcilicet vt qui bona fide fugeret adulterium, cuſtodiret aſpectum. Perfectæ ſiquidē ac ſinceriſſimæ ſanctitatis volens cultores ſuos facere Saluator, iuſſit ab ijs cautiſſime etiam minima vitari: ſcilicet vt quàm pura eſt pupilla oculi, tam pura eſſet Chriſtiani hominis vita; & ſicut ſalua intuitus incolumitate, pulueris labem in ſe oculus non reciperet; ſic vita noſtra labem in ſe penitus impudicitiæ non haberet. Vnde eſt illud etiam quod in ſequentibus ait Dominus: *Si ſcandalizat te oculus tuus, erue eum. Et ſi ſcandalizat te manus tua, abſcinde eam*. Expedit tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Si igitur iuxta Dei verbum in gehennam ſcandalis trahimur, recte profecto vt gehennam vitare poſſimus, etiam manibus noſtris oculiſque multamur: non quod membris ſuis quis priuare ſe debeat, ſed quia tam neceſſariæ nobis ſunt quædam domeſticorum obſequiorum neceſſitudines, vt his quaſi oculis, inter-

Minima etiam vitanda.

Marc 9.

G

dum autem quaſi manibus vtamur, recte nobis præſentium miniſteriorum officia ſubtrahimus, ne æterni ignis tormenta patiamur. Vbi enim de miniſterio agitur, & vita, rectius profecto Chriſtiano eſt miniſterio carere quàm vita. Itaque cum in omnibus his quæ diximus, obedire nos ſibi Dominus noſter iuſſerit, vbi ſunt qui aut in vniuerſis mandatis Deo, aut certè vel in pauciſſimis obſequantur? vbi ſunt qui aut inimicos diligant, aut perſequentibus benefaciant, aut malos in bono vincant: qui maxillas cædentibus præbeant, qui ſpoliantibus res ſuas ſine lite concedant? Quis eſt apud quem delectationi penitus nihil liceat, qui conuitio ſuo neminem lædat, qui ſilentio os coerceat, ne in amaritudinem maledictionis erumpat? quis eſt qui faciat hæc minima? vt non dicam illa, de quibus diximus paulo ante, maiora. Quæ cum ita ſint; & cum à nobis nil penitus dominicæ iuſſionis fiat, quid eſt quod nos queramur de Deo, cum queri magis Deus de nobis omnibus poſſit.

H

Quæ ratio eſt vt doleamus nos non audiri à Deo, cum ipſi Deum non audiamus: & ſuſurremus non reſpici à Deo terras, cum ipſi non reſpiciamus ad cœlum: vt moleſtum ſit deſpici à Domino preces noſtras, cum præcepta eius deſpiciantur à nobis? Fac nos pares Domino noſtro eſſe: quis iuſtæ querimoniæ locus eſt, hoc pati quemque quod fecerit? ſaluo eo quod probare facile poſſum, nequaquam nos pati illa quæ facimus; & mitius multo nobiſcum Deum agere quam nos cum Deo. Sed interim tamen hac agamus lege qua cœpimus. Sic enim ipſe etiam Dominus dicit: *Clamaui ad vos, & non audiſtis me, & vos clamabitis ad me, & non exaudiam vos*. Quid enim dignius aut quid iuſtius? non audiuimus, non audimur: non reſpeximus, non reſpicimur. Quis rogo ex carnalibus dominis hac cum ſuis lege agere contentus eſt, vt contemnat tantummodo ſeruos ſuos, quia fuerit ab eis ipſe contemptus? quanquam nos non hac ſolum iniuria contemnamus Deum, qua contemni à ſeruis ſuis †curiales ſolent, quia ſeruorum hic contemptus eſt maximus, ſi non faciant quod iubetur. Porrò autem nos

Prou. 1.
Mich. 3.
Pſalm. 17.

†e male.

A

omni ſtudio, omni niſu, non ſolùm iuſſa non facimus, ſed contra id facimus quod iubemur. Iubet enim Deus, vt omnes nobis inuicem cari ſimus; omnes autem nos mutua infeſtatione laceramus. Iubet Deus, vt cuncti egentibus ſua tribuant: cuncti admodum aliena peruadunt. Iubet Deus, vt omnis qui Chriſtianus eſt, etiam oculos caſtos habeat: quotus quiſque eſt, qui non ſe luto fornicationis inuoluat? & quid plura? graue & luctuoſum eſt, quod dicturus ſum. Ipſa Dei eccleſia, quæ in omnibus eſſe debet placatrix Dei, quid eſt aliud quàm exacerbatrix Dei, aut præter pauciſſimos quoſdam, qui mala fugiunt, quid eſt aliud pene omnis cœtus Chriſtianorum, quàm ſentina vitiorum? Quotum enim quenque inuenies in eccleſia nõ aut ebrioſum, aut helluonem, aut adulterum, aut fornicatorem, aut raptorem, aut ganeonem, aut latronem, aut homicidam? & quod his omnibus peius eſt, propè hæc cuncta ſine fine. Interrogo enim Chriſtianorum omnium conſcientiam: ex his vel flagitijs, vel ſceleribus quæ nunc diximus, quotus quiſque hominum non aliquid eſt horum? aut quotus quiſque non totum? facilius quippe inuenias qui totum ſit, quàm qui nihil. Et

B

quod diximus nihil, nimis forſitan grauis videatur eſſe cenſuræ: plus multo dicam, facilius inuenias reos malorum omnium, quàm non omnium: facilius maiorum criminum, quàm minorum: id eſt, facilius qui & maiora crimina cum minoribus, quàm qui minora tantum ſine maioribus perpetrarint. In hanc enim morum probroſitatem propè omnis Eccleſiaſtica plebs redacta eſt, vt in cuncto populo Chriſtiano genus quodammodo ſanctitatis ſit, minus eſſe vitioſum. Itaque eccleſias, vel potius templa atque altaria Dei minoris reuerentiæ quidam habent, quàm cuiuſlibet minimi ac municipalis iudicis domum. Siquidem intra ianuas non modo illuſtrium poteſtatum, ſed etiam præſidum aut præpoſitorum, non omnes paſſim intrare præſumunt; niſi quos aut iudex vocauerit, aut negocium traxerit, aut ipſa honoris proprij dignitas introire

C

permiſerit: ita vt ſi quiſpiam fuerit inſolenter ingreſſus, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua verecundia atque exiſtimationis ſuæ labe multetur. In templa autem vel

Templorum contemptus.

potius in altaria atque in ſacraria Dei, paſſim omnes ſordidi ac flagitioſi ſine vlla penitus reuerentia ſacri honoris irrumpunt: non quia non omnes ad exorandum Deum currere debeant, ſed quia qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbãdum. Neque enim eiuſdem officij eſt, indulgentiam poſcere, & iracundiam prouocare. Nouum ſiquidem monſtri genus eſt: eadem pene omnes iugiter faciunt, quæ feciſſe ſe plangunt. Et qui intrant

Nouum monſtri genus.

eccleſiaſticam domum, vt mala antiqua defleant, exeunt, & quid dico exeunt? in ipſis penè hoc orationibus ſuis ac ſupplicationibus moliũtur. Aliud quippe ora hominum,

Oratio improborum.

aliud corda agunt: & dum verbis præterita mala plãgunt, ſenſu futura meditantur: ac ſic oratio eorum rixa eſt magis criminum, quàm exoratrix: vt vere illa in eis ſcripturæ maledictio compleatur; vt de oratione ipſa exeant condemnati, & oratiõ eorum fiat in peccatum. Denique

D

ſi vult quiſpiam ſcire quid in templo huiuſmodi homines cogitauerint, videat quid ſequatur. Siquidem conſummatis ſolemnibus ſacris, ſtatim ad conſuetudinaria omnes ſtudia diſcurrunt: alij ſcilicet vt furentur, alij vt inebrientur, alij vt fornicentur, alij vt latrocinentur: vt euidenter appareat hoc eos eſſe meditatos, dum intra templum ſunt, quod poſt quàm egreſſi fuerint exſequuntur. Sed videlicet hæc mala, & omnem vitiorum probroſitatem, quam ſupra dixi, ad ſeruos fortaſſe quidam & ad

Vitia ad ſeruos relegata.

abiectiſſimos quoſque homines referendam putant: cæterùm nomen ingenuum hac flagitiorum labe non pollui. Quid autem aliud eſt cunctorum negotiantium vita, quàm fraus atque periurium? Quid aliud curialium, quàm iniquitas? Quid aliud officialium, quàm calumnia? Quid aliud omnium militantium, quàm rapina? Sed putas forſitan, quod hoc etiam de perſonis iſtiuſmodi ferri poſſit. Hic eſt enim, inquis, eorum actus quæ & profeſſio: ac per hoc nihil mirum eſt, ſi agunt quod profitentur. Quaſi vero aut agere vllum Deus res malas velit aut profiteri; aut nulla ſit penitus ſacræ maieſtatis offenſa, ſi

De vita negotiatorum.

E

maximum ſcelus minores videantur agere perſonæ: præſertim cum in hac hominum multitudine maior multo ſit pars generis humani: & abſque dubio vbi maior eſt peccantium turba, maior eſt diuinitatis iniuria. Sed omnis, inquis, nobilitas ab his ſceleribus immunis eſt. Parùm eſt

Nobilitas

id quidem: quia non aliud videtur nobilitas in omni mundo, quàm vnus homo in grandi populo. Sed videamus tamen ſi vel ipſum parum ſit carens crimine: ac primum conſideremus quid de huiuſmodi hominibus dicat ſermo diuinus. Arguens quippe Apoſtolus Dei populum, ſic ait: *Audite fratres mei dilectiſſimi: Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni quod repromiſit Deus diligentibus ſe: vos autem exhonoraſtis pauperem. Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, nonne ipſi blaſphemant bonum nomen quod inuocatum eſt ſuper vos?* Graue hoc Apoſtoli teſtimonium eſt: niſi forte immunes ſe ab eo nobiles putent, quia ſunt ſoli diuites nominati. Sed aut ijdem ſunt

Iacob. 2.

nobiles, qui & diuites: aut ſi ſunt diuites præter nobiles, & ipſi tamen quaſi iam nobiles: quia tanta eſt miſeria huius temporis, vt nullus habeatur magis nobilis, quàm qui eſt plurimum diues. Sed ſiue de alterutris, ſiue de vtriſque Apoſtolus dixerit, facile de hoc componi poteſt:

Nullus habetur nobilis, niſi qui diues.

F

Non enim intereſt de qua hoc potiſſimum parte dictum ſit, quod vtrique certum eſt conuenire. Quis enim eſt vel nobilium omnino, vel diuitum, horrens crimina? quamuis in hoc fefellerim. Multi enim horrent, ſed pauciſſimi euitant. In alijs quippe horrent, quod in ſe ſemper admittunt, mirum in modum & accuſatores eorundem criminum & excuſatores. Execrantur publice, quod occultè agunt: ac per hoc dum damnare ſe cæteros putant, ipſos ſe magis propria animaduerſione condemnant. Sed relinquamus iſtos, qui magis rei ſunt. Quis eſt vel diues omnino vel nobilis, aut innocentiam ſeruans, aut à cunctis ſceleribus manus abſtinens? quanquam ſuperfluè à cunctis dixerim. Vtinam vel à maximis! quia volunt ſibi id forte maiores quaſi priuilegium vendicare, vt iure ſuo crimina vel minora committant. Itaque de peccatis facilioribus nihil dico. Videamus ſi vel à duobus illis quaſi

Nobiles eſſe flagitioſiſſimos.

G

capitalibus malis vllus immunis eſt: id eſt, vel ab homicidio, vel à ſtupro. Quis enim eſt aut humano ſanguine non cruentatus, aut cœnoſa impuritate nõ ſordidus? vnum quidem ex his ad pœnam æternam ſufficit, ſed prope nullus diuitum non vtrunque commiſit. Sed cogitat forte aliquis de hoc numero: Ego iam iſta non facio. Laudo ſi non facis, ſed tamen forte ante feciſti; & non eſt nunquam omnino feciſſe, facere ceſſaſſe. Quod ſi ita eſſet, quid proderat tamen vnum à ſcelere deſiſtere, & multos in ſceleribus permanere? Non ſanat vnius conuerſio crimina plurimorum: nec ſufficit ad placandum Deum quod vnus peccata deſerit; quem vniuerſitas totius humani generis offendit: præſertim cũ is qui conuertitur vt mortem æternam poſſit euadere, magnos profecto conuerſionis ſuæ fructus capiat ſi euadat, ne dum cõtingere ei poſſit, vt ab alijs pœnam damnationis auertat: quia & hoc intolerabilis ſuperbiæ atque immanis piaculi crimen eſt, ſi tam bonum ſe aliquis eſſe credat, vt etiam malos exiſti-

H

met per ſe poſſe ſaluari. Loquens Deus de terra quadam vel de populo peccatore, ſic dicit: *Si fuerint tres viri in medio eius, Noe, & Daniel, & Iob, non liberabunt filios & filias: ipſi ſoli ſalui erunt.* Neminem tamen reor tam impudentem fore, qui ſe his talibus viris audeat comparare: quia quamuis placere nunc aliquis Deo ſtudeat, hoc ipſum tamen genus maximæ iniuſtitiæ eſt, ſi ſe iuſtum præſumat: ac per hoc ſublata eſt omnis ſpes falſæ opinionis, qua credamus innumeram perditorum hominum multitudinem ſuffragio paucorum bonorum à præſentibus malis poſſe defendi. Cum enim nullus illis quos ſupra diximus par ſit; quæ eſſe ſpes vllis poteſt, quod liberari & extranei, & innumeri, & mali à pauciſſimis bonis poſſint? cum illi familiariſſimi Deo ſancti ne hoc quidem à Domino promeruerint, vt in filijs ſuis vel ſua membra ſaluarent: & rectè. Nam licet omnes admodum filij membra parentum eſſe videantur, non putandi ſunt tamen membra eorum eſſe à quibus affectu cœperint diſcrepare: quia morum degenerantium prauitate pereunt

Ezech. 14.

Innumeros perditos non poſſe ſuffragijs paucorũ bonorum ſubleuari

in tali-

A Chriſtianorum nomen.

in talibus beneficia naturæ. Quo fit vt etiam nos qui nos Chriſtianos eſſe dicimus, perdamus vim tanti nominis, vitio prauitatis. Omnino enim nihil prodeſt nomen ſanctum habere ſine moribus: quia vita à profeſſione diſcordans, abrogat illuſtris tituli honorem, per indignorum actuum vilitatem. Vnde cum pene nullam Chriſtianorum omnium partem, pene nullum eccleſiarum omnium angulum non plenum omni offenſione, & omni letalium peccatorũ labe videamus; quid eſt in quo nobis de Chriſtiano nomine blandiamur? Cum vtique hoc ipſo magis per nomen ſacratiſſimum rei ſimus, qui à ſancto nomine diſcrepamus. Nam & ideo plus ſub religionis titulo Deũ ludimus, quia potiùs in religione peccamus.

Explicit liber III.

B

INCIPIT LIBER QVARTVS.

Chriſtiani qui.

Diſceditur itaque ab illa, quam ſupra diximus, Chriſtiani nominis prærogatiua, vt putemus quia ſumus cunctis gentibus religioſiores, debere nos eſſe etiam fortiores. Nam cum, vt diximus, hoc ſit hominis Chriſtiani fides, fideliter Chriſti mandata ſeruare; fit abſque dubio, vt nec fidem habeat qui infidelis eſt; nec Chriſtum credat, qui Chriſti mandata conculcat: ac per hoc totum in id reuoluitur, vt qui Chriſtiani nominis opus non agit, Chriſtianus non eſſe videatur. Nomen enim ſine actu atque officio ſuo nihil eſt. Nam ſicut ait quidã in ſcriptis ſuis: Quid eſt aliud principatus ſine meritorum ſublimitate, niſi honoris titulus ſine homine, aut quid eſt dignitas in indigno niſi ornamentum in luto? Itaque vt ipſorum verbis etiam nos vtamur, quid eſt aliud ſanctum vocabulum ſine merito, niſi ornamentum in luto? Sicut etiam per diuinas literas ſacer ſermo teſtatus eſt, dicens: *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua.* Et in nobis itaque Chriſtianum vocabulum, quaſi aureum decus eſt: quo ſi indignè vtimur, fit vt ſues cum ornamento eſſe videamur. Denique qui vult plenius ſcire, vocabula nihil eſſe ſine rebus, reſpiciat quomodo innumerabiles populi ceſſantibus meritis etiam nomina perdiderunt. Duodecim Hebræorum tribus cum electæ quondam à Deo eſſent, duo nomina ſacroſancta acceperunt: populus enim Dei, & Iſrael appellatæ ſunt. Sic quippe legimus: *Audi populus meus, & loquar: Iſrael, & teſtificabor tibi.* Ergo Iudæi aliquando vtrunque, nunc neutrum. Nam nec Dei populus dici poteſt, qui cultum Dei iam olim reliquit: nec videns Deum, qui Dei filium denegauit, ſicut ſcriptum eſt: *Iſrael vero me non cognouit, & populus me non intellexit.* Propter quod etiam alibi Deus noſter de Iudæorum plebe loquitur ad prophetam, dicens: *Voca nomen eius* non dilecta. Et iterum ad Iudæos ipſos: *Vos non eſtis populus meus, & ego non ero Deus veſter.* Cur autem hoc de eis ipſe diceret, alibi euidenter oſtendit. Sic quippe ait: *Dereliquerunt venam aquæ viuentium, Dominum.* Et iterum: *Verbum*, inquit, *Domini proiecerunt, & ſapientia nulla eſt in illis.* Quod quidem nimio ne non magis tunc de eis dici potuerit, quàm de nobis nunc dici poſſit: quia nec verbis dominicis obtemperamus, & qui verbis Domini non obſequimur, ſapientiam profectò in nobis penitus non habemus: niſi forſitan credimus ſapienter nos Deum ſpernere. Et hoc ipſum quod Chriſti mandata contemnimus, ſummam prudentiam iudicamus. Eſt quidem cauſa cur hoc ita exiſtimare credamur. Nam tanto conſenſu omnes peccata ſequimur, quaſi ſummi conſilij conſpiratione peccemus. Quæ cum ita ſint, quæ ratio eſt, vt ipſi nos falſa opinione fallamus, exiſtimantes ſcilicet quia Chriſtiani eſſe dicamur, quod opitulari nobis inter mala quæ agimus, nomen bonum poſſit: cum Spiritus ſanctus nec fidem quidem dicat hominibus Chriſtianis ſine operibus bonis poſſe prodeſſe. &

Nõ credit in Chriſtũ fide viua, quæ per charitatẽ operatur, alioquin etſi mortuam, verã tamen fidem peccant fidelis retinet.

C

Prou. 11.

Pſalm. 49

Eſai. 1.

D

Hier. 2 & 8.

Fides ſine operibus non iuſtificat actu.

Plus eſt habere fidem quã nomen.

E

vtique multo plus eſt fidem habere quàm nomen; quia nomen eſt vocabulum hominis, fides autem fructus eſt mentis. Et tamen hunc ipſum fidei fructum infructuoſum Apoſtolus ſine operibus bonis eſſe teſtatur, dicens: *Fides ſine operibus bonis mortua eſt.* Et iterum: *Sicut enim corpus ſine ſpiritu, ſic fides ſine operibus mortua eſt*: addit quoque aſperiora quædam ad confundendos eos, qui ſibi præſumptione Chriſtianæ fidei blandiuntur. Sed dicet aliquis: *Tu fidem habes, & ego opera habeo. Oſtende mihi ſine operibus fidem tuam, & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam.* Quo vtique hoc indicat, actus bonos, Chriſtianæ fidei quaſi teſtes eſſe: quia Chriſtianus niſi opera bona fecerit, fidem ſuam penitus approbare non poſſit: ac per hoc quod probare non valeat quia ſit, ſic omnino habendum eſſe quaſi non ſit. Nam quam pro nullo hoc habendum exiſtimaret, in ſubditis ſtatim ipſe demonſtrat, dicens ad Chriſtianum: *Tu credis quia vnus eſt Deus, bene facis, & dæmones credunt & contremiſcunt.* Conſideremus quid voluerit hoc loco Apoſtolus dicere: ne iraſcamur diuinis teſtimonijs, ſed acquieſcamus: ne contradicamus, ſed proficiamus. *Tu credis*, inquit ad Chriſtianum ſermo diuinus, *quod Deus vnus eſt, bene facis: & dæmones credunt, & contremiſcunt.* Nunquid errauit Apoſtolus, vt hominis Chriſtiani fidem dæmoni compararet, non vtique: ſed oſtendere illud volens quod ſupradictum eſt; quia ſine operib. bonis nihil ſibi per fidei ſupercilium vſurpare deberet. Idcirco autem à dæmonibus Deum credi, ſcilicet, vt ſicut dæmones cum eſſe Deum credunt, tamen in peruerſitate perdurant: ita & quoſdam homines quaſi credulitatem dæmoniacam habere; qui cum ſe Deum credere affectant, tamen à malo opere non ceſſant. Subiungit autem ad pudorem & condemnationem hominum peccatorum; non credere ſolum dæmones Dei nomen, ſed etiam timere & contremiſcere, hoc eſt dicere: Quid tibi blandiris ô homo quiſquis es credulitate, quæ ſine timore atque obſequio Dei nulla eſt? aliquid plus dæmones habent. Tu enim vnam rem habes tantummodo, illi duas. Tu credulitatem habes, non habes timorem: illi & credulitatem habent pariter & timorem. Quid miraris ergo ſi cædimur, quid miraris ſi caſtigamur, ſi in ius hoſtium tradimur, ſi infirmiores omnibus ſumus? ſiue miſeriæ noſtræ, ſiue infirmitates, ſiue euerſiones, ſiue captiuitates, & pœnæ improbæ ſeruitutes, teſtimonia ſunt mali ſerui & boni domini. Quomodo mali ſerui? quia patior ſcilicet vel ex parte quod mereor. Quomodo boni domini? quia oſtendit quid mereamur: etſi non irrogat quæ mereamur, clementiſſima enim ac benigniſſima caſtigatione mauult nos corrigere quam perire. Nos ſiquidem quantum ad crimina noſtra pertinet, letalibus ſupplicijs digni ſumus: ſed ille plus miſericordiæ tribuens quam ſeueritati, mauult nos clementis cenſuræ temperamento emendare, quam plaga iuſtæ correctionis occidere. Ingratum nobis eſſe quod cædimur, ſatis certus ſum. Sed quid miramur, ſi peccantes nos Deus verberat, cum ipſi peccantes ſeruulos verberemus? Iniuſti iudices ſumus: homunculos nos flagellari à Deo nolumus, cum ipſi conditionis noſtræ homines flagellemus. Sed nec miror, quod tam iniqui in hac re ſumus: natura in nobis & nequitia ſeruilis eſt, volumus delinquere, & nolumus verberari. Ipſi in nobis mores ſunt qui in ſeruulis noſtris, omnes volumus impune peccare. Denique ſi mentior, cunctos conſulo. Nego vllum eſſe quamlibet magni criminis reum, qui ſe acquieſcat debere torqueri. Hinc ergo cognoſci poteſt, quàm iniqui & praui ſumus: alijs ſeueriſſimi ſumus, nobis indulgentiſſimi: alijs aſperi, nobis remiſſi. In eodem crimine punimus alios, nos abſoluimus. Intolerabilis prorſus & contumaciæ, & præſumptionis: nec agnoſcere volumus in nobis reatum, & audemus de alijs vſurpare iudicium. Quid eſſe iniuſtius nobis, aut quid peruerſius poteſt? Idipſum ſcelus in nobis probabile eſſe ducim⁹, quod in alijs ſeueriſſime vindicamus. Et ideo nõ ſine cauſa ad nos Apoſtol⁹ clamat: *Propter quod inexcuſabilis es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim aliũ iudicas, teipſum iudicas. Eadem enim agis quæ iudicas.* Sed nõ eadem,

Iacob. 2.

Iacob. 2.

Ibidem.

F

Credulitas dæmoniorum.

G

Tribulationes patienter ferendæ.

H

Hominũ iniquitas.

Rom. 2.

inquit,

A In diuites

inquit aliquis ex diuitibus, non eadem, nos agimus quæ ſerui agunt. Ex ſeruis enim fures ac fugitiui ſunt: ex ſeruis enim gulæ ac iugiter ventri ſeruientes. Verum eſt eſſe hæc vitia ſeruorum, ſed plura tamen ſunt ac maiora dominorum, quamuis non omnium. Excipiendi enim quidam ſunt, ſed pauciſſimi: quos ideo non nomino, ne non tam eos nominando laudare, quàm alios non nominando videar publicare. Ac primum ſerui ſi fures ſunt, ad furandum forſitan egeſtate coguntur: quia etiam ſi eis ſtipendia vſitata præſtentur, conſuetudini hæc magis quàm ſufficientiæ ſatisfaciunt: & ita implent canonem, quod non expleant ſatietatem. Ac per hoc culpam ipſam inopia minus culpabilem facit; quia excuſabilis furti reus eſt, qui ad furtum cogi videtur inuitus. Nam & ſcriptura eccleſiaſtica quaſi ſubexcuſare quodammodo miſerorum omnium noxas videtur, dicens: *Non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim vt eſurientem impleat animam.* In Salomone furatur, vt expleat animam ſuam: ac per hoc non ſatis à nobis accuſandi ſunt, qui diuino ſermone excuſantur.

Prouer. 6.

B Seruorũ furta.

Quod autem de furtis ſeruorum dicimus, hoc etiam de fuga: immo hoc rectius de fuga, quia ad fugam ſeruos non miſeriæ tantum, ſed etiam ſupplicia compellunt. Pauent quippe actores, pauent ſilentiarios, pauent procuratores: prope vt inter iſtos omnes nullorum minus ſerui ſint, quàm dominorum ſuorum: ab omnibus cæduntur, ab omnibus conteruntur. Quid amplius dici poteſt? multi ſeruorum ad dominos ſuos fugiunt, dum conſeruos timent. Vnde illorum fugam nõ tam ad eos debemus referre qui fugiunt, quàm ad eos qui fugere compellunt. Vim patiuntur infeliciſſimi, famulari optant, & fugere coguntur: diſcedere à ſeruitio dominorum ſuorum omnino nolunt, & conſeruorum ſuorum crudelitate non permittuntur vt ſeruiant.

Seruorũ mendacia

Mendaces quoque eſſe dicuntur. Ad mendacium atrocitate præſentis ſupplicij coarctantur. Siquidem dum tormentis ſe volunt eximere mentiuntur. Quid autem mirum eſt, ſi poſitus in metu ſeruus mentiri mauult quàm flagellari? Accuſantur etiam gulæ & ventris auidi: nec hoc nouum eſt, magis deſiderat ſaturitatem, qui famem ſæpe tolerauit. Sed eſto, non perferat famem panis, perfert certe deliciarum: & ideo ignoſcendum eſt, ſi auidius expetit quod ei iugiter deeſt.

C

In nobiles & diuites.

Tu vero nobilis, tu vero diues, qui omnibus bonis affluis, qui hoc ipſo Deum ſanctis operibus honorare plus debes, quod beneficijs illius ſine ceſſatione perfrueris: videamus ſi actus, non dico ſanctos, ſed vel innoxios habes. Et quis, vt ſuperius dixi, diuitum præter paucos non cunctis criminibus infectus eſt? Et quod paucos excipio, vtinam plures atque omnes excipi liceret. Salus erat omniũ, innocentia plurimorum. Neque ego nunc de vllo dico, niſi de eo tantum, qui in ſe id quod dico eſſe cognoſcit. Si enim extra conſcientiam ſuam ſunt quæcunque dico, nequaquam ad iniuriam eius ſpectant cuncta quæ dico. Si autem in ſe eſſe nouit quæ loquor, non à mea ſibi hoc lingua dici æſtimet, ſed à conſcientia ſua. Ac primum vt de vitijs ſeruilibus dicam, ſi fugitiuus & ſeruus, fugitiuus es etiam tu diues ac nobilis. Omnes enim dominum ſuum fugiunt, qui legem Domini derelinquunt. Quid ergo diues culpas in ſeruo? hoc facis quod & ille. Ille fugitiuus eſt domini ſui, & tu tui. Sed hoc culpabilior tu quàm ille: quia ille fugit forſitan malum dominum, & tu bonum.

D

Diuitum incontinentia.

Incontinentiam quoque in ſeruo arguis, in illo rara eſt per indigentiam, in te quotidiana per copiam. Vides ergo Apoſtolica ſententia te potiſſimum verberari: immo te ſolum, quia in quo alium iudicas, temetipſum condemnas? eadem enim agis, quæ iudicas: immo non eadem agis, ſed multo maiora ac nequiora. In illo quippe etiam infrequentem ventris intemperantiam punis, & tu aſſidua cruditate diſtenderis.

Diuitum furtum.

Furtum quoque, vt putas, ſeruile vitium eſt: & tu furtum diues facis, quando à Deo vetita præſumis. Omnes ſiquidem furta faciunt, qui illicita cõmittunt. Sed quid ego tam minute, & quaſi allegorice de hoc loquor: cùm facinoribus apertiſſimis non furta tantum diuitum, ſed latrocinia comprobentur? Quotus quiſque enim iuxta diuitem pauper, aut * intactus, aut tutus eſt? Siquidem peruaſionibus præpotentum, aut ſua

* auct.* aũt ſtatutus.

homines imbecilli, aut etiam ſeipſos cũ ſuis pariter amittunt, vt non immerito de vtriuſque perſonis ſacer ſermo teſtatus ſit, dicẽs: *Venatio leonis onager in eremo, ſic paſcua ſunt diuitum pauperes.* Quamuis tyrannidem hanc non pauperes tantum, ſed pene vniuerſitas patiatur generis humani.

E

Eccl. 13.

Dignitas ſublimiũ.

Quid enim omniũ aliud dignitas ſublimium, quam proſcriptio ciuitatum: aut quid aliud quorundam, quos taceo, præfectura, quàm præda? Nulla ſiquidẽ maior pauperculorũ eſt depopulatio, quàm poteſtas. Ad hoc enim honor à paucis emitur, vt cunctorum vaſtatione ſoluatur. Quo quid eſſe indignius, quid iniquius poteſt? Reddunt miſeri dignitatum pretia quas non emunt. Commercium neſciunt, & ſolutionem ſciunt, vt pauci illuſtrẽtur, mundus euertitur. Vnius honor, orbis excidium eſt. Denique ſciunt hoc Hiſpaniæ, quibus ſolum nomen relictum eſt: ſciunt Africæ, quæ fuerunt, ſciunt Galliæ deuaſtatæ, ſed non ab omnibus, & ideo in pauciſſimis adhuc angulis vel tenuem ſpiritum agentes: quia eas interdum paucorum integritas aluit, quas multorum rapina euacuauit.

F

Sed euagati longius ſumus dolore compulſi. Ergo vt ad ſuperiora redeamus, quid eſt in quo non ſeruilibus vitijs etiam nobiles polluantur: niſi forte ideo, quia illa quæ in ſeruis peccata puniunt, ipſi quaſi licita committunt. Denique ad has peruaſiones, quas ſupradicti nobiles agunt, ſeruus nec aſpirare permittitur: quamuis mentiar. Quidam enim ex ſeruis nobiles facti, aut paria, aut maiora fecerunt. Sed hoc tamen imputari ſeruis nequaquam poteſt, quod quibuſdam ſeruilis conditio tam feliciter ceſſit.

Homicidia diuitũ

Homicidia quoque in ſeruis rara ſunt terrore ac metu mortis. In diuitibus aſſidua ſpe ac fiducia impunitatis, niſi forte iniqui ſumus, hoc quod diuites faciunt ad peccatum referendo: quia illi cum occidunt ſeruulos ſuos, ius putant eſſe, non crimen. Nec hoc ſolum, ſed eodem priuilegio etiam in exercendo impudicitiæ cœno abutuntur.

Diuites impuriſſimi.

G

Quotus enim quiſque eſt diuitum connubij ſacramenta conſeruans, quem non libidinis furor rapiat in præceps? cui non domus ac familia ſua ſcortum ſit? & qui non in quamcunque perſonam cupiditatis improbæ calor traxerit, mentis ſequatur inſania? ſecundum illud ſcilicet quod de talibus dicit ſermo diuinus: *Equi inſanientes in fœminas facti ſunt.*

Hiere. 5.

Quid enim aliud, quàm de ſe dictum hoc probat, qui totum perſuadere vult concubitu, quicquid concupierit aſpectu? Nam de concubinis quippiam dici forſitan etiam iniuſtum eſſe videatur: quia hoc in comparatione ſupradictorum flagitiorum quaſi genus eſt caſtitatis, vxoribus paucis eſſe contentum, & intra certum coniugum numerum frenos libidinum continere. Coniugum dixi, quia ad tantam res impudentiam venit, vt ancillas ſuas multi vxores putent: atque vtinam ſicut putantur eſſe quaſi coniuges, ita ſolæ haberentur vxores.

Diuites mariti adulteri ancillarũ.

Illud magis tetrum ac deteſtabile, quod quidam matrimonia honorata ſortiti, alias ſibi rurſum ſeruilis ſtatus coniuges ſumunt, deformantes ſancti connubij honorem, per degeneris contubernij vilitatem; non erubeſcentes maritos ſe fieri ancillarum ſuarum; præcipitantes faſtigium nobilium matrimoniorum, in cubilia obſcœna ſeruarum: digni prorſus etiam illarum ſtatũ, quarum ſe putant dignos eſſe conſortio.

H

Non dubito ex ijs plurimos, quia aut ſunt nobiles, aut videri nobiles volunt, ſuperbe & aſpernanter accipere: quod dum conſideramus hæc talia quæ locuti ſumus, minus flagitioſos diximus ſeruos quoſdam eſſe quàm dominos. Sed cum hoc ego non de omnibus, ſed de his qui tales ſunt prædicauerim, nullus iraſci omnino debet, qui nequaquam ſe talem eſſe cognoſcit: ne hoc ipſo quod iraſcitur, de cœtu ipſorum eſſe videatur. Quin potius quicunque ex nobilibus hæc mala horrent, iraſci talibus debent, quod facinoribus ſordidiſſimis nobilitatis nomen infament: quia licet hi qui tales ſunt, omnem grauent populum Chriſtianum; ſpecialiter tamen illos ſordibus ſuis polluunt, quorum pars eſſe dicuntur. Diximus itaque nobiles quoſdam eſſe ſeruis deteriores. Diximus vtique, & improbabiliter diximus, niſi quod diximus, comprobamus. Ecce enim ab hoc ſcelere, vel maximo prope omnis ſeruorum numerus immunis eſt.

A

Numquid enim aliquis ex ſeruis turbas concubinarū habet? numquid multarum vxorum labe polluitur: vt canum vel ſuum more tantas putet coniuges ſuas eſſe, quantas potuerit libidini ſubiugare? Sed reſpōderi videl. ad hæc poteſt, quod facere ſeruis iſta non liceat. Nam profectò facerent ſi liceret. Credo, ſed quæ fieri non video, quaſi facta habere non poſſum. Quamlibet enim in eis improbæ mentes, quamlibet malæ cupiditates ſint, nullus pro eo quod non admittit ſcelere punitur. Malos eſſe ſeruos ac deteſtabiles ſatis certum eſt: ſed hoc vtiq; ingenui ac nobiles magis execrandi, ſi in ſtatu honeſtiore peiores ſunt. Quo fit, vt ad illum perueniri exitum rei huius neceſſe ſit, non vt ſerui ſint à reatu nequitiæ ſuæ abſoluendi, ſed vt plurimi diuites magis ſint ſeruorum comparatione damnandi. Nam illud latrocinium ac ſcelus quis digne eloqui poſſit, quod cum Romana Reſpublica vel iam mortua, vel certe extremum ſpiritum agens, in ea parte qua adhuc viuere videtur, tributorum vinculis, quaſi prædonum manibus ſtrangulata moriatur: inueniuntur tamen plurimi diuitum, quorum tributa pauperes ferunt; hoc eſt, inueniuntur plurimi diuitum, quorū tributa pauperes necant, & quod inueniri dicimus, plurimos: imò ne verius diceremus omnes. Tam pauci enim mali huius expertes ſunt, ſi tamen vlli ſunt; vt in ea parte qua multos diximus, omnes pene diuites reperire poſſimus. Ecce enim remedia pridem nonnullis vrbib. data, quid aliud egerunt, quàm vt diuites cunctos immunes redderent, miſerorum tributa cumularent: vt illis demerentur vectigalia vetera, iſtis vt adderentur noua: illos vt deceſſio etiam minimarum functionum locupletaret, iſtos vt acceſſio maximarum affligeret? Illi vt eorum quæ leuiter ferebant imminutione diteſcerent, iſti vt eorum quæ etiam ferre non poterant multiplicatione morerentur: ac ſic remedium illud alios iniuſtiſſime erigeret, alios iniuſtiſſime necaret: aliis eſſet ſceleratiſſimum præmium, aliis ſceleratiſſimum venenum. Vnde aduertimus, quod nihil eſſe & diuitibus ſceleratius poteſt, qui remediis ſuis pauperes perimunt: & nihil pauperibus infelicius, quos etiam iſta quæ pro remedio cunctis dantur occidunt. Iam vero illud quale, quàm ſanctum, quod ſi quis ex nobilibus conuerti ad Deum cœperit, ſtatim honorem nobilitatis amittit: aut quantus in Chriſtiano populo honor Chriſti eſt, vbi religio ignobilem facit? Statim enim vt quis melior eſſe tentauerit, deterioris abiectione calcatur: ac per hoc omnes quodammodo mali eſſe coguntur, ne viles habeantur. Et ideo non ſine cauſa Apoſtolus clamat: *Seculum totum in malo poſitum eſt*: & verum eſt. Merito enim totum eſſe in malo dicitur, vbi boni locum habere non poſſunt. Siquidem ita totum iniquitatibus plenum eſt, vt aut mali ſint qui ſunt: aut qui boni ſunt, multorum perſecutione crucientur. Itaque ſicut diximus, ſi honoratior quiſpiam religioni ſe applicuerit, illico honoratus eſſe deſiſtit. Vbi enim quis mutauerit veſtem, mutat protinus dignitatem. Si fuerit ſublimis, fit deſpicabilis. Si fuerit ſplendidiſſimus, fit viliſſimus. Si fuerit totus honoris, fit totus iniuriæ. Et mirantur mundani quidam infideles, ſi offenſam Dei aut iracundiam perferunt, vbi Deum in ſanctis omnibus perſequuntur. Peruerſa enim ſunt, & in diuerſum cuncta mutata. Si bonus eſt quiſpiam, quaſi malus ſpernitur. Si malus eſt, quaſi bonus honoratur. Nihil itaque mirum eſt ſi deteriora quotidie patimur, qui quotidie deteriores ſumus. Et noua enim quotidie mala faciunt, & vetera non relinquunt. Surgunt recentia crimina, nec repudiantur antiqua. Quis ergo eſt cauſationis locus? quamlibet aſpera & aduerſa patiamur, minora patimur quàm meremur. Quid querimur, quod durè agat nobiſcum Deus? multo nos cum Deo durius agimus. Exacerbamus quippe Deum impuritatibus noſtris, & ad puniendos nos trahimus inuitum. Cumque eius naturæ ſit mens Dei atque maieſtas, vt nulla iracundiæ paſſione moueatur, tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio eſt, vt per nos cogatur iraſci. Vim, vt ita dixerim, facimus pietati ſuæ, ac manus quodammodo afferimus miſericordiæ ſuæ. Cumq; eius benignitatis ſit, vt velit nobis iugiter parcere, cogitur malis noſtris ſcelera quæ admittimus vindicare. Ac ſicuti illi ſolent, qui munitiſſimas vrbes obſident, aut firmiſſimas arces vrbiū capere & ſubruere conantur, omnibus abſq; dubio eas & telorum & machinarum generibus oppugnant: ita nos ad expugnandam miſericordiam Dei, omni peccatorum immanium ſcelere, quaſi omni telorum genere pugnamus; & iniurioſum nobis Deum exiſtimamus, cum ipſi iniurioſiſſimi Deo ſimus. Omnis ſiquidem Chriſtianorum omnium culpa, diuinitatis iniuria eſt. Nam cum illa quæ facere à Deo vetamur admittimus, vetantis iuſſa calcamus; ac per hoc impie in calamitatibus noſtris ſeueritatem diuinam accuſamus. Nos quippe nobis accuſandi ſumus. Nam cum ea quibus torqueamur admittimus, ipſi tormentorum noſtrorum autores ſumus. Quid ergo de pœnarum acerbitate querimur? vnuſquiſq; noſtrum ipſe ſe punit. Et ideo illud propheticum ad nos dicitur: *Ecce omnes vos ignem accenditis, & vires præbetis flammæ, ingredimini in lucem ignis veſtri, & flammæ quam accendiſtis.* Totum namque humanum genus hoc ordine in pœnam æternam ruit, quo ſcriptura memorauit. Primum enim accendit, poſtea vires ignibus præbet, poſtremo flammam ingreditur quam parauit. Quando igitur primum ſibi homo æternum accendit ignem? ſcilicet cum primum peccare incipit. Quando autem vires ignibus præbet? cum vtique peccatis peccata cumulauit. Quando vero ignem æternum introibit? Quando irremediabilem iam malorum omnium ſummam creſcentium delictorum iniquitate compleuerit, ſicut Saluator noſter ad Iudæos principes ait: *Implete menſuram patrum veſtrorum, ſerpentes, progenies viperarum.* Non longe à plenitudine peccatorum erant, quibus ipſe dicebat Dominus, vt peccata complerent. Ideo abſq; dubio, vt quia digni iam ſalute non eſſent, implerent iniquitatum numerum, quo perirent. Vnde etiam cum lex vetus peccata Amorrheorum completa eſſe memoraſſet, ſic locutos eſſe ad Sanctum Loth Angelos refert: *Omnes qui tui ſunt, educ de vrbe hac, delebimus enim locum iſtum, eo quod increuerit clamor eorum coram Domino, qui miſit nos, vt perdamus illos.* Diu profectò flagitioſiſſimus ille populus ignem illum accenderat quo peribat. Et ideo completis iniquitatibus ſuis, arſit flammis criminum ſuorum. Tam male enim de Deo meruit, vt gehennam, quæ in futuro iudicio datur, etiam in hoc ſeculo ſuſtineret. Sed nulli ſunt, inquit aliquis, illorum exitu digni: quia nulli illorum impuritatibus comparandi. Verum fortaſſis eſt, vt ſit: attamen quid facimus quod Saluator ipſe omnes qui Euangelium ſuum ſpreuerunt, peiores eſſe memorauit? Denique ad Capharnaum ſic ait: *Si in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent in hunc diem. Veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remiſſius erit in die iudicij, quàm tibi.* Si Sodomitas minus eſſe dicit damnabiles, quàm cunctos Euangelia negligentes; certiſſima ergo ratio eſt, qua & nos qui in plurimis Euangelia negligimus, peius timere aliquando debeamus: præſertim cum vſitatis iam & quaſi facilioribus malis contenti eſſe nolumus. Non ſufficiunt enim multis conſuetudinarij reatus, non ſufficiunt lites, non rapinæ, non calumniæ, non ſufficiunt vinolentiæ, non ſufficiunt comeſſationes, non ſufficiunt falſitates, non ſufficiunt periuria, non ſufficiunt adulteria, non ſufficiunt homicidia, non ſufficiunt deniq; cuncta iſta, & ſit atrocitate inhumaniſſima, re tamen ipſa ad humanas iniurias pertinentia; niſi blaſphemia furioſarum mentium manus iniiciant etiam in Deum. *Poſuerunt* enim, ſicut de impiis ſcriptum eſt, *in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiit in terram, & dixerunt: Quomodo ſcibit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo?* Et illud: *Non videbit, nec intelliget Deus Iacob.* Ad quos vtique tales rectiſſime propheticum illud referri poteſt: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Nam qui nihil aſpici à Deo affirmant, prope eſt vt cui aſpectum adimunt, etiam ſubſtantiam tollant: vt quem dicunt omnino nil cernere, omnino etiam non eſſe. Et quidem licet nullum admodum

Tributorū vincula ſeruos pauperes pro diuitibus.

B

Remedia vrbibus data per pauperum vectigalia.

C

Religione fieri ignobiles.

1 Ioan. 5.

D

Bonos cōtemni.

De publicis calamitatibus.

E

Diuinitatis iniuria.

Eſa. 50.

Homines quò ordine in pœnam ruant.

F

Matth. 23.

Gen. 19.

G

Euāgelij contemptores.

Luc. 10.

H

Pſal. 72.

& 93.

Pſalm. 52.

Nullum malum ra-

A malum facinus ratione ſubſiſtat, quia rationi non poſſunt ſcelera coniungi: nullum tamen eſt, vt puto, vel irrationabilius, vel inſanius. Quid enim tam furioſum eſt, quàm vt aliquis cum Deum creatorem rerum omnium non neget, & gubernatorem neget: & cum factorem eſſe fateatur, dicat negligere quæ fecit: quaſi vero hæc ei faciendarum omnium cura fuerit, vt negligeret quæ feciſſet. Ego autem intantum eum curam creaturarum ſuarum habere dico, vt probem priuſquàm etiam crearet habuiſſe. Res quippe ipſa hoc euidenter oſtendit. Nihil enim faceret, niſi curam faciendi habuiſſet antequàm faceret: præſertim cum etiam in ipſo humano genere nullus ſit fermè hominum tam hebes, qui ad hoc aliquid agat atque perficiat, atque perfecta non curet. Nam & qui agrum excolit, ad hoc colit, vt culta conſeruet: & qui vineam plantat, ad hoc plantat, vt plantatam cuſtodiat. Et qui initia gregum præparat, ad hoc parat, vt curam multiplicandis gregibus impendat. Et qui domum ædificat, vel fundamentum locat, & ſi necdum habitationem paratam habeat,

[Margin: ratione ſubſiſtit.]

[Margin: Deus priuſquam crearet, curam creaturarum habuit.]

B iam tamen ipſa quæ adhuc facere molitur, ſpe futuræ habitationis amplectitur. Et quid de homine hoc loquar, cum etiam minima animalium genera futurarum rerum affectum omnia diligant. Formicæ in ſubterraneis latibulis varia frugum genera condentes, ad hoc cuncta contrahunt ac reponunt: quia affectum vitæ ſuæ diligunt quæ recondunt. Apes, cum fundamina fauis ponunt, vel cum è floribus ortos legunt, qua cauſa vel thymum, iam niſi ſtudio & cupiditate mellis; vel floſculos quoſdam, niſi futuræ ſobolis charitate ſectantur? Deus ergo qui etiam minimis animantibus hunc affectum proprij operis inſeruit, ſe tantummodo ſolum creaturarum ſuarum amore priuauit? Præſertim cum omnis in nos rerum bonarum amor, ex illius bono amore deſcenderit. Ipſe

Act. 17. eſt enim fons & origo cunctorum: & quia *in ipſo*, vt

C ſcriptum eſt, *& viuimus & mouemur & ſumus*, ab ipſo vtique affectum omnem quo pignora noſtra amamus accepimus. Totus namque mundus, & totum humanum genus, pignus eſt creatoris ſui. Et ideo ex hoc quoque affectu, quo amare nos fecit pignora noſtra, intelligere nos voluit quantum ipſe amaret pignora ſua.

Rom. 1. Sicut enim, vt legimus, *inuiſibilia eius per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*: ita amorem erga nos ſuum, per eum quem nobis erga noſtros dedit amorem, voluit

Epheſ. 3. intelligi. Et ſicut *omnem*, vt ſcriptum eſt, *paternitatem in cælo & in terra à ſe ipſo* voluit *nominari*, ſic à nobis patris in ſe affectum voluit cognoſci. Et quid dicam patris, imò potius plus quàm patris. Probat quippe

Ioan. 3. hoc vox ſaluatoris in Euangelio dicentis: *Sic Deus dilexit hunc mundum, vt filium ſuum vnicum daret pro mundi vita.* Sed & Apoſtolus dicit: *Deus*, inquit, *filio ſuo*

Rom. 8. *non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo nobis omnia donauit?* Hoc eſt ergo illud quod ſupra dixi, quia plus nos amat Deus quàm filium pater. Euidens quippe res eſt, quod ſuper affectum filiorum nos Deus diligit, qui propter nos filio non pepercit. Et quid plus addo? & hoc filio iuſto, & hoc filio vnigenito, & hoc filio Deo. Et quid dici amplius poteſt? & hoc pro nobis, id eſt, pro malis, pro

[Margin: Plus nos amat De⁹, quàm fili⁹ pater.]

D impiiſſimis, pro iniquis. Quis æſtimare hunc erga nos Dei amorem queat, niſi quod iuſtitia Dei tanta eſt, vt in eum aliquid iniuſtum cadere non poſſit? Nam quantum ad rationem humanam pertinet, iniuſtam rem homo quilibet fecerat, ſi pro peſſimis ſeruis filium bonum occidiſſet. Vtique hoc magis inæſtimabilis pietas, & hoc mirabilis magis Dei virtus eſt, quod ita intelligi ab homine magnitudo iuſtitiæ ſuæ non poteſt: vt quantum ad imbecillitatem humanam pertinet, penè iniuſtitiæ ſpeciem, magnitudo iuſtitiæ habere videatur; & ideo Apoſtolus ad indicandam nobis aliquatenus diuinæ miſericordiæ immenſitatem ſic ait: *Vt quid*

Rom. 5. *enim Chriſtus cum adhuc impij eſſemus ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt? Vix enim pro iuſto quis moritur.* Oſtendit profecto nobis vna hac ſententia pietatem Dei.

E Nam ſi vix vllus pro ſumma iuſtitia mortem ſuſcipiat, probauit Chriſtus quantum præſtiterit pro noſtra iniquitate moriendo. Sed hoc cur fecerit Dominus, ſtatim in ſubditis docet, dicens: *Commendat autem ſuam charitatem Deus in nobis: nam ſi cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multo magis igitur iuſtificati nunc in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum.* Hoc ipſo ergo gratiam commendat, quia pro impiis mortuus eſt. Maioris enim pretij eſt beneficium quod præſtatur indignis. Ideirco itaque ait: *Commendat ſuam charitatem Deus in nobis.* Quomodo commendat? ſcilicet quia non merentibus præſtat. Si enim ſanctis & bene meritis præſtitiſſet, non videbatur quæ non debuerat præſtitiſſe, ſed quæ debuerat reddidiſſe. Quid ergo nos pro his omnibus retribuimus, vel potius quid retribuere debemus? Primum ſcilicet illud quod beatiſſimus propheta ei debere ſe, & redditurum eſſe teſtatur, dicens: *Quid retribuam Domino pro* Pſalm. 115

omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Prima ergo hæc retributio eſt, vt mortem morte reddamus, ac pro eo qui mortuus eſt

F pro nobis nos moriamur omnes, tametſi minoris multo precij mors noſtra eſt quàm ſua. Quo fit vt etiam ſi mortem ſuſcipiamus, debitum tamen non exſoluamus. Sed tamen quia maius referre non poſſumus, totum reddere videmur, ſi totum quod poſſumus reddere curamus. Itaque prima, vt dixi, hæc retributio eſt. Secunda autem vt ſi debitum morte non ſoluimus, vel amore ſoluamus. Nam ipſe ſaluator ideo, vt ait Apoſtolus, moriendo pro nobis commendare voluit omnibus charitatem ſuam, vt nos ad reddendam pietatem tanta viciſſitudine pietatis ſuæ traheret: ſicut illas naturæ admirabilis gemmas ferunt, quæ ferro propius admotæ, duriſſimum licet calybem, affectu quaſi ſpirante ſuſpendunt: ita etiam ille, id eſt, ſumma & clariſſima regnorum cœleſtium gemma, hoc ſcilicet voluit: vt dum ſe licet duriſſimis nobis deſcendens de cœlo propius adiungeret, affectu ſuo nos quaſi amoris ſui manibus admoueret, vt agnoſcentes vtique dona ſua ac beneficia, intelligeremus, quid nos pro Do-

G mino tam bono facere conueniret, cum ille pro malis ſeruis tanta feciſſet: & compleretur hoc quod Apoſtolus dicit, vt *mortificaremur* charitate illius *tota die*, Rom. 8.

& neque tribulatio, neque anguſtia, neque perſecutio, neque fames, neque nuditas, neque gladius poſſet nos ſeparare à charitate Chriſti, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Cum ergo hæc à nobis deberi Domino ſatis certum ſit, videamus quid pro his cunctis reddimus quæ debemus. Quid ſcilicet, niſi totum illud quod ſupra diximus, quicquid indecens, quicquid indignum, quicquid ad iniuriam Dei pertinens, actus improbos, mores flagitioſos, ebrias comeſſationes, cruentas manus, fœditates libidinis, rapidas cupiditates, & quicquid illud plus poteſt conſcientia habere quàm ſermo. *Quæ enim*, in- Epheſ. 5.

quit Apoſtolus, *in occulto fiunt ab eis, turpe eſt etiam dicere.* Nec ſolum hoc: nam hoc vetus eſt, & tam præſentium temporum quàm præteritorum: illud grauius & lugubrius, quod peccatis veteribus noua addimus. Nec ſolum noua, ſed quædam paganica ac prodigioſa,

H & in Eccleſiis Dei ante non viſa iactantes ſcilicet profanas in Deum voces & contumelias, blaſphemantes, dicentes Deum incurioſum, Deum non intendentem, Deum negligentem, Deum non gubernantem, ac per hoc & immiſericordem & impræſtabilem, inhumanum, aſperum, durum. Nam qui non reſpiciens & incurioſus, & negligens eſſe dicitur, quid ſupereſt, niſi vt & aſper, & durus, & inhumanus eſſe dicatur? O cæcam impudentiam, ô ſacrilegam temeritatem. Non ſufficit enim nobis, quod peccatis innumerabilibus inuoluti, rei in omnibus Deo ſumus, niſi & accuſatores Dei ſimus. Et quæ rogo homini ſpes erit, qui ipſum accuſat iudicem iudicandus? Si ergo, inquiunt, reſpicit res humanas Deus, ſi curat, ſi diligit, ſi gubernat; cur nos infirmiores omnibus gentibus, & miſeriores eſſe permittit? Cur vinci à barbaris patitur? Cur iuri ho-

ſtium

A

Cur Deus permittat Chriſtianos à barbaris affligi.

ſtium ſubiugari? Breuiſſime, vt iam ante dixi, ideo nos perferre hæc mala patitur, quia meremur vt iſta patiamur. Reſpiciamus enim ad turpitudines, ad flagella, ad ſcelera illa Romanæ plebis, quæ ſupra diximus, & intelligemus ſi protectionem mereri poſſumus, cum in tanta impuritate viuamus. Itaq; quia hoc argumento plurimi non reſpici res humanas à Deo dicunt, quod miſeri, imbecilles ſumus, quid meremur? Si enim in tantis vitiis, in tanta improbitate viuentes, fortiſſimos, florentiſſimos, beatiſſimoſque eſſe pateretur; ſuſpicio fortaſſe aliqua eſſe poterat, quod non reſpiceret ſcelera Romanorum Deus, qui tam malos tam perditos beatos eſſe pateretur. Cum vero tam vitioſos, tam improbos, infimos & miſerrimos eſſe iubeat, euidentiſſime patet & aſpici nos à Deo, & iudicari; quia hoc patimur quod meremur, ſed mereri nos abſque dubio non putamus: & hinc eſt quod magis rei & criminoſi ſumus, quia non agnoſcimus quod meremur. Maxima quippe accuſatrix hominum noxiorum eſt vſurpatrix innocentiæ arrogantia.

Vſurpatrix innocentiæ arrogantia.

Inter multos ſiquidem eorumdem criminum reos nullus eſt criminoſior, quàm qui ſe non putat criminoſum: itaque & nos hoc ſolum malis noſtris addere poſſumus, vt nos innoxios iudicemus.

B

Sed eſt (inquit aliquis peccator & maligniſſimus) certe quod negari non poteſt: meliores barbaris ſumus. Ex hoc vtique ipſo manifeſtum eſt, quod non reſpicit res humanas Deus: quia cum meliores ſumus, deterioribus ſubiugamur. An meliores ſumus barbaris? iam videbimus. Certe quod non eſt dubium, meliores eſſe debemus. Ex hoc ipſo vtique deteriores ſumus, ſi meliores non ſumus, qui meliores eſſe debemus. Criminoſior enim culpa eſt, vbi honeſtior ſtatus: ſi honoratior eſt perſona peccantis, peccati quoque maior inuidia. Furtum in omni quidem eſt homine malum facinus, ſed damnabilius abſque dubio ſi ſenator furatur aliquando. Cunctis fornicatio interdicitur, ſed grauius multo eſt ſi de clero aliquis quaſi de populo fornicetur. Ita & nos qui Chriſtiani Catholici eſſe dicimur, ſi ſimile aliquid barbarorũ impuritatib. facimus, grauius erramus. Atrocius enim ſub ſancti nominis profeſſione peccamus.

Sancti nominis profeſſio.

C

Vbi ſublimior eſt prærogatiua, maior eſt culpa. Ipſa enim errores noſtros religio quam profitemur accuſat. Criminoſior eſt eius impudicitia qui promiſerit caſtitatem. Fœdius inebriatur ſobrietatem fronte prætendens. Nihil eſt philoſopho turpius vitia obſcœna ſectanti: quia præter eam deformitatem quam vitia in ſe habent, ſapientiæ nomine plus notatur. Et nos igitur in omni humano genere philoſophiam Chriſtianam profeſſi ſumus, ac per hoc deteriores nos cunctis gentibus credi atque haberi neceſſe eſt: quia ſub tam magnæ profeſſionis nomine viuimus, & poſiti in religione peccamus. Sed ſcio plurimis intolerabile videri, ſi barbaris deteriores eſſe dicamur. Et quid facimus, quod cauſæ noſtræ hoc nihil proficit, ſi intolerabile id nobis eſſe videatur. Imo cauſam noſtram hoc magis aggrauat, ſi deteriores ſumus, & meliores eſſe dicamus. *Qui* enim, inquit Apoſtolus, *ſe exiſtimat aliquid eſſe cum nihil ſit, ſeipſum ſeducit. Opus autem ſuum probet homo*: operi ergo noſtro debemus credere, non opinioni, rationi, non libidini: veritati, non voluntati.

Gal. 6.

D

Igitur quia non ferendum quidam exiſtimant, vt deteriores, aut non multo etiam meliores barbaris iudicemur, videamus aut quomodo meliores ſimus, aut quibus barbaris. Duo enim genera in omni gente omnium barbarorum ſunt, id eſt, aut hæreticorum aut paganorum.

Duo genera barbarorum.

His ergo omnibus quantum ad legem diuinam pertinet, dico nos ſine comparatione meliores: quantum autem ad vitam, ac actus, doleo ac plango eſſe peiores, quamuis id ipſum tamen, vt ante iam diximus, non de omni penitus Romani populi vniuerſitate dicamus. Excipio enim primum omnes religioſos, deinde nonnullos etiam ſeculares religioſis pares: aut ſi id nimis grande eſt, aliqua tamen religioſis honeſtorum actuum probitate conſimiles. Cæteros vero aut omnes, aut penè omnes, magis reos eſſe quàm barbaros. Hoc eſt autem deteriorem eſſe, magis reum eſſe. Itaque quia

E

nonnulli irrationabile atque abſurdum arbitrantur, vt aut deteriores, aut non multum etiam meliores barbaris iudicemur: videamus, vt dixi, aut quomodo, aut quibus barbaris. Ego enim præter eos tantummodo Romanorum, quos paulo ante nominaui, cæteros aut omnes, aut pene omnes maioris reatus dico, & criminoſioris vitæ eſſe quàm barbaros. Iraſceris forſitan qui hæc legis, & condemnas inſuper quæ legis. Non refugio cenſuram tuam: condemna ſi mentior, condemna ſi non probauero: condemna ſi id quod aſſero, non etiam ſcripturas ſacras dixiſſe monſtrauero. Igitur qui meliores nos multo, cunctis quæ ſunt in mundo degentibus iudicamus; nec ipſe qui Romanos dico in plurimis deteriores, abnego in quibuſdam eſſe meliores. Vita enim, vt dixi, & peccatis ſumus deteriores: lege autem Catholica ſine comparatione meliores. Sed illud conſiderandum eſt, quia quod lex bona eſt, noſtrum non eſt: quod autem male viuimus, noſtrum eſt: & nihil vtique nobis prodeſt, quod lex eſt bona, ſi vita noſtra & conuerſatio non eſt bona.

F

Lex bona non prodeſt ſi vita non ſit bona.

Lex enim bona muneris eſt Chriſti: vita autem non bona criminis noſtri. Immo hoc magis culpabiles ſumus, ſi legem bonam colimus, & mali cultores ſumus. Quin potius nec cultores, ſi mali: quia cultor dici non poteſt, malus cultor. Neque enim colit qui rem ſanctam non ſancte colit. Ac per accuſatrix noſtri eſt lex ipſa quàm colimus.

Malus cultor legis bonæ magis culpabilis eſt.

Remota ergo legis prærogatiua, quæ nos aut nihil omnino adiuuat, aut etiam iuſta animaduerſione condemnat, vitam barbarorum atque noſtrorum ſtudia, mores, vitia comparemus. Iniuſti ſunt barbari, & nos hoc ſumus: auari ſunt barbari, & nos hoc ſumus: infideles ſunt barbari, & nos hoc ſumus: cupidi ſunt barbari, & nos hoc ſumus: impudici ſunt barbari, & nos hoc ſumus. Omnium deniq; improbitatum atque impuritatum pleni ſunt barbari, & nos hoc ſumus. Sed reſponderi fortaſſe poſſit: Ergo ſi pares vitioſitate barbaris ſumus, cur non ſumus etiam viribus pares? Cum enim ſimilis ſit improbitas, atque idem reatus, aut tam fortes deberemus eſſe nos, quàm ſunt illi: aut certe tam inualidi quàm nos ſumus, illi eſſe deberent.

G

Verum eſt, ac per hoc ſupereſt, vt illi nocentiores ſint, qui infirmiores. Quomodo hoc probamus? Scilicet quia, vt ſuperius locuti ſumus, omnia ex iudicio Deum facere monſtrauimus. Si enim, vt ſcriptum eſt, *in omni loco oculi Domini ſpeculantur bonos & malos*: & iuxta Apoſtolum, *Iudicium Dei eſt ſecundum veritatem in omnes malos*: videmus nos qui non deſinimus mala agere, ex iudicio iuſti Dei pœnas malitiæ ſuſtinere.

Prou. 15.
Rom. 2.

Sed eadem, inquis, mala etiam barbari agunt, & non ſunt tamen tam miſeri, quàm nos ſumus. Hoc ergo intereſt, quod & ſi eadem agant barbari quæ nos agimus, nos tamen maiore offenſione peccamus. Poſſunt enim noſtra & barbarorum vitia eſſe paria, ſed in his tamen vitiis neceſſe eſt peccata noſtra eſſe grauiora. Nam cum omnes, vt anteiam diximus, barbari, aut pagani ſint, aut hæretici; vt de paganis, quia prior illorum error eſt, prius dicam: gens Saxonum fera eſt, Francorum infidelis, Gepidarum inhumana, Hunnorum impudica.

Barbarorũ vitia.

H

Omnium denique gentium barbarorum vita vitioſa: ſed nunquid eundem reatum habent illorum vitia quem noſtra? nunquid tam criminoſa eſt Hunnorum impudicitia quàm noſtra? nunquid tam accuſabilis Francorum perfidia quàm noſtra? aut tam reprehenſibilis ebrietas † Alamanni, quàm ebrietas Chriſtiani? aut tam damnabilis rapacitas Albani, quàm rapacitas Chriſtiani?

† *Alani.*

Si fallat Hunnus vel Gepida, quid mirum eſt? qui culpam penitus falſitatis ignorat. Si peieret Francus, quid noui faceret? qui periurium ipſum ſermonis genus putat eſſe, non criminis.

Franci putant periurium eſſe genus ſermonis.

Et quid mirum ſi hoc barbari ita credunt, qui legem & Deum neſciunt; cum maior fere Romani nominis portio ita exiſtimet, quæ peccare ſe nouit? Nam vt de alio hominum genere non dicam, conſideremus ſolas negotiatorum & Siricorum omnium turbas, quæ maiorem ferme ciuitatum vniuerſam partem occupauerunt: ſi aliud eſt vita iſtorum omnium quàm meditatio doli & tritura mendacij, aut ſi non perire admodum

For. Syrorum.

A

verba æſtimant, quæ nihil loquentibus proſint. Tantus apud hos Dei honor eſt prohibentis etiam iuſiurandum, vt ſingularem exiſtiment fructum omnium periurium. Quid ergo mirum barbaros fallere, qui falſitatis crimen ignorant? Nihil enim contemptu agunt cœleſtium præceptorum, præcepta Domini neſcientes: quia non facit aliquid contra legem legis ignarus.

Chriſtianorum vitia grauiora quàm barbarorum.

Noſter ergo hic peculiariter reatus eſt, qui legem diuinam legimus, & legalia ſemper ſcripta violamus, qui Deum noſſe nos dicimus, & iuſſa illius ac præcepta calcamus: ac per hoc cum eum ſpernamus quem colere nobis credimus atque iactamus, idipſum quod cultus Dei videtur iniuria eſt. Denique vt de peccatis aliis nihil dicam, quis eſt omnino hominum ſecularium præter paucos, qui non ad hoc ſemper Chriſti nomen in ore habeat, vt peieret? Vnde etiam peruulgatum hoc fere & apud nobiles & apud ignobiles ſacramentum eſt, per Chriſtum:

Nobiliũ ſacramentum per Chriſtũ.

B

Per Chriſtum quia hoc facio: Per Chriſtum, quia hoc ago: Per Chriſtum, quia nihil aliud dicturus ſum: Per Chriſtum, quia nihil aliud acturus ſum. Et quid plura? In id penitus deducta res eſt, vt ſicut de paganis barbaris prius diximus, Chriſti nomen non videatur iam ſacramentum eſſe, ſed ſermo. Nam in tantum apud plurimos nomen hoc paruipenditur, vt nunquam minus cogitent quippiam facere, quàm cum ſe iurant per Chriſtum eſſe facturos. Et cum ſcriptum ſit; *non nominabis nomen Domini Dei tui in vanum* in id reuerentia Chriſti decidit, vt inter cæteras ſeculi vanitates nihil iam pene vanius, quàm Chriſti nomen eſſe videatur.

Exod. 28. Deut. 5.

Denique multi non otioſas tantummodo res & aniles, ſed etiam ſcelera quædam ſe iurant per Chriſti nomen eſſe facturos. Hic enim loquendi vſus eſt talibus: Per Chriſtum, quia tollo illud: Per Chriſtum, quia cædo illum: Per Chriſtum, quia occido illum: ad hoc res cecidit, vt cum per Chriſti nomen iurauerint, putent ſe ſcelera etiam religioſe eſſe facturos. Denique quid mihi ipſi euenerit, dicam. Cum ante aliquantulum temporis victus cuiuſdam pauperis prece, præpotentiori cuidam ſupplicarem, obſecrans ne homini miſero & egeſtuoſo rem ac ſubſtantiam ſuam tolleret, ne ſubſidium & ſtipem, quo paupertas illius nitebatur, auferret:

C

tum ille qui eius rebus iam rabida inhiauerat, ac prædam iam ſpe & cupiditate ardentiſſima deuorauerat, reſpiciés ac vibrans in os meum truces oculos, vtpote qui tolli ſibi à me putaret quod ipſe alteri non tuliſſet, nequaquam hoc quod peterem facere ſe poſſe reſpondit: quaſi vero iuſſu aut ſcripto id ſacro faceret, quod penitus prætermittere non poſſet. Cumq; ego cauſam, qua hoc fieri non valeret quærerem, dixit rem violentiſſimam, & cui contradici penitus non deberet: Iuraui, inquit, res illius à me eſſe tollendas: vide ergo an poſſim vel non debeam efficere, quod etiam interpoſito Chriſti nomine me iuraui eſſe facturum.

Contra iuramenta de male agendo.

Tum ego, quid enim amplius facerem? cum res tam iuſta obtendebatur & ſancta, audita religioſiſſimi ſceleris ratione diſceſſi. Hic nunc interrogo omnes qui ſanæ mentis ſunt: quis vnquam crederet vſque in hanc contumeliam Dei progreſſuram eſſe humanæ cupiditatis audaciam; vt id ipſum in quo Chriſto iniuriam faciunt, dicant ſe ob Chriſti nomen eſſe facturos? O inæſtimabile facinus & prodigioſum! Quid non auſæ ſint improbæ mentes? armant ſe ad latrocinandum

D

per Chriſti nomen, auctorem quodammodo ſui ſceleris Deum faciunt: & cum interdictor ac vindex malorum omnium Chriſtus ſit, dicunt ſe ſcelus quod agunt agere pro Chriſto. Sed de hoſtili iniquitate conquerimur, & paganicam barbariem peierare cauſamur. Quanto minori peccato illi per dæmonia peierant, quàm nos per Chriſtum? Quanto minoris res criminis eſt Iouis nomen quàm Chriſti? ibi homo eſt mortuus per quem iuratur, hic Deus viuus qui peieratur: ibi nec homo vllus, nec Deus ſummus, hic cum maximi ſacramenti ſit deieratio, neceſſe eſt maximi ſit reatus peieratio: ibi cum propè nullum ſit iuramentum, nullum conſtat eſſe periurium. Nam cum Deus non ſit per quem iuratur, non eſt periurium cum peieratur. Denique qui vult ſcire quàm verum ſit: audiat beatum Apoſtolum Paulum ipſa

E

hæc quæ nos dicimus prædicantem. Sic quippe ait: *Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege ſunt loquitur.* Et iterum: *Vbi*, inquit, *non eſt lex nec præuaricatio.*

Rom. 3. 4 & 6.

Duabus his ſententiis, duas euidenter expoſuit partes generis humani, extra legem poſitos, & in lege viuentes. Qui ſunt igitur nunc in lege poſiti? qui ſcilicet, niſi Chriſtiani, ſicut ipſe Apoſtolus fuit, qui de ſe ait: *Sine lege Dei non ſum, ſed in lege Dei non ſum, ſed in lege ſum Chriſti.* Qui igitur ſine lege Chriſti? qui niſi pagani homines, legem dominicam neſcientes: & ideo de his dicit: *Vbi non eſt lex, nec præuaricatio.*

1. Cor. 9.

Quo dicto vtique oſtendit, Chriſtianos tantum cum peccauerint legis præuaricatores eſſe: Paganos autem qui legem neſciant, ſine præuaricatione peccare: quia nullus poteſt eius rei præuaricator eſſe quam neſcit. Nos ergo tantum præuaricatores diuinæ legis, qui, vt ſcriptum eſt, legem legimus, & non facimus eam: ac per hoc nihil eſt aliud ſcientia noſtra quàm culpa, qui ad hoc tantummodo legem nouimus, vt maiore offenſione peccemus: quia quod lectione & corde nouimus, libidine ac deſpectione calcamus.

Rom. 2.

G

Et ideo rectiſſime Apoſtolicum illud ad omnem dicitur Chriſtianum: *Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes.* Cuius ergo criminis rei ſint Chriſtiani, ex hoc vno intelligi poteſt, quia Dei nomen infamant. Et cum ſcriptum ſit nobis, *vt omnia faciamus in gloriam Dei*, nos ediuerſo cuncta in Dei facimus iniuriam.

Ibidem.

1. Cor. 10

Cumq; ipſe Saluator noſter ad nos quotidie clamet: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant filii hominum opera veſtra bona, & magnificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*: Nos ita viuimus è contrario, vt filij hominum videant opera noſtra mala, & blaſphement patrem noſtrum, qui eſt in cœlis.

Matth 5.

Quæ cum ita ſint, magna videlicet nobis prærogatiua de nomine Chriſtianitatis blandiri poſſumus: qui ita agimus ac viuimus, vt hoc ipſum quod Chriſtianus populus eſſe dicimur, opprobrium Chriſti eſſe videatur. At ediuerſo in paganis quid horum ſimile quæ dicimus? Nunquid dici de Hunis poteſt: Ecce quales ſunt qui Chriſtiani eſſe dicuntur? Nunquid de Saxonibus aut Francis: Ecce quæ faciunt, qui ſe aſſerunt Chriſti eſſe cultores? Nunquid propter Maurorum efferos mores lex ſacroſancta culpatur? Nunquid Scytharum aut Gepidarum inhumaniſſimi ritus in maledictum atque blaſphemiam nomen Domini ſaluatoris inducunt?

F

Ob Chriſtianorũ improbitatem lex Chriſtiana blaſphematur

Nunquid dici de vllis iſtorum poteſt: vbi eſt lex Catholica quam credunt? vbi ſunt pietatis & caſtitatis præcepta, quæ diſcunt? Euangelia legunt, & impudici ſunt: Apoſtolos audiunt, & inebriantur: Chriſtum ſequuntur, & rapiunt: vitam improbam agunt, & probam legem habere ſe dicunt. Nunquid hæc de vlla iſtarum gentium dici queunt? Non vtique; de nobis quippe omnia iſta dicuntur. In nobis Chriſtus patitur opprobrium, in nobis patitur lex Chriſtiana maledictum: de nobis enim dixinus illud quod ſupra dicitur: Ecce quales ſunt, qui Chriſtum colunt: falſum planè illud eſt quod aiunt ſe bona diſcere, quod iactant ſe ſanctæ legis præcepta retinere. Si enim bona diſcerent, boni eſſent. Talis profecto ſecta eſt, quales & ſectatores: hoc ſunt abſque dubio quod docentur.

H

Apparet itaque & prophetas quos habent impuritatem docere, & Apoſtolos quos legunt nefaria ſenſiſſe, & Euangelia quibus imbuuntur hoc quæ ipſi faciunt prædicare. Poſtremo ſancta à Chriſtianis fierent, ſi Chriſtus ſancta docuiſſet. Æſtimari itaque de cultoribus ſuis poteſt ille qui colitur. Quomodo enim bonus magiſter eſt, cuius tam malos videmus eſſe diſcipulos? Ex ipſo enim Chriſtiani ſunt, ipſum audiunt, ipſum legunt: promptum eſt omnibus Chriſti intelligere doctrinam. Vide Chriſtianos quid agant, & euidenter poteſt de ipſo Chriſto ſciri quid doceat. Denique quàm praue ac nefarie pagani ſemper de ſacris dominicis opinati ſint, docent perſecutorum immanium cruentiſſimæ quæſtiones, qui in ſacrificiis Chriſtianis nihil aliud quàm impura quædam fieri atque abominanda credebant. Siquidem etiam initia ipſa noſtræ religionis non

Initia Chriſtianæ religionis quaſi eſſe putarũt gentiles

niſi

A

Inceſtus grauior homicidio.

nim a duobus maximis facinoribus oriri arbitrabantur. Primum ſcilicet homicidio, deinde quod homicidio eſt grauius, inceſtu. Nec homicidio ſolum & inceſtu, ſed quod ſceleratius quidem eſt, inceſtu pio & homicidio. Inceſtu matrum ſacroſanctarum, & homicidio innocentium paruulorum: quos non occidi tantum à Chriſtianis, ſed quod magis abominandum eſt, etiam vorari exiſtimabant: & hæc omnia ad placandum Deum, quaſi vllo facinore magis poſſit offendi: ad purgandum piaculum, quaſi vllum aliud maius eſſet: ad commendandum ſacrificium, quaſi vllam rem Dominus magis poſſit horrere: ad promerendam vitam æternam, quaſi vero etiam ſi poſſit his rebus accipi, tanti eſſet ad eam per ſcelera tam immania peruenire. Intelligere ergo poſſumus aut quales eſſe pagani crediderint Chriſtianos, qui talibus ſacrificiis Deum colerent, aut qualem ſolicitant Deum ipſum, qui hæc ſacra docuiſſet. Et hoc cur ita? Cur vtiq; niſi ob eos qui Chriſtiani eſſe dicuntur & non ſunt; qui

B

Tit. 1.

2. Petr. 2.

per flagitia ac turpitudines ſuas nomen religionis infamant, qui, vt ſcriptum eſt, ore *fatentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, cum ſint abominabiles & increduli, ad omne autem opus bonum reprobi, per quos*, vt legimus, *via veritatis blaſphematur*, & ſacroſanctum Domini Dei nomen ſacrilegorum hominum maledictione violatur.

Nomen diuinitatis in blaſphemiam gentium dato.

Quam grauis autem ac piaculi ſingularis malum ſit, nomen diuinitatis in blaſphemiam gentium dare, etiam Dauid beatiſſimi edocemur exemplo: qui cum ſuffragio iuſtitiarum ſuarum, æternam pro offenſionibus ſuis pœnam per vnam tantum confeſſionem meruerit euadere: huius tamen criminis veniam, nec per pœnitentiam patrocinantem potuit impetrare.

Alienæ blaſphemiæ pœnas luit Dauid.

2. Reg. 12.

Pœnitentia Dauid.

Nam cum ei errores proprios confitenti Nathan propheta dixiſſet: *Tranſtulit Deus peccatum tuum, non morieris*, ſubdidit ſtatim: *Veruntamen quia blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus eſt, morietur.* Et quid poſt hæc? depoſito ſcilicet diademate, proiectis gemmis, exutis purpuris, remota omni ſplendoris regij dignitate, cum pro his omnibus ſolitarius, gemens, clauſus, ſacco ſqualidus, fletu madidus, cinere ſordidatus, vitam paruuli ſui tot lamentationum ſuffragiis peteret, & piiſſimum Deum tanta precum ambitione pulſaret: ſic rogans & obſecrans obtinere non potuit,

C

Fortiſſimum pœnitentiæ adiumentum fides.

Blaſphemiæ occaſionem dare alteri quam ſit graue.

cum tamen quod fortiſſimum petentibus adiumentum eſt, impetraturum ſe quod ſic à Deo peteret credidiſſet. Ex quo intelligi poteſt, quod nullum penitus maioris piaculi crimen eſt, quàm blaſphemandi cauſam gentibus dare. Quicunq; enim ſine blaſphemia aliorum grauiter errauerit, ſibi tantum affert damnationem: qui autem alios blaſphemare fecerit, multos ſecum præcipitat in mortem; & neceſſe erit vt ſit pro tantis reus, quantos ſecum traxerit in reatum. Nec ſolum hoc, ſed quicunq; peccator ita peccat, vt alios tamen peccato ſuo blaſphemare non faciat, peccatum ſuum ipſi obeſt tantummodo quod peccauerit; ſacroſanctum autem Dei nomen ſacrilega blaſphemantium maledictione non lædit: Qui vero blaſphemare alios peccans fecerit, neceſſe eſt peccatum huius ſupra criminis humani eſſe menſuram; quia per conuitia plurimorum inæſtimabilem Deo facit iniuriam.

D

Hoc autem, vt dixi, malum peculiariter tantum Chriſtianorum eſt, quia per eos tantummodo blaſphematur Deus, qui bona dicunt, & mala faciunt: qui, vt ſcriptum eſt, Deum verbis confitentur, & factis negant.

Rom. 2.

Qui, vt idem Apoſtolus ait, acquieſcunt legi, & ſciunt voluntatem eius, & probant quæ potiora ſunt: *qui habent formam ſcientiæ & veritatis in lege, qui prædicant non furandum, & furantur: qui legunt, non mœchandum, & mœchantur: qui in lege glorіantur, & per præuaricationem legis Deum inhonorant.*

Malitia ſub titulo bonitatis.

Et ideo hoc ipſo Chriſtiani deteriores ſunt qui meliores eſſe deberent. Non enim probant quod fatentur, & impugnant profeſſionem ſuam moribus ſuis: magis enim damnabilis eſt malitia, quam titulus bonitatis accuſat: & reatus impij eſt, pium nomen.

Apoc. 3.

Vnde etiam ſaluator in Apocalypſi ad tepidum Chriſtianum ait: *Vtinam aut calidus eſſes, aut frigidus: Nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Omnem Chriſtianum Dominus fide ac ſpiritu iubet eſſe

E

Rom. 12.

feruentem. Sic enim ſcriptum eſt: *Vt ſimus ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes.* In hoc ergo feruore ſpiritus fidei religioſæ ardor oſtenditur, de quo ardore qui plurimum habet feruens eſſe agnoſcitur & fidelis: qui nihil omnino habet, frigidus eſſe intelligitur & paganus, qui vero inter vtrumq; vel neutrum eſt, tepidus atque exoſus eſt Domino Chriſtianus: & ideo ad eum dicitur: *Vtinam aut calidus eſſes aut frigidus: nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo*: hoc eſt dicere: Vtinam aut calorem, & fidem haberes bonorum Chriſtianorum, aut certe frigus & ignorantiam paganorum, aut enim fides te calida Deo inſinuaret, aut certe ad præſens adhuc legis ignorantia aliquatenus excuſaret. Nunc autem quia Chriſtum iam agnouiſti, & negligis quem agnouiſti, qui ſuſceptus es quaſi intra os Dei per fidei agnitionem, proijcieris per teporem. Quod quidem etiam beatus Apoſtolus Petrus euidenter expoſuit, dicens, de vitioſis ac tepidis, id eſt, male viuentibus Chriſtianis:

2. Petr. 2.

Melius erat illis non cognoſcere veritatem, quàm cognoſcentibus retrorſum reflecti à tradito ſibi mandato. Contigit illis res veri prouerbij: Canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti.

F

Quod vt euidenter de his dictum intelligamus, qui ſub Chriſtiano nomine in ſordibus mundi atque impuritatibus viuunt, audi quid eiſdem in eodem loco dicat: *Si enim*, inquit, *refugientes coinquinationes mundi in agnitionem Domini noſtri & conſeruatoris Ieſu Chriſti, his rurſum implicati ſuperantur, facta ſunt illis nouiſſima peiora prioribus.* Quod quidem & beatus Apoſtolus Paulus, eodem modo dicit:

Rom. 2.

Circuncisio eſt Chriſtianiſmus apud Apoſtolum.

Phil. 3.

Rom. 2.

Circuncisio quidem prodeſt, ſi legem cuſtodias: ſi autem præuaricator legis ſis, circuncisio tua præputium facta eſt. Circuncisionem autem Chriſtianitatem intelligendam ipſe euidentiſſime docet, dicens: *Nos enim ſumus circuncisio, qui ſpiritu Deo ſeruimus, & non in carne confidimus.* Ac per hoc videmus, quod malos Chriſtianos paganis comparat: nec comparat tantum, ſed pene poſtponit, dicens: *Si autem præputium iuſtitias legis cuſtodiat, nonne præputium illius in circuncisionem reputabitur, & iudicabit id quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te qui per literam & circuncisionem præuaricator legis es?* Ac per hoc intelligimus, vt ſupra dixi, culpabiliores nos multo eſſe, qui legem Dei habemus & ſpernimus, quàm illos qui nec habent omnino, nec norunt.

G

Rom. 7.

Nemo enim ignota contemnit. *Concupiſcentiam quippe neſciebam*, Apoſtolus inquit, *niſi lex diceret, Non concupiſces.* Neque enim præuaricantur à lege quam non habent: quia, vt ſcriptum eſt, *vbi non eſt lex, nec præuaricatio.*

Rom. 4.

Ac per hoc, ſi non præuaricantur à lege quam non habent, ergo non contemnunt legis ſcita quæ non habent: quia nemo, vt dixi, poteſt deſpicere quod neſcit. Nos ergo & contemptores pariter & præuaricatores ſumus: ac per hoc paganis deteriores, quia illi non norunt Dei mandata, nos nouimus: illi ea non habent, nos habemus: illi inaudita non faciunt, nos lecta calcamus. Et ideo apud illos ignorantia eſt, apud nos præuaricatio: quia minoris criminis reatus eſt, legem neſcire quàm ſpernere.

Explicit liber IV.

H

INCI-

A

INCIPIT LIBER QVINTVS.

SCIO infideliſſimos quoſque & veritatis diuinæ incapaces dicere aduerſum hæc poſſe quæ dicimus: Si tantus ſit Chriſtianorum infidelium reatus, vt plus peccent prætermittentes mandata Domini quæ ſciant, quam paganæ gentes, quæ neſciant: ſalubriorem his fuiſſe ignorantiam quam agnitionem, & contra eos eſſe admodum quod agnouerint veritatem. Quibus hoc reſpondendum eſt, non veritatem his obeſſe, ſed vitia: nec legem nocere, ſed mores: denique da mores bonos, & legis ſcita pro nobis ſunt. Tolle vitia, & lex prodeſt: *Scimus* enim, inquit Apoſtolus, *quia bona eſt lex, ſi quis ea legitime vtatur.* Legitime itaq; lege vtere, & legem tibi bonam ipſe feciſti. *Scimus* enim, inquit, *quia lex bona eſt, ſi quis ea legitime vtatur: ſciens hoc, quod iuſto non eſt lex poſita:* ac per hoc iuſtus eſſe incipe, & eris liber à lege: quia non poteſt lex venire contra mores, quæ iam habetur in moribus. *Scimus* ergo, inquit, *quia lex bona eſt, ſi quis ea legitime vtatur, ſciens hoc quod iuſto non eſt lex poſita, ſed iniuſtis, & non ſubditis, ſed ſceleratis, & impiis, & peccatoribus, & ſi quod aliud ſanæ doctrinæ aduerſatur;* ac per hoc non tam lex tibi, ô homo, quàm tu legi aduerſaris: nec lex contra te bene præcipiendo, ſed tu contra legem male viuendo agis: imò illa pro te eſt, tu contra illam; illa enim tibi conſulit ſancta dicendo, tu contra illam venis praua faciendo: nec contra illam tantum, ſed etiam contra te; hoc ipſo enim quod contra illam & contra te: quia in illa ſalus & vita tua eſt. Ac per hoc dum legem diuinam deſeris, ſalutem propriam derelinquis. Non aliter ergo nos de dominica lege querimur, quàm queri de optimo medico impatiens ægrotus ſolet; qui cum ingraueſcere ſibi morbos vitio ſuo fecerit, imperitiam medentis accuſat. Quaſi vero curare vllam infirmitatem præcepta poſſint, ſi eis non obedierit infirmus: aut ſanare quenquam obſeruantia valeat, quā medicus ei imperat, ſi eam ſibi ægrotus ipſe non præſtat. Quid iuuat ſtomachum abſtinentia, ſi ſtatim dulcia ſubſequantur? Quid conferunt phrenetico ſilentia circumſtantium, quem ſtatim ſuus clamor occidit? aut quid prodeſſe poterit antidotum, cui ſuperfunditur venenum? Et nobis itaque eſt lex antidotum, ſed vitioſitas venenum. Sanare nos nō poteſt legis antidotum, quos occidūt venena vitiorū. Sed iā de his & antea ſatis diximus: & ſi ita res poſtulauerit, etiam poſt hæc, iuuante Deo, aliqua dicemus. Interim quia duo ſuperius barbarorum genera vel ſectas eſſe memorauimus, paganorum atque hæreticorum; quia de paganis iam, vt arbitror, ſatis fecimus, de hæreticis quoq;, vt cauſa poſcit ſubiciamus. Poteſt enim quiſpiam dicere, Etiamſi à paganis lex diuina non exigat, vt mandata faciant quæ non ſciunt, certe ab hæreticis exigit qui ſciunt: eadem enim etiam illos legere quæ nos legimus, eoſdem apud illos prophetas Dei, eoſdem Apoſtolos, eoſdem Euangeliſtas eſſe, ac per hoc aut non minus ab illis legem negligi quàm à nobis, aut etiam multo magis: quia cum eadem legant ſcripta quæ noſtri, multa faciunt deteriora quam noſtri. Vtrunq; ergo videamus. Eadem, inquis, legunt illi quæ leguntur à nobis. Quomodo eadem, quæ ab auctoribus quondam malis & male ſunt interpolata, & male tradita? Ac per hoc iam non eadem, quia non poſſunt penitus dici ipſa, quæ ſunt in aliqua ſui parte vitiata. Incolumitatem enim non habent, quæ plenitudinem perdiderunt: nec ſtatum ſuum omnino ſeruant, quæ ſacramentorum virtute priuata ſunt. Nos ergo tantum ſcripturas ſacras plenas, inuiolatas, integras habemus, qui eas vel in fonte ſuo bibimus, vel certe de puriſſimo fonte hauſtas per miniſterium puræ tranſlationis hau-rimus. Nos tantummodo bene legimus, atq; vtinam quàm bene legimus tam bene adimpleremus. Sed vereor, quod qui non bene obſeruamus, nec bene lectitemus: quia minor reatus eſt ſancta non legere, quàm lecta violare. Cæteræ quippe nationes, aut non habent legem Dei, aut debilem & conuulneratam habent, aut per hoc, vt diximus, non habent quæ ſic habent. Nam & ſi gentium barbarorum ſunt, qui in libris ſuis minus videantur ſcripturam ſacram interpolatam habere vel laceratam: habent tamen veterum magiſtrorum traditionem corruptam, ac per hoc traditionem potius quàm ſcripturam habent: quia hoc non retinent: quod veritas legis ſuadet, ſed quod prauitas malæ traditionis inſeruit. Barbari quippe homines Romanæ, immo potius humanæ eruditionis expertes, qui nihil omnino ſciunt, niſi quod à doctoribus ſuis audiunt: quod audiunt, hoc ſequuntur; ac ſic neceſſe eſt eos, qui totius literaturæ ac ſcientiæ ignari, ſacramentum diuinæ legis doctrina magis quàm lectione cognoſcunt, doctrinam potius retinere quàm legem. Itaq; eis traditio magiſtrorum ſuorum & doctrina inueterata, quaſi lex eſt; qui hoc ſciunt quod docentur: hæretici ergo ſunt, ſed non ſcientes. Deniq; apud nos ſunt hæretici, apud ſe non ſunt. Nam in tantum ſe Catholicos eſſe iudicant, vt nos ipſos titulo hæreticæ appellationis infament. Quod ergo illi nobis ſunt, & hoc nos illis. Nos eos iniuriam diuinæ generationi facere certi ſumus, quod minorem patre filium dicant. Illi nos iniurioſos patri æſtimant, quia æquales eſſe credamus. Veritas apud nos eſt, ſed illi apud ſe eſſe præſumunt. Honor Dei apud nos eſt, ſed illi hoc arbitrantur honorem diuinitatis eſſe quod credunt. Inofficioſi ſunt, ſed illis hoc eſt ſummum religionis officium. Impij ſunt, ſed hoc putant veram eſſe pietatem. Errant ergo, ſed bono animo errant, non odio, ſed affectu Dei, honorare ſe Dominum atque amare credentes. Quamuis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei æſtimant charitatem. Qualiter pro hoc ipſo falſæ opinionis errore in die iudicij puniendi ſint, nullus poteſt ſcire niſi iudex. Interim idcirco eis, vt reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos, & ſi non recte credere, affectu tamen piæ opinionis errare: maxime cum ſciat eos ea facere quæ neſciunt, noſtros autem negligere quod credunt: ac per hoc illos magiſtrorum peccare vitio, noſtros ſuo: illos ignorantes, noſtros ſcientes: illos id facere quod putent rectum, noſtros quod ſciant eſſe peruerſum. Et ideo iuſto iudicio illos patientia Dei ſuſtinet, & nos animaduerſione caſtigat: quia ignoſci aliquatenus ignorantiæ poteſt, contemptus veniam non meretur. Sic enim ſcriptum eſt; *Seruus qui neſcit voluntatem Domini ſui, & non facit eam, vapulabit paucis: qui autem ſcit eam, & non facit, vapulabit multis.* Non ergo miremur, quod multis cædimur, quia non inſcientia, ſed rebellione peccamus. Scientes enim bona non bene agimus, & diſcretionem recti ac praui intelligentes praua ſectamur: legem legimus, & legitima calcamus: & ad hoc tantum præceptorum ſacrorum ſcita cognoſcimus, vt grauius poſt interdicta peccemus. Deum colere nos dicimus, & diabolo obtemperamus. Et poſt hæc volumus vt bona à Deo accipiamus, cum malis ſemper mala addamus: fieri voluntatem noſtram à Deo cupimus, cum Dei nos facere nolumus, quaſi ſuperiores nos Deo agimus. Volumus vt voluntati noſtræ Deus iugiter pareat, cum omnes nos voluntati eius iugiter repugnemus. Sed ille iuſtus eſt, licet nos ſimus iniuſti. Caſtigat enim quos caſtigandos putat, patitur quos putat eſſe patiendos. Vtrunq; ad vnam rem vult proficere; vt & caſtigatio in Catholicis peccandi refrenet libidinem, & quandoq; hæreticos patientia Dei faciat plenam fidei cognoſcere veritatem: maxime cum ſciat eos forſitan Catholica non indignos fide, quos videat Catholicis vitæ comparatione præſtare. Omnes autem iſti, de quibus loquimur, aut Wandali ſunt aut Gothi. Nam de Romanis hæreticis quorum innumera multitudo eſt, nihil dicimus, neq; aut Romanis eos, aut barbaris comparamus: quia & infidelitate Romanis ſunt deteriores, & fœ-

ditate

Margin notes, left:

1. Tim. 1.

B

C
Lex eſt medicus.

D

Hæretici non eaſdē nobiſcum ſcripturas habent quia vitiatas legūt.

Scripturæ ſacræ tantum ſunt apud Catholicos. Myſteriū puræ trāſlationis.

Margin notes, right:

E

Veterum magiſtrorum traditio corrupta ab hæreticis.

Romana eruditio.

F

Hæretici Catholicos appellant hæreticos.

G

Contemptus veniam non meretur.
Luc. 12.

H

Cur meliùs aliquando agatur cū hæreticis.

Digitized by Google

A

ditate vitæ barbaris turpiores. Sed hoc nos non ſolum non iuuat, ſed etiam ſupra id quod à nobis grauamur, grauat: quia & ii quos tales cauſamur eſſe, Romani ſunt. Vnde intelligere poſſumus quid mereatur omnis Romana Reſpublica, cum pars Romanorum offendat Deũ vita, pars & infidelitate pariter & vita: ſaluo eo quod etiam ipſæ quondam hæreſes barbarorum de Romani magiſterii prauitate fluxerunt. Ac perinde etiam hoc noſtrum eſt crimen, quod populi barbarorum hæretici eſſe cœperunt. Porro autem quantum ad conuerſationem Gothorum, aut Vuandalorum pertinet: quid eſt in quo eis aut præponere nos, aut etiam comparare poſſimus? Ac primum vt de affectu & charitate dicam, quam præcipuam Dominus docet eſſe virtutem, & quam non ſolum per omnes ſcripturas ſacras, ſed etiam per ſe ipſe commendat, dicens: *In hoc ſcietur quod diſcipuli mei eſtis, ſi vos inuicem diligatis.*

Ioan. 13.

Romanorum diſcordiæ & odia.

B

Omnes ſe fere barbari, qui modo ſunt vnius gentis & regis, mutuo amant. Omnes pene Romani ſe mutuo perſequuntur. Quis enim ciuis non inuidet ciui? Quis enim plenam vicino exhibet charitatem? Omnes quippe à ſe, & ſi loco non abſunt, affectu abſunt: & ſi habitatione iunguntur; mente diſiuncti ſunt. Atque vtinam hoc ſcilicet ſit peſſimum malum, vtinam ciues tantum atque vicini: illud eſt grauius, quod nec propinqui quidem propinquitatis iura conſeruant. Quis enim ſe proximus ſuis proximum reddit? Quis ſoluit charitati quod ſe agnoſcit debere vel nomini? Quis hoc eſt animo quod vocatur? quis tam propinquus corde quàm ſanguine, in quo non lucidus maleuolentiæ zelus ardet, cuius non ſenſum liuor inuaſit, cui non proſperitas aliena ſupplicium eſt? Quis non bonum alterius, malum ſuum credit? Cui ita ſufficit felicitas ſua, vt etiam alium velit eſſe felicem? Nouum & inæſtimabile, nunc in plurimis malum eſt. Parum alicui eſt, ſi ipſe ſit felix, niſi alter fuerit infelix.

Inæſtimabile malum inuidia.

Iam vero illud quale, quam ſæuum, quam ex hac ipſa impietate deſcendens, quàm alienum à barbaris, quàm familiare Romanis, quod ſe inuicem exactione proſcribunt: immo non inuicem: nam hoc tolerabilius ferme eſſet, ſi pateretur quiſque quod fecerat; ſed illud grauius eſt, quod plurimi proſcribuntur à paucis, quibus exactio publica peculiaris eſt præda, qui fiſcalis debiti titulos faciunt quæſtus eſſe priuatos: & hoc non ſummi tantum, ſed penè infimi, non iudices ſolum, ſed etiam iudicibus obſequentes.

C

Quæ enim ſunt non modo vrbes, ſed etiam municipia atque vici, vbi non quot curiales fuerint tot tyranni ſunt? quanquam forte hoc nomine ſibi gratulentur, quia potens & honoratum eſſe videtur.

Curiales tyranni.

Nam & latrones fermè omnes gaudent & gloriantur, ſi atrociores admodum quam ſunt eſſe dicantur. Quis ergo, vt dixi, locus eſt, vbi non à principalibus ciuitatum, viduarum, & pupillorum viſcera deuorentur, & cum his ferme omnium ſanctorum? Nam & hos quaſi viduas & pupillos habent, quia tueri ſe aut pro ſtudio profeſſionis ſuæ volunt, aut pro innocentia atque humilitate non poſſunt.

Sanctos pro Eccleſiaſticis & religioſis.

Nemo itaque horum tutus eſt, nec vlli admodum præter ſummos à vaſtatione latrocinii populantis immunes; niſi qui ipſis latronibus par eſt in hac conditione; immo in hoc ſcelus res deuoluta eſt, vt niſi quis malus fuerit, ſaluus eſſe non poſſit.

Mali tantum ſalui.

D

Sed videlicet cum tot ſint qui bonos vaſtant, ſunt fortaſſe aliqui, qui in hac vaſtatione ſuccurrant, qui, vt ſcriptum eſt, *eripiant egenum & pauperem de manu peccatoris. Non eſt qui faciat bonum, non eſt pene vſque ad vnum.* Ideo dixi pene *vſque ad vnum*, quia tanta eſt raritas bonorum, vt pene vnus eſſe videatur.

Pſ. 8. & 51

Pſal. 13.

Quis enim vexatis atque laborantibus opem tribuat, cum improborum hominum violentiæ etiam ſacerdotes Domini non reſiſtant? Nam aut tacent plurimi eorum, aut ſimiles ſunt tacentibus etiam ſi loquantur; & hoc multi non inconſtantia, ſed conſilio, vt putant, atque ratione. Exertam enim veritatem proferre nolunt, quia eam aures improborum hominum ſuſtinere non poſſunt: nec ſolum refugiunt, ſed etiam oderunt & execrantur: & non modo auditam non reuerentur

Sacerdotes non reſiſtunt violentiis

E

aut metuunt, ſed etiam maiore ſuperbientes peruicacia, perduellionem contemnunt. Et ideo tacent etiam qui loqui poſſunt, dum ipſis interdum malis parcunt: nec volunt eis vim apertæ promere veritatis, ne faciant eos ingeſta acrius veritate peiores.

Improbi contemnunt auditam veritatem.

Inter hæc vaſtantur pauperes, viduæ gemunt, orphani proculcantur intantum, vt multi eorum & non obſcuris natalibus editi, & liberaliter inſtituti ad hoſtes fugiant, ne perſecutionis publicæ afflictione moriantur: quærentes ſcilicet apud barbaros Romanam humanitatem, quia apud Romanos barbaram inhumanitatem ferre non poſſunt. Et quamuis ab his ad quos confugiunt diſcrepent ritu, diſcrepent lingua, ipſo etiam, vt ita dicam, corporum atque induuiarum barbaricarum fœtore diſſentiant; malunt tamen in barbaris pati cultum diſſimilem, quam in Romanis iniuſtitiam ſæuientem. Itaque paſſim vel ad Gothos, vel ad Bagaudas, vel ad alios vbique dominantes barbaros migrant, & commigraſſe non pœnitet. Malunt enim ſub ſpecie captiuitatis viuere liberi, quàm ſub ſpecie libertatis eſſe captiui.

Bagaudæ *Eutrop. lib.* 9. *Oroſ.* 7. *Euſeb. Sigeb*

F

Itaque nomen ciuium Romanorum aliquando non ſolum magno æſtimatum, ſed magno emptum, nunc vltro repudiatur ac fugitur: nec vile tantum, ſed etiam abominabile pene habetur.

Ciuium Romanorum nomen.

Et quod eſſe maius teſtimonium Romanæ iniquitatis poteſt, quàm quod plerique & honeſti, & nobiles, & quibus Romanus ſtatus ſummo & ſplendori eſſe debuit & honori, ad hoc tamen Romanæ iniquitatis crudelitate compulſi ſunt, vt nolint eſſe Romani? Et hinc eſt quod etiam hi, qui ad barbaros non confugiunt, barbari tamen eſſe coguntur: ſcilicet vt eſt pars magna Hiſpanorum, & non minima Gallorum. Omnes denique quos per vniuerſum Romanum orbem fecit Romana iniquitas iam non eſſe Romanos. De Bagaudis nunc mihi ſermo eſt; qui per malos iudices & cruentos ſpoliati, afflicti, necati, poſtquam ius Romanæ libertatis amiſerant, etiam honorem Romani nominis perdiderunt. Et imputatur his infelicitas ſua, imputamus his nomen calamitatis ſuæ, imputamus nomen quod ipſi fecimus. Et vocamus rebelles, vocamus perditos, quos eſſe compulimus criminoſos.

G

Quibus enim alijs rebus Bagaudæ facti ſunt, niſi iniquitatibus noſtris, niſi improbitatibus iudicum, niſi eorum proſcriptionibus & rapinis, qui exactionis publicæ nomen in quæſtus proprij emolumenta verterant, & indictiones tributarias prædas ſuas eſſe fecerunt: qui in ſimilitudinem immanium beſtiarum non rexerunt traditos ſibi, ſed deuorarunt: nec ſpolijs tantum hominum, vt plerique latrones ſolent, ſed laceratione etiam, &, vt ita dicam, ſanguine paſcebantur:

Exactionis publicæ nomẽ in quæſtũ vertere proprium

ac ſic actum eſt, vt latrocinijs iudicum ſtrangulati homines & necati, inciperent eſſe quaſi barbari, quia non permittebantur eſſe Romani: acquieuerunt enim eſſe quod non erant, quia nõ permittebantur eſſe quod fuerant: coactique ſunt ſaltem vitam defendere, quia iam libertatem videbant penitus perdidiſſe. Aut quid aliud etiam nunc agitur, quam tunc actum eſt, id eſt, vt qui adhuc Bagaudæ non ſunt, eſſe cogantur; quantum enim ad vim atque iniurias pertinet, compelluntur vt velint eſſe: ſed imbecillitate impediuntur vt non ſint. Sic ſunt ergo, quaſi captiui iugo hoſtium preſſi: tolerant ſupplicium neceſſitate, non voto: animo deſiderant libertatem, ſed ſummam ſuſtinent ſeruitutem: ita ergo, & cum omnibus ferme humilioribus agitur.

H

Vna enim re ad duas diuerſiſſimas coarctantur: vis ſumma exigit, vt aſpirare ad libertatem velint, ſed eadem vis poſſe non ſinit, quæ velle compellit. Sed imputari his poteſt forſitan, quod hoc velint homines, qui nihil magis cuperent, quam ne cogerentur hoc velle. Summa enim infelicitas eſt quod volunt. Nam multo cum his melius agebatur, ſi non compellerentur hoc velle. Sed quid poſſunt aliud velle miſeri, qui aſſiduum, immo continuum exactionis publicæ patiuntur excidium, quibus imminet ſemper grauis & indefeſſa proſcriptio, qui domos ſuas deſerunt, ne in ipſis domibus torqueantur? Exilia petunt, ne ſupplicia ſuſtineant. Leniores his hoſtes quam exactores ſunt: & res ipſa hoc indicat. ad hoſtes fugiunt, vt vim exa-

Exactionis publicæ continuum excidium.

Exactores leniores quam hoſtes.

A

ctionis euadant. Et quidem hoc ipſum quamuis durum & inhumanum, minus tamen graue atque acerbum erat, ſi omnes æqualiter atque in commune tolerarent. Illud indignius ac pœnalius, quod omnium onus non omnes ſuſtinent: imò quod pauperculos homines tributa diuitum premunt, & infirmiores ferunt ſarcinas fortiorum: nec alia cauſa eſt quod ſuſtinere non poſſunt, niſi quia maior eſt miſerorum ſarcina quàm facultas. Res diuerſiſſimas diſſimilimaſque patiuntur, inuidiam & egeſtatem. Inuidia eſt enim in ſolutione, egeſtas in facultate. Si reſpicias quod defenduntur, abundare arbitreris: ſi reſpicias quod habent, egere reperies. Quis æſtimare rem huius iniquitatis poteſt? Solutionem ſuſtinent diuitum; & indigentiam mendicorum. Plus multo eſt quod dicturus ſum; adiectiones tributarias ipſi interdum diuites faciunt, pro quibus pauperes ſoluunt.

Pauperes ſoluunt tributa, diuites indicunt.

Sed dicas, cùm ipſorum maximus cenſus ſit, & ipſorum maximæ penſiones, quomodo id fieri poteſt, vt ipſis ſibi augere debitum velint? Neque ego id dico quod ſibi augeant; nam & ideo augent, quia non ſibi augent.

B

Dicam quomodo. Veniunt plerumque noui nuncij, noui epiſtolarij à ſummis ſublimitatibus miſſi, qui commendantur illuſtribus paucis ad exitia plurimorum. decernuntur his noua munera, decernuntur nouæ indictiones: decernunt potentes, quod ſoluant pauperes: decernit gratia diuitum, quod pendat turba miſerorum. Ipſi enim in nullo ſentiunt quod decernunt. Sed non poſſunt, inquis, non honorari, & liberalius accipi, qui fuerint à maioribus miſſi. Eſtote ergo vos diuites primi in conferendo, qui eſtis primi in decernendo. Eſtote primi in largitate rerum, qui primi eſtis in liberalitate verborum. Qui das de meo, da & de tuo: tametſi rectiſſime quiſquis ille es, qui ſolus vis capere gratiam, ſolus paterer is expenſam.

Liberalitas verborum.

Sed adquieſcimus pauperes, veſtræ diuites voluntati: quod pauci iubetis, ſoluamus omnes. Quid tam iuſtum, quid tam humanum? Grauant nos nouis debitis decreta veſtra: facite ſaltem debitum ipſum, vobis nobiſcum eſſe commune. Quid enim iniquius eſſe, aut quid indignius poteſt, quàm vt ſoli ſitis immunes à debito, qui cunctos facitis debitores? Et quidem

C

miſerrimi pauperes ſic totum hoc quod diximus ſoluũt, quod qua re vel qua ratione ſoluant penitus ignorant. Cui enim licet diſcutere cur ſoluatur, aut cui permittitur explorare quid debeat? ſed tunc id euidentiſſime proditur, cum inuicem ſibi diuites iraſcuntur, cum indignantur aliqui eorum, quod ſine conſilio aut tractatu ſuo aliqua decreta ſint: tunc à quibuſdam eorum audias dici, O facinus indignum, duo aut tres ſtatuunt quod multos necet: à paucis decernitur, quòd à * multis miſeris dependatur.

* paucis.

Honori enim ſuo vnuſquiſque diuitum præſtat, vt nolit aliquid ſe abſente decerni: non iuſtitiæ, vt iniqua nolit ſe præſente conſtitui. Denique quod in aliis reprehenderunt, ipſi poſtea aut pro contemptus præteriti vltione, aut pro poteſtatis præſumptione conſtituunt. Ac per hoc infeliciſſimi pauperes ſic ſunt quaſi inter concertantes procellas in medio mari poſiti: nunc iſtorum ſcilicet, nunc illorum fluctibus obruuntur.

Pauperes procellis diuitum obruũtur.

Sed videlicet qui in hac parte iniqui ſunt, in alia moderati inueniuntur & iuſti: ac prauitatem vnius rei, alterius probitate compenſant. Nam ſicut in onere nouarum indictionum pauperes grauant, ita in nouorum remediorum opitulationa ſuſtentant. Sicut tributis nouis minores maximè deprimuntur, ſic remediis nouis maxime

D

ſubleuantur. Imò par eſt iniquitas in vtroque. Nam ſicut ſunt in aggrauatione primi pauperes, ita in reuelatione poſtremi. Si quando enim, vt nuper factum eſt, defectis vrbibus minuendas in aliquo tributarias functiones, poteſtates ſummæ exiſtimauerunt, illico remedium cunctis datum, ſoli inter ſe diuites partiuntur. Quis tunc pauperom meminit, quis ad communionem beneficij humiles & egeſtuoſos vocat, quis eum qui primus eſt ſemper in ſarcina, vel vltimo eſſe loco patitur in medela? Et quid plura? tributarij omnino pauperes non putantur, niſi cum his tributi cumulus imponitur. Extra numerum autem tributariorum ſunt, cum remedia diuiduntur. Et putamus, quod pœna diuinæ ſeueritatis indigni ſumus, cum ſic nos ſemper pauperes puniamus: aut credimus, cum iniqui nos iugiter ſimus, quod Deus iuſtus in nos omnino eſſe non debet? Vbi enim, aut in quibus ſunt niſi in Romanis tantum hæc mala? quorum iniuſtitia tanta niſi noſtra? Franci enim hoc ſcelus neſciunt. Hunni ab his ſceleribus immunes ſunt. Nihil horum eſt apud Wandalos, nihil horum apud Gothos.

E

Franci miſericordes.

Tam longe enim eſt, vt hæc inter Gothos barbari tolerent, vt ne Romani quidem, qui inter eos viuunt, iſta patiantur. Itaq; vnum illic Romanorum omnium votum eſt; ne vnquam eos neceſſe ſit in ius tranſire Romanorum. Vna & conſentiens illic Romanæ plebis oratio, vt liceat eis vitam quam agunt, agere cum barbaris. Et miramur, ſi non vincantur à noſtris partibus Gothi, cum malint apud eos eſſe quàm apud nos Romani. Itaque non ſolum transfugere ab eis ad nos fratres noſtri omnino nolunt; ſed vt ad eos confugiant, nos relinquũt. Et quidem mirari poſſim, quod hoc non omnes omnino facerent tributarij pauperes & egeſtuoſi: niſi quod vna cauſa tantum eſt qua non faciunt, quia transferre illuc reſculas atque habitatiunculas ſuas familiaſque non poſſunt. Nam cum pleriq; eorum agellos ac tabernacula ſua deſerant, vt vim exactionis euadant: quomodo non quæ compelluntur deſerere vellent, ſed ſecum ſi poſſibilitas pateretur auferrent? ergo quia hoc non valent, quod forte mallent; faciunt quod vnum valent. Tradunt ſe ad tuendum protegendumque maioribus, deditios ſe diuitum faciunt, & quaſi in ius eorum ditionemque tranſcendunt.

F

Nec tamen graue hoc aut indignum arbitrarer, immo potius gratularer hanc potentum magnitudinem quibus ſe pauperes dedunt, ſi patrocinia iſta non venderent: ſi quod ſe dicunt humiles defenſare, humanitati tribuerent non cupiditati.

Patrocinium vẽditur.

Illud graue ac peracerbum eſt, quod hac lege tueri pauperes videntur vt ſpolient: hac lege defendunt miſeros, vt miſeriores faciant defendendo. Omnes enim hi, qui defendi videntur, defenſorib. ſuis omnem fere ſubſtantiam ſuã prius quàm defendantur addicunt: ac ſic, vt patres habeant defenſionem, perdunt filij hæreditatem. Tuitio parentum, mendicitate pignorum comparatur.

G

Ecce quæ ſunt auxilia ac patrocinia maiorum. Nihil ſuſceptis tribuunt, ſed ſibi. Hoc enim pacto aliquid à parentibus temporarie attribuitur, vt in futuro totum filiis auferatur. Vendũt itaq;, & quidem grauiſſimo precio vendunt, maiores quidam, cunctaq; præſtant. Et quod dixi vendunt; vtinam venderent vſitato more atq; communi, aliquid forſitan remaneret emptoribus. Nouum quippe hoc genus venditionis & emptionis eſt.

Nouum genus vẽditionis & emptionis.

Venditor nihil tradit & totum accipit. Emptor nihil accipit, & totum penitus amittit. Cumq; omnis ferme contractus hoc in ſe habeat, vt inuidia penes emptorem, inopia penes venditorem eſſe videatur: quia emptor ad hoc emit vt ſubſtantiam ſuam augeat, venditor ad hoc vendit vt minuat: inauditum hoc commercij genus eſt, venditoribus creſcit facultas, emptoribus nihil remanet niſi ſola mendicitas. Nam illud quale? quàm non ferendum, atque monſtri ſeuum? & quod non dicam pati humanæ mentes, ſed quod audire vix poſſunt: quod pleriq; pauperculorum atq; miſerorum ſpoliati reſculis ſuis, & exterminati agellis ſuis, cum rem amiſerint, amiſſarum tamen rerum tributa patiuntur: cum poſſeſſio ab his receſſerit, capitatio non recedit.

H

Proprietatibus carent, & vectigalibus obruuntur. Quis æſtimare hoc malum poſſit, rebus eorum incubant peruaſores, & tributa miſeri pro peruaſoribus ſoluunt. Poſt mortem patris poſtumi nati non ſequi iuris ſui agellos non habent, & agrorum munere enecantur. Ac per hoc quid aliud ſceleribus tantis agitur, niſi vt qui priuata peruaſione nudati ſunt, publica afflictione moriantur: & quibus rem deprædatio tulit, vitam tollat exactio? Itaque nonnulli eorum, de quibus loquimur, qui aut conſultiores ſunt, aut quos conſultos neceſſitas fecit, cum domicilia atque agellos ſuos aut peruaſionibus perdunt, aut fugati ab exactoribus deſerunt, quia tenere non poſſunt, fundos maiorum expetũt, & coloni diuitum fiunt,

ac ſic-

A

ac ſicut ſolent aut hi qui hoſtiũ terrore compulſi, ad caſtella ſe conferunt, aut hi qui perdito ingenuæ incolumitatis ſtatu ad aſylum aliquod deſperatione confugiũt: ita & iſti qui habere amplius vel ſedem vel dignitatem

Inquilina abiectio.

ſuorum natalium non queunt, iugo ſe inquilinæ abiectionis addicunt: in hanc neceſſitatem redacti, vt extorres non facultatis tantum, ſed etiam conditionis ſuæ, atque exulantes non à rebus tantum ſuis, ſed etiam à ſe ipſis, ac perdentes ſecum omnia ſua, & rerum proprietate careant, & ius libertatis amittant. Et quidem quia infelix neceſſitas cogit, ferenda vtcunq; erat extrema ſors eorum, ſi non eſſet aliquid extremius. Illud grauius & acerbius, quod additur huic malo ſæuius malum. Nam ſuſcipiuntur & aduenæ ſunt præiudicio habitationis indigenæ, & exemplo quodam illius maleficæ præpotentis, quæ transferre homines in beſtias dicebatur; ita & iſti omnes, qui intra fundos diuitum recipiuntur, quaſi Circei poculi transfiguratione mutantur. Nam quos ſuſcipiunt vt extraneos & alienos, incipiunt habere quaſi

B

proprios quos eſſe conſtat ingenuos, vertuntur in ſeruos. Et miramur, ſi nos barbari capiunt, cum fratres noſtros nos faciamus eſſe captiuos? Nil ergo mirum eſt, tot vaſtationes atque excidia ciuitatum: diu id plurimorum oppreſſione elaborauimus, vt captiuando alios etiam ipſi inciperemus eſſe captiui. Sentimus enim & ſi tardius multo quàm merebamur, ſentimus tandem illa quæ fecimus, &, iuxta ſermonem ſacrum, labores manuum noſtrarum mãducamus, ac iuſto iudice Deo ſoluimus quæ debemus. Miſerti quippe exulum non ſumus, ecce ipſi exules ſumus: peregrinos fraude cepimus, ecce ipſi peregrinamur atque fraudamur. Præiudiciis temporum ingenui ſtatus homines circumuenimus, ecce ipſi nuper quidẽ in alieno ſolo viuere cœpimus, ſed præiudicia iam timemus. Et ô quanta eſt infidelis malarum mẽtium cæcitas: damnationem perferimus iudicãtis Dei, & nec dũ nos agnoſcimus iudicari. Et mirantur aliqui ſanctorum, quod exemplo noſtro cæteri non emendentur, qui nihil adhuc tale tolerarunt; cum tormẽtis noſtrarum iniquitatum nec ipſi quidem qui iam à Deo plectimur corrigamur.

C

O ſuperbiam non ferendam: plurimi pœnas peccatorum ſuorum perferunt, & intelligere cauſas pœnarum nemo dignatur. Sed eſt cauſa euidens, quæ hanc ſuperbiam facit: ſcilicet quia etſi aliqua iam patimur, nondum tam patimur quàm meremur. Tanta eſt enim miſericordia Dei, vt & ſi nos pati vult aliqua de piaculis noſtris, nolit tamen cũcta tolerare: quia caſtigat malos, non re mala: & agnoſcere non peccata noſtra mauult, quàm ſuſtinere: ſcilicet vt & piis ac ſalubribus flagellis oſtendat nobis quæ ferre mereamur; ſed tamen nõ inferat quæ meremur, iuxta illud ſcilicet beati Apoſtoli dictum, quo

Rom. 2.

ait: *Ignoras quoniam bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum duritiam autem tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ.* Et vere ita agimus, vt dicit Apoſtolus: Deus enim nos vocat ad pœnitentiam, ſed nos theſaurizamus iram. Deus nos inuitat ad veniam, ſed nos quotidie cumulamus offenſam. Vim Deo facimus iniquitatibus noſtris, ipſi in nos iram diuinitatis armamus. Cogimus ad vlciſcendas criminum noſtrorum immanitates nolentem Deum. Propè eſt, vt eum non

Cogimus Deum ad vlciſcẽda noſtra peccata.

D

permittamus vt parcat. Nam cum in eum nullum vnquam iniuſtitiæ ſignum cadere aut apparere poſſit, ſic agimus, vt ſi enormitates noſtrorum ſcelerum non vlciſcitur, iniuſtus eſſe videatur. Sed videlicet peccator fuit aliquando aliquis fortaſſe iam non eſt: aut eſt vllus criminum modus, & non prius eſt vt de vita homines quàm de iniquitate diſcedant. Quis enim non cum ipſis iniquitatibus ſuis moritur, & cum ipſis admodum atque in ipſis ſceleribus ſepelitur? vt vere de his propheticum illud rectiſſime dici poſſit:

Pſalm. 48.

Sepulchra eorum domus eorum in æternum, & comparati ſunt iumentis inſipientibus, & ſimiles facti ſunt illis. Atque vtinam iumentis. Melius quippe fuerat beluina imprudentia deuiaſſe. Illud peius & criminoſius, quia non ignorantia Dei, ſed deſpectione peccarunt. Atque hoc videlicet laici tantummodo, non quidam etiam clericorum, ſeculares tantum-

Contra religioſos qui veſtẽ exuerunt non mentem.

E

modo, non multi etiam religioſi, immo ſub ſpecie religionis viciis ſecularibus mancipati: qui ſcilicet poſt veterum flagitiorum probra & crimina titulo ſanctitatis ſibimet inſcripto, non conuerſatione alii, ſed profeſſione nomen tantum † demutauere, non vitam: & ſummam diuini cultus habitum magis quàm actum exiſtimantes, veſtem tantummodo exuere, non mentem.

† denorauere.

Vnde illi ſe minore inuidia criminoſos putant; qui cum pœnitentiam quaſi egiſſe dicantur, ſicut mores priſtinos, ita etiam habitu non relinquunt. Nam taliter ferme omnia agunt, vt eos non tam putes antea pœnitentiam criminum egiſſe, quam poſtea ipſius pœnitentiæ pœnitere: nec tam prius pœnituiſſe quod male vixerint, quàm poſtea quod ſe promiſerint bene eſſe victuros. Sciunt me verum loqui, & teſtimonium mihi etiam conſcientia ſua dicunt, cum multi alij, tum præcipue illi nouorum honorum religioſi ambitores, & poſt acceptum pœnitentiæ nomen, ampliſſimæ, ac prius non habitæ poteſtatis emptores: adeò non ſeculares tantum, ſed plus etiam

F

quàm ſeculares eſſe voluerunt: vt non ſufficeret eis quod ante fuerant, niſi plus eſſent poſtea quàm fuiſſent. Quomodo igitur tales iſti pœnitentiam ſe egiſſe non pœnitent? Sicut etiam illi de conuerſione ac Deo aliquid cogitaſſe, qui à coniugibus propriis abſtinentes, à rerum alienarum peruaſione non abſtinent: & cum profiteantur continentiam corporum, in incontinentiam debacchantur animorum. Nouum prorſus conuerſionis genus, licita non faciunt, & illicita committunt.

Animorũ incontinentia.

Temperant à concubitu, & non temperant à rapina. Quid agis ſtulta perſuaſio? peccata interdixit Deus, non matrimonia, non cõueniunt veſtris ſtudiis facta veſtra: non debetis eſſe amici criminum, qui dicitis vos ſectatores eſſe virtutum. Præpoſterum eſt quod agitis, non eſt hoc conuerſio, ſed auerſio: quia iam pridem, vt fama eſt, opus etiam honeſti matrimonij reliquiſtis: tandem à ſcelere ceſſate. Et quidem iuſtum eſt, vt ab omni ſcelere: ſed tamen ſi non ab omni, quia hoc fortaſſe durum & impoſ-

G

ſibile eſſe creditis, certè vel à maximo & prodigioſo. Eſto, iuxta te, quicunque ille es, vicini ſtare non valeant. Eſto, pauperes habitare non poſſint. Eſto, ſis perſecutor multorum inopum, vaſtatorque miſerorum. Eſto afflictor omnium, dummodo extraneorum. Tandem quæſo vel tuis parce: & ſi non tuis omnibus, quia etiam hoc fortitan onerosum tibi & graue iudicas, ſi omnibus tuis parcas: parce ſaltem vel illis tuis, qui te non affinibus tantum aliis aut propinquis, ſed perſonis etiam deuinctiſſimis & pignoribus cariſſimis prætulerunt. Et quid dicam pignoribus aut filiis? prætulerunt te etiam animabus pene ac † ſpebus ſuis: non quidem laudabiliter,

† ſpeciebus.

& errorem ſuum qui ira egit ipſe cognoſcit. Sed ad te tamẽ, cui ipſum hoc præſtitit, quid errauit. Hoc enim plus ei debes, quia dilectionis tuæ nimietate peccauit. Cæcus quidem factus eſt affectu tuo & notatur à cunctis atque reprehenditur: ſed tamen tu hoc magis ei obnoxius factus es, quia ſe ab omnibus fecit pro tuo amore culpari. Quid ergo ſimile apud barbaros Gothos, quis eorum amantibus nocet? quis diligentem inſequitur? quis cari

H

ſui mucrone iugulatur? tu amantes perſequeris, tu offerentibus munera manus amputas, tu diligentes proximos necas, non metuis, non expaueſcis. Quid faceres, ſi iudicium Dei præſens non etiam proxima flagellatione ſentiſſes? Addis inſuper & adiungis malis prioribus noua crimina. Conſidera quæ te maneant grauiora facientem, cum minora ſoleant etiam per dæmones vindicari. Contentus eſto iam quæſumus amicorum tuorum & ſodalium latrociniis, ſufficiat vexatos fuiſſe pauperes, ſufficiat ſpoliatos à te fuiſſe mendicos: pene iuxta te nullus intrepidus, nullus poteſt eſſe ſecurus: facilius præcipitati ex Alpina rupe torrentes, aut incendia ventis exagitata tolerantur: non ſic pereuntes, vt ita dixerim, nautæ Charybdis voracitate aut Scylleis, vt aiunt, canibus deuorantur. Exturbas poſſeſſiunculis ſuis vicinos tuos, habitatione ac facultate proximos tuos. *Nunquid* vt ſcriptum eſt, *ſuper terram ſolus habitabis?* Hoc vnum quippe eſt quod obtinere non poteris: quamlibet enim cun-

Eſa. 5.

A

ēta occupes, quamlibet cunctaperuadas, vicinum ſemper inuenies. Reſpice quæſo alios, quos velis nolis & ipſe † ſuſpicis. Reſpice alios, quos velis nolis etiam ipſe miraris, altiores ſunt cæteris dignitate & æquales dignatione, maiores ſunt poteſtate & minores humilitate. Scis profectò etiam ipſe ad quem nunc loquimur, de quo loquamur: & idem de quo nunc querimur, debes agnoſcere quem hac laude veneramur: atque vtinam multi eſſent qui laudarentur, ſalubritas eſſet omnium, generoſitas plurimorum. Sed eſto tu nolis eſſe laudabilis, cur velis quæſo eſſe damnabilis? Cur tibi iniuſtitia nil amicius? cur auaritia nil iucundius, cur rapacitate nil carius? Cur nil iudicas precioſius quam nequitiam? Cur nil præſtantius quam rapinam? Diſce vel à pagano homine virum bonum: Caritate enim, inquit, & beneuolentia ſeptum oportet eſſe non armis. Fallunt te itaque opiniones tuæ, fallit prauæ & cæcæ mentis improbitas. Si vis probus, ſi vis potens, ſi vis magnus eſſe, honeſtate debes cæteros, non malignitate ſuperare. Legi quondam in quodam loco: Nemo malus, niſi ſtultus: ſi enim ſaperet, bonus eſſe mallet. Et tu ergo, tamen ſi redire adhuc ad ſanitatem potes, exue nequitiam, ſi vis habere ſapientiam. Si enim optas vel ſapiens omnino eſſe, vel ſanus, exuendus tibi omnino & commutandus es. Abdicate itaque à te ipſo, ne abdiceris à Chriſto. Repudia te, vt recipiaris à Chriſto. Perde te ipſe, ne pereas. *Qui enim*, inquit Saluator, *perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Dilige itaq; hanc tuam ſalubrem perditionem, vt adſequaris veram ſalutem. Liberandus enim à Deo ipſo omnino non eris, niſi te ipſe damnaueris.

† Suſcipis.

Charitate ſeptum eſſe non armis.

Nemo malus niſi ſtultus ex Stoicorum placitis.

B

Luc. 9.

Explicit liber V.

INCIPIT LIBER SEXTVS.

PERSONALITER diu locuti ſumus, & exceſſiſſe videmur regulam diſputandi. Cogitat enim abſq; dubio is qui legit (ſi fuerit tamen aliquis qui ex Chriſti amore conſcripta ob Chriſtum legat) cogitat de me forſitan, vel dicit: Cum cauſa generalis ſit quam exſequitur, quid negocio huic contulit, quod in perſonam vnius tanta congeſſit? Eſto etenim ille, de quo locutus eſt, talis. Sed nunquid officit honitati vnius, crimen alterius: aut quod fortius multo eſt, nunquid læditur ſcelere perſonali, cauſa cunctorum. Poſſum quidem euidentibus teſtimoniis approbare quia læditur. Achar enim quondam de anathemate quippiam furto abſtulit, & crimeo vnius hominis plaga omnium fuit. Dauid numerari plebem Iſraeliticam iuſſit, & errorem illius Dominus clade totius populi vindicauit. Rabſaces locutus quædam in contumeliam Dei, & centum octoginta quinque millia hominum ſtrage percuſſit, quod vnius profani hominis procax lingua maledixit. Et ideo non immerito etiam B. Apoſtolus Paulus eiici de Eccleſia peſtilentem iubet, & cur iubeat oſtendit, dicens: *Quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Inde euidenter agnoſcimus etiam vnum ſæpiſſime malum hominem, perditionem eſſe multorum. Nec iniuria. Intelligere is quicunq; legerit debet non ſuperflue me ſuperius de vno malo aliqua dixiſſe, cum ſcil. frequentiſſime diuinæ maieſtatis iracundia etiam per vnum legatur accenſa. Sed ego non ago hac diſtrictione qua dico. Neq; enim neceſſe eſt, vt vnum obeſſe omnib. putem, cum omnes mutuo ſibi obſint. Non conuenit, vt per vnum cunctos periclitari putem, cum per ſe cuncti periclitentur. Omnes enim admodum in perditionem ruunt: aut certe, vt aliquid dicam lenius, pene omnes. Vnde enim hoc bonum populo Chriſtiano, vt aut minor, aut certe vel idem eſſet malorum numerus qui bonorum? O miſeriam lacrymabilem, ô miſeriam luctuoſam: quàm diſſimilis eſt nunc à ſeipſo populus Chriſtianus, id eſt, ab eo qui fuit quondam. Tunc princeps Apoſtolorum Petrus Ananiam & Saphyram quia mentiti eſſent, morte mulctauit. Beatiſſimus quoque Paulus etiam vnum de Eccleſia malum expulit, ne contactu ſuo plurimos inquinaret. Nunc nos etiam pari vtriuſque partis numero contenti ſumus. Et quid contenti dicam? Exultare nos potius ac tripudiare gaudio conueniret, ſi parilitas iſta nobis contingeret. Ecce in quid recidimus, ecce in quid poſt illam Chriſtiani populi puritatem, qua omnes quondam immaculati erant: ecce in quid redacti ſumus, vt beatam fore Eccleſiam iudicemus, ſi vel tantum in ſe boni habeat quantum mali. Nam quomodo non beatam arbitremur, ſi mediam plebis partem haberet innoxiam, quam pene totam nunc eſſe plangimus criminoſam. Vnde ſuperflue, cum hoc ita ſit, ſuperflue dudum de vno malo locuti ſumus, ſuperflue vnius ſcelera defleuimus: aut omnes enim, aut pene omnes flendi atq; lugendi ſunt. Nam aut plurimi tales ſunt, aut certe, quod non minus criminoſum eſt, cupiunt tales eſſe, & laborant actu malorum operum non impares videri: ac per hoc etiam ſi minora mala faciunt, quia minus poſſunt, non minus tamen mali ſunt, quia volunt minus eſſe ſi poſſint. Deniq; quod vnum poſſunt vel voto tales ſunt, ac voluntate non cedunt: & in quantum facultas ſuppetit ſuperare contendunt. Eſt enim licet in diſſimilibus rebus hæc illorum æmulatio quæ bonorum: vt ſicut boni optant cunctos honeſtate mentium vincere, ſic mali cupiant prauitate ſuperare: Nam ſicut hæc bonorum gloria eſt, vt quotidie meliores ſint, ſic malorum omnium, vt deteriores: & ſicut optimi cupiunt virtutum vniuerſarum culmen aſcendere, ſic peſſimi optant palmas ſibi vniuerſorum ſcelerum vendicare. Eſt hoc vtique in malum noſtrum, maxime noſtri, hoc eſt Chriſtianorũ, qui ſcil. vt iam diximus, malitiam ſapientiam putant. Et de quibus Deus ſpecialiter dicit: *Perdam ſapientiam ſapientium, & intellectum prudentium reprobabo.* Cumq; Apoſtolus clamet: *Si quis videtur ſapiens, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens:* hoc eſt dicere, Si quis vult eſſe ſapiens, ſit bonus: quia nemo vere ſapiens, niſi vere bonus. Nos e diuerſo malarum mentium vino, & vt diuinitas ait, reprobo ſenſu, bonitatem pro ſtultitia repudiantes, & nequitiam pro ſapientia diligentes, tanto quotidie prudentiores eſſe nos credimus, quanto peiores ſumus. Et quæ tandem rogo ſpes emendationis in nobis eſt, qui non errore opinionis ad malum ducimur, ſed ſtudio malæ voluntatis adnitimur, vt ſemper peiores eſſe videamur. Et hinc eſt quod dudum queſtus ſum deteriores nos multo eſſe, quàm barbaros: quia illos ignorantia legis excuſat, nos ſcientia accuſat. Illi per imperitiam veritatis, quia quæ ſunt bona neſciunt, mala pro bonis diligunt: nos cum ſcientiam veritatis habeamus, quæ ſint bona optime nouimus *** modis. Primum, quod nihil fermè vel criminum, vel flagitiorum eſt, quod in ſpectaculis non ſit: vbi ſummum deliciarum genus eſt mori homines, aut quod eſt morte grauius acerbiuſq;, lacerari, expleri ferarum aluos humanis carnibus, comedi homines, cum circumſtantium lætitia, conſpicientium voluptate: hoc eſt non minus pene hominum aſpectibus, quam beſtiarum dentibus deuorari. Atq; vt hoc fiat, orbis impendium eſt. Magna enim cura id agitur, & elaboratur: adeuntur etiam loca abdita, luſtrantur inuii ſaltus, peragrantur ſyluæ inexplicabiles, conſcenduntur nubiferæ alpes, penetrantur niuiferæ valles. Et vt deuorari poſſint à feris viſcera hominum, non licet naturam rerum aliquid habere ſecretum. Sed hæc, inquis, non ſemper fiunt. Certum eſt, & præclara erroris eſt excuſatio, quia non ſemper fiunt; quaſi vero vnquam fieri debeant, quæ Deum lædant: aut ideo quæ mala ſunt bene fiant, quia non iugiter fiant. Nam & homicidæ homines non ſemper occidunt, & homicidæ tamen ſunt etiam quando non occidunt, quia interdum polluuntur homicidio: & latrones omnes non ſemper latrocinantur, ſed latrones tamen non eſſe deſinunt: quia etiam cum rebus ipſis latrocinia non agunt, animis tamen à latrocinio non recedunt. Sic vtique omnes hi, qui ſpectaculis huiuſmodi delectantur, etiam quando non ſpectant, innoxii tamen à ſpectaculorum maculis mente non ſunt, quia ſemper vellent ſpectare ſi poſſent. Nec ſolum hoc, ſed ſunt alia maiora.

C

Vt vnum ... [illegible]

Ioſ. 7.

2. Reg. 24.

Eſa. 36

1. Cor. 5.

D

Act. 5.

E

Chriſtianorum hoc tempore degeneres à primorum Chriſtianorum puritate.

F

1. Cor. 1.

G

Aduerſus ſpectaculorum incommoda.

* In veteri exemplari ad notatũ eſt deeſſe hic aliquid. Et vero multa deeſſe quis non videat?

H

Quid

A

Auguriis in conſulibus deſignandis ſi ſuſtinentur inceſſati.

Quid enim? nunquid non in Conſulibus deſignandis & pulli adhuc Gentilium ſacrilegiorum more paſcuntur, & volantis pennæ auguria quæruntur, ac pene omnia fiunt, quæ etiam illi quondam pagani veteres friuola atq; irridenda duxerunt? Et cum hæc omnia ipſi agant, qui annis nomina tribuunt, & à quibus anni ipſi exordium ſumũt; credimus nobis bene annos poſſe procedere, quia à rebus talibus ordiamur. Atq; vtinam ſicut hæc propter conſules tantum fiunt, ita illos tantum inceſtarent propter quos fiunt. Illud eſt ſceleſtiſſimum & grauiſſimum, quod dum conſenſu publico aguntur, honor pauciſſimorum, fit crimen omnium: *ac ſi ex ſingulis bini inaugurentur, prope eſt vt in omni mundo nullus euadat. Sed de his putemus hoc ſatis eſſe quod dictum eſt; quæ, vt ipſi ex-cuſatis, non ſemper fiunt. De quotidianis tamen obſcœnitatibus loquamur quas tales ac iam innumeras legiones dæmonum excogitauerunt, vt etiam honeſtæ ac probæ mentes, etſi nonnullas earum ſpernere, ac calcare poſſunt, omnes tamen penitus ſuperare vix poſſint. Sicut enim exercitus pugnaturi ea loca, per quæ venturas hoſtium turmas ſciunt, aut foueis intercidere, aut ſudib. præfigere, aut tribulis infeſtare dicuntur: ſcil. vt etiam ſi non in omnia ea quiſpiam incidat, nullus tamen penitus euadat: Ita etiam dæmones tam multas in vita iſta humano generi illecebrarum inſidias prætenderunt, vt etiſi plurimas earum aliquis effugiat, tamen quacunque capiatur. Equidem quia longum eſt nunc dicere de omnibus, amphitheatris ſcilicet, *odeis, luſoriis, pompis, athletis, *petaminariis, pantomimis, cæteriſque portentis: quæ piget dicere, quia piget malum tale vel noſſe, de ſolis circorum ac theatrorum impuritatibus dico. Talia enim ſunt, quæ illic fiunt, vt ea non ſolum dicere, ſed etiam recordari aliquis ſine pollutione non poſſit. Alia quippe crimina ſingulas ſibi fermè in nobis vendicant portiones, vt cogitationes ſordidæ animum, vt impudici aſpectus oculos, vt auditus improbi aures, ita vt cum ex his vnum aliquid errauerit, reliqua poſſint carere peccatis. In theatris vero nihil horum reatu vacat, quia & concupiſcentiis animus, & auditu aures, & aſpectu oculi polluuntur. Quæ quidem omnia tam flagitioſa ſunt, vt etiam explicare ea quiſpiam atque eloqui ſaluo pudore non valeat. Quis enim integro verecundiæ ſtatu dicere queat illas rerum turpium imitationes, illas vocum ac verborum obſcœnitates, illas motuum turpitudines, illas geſtuum fœditates? quæ quanti ſint criminis, vel hinc intelligi poteſt, quod & relationem ſui interdicunt. Nonnulla quippe etiam maxima ſcelera incolumi honeſtate referentis & nominari, & argui poſſunt, vt homicidium, latrocinium, adulterium, ſacrilegium, cæteraque in hunc modum. Solæ theatrorum impuritates ſunt, quæ honeſte non poſſunt vel accuſari: ita noua in coarguenda harum turpitudinum probroſitate res euenit arguenti: vt cum abſque dubio honeſtus ſit qui accuſare ea velit, honeſtate tamen integra ea loqui & accuſare non poſſit. Alia quoque omnia mala agentes polluunt, non videntes vel audientes. Siquidem etſi blaſphemum quempiam audias, ſacrilegio non pollueris, quia mente diſſentis. Et ſi interuenias latrocinio, non inquinaris actu, qui abhorres animo. Solæ ſpectaculorũ impuritates ſunt, quæ vnum admodum faciunt & agentium & aſpicientium crimen. Nam dum ſpectantes hæc comprobant ac libenter vident, omnes ea viſu atque aſſenſu agunt, vt vere in eos Apoſtolicum illud peculiariter cadat: *quia digni ſunt morte non ſolum qui faciunt ea, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Itaque in illis imaginibus fornicationum, omnis omnino plebs animo fornicatur. Et qui forte ad ſpectaculum puri venerant, de theatro adulteri reuertuntur. Non enim tunc tantummodo quando redeunt, ſed etiam quando veniunt fornicantur. Nam hoc ipſo quod aliquis rem obſcœnam cupit dum ad immunda properat, immundus eſt. Quæ cum ita ſint, ecce qualia aut omnes, aut pene omnes Romani agunt. Et cum hæc ita ſint, qui talia agimus, negligi nos à diuinitate cauſamur; relinqui nos à Domino noſtro dicimus, cum ipſi Dominum relinquamus. Fingamus enim, quod reſpicere nos Dominus noſter velit, etiam non merentes, videamus ſi poteſt. Ecce innumera Chriſtianorum millia in ſpectaculis quotidie rerum turpium commorantur. Poteſt ergo illos Deus reſpicere, qui tales ſunt? Poteſt ad eos reſpicere, qui bacchantur in circis, qui mœchantur in theatris? An forte hoc volumus, & hoc dignum putamus, vt cum in circis nos & in theatris Deus videat, ea quæ nos aſpicimus, aſpiciat quoque ipſe nobiſcum, & turpitudines quas nos cernimus, cernat etiam ipſe nobiſcum? alterutrum enim fieri neceſſe eſt: quia ſi nos videre dignatur, conſequens eſt, vt etiam illa vbi nos ſumus videat: aut ſi ab illis, quod non dubium eſt, auertit oculos, etiam à nobis qui illic ſumus pariter auertat. Et cum hæc ita ſint, facimus hæc tamen, ac ſine ceſſatione quæ dixi. An forte in morem veterum paganorum, theatrorum & circorum nos Deum habere arbitramur? Faciebant enim hæc illi quondam, quia has idolorum ſuorum delitias eſſe credebant. Nos quomodo hæc facimus, qui odiſſe Deum noſtrum hæc certi ſumus? Aut certe ſi placere has turpitudines Deo nouimus, non prohibeo quin ſine ceſſatione faciamus. Si vero in conſcientia noſtra hoc eſt, quod Deus horret, quod execratur, quod ſicut in his ſit paſtus diaboli, ita offenſio Dei: quomodo nos in Eccleſia Dei colere Deum dicimus, qui in obſcœnitate ludorum ſemper diabolo deſeruimus, & hæc gnari ac ſcientes, de conſilio & induſtria? Et quæ nobis quæſo, ſpes erit apud Deum, qui non caſu aut imprudentia Deum lædimus, ſed exemplo illorum quondam gigantum, quos inſanis conatibus ſuperna tentaſſe, & quaſi in nubes gradum tuliſſe legimus. Sic nos per iniurias quas in omni mundo ſemper inferimus, quaſi conſenſu publico cœlum oppugnamus. Chriſto ergo, ô amentia monſtruoſa, Chriſto circenſes offerimus & mimos, tunc & hoc maxime cum ab eo aliquid boni capimus, cum proſperitatis ab eo aliquid attribuitur, aut victoria de hoſtibus à diuinitate præſtatur. Et quid aliud hac re facere videmur, quàm ſi quis homini beneficium largienti iniurioſus ſit, aut blandientem conuitiis cædat, aut oſculantis vultum mucrone transfigat? Interrogo enim omnes potentes ac diuites mundi huius, cuius piaculi reus ſit ſeruus ille, qui bono ac pio Domino malum cogitet, qui bene merenti conuicium faciat, & pro libertate quam accipit, contumeliam reddat: abſque dubio maximi criminis reus creditur, qui malum pro bono reddit, cui etiam malum pro malo reddere non liceret. Hoc ergo etiam nos qui Chriſtiani dicimur facimus: irritamus in nos miſericordem Deum impuritatibus noſtris, propitiantem ſordibus lædimus, blandientem iniuriis verberamus. Chriſto ergo, ô amentia monſtruoſa, Chriſto circenſes offerimus & mimos, Chriſto pro beneficiis ſuis theatrorum obſcœna reddimus, Chriſto ludicrorum turpiſſimorum hoſtias immolamus. Videlicet hoc nos pro nobis in carne natus Saluator noſter edocuit. Hoc vel per ſeipſum, vel per Apoſtolos prædicauit. Propter hoc humanæ natiuitatis verecundiam ſubiit, & contumelioſa terreni ortus principia ſuſcepit. Propter hoc in præſepio iacuit, cui ſeruierunt Angeli cum iaceret. Propter hoc inuolui ſe pannorum crepundiis voluit, qui cœlum regebat in pannis. Propter hoc in patibulo pependit, quem pendentem mundus expauit. *Qui propter vos,* inquit Apoſtolus, *pauper factus eſt, cum diues eſſet, vt illius inopia vos boni ditaremini.* Et, *cum in forma,* inquit, *Dei eſſet, humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Hoc nos videlicet Chriſtus inhuit, cum pro nobis iſta toleraret. Præclaram paſſioni eius viciſſitudinem reddimus, qui cum morte ipſius redemptionem accepimus, vitam turpiſſimam rependimus. *Apparuit enim,* inquit beatiſſimus Paulus, *gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, erudiens nos, vt abnegantes impie-*

**aut ſic.*

B

**odiuis.*

**Iul. Firmic. li. 8 cap. 15.*

Theatrorum impuritas.

C

D

Contra theatrica ſpectacula.

Rom. 1.

E

F

Theatrorum & circorum Deus.

G

Ludi circenſes in Chriſti honorem a Chriſtianis impie celebrati.

H

2. Cor. 8.

Philip. 2.

Tit. 2.

pie-

A

pietatem, & ſecularia deſideria, ſobrie & pie & iuſte viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti: qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Vbi ſunt qui hæc faciant, propter quæ veniſſe Chriſtum Apoſtolus dicit? Vbi ſunt qui deſideria ſeculi fugiant, vbi qui vitam pie ac iuſte agant, vbi qui ſperare ſe ſpem beatam bonis operibus oſtendant? Et immaculatam vitam agentes, hoc ipſo ſe perhibent regnum Dei expectare, quia merentur accipere? *Venit*, inquit, *Dominus Ieſus Chriſtus, vt mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Vbi eſt populus ille mundus, vbi populus acceptabilis, vbi populus boni operis, vbi populus ſanctitatis? *Chriſtus*, inquit ſcriptura, *pro nobis paſſus eſt, nobis exemplum relinquens, vt ſequamur veſtigia eius.* Videlicet veſtigia Saluatoris ſequimur in circis, veſtigia Saluatoris ſequimur in theatris. Tale nobis ſcilicet Chriſtus reliquit exemplum, quem fleuiſſe legimus, riſiſſe non legimus. Et hoc vtrumque pro nobis, quia fletus punctio eſt animæ, riſus corruptio diſciplinæ. Et ideo dicebat: *Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis: & beati qui fletis, quoniam ridebitis.*

1. Petr. 2.

Fleuiſſe Chriſtum legimus, non riſiſſe.

B

Luc. 6.

Nobis autem ridere & gaudere non ſufficit, niſi cum peccato atque inſania gaudeamus: niſi riſus noſter impuritatibus, niſi flagitijs miſceatur. Quis rogo hic error eſt, quæ ſtultitia? Nunquid lætari aſſidue, & ridere non poſſumus, niſi riſum noſtrum atque lætitiam ſcelus eſſe faciamus? An forte infructuoſum putamus gaudium ſimplex, nec delectat ridere ſine crimine? Quod rogo hoc malum eſt, aut quis furor? Rideamus quæſo quamlibet immenſuratim, lætemur quamlibet iugiter: dummodo innocenter. Quæ vecordia eſt & amentia, vt non putemus riſum & gaudium tanti eſſe, niſi in ſe Dei habeat iniuriam? Iniuriam vtiq; & quidem maximam. In ſpectaculis enim quædam apoſtaſia fidei eſt, & à ſymbolis ipſius & cœleſtibus ſacramentis letalis præuaricatio. Quę eſt enim in baptiſmo ſalutari Chriſtianorum prima confeſſio? quæ ſcilicet, niſi vt renunciare ſe diabolo ac pompis eius atq; ſpectaculis & operibus proteſtentur? Ergo ſpectacula & pompæ, etiam iuxta noſtram profeſſionem opera ſunt diaboli. Quomodo, ô Chriſtiane, ſpectacula poſt baptiſmum ſequeris, quæ opus eſſe diaboli confiteris. Renunciaſti ſemel diabolo & ſpectaculis eius, ac per hoc neceſſe eſt, prudens & ſciens dum ad ſpectacula remeas, ad diabolum te redire cognoſcas. Vtriq; enim rei ſimul renunciaſti, & vnum vtrumque eſſe dixiſti. Si ad vnum reuerteris, ad vtrumq; remeaſti: abrenuntio enim, inquis, diabolo, pompis, ſpectaculis, & operibus eius. Et quid poſtea? credo, inquis, in Deum patrem omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum filium eius. Ergo primum renuntiatur diabolo, vt credatur Deo: quia qui non renuntiat diabolo, non credit Deo: & ideo qui reuertitur ad diabolum relinquit Deum. Diabolus autem in ſpectaculis eſt & pompis ſuis: ac per hoc cum redimus ad ſpectaculum, relinquimus fidem Chriſti. Hoc itaque modo omnia ſymboli ſacramenta ſoluuntur, & totum quod in ſymbolo ſequitur, labefactatur & nutat. Nihil enim ſequens ſtat, ſi principale non ſteterit. Dic igitur tu Chriſtiane, quomodo tenere te ſequentia ſymboli putas, cuius principia perdidiſti: mēbra ſine capite nihil proſunt, & ad exordium ſui cuncta reſpiciunt: quæ vtiq; ſi perierint, omnia peſſum trahunt. Siquidem ſtirpe ſublata, aut non ſunt reliqua; aut ſi ſunt, ſine emolumento ſunt, quia ſine capite nihil conſtat. Si cui itaq; leue ſpectaculorum crimen videtur, reſpiciat cuncta iſta quæ diximus, & videat in ſpectaculis nō voluptatē eſſe; ſed mortem. Quid eſt autem aliud, quam mortem incurrere vitæ originem perdidiſſe? Vbi enim fundamentum ſymboli euertitur, vita ipſa iugulatur. Rurſum ergo neceſſe eſt redeamus ad illud quod ſæpe diximus: Quid ſimile apud barbaros, vbi apud illos circenſes, vbi theatra, vbi ſcelus diuerſarum impuritatum, hoc eſt ſpei noſtræ ac ſalutis excidium? quibus illi etſi vtpote pagani, vterentur, minore tamen culpa ſacræ offenſionis errabant, quia etſi eſſet impuritas viſionis, præuaricatio tamen non erat ſacramenti. Nos vero quid reſpondere pro nobis poſſumus? tenemus ſymbolum, & euertimus; & confitemur munus ſalutis pariter & negamus. Ac per hoc vbi eſt Chriſtianitas noſtra, quia ad hoc tantummodo ſacramentum ſalutis accipimus, vt maiore poſtea præuaricationis ſcelere peccemus? Nos eccleſiis Dei ludicra anteponimus, nos altaria ſpernimus, & theatra honoramus. Omnia denique amamus, omnia colimus, ſolus nobis in comparatione omnium Deus vilis eſt. Deniq; præter alia quæ id probant, indicat hoc etiam hæc res ipſa quā dico. Si quando enim venerit, quod ſcilicet ſępe euenit, vt eodem die & feſtiuitas eccleſiaſtica, & ludi publici agantur, quæro ab omnium conſcientia, quis locus maiores Chriſtianorum virorum copias habeat, cauea ne ludi publici, an atrium Dei? & templum omnes magis ſectemur, an theatrum? dicta Euangeliorum magis diligant an thymelicorum: verba vitæ, an verba mortis: verba Chriſti, àn verba mimi? Non eſt dubium quin illud magis amemus, quod anteponimus. Omni enim feralium ludicrorum die, ſi quælibet eccleſiæ feſta fuerint, non ſolum ad eccleſiam non veniunt, qui Chriſtianos ſe eſſe dicunt: ſed ſi qui inſcij forte venerint, dum in ipſa eccleſia ſunt, ſi ludos agi audiunt, eccleſiam derelinquunt. Spernitur Dei templum, vt concurratur ad theatrum. Eccleſia vacuatur, circus impletur; Chriſtum in altario dimittimus, vt adulterantes viſu impuriſſimo oculos ludicrorum turpium fornicatione paſcamus poſtea. Sed videlicet qui corrumpimur rebus proſperis, faciendum aliquid in principio putamus. Et ideo rectiſſime ad nos Dominus Deus dicit: Propter ſpurcitiam exterminari eſtis exterminio. Et rurſum: Exterminabuntur, inquit, aræ huius riſus. Sed videlicet reſponderi hoc poteſt, non in omnibus hæc Romanorum vrbibus agi. Verum eſt, etiam plus ego addo, ne illic quidem nunc agi, vbi ſemper acta ſunt antea. Non enim hoc agitur iam in Magontiacenſium atque Maſſilienſium ciuitate, ſed quia exciſa & deleta eſt. Non agitur Agrippinæ, ſed quia hoſtibus plena. Non agitur Treuerorum vrbe excellentiſſima, ſed quia quadruplici eſt euerſione proſtrata. Non agitur denique in plurimis Galliarum vrbibus & Hiſpaniarum, & ideo væ nobis atque impuritatibus noſtris, væ nobis atque iniquitatibus noſtris. Quæ ſpes Chriſtianis plebibus ante Deum eſt? Quandoquidem ex illo in vrbibus Romanis hæc mala non ſunt, ex quo in barbarorum iure eſſe cœperunt. Ac per hoc vitioſitas, & impuritas, quaſi germanitas quædam eſt Romanorum hominum, & quaſi mens atque natura: quia ibi præcipue vitia, vbicunque Romani. Sed grauis eſt forſitan hæc atque iniqua congeſtio: grauis profecto, ſi falſa. At quomodo, inquis, quomodo non falſa, cum in paucis nunc ferme Romanis vrbibus fiant iſta quæ diximus? Plurimas autem iam harum impuritate labe non pollui, vbi licet ſint loca ipſa ac domicilia erroris antiqui, nequaquam tamen agantur illa quæ prius acta ſunt. Conſiderandum ergo vtrumq; eſt, id eſt, quid ſit quod adhuc loca ipſa ac diuerſoria ludicrorum ſint, ludicra autem eſſe ceſſauerint. Loca enim & habitacula impudicorum idcirco adhuc ſunt, quia illic impura omnia prius acta ſunt: nunc autem ludicra ipſa ideo non aguntur, quia agi iam præ miſeria temporis atque egeſtate non poſſunt. Et ideo quod prius actū eſt, vitioſitatis fuit: quod nūc nō agitur, neceſſitatis. Calamitas enim fiſci & mendicitas iam Romani ærarij non ſinit, vt vbique in res nugatorias perditæ profundantur expenſæ. Pereant adhuc quamlibet multa, & quaſi in cœnum proijciantur: ſed tamen perire iam tanta non queunt, quia non ſunt tanta quæ pereant. Nam quātum ad votum noſtræ libidinis atque impuriſſimæ voluptatis, optaremus profecto vel ad hoc tantummodo plus habere, vt poſſemus in hoc turpitudinis lutum plura cōuertere. Et res probat quanta prodigere vellemus, ſi opulenti eſſemus ac ſplendidi, cum prodigamus tanta mendici. Ea eſt enim labes præſentium morum atq; perditio, vt cum iam non habeat paupertas quod poſſit perdere, adhuc tamen velit vitioſitas plus petire. Non eſt ergo

Contra riſum inteſtiuum, vt vitioſum Ridete innocentes.

C

Abrenuntiationes quæ fiunt in baptiſmate.

Symboli recitatio in baptiſmate.

D

E

Chriſtiani ludicra præponūt eccleſiis.

G

Chriſtus in altari.

Eſa. 16.

F

H

Mendicitas Romani ærarii.

Labes præſentium morum

quod

A quod blandiri nobis aliquid in hac parte poſſimus, vt di-
camus, non in omnibus nunc vrbibus agi illa quæ prius
acta ſunt. Ideo enim non in omnibus iam aguntur, quia
vrbes vbi agebantur illa, iam non ſunt: & vbi ſiquidem
diu acta ſunt, quæ id efficerent, vt vbi illa agebantur eſſe
non poſſint: ſicut ipſe ad peccatores Deus locutus eſt per
Ierem. 44 prophetam, quia *horum recordatus eſt Dominus: & aſcendit,*
inquit, *ſuper cor eius, & non poterat Dominus vltra portare
propter malitiam ſtudiorum veſtrorum, & propter abominatio-
nes quas feciſtis, & facta eſt terra veſtra in deſolationem & ſtupo-
rem, & in maledictum.* Per hæc ergo iam factum eſt, vt
maior pars Romani orbis in deſolatione eſſet & in ſtu-
porem, & in maledictum. Atque vtinam acta tantum-
modo prius eſſent, & agere hæc Romana vitioſitas ali-
quando ceſſaret, forſitan, vt ſcriptum eſt, *propitiaretur*
Pſal. 102. *Deus peccatis noſtris.* Sed nequaquam ita agimus, vt propi-
tietur. Mala enim inceſſabiliter malis addimus, & pec-
catis peccata cumulamus: & cum maxima noſtri pars
B iam perierit, id agimus, vt pereamus omnes. Quis rogo
interfici alterum iuxta ſe videt, & ipſe non metuit? Quis
domum vicini ſui ardere cernit & non efficere omnibus
modis nititur, ne ipſe incendio concremetur? Nos non
vicinos noſtros tantum ardere vidimus, ſed ipſi iam ex
maxima noſtrorum corporum parte arſimus. Et quid
hoc, prô nefas, mali eſt? arſimus, arſimus, & tamen
flammas quibus iam arſimus, non timemus. Nam quod
non vbique, vt dixi, agantur quæ prius acta ſunt, mi-
ſeriæ eſt beneficium, non diſciplinæ. Denique facile
hoc probo. Da enim prioris temporis ſtatum, & ſtatim
vbique ſunt quæ fuerunt. Plus addo: quantum ad vota
hominum pertinet, & ſi iam non vbique ſunt, vbique ad
hoc ſunt: quia vbique ea populus vellet eſſe Romanus.
Turpis rei cupiditas. Cum enim ab homine mala res ſola neceſſitate non agi-
tur, ipſa rei turpis cupiditas pro actione damnatur. Nam,
Matth. 5. ſicut dixi, iuxtà Domini noſtri dictum: *Qui mulierem vi-
derit ad concupiſcendum, reus eſt adulterij corde concepti*: intel-
ligere poſſumus, quod etiam ſi res turpes atque damna-
C biles neceſſitate non agimus, pro ipſa tamen rerum tur-
pium voluntate damnamur. Et quid dicam de volunta-
te? per omnes hæc fermè cum poſſunt aguntur. Denique
cuiuslibet ciuitatis incolæ Rauennam aut Romam ve-
nerint, pars ſunt Romanæ plebis in circo, pars ſunt po-
puli Rauennatis in theatro. Ac per hoc nemo ſe loco
aut abſentia excuſatum putet. Omnes turpitudine re-
rum vnum ſunt, qui ſibi rerum turpium voluntate ſo-
ciantur. Et blandimur nobis inſuper de probitate mo-
rum, blandimur nobis de turpitudinum raritate. Ego
amplius dico, non ſolum agi nunc illas ludicrorum inſa-
nium labes, quæ prius actæ ſunt, ſed criminoſius multo
Res Romana adhuc integra. agi, quàm prius actæ ſunt. Tunc enim integra Romani
orbis membra florebant, anguſta eſſe horrea publica o-
pes fecerant cunctarum vrbium, ciues diuitijs ac delitijs
affluebant, vix poterat religionis auctoritas inter tantam
rerum exuberantiam, morum tenere menſuram. Paſce-
bantur tunc quidem paſſim in locis plurimis auctores
turpium voluptatum, ſed plena ac referta erant omnia.
Nemo Reipub. ſumptus cogitabat, nemo diſpendia, quia
D non ſentiebatur expenſa. Quærebat quodammodo ipſa
Reſpublica vbi perderet, quod penitus poſſet iam vix re-
cipere: & ideo cumulus diuitiarum, qui iam fere modum
exceſſerat, etiam in res nugatorias redundabat. Nunc au-
tem quid dici poteſt. Receſſerunt à nobis copiæ veteres,
receſſerunt priorum temporum facultates. Miſeri iam
ſumus, & necdum nugaces eſſe ceſſamus. Cumque etiam
pupillis prodigijs vel prodigioſis ſoleat ſubuenire pau-
pertas, ſimulque vt deſtiterint eſſe diuites, deſinunt eſſe
vitioſi: nos tantum nouum genus pupillorum ac perdi-
torum ſumus, in quibus opulentia eſſe deſiit, ſed nequi-
tia perdurat: adeo nos non vt alij homines cauſas corru-
ptelarum in illecebris, ſed in cordibus habemus & vitio-
ſitas noſtra, mens noſtra eſt, vt ad emendandos nos non
facultatum ablatione, ſed malarum rerum amore pecce-
mus. Quanta autem vitia Romanorum ſint, quibus bar-
baræ gentes non coinquinantur, licet hactenus ſatis di-
xerim; addam tamen multa quæ deſunt: ſed illud admo-
neo tamen antequam dicam, ne vllum penitus culpæ ge- E
nus, quod ad contumeliam Dei pertinet, cuiquam leue
eſſe videatur. Si enim illuſtrem ac præpotentem virum
nequaquam exhonorari à quoquam licet, & ſi quiſquam
exhonorauerit, decretis legalibus reus ſiſtitur, & iniuria-
rum auctor iure damnatur. Quanto vtique maioris pia-
culi crimen eſt, iniurioſum quempiam Deo eſſe: Semper
enim per dignitatem iniuriam perferentis, creſcit culpa
facientis: quia neceſſe eſt quanto maior eſt perſona eius,
qui contumeliam patitur, tanto maior ſit noxa eius, qui
facit. Et hinc eſt quod legimus in lege, etiam eos qui *Exod. 31.*
videntur contra mandatum ſacrum leuia feciſſe ſeueriſ- *Num. 20.*
ſime tamen eſſe punitos: vt intelligeremus ſcilicet, nil *& 21.*
ad Deum pertinens, leue eſſe ducendum: quia etiam
quod videbatur exiguum eſſe culpa, grande hoc facie-
bat diuinitatis iniuria. Denique Oza ille Leuites Dei, *Par. 13.*
quid contra mandatum cæleſte fecit, quod vacillantem Oza percuſſus.
arcam Domini ſuſtinere tentauit? Nihil enim hinc erat
lege præceptum, & ſtatim dum ſuſtinebat, extinctus eſt: F
non quia vt videtur ad ſpeciem contumaci aliquid aut
inofficioſa ſaltem mente commiſerit, ſed ipſo officio in-
officioſus fuit, qui iniuſſa præſumpſit. Homo Iſraeliticæ *Num 15.*
plebis cum ligna ſabbatis collegiſſet, occiſus eſt, & hoc *& 11.*
iuſſu & iudicio Dei piiſſimi ſcilicet ac miſericordiſſimi
iudicis, & qui parcere abſque dubio quàm occidere ma-
luiſſet, niſi rationem miſericordiæ ſeueritatis ratio vi-
ciſſet. Vnus enim incautior perijt, ne multi per incau-
telam poſtea deperirent. Et quid de ſingulis dicam, vni-
uerſa gens Hebræorum cum per eremum iter ageret,
quia conſuetudinarias carnes deſiderauit, partem ſuæ
plebis amiſit. Et quidem interdictum necdum fuerat ne
deſideraret, ſed legali, vt reor, obſeruantiæ proficere
Deus voluit, vt rebellem concupiſcentiam coerceret:
quo facilius cunctus ſcilicet populus agnoſceret, quan-
tum euitare deberet, quæ Deus ſcriptis cæleſtibus inter-
diceret; quando etiam illa eum admiſſa læderent, quæ
necdum lege vetuiſſet. Laborem quoque ſe ſuſtinere i- *Exod. 1.*
dem populus ingemuit, & propter hoc plagis cæleſtibus G
verberatur, non quia laboranti gemere non liceat, ſed
ingratus ſcilicet fuit gemitus, contra Deum quaſi au-
ctorem immoderati laboris accuſans. Ex quo intelligi
conuenit quantum placere Deo debeat, qui rerum io-
cundarum beatitudine fruitur, quando etiam de his
queri non licet quæ ingrata videantur. Quæritur forſi-
tan, quorſum iſta pertineant? quorſum, abſque dubio,
niſi vt nihil leue æſtimetur quo Deus læditur. De ludis
enim publicis dicimus, ludibrijs ſcilicet ſpei noſtræ, lu-
dibrijs vitæ noſtræ. Nam dum in theatris & circis ludi-
mus: deperimus, ſecundum illud vtique dictum ſermo-
nis ſacri: *Stultus per riſum operatur ſcelus.* Et nos itaque dum *Prou. 10.*
inter turpia ac dedecoroſa ridemus, ſcelera committi-
mus, & quidem ſcelera non minima, ſed ab hoc ipſo
pœnaliora: quia cum videantur ſpecie eſſe parua, rebus
ſunt exitioſis peſtilentiſſima. Nam cum duo ſint maxi- Duo maxima mala.
ma mala, ſi homo aut ſeipſum perimat, aut Deum lædat,
hoc vtrunque in ludis publicis agitur. Nam per turpi-
tudines criminoſas æterna illic ſalus Chriſtianæ plebis
extinguitur, & per ſacrilegas ſuperſtitiones maieſtas di- H
uina violatur. Dubium enim nõ eſt, quod lædunt Deum,
vt pote idolis conſecratæ. Colitur namque & honora-
tur Minerua in gymnaſiis, Venus in theatris, Neptunus
in circis, Mars in arenis, Mercurius in palæſtris: & ideo
pro qualitate auctorũ, cultus eſt ſuperſtitionum. Quic-
quid immunditiarum eſt, hoc exercetur in theatris: quic-
quid luxuriarum, in palæſtris: quicquid immoderatio-
nis, in circis: quicquid furoris in caueis. Alibi eſt impudi-
citia, alibi laſciuia, alibi intemperantia, alibi inſania. V-
bique dæmon, imò per ſingula ludicrorum loca, vniuer-
ſa dæmonum monſtra, Præſident enim ſedibus ſuo cul-
tui dedicatis. Ac per hoc in ſpectaculis iſtiuſmodi non
ſola eſt illecebra, nec ſola vitioſitas: admiſceri enim huic
Chriſtianum hominem ſuperſtitioni, genus eſt ſacrile-
gij: quia eorum cultibus communicat, quorum feſtiuita-
tibus delectatur. Quod quidem licet ſemper admodum
graue ſit, tunc tamen magis intolerabile, cum præter

A conſuetudinarium vitæ vſum, hoc vel aduerſa noſtra faciunt criminoſius vel ſecunda: quia & magis placandus eſt in aduerſis Deus, & minus lædendus in proſperis. Placari quippe debet cum iraſcitur, lædi non debet cum propitiatur. Aduerſa enim nobis per iracundiam Dei veniunt, ſecunda per gratiam. Nos autem è diuerſo omnia agimus. Dicis, Quomodo? Accipe. Ac primum ſi quando exoratus ſua ipſa miſericordia Deus (neque enim vnquam nos ita viuimus, vt exorari mereamur) ſed ſi quando, vt dixi à ſeipſo exoratus pacificos nobis dies, prouentus vberes, diuitem bonis omnibus tranquillitatem & abundantiam dederit ſuper vota creſcentem: tanta ſecundarum rerum proſperitate corrumpimur, tanta morum inſolentium prauitate vitiamur, vt & Dei penitus obliuiſcamur & noſtri. Et cum omnem fructum datæ à Deo pacis in hoc conſiſtere Apoſtolus dicat, *vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate:* (1. Tim. 2.) ad hoc tantum data à Deo quiete vtimur, vt inebrietare, B vt in luxuria, vt in flagitijs, vt in rapinis, vt in omni ſcelere atque improbitate viuamus: quaſi vero beneficium datæ pacis vacatio ſit probroſitatis, & ad hoc inducias tranquillitatis Deo donante capiamus, vt licentius ſecuriuſque peccemus. Indigni itaque cœleſtibus donis ſumus, qui beneficijs Dei non bene vtimur: & facimus rem bonorum operum, materiam tantum eſſe vitiorum: quo fit vt ipſa pax contra nos ſit, quia ſic agitur à nobis, ne expediat rem accipere qua deteriores ſumus. Quis hoc credere queat? mutamus naturam rerum iniquitatibus noſtris: & quæ Deus bona fecit munere pietatis ſuæ, ea nos nobis facimus mala eſſe moribus malis. Sed videlicet qui corrumpimur rebus proſperis, corrigimur aduerſis: & quos intemperantes pax longa fecit, turbatio facit eſſe moderatos. Nunquid populi ciuitatum qui impudici rebus proſperis fuerant, aſperis caſti eſſe cœperunt? Nunquid ebrietas, quæ in tranquillitate & abundantia creuerat, hoſtili ſaltem depopulatione ceſſauit? Vaſtata eſt Italia tot iam cladibus: ergo Italorum vitia deſtiterunt? Obſeſſa eſt vrbs Roma & expugnata: ergo deſierunt blaſphemi ac furioſi eſſe Romani? C Inundarunt Gallias gentes barbaræ: ergo quantum ad mores perditos ſpectat, non eadem ſunt Gallorum crimina quæ fuerunt? Tranſcenderunt in Hiſpaniæ terras populi Wandolorum: mutata quidem eſt ſors Hiſpaniæ, ſed non mutata vitioſitas. (Bella nauigare cœperunt) Poſtremo ne qua pars mundi exitialibus malis eſſet immunis, nauigare per fluctus bella cœperunt: quæ vaſtatis vrbibus mari clauſis, & euerſis Sardinia ac Sicilia, id eſt fiſcalibus horreis, atque abſciſſis velut vitalibus venis, Africam ipſam, id eſt, quaſi animam captiuauere Reipublicæ. Ecquid ingreſſis gentibus barbaris terram illam, forſitan vel metu vitia ceſſarunt: aut ſicut corrigi ad præſens etiam nequiſſimi quique ſeruorum ſolent, modeſtiam ſaltem ac diſciplinam terror extorſit? Quis æſtimare hoc malum poſſit? circumſonabant armis muros Cirtæ Carthaginis populi (Carthago a barbaris obſeſſa.) barbarorum: & eccleſia Carthaginenſis inſaniebat in circis, luxuriabat in theatris: alij foris iugulabantur, alij intus fornicabantur: pars plebis erat foris captiua hoſtium, pars intus captiua vitiorum. D Cuius ſors peior fuerit, incertum eſt. Illi quidem erant extrinſecus carne, iſti intus mente captiui, & ex duobus letalibus malis, leuius, vt reor, eſt captiuitatem corporis Chriſtianum, quàm captiuitatem animæ ſuſtinere ſecundum illud quod docet Saluator ipſe in Euangelio, grauius multo animarum mortem eſſe quam corporum. An credimus forte, quod captiuus animo populus ille non fuerit, qui lætus tunc in ſuorum captiuitatibus fuit? captiuus corde & ſenſu non erat, qui inter ſuorum ſupplicia ridebat, qui iugulari ſe in ſuorum iugulis non intelligebat, qui mori ſe in ſuorum mortibus non putabat? Fragor, vt ita dixerim, extra muros, & intra muros, præliorum & ludicrorum confundebatur: vox morientium voxque bacchantium: ac vix diſcerni forſitan poterat plebis eiulatio quæ cadebat in bello, & ſonus populi qui clamabat in circo. Et cum hæc omnia fierent, quid aliud talis populus agebat, niſi vt cum eum Deus perdere adhuc fortaſſe nollet, tamen ipſe

E exigeret vt periret? Sed ego loquor de longe poſitis, & quaſi in alio orbe ſubmotis: cum ſciam etiam in ſolo patrio, atque in ciuitatibus Gallicanis omnes ferme præcelſiores viros calamitatibus ſuis factos fuiſſe peiores. (Saluiani patria.) Vidi ſiquidem ego ipſe Treueros domi nobiles, dignitate ſublimes, licet iam ſpoliatos atque vaſtatos, minus tamen euerſos rebus fuiſſe quàm moribus. Quamuis enim depopulatis iam atque nudatis aliquid ſupererat de ſubſtantia, nihil autem de diſciplina: adeo grauiores in ſemet hoſtes externis hoſtibus erant, vt licet iam à barbaris euerſi eſſent, à ſe tamen magis euerterentur. Lugubre eſt referre quæ vidimus, ſenes honoratos, decrepitos Chriſtianos, imminente admodum iam excidio ciuitatis, gulæ ac laſciuiæ ſeruientes. Quid primum accuſandum eſt? quod honorati, an quod ſenes, an quod Chriſtiani, an quod periclitantes? Quis enim hoc fieri poſſe credat, vel in ſecuritate à ſenibus, vel in diſcrimine à pueris, vel vnquam à Chriſtianis? Iacebant in conuiuijs obliti honoris, obliti ætatis, obliti profeſſionis, obliti nominis ſui. F Principes ciuitatis cibo conferti, violentia diſſoluti, clamoribus rabidi, bacchatione furioſi, nihil minus quàm ſenſus ſui: immo quia prope iugiter tales, nihil magis quam ſenſus ſui. Sed cum hæc ita ſiſſent, plus multo eſt quod dicturus ſum, finem perditioni huic nec ciuitatum excidia fecerunt. Deniq; expugnata eſt quarter vrbs Gallorum Treueris opulentiſſima, (Treueris quater expugnata.) Promptum eſt de quo dicam. Sufficere vtiq; debuerat emendationi prima captiuitas, vt inſtauratio peccatorum nó inſtauraſſet excidium. Sed quid plura? Incredibile eſt quod loquor, aſſiduitas illic calamitatum augmentum criminum fuit. Sicut enim anguinum illud monſtrum, vt fabulæ ferunt, quod multiplicabat occiſio, ita etiam in Gallorum excellentiſſima vrbe ijs ipſis quibus coercebantur ſcelera plagis creſcebant, vt putares pœnam ipſorum criminú quaſi matrem eſſe vitiorum. Et quid plura? Ad hoc quotidie malorum pullulantium multiplicatione peruentum eſt, vt facilius eſſet vrbem illam ſine habitatore, quam vllum pene habitatoré eſſe ſine crimine. Igitur hoc in illa. Quid in alia non longe, ſed prope eiuſdem magnificentiæ ciuitate? G nonne eadem & rerú ruina pariter & morum? Nam præter cætera, cum duobus illic præcipuis & generalibus malis auaritia & ebrietate omnia concidiſſent, ad hoc poſtremo rabida vini auiditate peruentum eſt, vt principes vrbis ipſius ne tunc quidem de conuiuijs ſurgerent, cum iam hoſtis vrbem intraret: adeo etiam Deus ipſis euidenter, vt credo, manifeſtare voluit cur perirent, cum per quam rem ad perditionem vltimam venerant, eam ipſam agerent cum perirent. Vidi ego illic res lachrymabiles, nihil ſcilicet inter pueros differre & ſenes. Vna erat ſcurrilitas, vna leuitas, ſimul omnia luxus, potationes, perditiones, cuncta omnes pariter agebant: ludebant, ebriabantur, enecabantur, laſciuiebant in conuiuijs, vetuli & honorati, ad viuendum prope iam imbecilles, ad vinum præualidiſſimi. Infirmi ad ambulandum, robuſti ad bibendum: ad greſſum nutabundi, ad ſaltandum expediti. Et quid plura? In hoc per cuncta illa quæ diximus deuoluti ſunt, vt compleretur in eis dictum illud ſermonis ſacri: *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt à* H *Deo.* (Eccleſ. 19.) Nam dum bibunt, ludunt, mœchantur, inſaniunt, Chriſtum negare cœperunt. Et miramur poſt omnia iſta, ſi ruinam rerum ſuarum paſſi ſunt, qui tanto ante mentibus corruerunt. Nemo itaque vrbem illam in excidio ſuo tantum periſſe credat. Vbi enim talia acta ſunt, prius iam perierant quàm perirent. Dixi de vrbibus præclariſſimis: quid reliquæ in diuerſis Galliarum partibus ciuitates? nunquid non conſimilibus habitatorum ſuorum vitijs cócidcrunt? Nam ita cunctos crimina ſua præceſſerant, vt nec metuerent periculum ſuum? Prænoſcebatur captiuitas, nec formidabatur: ablatus quippe erat à peccatoribus timor, ne poſſet eſſe cautela. Itaq; barbaris pene in conſpectu omnium ſitis, nullus metus erat hominum, non cuſtodia ciuitatum. Tanta animorum, vel tanta potius peccatorum cæcitas fuit, vt cum abſque dubio nullus perire vellet, nullus tamé id ageret ne periret. Totum incuria & ſegnities, totum negligentia & gula,

A

1. Reg. 26. Gen. 15.

totum ebrietas & ſomnolentia poſſidebant, ſecundum illud ſcilicet quod de talibus ſcriptum eſt: *Quia ſopor Domini irruerat ſuper eos.* Sopor quippe infunditur, vt perditio ſubſequatur. Cum enim, vt ſcriptum eſt, completis iniquitatibus ſuis peccator quis meretur vt pereat; prouidentia ab eo tollitur, ne periturus euadat. Sed hæc hactenus. Satis enim, vt arbitror, quod propoſui euidenter oſtendi; ne in ſummo quidem rerum diſcrimine ceſſaſſe vnquam vitia vitium, vſque ad excidia ciuitatum. Atque hæc fuerunt fortaſſe, iam non ſunt, aut vnquam eſſe ceſſabunt. Videlicet ſi qua adhuc hodie aut ciuitas aut prouincia vel plagis cœleſtibus, vel hoſtili populatione vaſtatur, humiliatur, conuertitur, emendatur. Et non cunctos ferme Romani nominis populos prius eſt interire, quam corrigi: non prius ipſos, quam in ipſis vitia non eſſe. Denique id breuiter probari poteſt. Exciſa ter continuatis euerſionibus ſumma vrbe Gallorum, cum omnis ciuitas buſtum eſſet, malis & poſt excidia creſcentibus.

B

Nam quos hoſtis in excidio non occiderat, poſt excidium calamitas obruebat: cum id quod in excidio euaſerat morti, poſt excidium non ſupereſſet calamitati. Alios enim impreſſa altius vulnera longis mortibus necabant, alios ambuſtos hoſtium flammis etiam poſt flammas pœna torquebat. Alii interibant fame, alij nuditate, alij tabeſcentes, alij rigentes: ac ſic in vnum exitum mortis per diuerſa moriendi genera corruebant. Et quid plura? Excidio vnius vrbis affligebantur quoque aliæ ciuitates. Iacebant ſiquidem paſſim, quod ipſe vidi atque ſuſtinui, vtriuſque ſexus cadauera nuda, lacerata, vrbis oculos inceſtantia, auibus canibuſque laniata: lues erat viuentium, fœtor funereus mortuorum, mors de morte exhalabatur, ac ſic etiam qui excidijs ſupradictæ vrbis nõ interfuerant, mala alieni excidij perferebant. Et quid poſt hæc, inquam, quid poſt hæc omnia? quis æſtimare hoc amentiæ genus poſſit? Pauci nobiles, qui excidio ſuperfuerant quaſi pro ſummo deletæ vrbis remedio, circenſes ab Imperatoribus poſtulabant.

Honeſtiſsimũ votum.

C

Vellem mihi hoc loco ad exequendam rerum indignitatem parem negotio eloquentiam dari: ſcilicet vt tantum virtutis eſſet in querimonia, quantum doloris in cauſa. Quis enim exiſtimare poſſit, quid primum in his, de quibus diximus, accuſandum ſit, irreligioſitas, an ſtultitia, an luxuria, an amentia, totum quippe in illis eſt. Quid enim aut irreligioſius, quam petere aliquid in iniuriam Dei: aut quid ſtultius, quam quid petas non conſiderare: aut quid tam perditi luxus, quam in luctu res deſiderare luxuriæ: aut quid amentius, quam in malis eſſe, & malorum intelligentiam non habere? Quanquam in iis omnibus nulla res minus culpanda eſt, quam amentia: quia voluntas crimen non habet, vbi furore peccatur. Quo magis hi de quibus loquimur accuſandi ſunt, quia ſani inſaniebant.

Sani inſaniebant.

Circenſes ergo Treueri deſideratis & hoc vaſtati, hoc expugnati, poſt cladem, poſt ſanguinem, poſt ſupplicia, poſt captiuitatem, poſt tot euerſæ vrbis excidia: quid lachrymabilius hac ſtultitia, quid luctuoſius hac amentia? fateor, miſerrimos eſſe vos credidi, cum excidia paſſi eſtis: ſed miſeriores vos video, cum & ſpectacula poſtulatis.

D

Putabam enim vos in excidiis rem tantum atque ſubſtantiam, neſciebam etiam ſenſum atque intelligentiam perdidiſſe. Theatra igitur quæritis, circum à Principibus poſtulatis: quæſo cui ſtatui, cui populo, cui ciuitati? vrbi exuſtæ ac perditæ plebi captiuæ, & interemptæ, quæ aut periit, aut luget. De qua etiam ſi quid ſupereſt, totum calamitatis eſt: quæ cuncta aut mœſtitudine eſt anxia, aut lachrymis exhauſta, aut orbitate proſtrata: in qua neſcias pene cuius ſit ſors peior ac durior, interfectorum, aut viuentium. Tantæ enim ſunt miſeriæ ſuperſtitum, vt infelicitatem vicerint mortuorum. Ludicra ergo publica Treuir petis: vbi quæſo exercenda? an ſuper buſta & cineres, ſuper oſſa & ſanguinem peremptorum? Quæ enim vrbis pars his malis omnibus vacat, vbi non ſtrata corpora, vbi non conciſorum membra lacerata? Vbique facies captæ vrbis, vbique terror captiuitatis, vbiq; imago mortis. Iacent reliquiæ infeliciſſimæ plebis ſuper tumulos defunctorum ſuorum, & tu circenſes rogas. Nigra eſt incendio ciuitas, & tu vultum feſtiuitatis vſurpas.

E

Lugent cuncta, tu lætus es. Inſuper etiam illecebris flagitioſiſſimis Deum prouocas, & ſuperſtitionibus peſſimis iram diuinitatis irritas. Non miror plane, non miror, tibi eueniſſe mala quæ conſecuta ſunt. Nam quia te tria excidia non correxerunt, quarto perire meruiſti. Hæc autem omnia ideo copioſius paulo prolata ſunt, vt probaremus ſcilicet, omnia quæ pertulimus, non improuidentia nos Dei atque neglectu, ſed iuſtitia, ſed iudicio, ſed æquiſſima diſpenſatione & digniſſima retributione toleraſſe. Neque vllam penitus Romani orbis, aut Romani nominis portionem, quamlibet grauiter plagis cœleſtibus cæſam, vnquam fuiſſe correctam. Et ideo nequaquam vti meremur proſperis, quia non corrigimur aduerſis: quamuis nobis etiam indignis interdum tribuantur bona, quia bonus Dominus, quaſi indulgentiſſimus pater, & ſi nos nonnunquam ſinit pro peccatis noſtris humiliari, non diu tamen patitur affligi:

F

& ideo nunc aſperis rebus caſtigat ſuos pro diſciplina, nunc tranquillis fouet pro indulgentia. Sicut enim optimi ac peritiſſimi medici diſſimilibus morbis curas diſpares præſtant, atque alijs per dulcia medicamina, aliis per amara ſuccurrunt, & quoſdam curant cauteriorum aduſtione, quoſdam malagmatum placabilitate, alijs adhibent duram ferri præſectionem, alijs blandam infundunt olei lenitatem, & tamen diuerſiſſimis licet curis eadem ſalus quæritur: Ita etiam Deus noſter, ſi quando nos plagis auſterioribus coercet, quaſi cauterijs ac ſectionibus curat: quando autem rebus proſperis refouet, quaſi oleo ac malagmatibus conſolatur. Per diuerſam enim medicaminum opem, ad vnam nos vult perducere ſanitatem. Solent quippe etiam nequiſſimos ſeruos, quos ſupplicia non correxerunt, blandimenta corrigere: & quos dominis ſuis verbera non ſubmiſerint, beneficia ſubmittunt. Infantes quoque & omnes fere paruulos contumaces, quos morigeros minæ ac ferulæ non efficiunt, interdum panchreſta atque blanditiæ ad obedientiam trahunt. Vnde intelligere debemus nos & ſeruis nequiſſimis nequiores, & inſipientibus paruulis ſtultiores eſſe,

G

quos nec quaſi malos ſeruos tormenta corrigunt, nec quaſi infantulos blandimenta conuertunt. Et quidem quemadmodum nullam Romani nominis partem pœna correxerit, ſatis, vt arbitror, iam probauimus. Supereſt vt quemadmodum nec munera, nec blandimenta nos Dei corrigant comprobemus. Munera autem Dei, & blandimenta quæ nam ſunt? quæ ſcilicet niſi pax noſtra & quies noſtra, & famulantes votis ac voluptatibus noſtris rerum ſecundarum tranquillitates.

Munera Dei blandimenta quædam ſunt.

Aliquid ergo, quia res exigit, etiam ſpeciale dicamus. Igitur quoties in metu, in anguſtiis, in periculis ſumus: cum aut ciuitates ab hoſtibus obſidentur, aut prouinciæ populatione vaſtantur, aut quibuſcunque rerum aduerſitatibus Reipub. membra cæduntur, & opem cœleſtis manus votis precamur: ſi quo ſacræ miſerationis auxilio aut ſaluatæ vrbes fuerint, aut finita populatio, aut hoſtiles exercitus fuſi, & metus omnis dono diuinitatis ablatus, quid ſtatim poſt hæc omnia facimus? Compenſare credo domino Deo noſtro, cultu, honore, reuerentia, beneficia, quæ ab eo accepimus adnitimur

H

(Hoc enim eſt conſequens, atque id etiam vſus vitæ humanæ habet, vt referatur gratia fœneratoribus gratiarum, & recipiant vicem munerum munerantes.)

Referenda gratia.

Ita ergo nos forſitan facimus: atque humanis ſaltem cum Deo noſtro retributionibus agentes, cum ab eo bona accepimus, bona reddimus:

Ironicos.

ad domus videlicet dominicas ſtatim currimus, corpora humi ſternimus, mixtis cum fletu gaudijs ſupplicamus, illuſtramus donariis ſacra limina, aras muneribus implemus. Et quia ipſi dono illius feſti ſumus, templis quoque ipſius vultum noſtræ feſtiuitatis induimus: aut certe quod ei non cordi minus eſt, prioribus vitæ vitijs renuntiamus, operum bonorum victimas cædimus, & pro gaudijs nouis nouæ conſeruationis hoſtias immolamus, omnibus denique immunditiis bellum ſanctum indicimus, circorum inſanias fugimus, fœditates theatralium ludorum exe-

A

Viuere nouam vitam.

ciamur, vouemus Domino nouam vitam, & ad obtinendam eius perpetuo protectionem noſmetipſos Deo ſacrificamus. Cum hæc ergo quæ diximus pro recentibus beneficijs Dei debeant fieri, videamus quæ fiant. Ad ludos protinus curritur, ad inſanias conuolatur, in theatris populus diſtenditur, in circis plebs tota bacchatur. Ille nobis ad hoc bona præſtat, vt boni ſimus: nos e diuerſo quoties bona accepimus, mala noſtra cumulamus: Ille nos beneficijs ſuis vocat ad probitatem, nos ruimus in improbitatem: ille beneficijs ſuis prouocat ad compunctionem, nos ruimus in diſſolutionem: vocat ille ad caſtitatem, & nos ruimus in impuritatem. Præclare videlicet ſacris muneribus reſpondemus. Præclare dona eius vel agnoſcimus, vel honoramus: qui quantum ab eo beneficij accipimus, tantum ei iniurias rependimus, aut iniuria Dei hoc forte non eſt, aut eſſe indignior poteſt? Multis ac magnis opus ſit: ſed animarum inueteratam nobis malorum omnium labe aliter iam vitioſi eſſe non poſſumus, niſi vt omnino non ſimus. Qui ergo nobis rogo ſpes bonæ frugis eſt?

B

Qui ignorantia peccant errore agnito corriguntur. Qui religionis expertes ſunt, cum mutauerunt ſectam, mutare incipiunt diſciplinam. Poſtremo, vt dixi, qui aut abundantia nimia, aut ſecuritate vitiantur, deſinunt eſſe perditi cum deſtiterint eſſe ſecuri. Nos nec ignorantia labimur, nec religionis expertes ſumus, nec proſperitate rerum ac ſecuritate corrumpimur. Omnia ſiquidem e diuerſo ſunt. Religionem nouimus, ignorantia non excuſamur. Pacem & diuitias priorum temporum non habemus. Omnia quæ fuerant, aut ablata aut immutata ſunt, ſola tantùm vitia creuerunt.

Sola vitia creuerũt.

Nihil nobis de pace & proſperitate priſtina reliquum eſt, niſi ſola omnino crimina, quæ proſperitatem non eſſe fecerunt. Vbi namque ſunt antiquæ Romanorum opes ac dignitates? Fortiſſimi quondam Romani erant, nunc ſine viribus.

Romani quondam fortes.

Timebantur Romani veteres, nos timemus: vectigalia illis ſoluebant populi barbarorum, nos vectigales barbaris ſumus. Vendunt nobis hoſtes lucis vſuram, tota admodum ſalus noſtra commercium eſt.

C

O infelicitates noſtras ad quid deuenimus? & pro hoc gratias barbaris agimus, à quibus nos ipſos precio comparamus. Quid poteſt eſſe nobis vel abiectius, vel miſerius: & viuere nos poſt iſta credimus, quibus vita ſic conſtat? Inſuper etiam ridiculos ipſi nos eſſe facimus: aurum quod pendimus, munera vocamus. Dicimus donum eſſe quod precium eſt, & quidem precium conditionis duriſſimæ ac miſerrimæ. Omnes quippe captiui cum ſemel redempti fuerint, libertate potiuntur: nos ſemper redimimur, & nunquam liberi ſumus. Illorum more dominorum nobiſcũ barbari agunt, qui mancipia obſequijs ſuis non neceſſaria mercedibus de pendendis locant. Similiter enim non vnquam ab hac ſumus liberi functione quam pendemus. Ad hoc quippe mercedes iugiter ſoluimus, vt ſine ceſſatione ſoluamus.

Explicit liber VI.

D

INCIPIT LIBER SEPTIMVS.

CVm in clauſione libelli huius qui nunc finitus eſt, de infirmitate ac miſeria Romanorum nonnulla dixerim, contraria forſitan negocio quod nunc agimus dixiſſe videbimur. Scio enim poſſe hoc loco ſubijci, hinc maxime probari, quod non reſpiciat res humanas Deus: quia cum Romani quondam pagani & vicerint & regnauerint, nunc Chriſtiani & vincantur & ſeruiant. Sufficere quidem ad confutationem obiectionis iſtius poterant illa, quæ dudum de cunctis fere paganis gentibus dicta ſunt: id eſt, magis peccare eos qui ſcientes negligant legem Dei, quàm qui non faciant neſcientes. Sed tamen ſi Deus annuerit, cum ad eam negocij partem acceſſerimus, vt de veteribus Romanis aliqua dicantur, euidenter diuino munere probabimus, tam iuſtum tunc erga illos fuiſſe Domini fauorem, quàm nunc erga nos iuſtam ſeueritatem; & tam dignum illud fuiſſe, quod Romanos tunc Deus auxilio ſuo extulit, quàm nunc dignum eſt quod puniuntur. Atque vtinam pœna ipſa prodeſſet. Illud grauius ac luctuoſius multo, quod poſt pœnam nulla correctio eſt. Curare nos vult caſtigationibus ſuis Dominus, ſed curatum remedia non ſequuntur. Quid hoc mali eſt? iumenta ac pecudes ſectione curantur.

E

Et putrefacta mulorum, aſinorum, porcorum viſcera, cum aduſta cauterijs fuerint, munus medicæ aduſtionis agnoſcunt; ſtatimque vbi aut cremata, aut deiecta fuerit vitiatorum corporum labes, in locum demortuæ carnis viua ſuccedit. Nos & vrimur, & ſecamur: ſed nec ferri deſectione, nec cauteriorum aduſtione ſanamur: immo quod eſt grauius, cura ipſa deteriores ſumus. Et ideo non fruſtra nobis euenit, quod euenire pecudibus & iumentis ſolet, quæ irremediabiles morbos ferunt.

F

Nam in omnibus partibus mundi, quia curis medicantibus non corrigimur, morte atque occiſione finimur. Ecce enim, vt non repetam quæ multo ante iam dixi, hoc ipſum quale eſt quod paulo ante memoraui; ſcilicet quia & miſeri pariter & luxurioſi ſumus! Eſto enim, ſint vitia iſta felicium, quamuis nemo idem & probroſus eſſe poſſit & felix: quia vbi non eſt vera honeſtas, non eſt vera felicitas.

Vera felicitas.

Sed tamen, vt ſupra dixi, eſto, ſint vitia iſta longæ pacis & opulentæ ſecuritatis. Cur quæſo illic ſunt, vbi iam nulla pax, vbi nulla ſecuritas. In omni enim ferme vrbe Romana, pax & ſecuritas non ſunt. Cur ſola vitia tantum perdurant? quis rogo ferre poſſit in homine egeſtuoſo eſſe laſciuiam? Criminoſior quippe eſt luxurioſa paupertas, & maioris inuidiæ miſer nugax. Totus Romanus orbis & miſer eſt & luxurioſus. Quis quæſo pauper & nugax? Quis captiuitatem expectans de circo cogitat? Quis metuit mortem & ridet? Nos & in metu captiuitatis ludimus, & poſiti in mortis timore ridemus. Sardonicis quodammodo herbis omnem Romanum populum putes eſſe ſaginatum.

G

Moritur & ridet, & ideo in omnibus fere partibus mundi riſus noſtros lachrymæ conſequuntur: ac venit etiam in præſenti ſuper nos illud Domini noſtri dictum: *Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis.*

Luca 6.

Sed forſitan cum de ludicris ac fœditatibus publicis diutiſſime dixerimus, in hoc tantum quis deteriores eſſe nos putet barbaris: quia illi hæc non agant, nos agimus: cæterum ipſo carnalis libidinis ſcelere & fornicationis funeſtæ cœno non ita polluti. Comparemus, ſi placet, cæteris nationibus etiam in hac parte Romanos: & quidem neſcio an vllis rectius comparentur, quàm his quos Deus in medio Reip. ſinu poſitos, poſſeſſores fecit ac dominos ſoli eſſe Romani. Vnde quamuis nihil diſputari de iudicio Dei poſſit, tamen cum ablatam nobis iuris noſtri optimam partem barbaris dederit, videamus an id quod nobis tulit & illis tradidit, iuſto iudicio tradidiſſe videatur. Nemini dubium eſt Aquitanos ac Nouem populos medullam fere omnium Galliarum, & vber totius fœcunditatis habuiſſe: nec ſolum fœcunditatis, ſed quæ proponi interdum fœcunditati ſolent iocunditatis, voluptatis, pulchritudinis:

Galliarũ fœcunditas.

H

adeo illic omnis admodum regio aut intertexta vineis, aut florulenta pratis, aut diſtincta culturis, aut conſita pomis, aut amœnata lucis, aut irrigata fontibus, aut interfuſa fluminibus, aut crinita meſſibus fuit; vt vere poſſeſſores ac Domini terræ illius, non tam ſoli iſtius portionem, quam paradiſi imaginem poſſediſſe videantur. Quid ergo poſt iſta omnia? officioſiores abſque dubio Deo eſſe debuerant, quos ſpecialiter Deus abundantiſſima beneficiorum ſuorum rore ditauerat. Quid enim rectius aut quid dignius, quàm vt quibus per munera ſua Dominus quaſi ſpecialiter videbatur placere voluiſſe, ijdem quoque ſpecialius Domino cultu ac religione placuiſſent? præſertim cum à nobis Deus nil oneroſum, nil graue exigat. Nõ enim nos ad aratra, aut ad ligones vocat, non ad ſcindendas terras, neque ad vineas paſtinandas, non denique illa exigit à ſeruis ſuis, quæ nos exigimus à noſtris. Quid namque ait? *Venite ad me omnes, qui la-*

Matth. 11.

boratis

Digitized by Google

A *boratis & oneratis eſtis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Non ergo nos ad laborem vocat Dominus, ſed ad refectionem. Quid namque à nobis exigit, quid præſtari ſibi à nobis iubet; niſi ſolam tantummodo fidem, caſtitatem, humilitatem, ſobrietatem, miſericordiam, ſanctitatem; quæ vtique omnia non onerant nos, ſed ornant: nec ſolum hoc, ſed ideo vitam præſentem ornant, vt futuram plus ornare poſſint. O bonum, ô pium, ô inæſtimabilis miſericordiæ Dominũ, qui ad hoc nobis in præſenti religionis munera tribuit, vt ipſa in nobis poſtea quæ nunc dat munera muneretur. Tales igitur etiam omnes abſque dubio Aquitani eſſe debuerant. Et quidem, vt diximus, ſpecialius tales, quia ſpecialia Dei munera poſſidebant. Et quid poſt hæc omnia, quid ſecundum eſt? quid niſi cuncta quæ ediuerſo ſunt? in omnibus quippe Gallijs ſicut diuitijs primi fuere ſic vitijs. Nuſquam enim improbior voluptas, nuſquam inquinatior vita, nuſquam corruptior diſciplina. Hanc pro muneribus ſacris dederunt Domino retributionem: vt in quantum eos beneficijs ſuis ille ad ſe illexerat ad propitiandum, in tantum illi flagitijs ſuis laborauerint ad exacerbandum. An fortè falſum eſt, & inuidioſè potius, quàm verè iſta dicuntur? Non vtor rei approbatione qua vti alij in cauſis ſolent, vt producam quoſcunque ad probandum aut paucos, aut extraneos, aut minus idoneos teſtes: ipſos interrogemus à quibus acta ſunt: falſum diximus, ſi negauerint. fatentur enim, & quidem, quod eſt grauius, ſic fatentur, vt in ipſa confeſſione non doleant: idem enim nunc eſt animus in fatentibus, qui in agentibus fuit. Sicut tunc non puduit flagitia committere, ſic nunc omnino non pœnitet flagitioſa feciſſe. Exceptis tamen perpaucis ferme ſanctis atque inſignibus viris, qui, vt quidam de numero ipſorum ait,

Diuitiis primi & vitiis.

B

—*ſparſis redemerunt crimina nummis.*

C Exceptis, inquam, his loquor, quos vtique etiam in illa tunc generali admodum colluuione vitiorum, rectè minorum criminum reos fuiſſe credimus, qui corrigi à diuinitate meruerunt. Non penitus enim Dominum ſuum lædit, cui propitiatio reſeruatur. Et quid plura? puto quod ſemper Deum & in ipſo errore reſpexerit, à quo hoc obtinere potuit, ne diutius erraret. Cæteri autem & plurimi ferme ac nobiliſſimi, prope idem omnes, pene vnus gurges, omnium gula pene vnum lupanar, omnium vita. Et quid dico de lupanaribus? minoris quippe eſſe criminis etiam lupanar puto. Meretrices enim quæ illic ſunt, fœdus connubiale non norunt, ac per hoc non maculant quod ignorant. Impudicitiæ quidem piaculo ſunt obnoxiæ, ſed reatu tamen adulterij non tenentur. Adde huc quod & pauca ferme ſunt lupanaria, & paucæ quæ in his vitam infeliciſſimam damnauere meretrices. Apud Aquitanicos vero quæ ciuitas in locupletiſſima ac nobiliſſima ſui parte non quaſi lupanar fuit? Quis potentum ac diuitum non in luto libidinis vixit? Quis non ſe barathro ſordidiſſimæ colluuionis immerſit? Quis coniugi coniugij fidem reddidit? immo quantum ad paſſiuitatem libidinis pertinet, quis non coniugem in numerum ancillarum redegit? & ad hoc venerabilis connubij ſacramenta deiecit, vt nulla in domo eius vilior videretur in maritali deſpectione, quàm quæ erat princeps matrimonij dignitate. Cogitat forte aliquis non ita ad plenum eſſe, vt loquor, habuiſſe enim illic matres familias ius ſuum, & dominarum honorem poteſtatemque tenuiſſe. Verum eſt, habuerunt quidem multæ integrum ius dominij, ſed nulla ferme impollutum ius matrimonij: & nos modo non quærimus quæ mulierum poteſtas, ſed quàm corrupta virorum fuerit diſciplina. Quamuis nec poteſtatem quidem illic matres familias integram habuiſſe dicam, quia quæcunque ius connubij inuiolatum ac ſaluum non habet, nec dominij ſaluum habet. Haud multum enim matrona abeſt à vilitate ſeruarum, vbi paterfamilias ancillarum maritus eſt. Quis autem Aquitanorum diuitum non hoc fuit, quem non ſibi ancillæ impudiciſſimæ aut adulterum aut maritum iure dixerunt? *Equi* enim *emiſſarij*, vt propheta ait, *in fœminas facti ſunt. Vnuſquiſque enim ad vxorem proximi ſui hinniebat.* Atque illi de quibus hæc ſcripta legimus, & minore fortaſſe crimine, & minore, vt reor, numero criminum ac paſſiuitate peccabant. Hi autem vere vt emiſſarij equi non ad paucas tantum, ſed pene ad omnes vernulas ſuas, id eſt, quaſi ad greges proprios hinniebant, & in morem eorum pecudum, qui mariti gregum appellantur, feruidæ libidinis debacchatione graſſantes, in quamcunque eos fœminam primum ardens, impudicitiæ furor traxerat, irruebant. Hic iam quæro à ſapientibus, cum hæc ita eſſent, quales putent fuiſſe illic familias, vbi tales erant patres familias? Quanta ſeruorum illic corruptela, vbi dominorum tanta corruptio? Morbido enim capite, nil ſanum eſt: neque vllum omnino membrum officio ſuo fungitur, vbi quod eſt principale non conſtat. In domo autem ſua Dominus quaſi corporis ſui caput eſt, & vita eius cunctis norma viuendi. Peſſimumque hoc eſt in hoc negocio, quod libentius omnes deteriora ſectantur: & facilius mala inſtitutio deprauat bonos, quàm bona emendet malos. Porro autem cum etiam boni atque honeſti patres familias famulos bonos facere non poſſint, quantam illic putamus fuiſſe labem familiarum, vbi Domini erant impuritatis exemplum? Quamuis non exemplum illic tantummodo malum fuerit, ſed vis ac neceſſitas quædam: quia parere impudiciſſimis dominis famulæ cogebantur inuitæ: & libido dominantium, neceſſitas ſubiectarum erat. Ex quo intelligi poteſt, quantum cœnum impudicarum ſordium fuerit, vbi ſub impuriſſimis dominis caſtas eſſe etiam ſi voluiſſent fœminas non licebat. Sed videlicet difficile hoc probari poteſt, & nulla omnino extant præteritarum turpitudinum flagitiorumque veſtigia. Ecce etiam nunc multi ex eis licet patria careant, & in comparatione præteritarum opum pauperes viuant, peiores ferme ſunt quàm fuerunt. Peiores autem non vno modo, quia etſi eadem faciunt quæ ante faciebant, hoc ipſo tamen deteriores ſunt, quia à ſcelere non ceſſant. Siquidem facinora eorum etſi genere ipſo maiora non ſint, attamen plura ſunt: ac per hoc etſi criminum nouitate non creſcunt, pluralitate cumulantur. Adde autem quod hæc, vt dixi, faciunt iam ſenes, adde quod pauperes. Vtrumque enim ſceleris augmentum eſt: minus ſiquidem prodigioſum eſt peccare iuuenes, peccare locupletes. Quæ autem in ijs ſpes aut remedium eſt, qui nec inuſitata impuritate, nec miſeriarum egeſtate, nec vitæ extremitate reuocantur? Eſto enim quoſdam ant ſtulta præſumptio longæuitate longæ vitæ, aut ſpes quandoque agendæ pœnitentiæ conſoletur: nonne nouum hoc monſtri genus eſt, eſſe aliquos etiam in morte vitioſos? Quæ cum ita ſint, nunquid eſt aliquid quod dici amplius poſſit? Sed adhuc tamen addimus, ſcilicet quod multi hæc agunt hodie etiam inter hoſtes ſiti, & quotidiano diſcrimine ac timore captiui. Cumque ob impuriſſimam vitam traditi à Deo barbaris fuerint, impuritates tamen ipſas etiam inter barbaros non relinquunt. Sed tales forte hoſtes ſunt inter quos agunt, vt eos iſta delectent, & offendantur grauiſſime, ſi cum ipſi impudici ſint, videant caſtos eſſe Romanos. Quod ſi ita eſſet, nequaquam tamen facere nos improbos improbitas deberet aliena: quia quemlibet hominum magis ſibi præſtare conuenit vt ſit bonus, quàm alteri vt ſit malus, & plus id laborandum eſt, vt placeamus Deo per honeſtatem, quàm vt hominibus per impuritatem: ac proinde etiam ſi inter impudicos quis barbaros viuat, magis tamen pudicitiam ſequi debet, quæ ſibi expedit, quàm impudicitiam quæ impuris hoſtibus placet. Sed quid accedit inſuper ad mala noſtra? Inter pudicos barbaros impudici ſumus. Plus adhuc dico, offendunt barbari ipſi impuritatibus noſtris. Eſſe inter Gothos non licet ſcortatorem Gothum, ſoli inter eos præiudicio nationis ac nominis permittun-

Lupanaria.

D

Contemptus vxoris.

E

F

G

Senex turpis monſtrũ.

H

tur

A

tur impuri eſſe Romani. Et quæ nobis rogo ſpes ante Deum eſt? impudicitiam nos diligimus, Gothi execrantur: puritatem nos fugimus, illi amant: fornicatio apud illos crimen atque diſcrimen eſt, apud nos decus. Et putamus nos ante Deum poſſe conſiſtere? Putamus nos poſſe ſaluos eſſe, quando omne impuritatis ſcelus, omnis impudicitiæ turpitudo à Romanis admittitur, & à barbaris vindicatur. Hic nunc illos quæro, qui meliores nos putant eſſe quam barbaros: dicant quid horum vel pauciſſimi Gothi faciunt, vel quid non horum Romani omnes, vel pene omnes, & miramur, ſi terræ vel Aquitanorum vel noſtrorum omnium à Deo barbaris datæ ſunt: cum eas quas Romani polluerant fornicatione, nunc mundent barbari caſtitate. Sed forte hoc in Aquitanicis tantum: tranſeamus etiam ad alias mundi partes, ne de ſolis tantummodo Gallis dixiſſe videamur.

Hiſpania.

Quid? Hiſpanias nonne vel eadem, vel maiora forſitan vitia perdiderunt? quas quidem cœleſtis ira etiam ſi alijs quibuslibet barbaris tradidiſſet, digna flagitiorum tormenta tolerauerant puritatis inimici.

B

Sed acceſſit huc ad manifeſtandam illic impudicitiæ damnationem, vt Wandalis potiſſimum, id eſt, pudicis barbaris traderentur. Dupliciter in illa Hiſpanorum captiuitate oſtendere Deus voluit, quantum & odiſſet carnis libidinem, & diligeret caſtitatem,

Vuandali.

cum & Wandalos ad ſolam maximè pudicitiam illis ſuperponeret, & Hiſpanos ob ſolam vel maxime impudicitiam ſubiugaret. Quid enim? Nunquid non erant in omni orbe terrarum barbari fortiores, quibus Hiſpaniæ traderentur? multi abſque dubio, immo, ni fallor, omnes. Sed ideo ille infirmiſſimis hoſtibus cuncta tradidit: vt oſtenderet ſcilicet non vires valere, ſed cauſam: neque nos tunc ignauiſſimorum quondam hoſtium fortitudine obrui, ſed ſola vitiorum noſtrorum impuritate ſuperari, vt vere in nos veniret dictum illud, quo ait Dominus

Ezech. 29.

ad Iudæos: *Secundum immunditias ſuas, & ſecundum iniquitates ſuas feci illis, & auerti faciem meam ab eis.* Et alibi ad

Ezech. 16.

gentem ipſam: *Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo, & vngulis*, inquit, *equorum ſuorum omnes plateas tuas*

C

conculcabunt, & populum tuum gladio interficient. Completa ergo in nos ſunt omnia quæ dixit ſermo diuinus, & vnio verborum cœleſtium fuit pœna cunctorum: ſed tamen cum omnes fere barbaræ gentes Romanum ſanguinem biberint, omnes viſcera noſtra lacerauerint, quid eſt quod Deus noſter maximas Reipub. opes & locupletiſſimos Romani nominis populos in ius potiſſimum ignauiſſimorum quondam hoſtium dedit? Quid, niſi vt agnoſceremus ſcilicet quod ſupra dixi, meritorum hoc fuiſſe, non virium: vtque ipſum quoque hoc nobis in confuſionem cederet ac pœnam, quod ignauiſſimis traderemur: & vel ſic plagã cœleſtis manus agnoſceremus, quia nos non fortiſſimi hoſtium ſed ignauiſſimi ſubiugarent. Sic enim legimus, quod ſi quando euidenter intelligi Deus voluit magna opera à ſe patrari, aut per paucos aut per infimos acta res eſt; ne opus cœleſtis dexteræ virtuti aſſignaretur humanæ.

Indic. 4. & 9

Ideo quidem & dux Siſara, quem Hebræus tremebat exercitus, à muliere proſtratus eſt:

D

& Abimelech ciuitatum expugnatorem fœminæ manus percuſſit,

3. Reg. 20.

& ferratæ Aſſyriorum acies vidua opitulante ceciderunt. Et ne de ſolis fœminis tantum loquar, Benadab Regem Syriæ, cui præter innumera populi ſui millia, triginta & duo reges, exercituſque eiuſdem numeri ſeruiebant, nonne ideo à paucis principum pediſſequis Dominus vinci voluit, vt qui eſſet au-

Victoriæ author.

tor talis victoriæ noſceretur? Contra Madianitas quo-

Iudic. 9.

que, qui, vt liber Iudicum refert, inſtar locuſtarum cuncta compleuerant, Gedeon iubetur pugnare cum paucis: non quia plures in exercitu non haberet, ſed vetatur multos ad bellum ducere, ne multitudo ſibi poſſit aliquid de victoria vendicare. Vnde cum triginta armatorum millia congregaſſet, ſic ad eum Dominus locutus eſt: Multus eſt tecum populus, nec tradetur Madian in manus eius. Et quid poſtea? homini aduerſum innume-

Pugna Gedeonis

ra barbarorum millia pugnaturo ccc. tantùm viros reliquit. In eam quippe exiguitatem redigi agmen militum iuſſit, vt ſibi de patrato diuinitus belli opere paucitas vſurpare nihil poſſet: denique cur hoc Dominus ita faceret ipſe euidentiſſimè declarauit, dicens: *Ne glorietur contra me Iſrael, & dicat: Meis viribus liberatus ſum.* Audiant, inquam, hoc omnes improbi, audiant omnes præſumptuoſi, audiant præpotentes, audiant cuncti quid Deus dicit: *Ne glorietur*, inquit, *contra me Iſrael, & dicat: Meis viribus liberatus ſum.* Audiant, inquam, omnes contraria & blaſphema iactantes, audiant hæc ſpem ſuam in homine ponentes, loqui vniuerſos aduerſum ſe Deus dicit, qui liberari ſe viribus ſuis poſſe præſumunt. Quis autem eſt Romanorum non ita dicens? Quis eſt non ita ſentiens? Quis noſtræ partis non prope iugiter in hac parte blaſphemat? Nullas eſſe iam Reipub. vires, omnium conſcientiæ eſt, & ne ſiquidem agnoſcimus, cuius hoc beneficijs, quod adhuc viuimus, debeamus.

E

Omnia Deo accepta referenda.

Si quando enim nobis proſperi aliquid præter ſpem noſtram & meritum Deus tribuit, alius adſcribit hoc fortunæ, alius euentui, alius ordinationi ducum, alius conſilio, alius magiſtro, alius patrocinio, nullus Deo. Et miramur ſi nobis cœleſtis manus aliqua non præſtet, cui quicquid præſtiterit derogamus.

F

Quid enim aliud facimus, cum bona quæ præſtat, nos vel euentibus caſuum, vel virtutibus ducum, vel quibuſcunque alijs rebus friuolis deputamus? Hoc enim modo & terris nos oporteret gratias agere quod fruges annuas metimus, & vineis quod vindemiamus, & mari quod piſces capimus, & ſyluis quod ligna cædimus, & ouibus quod veſte tegimur, & pecudibus cæteris quod carne ſaturamur. Nam quæ ratio eſt, vt ei pro muneribus alijs grati eſſe velimus, cui maximorum beneficiorum gratiam derogamus? Aut quis contentus eſt homo noſtræ conditionis, quis acceptum quippiam referat, cui de donis ſuis ſumma detraxerit? Ita & nos licet Deo in nullo digne gratias agimus, parum tamen erat ſi pro his tantummodo grati eſſe vellemus, quæ nobis ad vſum viuendi dedit. Cur hanc gratiam tollimus, quod nos & in anguſtijs iuuat, & in periculis liberat, & in medio barbarorum gentium ſitos iugi protectione conſeruat? At non ita Gothi,

G

non ita Wandali, malis licet doctoribus inſtituti, meliores tamen etiam in hac parte quàm noſtri. Offendi

Veritas odioſa.

quamuis quoſdam ſuſpicer his quæ dicimus; ſed quia veritas magis quàm offenſio cogitanda eſt, dicam & ſæpe dicam: non ita Gothi, non ita Vuandali, qui & in diſcrimine poſiti opem à Deo poſtulant, & proſperitates ſuas munus diuinitatis appellant. Denique probauit hoc bello proximo infelicitas noſtra. Cum enim Gothi metuerent, præſumpſimus nos in Hunis ſpem ponere, illi in Deo: pax ab illis poſtularetur, à nobis negaretur: illi epiſcopos mitterent, nos repelleremus: illi etiam in alienis ſacerdotibus Deum honorarent, nos etiam in noſtris contemneremus: prout actus vtriuſque partis, ita & rerum terminus fuit; illis data eſt in ſummo timore palma, nobis in ſumma elatione confuſio, vt vere & in nobis tunc & in illis euidenter probatum ſit illud Domini noſtri dictum; *Quoniam qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.*

Luc. 14.

Illis enim exaltatio data eſt pro humilitate, nobis pro elatione deiectio.

H

Preſbyter de Litorio conſ.

Itaque agnouit hoc ille dux noſtræ partis, qui eandem vrbem hoſtium, quam eodem die victorem ſe intraturum eſſe præſumpſit, captiuus intrauit. Probauit ſcilicet

Tren. 17. Prou. 16. & 20 & Ierem. 23.

quod propheta dixit. *Quia non eſt hominis via eius, nec viri eſt vt ambulet & dirigat greſſus ſuos.* Nam quia viam ſuam iuris ſui exiſtimauit, nec greſſum directionis habuit, nec viam ſalutis inuenit. *Effuſa eſt*, vt legimus: *abiectio ſuper principem, ſeductus eſt in inuio, & non in via:* &, *ad nihilum deductus eſt, velut aqua decurrens.*

Pſal. 106 Pſalm. 57.

In quo quidem præter ipſam rerum infelicitatem præſens iudicium Dei patuit, vt quicquid facturum ſe vſurpabat, ipſe pateretur. Nam quia ſine diuinitatis auxilio ac Dei ductu capiendum à ſe hoſtem credidit, ipſe captus eſt: conſilij ac ſapientiæ ſummam vſurpauit, ignominiam temeritatis incurrit: vincla quæ alijs parauit, ipſe ſuſtinuit. Et quod rogo euidentius Dei iudicium eſſe potuit, quam vt habens prædatoris fiduciam, præda fieret: triumphum præſumens, triumphus eſſet,

circun-

A

circundaretur, corriperetur, alligaretur, retorta tergo brachia gereret, manus quas bellicoſas putabat, vinctas videret, puerorum ac mulierum ſpectaculum fieret: illudentes ſibi barbaros cerneret, irriſionem ſexus promiſcui ſuſtineret: & qui maximum habuerat ſupercilium fortis viri, mortem ſubiret ignaui. Atque vtinam hoc ipſum breue remedium malorum eſſet, non diuturna toleratio. Ille autem, quantum ad pœnarum magnitudinem pertinet, longo tempore & diuturna in ergaſtulo barbarorum tabe conſumptus, in hanc miſeriam redactus eſt, vt quod plerumque homines etiam pœnis ipſis grauius atque acerbius putant, in miſerationem hoſtium deueniret. Et hoc cur? cur abſque dubio, niſi quia, vt iam dixi, illi Deo humiles, nos rebelles: illi crediderunt in manu Dei eſſe victoriam, nos in manu noſtra; imo in ſacrilega atque impia, quod eſt peius nocentiuſque quàm noſtra.

Militaris pietas.

Denique ipſe rex hoſtium quantum res prodidit ac probauit, vſque ad diem pugnæ ſtratus cilicio preces fudit, ante bellum in oratione iacuit, ad bellum de oratione ſurrexit.

B

Priuſquam pugnam manu capeſſeret, ſupplicatione pugnauit, & ideo fidens proceſſit ad pugnam, quia iam meruerat in oratione victoriam.

Oratio vincit. Caſtini expeditio in Vuandalos.

Non diſſimiliter autem illud etiam apud Wandalos, ad quos cum in Hiſpania ſitos noſtra pars pergeret, tantamque ad debellandos eos præſumptionis fiduciam ferret, quantam etiam proxime ad Gothos, pari ſuperbiæ faſtu, pari exitu corruerunt. Venitque ſuper exercitum noſtrum illud prophetæ dictum: Obruet dominus confidentiam tuam & nihil habebis proſperum.

Prof. conſ. Honorii xiii.
Hier. 2. & 9.

Confidebamus enim in ſapientia noſtra & fortitudine, contra Dei mandata dicentis: Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus. Non immerito itaque victi ſumus, ad meliora enim ſe illi ſubſidia contulere quam noſtri: nam cum armis nos atque auxiliis ſuperbiremus, à parte hoſtium nobis liber diuinæ legis occurrit. Ad hanc enim præcipuè opem timor & perturbatio tunc Wandalica confugit, vt ſeriem nobis cœleſtis eloquij opponeret, & aduerſum aduenientes æmulos ſuos ſacri voluminis ſcripta quaſi ipſa quodammodo diuinitatis ora reſeraret.

C

Irridetur religio prærogatiua religioſi nominis.

Hic nunc requiro, quis hoc vnquam à noſtris patribus fecerit, aut quis non irriſus fuerit ſi putaſſet eſſe faciendum: irriſus vtique, ſicut à noſtris omnia ferme religioſa ridemur. Et ideo quid prodeſſe nobis prærogatiua illa religioſi nominis poteſt, quod nos Catholicos dicimus, quod fideles eſſe iactamus: quod Gothos ac Wandalos hæretici nominis exprobratione deſpicimus, cum ipſi hæretica prauitate viuamus? Itaque rectiſſime nobis dicitur illud quod Iudæis in lege fidentibus dixit ſermo diuinus:

Hier. 8. & 7.

Quomodo dicitis, ſapientes ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt? *Nolite*, inquit, *confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt: quoniam ſi benedixeritis vias veſtras & ſtudia veſtra, aduenæ, & pupillo, & viduæ non feceritis calumniam, nec ſanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, habitabo vobiſcum in loco iſto à ſeculo vſque in ſeculum.* Quo vtique oſtenditur, quod ſi iſta non facimus, ſuperflua nobis catholici nominis præſumptione plaudamus. Sed hinc iam & ſuperius ſatis dictum eſt, & adhuc fortaſſe dicetur, nec opus eſt vt de hoc amplius diſſeramus, vbi Dei inge iudicium eſt, quid enim vel de nobis vel de Gothis ac Wandalis Deus iudicet, res probant.

D

Illi creſcunt quotidie, nos decreſcimus: illi proficiunt, nos humiliamur: illi florent, & nos areſcimus. vt verè in nos veniat dictum illud, quod de Saul & Dauid ait ſermo diuinus: quia *Dauid* erat *proficiens & ſemper ſeipſo robuſtior, domus autem Saul decreſcens quotidie.*

2. Reg. 3.
Pſalm. 118.

Iuſtus eſt enim, vt propheta ait, *iuſtus eſt Dominus, & rectum iudicium ſuum.* Iudicamur itaque præſente etiam iudicio à Deo, & ideo excitata eſt in perniciem ac dedecus noſtrum gens, quæ de loco in locum pergens, de orbe in orbem tranſiens, vniuerſa vaſtaret. Ac primum à ſolo patrio effuſa eſt in Germaniam primam, nomine barbaram, di-

Germania

E

cione Romanam, poſt cuius primum exitium arſit regio Belgarum, deinde opes Aquitanorum luxuriantium. Et poſt hoc corpus omnium Galliarum, ſed paulatim id ipſum tamen, vt dum pars clade cæditur, pars exemplo emendaretur. Sed vbi apud nos emendatio, aut quæ pars Romani orbis, quamuis afflicta corrigitur? *Omnes* enim, vt legimus, *declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt.* Et ideo propheta ad Dominum clamat, & dicit: *Percuſſiſti eos, & non doluerunt, attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam. Indurauerunt facies ſuas ſuper petram, & noluerunt reuerti.*

Pſalm. 52.
Hier. 5.

Quàm verè autem etiam hoc in nos cadat, res ipſa indicat. Vaſtata eſt diu Gallia: ergo emendata eſt cum in vicino eſſet Hiſpania? Nec immerito, quia nullus erat omnino timor, nulla correctio, flammis quibus arſerant Galli, Hiſpani ardere cœperunt.

Vaſtata Gallia.

In quo illud eſt, vt ſupra dixi, ſceleratiſſimum & grauiſſimum: quod cum arſerint, vt ita dicam, membra hominū peccatorum, curata non ſunt vitia peccantium. Et ideo compulſus eſt criminibus noſtris Deus vt hoſtiles plagas de loco in locum, de orbe in orbem ſpargeret, & excitatas pene ab vltimis terræ finibus gentes etiam trans mare mitteret, quæ Afrorum ſcelera punirent.

Bellorum cauſæ.

F

Quid enim? Nunquid abductæ à ſolo patrio degere intra Gallias non poterant? aut vt non degerent, quem timebant, quæ illæſæ à nobis vſque ad tempus illud cuncta vaſtauerant? Sed eſto inter Gallias formidabant: quid in Hiſpania, vbi exercitus noſtros etiam bellando contriuerant, nunquid conſiſtere aut permanere metuebant iam victores, iam triumphantes? quibus vſque ad hunc fortitudinis faſtum contigerat aſcendere, vt poſt experimenta belli diu parati intelligerent ſibi Romanæ Reipub. vires etiam cum barbarorum auxiliis pares eſſe non poſſe. Poterant ergo illic degere, nec timebant: ſed illa vtique cœleſtis manus quæ eos ad punienda Hiſpanorum flagitia illuc traxerat, etiam ad vaſtandam Africam tranſire cogebat.

Hunni.

Ipſi denique fatebantur non ſuum eſſe quod facerent, agi enim ſe diuino iuſſu ac perurgeri.

G

Ex quo intelligi poteſt quanta ſint mala noſtra, ad quos vaſtandos atque cruciandos ire barbari compelluntur inuiti, ſecundum illud ſcilicet quod vaſtator terræ Iſraeliticæ rex Aſſyriorum ait: *Nunquid ſine Domini voluntate aſcendi ad locum iſtum? Dominus dixit mihi: Aſcende ad terram hanc, & demolire eam.*

Eſa. 36.

Et alibi ſacer ſermo: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël. *Ecce ego mittam & aſſumam Nabuchodonoſor regem Babylonis ſeruum meum, veniensque percutiet terram Ægypti*

Hier. 25.

Vnde agnoſcere poſſumus cuncta quidem quæ affliguntur, iudicio Dei percuti, ſed tamen vt ſæpè memoraui, propter peccata ſubuerti.

Cauſa malorum peccata, nō Deus.

Ac per hoc quicquid actum eſt, peccatis non Deo aſcribendum: quia rectè illi rei factum aſcribitur, quæ vt quid fieret exegit. Nam & homicida cum à iudice occiditur, ſuo ſcelere punitur: & latro aut ſacrilegus cum flammis exuritur, ſuis criminibus concremantur.

Vuandali.

Vnde & quod Wandali ad Africam tranſierunt, non eſt diuinæ ſeueritati, ſed Afrorum ſceleri deputandum. Graui enim eos antequàm illuc pergerent ac longa iniquitate traxerunt. Et ideo intelligere debemus, quia pietatis diuinæ fuit, quod pœnam diu debitam diſtulit: piaculorum autem & criminum, quod aliquando peccator populus quæ merebatur accepit: niſi forte Afros hoc non meruiſſe credimus, cum vtiq; nulli magis, vtpote in quos omnia ſimul improbitatum atque impuritatum genera confluxerint.

H

Cæteri enim homines etſi nonnullis flagitiorum vitiis obligati ſunt, quibuſdam tamen non implicantur: etſi vinolentia non carent, maleuolentia carent: etſi libidine æſtuant, rapacitate non ſæuiunt. Multos deniq; etſi accuſat incontinentia corporum, ſimplicitas commendat animorum. In Afris vero pene omnibus nihil horum eſt quod ad vtramque pertineat, id eſt, bonum æque ac malum, quia totum admodum malum. Adeo excluſa naturæ originalis ſynceritate, aliam quodammodo in his naturā vitia fecerunt. Exceptis enim pauciſſimis Dei ſeruis quid fuit totum Africæ territorium, quàm domus vna vitiorū, æneo illi ſimilis, de quo propheta dicit: *O ciuitas ſanguinum!*

Mores Gothorū, Alanorū, Francorū. Omnium gentium peculiaria mala ac bona.

A

Ezech. 24.

num! AEneum, in quo eſt ærugo, non exit de eo: quia ſanguis non exit de eo. Ciuitatem vt videmus, æneo, & iniquitatem ſanguini comparauit: vt intelligamus ſcilicet ſic eſſe in ciuitate populi iniquitatem, ſicut in æneo ſanguinem bullientem.

& 22.

Non diſſimile autem eſt huic illud ſermonis ſacri: *Facti ſunt mihi domus Iſrael commixti omnes æramento, & ferro, & ſtagno, & plumbo, in medio argentum permixtum eſt. Propterea dic hæc, ſic dicit Dominus Deus; Pro eo quod facti eſtis omnes in permixtionem vnam, conſlabo vos & inſufflabo in vos ignem iræ.* Diſſimillima inter ſe genera metallorum ſacer ſermo memorauit. Et quomodo in eodem conflatorio res diuerſa conflatur? ſcilicet quia in diuerſitatibus metallorum diſſimilitudo hominum deſignatur.

Diuerſitas metallorum.

Et ideo etiam argentum, id eſt nobilioris materiæ metallum iiſdem ignibus datur, quia naturæ nobilioris ingenium vita degenerante damnatur.

Ezech. 27. & 28.

Sicut etiam de principe Tyri dixiſſe legimus Deum per prophetam: *Fili hominis accipe lamentum ſuper principem Tyri, & dic illi: Hæc dicit Dominus Deus, tu conſignatio ſimilitudinis, & corona decoris in delitiis paradiſi fuiſti: omnem lapidem optimum indutus es, * Sardonicem, & Topazium, & Smaragdum.* Et iterum: *Argento*, inquit, *& auro impleſti theſauros tuos, à multitudine negotiationis impleſti promptuaria tua.*

B

* Sardiũ.

Africæ diuitiæ.

Quæ omnia nunquid non talia ſunt, vt vel ſpecialiter de Africis dicta videantur: vbi enim maiores theſauri, vbi maior negociatio, vbi promptuaria pleniora? *Auro*, inquit, *impleſti theſauros tuos à multitudine negotiationis tuæ.* Ego plus addo. Tam puto diuitem quondam Africam fuiſſe, vt mihi copia negotiationis ſuæ non ſuos tantum, ſed etiam mundi theſauros videatur impleſſe. Et quid poſt hæc? *Exaltatum eſt*, inquit, *cor tuum in decore tuo, propter multitudinem peccatorum tuorum in terram te proieci.* Quomodo Africanæ potentiæ & hoc competit, aut quomodo proiecta eſſe videtur in terram? Quomodo, quia niſi quando amiſit potentiæ veteris altitudinem, quaſi cœleſtem perdidit dignitatem. *Et educam*, inquit, *ignem de medio tui, hic te deuorabit.* Quid hac re verius? de media quippe eorum iniquitate ignis peccati exiit, qui felicitatem prioris temporis deuorauit.

C

Et omnes, inquit, *qui te nouerunt inter nationes, contriſtabuntur ſuper te.* Conuenire illis hoc non putemus, ſi non euerſio Africani ſoli, luctus eſt generis humani. *Perditio*, inquit, *factus es: & non eris amplius in æternum.* In perditionem illic iam deducta omnia ſatis conſtat. Supereſt ne malorum præſentium pœnas etiam æterna continuatio conſequatur: non patiatur hoc autẽ pro affectu ſuæ miſericordiæ Deus. Nam quantum ad meritũ noſtrorum criminum pertinet, ita res ſe habet, vt pati poſſe videatur. Quid enim piaculorũ eſt non illic ſemper admiſſum? ne de omnib. dicam, quia & enormia fere ſunt, & ſciri & dici tanta non poſſunt; de ſola vel maxime obſcœnitate impuritatum loquor, & quod eſt grauius, ſacrilegiorum. Prætermitto in aliquo rabiem cupiditatis, vitium totius generis humani. Prætereo auaritiæ inhumanitatem, proprium eſt Romanorũ pene omnium malum.

Rom·aui ·ian.

Relinquatur ebrietas, nobilibus ignobilibuſq; communis. Taceatur ſuperbia, & tumor, tam peculiare hoc diuitum regnũ eſt, vt aliquid forſitan de iure ſuo ſe putent perdere, ſi hinc ſibi alius quicquam voluerit vendicare.

D

Tranſeatur deniq; prope omne fraudum, falſitatũ, periuriorum, nefas: nulla vnquã his malis Romana ciuitas caruit, & ſpecialius hoc ſcelus Afrorum omniũ fuit. Nam ſicut in ſentinam profundę nauis colluuiones omnium ſordium; ſic in mores eorum quaſi ex omni mundo, vitia fluxerunt. Nullam enim improbitatem ſcio, quæ illic non redundauerit: cum vtique etiam paganæ ac ferreæ gentes, etſi habeãt ſpecialiter mala propria, non ſint tamen in his omnia execratione digna. Gothorum gens perfida, ſed pudica eſt: Alamannorum impudica, ſed minus perfida: Franci mendaces, ſed hoſpitales? Saxones crudelitate efferi, ſed caſtitate mirãdi. Omnes denique gentes habent ſicut peculiaria mala, ita etiam quædam bona. In Afris pene omnibus neſcio quid non malum. Si accuſanda eſt inhumanitas, inhumani ſunt. Si ebrioſitas, ebrioſi ſunt. Si falſitas, fallaciſſimi. Si dolus, fraudulentiſſimi. Si cupiditas, cupidiſſimi. Si perfidia, perfidiſſimi. Impuritas eorum atque blaſphemia his omnibus admiſcenda non ſunt: quia illis quæ ſupra diximus malis aliorum gentium vitia: his autem etiã ſua ipſa vicerunt.

E

Ac primũ, vt de impuritate dicamus, quis neſcit Africam totam obſcœnis libidinum tædis ſemper arſiſſe: non vt terram ac ſedem hominum, ſed vt Æthnam putes impudicarum fuiſſe flammarum. Nam ſicut Æthna inteſtinis quibuſdam naturæ feruentis ardoribus, ſic illa abominandis iugiter fornicationum ignibus æſtuauit.

Æthna impudicarum flammarum.

Nec volo in hac re aſſertionibus meis credi, teſtimoniũ requiratur generis humani. Quis non omnes omnino Afros generaliter ſciat impudicos, niſi forte ad Deum conuerſos, id eſt, fide ac religione mutatos. Sed hoc tam rarum eſt ac nouũ, quàm rarum videri poteſt quemlibet Gauium non eſſe Gauium, aut quemcunque Seium non eſſe Seium. Tam infrequens enim eſt hoc & inuſitatum, impudicum non eſſe Afrum, quàm nouum & inauditũ Afrum non eſſe Afrum.

Afrorum impuritas.

F

Ita enim generale in eis malum impuritatis eſt, vt quicunq; ex eis impudicus eſſe deſierit, Afer non eſſe videatur. Nec diſcurram per loca ſingula, aut cunctas diſcutiam ciuitates, ne ſtudioſe videar quærere, atque inueſtigare quæ dicam: vna tantum vniuerſarum illic vrbium principe, & quaſi matre contentus ſum, illa ſcilicet Romanis arcibus ſemper æmula, armis quondam & fortitudine, poſt ſplendore & dignitate, * Carthaginem dico, & vrbi Romæ maxime aduerſariam, & in Africano orbe quaſi Romam: quæ mihi ideo in exemplum ac teſtimonium ſola ſufficit: quia vniuerſa penitus, quibus in toto mundo diſciplina Reipublicæ vel procuratur, vel regitur, in ſe habuit.

* remtem. Carthag.

Illic enim omnia * officiorum publicorũ inſtrumenta: illic artiũ liberalium ſcholę, illic philoſophorum officinæ, cuncta deniq; vel linguarũ gymnaſia vel morum: illic quoq; etiam copiæ militares, & regentes militiã poteſtates: illic honor proconſularis, illic quotidianis iudex & rector quantum ad nomen quidem proconſul, ſed quantum ad potentiam conſul: illic denique omnes rerum diſpenſatores, & differentes inter ſe tam gradu, quàm vocabulo dignitates, omnium, vt ita dicam, platearum & compitorum procuratores, cuncta ferme & loca vrbis, membra populi gubernantes.

* officia.

G

Hac ergo tantum contenti ſumus ad exemplum ac teſtimonium cæterarum: vt intelligamus ſcilicet quales illæ fuerint ciuitates, quæ minores habuerunt probi officij procurationes, cùm viderimus qualis extiterit, vbi ſummi ſemper fuere rectores. Quo loco prope eſt, vt pœniteat me promiſſionis meæ, id eſt, quod ſuperius ſpopondi, cunctis prope Afrorum criminibus prætermiſſis de impuritatibus præcipue ac blaſphemiis eorum eſſe dicturum. Video enim quaſi ſcaturientem vitiis ciuitatem, video vrbem omnium iniquitatum generi feruientem, plenam quidem turbis, ſed magis turpitudinibus: plenam diuitiis, ſed magis vitiis: vincentes ſe inuicem homines nequitia flagitiorum ſuorum, alios rapacitate, alios impuritate certantes, alios vino languidos, alios cruditate diſtentos: hos ſertis redimitos, illos vnguento oblitos, cunctos vario luxus marcore perditos, ſed pene omnes vna errorum morte proſtratos: non omnes quidem vinolentia temulentos, ſed omnes tamen peccatis ebrios. Populos putares non ſani ſtatus, non ſui ſenſus, non animo incolumes, non gradu, quaſi in morẽ *baccharum crapulæ cateruatim inſeruientes.

H

* crapulatarum turbarum.

Iam vero illud cuiuſmodi, aut quàm graue, genere quidem diſpar, ſed iniquitate non diſpar, niſi hoc diſpar forte quia maius. Proſcriptiones dico orphanorum, viduarũ afflictiones, pauperũ cruces, qui ingemiſcentes quotidie ad Deũ, ac finem malorum imprecantes, & quod grauiſſimum eſt, interdum vi nimiæ amaritudinis etiam aduentũ hoſtium poſtulantes, aliquando à Deo impetrauerunt, vt euerſionem tandem à barbaris in commune tolerarent, quã ſoli à Romanis ante tolerauerant.

Pauperũ imprecationes, contra temp. ex nimia amaritudine.

Sed eſto hæc omnia prætermittentur, quia & in omni ferme aguntur orbe Romano, & ſpopondi me de his malis hoc loco pauca dicturum. Quid ergo impudicitia atque impuritas, de qua loquor, nunquid non ad euerſionem Afrorum ſola ſuf-

A

fecerat. quæ enim fuit pars ciuitatis non plena ſordibus, quæ intra vrbem platea aut ſemita non lupanar? Adeo omnia pene compita, omnes vias, quaſi foueæ libidinum interceperant, aut quaſi retia prætexebantur; vt etiam qui ab hac re penitus abhorrerent, tamen vitare vix poſſent. Latronum quodammodo excubias videres, commeantium viatorum ſpolia captantes, qui inſidiarum frequentium denſitate, ita omnes admodum calles, omnes anfractus, ac diuerticula ſepſiſſent; vt nullus ferme tã cautus eſſet, qui non in aliquos inſidiarum laqueos incurreret, etiam qui ſe de plurimis expediſſet. Fœtebant, vt ita dixerim, cuncti vrbis illius ciues cœno libidinis, ſpurcum ſibimetipſis mutuo impudicitiæ nidorem inhalantes. Sed horrori eis tamen horrida iſta non erant, quia idem omnes horror infecerat. Vnam enim putes illic fuiſſe libidinum fornicationumque ſentinam, cœnum quaſi ex omni platearum & cloacarum labe collectum. Et quæ illic ſpes eſſe poterat, vbi præter id quod in Domini templo erat, nihil videre penitus niſi ſordidum non licebat.

B

Quanquam quid dicam in Dei templo? hoc quippe totum ad ſacerdotes tantum & clerum pertinet, quos non diſcutio, quia Domini mei miniſterio reuerentiam ſeruo, & quos ita ſolos puros arbitror fuiſſe in altario, ſicut pereuntibus Sodomis ſolum Loth fuiſſe legimus in monte. Cæterum quantum ad plebem pertinet, quis in illo numero tam innumero caſtus fuit? Caſtum dico? quis non fornicarius, non adulter, & hoc ſine ceſſatione, ſine termino? Ruſum clamitem itaque neceſſe eſt. Quæ ſpes ... illo populo eſſe poterat, vbi cum vnus interdum ... licet plebem Eccleſiaſticum polluat, ibi inter tot millia ... diligentiſſime quæreres, caſtũ vel in Eccleſia inuenire vix poſſes. Plus multo dicam, vtinam hæc eſſent ſola quæ diximus, & contenta illic virorum impuritas fuiſſet ſolis ſordidarum mulierum fornicationibus inquinari. Illud grauius & ſceleſtius, quod illa de quibus Beatus Apoſtolus Paulus cum ſumma animi lamentatione conqueritur, in Afris pene omnia fuerunt: ſcilicet quia *maſculi relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis in inuicem, maſculi in maſculos turpitudinem exercentes, & mercedem quam oportuit erroris ſui in ſemetipſos recipientes. Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos in reprobum ſenſum, vt faciant quæ non conueniunt.* Nunquid hoc beatus Apoſtolus de barbaris ac feris gentibus dixit? non vtique, ſed de nobis, id eſt, ſpecialiter de Romanis: quos quidem Afri, quia nequaquam olim vincere imperio ac ſublimitate valuerunt, quod potuerunt vnum, impuritate vicerunt.

Sacerdotes non diſcutiendi.

Gen. 19.

C

Rom. 1.

Quicunque ergo iure ſe mihi iraſci putat, magis Apoſtolo iraſcatur: ſcilicet quia quod dicimus nos fuiſſe Afros, hoc ille dixit dominos eorum eſſe Romanos. Sed forte vel id occultum quod loquimur erat, aut ſaltem hoc prouidebant procuratores, ne publicæ paſſim diſciplinæ oculos, ciuitatis ſcelera propalata polluerent. Quod ſi factum vtique fuiſſet, quamuis ſi multi extitiſſent opere ipſo ſordidi, non omnes tamen fuerant viſu atque animo ſordidati: & ſolet res flagitioſa quando agitur occulte, fidem facinoris non mereri. Supra omne autem monſtruoſi piaculi execratione eſt, ſcelus ſummum admittere, & pudorem ſceleris non habere. Quid rogo fieri illic prodigioſius potuit? in vrbe Chriſtiana, in vrbe Eccleſiaſtica, quam quondam doctrinis ſuis Apoſtoli inſtituerant, quam paſſionibus ſuis martyres coronarãt, viri in ſemetipſis fœminas profitebantur, & hoc ſine pudoris vmbraculo, ſine vllo verecundiæ amictu: ac quaſi parum piaculi eſſet, ſi malo illo malorum tantum inquinarentur auctores, per publicam ſceleris profeſſionem fiebat etiam ſcelus integræ ciuitatis. Videbat quippe hoc vniuerſa vrbs, & patiebatur: videbant iudices, & acquieſcebant: populus videbat, & applaudebat, ac ſic diffuſo per totam vrbem dedecoris ſcelerisque conſortio, & ſi hoc commune omnib. non faciebant actus, commune omnibus faciebat aſſenſus. Sed his aliquando forſitan mali, aut emendatio aliqua ſabes illis fuit. Quis crederet aut etiam audire poſſit, conuertiſſe in mulierem tolerantiam virus, non vſum ſuum tantum atq; naturam, ſed etiam vultum, inceſſum, habitum & totum penitus quicquid aut in ſexu eſt, aut in vſu viri: adeo verſa in diuerſum omnia erant, vt cum viris nihil magis pudori eſſe oporteat, quam ſi muliebre aliquid in ſe habere videantur: illic nihil viris quibuſdam turpius videretur, quàm ſi in aliquo viri viderentur. Sed paucorum hoc inquis, dedecus fuit: & quod non à plurib. perpetratum eſt, cunctis nocere non potuit.

D

Oculi publicæ diſciplinæ.

E

Iam quidem ſupra dixi ſæpiſſime, in Dei populo etiã vnius facinus peſtem fuiſſe multorum: ſicut ex furto Achar populus ruit, ſicut ex zelo Sauli orta eſt peſtilentia, ſicut ex S. Dauid numeratione mortalitas: ita eſt enim Dei Eccleſia quaſi oculus. Nam vt in oculum etiam ſi parua ſordes incidat, totum lumen obcæcat: ſic in Eccleſiaſtico corpore etiamſi pauci ſordida faciant, propè totum Eccleſiaſtici ſplendoris lumen obſcurant. Et ideo ſaluator ipſe principalem Eccleſiæ partem oculum nominauit, dicens: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Vnde & Apoſtolus: *Neſcitis*, inquit, *quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Quamuis ergo illic non modicum de hoc malo, ſed nimis fuiſſe dicã: non quia molles plurimi fuerint, ſed quia mollicies paucorũ labes eſt plurimorum. Nam etſi pauci ſunt qui dedecoroſa ſuſtineant, multi ſunt qui paucorum ſordibus polluantur. Sicut enim vna meretrix multos fornicatores facit; ſic plurimam populi partem inquinat paucorum effœminatorum abominanda permixtio. Et neſcio qui eorum ante Deum deteriores ſint, cũ æquali in ſcripturis ſacris ſorte damnentur. *Neque molles* enim, inquit, *neque maſculorum concubitores regnum Dei poſſidebunt.* Illud ergo magis ingemiſcendum atq; lugendum eſt, quod tale hoc ſcelus crimen etiam totius Reipub. videbatur. Et vniuerſa Romani nominis dignitas, facinoris prodigioſi inurebatur infamia. Cum enim muliebrem habitum viri ſumerent, & magis quàm mulieres gradum frangerent, cum indicia ſibi quædam monſtruoſæ impuritatis innecterẽt, & fœmineis tegminũ illigamentis capita velarent, atque hoc publice in ciuitate Romana, vrbe illic ſumma & celeberrima, quid aliud quã Romani imperij dedecus erat, vt in medio Reipub. ſinu execrandiſſimũ nefas palàm liceret admitti? Poteſtas quippe magna & potentiſſima, quæ inhibere ſcelus maximum poteſt, quaſi probat debere fieri, ſi ſciens patitur perpetrari. In cuius enim manu eſt vt prohibeat, iubet agi, ſi non prohibet admitti.

Viris nihil magis eſt pudendũ, quam ſi quid habeant muliebre.

Ioſue 7.

1. Reg. 19.

2. Reg. 23.

Eccleſia eſt quaſi oculus.

Matth. 6.

Mollicies paucorũ labes eſt plurimorum.

F

1. Cor. 6.

Mollities virorum Carthaginenſium.

Poteſtas ſcelera permittens ea probat.

G

Iterum quia dolor exigit, ab his qui iraſcuntur requiro, in quibus hæc barbaris gentibus aut facta ſunt vnquam, aut fieri publica impunitate licuerit? Denique ne longius de hac re ambigi aut inueſtigari neceſſe ſit, ipſos illos Africæ vaſtatores, Afrorum populis comparemus. Videamus quid ſimile à Wandalis factum ſit: & certe barbari elatione tumidi, victoria ſuperbi, diuitiarum ac deliciarũ affluentia diſſoluti, qui profecto etiamſi continentiſſimi & caſtiſſimi ſemper fuiſſent, mutari tamẽ tanta rerũ obſecundantium felicitate potuerunt; ingreſſi ſcil. vt diuinis literis ſcriptum eſt, terram lacte & melle manantem, fœcundam, opulentiſſimam, omnium deliciarum copiis quaſi ebriam. In qua vtique minime mirum fuerat, ſi luxuriaſſet gens barbara, vbi ſimilis quodammodo luxurianti erat ipſa natura. Ingreſſos hæc loca Wandalos, quis non putet omni ſe vitiorum atque impuritatum cœno immerſiſſe, aut, vt leuiſſime dicam, ſaltem illa feciſſe, quæ ab Afris iugiter facta fuerant, in quorum iura migrarant? & certe ob ea tantum, continentiſſimi ac modeſtiſſimi iudicandi erant, quos non fecit corruptiores ipſa felicitas. Quotus enim quiſque ſapientium eſt, quem ſecunda non mutent, cui non creſcat cum proſperitate vitioſitas? Ac per hoc temperatiſſimos fuiſſe Wandalos certum eſt, ſi quales illi fuerunt, qui capti ac ſubiugati ſunt, tales illi fuere victores. Igitur in tanta affluentia rerum atque luxuria, nullus eorum mollis effectus eſt. Nunquid parum videtur? certe familiariter etiam hoc nobiles fuere Romani. Sed quid adhuc addo? nullus vel qui Romanorum illic mollium polluerentur inceſtu. Certe hoc apud Romanos iam pridem tale exiſtimatum eſt vt virtus potius putaretur eſſe quàm

Exod. 13.

H

Proſperis deteriores ſumus.

vitium;

A vitium: & illi ſe magis virilis fortitudinis eſſe crederent, qui maxime viros fœminei vſus probroſitate fregiſſent. Vnde etiam illud fuit, quod lixis puerorum quondam exercitus proſequentibus, quaſi bene meritis expeditionibus ſtipendia laboris decernebantur: vt quia viri fortes eſſent, viros in mulieres demutarent. Pro nefas, & hoc Romani: plus addo, & hoc Romani non huius temporis, attamen ne veteres accuſemus, Romani, ſed non antiqui, iam ſcilicet corrupti, iam diſſoluti, iam ſibi & ſuis diſpares, & Græcis quàm Romanis ſimiliores: vt (quod ſæpe iam diximus) minimum mirum ſit, ſi Romana Reſpub. aliquando patitur quod iamdudum meretur. Hæc ergo impuritas in Romanis & ante Chriſti Euangelium eſſe cœpit: & quod eſt grauius, nec poſt Euangelia ceſſauit. Et quis poſt hæc non admiretur populos Wandalorum, qui ingreſſi vrbes opulentiſſimas, vbi hæc omnia paſſim agebantur, ita delitias corruptorum B hominum indepti ſunt, vt corruptelas morum repudiarent, & vſum bonarum rerum poſſiderent, malarum inquinamenta vitantes. Sufficere igitur ad laudem eorum hæc poſſunt talia, etiam ſi alia non dicam: abominati enim ſunt virorum impuritates. Plus adhuc addo, abominati etiam fœminarum, horruerunt luſtra ac lupanaria, horruerunt concubitus contactuſque meretricum. Nunquid hoc credibile vllis videri poteſt, Romanos hæc admiſiſſe, barbaros horruiſſe: aut nunquid eſt poſt iſta quæ diximus, quod dici poſſe videatur? Sed eſt tamẽ, & multo plus eſt. Nam quod vitaſſe eos res fœdas diximus, minus eſt. Poteſt enim quis inhoneſta horrere, non tollere: illud magni ac ſingularis eſt meriti, non ſolum ipſum labe non pollui, ſed prouidere etiam ne vnquam alij polluantur. Procurator enim eſt quodammodo ſalutis humanæ, qui non tantum id agit vt ipſe bonus ſit, ſed efficere & hoc nititur, vt alij mali eſſe deſiſtant. Grande eſt profecto quod dicimus, grande & ſupereminens. Quis credat Wandalos in ciuitatibus Romanis iſta feciſſe? C Remota quippe eſt ab illis omnis carnis impuritas. At quomodo remota? non ſicut remoueri aliqua à Romanis ſolẽt, qui ſtatuunt non adulterandum, & primi adulterant: ſtatuunt non furandum, & furantur: quamuis pene non poſſim dicere quod furentur: non enim ſunt quæ agunt furta, ſed latrocinia. Punit enim iudex, in alio * peculatum, cum ſit ipſe peculator: punit rapinam, cum ipſe ſit raptor: punit ſicarium, cum ipſe ſit gladiator: punit effractores clauſtrorum & oſtiorum, cum ipſe ſit euerſor vrbium: punit exſpoliatores domorum, cum ſit exſpoliator prouinciarum. Atque hoc vtinam illi tantum qui in poteſtate ſunt poſiti, & quibus ius exercendorum latrociniorum honor ipſe largitur. Illud grauius ac magis intolerabile, quod hoc faciunt, & priuati iiſdem ante honoribus functi. Tantum eis indeptus ſemel honor dat beneficij, vt ſemper habeãt ius latrocinandi. Adeo etiã cum deſtiterint ad miniſtrandum poteſtatẽ habere publicam, non deſinunt tamen ad latrocinãdum poteſtatem habere priuatã: ac ſi leuior eſt poteſtas illa quam habuerunt iudices, quàm hæc quam priuati habent. In illa enim eis ſæpe ſucceditur, in hac D nunquã. Ecce quid valeant ſtatuta legum, ecce quid proficit definitio ſanctionum, quæ illi ſpernunt maxime qui miniſtrant. Sane ad parendum humiles abiectiq; coguntur: compelluntur iuſſis obtemperare pauperculi: & niſi obtemperauerint, puniuntur. Eandem enim rationem in hac re habent quam in tributis. Soli iuſſis publicis ſeruiunt, ſicut ſoli tributa ſoluunt: ac ſic in ipſis legibus & in ipſa iuſta rerum præceptione maximum iniuſtitiæ ſcelus agitur, cum ea minores quaſi ſacra obſeruare coguntur, quæ maiores iugiter quaſi nulla conculcant. Exceſſi paulisper cœptum ſermonis ordinẽ, rerum indignitate compulſus. Nunc ad ſuperiora redeamus. Diximus quippe plenas fuiſſe impuritatibus monſtruoſis Africæ ciuitates, & præcipue illic reginam & quaſi dominam: Wandalos autem iis omnibus non fuiſſe pollutos. Non tales ergo iſti, de quibus loquimur, barbari ad emendandam noſtrarum turpitudinum labem extiterunt. Abſtulerunt enim de omni Africa ſordes vi-

Barbari caſti magis quam Romani.

Iudicum peculat[*].

* peculationem.

E rorum mollium, cogitationes etiam horruerunt meretricum, nec horruerunt tantum, aut temporarie ſummouerunt, ſed penitus iam non eſſe fecerunt. O pie Domine, ô Saluator bone, quantum efficiunt per te ſtudia diſciplinæ, per quæ mutari poſſunt vitia naturæ, ſicut ab illis ſcilicet immutata ſunt. At quomodo immutata? Intereſt enim non ſolum effectus rerum, ſed etiã effectuum cauſas dicere. Difficile eſt quippe impudicitiam verbo aut iuſſione tolli, niſi fuerit ablata: & difficile pudicitiam verbo exigi, niſi fuerit exacta. Quod illi vtique ſcientes, ſic impudicitiam ſummouerunt, quod impudicas conſeruauerunt, non interficientes mulierculas infelices: ne vitiorum curam crudelitate reſpergerent; & dum peccata auferre cuperent, ipſi in peccatorũ reſecatione peccarent: ſed ita errantes emendauerunt, vt factum eorum medicina eſſet, pœna non eſſet. Iuſſerunt ſiquidem & compulerunt omnes ad maritalem thorum tranſire meretrices. Scorta in connubia verterunt, implentes ſcilicet Apoſtoli dictum atque mandatum: Vt & *vnaquæq; mulier virum haberet ſuum, & vnuſquiſque vir coniugem ſuam:* G vt quia cohiberi incontinentia ſine hac carnalis vſus permixtione non poſſet, ita legitimum vſum calor corporalis acciperet, vt peccatum incontinentia non haberet. In quo quidem non id tantummodo prouiſum eſt, vt viros fœminæ haberent, quæ ſine viris eſſe non poſſent: ſed etiam vt per conſeruatores domeſticos ſaluæ eſſent, quæ ſeipſas ſeruare neſcirent; & adhærentes iugiter gubernaculo maritali, etiamſi ad improbum eas facinus conſuetudo anteactæ impuritatis inuitaret, coniugalis tamen cuſtodia ab improbitate prohiberet. Addiderunt quoque hoc ad libidinem comprimendam, ſeueras pudicitiæ ſanctiones decretorum, gladio impudicitiam coercentes, vt puritatem ſcilicet vtriuſque ſexus, & domi connubio reſeruaret affectus, & in publico metus legum: ac ſic duplici præſidio caſtimonia * niteretur, cũ & intus eſſet quod amaretur, & foris quod F timeretur. Leges autem ipſæ nequaquam illis ſunt legibus conſentaneæ, quæ ita partẽ improbitatis remouent, vt partem obſcœnitatis admittant: aut vt Romana illa decreta, quæ ſcortatores quidem ab alienis vxoribus remouerunt, ad omnes autem ſolitarias paſſim admiſerunt, adulteria vetantes, lupanaria ædificantes. Timuerũt videlicet ne nimis caſti homines ac puri eſſent, ſi ab omni eos penitus impuritate prohiberent. At non ita iſti de quibus loquimur; qui ſic inhibuerũt ſcorta vt adulteria; qui & fœminas nullis volunt eſſe fœminas, niſi maritis ſuis; & viros volunt nullis mulieribus eſſe maſculos, niſi vxoribus ſuis; qui euagari obſcœnas libidines extra legitimum thorum non ſinunt, leges ſuas ſcilicet ad diuinæ legis regulam dirigentes: vt nihil ſibi in hac re crederent licere, quod Deus voluit non licere. Et ideo non putauerunt à ſe vlli homini permittendum, niſi quod fuiſſet omnibus à diuinitate permiſſum. Scio quia intolerabilia quibuſdam videantur iſta quæ diximus: ſed ratione rerum agendum eſt, non libidine. Volo tantum dicat mihi quiſquis ille eſt, qui indignatur me iſta dicere. H Nunquid non ita ſapientiſſimus omnium Socrates ſemper exiſtimatus eſt? teſtimonio ſcilicet Delphici dæmonis, qui quaſi princeps philoſophorum ſic vt ille dæmoniorum erat. Videamus ergo quas Socrates de pudicitia leges ſanxerit, & quas illi de quibus loquimur. Vxorem, inquit, Socrates, propriam nullus habeat, matrimonia enim cũctis debent eſſe communia: ſic namque maior erit concordia ciuitatum, ſi omnes viri fœminis ſine diſcretione omnibus miſceantur, & omnes ſe fœminæ omnibus viris ſine diſtinctione ſubſternant: ac ſic fiant omnes viri omnium mulierum mariti, omnes fœminæ omnium virorum vxores. Nunquid vllum vnquam aut phreneticum, aut dæmoniacum varia inſaniarum labe furioſum, tale aliquid locutum eſſe agnouimus? Tu dicis, maxime philoſophorum, hac ratione omnes viros eſſe fœminarum omnium maritos, & omnes fœminas virorum omnium vxores, & paruulos omnes omnium filios, at ego hac ratione dico, neque vllum virum vllius fœminæ maritum, neque vllam mulierem vllius

1. Cor. 7.

* vſtaretur.

maſculi

A masculi vxorem:neq; vllum pignus vllius parentis filium.
Vbi enim promiſcua omnia & confuſa ſunt, nemo eſt qui
ſuum poſſit aliquid vendicare. Nec ſufficit ſapientiſſi-
mo, vt quidam aiunt, philoſopho docere hoc, niſi ipſe
feciſſet: vxorem enim ſuam alteri viro tradidit. Scilicet
ſicut etiam Romanus Cato, id eſt, alius Italiæ Socrates
Ecce quæ ſunt & Romanæ & Atticæ ſapientiæ exempla,
omnes penitus maritos, quantum in ipſis fuit, lenones v-
xorum ſuarum eſſe fecerunt. Sed vicit tamen Socrates,
qui de hac re & libros condidit, & memoriæ hæc puden-
da mandauit. Plus habet vnde gloriari ſibi præceptis ſuis
poſſit. Quantum ad doctrinam ſuam pertinet, lupanar
fecit mundo. Iniuſte damnatus dicitur à iudicibus & ve-
rum eſt. Rectius enim cum hæc talia prædicantem ge-
nus damnaret humanum, ſicut abſq; dubio condemna-
uit. Nam cum in hac re doctrinam eius omnes repudia-
uerint, omnes eum non ſolum ſententiæ auctoritate, ſed
quod multo maius eſt vitæ electione damnauerunt, &
recte. Conferantur enim cum iis quæ ille conſtituit, illa
B quæ ſtatuerunt ij quos dominari Africæ Deus iuſſit. Sta-
tuit ille, vt nullus penitus ſuam haberet vxorem, iſti vt
nullus penitus non ſuam: ille vt omnis fœmina vitis o-
mnibus ſubiaceret, iſti vt nulla fœmina alium quam vi-
rum ſuum noſceret: ille generationem mixtam atq; con-
fuſam, iſti puram & ordinatam: ille omnes domus ſcorta-
ri voluit, iſti nullam: ille in cunctis habitaculis lupanaria
ædificare conatus eſt, iſti etiam è ciuitatibus ſuſtulerunt:
ille proſtare voluit omnes virgines, iſti caſtas fecere me-
retrices. Atq; vtinam hic Socratis tantum error fuiſſet,
non & complurium Romanorum ac pene omnium; qui
etſi nequaquam Socratis vitam in cæteris, in hac re tamen
Socratica inſtituta ſectantur: quia & complures viri vxo-
res plurimas ſinguli, & innumeræ mulieres viros com-
plures ſingulæ habent. Omnes deniq; ciuitates, nun-
quid non luſtris plenæ ſunt, ac lupanaribus fœtent? Et
quid dixi omnes? certe nobiliſſimæ quæq; ac ſublimiſſi-
mæ. Adeo dignitas, quæ etiam prærogatiua eſt, hæc ho-
C norum in magnis vrbibus, vt quantum præcellunt cæte-
ris magnitudine, tantum præſtent impuritate. Et quæ eſſe
rogo Romano ſtatui ſpes poteſt; quando caſtiores ac pu-
riores barbari, quàm Romani ſunt? Parum eſt quod di-
cimus. Quæ nobis rogo ante Deum aut vitæ eſſe, aut
veniæ ſpes poteſt; quando caſtitatem in barbaris cerni-
mus, & nos ſic caſti ſumus? Erubeſcamus quæſo & con-
fundamur. Iam apud Gothos impudici non ſunt niſi
Romani: iam apud Wandalos nec Romani. Tantum a- *Lib. 4. leg. Vuiſig. Tit. 4. Caſ. 125. 2.2.*
pud illos profecit ſtudium caſtimoniæ, tantum ſeueritas
diſciplinæ. Non ſolum quod ipſi caſti ſint, ſed vt rem di-
camus nouam, rem incredibilem, rem pene etiam inau-
ditam, caſtos etiam Romanos fecerunt. Si infirmitas id
humana pateretur, exclamare ſuper vires meas cupe-
rem, vt toto orbe reſonarem. Pudeat nos Romani v-
bique populi, pudeat vitæ noſtræ: nullæ pene vrbes lu-
ſtris, nullæ omnino impuritatibus vacant, niſi illæ tan-
tum in quibus barbari eſſe cœperunt. Et miramur, ſi
miſeri qui tam impuri ſumus, miramur ſi ab hoſte viri-
bus vincimur, qui honeſtate ſuperamur? Miramur ſi bo-
na noſtra poſſident, qui mala noſtra execrantur? Nec
illos naturale robur corporum facit vincere, nec nos na-
D turæ infirmitas vinci. Nemo ſibi aliud perſuadeat,
nemo aliud arbitretur; ſola nos morum no-
ſtrorum vitia vicerunt.

Explicit liber VII.

E

INCIPIT LIBER OCTAVVS.

ARBITROR, immo certus ſum fa-
ſtidioſam plurimis ſtyli huius proli-
xitatem fore, maxime quia morum
noſtrorum vitia caſtigat. Omnes ad-
modum enim ſe laudari volunt. Nul- *Reprehēſio omnibus ingrata.*
li grata reprehenſio eſt: immo, quod
peius multo eſt, quamlibet malus,
quamlibet perditus mauult mendaciter prædicari,
quam iure reprehendi; & falſarum laudum irriſio-
nibus decipi, quàm ſaluberrima admonitione ſeruari. F
Et cum hæc ita ſint, quid agendum eſt? nunquid vo-
luntati improborum hominum inſeruiendum? aut
ſi ſibi & iam illi friuolas laudes deferri volunt, de-
cet nos friuola atque irridenda deferre? maxime cum
à fidelibus viris, nec illi quidem irrideri debeant, qui
ſe irrideri volunt: ſicut ne illi quidem mendaciter
prædicari, qui ſe cupiunt titulo etiam falſæ laudis or-
nati, quia non tam illud quod vnuſquiſque eorum
cupiat audire, quàm quid nos dicere deceat conſide-
randum eſt: præcipue cum propheta dicat: *Væ his* *Eſa. 5.*
qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce: ac per hoc
modis omnibus tenenda veritas, vt quod in re eſt,
hoc & in verbis ſit: quæ in ſe dulcedinem habent,
dulcia; quæ amaritudinem, amara dicantur: præſertim
nunc in negocio ſacro, vbi à plurimis noſtræ iniquitates
Deo adcenſentur: & ne accuſabiles ipſi eſſe videantur,
Deum accuſare præſumunt. Cum enim eum incurioſum
& negligentem, reſq; humanas aut non ex iudicio guber-
nare, aut etiam nec gubernare blaſphement: quid aliud
vtiq; Deum, quàm inertiæ, & abuſionis, & iniquitatis
accuſant? O humanæ inſipientiæ cæcitatem! O inſanæ G
temeritatis furorem! Deum ergo ô homo incurioſum
ac negligentem vocas! Si quemlibet ingenuorum ho-
minum hac contumelia læderes, iniuriarum inſolen-
tia reus eſſes: certè ſi illuſtriorem quempiam ac ſub-
limiorem, etiam cenſuram iuris publici ſuſtineres.
Pupillis enim vel maxime prodigis hæc obiiciuntur
opprobria, perditorum hoc adoleſcentium ſpeciale con-
uicium eſt, vt abuſores ſcilicet & incurioſi ac negligen-
tes rerum ſuarum eſſe dicantur. O ſacrilegæ voces! O pro-
fanæ procacitates! Deum ergo hoc eſſe dicimus, quod
etiam inter homines non niſi perditiſſimos nuncupa-
mus. Quamuis non ſola iſta dicantur. Nota quippe ei,
vt ante iam dixi, etiam iniquitatis impingitur. Si enim
nos quæ patimur non meremur, & indigni miſeriarum
præſentium tolerantia ſumus, iniuſtum vtiq; Deum di-
cimus, qui nos iubeat mala tolerare. Sed non tam, inquis,
iubet quàm permittit: acquieſcamus hoc ita eſſe: ſed quā
longe quæſo eſt à iubente permittens? qui enim ſcit nos
iſta perferre, & prohibere poteſt ne perferamus, probat H
abſq; dubio debere perferre, & quæcunq; patimur ſuſti-
nere. Vnde videmus quia iudicij eſt, ſic iuſta permiſſio &
ſententia ſuperna certe eſt quod patimur. Cum enim ſint
omnia ditionis ſacræ, & nutu Dei cuncta moderentur,
quicquid malorum quotidie pœnarumq; perferimus,
cenſura eſt diuinæ manus: quam vtiq; cenſuram nos inar-
deſcere facimus, & peccatis noſtris iugiter commoue-
mus. Nos cœleſtis iræ ignem accendimus, & excitamus
incendia quibus ardeamus, vt recte vtiq; quoties mala
iſta perferimus, etiam ad nos dici illud propheticū poſſit:
Ite in flammam ignis quam accendiſtis. Ac per hoc iuxta *Eſa. 50.*
ſententiam ſacram: Ipſe ſibi parat peccator quiſq; quod *Pſalm. 7.*
patitur. Nihil eſt itaque quod de calamitatibus noſtris
Deo imputare poſſimus. Nos calamitatum noſtrarum
auctores ſumus. Deus enim pius eſt ac miſericors, & qui,
vt ſcriptū eſt, neminē velit perire vel lædere. Nos ergo ad- *1. Tim. 2.*
uerſum

A

uerſum nos omnia facimus. Nihil itaque nihil eſt in nos crudelius nobis. Nos, inquam, nos etiam Deo nolente cruciamus. Sed videlicet aduerſum meipſum dicere videor, qui cum ſuperius dixerim, ob peccata noſtra nos puniri à Deo, nunc dicam nos puniri à nobis ipſis. Vtrunque verum eſt. A Deo quippe punimur, ſed ipſi facimus vt puniamur. Cum autem punire nos ipſi facimus, cui dubium eſt, quin ipſi nos noſtris criminibus puniamus: quia quicunque dat cauſam qua puniatur, ipſe ſe punit; ſecundum illud: *Funibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur.* Ergo ſi funibus peccatorum ſuorum peruerſi homines alligantur, ipſe ſe abſque dubio alligat peccator quiſque cum peccat. Sed quia de impuritate Afrorum iam multa diximus, nunc de blaſphemiis ſaltem pauca dicamus. Profeſſa enim illic ingens plurimorum paganitas fuit. Habebant quippe intra muros patrios inteſtinum ſcelus, Cœleſtem illum ſcilicet Afrorum dæmonem dico, cui ideo vt reor veteres pagani tam ſpecioſæ appellationis titulum dederunt, vt quia in eo non erat numen, vel nomen eſſet; & quia non habebat aliquam ex poteſtate virtutem, haberet ſaltem ex vocabulo dignitatem. Quis ergo illi idolo non initiatus, quis non à ſtirpe ipſa, forſitan & natiuitate deuotus? nec loquor de hominibus ſicut vita, ita etiam profeſſione ac vocabulo paganis, & qui ſicut profani erant errore, ſic nomine. Tolerabilior quippe eſt, & minus nefaria gentilitas in hominibus profeſſionis ſuæ: illud perniciofius ac ſceleſtius, quod multi eorum, qui profeſſionem Chriſto dicauerant, mente idolis ſeruiebant. Quis enim non eorum qui Chriſtiani appellabantur, Cœleſtẽ illum, aut poſt Chriſtũ adorauit, aut quod eſt peius multo ante quàm Chriſtum? Quis non dæmoniacorũ ſacrificiorum nidore plenus, diuinæ domus limen introiit, & cum fœtore ipſorũ dæmonum Chriſti altare conſcendit? Et non tam immanis criminis fuiſſet ad templũ Domini non venire, quàm ſic venire: quia Chriſtianus qui ad Eccleſiã non venit, negligentiæ reus eſt: qui autem ſic venit, ſacrilegii. Minoris enim piaculi res eſt, ſi honor Deo non deferatur, quàm ſi irrogetur iniuria: ac per hoc quicunq; iſta fecerunt, non dederunt honorem Deo, ſed derogauerunt. Nam etiam ipſam quodammodo Eccleſiæ ſalutationem idolo præſtiterunt, quia ſecundi loci officioſitas honori illius proficit, cui principalia deferuntur. Ecce quæ Afrorum & maxime nobiliſſimorum fides, quæ religio, quæ Chriſtianitas fuit: dicebantur Chriſtiani ad contumeliam Chriſti, cum Apoſtolus declamet: *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participare, & menſæ dæmoniorum.* Illis hoc ſatis non erat, vt cum calice Dei calicem biberent dæmoniorum, niſi illum etiam prætuliſſent: nec ſufficiebat, vt menſam dæmonum menſæ dominicæ compararent, niſi poſt ſuperſtitionum infamium cultus ad Dei templa venientes ſacroſanctis Chriſti altaribus ductu ipſius diabolici ſpiritus ſpurciſſimi nidorẽ inhalaſſent. At, inquis non omnes iſta faciebant, ſed potentiſſimi quiq; ac ſublimiſſimi. Acquieſcamus hoc ita eſſe. Sed cum ditiſſimæ quæq; ac potentiſſimæ domus turbam faciant ciuitatis, vides per paucorum potentiũ ſacrilegam ſuperſtitionem, vrbem cunctam fuiſſe pollutam. Nemini autem dubium eſt omnes dominorum familias aut ſimiles eſſe dominis, aut deteriores: quamuis hoc vſitatius, vt deteriores: ac per hoc cum etiã boni domini ſeruos vel maxime malos habeant, promptum eſt intelligere, quales illic familiæ omnes fuerint, cum ſeruiles animos iã per ſe malos etiam dominorum faceret nequitia peiores. Eſto ergo illa quæ diximus ad potentiſſimos quoſque nobiliſſimos pertinuerunt: nunquid illa leuiora, quæ nobilibus ignobilibuſq; communia? odia ſcilicet, atq; execrationes ſanctorum omnium dico. Sacrilegii quippe genus eſt, Dei odiſſe cultores. Sicut enim, ſi ſeruos noſtros quiſpiam cædat, nos, in ſeruorum noſtrorũ cæde iniuriam, & ſi ã quoquã filius verberetur alienus, in ſupplicio filij pietas paterna torquetur: ita & cum ſeruus Dei à quoquam læditur, maieſtas diuina violatur, dicente idipſum ad Apoſtolos ſuos Domino: *Qui vos recipit, me recipit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Benigniſſimus ſcilicet ac piiſſimus Dominus communem ſibi cum ſeruis ſuis & honorem ſimul, & contumeliam facit, ne quis cum læderet Dei ſeruum, hominem tantum à ſe lædi arbitraretur: cum abſq; dubio iniuriis ſeruorum dominicorum, Dei admiſceretur iniuria, teſtante id ſuis Deo affectu indulgẽtiſſimo in hunc modum: *Quoniam qui vos tangit,* quaſi qui *tangit pupillam oculi mei.* Ad exprimendam teneritudinem pietatis ſuæ, tenerrimam partẽ humani corporis nominauit, vt apertiſſime intelligeremus Deũ tam parua ſanctorũ ſuorum contumelia lædi, quàm parui verberis tactus humani viſus acies læderetur. Inſectabantur itaq; Afri, atq; oderant ſeruos Dei, & in iis Deum. Sed quæritur forſitan, quib. modis probetur odium illorum. Illis ſcilicet, quibus etiam Iudæorum odia comprobantur in Chriſtum, cum dicebant ad eum: *Samaritanus es tu, & dæmonium habes:* cum irridebant, cum maledicebant, cum inſufflabant in faciem eius, & frendebant dentibus ſuper caput eius. Vnde etiã in Pſalmis dicit Saluator ipſe qui pertulit: *Omnes qui conſpiciebant, aſpernabantur me, & locuti ſunt labiis, & mouerunt caput.* Et alibi: *Tentauerunt,* inquit, *me, & deriſerunt deriſu, frenduerunt in me dentibus ſuis.* Ita igitur & in monachis, id eſt, ſanctis Dei Afrorum probatur odiũ: quia irridebant ſcilicet, quia maledicebant, quia inſectabantur, quia deteſtabantur, quia omnia in illos pene fecerunt, quæ in ſaluatorem noſtrum Iudæorum impietas ante fecit, quàm ad effuſionem ipſam diuini ſanguinis perueniret. Sed iſti, inquis, ſanctos non occiderunt, ſicut Iudæos feciſſe legimus. An occiderint, neſcio, non affirmo. Sed tamen magna defenſio, ſi hoc tantum in eis de paganorũ non fuit perſecutione, quod habet perſecutio ipſa poſtremũ. Putemus ergo occiſos illic nõ eſſe ſanctos: ſed quid faciemus, quod non ſunt longe ab occidentibus qui animo occiſionis oderunt: præſertim cum Dominus ipſe dicat: *Qui odit fratrem ſuum ſine cauſa, homicida eſt,* quamuis non ſine cauſa perſecuti ſunt ſeruos Dei. Nam quis dicere poſſit, quod ſine cauſa, homines ſcilicet omnibus à ſe vitæ ac morum ſtudiis diſcrepantes, in quib. nihil videbant ſuum, quoniam Dei totum. Maxima enim cauſa eſt diſcordiarum diuerſitas voluntatum: quia fieri aut omnino non poteſt, aut vix poteſt, vt eam rem in alio quiſquam diligat, à qua ipſe diſſentit. Itaq; eos non ſine cauſa, vt dixi, oderunt, in quibus omnia ſibi æmula atq; inimica cernebant. Illi enim viuebant iugiter in nequitia, iſti in innocentia: illi in libidine, iſti in caſtitate: illi in luſtris, iſti in monaſteriis: illi prope iugiter cum diabolo, iſti ſine ceſſatione cum Chriſto. Non ſine cauſa itaque iſtud fuit, quod inter Africæ ciuitates, & maxime intra Carthaginis muros palliatum & pallidum, & reciſis comarum fluentium iubis vſque ad cutem tonſum videre, tam infelix ille populus quàm infidelis ſine conuicio atque execratione vix poterat. Et ſi quando aliquis Dei ſeruus, aut de Ægyptiorum cœnobiis, aut de ſacris Hieruſalem locis, aut de ſanctis eremi venerandiſq; ſecretis ad vrbem illam officio diuini operis acceſſit, ſimul vt populo apparuit, contumelias, ſacrilegia, & maledictiones excepit. Nec ſolum hoc, ſed improbiſſimis flagitioſorum hominum cachinnis, & deteſtantibus ridentium ſibilis, quaſi taureis cædebatur: vere vt ſi quis ea inſcius rerum fieri videret, non aliquem hominem ludificari, ſed nouum inauditumque monſtrum abigi atque exterminari arbitraretur. Ecce Afrorum, & præcipue Carthaginenſium fidem. Tutius quondam Apoſtolis paganas vrbes licuit intrare, & minus primum eorum aduentum atque conſpectum feri illi ac barbari ſacrilegorum cœtus deteſtabantur. Sanctum electionis vas Paulum Apoſtolum vnius Dei cultu ac maieſtate dicentem ſuperſtitioſiſſimus licet Athenienſium populus patienter audiuit. Licaonii autem intantum etiam admirati ſunt, vt cum in Apoſtolis diuinas virtutes ineſſe cernerent, eſſe eos homines non putarent. Intra Carthaginem vero apparere in plateis & compitis Dei ſeruos ſine contumelia atque execratione vix licuit. Perſecutionem hoc quidem fuiſſe non putant, quia

non

Margin notes (left): Homo ſibi crudelis. — Pſalm. 11. — Afrorum blaſphemiæ. — Cæleſtis Afrorum dæmon. — B — C — 2.Cor. 10 — Altaria Chriſti. — Familia dominorum ſimilis. — D — Sacrilegii genus Dei cultores odiſſe. — Mat. 10.

Margin notes (right): E — Zach. 2. — Ioan. 8 — Pſalm. 21 — Hier. 20. — F — 1 Ioan. 3. — Cauſa diſcordiarum maxima. — G — Crudelitas Carthaginenſium in monachos. — H

A

Latronum prouerbium.

non & occiſi ſunt. Latrones quidem hoc prouerbio vti ſolent, vt quibus non auferant vitam, dediſſe ſe dicãt. Sed in vrbe illa non tam hominum fuerunt hæc beneficia, quàm legum. Interfici enim indemnatum quemcunque hominem, etiam duodecim tabularum decreta vetuerũt. Ex quo agnoſcitur, quod magna illic prærogatiua dominicæ religionis fuit, vbi ideo tantum Dei ſeruis licuit euadere, quia à pagano iure defenſi ſunt, ne Chriſtianorum manibus trucidarentur. Et miramur, ſi nunc barbaros illi perferunt, cum videamus quod ſancti viri in illis barbaros pertulerunt. *Iuſtus ergo eſt Dominus, & iuſtum iudicium ſuum. Quæ enim* vt ſcriptũ eſt, *ſeminarunt, hæc & metent*, vt vere videatur de improbitate illius gentis dixiſſe Dominus: *Reddite ei ſecundum opus ſuum iuxta omnia quæ fecit, facite illi, quia contra dominum erecta eſt.* Miremur itaque aut indignemur, quod aliqua nunc illi ab hominibus mala perferant; multo illa maiora ſunt, quæ ipſi in Deum ante fecerunt; iuxta perſonarum diuerſitatem æſtimari ot quæ patiuntur, & quæ fecerunt. ***

Pſal. 118. Gal. 6. Hier. 50.

B

SALVIANI MASSILIENSIS ECCLESIÆ PRESBYTERI EPISTOLÆ.

AMOR quid te appellem, neſcio: bonum, an malum: dulcem an aſperum: ſuauem an iniucundum. Ita enim vtroque plenus es, vt vtrumq; eſſe videaris. Amare à nobis noſtros honeſtũ eſt, lædi acerbum: & tamen hoc eiuſdem eſt interdum animi eiuſdemq; pietatis; & cũ ſpecie diſſentiat, ratione concordat. Amor quippe nos facit noſtros amare, amor interdũ cogit offendere. vtrumq; vnum eſt, cum tamen aliud amoris habeat gratiam, aliud odij patiatur offenſam. Quam graue hoc, quæſo, mi dilectiſſimi, aut quàm acerbũ eſt, vt cauſa odij, amor eſſe cogatur! Quod quidem cũ ſæpe alijs, tum etiam mihi accidiſſe nunc ſatis vereor, vt dum adoleſcentem hunc quem ad vos miſi, tradere indiuiduis meis cupio, vos ſtudens, multis moleſtus ſim, & amor eius offenſa ſit cæterorum: quamquã hi qui ſatis diligunt, nõ cito offendantur. Sed ego inſinuationem meã minus gratã fore quibuſdam timens, etiam diminutionem gratiæ offenſam puto. Placere enim dilectis meis plurimũ cupiens, moleſtiam illorum reatũ meũ credo, & niſi eis ſatis placuero, ſuppliciũ diſplicentis fero. Quanquã hoc metuendũ in vobis omnino nõ ſit, qui totũ me in vos recipientes etiã apud alios ꝓ me timetis. Tantũ enim abeſt, vt diſplicere ego caritati ac ſenſui veſtro poſſim, vt etiam illud mecum reformidetis, ne ego quibuſdã forte diſpliceam, amiciſſimi ac dilectiſſimi mei.

C

Adoleſcens quem ad vos miſi, Agrippinæ cum ſuis captus eſt, quondam inter ſuos non parui nominis, familia non obſcurus, domo nõ deſpicabilis, & de quo aliquid fortaſſe amplius dicerem, niſi propinquus meus eſſet. Hoc. n. fit, vt minus dicã, ne de meipſo dicere videar de illo plura dicendo. Matrem ergo is de quo dico, Agrippinæ viduã reliquit, probam, honeſtã, & de qua forſitan audacter dicere valeam, vere viduam. Nam præter cæteras caſtimoniæ ſapientiæq; virtutes, eſt etiam fide nobilis, quæ omnibus ſemper ornatibus ornamento eſt: quia ſine hæc nihil tam ornatum eſt quod ornare poſſit. Hæc ergo, vt audio tantæ illic inopiæ atque egeſtatis eſt, vt ei nec reſidendi, nec abeundi facultas ſuppetat: quia nihil eſt quod vel ad victum vel ad fugam opituletur; ſolum eſt quod mercenario opere victũ quæritans, vxoribus barbarorum locatitias manus ſubdit: ita licet per Dei miſericordiam vinculis captiuitatis exempta ſit, cum iam non ſeruiat conditione, ſeruit paupertate. Hæc igitur habere me hic nonnullorum ſanctorum gratiam non falſo ſuſpicans, (Nec enim nego, ne negator gratiæ ingratus fiam: ſed plane ſicut habere me eam non nego, ita non mereri me certo ſcio; intantum vt etiam ſi eſt aliqua in me illa, ego tamen illius cauſa non ſim. quia ſi qua eſt in me gratia, ob eos, ni fallor, maxime data eſt, illis interea vt gratus eſſem; vt verendum forſitan mihi ſit, ne negans his quod propter eos cepi, non tam meam rem his negare videar quàm ipſorum). Hæc igitur aut id quod eſt, aut plus quàm eſt, in me eſſe exiſtimans, miſit ad me hunc quem ad vos ego * fore vt agente me & adiuuante amicorum meorum gratia, propinquorum meorum eſſet auxilium. Feci ergo id quod rogatus ſum, ſed tamen parce & apud paucos, ne gratia ipſa ingrate vterer. Commendaui hunc alijs, commendabo vobis: licet non æque alijs vt vobis. Primum quia commendari ſatis vobis eum qui eſt meus, ita vt ipſum me, non neceſſe eſt: deinde quia cum me portionem veſtri exiſtimetis, neceſſe eſt eum qui mei portio eſt, veſtri quoque aliquatenus portionem eſſe ducatis. Poſtremo quod commendatio ipſa ſicut diuerſi generis, ita etiam excellentioris eſt charitatis. Alijs enim commendaui hunc corpore, vobis ſpiritu: alijs in emolumenta præſentium, vobis in ſpem futurorum: alijs ob breuia atque terrena, vobis ob ſempiterna atque diuina. & recte, vt quia carnalia vobis minus quàm ſpiritalia bona ſuppetunt, illa magis à vobis peterem, quibus vos magis abundatis. Suſcipite ergo, quæſo, hunc, vt mea viſcera, &. quantum in vobis eſt, veſtra; facite, iubete & exhortamini, docete, inſtruite, formate, gignite. Chriſti Domini noſtri miſericordia tribuat, vt, quia ei id magis expedit, qui nunc propinquus meus eſt & cæterorum, veſter eſſe incipiat potiùs quàm ſuorum. Admittite, quæſo, hunc in illas beatas ac ſempiternas domus, recipite in ſacra horrea, aperite cæleſtes theſauros, & ita agite ac peragite, vt dum hunc in theſaurum veſtrum conditis, partem theſaurorum ipſorum eſſe faciatis. Potens eſt illa ineffabilis DEI pietas, vt dum eum in conſortium ſpiritalium bonorum adoptatis, diuitias quas in ipſum effunditis, per ipſum augeatis. Et ſane ſi quid in ipſo eſt bonæ indolis, non magnæ vobis difficultatis ſpes eius ac ſalus eſſe debebit. etiam ſi nihil ex vobis audiat, ſufficere ei hoc ipſum conuenit quod vos videt. Valete.

D

E

F

G

Item alia.

EVCHERIO EPISCOPO *Saluianus.*

VRSICINVS alumnus tuus ſalutationem tuam proxime ad me detulit: ſi non iuſſus, laudo ſapientiam, licet non probem falſitatem: ſi iuſſus, miror quod mandare amoris officium quàm ſcribere maluiſti, hoc eſt, per ſeruum potiùs quàm per te dare. Arguo itaque hoc, & emendare volo, ſi tamen negligentiæ eſt, non ſuperbiæ. Pediſſequa enim plerumque noui honoris eſt adrogantia: licet in te nec generalis vitij opinio admittenda ſit, quia prope ſingularis eſt mens ac benignitas tua. Vnde reſponderi à te antiquæ exiſtimationi meæ etiam nunc iugiter cupio, ne ſi in quibuſdam officiorum tuorum mos diſcrepauit, aliquid in te nouis honoribus licuiſſe videatur.

H

Item alia.

AGRICIO EPISCOPO *Saluianus.*

SI excuſare inofficioſitatem meam apud ſanctimoniam tuam cupiam, magis accuſandus ſim, qui inexcuſabilem me eſſe, vel non agnoſcam præ ſtoliditate, vel nolim præ ſuperbia confiteri. Non excuſo ergo: augmentum enim reatus eſt innocentiam iactare poſt culpam. Quid igitur faciam, cui nec negandi delicti facultas ſuppetit, nec tuendi? Negare enim manife-

A niſeſta non audeo, & excuſare immodica non poſſum. Confugiendum mihi itaque ad diuinarum eſt remedia litterarum, quæ maximorum criminum. * * *

Item alia.

YPATIO ET QVIETE PARENTIBVS
Saluianus, Palladia & Auſpiciola, Sal.

PAulus Apoſtolus electionis vas, magiſter fidei, & receptaculum Dei, cum omnes Epiſtolas ſuas vtpote eloquentiſſimus vir dictauerit, quibuſdam tamen non ſuum tantum nomen inſcripſit: ſiquidem in aliis Siluani, in nonnullis Timothei, in quibuſdam vero vtriuſque nomini ſuum nomen adiunxit. Cur id? primum credo vt ſimul eſſe agnoſcerentur, qui ſimul ſcriberent: deinde vt hi qui ſeparatim ab vnoquoque eorum edocti fuerant, ſcirent omnium non diſcrepare ſententiam: poſtremo vt quos ſingulorum non mouebat auctoritas, omnium ſaltem moueret adſenſus. Ita ergo & nos exemplorum ingentium parui imitatores, ad vos quos natura B parentes, fide fratres, honore dominos habemus, non vt Apoſtoli illi auctoritate docentium ſcribimus, ſed humilitate famulorum: vt qui hactenus ſingulorum noſtrorum epiſtolis non moti eſtis, vel nunc omnium obſecratione moueamini, noſque filios veſtros, † neque ex ſuperfluo metus ſit, † & ſimul ſciatis eſſe, & vnum ſentire pariter & metuere, & æqualiter ſupplicare. Non quia ſciamus an vos omnibus iraſcimini, ſed quia nos non poſſumus cauſa eſſe diuiſi. Idem enim nobis admodum metus eſt, etiam ſi non eadem videtur offenſa. Charitas quippe mutua facit, vt licet vos non vtrique forſan ſuccenſeatis, vno tamen ex nobis reo, alter ſine triſtitia reatus eſſe non poſſit. Illud ſane eſt quod nos contendere in aliquo & certare mutuo faciat, quod cum ambo filij veſtri æqualiter rei ſimus, plus tamen vnuſquiſque noſtrum pro altero quam pro ſe timet. Parentes cariſſimi, parentes reuerendiſſimi interrogari vos quæſumus liceat. Ita poſſunt pignora ſic amantia non amari? Quid tantum mali commeruimus vel affectus dilectiſſimi, vel domini reuerendiſſimi, vt nobis nec tanquam filiis reddatur gratia, nec tanquam famulis remittatur offenſa? Septimus iam ferme annus eſt, ex quo nulC la ad nos tam longe à vobis ſitos ſcripta miſiſtis. Nullis pæne in Deum delinquentibus tam longum lugendi tempus imponitur, nullos admodum maximorum criminum * vt plus amet, ſcilicet vt patris motus non detrimenta amoris ſint, ſed profectus: cum quantum coercitio attulerit vnius correctioni, tantum correctio reddat mutuæ caritati. Quamquam hoc illos magis parentes facere conueniat, qui de nonnullis negotiis veras iraſcendi filiis cauſas habent. Tu autem quid ſuccenſes, qui ex quo Chriſtianus factus es, etiam falſas habere deſiſti? Eſto enim conuerſiunculam noſtram paganus quondam non æquanimiter acceperis: ferenda tunc ex diſſimilitudine ſtudiorum etiam diſcrepantia voluntatum, quando nobis etſi amor non ſuccenſebat, ſuperſtitio tamen aduerſabatur: nam licet pater non odiſſet filium, error tamen oderat veritatem. Nunc longe aliud eſt. Ex quo Dei cultum profeſſus es, pro me D pronuntiaſti. Si præteritas irarum cauſas exſequeris, imputa tibi qui Chriſtiano filiam tuam dediſti. Si id non eſt, quid mihi iraſceris? Quia eam nunc in me religionem augere cupio, quam tu in te probare cœpiſti? Cur, rogo, in me non diligas quod es, qui in te quod eras ipſe damnaſti? Sed parcendum paullulum verbis eſt: quia etiam in bona cauſſa humilis eſſe, in quantum res ſinit, filij apud parentes debet oratio. Indulgete affectus cariſſimi: liberiorem me eſſe paullulo in negotio ſuo Dei affectus facit. Si quæ ſunt vobis aliæ ſuccenſendi cauſſæ, peccare me potuiſſe non abnego. In hoc vero, quia ideo ſuccenſetis, quia Chriſtum amare videor, ignoſcite quod dicturus ſum. Peto quidem veniam, quia iraſcimini: ſed non poſſum dicere malum eſſe quod feci. Hæc igitur apud vos meo nomine, & quaſi peculiari prece: nunc tuo dilectiſſima ac venerabiliſſima ſoror, quæ mihi tanto carior es quàm prius, quanto plus à ſuis affectus E conuenit diligi, in quibus ſeipſum Chriſtus fecerit amari. Fungere partibus tuis ſimul meiſque: ora tu, vt ego impetrem: tu poſtula, vt vterque vincamus: oſculare, quia abſens labijs non vales, ſaltem obſecratione pedes parentum tuorum quaſi ancilla, manus quaſi alumna, ora quaſi filia. Ne trepidaueris, ne timueris: bonos iudices habemus. affectus ipſe pro te orat, natura ipſa tibi poſtulat, ſuffragia cauſſæ tuæ in tuorum mentibus habes, cito adnuunt, qui ſuo ipſi amore ſuperantur. Obſecra ergo & ſuplex dicito: Quid feci, quid commerui? ignoſcite quidquid illud eſt: veniam peto, & ſi delictum neſcio, nunquam vos, vt ipſi ſcitis, in officioſitate aut contumacia offendi, nunquam verbo aſperiore læſi, nunquam vultu proteruiore violaui, à vobis ſum viro tradita, à vobis coniugi mancipata. Teneo, ni fallor, mandata veſtra, hæret ſenſibus meis ſanctum piæ præceptionis arcanum: morigeram me, vt puto, ante omnia viro eſſe iuſſiſtis, veſtræ voluntati obſecuta ſum, veſtræ iuſſioni obtemperaui: illi in omnibus parui, cui me parere voluiſtis. Inuitauit me ad religionem, inuitauit ad caſti- F tatem: date veniam, turpe credidi reluctari, res mihi verecunda, res pudens, res ſancta viſa eſt: fateor, cum de tali negotio mecum ageret, erubui quod non ante cœpiſſem. Huc acceſſit etiam reuerentia Chriſti & affectus. honeſte me facere credidi, quidquid Dei amore feciſſem. Aduoluor veſtris, ô parentes cariſſimi, pedibus illa ego veſtra Palladia, veſtra gracula, veſtra domnula; cum qua his tot vocabulis quondam indulgentiſſima pietate luſiſtis, quæ vobis per varia nomina nunc ſum mater, nunc anicula, nunc domina: cum eſſet ſcilicet vnum vocabulum generis, aliud infantiæ, tertium dignitatis. En ego illa ſum per quam vobis illa primum & parentum nomina, & auorum gaudia contigerunt, &, quod vtroque præſtat, vtrumque feliciter, cum fructu adipiſcendi, & beatitudine perfruendi. non quia hinc ego aliquid mihi deputem, ſed tamen ingrata apud vos eſſe non debet, per quam vos voluit Deus eſſe felices. Ne quæſo ergo moleſtum vobis ſit quod referre aliquid Deo cupio, cui omnia repenſare non poſſum. Pleni eſtis ſolatijs iucundiſſimis, pleni pignoribus cariſſimis, pleni benedictione diuina; præter peculiarem mei cauſſam, G veſtrum negotium referre Deo gratiam iubet, debere me ei arbitror, quod vobis tanta conceſſit. Sed hæc hactenus. Sufficienter enim iam per nos, ô cariſſima ſoror, precati ſumus. reliqua ſunt agenda per filiam. Vtamur ergo (honeſte enim pro reconciliando parentum affectu cuncta tentantur) vtamur illorum more & exemplo, qui vltimo cauſſarum loco aliqua nónnunquam ad commouendam iudicum miſericordiam proferebant laturis ſententiam diſceptatoribus, aut lamentantes matres, aut ſordidatos ſenes, aut plorantes paruulos ingerentes; ſcilicet vt qui ſuperiora cauſſæ verbis iam exorauerunt, poſteriora rebus ipſis perorarent. Offerimus ergo & nos vobis, ô cariſſimi parentes, pignus pari quidem illorum, ſed tamen gratiore ſuffragio. Offerimus enim pignus non incognitum, ſed domeſticum: non alienum, ſed proprium: nec vt illi oratores, & ſibi & iudicibus extraneum, ſed nobis ſimul vobiſque commune, quæ vos vtique veſtri ſanguinis indoles non ad incognitorum homi- H num coget dilectionem, ſed ad veſtrorum reuocat caritatem: nec alienos vobis aliena, ſed veſtros veſtra commendat: neque id orat vt eos ametis quos nunquam ante vidiſtis, ſed vt eos non oderitis, quos puto non diligere non poteſtis. Veſtrum ideo, parentes cariſſimi, negotium, veſtra res eſt, veſter id à vobis animus, veſtra caritas deprecatur: ne, quæſo, tantum nobis iraſcamini, vt nec vobis conſulatis ſupplicante vobis.

* * * *

commune pignus per nos ſimul atque nobiſcum & primam pæne ad vos vocem pro noſtri emittit offenſa. Infelix prorſus eius & miſeranda conditio, quæ auos ſuos ac parentum primum reatu cœpit agnoſcere. Miſeremini, quæſumus, innocentiæ eius, miſeremini neceſſitatis: cogitur quodammodo pro offenſa ſuorum iam ſuppli-

A care, quæ adhuc neſcit quid ſit offendere. Læſus quon-
dam Niniuitarum peccatis Deus, vagitu infantium, &
ploratione mollitus eſt. nam licet totum legamus luxiſſe
populum, præcipuam tamen miſericordiam meruit ſors
& innocentia paruulorum, dicente ad Ionam Deo, ſi
valde contriſtatus es ſuper cucurbitam : & paulo poſt:
Iona 4. *Ego non parcam ſuper Niniue ciuitatem magnam, in qua mo-
rantur plus quàm centum viginti millia qui non cognouerunt ſini-
ſtram ſuam aut dexteram.* declarans ſcilicet propter ſin-
ceritatem innocentium, ſe etiam culpis nocentium pe-
perciſſe. Sed quid ego de Dei miſericordia loquor: qui
non tantum poſtulata tribuit, ſed interdum etiam non
ſperata largitur, tantoque, ſi dici licet, maior eſt homi-
nibus humanitate & beneuolentia, quanto poteſtate
atque natura. Paratum, vt ait Liuius, inter Romanos
Sabinoſque bellum, & quod difficilius ſedari poteſt,
cœptum preces quondam & interuentus carorum pi-
B gnorum ſuſtulerunt : cumque vna eorum gens eſſet na-
tura ferox, alia dolore feruens, tantum tamen viſio affe-
ctus mutui valuit, vt nec Romanus memor eſſe belli, nec
Sabinus poſſet iniuriæ: & illi paulo ante feri ac ſemibar-
bari, cognati ſanguinis cupidi, ſui prodigi, amplecti ſe
mutuo inciperent, quia pignus mutuum iam habere cœ-
piſſent, fieretq; vnus vterque populus, quia vnius vtriuſ-
que eſſet affectus. Nos non in acie ſtamus, non arma ſu-
mimus, non vim inferimus, nec propulſare tentamus: im-
pium fore arbitrantes, ſi vel in hoc filij parentibus ob-
uient, ne puniantur iniuſti. Cur, rogo, quod illi quon-
dam affectus, pro ſuis obtinuerunt, noſtri non queant
impetrare pro nobis? an ideò infeliciſſimi pæne omnium,
ideo minus meremur veniam, quia repugnare neſcimus?
quod vultis nos pati, patimur: ſi iraſcimini, deprecamur:
ſi puniendos creditis, adquieſcimus. Quid rogo vltio-
ni poſt iſta ſupereſt? Certe etiam ſi iuſtas ſuccenſcendi
cauſſas parentes habeant, nihil contingere eis felicius, ni-
hil optatius poteſt, quàm vt ſic eis pro reatu filij ſatisfa-
ciant, ne neceſſe habeant, vindicare. Quid autem eſt
in quo magis poſſimus vobis nos ſatisfacere? filij veſtri
ſumus, qui vos rogamus, neptis per quam rogamus, par-
C cite, indulgete illi: eorum parentes cariſſimi pro ſe ro-
gant, ob quorum ſoletis nomina etiam extraneis nil ne-
gare. Longum eſt de innumeris pietatis atque humani-
tatis exemplis dicere, & præpoſterum vt de maioribus ad
minora veniamus. Sed tamen id quod dicturus ſum,
ſpecie quidē minus eſt, ſed tamen re minus non eſt. Per-
orans quondam pro periculo exiſtimationis atque inco-
lumitatis ſuæ in Romano foro Seruius Galba, cum ob
difficultatem negotii, & inuidiam, facti ſui, parum non
modo in cauſſa, ſed etiam in eloquentia ſpei poneret, arte
vſus eſt: vt iudicum animos quos inflectere precum am-
bitione non poterat, rerum tentaret affectu. Itaque con-
ſumptis iam admodum cunctis oratoriæ artis ingeniique
ſubſidiis, cum parum ſe promouiſſe intellexiſſet, paruu-
lum quem ſecum habebat, Galli, vt illis temporibus vi-
debatur, clariſſimi, & nuper mortui viri filium, & paruas
ante ſubſellia auditorum indoles ſuas in conſeſſu iudi-
cum conſpectuque produxit: quas cum laturis ſenten-
tiam diſceptatoribus oratione flebili commendaret, fra-
ctæ affectu omnium mentes & inclinatæ ſunt. Quid plu-
ra? factum eſt, vt inflexis cunctorum ſenſibus, daret mi-
ſericordia humanitati, quidquid ambitioni veritas dene-
garat. O affectus humani quanti eſtis! quantum vale-
ris! qui etiam in iudicio ius habere potuiſtis! Diſcite, ô
D parentes cariſſimi, venia veſtri dictum ſit, diſcite vel hoc
ſaltem exemplo frangi atque molliri. Certe etiam illic
miſericordia valuit, vbi locum eſſe miſericordiæ non li-
cebat: laturi ſententiam iudices, qui nihil ſe niſi ex ve-
ritatis officio pronunciaturos eſſe iurauerant, excludere
tamen miſericordiam nec poſt ſacramenta potuerunt: in
tantum humanitate moti, vt dum alieno negotio con-
ſulunt, ſuum pæne obliuiſcerentur. Nihil vos durum, ni-
hil inſolens deprecamur: veſtris vos præſtate pro vobis,
quod præſtiterunt illi extraneis contra ſe, certe nec cauſ-
ſa illic iuſtior, nec perſona carior, nec audientia huma-

E nior, nec orator gratior fuit. Illic agebatur pro crimine,
hic pro affectu: illic pro extraneis, hic pro filiis: illic a-
pud iuratos iudices, hic apud iniuratos parentes: illic per
oratorem, qui circumſcribere nitebatur: hic per neptem,
quæ quo vos ipſa infantiæ ſuæ ſimplicitate plus moueat,
adhuc rogare nō nouit. Quid eſt quod cauſſæ deſit? quod
nouum inquirendum eſt inauditumque ſuffragiorum
extraneorum apud vos precibus vtendum eſt? Semper in
amore cautela eſt. nemo enim melius diligit, quam qui
maxime veretur offendere. Vnde ego nunc veniam pe-
to, non quia offendiſſe me nouerim, ſed vt locum offen-
ſæ penitus non relinquam: nec conſcientia culpæ, ſed
ratione & officio caritatis: vt maiorem apud te affectus
gratiam obſecratio mereatur innoxij, & amori proficiat
ſupplicatio reatu carens: habeaſque plus in filij tui de-
precatione quod diligas, ſi non habes quod remittas.
Quamquam temere fortaſſe nobis de innocentia blan-
diamur, quid tu de nobis ſentias, neſcientes: tui enim no-
F bis ſenſus magis quàm noſtræ opinionis ratio habenda
eſt. Supereſt ergo, vt ſi quid aliud & quidquid illud com-
miſſum à nobis eſt, tu qui id offenſa dignum putas, venia
quoque non indignum arbitreris: pulchre tibi ipſe in tuo-
rum reatu ſatisfacies. nihil de vltione perdit filio igno-
ſcens pater: quia fœlicius multo eſt & laudabilius ſuis a-
liquem etiam immerito ignoſcere, quam in ſuos etiam
merito vindicare. Vale.

Item alia.

CATTVRAE SORORI
Saluianus.

ET ſi docente Paulo Apoſtolo *quid conueniat* nos *orare*, *Rom. 8.*
neſcimus; quo fit vt interdum quid velle aut gaudere
oporteat neſciamus: tamen ego pro communi humani
generis affectu, quo omnes admodum homines, pie ma-
G gis quàm ſapienter, eos qui nobis curæ ſunt, cupimus quā
diutiſſime eſſe nobiſcum: gaudeo quod poſt grauem diu-
turnumque morbum ſpem etiam præſentis vitæ indepta
es, quæ futuræ ſemper habuiſti. Benedictus itaque Do-
minus Deus noſter, qui ſemper ſpiritus tui cuſtos, nunc
præcipuè etiam carnis fuit, & in te manens, teque cuſto-
diens, manum ſuam ex interioribus tuis, vſq; ad exteriora
porrexit: nec ſolum ſancta ſanctorum, ſed etiam veſtibu-
la templi ſui, & circumſepta ſeruauit, protectionemque
ſuam latius fundens fecit ſalutem animæ tuæ vſque ad
ſalutem corporis peruenire. Quamuis ego ne hanc qui-
dem tibi, quam pertuliſti, terreſtris vaſculi infirmitatem
obfuiſſe exiſtimem, cuius fortitudo, vt ſcis, menti ſemper
inimica eſt, vt te iure nunc tanto fortiorem ſpiritu putem,
quanto imbecillior carne eſſe cœpiſti. *Caro enim*, inquit *Gal. 5.*
Apoſtolus, *concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus aduerſus car-
nem: hæc enim inuicem ſibi aduerſantur, vt non quæ vultis, illa fa-
ciatis.* Ergo ſi repugnante corpore quæ volumus facere
non poſſumus, infirmanda caro eſt vt optata faciamus.
Et verum eſt: imbecillitas enim carnis mentis vigorem
exacuit, & affectis artubus vires corporū in virtutes trans-
feruntur animorum, vt mihi genus quoddam ſanitatis eſſe
videatur, hominem interdum non eſſe ſanum. Nulla e-
nim admodum tum ſpiritui cum corpore, id eſt, nulla di-
uinæ indoli cum terreno hoſte luctatio eſt: non turpibus
flammis medullæ æſtuant, non male ſanam mentem la-
H tentia incentiua ſuccendunt, non vagi ſenſus per varia ob-
lectamenta laſciuiunt; ſed ſola exultat anima læta corpore
affecto, quaſi aduerſario ſubiugato. Gaude ergo, alumna
Chriſti, ſemper quidem ſimplicis & quietæ, ſed nunc ma-
gis defæcatæ tuæ mentis & liberæ oſtium aperi, & adtra-
he, vt legis, ſpiritum ſanctum. Nunquam, vt puto, habita-
tore Deo dignior exſtitiſti; quanto imbecilior corpore,
tanto purior ſenſu: vincētibus carnem tuam morbis, men-
te viciſti. Felix, ſi hanc ſemper corporis mortem in vitam
ſpiritus conſeruaris, extinctis in te forſitan cunctis hu-
mana-

A manarum tentationum incentiuis, habere quodammodo naturam animæ etiam in carne cœpiſti, vt mihi non ſolum magna Dei diſpenſatione, ſed etiam magno munere, & ante ægrotaſſe, & nunc conualuiſſe videaris. Ægrotaſti enim hactenus ad virtutem ſpiritus confirmandam, ſecura forſan, ſanitatem nunc adipiſcens iam carne ſuperata, vt poſthac redditam corpori incolumitatem ſine vlla animæ infirmitate poſſideas: & ita caro valere incipiat, vt iam tentatio non reſurgat. Vale.

Item alia.

LIMENIO SALVIANVS in Domino ſalutem.

ET ſi ſcio honeſtas mentes probi affectus non obliuiſci, ideo quia boni in bonis ſtudiis quaſi naturā quodammodo ſuam diligunt, tamen quia quantum in nobis eſt augere nos amorem bonorum amicorum officio noſtro conuenit, admonendum te caritatis olim à me cœptæ, nuper à te auctæ exiſtimaui: vt legens epiſtolas meas, B dum in me ſtudium tui amoris videns, in te mei accenderes. Dabit autem, non ambigo, Deus noſter, vt affectum Chriſtianorum intercipiens, Chriſti ipſe affectus fias. Vale in Domino.

Item alia.

APRO ET VERO Saluianus.

OFficij ſit an impudētiæ quod prius ad vos ſcripſi, quā à vobis ius ſcribendi acciperem, malo veſtri eſſe iudicij, quàm adſertionis meæ: quia res dubia ac latens melius ſemper bonis interpretatoribus, quàm malis defenſoribus creditur. Sed licet hæc vere ſe ita habeant, & à me ita eſſe dicantur, tamen ſi quid in veri opinione ſecundū intelligentiam meam ſit, audiendum à me putatis; ego ſic arbitror, ſiquando de officio deferendo paruis, vt ego ſum, apud ſuperiores, vt vos eſtis, ſancta contentio eſt, melius eos facere ſi præoccupent ſcripto patronos ſuos, quam ſi ab iis præoccupentur. Nam cum ipſa ſcri- C bendi reſcribendíque adſiduitas dandis vel maxime & reddendis obſequiis deferatur, multo neceſſe eſt humilius ſit & obſequentius dare quempiam operam, vt officium prius deferat, quàm expectare, vt prius capiat. Quia, iuxta id quod ſupra diximus, delatio officij fugere honorem, diſſimulatio affectare videatur. Congrue ergo & multis modis rationabiliter actum eſt, vt ego ad vos prius ſcriberem: primum quia turpiter ad honorem ambiſſe videretur inferior, deinde quod vos ab omni huiuſcemodi opinionis nota ita morum veſtrorum dignitas vindicat, vt pæne quidquid à vobis ſit, nihil non recte factum eſſe credatur: poſtremo quod etiamſi hoc conſilio vos ad me non ſcripſiſſetis, vt ego peccator & imbecillus prius

D

E deferrem officia quam ſumerem, pio magis id vos conſilio feciſſe exiſtimandum erat, quàm adroganti. Cum enim totius ferme humilitatis & prope omnium officiorum palmam indepti ſitis, non tam credi poterat vos amico voluiſſe honorem negare, quàm onus noluiſſe imponere. Quamuis enim honeſtum & religioſum ſtudium ſit præoccupare humilitate & vincere, tamen quando inter tales vt nos ſumus, id eſt, inter ſummos atq; infimum, huiuſcemodi negotium eſt, abundantioris caritatis rem maior facit, ſi minori cedat officio. Hæc, mi domini venerabiles, iuxta opiniunculam meam non tam præſumptione ſcientiæ quàm honore reuerentiæ veſtræ ſcribenda ad vos putaui. Si aliud vos ſentire oſtenderitis, ego manum ad os meum ponam, vt iuxta exemplum ſancti Iob, qui poſt diuinam vocem in comparationem loquentis Dei paruum ſe & imbecillum eſſe cognouit, terram me, vt ſum, ſqualidum & inſincerum cicerem iudicabo, dicamque illud: Semel locutus ſum: non adiciam. nec immerito: incidere enim in falſæ opinionis errorem priuſquam vera cognoſcas, imperiti animi eſt & ſimpli- F cis: perſeuerare verò in eo poſtquam agnoueris, contumaciæ. Valete.

DOMINO ET DVLCI SVO Eucherio Epiſcopo Saluianus.

LEgi libros quos tranſmiſiſti, ſtylo breues, doctrina vberes, lectione expeditos, inſtructione perfectos, menti tuæ ac pietati pares. Nec miror quod vtile & pulchrum opus ad inſtitutionem potiſſimum ſanctorum ac beatorum pignorum condidiſti. Cum enim eximium in eis templum Deo ædificaueris, doctrina nouæ eruditionis quaſi ſummum ædificij tui culmen ornaſti; & vt indoles ſanctæ æque doctrina ac vita illuſtrarentur, quos morali inſtitutione formaueras, ſpiritali inſtructione decoraſti. Supereſt vt Dominus Deus noſter, cuius dono admirandiſſimi iuuenes tales ſunt, pares eos faciat libris tuis; id eſt, vt quidquid illi continent in myſterio, hoc vterque illorum habeat in ſenſu. Et quia iam diſpenſatione diuina atque iudicio etiam magiſtri Eccleſiæ eſſe G cœperunt, donet hoc benigniſſima Dei pietas, vt doctrina illorum fructus ſit Eccleſiarum & tuus; profectúque excellentiſſimo, tam illum ornent à quo ſunt geniti, quàm eos quos ipſi ſua inſtitutione generauerint, mihique hoc, & ſi non inter omnia, certe vel poſt omnia miſericors Deus tribuat: vt qui fuerunt diſcipuli quondam mei, ſint nunc quotidie oratores mei. Vale mi domine & dulcis meus.

Explicit.

H

A E

SALVIANVS SALONIO EPISCOPO SALVTEM.

Hæc præfatio non eſt in vetuſtiſſ. exemplari meo.

Apochryphus ſtylus.

QVAERIS à me ô mi SALONI, caritas mea, cur libelli nuper à quodam huius temporis homine ad Eccleſiam facti, Timothei nomen inſcriptum ſit: Addis præterea, quod niſi rationem vocabuli euidenter expreſſero, dum nominantur Timothei, inter apocrypha ſint fortaſſe reputandi. Ago gratias ita vt debeo, quod de me ita iudicas, vt pertinere hoc æſtimes ad fidei meæ curam, ne quid eccleſiaſtici operis vacillare permittam: ſcilicet vt res ſummæ ſalubritatis non ſit minoris pretij per opinionis incertum. Sufficere itaque ad excludendam penitus apocryphi ſtyli ſuſpicionem etiam hoc ſolũ poterat, quod ſuperius indicaui, libros neotericæ diſputationis eſſe, & à præſentis temporis homine, diuinarum rerum ſtudio atque amore conſcriptos: Carent enim apocryphi ſuſpicione, qui agnoſcuntur Timothei Apoſtoli non fuiſſe. Sed requirit forſitan aliquis, quis ille auctor ſit, ſi Apoſtolus non eſt: & vtrum ſuum libellis ipſis, an alienum nomen inſcripſerit. Verum eſt, poteſt hoc quidem quæri, & recte quæritur, ſi inquiſitio valet ad fructum aliquem peruenire. Cæterum ſi infructuoſa eſt, quid neceſſe eſt vt laboret curioſitas, cum profectum curioſitatis non ſit habitura cognitio? In omni enim volumine profectus magis quæritur lectionis, quàm nomen auctoris. Et ideo ſi profectus eſt

B F

Tob. 5. 17. * Genus mercenarii.

in lectione, & habet quiſquis ille eſt quod poteſt inſtruere lecturos, quid ei cum vocabulo, quod iuuare non poteſt curioſos? Ita vt digniſſime huic inquiſitori angelicum illud reſpondeatur: * Patriam quæris, an mercenarium? Cum enim nullus profectus ſit in nomine, qui profectum in ſcriptis inuenit, ſuperflue nomen ſcriptoris inquirit. Cauſæ ergo, vt dixi, iſtæ ſufficiunt. Sed quia tibi, o mi SALONI, decus noſtrum atque ſubſidium, negare nihil poſſumus, euidentiora dicemus: Tria ſunt, quæ in libellis iſtis, de quibus loquimur, quæri poſſunt: Cur is qui ſcripſit, ad Eccleſiam ſcripſerit: & vtrum alieno nomine, an ſuo: Si non ſuo, cur alieno: Et ſi alieno, cur Timothei potiſſimum nomen quod ſcriberetur elegerit. Igitur vt libelli ad Eccleſiam ſcriberentur hæc cauſa eſt: Scriptor ille, vt etiam ſcripta ipſa teſtantur, habet hunc in ſe cultum atque affectum Dei, vt Deo nihil præponendum

Matth. 10.

putet, ſecundum illud ſcilicet Domini noſtri dictum, quo ait: Qui amat filium, aut filiam, plus quàm me, non eſt me dignus. Quamuis dictum hoc tepidiſſimi ac negligentiſſimi quique homines ſolo tantum perſecutionis tempore putent eſſe ſeruandum: Quaſi vero vllum omnino tempus ſit, quo præferri aliquid Deo debeat: aut qui perſecutionis tempore pretioſiorem omnibus rebus Chriſtum habere debet, reliquo omni tempore habere debeat viliorem. Quod ſi ita eſt, amorem Dei perſecutioni debebimus, non fidei: Et tunc tantum poterimus, quando nos impij perſequentur. Cum vtiq; aut maiorem, aut certe non minorem tranquillis quàm aſperis rebus affectum Domino debeamus. Quia & hoc ipſo à nobis plus debet diligi, quia nos à malis non patitur affligi, indulgentia

C G

ſcilicet piiſſimi & molliſſimi patris nobiſcum agens, qui magis vult nos in pace & quiete fidem noſtram religioſis operibus oſtendere, quàm in perſecutione pœnis noſtrorum corporum comprobare. Et ideo ſi tunc ei nil præferendum eſt, quando nobiſcum aſpere agitur, ne tunc quidem præferri debet, quando per indulgentiam plus meretur. Sed hæc alij tempori magis congruunt: nunc quod cœpimus exequamur. Videns igitur ſcriptor ille quem diximus, graues atque multiplices Chriſtianorum pæne omnium morbos, atq; à cunctis in Eccleſia poſitis non ſolum non poſtponi omnia Deo, ſed prope cuncta præponi. Nam & ebrioſi in ebrietatibus Deum ſpernere videntur, & cupidi in cupiditate, & impudici in libidine, & cruenti in crudelitate, & in iis omnibus pæne omnes: atque hoc eo grauius, quod non ſolum hæc per ſcelus atrociſſimum diu admittuntur, ſed ne poſtea quidem per pœnitentiam corriguntur: maxime cum etiam in ijs qui pœnitentes eſſe dicuntur nomen ſit magis pœnitentiæ, quam fructus, quia parum ſunt rerum vocabula, ipſas res non habentia: & nihil virtutum verba ſine viribus: Plurimi namq; ac pæne cuncti, & rerum abundantes, & conſcij criminum ac flagitiorum ſuorum, non modo ea quæ admiſerunt in exomologeſi ac ſatisfactione, ſed ne hoc quidem quod facillimum eſt, donis ſaltem miſericordiæ redimere dignantur. Atque non ſolum id in proſperis negligunt, ſed quod multum irreligioſius, in aduerſis, non ſolum incolumes, ſed etiam deficientes, tãtũ incredulitas eſt hominum, & tam grauis infidelium languor animarum, vt cum multi maximas opes heredibus, interdum etiam extraneis derelinquant, hoc ſolum ſe putant per-

Exomologeſis & ſatisfactio ſecularium & religioſorum auaritia.

dere, quod pro ſpe ſua dederint ac ſalute. Et quidem iſtud licet in omnibus fere graue ſit, præcipue in iis tamen, quos in conſimili crimine infidelitatis etiam profeſſio ſanctitatis accuſat. Sed idem morbus hic non ſecularium tantum eſt, ſed etiam eorum qui ſibi nomen religionis vſurpant. Et ideo videns ille qui ſcripſit commune eſſe hoc malum prope vniuerſorum, labemq; hanc non ad mundiales tantum homines, ſed etiam ad pœnitentes atq; conuerſos, ad viduas quoq; iam continentiam profeſſas, atque ad puellas in ſacris altaribus conſecratas: quodque, vt ita dixerim, prope inter monſtra reputandum eſt, ad Leuitas etiam atque presbyteros, & quod ijs grauius multo eſt, etiam ad Epiſcopos perueniſſe: ex quibus multi quos ſupra dixi, ſine affectibus, ſine pignore, non familias, non filios habentes, opes & ſubſtantias ſuas non pauperibus, non eccleſiis, non ſibi ipſis, nõ denique, quod his omnibus maius eſt ac præſtantius, Deo: ſed ſecularibus vel maxime & diuitibus, & extraneis deputarent: factus eſt in

Pſal. 78.

corde ipſius, ſicut ſcriptum eſt, Zelus domus quaſi ignis ardens. Et quia æſtuantibus ſacro affectu medullis ſuis, aliud in tali æſtu facere non potuit, in vocem doloris erupit. Vox autem ipſa cui impenderetur nullus magis idoneus viſus eſt, quàm Eccleſia, cuius vtique pars ipſi erant qui iſta faciebant. Superflue enim vni aut paucis ſcribitur, vbi eſt cauſa cunctorum. Hæc ergo ratio & perſuaſit & compulit, vt libelli, de quibus loquimur, ad Ec-

D H

cleſiam mitterentur. Nunc illud dicimus, quod ſecundum eſt; ſcilicet cur in titulo libellorum non ſit nomen auctoris: cuius rei licet vna ſit cauſa maxima, multa tamen, vt reor, eſſe potuerunt. Ac prima illa veniens à mandato Dei, quo præcipimur vitare omnibus modis terreſtris gloriæ vanitatem, ne dum humanæ laudis aurulam quærimus, præmium cœleſte perdamus. Ex quo etiam illud eſt, quod & orari Deus, & donari occulte iubens, vult nos fructum boni operis commendare ſecreto, quia nulla ſit maior fidei deuotio, quàm quæ conſcientiam vitat hominum, Deo teſte contenta: neſciat enim, inquit Saluator, manus tua ſiniſtra, quid faciat de-

Matth. 6.

A

xtera tua, & pater tuus qui videt in abſconſo reddet tibi. *Et ideo ſcriptori illi ad ſubtrahendum ei titulo nomen ſuum atque celandum ſufficere hæc tantummodo cauſa potuit: vt quod in honorem domini ſui fecerat, diuinæ tantum ſcientiæ reſeruaret, & res commendabilior Deo fieret, quæ famam publicam deuitaſſet. Sed tamen quod confitendum fuit, præcipuum illud fuit quia ſcriptor ille, vt legimus, humilis eſt in oculis ſuis, ac vilis ſibi, exiguum ſe penitus atque vltimum putans: Et hoc quod maius eſt, mira fide, non officio humilitatis adſumptæ, ſed iudicij ſimplicis veritate. Vnde eſt quod iure ſe etiam ab alijs talem habendum putans, qualis à ſemetipſo haberetur, rectè libellis ſuis alienum nomen inſeruit: ſcilicet ne auctoritatem ſalubribus ſcriptis perſonæ ſuæ paruitas derogaret: omnia enim admodum dicta tanti exiſtimantur, quantus eſt ipſe qui dixit. Siquidem tam imbecilla ſunt iudicia huius temporis, ac pene tam nulla, vt hi qui legunt, non tam conſiderent quid legant, quàm cuius legant, nec tam dictionis vim atque virtutem, quàm dictatoris cogitent dignitatem. Idcirco igitur ſcriptor ille abſcondi & latitare omnibus modis voluit, ne ſcripta, quæ in ſe habent plurimum ſalubritatis, minora forſitan fierent per nomen auctoris. Habet itaque quiſquis ille eſt qui requirit, cur alienum nomen adſumptum ſit. Reſtat dicere, cur Timothei: quod vt dicamus, ad auctorem denuo reuerſuri ſumus. Is enim cauſarum omniũ cauſa eſt. Qui ſicut humilitati præſtitit vt alienum ſi, timori atque cautelæ vt Timothei nomen ſcriberet. Pauidus quippe eſt, & formidoloſus, ac nonnunquã etiã leuium mendaciorum fugax, atq; in tantum peccare metuens, vt interdum & non timenda formidet. Cum ergo ſubtrahere & titulo nomen ſuum, & inſerere vellet alienum, Timothei, in hac nominum commutatione mendacium nequaquam ſcilicet admittendum putans, nec in officio ſancti operis maculam falſitatis. Poſitus itaque in hoc ambiguæ opinionis incerto optimum fore credidit, vt beati Euangeliſtæ ſacratiſſimum ſequeretur exemplum, qui in vtroque diuini operis exordio Theophili nomen inſcribens, cum ad hominem ſcripſiſſe videatur, ad amorem Dei ſcripſit: hoc ſcilicet digniſſimum eſſe iudicans, vt ad ipſum affectum Dei ſcripta dirigeret, à quo ad ſcribendum impulſus eſſet. Hoc ergo etiam ſcriptor hic, de quo loquimur, vſus eſt argumento atque conſilio: Conſcius enim ſibi, ſic ſe omnia in ſcriptis ſuis pro Dei honore feciſſe, qua ratione ille Theophili, ac etiam hic Timothei nomine ſcripſit. Nam ſicut Theophili vocabulo amor; ſic Timothei honor diuinitatis exprimitur. Itaque cum legis Timotheum ad Eccleſiam ſcripſiſſe, hoc intelligere debes, pro honore Dei ad Eccleſiam ſcriptum eſſe, imò potius ipſum honorem Dei ſcripta miſiſſe: quia rectè ipſe ſcripſiſſe dicitur, per quem factum eſt vt ſcriberetur. Hac cauſa igitur in titulum libellorum Timothei nomen inſcriptum eſt. Congruum ſiquidem ſcriptor ille exiſtimauit, vt cum in honorem Dei libellum ſcriberet, ipſi diuinitatis honoris titulum conſecraret. Habes, o mi Saloni, charitas mea, habes quod exegiſti, implens opus muneris imperati. Supereſt vt quia ego functus ſum partibus, & tu fungaris tuis, id eſt, ores Dominum Deum noſtrum, & orando id impetres, vt libelli ad Eccleſiæ Chriſti honorem conſcripti tantum apud Deum ſcriptori ſuo proſint, quantum eos prodeſſe ipſe omnibus cupit: Nec iniuſtum puto, eſt deſiderium, quo tantum ſibi aliquis præſtari poſtulat pro ſalute, quantum ipſe optat cunctis pro charitate. Vale decus noſtrum atque ſubſidium.*

B

Sanctus Lucas nõ ad hominem, ſed ad Theophilum ſcripſit Apoſtolorum acta.

C

D

E

F

G

H

INCI-

A E

INCIPIT LIBER PRIMVS.

TIMOTHEVS MINIMVS SERVORVM DEI, ECCLESIAE CATHOLICÆ TOTO ORBE DIFFVSAE. GRATIA TIBI ET PAX A' DEO PATRE NOSTRO ET CHRISTO IESV Domino noſtro cum Spiritu Sancto, Amen.

B F

INter ceteros graues, atque mortiferos exitialis peſtilentiæ morbos, quos tibi antiquiſſimus ille ac fœtidiſſimus ſerpens grauiſſima læthiferæ æmulationis inuidia, & teterrimo illo viroſi oris ſpiritu inhalat, neſcio an vlla te acerbior * animarum infidelium peſtis *, & terrior * filiorum tuorum labes * conficiat, quam quod plerique ex tuis parum exiſtimantes, ſi in hac vita rebus ſibi ad opus ſanctum à Deo traditis *; ſine fructu miſericordiæ atque humanitatis incumbant, niſi auaritiam, id eſt, idololatriæ ſeruitutem, etiam in futura poſt mortem tempora extendant. Circunſpicis fortaſſe, & circunſpectas qui iſti ex tuis ſint quos appellem. Non longa tibi inquiſitione opus eſt ad inueniendum. Omnes, inquam, omnes pene hoc ſunt quod loquor. Abiit quippe illa egregia ac ſupereminens dudum primitiuæ plebis tuæ beatitudo, qua omnes Chriſtum agnoſcentes, caducas rerum mundialium facultates in ſempiternas cœleſtium poſſeſſionum opes conferebant, multantes ſe vſu præſentium, præclara ſpe futurorum, immortales diuitias præſenti paupertatis ambitu ementes. At nunc pro his omnibus auaritia, cupiditas, rapina, quæque his ſociæ, & quaſi germana vnitate coniuncta ſunt, inuidiæ, inimicitiæ, crudelitates, luxuriæ, impudicitiæ * perditiones: quia ſuperiora illa iſtorum vſibus militant, ſucceſſerunt: ac ſic neſcio quomodo repugnante contra temetipſam tua felicitate, quantum tibi auctum eſt populorum, tantum pene vitiorum: quantum tibi copiæ acceſſit, tantum diſciplinæ receſſit: & proſperitas venit quæſtuum cum magno fœnore detrimentorum: Multiplicatis enim fidei populis fides imminuta eſt: & creſcentibus filiis ſuis mater ægrotat, factaque eſt Eccleſia profectu tuæ fœcunditatis infirmior, atque acceſſu relabens, & quaſi viribus minus valida. Diffudiſti ſiquidem per omnem mundum religioſi nominis membra, religionis vim non habentia: ac ſic eſſe cœpiſti * turpis opulens, fide pauper: quanto ditior multitudine, tanto egentior deuotione, latior corpore, anguſtior mente, eademque, vt ita dixerim, & in te maior, & in te minor: nouo pæne & inaudito genere proceſſus & receſſus, creſcens ſimul & decreſcens. Vbi enim eſt illa nunc eximia formæ tuæ, & totius corporis pulchritudo? vbi illud de viuis virtutibus tuis diuinorum apicum teſtimonium dicens: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna; & nemo quicquam ex eo quod poſſidebat ſuum eſſe dicebat?* Cuius tu nunc, ô dolor ac lamentatio, lectionem tantum habes, virtutem non habes; cui quantum ſcientia, tantum interim conſcientia abeſt. Maxima quippe nunc filiorum tuorum portio mortiferarum rerum negociatrix eſt, propoliſque & cauponibus ſimilis terrenis, imo tartareis, perituris ſimul atque perdentibus ſtudet nundinis. lucro enim pecuniæ damnum vitæ ementes, vt adquirant quæ non ſunt ſua, prodigunt quæ ſunt ſua; mandantes terræ theſauros luctuoſos, heredibus breue gaudium, auctoribus longum mœrorem allaturos, fraudantes vſu rerum præſentium tam alios quàm ſeipſos: condentes profundis ſpecubus infernas opes, ſimul pecuniam ſuam ac ſpem ſuam infodientes, ſecundum illud ſcilicet Domini noſtri dictum, quo ait: *Vbi fuerit theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum.* Inuidentes itaque ſaluti ſuæ, animas proprias, quæ vocantur ad cœlum, terrenis ponderibus in terram premunt. Mens enim theſaurizantis theſaurum ſuum ſequitur, & quaſi in naturam terreſtris ſubſtantiæ demutatur: nec ſolum nunc, ſed etiam in futuro atque perpetuo. Nam cum, vt ſcriptum eſt, *ante hominem vita pariter ac mors ſint, & ad quod vult manum porrigat*, neceſſe eſt ea vnuſquiſque hominum in æternitate poſſideat, quæ hic quaſi manu ſua ipſe peruaſerit, voluntatique ac ſententiæ ſuæ deditus, his in futuro adhæreat conditione, quibus hic adhæſit affectu. Sed videlicet immunes ſe ab hoc piaculo quidam putant, qui fortaſſe aurum ac facultates ſuas in terra non habent. Attamen vbicunque abſtruſas habent, nemo ſe ridiculis opinionibus fallat. Quicunque augendis opibus terrena cupiditate famulantur, aurum terræ ſemper infodiunt: Hoc enim illud quod Saluator in Euangelio docet, dicens: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra.* Et iterum: *Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo.* Intelligi iuxta carnalem auditum iſta non poſſunt: Nunquid enim aut omnes mali in terra corporales theſauros ſuos, aut omnes boni cœlo locant? Non vtique. Et ideo effectus ſpiritalium rerum atque virtutes vis ſacræ locutionis expreſſit: ſcilicet, vt quia cupiditati & auaritiæ terrena atque tartarea, miſericordiæ autem ac largitati cœleſtia ac ſempiterna debentur, idcirco diuerſitas terreni & cœleſtis theſauri poſita ſit: vt qui cupiditati & auaritiæ theſaurizarent, in inferno ſe opes locare cognoſcerent: qui vero miſericordiæ & humanitati, cœleſtes ſe theſauros præparare gauderent. Loca itaque theſaurorum de meritis theſaurizantium nomina-

Margin notes (left): * orc. * ſtc. * orc. * be. * tum. — C — Animarum nulla peſtis acerbior quam extendere auaritiam in futurum. — * pro. — D — Religioſi nominis membra religionis vim non habentia.

Margin notes (right): Act. 4. — G — Auaritiæ pernicies. — Matt. 16. — Eccleſ. 15. — Matth. 6. — H

Merita benè aut malè theſaurizantium.

uit. ibi enim dicuntur eſſe iam theſauri, vbi ſunt theſaurizantes futuri. Sed auſtera forſitan videatur eſſe ſententia, cunctos æqualiter ad perfectionem vocans, & vna omnes lege compellans, cum vtique non ſit vniuerſorum vna conditio. Rectiſſimè quidem dici ad iſta poterat: Quod cum omnes perpetuo velint viuere, omnes id agere deberent, vt vitam participare poſſint. Quia inconſultiſſimum ac ſtultiſſimum eſt, id quoſdā agere, vt quod affectu ac voto volunt, idipſum re atque actu nolle videantur. Sed tamen videamus eam maximè Chriſtianorum, id eſt, filiorum tuorum partem, quæ certis rerum impedimentis, & inexpugnabilibus, vt putat, neceſſitudinum vinculis à perfectione reuocatur. Ac primum in hac parte illi, opinor, ſunt, qui ad quærendas pecunias, & ampliandas latiſſimè opes compelli ſe pignorum cura, & quaſi violento filiorum amore cauſantur. Quaſi vero quicunque patres ſunt, nequaquam aut poſſint, aut debeant omnino eſſe, niſi diuites: & amare filios ſuos ſine opum multiplicatione non valeant. Aut vero virtus ac medullæ affectuum auaritia & cupiditates ſint: quia ſcilicet, vt illi putant, ſicut corpus ſine medulla, ſic amor ſine cupiditate eſſe non poſſit. Quod ſi ita eſt, omnis abſque dubio pietas mali cauſa eſt, neque in ea ſenſus ſunt affectuum bonorum, ſed incentiua vitiorum. Et vbi illud erit ſacrum diuinæ auctoritatis oraculum: *Pietas ad omnia vtilis eſt?* Hoc enim modo non ſolum non ad omnia vtilis, ſed pene in omnibus inſalubris. Si enim generatrix cupiditatum eſt, plus in ſe multo malorum continet, quàm bonorum, ſecundum illud ſcripturæ ſacræ: *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Itaque ſi radix malorum omnium eſt cupiditas, atque ex pietatis matrice gignitur, & quaſi vitioſo eiuſdem lacte nutritur, non tam cupiditas reprehendenda, quæ ex pietate paterna naſcitur, quàm ipſa pietas, ex qua talis filia procreatur. Quo fit, vt ſi tam peſtilens eſt pietas, ac tam nocens; nec amare expediat, nec amari: quia nec parentes amorem debent appetere ſibi noxium, nec deſiderare filij parentibus obfuturum. Quamuis ille non parentibus tantum, ſed etiam filiis morbum ferat: quia & illis grauis eſt qui pernicioſas pariunt hereditates: & illis qui inter improbiſſimum quæſtum improbi educantur heredes. Et hinc eſt quod pænè omnes parentibus ſuis filij non magis in patrimonia, quàm in vitia ſuccedunt: nec magis facultates paternas ſumunt, quàm prauitates, ac ſic tranſeuntes ſemper in mores patrum, ante eorum incipiunt nequitiam quam ſubſtantiam poſſidere: bona enim parentum non niſi mortuis ei poſſident: viuentibus autem adhuc & valentibus mores. Ac ſic priuſquam in dominio ſuo habere incipiant res paternas, habent in animis ipſos patres: & antequam habeant illa quæ falſo dicuntur bona, ante habent illa quæ verè probantur mala. Quid ergo? cum hæc ita ſint, interdicere forſan parentibus filiorum videor affectum? Minimè. Quid enim tam ferum, tam inhumanum, tam legi æmulum, quam ſi non amandos dicamus filios, qui amandos fatemur inimicos? aut ſi affectum, quem natura præſtat, prohibeamus, qui etiam eum quem natura prohibet impendimus: aut ſi charitatem menti extorquemus quam habet, qui etiam illam ei conamur inſerere, quam non habet. Non ita eſt. Non ſolum enim amandos dicimus filios, ſed præcipuè ac ſuper omnia amandos dicimus filios, nec quicquam his omnino anteponendum; niſi Deum ſolum. Nam & hoc eſt præcipuè amare illum, filijs anteponere, quem non expediat omnino poſtponere. Quid eſt ergo, aut quo modo amandos dicimus filios? quo abſque dubio, niſi quo Deus ipſe conſtituit? neque enim vllus melior filiorum amor, quàm quem ille docuit, quos ipſos filios dedit: neque poſſunt pignora melius amari, quam ſi in eo ipſo à quo data ſunt amentur. Quo modo igitur Deus amari filios iuſſerit, non dico ego, dicat ſermo ipſe diuinus, qui ad patres omnes generaliter ita loquitur, *vt tradant mandata Dei filij ſuis, vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei ſui, & mandata eius exquirant.* Alibi quoque: *Et vos,* inquit, *patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros, ſed edocete illos in diſciplina & correptione domini.* Videtis quas parari opes à parentibus filijs Deus iubeat, non pecuniarios theſauros, nec graues metallo aureo ſaccos, habentes quidem multum ponderis, ſed plus tamen iniquitatis, non ſuperbas ac præeminentes excelſis vrbibus domos: non ſupra humanos viſus elata culmina, nec inſerta nubibus aereo habitatore faſtigia: non denique fundos interminabiles, & notitiam poſſeſſoris ſui excedentes, qui conſortes pati indignum æſtiment, & vicinitatem iniuriam putent. Non ergo hæc Deus præcipit, nec in ſeruilia terrenæ procurationis officia curam patriæ pietatis extendit. Pauca ſunt quæ mandat, ſed ſalutaria: expedita, ſed ſancta: præcepto parua, ſed fructu grandia: ſcripto breuia, ſed beatitudine ſempiterna. *Parentes* enim, inquit, *nolite ad indignationem prouocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina & correptione domini:* *vt ponant* ſcilicet, ſicut propheta dixit, *in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei ſui, & mandata eius exquirant.* En quales diuitias Deus diligit, en quas pignoribus recondi exigit opes, en quas parari imperat facultates, fidem ſcilicet ac timorem Dei, modeſtiam, ſanctimoniam, diſciplinam: non terrena, non vilia, non pereuntia, non caduca: præclara vtique. Cum enim Deus viuorum ſit, non mortuorum, rectè illa parari filiis iuſſit, per quæ in æternum viuerent, non per quæ in æternitate morerentur. Nemo enim dubitat omnibus ferme malis & infidelibus diuitias mundi cauſam mortis magis eſſe quam vitæ, ſecundum illud quod Deus dicit: *Quam difficile hi qui pecunias habent introibunt in regna cælorum.* Et iterum: *Facilius eſt,* inquit, *camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regna cælorum.* Vnde & illud eſt, quod ſpecialiter iubet dicens: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra: theſaurizate autem vobis theſauros in cælo.* Superioribus ac ſequentibus dictis duo theſaurorum genera monſtrantur: vnum ſcilicet quo filiis theſaurizent patres: aliud quo ſibi. Filiis quomodo? Vt erudiant illos officio ac timore diuino. Sibi quomodo? Vt theſaurizent ſibi theſauros in cælo. Mirifice ſcilicet, vt quia pecunia caduca eſt, diſciplina immortalis, & omnes ferme parentes plus ament filios quàm ſeipſos, ſibi conferant bona caduca, filiis ſempiterna: ac ſic & pietati ſuæ conſulant & ſaluti, cum duplici atque immortali bono, & per ea quæ æterna ſunt æternos eſſe filios ſuos faciant, & ad conquirendam ſibi beatitudinem ea quæ naturaliter caduca ſunt, bonis operibus in æterna conuertant. Quid ergo æſtuas paterna pietas? quid ad conquirenda terrena & peritura diſtenderis? nihil maius præſtare filijs potes, quam ſi hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitus amittant. Non neceſſe eſt ergo, vt filio tuo terrenos theſauros recondas? nulla re eum facies ditiorem, quàm ſi ipſum filium tuum theſaurum Dei feceris. Quanquam hæc licet ſe ita habeant, & ſint vera ac ſaluberrima, tamen non ita dicam, quaſi filios bonis & facultatibus paternis penitus excludam. Sed de hoc poſtea diſputabimus. Interim quia, eos ſe quidam futuros non putant, ſi ſubſtantias ſuas non ad Euangelij honorem, non ad ſalutem ſuam, non ad vllum officium Dei conferant; ſed pro libidine & infidelitate quibuſcunque heredibus paſſim vel irreligioſis, vel locupletibus impia & paganica ſollicitudine tranſcribant; videamus breuiter vel à quo ſint datæ facultates ipſæ, vel ob quid datæ: & cum & auctorem, & cauſam datæ rei oſtenderimus, facilius, & ad quem referenda, & in quem vſum conferenda ſit approbare poſſimus. Omnem ſubſtantiam mundialem diuino poſſeſſoribus cunctis munere dari, nullus homo, vt reor, ambigit, qui modo in hominum numerum referri poteſt: niſi forte quis tantæ ſit inſipientiæ, vt cum humano generi mundus ipſe à Deo datus ſit, ea quæ in mundo ſunt non à Deo hominibus data arbitretur. Igitur ſi omnia omnibus Deus tribuit, nemini dubium eſt, quod ea quæ Dei dono accepimus, ad Dei cultum referre debeamus, & in eius opere conſumere, quæ eiuſdem

Velamen auaritiæ filii.

B

1. *Tim.* 6.

C

D

Quomodo vere amentur filii.

Pſal. 77.

Eph. 6.

Quæ paranda filiis

Epheſ. 6.

Pſal. 77.

F

Matt. 19.

Math. 6.

Duo theſaurorum genera.

G

Diuitiæ relinquendæ filiis.

H

Diuitias a Deo dari.

A iuſdem ſumpſimus largitate, hoc eſt enim agnoſcere munus Dei & diuinis beneficiis bene vti, vt datis ſuis illum honores, à quo data ipſa acceperis: quod quidem etiam humanarum rerum exempla edocent. Si enim vſus rerum aliquarum cuipiam homini alterius hominis beneficiu ac largitate tribuatur, iſq; immemor illius à quo fructum rerum indeptus eſt, auertere ab eo ipſo proprietatem præſtitæ rei atque alienare conetur, nonne ingratiſſimus omnium hominum atque infideliſſimus iudicetur? qui oblitus ſcilicet hominis benefici ac liberaliſſimi ſpoliare illum iure dominij ſui velit, qui eum ipſum vſus poſſeſſione ditauerit? Et nos itaque vſum tantum earum rerum accepimus quas tenemus; commodatis enim à Deo facultatibus vtimur, & quaſi precarij poſſeſſores ſumus. Denique egredientes è mundo iſto, velimus nolimus hic cuncta relinquimus. Cur ergo cum poſſeſſores tantum vſufructuarij ſumus, quod nobiſcum auferre non poſſumus, auertere à proprietate dominum atque alienare tentamus? Cur non bona fide datis à Deo reſculis vtimur? Tenemus quoad licuit: tenuimus quod permiſit ille qui præſtitit.

B Quid rectius? quid honeſtius? quàm vt vbi res ab eo diſcedit qui vſum habuit, reuertatur ad eum poſſeſſio, qui vtendam conceſſit? Denique etiam ipſum hoc Dei voces per linguas literarum ſacrarum iubent, dicentes quotidie ad vnumquemque noſtrum: *Honora Dominum de tua ſubſtantia.* Et alibi: *Redde*, inquit, *debitum tuum.* Quàm pius eſt & indulgens Dominus Deus noſter, inuitans nos ad erogandum terrenæ ſubſtantiæ facultatem. *Honora*, inquit, *Dominum de tua ſubſtantia*: cum totum ſuum ſit quod ab eo accepimus, noſtrum eſſe dicit vt demus: ideo ſcilicet noſtram appellans proprietatem poſſeſſionis, vt maior ſit merces operantis: quia plus fructuum neceſſe eſt largitor habeat, vbi de ſuo videtur eſſe largitio. Sed tamen ne hoc ipſo humana mens inſoleſceret, quod ſubſtantiam hanc Dominus noſtram eſſe dixiſſet, adiecit: *Redde debitum tuum*, hoc eſt, vt quem deuotio non illiceret ad largiendum, neceſſitas cogeret ad exſoluendum; & quem ad opus ſanctum fides ſua ipſa non retraheret, ſaltem neceſſitas coarctaret. Prius ergo ait: honora Dominum de tua ſubſtantia, deinde: redde inquit, debitum tuum, Hoc eſt dicere: Si deuotus

Prou. 3.
Eccleſ. 4.

C es, da quaſi tuum, ſi indeuotus, redde quaſi non tuum. Bene itaque poſuit & dandi voluntatem, & ſoluendi neceſſitatem. Hoc eſt vtrique dicere omni homini; Ad opus ſanctum & hortatione inuitaris, & exactione conſtringeris. Da ſi vis, redde ſi non vis. Apoſtolus quoque idipſum monens *diuitibus præcipit, ne ſuperbe ſapiant, neque ſperent in incerto diuitiarum; ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis*, inquit, *omnia ad fruendum in voluntate operum bonorum.* Vno dicto vtrunque docuit, hoc eſt, & qui daret diuitias, & cur daret: dicens enim *ſperandum à Deo qui præſtitit omnia*, oſtendit à Deo diuites fieri: Addens autem, *in voluntate operum bonorum*, docet ipſum quod dixit à Deo tribui, propter bona tantum opera præſtari. *Præſtat* enim, inquit, *omnia in voluntate operum bonorum*, hoc eſt, ad hoc facit homines ſubſtantia eſſe locupletes, vt bona operatione ſint diuites, id eſt, vt commutent diuitias quas acceperunt, & facultates ipſas in bonis operibus collocantes, Dei opes, quas habent in hoc ſeculo temporarias, bene vtendo faciant ſempiternas: ac ſic agnoſcentes munera Dei, duplici bono gaudeant; cum qui ſunt diuites in hoc ſæculo, eſſe quoque diuites mereantur in cœlo.

1. Tim. 6.

Diuitiæ à Deo.

D Sic ergo habendæ ſunt diuitiæ, ſic petendæ, ſic tenendæ, ſic propagandæ: alioqui inæſtimabile malum eſt, bonis à Deo datis non bene vti. *Auaro* enim, inquit ſcriptura ſacra, *nihil eſt ſceleſtius*: & peſſimum ac fetaliſſimum morbi genus diuitiæ conſeruatæ in malum domini ſui. Verum eſt: quid enim peius, aut quid miſerius, quàm ſi quis præſentia bona in mala futura conuertat, & quæ ad hoc à Deo data ſunt, vt paretur ex eis vitæ beatitudo perpetua, per hæc ipſa quæratur mors ac damnatio ſempiterna? In quo & illud

Eccl. 10.

E conſiderandum eſt, quod ſi ſeruatæ diuitiæ ad malum hominis conſeruantur, quanto vtique ad maius malum coaceruantur? Quotus enim quiſque nunc diuitum tantæ eſt continentiæ, qui opes cuſtodire contentus accumulare iam nolit? O miſeria temporis, & eccleſiaſticæ plebis, ad quid redacta eſt! vbi cum ſcriptum ſit, quod ſeruare opes genus ſit magni criminis; non augere, iam genus putatur eſſe virtutis. Ergo vt ſupra diximus, quomodo ſe quidam reus omnino putant, ſi nec in morte ſibimet per diſpenſationem ſubſtantiæ conſuluerint, cum etiam ex hoc rei ſint, quod vſque ad mortem cuncta ſeruauerint? Aut quomodo rei non erunt, qui facultates ſuas ad quoſcunque homines infideliſſima vanitate tranſmiſerint; cum etiam illi rei futuri ſint, qui non ſe ipſos in vita iſta aliqua ob honorem Dei rerum ſuarum parte priuauerint? oſtendente id ipſum etiam per Apoſtolum ſuum Domino noſtro, atque dicente: *Agite nunc diuites, plorate in miſeriis, quæ aduenient vobis: diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt, aurum & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis in nouiſſimis diebus.* Præter illam, quæ in myſterio latet, maior eſt multo ac terribilior, diuinorum verborum ſeueritas, ſufficere ad me

Auarorũ miſeria.

Iacob. 5.

F tum ac tremorem omnibus puto illa quæ prompta ſunt. ad diuites enim peculiariter loquitur: plangere eos præcipit, mala futura nuntiat, ignem perpetuum comminatur. Et hoc quo minæ ipſæ magis timendæ ſunt, non propter homicidia, non propter fornicationes, non ob ſacrilegas impietates, aut alia poſtremo vitia, lethali gladio animas & perenni occiſione iugulantia, ſed propter ſolas tantummodo opes, propter inſanam cupiditatem, propter auri atque argenti famem: vt oſtenderet ſcilicet ſufficere hæc homini ad æternam damnationem, etiamſi reatus alij non fuiſſent. Quid dici ſimplicius, quid euidentius poteſt? Non dicit diuiti: torquendus es quia homicida es, torquendus es quia fornicator; ſed torquendus tantummodo quia diues, hoc eſt, quia diuitiis malè vteris, quia datas tibi ad opus ſanctum diuitias nõ intelligis. non enim ipſæ diuitiæ per ſe noxiæ, ſed mentes malè vtentium criminoſæ: nec ipſæ opes homini pœnę cauſa ſunt, ſed de opibus ſibi pœnas diuites faciunt: quia

Diues ab ureas diuitias.

G dum vti diuitiis benè nolunt, ipſas ſibi diuitias in tormenta conuertunt. *Theſaurizaſtis*, inquit, *in nouiſſimis diebus*: bene cum dixiſſet, *theſaurizaſtis*, addidit, *in nouiſſimis diebus*, hoc eſt, vt maior theſaurizantium reatus eſſet, cum theſaurorũ inuidiam etiam ſecula extrema cumularet. *Theſaurizaſtis*, inquit, *in nouiſſimis diebus*. Per theſauros cupiditas, per nouiſſimos dies infidelitas accuſatur: ac per hoc duplex & cupiditatis noxa eſt, & infidelitatis; quia theſauros, quos iuxta id quod Deus dicit: *Non concupiſces*, et tamen vtiq; fuit & alio tempore concupiſcere: maius abſque dubio per infidelitatem ipſam crimen eſt etiam in mundi fine cumulare. Durum fortaſſe aliquis ſermonem meum hactenus iudicabit. Et vere durus eſt, ſi aliquid non ex teſtimoniorum factorum auctoritate commonuerit. Durus exiſtimetur, ſi aliquid tale habuit, quale hic Apoſtolus prædicauit, vt non addamus illud Domini noſtri dictum, quo omnes penitus indignos ſe eſſe dixit, qui non renuntiaſſent omnibus quæ poſſederint. Quæ cum ita ſint nonne, quæſo, indulgentiſſimum, modeſtiſſimum, ac molliſſimum exiſtimari conuenit quod locuti ſumus: ſcilicet qui hominibus, quibus perfectam incolumitatem tribuere non poſ-

Exod. 20.

Luc. 14.

H ſumus, opem ſaltem deſperatæ ſalutis inquirimus: & quorum vitam ſanare non poſſumus, mortẽ leuare tentamus. Quid eſt enim perfecta ſanitas? quid, niſi in vita hac bene agere? Quid poſtrema curatio? quid niſi vel in extremis bonum viaticum comparare? Quid eſt enim perfecta ſanitas? quid, niſi rebus à Deo traditis bene vti? Quod vltimum remedium? quod niſi ſaltem poſtea facere, quod pœniteat te non ante feciſſe? Dura fortaſſe aliquis putat eſſe quæ dico: dura planè dura exiſtimẽtur, niſi talia ſint vt in comparatione Apoſtolicæ ſeueritatis mollia ac remiſſa

Sanitas perfecta.

A videantur. Apoſtolus enim ad planctum diuites vocat; nos ad remedium. Apoſtolus diuitias ignem nominat; nos facere ex diuitiis aquas cupimus, ignem extinguentes, ſecundum illud: ſicut *aqua extinguit ignem ſic eleemoſyna extinguit peccatum.* Apoſtolus in diuitiis malè conſeruatis damnationem eſſe teſtatur; ego ex his quæ dicit ille mortem æternam omnibus facere, vitam opto perpetuam comparare. Non quidem quod vlli vitiis carnalibus implicato ſufficere ad vitam æternam putem, ſi cum vſque ad mortem in flagitiis conſenuerit, in obitu bene cuncta diſpenſet, niſi antea & peccatis renuntiauerit, & ſordidam illam criminum tunicam lutulentamque proiecerit, & nouam conuerſionis ac ſanctimoniæ veſtem de manu Apoſtoli prædicantis acceperit: alioqui peccare non deſinit, quem in extremis ſitum recedere à criminibus ſola tantum facit impoſſibilitas non voluntas: Qui enim à malis actibus tantum morte diſcedit, non relinquit ſcelera, ſed relinquitur à ſceleribus. Ac per hoc neceſſitate excluſus à vitiis: & tunc puto peccat quando ceſſauerit, quia quantum ad animum necdum deſiit, qui adhuc velit peccare, ſi poſſit.

B Non bonis itaque ſpebus innititur, qui ad hoc tantum peccat in vita, vt peccatorum molem redimat in morte. Et ideo ſe euaſurum putat, non quia bonus, ſed quia diues ſit: quaſi vero Deus non vitam quærat hominum, ſed pecuniam; atque à cunctis malorum redimendorum ſpe malè agentibus accipere ſolos pro criminibus nummos velit, & corruptorum iudicum more argentum exigat, vt peccata vendat. Non ita eſt: prodeſſe enim largitionem plurimum certum eſt, ſed non illis qui vltimæ futuræ largitionis ſpe malè viuunt, qui fiducia redimendæ immunitatis ſcelera committunt; ſed illis qui decepti aut lubrico ætatis, aut nubilo erroris, aut vitio ignorantiæ, aut poſtremo lapſu fragilitatis humanæ reſipiſcere tandem, quaſi poſt * modum grauiſſimæ infirmitatis, aut quaſi poſt * fluctum turbatæ mentis incipiunt.

*morbum. *luctum.

Et ſicut ad ſenſum ſuum inſani homines poſt furorem, ſic iſti redeunt poſt errorem; in vno tantummodo à ſe diſpares, quod illi gaudent poſtquam euaſerint ægritudinem, iſti plangunt poſtquam acceperint ſanitatem. Nec immerito: illi enim tanto plus gratulantur, quanto plus incolumitatis indeptos eſſe ſe ſentiunt: iſti tanto plus confunduntur, quanto euidentius morbum ſui erroris agnoſcunt.

C Quo fiat neceſſe eſt, vt illi exultent, & iſti lugeant: quia illi quod ægrotarunt, imputant valetudini, iſti quod errauerunt, ſibi, ac ſic illi læti ſunt de remedio, & iſti anxii de reatu. Vnde admoneo cum omnes, tum præcipuè eos, quos grauium delictorum terror exagitat, & in quibus inſelicior conſcientia peccatorum pœnalium recordatione ſuſpirat, primum vt licet lapſi ſint, non commorentur in lapſu, nec in volutabris ſuis ſordentium ſuum more verſentur: qui cum æſtuantes aluos cœno immerſerint, nequaquam ſordidis voluptatibus ſatisfaciunt, niſi tota penitus luto membra conuoluant. Non ergo horum naturalem ſequantur illuuiem, nec male blandis lapſibus adquieſcant, aut in barathro libidinum commorantes, in ipſis ſe ſepeliant ruinis ſuis: ſed ilico vbi conciderint ſurgant, & eleuationem promptius meditentur in lapſu. Ac ſi fieri vllo modo pernicitate pœnitudinis poteſt, tam velox ſit remedium reſurgentis, vt vix poſſit veſtigium apparere collapſi.

D Ergo in huiuſmodi cauſis hoc primum medelæ opus eſt, vt morbos ſuos languentes horreant, curare plagas feſtinent ſaucii, & ilico è corporibus ſagittas rapiant vulneratı. Optimè enim malagma vel fibula calidis adhuc vulneribus imponitur, & citius ſibi plagarum caro ſociatur, quæ non diu hiare permittitur. Vlcus quippe in corpore ſi computruerit, dilatatur: & ſi plagas cancroma ſequitur; cancrum neceſſe eſt conſequatur occaſus. Fugienda itaque primum hæc peccatoribus mala ſunt, nec dandus diabolo locus, vt qui ſtantes impulit in ruinam, lapſos præcipitet in mortem.

Odiſſe morbum primus gradus eſt ad ſanitatem.

Quod ſi aut tanta vis morbi, aut tanta ægrotorum ſueE rit incuria, vt valetudinis labem vſque ad dies vltimos trahant, quid dicam neſcio, quid promittam penitus ignoro. Reuocare ab iniquitatione vltimi remedii periclitantes durum & impium; ſpondere autem aliquid in tam ſera curatione temerarium. Sed melius tamen eſt abſque dubio, quamuis diuturna paralyſi aridas manus, aliquo tamen niſu ad cœlum erigi, quam letali penitus deſperatione diſſolui. Melius eſt nihil inexpertum relinquere, quam morientem non curare: maximè quia neſcio an in extremis aliquid tentare medicina ſit: certè nihil tentare perditio. Et vnum ſcio, quod quicumque in hanc miſeriam longi languoris extrema perduxerit, ineffabile dictu eſt quantum lamentationis erroribus ſuis debeat, quia nunquam errata cognouit. Et quid inter hæc fiet, quando lugebit, qui dies lugendi perdidit? quando ſatisfaciet, qui tempus ſatisfactionis amiſit? Ad ieiunia videlicet longa confugiet. Eſt quidem hoc aliquid, ſed eleemoſynis miſceatur, ſecundum illud: *Bonum eſt ieiunium cum eleemoſyna.* Tob. 12.

F Sed quomodo et exomologeſis diuturna opitulabitur in extremis ſito? Sed cilicio carnes conteret, ac fauilla & cinere ſordidabit? vt molliciem videlicet præteritæ voluptatis præſentium aſperitatum duritia compenſet, & reatum longarum deliciarum officio patrocinantis ſoluat iniuriæ. Sed quando hæc iam grandia faciet, vicino iam exitu etiam à mediocrium actione diſcluſus? Crucibus denique diuerſarum ærumnarum reum in ſuo corpore hominem iudex fidei ſeueritas ſubiugabit: vt indulgentiam ſcilicet abſolutionis æternæ præſentis pœnæ ambitione mereatur. Sed fatiſcente iam corpore, vbi exercebit diſtrictionis officium cenſor animus? Vti enim ſeueritatis arbitrio iudex non poteſt, quando reus iam non ſuſtinet iudicari.

Pœnitendi ratus.

Vnum ergo eſt, quod amiſſis omnibus adiumentis atque ſubſidiis perfugium nutanti ac deſtituto opitulari queat, vt confugiat ſcilicet ad illud beatiſſimi Danielis ſacrum ac ſalubre conſilium: qui Babylonio regi mederi volens, vlceribus de offenſione contractis, malagma de miſeratione compoſuit dicens: *Propter quod, Rex, conſilium placeat tibi, & peccata tua in miſericordiis redime, & iniuſtitias tuas in miſeratione pauperum, fortaſſe erit patiens Deus delictis tuis.* Dan. 4.

Ita ergo & iſte faciat, vt ille dixit: vtatur medicamento alii oblato ad ſua vulnera, vereatur contumaciæ inobedientis exemplum, cogitet quid ipſe ſit paſſurus in morte, cum videat quid rex Aſſyrius pertulerit in vita.

G Euidens eſt de ſuperbia ac rebellione documentum, conſideret an ipſe ſi non audierit, mortuus euaſurus ſit, cum videat quod rex ille qui non audiuit ſeipſum viuus amiſit. Offerat ergo vel moriens ad liberandam de perennibus pœnis animam ſuam: quia aliud iam non poteſt, ſaltem ſubſtantiam ſuam: ſed offerat tamen cum compunctione, cum lachrymis; offerat cum dolore, cum luctu. Aliter quippe oblata non proſunt: quia non pretio, ſed affectu placent. Nec enim animus dantis datis, ſed animo commendantur data: nec pecunia fidem inſinuat, ſed pecuniam fides.

Affectus non pretium placet Deo.

Ac per hoc qui prodeſſe ſibi vult, quæ Deo offert hoc modo offerat. Neque enim homo Deo præſtat beneficium in his quæ dederit, ſed Deus in his homini quæ acceperit: quia etiam quod homo habet, Dei ac Domini ſui munus eſt, ac per hoc in his quæ offeruntur ab homine, homo non ſuum reddit, Dominus ſuum recipit.

H Itaque cum offert Deo quiſpiam facultates ſuas, non offerat quaſi præſumptione donantis, ſed quaſi humilitate ſoluentis: nec abſoluere ſe peccata ſua credat, ſed adleuare: nec offerat eum redemptionis fiducia, ſed cum ſupplicationis officio: nec quaſi totum debitum reddens, ſed quaſi vel paruum de magno reddere cupiens: quia etiam ſi tradat quod habet pro modo rerum, non reddit quod debet pro magnitudine peccatorum. Et ideo licet offerat, oret Deum, vt lenta ſua placeat oblatio, plangens id ipſum quod tarde offert: plangens ac pœnitens quod non prius. Sic erit †, vt iuxta Propheram, *propitietur forſitan Deus delictis ſuis.* † Sed dicit aliquis: Totum ergo

* al. ſic egerit. * tuis. ad eius.

A

Quid offerendum Deo.

Deo oblaturus eſt quod habet? Non offerat totum quod habet, ſi non putat ſe debere totum quod habet. Non quæro cuius ſit quod offertur, à quo ſit acceptum ante, quod redditur. Hoc dico ſolum, non offerat totum pro debito, ſi debere ſe totum non putat pro reatu. Totum ergo, inquit, quamuis peccator, aliquis oblaturus eſt? ſummu nihil, ſi non cum fide: immo nihil, ſi non cum ambitu: immo nihil, ſi non cum precamino nihil, ſi non hoc animo, vt hoc ipſum inter præcipua Dei beneficia reputet, quod animum offerendi dedit, & plus ſibi in his quæ Deo reliquit præſtari æſtimet, quàm in illis quæ prius habuit: quia hoc quod habetur ab homine temporarium eſt; quod autem Deo relinquitur, ſempiternum. Totum, inquit aliquis, oblaturus eſt? At ego dico eſſe hoc totum parum. Quid enim iam ſcit aliquis an peccatorum menſuram oblata compenſent? Quid iam ſcit aliquis, an tantum ſit in officio placationis, quantum eſt in offenſione dire mimus? Si nouit quiſquam bominum peccatorum quantum redimere delicta poſſit, vtatur ſcientia ad redemptionem. Si verò neſcit, cur nõ tantũ offerat, quantum poteſt? vt ſi compenſare peccata non valet pretii magnitudine, ſaltem mentis deuotione compenſet. Perfectum enim conſcientiæ fructum exhibet, qui intra conſcientiam nil relinquit. Dura nonnulli hæc abſque dubio & immenſurata cenſentur; maximè quia Propheta is, de quo diximus, Babylonium regem hoc tantum admonuiſſe videatur, vt multa donaret, non vt vniuerſa diſtraheret. Non profero interim teſtimonia Euangelii, nec confugio ad loquentis in ſacris voluminibus vocem Dei, non dico aliud vetere, aliud noua lege præceptum. Vnde etiam Apoſtolus: *Ecce*, inquit, *vetera tranſierunt, facta ſunt omnia noua. Omnia enim ex Deo.* Quibus vtique dictis docet non vetera ſecundum literam, ſed noua ſecundum Deum eſſe facienda. Hoc ſolo interim contentus ſum, quod Propheta dixit: Sermo enim ei cum rege erat: & quidem cum rege non vnius vrbis, ſed vt tunc videbatur, totius orbis. Quia itaque non poterat populos quos regebat per teſtamentum ęgenis tradere, & nationes barbaras indigentibus quaſi nummos dare, aut in pauperum ſtipes diffuſa longe ac late regna conuertere, & ideo Propheta: *Peccata*, inquit, *tua in miſericordiis redime*: hoc eſt: aurum da indigentibus, quia non potes regnum dare: facultates diſtribue, quia poteſtatem non vales prærogare. Ac per hoc videtur iuſſiſſe, vt totum daret; quem hoc ſolum non iuſſit diſtribuere, quod non poterat erogare. Exaggeramus fortem rem verbis, & nimis alte extullimus. Videamus ergo idipſum quale ſit: *Peccata*, inquit, *tua in miſericordiis redime.* Quid eſt aliqua redimere? Opinor pretium rerum quæ rediruuntur dare. Non quæro quæ illius regis peccata fuerint: ipſe ſciat quanm debuerit redimere quæ fecit. Te alloquor, cuius cauſa eſt: te appello, cuius diſcrimen agitur, hoc facito quod Propheta dixit: *Peccata tua in miſericordiis redime*: Noli tantum Deo relinquere, quantum habes, ſi pro peccatis tuis neceſſarium non putas, quantum habes. Æſtima diligentiſſimè culpas quas admiſiſti, æſtima peccatorum diuerſitates, vide quid pro mendaciis debeas, quid pro maledictis atque periuriis, quid pro negligentiis cogitationum, quid pro impuritate ſermonum, quid pro omni denique malæ voluntatis affectu. Adde poſtremo etiam, ſi aliqua de his intra conſcientiam tuam ſunt, de quibus Apoſtolus dicit: adulteria, fornicationes, impudicitiæ, ebrietates, immunditia Deo cauſa, auaritia, idololatriæ famula, & poſt hæc aliqua forte crimina etiam de humani ſanguinis effuſione contracta: cumque omnium ſupputaueris numerum, expende pretia ſingulorum, & poſt hæc non quæro vt pro peccatis totum Deo tradas quod habes: hoc ſolum redde quod debes, ſi potes æſtimare quod debeas. Addo autem præter iſta omnia, quod cum tractaueris delicta tua, atque taxaueris, tanto plus pro malis tuis debebis, quanto peccata tua vilius æſtimaris. Quomodo? *Qui ſe*, inquit Apoſtolus, *exiſtimat eſſe aliquid, cum nihil ſit, ſeipſum ſeducit.* Vt non dicam tibi; quod regi illi viuturo, adhuc & forte iuueni, vt feſtinaret tamen peccata ſua redimere præceptum eſt. Tu autem tanto plus pro te debes, quod hæc vel moriens facis, vel iam iamque moriturus. Grandis enim munificentia ac deuotio futura eſt, quæ poſſit id compenſare, quod hæc tum demum Domino tuo reddis, quando habere ipſe iam non potes. Præſertim cum addatur ad iſta omnia, quod Propheta ipſe, qui regem illud ad redemptionem criminum vocat, per hæc ipſa quæ dicit debere fieri, non tam ei veniæ ſecuritatem quàm viam inquirendæ ſalutis oſtendit. Dicens enim ad eum: *Peccata tua in miſericordiis redime, & forſitan propitiabitur Deus delictis tuis*: hoc ipſum quod dicit *forſitan*, ſpem indicat, non fiduciam pollicetur. Ex quo intelligi poteſt, quam difficile iam in ſupremis poſiti peccatores qualibet munificentia ad perfectam indulgentiam peruenire poſſint: quando Propheta ipſe, qui ſuadet propitiationem Dei inquirendam, promittere tamen non auſus eſt promerendam: dat conſilium de actu, & tamen dubitat de effectu: hortatorem ſe agendi, non impetrandi auctorem facit. Quare ita? Quia omnes ſcilicet peccatores debent pro ſe vel in ſupremis cuncta tentare, etſi non poſſunt vlla præſumere. Si enim regi Propheta ille per ſolam bonorum operum largitatem, abſolutam indulgentiam non promittit, intelligere peccator non acta errorum pœnitentia poteſt, quanta ei & quàm larga in ſupremis munificentia opus eſt, qui vult obtinere à Domino per ſeram deuotionem quod non poteſt vſurpare per legem.

Quid offerendum Deo. — margin notes, left column:

B

2. Cor. 5.

Daniel. 4.

C

Redimere peccata miſericordiis.

Ibidem.

D

Gal. 6.

E

Qui ſalutem ad finem vitæ differunt pœnitentiam, non ſecuri, cũ difficile & raro illam obtineant.

F

Sera deuotio.

Explicit liber I.

INCIPIT LIBER
SECVNDVS.

G

Diximus de remediis peccatorum, immò potius de ſpebus remediorum atque ſolatiis; ſcilicet hoc primum inquirendæ ſalutis eſſe ſuffragium, vt peccatorem pœniteat errorum: tum vt iuxta ſermonem ſacrum ſtatim *peccata ſua miſericordiis redimat*: poſtremo ſi id non fecerit, ne quid ſaltem moriens inapertum relinquat, vel vltima ſibi rerum ſuarum oblatione ſuccurrat. Sed reſpondeatur fortaſſe hoc loco illud: Si peccatores homines redimendorum criminum neceſſitate teneantur, ſanctos abſque dubio, qui ſint expertes criminum, non teneri; ac per hoc non habere eos cauſam ſubſtantiæ largiendæ, qui non habeant quod redimere eos neceſſe ſit largitate. Audio: ſed id quale ſit iam videbimus. Interim etiamſi præterita mala non ſint, quæ ſanctum hominem oporteat rebus cunctis redimere, ſunt tamen perennia bona, quæ magno debeat comparare. Sed de hoc plenius poſtea. Nunc autem hoc dico liberè, & conſtanter affirmo; neminem eſſe omnino ſanctorum, qui non in multis ſit Deo debitor, ac per hoc eum, quæcunque Domino ſuo dederit, non tam donare quàm ſoluere. Ac primum vt de beneficiis generalibus dicam, id eſt, quod quiſquis vel ſanctorum es ille, vel diuitum: primum beneuolentia ac Dono Dei & natus, & altus, & educatus es: quod rebus ad vitam neceſſariis communitus: quod etiam non neceſſariis locupletatus: quod plus ad vſum tibi Dominus tuus tribuit, quàm modus vſuum poſtulauit: quod extendit denique ſuper ſpes tuas munera ſua: & quod eſt maximum ac rariſſimum, dona illius etiam tua vota vicerunt. Addo autem poſt iſta omnia, quod idem Dominus, qui te primum munere ſuo genuit, poſtea etiam paſſione ſaluauit: quod propter te, ô homo, terram ac lutum, immo exiguam terræ ac luti partem, rerum vniuer-

Dan. 4.

Omnes debitores ſumus Dei.

H

ſarum

A

ſatum Dominus è cœlo venit, terras adijt, ex ea tune pariter & in carne proceſſit, humiliatus vſque ad humani exordij pudorem, & pannorum illuuiem, & præſepij vilitatem, tolerans indignas ſe vitæ iſtius paſſiones, edendi, bibendi, ſomnij, vigiliarum ægras viciſſitudines, & caducæ iſtius conuerſationis contumelioſas neceſſitates, ipſam denique hominum circa ſe conuerſantium fœtidam commorationem, populos peccatorum ſordentium luto oblitos, ſemper malæ conſcientiæ admiſſu reos, turpium ex ſe actuum nidorem exhalantes. Et ideo cœleſtium præceptorum incapaces, nec ſuſtinentes ſacri fulgoris iubar, quia caligantes peccatis oculos ſplendor diuini luminis obruebat: nec ſolum hoc, ſed poſt hæc omnia adde proteruas ſuperbientis populi contradictiones, adde conuicia, adde maledicta, impiam inſectationem, teſtimonium falſum, iudicium cruentum, irriſiones populi, ſputa, verbera, acerbiſſimas quidem pœnas, ſed indignitates pœnis acerbiores, coronam ſpineam, aceti poculum, cibum fellis, damnatum ab hominibus Dominum vniuerſorum, pendentem in patibulo humani generis ſalutem, Deum terrenæ conditionis lege morientem.

Dei in homines beneficium.

B

Deo par ſolui non poteſt.

Quæ cum ita ſint, quicunque ille aut ſanctus es, aut ſanctum te eſſe credis, dic mihi quæſo, nunquid ſolui hæc ſola poſſunt, etiam ſi nulla alia debeantur? Quicquid libet enim homo pro Deo perferat, ſolui omnino non poteſt quod Deus pro homine perpeſſus eſt. Quia etiam ſi paſſio ipſa non differat genere pœnarum, multum tamen diſtet neceſſe eſt diuerſitas patientium. Sed forſitan dicis, generale in his quæ diximus omnium hominum eſſe debitum, & in hoc vniuerſorum hominum genus indiſcrete obnoxium. Verum eſt: ſed nunquid aliqui ideo minus debent, ſi & alius idem debeat? aut ſi centum hominum cautiones de centenis ſeſtertiis ſcriptæ ſint, num idcirco alleuatur vnius debitum, ſi omnes ſint eiuſdem numeri debitores? *Vnuſquiſque enim*, inquit Apoſtolus, *ſuum onus portabit*, & vnuſquiſque pro ſe rationem reddet.

Gal. 6.

Nequaquam ergo vnius pondus pondere alleuatur alterius, nec abſoluitur reus ſocietate multorum: neque ideo minus eſt cuilibet terra damnatio, ſi multos videatur complices pœnæ habere damnatus.

C

Ita hoc quod ſupra dixi, licet generale ſit debitum, & ſpeciale tamen eſſe non dubium eſt: licet ſit commune omnium, eſt tamen peculiariter ſingulorum: ita ad omnes æqualiter peruenit, * vt tamen de ſumma vnicuique nil recedit.

* quod

Chriſtus enim ſicut pro omnibus paſſus eſt, ſic pro ſingulis: & cunctis ſe impendit pariter & ſingulis: & totum ſe dedit vniuerſis, & totum ſingulis. Ac per hoc quicquid paſſione ſua Saluator præſtitit, ſicut totum ei debent vniuerſi, ſic totum ſinguli: niſi quod propè hoc plus ſinguli, quàm vniuerſi, quod tantum acceperunt ſinguli, quantum vniuerſi. Vbi enim hoc vnus accipit quod vniuerſi, & ſi par eſt menſura, maior munificentia eſt. Quo fit vt licet ipſum accipiat plus debere videatur: quia magis fit vnus obnoxius, qui videtur omnibus comparatus. Hæc ergo hactenus, quia debitores Deo quidam ſanctorum eſſe ſe non putant, cum debitum æſtimare non poſſint. Sed dicit fortaſſe aliquis; non quidem debitores non eſſe ſanctos, ſed multorum maiora hominum ſæcularium eſſe debita, quorum * ſunt plura peccata.

* ſint.

Quod tale eſt, ac ſi quiſpiam dicat: Ideo ego ſum innocens, quia alius magis eſt nocens: ideo ego iuſtus, quia alter iniuſtus: ideo ego apprime bonus, quia alius ſingulariter malus. Iam primum enim indecorum hoc * ſanctimoniæ eſt, vt bona ſua creſcere malis arbitretur alienis, & meliorem ſe eſſe æſtimet comparatione peiorum.

* ſanctæ mentis eſt.

D

Infeliciſſimum enim conſolationis genus eſt, de miſeriis hominum peccatorum capere ſolatia; cum Apoſtolus *gaudere* nos *cum gaudentibus* iubeat, *& deflere cum flentibus*: & non quæ ſuæ ſunt ſingulos cogitare, ſed ea quæ aliorum.

Rom. 12.

Sed eſto iſtiuſmodi comparatio iuſta atq; honeſta videatur, nunquid etiam fida exiſtimari poteſt? Quis enim de illo tanto, ac tam terribili futuro Dei iudicio ſatis certus eſt? Aut quis dicere poteſt: Ego minus debeo, ille plus debet? Quis poſtremo de ſe præſumere, aut de alio deſperare? *Omnes enim*, inquit Apoſtolus, *ſtabimus ante tribunal Chriſti, & vnuſquiſque onus ſuum portabit.*

Incertum Dei iudicium.

2 Corint. 5 & Gal. 6

E

Nihil ergo, inquit aliquis, inter ſanctos & peccatores eſt? Multum planè, & penè immenſurabile? Sed quia ſcriptura dicit? *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus*? & nunquam eſt de ſalute propria mens ſecura ſapientis: licet multum inter ſanctos & peccatores ſit, quæro tamen ab omnibus religionem profeſſis, quis ſibi iuxta ſuam conſcientiam ſatis ſanctus ſit? Quis de illa futuri examinis tremenda ſeueritate non trepidus? quis de perpetua incolumitate ſecurus? Quod ſi vtique non eſt, ſicuti neque eſſe debet, dicat mihi obſecro quilibet hominum, cur non totis ſubſtantiæ ſuæ viribus id admittit, vt vel mortis deuotione redimat quicquid vitæ offenſione contraxit?

Pſal. 28

Prou. 28

Quanquam hæc quæ loquor ſcire omnes legentes volo, non me de omnibus ſanctis, ſed de his tantum loqui, qui licet religionem profeſſi ſint, tamen diuitias non relinquunt. De illis enim qui expediti aut omnibus, aut pene omnibus ſarcinis Saluatoris viam ſequuntur, & Dominum Ieſum Chriſtum non ſanctitate tantum, ſed etiam paupertate imitantur, nihil eſt quod dici poſſit, niſi illud tantum, quod etiam Propheta dixit: *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus.*

F

Pſal. 138.

Hos enim ego omnes non aliter quàm imitatores Chriſti honoro, non aliter quàm Chriſti imagines colo, non aliter quàm membra Chriſti ſuſpicio. Et ad hoc tantum illorum memini, vt eorum memoria dignus fiam, ſed iniurioſa forſitan illa, quæ ſupra diximus, religioſæ profeſſioni eſſe videantur.

Pauperes ſunt imagines Chriſti.

Quid enim, inquit aliquis, ſi vidua ſit diues, & viduitatem tamen in magna opum copia non relinquens? quid ſi virgo integritatem profeſſa, & impolluti corporis, ſanctitate deuota? quid ſi coniugium ſine opere coniugali, negans ſemetipſum ſibi, & habens ſe quaſi non habens? quid ſi monachos ab incunabulis Deo militans? quid ſi clericus ſacri miniſterij ſeruitutem fideli ſeruitute conſummans? nunquid etiam ij æternæ ſalutis fructu periclitantur, ſi aut viuentes opes integras habeant, aut morientes indigentibus non relinquant?

1 Cor. 7.

Parua eſt ad promulgandam de huiuſcemodi quæſtione ſententiam ſermo atque auctoritas mea. Videamus ergo quid de iis omnibus ſacrorum voluminum linguæ ac præceptorum cœleſtium voces ſonent, & tunc rectiſſime ſecundum datam à Deo normam opinionis noſtræ regulam dirigemus.

G

Ac primum non eſt quod confugiendum ſibi nunc quiſquam putet ad veterum exemplorum eſſe ſolatia: vt dicat aliquos fortaſſe ſanctos, aut in lege, aut ante legem diuites fuiſſe. Abiit quippe illud tempus, mutata ratio eſt. Ante legem enim liberum omnibus erat vel habendæ, vel etiam conſectandæ facultatis arbitrium: quia ſcilicet adhuc tunc virga interdictorum cœleſtium non caſtigabatur: *Vbi enim*, inquit Apoſtolus, *non eſt lex, nec præuaricatio.*

Rom. 4.

Lex ergo fecit aliquid non licere, ſecundum illud: *Nam concupiſcentiam*, inquit Apoſtolus, *neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces.*

Rom. 7.

Et ideo opes quas ante legem Deus non reprehenderat, homo libere poſſidebat. In lege quoque nihilominus prope idem iuris omnibus ſuppetebat: quia lex hominem, dummodo iuſte, habere quod vellet penitus non vetabat. Itaque tunc omnes omnino ſancti cunctis facultatibus ſuis iuxta præſcriptos legis terminos vtebantur, *ambulantes*, vt legimus, *in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Dei ſine querela.*

Luca 1.

Sicut vtique illi ipſi ambulauerunt, de quibus iſta memorantur, ſicut propheteſ Anna in ieiuniis atque orationibus viuens: ſicut Nathanael ille quem legimus, viri Iſraelitæ laude ſublimis, & ipſo Domino ac Deo teſte mirabilis: ſicut Tobias, magnanimitate deuotionis præcepta legis excedens, ſepulturis hominum mortuorum etiam cum mortis periculo ſeruiebat, & indigentibus vſque ad indigentiam ſuam conſulens, in tantum largitatis affectum venerat, vt mercenario ſuo partem bonorum omnium deputaret.

Ioan. 1.

H

Tob. 4.

Et hoc quo magis poſſit mirum eſſe, iam diues: & quo mirabilius, diues ex paupere; quia maiorem ſemper excitant habendi cupiditatem opes poſt indigentiam. Tales ergo tunc ſancti

Miſericors Tobias.

erant,

Digitized by Google

A erant, ſecundum legem libentes, ſecundum legem omnia relinquentes: ac ſic perfectus fuit omnis qui legi paruit, & tam deuotus, qui ſub lege tunc minus fecit, quàm nunc in Euangelio qui plus facit: tunc enim quaſi Euangelium lex fuit. Quo fit, quod qui ſe obtemperantem tunc legi præbuit, quaſi Euangelia compleuit. Non eſt ergo quod fugiendum ſibi nunc quiſquam ad legem putet: *vetera* etenim, vt ait Apoſtolus, *tranſierunt, facta ſunt omnia noua.* Plus tunc indulgentiæ erat, & plus licentiæ: tunc eſus carnium prædicabatur, nunc abſtinentia: tunc in omni vita ieiuniorum pauciſſimi dies, nunc quaſi vnum ieiunium vita omnis: tunc læſis vltio ſuppetebat, nunc patientia: tunc iraſcentibus lex miniſtra erat, nunc aduerſaria: accuſatori gladium porrigebat, nunc charitatem: tunc etiam carnali illecebræ lex indulgebat, nunc Euangelium nec aſpectui: tunc corporeæ voluptates habebant quandam licentiam, nunc iubentur etiam oculi cuſtodire cenſuram: tunc ad multas vxores recipiendas vnius mariti torum lex dilatabat, nunc etiam ad vnam excludendam caſti affectus deuotionem conſtringit. *Supereſt* enim, inquit Apoſtolus, *vt & qui habent vxores ita ſint, ac ſi non habeant, & qui flent tanquam non flentes, & qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui emunt tanquam non poſſidentes, & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur: præterit*

B *enim figura huius mundi.* Videte quàm breuiter miſſus à Deo doctor cuncta moderatus ſit, & intra vnam perfectionem vniuerſa concluſerit, non illicita ſolum intercidendo, ſed etiam licita coarctando: Circuncidens ſcilicet & vſum coniugiorum, & infidelitatem fletuum, & intemperantiam gaudiorum, & habendi libidinem, & emendi cupiditatem, & ipſam denique mundi huius breuem atque vmbratilem voluptatem. Et hæc omnia cur vtique, niſi, vt ipſe dixit, quia *præterit figura huius mundi.* Quàm longè ergo ſunt à mandato Dei, quos cum ipſos iuſſerit Deus viuentes opibus renunciare, illi eas cupiunt etiam in cognatis ſuis mortui poſſidere: aut quàm longè ab ea deuotione ſunt, vt exhæredent ipſos ſe propter Deū, qui exhæredare nolunt ſaltem extraneos propter ſe. Quibus libenter libere dicerem: Quæ inſania eſt, ô miſerrimi, vt hæredes alios quoſcunque faciatis, vos ipſos vero exhæredatis: vt alios relinquatis vel breui diuites, vos ipſos æterna mendicitate damnatis. Sed quærit fortaſſe aliquis, quid ſit iſtud quod nunc plus exigat Deus à Chriſtianis

C per Euangelium, quàm à Iudæis ante per legem? Aperta iſtius rei ratio eſt. Ideo enim maiora nunc Domino noſtro ſoluimus, quia maiora debemus. Iudæi quippe habebant quondam vmbram rerum, nos veritatem: Iudæi fuerunt ſerui, nos adoptiui: Iudæi acceperunt iugum, nos libertatem: Iudæi maledictū, nos gratiam: Iudæi litteram interficientem, nos ſpiritum viuificantem: Iudæis ſeruus magiſter miſſus eſt, nobis filius: Iudæi per mare tranſierunt ad eremum, nos per baptiſma introimus in regnum: Iudæi manna manducauerunt, nos Chriſtum: Iudæi carnes auium, nos corpus Dei: Iudæi pruinam cœli, nos Deum cœli: *qui cum*, vt Apoſtolus ait, *in forma Dei eſſet, humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autem crucis*: non contentus ſcilicet ſimplicem pro nobis ſubire mortem, niſi ipſam voluntariæ necis ſusceptionē ſummorum ſuppliciorum perpeſſione cumulaſſet. Pro hoc ergo ſolo quid ſoluere homo poterit, cui ſe per vltimam pœnarum acerbitatem Chriſtus impendit? Aut quid pro ſe dignum Domino repenſabit, qui ipſum Deo à quo redemptus eſt Deum debet? Hæc ergo cauſa eſt qua deuotiores eſſe nos Dominus ſibi velit: quia tam magno deuotionem noſtram pretio comparauit. Et ideo bea-

D tiſſimus Paulus: *Quis ergo*, inquit, *nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* Non Apoſtolus ſolā pecuniā, nec ſolas deberi à nobis diuitias Deo dicit, ſed tribulationem, anguſtiā, famem, gladium, paſſionem, effuſionem ſanguinis, animæ exhalationem, mortem denique omni pœnarum genere conditam. Vnde intelligant omnes religioſi, non ſatis ſe Deo reddere, etiam ſi vniuerſas dederint facultates: quia licet ſua cuncta diſpenſent, ipſos ſe tamen debent. Et ideo, ſicut ſupra

2. Cor. 5. Differt à legis & euangelii elegans.

1. Cor. 7.

Philip. 2.

Rom. 8.

E dicere cœperamus, ſi vidua eſt quæpiam, nequaquam ſibi ſufficere ad æternam ſalutem nomen viduitatis putet, ſed videat qualem eſſe in Apoſtolo viduam Deus iubeat, dicens: *Quæ verè vidua eſt, deſolata ſperat in Domino, inſtat orationibus nocte ac die: Nam quæ in delitiis agit, viuens mortua eſt*, vno eodemque præcepto duas Apoſtolus formas viduitatis expreſſit: vnam vitæ, alteram mortis, cum in delitiis mortem poſuit. Ergo abſque dubio diuitem eſſe non vult, quam delitioſam eſſe non patitur: quia omnis fructus diuitiarum in vſu eſt poſitus delitiarum? alioqui remoto vſu delitiarum, cauſæ opum non relinquuntur. Cum itaque Apoſtolus in delitiis viduæ mortem eſſe memorauerit, promptum eſt quod ad vitæ æternæ fructum vult vniuerſa diſtribui, qui non vult ad mortis vſum aliqua reſeruari. Et ideo dicit: *Quæ vere vidua eſt, deſolata ſperat in Domino*: docens ſcilicet parum eſſe, ſi non ſit vidua delitioſa, non diues, niſi fuerit Deo adhærens, niſi orationi dedita, niſi à cunctis mundi illecebris deſolata, & per hæc omnia vere vidua. Quod ſi ita eſt, quæcunque ſe vitæ cupit eſſe, non mortis, nequaquam ſufficere ſibi æſtimet, ſi delitias ſibi ob Deum & diuitias abnegauerit, niſi & oratione & labore id promeruerit, vt vere vidua Dei eſſe videatur: Quia non eſt dubium, quod quemadmodum

F quiſque in hoc ſæculo Chriſto adhæſerit, ita in Chriſti corpore permanebit, ſecundum illud: *Adhæſit anima mea poſt te, me* autem *ſuſcepit dextera tua.* Quo declaratur, quod eam tantum animam, quæ Deo adhæſerit in hoc ſæculo, dextera Dei ſuſcipiet in futuro. Hæc ergo viduitatis eſt regula. Nam de coniugibus continentiam profeſſis, & ſpiritu Dei plenis, dubitare quis debeat, quin ſua hæredibus mundanis ſeruire nolint, qui ſeipſos mundo eliminauerint? Quomodo enim ad ſe pertinentia aliis addicant, qui ipſos ſe ſibi denegant? tam noua enim virtute præditi, conceſſaſque, & quod maius eſt, expertas corporum voluptates admirabilis continentiæ auſteritate calcantes, quemadmodum aliquid rerum ſuarum non Deo voueant, qui ipſum intra ſe Deum eſſe fecerunt? vt meo quidem iudicio etiam de tali coniugio rectiſſimè dici poſſit: *Lætare ſterilis * quod non paris, erumpe & exclama quod non parturis: quia multi filij deſertæ, magis quàm eius quæ habet virum.* Et ſterile namque eſt quod non parit: & deſertum, quod

G ab omnibus ſe mundi illecebris ſeparauit: & ſine viro, quod ſine viri vſu ita virum habet, vt non habere videatur. Hos ergo coniuges tales quis dubitet, & dum viuunt, ſicut in ſe, ita etiam in ſuis ſubſtantiis Deo viuere, & cùm è vita exeunt, cum ſua ad Deum, cui vixerint, facultate migrare? Aliter enim quilibet horum, ſi res ſuas ſæculo deditis, atque ipſi ſæculo derelinquit, fruſtra ſibi nomen religionis inſcripſit: ei * videtur ſemper vixiſſe cui moritur. De coniugibus itaque iſta ſufficiunt. Tranſeamus ad ſacras virgines, quibus legem deuotionis Saluator ipſe præſcripſit, exemplo ſcilicet decem virginum, ex quibus fatuarum numerum puellarum ideo tantummodo dicit pœnis perennibus datum, quia ſit ei opus miſericordiæ defuturum: Quo dicto euidentiſſimè docuit, quanti * pretij iudicarit largam miſericordiam, ſine qua dixit nec integritatem quidem ipſam virgini profuturam. Sed blandiuntur ſibi fortaſſe quædam, & ſufficere ſibi æſtimant, ſi cum multa ac magna in facultatibus habeant, ſaltem exigua largiantur. Nec ego abnuo, vt ſi ita ratio eſt, ita eſſe credatur, Parum detur, ſi parum dediſſe ſufficit. Sed ego ſufficere parum neſcio, imò

H parum non ſufficere certe ſcio. Si aliter ipſæ ſciunt, apud ſeipſas ſciant: Ego vnum ſcio, quod Deus dicit extinctas fatuarum virginum lampadas, operum bonorum oleum non habentes. Sed tu, quæcunque es, habere te oleum abunde putas: & illæ profectò, de quibus dixi, ſtultæ virgines ſic putabant: nam ſi enim habere ſe non credidiſſent, prouidiſſent, vt haberent: Nam cum poſtea, vt ait Dominus, mutuari vellent, & omni ſtudio atque ambitione perquirerent, abſque dubio etiam ante quæſiſſent, niſi eas habendi

1. Tim.

Pſal. 62.

Coniugati continentes.

Eſa. 54.

* quæ.

* eique

Virgines Matth. 25.

Oleum bonorum operis deſunt fatuis virginibus.

A

bendi fiducia decepiſſet. Et tu itaque quæ cum virgo es vide ne ſic nō habeas, licet habere te credas: eiuſdē enim nominis cuius illæ, eiuſdem profeſſionis es: tu virgo es, & illæ virgines erant: tu præſumis te eſſe ſapientem, & illæ ſe eſſe fatuas non putabant, tu lumen habere lampadam tuam iudicas, & illæ profectò lumen præſumptione futuri luminis perdiderunt: nam & ideo ſcribuntur aptaſſe lampadas ſuas, quia illuminandas eſſe credebant. Et quid plura? etiam emicuiſſe in eis quiddam luminis puto: cum enim ipſæ, vt legimus, extinguendas forte lampadas ſuas reformidauerint, habebant profectò aliquid quod verebantur extingui: nec falſa opinio metuentium fuit: extinctæ ſi quidem & obcæcatæ ſunt, nihil enim profuit illi integritati, quod in ea lumen virginitatis apparuit, quod ſubſtantia olei non ſuppetente defecit. † ex quo intelligimus, id quod parū eſt quaſi nihil eſſe: quia non ſatis prodeſt illico extinguendum lumen accendi, nec iuuat aliquid illuceſcere, quod in ipſo ortu habeat occaſum, & ad hoc tantummodo habere initium viuentis, vt poſſit finem habere morientis. Plane itaque lucerna opus eſt, vt lumen poſſit eſſe diuturnum. Nam ſi in lichnis ipſis, quibus ad breue tempus vtuntur homines langueſcit lumen ac deficit, niſi oleum large fuerit infuſum: quanta tibi, quæcunq; illa es, quanta tibi olei abundantia opus eſt, vt lucerna tua luceat in æternum? Nemini itaq; ad vitā perennem ſat eſt, ſi putet ſe habere quod nō habet. Stultæ enim præſumptiones perditionis cauſæ ſunt, non ſalutis. *Nam quiſe*, inquit Apoſtolus, *exiſtimat eſſe aliquid cum nihil ſit*: *ſeipſum ſeducit*: niſi fortè tibi, quæcumque illa es, te uelatus à Deo modus ſit largitatis, & præſcriptos à Spiritu ſancto donandi terminos habeas, quos excedi piaculum putes: ac tranſgreſſionis quodammodo genus iudices, ſi religioſior fueris quàm à Deo eſſe iubearis. Si ita eſt, non prohibeo quin vtaris ſcientia à diuinitate conceſſa. Quod ſi tam falſum eſt quàm friuolum, quæ inſania eſt, vt non quanta potes, omnino facias per cautam & timidam prouiſionem, cum ignores penitus quid tibi competat ad ſalutem? Supereſt de miniſtris & ſacerdotibus quiddam & clericis dicere, licet ſuperfluè fortè aliqua dicantur: quicquid enim de aliis omnibus dictum eſt, magis abſq; dubio ad eos pertinet, qui exemplo eſſe omnibus debent, & quos vtique tanto anteſtare cæteris oportet deuotione, quanto anteſtant omnibus dignitate. Nihil eſt enim turpius, quàm excellentem eſſe quemlibet culmine, & deſpicabilem vilitate. Quid eſt enim aliud principatus ſine meritorum ſublimitate, niſi honoris titulus ſine homine? aut quid eſt dignitas in indigno, niſi ornamētum in luto? Et ideo cunctos qui ſacri altaris ſuggeſtu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu. Si enim viris in plebe poſitis, & mulierculis ipſo ſexu infirmioribus, talem ac tam perfectam Deus viuendi regulam dedit; quanto vtique eſſe illos perfectiores iubet, à quibus omnes docendi ſunt, vt poſſint eſſe perfecti; & vos tam magni eſſe exempli in omnibus Deus voluit, vt eos ad ſingularem viuendi normam, non nouæ tantum, ſed etiam antiquæ legis ſeueritates conſtringerent? Nam licet decretum vetus largam cunctis amplandarum opum dederit facultatem, omnes tamen Leuitas & ſacerdotes intra certum habendi limitem coartauit: quos ſcilicet neque ſegetem, neque vineam: neq; vllum omnino fundum habere permiſit. Ex quo intelligi poteſt, an ea nunc Deus noſter velit in Euangelio viuentes clericos ſuos mundanis poſt ſe heredibus derelinquere, quæ adhuc in lege poſitos ne ipſos quidem voluit poſſidere. Vnde eſt quod eis Saluator ipſe in Euangelio non vt cæteris voluntatium, ſed imperatiuum officium perfectionis indicit. Quid enim eum laico illi adoleſcenti dixiſſe legimus? *Si vis eſſe perfectus, vendeque habes, & da pauperibus.* Quid autem miniſtris ſuis? *Nolite*, inquit, *poſsidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Videte quanta ſit in vtroque hoc Dei ſermone diuerſitas. Laico dixit, ſi vis, vende quæ poſſides: Miniſtro autem, nolo poſſideas. Sed & hoc parum exiſtimauit, vt poſſeſſionem ei ſubſtantiæ

B

C

D

† Sufficit, ſed ante defecit.

Gal. 6.

Presbyteri debent cæteris deuotione præſtare.

Matth. 19.

Matth. 10. Apoſtolica perfectio.

E

amplioris auferret, niſi etiam peram ipſam actiuo iter longum Apoſtolo ſuſtuliſſet, & vnius eum tunicæ ſingularitate mulctaſſet. Et quid poſtea? Nec hoc ſatis eſt, nudis quoque inſuper ſeruos ſuos luſtrare pedibus orbem terrarum iubet, & calceamenta plantis gelu rigentibus tulit. Quid dici amplius poteſt? Pecuniam de Apoſtoli manu rapuit, & peragrantibus vniuerſum mundum miniſtris ſuis vſum vnius virgulæ non reliquit. Et poſt hæc parum eſt ſucceſſoribus eorum, id eſt, Leuitis ac ſacerdotibus tanta diuinarum rerum adminiſtratione fungentibus, ſi ipſi tantum diuites fuerint, niſi etiam heredes diuites derelinquant. Erubeſcamus, quæſo, hac infidelitate: ſufficiat nobis quod videmur vſque ad vitæ terminos Dominum ſpernere: cur id agimus, vt contemptum ipſius etiam poſt mortem extendamus? Diximus de perſonis atque officiis ſingulorum: & hæc omnia ideo, quia, vt ſupra diximus, quidam religionem profeſſi, aut non debere ſe ſicut cæteros mundiales ſubſtantiam ſuam Domino, aut certe minus debere arbitrarentur: cum vtique hoc magis debeant, quia *ſeruus qui ſcit voluntatem Domini ſui, & non facit, is vapulet multis: qui autem neſcit, vapulet paucis.* Religio autem ſcientia eſt Dei, ac per hoc omnis religioſus, hoc ipſo quod religionem ſequitur, Dei ſe voluntatem noſſe teſtatur. Profeſſio itaque religionis non aufert debitum, ſed auget: quia adſumptio religioſi nominis ſponſio eſt deuotionis; ac per hoc tanto plus quiſpiam debet opere, quanto plus promiſerit profeſſione, ſecundum illud: *Melius eſt non vouere, quàm poſt votum promiſſa non reddere.* Sed forſitan dicit aliquis: Si hæc ita ſunt, tutior ergo eſt irreligioſitas, quàm religio. Minime: religioſus enim per hoc eſt debitor, quod profitetur religioſum: irreligioſus autem per id quod neglexerit religionem: ac per hoc ambo habent pro diuerſitate conditionis debitum ſuum. Religioſus debet quicquid ſe profeſſus eſt agnouiſſe: irreligioſus vero etiam quod non dignatur agnoſcere, ſecundum illud quod ſpecialiter ſermo diuinus de eo dicit: *Noluit intelligere vt bene ageret.* Sed tamen qui oneraſſe religioſos hac re videmur, quia profeſſionem nominis ſponſionem eſſe diximus religionis, remoueamus hanc ſarcinam, putemus non ita eſſe quæ dixi: conſideremus denique non quid profeſſione, ſed quid ratione, non quid voto, ſed quid ſalubritate ipſa facere debeamus. Dicite mihi quæſo omnes religioſi, nunquid eſt vllus hominum, qui non omnia quæ fecit, vel ſalutis ſuæ vel certè vtilitatis gratia faciat? Nemo opinor: Omnes enim ad effectum atque appetitum vtilitatis ſuæ, naturæ ipſius magiſterio atque impulſione ducuntur. Ideoque & qui militant, id ſibi pulchrum: & qui negociantur, id ſibi vtile: & qui agricolantur, id ſibi fructuoſum eſſe exiſtimant. Et quid plura? fures quoque ipſi, & latrones, & venefici, & ſicarij & omne improbæ conuerſationis genus, id ſibi quod agit congruum putat: non quod vlli praua conueniant, ſed quod ille qui prauis vtitur, hoc ſibi credat congruum eſſe quod gnauum. Ergo & nos non alia, opinor, cauſa religionis philoſophiam adeptimus, quàm quod nobis id conueniens arbitrati ſumus: cogitantes ſcilicet & præſentium rerum breuitatem, & futurarum æternitatem, quàm paruum iſtud, quàm grande illud; cogitantes quoque futurum iudicem, & tremendi iudicij graues exitus, ardentem in medio populorum circunſtantium vallem perennium lachrymarum, quam non ſolum introiti atque tolerari inæſtimabile ac ſummum malum, ſed etiam videri ac timeri pars mali ſummi ſit, cogitantes quoque inter hæc horrenda & pœnaliſſima, alia hic præclara ac beatiſſima, nouos ſcilicet cœlos & nouam terram, vultum rerum omnium pulchriorem, æternum iuſtitiæ habitaculum, recens ædificium creaturarum, aureas ſuper cœlos ſanctorum omnium domos, aulas gemmis intermicantibus expolitas, & immortalium metallorum fulgore pretioſas: lucem illic ſeptuplum illuſtriorem, puniceo ſemper ſplendore radiantem, beatitudinem ineffabilibus bonis diuitem,

F

G

H

Dei contemtum etiam poſt mortem extendere

Luc. 12.

Eccleſ. 5.

Irreligioſitas non eſt tutior religione.

Pſal. 35.

Votum religionis.

Religionis philoſophia.

Iudicij extremi hypotipoſis.

Paradiſi hypotipoſis.

lætam

E

lætam cum incolis ſuis perennitatem, Patriarcharum conſortium, Prophetarum ſocietatem, Apoſtolorum germanitatem, Martyrum dignitatem, & in omnibus ſanctis Angelorum ſimilitudinem, opum cœleſtium copiam, deliciarum immortalium affluentiam, cummunem cum Deo vitam. Hæc itaque cogitantes, hæc contemplantes, ad cultum religionis ſacræ officiumque confugimus, eumque nobis ad obtinenda hæc bona ſuffragatorem quodammodo, & aduocatū efficaciſſimæ interceſſionis adſumpſimus, atque in eius protectionem ac patrocinium ambitioſa humilitate contulimus. Vnde cum hæc tanta & cogitauerimus pariter & petiuimus, videamus nunc & expendamus diligentiſſime, ſi eſt vel in actibus noſtris, vel in ſubſtantiis vnde hæc tanta à Deo emere poſſimus. Quod ſi non eſt, cur rogo, non vnuſquiſque noſtrum totum pro ſe offerat quod habet, quia non poteſt totum offerre quod debet? maxime cum Saluator ipſe ac Deus noſter, nihil tutius ac ſalubrius omni homini eſſe dixerit, quàm rem ſuam atque ſubſtantiam in vſu miſericordiæ collocare, idque præcipue & in vetere, & in noua lege mandauerit dicens, quod qui

B

diuidant propria ditiores fiant, & quod miſericordia à

Pſal. 111. morte liberet. Et alibi de ſancto viro: *Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in æternum.* In Euangelio quo-

Matth. 6. que: *Nolite,* inquit, *theſaurizare vobis theſauros in terra.* Et iterum: *Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.* Et iterum: *Væ vobis diuites, qui habetis conſolationes veſtras.* Aua-

Matth. 25. ris quoque, & inhumanitatis crimine reis: *Ite* inquit. *in ignem æternum, quem parauit pater meus diabolo & angelis ſuis.* Quorum quæ pœna ſemper futura ſit facile intelligitur, quibus ſors cum diabolo deputatur: per quæ tamen tormenta maxima, non atrociſſima illa in eis fornicationum, aut homicidiorum, aut ſacrilegiorum crimina puniuntur, ſed ſola tantummodo auaritia, & abdicatrix miſericordiæ inhumanitas. Vnde intelligere nos conuenit, quid paſſuri ſint, quos præter alia peccata etiam auaritia reos fecerit: cum ſummo ſupplicio adficiendi ſint

C

quos exceptes omnium peccatorum ſolum auaritiæ crimen morte damnarit. Quæ vtique ſi futura omnia credimus, abſque dubio euitare debemus. Si autem non

Non eſt Chriſtianus qui Chriſto non credit.

deuitamus, profecto non credimus: ſi autem non credimus, Chriſtiani nequaquam ſumus: neque enim poſſumus quenquam dicere Chriſtianum, qui non putat Chriſto eſſe credendum. Sed eſto illas quas ſupra diximus pœnas non timeamus rei, nunquid etiam præmium ſperare poſſumus non merentes? Et ideo ſi opes non damus ob peccatorum redemptionem, demus ſaltem, ad emendam beatitudinem: ſi non damus ne damnemur, debemus ſaltem vt muneremur: Quia etiam ſi præterita mala non ſint, quæ oporteat ſanctos redimere, ſunt tamen perennia bona, quæ magno debeant comparari: etiamſi pœna non ſit quæ timeatur, eſt tamen regnum quod ambiatur: ac per hoc etiamſi non habent ſancti quæ redimant, habent tamen quæ emant. Niſi forte aliquis damnum in emptione vereatur: videlicet ne plus cōmodet quàm recipiat, ne grandia fœneranti parua reddantur, ne largitionem redhibitio non repenſet, & data ſemel pretii magnitudine pecunia periclitetur emptoris: ac ſi magnum quid Domino commendarit in terra, non habeat Chriſtus forſitan, vnde ei ſoluat in cœlo.

D

Plane ſi illa dubitatio eſt, fieri nihil ſuadeo, quia nec proſunt omnino vlla dubitanti; caſſa quippe eſt operatio, ſi fides certa non fuerit: fruſtra fœnerat qui de receptione deſperat. Chriſtus enim, vt credimus, factorum omnium retributor eſt. Si ergo aut inopem eum qui retribuere non poſſit, aut infidelem putas eſſe qui nolit; quomodo ab eo retributionem ſperare poteris, quem & impoſſibilitatis & infidelitatis ipſe damnaueris? Quod ſi ita non eſt, nec ambigis facturum eſſe quæ dixit; quæ inſipientia, aut quis error eſt, vt non ei tantum des, quantum potes: cum vtique non dubites, multo te plus recepturum eſſe quàm dederis? Quæ denique miſeria, vt malis nihil ei eis recipere quæ relinquis, cum totum poſſis penitus poſſidere quod credis? Sed, miſerum me, puto, non creditur Deo: Et quod dico, puto, vtinam ambigue putarem, & non euidenter agnoſcerem. Laborarem forſitan intra me, vincerem opiniones meas, & cogerem ſenſum dubia non credere, vt meorem melioribus applicarem. Sed quid agimus? non dubiis rebus vincimur, ſed euidentibus coarctamur. Quis enim Domino mente credit, & facultate non credit? quis Deo animam ſuam mancipat, & pecuniam negat? qui promiſſis cœleſtibus fidem commodat & non agit vt eſſe poſſit particeps promiſſionum? Et ideo cum videamus homines hæc non agere, cogimur non credentes palam & euidenter agnoſcere. Non licet vt eos nos Deo fidem putemus adhibere, cum illi ſe rebus clament negare, in quo neceſſe eſt infidelitatem pene omnium hominum plangi atque

Homini creditur, Deo non creditur

lugeri. O miſeria, o peruerſitas! homini ab homine creditur, & non creditur Deo. Humanis promiſſionibus ſpes commodatur, Deo negatur. Omnia denique in rebus humanis ſpes futurorum agunt: vita quoque ipſa hæc temporaria non niſi ſpe alitur ac ſuſtinetur. Ideo enim

Spe alitur vita.

terris frumenta credimus, vt cum vſuris credita recipiamus: ideo in vineis labor maximus ponitur, quia homines ſpes vindemiæ conſolatur: ideo negotiatores theſau-

F

ros ſuos emptionibus vacuant, dum venditionibus ſperant eſſe cumulandos: ideo nauigantes vitam ventis ac tempeſtatibus credunt, vt ſpebus votiſque potiantur. Et quid plura? Pax quoque inter feras ac barbaras gentes ſpe innititur, & fide adſtipulante firmatur: latrones quoque ipſi & ſanguinarii fidem ſibi inuicem non negant, & quæ promiſerint mutuo ſeruaturos eſſe confidunt. Totum denique, vt dixi inter homines ſpebus agitur, ſolus Deus eſt de quo deſperatur: Cumque elementa ipſa & naturam mundi Dominus noſter fidelem fecerit, illi tantum prope ab omnibus non creditur, qui ſolus fecit vt rebus omnibus crederetur. Sed dici forte hoc loco poſſit, quod rebus ſuis vtantur homines, non eſſe infidelitatis interitum, ſed neceſſitatis, neque Deo non credere reli-

G

gioſos, ſed vitæ atque vſui neceſſaria reſeruare: multos etiam ſanctorum hominum à ſumma diſpenſandarum opum perfectione, aut ſexu nonnunquam, aut ætate, aut ipſa infirmitatis corpuſculi imbecillitas prohiberi. Eſto hoc ferri poſſit, ſed tamen etiamſi fertur, ita ferendum eſt, vt pro qualitate neceſſitatum atque cauſarum ſufficientia retineantur, immoderata reſecentur. *Habentes e-*

1. Tim. 6.

nim, inquit Apoſtolus, *victum & veſtitum, his contenti ſimus: nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem diaboli.* Ergo vt videmus, in rebus tantum neceſſariis eſt ſalus, in ſuperfluis laqueus: in mediocritate Dei gratia, in diuitiis diaboli catena. Denique quid ſtatim Apoſtolus

Catena diaboli diuitiæ.

ſubdit: *Quæ demergunt,* inquit, *hominem in interitum & perditionem.* Ergo ſi diuitiæ interitum in ſe habent, euitemus opulentiam, ne in interitum corruamus. Ampla ac locuples facultas perditionem inferre dicitur: refugienda eſt ampla poſſeſſio, ne conſequatur profunda perditio. Ac per hoc ſiue ſexus, ſiue ætas, ſiue infirmitas neceſſaria victui requirat, ſufficientibus debet eſſe contenta: vt quicquid temporarium excedit vſum, religioſum abſumat officium. Cæterum ſi tu, quicunque, aut quæcunque illa es ſanctæ profeſſionis, ſi tu aut conſeruandis opibus, aut cumulandis facultatibus inhies, ſuperflue de infirmitate cauſa-

H

ris. Nunquid enim infirmior ſexus ducere aliter vitam

Sancta profeſſio caſtitatis.

non poteſt, niſi animi ſui curas multa ingentis patrimonii adminiſtratione diſtenderit? Nunquid puella ſacra, aut vidua caſtitate deuota ſeruare illæſam ſanctæ profeſſionis perſeuerantiam non valet, niſi argenti & auri ponderibus incubarit: ac tantas intra conſcientiam opes poſſidere ſe nouerit, quantas vſus poſſidentium non exquirit? Aut quia huic & ſexui pariter & pudori quies vel maxime neceſſaria eſt, nunquid impoſſibile ſibi quæpiam forte æſtimat, inter pauca famulantium miniſteria inuiolatam quietem poſſe ſeruare, niſi aures eius familiæ ingentis ſtrepitus verberarit, & turbarum circumſonantium tumultuoſus clamor obtuderit? Quæ vtique ſanctæ animæ, & quietem veram deſiderantis, non pati tantum nimis magna inquietudo, ſed etiam videre quodammodo pars eſt inquietudinis,

quaſ-

A

quaſq; etiam ſi ſubdere aliquis diſciplinæ ac ſilentio velit: comprimere tamen earum inquietudinem cum ſua quiete non poſſit; adeo etiam ipſum commercium alienæ inquietudinis perturbatio eſt noſtræ quietis. Hæc autem quæ de hoc ſexu ſumimus, ad oẽs pertinent, omniq; pariter ætati, ſexui, infirmitatique conueniunt. Non eſt itaque quod competere quiſquam, aut non obeſſe diuitias religioni putet. Impedimenta hæc ſunt, non adiumenta: onera, non ſubſidia. Poſſeſſione enim & vſu opum non ſuffulcitur religio, ſed euertitur, ſecundum illud quod Dominus ipſe dicit: *Sollicitudo iſtius ſeculi, & fallacia diuitiarum ſuffocat Dei verbum, & ſine fructu efficitur.* Proprie vtique ac ſatis pulchre fallaces dixit eſſe diuitias: bona enim & putantur & appellantur, ac per hoc fallunt homines nomine præſentium bonorum, cum ſint cauſæ malorum æternorum. Sed licet hæc ita ſint, vt Deus ipſe prædixit, acquieſcamus tamẽ miſeriis quorundam atque languoribus, qui putant ſe ſine magnis omnino opibus vitam agere non poſſe. Eſto tu, quicunque aut quæcunque illa es ſancti nominis ac profeſſionis: eſto diuitias, eſto copias tuas vſque ad finem vitæ iſtius habeas, dummodo ſaltem in fine tibi conferas. Eſto rebus ac facultatibus tuis in vita hac vti velis, dummodo tui vel moriens non obliuiſcaris, & ad eius cultum atque honores referendam tibi ſubſtantiam tuam memineris, cuius te munere accepiſſe cognoſcis. Humanum eſt quod ab omnibus vobis, ô diuites mundi huius, petitur, ac delicioſum: ſi impetrari ab vnoquoque veſtrum non poteſt, vt eſſe in hoc ſæculo pauper velit, præſtet ſibi ſaltem ne in æternitate mendicet: qui præſentem inopiam tantum fugitis, cur in perpetuum non reformidatis? In breuibus meticuloſi, longa & interminabilia vitate. Quid tantopere in vita iſta paupertatem horretis? quid expaueſcitis? Minus multo eſt quod hic timetis. Si tenuitatem temporariam grauem ducitis, qualis, quæſo, erit illa quæ nunquã deſinet? Quaſi veſtri apud vos animi rem agimus, veſtrique voti. Si vſu veſtrarum rerum penitus carere non vultis, id agite ne aliquando careatis. Delicioſam à vobis rem, & voluptuariam poſcimus: qui ſine diuitiis omnino eſſe non acquieſcitis, id agite, vt diuites ſemper eſſe poſſitis, ſecundum illud: *Si ergo delectamini ſedibus & ſtemmatibus, reges populi, diligite ſapientiam, vt in perpetuum regnetis.* Alioqui qui error, aut quæ inſania eſt, quemquam hominem eſſe poſſe, qui in amplis opibus, quod ſolum ſufficit ad reatum, vſque ad diem vltimum vitę, ne in ſupremo quidem exitu large ac ſalubriter ſui memor ſit, nec in ipſa iam de ſuo ſibimet ægra extremitate ſuccurrat? Præſertim cum in diuitiis, per ſe Dominum accuſantibus, ſecundum illud Domini dictum: *Væ vobis diuites:* etiam alia ipſi diuiti peccatorum genera non deſint, quæ in ipſo diuitiarum ſinu atque matrice quaſi in naturali quodam fomite pullularint: vt non in vltimis ſuis id agat, id elaboret, id omni rerũ ſuarũ ambitu promereatur? ne reus exeat, ne reus vadat, ne cruciandũ poſtea corpus, cruciandam etiam ad præſens animam derelinquat? Quis ergo eſt aut tam infidelis, aut tam inſanus, qui hæc non cogitet? hæc non timeat is, qui de ſubſtantia ſua aliis magis quàm ſibi conſulat, & cuncta penitus ſpe vitæ huius, cunctis ſubſidiis deſtitutus, vnam tantummodo tabulam, cui inhærere adhuc quaſi in medio mari naufragus poſſit, amittat: nec amittat tantummodo, ſed abiiciat, atque à ſe penitus expellat: omnibus modis id elaborans, ne quid ſibi omnino reliquum eſſe faciat, quo periturus euadat? Quæ cum ita ſint, dicite mihi, quæſo, omnes Chriſtum amantes, ſi eſſe vlli omnino homines tam ſæui ac tam crudeles aduerſum inimicos ſuos poſſunt quam ſunt iſti aduerſum ſe? Nulli quippe ſunt tam feri, tam inhumani, qui non vel deſperatos iam atque morientes aduerſarios ſuos perſequi deſinant, iſti ſeipſos etiam in morte poſiti perſequuntur. An non eſt hoc perſecutio, aut eſſe alia maior poteſt, exhæredari hominem à ſeipſo, extorrem bonorum omnium fieri, & quaſi in exilium à ſeipſo agi; atque hoc non communi more aut vſitato, ſed nouo & crudeliſſimo? Omnes enim etſi corporibus ablegantur, animis non eliminantur, & ſic carne captiui ſunt, cordibus tamen ſi volunt liberi perſeuerant. Hoc autem vnde nunc loquimur, nouum exilij genus atq; tormentum eſt: ſcilicet in exilium anima ipſa mittitur, vbi * facultatibus ſuis ſpiritus abdicatur. O quanto leuiores ſunt extranei & carnales inimici! Illi enim corporum tantum hoſtes ſunt, vos ſpirituum: illi tantum artuum, vos & animarum. Leue eſt itaque in comparatione facinorum veſtrorum illorum odium: facile eſt enim quicquid in præſenti ſeculo nocet. Illud graue, illud pernicioſum eſt, quod in æternitate iugulabit. Et ideo Saluator ipſe: *Nolite*, inquit, *eos timere qui* poſſunt *corpus occidere, animam autem non poſſunt.* Facile eſt ergo odium quod corpus lædit, nõ lædit animam, quia læſo corpore, anima extra damnum eſt, & paſſionibus carnium, beatitudo ſpirituum non interpolatur. Illud itaque, illud inexpiabile malum eſt, illud æſtimari omnino non poteſt, quod totum omnino hominem ſine fine damnabit. Et ideo leniores vobis inimici veſtri ſunt, quàm vos ipſi. Omnis ſiquidem inimicitia morte diſſoluitur: vos contra vos ita agitis, vt inimicitias veſtras nec poſt mortem euadatis.

Religio euertitur opibus.

Matth. 13.

B

Sapien. 6.

C

Diuitiæ per ſe ſufficiunt ad reatum.

Luc. 6.

D

Diuites aduerſum ſe crudeles.

E

Animæ exilium.

* *al. ibi.*

Matth. 10.

F

Explicit liber ſecundus.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

DVOBVS ſuperioribus libris cum duabus filiorum tuorum partibus, id eſt, vna mundi amatrice, alia religionis imaginem præferente, ô domina mi Eccleſia Dei, quaſi ſeparatim locuti ſumus. In hoc autem, ſi Deus annuit, ad vtramque, prout cauſa ac ratio poſtulauerint, loqui cupimus: nunc diuiſim alterutram: nunc ambas pariter alloquentes. Supereſt vt ab vtraque earum agnoſcente in lectionis ſerie partes ſuas, quicquid pro affectu Dei à nobis dicitur, cum affectu Dei recipiatur. Igitur quia in cunctis quæ iam locuti ſumus, ſpeciale Chriſtianorum omnium bonum, miſericordiam ac largitatem eſſe memorauimus, præcipuaque in eis & merita ſanctorum, & peccatorum remedia contineri, idoneis, vt reor, ac multis teſtibus approbauimus: non opinor à quoquam plura expectari: maxime cum ſi quis cupidus eſt plurium, ipſos audire debeat libros Dei, qui tam multis ac magnis teſtibus pleni ſunt, vt vniuerſarum cœleſtium litterarum pœne vnum ſit teſtimonium. Supereſt aduerſum eas reſponſionum infidelium cauſas, quæ à quibuſdam mortiferæ excuſationis gratia opponi ſolent, quippiam dicere. Loquens Saluator in Euangelio propterea commodari hominibus opes à Domino ac pecuniam dicit, vt cum vſuris multiplicibus commodata reddantur, dicens auariſſimo debitori: *Serue male ac piger, ſciebas quod ego meto vbi non ſemino, & congrego vbi non ſparſi; oportuit ergo te pecuniam meam dare numulariis, & ego veniens cum vſuris recepiſſem quod meum eſt: tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.* Ac paulo poſt: *Et ſeruum*, inquit, *nequam proiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Quod tamen & ſi etiam ad aliud quiddã referri poteſt, tamẽ loco quoq; & cauſæ huic nõ inſalubriter coaptatur. Cũ enim numularij Saluatoris pauperes & egeni recte intelligantur, quia pecunia quæ talibus diſpenſatur, augetur; cũ vſuris abſq; dubio Deo redditur quicquid egentibus erogatur. Vnde & alibi apertius ipſe Dominus diſtribuere diuites opes mundi, *& facere ſibi ſacculos qui non veteraſcant* iubet. Sed & in Vaſe electionis ſuæ idcirco locupletib. diuitias à Domino dari indicat, vt bono opere diteſcant. Et ideo etiam ego minimus & indigniſſimus famulorũ Dei primum ac ſaluberrimum religionis officium eſſe duco, vt Chriſtianus diues, dum in hac vita eſt, diuitias mundi huius pro Dei nomine atq; honore conſumat. Secundũ autẽ, vt ſi id vel

G

Miſericordia eſt ſpeciale bonũ Chriſtianorum.

Matt. 25.

H

Pauperes ſunt numulatii Dei.

Luc. 12.

metu

A

metu, vel infirmitate, vel neceſſitate aliqua præpeditus forte non fecerit, ſaltem moriens vniuerſa diſpenſet. Sed dicit fortaſſe: Filios habeo. Iam de hoc quidem principalis libelli pagina, & conuenientia, vt arbitror, & non pauca memorauit, ſatiſque ad hanc rem Domini ſermo ſufficit dicens: *Qui amat filium aut filiam ſuper me, nõ eſt me dignus.*

Matt. 10.

Sed & propheticum illud quod ait, neque patres pro filijs, neq; filios pro parentibus iudicandos, ſed vnumquemque hominum aut ſua iuſtificatione ſaluandum, aut ſua iniquitate periturum.

Ezech. 18.

Ac per hoc quaslibet diuitias homo filijs ſuis congerat, nequaquam hoc ei proderit in iudicio, quod diuitem reliquit hæredem.

Nihil proderit in iudicio diuitem hæredem reliquiſſe.

Sed eſto ignoſci parentibus poſſit, ſi ex parte aliqua hæreditarias facultates filijs derelinquant, ſi tamen idipſum bonis, ſi tamen ſanctis, eſto quoq; ignoſci poſſit, ſi etiam malis quiddam atque vitioſis. Habere aliquam excuſationis ſpeciem videntur, dicentes: Pietas vicit, vis ſanguinis compulit, natura ipſa quaſi amoris manu in ius ſuum traxit: ſciuimus quid iuſtitia Dei poſceret, quid ſacra veritas poſtularet,

B

ſed ſubacti, fatemur, ſumus iugo incarnatæ neceſſitudinis, & dedimus captiuas manus vinculis charitatis, ceſſit ſanguini fides, & vicerũt deuotionem religionis iura pietatis. Dici aliquid poteſt, tametſi ſalubriter dici non poteſt: eſt vmbra excuſatiunculæ non excuſans, dans reo deprecatiunculæ ſpeciem, non reatus ſecuritatem. Nequaquam enim id vlli ſpondeo, quod poſſit cuiuslibet rei firmum habere ſubſidium, qui aliquid plus amauerit, quàm Deum ſecundum illud quod ſcriptum eſt: *in hoc futurum eſſe iudicium, quod venerit lux in hunc mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*: nemini enim dubium eſt, totum id tenebras futurum homini quicquid diuinæ prætulerit charitati.

Ioan. 3.

Hæc ergo ita ſunt. Sed eſto, vt dixi, indulgeri parentibus poſſit naturæ inſalubriter indulgẽtibus: quid quod nonnulli filios non habentes, à reſpectu tamen ſalutis ſuæ, & remedio peccatorum penitus auertunt; ac licet ſemine ſanguinis ſui careant, quærunt tamen quoſcunque alios, quibus ſubſtantiam propriæ facultatis addicãt, id eſt, quibus vmbratile aliquod propinquitatis nomen inſcribãt, quos ſibi quaſi adoptiuos imaginarij parentes filios faciant;

Contra teſtamentarias adoptiones.

C

& in locum eorum quæ non ſunt pignorum perfidia generante ſuccedant, ac ſi miſerrimi quique & impijſſimi cum vinculis filiorum nõ conſtringantur, ipſi tamen ſibi vincula parant, quibus infelicia animarum ſuarum colla conſtringantur, cùm vis domeſticarum neceſſitudinum nulla ſit, foris diſcrimen arceſſant: & licet cauſſæ deſint periculorum, ruunt tamen quaſi in interitum voluntarium. Quorum errores infeliciſſimi quo affectu animi accipiendi ſint ac ferendi, propemodum incertum apud quoſdam videri poteſt, iraſcendum ne ijs an dolendum ſit. Error enim dolore dignus eſt, impietas execratione. Ad fletum trahimur infelicitate, ad iracundiam infidelitate. In vna re eſt quo pro hominum inſipientia lugeamus, in alia quo pro Dei amore moueamur. Vllum omnino hominum inueniri aut eſſe poſſe, qui decurſo infelicis vitæ iſtius breui ſpatio, in ipſa extremitate iam pendens, iturus illico ad tribunal Dei, quicquam aliud cogitet præter finem ſuum, quicquam aliud præter exitum ſuum, quicquam aliud præter periculum ſuum: & neglecta ſpe ſua atque anima, cui opitulari aliquatenus vel in vltimis ſuis, omni ſtudio, omni niſu, omni re ac ſubſtantia ſua debeat: hoc ſolum cogitet, hoc ſolum animo ſuo voluat, quàm laute hæres ſuus res ſuas comedat.

D

Miſerrime omniũ, quid ſollicitus es, quid æſtuas, quid auctorem te ipſe rerum periturarum facis? an times, forte, ne deſint qui te mortuo quod dereliqueris vorent? Nolo metuas, nolo verearis: Vtinam tam facile tu ſaluus eſſes, quàm tua omnia deperibũt! O infidelitas, ô peruerſitas! Etiam vulgo dictum eſt, omnes ſibi melius velle quàm alteri.

Terentianum eſt in Andria.

Nouum hoc monſtri genus eſt, cuilibet quemquam velle conſulere, tantum ne tibi. Ecce iturus es infeliciſſime omnium ad examen ſacrum, ad tremendũ illud intolerandumq; iudicium, vbi peregrinanti animæ atque anxiæ nullum poteſt omnino eſſe ſolatium, niſi ſola tantummodo bona conſcientia, niſi ſola tantum innocens vita, aut, quod proximum eſt bonæ vitæ, miſericordia. Vbi reo homini nullum eſt adiutorium, niſi ſola mẽs larga, niſi pœnitentia fructuoſa, & eleemoſynæ copioſæ, quaſi manus validæ.

E

Vnum eſt animę in iudicãdę ſolatium bona conſcientia

Vbi denique pro diuerſitate meritorum aut ſummum bonum inuenies, aut ſummum malũ: aut immortale prœmium, aut ſine fine tormentum. Et vt de locupletandis quibuſcunque hæredibus tuis cogitas, de opibus agnatorum tuorum cognatorumque ſuſpiras, quem potiſſimum ditiorem patrimonio tuo facias, cui ſuppellectilis variæ ornamenta tranſcribas, cuius apothecas copijs tuis repleas, cui maiorem ſeruorum numerum derelinquas. Infeliciſſime omnium, cogitas quàm bene alij poſt te viuant, non cogitas quàm male ipſe moriaris. Dic mihi, quæſo, ô miſer, ô infidelis, cum multis patrimonium tuum diuidas, cùm multos facultatibus tuis dites, nunquid de ſolo te es tam male meritus, vt tibi nec inter extraneos locum facias hæredis? Ecce expectat te iã egreſſurum de vita iſta officium tribunalis ſacri, expectant tortores angeli, & immortalium tormẽtorum terribiles miniſtri: & tu futuras poſt te hæredum mundialium voluptates animo voluitas: tu delitias aliorum mente pertractas? quàm bene ſcil. poſt te hæres tuus de tuo prandeat,

F

quibus copijs ventrem expleat, quomodo vſque ad nauſeam redundantem viſcera exſaturata diſtendat? Infeliciſſime omnium, quid tibi eſt cum ijs nænijs, quid tibi cum ijs deliramentis? Quid cum ſtultitia huius erroris? Quid cum perditione iſtius vanitatis? Nunquid ſuccurrere hoc tibi inter ſupplicia ſumma poterit, ſi is qui res tuas prodige comedit lautus & pranſus bene eructarit? Aut etiam vt tibi, qui deuoranda tua omnia tradidiſti redundanti cruditate plus præſtet ſi bene vomuerit? Sed de ijs vnde nunc loquimur, ſi res ac ratio poſtulauerint, etiam poſt hæc aliqua ſubdemus. Interim hoc ſpecialiter dico, & peculiari admonitione commoneo, ne vllum omnino aliquis, quamuis chariſſimum pignus animæ ſuæ præferat; neque enim iniquum eſt, vt quilibet Chriſtianorum etiam legitimis hæredibus in hoc ſeculo conſulat, dummodo ſibimet in æternitate ſuccurrat multis modis: quia & facilius eſt hic deeſſe filijs quippiam, quàm parentibus in futuro: & multo eſt leuior præſens tenuitas, quàm æterna paupertas: maximè quia cum illic non paupertas tantum,

Hæredib⁹ relinquere patrimoniũ nõ eſt contra Chriſtiani officiũ.

G

ſed etiam mors ac pœna timeantur, facilius eſt vtique hic hæredibus deeſſe quiddam de patrimonio, quàm illic teſtatoribus de ſalute: idque & ipſi quibus hæreditas derelinquitur, ſi modo pietatis aliquid in ſe habent, ſpecialiter velle debeant, ne illi pereant qui relinquunt. Quod vtique ſi nolunt, multo minus digni ſunt quibus aliquid relinquatur: quia non iniuſtè teſtator ſapiens nõ relinquit, quod hæres impius non meretur. Itaque optimum eſt, vt vnuſquiſq; ſibi conſulat, & animæ ac ſaluti ſuæ omnia derelinquat, ſint quamuis interdum non filij tantum, quibus videtur naturaliter plus deberi, ſed etiam pignora alia eius vel meriti vel conditionis, vt eis ad impartiẽdum quiddam ac largiendum iuſtitia ipſa ac Dei cultus patrocinetur: & quibus non ſolum pie aliquid relinquatur, ſed etiam irreligioſè non relinquatur. Scilicet ſi aut parentes ſint calamitoſi, aut germani Deo fideles, aut ſanctæ coniuges, aut vt longius denique munus pietatis extendam, ſi aut propinqui inopes, aut affines egeſtuoſi, aut deniq; cuiuslibet neceſſitudinis indigentes, vel certè, quod ſuper omnia eſt, Deo dedit: hoc enim eſt præcipuum ac ſupereminens, ſi idipſum quod agit aliquis pietatis officio, religionis faciat affectu.

H

Inſtituẽdorum hæredum ratio.

Beatus enim ille, qui ſuos ipſe diuini amoris ſpiritu amat, cuius charitas Chriſti cultus eſt: qui in naturæ vinculo Deum cogitat naturarum patrem, & amoris munera in ſacrificia conuertens, tantum ſibi immortalis lucri, & beatorum fructuum parat, vt dum id quod pignoribus ſuis præſtans Domino ſuo fœnerat, hoc ipſo quod ſuis libertatem tribuit temporariam, ſibi mercedem pariat ſempiternam. At verò nunc diuerſiſſime & impijſſimè nullis omnino à ſuis minus relinquitur, quàm quibus ob Dei reuerentiam plus debetur: nullos pietas minus reſpicit, quàm quos præcipuè religio commendat. Denique ſi qui à parentibus filij offeruntur Deo, omnibus filijs poſtponuntur oblati; indigni iudicantur hæreditate, qui digni fuerint conſecratione: ac per hoc

A

vos tantum re parentibus viles fiunt, quia cœperint Deo eſſe pretioſi. Ex quo intelligi poteſt, quod nullus pœne apud homines vilior eſt, quàm Deus: cuius vtique ſit deſpectione, vt eos præcipue parentes filios ſpernant, qui ad Deum cœperint pertinere. Sed præclaram videlicet, qui hęc faciunt rationem conſilij ſui reddunt, dicentes: Quid opus eſt, vt filijs iam religioſis æqua hæreditatis portio relinquatur? Nihil ergo iuſtius, nihil dignius, quàm vt quia cœperunt religioſi eſſe mendicent: non quidē quod eos hæc res mendicitate oppreſſura ſit, quod à terrenis facultatibus abdicantur, cœlum ſpe poſſidentes, cito etiã repoſſeſſuros, regente illos Deo ſuo ac protegēte, qui eos cum immortali ſpe æternorum etiam ſufficientia temporalium muneratur. Sed tamen quantum ad tuhumanitatem parentum pertinet, egent, à quibus ſic relicti ſunt, vt egerent. Certè etiam ſi qui non penitus domo eliminantur, & quibus non omnino extorribus, quaſi aqua & igni interdicitur, cùm aut tenues, aut certè vſuſ. uctuarij relinquuntur, tamen tanto inferiores fratribus relinquuntur, vt etiam ſi paupertate non egeant, comparatione tamen egere videantur. Dicens quid opus ſit religioſis † æquam accipere cum fratribus patrimonij portionem. Reſpondeo, vt religionis fungantur officio, vt religioſorum rebus religio ditetur, vt donent, vt largiantur, vt illis habentibus cuncti habeant non habentes: immo ſi tanta eſt eorum fides atque perfectio, vt habeant ea non habituri: beatius vtique, poſtquam habuerint non habentes. Cur eis quæſo, ô inhumaniſſimi parentes, neceſſitatem indignißimæ paupertatis imponitis? permittite hoc religioni ipſi, cui filios tradidiſtis: rectius pauperes à ſe fiunt. Si tantum eos inopes eſſe cupitis, concedite id ipſorum deuotioni, liceat eis quæſumus, vt velint pauperes fieri: eligere inopiam debent, non ſuſtinere. Poſtremo etiam ſi ſuſtineant, deuotione eam tolerent non damnatione patiantur. Cur eos velut à natura expellitis, & quaſi è iure ſanguinis abdicatis: Et ego eſſe eos pauperes volo, ſed vt habeat iam en præmium ſuum ipſa paupertas: ac præclara denuntiatione eligant inopiam ex copia, vt ex inopiæ electione copiam conſequantur. Quanquam quid ego vos per ipſum ſanctiſſimę rationis officium trahere ad humanitatem pietatemque contendo, cùm id maximè obſiſtat, & hæc res parentes impios faciat, quæ magis pios facere deberet? Nam cum vos ideo plus relinquere ex patrimonio veſtro religioſis filijs deberetis, vt aliquid ad Deum ex facultatibus veſtris ſaltem per filios perueniret; ideo filijs non relinquitis, ne illi habeant Deo quod relinquant, præclara videlicet ratione atque cautela contenti: eatis vos filios non agnoſcere, ne illi ſe filios Dei eſſe cognoſcant, magnificam repenſantes beneficijs ſacris viciſſitudinem, dum id ſtudioſiſſimè procuratis, ne vel per veſtros aliquid * honoris Deus habere poſſit, cùm omnia vos per Deum munus habeatis. Cur ergo, tam infideliter, cur tam impie? non exigimus vt veſtra Domino largiantur: inquid Deo de ſuo reddite; cur tam auare, cur tam impie agitis? non eſt veſtrum quod denegatis. Iniquum ergo arbitramini, vt ſecularibus filijs religioſos filios ſubſtantia pares eſſe facietis? Id ergo agitis, vt pœniteat apud eos ceptæ religionis, quos religio apud vos fecerit viles. Pius itaque ac bonus eſt Dominus, qui ſeruet in eis propoſitum ac profeſſionem ſuam: cæterum quantum in vobis eſt, id agitis vt ſeculi eos cultores eſſe faciatis, quibus ſeculares filios antefertis. Quid eſt enim aliud quam religionem interdicere, ob religionem deſpectui habere? Sed iniuſti fortaſſe videamur, cunctos parentes in hoc negotio ęqualiter accuſando, cum ſcil. non omnes pari agant iniquitate cum filijs. Sunt enim, inquit, aliqui, ſunt ex parentibus multi; qui æquales filijs ſuis faciant portiones: niſi quod vna tantū eos conditione diſcernūt, quod in ijs ipſis partibus, quæ religioſis videtur adſcribi, vſum iubent ad eos, proprietatem ad alios pertinere. At vero hoc multo eſt peius & infidelius, tolerabilioris quippe impietatis eſſe videtur, cū proprietate aliquē filijs ſuis minus relinquere, quàm proprietatem ijs rerū penitus auferre. Poteſt. n. aliquatenus ferri iſta conditio, ſi aut amicis, aut affinibus, aut propinquis hac lege aliquid relinquatur. Filijs vero qui proprietatem rerum non tribuit, nil relinquit. Sed inuenit iniquiſſima infidelitas parentū, quomodo à patrimonio ſuo Deum penitus excluderet, proprietatem rerum religioſis filijs auferendo. Vſum enim ijs dedit, vt eſſet quo ipſi viuerent: proprietatem ijs tulit, vt quod Deo relinquerent non haberent: O nouum irreligioſæ mentis ingenium! inuenit quo videretur filijs ſuis maiore erga Deum ſua impietate cōſulere. Fecit enim vt ſancta ſoboles vſum rerum habens, ius rerum non habens, quaſi locuples quidem viueret, ſed quaſi mendica moreretur: ac ſi teſtator infideliſſimus plena de hoc mundo poſſit ſecuritate diſcedere, cùm ſciret de ſuo ad Deum penitus peruenire nil poſſe. Quamuis in hoc ipſo, quod ſupra dixi, per vſum rerum aliquam filios religioſos opū imaginem poſſidere, nec hoc ſit quidem: quia etſi vſus videtur aliquid habere, conſcientia tamen non habet; nemo enim poteſt ſe vel breui diuitem credere, qui ſcit ſe proprium nil habere. Quid agis miſerrima infidelitas, & paganicæ, vt ita dixerim, irreligioſitatis error: hanc tantum odiſti Deum, vt poſſis etiam filios tuos ob hoc tantum quia ad Deum pertinent non amare? Meliore enim conditione quidam relinquunt libertos ſuos: quàm tu relinquis filios tuos. In vſu ſiquidem quotidiano eſt, vt ſerui, etſi non optimę, certe non improbæ ſeruitutis, Romana à dominis libertate donentur: in qua ſcilic. & proprietatem peculij capiunt, & ius teſtamentarium conſequuntur, ita vt & viuentes cui volunt res ſuas tradant, & morientes donatione tranſcribant. Nec ſolum hoc, ſed & illa quæ in ſeruitute poſiti conquiſierant, ex dominorum domo tollere non vetantur. Tantum eis interdum * gratiæ patroni liberalitas impertit, vt etiam iuri ſuo detrahat, quod libertorum dominio largiatur. Quanto, ô quiſquis ille es tu fideliſſime pater, quàto Domini illi meliuscum libertis agunt, quàm tu cum liberis? Illi quæ donant perpetuo iure donant, tu temporario: illi teſtamenti faciendi arbitrium dant liberis, tu tollis liberis. illi poſtremos ſeruos ſuos dant libertati, tu quaſi addicis filios ſeruituti: Nam quid eſt aliud quam ſeruituti addicere, quos non vis aliquid quaſi ingenuos poſſidere? More ergo illorum veteris, qui ſeruos ſuos non bene de ſe meritos, quia ciuitate Romana indignos iudicant, iugo Latinæ libertatis addicunt: quos ſcilicet iubent quidem ſub liberturum titulo agere viuentes, ſed nolunt quicquam habere morientes; negato enim ijs vltimæ voluntatis arbitrio, etiam quæ ſuperſtites habent, morientes donare non poſſunt. Ita ergo & tu religioſos filios tuos quaſi Latinos iubes eſſe libertos; vt viuant ſcil. quaſi ingenui, & moriantur vt ſerui & iuri fratrum ſuorum quaſi per vinculum Latinę libertatis adſtricti, etiamſi videntur arbitrij ſui eſſe dum viuunt, quaſi ſub illorum tamen poſiti poteſtate moriātur. Quid tantum, quæſo, ſceleris in titulo eſſe religionis putas, vt ideo eos qui religioſi ſunt filios tuos eſſe non credas, qui filij Dei eſſe cœperunt? In quo tibi bonæ voluntatis quaſi piaculo rei facti ſunt, vt idcirco eos putes habendos eſſe peiores, quia optant eſſe meliores. Sed dicitis non eo à vobis animo hoc agi. Quod vnum eſt ac ſi quiſpiam dicat, malas res bono animo à ſe fieri, & impietatis facinus pia mente committi. Quid prodeſt, ô inhumaniſſimi parentes, quod filios religioſos bonos à vobis dehonorari animo adſeueratis? Res ipſa hoc reſpuit, res fefellit. Parum eſt quod nudis aſſertionibus dicitis, ipſi actibus veſtris contra vos teſtes eſtis. Indignum ergo arbitramini, vt ſancta ac placita Deo pignora filijs mundo ſeruientibus comparentur? Verum eſt, & bene arbitramini, ſi tamen arbitrio iſto iuſte, & in diuerſum vteremini, id eſt, vt comparandos bonis filijs malos, & peccatores ſanctis non putaretis: & qui apud Deum vita ac meritis antecellerent ijdē apud vos gratia atq; honore ſuperarent. Quid enim rectius, quid magis iuſtum, quàm vt qui meliores ſunt, ijdem etiam honoratiores eſſent? & qui vincunt iudicio, ijdem vincerent præmio: & qui atteſtant in Euangelio ſacro, ijdem quoq; in teſtamento humano anteſtarent: & hac ſaltem re concordaret cum voluntate Chriſti parentum pietas ac voluntas, vt quos Deus præpoſuiſſet electione, eoſdē etiam parentes anteponerent dignitate.

Sed

Religioſi filii nō ex hæredãdi.

Abſunt à vet

B

† Iuſta patrimonii portione.

Æquæ religioſorū cū fratrib. portio.

C

Suſcepta ſponte paupertas Chriſtianos decet

*Honor Dei.

Diuitiæ non ſunt noſtræ.

D

E

Nō eſt diues qui nihil habet proprium.

F

*gratia patrona liberalitatis.

G

Latinæ libertatis iugum.

Malares bono animo non fit.

H

Digitized by Google

A Sed non ſolùm hoc non agitur, ſed in diuerſum omnia aguntur, præponuntur enim puris commaculati, præponuntur fidelibus impij, præponuntur lumini tenebræ, præponitur terra cœlo, præponitur mundus Deo: & euaſuros ſe huiuſmodi parentes, vel in hoc ſolo iudicium Dei æſtimant, qui cultum Dei & dignitatem iudicij ſui indignitate conculcant. Excuſatio parentū. Sed videlicet non contemptu Dei dicunt parentes hæc à ſe fieri, ſed cauſa atq; ratione: quibus enim, inquiunt, relictam ſubſtantiam relicturi ſunt filios non habentes? Dicam quibus, nec nominabo eos, quos ſupra dixi pauperes Dei, non alienos aut longe poſitos, ne durum aut inhumanum forte videantur: Cælibes ſacerdotes. illos dico caros & indiuiduos, & quos rectè etiam vos, qui multas ſoboles habetis, filijs antefertis: ipſos ſe, inquam, homines, ô infideliſſimi parentes, *al. ſeipſos *ipſos ſe, inquam, dicimus. Nunquid poteſt cuilibet quicquam ſeipſo proprius, nunquid carius inueniri? Suam vnicuique veſtrum animam, ſuam ſalutem, ſuam ſpem commendamus. Et pios vos eſſe dicitis, quia filios diligitis? B Nihil plane durius vobis, nihil inhumanius, nihil tam ferum, nihil tam impium dici poteſt, à quibus impetrari omnino non poteſt, vt vos ipſos ametis. Iob 2. *Pellem*, inquit diabolus in ſcripturis ſacris, *pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua*, dilectiſſimam eſſe animam ſuam homini etiam diabolus non negauit: & qui auertere omnino cunctos ab effectu animarum ſuarum, idem tamen chariſſimas eſſe debere cunctis ſuas animas confitetur. Quis furor eſt, viles à vobis animas veſtras haberi, quas etiam diabolus putat eſſe pretioſas? Quis furor eſt viles à vobis haberi, quas etiam ille caras vobis debere eſſe dicit, qui viles facere conatur? ac per hoc quicunque animas ſuas negligunt, etiam infra iudicium diaboli ſe amant. Quæ cum ita ſint videte vos, qui putatis religioſos homines non habere quibus relinquant ſubſtantiam ſuam: videte vel iuxta diaboli opinionem, videte ſi non habent, qui ſeipſos habent. Sufficere quidem ad hanc negocij portionem, de qua nunc agitur, hæc quæ iam diximus ſatis arbitror, id eſt, quod præponere vitam, ſpem, ſalutemq; veſtram cunctis omnino rebus atque affectibus debeatis. C Sed oſtendi id vobis forſitan non ſolis virtutibus rerum, ſed etiam auctoritatibus exemplorum deſideratis. Poſſim quidem dicere, maiora exemplis omnibus Dei eſſe mandata clamantia quotidie in omni mundo: Matth. 6. Luc. 9. Gala. 6. *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra; theſaurizate autem vobis theſauros in cælo.* Et alibi: *Quæcunque homo ſeminauerit, hæc & metet.* Quæ vtique tam ad mundi homines, quàm ad Dei: tam ad eos qui filios habent, quam ad eos qui non habent æque pertinent, quia cum vitam æternam cuncti deſiderent poſſidere, non eſt dubium, quod vbi par vniuerſorum votum eſt ad habendum, parem eſſe curam omnibus ad promerendum: nec intereſſe ad augendam diuinorum verborum auctoritatem, impleant ea homines, an non impleant. Quia virtutem eorum ex Domini certum eſt conſtare perſona, non ex ſeruorum obedientia: nec addi eis, nec decedere aliquid per vos poteſt; quorum honor per auctorem Deum ſemper æqualis eſt. Sed tamen ſi adiuuari ſe etiam exemplis hominum humana optat infirmitas, ſcilicet quo facilius etiam ipſa nunc faciat, D quæ alios feciſſe ante cognoſcat, oſtendimus primo libro hæc, quæ etiam nunc ab aliquantis Chriſti imitatoribus fiunt, non mediocriter, ſed abundanter: nec à pauciſſimis, ſed à populis: nec ab antiquiſſimis, ſed pœnè à recentiſſimis nuper eſſe completa. Quid enim noui, & adhuc prope in oculis conſtituti Apoſtolorū actus loquuntur? Act. 4. *Omnes*, inquam, *qui credebant, habebant in vnum omnia communia.* Et iterum: *Gratia quoque magna erat in illis omnibus: nec enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores prædiorum ac domorum erant, vendentes adferebant pretia venditorum, & ponebant ante pedes Apoſtolorum.* Alibi quoque: *Et nemo ex eo quod poſſidebat ſuum proprium eſſe dicebat.* Atqui hoc non paruus credētium numerus: ne quem forſitan minus ſcriptorum auctoritas moueat, dum putat exempla eſſe paucorum. Quæ fuerit quippe tunc multitudo eccleſiæ principalis vel ex hoc ſolo agnoſci poteſt, quod in principijs ſtatim ipſis octo hominum milia bi- E duo eccleſiæ acceſſiſſe referuntur, pateatque æſtimationi, quę ceteris diebus vniuerſi generis multitudo concreuerit; vbi duo tantummodo dies præter diſparem ætatem pariter ac ſexum, tantam virorum copiam procrearunt. Vnde cùm etiam innumerabilis iam tunc, & tam perfecta plebs fuerit, quæro à vobis cum quibus loquor; cuncti parentes, in illis tot ac tantis tūc credentium millibus, tanta fidei perfectione viuentibus, omnes ne cum filijs, an omnes ſine filijs fuerint? Neutrum opinor: Nulla enim eccleſiæ plebs eſt non de vtroque permixta. Intelligere ergo poſſunt, quicunque ex Chriſtianis filios non habent, cui relinquere ſubſtantias ſuas debeant, cùm videant cui reliquerint tunc illi filios non habentes. Sin autem habent, diſcant quid etiam ipſos oporteat facere, cū illos videant tunc parentes amorem filiorum Dei, filijs prætuliſſe. Habet igitur omnis ætas, habet omnis conditio quod ſequatur, quicunque eſt particeps fidei, participem ſe beati faciat exempli. Si illi tunc ob Deum donantes omnia ſua etiam ſeipſos exhæreditauere viuentes, F diſcite vos, quæſumus, bona veſtra vel ipſi hæreditate morientes: Quæ quidem, vt dixi, etiam vos ô fideliſſimi parētes curioſius attentiuſque pro vobis conuenit cogitare. Oportet quippe vos, mihi credite, etiam inter filios veſtros ſalutis animarumq; veſtrarum non obliuiſci. Propinqua enim veſtra pignora eſſe vobis & coniunctiſſima ſatis certū eſt: ſed mihi credite, nemo vobis propinquior, nemo coniunctior quam vos ipſi. Amate itaque, non obſiſtimus; amate filios veſtros, ſed tamen ſecundo à vobis gradu: ita illos diligite, ne vos odiſſe videamini. Inconſultus namque & ſtultus amor eſt alterius memor & ſui immemor. Ezech. 18. *Non accipiet*, inquit ſcriptura ſacra, *iniquitatem patris filius, neque pater accipiet iniquitatem filij ſui.* Et Apoſtolus: Gal. 6. *Vnuſquiſque*, inquit, *onus ſuum portabit.* Relictæ itaque filijs diuitiæ parentes non liberant de mendicitate: immò relicta immoderate filijs facultas parētum eſt ſempiterna mendicitas: ac per hoc nulli parētibus magis noxij, quàm filij nimis amati. G Dum enim illi patris bonis affluunt, parentes in ſempiternitate cruciantur: Etiamſi tam pius ſit filius, vt refrigerandi ſupplicij paterni gratia communicare cum patre poſtea bona relicta cupiat, non valebit: reddere ſiquidem poſt mortem patri pietas filij non poterit, quod vnicuique indeuotio ſua & infidelitas denegarit. Ideoque iuxta Apoſtolum, vnuſquiſque ſarcinas ſuas cogitet, quia vnuſquiſque hominum ſua onera portabit. Flammæ infelicium mortuorum diuitijs non refrigerantur hæredum. Luc. 16. *Diues* ille in Euangelio, *qui purpura induebatur & byſſo*, abſque dubio qui locuples in hoc ſeculo ipſe fuerat, etiam hæredes ſuos morte ditarat: ſed nequaquā hoc ei proderat, quod opibus ac talentis eius germani diuites incubabant: & ille guttam refrigerij impetrare non poterat. Illi erant in abundantia, ſed ille in egeſtate: ille in gratulatione, ſed ille in dolore: illi in diuitijs, ſed ille in tormentis: illi fortaſſe iugiter in luxuria, ſed ille ſemper in flamma. O infelix ac miſeranda conditio. Bonis ſuis alijs præparat beatitudinem, ſibi afflictionem: alijs gaudia, ſibi lacrymas: alijs voluptatem breuem, ſibi ignem perennem. H Mira viciſſitudo diuitis & pauperis. Vbi erant tūc affines, vbi propinqui, vel filij, ſi habuerat, vel germani, quorū meminerat, & quos certe tāto amore dilexerat; vt eorum ne in ſupplicio quidem poſitus obliuiſceretur? Quid ei proderant, quid ſuffragabantur? Torquebatur infelix, & opes ſuas alijs deuorantibus ille refrigerij guttam ardens petebat, & impetrare non poterat. Et hoc, ſi quid addi ad pęnam poteſt per illum ſibi tribui poſtulabat, quem aliquando cōtempſerat: per illum, qui in pure ac ſanie computruerat: per illum, cuius fœtorem ac ſqualorem longe refugerat, qui membrorum ſuorum vlceribus canes pauerat, quem ſcatentes vermium globi etiam intra receſſus pereſi corporis exararant. O grauis nimium & lugenda conditio! Pauper beatitudinem emit mendicitate, diues ſupplicium facultate. Pauper cum penitus nil haberet, emit æternas diuitias egeſtate. O quanto has facilius tam multa rerum poſſeſſione diues potuerat comparare, qui inter tormenta æſtuans, & inter ſupplicia proclamans: Luc. 16. Digitus Lazari. *Pater*, inquit, *Abrahā miſerere mei; & mitte Lazarum, vt intingat extremū digiti ſui in* aqua;

A

aqua, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Non horrebat tunc ſcilicet diues ille Lazari quondã pauperis manum, nec dedignabatur auxilium. Inferi eius digitos ori ſuo, & mitigari intolerandas faucium flammas illius pridem fœtidæ ac ſqualentis manus munere poſtulabat. O quanta rerum mutatio facta fuerat! Tangi tũc ab eo deſiderabat, quem etiam videre ante deſpexerat. Hæc ergo diuites cogitent, qui redimere facultatibus ſuis nolunt, ne iſta patiantur. Diues fuit ille de quo nunc loquimur: diuites ſunt & iſti ad quos nũc loquimur: Vnius ſunt nominis, caueant ne ſint etiam conditionis vnius. Non liberabunt .n. filij diuites parentes reos, nec reſtinguet flãmas miſeri teſtatoris delicijs affluentib. opulentus hæres. Durum eſt ab aliquo filijs ac propinquis parum relinqui. Multo eſt durius in æternitate torqueri: Opinor enim diuitem illum cum torqueretur. Non tantum delectabant opes hæredis ſui quantum angebant tormenta corporis ſui: non tantum delectabat quod hæres ſuus bene epulabatur, quam angebat quod ipſe male cruciabatur: nõ tantũ delectabat quod hæres ſuus in exquiſitis delitijs affluebat, quam angebat quod ipſe intolerãdis ignibus æſtuabat. † Non tantum delectabat, quod hæres ſuus paſcebat paraſitos & helluones copijs ſuis, quãtum angebat, quod ipſe paſcebat flammas medullis ſuis. Et puto ſi quis ei tũc optionis copiam præſtitiſſet, vtrum ne mallet diuites hæredes ſuos eſſe, an ſe in miſerijs tormentiſq; non eſſe? Voluerat profecto illos omnibus bonis alienari, dummodo ille poſſit malis omnibus liberari. Voluerat offerre omnia quæ poſſederat, dummodo euaderet quę perferebat. Voluerat cunctam illam ſubſtãtiam quam habuerat & temporales argenti & auri theſauros pro ſe dare, vt iuges ſuppliciorum immortalium cruces & perenne illud incendium ſuperiecta; ſi quo modo poſſet diuitiarum ſuarum mole reſtingueret, & exundantes ignium globos, oppoſita ingentium facultatum immenſitate prohiberet. Et quid dicam voluiſſe enim, vt interminabile illud malum redimeret facultatibus ſuis? Plus dico aliquid: Voluerat omnem ſubſtantiam ſuam tradere, vt poſſet ſibi in flammis iſtius vnius ſaltem horæ requiem comparare. Deſiderans enim ad mitigandas faucium flammas vel tinctum aqua pauperis digitum, quomodo non quantolibet pretio mercari requiem præoptauerat, qui paruã refrigerij guttam tam magno ambitu poſtulabat? Sed iã iſta quid proderant, aut quid iuuabat miſerum, quod tunc pro ſe offerre omnia volebat, qui male ante noluerat? Vel quid tunc proderat, quod dare cuncta cupiebat quæ iam amiſerat, qui nihil tunc pro ſe dederat, quando omnia poſſidebat? Sera quippe, vt ait in ſcripturis Spiritus ſanctus, ſera eſt pœnitentia mortuorum. *Quoniam non eſt*, inquit ad Deum patrem ſermo diuinus, *non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?* excludi penitus à confeſſione peccati peccatorem mortuũ proteſtatur, nec poſſe eſſe quemquam poſtea Dei memorem qui in hac vita ſui fuerit oblitus? Adeo omnis ei ſpes penitus abſcinditur, & omnis vitæ aditus obſeratur, vt cum vna ſit reo ſalutis via, preces ad Deum fundere, & cœleſtem miſericordiam inceſſabiliter orare, etiam hac peccator letiferæ obliuionis animaduerſione damnatur, vt ei nec memoria quidem Dei, à quo ſperare debeat, relinquatur. Hæc ergo cogitent, qui dum filios habere poſt mortem diuites cupiunt, futurorum ſuppliciorũ nec in morte meminerunt. Hæc cogitent, qui, vt in hac caduca & breui vita hæredes diuites habeant, æterna ſeipſos morte condemnant. In quo quidem non tam hæredibus conſulunt, quàm ſibi obſunt: non tam illos amant, quàm ſe oderunt: quia non tam ſalubris amor eſt qui breui conſulit, quàm graue odiũ quod in æternitate cruciabit. Et ideo Deus noſter, vt in primo dudum libello diximus, diſciplinam parentes theſaurizare iubet filijs, non pecuniam: perennia præcipit, non peritura conferre. Scilicet quia res huiuſmodi, atque opus ſanctum, & filijs pariter & parentibus proſunt: filijs vtique per diſciplinæ inſtitutionem: parentibus per munificentiæ largitatem. Et filijs enim hoc diſciplina præſtat. vt ſalutem capiant perpetuam: & parentibus largitas, vt mortem effugiant ſempiternam. Sed cui hæc dicimus, aut cur dicimus? Vbi apertas aures aut videntes oculos inuenire poterimus? *Omnes* enim, vt de impijs legimus, pœne omnes *declinauerunt: ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt* pœne *vſque ad vnum*. Noua quippe amentia tam ſeculares, quàm etiam quoſdam religionem profeſſos inceſſit homines. Siquidem vt dudum dicere cœperamus, iam non tantum filijs aut nepotibus, quod ob naturæ neceſſitudinem ferri poteſt, ſed etiam agnatis, neq; cognatis, neque ſolum, aiunt, ex directo, ſed etiã ex obliquo, & ex tranſuerſo, immo potius ex aduerſo peruerſoque venięntibus res propriæ facultatis, id eſt, pretium ſuæ redemptionis addicunt, ſicut ſcriptum eſt: *Non dedit Deo propitiationem ſuam, & pretium redemptionis animæ ſuæ.* Et Paulo poſt: *Simul*, inquit, *inſipiens & ſtultus peribunt, & relinquent alienis diuitias ſuas, & ſepulchra eorum domus eorum in æternum.* Quid inter ſtultum ſit & inſipientem, non eſt nunc differendi locus: nec ſane intereſt quæ inter eos meritorum ſit differentia, quorum eſt vna perditio.

Rerum mutatio.

Aduertãt diuites.

B

† diſt. Opes irritamenta malorũ.

Pſal. 6.

C

D

Cogitent diuites.

E

Pſal. 13.

Corrupti ſeculares & religioſi.

Pſal. 48.

Quod cauſæ itaque ſufficit, cum dixiſſet ſimul inſipientem & ſtultum eſſe perituros. Videamus quid vel ad cauſam, vel ad cumulum perditionis adiecerit. *Relinquent*, inquit, *alienis diuitias ſuas.* Verum eſt: quid enim ſiue tam ſtultum, ſiue tam perditum: quàm vt aliquis de ſuo non ſibi conſulat? præſertim cum Deus dicat nihil *prodeſſe homini ſi totum mundum lucrifaciat, animæ autem ſuæ detrimentum patiatur. Aut quam dabit*, inquit, *homo commutationem pro anima ſua?* Si ergo homines totum mundum ſpernere oportet, ne animarum damna patiantur: & propter ſuam ſalutem debet quiſpiam etiam ſua lucra contemnere, quam infidelis eſt, quam inſipiens eſt, qui, vt alium diuitem faciat, animam ſuam ipſe condemnat: maxime cum & ille non multum adipiſcatur, qui vſum temporalium rerum accipit; & ille inæſtimabilia damna perferat, qui fructum beatæ æternitatis amittit. Nam & ideo ſequitur in pſalmo: *Sepulchra eorum domus eorum in æternum.* Quam miſera ergo erit perdita ſors eorum, qui quaſi ſepulchris perennibus deputati, quam conditionem poſt mortem perferunt corporum, eandem quodammodo patiantur animarum: & quidem minus miſeram, ſi eandem, aut ſi ad eos ad iumenta inſipientia, nec bonorum ſenſus, nec malorum paſſio * *pertineret. Sed illud acerbum* * atque intolerabile, quod ſimiliter pereunt, ſed non ſimiliter puniuntur: illorum enim mors ſempiterna ſine ſenſu eſt: iſtorum omnium cum dolore. Ac ſic conditionem hominum peccatorum perditio quidem facit pecudibus eſſe ſimilem, ſed tamen pœna grauiorem. Cogitent igitur cuncta iſta quæ dicimus, immo cogitent cuncta illa quæ Deus dicit, qui ſibi nec ante mortem omnino conſulunt, nec in morte ſuccurrunt, apud quos obliuio eſt penitus ſuarum animarum: nec intereſt pœne iam apud homines quibus conſulant, dummodo ſibi omnino non conſulant. Si qui enim ex iſtis, de quibus loquimur morte appropinquante filios non habent, quærunt infideliſſime quos aut propinquos, aut affines ſuos dicant. Aut ſi id forte deeſt, quærunt ſaltem aliqua nouarum neceſſitudinum ficta nomina: nec intereſt, vt dixi, apud eos, quorum meminerint, dummodo ſui obliuiſcantur: non intereſt quos amare ſe dicant, dummodo animas ſuas oderint: non intereſt quos diuites faciant; dummodo ſe æterna mendicitate conſumant. O infelicitas, ô inſania! Quid tantum quæſo de ſe miſerrimi omnium mali promeruerunt: vt, dum aliorum voluptatibus ſeruiunt, ſe perpetuò perſequantur? Videas enim à quibuſdam infeliciſſima vanitate inueſtigati quoſdam nouos ac nobiles propinquos: videas incognitarum agnationum pudenda nomina, & recentium ac præpotentium affinitatum ridicula commenta: cùm dicat quis de aliquo adoptiuo ac ſubitaneo propinquo: Illum hæredem facio parentem meum. Aut quæcunque ſanctæ profeſſionis vidua vel puella: Illum hæredem ſcribo, proximum meum. Ac ſic quoſdam quos in omni vita quaſi extraneos alienoſque habuerant, ſubito in extremis propinquos habent: & qui extranei ſemper fuere viuentium, parentes eſſe incipiunt mortuorum. Introducunt

F

Mat. 16.

Pſal. 48.

G

Obliuio animarũ.

H

Ficta propinquitas

A enim repente in teſtamentum, quos nunquam introduxere in affectum: & hoc maxime, vt dixi, aut locupletes, aut nobiles, aut honoratos, & qui niſi potentes eſſent parentes forſitan non fuiſſent. Ridicula miſeri teſtatoris ambitio, dans cenſum propriæ facultatis ad comparandum mendacium propinquitatis: emens pretio hæreditatis nomen hæredis, & totis patrimonij ſui viribus hoc elaborans, ne ſe ille qui hæres ſcribitur parentem neget: & vt teſtator infeliciſſimus ſtultiſſima ac miſerrima vanitate, facto hærede nobili, qui in vita ſua humilior eſſe viſus eſt, honoratior in morte eſſe videatur. O cæcitas, ô inſania, quanto ſtudio, infeliciſſimi homines id elicitis, vt miſeri in æternitate ſitis. Quanto minore cura, minore ambitu id vobis præſtare potuiſtis, vt ſemper beati eſſe poſſitis: Cuius rei quidem cauſam aliam omnino inuenire non poſſum, niſi ſolam tantummodo incredulitatem atque perfidiam, id eſt, quod aut iudicandos ſe à Deo homines eſſe non putent, aut reſur-

B recturos omnino eſſe non credant. Nemo eſt enim qui reſurrecturum ſe & iudicandum à Deo de operibus bonis ac malis certus ſit, qui non vel ſpei ac beatitudini ſuæ præſtet, vt pro bonis operibus perennia bona capiat: vel timori atque diſcrimini, ne pro malis mala æterna patiatur.

Sed abhorrere hoc videlicet à Chriſtiano nomine videtur, vt dicatur bona æterna futura non credere. Quid ergo cauſæ eſt, vt ſi quiſpiam Chriſtianus futura credit, futura non timeat? Quid ergo cauſæ eſt, vt ſi credit quæ dixit Deus, non timeat quæ minatur Deus? Si non credit verbis quæ dixit Deus, non credat prœmijs quæ promittit Deus? Neque enim ſe probat promiſſionibus Dei credere, qui non ſic agit, vt poſſit ad promiſſa à Deo præmia peruenire: in ipſa quippe hac vita hominum, ſi iudicandum ſe aliquis ab humana hac poteſtate, & rapiendum ad tribunal terrenum eſſe cognouerit, aduocatos requirit, patronos adhibet, officialium atque apparitorum gratiam fauoremque mercatur, & hæc omnia metu iudicij futuri agit: cum tamen euentum iudicij comparare non poſſit, adeo & ſi victoriam emere ip-

C ſam non valet, ſpem tamen victoriæ magno emit. Dic mihi quiſquis ille es, qui credere te iudicium Dei dicis, tu ſi vel ſupradictorum exemplo hominum iudicandum te eſſe à Deo crederes, nónne ſpem ac ſalutem tuam quolibet pretio compararres? Sed non credis vtique, non credis: & licet credulitatem tuam verbis velis adſeuerare, non credis: verbis enim, vt ait Apoſtolus,

Tit. 1. *confiteris, ſed factis negas.* Denique vt infidelitatem tuam tibimet ex teipſo probem, dic mihi obſecro, quiſquis ille es, qui ſubſtantiam tuam vel propinquo cuipiam diuiti, vel affini, vel, ſi hi forte deſunt, etiam extraneo derelinquis, cur ea non ſanus à te atque incolumis abdicaſti? Cur non ſoſpes ac vegetus hæredibus tradidiſti? Sed in teſtamento ipſo prouidentiſſimè caues, & ſollici-

Teſtantiū verba. te ac diligenter inſcribis: Quando ego ex rebus humanis exceſſero, tunc mihi tu ille cariſſime hæres eſto. Dic mihi quæſo, cur huic cariſſimo, vt ipſe ais, ac deuinctiſſimo tuo tam diu nihil de tuo tribuis? tam diu nihil de tuo tradis, quam diu te putas eſſe victurum, ſed tunc cum vides eſſe moriturum? Et quid dicam cum eſſe te

D moriturum vides? Immo id caues prouidentiſſime, ne vel ſpirante, vel moriente te quicquam de tuo habeat, ſed iam defuncto omnino, iam mortuo. Et mirum eſt quod hoc ipſum ſinis, vt te non iam funeſtato aliquid de tuo habeat: iam exportato atque tumulato. Quamuis etiam in hoc quod ais: Quando ego ex rebus humanis exceſſero, idipſum cauiſſe videaris. Hoc eſt enim ex rebus humanis penitus excedere, totum omnino cum ſuo corpore hominem in præſentia humanarum rerum eſſe deſijſſe. Dic mihi itaque, cur hæc tam prouide in teſtamento caues? cur tam ſollicite ac diligenter interſeris? abſque dubio quia neceſſariam tibi dum viuis rem tuam iudicas, quia alienare te à facultatibus tuis non vis: & iniquiſſimum putas, viuo te & incolumi alium tuo diuitem fieri, te autem mendicitate conſumi. Verum eſt, ac rectum putas, nec irrationabilem curam abnuo.

E Et quicquid à te in hunc modum dicitur, probo, ſed in vno tamen mihi fieri à te ſatis cupio. Quid eſt quod tu, qui tibi in vita iſtá vſum rerum tuarum tantopere neceſſarium putas, fructus ac reditus facultatis tuæ poſt mortem neceſſarios eſſe non putas? Dicis abſque dubio: Quia mortuo nihil opus eſt, nec reſeruandum mihi quicquam in tempus illud eſt: quia defunctus, ac nihil ſentiens ne delectari poſſum poſſeſſione rerum mearum, neque amiſſione cruciari. Euidens cauſa eſt ergo, idcirco moriens ſubſtantiam tuam alteri deputas, quia capere ex ea fructus poſt mortem ipſe non poſſis. Sed quid quod electiſſimum vas Dei Apoſtolus Paulus teſtificatur & clamat, quod *quacunque homo* in vita hac *ſeminauerit, hæc* poſt

2. Cor. 9. *Gal. 6.* mortem *metet*: & *qui parce ſeminat, parce & metet: & qui ſeminauerit in benedictione, ex benedictione & metet*? Ex quo aperte intelligi voluit, eos qui ſeminauerint in parcitate, benedictionem metere non poſſe: Cùm enim dicens, *Qui parce ſeminat, parce & metet: & qui ſeminat in benedictione,*

F *ex benedictione & metet*, euidenter vtique benedictionem in ſola poſuerit largitate: oſtendit parcos ſeminatores mendicitatem, largos benedictionem eſſe meſſuros. Sed fortaſſe hæc tibi, quicunque es ô infidelis, aut parum valida, aut parum aperta eſſe videantur. Quid quod Dominus ipſe in Euangelio nihil quenquam de operibus bonis perdere Chriſtianum manifeſtiſſimè docet, dicens:

Matt. 10. *Quicunque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, amen dico vobis non perdet mercedem ſuam.* Quid dici euidentius potuit? Etiam eam rem in futuro habituram præmium eſſe dixit, quæ in præſenti pretium non haberet. Tantum honoris cultui ſuo tribuit, vt aliquid eſſet illic per fidem, quod hic omnino nihil eſſet per vilitatem. Sed tamen ne in hoc ſibi quidem forſitan blandirentur, ſi multa habentes exiguis poſſint magna mercari, ſubtiliter poſuit, etiam pro calice aquæ frigidæ non perituram eſſe mercedem. Hoc vtique euidenter oſtendens, non pro paruo aliquid magnum eſſe reddendum, ſed tamen qualecunque fidei opus non eſſe periturum. Habes itaque indubitabilem fu-

G *Calicem aquę frigidæ nō carere ſua mercedē.* turæ retributionis ſecuritatem: habes recipiendorum bonorum operum ſatis idoneum vadem; qui quidem tentæ non ſolum fidei, ſed etiam miſericordiæ, atque pietatis eſt, vt non ſoluat tantum quod promiſerit quaſi debitum, ſed etiam oſtendat aliquid, quo ſe faciat debitorem. Nam qui pro calice aquæ frigidæ redditurum ſe dixit eſſe mercedem, non ſolum vult ſoluere quæ acceperit, ſed etiam demonſtrat aliqua quæ ſoluat. Pius ſcilicet ac miſericordia plenus, & conſulere volens non ſolum diuitum largitati, ſed etiam pauperculæ officioſitati, oſtendit quo obnoxium ſibi in aliquo Deum faceret, etiam qui quod fœneraret penitus non haberet. Sed forſitan tibi, quicunque diues es, indignum hoc facultatibus tuis opus pauperculorum eſſe videatur, & velis aliquam ad te peculiariter pertinentem ſponſionem dominicę repromiſſionis audire. Habes primum illud, quod ad diui-

Mat. 19. tem illum Deus in Euangelio loquitur: *Vade, vende omnia bona tua, & habebis theſaurum in cœlo.* Deinde illud, quod

Matth. 6. præcepto interdictorio generaliter iubet: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo.* Poſtremo illa quibus omnes rerum mundialium poſſeſſores ad opus profluæ largitatis ſpe infinitę

H remunerationis inuitat, dicens quod omnis qui propter honorem atque amorem ſuum, aut domum, aut agrum, aut quamcunque aliam facultatem in vſus miſericordiæ prorogauit, *centuplum accipiat* in futuro. Inſuper autem

Matt. 19. inquit: *Et vitam æternam poſſidebit.* Quid ſpondere maius credentibus ſibi potuit, qui magis fœneratoribus ſuis centuplum ſe redditurum eſſe promiſit: Nec ſolum hoc, ſed *vitam*, inquit, *æternam poſſidebunt.* Hoc multo plus eſt quàm ipſa centupli retributio: quia idipſum quod quis in centuplo acceperit, in perpetuo poſſidebit. Non erit ergo tunc fragilis & caduca poſſeſſio, nec in ſimilitudinem terrenarum diuitiarum vmbræ prætereuntis, aut ſomnij vaneſcentis more peritura. Quicquid datum à Deo fuerit, immortale erit: Quicquid acceptum fuerit, ſine termino permanebit: ac per hoc, vt dixi, plus quam

A centuplum accipit, qui ſic accipit: quia vincit centupli pretium, idipſum eſſe centuplum ſempiternum. Quæ cum ita ſint, & cum tanta abſque dubio recepturus ſit qui Deo credit, quomodo tu his rebus quas Deo dederis, vſurum te eſſe poſt mortem non putas? Quarum tibi non vſum tantummodo Dominus ſed augmentum etiam, & ſuperexcellentem cumulum pollicetur? Aut fortè accipere hæc non vis? Sed hoc ratio non patitur, vt nolis. Nemo enim eſt inter homines, qui cum beatus eſſe valeat, miſer eſſe malit: nemo eſt qui cum habere poſſit delitias ſummi boni, pati velit ſupplicium ſummi mali. Nullus profectò, nullus, & ideo ne tu quidem, niſi fortè monſtruoſa ſit in te aliqua & diſcrepans ab humano genere natura: vt ſolus tibi penitus bene eſſe nolis, ſolus beatitudinem fugias, ſolus ſupplicijs delecteris. Quod ſi vtique nón eſt, quid ergo cauſæ eſt, vt non vel moriens, & in vltimis ſitus, id ſaltem ſupremæ oblationis officio, & omni rerum tuarum ambitu agas, vt ſi mereri à Deo potes, locuples ac beatus ſis? ſin autem id non potes, certè vel

Omnes beatitudinem appetunt.

B pro hoc merearis, vt miſer non ſis: certè vt non vraris, certè vt non torquearis, certè vt tenebris exterioribus non *injiciaris, & ardentibus ſine fine flammis non decoquaris. Quæ cum ita ſint, quid ergo, vt dixi, cauſæ eſt, vt non omnibus modis vel mala fugias, vel bona adſequi velis? Quid cauſæ eſt quod hæc non agis? Quid cauſæ eſt, vt bona æterna non emas? Quid cauſæ eſt, vt mala æterna non timeas? Quid vtique, niſi illud quod prælocutus ſum, quod aut iudicandum à Deo te eſſe non putas, aut reſurrecturum omnino eſſe non credis? Si enim crederes, quomodo non futuri iudicij inæſtimabile malum fugeres, & immortalia ſuppliciorum tormenta vitares? Sed non credis, vtique non credis: ac licet aliud & ſermone adſeras & profeſſione, non credis, ſermo enim & profeſſio tua iactitant fidem, ſed vita atque obitus publicant infidelitatem? Alioqui vince me; vinci volo non quæro, vt mihi credulitatem tuam ſuperioris vitæ actibus probes: vno contentus ſum teſtimonio ſupremorum tuorum. Ecce iam, ecce morieris, egreſſurus de domo corporis tui, neſciens quo iturus, quo abducendus, ad quam pœnalia,

*eneceris

Aut iudicium aut reſurrectionē nō credit auarus.

C & quàm tetra rapiendus: cui vnum tantummodo ſupereſt inter ſuprema perfugium, vna effugiendi æterni ignis ſpecula datur, vt pro te offeras ſaltem quod in ſubſtantia habes: quia aliud quod poſſis Deo offerre iam non habes: & tu immemor tui, oblitus ſalutis tuæ, de legatarijs nouis cogitas, de locupletando hærede ſuſpiras. Et hæc faciens credere te iudicium Dei dicis, qui tibi cum iudicandus ſis vel inter ſuprema non conſulis, & cogitare te aliquid de ſalute animæ tuæ loqueris, cui nullus eſt anima tua vilior, apud quem prope non intereſt cui proſis, dummodo tibi noceas: & credere te futurum iudicem dicis, apud quem nullus eſt minor atq; deſpectior, quàm ipſe iudex. nam intantum eum ſpernis, intantum deſpicis, vt nec tibimetipſi conſulas, dummodo eius iuſſa contemnas. Aut refelle me, & conuince ſi mentior. Clamat tibi, ecce morienti ipſe qui te iudicaturus eſt iudex tuus, ne vllum omnino hominem in prorogandis rebus ac facultatibus tuis plus quam te ames, ne vlli de ſubſtantia tua moriēs magis quàm tibi conſulas: nullum tibi anima tua propinquiorem, nullum iudices cariorem. *Quid enim proderit*, inquit Saluator, *homini ſi lucretur mundum totum, & detrimentum faciat animæ ſuæ? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*

Matt 16.

D Hoc eſt dicere: Quid tibi, ô infeliciſſime homo proderit, ſi omnem mundum aut ipſe habeas, aut tuis poſteris relinquas, ſi ſalutis atque animæ detrimenta patiaris? Damna enim animæ totum penitus ſecum auferunt, nec quicquam homo omnino habere poterit, qui ſeipſum damno animæ pereuntis amittat. *Aut quam*, inquit, *homo commutationem dabit pro anima ſua?* Hoc eſt dicere, non reſpicias, ô homo, pecuniam, non poſſeſſionem, nec dubites ſaltem moriens pro ſpe tua quantum potes rei tuæ ac facultatis offerre: Quicquid libet enim dederis pro te, vile eſt: Quicquid pro te obtuleris, parui pretij eſt: Quia anima tua omnium rerum eſt comparatione pretioſior. Et ideo nihil dubites pro te dare: quia ſi te amiſeris, omnia in te perdis: ſi autem te lucri feceris, tecum & in te omnia poſſidebis.

Nobis amiſſis omnia pereunt.

E Cùm hæc ergo tibi iam morienti, ô homo quiſquis es, Dominus tuus clamet, tu mentem obduras: tu aurem obſtruis, & nudis ſermonibus fidem adſerens, ſufficere tibi putas verba pro rebus: ac ſatis te firmum æſtimas crudelitatis habere ſubſidium, ſi Deum quem rebus atque operibus tuis deſpicis, verbis mendacibus honorare videaris. *Fili*, inquit ſcriptura ſancta, *ſi habes, benefac tecum, & Deo bonas oblationes offer.* Et alibi: *Miſerere*, inquit, *animæ tuæ.* Vide pietatem erga te Domini noſtri, vide quàm miſericors ſit Dominus Deus noſter, qui nos ipſos pro nobis miſericordiam rogat. *Miſerere*, inquit, *animæ tuæ*, hoc eſt dicere, miſerere etiam tu illius, cuius vides miſeratione me frangi: miſerere illius tandem, cuius miſereor ego: ſemper miſerere tu animæ ſaltem tuæ, cum miſereri me cernas alienæ. Et quid poſt hæc? ô miſerrime homo, cum Deus ſic tecum agat, non adquieſcis? rogat te vt tui miſerearis, & non vis: cauſam tuam apud te agit, & à te non admittitur: dignatur te pro te petere, & à te non poteſt impetrare. Et quomodo, quiſ-

Eccl. 14.

Eccl. 30.

F quis es, ô miſerrime homo, quomodo te poſtea ſupplicantem ille in iudicio ſuo audiet, cum tu hic eum pro te rogantem audire ipſe nolueris? Sed videlicet cauſa grandis eſt, qua Deum audire non poſſis, circunſtant enim te ægrotantem cognati atque agnati tui, circunſtant locupletes matres familię, circunſtant nobiles viri, obſidet lectum infirmitatis tuæ ſericis atque auratis veſtibus circūfuſa numeroſitas. O quantus fructus æternitatis eſt, talibus bona propria erogare mēdicis! digna videlicet cauſa & ſatis iuſta eſt, vt tua animæ tuæ auferas, quod egenis talibus derelinquas. Sed nimirum miſericordia frangeris, & lamentantium propinquorum pietate ſuperaris. Eſt certa ratio. Vides quippe opulentiſſimi ac ſplendidiſſimi cultus homines, tibi anxios, tibi flentes, triſti vultu, & feſto habitu, compoſitas ad mœſtitudinem facies tibi oſtentantes, per imaginariam ſollicitudinem ſuam ementes hæreditatem tuam. Quem non moueat tanta pietas, quem non moueat talis dolor? Aut quomodo cum hæc talia videas, non obliuiſcaris tui? Vides enim extortas la-

G chrymas, ſimulata ſuſpiria, fictam anxietatem, non optātem vt conualeſcas, ſed expectantem quando moriaris: Vides defixos in te, & quaſi accuſantes tui obitus tarditatem omnium vultus. O infelicem te ac miſerrimum, cuius ſupremum exitum tantus deſiderat ac precatur numerus propinquorum! niſi quod ſcio ac ſatis certus ſum, nihil omnino apud Deum vota talium præualere. Nam mirari poſſem forte quod viueres, quem mori tam multi velint: & propter hos, quiſquis ille es, propter hos tales animam tuam deſeris, & credere te iudicium Dei dicis, cum ad hoc eius iuſſa deſpicias, vt patrimonium tuum talibus derelinquas? *Diſperſit*, inquit Propheta de eo qui Deum credit, *diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in æternum.* Sed & Saluator ipſe ad omnes diuites: *Vendite*, inquit, *quæ poſſidetis, & date eleemoſynam.* Et alibi: *Vende quæ habes, & da pauperibus.* Nunquid dicit, agnatis, da, nunquid affinibus? Non vtique, ſed pauperibus, ſed egenis. Nunquid propinquo diuiti, nunquid vlli omnino hominum præpotenti? Non vtique, ſed inopi, ſed egeſtuoſo. Et rectè. Nunquid enim cum locupletibus cognatis tuis ſubſtantiam tuam dederis, iuſtitia tua manet in æternum: aut

Ficta ſuſpiria.

Pſal. 11.

Luc. 12.

H cum diuitias eorum diuitijs tuis auxeris, theſaurum habebis in cœlo? *Væ*, inquit Propheta, *his qui dicunt dulce amarum, & amarum dulce.* Etiam laudari à te tales hos Deus prohibet, & tu ditare non metuis. Dati his prædicatoria verba non vult, & tu etiam talenta largiris. Honorari vitam eorum fictis ſermonibus vetat, & à te theſauri eorum diuitiæque cumulantur. Sed vereris videlicet vultus circunſidentium propinquorum: & præſentes, atque obſidentes lectulum tuum metuis offendere. *Ne timueris eos*, inquit Dominus per Prophetam, *neque paueas à facie eorum, quoniam domus exaſperans eſt.* Ideo etiam tu eſto intrepidus & conſtans, non formides vultus eorum; neque frangaris ambitu eorum: deſpice concupiſcentes hæreditatem tuam, & diuidentes iam inter ſe ſubſtantiam tuam, qui non te, ſed patrimonium tuum diligunt: immo qui cupiditate rerum tuarum te execrantur. Nam

Eſai. 5.

Hier. 1.

dum

A

dum tua impatienter ſitiunt, te oderunt, præſentiamque tuam quaſi æmulam ſibi & aduerſariam iudicantes, obicem atque obſtaculum putant cupiditatis ſuæ eſſe quod viuis. Deſpice ergo hos tales, ac nihili facito, non te moueant blandimenta eorum, venena tibi ſunt, non reſpicias adulationes eorum, gladij ſunt iugulatores tui, & quidem ferreis atque hoſtilibus gladijs teteriores: illos enim homines cuncti vident, iſtos incauti non vident: illi quia apertè ſæuiunt, euitantur; iſti quia occultè inſidiantur, occidunt: & hoc periculoſiores ſunt, ac nouo nocendi genere peiores, quod illis ferreis gladijs nemo eſt penitus qui ſe lædi velit, iſtis multi ſe etiam occidi volunt, noua atque inæſtimabilis mali lethalis illecebra. Illis gladijs quicunque percutitur, & timore pariter & dolore torquetur: iſtis quicunque occiditur delectatur: Fuge ergo hoc malum, fuge aſſentationes inſidiantes tibi, fuge obſequelas noxias tibi, fuge ambitus deceptores tuos: iſta ſunt officia quæ te iugulant, iſta ſunt quæ in mortem trahunt, fuge eorũ talium blandimenta, fuge eorum ſedulitatem: iſti ſunt carnifices ac tortores tui, qui te in præſenti quidem ambiunt, ſed in futuro necant: & conſertis quodammodo manibus, ac velut coniurati mutua factione in ſempiternos tartari ignes cogere ac præcipitare conantur. Et ideò non timeas eos, non expaueſcas, erige animum, & vim ſanctæ auctoritatis aſſume: Si enim illi tantopere adnituntur vt pereas, cur non maiore tu animo adnitaris vt viuas? Confortare ergo, & conſtanti animo tibi conſule. Satis infidelis, ac ſatis eſt ſtultus, qui mauult præſtare alijs vt ſit miſer, quàm ſibi vt ſit beatus: & vt alios affluere faciat delitijs temporarijs, ſe tradit vrendum ignibus ſempiternis.

B Aſſentatio parentum.

Explicit Liber Tertius.

C

INCIPIT LIBER QVARTVS.

NON me præterit, domina mi Eccleſia, nutrix beatæ ſpei, hæc quæ libellis ſuperioribus diximus, nõnullis filijs tuis Chriſtum parum amantibus diſplicere. Sed nos voluntates eorũ non magni pendimus, quia nec mirũ eſt, ſi eis loquentia de Deo verba non placeant, quibus ipſe forſitan Deus non placet: nec expectandum, vt inſinuatorem ſalutis atque animarum ſermonem ament, qui ſalutem ipſam atque animas ſuas non amant. Sufficiunt itaque ſicut in alijs, ita etiam in hac parte nobis ſenſus tantum & iudicia ſanctorum, quibus idem atque apud nos ſentientibus, certi profectò ſumus etiam Deum ipſum ſentire nobiſcum, qui * cùm in ſanctis tuis ſpiritus Dei maneat, abſque dubio Deus illic eſt, vbi illa pars fuerit, à qua Dei ſpiritus non recedit. Prauorum ergo hominum, id eſt, vel paganorum, vel mũdialium ſenſus aut parui exiſtimandi ſunt, aut nihil omninò faciendi: quia *ſi hominibus*, inquit Apoſtolus, *placere vellem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Illud durius ac moleſtius, quod quidam, vt arbitror, filiorum tuorum ſub religionis titulo à religione diſſentiunt, & habitu magis ſæculum reliquêre quàm ſenſu. Quorum, ni fallor, ſententia hoc habet atq; adſerit: Omni omnino homini Chriſtiano propinquitatem in exitu magis conſiderandam eſſe, quàm Chriſtum. Et quia profana penitus per ſe erat execrabiliſq; ſententia, velare, vt puto infideliſſimam prædicationem quaſi vmbratili, vt reor, quadam adiectione conantur, dicẽtes: Cunctos qui credãt Deum, ſanos tantùm atq; incolumes officioſos Chriſto eſſe debere: cæterum exeuntes iam à ſæculo, carnalis magis propinquitatis quàm diuini officij oportere meminiſſe. Quaſi verò homines Chriſtianos alios eſſe oporteat incolumes, alios de hoc ſæculo recedẽtes: & alios ſe cũcti exhibere Chriſto debeãt in ſoſpitate, alios in morte, alios in ſuperiore vita, alios in poſteriore. Quod ſi ita eſt, ergo alterum quis habiturus eſt Chriſtum

* quia

Gal. 1.

D

E

iuuenis, alterum ſenex: & toties debent homines demutari fide, quoties demutantur ætate. Si enim ergà Dei cultum alter quiſpiam futurus eſt vigens, alter infirmus, alter ſanus, alter ægrotãs: ergo prout ſtatus fuerit humani corporis inæqualis, ita erit homini etiam Deus ipſe mutabilis: & quoties fuerit in homine valetudo contraria, toties erit etiam religio diuerſa, quaſi verò qui incolumes Chriſti eſſe debent, morientes Chriſti eſſe non debeant. Et vbi illud eſt: *Qui perſeuerauerit in finem, hic ſaluus erit*: aut illud in Prouerbijs ſacris diuini ſermonis oraculum: *Sapientia in exitu canitur.* Quo vtiq; oſtenditur, licet ſalubris ſit in omni ætate ſapientia, præcipuè tamẽ omnes in exitu ſuo debere eſſe ſapiẽtes; quia laudari penitus anteactæ ætatis prudentia nõ merebitur, niſi bono fine claudatur. *Sapientia* enim *in exitu canitur.* Sufficit, inquit, peſtilens prædicatio, ſufficit præteritum opus homini, etiam ſi in fine nihil faciat. Ego multo plus addo: aut non minus: eis ſi poteſt, morte vicina, aut certè plus multo eſſe faciendũ. Primũ, quia de bono opere nihil nimis eſt. Deinde quod ad tribunal Dei pergens magis placare iudicẽ debet, quaſi iam in iudicio conſtitutus. Poſtremo quod ſi aliqua ante exitum bona fecit, multo magis facere iam in exitu ſuo debet, ne deterior ſcil. ſuperioribus vitæ actibus finis eſſe videatur. Si autem bonis operibus parum ſtuduit, multò vtiq; magis facere eum vel in exitu ſuo conuenit, vt quod vita anteriore nõ reddidit, ſaltem in extremitate perſoluat. & qui ex hoc reus eſt quod ante neglexit, vel per hoc excuſari aliquatenus Domino ſuo poſſit, quod præteritã inhumanitatem vltima ſaltem deuotione compẽſet. Sed ad ſuperiora redeamus. *Sapientia*, inquit ſermo diuinus, *in exitu canitur.* Cur eã non dixit cani in pueritia, nõ in iuuẽtute, non in ſtatu rerum incolumium, non in proſperitatibus ſecundorum, ſcil. quia in his omnib. quicquid laudatur incertum eſt. Quàm diu enim quis ſubiacet mutationi, non poteſt cum ſecuritate laudari: & ideò, vt ait, *ſapientia in exitu canitur.* Exiens enim quis de incertis periculorum, certum merebitur euaſa omni rerũ varietate ſuffragium: quia tunc ſtabilis & firma laus eſt, quando meritum non poterit iam perire laudati. *Sapientia*, inquit, *in exitu canitur.* Quid eſt, quæſo ſapiẽtia Chriſtiani? quid niſi timor & amor Chriſti? *Initium* enim, inquit, *ſapientiæ timor Domini.* Et alibi: *Perfecta*, inquit, *dilectio foras mittit timorem.* Ergo vt videmus, initium ſapientiæ eſt in timore Chriſti, perfectio in amore. Itaq; ſi ſapientia Chriſtiani timor eſt atq; amor Domini, ita demũ verè ſapientes ſumus, ſi Deũ ſemper ac ſuper omnia diligamus: & hoc cum omni tempore, tum præcipuè in exitu noſtro, quia *ſapientia in exitu canitur.* Si ergo *ſapientia* per hoc maximè *in exitu canitur*, ſi Deus ſuper omnia diligatur, quæ igitur inſania eſt, vt dicat aliquis Chriſtum carnali propinquitati præponi ab incolumibus oportere, à morientibus non debere? Cur enim eum præferant incolumes, ſi non debent præferre morientes? Aut ſi poteſt quiſpiam religioſè agnatos atq; adfines ſuos Chriſto in morte præponere, cur nõ religioſè etiã ante præponat? Aut ſi eſt vlla horum in vita vltima, qua quis plus alios diligere debeat quã ſeipſum aut Deũ, cur non & in vita anteriore plus diligat? Ac ſic fit vt ſoluantur omnia & euaneſcant intereantque, neq; vllũ quis viliorẽ habeat quàm ſeipſum, neq; vllum inferiorẽ quàm Deum. Si enim vllũ eſt tẽpus quo ab aliquo poſſit Deus adfinibus aut propinquis iure poſtponi, nullum eſt quo poſſit iure præponi: ſin autẽ quod verum eſt, nullum eſt omninò tempus, quo Deo quiſquam debeat anteponi; nullum eſt omninò tẽpus, quo poſſit iure poſtponi. Nullum vtique. Et ideò ne in extremis quidem, quia etiã iuſtum hominẽ Propheta in die qua errauerit, dicit eſſe periturũ. Itaq; ſi omnis error errantis perditione multatur, & his quoque erroribus vita hominum periclitatur, quibus vſitatè atq; communiter innocentia humana polluitur, quid futurum exiſtimamus, vbi in Deum ipſum deteſtabili infidelitate peccatur? *Si enim*, inquit Apoſt. *omnis inobedientia iuſtã accipit mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, ſi tantã neglexerimus ſalutem.* Nullus autẽ ſalutem veram plus negligit, quã qui Deo aliquid anteponit: cùm enim ſalus noſtra munus ac miſericordia Dei ſit, quæ ei

Matt. 10.

F

G

Sapientia Chriſtianorum timor & amor.

H

Ezech. 18.

Heb. 2.

A

Deo aliquid præponere eſt contemnere ſalutem. *Matt 7.*

ratio conſequendæ ſalutis eſt, qui Deum ipſum deſpicit, in cuius miſericordia ſalus noſtra conſiſtit? Aut cùm iudex & viuorum ſit Deus & mortuorum, quæ ei ſpes in Dei iudicio eſſe poterit, qui eum etiam moriens iudicio ſuo ſpreuerit, à quo eſt ſtatim mortuus iudicandus? Et ideò vt ſcriptura diuina ait: *In quo iudicio iudicat, in eo iudicabitur de eo.* Hoc eſt, quo iudicio iudicat de Deo, eo ipſe iudicabitur à Deo: neq; iniquum putare poterit, ſi eum cunctis in futuro Dominus poſtpoſuerit: qui in præſenti Deum cũctis ipſe poſtponit: nec queri, ſi eum omnibus Deus æſtimet damnabiliorem, cùm ipſe omnibus Deum æſtimet viliorem. Sed dicit aliquis non ſe hoc animo iſta facere, quo aut contemnat Deum, aut vilem putet: ſed quo vel amet eos, quos hæredes inſtituit, vel honoret. Acquieſcamus hoc ita eſſe, omnibus ferme etiam alijs flagitioſiſſimis & criminoſiſſimis reis excuſatio iſta ſuppetit.

B

Nam dicere & fornicatoribus licet, non ſe hoc animo fornicari, quod Deum ſpernant; quia calore corporis atque infirmitate vincătur. Et homicidæ id affirmare poſſunt, nõ ſe contemptu Dei humanum ſanguinẽ fundere: vel odio enim ſe, vel cupiditati tantùm ſcelera præſtare. Sed quid prodeſt malis hæc excuſatio? cùm ſcilicet nihil interſit, qua ſe quiſpiam dicat pêccare cauſa, cùm ſit omne peccatum diuinitatis iniuria? Adquieſcamus tamen, vt ſupra dixi, hoc ita eſſe, nec ex contemptu Dei res ſuas quempiã alijs magis quàm Deo tradere, ſed vel honore hæredis ſui ſe ad hoc trahi, vel certè amore compelli. Sed quid facimus, quod hoc ipſo magis incuria Dei probatur atq; cõtemptus: Si enim, ô quiſquis es ille, per id quod hæredibus tuis vel quibuſcunque res proprias derelinquis, & honorare te eos indicas & amare: Deum vtique cui non relinquis, nec honorare te indicas, nec amare. At per hoc quicquid pro te dixeris, contra te eſt: & ad contemptum atque ad contumeliam Dei pertinet amor & honorificẽtia cæterorum. Cùm enim alijs ideo relinquas, quia eos honoras: Deum, cui non relinquis, vtique non honoras: cùm alijs ideo relinquas multa, quoniam amas: Deo ideo non relinquis profectò, quia non amas. Ecce enim adſiſtit tibi morienti atq; teſtanti homo pariter ac Deus. Res aperta eſt, & non dubia quem elegeris prætuliſti.

C

Si in vno eſt honor ſolo, neceſſe eſt in alio inueniatur eſſe deſpectio. Si homo qui præfertur, gaudet ſe à te diligi, neceſſe eſt vt ſe doleat Deus qui prætermittitur non amari. Sed putas Deum videlicet munificentia hominis non egere, & ideò quid neceſſe eſt, inquis, ab homine ei quippiam tribui, qui ipſe cuncta omnibus dedit? Vtrum egeat munificentia noſtra Dominus, an nõ egeat, aut quomodo vel egeat, vel non egeat, iam videbimus. Interim, quia ab eo cunctis cuncta præſtari etiam tu negare non auſus es, hoc dignior eſt abſq; dubio largitate noſtra; quia nobis ipſe ante largitus eſt: hoc inſtius ei officijs reſpondere tentamus, quo beneficijs illius magis impares ſumus.

Gratię referendæ ratio.

Nam & natura ipſa hominum, conſuetudoq; communis hac quaſi generali cunctos lege conſtringit, vt à quibus aliquid liberalitatis accepimus, plus eis gratię debeamus: arctat quippe nos ad retributionem dati accepta largitio. Ante viuum enim ac munificentiam liberalitatis alienæ liber eſt quiſpiam, beneficiorum fœnore non grauatus, coguntur autem omnes ipſa conſcientia ſua ad repenſationem viciſſitudinis, poſtquam eſſe cœperint debitores.

D

Deo debemus omnia.

Ita ergo & Deo hoc maiora debemus, quod ab eo cuncta percepimus: & hoc reſpondere beneficijs illius minus poſſumus, quod ei etiamſi quod debemus redhibere cupimus, tamen de ſuo reddimus. Ac per hoc nõ eſt quod placere ſibi quiſquam largitione ſua debeat. Sicut ſua nõ ſunt cuncta quæ à Domino ſuo accipit: ſic ſua non ſunt cuncta quæ reddit. Et ideò perfidiæ quidẽ pœna debetur ei, qui negauerit Deo quæ ſunt ſibi ab eodem cõmodata, imputare autem largitionem non poteſt, qui reddiderit accepta, nihil minus quàm vt nõ egeat. Sed Deus, inquis, non eget retributione. Non eget enim iuxta potentiam ſuam, ſed eget iuxta præceptionem ſuam: nõ eget ſecundùm maieſtatem ſuam, ſed eget ſecundùm legem ſuam: in ipſo ſe quidem non eget, ſed in multis eget: nõ quærit in ſe munificentiam, ſed in ſuis quærit. Et ideò nõ eget

Deus egeat in pauperibus.

quidem iuxta omnipotentiam, ſed eget iuxta miſericordiam: nõ eget deitate pro ſemetipſo, ſed eget pietate pro nobis. Quid enim dicit ad pios ac largos diſpenſatores Deus? *Venite benedicti, poſsidete regnũ patris mei, quod vobis paratũ eſt à conſtitutione mundi. Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare ſitiui, & dediſtis mihi bibere.* Et alia in hũc modum.

E

Matt. 25.

Et ne hoc cauſæ, de qua nunc loquimur, parum forſitan videretur, adiecit rerum diuerſitatem auaris & infidelibus, dicens: *Ite maledicti in ignem æternum, quem parauit pater meus diabolo & angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: Sitiui, & non dediſtis mihi bibere: nudus fui, & non operuiſtis me.* Vbi ergo illi ſunt, qui dicunt Dominum Ieſum Chriſtum officio noſtrorum munerum non egere? Ecce & eſurire ſe pariter & ſitire, & algere commemorat.

Chriſtus eſurit, ſitit, alget.

F

Reſpõdeat quilibet horum, ſi non eget, qui eſurire ſe queritur: ſi non eget, qui ſe ſitire teſtatur? Ego plus addo aliquid, Chriſtum non ſolùm egere cum cæteris, ſed plus multo egere quã cæteros: in omni enim pauperum numero non eſt vniuerſorum vna paupertas. Sunt enim quidã, quibus etiam ſi veſtimenta deſunt, alimenta non deſunt: multi ſunt hoſpitio egentes, veſtibus non egentes: multi domo carentes, ſed non ſubſtantia. Sunt denique, quibus & ſi deſint multa, non deſunt omnia. Chriſtus tantummodo ſolus eſt, cui nihil eſt quod in omni humano genere non deſit. Nullus ſeruorum ſuorum exulat, nullus frigore ac nuditate torquetur, cum quo ille non algeat. Solus cum eſurientibus eſurit, ſolus cũ ſitientibus ſitit. Et ideo quãtum ad pietatem illius pertinet, pluſquam cæteri eget, omnis enim egeſtuoſus pro ſe tantum & in ſe eget. Solus tantummodo Chriſtus eſt, qui in omnium pauperum vniuerſitate mendicet. Et cùm hæc ita ſint, quid ais, ô homo, qui Chriſtianum te eſſe dicis, cùm Chriſtũ egere videas, vt facultates tuas in quibuſcunq; non indigentibus derelinquas? Chriſtus pauper eſt, & tu opes diuitum cumulas. Chriſtus eſurit, & tu delicias affluentibus paras.

Chriſtus mẽdicat.

Chriſtus etiam aquã ſibi deeſſe queritur, & à te apothecę ebrioſorum vino replentur. Chriſtus rerum omnium egeſtate conficitur, & à te luxurioſis copiæ congregantur.

G

Chriſtus tibi pro muneribus à te datis præmia ſempiterna promittit, & tu nil prẹſtaturis cuncta largiris. Chriſtus tibi & pro bonis bona immortalia, & pro malis mala æterna proponit: & tu nec bonis cœleſtibus flecteris, nec malis perẽnibus commoueris, & credere te Domino tuo dicis, cuius nec remunerationem deſideras, nec iracundiam contremiſcis. Non credis igitur, ſicut iam diximus libro ſuperiore, non credis, & licet de cõuerſorum venerabili choro eſſe videaris, licet religionem veſtibus ſimules, licet fidem cingulo adſeras, licet ſanctitatem pallio mentiaris, non credis omninò, nõ credis, & hoc tam viris iſtiuſmodi, quàm fœminis dici non credunt.

Veſtis, cingulũ, pallium religionis

Induat ſibi quamuis quilibet habitum ſancti nominis, & titulũ ſacrę religionis inſcribat, ſi de ſubſtantia ſua alijs magis quàm ſibi conſulit, profectò non credit: nemo eſt enim credens qui facultates ſuas alijs prodeſſe malit, quàm ſibi: nemo eſt qui beatitudinem alijs miſericordia ſua emere contentus ſit: nemo eſt qui vt alijs paret delitias tẽporarias, ſubire egeſtates cupiat ſempiternas. Et ideò qui patrimonio ſuo alijs magis quàm ſibi cõſulit, profutura ſibi quæ Deo dederit omninò eſſe nõ credit.

H

Dicat enim mihi quilibet horũ, cur facultates ſuas alijs derelinquit: nunquid ideo, quia profuturas cui reliquerit eſſe nõ ambigit? Ideò abſq; dubio, quicunque ille es, ſi ea quæ alijs relinquis, ideò relinquis, quia profutura ei cui reliqueris certus es; ſic profectò ſi quæcunq; religioſis muneribus protogaſſes, profutura eſſe tibi crederes, tibi abſq; dubio peculiariter deputares? quia quanto te plus amas, quàm eos quibus relinquis, tanto magis tibi relinqueres, ſi profutura ea tibimet vel tenui opiniuncula iudicares. Non enim te odiſti, vt prodeſſe tibi nolis: ſed quæ pauperibus dereliqueris, profutura tibi eſſe non credis. Vnde eſt quod alijs magis quàm tibi conſulis: quia profuturum tibi opus religioſum eſſe non credis: ſicut credis itaque ſic recipies. Tu Saluatorẽ perparum pendis, & te Saluator nihili. Tu Chriſtum poſtponis alijs, & te omnibus Chriſtus. Tibi in comparatione etiam hominum perditorum viſis eſt

Vt credit impi⁹, ſic recipiet.

Domi-

A

Dominus, & tu eris inter perditos vltimus deputandus. Sed blanditis tibi forſitan, vt iam ante dixi aliquo religioſæ profeſſionis intuitu: magis es debitor, quia propoſito ſanctitatis maiora promittis, & ideò plus tolerabis ſupplicij, quia minus ſolueris ſponſionis. *Seruus* enim, inquit ſermo diuinus, *qui neſcit voluntatẽ Domini ſui, & non facit eam, vapulabit paucis: qui autem ſcit, & non facit eam, vapulabit multis.* Et tu ſpecie profeſſionis grandia ſpecie polliceris, & rebus nulla reſtituis, falſarij criminis reus es, Deo cuncta mentiris. Nec immeritò ſacer ſermo iudicium de templo Dei incipiendum eſſe teſtatur. *Iudicium* enim, inquit, *de domo Domini.* Alibi quoque: *Et à ſanctis*, inquit, *meis incipite.* Sed ad ſuperiora redeamus. *Ite*, inquit auaris atq; incredulis Deus, *in ignem æternum, quem parauit pater meus diabolo & angelis eius.* Ad liberandum te ab hoc malo, quibuſdam forſitan bonis corporalibus vteris: pudicitiam quippe amaſſe te iactas. Sed memento, quia & illos quos in Euangelio immortalibus pœnis Saluator tradidit, impudicitię non notauit. Sobrietatẽ tibimet placuiſſe commemoras: nec illi, de quibus ſcriptura loquitur, ebrietatis crimine puniuntur. Ieiunaſſe te dicis, nec illos prandia reos eſſe fecerunt. Sed videlicet magna cauſa eſt, qua tibi abſtinentia ac ieiunio tuos placeas: qui ad hoc ieiunaſti, ad hoc parce exiliterq; vixiſti, non vt poſt mortem tuam egenos facultatibus tuis paſceres; ſed vt cenſum cuiuſcũque hæredis diuitijs ampliares, magnos videlicet abſtinentiæ fructus capis. Minus enim panis tu mãducaſti, vt aurũ alius plus haberet. Tibi venter frugalitate decreuit, vt cuiuſcunque hominis fortaſſe vitioſi theſaurus creſceret. Cũm ergo ad iudicium Dei veneris, iure imputare ei ieiunium tuum poteris, dicẽs: Ieiunaui Domine & abſtinui, ac diu me ab omnium deliciarum tange ſuſpendi, & res hoc probat: ecce enim nunc hæredes mei de meo affluunt, immenſarum diuitiarum copijs & abundant.* Et vt aliquid etiam de Euangelio præſumas, hoc quod Saluator dixit de perditiſſimo illo diuite, potes & tu forſitan de hæredibus tuis dicere: *Induuntur purpura & byſſo, & epulantur ſplendide*, incubant defoſſis à me talentis, premunt argenti & auri congeſtas ſtrues, materiam quoq; his voluptatũ omnium pręparam, diſtenduntur delicijs à me relictis. Ego diu abſtinui vt nunc illi ebriarẽtur, crapula eſt illorum frugalitas mea: narant tricliniorum redundantiũ pauimenta vino: falerno nobili lutum faciunt, menſę eorum ac toreumata mero iugiter madent, ſemper vda ſunt: luxuriant in periſtromatis, quæ ego feci: fornicantur in ſericis, quæ reliqui. Et cũ hæc omnia pro te dixeris, quomodo non æternam à Chriſto remunerationem mereri poteris, cui in talibus ſanctis tantarum deliciarum copiá præparaſti? O quanto melius, quæcunque illa es, quanto melius & ſalubrius pauper fueras & egeſtuoſa, quàm diues: paupertas enim te Deo inſinuare potuiſſet, diuitiæ ream eſſe fecerunt. Rectius ergo per indigentiam ſalua * fieres, quàm per opes tuas & te & alios prægrauaſſes: te ſcilicet, dum malè alijs relinquis: alios, dum a te relicta & ipſi vſu *inhumaniſſimo malè poſſident, & poſt ſe malè alijs derelinquunt. Si vis ergo, quæcunq; illa es, ſi vis tibi eſſe conſultum, ſi vis æternam habere vitam, & cupis videre dies bonos, relinque ſubſtãtiam tuam indigentibus ſanctis, relinque claudis, relinque cæcis, relinque languentibus, ſint facultates tuæ alimenta miſerorum, ſit opulentia tua pauperũ vita, vt illorũ refrigeria præmia tua ſint, vt illorũ refectio te reficiat. Si enim illi de tuo ẽdent, tu ſaturaberis, ſi illi de tuo biberint, tu ſitis tuæ æſtum ardoremq; reſtringes; te illorum veſtitus veſtiet, te illorum apricitas delectabit. Non ergo vile ac deſpicabile putes ſi ſubſtantiam tuam miſeris atque egentibus derelinquas, Chriſtũ in illis facies hæredem. Et quid dicam de Chriſti nomine? Chriſtum quidem hæredem facis, ſed hæreditatis emolumenta percipies: quæcunq; enim Chriſto reliqueris, per Chriſtũ omnia poſſidebis. Sed hæc tu, vt reor, friuola eſſe iudicas, & quaſi ſomnia quædá ac deliramenta contemnis: non enim credis Chriſtum vera dixiſſe, & res probabat nequaquam te ei credere: nam qui mandata eius nec in poſtremis facis, aut nulla eſſe omninò æſtimas, aut falſa eſſe cõdemnas. In quo quidẽ lugere omnes

Luc. 12.
Religioſus negligens peccat grau.

1. *Pet.* 4.
Ezech. 9.
Matt. 25.

B

Eleemoſyna neceſſaria.

Fructus ſobrietatis eleemoſyna.

*exabundant.

C

Luc. 16.

Sobrietas parentum nepotum plerunq; ingluuies eſt.

Diuitiæ reos nos faciũt nõnunquam

*fueras

**al.* immaniſſimo.

D

E

ſanctos ac flere conuenit, nulli te & alios tui ſimiles, nulli minus quàm Chriſto credere. Si tibi quicunq; ex cauponibus quid promitteret, fidem promittenti non abnegares: ſi mutuum quidpiam propola aut ſalſamentarius poſtularet, redditurum cùm non diffideres quæ dediſſes. Mendacibus deniq; interdũ atq; periuris cautione facta, & dato fideiuſſore, res creditur: Chriſt⁹ tibi & fideliſſimá cautionẽ & fideiuſſores optimos dedit, cautionem ſcil. in Euangelio, fideiuſſores Apoſtolos ſuos: etſi id parum eſt, Patriarchas, Prophetas, Martyres ſuos, totá deniq; diuinarum literarũ ſeriem, & nõ credis ei, nec fidem commodas? Quẽ rogo tam prodigũ inter homines, ac tam miſerum inuenire poſſis, cui fidem ſub tot fideiuſſoribus denegares? Das itaq; res tuas diuitibus, & egenis negas. Das luxurioſis & negas ſanctis. Das cuicunq; fortaſſe perdito, & negas Chriſto. Prout ergo iudicaſti, ſic iudicaberis: ſicut elegeris, ſic recipies. Nõ habebis cum Chriſto partem, quem deſpexiſti, cũ his habebis quos prætuliſti. Sed dicit fortaſſe aliquis ex infidelium numero nõ dignã eſſe cauſam, quæ vel Deum moueat, vel homines in æternũ periculũ trahat. Scio quidem quod omnes rei, veniabiles putant ſemper reatus ſuos: nam & furta furibus leues culpæ ſunt, & innocua ebrioſis videtur ebrietas, & apud impudicos fornicatio ſcelus non eſt: quia nullũ omninò tam grande crimen eſt, quod nõ cuius facinore committitur, eius ſentẽtia ſubleuetur. Sed ſi quis vult ex peccatoribus ſcire, quàm grauiter cenſenda à Deo ſint magna crimina, diſcat qualiter in ſemetipſis puniant ſancti etiá leuia peccata, cõſcij ſcil. iam ex ipſius Dei dicti futuri examinis, ac per Domini ſui verba, etiá iudicia rimantes, & ideò ſemper in Dei opere, ſemper in compũctione, ſemper in cruce poſiti: beati, qui cùm omniũ miſereantur, ſibi nunquá penitus ignoſcant, in nullo ſibi parcẽtes, ſed totos ſe admodũ Deo impendentes, & ideò in futuro iudicio digni præmio, quia hic apud ſe iugiter in reatu. Nam de miſericordia eorũ ac largitate quid dicam? quæ virtus apud eos quaſi virtutum omnium initiatrix eſt. Plerique enim eorum hæc habent quaſi exordia, & quaſi incunabula conuerſionis ſuæ, vt priuſquam limen ſanctę profeſſionis introeant, de proprijs ſibi facultatibus nil relinquant, ſecũdùm illud ſcilicet Domini noſtri dictum, quo ait: *Vende omnia bona tua, & da pauperibus, & veni ſequere me.* Et illi itaque ſecuturi vocantem Deũ, prius vendunt omnia quàm ſequantur: diuitias enim onerum atq; impedimentorum loco eſſe ducentes, expeditos ſe non putant ad ſequendũ Deum, niſi omnia prius carnaliũ ſarcinarũ impedimenta proiecerint, ſimul vt more hominũ commigrantiũ prius ad locũ habitaculi deſtinati res ſuas transferant, quàm ſe ipſos ſcilicet, vt cùm ea vniuerſá quę ad ſe pertinent tranſtulerint, tunc ipſi in plenã ac refertã bonis immortalibus domum præmiſſa rerum omniũ facultate cõmigrent: ſecuri abſq; dubio, nihil ſibi poſtea defuturũ, qui exituri de habitaculo vili & contẽptibili, ac iam iamq; ruituro nihil illic de ſuo penitus reliquerint quod periret. Hæc ergo ſanctorũ ſpes, hæc fiducia eſt, ſic ſibi opulenta rerũ tranſmiſſione proſpiciunt, vt æternis immortalium facultatũ copijs perfruantur. Cæterùm tu quicunque ille es, aut quæcunq; quæ animæ tuæ ac ſalutis oblita, ipſa te reſculis tuis ſpolias, quomodo in futuro quaſi condita ac parata reperies, quę hic aut non indigentibus, aut etiam abundantibus deputaris? Quomodo reddenda tibi à Deo credis, quæ Deo ipſe non credis? Nemo enim ſibi ſolui vult, quæ non commodat, nec tam ſtultus eſt, vt quę non fœnerauerit putet eſſe reddenda. Et ideò tu nequaquam à Deo quaſi reddendum ſperare poteris, quod Deo vtiq; non credẽs reddere tibi Deum ipſe nolueris. Vnde compleatur dictum in te diuinum illud neceſſe eſt, quia *reliquiſti* alijs, vel *alienis diuitias tuas; ſepulchrum tuum* erit *domus tua in æternum.* Et illud quod Saluator ad ſimilem tui loquitur: *quia tepidus es, ſed neque feruens, neque frigidus, incipiam te euomere ex ore meo. Et illud dicis: diues ſum, & diuitias habeo, & nullius egeo, & neſcis quia tu es miſer, & pauper, & cæcus, & nudus.* Nemo itaque ſibi in vita, in morte, in actu, in dono, in teſtamento ſuo hominem Deo præferens, de vitæ ac profeſſionis prorogatiua aliquid

Chriſtus fideiuſſores dedit nobis promiſſorum ſuorum.

F

G

Miſericordia pro incunabulis eſt Chriſtianis.

Matt. 19.

H

Pſal. 48.

Apoc. 3.

blan-

A blandiatur: pœnaliſeſt homini ac pernicioſa ſecuritas: præſumptæ ſpes, ſarcinæ ſunt reatus: vſurpata abſolutio damnationem parit: quicunque ſibi ſe excuſat, accuſat Deo, ſecundum illud: *nam qui ſe exiſtimat eſſe aliquid cùm nihil ſit, ſeipſum ſeducit.* Nemini itaque facilis ſua cauſa ſit, nullus difficilius euadit, quàm qui ſe euaſurum eſſe præſumpſerit. Dura hæc forſitan atque auſtera videantur. Quid ni? *Omnis enim diſciplina*, vt ait ſermo diuinus, *non eſt gaudij, ſed mœroris.* Dura hæc & auſtera ſunt. Sed quid facimus, non licet rerum mutare naturas, & enuntiari aliter veritas non poteſt, quàm vis ipſa exigit veritatis. Dura hæc quidam putant ſcio & ſatis certus ſum. Sed quid facimus? niſi duris non itur ad regnum: *arcta enim*, inquit Dominus, *& anguſta via eſt quæ ducit ad vitam*: & Apoſtolus: *Exiſtimo*, inquit, *quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabuntur in nobis.* B Indignum eſſe ad futuræ gloriæ comparationem omne opus dicit humanum, & ideò nihil durum aut auſterum Chriſtianis videri debet: quia quantalibet pro ſempiterna beatitudine Chriſto offerant, vile eſt quod datur, vbi tam grande eſt quod accipitur. Nihil magnum in terris ab homine Deo ſoluitur, vbi quod eſt in cœlo maximum comparatur. Durum eſt auaris vt largiantur ſua. Quid mirum? Totum durum eſt quicquid imperatur inuitis. Pænè omnis ſermo diuinus habet æmulos ſuos: quot genera præceptorum ſunt, tot aduerſariorum; ſi largitatem eſſe in hominibus iubet Dominus, auarus iraſcitur: ſi parſimoniam exigit, prodigus execratur: ſermones ſacros improbi hoſtes ſuos dicunt: horrent raptores quicquid de iuſtitia ſcribitur: horrent ſuperbi quicquid de humilitate mandatur: aduerſantur ebrioſi, vbi ſobrietas indicitur: deteſtantur impudici, vbi caſtitas imperatur. Aut nihil ergò dicendum eſt, aut quicquid dictum fuerit, cuicunque ſupradictorum hominum diſplicebit. C Mauult quilibet improbus execrari legem, quàm emendare mentem: mauult præcepta odiſſe, quàm vitia. Inter hæc quid agant, quibus loquendi à Chriſto officia mandantur? Deo diſplicent, ſi tacent: hominibus ſi loquuntur. Sed vt Iudæis Apoſtoli reſponderunt, * *Expedit magis Deo obedire, quàm hominibus.* Do tamen conſilium omnibus, quibus grauis & oneroſa eſt lex Dei, ſi accipere non recuſant, quemadmodum placere eis poſſint quæ Deus præcipit. Cuncti enim qui oderunt mandatum ſacrum, cauſam odij in ſeipſis habent, omne faſtidium non in præceptis legis, ſed in moribus ſuis. Lex quippe bona eſt, ſed mores mali, ac per hoc mutent homines propoſitum & affectum ſuum. Si enim mores ſuos probabiles eſſe fecerint, nihil eis ex eo quod lex bona præcipit, diſplicebit: quando enim bonus quis eſſe cœperit, non poteſt non diligere legem Dei, quia hoc intra ſe habet lex Dei ſancta, quod ſancti homines in moribus.

Gal.6.

Heb.12.

Matt.7.

Rom.8.

Inuitis omnia dura ſunt.

*oportet

Act.5.

Gratia Domini noſtri cum ſpiritu tuo, Amen.

D

F I N I S.

DE SALONIO ET VERANIO, EX S. EVCHERII LVGDVNENSIS GALLIARVM EPISCOPI EPISTOLA DEDICATORIA, II. LIBRORVM DE INſtructionibus ſiue quæſtionibus difficilioribus veteris & noui Teſtamenti ad Salonium: Item etiam ex Saluiano, per M.D.L.B.

DIgnum eſt quacunque cura mea ingenium tuum remunerari, qui vixdum 10. natus annos Eremũ ingreſſus, inter illas ſanctorum manus nõ ſolum imbutus, verum etiam enutritus es ſub Honorato patre, illo inquam primùm Inſularum, poſtea etiam Eccleſiarum Magiſtro; cùm te illic beatiſſimi Hilarij tunc Inſulani tyronis, ſed iam nũc ſummi Pontificis doctrina formaret per omnes ſpiritualium rerum diſciplinas; ad hoc etiam te poſtea conſummantibus ſanctis viris Saluiano atque Vincentio, eloquentia pariter ſcientiaq́; praeminentibus. His igitur tot ac talibus vſus magiſtris, &c. Hactenus Sanctus Eucherius; Qui cùm Veranio item filio in Chriſto, Librum Formularum intelligentiæ ſpiritualis pro ſtudio paternæ erga illum ſolicitudinis compoſuiſſet ac miſiſſet, Saluianus in ea Epiſtola quæ ad finẽ illorũ S. Eucherij librorũ habetur; *admirãdiſſimos illos iuuenes (ſic enim Salonium & Veranium appellabat) multis ac magnis laudibus proſequitur, & eſſe magiſtros Eccleſiarũ iam cœpiſſe ait: Vide itaque illam Saluiani Epiſtolam qui plura ſcire voles.* F

Salonium fuiſſe Epiſcopum certum eſt; at fuiſſe Viennenſem Epiſcopum magnis argumẽtis in dubium reuocat Baronius Tom. 6. Annal. anno 441. cap. 12. G

EX BELLARM. DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

SAlonius S. Eucherij filius, & Saluiani diſcipulus, ſcripſit in *Prouerbia & Eccleſiaſten Salomonis dialogum*, qui extat. An Epiſcopus fuerit Viennenſis necne, diſputat Cardinal. Baronius Tom. 6. Annalium, ad annum Dom. 441.

SALONII VIENNENSIS GALLIARVM EPISCOPI OPVSCVLA. SALONII, GALLIARVM EPISCOPI, VIENNENSIS IN parabolas Salomonis, Explicatio myſtica. H

Interloquutores,

VERANIVS, ET SALONIVS.

VERANIVS.] Parabolæ qua lingua dicuntur? S. Græca: Latina verò interpretantur, Similitudines. V. Quare Salomon huic libro nomen iſtud impoſuit? S. Vt per hoc demonſtraret, quia nõ iuxta literam, ſed aliter & ſpiritualiter intelligere debemus, quod dicit. V. Quid ſignificat Salomon, quod per Parabolas locutus eſt? S. Dominum Ieſum Chriſtum, quia per parabolas locuturus erat turbis Iudæorum. Nam & ipſo uo-

A

mine ſuo, eundem Dominum Ieſum Chriſtum ſignificat. V. Quomodo ergò interpretatur Salomon? S. Pacificus, ſiue amabilis: Significat autem illum de quo dicit Apoſtolus: *Chriſtus pax noſtra, qui fecit vtraque vnum.* Et item, *Pacificans per ſanguinem ſuum, ſiue quæ in cœlis ſunt, ſiue quæ in terris.* Item quod Salomon, amabilis interpretatur, aptiſſimè illum ſignificat cui loquitur Pater dicens: *Tu es filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* V. Quid ſignificat ipſo pacifico regni ſui ſtatu? S. Perenne Chriſti & Eccleſię regnum, de quo ſcriptum eſt: *Et regni eius non erit finis.* V. Quare iuxta LXX. Interpretum tranſlationem hæc dicta Salomonis, non Parabolæ, ſed Prouerbia nominantur? S. Sicut Parabolæ dicuntur, quia occulta ſunt & ſecreta myſteria ſignificant; ſic & Prouerbia congruè vocantur, quia talia ſunt quæ ſæpius in ore fidelium verſari, & memoriæ commendari ac retineri debeant.

Epheſ.2. *Coloſ.1.c* *Matth.3.d* *Luc.1.c* *Prou.1.a*

B

V. Quid vtilitatis Parabolæ Salomonis tribuunt? S. Sapientiam videlicet & diſciplinam; & hoc eſt quod ait: *Ad diſcendam ſapientiam & diſciplinam.* V. Quid diſtat inter ſapientiam & diſciplinam? S. Sapientia eſt Diuinarum rerum cognitio; Diſciplina vero eſt ſanctæ & puræ vitæ conuerſatio. V. Quid eſt ergo diſcere ſapientiam? S. Scire & intelligere, quomodo rectè credere debeas. V. Quid eſt diſcere diſciplinam? S. Cognoſcere, qualiter vnumquemque oporteat viuere, & quid operando cõueniat agere, & quò debeat intentionem cordis dirigere. Sequitur: *Timor Domini principium ſapientiæ.* V. Quot ſunt timores Domini? S. Duo, hoc eſt, ſeruilis & ſanctus. V. Seruilis quare dicitur? S. Quia veluti ſerui Domino ſeruimus timore gehennæ, ne ad tormenta ducamur. V. Sanctus timor quare dicitur? S. Quia ſicut bonus filius timet, ne vel in modico offendat oculos amantiſſimi patris; ſic & qui perfecti ſunt in Eccleſia, timent, ne peccando offendant oculos Dei. V. Quis ex illis duobus ſapientior? S. Seruilis, quia quicunque ſapere incipit, hoc eſt, poſt peccata ſe cognoſcit erraſſe; primò, diuino timore corripitur, ne ad tormenta trahatur.

De timore ſeruili & filiali.

C

V. Timor verò ſanctus quid operatur? S. Auget ſapientiam, quoniam *perfecta charitas foras mittit timorem* illum ſeruilem. *Timor* verò *ſanctus permanet in ſæculũ ſæculi.* V. Quid eſt quod Salomon dicit, *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Nunquid non ſolent aues ſæpè retib. capi? S. Solẽt vtiq;. V. Qui ergo ſunt iſti pẽnati? S. Sancti & electi viri, qui habent pennas fidei, ſpei & charitatis, cæterarumq; virtutum quibus ad cœleſtia contemplãda volant: habent & ſpiritales oculos, quibus & inſidias hoſtis antiqui præuident, & peccata præcauent. Fruſtra ergò, id eſt, in vanum, iacitur rete ante oculos pennatorum, id eſt, laqueus inſidiarum diaboli obijcitur ſanctis & electis viris, quia facilè in terra ſuperare poſſunt inſidias diaboli, qui ſuam conuerſationẽ habent in cœlis. V. Quę eſt ſapientia de qua dicit Salomon, *Sapientia foris prædicat, in plateis dedit vocem ſuam?* S. Chriſti Ieſu qui eſt Dei virtus & Dei ſapiẽtia, ſicut dicit Apoſtolus. V. Hæc ergò ſapiẽtia quomodo foris prædicat? S. Intus prædicauit, id eſt, in ſecreto, ante quam pateretur, quia paucis (id eſt, ſolis diſcipulis) myſteria ſuæ diuinitatis oſtendit: poſt reſurrectionem verò ſuam foris prædicauit, quia miſſo deſuper Spiritu ſancto, apertè ſe per Apoſtolos, quòd Dei filius eſſet, mundo declarauit.

1.Ioan.4.d *Pſal.18.c* *Prou.1.a*

D

V. Quomodo in plateis dedit vocem ſuam? S. Quia quæ ante in ſecreto & in occulto, & in vno tantum Iudęorum populo docuerat, poſtea in latitudine plebium, & coram omnibus gentibus manifeſtè prędicat per Apoſtolos, iuxta hoc quod eis præcepit, dicens: *Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine*; hoc eſt, in manifeſto; *& quæ in aure auditis, prædicate ſuper tecta*, id eſt, apertè & coram omnibus. V. Quid eſt quod ait: *In capite turbarũ clamitat.* S. Per caput deſignantur principes Iudæorum. In capite turbarum clamitabat, quia principibus Iudęorũ, homicidium quod in eum patrauerant, palam per Apoſtolos ad memoriam reducebat, & eoſdem ad pœnitentię remediũ vocabat. V. Quomodo intelligendum eſt quod ſequitur: *In foribus portarum vrbis profert verba ſua.* S. Per Vrbem, ſancta deſignatur Eccleſia, congregata de vtroque populo, Iudæorum videlicet & Gentium. Fores portarum huius vrbis, ſancti Doctores fuerũt, qui verbum Euangelij prædicando, credentes in eam introduxerunt. Sapientia ergo in foribus portarum vrbis verba ſua proferebat, quando Chriſtus in Apoſtolis ſuis loquebatur.

E

V. Quid eſt quod ait; *Inclina cor tuum ad intelligendam prudentiam?* Quomodo poteſt homo inclinare cor? S. Ille inclinat cor ſuum ad cognoſcendam prudentiam, qui humiliat ſe & emundat animum ſuum à peccatis, vt dignus fiat ad percipienda myſteria diuinitatis. V. Quid eſt quod dicit; *Ne innitaris ſapientiæ tuæ?* Quis enim innititur ſapientiæ? S. Ille, qui ſua ſapientia, aut ſuis viribus confidit ſe poſſe implere diuina mãdata. V. Ecce iterum dicit: *Ne ſis ſapiens apud temetipſum.* Quis enim eſt ſapiens apud ſemetipſum? S. Ille certè qui ſe præ cæteris quaſi doctor extollit, & iactat de his quæ ex dictis Patrum rectè cognoſcere ac intelligere potuit. V. Quæ eſt ſapientia vera hominis? S. Timere Dominum & recedere à malo; & hoc eſt quod mox ſequitur: *Time Dominum, & recede à malo.*

Prov. cap.2. *Cordis fluxus.* *Prvo. cap.3.*

F

V. Vnde ſcis, quod hęc vera ſapientia hominis? S. Quia in libro Iob ſcriptum eſt, *Ecce timor Domini ipſe eſt ſapientia, Et recedere à malo, intelligentia.* V. Quis ille homo de quo Salomon dicit: *Beatus homo qui inuenit ſapientiam?* S. Chriſtianus fidelis & Catholicus. V. Quando iſte inuenit ſapientiam? S. Cùm doctrinam veritatis, id eſt, Euangelij, corpore ſimul & corde percipit, & in Scripturis ſanctis, Domini voluntatem ſtudet cognoſcere. V. Quando affluit prudentia? S. Quando cum magno amore & ſui conditoris dilectione audit præcepta diuina, & opere ſtudet implere. V. Quid eſt quod ait; *Viæ eius pulchræ, & omnes ſemitæ eius pacificæ?* Quæ ſunt iſtæ viæ ſapientiæ, aut quæ ſunt ſemitæ eius? S. Viæ ſapientiæ ſunt actiones Domini quas geſſit in carne, ſiue doctrinæ ipſius quæ continentur in libris Euangelij; quæ viæ pulchræ ſunt, quia diuinæ. Semitæ ſapientiæ, ſunt pręcepta & mãdata Domini, quæ ad pacem æternam: pacificæ, quia omnia præcepta Domini ad pacem æternam perducunt. V. De qua Lege, aut de quo conſilio dicit Salomon, cùm ait: *Cuſtodi legem atque conſilium?* S. De Lege videlicet ac conſilio ſapientiæ Domini Ieſu Chriſti.

G

V. Quæ eſt lex ſapientiæ? S. Lex ſapientiæ eſt, quæ dicit: *Si vis ingredi ad vitam, ſerua mandata, id eſt, non occides, non mœchaberis, non furtum facies,* &c. V. Quod eſt conſilium ſapientiæ? S. *Si vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes, & da pauperibus,* &c. Quid eſt quod ait; *Abominatio Domini eſt omnis illuſor.* Quis eſt illuſor, S. Illuſor eſt qui verba Dei peruerſè intelligendo & docendo corrumpit. Illuſor eſt, qui ſuos proximos ſimplices & pauperes inſultando contemnit. Illuſor eſt, qui magna Dei promiſſa quaſi parua deſpicit, & pęnam æternæ damnationis quaſi tolerabilem ſpernit. Omnes hos tales abominatur Dominus, & cum ſimplicibus eſt ſermocinatio eius, quia illos gratia cœleſtis ſapientiæ illuminat, quia nihil in ſe duplicatum habent. V. Quare Salomon dicit: *Et ego filius fui patris mei, tenellus & vnigenitus coram matre mea?* Quomodo vnigenitus fuit coram matre ſua, cùm præceſſerit eum frater vterinus, ſicut Scriptura ſancta libri Regum teſtatur. S. Verum eſt quia præceſſit eum frater vterinus, ſed ille mox mortuus eſt: quaſi nunquam fuiſſet, ſine nomine ab hac vita diſceſſit, propterea ſe vnigenitum appellat. V. Quare dicit, *Non declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Quis enim ſe ita continere poterit, vt corpus ſuum in dexteram partem aut in ſiniſtram non declinet?

Matt.19. *Mar.10.* *Luc.18.* *Illuſor, propriè quis ſit.* *Prov. cap.4.* *1.Reg.12.*

H

S. Nemo; ſed per dexteram deſignatur via bona, per ſiniſtrã via mala & reproba. Non prohibet ambulare in dextera via, ſed declinare ad dexterã. V. Quis ergo declinat ad dexterã vel ad ſiniſtram? S. Iuſtus declinat ad dexteram, qui de ſua iniuſtitia & ſuis virib. præſumit: Iniuſtus declinat ad ſiniſtram, qui propter carnis fragilitatẽ ſaluari ſe poſſe deſperat. Declinat ad dexteram, qui vult *plus ſapere quàm oportet* ſapere: Declinat ad ſiniſtram, qui ſeruit ſtultitiæ. V. Cur ergo dicit paulò inferius, *Vias quæ à dextris ſunt, nouit Dominus?* S. Per vias quæ à dextris ſunt, deſignãtur ſanctæ actiones & opera bona: Hæc enim nouit Dominus, id eſt, dirigit, & placent illi. Vnde & econtra in iudicio dicturus eſt reprobis, *Non noui vos*: hoc eſt, non vos elegi, non enim mihi placetis, quia non vos video in luce mea, nõ vos video in iuſtitia mea. V. Quid eſt quod dicit: *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli.*

Dextera vel ſiniſtra quæ ſit, myſticè. *Rom.12.a* *Matt.7.* *Prov. cap.5.*

A

li. De quo honore dicit, aut quos vocat alienos? S. De honore dicit, quo factus eſt homo ad imaginem Dei: Alienos, dæmones appellat, & eſt ſenſus: Ne honorem tuũ, quod ad imaginem Dei creatus es, malè viuendo ſubdas immundis ſpiritibus. V. Quem appellat crudelem; aut de quibus annis dicit? S. Annos vocat ſpacia vitæ; Crudelem diabolum, & eſt ſenſus: Spacia vitæ, quæ tibi dedit Deus malè viuendo ne tradas diabolo. V. De qua ciſterna docet Salomon bibere aquam, aut de quo puteo fluenta, cùm dicit: *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui?* S. Ciſternam vocat, Catholicam, id eſt, Veteris & Noui Teſtamenti doctrinam: puteum verò profunditatem & altitudinem eiuſdem Catholicæ doctrinæ: aquam, ſcientiam: fluenta copiam & abundantiam ſcientiæ, id eſt, varios ſacræ Scripturæ appellat intellectus. Docet enim his verbis, cauere à doctrina hæreticorum & attendere lectionibus ſacrarum Scripturarum, & eſt ſenſus: *Bibe aquam de ciſterna tua*, id eſt, ſerua & opere imple doctrinam quam alijs prædicaris. *Et fluenta putei tui*, id eſt, abundantia ſermonis tui, ſeu ſcientiæ influenter in te redundet operibus bonis.

B

V. Quare dicit Salomon; *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide*, cùm ſtatim ſubiungat: *Habeto eas ſolus, ne ſint alieni participes tui*: Si fontes noſtros foras deriuamus, & in plateis aquas diuidimus, quomodo ſoli eas habere poſſumus. S. Quamuis in verbis ſonare videatur, tamen nulla eſt contrarietas, quia hę ſententiæ non poſſunt niſi ſpiritualiter intelligi. Fontes ergo noſtros foras deriuamus, cùm alijs vim prædicationis infundimus, cùm verba ſacræ Scripturæ alijs annũciamus. In plateis aquas diuidimus, cùm populis prædicamus. Platea namq; dicta eſt à latitudine; eſt enim Græcus ſermo. In plateis ergo aquas diuidimus, quando in multitudine Auditorum verba ſcientiæ dilatamus, & iuxta vniuſcuiuſque qualitatem diuina eloquia diſpenſamus. V. Si aquas in plateis diuidere debemus, quomodo ergo eas ſoli habere poſſumus? S. Aquas in plateis diuidimus, quando alijs verba diuina latè prædicamus, & tamen ſoli aquas habemus, quia de ipſa prædicatione humanas laudes non quærimus.

C

Pſal. 48.

V. Quid eſt quod dicit: *Ne ſint alieni participes tui.* S. Alienos vocat dæmones, de quibus dixit Pſalmiſta: *Alieni inſurrexerunt ſuper me, & fortes quæſierũt animã meam*, &c. Tunc enim malignos, id eſt, immundos ſpiritus in prædicatione participes & ſocios nobis facimus, quando per ſuperbiam intumeſcimus, & de prædicatione noſtra inanem gloriam deſideramus.

PROV. CAP. 6.

V. De quo homine dicit Salomon; *Nam Apoſtata vir inutilis graditur ore peruerſo?* S. Apoſtatam hominem appellat ſchiſmaticum, qui laborat ſcindere vnitatem Eccleſię. V. Qua lingua dicitur apoſtata? S. Græca; quod interpretatur in Latino ſermone, refuga & recedens à veritate.

Schiſmaticorum ingenium

V. Quare ergo ſchiſmaticus dicitur apoſtata? S. Quia more ſuperbientis Angeli, intus prius intumeſcit & cadit à mentis ſuæ ſtatu, quia ſic ab amore ſui Conditoris & à veritate recedit: Niſi enim prius à veritate recederet, in Eccleſia iniuſtitiam non diſſeminaret. V. Cur ergo de illo dicitur; *Annuit oculis, terit pede, digito loquitur?* S. Interior mentis cuſtodia, quæ membra exterius ſeruat ordinata: hic ergo apoſtata, quia ſtatum & cuſtodiam perdidit, idcircò Dominica membra exteriora habet ex morte, & tulit inordinata.

D

PROV. CAP. 8. b

V. Quid eſt quod de Lege ſua dicit: *Liga eam in digitis tuis, ſcribe eam in tabulis cordis tui?* Quis enim Legem in digitis ligare poteſt? aut ſi fecerit, quæ vtilitas erit? S. In digitis dicit, id eſt, in actibus: Legem enim in digitis ligat, quicunque in bonis operibus eam ſtudet implere & exornare. In tabulis cordis, dicit; id eſt, in latitudine cogitationis. Scribit ergò Legem in tabulis cordis ſui, qui eam cum gaudio ſuſcipit & memoriæ commendat.

Permittẽte Deo regnant impij principes.

V. Quid eſt quod ſapientia dicit; *Per me Reges regnant, & conditores Legis iuſta decernunt; Per me principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam.* S. Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia. V. Nunquid Chriſtus omnibus tyrannis impijs & principibus dat regnum & imperium? S. Non vtique, veruntamen ipſo permittẽte, impij Reges & principes ſuſcipiunt regna vel imperia, quia ſcriptum eſt in libro Iob: *Permittit regnare hypocritã propter peccata populi.*

Iob. 34.

Sed in hoc loco, Reges, ſanctos dicit Apoſtolos, qui primum ſemetipſos, deinde Eccleſiam ſibi cõmiſſam fideliter regere nouerunt. Siue Reges appellat omnes ſanctos, qui ſeipſos & alios bene regere ſciunt.

E

V. Quos appellat conditores Legum. S. Vtriuſque Teſtamenti ſcriptores. V. Quos vocat principes & potentes? S. Cæteros Doctores & rectores fidelium: Omnes enim iſti per ſapientiam Dei Patris habuerunt regnum, principatum & imperium; id eſt, per Chriſtum acceperunt, vt aliquid boni eſſent, vnde ipſe dicit: *Sine me nihil poteſtis facere.*

Ioh. 15. a

V. Quid eſt quod ſapientia dicit; *Delectabar per ſingulos dies ludens coram eo*, id eſt, coram patre omni tempore ludens in orbe terrarum. V. Nunquid Sapientia, id eſt, Dei filius, pueriliter ludebat coram Patre? S. Abſit: Sed quod dicit, *ludens*, intelligendũ eſt, gaudens. Ludebat enim per ſingulos dies, id eſt, gaudebat ſe eſſe vnum, id eſt, vnius ſubſtantiæ cum Patre, à principio, ex diebus æternitatis.

F

V. Quòmodo ludebat omni tempore in orbe terrarum. S. Quia cùm tempora, Orbis, & creaturæ eſſe cœpiſſent, ipſe filius gaudebat, quia ipſe quod erat, ſemper in Patre manebat.

PROV. CAP. 9.

V. Quid eſt quod ait: *Sapientia ædificauit ſibi domũ*, & quam domũ ædificauit ſibi. S. Sapientia, id eſt, Dei filius, ædificauit ſibi domũ, qui ipſe creauit hominem in vtero Virginis, quem in vnitate ſuæ perſonę aſſumpſit.

Chriſtus aſſumpſit hominem in vnitate perſonæ.

V. Quomodo excidit columnas ſeptẽ. S. Septem columnas excidit, quia per ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti erexit Eccleſias per orbem terrarum, quæ ſicut columnæ ſuſtentando continent memoriam eius; id eſt, myſterium Incarnationis ipſius. V. Poteſt aliter intelligi? S. Verè poteſt: Sapientiæ domus, Eccleſia Chriſti eſt; Columnæ autem domus huius, ſancti Doctores; quæ columnæ bene eſſe ſeptem dicuntur, quia ſancti Doctores repleti ſunt ſeptiformi gratia ſancti Spiritus. V. Quomodo ergo excidit Sapiẽtia has columnas? S. Excidit columnas, quia mentes prædicatorũ ab amore præſentis ſæculi ſeparauit, & erexit eos ad portandam eiuſdẽ Eccleſiæ fabricam.

PRVO. CAP. 10.

V. De quibus ancillis dicit paulò inferius: *Miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* S. Ancillas vocat ſanctos Apoſtolos.

G

V. Quare vocat eos ancillas? S. Propter inſipientiam, infirmitatem, & paupertatem; idiotas enim, infirmos, pauperes & deſpectos elegit Apoſtolos, quos ad prædicandũ miſit in mundum, vt fideles populos vocarent ad arcem æternæ beatitudinis, & ad mœnia cœleſtis Ieruſalem. V. Quis eſt *filius ſapiens* qui *lætificat Patrem*; aut quis eſt *filius ſtultus* qui *mœſtitia eſt matri ſuæ?* S. Ille qui accepta fidei ac baptiſmatis myſteria bene ſeruat & opere implet, filius ſapiens eſt: ille proculdubio lætificat Deum Patrem: qui verò accepta fidei ac Baptiſmatis ſacramenta, malis operibus vel hæretica prauitate corrumpit, filius ſtultus eſt; hic nimirum eſt mœſtitia matri ſuæ, videlicet Eccleſiæ; quia contriſtat eam. V. Quid eſt quod ait: *Stultus labijs verberabitur?* Quomodo poteſt homo ſtultus labijs verberari? S. Verberatio in hoc loco, damnationem ſignificat. Stultus ergò labijs verberabitur, quia propter verba iniqua & mala quæ locutus eſt, condemnabitur. Vnde & alibi dicit * Moſes,

* *Melius* Salomon. *Prou 18.*

Et vita in manibus lingua, quoniam vnuſquiſque aut ex verbis ſuis condemnabitur, aut ex verbis ſuis iuſtificabitur.

Matt. 12.

V. Cur dicitur habere manus, lingua, cùm manus habere non poſſit? S. Metaphoricè dictum eſt, id eſt, per tràſlationem, quemadmodum Venti dicuntur habere pennas: Manus enim linguæ, ipſa verba ſunt, quibus aut bona loquẽdo meretur vitam, aut mala loquẽdo meretur mortem: aliter per manus ſæpè in Scripturis ſacris opera deſignantur, vt illud, *Labores manuum tuarum quia manducabis.*

Pſ 17. 103. & alias in Scriptura, frequentiſſimè.

H

Pſal. 127.

In manibus linguæ, dicit, id eſt, in operibus. Opera enim linguæ, ſunt colloquia bona vel mala, ex quibus mors naſcitur aut vita. V. Quis ille piger, de quo dicitur: *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, ſic piger his qui miſerunt eum.* S. Piger eſt malè viuens Catholicus, qui non laborat nec operatur, vt ad æternam beatitudinem peruenire mereatur. Per acetum & fumum, hæreticorum deſignatur perfidia. Per oculos & dentes, Prædicatores ſanctæ Eccleſiæ, qui bene oculi dicuntur, quia recta itinera præuident. Pulchrè etiã dentes, quoniam ſpiritualia alimenta fidelibus miniſtrare ſolent. Ergo ſicut acetum dentibus, & fumus oculis, id eſt,

Prou. 10. verſ. 26.

ſicut

Digitized by Google

A

Hæreticorũ perfidia contraria eſt bonis Doctoribus.

PROV. CAP. 11.

ſicut perfidia hæreticorum eſt contraria bonis Doctoribus, quia cõtriſtat eos, & moleſtiam illis gignit & lachrymas; ſic piger, id eſt, Catholicus malus, grauis eſt eiſdem bonis Doctoribus qui miſerunt eum, hoc eſt, qui iuſſerũt vt fidem ſuam operibus impleret. Ideò etiam grauis eſt, quia fidem ſuam prauis operibus deſtruit. V. Quid eſt quod ait; *Manus in manu, non erit innocens malus*? Quomodo malus homo manus eſt in manu, & ideò nõ erit innocẽs? S. Qui manum iungit ad manum, nihil vtique operatur: malus ergo quamdiu fuerit manus in manu, non erit innocẽs; quia etſi ad tempus ſubtrahit manus ab opere malo, tamen quamdiu malus eſt, innocẽtiam cordis habere non poteſt, vnde ſuperius dicit: *Abominabile eſt Domino cor prauum.*

Prou. 11.

V. Quid eſt ergo manus in manu? S. Conſcientia praua in opere malo. V. Quomodo intelligendũ eſt quod ait; *Circulus aureus in naribus ſuis mulier pulchra & fatua*? S.

B

Quomodo circulum aureum ſi infixeris in naribus ſuis, id eſt, in naribus porci; ille dum pergit terram vertere ac fodere naſo, immergit circulum aureum in volutabrũ luti, & tunc perdit circulus aureus decorem quem habuit: Similiter mulier fatua, ſi habet pulchritudinem vultus, vel ſi accipiat ornamenta inaurium, monilium, ſimul & veſtimentorum, ſordidat pulchritudinem ſuam, & amittit decorem, ſi ſe cœno libidinis coinquinare diligit, & adulterijs corrumpit. V. Spiritualiter autem quomodo intelligenda eſt hęc ſententia? S. Quicunque ſacras ſcripturas intentè meditatur, & iugiter perſcrutatur diuina eloquia, accipit ornamenta ſcientiæ. Quòd ſi malè viuendo corrumpit & deſtruit quod bene intelligit, circulum aureum habet in naribus; ſed more porci, terram fodit, coinquinat & luto immergit, quia ornamentum quod per notitiam Scripturarum adeptus erat, immunda actione ſordidauit. Talis anima, eſt mulier pulchra & fatua: pulchra per ſcientiã; ſed dedita carnalibus delectationibus, fatua eſt per actionem. V. Quid eſt quod dicit; *Anima quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipſe quoque inebriabitur.*

C

Plures namque ſunt qui alios inebriant, ſed ipſi non inebriantur. S. Non dicit hoc de corporali ebrietate, ſed de ſpirituali anima, quæ ſi benedicit, impinguabitur, quia quæcunq; exterius prædicando benedicit, ſpiritualem benedictionem accipit, id eſt, gratia ſpirituali augetur & creſcit. Similiter qui ſacro eloquio mentes auditorum ſtudet inebriare, inebriatur & ipſe, ſanctiq; Spiritus infuſione repletur. V. Quare non dixit; *homo*; ſed, *anima quæ benedicit impinguabitur*? S. In Scripturis diuinis ſæpius poni ſolet pars pro toto, aut totum pro parte, ſecundum ſpeciem Grammaticę artis, quæ dicitur Synechdoche: ſic ergo in hoc loco pars poſita eſt pro toto homine. Totum verò ponitur pro parte, vt illud: *Tulerunt Dominum de monumento.* Dominum dicit, pro corpore Domini.

Synechdoche frequens in Scripturis.

Ioan. 20.

Prou. 11.

V. Quis eſt ille, de quo dicit: *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis*? Nunquid propterea maledicẽdus eſt aliquis, quia nõ in omnibus frumenta ſua miniſtrat? S. Frumenta, verba ſunt ſanctæ prædicationis: ergò quicunque abſcondit hæc frumenta, id eſt, verba ſanctæ prædicationis apud ſe retinet, & non vult annunciare alijs eloquia; iſte *maledicetur in populis*,

D

quia pro culpa ſilentij cõdemnabitur, quoniam multis prodeſſe potuit; ſed quia noluit, ideo pro multorum pœna iuſtè punietur. V. Qui ſunt illi qui vendunt frumenta, de quibus mox ſequitur: *Benedictio autem ſuper capita vendentium*? S. Illi vendunt frumenta, qui verba vitæ & ſanctæ prædicationis ſuis auditoribus annunciant. V. Quod precium accipiũt ab eis? S. Precium fidei, & confeſſionis ſanctæ. V. Quomodo veniet benedictio ſuper eorum capita? S. Quia ſingulis eorum dicturus eſt Dominus; *Euge ſerue bone & fidelis, quia*, &c.

Matt. 25.

V. Quid eſt quod ait; *Qui cõturbat domũ ſuam, poſſidebit ventos*? Quomodo poteſt aliquis poſſidere ventos? S. Domũ, in hoc loco, mentem appellat, in qua vnuſquiſque veluti in domo habitat per cogitationes: Ventos, immundos ſpiritus appellat. Qui ergo domum, id eſt, mentem ſuam, malis & noxijs cogitationibus perturbare non timet, iſte nimirum poſſidebit ventos, quia per malas cogitationes viam fecit dæmonibus, vt ingrediantur & habitent in ipſo. Poſſidebit vẽtos, id eſt dæmones ad condẽnationem ſui. V. Quomodo *mulier diligens corona eſt viro ſuo, & putredo in oſſibus eius, quæ confuſione res dignas gerit*?

E

PROV. CAP. 12.

S. Mulier bona & caſta honorem viro ſuo præbet in omnibus; & quia diligit eum & bene regit domum ipſius, Corona illi eſt, quia eius virtutibus addit gratiam, vnde coronatur à Domino: Adultera verò mulier, quamuis foris videatur ſpecioſa, putredo tamẽ eſt in oſſibus, quia intus fœtore luxuriæ ſuæ mẽbra coinquinat. V. Quomodo intelligendũ eſt quod ait: *Melior pauper eſt & ſufficiens ſibi, quàm glorioſus & indigus pane.* S. Verè melior eſt frater idiota & ſimplex qui operatur bona quæ nouit, vnde vitam æternam mercatur habere in cœlis, quàm glorioſus, id eſt, clarus doctrina & eruditione ſcripturarum, vel comptus Doctoris officio, qui indiget pane dilectionis, quia neq; Dominum diligit, neq; proximum. Vel certè ideò pane indiget, quia non operatur quæ intelligit, aut docet. V. Quis eſt homo verſutus qui cælat ſcientiam? Sic enim dicit: *Homo verſutus cælat ſcientiam.*

F

S. Verſutus hoc loco in bona ſignificatione ponitur, id eſt, ſapiens & prudens, vir ergò verſutus, id eſt, ſapiens & prudens aliquando de induſtria cælat ſcientiam, duabus videlicet de cauſis: vna quia infirmis auditoribus non poteſt *loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus*, id eſt, magna ſacrarum Scripturarum myſteria quæ nouit, non audet illis manifeſtare, ne fortè ſcandalizentur: altera, quia non vult *ſanctum dare canibus, neque mittere margaritas ante porcos.*

1. Cor. 3.

Matt. 7.

PROV. CAP. 13.

V. Quid eſt quod ait; *Vult & non vult piger*? Si vult, quomodo ergo nõ vult? S. Per pigrum, ille deſignatur qui ſe non vult exercere in bonis operibus. Vult ergo regnare piger cũ Deo, & non vult laborare pro Deo. Vult peruenire ad beatitudinem, & tamen non vult præcepta Chriſti implere, vt beatitudinem mereatur obtinere. De hoc enim Iacobus dicit; *Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus vijs ſuis.*

Iac. 1.

Prou. 13.

V. De quibus operibus dicit: *Anima autem operantium impinguabitur*? S. De illis dicit, qui bona operãtur, qui Domini ſtudẽt implere præcepta; illorum anima impinguabitur gratia ſpirituali, & dulcedine regni cœleſtis. V. Quare impinguabitur anima qui illorum bona operantur?

G

S. Quia poſt labores vitæ præſentis, inmarceſſibili mercede remunerabitur. V. Quis eſt nuncius impij, de quo dicit: *Nuncius impij cadit in malum*? S. Nuncius impij, id eſt, Angelus diaboli; Arrius fuit & Sabellius, cæterique hæretici Angeli ſatanæ: iſti nimirum ceciderunt in malum, id eſt, æternæ gehennæ tormentum.

Hæretici ſunt Angeli ſatanæ.

V. Quis eſt legatus fidelis, de quo ſequitur: *Legatus fidelis ſanitas*? S. Legatus fidelis eſt vnuſquiſque Catholicus Prædicator & Doctor, qui ſibi ſuiſq; auditoribus ſanitatem & ſalutem acquirit æternam.

Prou. 14.

V. Quare dicit; *Iacebunt mali ante bonos, & impij ante portas iuſtorum*; cùm in hac vita magis boni ſoleant iacere ante malos, & iuſti ante portas iniquorum? S. In nouiſſimo iudicio coronatis iuſtis, impij cõdemnabuntur, qui eos in præſenti vita affligebant, & idcircò dicit: *Iacebunt mali ante bonos, & impij ante portas iuſtorum.* Attamen quod dicit; *ante bonos, & ante portas iuſtorum*, non ad vicinitatem loci pertinet, quoniam mali & boni non ſibi erunt tunc vicini; ſed pertinet ad viſionem bonorum, quoniã boni ſemper videbunt tormenta malorum, vnde Deo liberatori ſuo maiores ſine fine referant gratias.

H

Prou. 16.

V. Quid eſt quod ait, *Pondus & ſtatera iudicia ſunt Domini, & opera eius omnes lapides ſeculi*? Quomodo pondus & ſtatera iudicia ſunt Domini? S. Quia Dominus *omnia in põdere & menſura, & numero* conſtituit.

Sap. 11. d

Pondus & ſtatera iudicia Domini ſunt, quia ſicut ipſe voluit, vnicuique menſuram fidei & gratiam Spiritus ſancti diſtribuit. V. Quos appellat lapides ſeculi? S. Iuſtos & fortes in fide: omnes enim lapides ſeculi, id eſt, ſancti & electi viri, opera ſunt Domini, quia nemo ſua virtute, nemo ſuo merito electus eſt à Domino, vt cœleſti ædificationi eſſet aptus, ſed ſola gratia & miſericordia ipſius.

Prou. 17.

V. Quid eſt quod dicit; *Corona ſenum, filij filiorum, & gloria filiorum patres eorũ*? Si mali ſunt filij filiorum, quomodo ſunt gloria in hoc loco, Patriarchas vocat & Prophetas, quorũ filij ſunt ſancti Apoſtoli: & filij filiorum, ſucceſſores Apoſtolorum, videlicet ſancti Prædicatores. Omnes enim iſti corona ſenum ſunt, id eſt, Patriarcharum & Prophetarum; quia digna laude celebrãt eos, per quorum exempla & vaticinia ad cogni-

A tionem gratiæ peruenerunt. V. Quomodo patres ſunt filiorum? S. Magna quippe eſt gloria Prædicatoribus Noui Teſtamenti, quòd filij veterum Patrum, id eſt Patriarcharum & Prophetarum eſſe meruerunt. V. Quare dicit; *Qui dimittit aquam, caput eſt iurgiorum.* Nunquid ille qui clauſam aquam decurrere dimittit, iurgia concitat? aut nunquid non magis vinum quàm aqua iurgia concitare ſolet? S. Figuratè hoc dictum eſt: Nam per aquam deſignatur lingua leuis, & fluxa; & qui immodicè linguam ſuam relaxat, caput eſt iurgiorum; quia qui linguam ſuam nõ refrenat, iurgia & lites concitat, & concordiam diſſipat. V. Dic mihi, quæſo, quomodo *in facie prudentis lucet ſapientia,* ſicut ait Salomon; *oculi autem ſtultorum ſunt in finibus terræ?* S. Prudens homo ſæpè in ipſa vultus claritate faciei ſuæ, ſolet præmonſtrare grauitatem ſui ſenſus, & claritatem

B intellectus. Stulti verò ad hanc imitãdam & ſectandam, videlicet grauitatem; oculos mentis non poſſunt attollere, ſed tota admiratione perquirunt, qualiter ad finem (hoc eſt, ad impletionem carnalium voluptatum) pertingere valeant. V. Nunquid ita ſolummodo intelligere debemus? S. Specialiter hoc de Chriſto debemus dictum intelligere. In facie namque prudentis (videlicet Saluatoris) lucebat ſapientia diuinitatis, quam ipſe in carne apparens, virtutum & doctrinæ teſtimonio demonſtrabat & confirmabat. Oculi verò ſtultorum (id eſt, Iudæorum non credentium) magis incendebantur terrenis deſiderijs, quàm ſalutaribus eius monitis atque doctrinis. V.

Prou. 18. Quid eſt hoc quod ait: *Donum hominis dilatat viam eius, & ante Principes ſpatium ei facit?* Quod eſt hoc donum quod dilatat viam hominis, & quod ante principes facit illi ſpacium? S. Donum hoc, donum eſt charitatis, ſiue aliarum virtutum, quas à Domino fideles accipiunt: hoc videlicet donum hominis, dilatat viam eius, id eſt, actionem; quia vnuſquiſq; fidelis quantò amplius gratia ſancti Spiritus intus repletur, tanto magis viam ſuam foris dilatat, id eſt, bonorũ operum greſſum multiplicat, quia quotidie in ſanctis deſiderijs & bonis operibus creſcit &

C augetur. V. Hoc donum quomodo facit homini ſpatium ante Principes? S. Quia inter magnos Eccleſiæ rectores, in foro tribuit illi culmẽ honoris, & gloriam æternæ beatitudinis. V. Quare dicit: *Abſcondit piger manum ſuam ſub aſcella, nec ad os ſuum applicat eam?* Quis enim eſt tam piger, qui comedendo vel bibendo, manum ad os ſuum nõ applicet? S. Qui abſcondit manum ſuam ſub aſcella, non vult vtiq; ad aliquod opus vel laborem extendere illam: ergò per pigrum deſignatur vnuſquiſque ſegnis & deſidioſus Prædicator, qui non vult opere implere quod dicit: Manum quippe ad os porrigit, qui ſtudet opere implere quod docet. V. Quis eſt ille piger, de quo dicit: *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergò æſtate, & non dabitur ei?* Quod ſi piger tempore frigoris arare noluerit, nunquid æſtatis tempore, qui ſibi aliquid tribuat, inuenire non poterit? S. Sæpè namque pigri, & frigoris & æſtatis tempore inueniunt qui ſibi tribuant eleemoſynam fideles: ſed piger in hoc loco, illum ſignificat qui propter deſidiam & huius mundi aduerſitatem (quæ per frigus

D deſignatur) in Dei ſeruitio negligit laborare, & idcircò in futuro die Iudicij mendicabit, quia non habebit opera bona, pro quibus mereatur accipere beatitudinem, quoniam *quicquid ſeminauerit homo, hoc & metet.* V. Cur ergo dies Iudicij & regnum Dei, æſtati comparatur? S. Quia tunc omnia noſtræ triſtitiæ nubila tranſibunt, & vitæ illius dies, æterni Solis claritate fulgebit. V. De quo Rege dicit, *Rex qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malum intuitu ſuo?* S. De illo qui eſt Rex Regum, & Dominus dominantium, videlicet Domino Ieſu Chriſto, qui ſedet in ſolio iudicij, quia *Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio.* Ipſe nimirũ diſſipat omne malum intuitu ſuo, quia reſpectu potentiæ, omne malum, etiam ſecretarum cogitationum penetrabit, vt reddat vnicuiq; ſecundùm quod egit; vnde in Euangelio dicit: *Nihil eſt tam opertum quod non reueletur; & occultum quod non ſciatur.* Tunc iuſtis cum Domino coronatis, ſoli reprobi pœnas ſubibunt æternas. V. Quid eſt quod ait; *Pondus & pondus, menſura & menſura, vtrumque abominabile apud Deum.* S. Pondus &

Bonis operibus beatitudinem mereri. Gal. 6. b

Ioan. 5.

Luc. 12.

Prou. 20. & 21.

E pondus, menſuram & menſuram dicit, diuerſum pondus & diuerſam menſuram. Quantum ergo ad literam; quicunque in domo ſua varium habet pondus, variamq; menſuram, propter hoc vtique habet vt aliter libret metiaturque ſibi, atque aliter proximo, quod eſt vtique abominabile Domino; vnde in Lege Moyſis Dominus præcepit, dicẽs: *Sit tibi æquus modius, æquuſq. ſextarius.* V. Quomodo autem ſpiritualiter intelligi debet? S. Ille in domo ſua diuerſum habet pondus, & diuerſam menſuram, qui ſemper in ſuis actibus quærit vnde ipſe laudetur, & in aliorum actibus perſcrutatur, vnde ipſi vituperentur. Iſte vtique talis abominabilis eſt Deo, qui nimium quantum ſibi placere deſiderat, tantum diſplicet Deo, qui omnia cordis ſecreta rimatur. V. Quomodo intelligendum eſt quod ait; *Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor, & cùm receſſerit, tunc gloriabitur?* S. Secundum lite-

Leuit. 19.

Prou. 20.

F ram; ſolet emptor vituperare quod emere deſiderat, & dicere; *Malum eſt, malum eſt*; veruntamen ſi bene emerit, gloriabitur cùm receſſerit. V. Spiritualiter autem quomodo intelligis? S. Ille veraciter eſt emptor, qui ſibi æterna in cœlis præmia comparare deſiderat. Ipſe nimirum emere ſtudet terrenis cœleſtia, caducis manſura, temporalibus æterna. Talis ergo emptor, quicquid patitur in præſenti, malum eſſe dicit, quia malum eſſe intelligit. Attamen quia omnia aduerſa pro Deo patienter ſuſtinet, cùm receſſerit de mundo, tunc gloriabitur, quia perueniet ad beatitudinẽ. V. Item, quomodo intelligẽdum eſt quod paulò poſt dicit; *Hæreditas ad quã feſtinatur, in principio, in nouiſſimo benedictione carebit?* S. Hæreditas hæc acquiſitio auaritiæ poteſt intelligi: ergo quicunque per auaritiæ nequitiam in hac vita ſibi diuitias multiplicare deſiderant, neceſſe eſt vt in futuro æternæ hæreditatis beatitudinem amittant. Aliter: Quicunque pro bonis operibus humanam laudẽ quærere deſiderant, in principio quaſi ad hæreditatem feſtinant; ideoque, in nouiſſimo benedictione carebunt, quia nullam remunerationẽ percipient à Deo: de talibus enim ſcriptum eſt, *Amen dico vobis, quia receperũt*

Matt. 6. & 10.

G *mercedem ſuam.* V. Quid eſt quod ait, *Ruina hominis eſt deuorare ſanctos, & poſt vota tractare.* Quid eſt hoc, *deuorare ſanctos?* S. Deuorare ſanctos, eſt voto ſe obligare. Impij autem deuorabant ſanctos, quando voto ſe obligabant vbi perſequerentur Sanctos, & occiderent eos, quemadmodum quadraginta viri Iudæi, ſicut in Actibus Apoſtolorum loquitur, *Deuouerunt ſe non manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum.* Et Pagani, vt ſæpè legimus, dijs ſuis deuouerunt ſanguinem Chriſtianorum. V. Quid eſt quod ait; *Et poſt vota tractare.* S. Poſt vota promiſſa tractare, eſt ſanctos perſequi & diſtrahere, & quaſi vile mancipium contemnere. V. Quomodo ergò *ruina eſt hominis, deuorare ſanctos, & poſt vota tractare?* S. Si enim peccatum eſt alicui homini nocere, multò magis peccatum eſt, cùm aliquis ſanctos Dei perſequitur, aut offendit, aut lædit; & idcircò ruina eſt illi qui perſequendo ſanctos, æternæ damnationis ſibi præparat interitum. V. Quomodo intelligendum eſt quod ait; *Sicut diuiſiones aquarum, ita cor Regis in manu Dei?* Quare dixit cor Regis tantùm eſſe in manu

Prou. 26.

Act. 23.

Prou. 21.

H Dei, & non omnium hominum, cùm alibi ſcriptum ſit: *In manu eius ſunt omnes fines terræ.* Si omnes fines terræ in poteſtate Dei ſunt, & corda omnium hominum ſunt in manu eius. S. Regem in hoc loco non illum debemus intelligere, qui Rex eſt ſolo nomine, & temporaliter alijs imperat, ſed vnumquemque virum ſanctum, fidelem atque religioſum Chriſtianum, cuius milites ſunt ſacræ virtutes, & ipſe vitiorum bella in ſe bene vincere nouit. Sicut ergò Deus multifarijs diuiſionibus aquarum, latè fines terrarum & aëris implet, ita cor Regis quocunq; voluerit, inclinabit, id eſt, ad quodcunque bonum voluerit, conuertet: quoniam ſicut diuiſiones gratiarum Angelis & hominibus iuxta voluntatem ſuam tribuit: ita corda Regum (id eſt, ſanctorum) varijs donis replet; & diuerſis ornat muneribus. V. Quid eſt quod ait: *Vir qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu Gigantum commorabitur?* Qui ſunt iſti Gigantes, in quorum cœtu morabitur qui errauerit à via doctrinæ? S. Gigantes appellauit immundos Spiritus, id eſt, dæmones, de quibus Beatus Iob dicit: *Ec-*

Pſal. 94.

Prou. 21.

Iob 26.

A *ce gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis*, id eſt, dæmones, & omnes quos ipſi deceperunt, & qui illis conſenſerunt, ſub pœnis torquentur. V. Quare dæmones appellãtur Gigãtes? S. Quia dæmones ſuperbi & elati ſunt, & mali ac fortes, ſicut olim fuerunt Gigantes. In cœtu ergo iſtorum gigantum, id eſt, dæmonum, commorabuntur omnes qui errauerunt à via doctrinæ, id eſt, à via veritatis; quia ſimul cum dæmonibus torquebuntur in pœna æternæ damnationis. V. Quæ eſt ciuitas fortium, vel quis eſt ſapiens de quo dicit: *Ciuitatem fortium aſcendit ſapiens, & detraxit robur fiduciæ eius*? S. Ciuitatem appellat Mundum; fortes, dæmones. Mundus iſte quondam ciuitas fortium erat, quia Idolorum cultui deditus, dæmonibus ſeruiebat, & fiduciam vitæ habebat in cultu eorum qui non ſunt dij, ſed opera manuum hominum. V. Quis eſt ergo ille ſapiens qui hanc ciuitatem Fortium aſcẽdit? S. Ille Filius Virginis, Dei virtus, & Dei ſapientia; qui tũc ciuitatem hanc aſcendit, quando natus in carne, viſibilis Mundo apparuit. Ipſe nimirum deſtruxit robur fiduciæ eius, quia ſubuertit & abſtulit de mũdo cultum deorum, in quibus confidebant gentiles. V. Quid eſt quod ait prouerbium; *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit non recedet ab ea*? Nunquid non multi recedunt à via ſua mala, quam ambulauerunt in adoleſcentia? S. Verè plurimi, inſpirante diuina gratia, in ſenectute conuertuntur à vitijs quæ habuerunt in adoleſcentia; nec Salomon hoc fieri poſſe negat, ſed frequentius hoc contingere ſolet, vt mores quos homo diſcit in adoleſcentia, non eos mutet in ſenectute, attamen non ſemper ita euenire confirmat: & idcircò ponit huiuſcemodi prouerbium, vt omnes admoneat, quatenus à prima ætate, virtutibus & bonis operibus ſtudeant inſudare, ne fortè in ſenectute nõ poſſint ſtudia bonorum operum diſcere quæ neglexerunt in tenera ætate. V. Quid eſt quod dicit: *Fouea profunda os alienæ*? Quæ eſt hæc aliena, cuius os eſt magna fouea? S. Os alienæ dicit os meretricis: qui ergo verba meretricis libenter audit, & oſcula eius delectabiliter ſuſcipit, quaſi ianuam pulſat profundæ foueæ, id eſt, inferni, & niſi citò ſe ab eius colloquio vel oſculo ſubtrahat; deſerente ſe Deo, illicò mergitur in foueam mortis: & hoc eſt quod dicit; *Cui iratus eſt Dominus, incidet in illam*? V. Quid eſt quod ait, *Appone cor ad doctrinam meam*. Et paulò poſt ſubiungit: *Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter in cogitationibus & ſcientia, vt oſtenderem tibi firmitatem & eloquia veritatis*. Quomodo tripliciter deſcripſit doctrinam ſuam & ſcientiam? aut quid eſt apponere, & intelligere doctrinam? S. Tripliciter verò doctrinam ſuam deſcribit, qui vnicuique præcipit eam vt ſtudeat implere cogitatione, locutione, & opere. V. De quibus terminis dicit; *Ne transgrediaris terminos antiquos quos poſuerunt patres tui*? S. Terminos antiquos dicit terminos veritatis & fidei, quos ſtatuerunt ab initio Catholici Doctores. Hoc ergo præcepit, vt veritatem ſacræ fidei & Euangelicæ doctrinæ nemo aliter ſuſcipiat quàm à ſanctis Patribus eſt tradita. Siue hoc præcepit, vt eloquia ſanctarum Scripturarum nemo aliter interpretetur, niſi iuxta vniuſcuiuſque ſcriptoris intentionem. V. Quæ ſunt opes illæ de quibus ille dicit: *Ne erigas oculos tuos ad opes quas habere non potes, quia facient ſibi pennas, & volabunt in cœlum*: Quas pennas ſibi opes, id eſt, diuitiæ ſeu copiæ, facere poſſunt? S. Opes iſtæ ſunt arcana diuinitatis, & ſecreta cœleſtium myſteriorum, & eſt ſenſus: Ne erigas oculos tuæ mentis ad perſcrutanda diuinitatis arcana, & myſteriorum cœleſtium ſecreta, quæ penetrare non potes, nec intelligere vales, quoniam ſolis Aquilis hæc patent, id eſt, ſupernis ciuibus tantùm manifeſta ſunt. V. Quæ ſunt cellaria, de quibus dicit: *In doctrina replebuntur cellaria, vniuerſa ſubſtantia & pretioſa & pulcherrima*. S. Cellaria ſunt corda iuſtorum, qui per doctrinam ſapientiæ replentur ſubſtantia pretioſa & pulcherrima, id eſt, donis virtutum atq; bonorum operum. V. Quid eſt quod dicit: *Septies enim cadet iuſtus, & reſurget*? Si iuſtus eſt, quomodo cadere, id eſt, peccare dicitur? S. Loquitur hic Salomon de leuibus & quotidianis peccatis, ſine quibus nullus iuſtorum in hac vita eſſe potuit, nec eſſe poteſt, vt alibi dicit: *Benedicam Dominum in omni tempo-*

Prou. 21.
B
Prou. 22.
C
Prou. 20. & 23.
Prou. 22.
Prou. 23.
D
Prou. 24.
Peccatâ leuia & quotidiana.
Pſal. 33.

re; ſepties, etiam ſignificat aliquando, ſæpè & frequenter, quod aptiſſimè hic intelligi poteſt: *Septies*, hoc eſt, ſæpè cadet iuſtus, & ſæpè reſurget: aut certè omni tempore cadit & reſurgit, ſcil. gratia diuina, ſecundùm quod ſupra dictum eſt. V. Quomodo intelligendum eſt: *Præpara opus tuum foris, & diligenter exerce agrum tuum vt poſtea ædifices domum tuam*? Quod eſt hoc opus quod foris præparare debemus? S. Opus vocat bonam actionem; ideóque addidit, *tuum*; hoc eſt, tibi vtile & neceſſarium: Opus ergo noſtrum foris præparamus, cùm actionem noſtram benè exterius componimus, & vt Deo placeat, ordinamus. V. Quomodo agrum noſtrum diligẽter exercemus? S. Agrũ diligẽter exercemus, ſi à ſpinis vitiorum corpus noſtrum purgamus. V. Poſt agri exercitium, domum noſtrã quomodo ædificabimus? S. Si primò exterius actus noſtros benè componimus, domum nobis benè ędificamus, cùm puritatem vitæ & munditiam etiam cogitationum ſeruamus; & habitaculum noſtræ mentis pijs cogitationibus exornamus. V. Quis eſt dominus, aut qui ſunt Reges de quibus dicit; *Gloria Domini eſt, celare verbum; gloria Regum, inueſtigare ſermonem*? S. Dominus iſte, Dei Filius eſt, videlicet Dominus Ieſus, cuius gloria fuit celare verbum, id eſt ſe eſſe Dei Filium: quia dum in carne apparuit, magis ſe hominem quàm Dei filium confiteri voluit: vt diabolus eum nõ cognoſceret, & ita paſſione ſua genus humanum redimeret; quoniam ſi eum diabolus cognouiſſet Dei filium eſſe, nunquam crucifixiſſet. Gloria itaque Domini fuit celare verbum, id eſt, in forma hominis, Diuinitatis ſuæ occultare potentiam, vt dum infirmitatem carnis oſtenderet, diabolus eum à paſſione retrahere nõ feſtinaret, quatenus per ignorãtiam paſſionis perueniret ad gloriam reſurrectionis. V. Qui ſunt ergo reges, quorum gloria eſt, inueſtigare ſermonem? S. Reges iſti, ſancti fuerunt Apoſtoli, qui diligenter ſermonem Domini inueſtigare ſtudebant, quò ſe Domini fore ſignificabant: Nam vbi non apertè ſe Dominum eſſe mõſtrabat, ſed myſticè volebat intelligi, eius ſermonem ſumma perſcrutabãtur diligentia, quale eſt illud: *Ego & Pater vnum ſumus*, &c. Nam cùm celaret Verbi diuinitatem, & oſtẽderet carnis infirmitatem, interrogauit hos Reges, dicens: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis*. Cui Regũ eximius, videlicet B. Petrus Apoſtolus, inueſtigans ſermonem illius, quem antea ſæpè audiuit, continuò reſpondit; *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. V. Quid eſt quod ſequitur: *Cœlum ſurſum, & terra deorſum, & cor Regũ inſcrutabile eſſe dicunt*. S. Reges vocat Prophetas & Apoſtolos, qui reuelante ſancto Spiritu arcana diuinitatis cognoſcere meruerunt. Per cor Regum deſignatur ſcientia, & intellectus Prophetarum & Apoſtolorum. V. Quomodo ergo intelligendum eſt quod ait; *Cœlum ſurſum, & terra deorſum, & cor Regũ inſcrutabile*. S. Sicut altitudo cœli & profunditas terræ comprehendi non poteſt ab hominibus, ita noſtrę fragilitatis capacitas non valet comprehendere, neq; penetrare altitudinem ſcientiæ & intellectus Prophetarum & Apoſtolorũ. V. Quomodo ſibi concordant, aut quomodo ſibi conuenire poſſunt ea quæ dicit; *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis*. Et, *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur*: iſtæ nimirum ſententiæ valde ſibi videntur eſſe contrariæ? S. Verè benè ſibi cõcordant, ſi eas diligenter cõſideremus. Per hoc enim quod ait; *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam*, nos admonet, vt quia ſtultus ſapientiam non percipit, nos eius ſtultitiam non imitemur, ſed potiùs contemnamus & deſpiciamus; & quoties ei loquimur, non turpiter, non furioſè, non ſuperbè, ſed honeſtè, patienter atque humiliter bene loquamur & ſapienter, ne illi ſimiles efficiamur. Per hoc verò quod ſequitur; *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam*; nos admonet, vt ſapienter increpemus & redarguamus ſtultum, & manifeſtè demonſtremus quanta ſit in eo ſtultitia, ne fortè ſi nõ agnoſcat ſtultitiam ſuam ſe putet eſſe ſapientem. V. Quis eſt ille ſuſurro, de quo dicit; *Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt ad interiora ventris*? S. Suſurronem appellat incentorem litis & bilinguem, qui laudes verborum ſimulat; & ideò quaſi ſimplicia eſſe videntur verba ipſius. Sed perueniunt ad interiora ventris; quia

E
F
Prou. 25. Chriſtus cur hoc agens, diuinitatẽ ſuam celauerit.
G
Ioan. 10.
Prou. 25.
Prou. 26.
H

A

ſuturo ſemper quærit audire, vnde poſſit iurgia ſeminare, quibus ſtomachus indignetur, & omnia interiora perturbentur. V. Quis eſt ille amor abſconditus, de quo dicit, *Melior eſt manifeſta correptio, quàm amor abſconditus*? S. Amorem abſconditum in hoc loco, amorem vocat illicitum, id eſt, libidinoſum, vt eſt amor adulterinus, qui pro ſua turpitudine abſconditur, ne à ſapientibus redarguatur. Melior eſt ergò manifeſta correptio, quàm amor abſconditus, quia multò melius eſt, aliquem vt corrigatur manifeſtè increpare, quàm ſtudio ſimul peccãdi occultè diligere. V. Quid eſt quod ait: *Anima ſaturata calcabit fauũ; anima eſuriens, amarum pro dulci ſumet*? Quomodo anima ſaturata fauum calcat? S. Iuxta literam, anima ſaturata fauum calcat, quia quicunq; cibis repletus eſt, dulcem contemnit ac deſpicit eſcam: Qui verò eſurit, licet aliquam in

Prou. 27.

B

cibis amaritudinem ſumat, parui pendit. V. Spiritualiter autem, quomodo intelligenda eſt hæc ſentẽtia? S. Anima ſaturata, eſt anima diuitum, qui in præſenti vita habent conſolationem ſuam, quoniam rerum temporalium copijs abundant. Vnde Dominus in Euangelio ait; *Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis.* Anima ergo diuitum calcat fauum, quia pro terrenis bonis ſpernit dulcedinem regni cœleſtis. Anima verò eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet, quoniam *qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam*, omnem amaritudinem pro dulcedine ſumit, quia patienter ſuſtinet omnem præſentis vitæ aduerſitatẽ pro amore ſupernę dulcedinis, id eſt, æternę beatitudinis. V. Cui loquitur Salomon, cùm dicit: *Diligenter agnoſce vultũ pecoris tui, tuosq; greges conſidera*? Nunquid lanigeros docet cõſiderare greges? S. Non: loquitur enim Paſtori Eccleſiæ, & eſt ſenſus: Diligenter curam impende ijs quibus præpoſitus es, & agnoſce animos & actus ſingulorum; & ſi aliquam ſorditatem vitiorum inueneris, citius caſtigare & emundare ſtude. V. Quare mox ſubiungit: *Non enim habebis iugiter poteſtatem, ſed corona tribuetur in generationem generationum*? S. Vt Paſtor Eccleſiæ, ouibus ſibi commiſſis inceſſanter curam adhibeat, & eſt ſenſus: Non enim tu ſemper habebis

Luc. 6.

Matt. 5.

Prou. 27.

Eccl. 8.

C

poteſtatem paſcẽdi oues Dominicas, ſed corona tribuetur in generatione generationum, id eſt, æterna præparata eſt corona, quam & tu percipies ſi bene paueris Dominicas oues. V. Quid neceſſe fuit Salomoni dicere, *Aperta ſunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta ſunt fœna de montibus*: Quis enim hoc dicit aut ignorat? S. Verè nullus, ſi hæc verba tantùm iuxta literam accipimus. V. Quomodo ergo intelligenda ſunt? S. Verè, tantùm ſpiritualiter. V. Quid ergo prata ſignificant? S. Per prata deſignantur cæleſtia myſteria, quæ ideò prata dicuntur, quia paſcua ſunt animarum fidelium. Hæc enim prata, hoc eſt, diuina myſteria diu clauſa fuerunt ſub typis ac figuris legalibus. V. Quomodo & quando aperta ſunt hæc prata? S. Aperta quippe ſunt prata, quia per gratiã Domini Saluatoris reuelata ſunt cœleſtia ſacramenta, quando *aperuit* diſcipulis ſuis *ſenſum, vt intelligerent Scripturas.* Tunc apparuerunt & herbæ virentes, hoc eſt, nouæ ſententiæ, Euangelicæ veritatis & glorię. V. Quid ſignificant fœna quæ collecta ſunt de montibus? S. Per montes deſignantur ſancti Patres veteris Teſtamenti ſcriptores: Per fœna, ſcripta eorũ. Collecta ſunt fœna de mõtibus, quia ſcripta Sanctorum veterum Patrum collecta ſunt ad pabulũ & ad refectionẽ

Prou. 27.

Luc. 24.

D

ouium Dominicarum, id eſt, animarum fideliũ. V. Quid eſt quod ait: *Pauper & creditor obuiauerunt ſibi, vtriuſque illuminator eſt Dominus*? Quis eſt iſte pauper & iſte creditor, qui ſibi obuiauerũt? S. Pauper eſt humilis, verbi auditor: creditor autem eſt, qui pauperi, id eſt, humili auditori, pecuniam verbi Dei, prædicando committit. V. Quando pauper & creditor obuiant ſibi? S. Quando in vnam eandemq; Auditor ſimul & Prædicator diuinæ pietatis gratiam conueniunt: vnde pulchrè ſequitur: *Vtriuſque illuminator eſt Dominus*; quia ſine gratia diuinæ pietatis, nec ille potuit prædicare, nec iſte credere. V. Quid eſt quod ait: *Cum prophetia defecerit, diſſipabitur populus*: Quæ eſt hęc prophetia, qua deficiente, populus diſſipabitur? S. Prophetia eſt ſacerdotalis eruditio atque doctrina: Ergo cùm ceſſauerit doctrina & eruditio Sacerdotũ, populus diſſipabitur; quia cùm deeſt admonitio & increpatio Sacerdotũ,

Prou. 22.

Prou. 29.

E

ſuæ voluntati & arbitrio relinquitur, & continuò varijs peccatis vitijſq; corrumpitur. V. Quomodo ignitus clypeus eſt omnis ſermo Dei? ſic enim dicit Salomon: *Omnis ſermo Dei, ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe*? S. Omnis ſermo diuinæ autoritatis, idcircò ignitus clypeus dicitur, quia corda electorum qui ſpem ſuam in Deo ponunt, & igne charitatis accendit, & ſcientia veritatis illuminat, & ſordes vitiorum quas in eis reperit, conſumit & purgat, & ab inſidijs hoſtium, cunctiſque defendit aduerſitatibus. V. Quæ eſt ſanguiſuga, cuius duas dicit eſſe filias? ſic enim ait: *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes, affer, affer, & nunquam ſatiantur*: S. Sanguiſuga, diabolus eſt qui ſemper ſanguinem ſitit, id eſt, ad peccata homines trahere cupit, & ſitim peccandi inceſſanter accẽdit. V. Quæ ſunt illæ duæ filiæ ſanguiſugæ, dicentes; *affer affer*, & nunquam ſatiantur? S. Lu-

Prou. 30.

F

xuria videlicet & auaritia: iſtæ nimirum ſpiritualiter diaboli ſitim & ardorem imitãtur, quia ſicut nunquam peccando ſatiatur, ſic nec auaritia nec luxuria. Nam quantò quiſque magis luxuriatur & fornicatur, tantò amplius delectatur. Similiter quantò quiſq; ſibi diuitias accumulat, tantò magis eas ſemper augmẽtare deſiderat. V. Quare poſuit Salomõ exemplum Stellionis, dicens; *Stellio innititur manibus, & commoratur in ædibus Regis*? S. Vt pigros & ingenio tardos, ad operandum & benedicendum prouocaret. V. Quod genus animalis eſt Stellio? S. Genus Lacertæ, valde pigrum & colore vario; vnde nomen accepit Stellio, quia quaſi ſtellis (id eſt, guttis) diſtinctus & variatus eſt. V. Quid ergo ſignificat Stellio? S. Illos ſignificat qui tardi ſunt ingenio, & tamen quotidiano ſtudio & diligentia, manibus æternam aulam conſcendunt; hoc eſt, quamuis cum magno labore ad notitiam ſacrarum Scripturarum perueniunt, & penetrare valent ſecreta cœleſtium myſteriorum. De talibus ſcriptum eſt in Euãgelio: *Qui habet dabitur ei, & abundabit*: quoniam qui habuerit ſtudium legendi, dabitur ei facultas intelligendi. V. Quæ ſunt illa tria de quibus Salomon dicit: *Tria ſunt quæ bene gradiuntur, & quartũ incedit feliciter*? S. Leo fortiſſimus be-

Luxuria & auaritia, peccãdo nunquam ſatiantur.

Ibidem.

Matth. 13.

G

ſtiarum, qui ad nullius pauet occurſum: Gallus ſuccinctus lumbos: & Aries, nec eſt Rex qui reſiſtat ei. Iſta ſunt quæ bene gradiuntur. V. Quem ſignificat iſte Leo? S. Illum de quo ſcriptum eſt; *Vicit Leo de tribu Iuda*, &c. Dominum ſcil. Ieſum Chriſtum, qui fortiſſimus beſtiarum dicitur, quia *quod infirmũ eſt Dei fortius eſt hominibus*. V. Quod eſt illud infirmum Dei? S. Infirmum fuit Dei, carnem noſtræ mortalitatis aſſumere: ſed hoc fortius eſt hominib. quia ipſe homo natus ex Virgine, perfectus extitit Deus. V. Quare iſte Leo ad nullius pauet occurſum? S. Quia *peccatum non fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius*; vnde ipſe dicit in Euangelio: *Ecce venit Princeps mundi, & in me non inuenit quicquam.* V. Quid ſignificat Gallus ſuccinctus lumbos? S. Sanctos Prædicatores. V. Quare Galli, prædicatores dicuntur? S. Quia inter præſentis vitæ tenebras, verum manẽ, hoc eſt, veram lucem, prædicando annunciant, gloriã videlicet æternæ beatitudinis. V. Quare iſti Galli ſuccincti lumbos dicuntur? S. Quia ſancti Prædicatores in mẽbris ſuis luxuriam & libidinem reſtinguunt. V. Quid ſignificat Aries, cui non eſt Rex qui reſiſtat? S. Per Arietẽ, ſancti deſignantur Confeſſores & Sacerdotes, qui veluti arietes gregem præcedunt, quia populum fidelem per exempla ſua gradientem ducunt. Iſti nimirum arietes (ſi ſpiritualiter & rectè viuant) nullus eſt Rex qui eis reſiſtere

Apoc. 5. b

1. Cor. 1. d

1. Pet. 2. d

Prædicatores dicuntur Galli ſuccincti lũbos.

Cõfeſſores & Sacerdotes, Arietũ nomine deſignãtur.

H

valeat; quia nullus eſt tam ſæuus perſecutor, qui eorũ intẽtionem valeat impedire, quia etſi eis mala ingeruntur, omnia patienter ſuſtinent pro Chriſto. V. Quid eſt illud quartum quod incedit fœliciter? S. Ille qui ſtultus apparuit, poſtquã erectus eſt in ſublime. V. Quis eſt ille? S. Antichriſtus qui reuelabitur in ſublime: hoc eſt in excelſum: qui cùm fuerit homo nequiſſimus, dignabitur ſe filium Dei nominare, & mentietur ſe eſſe Deum. V. Eleuatus in ſublime quomodo ſtultus apparebit? S. Quia in ipſa elatione & ſuperbia ſua, ſubitò diuino gladio percuſſus interibit. V. Quare de illis ſuperioribus, dicit; *Tria ſunt quæ bene gradiuntur*: de iſto verò, *Quartum quod incedit feliciter*? Quare ſimiliter de iſto non dixit, incedit bene; ſed dicit, *fœliciter*? S. Quia omne quod fœliciter incedit: nõ ſemper

Prou. 30.

bene

A

bene incedit, neq; omne quod incedit bene, ſemper fœliciter. V. Quæ ſunt ergò quæ incedunt bene, aut quæ fœliciter? S. Illa bene incedunt quæ ambulãt ſanctè & iuſtè; illa incedunt fœliciter, quæ in hac vita habent proſperitatem ſuam. Leo, Gallus, & Aries bene gradiuntur, ſed nõ fœliciter, quia & Chriſtus Dei Patris voluntatem in omnibus compleuit, ſed multa aduerſa & mortem ſuſtinuit: Similiter ſancti Prædicatores & Confeſſores diuinã ſtudent adimplere voluntatem, ſed multas in hac vita ſuſtinent perſecutiones. Antichriſtus verò non bene incedet, quia ſuperbus contra Dei voluntatem omnia faciet: Sed incedet fœliciter, quia (quamuis ad breue tempus) in magna erit gloria & proſperitate.

Prædicatores & confeſſores multa in hac vita patiuntur.

V. Quis eſt ille Rex Lamuhel, de quo dicit, *Verba Lamuhel Regis, viſio qua erudiuit eum mater ſua.* S. Lamuhel, Hebræa lingua dicitur; Latinè interpretatur: *in quo Deus.* Ipſe nimirum eſt Salomon Rex Iſraël, in quo fuit Deus; quia niſi Deus in eo manſiſſet, tot & tanta diuina myſteria nec intelligere, nec ſcribere potuiſſet.

B

V. Quæ fuit mater eius quæ erudiuit eũ & docuit viſionem? S. Secundùm literam poteſt intelligi carnalis eius mater Betſabea Regina, quæ prudẽter illum docuit: Sed mater in hoc loco nulla melius intelligitur quã ſpiritualis & diuina gratia, quæ illum in corde inuiſibiliter erudiuit, & docuit intellectum ſapiẽtiæ, quam ipſe foris, hominibus & prædicauit & ſcripſit. V. Quæ eſt mulier illa fortis de qua dicit: *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus precium eius.* S. Mulier fortis appellatur ſancta Eccleſia Catholica; quæ ideò mulier dicitur, quia Deo ſpirituales generat filios ex aqua & Spiritu ſancto. Fortis ideò dicitur, quia cũcta ſæculi huius aduerſa ſimul & proſpera, propter fidem & amorẽ ſui Conditoris ac redemptoris contẽnit & deſpicit.

Eccleſia Catholica eſt mulier fortis.

V. Quare dixit Salomon; *Mulierem fortem quis inueniet?* S. Quia per Spiritum ſanctũ cognouit, quomodo nullus Prophetarũ, nullus omninò Electorum ſufficeret ad redemptionem humani generis, niſi ſolus mediator Dei & hominũ homo Chriſtus Ieſus, ideoque ait: *Mulierem fortem quis inueniet;* ſubauditur; niſi Chriſtus.

C

V. Quare mox addidit: *Procul & de vltimis finibus precium eius:* S. Vt oſtenderet quia non ſuo tẽpore, ſed lõgè poſt eum, nec ſimilis illi venturus erat Chriſtus, id eſt, homo purus à peccatorum ſordibus: ſed in fine ſæculorũ deſcenſurus erat de cælis filius, qui natus ex Virgine, perfectus eſſet Deus & homo: & hoc eſt quod ait; *Procul,* id eſt, longè poſt. Significat autem tẽpus quod fuit à diebus Salomonis vſq; ad partum Virginis. *De vltimis verò finibus,* dicit, quia *à ſummo cælo egreſſio eius.*

Pſal. 18.

V. Quod precium dedit Dominus pro hac muliere? S. Semetipſum, ſicut dicit Apoſtolus: *Qui dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationẽ & hoſtiã in odorem ſuauitatis.*

Epheſ. 5.

V. Mulier fortis quomodo facta eſt quaſi nauis inſtitoris? ſic enim dicit Salomõ: *Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, de longe portãs panem ſuum.* S. Inſtitor dicitur negociator, propterea quod ſemper inſtat vt acquirat & multiplicet mertes & lucra ſua. Nauis ergo Inſtitoris onuſta diuerſis mercimonijs, quæ in ſua patria magis abũdant, per mare pergit ad loca peregrina, vt illic venditis omnibus illis quæ attulit, chariora domũ reportet.

Nauis Eccleſiæ.

D

Sic ergo mulier fortis, id eſt, ſancta Eccleſia, ſemper deſiderat onerari virtutum diuitijs, & abundare bonis operibus nauigans per mare ſæculi huius, vt per ea mercatur, id eſt, acquirat maiora, id eſt, diuinæ gratiæ dona. V. Quis eſt huius nauis inſtructor? S. Dominus Ieſus Chriſt⁹ qui dedit precium ſanguinis ſui, & redemit Eccleſiã. Sancta ergo Eccleſia ad exemplum Inſtructoris, hoc eſt, Domini ac Redẽptoris ſui, ſemper ſibi multiplicare laborat virtutum atq; bonorũ operum lucra, vt per ea mercatur maiora acquirere, id eſt, æternæ beatitudinis præmia: & hoc eſt quod ait: *De longe portãs panem ſuum;* quia in omnibus bonis quæ tẽporaliter agit, ſolam tãtùm vini panisq; ſatietatem deſiderat, quia æternam ſolummodò retributionem expectat.

V. Quid eſt dicere, *Sindonem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo?* S. Sindonem fecit Eccleſia & vendidit, quia fidem quam credendo texnerat, loquendo dedit, ac ab Infidelibus fidem rectæ conuerſationis accepit: quare & Chananæo cingulũ tradidit, quia per vigorem demonſtratæ iuſtitiæ, fluxa opera Gentilitatis aſtrinxit, vnde hoc quod percipitur, viuẽdo teneatur.

Prou. 31.

E

V. Quid eſt quod ait: *Stragulatam veſtem fecit ſibi, Byſſus & purpura indumentum eius:* Quæ eſt ſtragulata veſtis? S. Stragulata veſtis eſt, quæ variata textura firmiſſima fieri ſolet. V. Quid ergo ſignificatur per ſtragulatam veſtem? S. Fortia opera ſanctæ Eccleſiæ, & diuerſa virtutum ornamenta de quib. Propheta dicit: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.*

Pſal. 44.

V. Byſſus & purpura quomodo indumentum eius mulieris, id eſt, ſanctæ Eccleſiæ eſt? S. Byſſus eſt genus lini candidiſſimi: vnde pulchrè per byſſum deſignatur corporis caſtitas, & ſanctæ conuerſationis puritas; per purpuram verò, ſanguinis effuſio deſignatur. Fortis ergo mulier, id eſt, ſancta Eccleſia, induit ſe byſſo Dei, id eſt, ſeruat corporis caſtitatem, & ſanctæ conuerſationis ſimul nitore. Induit & ſe purpura, quando in ea ſancti Martyres pro Chriſti nomine ſanguinẽ fundũt.

Byſſus & purpura, quid ſit.

F

S. Si byſſus & purpura indumentum eſt ſanctæ Eccleſiæ, cur ergo dicit in ſequẽtibus: *Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouiſſima?* S. Nulla eſt contrarietas, quia fortitudo refertur ad purpuram, decor verò ad byſſi candorem. Eſt ergo fortitudo indumentum Eccleſiæ ſanctæ, quia propter fidem Chriſti & iuſtitiam, patienter ſuſtinet malorum hominum improbitatem & perſecutionem. Eſt & decor indumentum eius, quia operatur iuſtitiam, & ſe virtutum gratia ornat.

Prou. 31.

V. Quare autem dicit; *Ridebit in die nouiſſimo, cum Dominus dicat in Euangelio; Væ vobis qui ridetis, quia lugebitis & flebitis?* S. In Scripturis ſacris, riſus, gaudiũ ſignificare ſolet: vnde Dominus in Euangelio: *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis;* id eſt, gaudebitis. Et B. Iob dicit: *Os autem veracium replebitur riſu,* id eſt, gaudio. Mulier ergo fortis, id eſt, ſancta Eccleſia, ridebit in die nouiſſimo, id eſt, gaudebit in retributione regni cœleſtis.

Luc. 6. d

Ibidem c

V. Qui ſunt filij mulieris qui eam beatiſſimam prædicauerũt? aut quis eſt vir eius, qui laudauit eam? ſic enim dicit: *Surrexerũt filij eius, & beatiſſimã prædicauerunt filij eius, & vir eius laudauit eã.*

Prou. 31.

S. Filij huius mulieris, id eſt, ſanctæ Eccleſiæ, ſunt omnes electi: vir eius, Dominus eſt Ieſus Chriſtus. Surgent enim filij Eccleſiæ, videlicet omnes electi: de puluere terræ in nouiſſimo die iudicij & immortalitatis gloria decorati, matrem ſuam beatiſſimam prædicabunt, id eſt, laudabũt ſanctam Eccleſiam quæ illos genuit Deo, ex aqua & Spiritu ſancto.

G

Surget & vir eius, Dominus videlicet Ieſus Chriſtus, cùm in die iudicij manifeſtus apparuerit in potentia diuinitatis, & laudabit eam dicens in iudicio: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum ab initio mundi: Eſuriui, & dediſtis mihi manducare. &c.*

Matt. 25.

Cur ergo poſuit præteritum, dicens: *Surrexerunt?* debuit enim dicere, *ſurgent.* S. Quod ergo Salomon futurum nouerat, certiſſimum tenebat: & ideo more prophetico, præteritum poſuit pro futuro.

Mos Prophetarum præterito vti pro futuro.

V. De quibus dicit quod ſequitur: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.*

Prou. 31.

S. Multas filias appellat Eccleſias hæreticorum, & turbas malorum Catholicorum. V. Quæ filiæ dicũtur Chriſti vel Eccleſiæ? *quare dicuntur filij Chriſti aut Eccleſiæ? S. Propter fidei ac Baptiſmi ſacramentum, & adoptionem filiorum, quam in Baptiſmate perceperunt.

**Videtur hic deeſſe Salom. reſponſum ad illam quæſtionem.*

V. Iſtæ filiæ quas diuitias congregauerunt? S. Orationes, ieiunia, eleemoſynas, afflictionem & caſtimoniam carnis, linguæ refrenationem, meditationem Scripturarum, & cæterorũ bonorum operum diuitias: quæ veræ diuitiæ ſunt, ſi ſpirituali fiant intentione, videlicet propter regni cœleſtis retributionem: aliter nihil proſunt agentibus.

H

Diuitiæ Chriſtianorum. Bonorum operũ retributio. Hæretici, fruſtra, bene agũt

Vnde *filiæ,* videlicet hæreticorum, aut malorum Catholicorum turbæ fruſtrà congregauerunt ſibi diuitias, quia vel in fide errauerunt, vel certè huiuſmodi bona opera nõ ſpirituali fecerunt intentione, de quibus in Euangelio Dominus: *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? Et tunc cõfitebor illis, quia nunquam noui vos.*

Matth. 7.

Sancta verò Eccleſia Catholica *ſupergreſſa* eſt: hoc eſt, trãſcendit omnes illas: quia quicquid agit, in fide tantùm recta & ſpirituali operatur intentione. V. De qua gratia, & de qua pulchritudine loquitur, cum dicit: *Fallax gratia, & vana pulchritudo, mulier timens Dominum, ipſa laudabitur.* S. Fallax gratia humanæ laudis, quã hypocritæ abomni-

Prou. 31. Hypocriſis, eſt vana pulchritudo.

A

bus exquirunt: Pulchritudo vana, eſt pulchritudo caſtitatis vel bonæ operationis, quam hypocritæ hominibus oſtendere cupiunt, vt ab eis laudentur. V. Quare hęc gratia & hæc pulchritudo fallax dicitur & vana? S. Quia fallit, hoc eſt, decipit, ſimulatores: quoniam dum in hac vita quęrunt mercedem, in futuro nullam recipient remunerationem; &, ſi caſtitatem ſeruant, vel aliqua bona operātur, vana ſunt omnia quę faciunt. V. Quæ eſt *mulier timens Dominum*? S. Sancta videlicet, quæ in hac vita ſemper manet Eccleſia in timore Domini, quę ſemper eius deſiderat præcepta implere. V. Quomodo ergo laudabitur hæc mulier? S. Idem Salomon in fine huius libri manifeſtè demōſtrat, cùm dicit: *Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius.* V. Cuius ſunt hæc verba? S. Viri illius, Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. V. Quādo hæc verba dicturus eſt? S. In die iudicij quando præcipiet Angelis, vt poſt finem huius vitæ, Eccleſiam ad regni cœleſtis gaudia introducant: Sic enim pręcipiet Angelis: *Date ei de fructu manuum ſuarum*, hoc eſt, bonorum operum. Nam per manus, opera deſignantur; ac ſi patenter dicat; quia bonorum operum facere curauit, hoc eſt, charitatē, gaudium, pacem, benignitatem, bonitatem, modeſtiam, continentiam, fidem, patientiam; hoc fructu dignam illi reddite mercedem. *Et laudent eam in portis opera eius*: hoc eſt, in iudicio, ſiue in ingreſſu patriæ cæleſtis laudent eam opera ipſa quæ fecit; hoc eſt, remuneretur pro bonis operibus quæ geſſit.

Prou. 31.

B

Merces digna fructu manuum noſtrarū nobis reddetur in iudicio.

SALONII VIENNENSIS GALLIARVM EPISCOPI DOCTISSIMI, DIALOGVS alter, ad Veranium fratrem; in quo Eccleſiaſtes myſticè exponitur.

C

Interloquutores,

VERANIVS ET SALONIVS.

VER. Quot nominibus vocatus eſt Salomon? S. Tribus, ſicut Scripturæ ſacræ manifeſtiſſimè docent, id eſt, Salomon, Ydida, & Eccleſiaſtes. V. Quarè his nominibus appellatus eſt? S. Salomon, id eſt, pacificus, dictus eſt; eo quòd in regno eius pax fuit. Ydida vocatus eſt, id eſt, dilectus Domini; quia dilexit eum Dominus. V. Eccleſiaſtes qua lingua dicitur? S. Græca: nam Hebraicè Cohelech dicitur. V. Quomodo ſonat in Latino ſermone, Cohelech, aut Eccleſiaſtes? S. Ille propriè dicitur Eccleſiaſtes, qui cœtū, id eſt, Eccleſiam, congregat. Vnde Latino ſermone rectè Eccleſiaſtes dicitur Concionator, quia concionatur, id eſt, loquitur ad populum; & ſermo eius nō ad vnum ſpecialiter, ſed generaliter dirigitur ad omnes. Concionator ergo in Eccleſia ſancta dici poteſt Prædicator. V. Quot libros edidit Salomon? S. Tres tātùm iuxta numerum vocabulorum ſuorum: Prouerbia, Eccleſiaſten, & Cantica Canticorū. V. Quid ait Salomon in Prouerbijs, aut quid docet in Eccleſiaſte, vel Cantico Canticorum? S. In Prouerbijs docet paruulum, & per varias ſententias inſtruit quaſi filium: In Eccleſiaſte verò iam perfectæ ætatis virū imbuit, vt intelligat quia in huius mundi rebus nihil eſt perpetuum, nihil glorioſum aut magnū; ſed omnia ſunt breuia, caduca & vana, quæ cernimus. In Cantico Canticorum, iam conſummatum virum atque perfectum in omnibus, & varijs exornatum virtutibus; Sponſi, id eſt, Domini noſtri Ieſu Chriſti amplexibus iungit. V. Spiritualiter autem quid ſignificat ille Salomō, Ydyda, & Eccleſiaſtes? S. Dominum Ieſum Chriſtū, qui eſt noſter Salomon, id eſt, *pacificans omnia per ſanguinem ſuum fecit vtraq; vnum*, id eſt, de duobus populis vnam ſibi conſtruxit Eccleſiam. Vnde Apoſtolus: *Chriſtus*, inquit, *pax noſtra, qui fecit vtraque vnum.* Ipſe eſt Ydida, id eſt, dilectiſſimus Patris filius, de quo ipſe Pater ad diſcipulos ait; *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Ipſe nimirum eſt Eccleſiaſtes, id eſt, concionator noſter qui congregat cœtum, videlicet ſanctam Eccleſiam de vniuerſo orbe terrarum, ad quem loquitur, dicens: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.* Hic eſt filius Dauid, ad quem cœci in Euangelio clamabant dicentes; *Miſerere noſtri fili Dauid.* Hic eſt etiam Rex Ieruſalem, non terreſtris, ſed illius cæleſtis, quæ eſt *mater* omnium noſtrum. V. Quid eſt quod dicit Eccleſiaſtes; *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*; cùm ſcriptum ſit in libro Geneſis; *Vidit Deus cuncta quæ fecit & erant valde bona*? Si cuncta quæ fecit Deus, valde bona ſunt, quomodo ergo *omnia vanitas*; & non ſolùm vanitas, ſed etiā *vanitas vanitatum*? S. Cælum & terra, maria & omnia quæ in hoc circulo continētur, per ſe quidem bona ſunt, quoniā à bono Deo creata ſunt, ſed comparata Deo, vtiq; pro nihilo habenda ſunt, quia ſemper Deus permanebit id quod eſt, illa verò omnia tranſibunt. Nam quæ videntur, temporalia ſunt, quia tranſitoria; quæ autem non vidētur, æterna ſunt. V. Quare bis replicauit ſententiam ſuam, dicens, *Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, Vanitas vanitatum & omnia vanitas*? S. Ad exaggerādam magnitudinem vanitatum iterauit ſententiam ſuam, vt per hoc demonſtraret, quia omnis mūdi gloria ſicut flos fœni marceſcet, & ſicut fumus pertrāſibit. V. De quibus generationibus dicit; *Generatio præterit, & generatio aduenit*? S. De generatione Iudæorum, & generatione Gentium. Recedit enim generatio prima Iudæorum, quoniam perijt propter infidelitatem, & ſuccedit ei generatio de Gentibus, congregata videlicet ſancta fidelium Eccleſia, quæ per fidem Chriſti ſaluatur. Poteſt & ſic intelligi: *Generatio vadit, & generatio venit*, id eſt, alijs morientibus alij naſcuntur, & quos prius videras, iam nō vides, & incipis videre eos qui ante non fuerant. V. Quare Salomon dicit; *Terra in æternum ſtat*. cùm Dominus in Euangelio dicat, *cælū & terra tranſibunt*? S. Verè iuxta Domini ſententiam, *Cælum & terra tranſibunt* per meliorationem, ſed non per ablationem; quia igne iudicij purgata meliorabuntur, quoniam renouabuntur, ſed penitus nō deſtruentur. Tantum quippe ardebit cœlum ſurſum & terra deorſum, quantum malitia hominū ſimul & dæmonum coinquinari potuit. Ergo iuxta ſententiam Salomonis, *terra in æternum ſtabit*, quoniam nunquam deſtruetur; veruntamen renouabitur & meliorabitur. V. Quid ſignificare voluit Salomon, cùm ait: *Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibiq; renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem*? Quis enim neſcit quòd oritur Sol & occidit, & per incognitas nobis vias regreditur ad locum ſuum vnde ortus eſt, vt iterum oriatur? S. Hoc ideò Salomon dicit, vt oſtenderet, quia Sol ipſe qui hominibus in lucem diei datus eſt, ſua mutabilitate, id eſt, ortu ſuo & occaſu, quotidie huius ſeculi monſtraret interitum. Per has namque mutationes temporum, & per ortum Syderum & occaſum, docet Salomon, quòd humana ætas quotidie oritur & occidit. V. Quid Sol in hoc loco ſpiritualiter ſignificat? S. Illum verum Solem, Dominum videlicet Ieſum Chriſtum, qui eſt Sol iuſtitiæ, de quo dicit Propheta, *Vobis qui timetis Deum, orietur Sol iuſtitiæ.* Iſte Sol iuſtitiæ quotidie oritur timentibus ſe, id eſt, Fidelibus ſuis, ſanctis videlicet & pijs hominibus. Occidit etiam Meridie, Pſeudoprophetis, id eſt, hæreticis & malis Catholicis, quia propter peccata ſua, lumen gratiæ ipſius amittunt. Occidit & Infidelibus, quia luce fidei non merentur illuſtrari. V. Quid eſt quod ait: *Omnia flumina currunt in mare, & non redundat; ad locum vnde exeunt, reuertuntur vt iterum fluant*? Quis enim nouit, quòd ad locum ſuum flumina reuertuntur, vt iterum fluant? S. Nouit Eccleſiaſtes ille, ſcilicet Salomon, per gratiam ſancti Spiritus. Sed iſte noſter Eccleſiaſtes, videlicet Ieſus Chriſtus, qui eſt ipſarum aquarum conditor; per potentiam diuinitatis qua æqualis eſt Deo Patri, pleniſſimè nouit, quæ flumina (quia in mare currunt) in Abyſſum defluunt, & per occultas venas ad capita fontium reuertuntur, & de matre Abyſſo iterum ebullire incipiunt. V. Spiritualiter autem quid ſignificant hæc flumina? S. Per hæc

flumina

Salomonis triplex nomen.

Eccleſiaſtes quis ſit.

Trium Salomonis librorum argumēta

D

Salomon, Chriſti typus.

Epheſ. 2.

E

Matt. 3. Marc. 1. Luc. 3.

Matt. 11.

Matth. 9. 15. & 20.

Eccl. 1.

Gen. 1.

F

Eccle. 1.

G

Eccle. 1. Matt. 5. & 24. Mar. 13. Luc. 21.

Eccle. 1.

Ibidem.

Solis orientis & occidentis viciſſitudines admonent nos Mundi aliquādo interituri.

Mal. 4.

H

Eccle. 1.

Aquarum fluxus in Abyſſum, & inde renaſcētia.

A

Prædicatores ſunt vera flumina.

flumina deſignantur ſancti Prædicatores, qui cum virtutibus emicant & doctrinis coruſcant, verè flumina ſunt, quoniam aridam terram carnalium cordium, ſancta ſua prædicatione ſimul & operatione irrigant, vt adferant bonorum operum fructus. V. Quomodo ergo vt iterum reuertantur hæc flumina ad locum vnde exeunt, refluũt? S. Quia ſancti Prædicatores in omni doctrina & opere quod faciunt, ad laudem ſui Creatoris recurrunt, vt Domino auctori ſuo laudes & gratias referant, per quem, vt talia facerent, & omne bonum ſuum acceperunt. Semper etenim ad fontem veri Luminis reuertuntur ne forte areſcant & exiccentur, vt ex eo aquam ſcientiæ & gratiã virtutum accipiant, vt rurſum fluant, hoc eſt, vt & ſemetipſos bonis operibus repleant, & aliorum cordibus fluenta doctrinæ ſpiritualis infundant. Omnes etiam Fideles flumina ſunt, & hæc flumina ad locum vnde exeunt, reuertuntur, quoniam per ſancta deſideria ad amorem ſui Conditoris redeunt, & de omnibus bonis laudes & gratias illi referunt à quo ea perceperunt. V. *Quare dedit Salomon cor ſuum*, hoc eſt, ſollicito corde ſtuduit, *ſcire prudentiam atq; doctrinam, erroresq; & ſtultitiam*? Bonum quippe eſt ſcire prudentiam atque doctrinam, quid autem boni eſt ſcire errores atque ſtultitiam? S. Sicut bonum eſt ſcire prudentiam & doctrinam, ita verè bonum eſt, errores ſcire & ſtultitiam, quoniam prima ſapientia eſt, carere ſtultitia: Carere verò ſtultitia nemo poteſt, niſi qui intellexerit eã. Similiter nemo errores vitare poteſt, niſi qui eos intelligit: propterea in rebus creatis plurima ſunt noxia creata, vt dum ea vitamus erudiamur ad ſapientiam. V. Quare fuit æquale ſtudium Salomoni ſcire prudẽtiam & doctrinam, & è contrario, errores & ſtultitiam? S. Vt dum appeteret alia, & alia declinaret, id eſt, apprehenderet bona, & deuitaret mala, vera eius probaretur ſapientia. V. Quid eſt quod Salomon dicit: *Quia in multa ſapientia multa ſit indignatio, & qui addit ſcientiam addit & laborem*? Quomodo multa eſt indignatio in multa ſapientia? S. Ideo in multa ſapientia multa eſt indignatio, quia quantò quiſq; maiorem ſapientiam percipit tanto amplius ſibi indignatur & dolet ſe vitijs & peccatis ſubiacere & non habere virtutes. Nam quanto quiſque plus in ſapientia proficit, tantò magis ſibi iraſcitur de malis operibus quæ geſſit, & contriſtatur & dolet ſuper peccatis ſuis, ideoque addit & laborem, quia quanto amplius cœleſtia & æterna cognoſcit tantò magis dolendo & flendo laborat vt errorum laqueos euadere poſſit, & liberari valeat de huius ſæculi miſeria. V. Quare dicit: *Riſum deputaui errorem, & gaudio dixi cur fruſtra deciperis*: cùm hominum naturale ſit ridere, & Dominus in Euangelio dicat, *Gaudete & exultate quoniam merces veſtra magna eſt in cælo*? S. Non reprehendit Salomon, riſum naturalem, id eſt, modeſtum & honeſtum: vnde alibi dicit: *Vir ſapiens, tacitus ridebit*. Sed riſum diſſolutum & immoderatum atque perſtrepentem appellat errorem, talis nempe riſus vocatur Cachinnus: Similiter non ſpirituale ſed temporale gaudium vocat deceptionem. Illi verò qui præterita mala ſua non plangunt, neque intelligunt ruinam peccatorum ſuorum, & cachinnant & gaudẽt in rebus temporalibus, quia noua & breuia putant eſſe bona perpetua, & idcirco ſuauitate præſentis vitæ decepti quotidie huius ſæculi errore vexantur. V. Quid eſt quod ait: *Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere ſub Sole*? Quomodo dicit nihil permanere ſub Sole cum ſuperius dixerit; *terra autem in æternum ſtat*? S. Nihil enim permanebit ſub Sole quod non tranſeat, quoniam omnia vana ſunt: Vnde in Euangelio ait Dominus: *Cælum & terra tranſibunt*: attamen terra in æternum ſtabit, quia non funditus deſtruetur ſed melioratibus, ſicut dictum eſt ſuperius. V. Quare dicit: *Sapientis oculi in capite eius, ſtultus autem in tenebris ambulat*? Nunquid oculi ſtulti non ſunt in capite ipſius. S. Oculi in hoc loco non poſſunt corporales, ſed ſpirituales intelligi: oculi videlicet mentis, id eſt, ſenſus & intentiones animi. Per caput verò deſignatur Chriſtus, vnde Apoſtolus ait: *Caput viri Chriſtus*. Oculi viri ſapientis in capite ſunt, quia vir ſapiens omnem intentionem ſuam ad Chriſtum dirigit, & in Chriſto collocat, & oculos ſuæ

Eccl. 1.

Stultitiã & errores ſcire bonum eſt.

B

Noxia, cur a Deo creata ſint.

Ibid.

Sapiens dolet ſe ſubditum eſſe peccatis

C

Eccl. 2.

Riſus, nõ omnino illicitus.

Matth. 5.

Luc 6.

Eccl 21.

Vulgata Editio, vix tacitè ridebit.

D

Eccl. 2. 4 & 8 & 12.

Eccl. 1.

Nihil enim, pro, quia nihil.

Mat. 24.

Terra in æternum ſtabit.

Eccl. 2.

1. Cor. 11.

E

mentis ſemper ad cæleſtia meditanda ſubleuat: ſtultus verò in tenebris ambulat, quia & ſtultitiæ ſimul, & peccatorum ſuorum tenebris obſcuratur, & amore huius Mundi obſcuratur; odit enim cœleſtia, & ideò non poteſt ſicut vir ſapiens, ad cœlum oculos ſuos erigere, quia non cogitat ea quæ Dei ſunt ſed quæ huius ſæculi. V. Quid ergo diſtat inter virum ſapientem & ſtultum? S. Hoc diſtat, quia iſte ſapientia & claritate illuſtratur & exornatur; ille verò errore ſtultitiæ ſuæ obtenebratur & deturbatur. Tãtum quippe diſtat inter ſapientem & ſtultum, quantum inter diem & noctem, lucem & tenebras. V. Quomodo tantum diſtat inter ſapientem & ſtultum, cùm *vnus ſit interitus vtriuſque: ſic enim moritur doctus vt indoctus, ſapiens vt inſipiens*? S. Quamuis vnus ſit occaſus, & ſimilis mors ſapientis & ſtulti, & ſæpè in hac vita magis affligatur ſapiẽs quam ſtultus; tamen non erit ſimilis memoria in futuro nec æqualem percipient remunerationem, quoniam ſapiens in die Iudicij ad regni cœleſtis eleuabitur gloriam, ſtultus verò demergetur in æterna damnationis tormenta. V. Quis eſt ergo iſte ſapiens qui tantum diſtat à ſtulto quantum lux à tenebris? Nunquid ille qui philoſophicæ tantum diſciplinæ pollet affluẽtia, vel liberalium artium ſplendet eloquentia. S. Nonnunquam ſæcularis prudentia inimica Deo eſt, & carnalis ſapientia (quãuis eloquentiæ floribus exornetur) nullum tamen in ſe ſpiritualem, nullum perpetuæ beatitudinis fructum continet: Sed ille veraciter eſt ſapiens qui Dominum diligit, qui eius mandata cuſtodit, & quantum poſſibile eſt humanæ fragilitati, eius voluntatem in omnibus ſtudet implere, de quo paulo inferius dicit; *Homini bono, in conſpectu ſuo dedit Deus ſapientiam & ſcientiam & lætitiam*. V. Quare ſtatim ſubiungit: *Peccatori autem dedit afflictionem & curam ſuperfluam*: Si enim Deus peccatori homini dedit curam & ſollicitudinẽ ſuperfluam habere; quid ergo ipſe peccat, ſi curis ſuperfluis atque ſollicitudine rerum temporalium affligitur. S. Cauſa ſuperfluæ curæ atque malæ ſollicitudinis non eſt in Deo, ſed in illo qui antè ſponte ſua peccauit, quia peccatis ſuis exigentibus promeruit vt haberet curam ſuperfluam & ſollicitudinem: & ideò quod ait; *Peccatori autem dedit curam ſuperfluam*; intelligendum eſt, ſuis meritis exigentibus dari permiſit; videlicet quia peccator fuit. V. Quid vult demonſtrare per hoc quod ait; *Omnia tempus habent*: Quod ſi omnia tempus habent, ergo æternæ Diuinitatis ſubſtantia, tempus habet? S. Abſit; illa quippe ineffabilis æterna maieſtatis diuinæ Eſſentia quæ omnia creauit ex nihilo, non loco clauditur, non tempore coanguſtatur, nec vllo ſpatio terminatur: Et idcircò Salomon, vt oſtenderet de quibus hoc dixerit, ſtatim ſubiungit dicens: *Et ſuis ſpatijs tranſeunt vniuerſa ſub cælo*. Vult enim demonſtrare quod contraria ſibi ſunt omnia quæ in mundo ſunt, & nihil eſt perpetuum ex omnibus quæ ſub cœlo ſunt, & iſta tempus continent. V. De qua plantatione ait, aut de qua euulſione loquitur cum dicit; *Tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum eſt*: Nunquid de plantatione aut euulſione arborum aut herbarum dicit? S. Non, ſed de natiuitate & morte hominũ: nam quod ſuperius dixit; *Tempus naſcendi*, hoc eſt quod ſequitur: *& tempus plantandi*: hoc eſt enim plantare quod naſcitur. Quod ſupra dicit, *tempus moriendi*, hoc eſt quod hic ſequitur; *tempus euellendi id quod plantatum eſt*: Nam euelli, hoc eſt quod & mori. Soli quippe Deo notus eſt ortus & occaſus hominum, id eſt, tempus naſcendi & tempus pereundi, & tempus plantandi, & tempus euellendi: Quoniam ipſe inſtituit & tempus in quo vnuſquiſque naſceretur & plantaretur ad vitam, & tempus in quo moreretur & de hac vitã euelleretur; hoc eſt, per ſententiam mortis eradicaretur. V. Quid eſt quod iterum dicit; *Tempus occidendi & tempus ſanandi*? Nulli quippe dubium, quod tempus ſanandi à Deo conceditur, ſed nunquam Deus inſtituit tempus occidendi alium: aut eum quem ſemel occiderit homo, poterit vnquam ſanare? S. Non vtique; ſed illi ſoli eſt tempus occidendi & tempus ſanandi, qui per Moſen loquitur, dicens: *Ego occidam & ego viuere faciam, percutiam & ego ſanabo*. Ipſe nimirum ſtatuit tempus in quo peccatores occidantur, & ſa-

Eccl. 2.

F

Ibid.

G

Eccl. 3.

Ibid.

H

Ibid.

Deu. 32.

neu-

A

nentur infirmi, hoc eſt, peccatis languidi. Tunc enim occidit, cùm vel corporis infirmitate vel aliqua Mundi huius aduerſitate peccatores affligit vt corrigantur & moriantur peccatis, & viuant Deo. Sæpe namque Deus ideò flagellat ſceleratos, vt eos occidat & ſanet, id eſt, vt deſinant eſſe quod ſunt, & incipiant eſſe quod non ſunt. *Eſt* ergo *tempus ſanandi*, cùm Deus omnipotens eos quos occidit, id eſt, aduerſitatibus miſericorditer afflixit, per occultam inſpirationem compungit, & ad pœnitẽtiam prouocat. V. De qua deſtructione vel ædificatione loquitur,

Ibid.

cùm dicit; *Tempus deſtruendi, & tempus ædificandi*? Nunquid de ædificatione ac deſtructione domorũ loquitur? Quid enim nobis prodeſſet, ſi hoc diceret? Quis enim neſcit quod alij deſtruunt, & alij ædificant domos? S. Non hic loquitur Salomon de domorum ſed de malorum deſtructione, & ædificatione bonorum; quoniam neceſſe eſt prius mala deſtruere, & ſic bona poſtea ædificare, iuxta

B

Pſal. 36.

illud Pſalmiſtæ; *Declina à malo, & fac bonum.* Hoc ergo dicit, quia tempus eſt deſtruendi mala & tempus eſt ædificandi bona, quoniam in præſenti vita conceſſum eſt nobis tempus à Deo vt deſtruamus mala, & ædificemus bona: id eſt, prius in nobis per pœnitentiam deleamus peccata; poſtea verò per ſancta deſideria, virtutum conſtruamus ædificia. V. Quare dicit; *Tempus flendi, & tempus ridendi, tempus plangendi, & tempus ſaltandi*? Quis enim ignorat,

Eccl. 3.

quia alio tempore flemus, alio autem ridemus? aut quid profuit dicere, *tempus ſaltandi*? Nunquid forſitan oſtendere voluit, quia oportet nos ſaltationum exercere ludicra? S. Abſit; nihil oportet nos ſcurriliter agere: ſed tempus flendi, eſt in vita præſenti; tempus ridendi, in vita futura. Qui ergo in præſenti vita, quotidianis fletibus & lachrymis ſe purgare ſtuduerit, in vita futura ridebit? id eſt, gaudebit. Similiter, *tempus plangendi*, eſt vita præſens; *tempus ſaltandi*, eſt vita beata: In motu namque ſaltationis; homo, ſuæ mentis gaudium, & animi demonſtrat affectum. Qui ergo in hac vita, plangendo ſtudet abolere

Nihil agẽdum eſt ſcurriliter.

C

Eccl. 3.

peccata, in futura vita ſaltabit; id eſt, lætabitur & exultabit in gloria æternæ fœlicitatis. V. Quid eſt quod ait; *Tempus ſpargendi lapides, & tempus colligendi*? Quid enim prodeſt lapides ſpargere, aut quid prodeſt colligere; niſi fortè domum aliquis velit ædificare? S. Non de hac cauſa loquitur Salomon; ſed de Gentium diſperſione & collectione. Nam per lapides, Gentes adſignantur: Vnde Ioannes;

Matt. 3.

Potens eſt, inquit, *Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Tempus enim fuit ſpargendi lapides ante Aduẽtum Domini, quia Gentiles non permanſerunt in vnitate Fidei, ſed recedentes à Deo diſperſi ſunt, quia varios Deos adorabant, & diuerſa Idola colebant: Tempus autem fuit colligendi lapides poſt Aduentum Domini, quia ſicut A-

Gal. 4.

poſtolus dicit; *Vbi venerit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum factum ex Muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Tũc quippe cœpit colligere lapides, quia peracto Paſſionis ac Reſurrectionis ſuæ myſterio, direxit Apoſtolos ſuos in vniuerſum terrarum Orbem dicens;

Matt. 28.

Ite, docete omnes Gentes, baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Deinde celebrato quadrageſimo die, myſterio Aſcenſionis in cœlos; mox vt ab Apoſtolis fama nominis eius diffuſa eſt, longè lateque per Mundum, lapides; id eſt, Gentiles qui erant diſperſi per variam Idolorum culturam; col-

D

lecti ſunt, quia reſipiſcentes & abominantes Idola, in vnitatem Fidei conuenerunt. V. Cur iterum dicit; *Tempus dilectionis & tempus odij*; tamen Ioannes Apoſtolus dicit,

1. Ioa. 3.

Ioa. 12. d

Luc. 14. e

Qui oderit fratrem ſuum, homicida eſt: Et in Euangelio dictum eſt; *Qui odit animam ſuam in hoc Mundo, in vitam æternam cuſtodit*: Item; *Qui non odit patrem ſuum & matrem, fratres & ſorores, vxorem & filios, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Dic ergo, quando tempus eſt dilectionis, & quando tempus odij? S. Et nunc quidem tempus eſt dilectionis, quoniam poſt Dominum diligere debemus patrem & matrem, vxorem & filios, & cæteros propinquos: Odij verò tempus, quia pro Chriſti confeſſione contemnere ſimul & odiſſe debemus & patrem & matrem, omneſque propinquos: (ſi nobis in via Domini fuerint contrarij) ſicut ſancti Martyres ſæpè feciſſe le-

E

Eccl. 3.

guntur. V. Quid eſt quod rurſum dicit; *Tempus belli & tempus pacis*? Quomodo tempus eſt belli, cùm Dominus in Euangelio dicat; Eſto cõſentiens aduerſario tuo citò, dum

Luc. 6. d

es cum illo in via: Et item; *Si quis percuſſerit te in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, & qui voluerit auferre tunicam tuam, dimitte illi & pallium.* S. Verè nobis ſemper eſt tempus belli & pugnæ quandiu in præſenti vita ſumus, quoniam ſemper neceſſe eſt nobis pugnare aduerſus inſidias Hoſtis antiqui, & aereas (id eſt, malignorũ ſpirituũ) debellare poteſtates. Pacis verò tempus erit, cùm de præſenti ſæculo migrauerimus; quoniam ſi bene pugnauerimus in hoc ſæculo, in futuro coronabimur, & in cœleſti Ieruſalem in æterna pace requieſcemus. V. Quare dicit; *Cuncta fecit Deus bona in tempore ſuo*, cùm ſuperius dixerit, omnia vanitatem eſſe? Si omnia vana, quomodo ergo bona ſunt? S. Omnia vana ſunt, quia tranſitoria: verumtamen cuncta bona ſunt, quoniam à Deo bona creata, &

F

bona quidem ſunt non tamẽ ſemper, ſed in tempore ſuo. Nam bonum eſt vigilare, bonum etiam eſt dormire; attamen ſemper vigilare, aut ſemper dormire non eſt vtſque bonum. V. Quare dubitando loquitur Salomon, dicens;

Eccl. 3.

Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum: Quis enim ignorat, quia ſpiritus iumentorum (id eſt, pecorum, cunctorumque brutorum animalium) ſimul cum corpore diſſoluatur: Spiritus verò filiorum Adam (id eſt hominum) non ſimul cum corpore diſſoluitur; ſed mox vt egreditur de corpore, aut deducitur ad gloriam aut demergitur in pœnam? S. Paulò ſuperius oſtendit Salomon, quia quantum ad corporis vtilitatem nihil diſtat inter iumentum & hominem, quia ſicut moritur iumentum, moritur & homo: Sed vt oſtenderet, quia ſecundum Animæ dignitatem multum diſtat homo à iumento & pecore, idcircò diſiun-

Eccl. 3.

G

xit dicens: *Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum*: Oſtendit enim quia hæc ſola differẽtia eſt inter homines & beſtias, quoniam hominis ſpiritus aſcendit in cęlum & ſpiritus iumẽti ſeu pecoris deſcendit in terram, quia moritur & ſimul diſſoluitur cum carne. V. Cur ergo dicit Salomon, *Quis nouit*? quaſi nemo ſit qui hoc cognoſcere poſſit! S. Ideò ait: *Quis nouit*? vt difficultatem rei demonſtraret: nam, *quis*, in Scripturis ſacris non impoſſibilitatem ſed difficultatem aut raritatem ſignificare ſolet, ſicut eſt iſtud: *Genera-*

Iſa. 53. c

tionem autem eius quis enarrabit? Hoc eſt, aut nullus, aut perrarus. Nam quod impoſſibile eſt fieri, nullatenus poteſt, etiam cum magno labore. Ergo ideo dicit; *Quis nouit*? quia perrarus, aut certè difficilè inuenitur ita ſpiritualis homo qui tunc perfectè comprehendere valeat cum de corpore ſpiritus egreditur, vtrum aſcendat an ducatur ad pœnam. V. Quid ſignificant ſpiritualiter iſti filij Adam, aut illa iumenta? S. Filij Adam ſignificant ſanctos & electos viros qui meritò appellantur homines, quia rationaliter, ſanctè, & ſpiritualiter viuunt: per iumenta verò deſignantur carnales, qui propterea iumenta vocantur quoniam beſtialiter & carnaliter, ſicut iumenta & pecora, viuunt.

Pſal. 35. a

Hinc enim ſanctus Propheta Dauid dicit: *Homines & iumenta ſaluabis Domine.* Solet enim fieri vt illi qui videntur homines iuſti, peccent & conuertantur à iuſtitia ſua, &

H

faciant iniquitatem: Econtrario illi qui ſunt mali & impij, conuertantur ab iniquitate ſua, & faciant iuſtitiam & æquitatem: Ideò dicit Salomon: *Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum*? Quia tam incertus eſt vitæ huius ſtatus, vt & peccator qui iumentum vocatur, per pœnitentiam conuerſus ſurgat & aſcendat in cœlum, & iuſtus à iuſtitia ſua ruat in peccatum, & demergatur ad Inferos. V. Quid eſt quod

Eccl. 4.

ait; *Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas.* Quis eſt enim tam ſtultus, qui carnem ſuam comedat. S. Stultus iſte, piger ille debet intelligi de quo in Prouerbijs

Prou. 19. d

dicit: *Abſcondit piger manum ſuam ſub aſcella, nec ad os ſuum applicat eam.* Iſte piger & ſtultus complicat manus ſuas & comedit carnes ſuas, quia magis eligit in ocio & torpore viuere & habere pugillum farris, quàm laborando acquirere vnde paſcatur. Illud autem, *comedit carnes ſuas*, dictum eſt per hyperbolem. V. Quid eſt hyperbole,

S. Hyper-

A S. Hyperbole dicitur, quando aliquid incredibile profertur. V. Quomodo ergo dictum eſt hyperbolicè, *comedit carnes ſuas*. S. Quia incredibile eſt vt homo comedat carnes ſuas: Sed ad exaggerandam pigritiam huius ſtulti, ait, *comedit carnes*; vt oſtenderet, quia magis ſtultus deſiderat vt caro eius tabeſcat media & miſeria famis deficiat, quàm vt manuum ſuarum laboribus ſuſtentetur. V. Quis eſt vnus de quo dicit Salomon; Vnus eſt & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat nec ſatiantur oculi eius diuitijs. S. Ille eſt qui cùm ſit vnus, id eſt, ſolus, non habet ſecundum: hoc eſt, filium, non fratrem, aut aliquem propinquum: & nunquam ceſſat laborare; hoc eſt, diuitias congregare, nec tantas congregat vt ei ſufficiant: Et ideò maxima vanitas eſt congregare diuitias & ignorare cui eas relinquatur. V. Quem ſignificat ſpiritualiter ille vnus qui non habet ſecundum. S. Dominum Ieſum Chriſtum qui naturaliter ſolus eſt Dei Patris Filius, & ſolus deſcendit de cœlis ad

B redimendum genus humanum. V. Quomodo non habet filium vel fratrem, cùm in ſacro baptiſmate omnes Chriſtiani, filij Dei efficiantur & fratres Domini noſtri IESV CHRISTI? S. Ille ſolus proprius & naturalis Filius; cæteri verò omnes ſunt adoptiui, & ideò fratres eius ſunt, non natura ſed gratia. V. Quomodo ergo iſte vnus laborare non ceſſat? S. Quia peccata noſtra patienter ſuſtinet & miſericorditer ad pœnitentiam expectat, & pro nobis quotidie apud Deum Patrem interpellat. V. Quomodo non ſatiantur oculi eius diuitijs? S. Quia noſtram ſemper deſiderat ſalutẽ. V. Quis eſt iſte funiculus triplex de quo

Eccl. 4. dicit Salomon; *Funiculus triplex difficile rumpitur*? S. Vnitas Patris & Filij & Spiritus ſancti, quia in diuinitate tres ſunt Perſonæ, ſed tantum vna eſt natura. V. Cur ergo ait, *difficile rumpitur*? Illud enim quod difficile eſt, fieri poteſt quamuis cum magno labore: nunquid ergo poteſt iſte funiculus rumpi? S. Verè nunquam, quia indiuidua eſt ſanctæ Trinitatis natura: ſed, *difficile*, in hoc loco, pro impoſſibili accipiendum eſt; quia non poteſt fieri vt Diuinitatis ſcindatur natura. V. Quis eſt ille puer pauper & ſapiens,

Ibid. de quo dicit Salomon; *Melior puer pauper & ſapiens Rege ſtulto & ſene*?

C S. Dominus Ieſus Chriſtus, qui puer dictus eſt

1. Pet. 2. d propter innocentiam & ſimplicitatem, *quia peccatum non fecit nec inuentus eſt dolus in ore eius*. Ille puer cùm eſſet diues, pro noſtra ſalute factus eſt pauper. Iſte veraciter eſt ſapiens, quia in *ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*.

Col. 2. b V. Quis eſt ille rex ſenex & ſtultus? S. Diabolus, qui penè ab ipſo Mundi exordio regnauit in genere humano, & ideò ſenex vocatur. Et verè ſtultus rex, quia quantò plures decipit, tanto ſibi pœnam accumulat maiorem. In regno quippe huius Regis ſenis & ſtulti, id eſt diaboli, natus eſt puer optimus, Dominus videlicet Ieſus Chriſtus, qui factus eſt rex regum & Dominus dominantium. V. Quid eſt quod ait; *Cuſtodi pedem tuum, ingrediens domum Dei*? Nunquid ab offenſione lapidum monet cuſtodire pedem, quando ingredimur domum Dei, id eſt, Eccleſiam? S. Quamuis ſemper honeſtè & cum timore ac ſilentio debeamus ingredi domum Dei, tamen non pedem corporis docet cuſtodiendum ſed pedem animæ, id eſt, greſſum mentis, vt in conſpectu Dei, mundas preces effundamus: & eſt ſenſus, quando ingrederis domum Dei

D (videlicet Eccleſiam) cuſtodi pedem tuum, id eſt, greſſum mentis tuæ, ne offendas in malis cogitationibus, vt oratio tua pura dirigatur ad Deum. V. Quid eſt quod ait:

Eccl. 5. *Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam*? Quomodo dat homo os ſuum, vt peccare faciat carnem ſuã? S. Quando loquitur vanitates & verba libidinoſa quibus caro incitetur ad peccandum. Sed iſte eſt proprius huius loci ſenſus: *Ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam*; hoc eſt, noli quærere vanas excuſationes quibus des occaſionem carni tuæ ad peccandum: hoc eſt, noli dicere: Non ego pecco, ſed quod in me habitat peccatum, id eſt, fragilitas carnis meæ: Quia ſi hoc dicis, Dominum prouocas ad iram; quaſi ipſe ſit autor malitiæ atque peccati.

Eccl. 6. V. Quid eſt quod ait: *Omnis labor hominum in ore eius, ſed anima illius non implebitur*? Quomodo poteſt fieri, vt omnia quæ laborat homo ſint in ore illius? S. Vir Eccleſiaſticus,

E ſapiens & doctus, omnem laborem ſuum habet in ore ſuo; quia omnia quæ in ſcripturis ſacris diſcit, quotidiè meditatur, prædicat & docet, & anima illius non implebitur, quia non ſufficit ſibi quod didicit, ſed magis ac magis ſemper diſcere cupit & ſtudet. V. Quid eſt quod ait:

Ibid. *Melius eſt videre quod cupias, quam deſiderare quod neſcias*? Quomodo videt homo quod cupit, aut quomodo deſiderat quod neſcit? S. Ille qui oculis mentis diſcernit inter bonum & malum, videt quod cupiat bonum & quod repudiet malum: qui autem ſequitur voluntatem cordis ſui & concupiſcentias, ſæpè deſiderat quod neſcit, quia vult comprehendere quod non poteſt. V. De quo dicit Salomon: *Qui futurus eſt, iam vocatum eſt nomen eius: & ſcitur*, quod homo ſit: S. De Domino Ieſu Chriſto, cuius nomen antè vocatum eſt in Scripturis ſacris, quia ipſe carnem de Virgine ſumpſerit, & cognitum eſt Prophetis & ſanctis Dei, quod verus homo erat venturus. V. Si hoc de Domino Ieſu Chriſto dictum eſt, quid eſt quod ſequitur: *Et non*

F *poſſit contra fortiorem ſe in iudicio contendere*? Quis eſt ille fortior, contra quem Dominus Ieſus contendere non poſſit in iudicio? S. Deus Pater qui fortior eſt, quia Filius ſecundum humanitatem minor eſt Patre. V. Quid eſt quod ait;

Eccl. 7. *Melior eſt ira riſu*: cùm riſus naturalis ſit, ira verò ſit vitium? S. Ira non ſemper eſt vitiũ, ſed aliquando eſt virtus, quando iraſcimur nobis ipſis vel alijs peccantibus: hæc ergo ira melior eſt riſu, quia riſus diſſoluit mentem, & lætitia corrumpit hominis animum; hæc autem ira corrigit & emendat peccatum. V. Quid eſt quod ait: *Calumnia contur-*

Ibid. *bat ſapientem & perdit robur cordis illius*? Qui enim verè ſapiens eſt, nulla turbatur calumnia, nulla deijcitur aduerſitate. S. Sapiens in hoc loco non intelligendus eſt ille qui perfectus & conſummatus in ſapientia eſt, ſed qui iam cœpit habere ſapientiam, & tamen adhuc non eſt perfectus. Talem ſapientem calumnia hominum ſiue aduerſitas aliqua facilè conturbat & perdit vigorem ac fortitudinem animæ illius, qui dum patienter non ſuſtinet aduerſa, vexatur impatientia. V. Quid eſt, malè dicere quia priores dies meliores fuerunt quam iſti qui modo ſunt? S. Ideò

G malum eſt hoc dicere, quia ipſe ait: *Stulta eſt talis interroga-*

Ibid. *tio*. V. Quare ſtulta interrogatio eſt, ſi quis dicat: *Quæ cauſa eſt, quia priora tempora meliora fuerunt quam nunc ſunt*. S. Ideò ſtulta interrogatio eſt, quia vnus Deus conditor eſt omnium temporum, cunctorumque dierum. V. Quamuis enim vnus ſit Deus, conditor omnium temporum cunctorumque dierum; nunquid non fuerunt tempora bona & mala? S. Verè fuerunt: ſed virtutes, faciunt nobis tempora bona, vitia & peccata faciunt tempora mala, & idcircò nos ita ſemper bene viuere debemus, vt dies præſentes nobis meliores ſint quam præteriti. V. Quid eſt quod ait

Tempora vnde bona.

Eccl. 7. Salomon, *Noli eſſe iuſtus multum, neque plus ſapias quam neceſſe eſt*: Quid enim mali eſt ſi homo ſit multum iuſtus, aut quis poteſt plus ſapere quam neceſſe ſit? S. Ille multum & nimis iuſtus eſt, cuius iuſtitia ſæua & crudelis, etiã alios excitat ad querelam & murmurationem, verbi gratia: Qui videt fratrem ſuum peccare, & magis vult eum cõdemnare atque punire quam per pœnitentiam corrigere & emẽdare, ille nimium, multũ & nimis eſt iuſtus. V. Quomodo ſapit homo plus quam neceſſe eſt. S. Quando ſuperbè ſapit: vnde monet Apoſtolus; *Noli altum ſapere*: id eſt, noli

Rom. 11. ſuperbè ſapere, *ſed time*. Ille etiam plus ſapit quam neceſſe

H eſt, qui ea vult intelligere quæ non poteſt comprehendere neque penetrare. V. Quare Salomon dicit; *Qui timet*

Eccl. 7. *Dominum, nihil negligit*, cùm Iacobus Apoſtolus dicat; *In*

Iac. 3. *multis offendimus omnes*: Nunquid Iacobus aut cæteri Apoſtoli non timebant Deum, qui ſe in multis offendere confitebantur. S. Timebant vtique, & in multis offendebant, quia non eſt homo ſuper terram qui faciat bonum, & nõ peccet. V. Quomodo ergo verum eſt quod dicit: *Qui*

Eccl. 7. *timet Dominum, nihil negligit*. S. Qui enim ſanctum & caſtum Dei timorem habet, nihil omnino negligit, quia neque proſperis eleuatur, neque aduerſis deijcitur, quoniam quicquid illi accidit non eum contriſtat. V. Quis eſt ergo ille qui ſanctum & caſtum Dei timorem habet. S. Qui Dominum in nullo vult offendere, & quantum ipſe adiuuare dignatur, eius voluntatem & mandata

Sanct⁹ & caſt⁹ Dei timor quis ſit

ipſius

A

Eccl. 7.

ipſius in omnibus vult & ſtudet adimplere. V. Quid eſt quod ait, *Sapientia confortabit ſapientem ſuper decem Principes ciuitatis?* Quæ eſt hæc ſapientia, aut qui ſunt iſti principes? S. Sapientia in hoc loco Dominum Ieſum Chriſtum ſignificat, qui eſt virtus & ſapientia Dei: Decem Principes ciuitatis, ſancti Angeli ſunt intelligẽdi, qui ſunt principes ciuitatis, id eſt, cœleſtis Ieruſalem. Sunt & principes Eccleſiæ, quia ipſi quotidie regunt eam, & cuſtodiunt. V. Cur ergo decem dicuntur? S. Quia decem fuerunt ordines Angelorum, ſed vnus cecidit per ſuperbiam? & idcirco boni Angeli ſemper ad hoc laborant, vt de hominibus numerus adimpleatur, & perueniat ad perfectum numerum, id eſt, denarium. V. Quomodo ergo ſapientia confortat ſapientem ſuper decem Principes ciuitatis? S. Quia maius eſt auxilium ſapientiæ; id eſt, Domini Iesv Christi, quam ſit Angelorum. V. Quid eſt quod Salomon dicit; *Virum vnum de mille reperi, mulierem autem ex omnibus non inueni?* Nunquid non multæ mulieres ſanctæ fuerunt, virgines ſimul & viduæ; quæ pudicitia ac caſtitate, ac bonis operibus Deo placuere, ex quibus plurimæ illarum Martyrio coronatæ ſunt? S. Verè fuerunt & vſque nunc ſunt plurimæ virgines ac viduæ Deo acceptæ: ſed hoc dicit Salomon, quia ſuo tempore de multis viris vix potuit inuenire bonum, de mulieribus verò nullam inuenit, quia omnes eum non ad virtutem ſed ad luxuriam traxerunt. V. Poteſt hæc ſententia ſpiritualiter intelligi? S. Verè poteſt, nam per virum deſignatur bonus animi cogitatus, per mulierem verò carnalis & diſſoluta cogitatio. De mille ergo vir vnus inuenitur; id eſt, vnus cogitatus mundus & purus; qui peruerſa cogitatione nõ turbetur, id eſt, polluatur extrinſecus: de mulieribus verò nulla inuenitur quæ placeat Deo, quia carnalis & peruerſa cogitatio non eſt accepta Deo. V. Quid eſt quod ait; *Qui cuſtodit præceptum Dei, non experietur quicquam mali?*

Impropriè vocat decimum ordinem, numerũ illum Angelorum, qui ex nouem ordinibus cecidit, nam nonẽ tãtũ eſſe Angelorũ ordines, & ex quolibet ordine aliquos cecidiſſe, docẽt Theologi, vide S. Thoma 1 par. q. 63. art 9. Ad 3. & q. 108.

B

Eccl. 8.

Quomodo nihil mali experietur qui præcepta Dei cuſtodit, cùm ſancti viri qui præcepta Dei cuſtodierunt, multa perpeſſi ſint in hoc ſæculo? S. Verum eſt, quia qui præcepta Dei cuſtodit; id eſt, omne quod iuſſit & præcepit Deus; non experietur quicquam mali in futuro, hoc eſt, nullum malum patietur, nullum malum ſuſtinebit in die Iudicij. Quamuis enim aliqua mala patiatur in hac vita, leuia ſunt & tranſitoria, in futura autem vita nihil mali patietur, qui peruenerit, ad æternæ beatitudinis gloriam.

C

Eccl. 9.

V. Quid eſt quod ait; *Melior eſt canis viuus, leone mortuo?* Quid per canem viuum aut leonem mortuum, Salomon vult intelligi? S. Canis viuus ſignificat populum Gentium, leo mortuus populum Iudæorum à Deo derelictum. Melior eſt ergo apud Deum Canis iſte viuus quàm leo ille mortuus; quia nos qui de Gente credimus viuentes, per fidem cognoſcimus Deum Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum. Aliter Canis viuus eſt peccator qui ſe peccatis mortuum confitetur; & per pœnitentiam reſurgens, incipit per iuſtitiam viuere: Leo mortuus eſt iuſtus, quia in ſua iuſtitia confidit, & de meritis ſuis gloriatur; & idcirco ſuperbia elatus, mortuus eſt apud Deum. Melior eſt ergo peccator humilis & per pœnitentiam correptus, quam iuſtus ſuperbus; quia ille abominabilis, iſte Deo acceptus eſt. V. Quid eſt quod dicit;

Ibid.

D

Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat? Nunquid poteſt aliquis candida veſtimenta ſemper habere? Et ſi fortitan ita eſt diues vt ſemper veſtimenta candida poſſit habere, quodomnino difficile eſt, quomodo fieri poteſt, vt de capite ipſius nunquam deficiat oleum? Quis namque ferre poteſt, vt ſemper habeat caput oleo perunctum? S. Hæc ſententia, non hiſtorialiter ſed ſpiritualiter debet intelligi. Nam per veſtimenta, virtutes deſignantur quibus anima veſtitur & ornatur: Per oleum verò deſignatur opus miſericordiæ; id eſt, Eleemoſyna, vel certè ſpiritualis lætitia, & eſt ſenſus;

Ibid.

Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, id eſt, quæcunque bona egeris, ſint munda & pura, vt poſſint Deo eſſe accepta; & nunquam deficias ab operibus miſericordiæ, & ſemper habere ſtude ſpiritualem lætitiam. V. Quæ ſunt

Eccl. 10.

muſcæ de quibus Salomon dicit, *Muſcæ morientes exterminant ſuauitatem olei?* S. Verè certè Salomon ſpirituales Muſcas intelligit. V. Quæ ſunt illæ ſpirituales Muſcæ? S. Dæmones, vitia, & peccata: hæc enim omnia exterminant hic ſuauitatem vnguenti, id eſt, gratiam Sancti Spiritus.

E

Ibid.

V. Quid eſt quod ait, *Cor ſapientis in dextera eius, & cor ſtulti in ſiniſtra illius?* Quis enim habet cor ſuum carnale in dextera vel in ſiniſtra manu? S. Verè nullus, & ideò hæc ſententia ſpiritualiter debet intelligi. V. Quomodo ſpiritualiter debet intelligi? S. Per cor deſignatur intentio ſeu cogitatio: Per dexteram manum, opus bonum; per ſiniſtram verò, malum. Cor igitur ſapientis in dextera eius, quia intentio & cogitatio viri ſapientis ad hoc tendit & ad hoc laborat vt ſemper bona operetur; quatenus in die Iudicij, ad dexteram Domini, id eſt, in ſorte iuſtorum ſtare mereatur, & cum ipſis in æterna beatitudine gloriari. Cor verò ſtulti in ſiniſtra illius, quia & mala quæ cogitat & malis operibus accumulat, pro quibus in die Iudicij, à ſiniſtris, id eſt, in ſorte reproborum ponetur, & cum eis in æternum punietur.

Dextera myſticè quid ſit.

V. Quis eſt ille ſpiritus de quo dicit; *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris?* Quis eſt iſte qui habet poteſtatem, cuius ſpiritus ſi aſcenderit ſuper nos, locum noſtrum dimittere non debemus? S. Diabolus, princeps huius Mundi, ſpiritus eius, eſt maligna ſuggeſtio. V. Spiritus Diaboli quomodo aſcendit ſuper nos? S. Quia perſuadendo facit vt mala cogitemus: ſi ergo ſuggerente Diabolo, mala cogitatio aſcenderit in cor noſtrum, nõ ei locum dare debemus, ſed contra ipſam fortiter pugnare ne fortè opere compleamus malam cogitationem. Poteſt & ſic intelligi: ſi habes in te humilitatem, munditiam, caſtitatem, patientiam, charitatem, & Diabolus ſuggerit tibi ſuperbiam, libidinem immunditiam, iram, odium: *ne dimiſeris locum tuum*, id eſt, ne dimittas humilitatem & efficiaris ſuperbus. Sic & de cæteris eſt intelligendum.

F

Eccl. 10.
David 2. Reg. 4.
Reg. 22.

V. Quare dicit Salomon; *Væ tibi terra, cuius rex iuuenis eſt, & cuius Principes manè comedunt?* Nunquid non beata fuit terra Iſrael, quæ iuuenem habuit regem, Dauid ſcilicet qui fuit triginta annorum quando ſuſcepit regnum? Nunquid non bonus rex Ioſias, qui regnare cœpit in adoleſcentia. S. Verè bonus rex Dauid, bonus & Ioſias. Sed væ terræ cuius rex iuuenis eſt, hoc eſt, in quo parua & infirma eſt ſapientia, & carnalis prudentia, quæ iuuenilia deſideria ſequitur, odit iuſtitiam, veritatem, & iudicium. V. Quomodo Principes manè comedunt? S. Principes manè comedunt quando luxurioſam vitam ducunt: & idcirco væ terræ cuius Principes manè comedunt, quia magis amant huius ſæculi voluptates & carnis delectationes quàm populi ſalutem, ideòque luxurioſè viuendo peruertunt iudicium.

G

Rex nobilis quis ſit.

Eccl. 11.

V. Quomodo beata eſt terra cuius rex eſt nobilis, & cuius Principes comedunt in tempore ſuo. S. Si rex nobilis eſt, hoc eſt, decoratus ſapientia, ſplendidus iuſtitia, ornatus bonis moribus & actibus; verè beata eſt terra cui præeſt, quia regit eam in iudicio & æquitate, & exaltat iuſtitia. V. Qui ſunt illi Principes, qui in tempore ſuo comedunt. S. Illi nimirum qui non luxuriantur, qui non amant huius ſæculi voluptates, qui non viuunt in crapula & ebrietate, ſed cibos quærunt tantum ad corporis ſuſtentationem: Ideoque beata terra quæ tales habet Principes, quia dum iuſtitiam & æquitatem diligunt, vtique non peruertunt iudicium. V. Quid eſt quod ait: *Da partes ſeptem nec non & octo*, Quæ ſunt illæ ſeptem partes vel octo, quas dare nos iubet. S. Per ſeptenarium numerum, vetus Teſtamentum propter Sabbatum, qui eſt ſeptimus dies ſanctificatus in Lege; per octonarium verò, deſignatur nouum Teſtamentum propter Diem Dominicam, qui eſt octauus, Domini Christi reſurrectione ſanctus.

H

Dies Dominicus Reſurrectione Chriſti ſanctus.

Ibid.

V. Quomodo ergo intelligendum eſt quod ait; *Da partes ſeptem, nec non & octo.* S. Hoc modo: id eſt vtrumque Teſtamentum (Vetus ſcilicet & Nouum) pari veneratione credendo ſuſcipe, & præcepta eorum diligenter implere ſtude. V. Quid eſt quod ait; *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit:* Nunquid quod cadit lignum ad Aquilonem, aut ad Meridiem; non ſæpè mouetur in alias Mundi partes: S. Nulli hoc dubium eſt, ſed hæc ſententia ſpiritualiter intelligi debet. Nam per lignum, homo deſignatur: quoniam vnuſquiſque eſt

quaſi

Digitized by Google

A

quaſi lignum ſyluæ generis humani. Per Auſtrum qui eſt calidus ventus, deſignatur requies Paradiſi. Per Aquilonem qui eſt frigidus, deſignatur Inferni ſupplicium; Et eſt ſenſus: Vbicunq; ſibi homo locum ad futuram ſedẽ præparauerit, ſiue ad Auſtrum, cùm ceciderit (id eſt mortuus fuerit) in requie Paradiſi & gloria regni cœleſtis permanebit in æternum.

Si verò malè viuendo ſibi locum præparauerit ad Boream; Inferni pœnas luet in ſæcula ſæculorum. V. Quid eſt quod ait, *Qui obſeruat ventum, non ſeminat, & qui conſiderat nubes nunquã metit*? Quis enim eſt tam ſtultus, qui ſemper obſeruet ventum, vt non ſeminet; & ſemper conſideret nubes, vt nunquam metat? S. Hæc ſententia ſpiritualiter intelligenda eſt: Nam vt per ventum & nubes ſæpè tempeſtas generari ſolet; ſic per ventum etiam deſignatur Diabolus, per nubes præſentis ſæculi aduerſitates. Quicunque igitur timet Diaboli perſecutionem aut Mundi huius aduerſitates, non ſeminat; id eſt, verbum Dei non prædicat, nec operatur bona quæ valet, etiam nunquam metet; quia & ſi aliqua bona inchoat, ad perfectionem non ea perducit. V. Quid ergo agendum eſt? S. Sine conſideratione nubium & timore ventorum, in medijs tempeſtatibus ſeminare debemus; id eſt, in omnibus aduerſitatibus verbum Dei prædicare, & bona opera quæ valemus agere ſemper oportet. V. Quid eſt, *Mane ſemina ſemen tuum, & veſperi ne ceſſet manus tua*? Quis enim ſemper & mane & veſperi ſeminare poteſt, maximè cum glaciali tempore nullus audeat ſeminare? S. Semen hoc loco non intelligendum eſt frumenti vel alterius cuiuslibet grani, ſed ſeme boni operis, ex quo naſcitur fructus iuſtitiæ, & merces æternæ remunerationis. V. Quid ergo docet cùm dicit, *Mane ſemina ſemen tuum, & veſperi ne ceſſet manus tua*: S. Vt nullo tempore, nulla ætate, à bonis operib. ceſſemus, & noſtram matutinam iuſtitiam veſper inueniat, & veſpertinam miſericordiam iterum Sol ortus accumulet: In adoleſcẽtia pariter & ſenectute virtutum copia nos ſemper Deo commendet. *Mane ergo ſemina ſemen tuum, & veſperi ne ceſſet manus tua*: hoc eſt, ſemper te in bonis operibus exerce. V. Quid eſt quod ait, *Et florebit amygdalus, impinguabitur locuſta, & diſſipabitur capparis*? Quid enim profuit hoc dicere, cùm nullus ignoret quia & Amygdalus florere ſolet, impinguari Locuſta, & diſſipari Cappatis: S. Hæc ſententia ſpiritualiter eſt intelligenda, & magnum in ſe continet myſterium.

Eccl.11.

B

Eccl.11.

Merces æternæ remunerationis.

Eccl.12.

C

Nam per Amygdalum deſignatur Dominus IESVS CHRISTVS: quia ſicut nux Amygdali conſtat ex corio, oſſe & nucleo, ita Chriſtus ex carne, anima, & diuinitate. Quoniam per os amygdali, diuinitas deſignatur. V. Per Locuſtam & Capparim quid ſignificatur? S. Per Locuſtã, populus Gentilis, per Capparim populus Iudaicus. V. Quomodo ergo intelligenda eſt hæc ſententia? S. Florebit Amygdalus, id eſt, naſcetur Chriſtus & corruſcabit miraculis: *Impinguabitur Locuſta*, id eſt, credet Gentilis populus, & replebitur donis ſpiritualibus: diſſipabitur Capparis, hoc eſt, peribit propter infidelitatẽ populus Iudaicus. V. Quare verba Sapientum ſtimulis & clauis aſſimilantur? Sic enim dicit Salomon, *Verba Sapientum ſunt ut ſtimuli, & quaſi claui in altum defixi*. S. Aptiſſimè verba Sapiẽtum, clauis & ſtimulis comparantur, quia peccatorũ culpas neſciunt palpare, ſed pungere: qui enim veraciter ſunt ſapientes, eorum proculdubio verba claui ſunt & ſtimuli, quia peccatores non blandimentis fouent, ſed aſpera increpatione redarguunt, & eorum ſecretas conſcientias quaſi pungendo, ad dolorem & lamenta exercent vt corrigantur. V. Quid eſt quod ait, *Quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à Paſtore vno*? Qui ſunt illi magiſtri per quorum conſilium data ſunt Sapientum verba, aut quis eſt vnus ille Paſtor, à quo data ſunt? S. Magiſtri, ſunt S. Prophetæ & Apoſtoli: Paſtor vnus eſt Deus, à quo data ſunt omnia verba ſapientum, quia ipſe docuit magiſtros (id eſt, Prophetas & Apoſtolos) & reſtruxit eorum cõſilium, quoniam ipſe dedit verba in corde & ore ipſorũ. V. Quid eſt quod Eccleſiaſtes in fine Libri ſui dicit, *Deum time & mandata eius cuſtodi, hoc eſt enim omnis homo*: Quomodo fieri poteſt, vt hoc tantum ſit homo, id eſt, timere Deum & mandata eius obſeruare? Multo quippe maior eſt pars eorum hominum qui nec timent nec cuſtodiunt. S. Verè maior pars eſt malorum quam bonorum, quia ſicut Dominus dicit, *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*, & incomparabiliter maior infidelium multitudo quàm fidelium. V. Quid ergo vult in hoc loco Salomõ demonſtrare? S. Hoc namque demonſtrat in his verbis, quia non eſt homo, qui Deum non timet & mandata eius non cuſtodit. V. Quare non eſt homo? S. Quia non cuſtodit modum rationemque ſuæ naturæ. V. Quæ eſt ratio & modus naturæ humanæ? S. Rationabiliter viuere, quia inter animantia omnia ſolus homo creatus eſt rationale animal, & ſolus accepit à Deo rationem & intellectum ita vt agnoſceret ſuũ Creatorem & diligeret eum ac timeret, & corde & ore ſimul laudaret. V. Quid eſt Deum timere? S. Voluntatem eius implere, & bona quæ facienda ſunt facere. V. Si ergo qui non timet Deum & mandata eius non cuſtodit, non eſt homo, quid ergo eſt? S. Beſtia eſt. V. Quomodo beſtia eſt, cùm in eo videatur humana ſubſtantia & perſona? S. Quamuis enim videtur habere humanam ſubſtantiam & perſonam, tamen quia non rationabiliter ſed beſtialiter viuit, non homo ſed beſtia dicendus eſt. V. Quomodo beſtia vocatur? S. Si eſt crudelis, ſuis domeſticis & ſubiectis aut vicinis, leo eſt, non homo: ſi autem raptor eſt, Tygris vel Lupus, ſi verò eſt adulter aut fornicator aut immundus, Canis eſt aut Porcus, aut ſi ſtultus, Aſino cõparatur: fraudulentus itaq; aut ſimulator, congruè vulpeculę aſſimilatur, & ſic de cæteris intelligendum eſt. V. Quis eſt ergo veraciter homo? S. Ille qui Deum timet, & mandata eius cuſtodit.

Amygdali cum Chriſto, ſimilitudo.

Eccl.12. Sapiẽtum verba ſimilia ſtimulis

D

Eccl.12.

E

Matt.20.

F

Beſtia eſt nõ homo qui Dei nõ ſeruat mandata.

G

CLAVDII MARII VICTORIS OPVSCVLA.

Gennadius Catalogo illuſtrium virorum.

Victorinus Rhetor Maſſilienſis, ad filij ſui Etherij perſonam commentatus eſt in Geneſim, id eſt à principio libri vſque ad obitum Abrahæ Patriarchæ. Quatuor verſuum edidit libros Chriſtiano quidem & pio ſenſu: ſed vtpote ſeculari literatura homo occupatus, & nullius magiſterio in diuinis ſcripturis exercitatus, leuioris ponderis ſententias figurauit: Moritur Theodoſio & Valentiniano regnantibus.

Plura de eo agunt Honorius in Catalogo, & ex recentiorib. Sixtus, Eiſingrenius, Poſſeuinus, & alij ſub Theodoſio iuniore, & Valentiniano 3. claruiſſe referunt.

CLAVDII MARII VICTORIS, ORATORIS MASSILIENSIS IN SVOS SVPER GENESIN Commentarios Præfatio ad Deum Opt. Max.

H

SVmme & ſancte Deus, cunctæ virtutis origo,
Omnipotens, quem nec ſubtili indagine rerum
Mentibus humanis ſenſu comprendere fas eſt,
Et neſcire nefas (nam te ratione profunda
In tribus eſſe Deum, ſed tres ſic credimus vnum,
Vnica perſonas vt tres ſubſtantia reddat.
Indiſcreta pio conſeruans fœdera nexu.)
Tu ſine principio, pariter ſine fine perennis,
Solus es atque idem, nulliq; obnoxius æuo.
Tu ſpatium rerum, mentis quocunq; receſſus
Tenditur, excedis: ſpatio neque cingeris vllo.

Nec

A Nec te qui capiat locus eſt, immenſus enim es tu.
Quinetiam humanæ nefas contingere menti
Qualis imago tua eſt, oculis ignara videri,
Ni cui cernendam ſpeciali numine ſeſe
Exhibeat: nec vero eſt qui virtute creata
Te vegetet motus: per quem ſumus atque mouemur.
Tu mens & ſacræ penitus ſubſtantia mentis:
Tu ratio, & plenæ prudens rationis origo.
Tu virtus, virtutis apex, atque ipſa profecto
Tu vita, & genitor vitæ, luciſque profundæ:
Tu lux vera Deus, tu rerum cauſa, vigorque:
A te principium traxit, quodcunq; repente
Ex nihilo emicuit, tantoq; auctore repletum
Vel vim mentis habet, vel formam in membra recepit,
Te Dominum natura probat ſeruata caducis
Partibus: & iuſſam ſeruem datus ordo fatetur.
Tu dociles numeros diſtinguens, pondera librans,
Menſuras varians, modulos, motumque gubernans,
Alternas ſeruare vices, ingemque recurſum
B Rerum ſtare iubes, & mentis imagine plenum
Edere nota tibi iam ſæcula, voluere mundum.
Non vno tu contentus dotare creata
Munere, quicquid agis varios largiris in vſus:
Quinimmo nil non cauſa Deus alme tuorum
Efficis: ipſa licet nobis ignota tuorum
Factorum ratio, atque modus: contraria nempe
Quæ putat humanæ ſolers ignauia mentis,
Dum certant, plus pacis habent, ſic omnia diues
Conditor aduerſis etiam cognata elementis
Nectis, & effuſis à te virtutibus imples.
Et tamen hæc cum ſint in maieſtate creandi,
Nil horum quæ gignis eges, mundique peracti
Et per te ſtabili rerum compage manentis
Nil prorſum indigus es: nec in hoc tua gloria tantum
Quod præſtanda facis bonus auctor: ſed quod & ipſa
Efficere vt poſſint cauſis præbere ſecundis
Non dedignaris: quæ qui tua munera ſentit
Munus & ipſe tuum eſt: tibi vt vni accepta referre
Omnia homo meritò poſſitq; & debeat vnus.
C Nam tibi ſola Deus gigni quod cuncta iuberes
Cauſa fuit bonitas: quum iuſſis viuere primum
Spiritibus, mundoque frui, quem mente gerebas,
Atque omnes in te rerum cognoſcere cauſſas,
Et ſuper terras & aquas volitare dediſti.
Certa quibus cœlum ſedes, queis libera corda
Arbitriumque ſui largitus es omnibus: vt iam
Alterutram in partem vellent ſe vertere poſſent:
Vt heres iuſtis merces meritiſque piorum,
Hoc quoque conferres præſtando, vt debitor eſſes:
Nam quod de primis cęleſti in ſede creatis
Vnus (dum lucis Domino, vitæque ſuoque
Inuidet auctori, titulumque hunc appetit) auctor
Maluit eſſe mali, primamque inducere mortem,
Cum ſcelerum ſocijs celſo deiectus olympo:
Virtuti nihil inde tuæ præiudicat: illud
Cui ſatis eſt feciſſe bonum: ſed copia laudis
Hæc eſt ſumma tuæ: quod quum ſe extollere ſupra
Diuini virtutem apicis ſcelus eſſet, & ingens
D Relligio nulla prorſum delebilis vnda:
Non tamen ingratis vitam ſenſumque negaſti:
Quin etiam arbitrio mentis gaudere dediſti.
Nec tamen arbitrij naturam vtrumque valentis
Accuſanda venit nobis: namque inde perire
Poſſe datum eſt cunctis, vt viuere dulcius eſſet:
Mutuaque alterni compar menſura pericli
Cederet ad meritum: quum iudice digna ſeuero
Præmia ſanctorum geminaret pœna malorum.
Porrò etiam (mihi ſi fas eſt hoc dicere, ſalua
Pace tua genitor) maius fortaſſis apud te eſt
Non peccaſſe bonum, per lubrica tempora vitæ,
Quam miſeris peccaſſe malum: ſed videris vt ſe
Hoc habeat: cauſſas vni cui credimus omnes.
Interea ſatis eſt nobis, quod vilia terræ
Pondera dum ſacra inſpiras ratione, tuaque
Informas virtute, tuumque effingis adinſtar,
E Nobiliora facis: dum lato in ſidera vultu
Erexiſti hominem: quem ſæui fraude tyranni
In mortis laqueos, & ad impia tartara raptum
Vnigeni redimis profuſo ſanguine nati:
Eque imis erebi dona ad maiora petitum
Reſtituis, quam factus erat: vitæque perenni
Reddis, & in cœlum diro vetus hoſte ſubacto.
Iam iam nemo patrem temerarius arguat Adam,
Quod leue præſcriptum violata lege reſoluens
Ad lethum patefecit iter, nam culpa parentis
Compenſata ſatis: quia plus eſt vincere mortem
Quam neſciſſe mori, cœli nunc lætus ab aula
Deſpicit æthereos axes, & ſidera calcat,
Diſpoſitoſque vocat ventura in regna nepotes:
Quos iterum formauit aquis, iterumque renaſci
Aeterni docuit diues ſapientia patris:
Te te igitur Deus alme precor, qui numine prono Inuocatio
Das ſentire animis, & te chariſſime patris
Nate tui, da mellifluum in præcordia verbum
F Noſtra tuum, & linguas nobis infunde diſertas,
Dum teneros formare animos & corda paramus
Ad veræ virtutis iter puerilibus annis.
Inclyta legiferi iam pandito ſcrinia Moſi,
Quæ ſit origo poli, vel quæ primordia mundi,
Arcanamq; fidem, quid toto excuſſerit orbe
Mentibus ambiguis, qua vires traxerit aucta
Peſtis, & in vitium mores ceſſere vetuſti.
Da Deus æternæ deſcribere myſtica vitæ,
Da ſimul & mentem, da congrua tempora menti,
Da ſtudium, tanto ne deſit cura labori,
Succeſſumq; bonum ſtudij, quodq; omnia vota
Iure ſupercurrit (ſcribenti candida mens eſt)
Ne damnes tantum, quod nunc reus audeo munus,
Criminibuſq; meis conniue & parce benignus.
Quòd ſi lege metri quicquam peccauerit ordo,
Peccarit ſermo improprius, ſenſuſque vacillans,
Hinc nullum fidei ſubeat menſura periclum.
Per Dominum Chriſtum, qui tecum natus eadem
Maieſtate viget, pariter qua Spiritus almus,
G Incomprenſa animis ſeclorum in ſecula viuit.

CLAVD. MARII VICTORIS, ORATORIS Maſsilienſis, ad AEthereum filium, Commentariorum in Geneſin,

LIBER I.

ANte polos, cœlique diem, mundique tenebras,
Ante operum formas, & res, & ſemina rerum,
Æternum ſine præteriti, ſine fine futuri
Eſſe ſubeſt: cui ſemper erat Deus vnus, apud quem
Viuebat genitus Verbum Deus, & ſimul almus
Spiritus, arcani vitalis ſumma vigoris.
Vna trium, quos concordi ſubſtantia nexu
Coniungens ſumma æternum virtute beabat,
Regnabatq; potens in maieſtate creandi
Iam res, & cauſas rerum, caſuſq; futuros
Et facienda videns, gignendaq; mente capaci
H Secula diſpiciens, & quicquid tempora voluunt
Præſens ſemper habens: immenſum mole beata
Regnum erat ipſe ſuum, regni nec teſte carebat,
Virtus trina Deus: qui primum ſemine nullo
Corpora dans rebus, dum res exiſtere cogit,
Iam noſtrum effecit munus, quod ſolus habebat.
Vtq; iſtum faceret diues ſapientia mundum,
Cuncta ſimul genuit: ſed poſt hæc ſemina rerum
Ornauit ſuperinductis informia formis,
Temporaq; in ſeriem bene conditus ordo redegit.
Nam non (ſacrilegi ſenſit quod lingua furoris)
Caſus mentis inops, dum neſcia ſemina voluit,
Tam prudens contorſit opus: nec dicere factum
Ante æuum fas eſt, quia tempore nata mouentur.
Nec porrò æternum mundum, ſuperiſque coæuum
Credere fas, ſtabilem ſemper tenuiſſe vigorem:
Nam quod corporibus conſtat, cœpiſſe fatendum eſt.

Cor-

A Corpus enim quod plaga terit, quod tempora ſoluunt
Atque abolent, ipſo qui tendit vltima fine,
Principium oſtendit: quod quæ ſortita probantur,
Aut facta hæc credi par eſt, aut nata putari.
Factum igitur conſtat mundum, quod quiſque ſubactus
Annuit, & vero conuictus dogmate credit,
Concedens feciſſe Deum: qui numine Verbi
Et virtute potens, quicquid natura putatur,
Diſpoſuit, iuſſit, mouit, munuſque creatum
Succiduis vicibus (ſemper fugitiua reformans)
Suſtinet, ac volucrem retrahens circumrotat orbem.
Qui ſi cuncta etiam mauult diſſoluere raptim,
Confeſtim in ſimiles formas redeuntia reddet.
Tanta Patris vis eſt, & tanta eſt gloria Verbi.
Vt verò ſemel attingam primordia rerum,
Excelſi conuexa poli, terræque iacentes,
Pars prima eſt operis: ſed terras vnda tegebat,
Aeraque in medio ſordenti nube madentem,
Et tenebris ſe vaſta nigris velabat abyſſus:
B Et ſacer extenſis impendens ſpiritus vndis
Altrices animabat aquas, ac ſemina rerum
Nondum compoſitis fundenda ad germina terris
Inſinuanda dabat: cùm lux immiſſa supernè
Emicuit dicente Deo, diſcretaque nigrum
Vmbra peplum retrahens, ſummo diſceſſit Olympo.
Tum diuina diem appellans prudentia lucem,
Indidit & tenebris obſcuræ nomina noctis:
Sic facta vna dies de mane ac veſpere primo.
Rurſus mane nouum, primo iam veſpere pulſo
Reddita lux fecit, cùm ſe firmiſſima moles
Fluctibus è medijs concreto corpore cedens
Extulit, ac latè duro ſolidata rigore,
Diuiſas ſuſpendit aquas, gelidumque profundum
Axibus obiecit calidis, ſeque æquore ſepto
Nixa ſuperfudit rebus, quas circite vaſto
Contegit æthereum, deducto hinc nomine, cælum.
Forſitan hîc aliquis ſic ſecum errore petito
C Deſlerat, æthereis ne deſint pabula flammis,
Et nimius calor ima petens, alimenta ſequendo
Exurat mortale genus, cælumque coruſcum
Non poſſint terrena pati, ſubiecta deorſum eſt
Machina firma poli: quæ dum nos protegit vmbra,
Interea ſuper impoſitis frigeſcit ab vndis.
Numinis at verò diuini quærere cauſas
Mens fuge noſtra procul: plus ſit tibi credere ſemper
Poſſe Deum, quicquid fieri non poſſe putatur,
Et magnum pelagus ſuper aſtra & ſidera ferri,
Ipſorum ratione proba qui credere nolunt,
Et mundum pendere volunt, quem conditor ipſe
Geſtet, & immenſo conſtantem pondere voluat.
Tertia lux tumidos ſtupuit diſcedere fluctus,
Cùm Deus impulſis reliqui iam gurgitis vndis,
Aërijs magnum ſpacijs patefecit inane:
Arida tunc primùm mundi pars ima retectam
Oſtendit faciem, tremefactaque numine Verbi
Cærula nudatas cinxerunt æquora terras.
D Quas vario raptim iuſſas fructeſcere fœtu,
Luxurioſa noua texerunt germina limo.
Et rudis, & tenero prorumpens ceſpite lætis
Iactauit ſe ſilua comis, ſpeciemq; ſecundum
Edidit vna ſuam quæque arbor & herba vireſcens
Et fructum & ſemen, veſtitaq; gramine terra eſt.
Iam tribus exactis, motu ſuccenſa citato,
In flammas, igniſque globum ſe cogere iuſſa eſt
Solis prima dies, fundataq; ſemina lucis
Puniceos roſeo ſparſerunt fomite crines:
Lunaq; noctis honor, quæſito lumine fulgens.
Inferiore via ſoli ſubiecta pependit,
A quo ſuſceptos radios percuſſa refudit.
Aſtraque diſtinctis cælum pingentia zonis,
Floribus æthereis varios vibrare colores,
Et magis ornatis ſe reſplendere tenebris,
Cærula nox ſtupuit, rutilis dum ſpicula flammis
Fuſca micant, vrgentq; alacres noua ſidera iactus,
Quæ ſolare iubar radijs obducit apertis,

Tempora quadrifidi menſurans quattuor anni. E
Sol quoque cùm curſus lunæ ſit menſtruus, vno
Contentus curſu reuolutum conficit annum,
Artificemque ſacrum mira compage fatetur.
Quinta dies mouit ſpirantia corpora ponto,
Quæ liquor humectans genuit, ſparſitque profundum
Delicias pelagi, vario quas germine miris
Formauit natura modis, educere iuſſa
E toto partes, formaſque ex corpore inani.
Quinetiam in brutas animam dedit ire figuras;
Quæque ſalis tumidi ſquallentia gurgite terga
Cete vaſta leuant, molli differta ſagina;
Edidit & qui horum conſeruat corpora, noſtris
Corporibus nocet ipſe liquor, genitalis alumnus
Piſcibus, ipſa etiam terræ qui germina nutrit.
Hinc volucres quoque molle genus traxêre vigorem,
Nam liquidas dum format aquas, immiſſaque pontum
Vita ſubit, feruent multo tumida æquora partu:
Nec ſatis eſt piſces genus omne exurgere, quodque F
Squammea turba ſalo ſummas euadit in vndas,
Ni volitans in aquis ſenſim natet æthere puro,
Æthereos volucris contingere docta receſſus.
Ergo materies auibuſque & piſcibus vna eſt.
Iam bis terna dies claro radiabat olympo,
Tertia poſt calidi genitalia munera ſolis:
Iamque tepens tellus grauidos laxauerat artus,
Cùm maiora agitans iuſſit Deus edere terram
Omne animal, vegetat ratio quod ſola mouendi:
Cui ſeruire datum, quo rerum poſtulat vſus.
Nec mora prorumpunt fœtis vitalia terris
Pignora, quæque ſui generis ſortita figuras.
Hic mihi iam fas ſit quædam perſtringere, quædam
Solicito trepidum penitùs tranſmittere curſu,
Mutata quædam ſerie tranſmiſſa referre.
Poſtquam cuncta datis generatim protulit ordo,
Veris plena bonis, & multa dote referta,
Quæ Deus in longam ſeriem manſura foueret:
Auctori perbella ſuo tum machina viſa eſt.
Sed quid id eſt, quod mundus erat, quod ſidera, & ortus; G
Ætheraque & vitreum pelagus, terræque virentes
Ni ſpectator adeſt, tantæ quem gloria molis
Impleat, atque oculis auidum per ſingula ducat?
Quorſum tam lati fines, poſſeſſioque ampla,
Si rerum poſſeſſor abeſt? Hæc rector Olympi
Secum animo verſans, & Verbi pondere librans:
Stat data ſumma operi, bona ſunt quæcunque creaui
Nunc hominem faciamus, ait, qui regnet in orbe,
Et ſit imago Dei: ſimilem decet eſſe creanti;
Liber ad arbitrium, fruitur qui mente creatis.
Dixerat hæc, & factus homo eſt, ſeu corpore toto;
Siue anima ac ſpecie, forſan quo more futura,
Quo facienda facit, quo factum ſemper habebat,
Et ſi præteritum iam nondum accellerat æuum.
Ergo hunc præpoſitum rebus, cum coniuge iuſſit
Creſcere per ſobolem, terraſque replere vacantes.
Tum natura ſemel rebus conceſſa creatis;
Præſertim quas vita mouens animare videtur, H
Multiplicat quæcunque ſuis primùm edita formis.
Septima lux magnum vt vidit ceſſaſſe Parentem
Sed generum tantum numeros deſijſſe creare,
Et requiem tenuiſſe ſuam, tum iure ſacrata eſt
Perfectũ quæ vidit opus: namque hoc quoque plenũ eſt
Virtutis, ceſſaſſe Deum, poſuiſſe labores.
Nam genitus formam Patris quam dextra pararet;
Bis ternis Dominum ſatis eſt patraſſe diebus.
Septima lux docuit venerandæ exempla quietis,
Quàm cæleſti omnes ſperare iubemur in aula,
Si modò non deſint operum bona facta piorum.
Hæc quoque lux illam ſignat, quæ tartara Chriſtus
Soluit, & euicto reditum patefecit auerno:
Dum patriam ille ſemel victor rediturus in aulam,
Iamque malorum expers, humana in carne quieſcit.
Sic ceſſare Deus, ſic ocia ſumere nouit,
Plus vt agat ceſſans, pariter ſine fine quieſcens.
Ac ſine fine operans, feriemq; & tempora miſcens

A Ceſſando conſummat opus, quodcunque crearat.
Sed qualem, qualique Deus formauerit Adam
Materia, hîc paucis cum Moſe reſumere fas eſt.
Primus enim meritis, poſtremus in ordine toto
Factus homo, vt ſeſe rebus præſtare creatis
Noſſet, & hinc laudes Domino perſolueret æquas.
Ergo hominem factura Dei manus optima ſummi,
Tractatu facilem ac bene gnarum cedere limum,
Et flexum formamque ſequi qua ducitur arte,
Sumit, & humanam qualem iam mente gerebat
Explicat in ſpeciem, tum flatu immiſſa vaporo
Vita rigauit humum: tellus mollita liquore,
Vertitur in carnem: & ſanguis qui lubricus humor
Diſtendit molles per nota foramina venas.
Tunc mentis iam plenus homo, tellure relicta
Exilit, ac Dominum prudens rationis adorat.
Haud aliter buſtis mandata reſurgere apertis
Corpora, cum Chriſti cælo delapſa patenti
Maieſtas grauidæ reſerabit viſcera terræ,
B Exilient, Dominumque colent terræq; polique.
Nam quod non habuit cùm ſic è puluere vili
Humanum in formam compactum eſt corpus honoram,
Perfacile eſt rurſum integrum vt de puluere reddat,
Quod iam habuit multos cælatum terra per annos.
Sic ex antiquis prodibunt iuſſa ſepulchris
Corpora quæque ſuas rurſum aſſumentia partes.
Sic nil præteriti eſt, quod non ſit forma futuri.
Sed iam hominis tempus, ſedem atque habitacula primi
Pandere, vbi toto acceptum pro ſemine vulnus.
Eoos aperit fœlix qua terra receſſus
Editiore globo, nemoris Paradiſus amœni
Panditur, & teretis diſtinguitur ordine ſiluæ.
Hîc vbi iam ſpacijs limes diſcernitur æquis
Solis, & æternum paribus ver temperat horis.
Illic quæque ſuis diues ſtat fructibus arbor,
Pomaque ſucciduis pelluntur mitia pomis:
Quæ iucunda epulis, & miti plena vigoris,
C Membra animoſq; fouent, paſcuntq; ſapore & odore.
Sidereos hic terra vibrat diſtincta colores,
Semper flore nouo frondens, fructuque recenti.
Hic fragiles ſoluunt calamos, animata vigore
Muneris Ambroſij, ſpirantia cinnama odores.
Sed nec quod Medus redolet, vel crine ſoluto
Fragrat Achæmenius, quod molli diues amomo
Aſſyrius, meſſiſque rubens Mareotica nardo,
Quod Tarteſſiaci frutices, quod virga Sabæi,
Quodque Palæſtinus lacero flet vulnere ramus.
Omnia certatim hunc congeſta putabis in hortum.
Namque huc cuncta Deus pariter, quæ ſingula certis
Accepit natura locis, conferta regeſſit:
Motaque dum leni vibrat nemus aura meatu,
Vnum ex diuerſo nectar permiſcet odore,
Fitque nouum munus, ſibi nulla quod afferat arbor.
Quaque tremens blando ſenſim iactata fragore,
Commotis trepidat folijs, ſonat arbore cuncta
Hymnum ſilua Deo, modulataque ſibilat aura
Carmina, nec vacuus vanum quatit aere motus.
D Quippe apud auctorem, qui totum mole ſub vna,
Res rebus nectens, alterna lege retentat,
Nil temerè fieri vel fruſtra credere par eſt.
Quinetiam ſpecioſa, nemus, ſiluæque coruſcæ,
Argumenta operum ſunt, & plantaria rerum.
Nec dubium primi quin delicta ante parentis,
Hic ſua fixiſſent pariter tentoria ſecum,
Gloria, ſimplicitas, ſtudium, ſapientia, veri
Diua tenax, prudentia, gratia, honorque, ſaluſque,
Præclarique animæ affectus, atque inclyta virtus,
Et quicquid pulchrum orbis habet: quid denique paucis
Enumerare velim quàm plurima munera verbis?
Iam ſatis hoc fidei eſt, læto quòd ſemine ſurgens
Hinc arbor vitæ, celſis petit aera pomis:
Illinc diuerſo nocitura peritia fructu,
Notitiam rerum ſuſpendit ab arbore legis.
Ad gremium ſacri nemoris, quod ſilua coronat,
Fons ſcatet, & diti prolem virtute maritat,
E Quadrifido tumidum lætus caput amne reſoluens,
Ditior Oceano: iugi nam gurgite pronus
Ille ſuos donat latices, iſte accipit omnes,
Nec turget tamen: at minor eſt, qui creſcere tantis
Fluctibus infuſis, quàm qui decreſcere neſcit
Amnibus effuſis: quorum primo ordine Phiſon
Proſilit exultans, fontis pars quarta beati:
Edens naturæ quas dat prudentia dotes,
Gangetiſque replet populos, atque Indica regna
Diſtendit limo, terraſque & ſemina voluens
Quæ facit arua ferit, nudis quà ſquallet arenis
Aurea fulgentis inter ramenta metalli.
Hic vbi fulmineo rutilans carbunculus igne,
Ac viridi radiat fulgeſcens luce ſmaragdus.
Nec minor inde Geon, placidis ſed mitior vndis
Niliacas attollit aquas, arſuraque latè
Diluuio tegit arua pio, cæloque repugnans
Temperat Æthiopum ſtagnis refluentibus vndas.
Tertius hinc rapido percurrens gurgite Tigris
F It comes Euphrati iuncta quos mole ruentes
Tellus victa cauo ſorbet patefacta baratro:
Donec in Armeniæ ſaltus ac Medica tempe,
Quos non ſuſtinuit, nec iam capit, euomat amnes.
Sed Tygris, nigro tanquam indignatus auerno,
Proſilit æthereas motu maiore ſub auras,
Et rurſum ſpelæa ſubit, merſuſque cauernis
Intus agit fremitus, & fortior obice factus
Multiplicarur aquis, atroque citatior antro
Exit, & Aſſyrios celeri ſecat agmine campos.
Iuſtior Euphrates, diti qui gurgite largus
Irrigat arentes ſubiectæ Perſidis agros,
Mollibus elicitus riuis, atque omnibus æquè
Seruit, & humanos totum ſe præbet in vſus:
Donec ſiccus aquis, nomen quoque prodigus ipſum
Conſummat terris, pelagi quod debuit vndis.
Hæc igitur cuncto naturæ ditia fœtu
Imperia, & tanta virtutum dote refertæ
G Deliciæ, prima eſt hominis poſſeſſio primi:
In quam deductus, vita exultare perenni
Accola iuſſus erat, tales ergo ille locatus
Inter delicias, & longè pinguia tempe:
Dum fit adhuc dignus, diſcitque labore mereri,
Expers mœrorum, curæque ignarus agebat.
Tantum apud auctorem eſt, meriti pro nomine ſummi,
Nondum aliquid metuiſſe mali. Quantũ ergo putamus,
Soluere poſſe patrem reditura in tempora vitæ:
Cuius apud famulos iam tum largitio pura,
Non merces Paradiſus erat? quodque illa ſeueræ
Legis ſcita tulit, libertatiſque periclum
Facturus, vitam, ſeruanti iuſſa, recepit:
Spondet adhuc maiora bonis, & præmia ſeruat,
Qui cauſſam meritis ſtatuit: dum Veſcere, dixit,
Arboribus cunctis, hanc tantùm horrere memento,
Quæ diuerſarum geſtans examina rerum,
Notitiam recti atque mali ſub cortice geſtat:
Nam tranſgreſſores mors cruda & dira ſequetur.
H Tali lege data, ratio docet optima, quòd non
Mortalem Deus in primæuo tempore fecit
Primum hominem, quin ille ſibi mortem attulit vltrò.
Namque & in hoc eſt magna Dei indulgentia ſummi:
Dum quod non meritis, ſed tantùm ſponte benigna
Largitur famulis, noſtri cupit eſſe laboris:
Et ſe, quod donat, mauult debere videri.
At tu quem ſacri nectit cuſtodia iuris,
Ne querere anguſtis quod clauſa licentia metis
Parte ſit orba ſui: nil hac tibi lege reciſum eſt.
Antè poteſtatem tantum terræque mariſque
Nactus eras, nunc iam regni vitæque perennis,
Porrò & mortis habes: tunc vt ſibi cuncta parentem
Induliſſe pium rudis incola crederet orbis,
Omne animal, quod iam tellus dare iuſſa crearat,
Effundens tacito vernans è corpore ſemen,
Iuſſit adeſſe Deus, proprioque obedire tyranno:
Scilicet vt cunctis bene congrua nomina rebus
Inderet, atque ſuo factum vnumquodque vocaret

Nomine,

A Nomine, natura quod natum eſt ſuapte moueri.
Nec mora, vinctum parendi haud neſcia, ſiſtit
Omne genus natura Deo: quacunque vocantur
Mundi parte noui coëuut animalia in ipſo
Temporis articulo modici: ſiue illa fuiſſent
Molli lenta gradu, aut rapido promptiſſima curſu,
Impete vel ſubito conſueta per aëra labi,
Aut innare vndis, aut pondere lubrica ferri.
His Deus omnipotens Adam præſente vocatis,
Vnumquodque ſuo donauit munere largus,
Armauitque manu, cornu, pede, dente, veneno,
Atque alijs, quibus artis inops animique minoris
Et ratione carens animal ſe protegat, & ſe
Seruet ab aduerſis rebus: ſed nullum animantum
Æqua homini ſpecie vultuque habituque vigebat.
Aſt homini propè diuinos addebat honores,
Totque inter duplici vitam illuſtrantia ſexu
Impar ſolus erat, dudum qui coniugis aptam
In ſe materiem gignendæ ignarus habebat.
B Ergo opus aggreditur notum Deus, ictaque raptim
Corda viri, tanto diſſoluit languida ſomno,
Mentis vt experti coſtam ſubduceret vnam,
Inde viro fit iuſſa ſequi: nam ſpontè recedens
Pellis, iter planum coſtæ præbebat eunti,
Illæſis prorſum membris, & corpore ſano.
Quæ varios operante Deo digeſta per artus,
Accepit formam, calidiſque animata medullis
Verſa in opus vitæ eſt, ſexu iam grata ſecundo.
Sic permiſſa ſuo formata eſt Eua marito.
Hoc nunc turba loco ſtolidiſſima deſine tandem
Quæſtiis animum vanis torquere, nec iſthic
Quærere, cur hominis confecta eſt fœmina membris,
Cùm iam à principio molli de puluere fingi
Poſſet, & ex nihilo, cauſas deſiſte latentes
Scrutari: quanquam ſi coniectare licebit
Ex homine effecta eſt mulier, cognatio quædam
Mutuum & æternum inter ſe vt miſceret amorem,
C Semet in alternis cogens agnoſcere membris.
Hinc Euam partem eſſe ſui, mox protinus Adam
Senſit vt exultans, tetigit noua gratia mentem,
Mentis & affectus in viſcera nota receptus
Irruit, & tanto penetrauit in oſſe calore:
Vt iam ſcire daret, quod coniunx eſſet, & vxor,
Quid dulces nati, poſtponendiq; parentes
Coniugibus, quid nam vna ambos in carne manere,
Æternam pariter vitam ducentibus eſſet.
Porrò dum mundi vitijs & labe carebant
Diuinis vigêri animis, nullius egeni,
Cùm penes hos eſſet mundi ſubſtantia, & omnes
Quis dabat orbis opes: nec prorſum obnoxia morbis
Corpora geſtabant, non hos cogebat ad eſum
Pauſæ ignara fames: qui ſi mandata ſupremi
Seruaſſent regia Dei, crudelia mortis
Imperia, & diros neſciſſent vſque dolores.
Callidus at ſerpens Domini perfringere legem,
Talibus incautam perſuaſit fraudibus Euam:
D O vitæ melioris inops, rerumque bonarum
Gens ignara hominũ: neque enim bona noſſe putandus
Qui praua ignorans, etiam diſtinguere neſcit
Quo diuerſa bonis inter ſe limite diſtent.
Atque ideo auguſtos homini fas carpere fructus
Noluit eſſe Deus: ne mentis nube remota
Immittant in cælum oculos, atque optima noſcant,
Sintque deis ſimiles. Hic nunc excurrere paulùm
Fas ſiat, & turpes veterum deflere ruinas.
Ah nimium miſeri gentiles, quos furor egit
In varios ritus, cognomia multa Deorum
Fingere, pluralemque Deo vocem addere ſoli.
Serpentis primam hanc ſonuit vox impia diri,
Qui mortis tum cauſſa fuit, nam credula poſtquam
Rupit ſacrilegis præſcriptum morſibus Eua,
Experti iam docta mali, conſortia culpæ
Quærit, & incautum fraudis malè gnara maritum
Qua petijt prior arte petit: ſic hoſte ſubactus
A gemino, cedit ſceleri miſerabilis Adam,

E Pomaque deguſtat ſacri pleniſſima ſucci:
Sed quia legis in his ſuberant præſcripta ſeueræ,
Pluſquàm vipereo mortem allatura veneno.
Vt primùm illicito, violarunt ora ſapore,
Confeſtim ſentère nefas, facinuſque peractum
Creuit, & ignaro percuſſit pectora ſenſu.
Hinc timor, inde pudor, ſumpſerunt primitùs ortum.
Nam dum corda homines celſarum conſcia rerum,
Et cælo tantùm rectoque intenta gerentes
Pectora ad excelſum ferrent conuerſa parentem:
Dum ſecretorum miracula diuinorum,
Claro incorporeæ mentis ſplendore notarent:
Nondum contigerat membrorum cura ſuorum.
Quos vbi deſeruit vitæ vigor ille perennis,
Iam morte affectos, demum frigúſque calorque
Aëriæ ſubière vices, ac veſtis egenos
Se primum ſenſere homines, ſexuque latenter
Erubuere ſuo, taciti miſerabile queſti.
F Idcirco vmbroſæ è folijs noua tegmina fici
Decerptis texunt, poſt culpam, mente receptum
Corpore velato denudatura pudorem.
Nec ſatis, ignorant, quid agant, qua crimen iniuſtum,
Seque ipſos fugiant: cuperent ſi fortè pateret,
Condere ſe barathro, vſque adeo contermina pœnæ
Culpa ſuæ eſt, vt iam miſeros mortale pauentes
Mortis imago iuuet, ſiluas vmbroſaque luſtra
Obtendunt, vanis ſolatia falſa tenebris.
Nam quò te timidum fas eſt ſubducere corpus.
Tete, inquam, quæ vox vili de puluere fecit,
Virtus viua patris, mundi occultiſſima, præſens
Implet, & in penitos exit diffuſa receſſus.
Tu ne potes Dominum fugiens euadere, tu ne
Omnia cernentem ſperaſti poſſe latere,
Vt vaſtis iaceas tenebris, cælabere nunquam.
Ergo vbi peccati genitus pudor attigit Adam
Quærentem latebras, mox audijt: Heus vbi es Adam
Quid verò eſt quòd te quærit Deus, inſcius an ne id
G Fortè rogat? cui te Domino ſubducere ſummo
Nec mors ipſa poteſt, fragili quam mente ſubiſti,
Cur vbi ſis quærit, niſi quòd te morte doloris
Lapſum ſponte tua, ſecum non eſſe fatetur,
Et cælo cecidiſſe facto, ſed ſancta parentis
Deſperare vetat pietas, clementia cuius
(Fas dixiſſe mihi, fas ſit quoque dicta probaſſe)
Iuſtitiam excedit: nec tam me voce ſeuera
Corripiens, vbi ſis, trepido quid pectore quæras,
Terret: quam recreat, quòd adhuc poſt crimina lapſum
Immerſúmque metu, latebris ac penè ſepultum,
Euocat & reuocat: ne verò exempla petantur
Longius, oſtendit culpæ donatio mitem.
Poſtquàm excuſſa reos manifeſtat cauſa parentes,
Incepêre Deo cælum, mare, terra loquente
Contremere, & vaſtos concuſſa aperire receſſus.
Dúmque reos punit ſententia, tartara condit.
Quandoquidem noſtris viſum eſt decedere iuſſis,
Iam mihi iuſta nouos feriet cenſura nocentes.
H Principio inter totius viuentia mundi
Tu maledictus eris, & peior quam tegis intus
Inuidia mens coluber: qui cælum intrare creatos
Deiecisti homines, vetitáſque attingere fruges
Fraude tua impulſis, prædurę mortis origo es.
Ergo vt digna nefas pœnæ menſura ſequatur,
Ex quo hominem terræ immerſti, tu ſtratus iniquo
Membra ſolo, duram ſulcabis pectore terram.
Et vetitos tentare cibos quia feceris, hinc iam
Vilis ſemper edes ſqualentia viſcera terræ.
Et quia te dignæ placuit tibi primus vt eſſes
Inuentor mortis pœna moriere perenni,
Humaníque odium generis ſpecialiter in te
Ac genus omne tuum bello experiere potenti.
Perpetuumque tui, mors vt tibi longa, timorem
Eſſe dabo: pedibus repes, & pectore prono:
Teque tuo mulier perimet cum ſemine, cuius
Callidus extremis tantùm inſidiabere plantis,
Vt trepidans etiam capiti veſtigia figat.

A Dixit, & exanguem ſic eſt exorſus in Euam:
Et tu quæ nimmio ſolam te perdere fructu
Non contenta, virum ſimiles temeraria in auſus
Traxiſti: inſtar eris famulæ ſubiectaque duros
Arbitrium ſentura viri, patiere labores.
Caſibus & verò (inceptum quoniam prior auſa es
Multiplicare nefas) ſemper verſabere multis.
Tum partus crebris adeò torquebere natis,
Vt quos mortales faciet tua culpa creari,
Mortis nonnunquam laceræ ſint cauſa parenti.
Tu quoque cui monitus noſtros, & prima ſalutis
Vincula fœmineis poſtponere fraudibus auſo,
Sponte mori placuit: talem reus excipe ſortem,
Criminibus tellus, quam tu ſulcabis aratro,
Sit maledicta tuis, ſpinas tribuloſque minaces
Culta ferat, fallatq; tuum ſpes improba votum.
Nec tibi terra fidem ſeruet: tu viuere lætus
His in delicijs, & cunctis viuere ſeclis
B Sponte recuſaſti: duro nunc viue labore,
Perpetuum quoque viue miſer, dum lenta ſenectus
In terram te reſtituat, terræq; recondat.
Dixit, & ignaros ne cæli iniuria lædat,
Veſte tegit pecudum miſerans, vitamq; tueri
Edocet: & ne iterum ſimiles exiret in auſus,
Infauſtum mortis formidine percutit Adam.
At ne perpetuam vitali ex arbore vitam
Protraherent, miſeroſque reos grauiora manerent
Supplicia: in tantis nimium diuturna periclis
Tempora ducentes, diriſque obnoxia pœnis:
Continuò ſacris iuſſos decedere lucis
Expellunt venti, nemoris quos ſilua profundi
Concitat, atque illos libranti turbine nexos
Aura vehens, ſacra Paradiſi ab ſede repellit.
Ergo hinc electi iuuenes, terriſque relati,
Perdita dimiſſi ſuſpirant gaudia luci,
Expertes tanti ſpatij, experteſque pericli:
Sed non expertes, agitat qui corda, doloris.
C Quò ruerint, quid perdiderint, quæ vita ſequatur,
Quæ fuerit tacita triſtes in mente volutant.
Porrò etiam quid ſe ſupremo in fine futurum eſt,
Hærent ſolliciti: ſibi num grauiora ſuperſint,
Nulla ne ſpes ſuperet miſeris, num morte perenni
Perdant, quod ſupereſt: an cùm via mortis amaræ,
Per lignum ingruerit mundo populiſque futuris,
Poſſit adhuc aliquod per lignum vita redire.

CLAVDII MARII VICTORIS,
Commentariorum in Geneſin,

LIBER SECVNDVS.

HActenus arcanam ſeriem, primordia mundi,
Vt ſincera fides docuit, ſine fraude cucurri,
Dum dignis letho vitijs terrena carerent:
Nunc hominum mores, & iam mortalia verſu
Aggreſſo, omnipotens vires Deus adde poëtæ.
Poſtquam ſacratis decedere iuſſus vterque
D Sedibus ac regnis, genitalia contigit arua,
Inque ſua ſtetit exul humo: mirabile quali
Ore, rudes ſtupeant tam barbara rura coloni,
Quæ non frugifera diſtinctaque arbore vernant.
Nec ſpecies placet vlla ſoli: nam mixta coacto
Pondere congeries confuſa mole locatur.
Ardua cautę rigent, ſiluis depreſſa laborant
Plana, carentque herbis, horreſcunt edita dumis.
Heu quibus hæc ſpectant oculis, quo pectore cernunt,
Quorum animis Paradiſus ineſt, quæ cauſa doloris
Vna ſubeſt, dum cunctorum iam plena malorum
Se pandit facies longè triſtiſſima, poſt tot
Delicias Paradiſe tuas, & amœna locorum
Gaudia fertilium: quorum vaniſſima præſens
Semper adeſt, triſteſque animos idæa fatigat.
Nunc honor ille ſacri nemoris maiore ſereno
Irradiat, nunc diuitias ſuccurrit ademptas
Silua beata tuas: nunc pomi dulcior vſus,
Nectareuſque ſapor: viuis nunc floribus halans E
Tellus, abſenti triſtes contriſtat odore.
O quàm non eadem (exclamant) Paradiſe rependis,
Immò etiam quanto præ illis hæc dona beatis
Delicijs, peiora facis, ſic triſtibus illis
Iam vitæ perit almus amor, penuria rerum
Inſinuat iam dulce mori, ne maior egeſtas
Occurrat grauiore malo, nam viſcera terræ
Scrutari veſana fames, & quærere cogit
Quas ſteriles dat ſilua dapes, adeo vſque malignis
Herbarum dubias paſſim radicibus eſcas
Explorare iuuat, ventremque explere latrantem.
Tandem cunctarum, quibus indiget vſus, egenos
Atque inopes rerum, docuit ſors vltima ſummi
Auxilium ſperare Patris: tum ſtratus vterque
Membra ſolo, lachrymis tantùm mutoque dolore
Quæ nequeunt verbis poſcunt ſolatia victis.
Dum pudor internis ſubducit verba querelis.
Ergo vbi cognouit mutuæ ſibi reddita linguæ F
Munera, conſurgens tali prece ſupplicat Adam.
Omnipotens, auctor mundi, rerumque creator,
Quem mihi labe mali intenſum atque audacibus auſis
Contингi, felix olim, dum vita maneret,
Et celeres animos viſu ſuper aſtra daretur
Poſſe ſequi, latè circùm perque omnia fuſo:
Hos ego cur oculos tua quondam arcana ruentes,
Vel iam non habeo, vel magna ex parte minutos,
Et tetro clauſos terreni carceris antro:
Vt iam nil veri præter mortalia quædam, &
Fluxa videre datum, ac mundum in peiora labantem,
Atque ideo Omnipotens, qui ſemper totus vbique es,
Ad te confugimus, trepida te mente precamur,
Exaudi miſeros, quos ſemper cernis & audis,
Cùm me olim parti damnatæ annectere vellet
Ille caput ſcelerum, mundi infenſiſſimus hoſtis,
Nil per ſe ſolum, ne victus cederet, auſus,
Serpentis formam accipiens, & coniugis illa
Arma meæ, duro contexit vulnere, ſic nos G
Artificis ſcelerum fraus improuiſa ſubegit.
Cumque ego damnarer iuſta pro crimine pœna,
Agnouit culpam tanto mens icta dolore,
Vt mihi me de me pœnam præbere putarem.
Idcircò & gemitus pœnæ, lachrymaſque negaui,
Amplexuſque animo ſolatia dulcia pœnæ,
Hanc ipſam poſthæc ſacra inter munera ponens
Pro venia ſceleris: non iam detrecto labores,
Quoſcunque addideris, tamen interea optime iudex
Si iuuat exaudi nil in tua iuſſa precantes.
Nec iam iſtud lachrymis & mœſta voce precamur,
Iudicij cenſura tui quò ſe illa reſoluat,
Tota ſed vt plenas teneat ſententia vires.
Iuſſiſti mota victum me quærere gleba,
Et ſteriles ſpinas ſparſa pro fruge leuandas
Dixiſti, & tribulos pro fructibus: ergo ſerenda eſt
Vt fallat mea vota ſeges, quæſita labore.
Noſcere da quæ ſint ſegetes, quo more ſerendæ,
Fructiferæ quæ ſint herbæ, quæ forma laboris.
Da Pater auxilium miſerans, hiſque imbue ſenſus: H
Tunc erit vt rerum compos, & certa ſalutis
Seruiat Eua mihi, ſæuumque experta parentis
Supplicium, patiat populos vt crimine noſtro
Plectantur, purgetque patrum peccata, nepotum
Mortibus æternam faciens ſucceſſio pœnam.
Interea dum ſic orant, ſerpentis imago
Indice viſa metu tacito ſe tramite ferre,
Leniter ad molles ſpiris reptantibus herbas:
In ſe conuertit trepidos, dirique doloris
Excuſſo ſenio cognatas traxit in iras.
Et prior Eua viro: Si te ſuprema malorum
Cauſſa mouet, rape ſaxa manu, datur ecce facultas
Auctorem lethi letho dare: callidus ille
Supplicijs doceat proprijs, & morte cruenta,
Quàm ſit triſte mori, qui me malè perdidit, & te.
Dixit, & elapſum curſu petriſque ſequuta eſt
Miſſilibus: quin & duras per robora cautes,

Quò ſe

A Quò ſe reptando condebat callidus anguis,
Ambo proijciunt: quarum rigido vna lacerto
In nudum caſu ſilicem dimiſſa reſultat,
Scintillamque ciet: ſicco quæ è fomite nata
Exijt in flammam, & crinita incendia latè
Extendens tota iam ſilua ardebat adepta.
Hic horrent, latebraſque gradu trepidante requirunt,
Sed pauidos ſtupor ipſe tenet, curamque ſagacem
Inijcis inſolitæ flammæ: quam cernere rurſum,
Et timidi ſpectare volunt: paulum ergo remoti
Telluris dorſo ſterilis mirantur opacas
Defluxiſſe comas, nemorumque horrere fauillas,
Fuſcarique diem, totas ſplendeſcere terras,
Et lucem ſub ſole nouam: nec mente quieta
Accipiunt crepitus ſtridentibus vndique ſiluis,
Vndanteſque globos flammarum in ſidera latos,
Nec quòd radices immerſus tendit in imas
Ignis edax penitus: ſumpto quo victa calore
Terra ſuas pandit generoſa ad munera venas.
B Quæ cùm iam cuncto ſiccata liquore fuiſſet,
Mox fieri liquor incepit, riuiſque metalla
Fundere quæque ſuis, fuluo hinc torrente coruſcat
Auri ſummus honos, candenti lacte renidens
Effluit argentum, rigor æris lubricus errat,
Et cogit in mollem reſoluto corpore maſſam.
Vis breuibus formam ardentis comprendere ſiluæ?
Sulfureæ voluunt nemoris per opaca fauillæ,
Non aliter quàm dum ruptis ſicca Ætna caminis,
Egerit immixtis ſtridentia ſulfura flammis:
Tum ſe decoctis tellus pinguiſſima glebis
In fœtus mouit varios, quos imbre marito
Parturiens putri diſſoluit rura meatu,
Qua tumidi crepuere ſinus, elataque meſſis
Exiuit, & motis vndans trepidauit ariſtis,
Diſceret vt ſpeciem ſegetis nouus accola cultæ.
Nil tamen hinc longus quicquam ſibi vendicet vſus
Nil caſus virtutis inops, Deus omnia noſſe
C Quæ bona ſunt cum luce dedit, mundoque minori,
Quicquid maior habet, ſacro innoteſcere ſenſu,
Seque per hæc voluit: quòd ſi illibata maneret,
Vt data mens homini eſt, nullique obnoxia culpæ:
Non illam ſpecies, non illam corpora rerum,
Non modus aſtrorum, numerus nec mollis arenæ
Falleret, aut quantis cum magno terra profundo
Extenſa eſt ſpatijs, aut quæ menſura peracta eſt
Molis: quid reſonet motu ſeptemplicis axis
Harmoniæ vocale melos, nunc diſcitur vſu
Aſſiduique datur ſtudijs: quanquam arte vel vſu
Quod capimus, Domino ſemper donante tenemus.
At verò ad primos vt ſe digreſſa parentes,
Noſtra chelys referat, iam quæſo attendite paucis.
Pulſus ab auguſtis Paradiſi ſedibus Adam,
Nullum habuit prius officium, quàm coniugis vſum,
Atque omnem natis operam nauare creandis:
Ergo vbi prima domus natis iam plena duobus,
Inter tam varios ſolatia multa labores
Attulit, atque nouum ſe vidit vterque parentem,
D Multiplicata graues releuauit cura dolores:
Et ſpes iam ſabij proprijs gaudere miniſtris,
Rutis in officio quorum qui maximus æuo,
Arua Cain duris vertebat pinguia raſtris.
At vario gaudere lucro digniſſimus Abel,
Collibus in nudis & ſicci germine campi
Innocuas paſcebat oues, & lacte parentes.
Verùm expectari ſenſere vt gaudia fructus,
Diuino intuitu vincit ſua vota fauore:
Mox decreuit vterque ſui libamina fructus
Prima dicare Deo, ſacras prior impedit aras
Frugibus ille nouis, niueo magis hic litat agno.
Prima ſacerdotum ſpecies, mox hoſtia fratris
Impia, ſed Chriſtum longè tamen antè figura
Signans, perpetuus nam cum ſuret ille ſacerdos,
Summi Melchiſedech ex ordine: protinus in ſe
Conflata inuidia, & fratroni liuore ſuorum eſt,
Hoſtia ſalutifica dum pendet ab arbore factus.

E Sic olim antè ſui præſenſit candidus Abel
Inuidiam fratris: nam cùm de fruge litaſſet
Iſte ſua, niueo ille agno; mox protinus altum
In cælum aſcendit combuſto fumus ab agno.
At contra per inane volans de frugibus illis
In terram redijt fugiens fumus Olympo:
Aut quòd peiores Domino ſacrauerat, aut quòd
Illi non gratum eſt, animo quod prodit auaro.
Inde Cain tamen infandas flammatur in iras,
Inuidiæ ducens illo de fonte venenum,
Vnde propinat ſerpens, fratremque cauendi
Ignarum, ſæua mactatum cæde trucidat.
Heu facinus! Quò non miſeros furioſa libido,
Quò non ira, recens odium, & vis improba cogit?
Quid meret innocuus frater? num ſanctior ille
Quòd fuit, interimi meruit? iam facta parentum
Non eſt poſteritas quòd quicquam accuſet, & ipſi
Flagitium addidimus: iamque eſt quod callidus anguis
Obijciat, ſi ſors illum accuſare velimus,
F Quòd morimur: namque ad cumulũ prima illa propago
Criminis, adiecit mortem, culpamque parentum
Inductam mundo (horrendum eſt id dicere) fecit
Impietas ſcelus eſſe nouum, ſic impie, ſic tu
Dire Cain primore nouum cæde inficis orbem:
Pro qua perpetuas pœnas iam morte ſolutus
Æternumque dabis, longè ſerpente nefando
Deterior, tua metimur ſi crimina: namque
Attulit ille necem nobis, non intulit: at nos
Cepimus allatam, tu verò hanc primitus infers.
Tantò illo peior, vitari publicus hoſtis
Quòd potuit: tu priuatus nulla arte caueri
Iam poteras: Quis enim dilecto à fratre timeret?
At verò nulla eſt hominis tam dira nefandi
Culpa, Deus quam non animo clemente remittat,
Si modò pœniteat facti: quod teſte Caino
Accipimus, quem tunc fraterna cæde madentem,
Non indignum habuit (tanta eſt clementia) ſeſe
G Correptore Deus, quin blanda voce rogatum,
Frater vbi ſuus ille foret, facinuſque negantem
Arguit, & leniter tanto pro crimine punit.
Nam profugum tantùm atque extorrem ab vtroque pa-
rente
Longius amandat, vaſtaſque relegat in oras,
Et iubet à patrijs confeſtim excedere terris.
Hac etiam longè miſero feliciter in re
Gratificans: grauior nam multo eſt pœna videri
Inter felices, & pura mente beatos
Victuro, poſt ſupplicium, factique pudorem.
Vtque ſit exilium leuius, comes additur vxor
Fida reo forſan, ne deſperatio ſolum
Arriperet: tum etiam quæ duras pectoris ægri
Molliret curas, & mœſto corpore fractum
Siſteret amplexu: nullique obnoxia culpæ,
Et Dominus votis, & pura mente colendo,
Eliceret quicquid poſſet ſatis eſſe duobus.
Sic multa extorres comitatur gratia, quorum
H Auxit multiplicans per nomina mille nepotum
Progeniem Deus omnipotens, regemque Cainum
Eſſe dedit populis, quos cingere mœnibus vrbes
Erudijt, prælonga videns in tempora natos.
Interea mæſto rurſum grauis Eua marito,
Penſarat primum ſancto iam pignore damnum,
Reddideratque iterum nata iam prole parenti
Multiplices animi curas, & mixta labore
Gaudia: Seth puero nomen fecere, vice Abel
Quem dedit omnipotens illis Deus: vnde ſecuta eſt
Poſteritas, cuius de ſemine prodijt Enos,
Qui primus tacita lectus virtute ſacerdos,
Poſſe ciere pijs precibus, votoque potentem
Sperauit, metuitque Deum, populumque ſecutum
Imbuit, æterni cultum ſeruare Parentis.
Cuius de ſerie pollens virtutibus Enoch
Deſcendens, meritis etiam non impar auitis,
Redditus in ſedes patrias orbemque beatum,
Viuit adhuc, & habet vitæ iam regna futuræ.

A Hic iuſti proauus Noe ſub tempora cuius
Infecit totum ſtudijs concordibus orbem
Culpa frequens, vitijſque ſequens adiunxit auitis
Poſteritas vitium: quapropter mille per annos,
Aut propè maiores cùm viuere conſueuiſſent,
Ne peruerſi hominum mores creſcentibus annis
Augmentum acciperent, vitijs vt terminus eſſet,
Maxima vita hominum luſtra ad duodena redacta eſt.
Namque Cainigenum cùm ſe coniuncta prophanis
Damnaſſet Thalamis in peius prona iuuentus:
In varium facinus, ſuperum deſerta fauore,
Proſilit, inque omnes currit temeraria lapſus.
Tum Deus auerſo tam multa ob crimina mundo
Confeſtim infenſus, voces erumpit in iſtas:
Nequaquam poſthæc humana in gente manebit
Spiritus ille meus, vitam nec proferet vltra:
Viuere biſſenos decies contenta per annos
Vita nocens hominum: quoniam terrena ſequuti
Plus carnis quàm mentis habent, ſic ergo ſeuera
B Æui conſtituit tempus ſententia certum
Iudicis immoti, longæ ne tempora vitæ
Criminis augendi cauſſam præſtare valerent.
Flagitij quid enim iam non auderet iniqui
Impia gens hominum, nam magna mole Gigantes
Monſtra horrenda hominum, vario de ſemine nati,
Nil non audebant: quis vna & maxima virtus,
Non fore ad extremum prauos, quos dira libido
Crimen in omne trahens, nullas ſine ſanguine noctes,
Aut ſine cæde dies vnquam ductare ſinebat:
Immemores iuris diuini, hominumque, ſuique,
Affectuſque pij, matrumque, patrumque ſuorum,
Auctoriſque Dei: tantumque in crimina ſumma
Proceſſum eſt, homines Dominum vt formaſſe pigeret,
Vt peruerſa etiam Deus ob peccata nocentum,
Criminis expertes animas, conuoluere vellet,
Atque ſuperfuſis terras immergere lymphis,
Rurſus in antiquam mundo redeunte figuram.
C Vnus erat Noe iuſtus, quem propter in iras
Differret prodire Deus: quem vita fidelis
Iam per quingentos immunem criminis annos
Duxerat, & ſancta degentem in lege probarat.
Cui ſic ſancta Deus pandens arcana reuelat,
Iamque hominum vitijs infectam turpibus omnem
Aera cum terris in deteriora relapſis
Eluere, & tumido viſum eſt ſubmergere ponto:
Et dum cuncta ruens operit, iuſſuſque reſidit
Gurgite præcipiti, pollutum diluat orbem,
Implicitoſque homines, & quicquid viuere iuſſum eſt
Cauſſa hominum, inſtati conuoluat labe profundi.
Sed quia tu ſolus cui cordi noſtra voluntas,
Deuotum ſanctis duxiſti legibus æuum,
Peruerſis ſemper voto meliore repugnans:
Sic decretorum moderabor iura meorum,
Vt mihi cùm iuſtas luerit gens impia pœnas,
Purgatæque orbis fæces: tum dignius à te
Incipiat mortale genus, ſummumque parentem
D Te numerent populi, poſt hæc qui tempora viuent.
Quadratis igitur trabibus contexta paretur
Arca tibi, cubitis ſed quæ ſit longa trecentis,
Lata quaterdenis, denos ſuper: aera in altum
Terdenis ſurgens, cubitali ornata feneſtra.
Inſuper à læua ponatur ianua parte.
Tunc calidum bibula ſpirans compage bitumen
Exploret, tenues & veſtiat vndique rimas.
Cumque triplex ſpatium diſcreuerit area duplex,
Sic diſcernantur proprijs animantia nidis,
Ne violent permixta genus, commiſſaque pugnent,
Confundantque cibos, quorum te condere par eſt
Tantum materiem: nam diſpenſata receptis
Ne deſit, præſtare meum eſt. Hæc mente fideli
Noe concipiens (ſenſum ipſe animumque miniſtrans,
Velle & poſſe dabat famulo, quodcunque iubebat)
Iuſſum opus aggreditur, denſas proſternere ſiluas
Incipiens, atque annoſas proſcindere quercus,
Admittunt luti radios, vmbriſque leuatur

Campus, & æquæuo ſpoliantur robore valles. E
Sed cùm tam multo fuerit properata labore
Summa operis cœpti, centum differtur in annos,
Vt bona vita ſequens, vitæ delicta prioris
Emendet, muretque feros gens impia mores.
O miſeri, quos tam iuſtæ dilatio pœnæ
Plus facit eſſe reos: nec iam pro crimine tantùm
Præterito, at longè grauius plectentur ob ipſum
Temporis indulti ſpatium, veniamque neglectam:
Cùm teſtatetur ſe parcere malle reuerſis,
Tempore dilato Dominus. Iam mole peracta,
Machina conſtabat laterum compage capaci,
Diffugium quod ſupremum pareri ipſe paratat
Naufragijs natura tuis, rapidiſque fluentis.
Tum Deus è celſo famulum dignatus Olympo,
Voce monet Noe ſummum iam tempus adeſſe,
Condere ſe latebris, natos cum vxore, nuruſque
Eripere inſtanti exitio, mortiſque tenebris,
Cunctaque viuificis animalia reddere clauſtris:
Siue ea terra fouet, ſeu clarus ſuſtinet aër: F
Singula de mundis ſeptena, & ſingula bina
Ex ijs quæ ſacris minus apta, immunda vocantur,
Nec mora fit, quicquid conuexo cardine cæli
Naſcitur, ignotum diuerſis partibus orbis,
Quod ſtupet Eous, quod pallidus horret Iberus,
Auſtralis Libyæ calidis quod nutrit arenis,
Scindit Hyperboreas niuo quod lumine noctes,
Feſtinat trepidans & apertæ immergitur arcæ.
Diluuium dicas iam præſenſiſſe, Deoque
Auctori parere ſuo, & pecudes ratione carentes
Plus quàm imprudentes hominés ſtatione valere,
Et ſi nil ſapiunt. Ergo omni ſemine vitæ
Prægrauidam vt primum claudi Deus imperat arcam,
Nox ruit, & ſubitæ cælum obduxere tenebræ,
Effuſoque cadens terras ferit aëre nimbus,
Et furit, & toto pariter deſæuit in orbe.
Nec ſatis excidio eſt qui nubibus effluit imber,
Antiquæ laxantur aquæ, iamque æthere aperto G
In nubes vacuas cælum pluit, & reſerata
Defluit in lymphas mundus cæleſtis abyſſo,
Atque nouos pandit fontes, torrentibus æquos.
Dumque vno immixtum raptim ſe gurgite iungit,
Quod cælum, quod terra vomit, quod nubila fundunt
Inuoluit merſos mixtis cultoribus agros,
Implicitoſque greges ſtabulis, cum ciuibus vrbes,
Obruit inter aquas: populique natante ruina,
Nulla manet rerum facies: tegit omnia flumen,
Creſcendoque ſuum perdunt & flumina nomen.
Mox etiam curſu, nullis ſatiabilis vnquam
Amnibus Oceanus, tam magna mole ruentes
Iam præſentit aquas: aucto quas gurgite maior
Pellit, & in cumulum redeuntes ſurgere cogit.
Donec contractis æſtum attollente profundo
Vndique littoribus ſummo ſe circite iungit
Fluctus, & oppreſſis concurrunt æquora terris.
Et iam terquinis ſuper omnia celſior vlnis
Arca ferebatur (namque hæc menſura ſupremos H
Exceſſit montes) cùm quadraginta diebus
Vnius pluuiæ furor, & mors vna fuiſſet.
Ter quinquagenis dehinc ſolibus aere ſudo
Conſimilis ponti modus & menſura remanſit.
Dum Pater omnipotens iamdudum in carcere gentis
Concluſæ miſerans, terris abſcedere magnum
Paulatim iuſſit pelagus, ſenſimque relabi:
Ne raptim fugiens terras ſubuerteret omnes,
Et ſtabilem in ſedem tellus vt ſicca mearet.
Denique diffuſo planus mox aëre vertex
Prodere ſe cœpit pedetentim, & ſumma videri
Poſſe iuga, ac planos ſcopulis deſcendere fluctus,
Cumque reſidenti ſenſim protumpere ſiluas
Æquore, & occultos paulatim ſurgere colles.
Iamque niger patula ſpeculator miſſus ab arca,
Aera reppererat placidum, prædaque reperta
Non iam curabat conſueta in clauſtra reuerti:
Ergo emiſſa ſemel vitali è ſede columba,

A Nil referens certi, rurſum dimiſſa reportat
Paciferæ frugis paruum libamen oliuæ.
Tantus ad iudicium hoc, magni cum laude parentis,
Clauſorum fletus, quo ſe gaudere teuelant,
Exoritur: quantus muris cùm victor acerbus
Inſultat, ſubitum obſeſſis ſi fortè feratur
Auxilium: quantus cùm iudice miſſa modeſto
Addictos rurſum vitæ ſententia reddit:
Quantus ut ambiguum funus cùm vita recurrit
Inter lugentum lacrymas & gaudia fletus.
Poſteaquam rurſum ſpeculatrix arua patere,
Nunciat, hoc ipſo terris quòd miſſa receptis
Non rediit, tædet pigras perferre latebras,
Et iuuat ad cæli ventos ſpirare patentis,
Atq; animam æthereo laxatam paſcere ſenſu:
Sed nulli clauſtro fas eſt exire patenti,
Donec relliquias illuc qui iuſſerat orbis
Ingredier, iubeat ſacris excedere clauſtris.
B Cælitùs admonitum fida cum coniuge Noe,
Cumq; domo, & natis pariter, nuribuſq; pudicis
Et noua deductis iterum dare rura colonis,
Cunctaq; ſuccíduæ ſeruata animantia proli,
Iam captiua diu clauſtris emittere apertis,
Quæ bonus humanos opifex ſeruarat in vſus.
Quæ poſtquam data porta ruunt: pars acta pennis,
Pars ſaltus, ſiluaſq; petunt: pars merſa cauernis
Infoditur patulis: terræ pars libera campis
Exultat ſiccis, & prato vernat aperto.
At verò mundi ſortitus regna ſecundi
Cuncta oculis Noe luſtrans, ac mente capaci
Accipiens, animumq; volens ſaturare replendo,
Cuncta haurit, rapido perluſtrans omnia viſu,
Vt noua miratur: noto fulgentior ortu,
Et magè ſol rutilus ridet: maiore ſereno
Læta poli facies, & deſperata vireſcunt
Fœtibus arua nouis: ſed adhuc verſatur imago
C Ante oculos, tantæ ſemper memoranda ruinæ.
Inter aquas quid pertulerint, quid munere ſacro
Non etiam tulerint, fremeret cùm verbere ſæuo
Pontus, & illiſas contemneret arca procellas.
Cumq; ſuis Noe quàm prompta & læta reuoluit,
Se circum ſummi fuerit largitio Patris:
Cogit & attonitos mirari ac voluere ſecum,
Vnde tot eſca animis toto ſuffecerit anno,
Quis potus, namq; hoc conſtat, ſi cætera vitæ
[illegible]ppeterent, clauſos, dum fluctuat arca, perire
[illegible]er aquas potuiſſe ſiti: niſi rector Olympi
Depoſitos, hominum auxilio donoq; carentes,
Sufinuiſſet eo quo condidit omnia nutu.
Ille animas longæ pertoras carcere noctis
Affectu locis ſpolians, virtute repleuit.
Ille vt tam ſegnem poſſint perferre quietem,
Infudit pigri placidum torpons amorem:
Omnipotens quid enim non eius dextera poſſit,
Qui gelidi raptim merſos ſub gurgitis vndas
D Cum viſum eſt ardere facit, flammaſq; ſub ipſas
Algere inuectos? & qui nunc tempore paruo
Poſſe perire homines docuit mergentibus vndis,
Oſtendet flammis atq; vndis poſſe renaſci.

CLAVDII MARII VICTORIS,
Commentariorum in Geneſin,

LIBER TERTIVS.

TAlia mente gerens, venturaq; ſecula cernens,
Non prius officij quicquam ſeruatus inire
Conſtituit: quàm ſacra Deo laudeſq; rependat,
Grateſq; euaſo referat diſcrimine Noe.
Mox niueo ſacra exurgunt altaria ſaxo,
Agnouitq; hæc prima recens altaria mundus.
Antea totus enim, conuexo tramite cæli,
Templum mundus erat, tum dudum ad ſacra paratis
Affugit è gregibus ſeptenis hoſtia præceps:
Seu volucrum ex ſpecie, mollis quas ſuſtinet aer:
Siue ea his quæ terra parit: nam ſeptima quæq;
Aris ſternuntur deuota animalia ſacris. E
Æthereo tum mox ignis demiſſus Olympo,
Libat odoratos ad ſacra altaria fœtus,
Ambroſiumq; Deo flagrant holocauſta vaporem.
Et quanquam noſtri nil muneris indiget, ille
Totius mundi Dominuſq; Deuſq;: ſuorum
Attamen officijs venerari, & munere gaudet.
Qui lymphis tandem ſic Noe affatur ademptis.
Et ſi parua fuit, tanto pro crimine, pœnæ
Vltio, vindicibus pluuijs, cæloq; refuſo
Tot ſcelerum damnaſſe reos, ſedemq; nocentem
Terrarum, mage diffuſo purgaſſe profundo:
Non tamen offenſi, feriemus verbere tali
Vlterius mortale genus: quamuis ruituras
Per varium facinus, per crimina priſtina rurſus
Humanas mentes videam, genteſq; profanas,
Non tamen interea ceſſabit dextera vindex,
Supplicia iniuſtis quæ reddat, præmia iuſtis. F
Vos igitur, quos vita probat iuſtiſſima nobis,
Creſcite, ſecuri & fœcunda prole refertę
Arua, noſq; greges longis diſtendite terris:
Seruabunt elementa vices, cunctiſq; diebus
Sparſis ſeminibus reddetur debita meſſis.
Curret opus mundi compar, diſcordibus horis.
Æſtati certabit hyems, ac tempora librans
Veris & autumni fugiens replicabitur annus.
Voſq; (quibus regnum ſolidi permiſimus orbis)
Tota tremet, metuetq; ampli ſubſtantia mundi
Imperium ecce damus vobis res prorſus in omnes,
Totq; inter ſpecies rerum: quæ ſponte mouentur
Carnea membra quidem veſtros largimur in vſus,
Quanquam interdum vobis à ſanguine viuis
Eſſe volo: quem ſi quiſquam ederit, haud ſecus acris
Illum iudicij plectet ſententia, quàm ſi
Hauſerit humana fluidum de cæde cruorem:
Quem repetam ſemper vindex, adeoq; requiram, G
Vt mihi non ſolus pendat rationis abundans
Supplicium, ſed bruta etiam: cruor omnibus æquè
Sit ſacer humanus. Verùm ne poſtea quiſquam
Diluuium metuat, tali ſit fœdere tutus.
Cùm leuis in nebulas pendens ſe verterit humor,
Et nigras cumularit aquas in concaua nubes,
Effundam radios, & pulchrum circite ſummo
Arcum componet mihi ſolis imago recuruum,
Pingentem conuexa poli, qui luce colores
Exhibeat varios, & in aera diſſipet imbres,
Ignis plus habeat rutilans, & iam minus imbris:
Quod ſibi venturi ſpecimen præſumere ſigni
Poſteritas ſecura poteſt, vt fœdere tali
Poſthæc diluuium credat non eſſe timendum.
Talibus attenti imperijs cum coniuge Noe,
Poſthabitas Domino grates, laudeſq; rependens,
Certatim & limo dulciq; vligine læta
Arua parat natiq; ſimul, quis ſimius æuum,
Mox ſubigunt raſtris, & ſemine rura maritant: H
Tum vere effuſis latè denſiſſima campis
Herba virens, flauas cùm duraouiſſet ariſtas,
Solis ob ardores in frugum lacte gelato
Reddit multiplicem cumulato fœnore meſſem:
Et noua prægrauido iam palmite vinea diti
Luxuriat fructu, tortaq; ex arbore nectar
Parturit, & duro naſcentia pocula ligno.
Fortè Deo Noe celebrabat lætus honores,
Indulgent ſacris epulis, Vinumq; propinans
Prima è vite nouum: quo demum largius hauſto,
Hinc alto grauidus ſomno, membriſq; ſolutis,
Non bene compoſita cùm veſte iaceret, humiq;
Proſtratus, ſpectanda daret genitalia natis
Membra ſuis, vni tibi Cham teterrime riſum
Mouit origo tui, nec iam peccaſſe ſat vni
Eſſe tibi credens, fratres aſpergine culpæ
Contendis maculare tuæ: ſententia multò
Quos melior, meliorq; animus, detecta parentis
Obiecta docuit celare virilia palla:

A Nam patrium auerſis manibus texêre pudorem:
Sed ſimul atq; Iaphet, tali digniſſima patre
Pignora, quos ideo fratris dedit eſſe minoris
Iure pater dominos, ſomno vinoq; ſolutus.
Qui mox natorum euigilans benefacta ſuorum,
Et Cham demeritum tali mercede rependit.
Cham tu, inquit, maledictus eris, ſeruusq; tuorum
Aeternùm fies ventura in ſecula fratrum.
Sem vero benedictus erit, fratremq; minorem
Participem ſecum communi ſede bonorum
Efficiet, quorum latè poſſeſſio currat.
Hæc fatus ſenior, cùm iam decurreret annos
Mille minus decies quinos, in pace quieuit.
Interea Domini dum ſancta in lege vigeret
Poſteritas, multis iamq; aucta nepotibus, & ſe
Cœlorum ac terræ Domino committeret vni:
Tunc ſanctis hominum parebant omnia iuſſis,
Terra grauis, liquidum pelagus, vegetabilis aer,
B Non opus arte illis, cœleſti namq; magiſtro
Omnia diſcebant: ſed poſtquàm in crimina mundus
Exijt, & latè vitijs ſeſe abdidit imis,
Perdidit inſigne hoc munus damnata propago,
Oblitamq; Dei plures effingere diuos
Non puduit: tanta eſt ſupremi obliuio Patris.
Tum grauis inuentor lethi ceſſare capacem
Fraudis materiam non paſſus, cuncta maligno
Subdidit arbitrio, quo fatum induceret orbi.
Suaderetq; Deum vel iam non eſſe, vel iſta
Inferiora humus contemnere munia mundi.
Ergo res hominum cunctas, euentaq; rerum
Quæ Domino fuerat par aſſignare ſupremo:
Aſſignare vagis perſuaſit ſubdolus aſtris,
Atq; auium ſpectare fibras, motusq; volantum,
Et ſtudio ingenij magicæ ſcelus intulit artis,
Et plures orare Deos, idolaq; muta
Aut magis idolis latitantem ſemet, in ipſis
Suaſit adorari, multo magè dignus aduri.
C Inque nefanda prior deſcendit crimina Nimroth,
Impietatis apex Cham tertio è ſemine natus,
Mole & mente Gigas, Babylonia regna gubernans,
Perſarum hic animos capiens, venator iniquus,
A veris Domini ſacris traduxit ad ignem.
Nec modo plus æquo cupidis, hac arte ſagaci
Ille caput ſcelerum, mundi infenſiſſimus hoſtis,
Illuſit curis hominum, ſed mentibus ipſis
Irruit, & ſenſus penitus deſcendit in omnes,
Mox & in affectus: nam cùm patris vnica proles,
Spem generis letho ſecum traxiſſet acerbo:
Infelix Nimroth, lachrymas noctesq; dieſque
Continuans, hebetiq; trahens plangore querelas
Dum ſatum, & raptum quærit per ſingula natum:
Effecta mœſtum ſolatur imagine luctum,
Et Pario erectam filij de marmore formam
Credidit infelix incluſo viuere ſenſu,
D Et queſtus audire ſuos: mox inde dicatis
Erectiſq; aris diuinos addit honores,
Inque loco iubet eſſe Dei, tum protinus omnes
Amplexæ gentes ſcelus hoc, crimenq; ſequutæ,
Prodijs quæq; ſuis charos habuêre parentes,
Poſt etiam ſimiles reges in honore locarunt,
Dixeruntq; Deos: quorum ſub nomine mendax
Græcia, dum veris falſa inſinuare laborat,
Addidit obſcuras vanis rationibus vmbras,
Excuſans tumulos atq; indita nomina buſtis:
Donec per ſpecies ſeſe dementia cunctas
Proderet, & rebus minimis membriſq; pudendis
Nomen inane Dei, mundo ridente, daretur.
Talibus errorum ſalebris fomenta daturus,
Ambigua inuentor lethi reſponſa ciebat:
Vtus ad numinas aut igni, aut fonte calenti,
Aut terra ex antris ventos ſpirante loquaces,
Et falſum vani ſibi nomen Apollinis indens.
Talibus à Domino gentes trux ille remotas
Captabat laqueis quo ducens cunque volebat:
Tanti eſt à ſancto Domini diſcedere cultu.

E At vero egreſſi vnde ſumus, redeamus ad illam
Maiorum ſeriem, quæ paucos aucta per annos,
Vſq; adeo creuit, quòd mox Oriente relicto,
Inde nouas alibi compulſi quærere ſedes,
In campum (Sennaar veteres dixere) patentem
Perueniunt: cumq; his etiam diſcedere terris
Cogitur, in varias partes ſpargenda iuuentus,
Cœpit in hæc mœſtas triſtiſſima verba querelas:
Heu quàm non certus vitæ ſtatus ordine carpto
Fert homines? quamq; ignaros vel proſpera fallunt
Per varios caſus? quàm voti ſumma petiti
Tendit in aduerſum? iam nos (ſi dicere fas eſt)
Quod ſperata patrum precibus numeroſa nepotum
Creuit turba, piget: ſpargenda eſt quippe per orbem
Exilio cumulata manus, perituraq; longè
Finibus à patrijs: nos ergo ſiccine tandem
Longa paupertie defecta, inhonoraq; membra,
Ignotis dabimus paſſim tumulanda ſepulchris?
Nec ſaltem miſeri tumulis claudemur auitis?
F Nullaque erit noſtri poſt mortem fama ſuperſtes?
Quare agite ô iuuenes, dum vires turba miniſtrat,
Quæ vobis ſupereſt, quæ finem neſciat vllum,
Egregiam æternis famam diuinitus factis.
Vrbem condamus, cuius ſub mœnia turrem
Vsq; attollamus, donec pingentia cœlum
Sidera & excelſi conuexa attingat Olympi,
Neſcia poſteritas vt nos hinc orbe relicto
In cœlum migraſſe putet: ſic mota iuuentus
Contemnit cautes, & quicquid monte reciſo
Deſluit, ac domitæ fictos de viſcere terræ
Conſtringunt igni lateres, operiſq; futuri
Materiam proprio malunt debere labori:
Hanc inter ſtratum ſic nectit vtrimq; bitumen,
Vt ſolidas ſimulent circundata mœnia cautes.
Mox turris properata ſubit, mox vertice nubes
Tranſilit, ac fruitur cœli propiore ſereno,
Tum Pater omnipotens cœleſti voce ſenatum
G Congregat angelicum, turbæ inſana ſuperbæ
Facta ſtupens, iſthæc regni conſortibus inſit:
En terrena phalanx quo iam temeraria pergat,
Cernitis, & quantos imprudens tendit in auſus.]
Mortali quæ ſtructa manu contingere celſos
Credit poſſe polos, & ad æthera ducere noſtrum:
Cùm nemo indutus terreno corpore, cœlum
Aſcendat, niſi qui cœlo deſcenderit alto.
Sed quia gens vna eſt, eadem quoq; forma loquendi,
In componenda perſiſtent turre, nec ante
Deſiſtent, quàm mutua opus conſenſio cœptum
Finierit: nam ea eſt humanæ inſania mentis.
Ergo agite (vt vetitum noſtrum, quod poſſe negatum eſt)
Iam deſcendamus, iunctaq; corda ſuperbo
Conſenſu, varijs turbemus vocibus oris,
Vt quod peccatum concordis crimine mentis,
Confuſæ damnet melior diſcordia linguæ.
Dixit, & intentos operi, molemq; leuantes
H Mentibus attonitis, ſubiecta obliuio primum
Initat, & ignotæ ſubit imperfectio linguæ.
Increpitant operis ſtudio ceſſante magiſtri
Cunctantes ſocios, ſed vocem nemo remittit,
Non intellectis: quod ſi quis tentat, inane
Sibilat, aut rapit fremitu ſermonis anhelat.
Sic vanum prauæ ſuſceptum mentis laborem
Deſtituunt fruſtrata manus: iam nemo propinquum,
Nemo patrem ſequitur: quem quiſq; intelligit, addit
Agglomeratq; ſibi, ſociumq; adiungere curat.
Dumq; perit diuiſa huius cognatio gentis,
Gentem lingua facit: ſparguntur claſſibus æquis,
Diductasq; petunt vario ſub ſidere terras.
Haud aliter volucres campi per mollia plana,
Quas gregibus mixtis errare & quærere victum
Perſuaſit ſecura dies, cùm nocte propinqua
Frondea tecta petunt, exempto cùm grege turba
Volgus quæq; ſuum ſequitur, rabidoq; volatu
Miſcentur, ſimilis quà duxerit aut color aut vox:
Sic tunc in partes populus ſe diſſecat vnus,

Et ſpecies

A Et ſpecies ſit quæque genus longeq́; remotis
Conſidunt terris, atque orbem gentibus implent.
Nec tamen hoc ſacri (cùm ſit ſua pœna nocentum)
Muneris eſt vacuum: nam quamuis vltio iuſta
Hæc fuerit, quos non tetigit reuerentia cœli,
Quæ ſedes propria eſt mundi, rerumq́; parentis,
Vt nec ſe agnoſcant, verba inconſueta loquentes:
Attamen id multum quòd rupto hoc fœdere cautum eſt,
Ne, quam paucorum attulerat perſuaſio culpam,
Cunctorum aſſenſu rurſus contingeret omnes,
Et faceret commune nefas: ne prælia dura,
Et tabido populis mors acceſſenda furore
Bellum illis ciuile foret: ſic profuit illis,
Inque bonum verſa eſt primæ diſtractio linguæ,
Quanquam nec prorſum ſublata Ebræa loquendi
Conſuetudo fuit: cùm tunc permanſerit oris
Ebræi funitus, ſermoq́; antiquus, in illis
Qui culpæ expertes, pars non iniuſta fuerunt
Natorum quos Sem genuit, cuſtodia iuſti
B Quos tenuit, Dominiq́; etiam reuerentia rexit.
Sed poſtquam totū dementia percita mundo,
(Vt taceam magici ſcelus inteſtabile monſtri)
In truncos & ſaxa etiam duriq́; metalli
Arte cauas ſpecies, & caſſas luce figuras,
Impegit mortale genus, menteſq́; ſupernis
Intentas fuga, terræq; adduxit inerti,
Conuoluitq́; ſimul fœdæ contagio labis,
Non ſecus Æthiopum feruentibus excita terris
Nubila morborum, curruptio tramite cœli
Dum currunt, quiſquis percuſſum fulmine lethi
Ingemuit, ſimul impleruit, quicunq; cadentem
Complexus cecidit, congeſtaq́; funera paſſim
Diuitibus ſtrauit, camposq́; reliquit inanes:
Sic tunc præcipiti complexos mole furoris,
Ne nihil infectum toto dimitteret orbe,
Comprendit repetens, quos iam dimiſerat error,
C Donec Chaldæi generis, de ſemine Thare,
Vir iuſtus, reuerenſq́; Dei, cum ſtirpe ſuorum
Vrbem auitam, moreſq́; nouos, ſedemq́; requirens,
Manſit in Aſſyrijs demum nouus accola Carrhis.
Qui quadragenis iuſtus vbi vixit, & vltra,
Infauſtam hanc vitam felici morte redemit.
Huic, meritis patrem, & ſanctis virtutibus æquans
Aut longè ſuperans, ſucceſſit filius Abram,
Vir cœlo dignus, nam primo à limine vitæ,
Verum mente Deum venerans, gentilia ſemper
Auerſatus erat, quem poſtquam morte parentis
Iuſſa ſequi iam poſſe Dei, ſine fraude liquebat,
His Dominus famulum meritis dignatus adire eſt.
Quandoquidem toto te ſolum inuenimus orbe
Quem ſincera fides iuuat & reuerentia noſtri:
Linque procul ſedes patrias, terramq́; nocentem,
Pollutamq́; diuum: cognatio tota prophana eſt,
Et fugienda tibi: terræ melioris in agros
D Me duce perueniens: ne ſis pars gentis iniquæ,
Qui ſanctæ caput eſſe potes, tum ſacra dicabo
Quæ maneant benedicte tibi, nomenq́; per omnes
Magnificum reddam populos, bona cuncta rependens,
Et benedictus erit, tibi qui benedixerit, atqui,
Qui maledicta tibi conuiciaq́; ingeret, ille
Confeſtim maledictus erit: benedictio per te
Spargetur tribubus cunctis, æuoq́ue futuro.
Dixit, & impenſis mentem quæ pareat indit,
Promiſſiſq́; pijs credat, mora nulla repente
Dicto intercedit Diuino, ſed protinus Abram
Cum gregibus varij generis, famuliſq́; paternis,
Coniuge cum fida, chari cum pignore fratris,
(Cui Loth nomen erat) digreſſus, limite recto
Ignotum ſibi carpit iter: molliſſima læta
Præbent arua vias, blandumq́; fauentibus auſtris
Arridens, nullis turbatur motibus aer,
In Chanaam terras, & regna vberrima Sichem,
Donec perueniens, didicit, ſoboliq́; ſibiq́ue
Iſthæc in ſortem imperij ceſſura futuri.
Vnde Deo ſupplex deuotas extruit aras,
Et veteres renouans, cultor nouus, auget honores.
Inde petit Bethelem, ſedes quæ lecta beati
Hoſpitijs ſacrata viri, cunctaſque ſuperbis
Exceſſit meritis terras, quandoque ſecundo
Poſt cœlum numeranda loco, nam ſede ſuperna
Dignior iſta Dei, quæ pignus lege ſalutis
Emiſſum mundo tantum mirante paratum
Exciperet, viſa eſt, hominemq́; remitteret aſtris.
Hic quoq; ſolennes Abram pater extruit aras,
Et linquenda nouis habitacula ponit in annis.
Namq́; fame rurſum ſede mutare coactus
Caſtra mouet, totamq́; domum, famuloſq́; gregeſq́;
Secum agit, & rebus cum merces iuſta rependens
Intrat in Ægyptum, & Sarai appellare ſororem
Mauult quam vxorem, ne barbara pectora ſancti
Hoſpitis in cædem, ſtimulet furioſa libido.
Vnde & mox Pharao radiantis imagine formæ
Ictus inardeſcit, thalamoſq́; & fœdera certa
Lege parat: longos iſthæc connubia in annos F
Ducturus, ni longe aliter diſponeret ille
Auctor coniugij, cui cum minus iſta placerent,
Ecce pauor regi merſa formidine mixtus
Ingruit, & ſubito quatit improba corda tumultu,
Exterretq́; animos niger horror, & implicat artus:
Vt rex ſacrilegæ gentis tam triſtia vota
Sentiret damnaſſe Deum, qui tale profectò
Conſilium infudit famulis, vt barbarus hoſtis
Eſſe virum Sarai ſecurum agnoſceret Abram:
Cùm foret expertus, quàm non impunè prophano
Appeteret ferro, quem nec viduare liceret.
Sponte igitur, nulla violatam labe, marito
Reddit, & ingenti cumulatum fruge remittit
In Sichem, Bethelemq́; ſuam: quò deinde recepti
Cum gregibuſq́; domoq́; pater, cum coniuge ſalua,
Exercent campos, & pinguia paſcua latè
Immixtis carpunt gregibus: dum iurgia crebra
Inter paſtores patrui nata atq; nepotis,
Dum non ſufficerent capiendis arua duorum
Armentis anguſta nimis, pleniſſimus ergo G
Abram iuſtitiæ atq; obſeruantiſſimus æqui,
Quo dirimat lites, & iurgia tollat auara,
Vt natu maior, conceſſos diuidit agros:
Iunior elegit, quà dulcibus vndique ſulcis
Rura maritat aquis, ripiſq́; vmbrantibus inter
Labitur, & teretes ſaltus Iordanis amœnat.
Ergo quo fugiat paſtorum iurgia, ab Abram
Declinans, iunctos Sodomæ Loth migrat in agros.
Cum Deus hac Abram mæſti ſpe pectora firmans,
Ne moueare, ait, fratris quod prole relicta
Nunc ſolus videare tibi: innumerabile vulgus
Tu mihi ſolus eris, populiq́; idem auctor amici,
Suſpice quadrifidi partes intentus ad orbis,
Inſpice nunc auſtrum verſus, ſeptemq́; triones,
Quà ſol exoritur, quà veſpere concidit imo:
Hæc tibimet, prolique tuæ, populiſq́; tuorum
Concedam, æternos illis habitanda per annos: H
Quis tu etiam terris longè lateq́; fruaris.
Surge, & quà pateant greſſu prius hoſpite luſtra.
Hæc ait: ille libens paret, ſedemq́; relinquens
Emigrat, Chebronq́; ſubit, ſub ilice nigra
Ad Mamre querceta pater tentoria figit:
Hic quoq; ſolennes Domino ſtruit, vt colat, aras.
Interea magno circum turbante tumultu
Hoſtis adeſt auidus, varia quem dote referta
Sollicitat tellus, campis illiſa reſultat
Vngula, & effuſis errat populator habenis,
Aduerſum Sodomæ pinguiſſima paſcua gentis.
Loth vero potius cum rege erumpit apertis,
Et vicina manus regum ſocia arma ſequentum,
Secum equites pediteſq́; trahunt: diſtenditur agmen,
Confligunt acies pariter, ſternuntq́; caduntq́;.
Sed turpis Sodomæ luxu emollita iuuentus,
Vt rurſum exarſit repetitus clamor in iras,
Vertunt terga metu: rapido pars mœnia curſu,
Pars montes ſiluaſq́; petunt, pars ſepta cateruis

Porrigit

A Porrigit ignauas ad tristia vincula palmas.
Vt vero patruus captum Loth audijt Abram,
Non fletu (quid enim fletus conferret inanis?)
Sed virtute parat fratri succurrere capto.
Instructos igitur tercentum, deligit omni
De grege, bisq; nouem famulos, quos ante præuntes
Insequitur sensim, quà tendere prodidit hostem
Lentum præda grauis: quorum de nocte silenti
Corpora (conflictu dum iam languentia duro
Irrigat, & fessos dulcis sopor alligat artus)
Aggreditur, nil venturum sibi tale putantum:
Vt cùm ieiuni rabies vesana leonis,
In pecudum saltu penetrauit septa volueri,
Et dente atq; pede exanimat, cupidamq; vorandi
Ira famem superat, dum meta doloris acerbi
Iamq; ouibus vacuas effecerit vltima caulas.
Haud secus ille duces somno, vinoque sepultos,
Sternentesq; Abram populos, regesq; trucidat,
B Sic tamen vt nullus confundat castra tumultus.
Nemo gradum sentit, nisi quem mens deficit & vox,
Nemo sonum cædis, nisi quem mors excitat, audit.
Sanguine cuncta madent: sicco resoluta sereno
Tellus tabe coit, gressumque morante cruore
Lubrica stagnanti titubant vestigia campo.
Nec tamen omne animans gladijs occumbit apertis,
Seruantur prædæ: tanta est moderatio iusti
Victoris, reliquos sparsit fuga turpis, & agros
Vsq; Damascenos instans formido sequuta est.
At victor tanti nil motus laude triumphi,
Inter equos, pecudumq; greges, populumq; receptum,
Aut captum, gazasq; (auido quæ pondere victos
Victoresque mouent) nil prorsus concupit horum
Magnificus: sed enim tanta inter gaudia mitis,
Et varios hominum reputat sub pectore casus,
Omnes omnino prædas, & præmia belli
Direptis passim populis, regiq; reseruat:
Non sibi se pugnasse docens, decimam tamen offert
C Hostibus excussæ, quæ vera est hostia, prædæ
Melchisedech, vinumque & panem ab cæde reuerso
Obtulerat, rex ille Salem, qui munere tali
Mystica præmisit summi libamina Christi:
Cuius de manibus sumens Ecclesia corpus
Viuificum panem, cœlesti pota cruore est.
At verò hostili redeuntem è funere lassum,
Omnipotens verbis solatur talibus Abram.
Quandoquidem nullis cupidum te præda subegit
Illecebris, precium fidei, mercesq; laborum
Mecum plena tibi est, teq; & tua cuncta tuebor
Hæredi seruanda tuo, quem germine sero
Progenitum, magè multo etiam pius auctor amabis.
Nil est quòd metuas: hæres tuus ille Damascus
Vt fuat, ipse tuo cernes de semine natum,
Accendat cuius patrios infantia sensus,
Suspice, connexum quàm denso lumine cœlum
D Picta nocte micat: quantis congesta premantur
Sidera sideribus, numerum quæ obiecta recusent:
Seminis hoc exemplar habes, stirpisq; futuræ
Multiplicis formam. Sic fatus, finit: at ille
Credidit, & nudæ fidei confessio sola
Plenam ad iustitiæ & meriti reputata coronam est.
Atq; adeò hinc Abram tanta mercede docemur,
Quanti sit meriti diuino credere Verbo,
Demeriti contrà quanti non credere: namq; vt
Credidit, hac rursum diuina voce meretur
Solari, omnipotens dum verbis incipit istis.
Ille ego sum Deus ac Dominus, qui teq; tuosq;
Chaldæa de gente tuli, tandemq; parentis
Exceptum vitijs, terra meliore locaui:
Vt de te genitus populus meus arua beata
Incolat, & seriem longè lateq; propager,
Gentibus expulsis, quas fœdo errore parentum
Sacrilegos ritus olim fecere prophani:
Quod cunctabundus nimium quia credere diffisus,
Trimam sume mihi torua iam fronte iuuencam,
Cum qua par annis blando grege lecta capella,
E Æquæuusq; aries nostro mactetur honori,
Casta quoq; humanæ turtur coniuncta columbæ.
At verò volucrum non sentiat hostia ferrum,
Tantum inter medias pecudes discindere cura:
Quas sic diductas mundis distinguito arenis,
Vt membris coeant altrinsecus æmula membra.
Dixit, at ille Dei monitus seruare libenter
Assuetus, raptim properat mandata patrare:
Sed cùm dispositam, quo iusserat ordine, terræ
Strauisset seriem, subitò manus ingruit atra
Importunarum prædam insectata volucrum,
Quæ ne contactu violarent sacra prophano,
Vndiq; sollicitus cauet, & circunspicit Abram.
Sed cum opere attonitum tanto, nec sole cadente,
Vinceret officij moles tam magna recepti:
Ecce niger terror, tremor horridus, & sopor intrat
Nuncia iussa ferens, venturaq; secula formans.
Credo, videbatur septum sibi cernere Nilum
Ebrææ gentis populo, serosq; nepotes,
F Ingentesq; suprà numerum cognoscere turbas:
Inde truces motus, deductaq; castra suorum,
Transmissum pelagus sicco pede, mersa profundo
Agmina, naufragium nulla cum classe sequutum,
Ereptosq; mari Ebræos, dehinc tota beatæ
Regna Palæstinæ populo patuisse reuerso.
Talibus attonito visis, non defuit almus
Interpres: Prænosce tuos, sobolemq; tuorum,
Inquit, in externis per secula quatuor agris
Niliaci illius censuram dira tyranni
Imperia: at cum tot peregrina expleuerit annos,
Seruitio eripiam, gentemq; vlciscar iniquam:
Et reddam terris, blando quas gurgite cingunt
Nilus & Euphrates: sed cum peccata nocentum
Gentis Amorrhææ, populiq; hæc regna tenentis,
Explerint summam scelerum, digniq; paternis
Sedibus expelli fuerint: at tamen antè
Longæuo felix decedens limite vitæ,
G Ploratus natis cum pace & munere nostro
Ad sanctos migrabit auos. Sic fatus, & alto
Cùm iam nox terris densas induceret vmbras,
Signum è monte dedit: confestim fumeus istic
Apparet clibanus, lampasq; ignita videtur:
Tum sacras epulas, mediumq; inuecta paratum,
Præcipiti cursu delibans flamma vorauit.
Interea certus regni, prolisq; futuræ,
Munus adire patris cupit Abram: casta sed vxor
Abnuit officium, quòd inanem effœta senectus
Iamq; vterum sibi fecisset: sed dulce mariti
Pignus, spemq; nouam quacunq; ex pellice fusam,
Esse suam credens, famulam (cui iunior ætas,
Agar nomen erat, tellus Nilotica origo)
Subrogat in thalamos, precibusq; aggressa maritum
Seruili semen concredere perpulit aluo.
Proh seruile nefas, vt primum viuere sensit
Agar ventris onus, fastu tumefacta superbo,
H Despexit dominam, & dominam cui matris amorem
Debebat, causamque sui furiosa tumoris.
Recte igitur flagris hanc vir iustissimus Abram
Coniugis addixit: quorum magis acta pudore,
In deserta procul secretaque lustra ferarum
Abditur indignans, quam exul nec spernere cessat:
Sed rursum obsequio priuans, quod debuit, illam
Contemnit, quo more potest, mauultque pericla
Desertæ perferre viæ: ni missus Olympo
Angelus occurrat, famulamque ad pristina rura
Restituat mitis dominæ, blandoq; refectam
Hortatu, melius iubeat sperare reuersam,
Et nomen nati doceat, moresq; manusq;,
Innumerosq; greges tali de stirpe futuros.
Quo maiore redit voto iam certa futuri,
Et partu dominum fecit prior ipsa parentem.
Cùm iam decursis spacijs felicibus æui
Supra octogintа bis ternos clauderet annos,
Ad hos bissenas cùm iustus & insuper vnam
Adderet æstates: solito hunc rursum Pater almus

A Alloqoio dignatus adit, iuſſitq; ſenectam
Docere felicem: ſimul & promiſſa reuoluit,
Et quum mercedem expectet: tum corpore prono
Abram ſuppliciter Dominum proſtratus adorat.
A quo moa audit firmata voce, futurum
Se patrem innumeræ gentis, lateq; parentis,
Et cuius veniant etiam de ſemine reges.
Hoc tamen à reliquis iuſſus diſcernere ſigno
Ebræam gentem populis, vt ſponte reſecta
Carne ſuperuacua ſe circoncidat, & omnem
Maſculei ſexus præſentemq; atq; futuram
Progeniem: iuſſus pueros à matre recentes,
Atq; rudes vitæ, dum mens ignara dolendi eſt,
Præputio eautos, octaua luce ſacrare.
Quòd qui tam ſanctum corrumpere teſtamentum
Auderet, ceſſans legi inſeruire rogatæ,
Exhæres fieret regni, vitæq; futuræ.
At ſimul vt vero ſibi crederet argumento,
B Venturas aliquando ſuo de ſemine gentes
Innumeras, nomen Dominus commutat vtriq;:
Noo Sarai tibi, ait, ſed Sarra vocabitur vxor:
Et tu non Abram, ſed nomine clarior aucto
Venturæ Abraham poſthæc vocitabere genti.
Quod commune ideo tibimet cum coniuge vera eſt,
Promiſſi quoniam (nihil eſt re certius iſta)
Mater erit generis, teq; anoum ſole remenſo
Eſſe patrem faciet, quamuis ridenda putetis
Virtutis promiſſa meæ: nec veſtra ſenectus
Impediet, quin diuini ſententia iuris
Æternos ſemper maneat ſtabilita per annos.
Sed tamen ignoſcam dubijs, pueroq; futuro
Imponam nomen, quod culpam hanc arguat, Iſac:
Qui noſtri indubiè ſeruato fœdere pacti
Hæres certus erit, cuncta cum ſtirpe ſuorum.
Nec tamen Iſmael, Agar de ſemine natus,
Expers dotis erit: noſtro oam munere fultus
Millia multa virum de ſe ventura potentum,
C Biſſenis pariter ducibus regnanda creabit.
Dixit: at ille auidus pactum accelerare receptum,
Iam centum pulſans annos iam pubere nato,
Se primum gnatomq; ſuum, cunctoſq; clientes
Ac famulos omnes, quo iuſſum eſt, ſtigmate ſignat,
Et populum facit eſſe nooum, fontemq; piorum,
Vna eademq; via, tanta eſt deuotio, legem
Accipiens, eaplenſq; fidem. Quid noo meret ergo
Tam præſens velo aq; fides? oam non timor iſtud,
Sed ſincerus amor, famuliq; probatio iuſti eſt
Quodlibet imperium placida ſic mente ſubire.
Vnde Deum ſibi promeruit: nempe antea tantum
Audiri ſolitus, meritum poſt tale miniſtri
Iam patitur cerni: cumq; iodignatio iuſta
Vltorem ſtimulet, mortales noo tamen ille
Reſpuit aſpectus, oam cum damnare pararet
Crimina terrarum, flammiſq; abolere oocentes:
Aut verum, aut qualem norat ſe poſſe videri,
D Et nomen numerumq; Abraham prodidit ipſi.
Illi namque domi Mambre in conualle ſedenti,
Tres ſubito apparent auguſta luce micaotes,
Abraham tanti ſtimulatus imagine viſus,
Procurrit, Dominumq; ſolo proſtratus adorat,
Treſq; etiam ſupplex forma veneratur in vna:
Quis vt mente pia liceat ſeruire, precatur,
Et refici, in medios æſtus tendentibus horis,
Non dedignentur famuli menſiſq; cibiſq;.
Vſq; adeo viſus inter ſenſuſque vigentes,
Errabat dubitans, hominis ſubſtantia an eſſet,
Quem norat mens eſſe Deum: tamen annuit ille,
Officiumq; pij non aſpernatus alumni,
Oblatoſq; cibos, menſaſq; ſacrauit amicas.
Vt vero ablatis epulis menſiſq; remotis,
Hoſpitibus viſum eſt illinc diſcedere, tum mox
Inde mouens greſſus, lateri comes hæret euntum
Hoſpes ouans, triſtiq; quatit concuſſa pauore
Pectora, & attonitum venerabilis attrahit horror.
Quippe videt vultus tacitos, viſuſq; ſeueros
In Sodomam Dominum iuncta vibraſſe Gomorrha, E
Pacis & emiſſos famulos, iræq; miniſtros.
Et cum cognoſſet tanta quid mole pararet,
Arcanum pandente Deo, cauſamq; docente,
Vltro audet Dominum ſcrutari, an perderet vrbem,
Errantis populi per crimina cuncta nocentem,
Si quinquaginta morum probitate piorum
Spectatos alleret, cumq; ipſi diceret: Illis,
Si numerum talem inuenio, mihi parcere certum eſt:
Quid ſi quinque minus fuerint? tum ſubdidit. Et, quid
Si quadraginta ſoli? quid ſi minus illo
Forte decem numero? quid ſi bis quinq; dabuntur
Innocui? nom & tu vrbi Deus optime parces?
Cumq; etiam numero ſe velle ignoſcere tali
Dixiſſet, famulumq; in medio ſermone reliquit,
Tendentem vlterius, ſeq; in ſua regna recepit.
Dimiſſi interea ciues è ſede ſuperna
Angelici, in Sodomæ terras, Loth forte ſedentem
Ante fores vrbis, iam terris ſole propinquo, F
Inueniunt: qui cum miro ſplendore videret
Angelicos radiare viros, deſcendere ſummo
E cœlo ratus, in terram proſtratus adorat,
Inuitatq; domum, noctemq; auertere tecto
Euocit precibus, ſimul & conuiuere ſuadet,
Innocuoſq; cibos & pocula parca miniſtrat.
Dumq; epulis ſumptis ſomno indulgere pararent,
Ecce ſub occaſum lucis, noctiſq; recurſum,
Fœda manus vulgi, ſi fas dixiſſe, virilis
Proſilit & iuuenum inſanis puerique, ſeneſq;
Ignibus vtuntur: Lothq; vt ſibi tradat abuti
Hoſpitibus, cogunt, quid non veſana libido
Auſit? at ille volens populi mollire furorem
Inſani, natas, quibus illibata manebat
Virginitas, offert, quoſcunq; optarit in vſus.
Aſt effrena cohors, in deteriora profundi
Lapſa mali, vitio ſeſe immiſcere minori
Vile putat, niſi ſe ſummis etiam implicet, ergo
Infandum vt patret facinus, Loth opprimit. & iam G
Vi maiore agitant, quam quæ virtute repelli
Humana valeat: cum protinus hoſpes vterq;
Angelicas nudant mentito corpore vires,
A populoq; ſenem cæcata mente furente
Loth retrahunt, inq; ipſa domus ſecreta receptum
Perdenda hortantur confeſtim abſcedere terra.
Qui ſint, quid veniant, & quæ præcepta ferentes
Moa explere velint, nil iam ſermone patenti
Diſſimulant: & ab hac ſe clade euadere ſaluum
Poſſe, domumq; ſuam dicunt, generoſq; ſuoſq;
Colligere affines, & ſecum abducere mandant.
Aſt illos ſimili cum vulgo crimine tactos,
Inooluit ſimilis ſententia, ſana monenti
Credere dum noloot, qoanquam quod credere nolunt
Non eſt vt multum mirere, abſcedere cùm Loth
Id quoq; ridiculum quod conſuluere putaret:
Quem lentum, pigraſq; moras ſine fine trahentem,
Hoſpes vterq; videns, manibus cum coniuge raptum, H
Virginibuſq; ſuis procul extra mœnia ducit,
Et celerare iubet, monteſque euadere in altos.
Tali lege data: nec cœleſti igne flagrantes.
Poſt ſe reſpiciat quiſquam male cautus in vrbes.
Loth vero metuens, montes ne tardius altos,
Aggreſſum, velox cœli præuerteret ira:
Ipſe Segor lachrymis petijt, ſecura receſſus
Antra ſui, lachrymas autem noo ſenſit inanes,
Conceſſumq; ſibi donum ſpeciale ſalutis
Pluribus impertit, meritumq; è munere fecit.
Et iam non ſolitas raptim obducentia cœlum,
A patria virtute Deo miſcente, coacta
Nubila denſarant nebulas: ſed quas rotat Ætna,
Quas vomit Inarime, atq; Aponus feruentibus vndis
Exhalat, qoas vicino concuſſa Veſeuo
Eructat tellus, Lyciæ qoas ſæua Chimæræ
Ora, ſino vaſto trinæ fornacis anhelat:
Et quocunq; loco fallentia ſolfura velox
Spiritus inflammans, anguſto tramite fuſus,

Effluit

A Effluit in lucem rupta tellure vaporans.
Non quod non poſſit pluuias quoq; vertere in ignes,
Totum de nihilo potuit qui condere mundum:
Sed maiore bonus iudex damnare paratu
Mauult, quos miſerans vrbis mortumq; ruinæ
Punit in exemplum: mox durum elementa minantur,
Concurruntq; vndante globo, ſtipataq; flatu
Quæque ſuo, coeunt flammarum pabula in vnum
Corpus, & infandas terras vibesque nocentes
Sulfurei teſtudo regit curuata metalli:
Quam citus & vires anguſto tramite ſumens
Spiritus incuſſam, rauco crepitare fragore
Compulit, & crebro tonitrus agitante coruſco
Conſternare animos, quotquot ſpectacula cernunt
Talia, quinetiam Loth, heu, miſerabilis vxor,
Seu tanto ſtupefacta metu, ſeu ſtulta cupido
Illa fuit, vetitum contra conſurgere pactum
Fœmineis innata animis, quæ deniq; cuiq;
B Cauſa fuit: Sodomam inſpectans ſe pone ruentem,
Confeſtim pœnas violata lege ſubiuit,
In ſtatuam conuerſa ſalis, ſpoliataq; luce,
Sic animam infelix cum corpore perdidit omni,
Vt nullum extaret forma remanente cadauer.
Ocyor inde Segor, luctum prohibente timore,
Horrificoq; malo ſtupidus, mox ingreditur Loth.
Tum ſol exoritur toto feruentior igne,
Iratum fulgore micans, radioſq; ſeueros
Dirigit in Sodomam: qui poſtquam lumina flammis
Inuoluere ſuis, reſolutaq; ſulfura, nexus
Secum præcipitant ignes, ſiccoq; liquore
Diſpenſata ſuis ſtillant incendia tædis.
Fulmineus denſo præceps cadit aere nimbus,
Inuoluitq; vrbes, & totis ſæuit in agris,
Ac mixto ſtridore tonat, vinciſque querelas
Flammea tempeſtas, quæ poſtquam pabula terris
Repperit incenſis, ipſiſque incedit arenis:
Erigit immenſam coniuncto fomite metam
C Ignis, & à terris redeunt in ſidera flammæ,
In cineres donec caures tellusq; reſultans
Tranſeat, ac penitus merſæ ſoluantur arenæ,
Depreſſiſq; cauos conſumpto ceſpite campis
Pandunt arua ſinus, veniſque effuſus apertis
Conſocians vites qui terras ſtrinxerat humor
Priuatum gignit pelagus, quid nam eſſe putemus,
Quod raptim lacus eſt, mera viſtrice refertus,
Qui fuit ante rogus? ſic omnipotentia ſummi
Iudicis in gelidas ignem conuertere lymphas,
Ac rurſum lymphas ardentem poſſit in ignem.
Nec tamen hic occulta vacant myſteria, nam quòd
Vndę hic ſunt, vbi flamma fuit, quòd flammea miſſis
Deſuper extinxit lymphis: fortaſſe notabat
Luxuriæ calidos ignes, fomentaq. primi
Peccato contracta patris, cœleſtibus vndis
Extinctum quandoque iri: proq; ignibus acris
D Iuſtitiæ, quibus illa olim lex dura vigebat,
Saluificis purgatum iri, & luſtralibus vndis.

CLAVDII MARII VICTORIS DE PERVERſis ſuæ ætatis moribus Epiſtola ad Salmonem Abbatem.

Si Domini templum ſupplex orator adiſti,
Immo & cuſtodem templi, populiq; magiſtrum,
Quot tu iſthic homines, tot Chriſti altaria cernis;
Sed ſi collatis iuuat indulgere loquelis,
Hic habitat tuus ille hoſpes, mea viſcera Thesbon,
Cui fratrum ad requiem frondoſæ vitis in antro
Herbida ceſpitibus ſunt ſtructa ſedilia viuis.
Dic igitur Salmon, quæ rerum nunc tibi ſors eſt?
Quis patriæ ſtatus eſt? quid te delectat in illa?
Namq; agris, opibuſq; hominum, terræq; colonis
Nunc primum illætæ turbato fœdere vitæ
Barbarus incumbit: nec longæ ad ſæcula vitæ,
Conſtructæ profuit ſolido de marmore villæ,
Abſumptæq; omnes vana in proſcenia rupes.

At verò interior peſtis, bellumq; profundum, E
Olim nos denſa telorum nube fatigat:
Sæuior & tantò, quantò eſt occultior hoſtis:
Et tamen (heu) ſi quid vaſtauit Sarmata, ſi quid
Vandalus incendit, veloxq; abducit Alanus,
Ambiguis ſpebus licet & conatibus ægris,
Conamur quandam in ſpeciem reparare priorum.
Illa autem noſtro quæ ſunt amiſſa periclo
Negligimus, longoq; ſitu ſqualleſcere mentis
Ignaui patimur, ſubiectaq; colla catenis
Dedimus, & manicis peccati præda ligamur.
Et prius eſt vitem purgare, abſcindere ſentes,
Oſtia conuulſa ac fractam renouare feneſtram:
Quàm latos campos animæ, & præcordia cordis
Excolere, & captæ collapſum mentis honorem.
Nil hoſtis, nil dira fames, nil deniq; morbi
Egerunt: fuimus qui nunc ſumus, hiſq; periclis
Tentati nihilo meliores reddimur vnquam,
Sub vitijs nullo culparum fine manentes.
Nil ſanctum eſt nobis niſi quæſtus: & illud honeſtum eſt, F
Vtile quod fuerit: vitijſq; vocabula recti
Indimus, & parci cognomen ſumit auarus,
At qui confeſſis vitijs, & crimine aperto,
Non potuere ſuas virtutis imagine fraudes
Obtegere, occulto fouerunt vulnere plagas,
Quos terrena trahit ſapientia, neſcia veri.
Quoſdam infelices qui decipit, inciitat error,
Dum cauſam inquirunt rerum, aſtrorumq; meatus,
Quæ ſit forma poli, cur longo flumina curſu
Non pereant, latus iaceat quo limite pontus:
Quæ Deo tantum ſunt nota, recondita cunctis,
Scire volunt (heu grande nefas) & ſcire videntur.
Iſta quidem Salmon ſunt noſtri crimina ſexus.
Sed leuis eſt veſtra vitiorum morbus in vrbe,
Si non fœminei magis exarſere furores.
Ante diem Salmon tenebris nox humida condet,
Quàm poſſim mores huius percurrere turbæ,
Quæ cum lege Dei viuant ſub lege virorum, G
Proh pudor haud vnquam ſine noſtro crimine peccant.
Nam niſi delictis faciles traherentur earum,
Haud illas vitijs vellemus viuere noſtris:
Nec rigidas auro veſtes, nec vellera Serum,
Nec lapides toto quos fert mercator ab orbe,
Fundorum precijs emerent ſuſpiria mœſta.
Iungimus at vanas, non eſt pudor, addere curas
Si grauis ignotis proceſſit Lesbia gemmis,
Et decies Paſſina nouo radiauit in oſtro:
Conſeſtim ornatum ſibi quæq; expoſcit eundem.
Ergo quod varijs ſtudeant occurrere formis,
Atq; viris alios aliosq; opponere vultus,
Nonne hæc culpa viri eſt? quid agunt in corpore caſto
Ceruſſa & minium, centumq; venena colorum?
Mentis honor, morumq; decus ſunt vincula ſancti
Coniugij: ſi forma placet, venientibus annis
Cedet amor: ſola eſt, ſenium quæ neſcit, honeſtas. H
Nam quod perpetuis diſcurſibus omnia luſtrant,
Quod paſcunt, quod multa gerunt, quod multa loquũtur
Non vitium noſtrum eſt? Paulo & Salmone relicto,
Quod Maro cantatur Phœniſſæ, & Naſo Corynnæ,
Quod plauſum accipiunt lyra Flacci, aut ſcena Terenti?
Nos, horum nos cauſſa ſumus: nos turpiter iſtis
Nutrimenta damus flammis: culpane caremus?
Nam velut acceptas referunt ſpecula optima formas,
Sic exempla virum vxores accepta ſequuntur.
Sed cur infelix in culpa eſt fœmina tantùm,
Cùm placeat ſtolido coniunx vitioſa marito?
Vnus vbiq; hoſtis diffuſo turbine ſæuit:
Nec mirum eſt vinci belli terrore ſubactos.
Quod ſi correcti ſanum ſaperemus, & atris
Libera mens nebulis Chriſto purgata pateret,
Si falcem verbi cordi imprimeremus, & illinc
Vellemus veterum vitiorum abſcindere nodos,
Aduerſus Chriſti famulos vis nulla valeret:
Nec nos Riphæi proſterneret arcus Alani,
Nec ſeruile etiam ſubuerteret omnia bellum,

A

Et qui nunc noſtra graſſantur clade ſuperbi.
Attamen in veſtro populo non rara bonorum
Turba viget, multoſq; pios Eccleſia nutrit.
Sunt planè inſontes multi, Pater optime, quorum
Eſſe velim ſimilis: nec deſunt in grege noſtro
Victrices reddat quas ſexus vterq; coronas.
At ſi quid patriam commendat, ſi quid in illa eſt,
Quod iuuat: hoc vnum eſt, hæc ſunt ſolatia vitæ.
Nunc age chare Pater, cupido mihi fare viciſſim
Quæ te digna ſatis requies ſuſceperit: ex quo
Te corde hinc geſtans abij, tecumq; refelli,
Non equidem inuitus recolam mea gaudia Salmon,
Nec re tantorum indicio laudabo bonorum.
Sed iam concluſi nos admonet hora diei,
Surgere, & ad ſacros ſanctorum occurrere cœtus,
Craſtina lux verbis accedet libera noſtris.

F I N I S.

B

BASILII SELEVCIAE ISAVRIAE EPISCOPI

Orationes XLIII.

EX BIBLIOTH. ANDR. SCHOTTI.

INTERPRETE CL. DAVSQVEIO AVDOMARIO, viroq; Societ. Ieſu Theologo.

EX MAGISTRO S. PALATII.

C

Memineris Lector hunc Baſilium Eccleſiæ Seleucienſis Epiſcopum in Concilio Epheſino II prædatorio, vi & metu adactum ſubſcripſiſſe vna cum alijs in S. Flauian. Conſtantinop. Epiſcopum, poſtea vero pœnitentem in communionem Eccleſiæ receptum in Synodo Chalcedonenſi, vt conſtat ex actione I. Concil. Chalcedonenſis, & 4. Eundem plurimum laudat Photius in Biblioth. vide Poſſeuinum in apparatu ſacro.

Sancti Patris noſtri

BASILII EPISCOPI SELEVCIÆ ISAVRIÆ ORATIO I.

In illud,

Geneſ. 1. *In principio creauit Deus Cœlum, & terram.*

CL. DAVSQVEIO Interprete.

D

VNIVERSA hominum vita virtutis palæſtra eſt, ac vitæ ſpatia doctrinam ſpectant, quæ ad Dei cognitionem faciat. Quid enim iuuerit à Deo fictum eſſe hominem, & fictricem ignoraſſe manum? creaturæ datum eſſe regem, & creaturæ procreatorem, perinde ac ſi non exſtaret, ignorare? oculos in creaturæ pulchritudinem inijcere, & aduerſus auctorem mundi cæcutire? Verùm etſi hominum vita gubernandi ratione ad diuinos ſpiritus euecta eſt: tamen ieiunij tuba, quod commune eſt, vt eximium ac peculiare poſſidet. Nam ſui concentus grauitate animi auribus inſonans ad certaminum ſtadium exſuſcitat ſtudium, cùm diuinæ amatores diſciplinæ ad laborem acriùs exſtimulat, & interiorum oculorum vndequaque deterſâ lippitudine diuinæ cognitionis radios oſtendit illuſtriores. Pari enim modo & paſſiones corporis hebetat, & ad numinis contemplationem acuit animæ vim, æſtuque caroris ſopito animæ tranquillitatem conciliat, & ei tradit corporis gubernacula, necnon acciſa ſeditione in paſſionibus dat poteſtatem, atq; vbi amicum corpori ardorem exſtinxerit, facem diuini amoris reluminat. E Age igitur, & nos cœleſti obſecuti tubæ diuina meditemur, ac per creaturā ad creaturæ Dominum adſcendamus. Deus namq; cùm res creatas in morem ſcalæ adaptauerit, per eas ſui amatoribus adſcenſum ad ſe exſtruxit. Ecce nos ad adſcenſum manu ducit Moyſis Prophetæ linguæ infuſa gratia. Ecquid loquitur? ecquid clamat? *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Geneſ. 1. Vides, inquit Moyſes, cœli latitudinem, magnitudinem, pulchritudinem, quæ oculorum vim admirabilitate ſua ſuperant? hoc vel nutu Deus produxit, imperioque continet: non fulcimentis infernè peruenientibus ad ſummas partes, neque supernè vinculum vllum cœli vertici ſuper iniectum ſurſum ſtare cogit. Terræ verò pondus, cùm interminata ſint eius ſpatia, vbi appenſum eſt? Verùm etſi ſubiectum fundamentum inueneris, originem eius iterum quæris, & poſtea aliud, atque aliud ſubiectius; donec ſcrutinij profundo mens edocta exclamet: *Digitus Dei eſt hic.* Exod 8. Et profectò miraculum miraculo excipitur! F Cœlum, & terra producebantur abyſſum vtero geſtantia, cumque maria baiularent, ſtabant, nec ad caſum grauitate ipſa deuoluebantur: vtque venter grauis menſium reuolutione extumeſcens partionem appetentem proclamat: eodem prorſus modo appenſum cœlum tantam aquarum vim ſine conuerſione ſuſtinebat: manebat enim inconcuſſum, dum creatoris nutu conſtrictum tenebatur. Etenim producto mundi corpore velut domicilio hactenus inornato, poſtea inducit ornamenta parem cum magnitudinis miraculo pulchritudinem machinatus. Nam vti pictores dealbatam antè parietem colorum floribus arte conſerunt: ita creator ad ornatum mundi properans luce primùm mundi parietes dealbat. Siquidem *dixit Deus*, inquit Moyſes, *fiat lux.* Gen 1. Prima iam vox à Deo mittebatur, & lux naſcebatur: audiebatur vox, & natura producebatur: ſimul creatura vocabatur, ſimul formabatur. Nū ergo potuit, quodcunq; collubitum erat, ſilentio facere? non res nutum ſecuta fuiſſet? Cœlum profectò productū eſt, & terra cum aquis, cùm vox antecurreret nulla. G Lux verò cùm producebatur, Deus voce præiuit. Quæ tandē vox, & quę cauſa vocis? Diſcamus & ſcripturā, dum tacet, audire, &, dū loquitur, erudiri. Quandoquidem recens creatæ Angelorum myriades, quæ fierent, videbant; eum verò qui faceret, videre non valebant; nam quod in eſſentia diuina ſupra contemplationem eſt, Angelorum quoque oculos ſuperuadit: meritò nunc loqui occupat, vt eius quod fit, ſenſu & admiratione Angelorum turbas moueat, quo imperiū effectione ter comitatum conſpicati, eoque perculſi ſpectaculo ad cognitionem, & hymnum creaturis conuertantur. Ecquis hic? Dicit ipſe Deus cum familiari ſuo athleta Iobo diſſerens: *Cùm aſtra faciebam, laudabant me voce magna omnes Angeli mei.* Iob. 38. Namque ſpectaculi ſtupore correpti ad ſingula, quæ fiebant, iteratis fauſtis acclamationibus conditorem proſequebantur. Deinde intra aquas firmamentum diſtendit in gyrum, velut tabulatum picturæ peridoneum. H Pòſt etiam nudat aquis terræ dorſa, quibuſdam veluti in cellis maria concludens, dum impetui in abyſſum vertit pro clauſtro, & arena quaſi habena formidabili mare continet, terram liberam ſeruans à pelagi eluuione: eſto, ventorum impetu ad terram mare propellatur. Fertur illud quidem fluctibus altè elatum; vbi verò terminos attigerit, reuertit, refugitque & Domini vocem litoribus inſcriptam cùm intuitum fuerit, curuatis fluctibus termini poſitorem adorat; cumque terram violenter feriat, refertur, ac diuini imperij memor refertur in fugam. Quare placidè purpuraſcens adulatur vicinæ continenti, quaſi mollibus vlnis terram complecti occupet, ſemper Domini præcepto cohibitum, & tantùm non ſingulis momentis audire ratum: *Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida.* Gen. 1. Et manet præcepti memor arena vinctum, nec præ vinctoris reuerentia vincula violat, vocemque Prophetæ ratam facit: *Terminum poſuiſti, quem non tranſgredietur.* Pſal. 103. Ad hęc Aſtrorum in cœlo infigit lumina, & firmamentum luminoſis floribus conſerit, eorum in gratiam & vſum conducentibus, qui in terris agunt. Inſuper mun-

A per mundi pauimentum pratis beneflorentibus variauit. Animalium deinde genera de terra extrahens, matrem creaturarum,& altricem conſtituit. Ad eum modum cùm aridam mari coronaſſet, non vſibus ineptum oſtendit mare, ne quidem genituræ. Oportebat id ſiquidem vicina terra ad partus edendos non inferius videri. Vnum dedit imperium, & natatilibus mox abyſſus inundabat, aërque volatilibus frequentabatur, ac mundus iam conſummatus præ miraculo exclamabat: *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine! Omnia in ſapientia feciſti.* (Pſal.103.) Verum integrè perfecta rerum creatarum vniuerſitas, ſapientiam & poteſtatem perfectoris contentiſſimè clamabat, naturarum varietate ſubtexta: hæc enim mortalia, illa immortalitate ornata ſunt: hæc nobiliora, quàm vt videri poſſint, illa ſenſibus commenſa ſunt: hæc ornat ratio, illa rationis occupat priuatio: hæc & animata ſunt & ſpirantia, illa animæ, & ſenſus expertia: hæc progreſſionibus exultim feruntur, illa naturæ quodam vinculo ſolo ſunt affixa. Oportebat namque diuitias creationis in rebus creatis dilucere. B Hoc igitur, vt antè dixi, mundi domicilium non ſine ſingulari elegantia conſummatum, atq; in morem throni regalis exornatum regem exſpectabat. Oportebat denique & hominem procreari, qui regali throno conueniret. Quid tandem conditor pro omnifaria ſua ſapientia? Vtramq; mundi partem in vnum idemq; congerens, ipſi de terra corpus concinnat, inuiſibilem verò tanquam ſtatuæ factæ affabrè animam inſpirans corpori, animatam ſtatuit imaginem, quæ ſimul omnem in ſe amplectatur ipſa rei conditæ rationem. Eum quippe agnoſcit Angelorum reſpublica, dum ob animæ cognationem cœleſtibus populis inſcribit. Amplectitur quoque & adſpectabilium rerum multitudo operibus confitens naturæ cognationem,& neceſſaria ipſi ſufficiens genus conteſtatur. Quapropter vel nondum formatus homo à conditoris conſiderantia, & Dei conſilij commendationem & pretium accipit. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* (Gen. 1.) Antiquiorem conditione ſua honorem ſuſcipit. Nondum fingitur lu- C tum,& thronus apparatur. *Faciamus hominem* vnigeniti Dei domicilium; faciamus Adam, à quo alter aliquis Adam conditori olim adſideat. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Hic tu mihi, ô dilecte, quando congeneris naturæ theſaurum exquirimus, attentas aures præbe. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Vna eſt, quæ fit imago; ſed non vnius perſonæ monumentum, verum trium hypoſtaſeωn: commune namque, quod fit, Deitatis eſt opus. Trinitatem quidem oſtendit fictricem, vnam autem eſſe Trinitatis imaginem. Quod ſi vna Trinitatis imago, vna vtique trium hypoſtaſeωn eſt natura. Siquidem eſſentiæ identitatem imaginis vnitas loquitur. Vbi enim vna in imagine illius naturæ, quæ exemplar fuerit, differitas reperietur? Vna diuinitas vnum ſui ſecundum naturam ſimulacrum erexit. Quamobrem quem imaginis dignitate cohoneſtauit, pari quoque formationis paratura exornauit. Cætera namque animantia aut toto corpore terram verrunt naturæ lege non progrediendi, D ſed reptandi vim ſortita, aut ad terram inclinantia, quod nullum in cœlo ius hæreditatis habeant, ipſa figura conteſtantur. At ſolus homo, oſtentat fictionis ſuæ modo nobilitatem; dum rectus in cœlum adſurgit: pedibus ille quidem terram tangit, dum tantiſper in ea verſatur; verùm ore ad cœli fornices ſuſtollitur, & extentis manibus cœleſtem patriam animo repræſentat, Paulique vocem clarè ante Pauli tempora effert: *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt.* (Ad Philip.3.) Ac velut in throno conſidens actionum dignitate creatoris imaginem præ ſe fert, factis quaſi coloribus eum ſimitans. Nam & hic ad creationem rerumque molitionem deſiderium & manus affert, ædificat, nauigia exſtruit, lectos aptat, menſas compingit; quæ ludibundus dum facit, manum creatoris imitatur. Item homo fit pater, & filius progignitur diuinis ſolus ornatus honoribus & nominibus, intemporalem patrem tempore imitatur, & appellatione, & filius poſt partus dolores agnominatur: filium, qui ſine paſſione eſt, repræſentans, dum patitur. Deinde rex verus, & legiſlator Deus, *cui decem millia myriadum Angelorum miniſtrant, & decem millia myriadum parent imperanti.* (Dan.7.) Et po- E teſtatis ſuæ ſpecimen dat in ſubiectos, legibus exercitum coercet, iura dicit ſuper hominum peccatis homo, & rationem exprimit, & ſententiæ dictione gloriatur, denique rerum geſtarum vmbra veri regis habitum gerit. Verùm illæ quidem conditoris diuitiæ, quibus humanum genus circumfluit, eius in manibus exundant: tempus autem noſtram orationem contrahit: ſed vobis debitum rurſus exſoluemus opitulante gratia, quæ in CHRISTO IESV, cui æternùm gloria, Amen.

Eiuſdem in Adamum.

ORATIO II.

QVemadmodum qui eas regum adſpiciunt imagines, quæ à colorum ſplendore fulgorem proijciunt; purpuram, quæ marino collueſcit flore; diadema, quod luminibus lapillorum fulgurat, & ambit verticem; dexteram, quæ mundi orbem globi ſpecie digitis portare cre- F ditur; ſpectaculo illi quidem percelluntur admiratione exemplò correpti, & pulchritudinem ſibi repræſentant exemplaris, quod oculis non vident ſed efflorelcentium colorum adminiculo: ſic & eos, qui hominem in media rerum vniuerſitate tanquam animatum fictoris ſignum ambitioſè deornatum intuentur, mirari quidem exiſtimo ſigni recenter efficti dignitatem; ſed creatoris magis obſtupeſcere dexteritate, qui cum omni ſapientia, parique beneuolentia variæ artis opus fabrefecerit. Agedum oratio particulatim denarrando ſigni elegantiam, ſtatuarij ſtupendum opus promulget; iamque ambitu ſuo creationis miracula percurrens, & in vnoquoque fabrefactionis ſollertiam admirata, ad eos feſtinauit oratio, qui naturæ cognatione quadam continentur, & naturæ paritate cognita probro abſtinuit, cumque vidiſſet manu Dei formatum hominem, magno ob eum honorem concepto gaudio ad gratias Creatori agendas eſt conuerſa. Vidit hominem non egentem vtero, non carnem in ma- G trice ſcalptam, non in naturæ officina luteum embryonem, neque loci anguſtia naturaliter obſeſſum, non accretionem vteri tumore deſignantem, non exſpectantem, dum per radios manibus agiles partus edatur, non tempus manentem, quo de ventris carcere captiuus exſoluatur, neque poſt partionem reticulis faſciatum reformatum, non probroſo per terram inceſſu dedecoratum, non ad ætatis imperfectæ gradus admiſſum cum labore: ſed vidit hominem immortali manu editum, pro matrice Creatoris manu vſum, & Dei digito ex tempore perfectum abſolutumque ſimulacrum: vidit ſimul fictum, ſimul regem factum. Nam *præſit*, inquit, *piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtijs terræ.* (Gen.1.)

In creaturæ manu creaturam ponit, natura conſeruum gratiæ beneficio Dominum creat, mare ſubijcit, continenti ſeruitutem imponit, aërem donis adſcribit, eorum denique homo fit poſſeſſor, quorum non fuerat conditor. Extremus ille quidem fabricatione, verùm H dignitate primus emicuit. Sic porro diuinæ bonitatis vber delatus poſterioribus donis obſcurat priora. Namque velut parturiens magnificentiæ ſuæ munera, & habere clauſum penes ſe theſaurum impotens, non eſt contentus prioribus, neque rebus antè dilargitis dona ſua circumſcribit, neque donatoris deſiderium vniuerſa terra, & conceſſum mare ſatiarunt; ſed exſtructum manu ſua paradiſum, delicioſam ſedem dilecto conceſſit. Quid neceſſe eſt paradiſi pulchritudinem enarrare? cuius cultor, conditor eſt, agrique eximia cultione donum excolens ſedem eximiam homini formato dedit. Deus extra paradiſum hominem fabricatus induxit intrò, vt poſſeſſionem adiret, cuius pars non erat, ne cognationi naturæ donum adſcriberet, quin gratuitæ potius munificentiæ. Cæterum adſurge animo ad reliquam dignitatem tuam, Adam, & animantium appellatione dominatum confirma, fabricatoris dignitatem imitare; ipſe naturas procreat, tu nomenclator eſto. Et videre erat ordinatim arcanam quandam teſſeram ad omnia ferri animalia,

A quæ cum ad Adamum confluerent, acceſſione ipſa ſeruitudinem fatebantur. Nam *adduxit*, inquit, *Deus cuncta terræ animantia, & volatilia cæli ad Adam vt videret, quid vocaret ea.* (Gen. 2.) Eſto Adam nominum artifex, quando rerum eſſe non potes. Formentur à me, nominentur à te, quæ procreata: partiamur fictricis huius ſollertiæ gloriam: me cognoſcant artificem naturæ lege, te Dominum intelligant appellationis nomine: inde nomen, quibus ego eſſentiam: non appellationem euerto, non gratiam refingo: *Omne enim, quod vocauit Adam, ipſum eſt nomen eius.* (Gen. 2.) Non potuit vel ipſa tranſgreſſio nomina labefactare, neque legis violatio appellationes alienare. Verùm adſtat leo blandè ſubſultans, lupus inter oues pacatè agebat, & ſerpens hominis ſubiectus erat arbitrio: ſic enim factum eſt, vt linguam diabolo commodarit, ad inuehendam confuſionem. Cùm Deo nondum fuiſſet inobſequens, vniuerſam turbam ratione carentium ſibi audientem habuit. Sic ergo huius vniuerſitatis dominator omnium diſtributionem homini conceſſit. Verùm in tanta bonorum omnium affluentia agens Adamus non habebat, qui cum felicitatem communicaret: carens autem voluptatis ſuæ conſorte, imperfectionem æternæ lenta capiebatur: *Non enim*, inquit, *inueniebatur ſimilis eius.* (B. Gen. 2.) Cum enim alterius generis haberet ſemina, à congeneri natura ſolatium in vniuerſo non videbat. Errabundus erat hoſpes, Dominus in medio paradiſo palabundus deſolatione paris ſocietatis affligebatur. Quid tandem ſapientiſſimus opifex? quid humaniſſimus naturæ artifex? *Non eſt bonum*, inquit, *hominem eſſe ſolum. Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* (Gen. 2.) Iterum deliberatio, iterum conſilium, verum homo, quod formabatur. Illic dicebat: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram:* (Gen. 1.) hic quoque: *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* (Gen. 2.) Haud diſſimilia conſilia: etenim quæ formabantur, generis eiuſdem erant: figuræ ſimiles, quia pari in pretio, quæ fiebant. Iterum igitur deliberatio, vt quod formabatur, in honore eſſet; æquali cum dignitate hominem efformemus, ac fingemus, æqualem gloria cum eo coniugemus, ne ſit honore deterior muliercula, neve genere notho dedecoret opera. (C) Æqua namque profectò viris, & mulieribus eſt pietatis ratio, & par virtutis conſectandæ ſtadium alteri cum altero apertum eſt. Nec enim generis diſcretione fides vtitur. Sic Paulus definitè aiebat: *Neque vir ſine muliere in Domino, neque mulier ſine viro*; (1. ad Corinth. 11.) cum naturæ differentiam virtutis curſus neſciat. Scit in ſidei certamine fœmineum genus viriliter agere: ſcit in pietatis certamine coronam rapere: quorum enim parem molitus eſt Deus formationem, iſ ſe in curſura relinqui turpe ducunt. Vide mihi Paulum terræ habitabilis ſtadia percurrentem, & curſu pro fide ſuſcepto mundi anguſtias demonſtrantem, mulieres adhortantem, & earum curſum ſuſpicientem: *Euodiam rogo, & Syntychen deprecor, & te germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis.* (Ad Philip. 4.) Vides fœmineum ſexum tangi Paulini curſus æmulatione? vides apoſtolicos ſudores in mundi ſtadio imitatione exprimere? *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* (Gen. 2.) Prorſus illud agnoſcis: *Faciamus*? (D) iterum latius explicata vox diuinitatis hypoſtaſes innuit Trinitatis notionem complexa. Fuerit igitur ea cognitio creationi coæua, neque cùm docetur, vt peregrina deinceps recipiatur ab hominibus, quorum in procreatione de illa mentio fuit. *Tulit Deus*, inquit, *vnam de coſtis eius, & ædificauit coſtam, quam tulerat in mulierem.* (Gen. 2.) Cur igitur, inquis, poſt Adamum mulier, & non cum Adamo efformatur? cur non æquæuum vtriuſque opificium? At in aliis omnibus ſuffecit vox vna ad naturas repræſentandas, & ad ſexum dimetiendum, quando vna conformabantur maſculus, & fœmina: Adam verò ſolus fœmina deſtitutus eſt. Et formandi rationem diſpeſcit conditionis ordo, neque verò ex ſolo corpora excitantur, neutra quoque terram inſcribunt matrem: Verùm hic perfectè abſolutus erat, cùm illa necdum orta. Quare in Adami conſpectu vult illam Deus fingere, & fictricis artis ſuæ ſpectatricem deſiderat propriam imaginem. Nondum enim Deum Adamus quicquam fabricantem viderat. *Creauit Deus cælum & terram:* (Gen. 1.) ſed Adamus non viderat creantem, qui cæli molitione ſeriùs ipſe fuit (E) perfectus. Porrexit ambitum firmamenti, luminoſas faces accendit, animantium greges è ſolo fruticari fecit: verùm hæc prius fuerunt, quam ab Adamo ſpectarentur, ipſe, cum fierent, nullo ſenſu facientem percepit. Quomodo igitur autorem condiſceret, qui facientem non vidit? quomodo creatorem cognoſceret, qui creantem non ſpectauit? Ea propter ipſius ante oculos fœminam exſtruxit, & ſimilis naturæ ſpectatorem facit; vt in illa, quæ circa ſe ſunt, velut in ſpeculo contemplatus ex viſis diſcat inuiſa. *Et tulit Deus vnam de coſtis eius, & ædificauit coſtam quam tulerat in mulierem*, (Gen. 2.) & fictam monſtrauit, & ſponſam dedit è latere. Quam ob cauſam non vna voce vtrumque, vt erumperent in lucem, inuitauit; ſed formationi certum temporis interuallum præfiniuit, id Adami cognitioni tribuens, quo naturam, parem, cum fiebat, contemplatus ipſum vtriuſque artificem diſceret. Neque verò ex terra, ſed ex latere membrum mutuatur: partitur corpus, vt mentem coaptet, & natura vna diſſipatur arte formantis, vt vna mens conſtruatur ad imitationem naturæ. (F) Contemplatus igitur Adamus inopinatam membri ſui amplificationem, item exemptum eſſe membrum, ac deinde animatum præ ingenti gaudio exclamauit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* (Gen. 2.) Agnoſco membrum, donum amplector, vertit in deſiderium, quod coſtæ accidit. *Hoc nunc os ex oſſibus meis.* Hoc quod nunc verè intueor, non illa picta, quæ cum in mea eſſent poteſtate, eorum ego viſionem minimè deſiderabam: ſed hoc, quod me modò videt, cumque deſiderio videtur: ſtitit errantem viſionem mulieris huius deformatio. In tanta animantium turba, vna quæ mecum natura eſſet, non adſpiciebam, in tanta multitudine deſolationem querebar, in tanta rerum vbertate velut in terris ſolus commorabar. Tamen à membro abiunctus philtro vincior: loco ſeiunctum eſt, & deſiderio coniunctum, qui diſtulit corpora, animas noſtras in vnum contulit. Quomodo alienam reputabo, quæ non extrinſecus, ſed à me cepit originem? quomodo igitur non iterum erimus vna caro naturæ vi conglutinata, qui antea cohærente, fuimus? (G) *Et ædificauit Deus coſtam, quam tulerat, in mulierem.* (Gen. 2.) Concordiæ, & continentiæ magiſtra talis molitio. Vni viro vnicam adſociàns vxorem continentiæ ſubindicat legem. De latere verò mulierem deſponſans iubet à viro mulierem foueri, ac tegi: fouetur enim ſimul, ac tegitur à manu ſubiecta coſta. Mulieris quoque ſubiectionem ſilentio teſtatam facit. Illa enim cogitans, quo ex loco ſit efficta, voluntatem ad obſequelam flectat, vt coſta coaptetur, illiuſque vicem foueatur. Eiuſmodi conditionis ratio tacita quædam admonitio eſt. Sequamur igitur conditoris voluntatem, reuereamur naturæ dominum libidinis vias auerſati. Ne creationis dignitatem dedecoremus electionis inquinamento. Eum amemus, qui immenſo honore genus humanum cohoneſtauit. Amemus vt humaniſſimum, honoremus vt honoris quàm cupientiſſimum; ne ſtudiorum noſtrorum indignitate dignitatem contaminemus. Manu Dei ficti ſumus, ne fictionis nitor actionum ſqualore obſcuretur, (H) ne operum peruerſitate in conditorem contumelioſi ſimus, ne ſuaſu ſerpentis igni materiam dederimus, ne nobis eueniat, quod generis autori accidit. Verùm ob auditorum ſatietatem inhibeamus modò curſum orationis. Adiuuante Dei gratia reliquum addemus hiſtoriæ, vt intelligamus, quale facinus in protoplaſtum diabolus adortus ſit, & euentu cognito ſapiamus. Ardentiori autem amore Chriſtum diligamus, cuius beneficio, qui lapſus erat, reſurrexit, & percuſſor proſtratus eſt, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

A

Eiuſdem in Adamum.

ORATIO III.

SCIO me chirographo teneri, promiſſoque de rebus Adami docendis; & cum agnoſco debitum, eius magnitudine percellor. Verùm quandoquidem diſciplinæ vehementes eſtis amatores, & commodi huius promiſſi flagitatores; nos contrà penſioni impares: age, Chriſto Domino ſupplicemus, vt ad redditionem doctrinæ adſit cooperator. Nam ſi peccatorum conſcripta debita lacerare gaudet, multò lætabitur amplius debitionem doctrinæ nobiſcum exſoluens. Age igitur, ô dilecte, Adami hiſtoria mentem occupemus. Ea enim fuerit opportuna per ieiunium narratio: quandoquidem illud in paradiſo cum alijs plantis ſeruandum receperit Adamus, & cum licentiori voluptabilium rerum vſu ieiunij lex ei ſcripta B Gen. 2. fuerit: *Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas.* Prima regis edictio alimenta dat, & ieiunij legem ponit. Accipe poteſtatem in omnia, vno ſolo te abſtine, in omnia manus extendatur, & ad vnum contrahatur. Citra inuidiam fructu interdixi, neque mihi vſum reſeruaui ipſi; nullius enim indiga mihi natura eſt, nulliúque obnoxia paſſioni: verùm vt prohibitore cognito, præbitorem quoque agnoſcas, & vnius priuatio recordationem illius excitet, qui dedit vniuerſa: ne voluptas vndequaque circumfuſa beneficij memoriam ſpoliet, ne per inexplebilem voracitatem in ignorantiam delabaris. Alias igitur animantium gentes, & genera fabricans conditor immobilibus naturæ legibus conſtrinxit; neque ipſis electio eſt, quæ facultatem in vtrumque partiatur, neque ratiocinationis diſcretio, quæ velut in æquilibrio perpendat agendorum delectum: ſed ſimul imperat natura, ad agendum impelluntur non excuſſo curioſè præcepto. Contrà homo ratione inſignitus, electionis poteſtate ornatus, & arbitrij libertate refulgens C conſilij vim habet, quæ nulla teneatur voluntatis ſeruitute, intentionemque habet ſui dominam, & inuiolabili gloriatur agendorum electione. Hinc euenit, vt hoc deligat, illud quod ita viſum fuerit, repudiet: hoc auerſetur, ad illud animum adijciat, & libertima cum poteſtate voluntatis regnans abundat optionibus ſententiarum. Quare lege poſita DEVS agendi neceſſitatem non impoſuit; ſed quæ ſibi videntur, imperat, & voluntatis poteſtati permittit actionem: & ſi iuſſus mandatum prætereat, non ideo naturam demutat, neque neceſſitatis legibus vincit inobſequentem, neque gratiam per vim aufert, neque intra neceſſitatem dona contrahit, neque naturam peruertens mentem adulterat: ſed ratione in dominatu ſuo relicta pœnis delinquentem ad ſapientiam reuocat. Principi verò rationi corporis habenas permittit, & animam corpori veluti curriculo aurigam præficiens adhortatur, vt ad curſum virtutis impellat. Tunc igitur ſi ratio ſobria corporis habenas ſuſtineat, curſum D currit, quo corona paretur: dormitabunda verò paſſionibus tanquam equis per præcipitia, perque aſpera viarum fertur incogitans, & tandem deiecta, atque ad terram afflicta trahitur puluere ſordida ſub proprij currus Ad Ro. 7. iugum captiua, ac vexata clamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Nam per ſocordiam principatu prodito fit ſerua paſſionum, & irrationabilibus paſſionibus cum thronum ratio præter ordinem conceſſerit, earum ſerua competitur, ad quarum ſeruitutem fruendam nata eſt. Itaque præter alia, quibus hominem DEVS condecoraſſe videtur, etiam mentem arbitrij libertate inueſtiuit, lege data ad voluntatis exercitationem, & in arbore veluti tabula deſcripto mandato intus abditam diiudicandi vim excitauit, adſcripto in ligno parendi, aut non parendi diſcrimine. Hinc notum boni, & mali lignum agnominari: ab illis enim, quæ hîc didicit, lignum appellatum eſt, & huius inſtructio, ligni fuit appellatio. Quippe illic, vti dixi, Adamo excolebatur intelligentia, & exercebatur ratio. *Ex omni ligno pa-* Gen. 2. *radiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.*

E Fructum habe citra modum; manum duntaxat abſtine ab eſu inſulſo, & ſuperfluo. Quo in pretio ſit legiſlator, obſeruatione legis propala. Perſpectum tuum habeam animum, vt amoris tui vim in pretio habeam: gratus eſto manum contrahendo, antefer totius paradiſi largitorem vnico ligno: honoris mei arbitrum te ſtatui, par benè merenti refer guſtatu, contemtione. Ideo mortis terrorem eum lege tibi obtuli contra nefariam appetentiam auxilio futurum; & ſi mens ad eam inclinet, terrore obiecto firmetur: eſt enim temperantiæ neruus præuaricationis metus. Tu verò non terrore, ſed amore honorem mihi defer. Tu maior cum ſis, eſto planta paradiſo illuſtrior, & voluntariæ tuæ obedientiæ carpam fructum bonum. Offer mihi muneri mentem. *De omni ligno para-* Gen. 2. *diſi comede.* Prolata cupiditatis tuæ terminos, quandoquidem vſus tuos rerum conceſſarum excedit affluentia. Paradiſus cupiditati ſit pro diuitijs: verùm vbi legem ſcriptam vides, ibi deſiderium coerce, ibi recuſa cibi contactum, vt vitæ venenum. Auerte oculos, ne ad tranſ- F greſſionem traducant: fuge ſpectare, vt ſaluari poſſis. *De omni ligno paradiſi comede.* Accommodata tempori lex, congruunt edictiones cum tempore. Nam qui apposita poſſit eſſe lex? *Non occides*? quem? cur? *Non furtum facies.* Exod. 20. quorum? cuius? *Non mœchaberis.* quîcum? cuius? Ecquod enim aliud potuit in ipſum pulchritudinis telum iaculari, vt ictu deuitato mandata conficeret? Tunc igitur Adam periculi expers deliciabatur, & erat voluptas innoxia, carens admiſtione ſerpentini veneni. Sed ad inuidiam excitus eſt diabolus ſpectando, & eorum, quæ viderat, viſione ſaucius, ferientem referire connititur. Vidit in omnem creaturam integram poteſtatem, vidit in eius manu maris imperium, ſubiectos animantium greges, paradiſum pro domicilio, ſponſam diuina fictam manu, in dotem creaturam datam, ſponſæ ductorem Deum, & ictu a inuidia ſerpentem efferatus induit, poſt aeris rectionem ſerpentis rector conſtituitur, turpi facinori turpiter G adrepens. Nam qui DEVM offendit, ſatis ei ſupplicij eſt dedecus, vel ante ſupplicium. Itaque ſerpentis facie perſonatus inſidioſè meditata aggreditur curatorem mulieris, & Adamo tantiſper coniugij negotium ſinens ſub manum ſuccedere alias obit partes, per latus hominis ſtructuram Gen. 3. ſubruere inceptat: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradiſi?* Humanitatem ſimulat, cùm ad cædem accurrat, & commiſerationis obtentu conatur ſeruum cum Domino committere. Vidi vos, inquit, in omni bonorum affluentia non auſos frui, & condolens veni: videbam in medio paradiſi eſurientes, & in partem triſtitiæ veni. Nam quo conſilio, dic mihi, cibo Deus interdixit? quid ſpectabilitate commonſtrata vſu priuauit? cui oblectationem hanc recondit? cur vobis ablata dona reſeruat? ſatius erat non dediſſe, quàm dato interdixiſſe. Paradiſum dedit, & cibum non conceſſit. His vocibus auditum ſubuertit, & rationem obſidet, vtque mens animi fluctuet, facit: percuſſit aurem, vt conſcien- H tiam lædat. Verùm ad inſidiatorem reſpondet mulier, & inſidiantem corrigere vult. Quid te, mulier, ſimulatione inquinas? mendacium audiſti, mendacij artificem fuge, auerſare mendacij patrem, obſiſte ſilentio eius machinis, inefficax eius telum fac auribus oppilatis. *De* Gen. 3. *fructu lignorum,* inquit, *quæ ſunt in paradiſo, veſcimur: de ligno autem ſcientiæ boni & mali præcepit Deus, ne comederemus. In quocunque enim die comederitis, morte moriemini.* Exarmaſti te mulier, Dei voce diabolo credita. Quid ille igitur? *Nequaquam moriemini.* O ſententiam execrabilem, & plenam audaciæ vocem! DEVS mortem tranſgreſſoribus ſtatuit, & diabolus vitam contra legem agentibus ſpondet. *Nequaquam morte moriemini.* Furtim demit mortis terrorem, vt legis munimenta deprædetur: pœnam adulterat, quò ad legem perfringendam propellat: excuſſo timore, pœnáque ſublata contra DEVM bellum conflat: *Scit enim Deus,* Gen. 3. *quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis, ſicut dij, ſcientes bonum, & malum.* Non per amorem, inquit, ſed per inuidiam arbore interdixit: priuauit eſu, vt diuinitatis aditu prohibeat. Quid ergo fugis, mulier, plantam, cuius ope DEVS eris? quid cibum, per quem

parcs

A Ioan. 8. pares cum imperante ſiris, repudiatis? *Verè homicida erat*
ab initio. Poſtquam enim his duobus Adamum vidiſſet
munitum, mortis metu, ac vitæ promiſſis, quibus ipſum
munite DEVS occupauerat, eadem imitatur & dæmon.
Gen. 3. Et morti quidem illud obijcit: *Nequaquam morte moriemini.* At
pro ligno vitæ vana ſpe diuinitatis ſubitò erigit, vt ſoluto
metu, eaque ſpe propoſita mandati vim prorſus euerteret,
Gen. 3. ſitque paradiſus officina præuaricationis: *Eritis ſicut dij.*
Tu mihi, frater, huiuſce dictionis inſidias obſerua, quæ
omnis impietatis parens ac radix extiterunt. Siquidem
per eam Græcorum ſuperſtitio pullulauit, & impietatis ſe-
ctæ hinc progenitæ ſunt. Hanc primam machinam con-
tra veritatem machinatus eſt, perſuaderi poſſe homini-
bus, vt pro nomine rem proctrabilem ducant: hoc vſque
ad idolorum vilitatem Dei nomen deiecit: ob hanc vo-
cem creaturam eſſe Deum imaginati ſunt: ob hanc vocem
Arius creaturam eſſe Dei filium auſus eſt docere: ob hanc
Eunomius filium ex ijs, quæ non ſunt, decreuit eſſe: ob
hanc Apollinarius DEVM hominem fuiſſe cenſuit. Illud
B tolle: *Eritis ſicut dij,* & Græcorum ſuperſtitio funditus eri-
pitur. Tolle creaturam numinis affectatam dignitate, &
tota concidit, quæ cum Filio pugnat, hæreſis. Qui origi-
nem, qui compoſitionem, qui paſſionem cum Deo cohæ-
Gen. 3. rere faciunt, illum habent opificem: *Eritis ſicut dij.* Diuini-
tatis ingerit opinionem, vt mortalitate condemnet, dixit,
Gen. 3. quæ volebat. *Vidit enim mulier, quòd bonum eſſet lignum ad ve-*
ſcendum. Prius equidem videbat, ſed aſpectum expurga-
uerat affectibus, & propter puritatem ratio in ſeruitutem
minimè duci poterat. Anima verò paſſionum vinculis im-
pedita cum oculo malum communicauit: qualia namque
ſunt animæ conſilia, tales & corporis motus. *Vidit, quòd bo-*
Gen. 3. *num eſſet lignum ad veſcendum.* Eorum, quæ non erat exper-
Gen. 3. ta, guſtum mirabatur. *Et tulit de fructu illius, & comedit, deditq;*
viro ſuo. Quid agis mulier? iuſſa es virum fouere, & ad inſi-
dias peruenisti? formata es in vitæ ſocietatem, & mortis
conciliatrix inuenta es? vt membrum ſumeres, & vt ſagit-
Gen. 3. ta miſſa es? Quis rei tandem exitus? *Cumq; cognouiſſent ſe*
C *eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Iam
ſeductionis fructum vindemiarunt. *Conſuerunt folia ficus.*
Ipſi nudati nudant arbores: circa arborem præuaricati ab
arbore tegumentum mutuantur. Hoc itaq; in ſtatu gene-
ris parentes erant. Ridebat fortè diabolus, cum dedeco-
re Dei conſporcaſſet imaginem. Tales enim dæmonis
ſunt machinationes: cum voluptate ſauciat, & accuſat
pudendum in modum: ad ruinam impellit, & ruentes pu-
blicis ignominiæ notis conſignat. Verum enimuerò mi-
ſertus erroris Deus, ad erigendum currebat. Currebat au-
tem non motatione loci; ſed imagine quadam terribili
præſentiam conteſtatus. Illi terrore perculſi ſeipſos tranſ-
greſſionis accuſatores, ac teſtes adhibentes exilio ſuo ſuf-
fragantur. Deus verò territans inceſſu ſtrepenti compel-
Gen 3. lat humaniſſimè: *Adam, Adam vbi es?* O domini in homines
amorem! tanquam ignarus quærit, quem ipſe fugabat, &
tanquam non videat, qui rebus adeſt omnibus compel-
D lat: *Adam, Adam vbi es?* vbi mihi manuum mearum opus? v-
bi animata meæ dignitatis imago? vbi mei paradiſi cuſtos?
Adam, Adam vbi es? ex immenſo amore compellatio lamen-
to adiuncta. *Vbi es?* vbi mutui congreſſus quidlibet inter-
randi libertas? vbi noſtræ conſuetudinis confidentia? vbi
tuæ dignitatis celſitudo? pro amico fugitiuus? ades coram
compellatore. Oſtende medico tranſgreſſionis hulcus: o-
ſtende plagam nuditatis: medicamenta habeo vulnere po-
tiora, habeo ſubſidium, qui ſerpentis morſum curem. His
fretus, arrectuſq; vocibus, qui latebat, foras proſpectat, &
ad reſponſionem nonnullam ſumit audaciam talia ſecum
volutans: Profectò Deus appellare me non dedignatur, &
verbis accerſit, neq; violentum fulmen in me iacit ſuum,
neque, quam prius interminatus erat, mortem immittit.
Nonne ergo clamantem exaudiam, quem legem ponen-
Gen. 3. tem non audiui prius? *Vocem tuam audiui & timui, eò quòd*
nudus eſſem, & abſcondi me. Nihil opus eſt inſtructa verbis
Gen. 3. accuſatione; mei nuditas veriſſima eſt accuſatrix, non per-
ſonata. Quid tandem Deus? *Quis indicauit tibi, quod nudus*
eſſes, niſi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedi-
ſti? Vt iudex aduenit, vt medicus rogat, & ad iudicium fe-
E tendum cùm acceſſiſſet, vt amicum increpitat: Hæccine,
inquit, beneficentiæ meæ refertur gratia? hoccine pro ac-
ceptis animi grati munus? Hic reſponſionis egere, hære-
re, in mulierem audax facinus transferre, vitæ ſocietatem
cauſari & criminari: illa in ſerpentem prolapſionis culpam
deriuare. Deus verò ſeductos ad ſapientiam ab errore vo-
lens reuocare punit ſeductorem; dixit enim ſerpenti Do-
Gen. 3. minus Deus: *Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animan-*
tia, & beſtias terræ. Contra ſerpentem, qui in conſpectum
venerat, fertur ſententia; ſententiæ verò pœna in eum, qui
contrà ſtabat: quo enim decepit, eo punitur. Dixit quoq;
Gen. 3. mulieri: *In dolore paries filios.* Tu cùm fructu interdicto te
non abſtinueris, fructu vteri tui miſerè cruciaberis. Adæ
Gen. 3. verò dixit: *Maledicta terra in opere tuo:* delicijs tantis apertè
indignus es, terræ cultioni, natiſque inde ſudoribus eſto
obnoxius, & cum labore vitæ tuæ ſpatium emenſus ſepul-
chrum inuenies vitæ ſuccedaneum. Hanc ſententiam
progenitores damnationis ſuæ tulerunt. Tu verò ne ſalu-
tis ſpem proieceris: non enim exſecrationi creaturam Deus
F fecit obnoxiam, neque bona ſpe interim orbata natura:
Namque Chriſti præſentia longè potentior eſt protopla-
ſti voracitate; & hominum genere per gulam nefariam in
fraudem inducto. Vnigenitus contrarijs medicamentis
curans vulnera, de homine corpus, in quod ſe inſinuaret,
delibauit, & ſecundum Adamum ſibi circumiecit. Para-
diſo ſolitudinem obiecit, ieiunium delicijs, ſerpentinæ
fraudi tropæum, quod per hominem contra diabolum
ſtatuit, Euæ virginem abſque maledicti acerbitate patien-
tem, & fœtum virgineum à veteris culpæ ægritudine libe-
rum, & innuptam puellam, quæ ſponſum generauit im-
mortalem. Sic alter Adam progenitus in cœlum paradiſi
vicem euectus eſt. Inde ſerpentem iaculatur audiens il-
lud à Patre: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabel-* Pſal. 109.
lum pedum tuorum, cui gloria ſempiterna, Amen.

Eiuſdem in Cainum, & Abelum.

ORATIO IV.

G
RVRSVS ad dicendum nos exſtimulat docendi lex,
vim rurſus affert, vt irrotatione leui ſpiritalem irrige-
mus paradiſum; rurſus pauperes nos adhortatur, vt luco-
lenti foci conuiuatores ſimus. Sed non paupertina eſt
gratia, nec inops choragus, qui auditorij fide conſpecta
linguam ſic affatim inſtruit, vt per nos ſpiritales aquas in
vos deriuet. Cùm illi olim collibitum fuiſſet, aridam ab
aquis nudã vertit in profluentem, & ſiticuloſam terram ſi-
tientibus pro medela dedit, ac rupem humoris expertem
fontium dedit eſſe matrem. Tale enim eſt Numinis inge-
nium: virtute cum vincat, hominum amore vincit. Quam-
obrem nequitiam tormentis ſubijcit, quibus voluntates
caſtigat, ſanans interim ægritudinem. Nam quorum fue-
rit opifex, ijs mederi non erubeſcit. Vniuerſam igitur Scri-
pturam animi medicamentis confertim obſeuit; præſer-
H tim quo loco Caini, & Abeli hiſtoriam digerens literarum
monumentis vtriuſq; inſtitutum palàm conſignauit, quò
exſtaret in poſteros excitandæ virtutis exemplum, & ne-
quitiæ fugiendæ. Vt qui priſcorum hominum contem-
plantur imagines, epigrammatum ope animum cuiuſque
venantur; & quorum frequenter ætas memoriam extin-
xit, ars colorum admiſtione inueteraſcentem naturam re-
fingens eam iuueneſcentem oculis ſubijcit: ſic vbi æs ignis
violentia mollitum, & artis legibus obſecutum formas re-
cipit ** & habitu conuerſationem prodit veteres actio-
nes vnà cum tempore tranſmittens, iucundum ſimul, & ad
videntium inſtitutionem accommodatum monumen-
tum relinquit, enſque ad imitandum, quod intuentur, iu-
cunditate ipſa inuitat: Sic & magnus ille Moyſes diuinæ
vocis conſcriptor hiſtoriæ beneficio virtuti materiam ſub-
ſternens progenitorum ſimulacra deſcribit, non euane-
ſcentium colorum ope adiutus; at lingua Prophetæ gratia
delibuta cùm eſſet, virtutis elementa per literas poſteritati
tranſſcribit. Nunc ita, ſi ita tibi quoq; viſum, præſentis hi-
ſtoriæ compendia, vide fructum multiformem hinc ena-
ſcentem, ac Deum primùm, ſpecie corporea hominibus

A condeſcendentem; deinde victimarum tolerantem, non quò cupiditati gratificetur; nullius ſiquidē Deus egens eſt: ſed vt offerentiū mentes inſtruat, iis ſe honorari fingit, quibus Deo honorē habere ſe exiſtimant. Docet deniq; quanta ſibi iuſtorum cura, vel poſt mortem. Neque enim ob cædem Cainum puniuiſſet, niſi Abeli vel interemti ſollicitudine teneretur. Mortali enim vita per cædem iuſti priuantur, ſpe tamen bona per mortem non deturbantur: quinimo mortis patrocinio fulti contra eum, qui iniuria affecit plus poſſunt; quodque omnium eſt maximum, liberationem à morte, & reſurrectionis ſenſum hominibus fauſtè denunciant. Primus enim iuſtus Abelus lethi portas intrat. Abelus ſecundum Pauli ſententiam Chriſti vmbra: *Sanguinis adſperſionem meliùs loquentem, quàm Abel.* (Ad Hebr. 12.) Conueniens enim erat iuſti ſanguine reſurrectionis columnas adumbrari. Si enim mortis cauſa eſt præuaricatio, qui morti materiam non ſuffecit, vel inter vita functos ex æquitate liber manet. O res inopinatas! in mortis veſtibulo reſurrectionis tabula legitur. B Cur enim non primus mortis portas ingreditur Adamus, quandoquidem à recta naturæ lege decertans ipſe mortem contra naturam acciuit; cur non priùs Euæ mortis ſententia obnunciatur? quos propter natura iudicatur. (Gen. 3.) *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Sed primùm Deus concedit Abelum tolli de medio (concedit, non prodit: non enim iuſtum Deus morti dedidit; ſed in eum inuadentem mortem non defendit) vt aggreſſoris nequitiam vſu meliore commutet, vt victum morti ſubiiciat fundamentum, mortiſque ius infirmius euadat. Iuſtus enim iniuſtè à morte occupatus iuſtæ cauſæ dictionem inferno eripit, & primam mortis viam mortis diſſolutionem fore ſpondet. Hanc enim in ſemet Chriſtus excipiens hominum cauſa controuerſiam patefacto mortis iniuſto dominatu diſſoluit. Carnem enim impeccabilem per iniuriam ad ſe trahens infernus, iuſtos etiam, quos tenebat, per illam euomuit. Tantum theſaurum tegit inſtituta de Abele narratio! ſed & ipſam, ſi videtur, dictionem animaduertamus. C (Gen. 4.) *Adam cognouit vxorem ſuam Euam, quæ concepit, & peperit Cain.* Et verò quis neſcit, vt anteceſſerint partum nuptiæ creaturarum procreatrices? Quippe poſtquam Adamus de puluere conformatus eſt, & terra ad hominis naturam detornata, poſtquam latus Euam edidit, & in vnum egit non naturæ lex, ſed facultas iubente Deo accepta; legum naturæ Moyſes agit interpretem, ne Adami, atque Euæ originem generationi adſimilem eſſe arbitreris. Devs quidem imperat, natura verò operam ſuam conferens accedit. *Cognouit Adam vxorem ſuam Euam, quæ concepit, & peperit Cain.* Reſtant venter, & conceptio, & dolor, & fœtus, lata popularíſque naturæ via, ac ſtata genituræ humanæ ſatio. Hinc exorſa eſt natura ſpicas rationabiles germinare. *Concepit, & peperit*, non ex terra, non ex coſta, ſed ex aluo germen prodiit. Hoc parentes attonitos reddit. Vidit Eua ſpectaculum inopinabile, naturam numero propagatam, & partita corpora, remque miram promulgans creatorem conteſtatur: (Gen. 4.) D *Poſſedi hominem per Deum.* Re Deo adſcripta operis autorem agnoſcit. Et rectè. *Per Deum*, creatorem eum, qui finxerat, non adminiſtrum proclamans. Tu Ari, Euam reuerere, & ſyllabis cum filio Dei velitari deſine, reuerere communem hominum matrem voce creatorem ſuſpicientem, non contumeliam irrogantem. Deſine Caini ſacrificium, dum laudes occinis, imitari: quibus enim ſacrificium offers, conuiciis Devm collaudatum inſectaris: quibus honorem habere te ſimulas dignitate ſpolias: Caini exemplo creatori honorem afferens ſine honore. Devm confiteris, & creaturam facis, ac mox iterum hominem fuiſſe clamas, ex creatura in creaturam creatorem transformans, & originem origine dictitas excipi, audienſque quòd cùm carnem cepiſſet animatam œconomiam generis humani perfecerit, ad naturam conceptionem refers, & Chriſti apparitionem ſumma cum impietate eius interpretaris eſſentiam. Sed Eua non ita, verùm: *Poſſedi hominem per Deum.* Noui, inquit, meam diuini mandati tranſgreſſionem, noui à paradiſo excidiſſe me, iis quæ pertuli, docta ſum; agnoſco punitorem, excepi pœnam, quæ vt magiſtra me ab er-

rore vindicet, ſeductionis pericula ſufficiunt, alteras inſidias non admitto. *Quæ concepit, & peperit Cain.* E Primus partus eſt, qui primus naturæ fuit infeſtus, qui primus aperuit partioni curſum, primus morti portas patefecit; qui naturæ munere primus ad vitam venit, & primus vitio voluntatis in cædem ruit. Partum hunc Abelus excipit, ille quidem natura germanus, non voluntate. Aperuit enim diſcrimen animorum ſacrificatio: hic enim per eam ſui, ille Dei cognitus eſt amator. Siquidem Cainus ſacrificationem mulctæ loco ducens reiectaneis ſacrificiis honorem detulit honorato, adulterata mente cauponans pretium. Abelus verò longè aliter; qui cum donum totus ſpectaret, animo ſincero Devm colit meliorem, & gregis datorem lectiori gregis portione honorabat, animi virtutem cum donis copulans, vnaque animum ipſum offerens accipienti Deo. Hoc animi vtrinſque propoſitum conſcriptor Moyſes velut in hiſtoriæ trutina librans dicebat: *Obtulit Cain de fructibus munera Domino.* (Gen. 4.) Infructuoſus animus fructus apportat Deo, carens anima fructus offert Deo, & Caino pulchrè cum infructuoſa anima conuenit: F quare honor à Deo admitti non poteſt. Differt ſacrificium cum impietate coniunctum. *Abel quoque obtulit de primogenitis*; (Gen. 4.) in quibus natura optima commendabatur, animus ſpectatus eſt. Euentus igitur vtrique congruens fuit: *Et reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* (Gen. 4.) Dona offerentem conſpicatus, oblata quoque amplectitur. Primum animum, deinde donationem admittit. *Ad Cain autem, & ad munera illius non reſpexit.* (Gen. 4.) Animaduerſis moribus ſacra hæc exſecratur. Primum ſpectat * * * eam, quæ offert manum. Quocirca quæ Abelus dona comportat, Dona nominat: quæ Cainus, Hoſtiam appellat, nam quæ odit Deus, Hoſtiam appellat, improba iſta appellatione hoſtiam auerſatus; quæ verò admittit, Dona ſolet indigitare. Mutauit Scriptura nomen præter naturam & indolem rei, acceptantes quoque circa ipſa demutans. *Iratuſque eſt Cain vehementer.* Vtinam pœnitentiæ, non parricidii dolor fuiſſet! G Quippe tunc obtuliſſet Cain dolorem pœnitentiæ, qui pretio ſuperaſſet antecedens ſacrificium: doni namque loco retractationem conſilii Deus admittit. Sed erat inuidentia triſtitiæ parens, & animoſitas quædam cædis præuia. Mitigat igitur per ſeipſum triſtitiæ vim Deus de more humanorum medicorum, qui etſi malum deſperent, ſpem tamen habent repoſitam in medicamine, & (Gen. 4.) voce communicat, & ratione quadam, conſilioque ab eo gratiam init: *Quare, inquit, iratus es? & cur concidit facies tua?* Non ſum victus abs te illata dedecora, neque damnia iniurium abſumſi. Ad te reuertitur hoſtia, tibi dedi muneribus tuis frui. Tibi ſatis eſt ad animi conuerſionem hoſtiæ reuerſio; deliciare cum donis tuis. Plenam turpitudinis hoſtiam non accipio. Deſine damna tua lugere, peccaſti, conquieſce. Statue delictis prioribus modum. Ne inuidentiam occiſione cumules, ne facinus meditatus obarmes manum, affectam cædem & cogitatione ſuſceptam depone. Verùm erat, vt apparet, Cainus immanſueta bellua, labitur ipſe, & gliſcit ira, neque monita perturbationem molliebat; ſed perdurat cædem parturiens voluntas, H dum animi flammam inuidentia accenſa cædem pariat. *Conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum, & interfecit eum.* Quid agis, ò Caine? quid humanum guſtas ſanguinem? quid mortis viam doces, quam nondum didiciſti? quid hominum carnifici, naturæ ſpolia concedis? quid inſaturabilem eius diducis ventrem? fratrem præmittis orco contra te arrhabonem futurum? Laborioſus auditor pro animi ſui perſpicientia penitus inquirat, à quo Cainus cædem facere ſit edoctus? Vnde ſciuerit plagam mortem afferre? hominem mortuum conſpexerat nullum. Nullius cædis audaciam ſuam antegreſſæ ſpectaculum, quod ad imitandum inuitaret, hauſit: qui cædis igitur euaſit perpetrator, qui nondum fuerat ſpectator? Quid tandem dicemus? Hominum quidem interemtionem nullam antè viderat: at necem animalium ex percuſſione viderat ſæpe, in quib. naturam cognouit morte affectam, & ex indecentia, quam viderat didicit, cepitq; audaciam. Euenta talia transferri ad Abelum. Iuſti tamen iugulationem non neglexit Deus, ac primùm quæſtione facta de cede cæſum honorat.

Vbi,in-

A Gen. 4. *Vbi, inquit, Abel frater tuus?* naturæ recordationem excitat, quò ſenſum animi permoueat. Quid ille? Gen. 4. *Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Doctus ſerpentis artes ſerpentis more loquitur. Gen. 3. Dicebat ille errorem obijciens: *Nequaquam morte moriemini.* Hic rogatus: Haud, inquit, noui. Cognata vox ab eodem magiſtro miſſa, etiam Deum, qui audaci facinori præſens aderat, celat, mendacio notitiam adimere ſibi perſuadens. Eſto, dexteræ vſum diabolo commodaris, cur etiam linguam commodaſti? Gen. 4. *Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?* O vocem ipſa cæde magis execrabilem! ô ſententiam impiam, & linguæ impietate teterriorem! Nec verò cæde ipſa conſopitur inuidentiam; odia etiamnum renouat, cumque exoſum Abelum non videat, contra fratris animum ſtomachatur, forte mœret, quod emortui iugulum repetere nequeat. *Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Verè non es cuſtos; as iugulator. Eſto, non illi cuſtos additus ſis, nunquid & tollere iuſſus es? Gen. 4. *Vox fratris tui clamat ad me de terra.* Vitam ſuſtuliſti: ſed non & vocem abſtuliſti. Sanguinem contra te accuſatorem armaſti, cæde aduerſarium conſciuiſti tibi im- B mortalem. Gen. 3. *Et nunc maledicta terra in opere tuo, quæ aperuit os* Gen. 4. *ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua.* Fraterno ſanguine terram irrigaſti, & in eam nefarias bullas immiſiſti, parem fructum cape. Gen. 4. *Tremens & gemens eris ſuper terram.* Munera non cepiſti mea, ærumnis conſtrictus eſto, tuaque trepidatio poſteris vertatur in legem. Tremens obambula animata lex videntibus occurrens, ſpirans columna auertat à pari pœna; lex, inquam, atramenti vice trepidationis nota conſcripta, malum facere neſciam intuentibus ſit hortamento, & perturbata natura quietem ſuadeat. Cainus inflicta pœna præuaricatum ſe animaduertit, & ad Gen. 4. mortem recurrere adurgetur. *Omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Quid pœnam fugis, ô Caine? cur per ſupplicij Gen. 4. fugam incurris in mortem? *Omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur.* Mala tua morte non leuabuntur, neque vitæ exitus à trepidatione liberabit, neque calamitatis remedium erit cædes tua. Vita fruere, qua nefariè fratrem ſpoliaſti. Nec enim permiſero tantam Abeli vindictam aboleri. Abelo nemo hanc faciat iniuriam, vt morte tua Gen. 4. tremori medelam faciat. *Sextuplum punietur.* non pœna- C rum multitudinem, ſed ſuppliciorum magnitudinem numerus ſubindicat. Vna cum vitæ ſpatiis cruciatus producatur. Celerem Abelo mortem adduxiſti; ſerus mortem oppete, dum vita ſupplicium ſit. Hæc eſt Caini nequitiæ merces, hic inuidentiæ fructus, hæc odij fraterni meſſis. Quam Abelus æquabilitatem animi tenuit, imitemur, grati ſimus in bene meritorem Deum. Victimam ipſi, quæ à virtute ſit, offeramus, dono ipſi animas noſtras offeramus, ipſi gloria ſempiterna, Amen.

Eiuſdem in Noemum.

ORATIO V.

QVanto Deus teneatur iuſtitiæ deſiderio, quanto iniuſtitiæ odio, hiſtoria Noemi luculentè clamat: ſo- D lus enim in communi creaturarum naufragio conſeruabatur, iuſtitiam comitem nactus ad ſalutem; tunc gentes denſiſſimæ pasſim fluctibus hauriebantur iniuſtitiæ merito demerſæ. Ac mihi videtur ad venturi iudicij, ad extremæ, atque horribilis diei fidem, & memoriam volens Deus homines perducere, commune illud populis omnibus periculum creare voluiſſe, quo adſpectus tanto infortunio fidem adſtruens timorem retineat ſalutis viam; vt cum homines cognoſcerent tam ſeueræ animaduerſionis parentem fuiſſe impietatem, timore pœnarum impietatem fugerent. Si enim tunc per certaminum tempus, & vitæ ſtadium tantum ijs, qui offenderant, periculi oblatum eſt: quale quantumque ſupplicium cuique arceſſet geſtorum in vita vindicatio? Cùm enim nequitiæ modus ſe ſupereffuderit, tunc non infrequenter inde ſupplicia incœpta irrogare iudex. non hominum motus odio, cum ſit in eos propenſiſſimus: at ſtudio malitiæ, quæ nimium increuerat reprimendæ.

Tota igitur id temporis humani generis vniuerſitate ad impietatem vergente, & vna conſpiratione contra creatorem acie compoſita, nulla quantumuis importuna & barbara prætermiſſa eſt audacia: verum omnes cupiditatis viæ ſecabantur & inibantur, ac ipſius improbitatis conſuetudo nouabatur. Audacia verò, & credulitate B velut armis animam vndique muniebant, ac in mutuam perniciem vtebantur. Quæ enim iniuſtitiæ ſpecies, qui modus intemperantiæ non inter eos verſabatur? quæ legum prauitas non apud eos pro lege ſtatuebatur? Vitium corporis immodici in earum datorem per mentis elationem, & inſolentiam erant iniurij. Tunc erat terræ corruptela, viuaxque peſtis; vnum ad expiationem diluuium deerat. Omnes profectò imitatores, & impietatis hæredes habebat Cainus, neque tremor illius corpori circumpoſitus videntes reprimebat; ſed per animi prauitatem mali quoque meritum limis introebantur. In ijs nemo, qui Dei amantem Abelum æmularetur: ſed emortuam virtutem opinabantur, quæ tamen vel in mor- F tuo corpore loquebatur. Quod ſi vel exiguæ virtutis reliquiæ in ipſis ſupereſſent, eæ certiſſimè per vitiorum admiſſionem exſtinguebantur, & deteriorum rerum imitatio deleuerat omne veſtigium probitatis. Cùm verò hac peſtifera lue corriperetur creatura, & animarum, corporiſque tanie inquinaretur, Angelorum ordines grauiter ferebant, & ardentiſſimis vitijs indolebant. Trillabantur autem punitione prolatata & creaturæ conſilia cogitabant erigere iuxta Pauli vocem: *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens.* Rom. 8. Quod igitur malum eſſet immedicabile, augeſceretque morbus, ac impietatis fieret progreſſio ad ea quæ fiebant expianda, numen incitatur, & volens impietatem gliſcentem terrore ſiſtere, diluuium proclamat, tempuſque præfinit, ac pœnitudinis modum ſtatuit, nec non ſupplicium anteuertit excogitans, qua ratione morum conuerſionem videret aliquam. Ecquid ait? *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Gen. 6. Hic ſupplicij terror eſt; inducitque pœnitudinis terminum dicens: *Eruntque dies illius centum viginti annorum.* Do, inquit, pœnitudinis tempus, vt videam morum con- G uerſionem, vnaque cum antegreſſa vmbratilitate humanitatis meæ ſpatia produco. Quamdiu malum obdurruit, tamdiu pœnitudinis medicamen profero. Longa fuit ægrotatio, longa ineatur pœnitentia, procraſtino diluuij mala. Mihi præfinitum eſt animaduerſionem protelare: nam curationem voluntariam accepto. Et ſi talia hominum amore meditabatur Gratia, quo traheret ad pœnitentiam ſupplicij prorogatione: tamen mali vis humanitatem reſpuebat. Abſumptum igitur eſt pœnitentiæ tempus, nec impietatis ægritudo deſinebat. Poſtea certè Niniuitis triduanum pœnitentiæ ſpatium ad ſalutem via fuit, & morum mutatione ſuperatis præſcripti temporis anguſtijs Dei minas lachrymis lenientes propheticam obnunciationem præpediuere. Hi verò tot fruſtra fluentium annorum numerum deſpexerunt, ipſa opportunitate pœnitentiæ in impietatis patrocinium conuerſa: maleficiorum accumulatio ſuppliciorum erat amplificatio. Ac Noemum tunc aſſumit tanquam aurum in cœno conſpicatus fulgurans, & virtutum theſaurum H in tumulis graueolentibus abſtruſum, iubet arcam compingi, & impietate ſpectante inundationi viam ſtruit. Erat & hoc diuinum in hominum gratiam commentum inuitamento ad pœnitentiam. Erat enim facilè vel abſque ligno Noemum ſeruare. Sed ipſum primum quidem conſtituit lentum arcæ ædificatorem, vt vel ex viſis concepta formidine intuentes ad pœnitentiam attraherentur. Viſa verò res illis cauillationis materiam attulit, & in riſus occaſionem vertit res plena terroris. Noemum ſubſannabant, vt labore ſe conficientem, & diuinis obſequentem præceptis ludificabant. Ac fortè nonnulli quoque talibus inter ſe clamoribus eum lacerabant: Hic diluuij nobis vaticinator, hic contra diluuium armatur, hic lignis periculum propulſare deproperat, & aquarum inundationem ſperans, malorum, quæſit, inundatione circumuenitur, ſudoribus abundat afflictis labore membris, & nimis verax ærumnarum aſſertor prægustat

A mala inutiliter elaborans, quæque perfici nequeant. Feſti-
nationem adhibe, ſenex decrepite, ne tuam artem dilu-
uium properet occupare. Interea bruta diuerſi generis
videbant ad Noemum concurrentia, nec eorum bruta vi-
uendi ratio detorquebatur in melius: volatilium turmas,
vt ad commune quoddam hoſpitium & receptaculum de-
uolantes, remque adeo miram deſpiciebant. Contra tu-
multu, ac trepidatione complebantur omnia: cæterum
diluuij obnunciatio properè appetebat, cùm Deus præter
iſtas periculorum horas alias amoris indices proponit in-
Gen. 7. ducias, & rurſus pauxillulum procraſtinat dicens: *Adhuc*
enim & poſt dies ſeptem ego diluuium inducam. Hominum a-
more nequit expleri Deus. En quot ſalutis occaſiones ex-
cogitat, ſi quem fortè ſalutis cupientem inueniat? *Adhuc*
enim & poſt dies ſeptem. Sufficit mihi, vel breue tempus, in-
quit, ad peccatorum ſalutem. Tantum ad pœnitentiam
inclinent, & ſententiam retracto; minas abijcio, ſi eos ex
animo conſilia priora retractare videro. *Adhuc enim & poſt*
dies ſeptem ego diluuium inducam. Omitte laxam dilationem,
abſtinens eſto vel modicè præfinito tempore, vt pericu-
B lum effugias. In tanta, tamque iuſta ira tanta inerat Deo
erga homines amoris exſuperantia! Vt autem omnis crea-
turæ ars eluſa fuit, mentemque vitiorum caries depaſta,
quod ſupplicij reliquum erat, immittit Deus, peregrinis
aquis peregrinas obtuens ægritudines. Supernè cœlum
torrentes iaculabatur, infernè terra abyſſos relaxabat, &
dum aquæ emergebant, ad aquas elementares creatæ res
redigebantur. Nulla iam aridæ, mariſque diſcretio, vnius
fluenti alueo continebantur omnia, non iam ſcaturigines,
& lacus, non fontes cum voluptate fluentes; ſed immani-
bus vndis demergebantur vniuerſa, non germinum ſpe-
cies, & arborum flores, non vrbes, non planicies vlla, non
montium vertices, ſed omnia fluctus inter naufragium fa-
ciebant communi operta ſepulcro, frequentiſſimæ gentes
vna cum animi improbitate voluebantur in monumen-
tis: quæ enim viuentes ſe conſpurcauerant, ab ea mo-
rientes non merebantur abiungi. Ita diluuij ſagena com-
prehenſi, inter fluctuum vortices rotati, ac mutata cala-
C mitate puniti miſerando mortis genere ſurripiebantur: hi
confeſtim aquis oblimati, confeſtim mortui videbantur;
illi ſpirantes non ſine mali ſenſu longam excipiebant mor-
tem; alij modico durantes tempore longius morte cru-
ciamentum ſuſtinebant; quàm multi montium capita
incurſantes intempeſtiua fuga trepidationem inutilem o-
ſtenderunt? quam frequentes, qui ad arborum vertices
adrepſerant, comprehendebantur rapidiſſimè vndis ad-
uolitantibus? Inſtabat acerrimè diluuium ad alta quæ-
que ductum, à tergo ferebat omnia, donec ſimul omni-
bus implicatis idem mors eſſet, & tumulus; mortua cum
hominibus reptilia ſummis aquis innabant. Rationis exſors,
conſorſq; natura vna morte comprimebantur: canes cum
hominibus iiſdem operti fluctibus, ac deinceps prope in-
uicem circumuoluti communiter vitam ponebant. Noe-
mus verò ſolus per omnium gentium ſtragem vita frueba-
tur inopinata. Quemadmodum gubernator quiſpiam in
nauis meditullio fidei tractans gubernacula, & diluuio
circumquaque obſeſſus inconſumptus manebat, qui crea-
D turarum ſeruabat reliquias, qui Dei creaturis cuſtos ap-
poſitus erat, qui in arca velut arce ſtadium decurrebat,
qui creatura naufragium faciente placidè ſolus enauiga-
bat, qui fide, & ligno diluuioni vim afferebat. O res ino-
Gen. 7. pinabiles! Quomodo arca montibus illiſa non eſt? *Arca*
ferebatur, inquit, *ſuper aquas,* velut curriculo vndis inuecta,
non proſcindens fluctuum profunda; ſed equitans in ſa-
lo velut in ſolo, vice baſeos erat pelagus, & arcæ ſubſter-
nebatur inundatio quaſi via publica. Hoc fidei vehicu-
lum! hæc naturæ cuſtodia! O arca paradiſo firmior!
illic namque * cum alijs nauigabat ſerpens: illic lignum
mortis fuit inſtrumentum; hic lignum ſalutis fuit guber-
naculum: illic Adamum præuaricari docebat; hîc per-
fugio Noemum petit. O Noeme hominum progenitor
Adamo anteferende! ô imaginis Dei firmior adſerua-
tor! ô qui finis, vnaque principium naturæ fuiſti! ô fau-
ſtum humanitatis confine! ô qui tutior diuinæ bonitatis
fideiuſſor illuxiſti! ô, qui graſſantem per genus huma-
num exſecrationem ſtitiſti! ô impietatis exitium fidei- E
que radix! ô, qui obliteratum imaginis illius characte-
rem reformaſti! ô qui diuini operis ſemina reſeruaſti! ô,
qui naturæ cauſas in te complexus es! ô cuius ope redar-
ſit naturæ ſcintilla! ô diluuie violentior! ô fidei cuſtos tu-
tiſſime! tu enim inundata continente pelagus illius vi-
ce feciſti habitabile, repreſſiſti ſacrificio alterius diluuij
terrorem, recepiſti à Deo ſecuritatis futuræ pignora, à per-
niciabilium rerum expectatione creaturam vindicaſti, &,
vt Deo cordi ſit religio, patefeciſti, fuiſti apud Deum ma-
iore in pretio, idque fidei merito. O virtutis magiſter!
O, qui homines edocuiſti, quibus Numen honoretur, cui
gloria ſempiterna, Amen.

Eiuſdem in Noemum.

ORATIO VI.

NEque veſtræ audientiæ diuinorum ſermonum deſi-
derium in Deum propenſum defuit, neque, quem
noſtra verborum egeſtas creat, metum, imminutus eſt. F
Licet autem vos ex ea re virtutem humilitatis, demon-
ſtraſtis, quòd verborum pauperem deſideretis: nobis ta-
men argumenta non amplius ſufficere queunt diuinæ ve-
ſtræ appetentiæ. At qui quinque panibus totidem pauit
hominum millia, & diſcipulorum paupertatem Gratiæ
diuitijs erexit, ille & vobis per nos doctrinæ menſam ex-
plicabit. Nuper allata vobis ex Moyſe narratione, &
horrendi diluuij commemorata calamitate ad finem infi-
niti iudicij oratione peruenire non valuimus: ſed mun-
dum vniuerſum cum hominibus ipſis merſum reſpiciens
oratio, atque antè diluuium improbitate fluctuatum, &
naufragium paſſum eſſe, ipſa recordatione percuſſa ſi-
lentium tenuit. Quando arca naturæ ſcintillam velut vl-
nis circumplexa occultabat, quando cælum tanquam iu-
diciali voce reos inclamans tonitru crepitabat, quando
terram rurſus abyſſus, & tenebra obtinebat, atque in pri-
ſcam confuſionem mundus inclinabat, quando ſol nubi-
lus ceu mutis intercipiebatur, quando ſine luce curſum
explebat, & neque vlla erat lunæ gratia, nulla in conſpe-
ctu aſtra; ſed noctem nox excipiebat, & rerum vniuerſi- G
tas die erat viduata; terminique naturæ non ſine pertur-
batione contra impietatem armabantur. Sed hactenus
nobis ſterit oratio horribilis narrationis minimè fugiens:
nunc autem veſtris conſiſi precibus, de his iterum narra-
tionem adſumimus Scripturæ fundum ſcrutaturi. Scri-
pturam namque mari reapſe immenſo ſignis omnino ad-
ſimilet, non liberabit à vero. Nam & lectionis Scripturæ
facies gratiam profert, altitudo ratione menſurata immo-
dico ſtupore mentem ferit. Tantæ igitur contra impiatos
tempeſtatis excitatæ, cauſam primùm determinans hæc
loquitur: *Cumq; cæpiſſent homines multiplicari ſuper terram, &* Gen. 6.
filias procreaſſent, videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pul-
chræ; acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant. Quo-
modo hoc tanta pœna condignum: nam quarum erant
admirati ſpeciem, earum nuptias complexi ſunt. Siqui-
dem nuptijs legem antepone, & pulcritudo comperietur
à reprehenſione libera. Sed cum accuſet Scriptura, vt eius H
orationem perfunctoriè audiamus. Videamus facinoris
magnitudinem, vt quæ in eo vindicando reluxerit huma-
nitas, ediſcamus. *Viderunt,* inquit, *filij Dei filias hominum.* Gen 6.
Primùm quæri oportet quoſnam filios Dei ſacra exponant
oracula. Nonnulli igitur hîc Angelos ea appellatione de-
ſignari ſunt commenti, ex amentia vocem hanc mitten-
tes cũ natura pugnantem. Quo pacto enim, quæ ſine car-
ne eſt, Angelorum natura corporum cupidine caperetur?
Legibus enim congruentibus quamq; naturã opifex Deus
communiuit, & ſuis modis, ac terminis creaturę compactę
ſunt. Mortalibus itaque corporibus cibũ dedit pro fultura,
& ſucceſſione generis perpetuitatẽ molitus eſt, maſculum
figmentum, & fœmineum, ac figuras ad ſucceſſionem per-
quam appoſitas fabricatus. Inuiſibilis verò natura cibi
non indiga in marem, & fœminam ſecta non eſt, non
nuptijs, non nixu, non ſucceſſione generis propagatur.
Naturæ enim carne deſtitutæ nihil eſt cum corporibus

conſortij,

A conſortij, etſi Græci dæmonum nuptias fabulentur, & amores, quod profectò dæmonum artificium eſt. Eam dæmones ægritudinem ſermonibus extollentes, eius quoque affectus in ſe vim producunt, vt incontinentiæ flammam hominibus ſuccendant, & contra naturam ſuam ſuffragium ferunt, vt miſeros mortales amoris perturbatione debacchari faciant. Non igitur hîc diuinæ literæ Angelos tangunt. Immo neque Dei filius vocatus eſt Angelorum vllus; ſed hoc appellationis honore ſoli gloriantur homines. Nam in quibus imaginis refulget dignitas, in iis adoptionis gratia concurrit. Quid tandem quod
Gen. 6. ait? *Videntes filij Dei filias hominum.* Genus hominum diuino mandato diſtractum fuit. Siquidem duo ex Adamo ſuſcepti liberi Cainus, & Sethus originem ex ſe ſinguli naturæ dederunt. Cainus quidem fraternam dextram fraterno ſanguine cum purpuraſſet, lento tormento adiudicatur; poſt cædem ſpectatoribus ipſe de cæde lex exiſtit. Nactus verò progeniem in mores nefarios ſuccedentem reliquit etiam poſteros deuotionis hæredes. Sethus verò
B cum Deum ſuæ virtutis laudatorem inueniſſet, & ad Abelum moribus accederet, hoc virtutis præmium tulit, vt ſui filii, Dei filij vocarentur, & quæ naturam ſuperabat appellatio, dignitatem deprædicaret. Itaque etſi genere coniuncti, moribus tamen diſiuncti erant. Quemadmodum Iſraelitas poſtea lex à gentium commiſtione ſeiugabat, & decretum quaſi muro interiecto ab eorum conſuetudine ſeparabat, vt idololatriæ reprimeret imitationem: ſic & primis hominum eam legem Deus poſuit, per virtutis ab improbitate diſcretionem virtutem ſeruans impollutam. Filij Sethi ergo filij Dei nuncupantur teſſeram initæ cum Deo familiaritatis ipſam proferentes nuncupationem. Contra Caini liberi, hominum appellatione continebantur naturæ nomen ſortiti abſque vlla dignitate. Et duo generis riui ab inuicem diſtracti proruperunt. Verùm non parum interea fuit temporis, & Sethi poſteri partem adepti meliorem, & appellatione honorati, & paternæ benedictionis hæredes filias ex Caini poſteritate
C formoſas conſpicati, ſplendidas, & ornatu florentes, ſeruamque libidini rationem tradentes diuina calcant edicta, & exſecrabilium egreſſu fœdantur, fluxam & caducam voluptatem æternarum rerum votis anteferentes, adulterant indolem ſuetam virtutis ire vias, ac iniquitatis natura mancipatur. Nam cupiditati obſequentes, earum mores imitabantur; quod & Iſraeli poſtea contigit. Nam cum Madianitas acie deuiciſſent, capti ſunt amore muliebri velut in acie, & intemperantiæ pretium idolorum veneratio ab iis repoſcebatur. Ea verò ratione pro fructu impietatis nouam impietatem vindemiabant, cumque armis vincerent, oculis labebantur, haſtilibus cum ſuperiores eſſent, formarũ iaculis vulnerabantur. At Sethi filij generis ſanguine purgabantur: Caini verò poſteris nequitiæ purgandæ diluuium apparabatur. Iam ergo periculum creabatur, diluuium armabatur, & natura à ratione aliena cum rationali iudicabatur. Nam vna cum homine, quæ hominis cauſa producta fuerant periclitabantur,
D tur, & cadente Principe ſubiecti tollebantur, atque na-
Gen. 7. turæ auxilium, naturæ dominus Noëmo tradens, ait: *Ingredere tu, & domus tua in arcam, te enim vidi iuſtum coram me in generatione hac. Ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena & ſeptena, maſculum & fœminam: de animantibus verò immundis intromitte duo & duo.* Serua mihi conditionis nux reliquias, te rerum earum cuſtodem facio, eſto manus meæ diſcipulus. Verum enim verò dicat quis: Quam vero conſentaneum quædam eſſe munda, quædam appellatione immunda deturpari? Certè luculente prius exclamauit
Gen. 1. Propheta: *Viditq; Deus cuncta, quæ fecerat, & erant bona valde.* Quòd ſi Deus fingit, qua ratione figmentum immundum? Si enim omnia vna produxit vocatio, vnaque formauit manus omnia, quomodo quædam ſuapte natura honorantur, alia contra turpius appellantur? aut quomodo ſimul cum putis opifex non infamatur? nam opificis contumelia eſt operis vituperatio. Sed ſi appellationis rationem quæſiueris, ſapientiam inuenies Dei ea ſecernentis. Olim enim Hebræi Ægypto relicta idololatriç graueolentiam vſque adeo ferebant, vt debitum Deo cultum brutorum generatione commacularent: Nam apud
E Ægyptios ſuperſtitionis inſanitas pro lege obtinuit. Siquidem apud ipſos Ibis Deus lege ſtatuitur, & Canis, & cum iſtis Crocodilus ad ſacrificium affertur, & Ouis adoratur: Neque Hebræorum gens ab hac ægritudine deduci potuit; ipſa ſolitudo ægritudinem notificauit. Vitulum enim quod & in Ægypto factum, in deſerto loco adorabant, & mare ipſorum gratia præter naturam ſcindebatur; cùm interim populus ab impietate non reſcinderetur: ſed morum progreſſu transfugiebat in Ægyptum: Hic ſapientiſſimè Deus medicamentorum obicem oppoſuit malo, & brutorum animalium naturam diſcernens edictis, quædam vocauit Munda, quædam appellauit Immunda: vt hæc tanquam impurata abominati, illa velut munda excedentes per vtraque ſuperſtitione abſtinerent, euaderetque legis edictum animæ medicamentum. Fertque Deus creaturarum iniuriam nominetenus, vt hominum morbum ſanet, vt impediat idololatriam, quæ vſque ad animalia progreditur: Et immundorum nomenclatio-
F nem fert in creaturis, vt purum ab impietate cuſtodiat hominum propoſitum. Huiuſmodi igitur diſtinctionis cauſa opinione recepta eſt. Itaque propterea quod Mundum editur, facilè euileſcit, & id quod Immundum lege dicitur, appellatio veneratione ſpoliat. Occurram vobis cum Noemo feras capiente. Quod ſi animantium diſcrimen per Moyſem inuectum eſt, Noemus cum tempore datam legem præuerterit, vnde ea noſſe habuit quorum diſcrimen non accepit? &. Quo pacto eorum delectus ei credebatur, quorum diſcrimen doctus non erat? De Mundis, *ſeptena, & ſeptena, de Immundis verò bina, & bina,* ſeruare coactus. Ad quam quæſtionem illud quoque annexum eſt: Quomodo vnicus homo tot venator animantium exſtiterit? volucrium quæ in cælo: omnium quæ terra conduntur, animantium? terreſtrium, inquam, & volucrium, quorum ſexcentæ ſpecies? cicurum, ferarum? quæ partim celeritudine, partim robore, partim volatu prædantes effugiunt? Verum non hoc mandat Deus;
G ſed in apertam arcam iubet recipi, quæ eò confugiunt. Arcanus quidam erat impetus, & ſignum diuinum, ſuaque ſponte animantes concurrebant: Noemus verò conſtitutus erat, qui accurrentes hoſpitio exciperet. Accedentium autem notionem ex adſpectu habuit. Quæ ſe bina adirent Immundis annumeranda cenſebat: quæ verò ſeptena videbat ire, gregem eſſe mundum intelligebat. Nec animantium diſcrimen, quod metiebatur oculus, ſcribebatur; qui ex numero viſa condiſcebat, doctrina
vocis non egebat. Hoc declarans aiebat Deus: *Induces tecum*, Hoc eſt, Non venaberis, non te fatigabis, ſuſcipe confugentia, ne aufugientium prædas age: nam ad te ducam animalia, vt olim ad protoplaſtum. Tu verò pro paradyſo illis arcam pande. Eſto honoratior animantium dominus, quàm Adamus: dedit ille nomen, tu ſalutem confer. Cur ergo tandem Immundorum numerum contrahit, binaque iubet induci? cur, cum ſeruari genus præcepiſſet, mundorum numerum ad ſeptenarium vſque profert? Nam ſi naturæ reliquias ex æquo ſeruari volt, cur non æquabilem numeri modum ſeruat in vtriſque? Et Gen. 6.
profectò ſumma cum ſapientia! Quorum enim frequentior apud homines, vſus abſumente ſacrificio, eſu deſtruente, eorum benignior à natura copia eſſe debuit? Vbi verò quod reſiduum erat, per ſe ad creationis memoriam ſatis erat, ibi neque magnus numerus ad gentis conſeruationem conueniebat. Facile erat Deo, etſi conſeruatorum animantium curam abieciſſet, implere rurſus animantibus vniuerſum: nam eo loquente duntaxat, iterum ſobolis procreatricem ſit inuenire creaturam, facilè quoque res diluuio dilatas, ac diſſipatas vox vna miſſa ſuapte vi reſtaurarit. At non hoc agit: ſapienter admodum! Non communi exitio naturam damnat, ne nouam antè productis creaturam ſuperinducat, ne ſecunda formatio prioris ſit condemnatio, neue dum ab vna creatura ad alteram fit progreſſio, creator veniat in opinionem retractati conſilij. Fortè Creator alter mendaciter obtruſus fuiſſet hominum generi amicior, quàm prior: & eſſet artifex dubitabilis, ſi nullum eius antiquum H

A exſtaret monumentum. Idcirco creationis antiquæ ſymbola retinet, & res nouas ex prioribus auctum it, eſto, diluuio perquam damnoſa fuerit. Generis radix ſeruabatur, vt priſci operis prima iura cum dignitate retineantur, & opifex ex hominum amore diluuij refrenato impetu, & animali rationis compote altiùs euecto veniat in admirationem. Verùm age, quomodo arca capi poterant tot animalium genera? quomodo quæ ab ingenio inter ſe diſcordant, in noua ſecum fœdera concordabant? quomodo reptilium natura poterat eſſe pacata? quibus frænis inter ſe reprimebantur ferarum genera? quomodo carniuora cum herbilegis ſtabulabantur? cuiuſmodi, quantumque his omnibus pabulum? & vnde factum, vt aurum ſolidum adſeruatis eſſent contenta? &, quod his omnibus antecit, quomodo Noëmus arcæ fabricam concinnauit, cũ nauis compingendæ principium exſtaret nullum? quomodo lignorum genera diſcreuit, vt alia ſuper alijs cõtexta nauigarent? quomodo potuit arca contra tantam inundationem conſiſtere, vt etiam naturæ veſtigia ſeruarentur?
B Verùm naturam ſuperuadit ordinata concinnaque digeſtio: vt ratio, quæ ſupra naturam ſunt admirans, curioſiùs non inquirat. Arca mundi habitabilis ſimulacrum eſt, animantium depoſiti ſeruatrix, nauigans vrbs, creaturis grauida communem ſecum partum circumferens, vniuerſum mundum conceptum circum agens, aluus vnica varios creaturæ complexa partus, animatorum mater exanimis, turris diluuio valentior, murus montibus celſior. Dictis addamus admirabilius creatricis ſapientiæ monumentum. Æſtate cœpit inundatio, & elata eſt, montiumque vertices demerſit; hyeme adulta aquarũ abundantia remiſit: contrarium naturæ legi ſecuta eſt ordinem; vt ne quis ex poſteritate inaudito diluuio terrorem fortuitum opinaretur, neue imbrium nubem conciperet, & inundationem ſub horam hyberni temporis accidiſſe ratus formidinem minueret, & diuinitus allatam recreationem tempeſtatum ſucceſſioni malè adſcriberet. Propterea punitatis naturæ terminis, & ſoluta conſueti ordinis lege æſtiuum ſolſtitium cogit inundationi ſubſeruire, cęli contra
C per hyemem ariditatem excogitat, mira in vtriſque operatur. Et hoc pro ſua ſagacitate Moyſes admiratus menſes apponit, & adſcribit, dies numerat, & conuerſionum vices, quando exorta ſit inundatio, quamdiu aucta, quando contra ad quietem tetenderit, & quando deminutis aquis
Gen. 8. arca ſederit: *Decimo*, inquit, *menſe in montium cacuminibus requieuit.* Principium verò menſium nouit Scriptura paſchæ menſem: decimum autem appellat menſem, qui inter hybernos eſt medius, in quo deminutis aquis arca requieuit pro ſede nacta montium ſumma, ſedis celſitudine diluuij terrorem metiens, veteris ſupplicij monumentum recentes minas conſeruans, & communem gentium vindicem ob oculos poſteritati relinquens. Et in hodiernum vſque diem miraculum durat apud Armenios temporis ſucceſſione tranſmiſſum, & inacceſſis cuſtoditur montibus; oculis quidem eminus ſpectabile, ſed acceſſum loci difficultas negat. Diuinum hoc inuentum! vt adſpectus miraculi fidem conſeruet, vtque incredulorum manus dum non tangunt non paucillatim attentant, neque rem
D tam ſpectabilem labefactent. O arca virtutum ſchola! ô naturæ, dum periclitaretur, depoſiti ſeruatrix! ô ſcaphia admirabilis ligni ſalutaris vmbra, & imago! ô quæ crucis vſum nauigantibus præſtitiſti! ô quæ per tempus crucis gratiam prǫoccupaſti ſeruans in aquis, & ex aquis eripiens! ô quæ magnum iuſtitiæ nundinatorem liberaſti! ô quæ virtutis theſaurum abſque periculo tranſuexiſti! ô nequitiæ accuſatrix! Huius miraculi memoriam renueamus, ſimus amantes iuſtitiæ, abominatum ſcelus abijciamus, pœnitentiæ, quæ peccantibus eſt medela, conſilia tractemus, vitia lachrymis exſtinguamus, iram præuenıamus immutatione propoſiti, propitiandi Dei tempus, vt par eſt, inſumamus, credamus Deo ex amore noſtri nimio iu-
Ezech. 33. ranti: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur ad me, & viuat, cui gloria, Amen.*

Eiuſdem in Abrahamum.

E

Oratio VII.

DEi amanti & ſpiritali auditori Abrahami Deo amiciſſimi facinora memorabilia hodie denarrabimus, cui Deus obtigit amoris diuini agonotheta, natura autem aduerſatrix fuit animi paterni ſtimulis armata; arena verò fuit Iſaaci, dum armatam ferro dexteram ab amantiſſimo parente exſpectat, iugulatio. Athletam, quem ad tantam diuini huius amoris exercitationem prouocabat Deus, in medium terrarum orbis ſtadium conijcit multis ante virtutum experimentis velut in palæſtra eruditum. Nunc autem ad labores immenſos tanquam in communi populorum theatro cohortatur, vt ad hoc quoque certamen expeditus filius corona dignus à præcone pronuncietur, communemque victoriæ ſocium Deum capiat, à quo propterea ſit electus. Quale igitur ipſi primum pro- F
Gen. 12. ponit in palæſtra certamen? *Egredere de terra, & de cognatione tua, & de domo patris tui; & veni in terram, quam monſtrauero tibi.* Familiarium vinculis exemtus ades mihi, cognationes abrumpe, à natiuo ſolo ſecede, ſecede à patre, & patria, vince naturæ vires, ac retinacula, dum ad virtutem exerceris, *Et veni in terram, quam monſtrauero tibi.* Locum occultat, vt animi conſtantiam exerceat; metam celat, vt curſum contendat; cognitionem adimit, vt ad eius deſiderium exſuſcitet ſuſceptum in terra curſum. Denique de cælo teſſeram cape. Neque fuit exſequendo ſegnior Abrahamus, quàm imperando Deus: ſed cæleſtia imperia, vt data, cum alacritate capeſſiuit. Item diuitiarum dat abundantiam, nec heredem dat; ſed ſpe ſuſpenſum tenet, dum fidem exploret. Circumfluebant igitur vndequaque opes ingentes, ſed inopia naturæ partum negabat, & Saræ ſterilitas diuitiarum tantarum fructu prohibebat. Fluebant tempora, vt hæres erat; diuitiæ creſcebant, nec ſucceſſor ſperabatur; ſenium appetens liberorum ſpes accidebat; quam prolis exſpectationem ſterilitatis malum extinxerat, eam fides innouabat. Sterilis G venit in obliuionem ſuæ conditionis; natura dum ſpe renouatur, ſenectæ obliuiſcitur: accepta promiſſione habuit filium ante filij partum, & ſpes ipſa prius Iſaacum pe-
Gen. 15. perit, quàm alius. *Credidit enim*, inquit, *Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Vxoris infœcunditatem non, inquit, amplius ſpecto, non reſpicio corpus emortuum, promiſſum vtroque valentius accepi. Locutus es, & hæres in vicino eſt, ſpes ipſas res comitabantur. Eum Deus dedit, qui antequam naſceretur, erat in deſiderio. Abrahamus accepit, gauiſus eſt, domum amplexus eſt. In lucem infans prodijt ſidei excitandæ materies, & ſtadium apertum eſt amori in Deum. Ignorabat Abrahamus infante edito ſe ad alia ſeruari certamina. Filium namque Deus in materiam certaminis paraturus erat, ac per filium fortitudinem optimatis ad tabellam expenſurus. Vt enim increuit infans, ſuaque balbutie parentum ſauciauit amorem, ſimul increuit, quod in infante parentes deamarent, totuſque parentum amor indiuiſus in vnum conferebatur, & omnes generis ſpes in vno conſtituebantur filio. Ac H
Gen. 22. mihi vide deinceps patrem ad certamen euocatum. *Hæc vbi geſta ſunt*, inquit Moyſes, *tentauit Deus Abraham.* Quid enim? an athletæ periculum fecit, quòd eius virtutem ignoraret? ideone, vt animi propoſitum diſceret, eius ſpecimen Deus exſpectabat? Tentat ergo non ob ſuam ignorantiam, ſed vt iuſtum populis inuulget, vt ſerui virtutem pluribus faciat teſtatiorem. Tentatione purgat Abrahamum patientiæ ſimulacrum, vt nitidiori opere oſtentato ſpectantem rapiat in admirationem: nauiculam ventis agitat, quo gubernatoris artem magis admireris: Fluctuum ciet impetum, vt obſtupeſcas quam nulla tentatione moueatur: machinas admouet murorum firmitudinem oſtentans: naturæ fluctus in iuſtum ſuſtol-
Gen. 22. lit, vt amicitiæ diuinæ nundinatorem admireris. *Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Iſaac.* Arma naturæ exacuit, omniaque amoris ingeniti tela exhaurit. Nec enim ſimpliciter dixit: Redde, quem dedi, aut: Macta, quem

accepiſti,

A accepiſti, ſed: *Vnigenitum filium tuum, quem diligis.* Ferit animum amoris commemoratione, multiplicat appellationes, quibus flammam acriùs accendat, omnes eſt vndique eum naturæ nixus: *Atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium quem monſtrauero tibi.* (Gen. 22.) Neque cædis locum notum facit. Montium producit numerum capiens morum ſpecimen. *Et offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi.* Quomodo ad eam vocem non inhorruit? Quomodo non fuit animus vocis percuſſione contractior? quomodo filij iugulationem morte non anteuertit? O animi firmitudinem! non gemuit, non illachrymauit, non naturæ vi fractus eſt, non in varias partes conſilia partitus eſt, oris conſtantiam tenuit, non emiſit vocem parte dignam, qua filij iugulum petere abnueret, non dixit, quæ ab ingenio voluiſſet: O barbaricas præceptiones! ô imperia à naturæ legibus abhorrentia! filij iugulum repoſcor, & filij carnifex eſſe iubeor. Serus cùm fuerim pater, in filij cædem propere vrgeor. O cuiuſmodi in ſpes natum cariſſimum ſeruabam! Infœcunditatis malo ſolutus rurſum me improlem gemo. Non vſque adeo filij B orbitas antè luctuoſa fuit, quam nunc experto mihi. Nondum fructu filij ſaucius eum ignorabam, quo carebam. Nunc autem & naturæ obligatur, & amoris vi quaſi clauo confixus interemptionis dolorem non fero. Cur tandem, cur qui me, vt genitor eſſem, patricidium iubes admittere? Quid me partu delectari docuiſti? An vt deinde lugere duceres? Quid amorem mœrore commutas? Quid ex amore lamenta concinnas? Illiuſne filij ſanguine dexteram inquinabo, pro quo toties ego tibi manus extendi: Patriſne ſupplicationibus ante ſuſceptis patrem ad filij interemptionem obarmas? Domine promiſſa tua reſpice. Cui hæredem promiſeras, eum hæredi percuſſorem ſubmittis? quem mihi largitus eras ſucceſſorem, mactari poſcis? Ecce tibi, fili, mecum nuptiales epulas & thalamum agitabam animo, ignorans te cariſſimum igni ferroque ali. En aram pro thalamo, pro igne nuptiali aræ flamma. Vtinam nunquam filium rogaſſem! vtinam mea generandi vota C nulla fuiſſent! vtinam partum inopinatum nullus vidiſſem, vt ne ad bellum victorem inſpectatum! Et, quod mihi acerbiſſimum eſt omnium, auctorem me cædis eſſe iubet, atque à parente filium iugulari peroptat videre. Saltem hoſtium manibus dedatur, hoſtes iugulum petant, cædem perficiat dextera ab amoris nexibus libera. Parens verò eum ſim, id audire non ſuſtineo, iugulare nequaquam. Ferrum natura repudiat; ad rem tam atrocem faciendam dextera, oculi ſpectaculum refugiunt; quibus ipſe affectibus naturam obarmaueris, noſti. Nihil horum generoſo Abrahamo, ut excidit, aut in mentem incidit: ſed cui diuina iuſſa curæ erant, quaſi variæ ouis alicuius ſacrum exactus ad iugulationem comparabatur, neque ad naturam, quæ retardaret impetum conuertebatur. Silentium igitur ſubſidio comparans, totus erat in ijs, quæ Deus imperarat. Facinus tam audax Saram celat neque ad matrem effert mandata. Quamobrem? Illa quidem inquit, amans Dei eſt, ego quidem eius animum ſuſpicio, D at ingenium vereor. Intuetur matris in Deum propenſionem, at metuo affectum in liberos: Dei amans eſt mulier; ſed mater eſt. Mulieres naturæ impotentia deuictæ res importuna. Vereor, ne pueri furto materiam ſubtrahat obſequendi Deo iubenti; vereor, ne lachrymis ſacra fœdet, ne puero complorato iniuriam imperanti arroget, ne vultu contuſo ſacra diſſiciat, Deoque vim afferat, ne mente infracta, rei tam obſtupendæ gratiam ſpoliet. Ego poſt iugulationem lamentantem alloquar, ego eolam plorantem hiſce verbis: Deſine lamentari, ne fle puerum ipſa iugulatione cohoneſtatum. Donum erat vltroneum infans non ſine dolore partus. Filium non tollit parens, ſi plùs prodeſt, neque temere ferrum iter per mediam ſobolem. Auſa ſacrum facere dextera, beneficium ſpondet. Quem Deus dedit, repetiit: quem formauit, requiſiuit: quem rogatus dederat, rogans recepit: nequidquam impediet, quominus reddat, cùm ita viſum erit. Nam qui eum, cùm non exiſteret, dedit, vel morte proſtratum vltro dabit. Qui tibi aluo effœta matrem eſſe conceſſit, & puerum ingulatum remittet ad vitam. Quodque ad ſolatium valet plurimum, ô mulier, is cuius in poteſtate eſt filius, vt mactaretur, flagitauit. Vitulum nuper obtuliſti, Iſaaco oblato ecquid bonorum non ſperes? Tali oratione tanque generoſa ratione ſemper naturæ obloquentis os obſtruens, mentemque exacuens, ac manum confirmans de ſuis extractam viſceribus victimam capit, curſu contendit in montem pedem ſeneſcentem iuuenili curſu promouet. Naturam, & afflictionem pertinaciter aſſectio, nec non pietatis contentio ſenium, omniaque palam ardori in Deum inflammato cedebant. Exſiliebat in montem, ſacrificij adiutricem victimam ipſam ſumens. Ipſe enim ignem, & gladium manu tractabat, lignisque victimarijs Iſaacum victimam pulcherrimam aggrauabat & auxiliatrix ſacrificij ſuit ipſa victima. Simul enim cum patre Iſaac ſacrificium faciens, & cum genitore curam partitus interrogatione profert, quæ patrium animum exulceret: *Ecce*, inquit, *ignis & ligna: vbi eſt victima holocauſti?* (Gen. 22.) Iterum patri velut obliuio in memoriam redigit: Vide pater, ne tuæ alacritatis celeritudo, rei, quæ deſit, ſenſum ſuſtulerit. O vocem, quæ patris alterius cor medium F inſtar teli, diſſecet: Abrahamum verò ne attingit quidem! Siccis oculis ad filium reſpondet, & ſacrifici, non patris, voce vtitur. *Deus*, inquit, *prouidebit ſibi victimam holocauſti.* (Gen. 22.) Imprudens, quod futurum, antedicit, ac dum eludit filium, vera loquitur. Quem filium nominat, quem inſtar ouis offerre feſtinat. Qua ratione vocem rupit? quibus è viſceribus reſponſum expromſit? quæ locutura lingua non obſtupuit? qui non & gemens, & filium amplexus abiecit præ luctu ſacrificij ſymbola? Iam tandem in montis vertice ara parabatur, addebantur ligna, Iſaacus vinciebatur, gladius rapiebatur. O ſpectaculum formidandum! amor in prolem, Deique dilectio iudicio contendunt, & iudex exiſtet inſtar Abrahamus, ac enſe ius dicit, victoriamque Dei dilectioni tribuit, conſignat ſanguine, teſtemque victoriæ ſacrificium facit. Quomodo non obriguit manus? cur non captam machæram ingemiſcens deinde proiecit? O amoris diuini vim. O G pios ignes, qui amoris naturalis flammas peruicerint! Verum ille maſcula fortitudine dexteram in filij iugulum extendit; ſupremè verò miſſa vox manum ſiſtit viocitque, vox iugulationem antenertit, & citè ad aures accedit vocatio, quam in ceruices gladius incubuerit. Vox mittebatur, & manus ligabantur. Ruentem ad iugulum feriendum dexteram deſuper tenet, ingeminat vocationem, vt manum comprimat. Totum enim in opus intentum, & qui tantillo abfuit, quin in filij ſanguine ferrum mergeret, cohibet, appellatione conuertit, verbo frænat impetum, tanquam fræni impatientem equum ad ſe attrahit. *Abraham, Abraham.* (Gen. 22.) Qui tandem conuerſus: *Adſum*, inquit. Num ſacra mea lentitudine defœdaui? Quid ergo vox? *Per memetipſum iuraui, dicit Dominus; quia feciſti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicentur in te, & in ſemine tuo omnes gentes* (Gen. 22.) Vnius filij nullam rationem duxiſti, orbis terrarum pater eſto. Cum Iſaaco gentes habe filias, vnius ſacrificij merito orbem terrarum, pater eſto gentium. Siquidem pater eris Chriſti cuius in poſſeſſione gentes ſunt. Pro vnigenito tuo ouis H fiat ſuccidanea. Meus vnigenitus, quem agnum geſtauerit, tradet in mortem. Ne vnigenitum tuum tangat gladius: nec enim crux vnigeniti mei deitatem tanget. Circa ouem ſacrificatio verſetur, circa diſpenſationem Chriſti paſſio. Ouis, & caro configatur, ne quod imitandum perturbes, cum morti obijciens, qui vna eademque tecum natura eſt. Ouis, quæ agni in crucem ſuffigi fert imaginem. Vide arietem tanquam in cruce pendentem in frutice. Is clauos præſtolatur, is eſt victima mundo ſalutaris.

Patitur enim templum habitantis Dei ſecundum
ipſius vocem Domini: *Soluite templum hoc, &* (Ioan. 2.)
in tribus diebus excitabo illud, cui
gloria ſempiterna,
Amen.

A

Eiuſdem in Ioſephum.

ORATIO VIII.

Longa maria traijcentibus ad curſum regendum pro teſſera ſunt aſtrorum vndequaque ſplendentium motiones, & gubernator incumbens gubernaculo tollit in cælum oculos aſtrorum motibus aurigans nauem, curſumque per mare cæleſti lumine contorquens fertur in portum. Qui verò vitæ pelagus rectè ſtudent percurrere, ac vitæ ſecundum Deum inſtitutæ deſiderant ſecare fluctus non aſtra ſpectant; ſed chorum iuſtorum inſpectum eunt, ac eorum viuendi rationibus veſtigijſque incumbentes quaſi compoſito gradu ſuam ipſorum vitam dirigunt. Non enim nauigantes tot periculorum adſultus circumſtant, quot vitæ caſus, & incommoda virtutis mercaturam facientes exhauriunt. Quis namque iuſtorum nauigationem hanc tranquillè nauigauit? Primus Abelus amator fidei à fraterna manu dilaniatus eſt. Noemus poſt diuturnam ſe in Deum impiantium improbitatem, annũ ſolidum vndis iactabatur. Abrahamus ob Dei caritatem ſprenit naturæ leges, dexteræ ſuadens potius parricidium facere, quam Dei iuſſa detrectare, Iſaacus, vt colligata victima ferebatur. Iacobus procul à parentibus fugabatur, fraterno terrore alienatus à parentibus. Verùm ad probiſſimum Ioſephum noſtra peruenit oratio, cuius Scriptura pulchritudinem admirata expreſſos pro virtute ſudores deſcribit, vt ijs inſcribantur, qui in Ioſephum oculos defixerint. De quo Dauid cantu perſonans mirabatur: *Vt erudiret Principes Ægyptiorum ſicut ſemetipſum, ſenes eius prudentiam doceret.* Quot cum periculis iuuenis pro virtute retinenda colluctatus eſt? quot fluctuum excuſſit inſultus? quot præcipitia abſque ruina tranſilijt? Nonnulli profectò ſolam iuuenis temperantiam obſtupeſcentes eius ſolius laudationi vacant, & oratione circa virtutem vnam occupata vniuerſum concertationum examen in anguſtum redigunt. Quod ſi quis certa via progredi velit, & prima certamina ante vltima animo ſuo repræſentare, ab ipſius domeſtica virtute ſtadium ſibi comperiet explicatum. Et primum à fratribus bellum obortum eſt: nam imperans illis inuidia naturæ perſuaſit in ſeipſam inſanire. Inuidia cædis parens honeſti ſtudijs ſemper ſauciatur! At quæ inuidiæ cauſæ? Patris caritas aduerſus filium filios exciuit, & cariſſima pignora inuidentia ebria contra ſemet incendit ſeditione. Scriptura verò modum amoris immodicum admirata affectionis illius cauſam inuulgat: *Iſrael enim*, inquit, *diligebat Ioſeph, eò quod in ſenectute genuiſſet eum.* Quod ſi Beniaminus filiorum Iacobi poſtremus, & ſenectuti vicinus erat, & pariendi finis: quomodo Ioſephus inſuper filius ſenectutis appellatur? At ſenectutis filius eſt, qui ſenectutem accurans, & ætatis patriæ laborem cura alleuans, ſpe ſenectutis fouendæ naturalem amorem ſibi conciliauit, & obſequio ardentiorem meſſuit dilectionem futuram occaſionem grandiori certamini. Fratres enim inuidentia percuſſi turgebant, neque notam ex inſomnijs pueri felicitatem ſuſtinebant: ſed & vſque ad ſomnia inuidiæ ſtimulum extendentes, accepta occaſione necem meditantur, necnon ab amplexu patrio puerum auulſum aucupati tanquam reum mortis montanæ ciſternæ credunt. Quæ ciſterna fratrum inuidiam humanitate ſuperauit: nam ab aquis vacua ſaluum ſeruat Ioſephum, vt cetus Ionam inter fluctus. Conſilia vero de interfectione venditio excipit, ac velut aliquod cædis ſpolium fratrem fratres tradunt, amorque pecuniæ necis excuſſa cogitatione Ioſephum eodem cum illis ſatu editum à morte in apertam ſeruitutem vendicauit. Ita ſolet inuidia cum inuiſis humaniter agere. Verùm (ó diuinam prouidentiam!) verax eſt, *qua comprehendit ſapientes in aſtutia eorum.* Nam inuitis illis ſomnijs per imprudentiam inſeruiunt, inuiti Ioſephi ſomnijs operam commodant, viam, qua vera euadant ſomnia, venditionem moliuntur. Cum enim Dei conſilijs aduerſari voluerint homines, concedit Deus libidini obſequantur ſuæ, ſinenſque cogitata in lucem venire, mores publicè infamat. Seruos ſuæ intentionis vel inuitos facit, vt quæ impedire voluerint, palam conficiant, & per eas artes, quibus moras iniecerant cooperatores reperiantur, quò & bellum ſimul inferre, & ſimul ſeruitutem ſeruire comprobentur. Sic Ioſephi fratres vſque ad ſanguinem contra ſomnia pugnantes nundinatione ſomnia ad effectum perducunt, & inclementes cognati ſanguinis nundinatores conſtituti, pòſt paulo ſui concitata commiſeratione victus emptores euadunt, & obiectos per ſomnium manipulos exoſi, non multò pòſt verorum manipulorum ſupplices rogatores extiterunt. Illi naturam cauponati, vt rebantur, abiectum pro notho puerum damnant ſeruitute. Immo in ſpeciem cædis veſtem compoſitam, quaſi ſine ſanguine inuidentiam nequeant extinguere, patrijs offerunt manibus morte mentita ad verum luctum ſenem incendentes, & caritatis pœnas à generatore repoſcentes. Hoc Ioſephi certaminum caput eſt. Perferens autem adoleſcens læto animo prima periculorum rudimenta munerarium honorat. Enauigatis autem inuidiæ fluctibus Ægyptum occupat, & ſeruus euadit corpore, cuius animus nulli ſeruitudini poterat eſſe obnoxius. Non vna cum habitu animi nobilitatem exuit, neque violentis malorum procellis libertatem dedecorauit. Neque enim pro rerum euentu alios induebat animos, neque per ſeruitij conſuetudinem paullatim libertatem exuit: verùm erat vel in ſeruitute nobilitatis Abrahamiticæ progenies. Fratrum odia excipit mulier habens amores impotentes, ac odijs immaniores, quibus cum Ioſepho certamen fuit, & contentio non abſque corona. Certamen tale: Luctator adoleſcentulus, ætas eiuſmodi, quæ temperantiam prodat, quæque voluptatis violentia facilè capiatur; ſeruitij humilitas vel generoſos animos deprimat; dominæ adulationes perpetuæ, quæ ſpe varia conſtantiam ſoluerent. Taceo externas mulieris artes, fucum, verba, veſtes, oculorum pellaciam, lecythos vnguentarias ſe naribus inſinuantes, animæ per auris obſidionem, naturales corporis infractiones. Nam per omnes ſentiendi vias ibat quidquid illecebrorum, omniaque adoleſcentem vnum in ſcopum ferebant. Verùm qui tot vndique iaculis petebatur, vnum contra omnia telum memoriam tenuit creatoris. Quare illa ex ſomni adſpectu, Ioſephi temperantiam prædari ſperabat, temporibus inſidiabatur, opportunitatem obſeruabat, iugiter adhortabatur. Namque affectibus diuendita, dum caſtum in vnam eandemque ſecum intemperantiæ pertraheret ſeruitutem, expectabat. Porro mulieris inſidias adiurans diabolus ſolitudinem hominum per dæmonis feſtiuitatem inuexit. *Accidit*, inquit, *quadam die, vt intraret Ioſeph domum, & operis quidpiam abſque arbitris faceret, & illa apprehenſa lacinia veſtimenti eius diceret: dormi mecũ.* O quanta continentiæ dignitas! quanta grauitatis corona! Vt ſeruus venditus eſt, & vti domino domina ſupplicat. O quanta eſt intemperantiæ labes! ſiquidem ſeruo dominam ſeruam ſubijcit. Nam quæ amoris iugo quaſi per venditionem animam ſubiecerat, externæ quoque dignitatis iacturam fecit. *Dormi mecum.* O tyrannidem ineffrænatam! Captiuum caſtiſſimum Ioſephum tenet, & verborum adulationi manuum violentiam admiſcet. O malum nullis curabile machinis! ó calamitatem inextricabilem! Medijs in retibus pro præda iuſtus apprehenditur. *Iuſtus autem quid fecit*? Intelligamus, quæ ſint in periculis artes temperantiæ, & cum ea diſcamus vincere. Primum laſcinæ perturbationi conatur os occludere, & verborũ grauitate refrænare mores effrçnes. *Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo ſua*, &c. Curatorem me domus ſuæ patrifamilias conſtituit, ſeruos ſubiecit, in manibus pecuniam tradidit, curas meas ad proprias vſque poſſeſſiones explicauit. Quid igitur ego, cui pecuniarũ cura cõmiſſa eſt, eum cubilis iure ſpoliẽ? Cuius ego poſſeſſiones cuſtodio, lectũ dedecore polluam? qui cũ beneuolentia opes tueor, hac in parte inimicũ me geram? Quomodo Deum ſuſpiciam? quibus oculis tam bene merentẽ contemplabor? quomodo id agam? mulier, quod loqueris, horreſco, & tu opus ipſum poſtulas? Hac voce haud aliter

Margin: B; *Pſal. 104.*; C; *Gen. 37.*; D; E; F; G; *Gen. 39.*; H; *Pſal. 10.*; *Gen. 39.*

aures mihi

A aures mihi vulnerantur, quam gladio: Quomodo agam?
quomodo cõſpurcatas aures medicabor? quomodo tuo-
rum verborum abſtergam inquinamenta? Talibus tem-
perantiæ amuletis vſus, vir iuſtus feræ libidini ardenti per-
ſuaſit nihil: illa contra manus in eum iniecit armatas li-
bidine. Præſto autem aderat mulierculæ amuleto diabo-
lus, qui & adulterij muoeratur erat, & laſciuiæ nympha-
gogus: ignorabat vtique tamen ſe aduerſus temperantiſ-
ſimum athletam luctam ſuſcepiſſe. Tenacibus manibus
retentam permittens veſtem, libidinis effugit anſas, fuga
vſus pro armis (& hoc fortitudinis?) tradit veſtem, vt
temperantiam teneat, ſtrenuuſque miles virtutis ſta-
dium nudus decurrit, denique nudatur veſte, ne nude-
tur à temperantia. Luxuriæ vero dux diabolus vna cum
muliercula deuictus alio rurſus arma vertit, amorem in
iram conuertit, & ex impudenti deſiderio procudit ar-
ma, linguamque accuſatricem ſuſcitat, illa veſtem oſten-
tans fidem facit. O inexſpectatam maledicentiam! ô
B inſaniam barbaricam! Cum pallij, quo manus accuſen-
tur, ſit geſtatrix, linguæ accuſanti creditur. Et in carcere
Ioſephus habetur, ſeruus ſimul ac vinctus. Verum flu-
ctibus tantis circumſtantibus iuuenis exhauſtus incon-
ſumpto animo perdurat. Nec enim vocem iecit ægreſcen-
tu Dei ſolicitudinem incuſans: Hoc, dicens, pro virtute
boſtimentum? hic animi fructus temperantis? hæc curæ
in patrem merces? inuideri, vænire, barbaris ſeruire?
Pro domo carcer, etiam ferrata compede teneor? Noſ-
ne adulterio ſuperiores ad pares cum mœchis pœnas ſer-
uamur? Horum nihil effutijt; ſed contra omnia patien-
tiam obiecit, gratoque animo pericula ſuſtulit. Atque et-
iam tacens condemnabatur iuſto iudici iudicium reſer-
uans, & linguam ſilere docuit oculis immortalibus vltio-
nem concredens. Si hoc admiraris, mi dilecte, quod ma-
ius eſt, obſtupeſce. Vide adoleſcentis magnanimitatem,
vide diuinæ Philoſophiæ celſitudinem, vt huius animi æ-
mulus conditori placeas. Quando talia perpeſſus, ne ver-
bo quidem iniurias vltus eſt, neque in eos, qui illum a-
cerbiſſimis vndique calamnatibus inuoluebant, vocem
emiſit acerbiorem. Conuerſabatur enim in carcere cum
C regijs captiuis, quib. cum inexplicabiles ſomniorum re-
ſoluiſſet ambages, caſus ſuos recenſere cogebatur, & ſuo-
rum vinculorum cauſas exponere & ait: *Quia furtim ſubla-
tus ſum de terra Hebræorum, & hic innocens ſum.* Quæ lingua
pro dignitate eam dilaudet orationem, qui verborum
quoque humanitate cum inimicis vſus eſt, non inuiden-
tiæ recordatus, non fraternam incuſans crudelitatem, nõ
venditionem recenſens, non mortem meditatam expo-
nens, non mulieris immoderatum amorem, non ſuam
temperantiam, non illius importunitatem? O Dauidis
lingua, quæ hoc in carcere meditabaris: *Domine Deus meus,
ſi feci iſtud, ſi reddidi retribuentibus mihi mala.* Sic ſic ille per
omnes virtutum gradus pedem promouens, ac velut in-
ter ignes tentationib. colliquefactus, & probiſſimus ath-
letes exiſtens præmium virtutis regiam tulit dignitatem.
Carcerem thronus excipit, & fit Ægypti dominus adul-
teræ captiuus, annonæ cuſtos & modiperator in fame.
Nam inuidentiæ fraternæ penes eum poteſtas & iudiciũ,
fertque conuictus domeſtici ſocios, ſui nundinatione
prima altos, & oblati per quietem manipuli eriguntur. Ac-
D cepta igitur vlciſcendi poteſtate, videamus qualis fuerit.
An tunc, qui exſplendeſcebat, virtutis characterem ob-
ſcurauit? num ea dignitatis occaſione præclarè factorum
labes, & ruina ſubſecuta eſt? nequaquam. Cum enim in
manibus haberet homines iniurios, & punire non fratres,
ſed hoſtes potuiſſet, quid agit? Vide inuſitatam vltionis
formam. Inuidiam, venditionem, belluinamque im-
manitatem humanitatis obſequijs vlciſcitur, terricula-
mentis ludicris vtitur, minas quaſi in ſcena conſequitur,
iras hiſtrionicè repræſentat. Sed nec ipſam iracundiæ ſi-
mulationem ſuſtinens lachrymis non fictis actum pagit,
& ſuorum deſiderio victus euulgat, quæ fingebat. Iniu-
riarum defenſionem qui eas patiebatur, quærit, & affe-
ctum animi expromens ſincerè fratres amplectitur, ger-
manisque labijs eos oſculatur, qui dentibus inclementer
lacerauerant. Habes Ioſephi vitam omnigenæ virtutis e-
uditricem. Vidiſti patriæ ſenectæ cultorem diuinis præ- E
ceptionibus inhærentem, oſores amantem, noui teſtamẽ-
ti conſeruationem enuntiantem, manſuetum mancipiũ,
& perpetientem ſeruitutis ſine diſpendio libertatis, ictum
heræ oculis, & amore temperantiæ ſuperantem impoten-
tes amores, calumniæ petitum, & conſilentem, in pote-
ſtate humaniſſimum, & in dominatu mitiſſimum diuinæ
bonitatis imitatorem. Qua imbutos diſciplina vtinam
nos ſuper cæleſtib. bonis digni ſimus in Chriſto Ieſu Do-
mino noſtro, cui honor, & poteſtas in ſecula ſeculorum,
Amen.

Eiuſdem in Moyſem.

ORATIO IX.

MVlta ſunt, quæ ad laudem Dei homines moueãt;
multa, quæ ad gratiarum actionem bene animatos F
impellant. Nam quocunque oculos quis circumferat,
beneficentiæ fontes ſemper patere videt. Sol ad imperiũ
diuinum excurrit, ac per terram incedentibus radiua ef-
fundit: luna faciem lucet, & noctis horrorem lenit, creſ-
cit, ac decreſcit pro ſua inconſtantia, itaq; aeris tempera-
tionem bene temperatam efficit: ſtellæ cæli decurſu tem-
peſtatum ſigna hominibus exſiſtunt: Terra pro fulcimen-
to pedes ſubit, poteſtati vſibuſq; hominum ſubſtrata eſt:
e micantes verò fructus vni producit homini. Nametſi
brutæ animantes in huius muneris communionem ve-
niunt: homini tamen principaliter menſa telluris ador-
nata eſt. Idq; probe lyricen Propheta nouit, dum lyram
pulſat: *Producens*, inquit, *fœnum iumentis, & herbam ſerui-* Pſal. 103.
tuti hominum. Beſtiarum genus aſit, & hominis famulitiũ,
quod eorum alimenta hominis ſint honeſtamenta. Qua-
re horum cauſa gratiam debet ſolus homo, & gratitudinis
aduerſus Dominum ſolus eſt debitor, multa ſunt, inquã,
quæ hymnos creatori concinendos moueant: verum a-
nimi vitio fit, vt homines ſæpe bene merentem Deum vt
inſidiatorem accuſent. Nonnulli beneficiorum cauſas i-
dolas affingunt: alij ad malè dicendum linguam excitant: G
quidam cum diuina prouidentia bellum gerunt impru-
dentiſſime: nec deſunt, qui rationum machinis diuina
conſilia comprehendere violenter affectent. In ea quæ
dicimus teſtes proferantur, quæ per Ægyptum acta, Pha-
raonis in Deum contumax rebellio, Moyſis generatio,
quam Ægyptij bello conſecuti, propoſito ceciderε. Nam
admiratus olim Deus animum Abrahami religionis ergo,
mores compenſat generis nobilitate & patrem multorum
ſcribens arenæ maris, & cæli ſtellis filiorum numerum co-
æquauit, promiſſa re affirmauit. Obſecũdaos autem crea-
turi ſuo natura numeroſiſſimam ſobolem regerebat. Æ-
gyptus interim cum Deo deprœliabatur, & contentiusè
cum Deo agens Pharao generis amplificationem minue-
te aggrediebatur: *Venite*, inquit, *ſapienter opprimamus eum:* Exo. 1. v.
ſi maſculus fuerit, in fluuium iacite: ſi fœmina, reſeruate ad vitam. 10. & v. 16.
Vt maſculam ſobolem cum nonnulla condemnat huma-
nitate, partim dum cauſas generationis accidit, partim
dum ventris progreſſiones exſpectat edicto. Et regis edi-
ctum quamlibet naturam velut obſidione concludebat,
eratque facinus perquam inſolens. Quod Dei manus ef- H
formabant, regis manus aquis obliterabant: Vbiq; erant
genituræ ſpeculatores, & fluuius natorum carnifex con-
ſtituebatur. Lex ſeruabatur, & natura mulctabatur, & ſi
qua periculi redemptio, iudicio erat obnoxia. Parturæ
damnabantur, & partus explorabantur, naturæ quoque
libertas ſpoliabatur. Fluuius partum inſidijs excipiebat,
& matris aluo fluminis alueus ſuccedebat. Fœtus recens
editus ac nõdum ſolare iubar contuitus ad fluuij dolores
tranſmittebatur. Rem ſanè commiſeratione digniſſimã!
Infantium iugulator erat fluuius, pariter & ſepulchrum
ac genitus morti coæuus, ſtragesque cum generatione
concurrebat, quæque matres ad partionis vſque mole-
ſtiam proceſſerant, genitrices fieri deprecabantur; quod
pactum futurum ignorarent, ſtare ſuos dolores præo-
prantes, & mortem ante pactum oppetere geſtientes, vt

A ne fluuio genuiſſe viderentur. Partus illis ante partum luctum pariebat, & poſt conceptum partumque ventres fructu priuati reperiebantur. Nec quæ in partu ta erant expertæ dolorum ſpicula, fructum commonſtrare poterant: pariendi moleſtiam ſufferebant, nec vllum ex doloribus fructum capiebant. Immaturi naturæ racemi vindemiabantur. Talis erat hominum cum Deo contentio. Impedire ſe tantiſper ab hominib. patiebatur, & promiſſioni ſuæ (de Iſraele liberando) animaduertens iniuriam obijci, ferebat, pœnitentiæ ſpe ſupplicium differens procraſtinanſque punitionem vt ſenſum notitiamque ſui daret Aegyptiis. Videns autem malè pertinaces animos, machinas in omnem partem verſat: Moyſe genito apparat, vt generationis prohibitor Pharao eum alat. Poſt partum enim parentes comminationis metuentes partim timore, partim deſiderio obſequuntur ſuo, & cum capſa eum cõfluenti credunt conſilij ſagacitate, perinde ac muro, eum munientes. Fertur ille expers periculi per fluenta contra inimici edictum ſeruatus. Dei vero iuſſu infans, cuius

B virga futurum erat, vt non multo poſt ſecaretur & mare, fluuius parcebat: infanti fluuius parcebat, cuius ipſe quoque virga percuſſus ſcaturigines in ſanguinem tranſmutauit. Nauigante igitur præter exſpectationem infante, iniqui legum poſitoris filia ſpeculatrix mittitur, quæ capta ſpectaculo matris affectum induit, & abſque periculi timore Pharaoni contubernalis fit infans. *Verax, qui comprehendit ſapientes in aſtutia eorum.* Qui Pharao per legem iugulabat, qui parientes non ſinebat eſſe matres ei, quæ non pepererat, dat eſſe matri. Infans ſaluatur, lex ſolum puerulo imperare non quita. O arcanam diuinamque admodum gubernandi rationem? Aliter contra Ægyptius humanitatis legiſlator alebatur Moyſes. Procul terror, & contra naturam conſtituta iudicia. Natus puniebatur, & generatum eſſe crimen erat, quodque in matrice proceſſerat, pœnam ferebat, & lex Ægyptia cum naturæ lege pugnabat: intro vero verſatur Moyſes eorum inter vlnas, a quibus erat iſte terror, & legi de infanticidio vitam oſtentat repugnantem, Pharaoniſque tyrannidem calcans ab iis, qui calcabantur, amabatur. Cum verò succreuiſſet in-

C fans, ad ſuos transfugit, & regiæ dignitatis ſpes excutiens Abrahami cognationem affectauit, impiiſque diuitijs piam paupertatem duxit potiorem. Neque verò ex viuendi institutione animi vitium traxit vllum, aut per tempus mores alius: ſed amans erat diuini cultus, deditque Paulo occaſionem hæc de ſe loquendi: *Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem.* Hinc ira regi ſpecie pietatis commixta. Interim Moyſes locum demutabat, non mores. Oues in monte paſcenti conſpicuus Deus obijcitur. Illi enim conceſſit Deus paſturam agere, vt ex pecorum paſtore Iſraelis paſtor crearetur, vtque poſt artem paſtoritiam in modicis exercitam tribuum ſuorum principatum ei crederet. Agenti inter pecora Deus obijcitur, & multæ viſionis præmium pro ſuſceptis religionis cauſa laboribus condonat. Ecce ignem monſtrat in rubo ardentem ignis effectu ſepoſito, quippe flos igne coronatur, viliſque planta ſuccenſæ flammæ obſiſtit. Vox ferebatur, quæ Moyſen contra Ægyptios armabat imperatoria pro populo data teſſera. Quibus Moyſes rebus incitatus populum depoſcebat exſolui. Sed obluctante ruſum Pharaone flagel-

D lis diuinitus immiſſis Ægyptus vapulabat. Ibi flumeo virga percuſſum purpuraſcebat: ibi ranarum vndantia per Ægyptum agmina: è cœlo locuſtæ in morem modumque nubium volabant. Ruſus tenebræ lumen euincebant, & diurna tempeſtas inutili noctis impendio conſumebatur. Ibi grando cum igne conferta ruebat, & quæ ab ingenio diſcordant, ita præter naturam concordabant, vt naturalem diſcordiam contra Ægyptios verterent. Ibi mors primatum primogenitos non ſine dolore depaſcebatur, & natorum ordo fiebat ad imperium mortis. Nec vero iſtius vindictæ curſus antè potuit abrumpi, quam virga percuſſum mare hiſcer, illis ſepulchrum fuerit; & mare continentis inſtar viam Abrahamitis aperuerit; cæterus fluctus hauſerint. Quod erat nauigabile calcabatur, & puluerulenti pedes hominum profunda maris

E percurrebant. Ad hoc prorſus exemplum Deus inimicos fortiter, diuque fert, vindictæ dilatione præfinitum ſpatium pœnitudini tribuens. Vbi vero humaniora remedia minimè ſuccedere viderit, à medico prouocat ad iudicem, & conſiliorum ſuorum ſpretores ſupplicijs reuocat ad frugem. Sic igitur Ægyptios Deus vlciſcitur: at Moyſes populi magiſter creatus diuinæ cognitionis documenta tradit. Volebat enim egreſſos de Ægypto nullum impietatis Ægyptiacæ ſecum exportare viaticum. Hic eſt conſcriptor arcanorum creaturæ, qui mundi conditionem libro complexus eſt, qui longè lateque vagantem per creaturas impietatem compeſcuit, qui crimine creaturam exſoluit, qui primus autorem vniuerſi Deum eſſe hominibus inclamauit, fuitque autor, ne à creatoris cultu ad creaturam adoratio transferretur, qui non adorare conſeruum edocuit: *In principio*, inquit, *creauit Deus cælum, & terram.* Si tibi, ô dilecte, in admirationem veniunt creaturæ, adora creatorem: ſi gaudes creatis, creatori ne dedecus afferas; caue etiam, ne conditoris gloria res conditæ circumfluant. Namque dignam creato-

F re reuerentiam non admittit creatura: tantum honorem, vt peſtem capitalem perhorreſcit: adorare nata eſt, non didicit adorari. Et alibi quoque: *Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.* *Deut. 6.* Hæc vox idololatriam eradicitus conuellit, datque à multiuaga ſeruitute vindictas in libertatem, ad varios dæmonum cultus proiectam animam erigit. Nam quæ tam minuta res creata, quæ non ſit ab hominibus pro Deo culta? qui vel ad reptilia, & iumenta Dei cultum deiecere, & natura rationis expers apud rationis compotes fiat in veneratione. Quæ miſeria, immane quantum apud Ægyptios inualuit. Neque enim à continente duntaxat, ſed ab aquis quoque Deos mutuati ſunt, & apud eos *Omnia Deus*. Hanc & apud Hebræos ægritudinem ſeſe illatebrantem Moyſes animaduertens, malũ remoliens clamabat: *Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.* Nondum ſiquidem Trinitatem promulgare tempus erat, nondum diuinas Hypoſtaſes. Adhuc lacte diuinæ cognitionis nutrit infantilem intelligentiam ſolam contentus diuinitatis ingeſſiſſe cognitionem; ipſis vnam illius ſubindicat eſſe na-

G turam, quo deorum turbas prorſum ex animis exterminet. Abſtractis enim ex tam inſigni errore lauerant prima diuinitatis rudimenta. Quamobrem eum naturæ docuiſſet vnitatem, Hypoſtaſeon Triadem opportunè diſtulit. Nam anima malè affecta in veritate indaganda perfacile labitur. Quippe reformidat, ne inueniam in Deitate Trinitatem edocens deorum multitudinem apud Iudæos prædicare putetur, & auditorem ambagioſa ducat oratione, ac nonnulla quieſcit oblata luce. Quemadmodum qui à recenti oculorum ægritudine releuatos docẽt eum luce dimicare, à ſolaribus radijs ſic affectus abiungũt, & vlu veli alicuius aff. ctam partem initius proritant: ita vſu venit beato Moyſi, qui dum populo idololatriæ caligine cæcutienti medelam facit Dei notitiam ingerens, totam nõ audet cognitionis lucem expandere: ænigmatum ſubluſtri luce vſus, propè Trinitatis lumen aperit. Quid enim ait: *Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.* Vnum manifeſtat, & tertium præterea nominat: de vno loquitur, & vocem triplicat, in hypoſtaſeon teſtimonium: *Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.* Tantum non dicit: Cuius cum v-

H na ſit natura, in tribus eſt hypoſtaſibus. Nec non alibi: *Gen. 1.* *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Vocis prolatione hypoſtaſes innuit. Ac iterum: *Venite deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* *Gen. 7.* Multiſque Scripturæ locis eiuſmodi ſcintillas, etſi nondum debilibus oculis lucem penitus euoluat, diſſeminat: perfectis vero ſolidioris cibi fructum recondit interim. Verum animaduerſo Iudæo, qui perſiſtat in amentia multorum annorum vſu corroborata, ne mireris: quandoquidem poſt Moyſen, & Prophetas, poſt Chriſti præſentiam, poſt ſacramentorum agnitionem cum creatore pugnat hæreticorum cuneus, dum creatorem ſubſecundarium opificem appellitat, & Dominum ſeruum. Alij contra Spiritum Sanctum bellum ſuſceperunt, feruntque nomen pugnæ ſymbolum. Alij Deum rati eſſe bonimen per aliam viam creatorem ad creaturarum naturam deuoluũt,

A & carnis adſumptionem Dei ortum interpretantur, humaniſque paſſionibus impatibilem adiudicant. Sed in
Ad Phil. cap. 2. eos diſertam beati Pauli vocem vſurpemus: *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinā arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* *Accipient* propter nos, non creatus vt nos. Manſit enim quod erat, eo,
Ioan. 1. quod non erat, ſumpto, Euangelio teſte: *Et Verbum caro factum eſt.* Scilicet quod non erat factum eſt, remanens quod erat. Eſtque hoc eorum, qui Deum animo circum-
Pſal. 101. ferunt, dogma ea Prophetæ vaticinio: *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*, ipſi gloria ſempiterna, Amen.

Sancti Patris noſtri

B # BASILII ARCHIEPISCOPI SELEVCIÆ

IN PROPHETAM ELISÆVM, ET SVNAMITIDEM.

ORATIO X.

PROPHETÆ partim verbo Chriſtum antedixerunt, partim rebus operibus demonſtrarunt. Alij verbi incarnati typus fuerunt, velut rudi & vmbratili deſcriptione venturi præferrēt imaginem. Cum verbo antedixerunt Iſaias, Ieremias, Ezechiel, & cum eis duodecim viri. Operibus ipſum demonſtrarunt Elias Thesbites, & Eliſæus eius diſcipulus. Verbi incarnati typus fuerunt Io-
Matth. 12. nas Propheta. *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus,*
C *& tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Tantiſper, dilata Ionæ hiſtoria, & Eliam in exhortationem alteram reſeruato, Eliſæum producamus in medium, & quæramus, cur Sunamitidis filium non ad vitam erexerit oratione, vt Dorcedem Petrus: ſed pueri cadaueri ſeipſum inſtratum applicauerit. Nam pueri ori ſuum os impoſuit, naſum naſo aptauit, faciem facie fulcijt, cum pedibus pedes contendit, pectus impoſuit pectori, oculis oculos admouit, paucis denique membris ſingillatim applicata Prophetæ membra vitam conferebant. Cur non orationis præſidio mortuum vitæ
Cor. 10. reſtituit, ſed ſeipſum reliquijs iniecit? *Hæc in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt.* Quæramus, cuius figura fuerit Eliſæus, cuius Sunamitis? & iam Sunamitidis filius mortuus? Eliſæus Chriſti figuram gerit. Populus autem gentium erat ille mortuus vi peccatorum. Venit ſpiritalis Eliſæus, & vniuerſa eius membra mortua deprehendit, os, oculos, manus, pedes, & vniuerſe mortuus erat. Os quod ad laudandum Deum non poterat aperiri, ſed ligno di-
Ier. 2. cebat: *Pater meus es, & lapidi: tu me genuiſti*, mortui oculi,
D qui in Deum vniuerſi non erigebantur: verum prætermiſſo creatore colebant creaturam. Mortuæ manus, quæ dæmonibus fructus offerebant; mortui pedes, qui, vt adoraretur diabolus flectebantur. Putridum erat corpus vniuerſum, egebat medico præpotente; medico, qui vel mortuos excitare poſſet. Venit exquiſitus medicus ſpiritualis Eliſæus Chriſtus Dominus, inuenit corpus mortuum. Quid agat? ſeipſum totum impoſuit toti corpori. Quid eſt quod dicimus? tota plenitudo deitatis totum noſtrum geſtauit hominem, *in quo habitauit* vt loquitur
Col. 2. Apoſtolus, *corporaliter omnis plenitudo diuinitatis.* Oculos habuit more hominum, ſimiliter manus, pedes ſimiliter. Imaginarium viſum non erat, ſed veræ res, quæ videbatur.

E *Non enim rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſem-*
Phil. 2. *etipſum exinaniuit formam ſerui accipiens*, & vita mortuum geſtauit indumentum, vt immortalitate ſua mortem commutaret. Cum autem Deitas deueniſſet in corpus, omnes artus poſtea ſanctificati ſunt, & ad vſum meliorem
Pſal. 50. traducti. Os quidem doctum dicere: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Oculi Dei lau-
Pſal. 144. dem didicerunt: *Oculi omnium in te ſperant, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno.* Manus ad Dominum ſuum ex-
Pſal. 133. paſſæ benedicunt ei noctu; *In noctibus extollite manus veſtras*
Pſal. 140. *in Sancta, & benedicite Domino*: &, *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Pedes in eccleſia ſtantes gratiarum
Pſal. 121. vtuntur actione, dum dicunt: *Stantes erant pedes noſtri in ſancta*, & iterum: *Stantes erant pedes noſtri in atrijs tuis Hieruſalem.* Retuliſti laudem à partibus externis profectam: quid ergo internæ? an immutæ manſerunt? nequaquam. Rurſus anima cum intimis partibus ad Dominum clama-
Pſal. 102. bat: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.* Omiſſa igitur Sunamitide vidua cum
F Eliſæi Prophetæ miraculis, quippe vmbra erant aduentus Chriſti ad nos; ad prodigioſa nouæ gratiæ facta promoueamus orationem, & cognoſcamus vnigenitum filium, ex ſolo Patre ante ſecula, ipſumque vnigenitum extremo tempore ex ſola matre abſque ſatu generatum, & vnigenitum filium, qui per intimam commiſerationem
Luc. 7. viduæ filium vnicum mortuum exſuſcitauit. Verum ad viduæ ob vnigenitum filium mortuum ad miſericordiam excitæ lachrymas recurramus; quandoquidem ſalutis noſtræ cauſa Dominus venerit, viduæ namque lachrymæ vnigenitum hodie traxerunt ad reſtituendam vnigenito vitam. Eius ſiquidem in aduerſa immoderationem con-
Iſa. 53. ſpicatus, *qui multus eſt ad ignoſcendum*, ſua ſponte viduam accedens, flammam doloris commiſerationis ſuæ fontibus
Iſ. 26. irrorauit. *Quia ros lucis*, inquit, *ros tuus*, & effractum tamum, vt peritus inſitor rurſus inoleuit. Nam cuius cor non ſauciaſſet id mali? quis autem eius lachrymas præteriret illachrymabilis? integram ſimul ciuitatem in luctum concitauerat iſte caſus: viduæ compatiebantur viduæ, & matres improlem lugebant, patres adoleſcentulum complorabant, iuuenem iuuenes flebant, hi vt filium proprium, illi vt fratrem miſerati: omneſque tangebat iſte dolor: at matris cor incendebat. Nam filij me-
G moria tanquam ſilex eius impacta viſceribus exarſit in flāmam, & acerbiores ei dolores peperit. Nihil enim æque matrem contriſtat, vt filij demortui recordatio. Quoniam vero ſine intermiſſione vellebat, vnguibus genas fœdabat, fluuios profundebat lachrymarum, miſerabiles ſuper mortuo voces edebat, & quas probabile eſt dolorem ſuggeſſiſſe. Qui viduam & liberis orbam relinquis, ô fili: cui caſpem matrem commendaſti? quis meā amplius orbitatem protegat? quem poſt te patronum reſpiciam? vbi ſcipionem meum fulciam? quem poſtea defenſorem adinueniam? Maritus prior abijt, filius non eſtat: quomodo ardentiſſimum de filio ſublato dolorem feram? quomodo orbitatis tempeſtatem effugiam? Ad hanc vſque diem viduitatis onere frangebar: nunc autem ſubtracti filij mei caligo me opprimit. Duo læta lumina poſſedi, virum, & filium; ſed vtraque mea lumina mors effudit. Quis poſtea matrem tuam, ô fili, demortuam tumulo tranſmittet? quis iuſta explebit? Cur ante deploro, qui me debuit elugere: qui me humo info-
H dere debuit, præſepelio. Non amplius fruar tuis amplexibus, non amplius oſculis melle, ac fauo ſuauioribus. Debueras potius, ô mors, matrem ante filium præripere: Hic enim eſt naturæ ordo, vt nati parentes præmittant. Sed quando ſtatim ordinem inuertiſti, quam celerrimè mihi gratificare, ac ne morare me quoque mortuis addere. Satius enim eſt me eodem tumulo ſepeliri, quam abſque illo temporaria hac lucis vſura frui. Nam ecquis mihi vitæ ſit vſus non eo viuente, propter quem velim viuere? filio viuente incenſum viduitatis meæ dolorem non moleſtè ferebam: nobis inuicem ad ſolatium ſatis eramus. Neque enim illum atterebat orbitas, neque per illum viduitas me tantopere grauabat. Nam inuectam ex viri abſentia calamitatem nonnihil memo-

A riæ ſuffurabatur viduitatis exſpectatio : ſed viduitatem meam hanc iniuſta mors iſta protinus reddit euanidam, & magnam feſtiuitatem in dolorem vertit intolerabilem. Quid nooexpectaui ? quid interim non occurrit mali ? Quotidie eius exſpectabam nnptias : at pro thalamo tumulum compoſui. Cum ſponſum cogitarem, tunc monumentnm apparaui : cum nuptialia conuenta cum alijs tractarem, tunc obſignatum fero teſtamentum ; nam fruſtra iam hærede matrem ſcripſit hæredem : cum nuptialem ſtolam ei adornare inceptarem, tuoc mortuum, vt Lazarum, faſcijs ſepulchralibus circumplector. Recte quidem hic Lazari commemini, quandoquidem & hic Lazarus è mortuis reuerſus erat. Quid nooexpectaui ?

Thren. 1. quid interim non occurrit mali ? *Non eſt dolor, ſicut dolor meus* : ad meam calamitatem calamitas nulla eſt. Nullus hoc vlcus perſanare poteſt : nullus hoc vulnus curat, nullus talis in orbe medicus, non eſt vt appareat vllus. Nunquid aliquem fortè pro portis reperiam ? Adhuc illa loquebatur, votis e apertus portæ adſtitit. Viduarum patronus viduæ it obuiam, orphanorum Pater adB olescentem vocabat, vitæ promus, imo vita ipſa mor-

Luc. 7. tuum reddidit, & matris orbæ is, qui ad miſericordiam pronus eſt, lachrymas compeſcuit. Eam *cum vidiſſet Dominus miſericordia motus ſuper eam dixit illi : Mulier, noli flere. Cum enim appropinquaret portæ ciuitatis*, inquit Euangeliſta, *ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ*. Egrediens mortuus ingredienti occurrit vitæ. *Quam cum vidiſſet*, inquit, *Dominus miſericordia motus ſuper eam dixit illi, noli flere*. Mors, quæ tecum bellum geſſit, debellata eſt ; *noli flere*. Flagellatus infernus filij tui animam repoſcitur. *Noli flere*. Gaudebat tanquam prædam voraturus : nunc cum aberraſſit à ſcopo gemit. Atque vt condiſcas minimè fallacem

Luc. 7. meam eſſe promiſſionem experimentum cape reſurrectionis. *Adoleſcens tibi dico, ſurge. Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Adoleſcens tibi dico, ſurge*. Cur addidit illud, *Tibi* ? Simplicius enim dictu fuit ; Heus mortue, ſurge. Sed Saluatoris vox alios fuiſſet etiam virtute ſua mortuos excitura. Ideo adiecit illud, *Tibi* : vt ad eum tantummodo adoleſcentem mortuum gratiæ ſuæ vim explicaret. Id & circa Lazarum fecit. Non dixit, heus tu mortue adeſ-

Ioan 21. dum ; ſed nominatim mortuum compellat : *Lazare veni*

C *foras*. Hoc autem egit ne vitæ largitoris vox explicatior

Luc. 7. plures mortuos vitæ reſtitueret. *Et reſedit, qui erat mortuus,*

Pſal. 23. *& cœpit loqui : Niſi Dominus adiuuiſſet me, paullo minus habitaſſet*

Pſal. 39. *in inferno anima mea*. Iterumque : *Dominus eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, & ſtatuit ſuper petram pedes meos, & direxit greſſus meos*. Nos in tentationum ſalo clamantes gloriam deferamus Patri, & Spiritui Sancto, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum interminata, Amen.

Euſdem in ſanctum Eliam.

ORATIO XI.

BEatum illum, & magnum Eliam Prophetam nobibus excelliorem laudatiſſima illa vidua, quæ farinæ pugillum duntaxat poſſidebat, non minus familiariter, quam honorificè accepit, hoſpitalitatis ardore arctiſſima

D paupertate ſuperior. Nunc verò tantum Domini gregem epulo coactus e acipere, cum ſnpra facultatem id ſit, cum pauperiorem pugillo vocem geſtitam, qualem explicabo menſam ? cuiuſmodi lecythum tam vberem reperiam, vt Chriſti ſponſam in præſentia ſuſcipiam ? Paullum igitur nobis, ô beate vidua mutuum dato farinæ fidei. Potius vero tu ipſe, ô beate Elia, qui viduam illam altricem viciſſim alebas, vocem caritatis indefectam nobis ſuggere. Chriſti enim hic populus, qui Incarnationem vna cum Moyſe in monte hymnis eſt proſecutus. Non ille Moyſis populus aſper in bene merentem, cuius ingratitudinis pœnas exegiſti, quemque tuis ſubieciſti iudicijs. Videns enim Iudæorum populum Propheta bonis tam è cælo, quam è ſolo partis immodicè luxuriantem, ali-

menti autorem ignorantem, & D e i erga ſe caritatem in impietatis materiam conuertentem, cultumque D e o debitum in dæmonia transferentem, ira pietatis auxiliatrice adſumpta vocem emiſit, qua cælo legem ſiccitatis impoſuit, & ſententiam iureiurando affirmans clauſtra nubibus iniecit : *Viuit Dominus, non erit per eos annos ros, neque pluuia ſuper terram*. O ira pietatis plena ! ô lingua, quæ cælum frænas ! ô Domini in homines caritas ! ſeruo permittit res conditas guberner. Reuerſus ſiquidem eſt ardorem pietatis, & Eliæ creaturæ habenas permiſit. *Viuit Dominus*. iurat per creatorem, vt iuramenti metu, ac reuerentia creatura vim ſuam reprimat. *Viuit Dominus*. Quod Iudæi, inquit, in idolorum venerationem inclinarunt, quod autore vitæ relicto dæmonibus mortis autoribus ſe dediderunt : proprijs edocti calamitatibus Viuentem agnoſcant, & condiſcant, per quæ mortem oppetant ; Vrantur fame religionis magiſtra ; quis imbrium pincerna diſcant ſiccitatis malo concuſſi. At propenſam Dei in homines beneuolentiam metuo. Ipſum oro ni, vt cito lachrymis conciliem, noui vi ſupplicationibus flectatur, oon vt modica conſilij factiuè retractatione pœnas contrahat, ne præmaturum dei ab imbrium carentia laxamentum, metuo ; metuo, ne ſupplicij medicamentum reddatur inefficax, & ingratus populus perduret in bonitatis diuinæ contentione. Quid agam tandem ? Dei caritati iureiurando vim afferam ? Et ſi dicat mihi D e v s ab ipſis ſuppliciter exoratus : Effundam pluuiam hominibus, Elia ? et reſpondebo : Nequaquam.

Reg. 3. c. 17 *Viuit Dominus, non erit per hos annos ros, neque pluuia ſuper terram, niſi per os meum*. Orationem naturæ accommodam. Eſto, cælum remuraris, quid D e i compeſcis humanitatem ? Eſto, vel aduerſum conſeruos edicta extrahas, quid Domini poteſtatem rapis ? Nubes coercuiſti ; at creatori vel imperium committo. Nequaquam. *Viuit Dominus : niſi per os meum*. Religionis magiſtrum, inquit, me populo emiſiſti, doctorem impiæ multitudinis me conſtituiſti ; da mihi & puniendi poteſtatem. Noui ego quis impijs condignus ſit puniendis modus, *Niſi per verbum oris mei*. Compulſos Eliæ poteſtati facit D e v s, miſerans quidem eos, qui digne puniuntur, reuocitus tamen Prophetæ Zelum. Eliæ, & illis deuinctus, vniuerſi Dominus quid agat ? Sapientiæ benignitate neceſſitatem temperans, quod vſus poſtulat, aggreditur. Dat enim Prophetæ ſiccitatis poteſtatem, quo tamen eius iram molliat, Prophetam ſupplicij participem facit, ſimulque cum populo condemnat ; atque ea ratione contribulibus conciliat, amicioremque ſe exhibeat, vel mutuo perſuadet. Sed ne pius cum impijs adæque fame diſpereat alimentum ipſi ſuppeditans latenter eum de ſententia deijcit. Eum enim nutrit opera coruorum, vt immundæ beſtiæ cibum abominatus ſoluat famis decreta. *Coruiſque præcepi*, inquit, *vt paſcant te*. Reg. 3. c. 17

Ac mihi vide diuinam ſapientiam. Traducitur apud ſcriptores ſacros coruus, vt animal odio filiorum laborans. Nam eum fœtum excluſerint, repudiant reiecta eos nutricandi cura. Sed quæ tecta vniuerſi Prouidentia Dei circa omnem occupatur creaturam, vel pullis coruorum occulta quadam ratione cibum ſuggerit minuta quædam animalcula. Quam prouidentiam collaudans Propheta Dauid canit inquiens : *Et* Pſal. 106.

pullis coruorum inuocantibus eum. Coruiſque præcepi, inquit, *vt* Reg. 3. c. 17

paſcant te. Filiorum proditores, tibi fuerunt alimenti ſuppeditatores. Ne igitur durior fueris coruis pullorum oſoribus, ne innatum ijs in pullos odium imiteris, neue in Iudæos transferas ; quin imitare potius eorum in te curam. Hi commodato tibi obſequio naturam vicerunt : tuque Iudæorum nequitiam humanitate conuince, ne in contribules coruis fueris inhumanior. Reuince coruos humanitatis cauſa legatos. Verum vt D e v s Eliam vidit inexorabilem, coruus miniſterio iubet abſtinere, vtque à ſententia per vim deducat, cibo priuat. Etſi verò ſine Prophetæ adſenſu D e o perfacilis ſit imbrium datio ; noluit tamen ſerui amantis edictionem ſoluere, ſed Iudæorum animaduerſionem ita miſeratus eſt, vt ab Eliæ iniuriam abſtineret ; viam prudentiæ plenam cum

Prophe-

A Propheta minuit. Vt enim, quod aiebam, nihil remittentem vidit, & eſuritionis violentiam ſententiæ rigore peruincentem, aut potius, vt impiorum ſupplicia vidit Eliæ in delicijs eſſe, eum loco locum mutare iubet, vrget profectionem in Sarepta, & eum ad mulierem viduam

Reg. 3. c. 17 mittit, qui voce creaturam pluuia viduarat. *Præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt paſcat te.* Tantum non dixit. Si te cibi non pudet, incenſam iram ne reſtinxeris. Viduam, & pauperem, ac prætereà gentilem nominat, vt vel eius mendicitate commoueatur, vel vt gentilis alimentum auerſetur, ac vel inuitus euadat humanus, & nubes ſilentio conſtrictas ſoluat. Sed ad viduam adire non recuſat Elias. Illa habitu paupertatem prodit: parabat enim cibum, quæque ad ſepulturam opus erant. Accedit tamen ad viduam rogator, qui cæli clauſtra ore conſtrinxerat. Quid illa * * * *Viuit*, inquit, *Dominus Deus tuus.* Tan-

B quam Prophetam honoras, quem mendicum vides, vnde in Prophetæ notitiam veniſti? Dei ad Eliam voces in

Reg. 3. c. 17 memoriam reuoca, ô dilecte: *Præcepi mulieri viduæ, vt paſcat te.* Vnde euidens eſt, quod per reuelationem, Prophetæ præſentia viduæ nunciata ſit, quodque viſio oculis obiecta recordationem viſionis excitarit per quietem oblatæ. Cum itaque præſentis agnoſſet dignitatem, deplorabat

Reg. 3. c. 17 indigentiam: *Viuit Dominus tuus*, inquit, *quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho. en colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illud mihi, & filio meo, vt comedamus, & moriamur.* Cibi defectio nobis erit mortis initium: hanc externam apponam menſam. Vitæ modus farinæ pugillus nobis conſtitutus eſt, vnum idemque cibi, & mortis tempus præſtolamur, poſt hanc eſcam mortis pabulum erimus. Commotus eſt hac voce Prophetes, miſeretur matris vna cum liberis fame vexatæ, videt materna viſcera filiorum fame

Reg. 3. c. 17 conuulſa, & vocem emittit humanitate diffluentem. Hæc dicit Dominus: *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur vſque ad hanc diem, in qua Dominus daturus eſt pluuiam*

C *ſuper faciem terræ.* Tunc pluuiam promittit, nubes votis accommodat, & hydriam vertit in alimenti fontem, quantumque dies poſcebat, tantum hydria ſuppeditabat: quod die meſſem vulchat, in hydria metebat. Sed tam acerba tempeſtas extrahebatur, fames dominabatur, creatura æris in faciem durabatur, nec Propheta conditionem pacis vllam nouerat. Quid ergo faciat fons pietatis? Tertiam machinam Prophetæ admouet, qua deiectus Elias vel inuitus ad humanitatem flectatur. Morbus ob oculos verſabatur, & viduæ filius rapiebatur: Dei decreto iubebatur anima tranſire de corpore, & Prophetam cir-

Reg. 3. c. 17 cumſtat vidua: *Quid mihi, & tibi, vir Dei? ingreſſus es ad me vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* Vtinam, inquit, ante fame perijſſem! vtinam mors ante filij funera me præripuiſſet! nunc vero cibo ſuggeſto ad hæc me ſpectacula reſeruaſti? Dubius hærebat tanto in caſu Elias, & hoſpitalitatem mulieris admiratus filij necis cauſam percunctatur; ſciſcitanſque inuenit pueri mortem vnam diuinarum contra ſe machinarum eſſe. DEO accidit ſupplex, & ſoletes repertum exponit. Hei mihi,

Reg. 3. c. 17
D Domine, teſtis viduæ, *etiam ac viduam affliχiſti, vt interficeres filium eius?* Video qua me machinamento petas; ſentio, quibus à te artibus circumuentus ſim. Humanitate me reſpondere poſtulas, vt cum pro viduæ filio ſupplicauero: Libera, ô conditor, à morte filium viduæ, occurrat & ipſe mihi hac concluſione: Libera igitur & tu filium meum Iſrael à ſiccitatis decreto. Sum tandem tuæ in homines caritatis diſcipulus, ſum manſuetiſſimus adminiſter. Monſtra, Domine, mortem erga homines manſuefactam eſſe, cognoſcantur tuæ humanitatis monumenta, quæque de tua lenitate docemur vel infernum peruadant. Soluantur pœnis viuentes, & mortuorum carcer. Prophetæ preces ſubſecuta eſt pueri vita, & contra homines mors inuicta per Eliam vinci didicit, ac linguæ Propheticæ vim paſſa lugubre cecinit. Primum enim mortuum ab ſe abſtractum hominum more lugere didicit. Quænam hæc, inquit, rerum præter ſpem conuerſio? Mortui recurrunt ad vitam, animæ poſt fata in veteres corporum colonias reducuntur; laxantur leges in

E paradiſo morti conſcriptæ. Dominatus mei pignus teneo deuictorum crimina, arma mihi contra homines ſunt hominum crimina. Tanta apud me iniſtorum nubes, & nullus mea effudit retia, ſexcenti criminoſi meo detinentur carcere. Dolebat mihi vnicum Enochum mea ſceptra vitæ experimento calcaſſe, qui alicer naturæ pars eſſet, ſententiam mortis ſuperior euaſit. Nunc vero quæ etiam poſſidebam, eorum à me vita exigitur. Inanes ſunt ſpes; iras Dei contra homines inſolubiles futuras rata. Fortè ſingulatim exoratus illud ſoluet: *Puluis es, & in pul-*

Gen. 3. *uerem reuerteris.* Nam ſi vnius iuſti vocem verſus mortuorum dominatu me exuit, vereor, vt homines nobis di-

1 Cor. 15. cant inſultantes: *Vbi eſt, mors, victoria tua? vbi eſt, mors, ſtimulus tuus?* Itaque viduæ filius maternis amplexibus redditus eſt. Elias autem Dei machinis ad humanitatem inflexus hominum bono nubibus pluuiam dabat, & rurſum cœlum nubibus induebatur: ſimul terra frugum ſterili-

F tatem exuit, & conditæ res imbrium ope renouatæ ſunt. Cum tamen hominum peccata nihil minuerentur, Deus Eliam videns iuſto zelo in impios rurſus inflammatum, & ferro pſeudoprophetarum turbam metentem, igneo curru ex impiorum conſpectu tranſtulit, prope conſimilia locutus ad Prophetam: Miror equidem, Elia, zelum tuum, ac virtutem probo. Procliue eſt in peccatum hominum genus, & ſi vindictam cum criminibus confligere patiar, deficiet diuinus tractari neſcium. Tibi peccantes cernere graue ſpectaculum; mihi verò, qui ſum Dominus, lex de humanitate ſcripta eſt, meipſum debitorem clementiæ conſtitui. Quod ſi ad pœnas vnquam ſpectauero, ve-

Ezech. 33. reor legem de humanitate clamantem: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt ad me conuertatur à via ſua, & viuat.* Tu ergo tibi diuerſorium à peccato liberum, carne veſtitus cum Angelis conuerſare. Ego verò ad homines per Incarnationem veniam, ego in eorum ſalutem curiam. Naturam ego ex hominibus delibatam adſumam, & paſſione paſſiones mortalium curabo, morte mortem frangam. Hoc enim ante te Propheta Eſaias hominibus euange-

Iſaie 53.
G lium prædicabat: *Liuore eius ſanati ſumus*, cui gloria ſempiterna, Amen.

Eiuſdem in Ioanam.

ORATIO XII.

QVoduis creaturę ornamentum diuinæ caritatis imago eſt, vel ipſo adſpectu creatoris edocens bonitatem. Nam ad creationem primum inceſſiſſe, ac rebus nunc exſiſtentibus, vt conſiſterent, dediſſe, bonitatis illius monumentum eſt. Non erat cœlum, non terra, non ſubiectant maria, lucis veſtigium nullum conſpiciebatur. Quid hæc loquor? Angelorum turbæ ſuo eſſe priuatæ erant: ſolus enim Deus erat, Deus ipſius eſſe fons, vitæ theſaurus, ortus non indigens, bonitate ſcatens. Hic ea quæ non ſunt, vocat, non rogatus, non ſupplicatione inuitatus non exſiſtentibus dat exſiſtere. Quomodo enim quod non erat, vt eſſet, eum quieſt, hortaretur? Sed exundans bonitatis diuinæ opulentia, & ad eorum quæ non ſunt procreationem effuſa, tanquam in diſtributiue re-

H rum generationes euocans, eas non negligit; ſed mox vt creatæ fuerunt, mouit ad operationem, fecitque creaturam ſuæ bonitatis inſtrumentum. Propterea hominum manibus terram iuſſit excoli, & mare ſua terga nauigantibus ſubmittere, aerem hominum reſpiratione deuotari, ſolem iugi agitatione moueri, & communem radium emittere, ac in vſum mortalium faces illuminatas lucere. Huius etiam ſuæ bonitatis imitatores homines inter ſe videri vult. Delectatur enim non ſolum hominum eſſe conditor, ſed & inſtructor. Quare ad ſui imitationē alliciens clamabat in Euangelijs: *Si dilectionem habueritis ad inuicem,*

Ioan. 3.
Luc. 6. *diſcipuli mei eſtis.* Iterumq;: *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter cæleſtis miſericors eſt*, non vt ad par dignitatis culmen proueheamur, ſed vt pro facultatis noſtræ modo probatis opibus cohoneſtemur. Quare homines, qui nullo alieni mali ſenſu tanguntur in diuerſum agit, & neq; Prophetæ parcit veniā flagitioſis dare nolenti, neque eorū reueretur iuſtitiam, qui ab inhumanitate laborāt. Scit Propheta Io-

A

nas, quæ loquor, qui rebus ipſis animo præceptis, & zelo vehementius contra impios impulſus experientiã habet magiſtram. Imprudens ipſe inhumanitatis vitio ſauciatus eſt. Et, ſi vobis volentib. eſt, ipſius hiſtoriam percurramus, & ex ea diſcamus, quomodo Deus Prophetã afflictũ angat, quomodo peccatores reuocet, & ad pœnitudinẽ impellat. Niniue ciuitas erat inter Aſſyrios, hominib. refertiſſimã, peccatis naturæ terminos ſupergreſſa, non tamen diuinæ clementiæ metas exſuperabat. Febricebat illa quidem impietatis ardore, ſed pœnitentiæ medicamẽto curata eſt. Eam ægrotãtem vt vidit humaniſſimus creator, mittit Ionam, qui morbo medeatur. Nam etſi animam oderit improbè viuentem, naturam tamen morbo aliam factã miſeratur, & ſuæ manus figmentũ recognoſcit. Credita igitur Prophetæ medicatione mandat ægros ante adeat, quam

Ion. 1.

morbus auctior mortis ſuffragiũ confirmet: *Surge,* inquit, *& vade in Niniuen ciuitatem grandem, & prædica in ea: quia aſcẽdit malitia eorum coram me. Surge & vade in Niniuen ciuitatem grandem.* In ſuppliciorum cõminatione plena commiſerationis inſunt verba, punitionis promiſſio, & affectionis demonſtratio, oſoris vox, & mens miſerentis. Iam ciuitati veniam offert, indignans miſeretur, & minitans ſaluare

B

deſiderat, & cum apertè iram gerat, occulto clementiam demonſtrat. Propheta Ionas clementiam, licet cõtectam, ſentiens, & miſericordiæ in peccantes adminiſter eſſe recuſat, & imperantis quidẽ metuens, imperata vero facere minus audens edictionem molitus eſt trahere, & fuga nititur imperium excuſſiſſe. Verſabat ſiquidem animo cogitationes, quib. latentem Dei beneuolentiam inueſtigaret. Si ſupplicia, inquit, de Niniuitis eſſent ſumenda, gaudens vtique obſequerer imperio, adminiſter eſſem pœnæ impiorum: odi enim ciuitatem impiorum, ſedes impiorũ execror, ciuitatem criminum officinam, odi populũ luxus opificem, à temperantia alienum, cupiditati obſequẽtem. Nam eiuſmodi populus armatam in Deum linguam gerit, vrbs eſt idolorum amans, dæmonum ſerua, ignara creatoris. Verum eam nunc Dominus punire, vt arbitror, minatur; ſed pœnam terrore commutabit. Suſpicor equidem comminationem in clementiæ matrem euaſuram.

C

Nam cur euerſionem prænunciat ſi veram vult animaduerſionem? ſi punire vult, cur admonet periculi? cur oraculo plagam anteuertit? Noui Dei hominum amantiſſimi artes, iram ſimulat, ſtudet eos ante exſoluere pœna, quam expetiantur. Ego verò euerſionem proclamans, mendax vates inueniar, ex duob. hiſce malis mœrore conficiar & mendax videbor, & inimicam vrbem ab infortunio ſeruatam videbo. Populus quidẽ impius ſine noxa inuenietur: ego vero mendacij pudore confundar. Quid ergo? inopiã conſilij fuga leuabo, alius Deo ſuum in homines amorem expromẽti ſubſeruiat, fugæ tempus ſit officij detrectatio. His dictis inſcendit nauem, & imprudens inuenit machinam ſua multo validiorem, ſolicitam nimirum de peccatorib. Dei comitatem. Subito enim Dei mandatum mouit mare ad inquiſitionem. Retine, inquit, ô mare, Prophetam meum fugientem, age ſeruum meum in vincula, intelligat vt audax, ac male meditatum facinus ſit aggreſſus, nauis fluctib. obſideatur, ac vi ventorum propellatus in periculum, dum tradatur, qui quæritur. His mãdatis communitum mare funditus turbat nauigantes, vndarum montes

D

circumſtantes Prophetam depoſcebant. Qui vero nauigabant ignari viri ſancti arte cum tẽpeſtate deprælìabantur, & gubernaculis periculum repellere ſperabant, & aduerſum mare naualem pugnam ſuſcipiebant ac fruſtra onera in fluctus effundebant, cum tempeſtatis cauſſam retinerent. Vbi vero ſalutem deſperauit ars, ſpeiq; fecerunt ante naufragium, quam nauis, ſorte quærunt obortæ tempeſtatis authorem. Quid his? mare iactatur, & ſortem in medio nominas? & autorem tempeſtatis ſinis conſidere? pro anchora ſortẽ eſſe putaſti? eam per tẽpeſtatem gubernatricẽ tibi fore ſperas? Quid igitur hinc diſcemus? Quod partiaria fuerit, vt videtur, maris fluctuatio, quodq́ue procella hanc vnã verſaret nauẽ, fluctusq; naui impingerentur vndiq; & quod alijs pacatũ mare, aduerſus hos duntaxat armaretur; nec non ꝙ alios placide tranſmitteret, cũ his vero concurrens tẽpeſtas fugacem Ionam inueſtigaret. Huius

E

rei ſenſu nautæ permoti ſorte quærũt, quid ſibi velit tẽpeſtas? ſors non mẽdax iudicium dedit. Propheta fugacitatis arguitus eſt, & cetus damnationis ſententiã excepit. Illico Ionas in viuo ſepulchro ferebatur, nantẽ habitans carcerem, impactũ lethi turgitib. ſedem habitans, cõmune mortuorũ receptaculum, non viuorũ, habitans aluum mortis matrẽ. Sic Propheta commiſerationem docebatur; ſic qui peccatorib. culpas condonare neſciuerat ad clementiam flectebatur, tantũ non hæc ad eũ in bellua concluſum loquẽte Deo, & ſuadente: Animaduerte cui tu non obſequens fueris, cuius videlicet vocẽ cetus audiat. eo tandem dimiſſus, qui te tenet, Niniuitis concionare, euerſionẽ interminare, ac mihi vide morũ cõmutationem. Cõparat Moyſis diſcipulos cum Niniuitarũ impietate. Quoties Iudæis concionatus eorũ aures non aduertiſti? quoties clamans vaticinia fruſtra effudiſti? reſpice ciuitatẽ ab impietate ad mentẽ meliorem redeuntem, minarum inde circũtunde terrorem, ꝙ in ventre belluæ obiectus ſis. Fleſus oratione

Ion. 3.

Propheta Niniuẽ tenuit. *Et cœpit,* inquit, *Ionas introire ciuitatẽ, & clamauit, & dixit: Adhuc dies tres, & Niniue ſubuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deũ, & prædicauerunt ieiuniũ & veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſq; ad minorem.* Vide pœnitentiũ terminos. *A maiori vſq; ad minorẽ.* Omnẽ ætatem terror inuaſit, omnes pœnitẽtiæ iugum ſubeunt, omnes periculi depulſorem vocant. *Adhuc tres dies, & Niniue ſubuertetur.* Anguſtis dierũ terminis cõminatio concluditur, lata aũt via ad pœnitentiã aperitur. Cõminatur extraneus, & ad eius orationem mores cõmutat ciuitas vniuerſa: extraneus loquebatur, ac veluti demiſſum cælitus orationem pertimuerunt, & ad vnam vocem luctui indulgebant. *Et peruenit verbũ ad regem Niniue.* Quid ergo? dignitatem reſpicit ſuã, aut pro-

F

Ion. 3.

phetiam ſperauit? *Et ſurrexit,* inquit, *de ſolio ſuo, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere.* Euangelicã anteceperat ſententiam:

Matth. 5.

Beati, qui lugent quoniã ipſi conſolabuntur. Sedit in cinere. Arma

Ion. 3.

pœnitentiæ ad expugnandum peccatũ producit, luctusq;

Ion. 3.

increuit edictis: *Homines, & iumenta, & boues, & pecora non guſtent quidquã. & aquam non bibant.* Condoleat vna cũ rationali natura irrationalis, communis calamitatis cõmunis ſit lamẽtatio. Vnus enim omniũ conditor, vna manus efformauit vniuerſum, vna in omnes explicata eſt Prouidentia: ieiunio vocent, quem lingua minus poſſunt, vt mœrorã

Ion. 3.

miſertus ſententiã ſoluat. *Et operiebantur ſaccis, & fortitudine clabamant ad Deum, & conuerſus eſt vnuſquiſque à via ſua mala.*

G

Hæc veræ pœnitentiæ indicia, lugens anima, plorantes oculi, improbitatis correctio, impietatis fuga, carnis contritio, animi contractio, iniuſtitiæ deſertio. His expurgatur iniquitas, diuina ſententia retro cedere non erubeſcit: & ſoluit decretum Deus, & abolet periculum. Dei namq; in homines pr linior aſpectus accedentem ſuſpicit pœnitentiam, ſupplicanti patet, ſedat lachrymantem, lamentanti condolet, deniq; victoriam reportare iubet.

Ion. 3.

Et vidit Deus opera eorũ: quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitia, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit. Pœnitentia pœnitentiã genuit; homines immutantur, & Deus conſilia retractat. O diuinam clementiã! ad quantã dignitatem euexit pœnitentiã! homines lachrymantur, & Deus immutatur; lugent mortales, & decretũ ſoluit immorta-

Ezech. 33.

lis. *Non enim vult mortẽ peccatoris, ſed vt ad ſe conuertatur, & viuat.* Niniuitæ igitur ſoluto in eos edito decreto Pœnitentiam ſalutis ſociam non dimiſerunt. Ionæ verò grauis erat,

H

& acerba eorum ſalus. Eminus enim ſedẽs ciuitatis euerſionem ſpeculabundus obſeruitabat. Vt aũt Dei clementiam regnare vidit, luget ſiunti luctũ, & Niniuitarũ ſancta

Ion. 4.

deiectio peruenit ad Prophetam. *Et afflictus eſt,* inquit, *Ionas afflictione magna, & iratus eſt, & orauit ad Dominũ, & dixit: Obſecro Domine, nunquid non hoc eſt verbum meũ, cum adhuc eſſem in terra mea? Propter hoc præoccupaui, vt fugerẽ in Tharſis: ſcio enim, quia tu Deus clemens, & miſericors es, patiẽs & multæ miſerationis.* Hæc eſt occaſio fugæ meæ. Tua humanitate cogitata Prophetæ partes recuſabam: ſciebam, ꝙ paucis peccatorũ lacrymulis indignari deſinas, cõmoto nõ credebam, innatã tibi cõmiſerationem animo reputans: & nũc ego falſidicus æſtimabor. Niniuita meã prædictionem ridet tuamq; ſententiã ſtitit. Quid tandem, Deus qui peccatores miſeratus iuſtos etiã ad benignitatẽ manu ducit? Prophetã non de-

ſpeat

A ſpeait inclementiæ morbo tentatū. Eequid, ait? Clementiam meā vituperas, ô Propheta? etiamne me lenitatis accuſas? nou te emolliunt ceti terror? etiamnū aduerſus peccatores immiſericors es? quos ſui pœnitet, eorū te non miſeret? ſententiam non demutas? Nunquid te, malè pertinacem, arguet colocyntha, & ciuitati non parcam? nunquid floſculi deplorabis exitium, & tot hominum myriadas pœnæ dedam? Non erat media, & vireſcens colocyntha in faciem tecti explicata Ionā circūtegebat, & quoddam veluti pratum ſupra caput elatum erat, atque vndique flores fructuſque expenſi ad delicias vſque ſpectabantur, proiectumque ſolis radium vice muri frangebant. Spectando Ionas oblectabatur, ipſius triſtitiam minuebat flos, animumque lætitia perfundebat herba tuguriolo circumfuſa. Vt ergo Deus Ionam colocynthæ lætitia capi vidit, mittit vermem, & e veſtigio ſiccatur planta, citius perijt, quam germinauerat. Ecce tibi tecto nudatur
B Propheta, & extemporario tuguriolo priuatur, æſtuanſq; flamma dum acrius adſpirat, caput adurebat, animi conſternatio voluptatem excepit. Ionam vero mœrore perculſum animaduertens Deus, vt de benignitate diuina iudicet, iterum hortatur. Si vehementer ob colocyntham animo deiiceris, ſi vaſtata colocyntha indoles, ô Propheta, ſi te planta, quod vltra viuere nequeat, contriſtat: quomodo tandem ex hominum exitio me affectum iri putas? floſculi miſereris; ego ciuitati non parcam? Tu quidem ſolum non excolueras, non ſeueras: hi vero meæ culturæ plantæ ſunt, meæ fructus dexteræ. Tu quidem peccantes ſignas oculis; ego vero eorum, quibus, vt peccarent, opportunitas defuit, ſupra duodecim myriadas video. Colocynthæ fructus te miſeret: ego naturæ racemis, qui exſecabantur, veniam non habebo? Eſto, alios damnes, quid habes, quo teneros natos incuſites? quam tibi accuſationis materiam dederunt pecora? Et peccatores facti pœnitentes reuerere, & recens natorum rationem habe me orante. Deſideremus nos, qui peccatores ſumus ſalutis datorē, diligamus medicum, qui igni ferroq; poſthabito leni medicamento curat animas. Talis medicæ artis omnes indigemus. Cōtra cōmunem morbum, cōmune tractemus
Matt.3. medicamentorum. Audiamus Ioan. clamantem: *Pœnitentiā agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Saluatorem adeamus extendentem manus, nos ad ſe trahentē, dicentemq;
Matt 11. C *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, ipſi gloria, & virtus in ſecula ſeculorum, Amen.

Eiuſdem in Ionam.

ORATIO XIII.

QVi puteorum fontes expurgant, eos quanto perſcrutantur altius, tanto puriores efficiunt, & aquarum prouentu diuitiores. Nam agitando dilatatus aquarum gurges, quas parturiebat ſcaturigines, parit. Diuinæ Scripturæ fons eiuſmodi eſt: ſi quis enim cæleſtes in eo venas orationis vi fodicare velit, ac pertundere: videbit quaſi cellam gratiæ promptuariam latius nudatam. Audiſtis Ionæ hiſtoriam? vidiſtis quanta pœnitentiæ ſit virtus? animaduertiſtis regem ſeſe ad luctus accommodantem, cinere, & ſacco cæteraque animi deiectione quaſi donis cæli regem captantem? animaduertiſtis iram immortalem mortalibus lachrymis demtam fuiſſe, animaduertiſtis Prophetæ concuſſionem, Deique humanitatem animaduertiſtis, Prophetam, in ceto geſtatum, & erga peccatores commiſerationem edoctum? huc age alterum etiam in Propheta theſaurum oculis rimemur. Theſaurus autem
D Prophetarum eſt Chriſtus Dominus, quem tubis Propheticis pridem perſonantes, præmaturè exortos eius præſentiæ radios oſtendebant. Ionas autem malorum tolerantia potius Chriſtum eſt imitatus, quam verbis prædicarit; nec verbis Domini ſepulchrum prædixit, ſed in cæto ſepultus, & poſt triduum ſine noxa redditus omnes docuit mortales immortalitatis ianuam eſſe mortem, ac de ſepulchro vitam erumpere. Et has ipſius voces rebus geſtis prolatas Chriſtus ſuas faciens clamat ad incredulum Iudæorum populum: *Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic oportet*
Matt.12. *filium hominis agere in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* E Adnunciat enim vel in vmbra veritatem, imaginem ipſam, paſſionem paſſione prius ad vitam exprimit. Age, paullulum oratione ſuperiora repetentes, monſtremus vt pridem ſolemne Deo fuerit velut in vetere aliente quadam imagine emortua Gratiæ facinora adumbrare. Quod enim naturæ leges res vincerint hominum auribus & oculis incredibiles, ideo miraculorum ſimulacra Deus ante fundamenti loco ſtatuit, vt eorum ſpectaculo in his præmeditato obſoletiores miraculorum vmbras cōſpicati homines animaduerſione ex rebus ipſis nata velut in ſpeculo, quæ ſupra naturam ſunt, credant. Quemadmodum qui artis, & colorum ſubſidio rerum viſarum naturas moliuntur efformare, vmbras quaſdam præformant, antequam colorum florem indant: eodem modo ſolertiſſimus mundi artifex, imagines, quæ plus artis repoſcunt prius attenuatè adumbrauit. Veluti futurum erat, vt hominibus ſalutis facem prælucerer Chriſti crux & paſſio, res tam miras in imagine præfigurare Deus occupat, & Abraham iam tum ſenior proprio partu eam paſſionem iubetur imitari. Iſaacus cum patre circa opus collaborabat, & ſacrificium cum ſacrificante cogitabat ſacrificatione. Ara F
figebatur, flamma ſurgebat, puer ad iugulationem aptabatur, gladius ferebatur, ceruix ad ictum ſuſpēdendum componebatur: vox è cælo ruens gladium impediebat, ac pro puero agnus è vepribus ſuſpenſus inducebatur, & ouis vnigenito Dei filio ſuffecta iugulum obtulit. Iſaacus perdurat, inuulneratur, victima vero caſum perferebat. *Ecce* e-
nim: inquit, *agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*: nam carnis patientis fuit paſſio, non ſpiritualis deitatis. Iterum erat paritura Virgo, quæ gratiæ potius, quam naturæ legibus paruit. Ideo, ne dicant: Partus incredibilis, alienum id à natura: mulieres infœcundæ miraculi huius cogitandi occaſionem antè ſuggeſſerunt, & Sara ſenecta ætate, & effæta ſimul cum ſuo partu fidem generauit futuro Virginis partui. Item, ſalubrem Deus hominibus ſanguinem daturus erat; ne veteri miraculi peregrinitas non credendi eſſet occaſio, ouiculæ ſanguis foribus illitus vaſtatorem foris manere coegit, & Angelus morte obarmatus conſpecto ſanguine in fugam agebatur, quique primogenita naturæ in Ægypto metebat, vbi illitum ſanguinis animaduertit, Ioan. 1.
ne attingit quidem. Item, hominibus baptiſma dandum erat, quo mortis promittebatur effugium, & reſurrectionis confugium. Denique adſpice, vt mare figuris ſeruiat, vt fluctus virga diuerberati, & veſtigijs emenſum pelagus, ac G
Paulum audi intonantem: *Mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari.* Baptiſma vocat viam per mare. Erat enim mortis, quæ in aquis appeteretur effugium. Mortuos certo liberaturus erat Chriſti tumulus, & mors futura mortis exitium, & paſſio paſſionum officina medica. Ne igitur per incredulitatem Iudæe miraculum calumnieris, Moyſem tuum contemplare in ſolis terris per ſerpentem huius rei euidentem ſimulacrum. Serpens feriebat, & ſerpens medelam ferebat, morſumque ſerpentis curabat. Quis igitur ea figura deſignabatur? quis? audi 1.Cor.10.
Dominum res ſuas clare interpretantem: *Et ſicut Moyſes exaltauit*, inquit, *ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet filium hominis.* Erat enim Chriſtus mortuos è mortuis extracturus? *Canet enim tuba*, inquit, *& mortui reſurgent incorrupti.* Quando, Iudæe, Paulo prædicanti non credis, Elias ideirco primum olim liberauit à matre mortuum, & mortuus contactu mortuum expergefecit ad fugam. Ideo quoque Ioan.3.
Enochus manſit extra mortis naſſam, nec Elias naturæ legibus obediuit. Omnia enim figura, omnia vmbra, omnia veritatis præſignificationes. Attende mihi Paulum hac de re concionantem: *Hæc enim omnia in figura contingebant illis: ſcripta autem ſunt ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt.* Sed noſtram Ionas exſpectat orationē, vtque res illius earum quæ Chriſto obuenerunt, fuerint ſigna, tempus eſt demonſtrare. Iudæis igitur inſanientibus, Gentibus idolorum ſeruitudini obnoxijs à ſanctis Prophetis humana ſalus deſperabatur admodum. Sani nihil erat in natura, verum Iudæos, qui legem perruperant, miſerabantur Prophetæ communis gentis miſericordia flexi. Cum vero idololatriæ malum incrementa capere viderent, Gentibus ſuccenſebant. Vbique idola, Deus in- H

A ret eos nullibi. Sed vulnera, Chriſti medicinam non erant eructura. Licet enim Prophetarum linguas ad dicendum concitaret ægritudo, tamen omnis Propheta ſic affectus conſeruus erat: verum Chriſto præſente euaneſcebat idololatria. Quod igitur gentes linguis irretiturus eſſet Chriſtus, & orbem terrarum impietate occupatum religionis artibus congregaturus; incredibile autem erat Propheticis auribus gentes ad veram religionem traduci poſſe: incredulis Deus rebus perſuadet, ac per viſiones futura reuelat. Idcirco nunc Ionam, qui gentibus ianuam ſalutis pandat, mittit, Prophetas docere volens quanto ad ſalutem Gentes præ Iudæis futuræ eſſent obſequentiores, & quanto Græci, quam Iſraelitæ ad fidem ardentiores.

Ion. 3. *Vade*, inquit, in *Niniuem ciuitatem magnam* orbis inſtar, ibi ea concionare. Quid, inquit, ille, Niniuitis impium magis? quid ad idololatriam inſanius? Tu vero mitte vocem minitantem euerſionem, ac vide animorum immutationem haud denuntiatione mea ſegniorem: Vide pœnitentiæ arma iram mea valentiora. Vide vt norint conciliare Dominum iratum.

B At non erat, vt videbatur, Ionas lubens humanitatis præminiſter, verum attendens Deum verbo minari, reipſa vero ſaluare percupientem Gentium odio fugam prætulit futuri denunciationi, & inimicitias cum Gentibus reprofeſſus eſt. Quam ad ſanitatem conducibilem acceperat medicinam, occuluit ignorans forte, vt arte ſua ſolertior ſit Deus peccatorum propugnator. Fugitans enim maris fluctibus impeditus eſt, cum fugæ adminiſtram naniculam circumplexum mare conſeruum quærebat latentem, & occultam fugam procellæ ortu mare accuſabat, & quod occulti conſilij coqueret Propheta tempeſtas publicauit, fuitque ipſi nauigium audaciæ theatrum, & tribunal in nauis conſtituebatur, nec non ſurtiuum reum reconquirebat, & Prophetam nauta iudicio condemnabat.

Ion. 1. *Dic nobis: Qui ſis? vnde? quod eſt opus tuum? qua terra tua? quo vadis?* Quid ergo Ionas? *Domini ſeruus ſum ego*, ipſe ſuimet accuſator fuit: *Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare & aridam.* Pro fuga reſpondens euaſit Dei cognoſcendi præco, & religionis ſcholam nauem fecit. *Dominum Deum cæli ego timeo.* Eſt Deus, ô nautæ, continentis Dominus, & maris opifex, cuius digiti cælum fabricarunt. Illius ego ſeruus, meam fugam perſequi-

C tur mare Domino ſubſeruiens, ſibi conſeruum me prehenſat, ego procellæ cauſa, adſit, quod à mari conquiritur, mancipium, id in mandatis habet, vt me fugientem inueſtiget. Tradite & ſaluemini. In manibus habetis tranquillitatem, ſi vultis. Vnius corpore ſalutem redimite, *Dominum Deum cæli timeo.* Has ſi Niniuitis, ô Propheta, voces miſiſſes, fuga tibi minimè neceſſaria ſit; neque ſi ſuaderi potuiſſes, vt hæc damnatis nuntiares, captes effugia. Nautas prius ab errore conſeruaſti, quam Niniuitas docueris. Sunt Gentium pars, qui tecum nauigant, in ijs Niniuitarum fidem condiſce. Tuæ fugæ iudices veram religionem docuiſti. *Et tulerunt Ionam, & miſerunt in mare, & ſtetit mare à feruore ſuo.* Neque enim vlteriora opus erat procella comprehenſo fugiente, non vltra opus erat quæſtione, detento profugo.

Ion. 1. *Et timuerunt viri timore magno Dominum: & immolauerunt hoſtias Domino, & vouerunt vota.* Et Ionas fugiens, ſalutis hominum mercatum obibat. Quid igitur nequitiæ medicamento Gentibus interdicis, ô Propheta? Tantum locutus es, & ſimul nauigantibus perſuaſiſti; locutus es, & fidem genuiſti, emiſiſti vocem, & animam ſubiugaſti.

Ion. 2. *Et præparauit Dominus piſcem grandem, vt deglutiret Ionam.* Hac ratione Deus Prophetam captiuum cum feciſſet, & fuga ſuperior fuiſſet, ceti ſepulcro receptum continens

D has ferè vſurpat voces: Nunquid adhuc fugere vis, ô Propheta? adhuc gentium ſalute fugam præponderas? ſpernis pereuntes? gaudes eorum animaduerſione conſpecta? non vis miniſter eſſe vocationis? Triduum igitur ſubi ſepulcrum. Suſtine incarnationis dominicæ caſus; diſce, vt gentes omnes vocabuntur, ſit cetus ſepulcrum, compone te Incarnationis meæ imitationem, per quam non ſoli Niniuitæ, ſed hominum orbis vniuerſus religionis virtute ſaluabitur. Reſurrectionis gere ſymbola, expedi te ceto tanquam monumento. Iudæis tuis perſuade quod ſepulcra ſoluentur. Non eſt minoris admirabilitatis, piſcis

E ventrem eum, qui viuit, refugere, & mortis ventrem. Meæ Incarnationis contemplator eſto. Meus enim Filius templum ex hominibus adſumet, & ſtolam, quæ iiſdem, quibus homines, caſibus obijciatur, induet, carnem ex hominibus delibata veſtietur hominum cauſa, eam Iudæi morti addicent, & cruci affigent, qua Iudæi à malis fructuoſe liberari queant, & eam morti tradent, qua mortui norint reuiuiſcere, qua victor ab inferno redeat ad vitam, qua ſepulcro inferetur, & cum monumentum capiet: quemadmodum te, ô Propheta, ceti venter in lucem remiſit inoffenſum, & conſeruauit. Minus virium ad perniciem habuit marina bellua, minuſque habebit ibi virium mors, ſoluet mortis decreta, quibus vetus culpa ſubſcripſerat, mortis leges obliterabit: huius enim decretum ſerpentem infrænabit adhuc hominibus obloquentem, omnibus ſalutis ſpes oſtentabit. Tunc & Niniue, quæ Polis vocatur, ſaluabitur, & à Chriſto nomen mu-

F tuabitur, non ab idolis. O Domini clementiam! quæ Prophetas diligit, peccatoribus dat veniam, iuſtos erudit, peruerſos reflectit. *Concluſit enim Deus omnes in incredulitatem, vt omnium miſereatur*, cui gloria, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen. Rom. 11.

Euſdem in Dauidis hiſtoriam.

Oratio XIV.

ALij aliarum artium magiſtri hominibus conſtituti ſunt, & varia ſcientia diſcentium manus exornant blandientis vitæ vſibus. Medicus quidem medicas artes exponit pharmacis docens ægritudines oppugnandas. Alius quiſpiam cum ære, aut ferro colluctatus, & naturam arte ſubigens in aurantes artis transfert doctrinam, dum qua via noſtræ voluntati facile æs obediat, perdocet. Quod ſi in agricolam oculos conieceris, videbis quandoque aratro terræ ſinus ſolicitantem, & proſciſſionis altitudinem ſulcis dimetientem: quandoque vitem ſuo degrauatam onere pampinos putando expugnantem & riuulorum ou-

G mero vineti ſuntes accuratè exæquantem, ne conſertim abſumtis naturæ diuitijs ſicciores & pauperiores fontes edat. Deinde pullulantes è vite capreolos curioſe intercplicans, nec ſine ornatu, ſuos edocet liberus vineti theſaurum paullatim ſcrutentur, neue flagrans opum deſiderijs & inanem ambitionem ſecuti plantam vitient, ac depauperent. Verum enimuero homines alij alios humanas condocent artes, quarum vſus per totam circumfertur vitam, fructus autem præſenti circumſcribitur tempore. Scriptura vero à Deo inſpirata ab humanis vilioribus colloquijs auolſis hominibus diuinarum rerum cognitionis pandit officinas, diſciplinam docet, cuius lucrum eſt immortalitas, quali ſtudio paradiſus piè excolatur, quomodo cælum capiatur, quomodo quis cæleſtes theſauros nundinetur quomodo quis Chriſtum pro hæreditate capiat, quomodo cum Chriſto regnet, quomodo gehennam effugiat, quomodo venturos ignes ſuperet, quomodo iudicio deuinato iudici amicus adſtet. Scriptura doctrina iſtiuſmodi artium præſidet, iſta clamans diſcipulos edocet, & præceptionibus parum contenta, rebus ipſis plura

H memorat. Virorum namque recordatione, qui res magnas geſſerunt, ad imitationem prolectat. Præclaros pietatis athletas producit in medium per narrationes ſimilitudine naturæ ad ſimile propoſitum inceſcans. Ideo ſiquidem quem primum natura iuſtum genuit, ſilentio non preſſit, ſed contrarres Abelis dilucide deprædicauit quendam iuſtitiæ characterem poſteritati delineans, quod mentem Deo dono dediſſet ante donum, quod Deum, qui proſpicit improſpectus, ante viſa dona inuiſibilibus donarijs oblectaſſet. Quid Enochum loquaris? qui penna iuſtitiæ clarus ſupergreſſus eſt naturæ terminos, cum primus mortis decretum oſtendit inefficax. Habes item in Scriptura Noemum celebratum, qui in vniuerſali diluuio gubernatur ſeruabatur, & iuſtitiæ gubernaculo diluuij violentiam propulſabat. Quid Abraham? naturæ leges calcauit, & vnigeniti filij iugula-

tor con-

A tor conſtitutus naturæ Dominum obſeruauit, qui Dei de-
ſiderium ingeniti affectus tyrannide ſuperius declarauit,
& charitatem gladio penetrabiliorem. Cogitatione tranſi
mihi ad Prophetam Dauidem, & vide tota virtutum
prata eius in anima conſita, qui adoleſcentior cum ad-
huc eſſet bona rerum copia auctus erat: imperfectus
quidem per adoleſcentiæ tempus, ad ſummam tamen
diuini cultus arcem euectus eſt. Cuius mores Deus vel
in medio grege admiratus regijs ornat ſceptris, & ma-
gno Samuele pueri confirmandi cauſa miniſtro conſtitu-
to oues adhuc ſequentem diadematis coronat; peram
purpura, virgam ſceptro commutat, ac pro animantium
grege Iſraelis turbas paſcere iubet. Huic igitur, ſi videtur,
huic hodie doctrinæ vacemus, atque virtutem diſca-
mus & hic honoratam, & in cælo coronatam, ſimuſ-
que Dauidis imitatores veſtigijs inhærentes, quibus il-
le ipſe vſus in cælum confugit. Et dixit Dominus ad Sa-
1.Reg.16. muelem: *Imple cornu tuum oleo, & veni: mittam te in Bethleem*
B *ad Iſai; Prouidi enim in filiis eius mihi regem.* Deus adoleſcen-
tem manifeſtat, & cum Propheta de Propheta loquitur.
Vidi, ô Propheta, animam Gratiæ receptricem, vidi,
ô Propheta, animam ad ſpiritus receptionem bene com-
paratam; ornauit figmentum meum rebus bene geſtis;
adiunxit ad artem creandi meam animi decus. *Hunc pro-
uidi mihi in regem.* Non ſimpliciter *Prouidi*: ſed *Mihi in re-
gem.* Arcanum aliquod myſterium continet. *Prouidi in
filijs Iſai mihi regem.* Quoniam enim ex Dauide Chriſtus
ſecundum carnem, verum regnum, cæleſtia ſceptra, ſa-
lutaris generatio, perennis Gratia: *Prouidi*, inquit, *in
filiis Iſai mihi regem.* Tantum non dicit: Meum eſſe iſtius
filij regnum reputo. O ſapientiam immortalem! ô ar-
canam miraculi editionem! Et filium tegit. non clarè
dixit: Vngatur mihi rex Dauid: ſed *Prouidi in filiis Iſai.*
Ne enim humanæ videatur eſſe gratiæ vnctio, neue ele-
ctio Samuelis regni adiectio, communi filiorum appel-
latione filium iſtum tegit, & ad populum mittit, vn-
ctorem Samuelem: Ibi, ô Propheta, exſpecta vnctio-
nem Gratiæ: ne extemporalis regis proclamatio digni-
tatis euadat imminutio, neue gloriam adulteret regnan-
tis notitia. O res incredibiles! Dauid cum ouibus ſub
C diuo agit, & Deus in cælo ſuper regno conſilia agitat.
Dauid gregem paſcit ſolicitus: Deus interim thronum
apparat. Ecce præſto erat Samuel & filiorum Ieſſe cho-
rus circumſtabat, ac poſt ſacrificium ad vnctionem com-
parabatur, ignotaque erat de vnctione diiudicandi ra-
tio, & medius Samuel, quem eligeret, dubius hærebat,
errabat oculis, nec quibat dignoſcere. In omnes iacit
oculos, & quo mitteretur Gratia, præſtolatur. Conſpe-
ctum hominem humanis menſus oculis miratur: ſed
Gratia quod videbatur, repudiabat decreti diuini gnara.
Ac Samuel miratus, quod viderat, hiſce cum gratia
1.Reg.16. contendit: *Num coram Domino Chriſtus eius?* Et cornu
inuergens reiectaneum vt vngeret, cogebat. Sed oleum
fluere recuſabat, ne cum errante Propheta faceret, & flu-
xa natura ſurſum retinebatur Gratiæ legibus obſecuta,
caputque à quo reſiliebat Gratia, relinquebat aridum.
Præſto erat & alter, qui cum primo dedecus idem refere-
bat. Tertius quoque cum germanis cognatam germa-
namque tulit repulſam. Ordo quartum vocabat ſilen-
te Gratia, vocandi ordo naſcendi ſequebatur ordinem
& proprium Gratia non reperiebat. Quid opus verbis?
D Conſumta erat vteri vbertas, neque Gratiæ fructus me-
tebatur: His animaduerſis Samuel, quo hæc viſa eua-
derent, ignorabat dicens. Quid hoc viſi? hoc rei? qui
iuſſit vngere, Deus eſt: qui iuſſus vngi, filiorum cho-
rus. Verax eſt, qui iuſſit, iuſſa minime conſequitur ap-
probatio, cornu cum re viſa non concurrit. Numerus fi-
liorum, quod quæritur, ſuffuratur. Cæterum te nunc,
ô pater, alloquor: Filij deficiunt. Sed etſi annueris, haud
credidero. Nam Dei ſententia repoſcit occultatum. Scit,
1.Reg.16. qui dedit, licet, qui accepit. *Adhuc*, inquit, *reliquus eſt
paruulus, & paſcit oues.* Quid eum, qui ne ad gregem paſ-
cendum ſufficit, ad regnum flagitas? quid inſtituto co-
gnito contentioſius ei tantum adiungere dignitatis alla-
boras? minor eſt, qui derelictus. Sed Deo ſuffragante
non præualuit, generatoris ignoratio. De repente puer E
Dauid producitur paruus ætate, animo magnus. Mitis e-
rat adſpectu, mitior animo. Ore micanti, animo candido,
præ corpore bene colorato lætius geſtans animæ decus.
Ecquid verbis opus? ipſum conditorem teſtem habeo:
Pulcer, inquit, *adſpectu.* Trahit in commendationem o- 1.Reg 16.
culos creatoris, perinde ac ſi diceret ad Samuelem Deus:
Tu mortali oculo corporis magnitudinem dimenſus mi
rabaris: ego vero quæ mihi ſoli videtur pulcritudo, eam
exambio. Vbi enim animæ theſaurum inuenio, ibi mira-
tur oculus meus. Gratia ſtatim ad vnctionem mouit ma-
num. Nondum cornu inuergebatur, & oleum properan-
ter defluebat, vnctioque ſententiam confirmabat: & rex
erat Dauid prophetica manu ad regnum prouectus, &
cæleſti approbatione dignitatem conſecutus, ſubitoque
primus fratrum comperiebatur qui poſtremus, ordoque
naturæ cedebat Gratiæ, & legis partus ſuccumbebat. Ar-
cana erant regni exordia, neque ab ipſa natura illuceſce-
bat imperium. Fratres enim primatu exciderant, & quos F
primos natura produxerat, primos deijci cogebat Gra-
tia. At Samuel dum regi creando daret operam, ſceptris
Dauidis obniti videbatur. Spiritus autem Gratia à Saule
translata ſpiritui nequam habitationem concedebat.
Quale enim animæ diuerſorium Saul præparabat, talem
ſuſcipiebat habitatorem. Oportebat regno Dauidico eni-
teſcente Saulicum exſtingui. Vt igitur ſol exoriens no-
ctem depellit, & obſequenter in noctis confinio radio-
rum lucem mundo impartit: ſic Dauidis exoriente prin-
cipatu Saulis regnum vergebat ad occaſum. Deſertam
igitur à Gratia, nec habitatam Saulis animam nactus dæ-
mon proprium ſibi effecit domicilium, & aduentus ſui
notas euentu rerum dedit. Prudentia de mentis arce de-
turbabatur, tranſuerſim agebatur oculorum pupillæ, dæ-
moniacis motibus obturbabantur, quolibet rapiebantur
pro dæmonis voluntate. Paullum vero à dæmonis ob-
ſidione nactus induciarum ſeruis ſequeſtris Dauidi ſup-
plex fuit, & ad verum regem, ab eo, qui in ſpeciem obti-
nebat imperium, legati deſtinati pro donis hortamenta
tunc deferunt, ſupplicandi forma Dauidis dignitatem
proclamant, clandeſtinum hoſtem Dæmonem eſſe de
narrant, regis aduerſas res enunciant, nec amplius Sau-
lem regnatorem eſſe confitentur. Solue, inquiunt, & qui- G
eſce inuiſam obſidionē, ipſum quis neſcit eſſe captiuum?
hoſtem reprime factis duntaxat graſſantem. Pugnantem
non videmus ipſi, telorum vulnere deprehendimus. Le-
gatos humanè excipit Dauid, & mox erat in armis Spiri-
tus. Pſalmus enim, & lyra, & Gratia arma ſunt in dæmo-
nes. Loquebatur tantum, & hoſtis vinciebatur, & lyræ
melos veluti telum iaciebatur in dæmonem. Quis audiuit
trophæum cantibus excitatum? Ne vero mireris, ſi cum
regno in dæmonem quoque vires acceperit. Nam Chriſti
pater ſecundum carnem Dauid fuit, vnaque cum regia
dignitate Dominicæ Incarnationis promiſſiones accepit.
Vbi enim Chriſti memoria, dæmonum eſt pernicies. Vbi
ſigillum cæleſte eſt, ibi diaboli exitium. In hunc primum
poſt Abrahamum Deus Chriſti Incarnationē inſeuit, nec
ſine iureiurando id boni nuncij expromiſit, *Iuraui Dauid*
ſeruo meo, vſque in æternum præparabo ſemen tuum, & ædificabo Pſal. 88.
in generatione & generationem ſedem tuam. Et iterum promiſ-
ſionum acceſſione iuſiurandum affirmat: *Semen eius in* Ibidem.
æternum manet, & thronus eius, vt ſol in conſpectu meo. Cum
his Petrus Apoſtolorum coryphæus congruens clamabat: H
Iurauit Deus Dauid de fructu lumbi eius ſedere ſuper ſedem eius? Actor. 2.
Quod ſi huius fructus Chriſtus eſt, quomodo nō pretio-
ſa radix? cum & ipſi Prophetæ eius exiſtimationem euul-
gent: *Et erit ex radice Ieſſe, qui exſurget regere gentes in eum gen-* Rom. 15.
tes ſperabunt. cui gloria, & virtus in ſecula ſeculorum, Amen.

In Dauidem.

ORATIO XV.

NEque qui mare tangit nauta, periculi ſecurus eſt ob
tranquillitatem, ſed qui paſſis nauigij velis Dominū
maris aduocat, vt ventum det in puppim, dum maris trāſ-

miſſo

A miſſo curſu nauem in portus appellat: neque cui propoſitum eſt turrim excitare, ſpectantium pudendum opprobrium reputans animo, ac deſideratæ rei carentiam ſemifactum opus lubens omittet: neque pictor, aut fictor, ille coloribus, hic ære virilia facinora dum exprimit, tunc opere ſuſpenſo artem deſinit, quando ipſis dextera ſua progreſſione naturæ veſtigia perſequitur. Age tandem quando à Dauide rectè facta tetigimus, mare Gratiæ vidimus, portus in anima iuſti conſpeximus, turris formam ſingularem, noui denique regis, ac Prophetæ ſtrenuitatem contra dæmones à principio ſpectauimus: age modo & nos ad medullam hiſtoriæ veniamus, videamus animi Gratiæque contentionem, animi virtutem, & gratiæ miracula, animum obſequentem Gratiæ, & Gratiam coronantem Martyrem animi ſpectatum. Iam ergo Saul à dæmoniaca vexatione liberatus erat, & lyræ pulſu Dauid impurati ſpiritus dominationem fregerat, vinctamque
B animam ſoluerat ab inconſpicua obſidione: ſed conflictus cum Goliath dæmonum pugnæ ſucceſſit, ac ne ſolius regis ſoſpitator eſſet Dauid, verum etiam palam de vniuerſo Iſraele bene mereretur, & ſubditis allata ſalute rex ſtabiliretur, atque promulgaretur, ſinum rurſus militem in bella mouebat Gratia. Ac iam præſens aderat Goliath ingens robore, grauis adſpectu, inhumanè ſpirans, neque neceſſa diſpari, altum vociferans, & vociferationem adſpectu comprobans. Qui cum inſtar montis exſtaret hoſtem ante conflictũ cogebat pugnam detrectare, ſerto, lorica, galea reſplendens, qua vtebatur haſta, erat pro modo corporis; tantoque haſtæ communis modum ſuperabat, quanto ſupra humanæ naturæ terminos ille ſe efferebat. Alienigenarum exercitu in orbem, & ſtationem compoſito. Iſraeliticarum optimos ad ſingulare certamen euocabat victorum ſeruitute in præmium victori promiſſa. Terribilis adſpectu; at voce terribilior terrorem terrore geminabat, lateque ſpargebat. Saul interim in tumultu erat, Iſrael in exſpectatione ſeruitij, terror ipſe vires refrænabat, hoſtilis adſpectus Iſraelitas vel armatos de ſtatione deturbabat, minæ intempeſtiuè animos percellebant, ante viti
C mente, quam corpore conſternebantur. Cum autem nullus è toto exercitu probaretur ſatis, eſſetque in periculo Saul; tunc militem ſuum producit in medium Gratia verè regem factis declarans, dum pugnæ prouocationem Dauid ad ſe rapit, & oratione conſauciatum Saulis animum præſanat. Qui cùm ægre induceretur in ſpem credere remiſſer, niſi ad id neceſſitate compulſus fuiſ-
1.Reg.17. ſet. Terrore victus ætatis excuſationem prætexebat: *Non vales reſiſtere Philiſthæo illi, nec pugnare aduerſus eum; quia puer es, hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua.* Ignorabat, quod terrore præmonitato victoriam admirabiliorem faceret. Sed quem obarmabat Gratia, à pugna non a-
1.Reg.17. uertit Saulis oratione: *Nunc vadam, inquit, & percutiam eum, & auferam opprobrium de populo. Quoniam quis eſt hic incircumciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui Dei viuentis?* Qua ratione à propoſito certamine conatus es auertere, acrius, ô Rex, ad pugnam exacuiſti. Hic quidem bellator, ego vero belli inexpertus; quæ res animos mihi facit: neque enim viribus meis fretus, ſed Gratiæ in aciem prodeo. Deo contumelia dicitur: ecquis in pugnam non armetur? Ipſum Deum contumelia laceſſitum in auxilijs numero,
D maledicam illam inimici linguam victoriæ pignus teneo. Corpore præfidens eſt, & thorace; ego vero immortali defenſione munior: ſcutum obiectat; verùm hoſtem à Deo oppugnatum non metuo ego, cui cælum pro clypeo eſt: cum eo manus conſero, cum res eſt cum Deo: Deo inſtrumentum ero viſibile, qui inuiſibilia iacit tela. Dauid imbecillus eſt; ſed fortis, qui mihi præſtò eſt in acie: Dauid puer: ſed æternus, qui prœliatur: Paſtor apparet; ſed fecit vniuerſum, qui me reficit armatum. Satis mihi eſt ad victoriam fides. Oratione perſuadetur Saul, & remiſſo timore proprijs armis Dauidem loricat, regioque belli ornamento exuto Dauidem circundat, ſimulque ipſe Dauidi regiam publicitus adſcribit poteſtatem. Imprudens Saul diuinæ Gratiæ decreto obſecundabat, & eum ornaret armis, quem antè ornarat Gratia, ornamenta dignitatis exuebat. Verum enimuero cum Dauid regiè iuxta, ac bellicè eſſet armatus, declarat Deus, vt nihil opus ſit armis Deo bellum adiuuante. Quare arma E
tanquam victoriæ impedimenta Dauid exuit, recuſat thoracem, galeam abijcit, ſcutum deponit, manum haſta liberat, bellicam ſtolam excutit, ſtola paſtoricia, & virga, ac pera obarmatur, quibus cum rebus ad regnum promouit Gratia. Quaſi hæc ad eum loqueretur: Nihil tibi eiuſmodi opus armis, quæ partem gloriæ bellicæ ſibi arrogent. Communicetur inter nos, ô Dauid, belli decus. Ne victoriæ gloriam ad ſe trahat armorum potentia. Videam te paſtoris habitu deprœliantem; Gratiæ, non armis tropæum adſcribatur. Hoc arcano verborum tenore Dauid actus in bellum cum tali habitu in alienigenarum fertur propugnatorem. Deinde Goliath videns puerum pugnæ incenſum amore. Oculorum eligantiam, genarum florem, & alienum à belli ſtudijs ſchema, in riſum effuſus eſt, ſpectaculum ludicram di- F
cens armaturam eiuſcemodi. Carebat enim oculo fidei, quo auxiliatorem inconſpicuum cerneret, ac certè dæmonum opera factus elatior ſuperbiloquentia perterrefaciebat, canumque ventres pro ſepulchro promittebat. Qui verborum faſtui Dauid auxiliatorem, quem promulgabat, opponebat, oſtentans illi de cælo aduerſarium, prædicens victoriam, ac victorem conteſtatus. Gratus ſeruus, qui vel ante operam operæ fructum of-
fert Domino. *Tu venis, dixit Dauid, ad me cum gladio, & haſta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſrael.* Tu quidem contentum intueris, ô bellator, quod ob oculos eſt, & rebus, quas vides, pugnæ ſpes metiris: ego vero Deum tibi aduerſarium oppono. Cognoſces Deum cæca dextera proſperè bellantem. Non hiſce meis manibus, ſed diuinis obarmatus ſum, tibique cum vita caput adimam. Neque enim te ignorare par eſt, quæ poſt mortem ſuſtinebis: infligam tibi pœnam morte diuturniorem. Quo enim Deo credo victoriam meam fore, eius ope victoriæ prædico modum. O plenas amoris diuini voces, vel antè victoriam potitas victoria! Lingua de fide cum incredulo diſputabat, manus autem fundam in vſum certaminis 1.Reg.17.
pro fide ſuſcepti aptabat. Miſſo igitur lapide galea rumpebatur, plagam caput admittebat, & anima de corpore fugiebat, ſatique celeritate ſenſu mortis caruit; ſternitur mortuus Goliath, ſternitur alienigenarum turris. Hoc fidei ſpolium eſt, tropæum Gratiæ, auxilij cæleſtis iudicium, blaſphemiæ coerctio, columna index extinctæ audaciæ. Quid igitur ſuper his Dauid? Qui omnia Gratiæ tribuit, neque gladium infert in pugnam, inermis pugnator ſublato Goliath gladio gladij dominum diuidit, armis in vſus debitos verſis. Cum igitur Goliath arma fabricaret, id ſe in vſus Dauidis facere, & proprij iugulatoris baiulum in aduerſarij habitu ſe Dauidi venire ſubſidio ignorabat. Hic tu mihi vide perquam gratum Dauidis animum & mores imitere, vt conſequaris gratiam. Sectum enim caput cum ſectore gladio, victoriæ parenti donatum offert; & cum quæ deuicerat, Deo offert, ei victoriam arrogat. O qui palã feciſti fidẽ ad pugnã nullis egere armis! ô qui in teipſo palam feciſti fidei vim! ô qui palã feciſti hominib. pro Deo pugnã eſſe capeſſendã! G
Tales animas legere nouit Gratia: quare & cura gregis diſtentũ vocauit ad regnũ. Nã cognita animi mente minime erubeſcit artem. Placet ſibi Deus abſtruſum in deſpecto corpore margaritum conſpicatus. Viſo iam Dauide fortiter agente in admirationem raptus es? at Prophetam maiorum certaminum excipit occaſio. Cùm enim videam, ô dilecte, tuæ audientiæ alacritatem efferueſcere, orationem contrahere non lubet: cùm te videam Gratiæ de victoria congratulantem, lætitiam reprimere vereor. Poſt Goliath ſurgit in Prophetam hoſtis longè acerbior, regis inuidentia victori inimica, ac proſtrato Goliath tanto grauior, quam o Goliath inimicus viſus, & hoſtis cognitus armorũ oſtentione legitimam in aciem voce vocabat: hic vero hoſtis latet in inſidijs, cogitatio inimica eius animo tegitur, eſt crudelis, maleuolentiæ plenus, amicitiæ larua loricatus, ex improuiſo in eũ telũ iaculãs, qui per imprudẽ- H

tiam

A tiam nidus fuerit. At quæ radix inuidiæ, vnde mali initium, dictu neceſſarium eſt. Poſtquam enim ſpiritus hoſtium vnà cum cadente Goliath ceciderunt, ſtetitque tropæum, & in fugam actus hoſtis terga telis præbuit fugæ teſtes vulnerum loca reportans, & à ſeruitij metu liberatus Iſrael, ac in partem victoriæ Dauidicæ venerant omnes: mouit ad fauſtas acclamationes vel mulieres victoria ipſa, quæ cum iucundiſſimam victoriam carminibus intexuiſſent, ſuis vocibus animi lætitiam euulgabant. Hæ voces Saulem verberabant, & muliebres cantus regem conſauciabant, eratque telum inteſtinum in anima vulnus idem aſperans, & inuidiæ protelum, noua contentionum principia, noua iuſto periculorum meditatio, & aliorum terrorum exordia. Qui vicerat, veluti victus odio erat, & qui libertatem pepererat, tanquam libertatis proditor oculis notabatur, quique cognatos belli fluctibus exemerat, ſolus inuidiæ fluctibus iactabatur. Ve-
B rum, ô dilecte, ne tibi paradoxum videatur, ſi Dauid tantæ cum eſſet gratiæ, Deoque in delitijs, inuidiæ iaculis fuerit expoſitus. Nam cùm inuidiam perimere Deus potuiſſet inuidente peremto, ſentiendum non eſt nullam iuſti rationem, nullam Dauidis curam Deum habuiſſe. Sic enim & Nabal ſuſtulit Deus Dauidi gratificatus, dum eius iniurias morte vindicauit. Sic ab Abſalone commotæ mentis in patrem pœnas exegit Deus, dum contra naturam inſanientem coma ſuſpenſum ad naturæ ludibrium oſtendit, & carnifici arbori captum tradens ligni tyrannide vſus eſt. Dauidem tamen Saulis motibus obluctari permittit Deus, vt athleta ope diuina inuidentiæ victor euadat: tentationem permittit, vt mentem coronet. Nouerat hanc athletarum præſes Iobus, in quem tantarum calamitatum tempeſtates diabolus immiſit, vt nulla temporis pars à luctu vacua fuerit. Ecquis igitur fructus permiſſionis malorum? mundus fuit illi certaminum theatrum, cælum victoriæ coronam plexuit. Potuit & Ioſephum nulla intercurrente moleſtia totius Ægypti dominatorem creare: ſed neſciſſemus in ſeruorum redactum ordinem rerum geſtarum amplitudine dominatorem euaſiſſe; ſed neſciret Ægy-
C ptus tantum continentiæ propugnatorem, & ſeruum libidinoſæ dominæ continentiæ præſidio dominum fuiſſe. Iſtorum Dauid hæres eſt, qui præſenti malo iactatur. Nam quorum mores amplexus eſt, tentationes excipit, & iiſdem in certaminibus verſatur. Goliath igitur cæde peremtus fuerat, & Saul ab inuidentia ſaucius: Dauid autem adepta victoria, lenitatem immenſam, quæque Prophetam deceat, ac morum facilitatem præ ſe fert. Iterum enim rege Saule furore percito, & mente alienato Dauid lyram, qua medicinam faceret, retractabat cautione vice medicaminis malum leniens. O Propheticam clementiam! non ſuccenſet inuidenti, non odia in memoriam reuocat, non penitus malè punitionem mulctur. Quid hoc loquor? ne quidem ſegniter lyram prehendit, ſed tanquam bene merentem curaturus properabat, & contra dæmonem pſalmum excitabat in auxilium: verum nequitiam non ſuperauit comitas. Paullum enim à dæmonis exitu leuatus Saul, & aduerſorum deterſa caligine in Dauidem, quem præſentem cognouerat, haſtam eiaculatus medicinæ pretium cædem obtulit, quaſi ad mentem ſobriam ideo ſe recepiſſet, vt iterum ſeruiret in-
D uidiæ. Redintegratur inuidia, & in ægritudinem tranſit ægritudo, rurſuſque per inuidiam dæmonem vocat, nec ſine irarum ſignificatione haſtam iacit in Dauidem. Ictum vero paries excipit, omnibuſque facinus indicat. Non enim omnia videns oculus hic curam remiſit, neque iactum telum diuinam prouidentiam præuertit. Ita Dauid periculo exemtus eſt, & lapis funeſtæ manus monumentum teli ſuſtinuit impreſſionem, atque audacis facti accuſator in natura ſenſus experte cædis mſit ſymbola. Quo pacto, Saul, audes talia? quid in teipſum haſtam vocas? ſi Dauidem ſuſtuleris, quomodo dæmonem perſequeris? quid eum non cogis, qui tibi vnicum ſalutis remedium ſupereſt? Verum Dauidis ſapientiam non euicit, neque terror minarum manſuetudinem eius violauit. Ille quidem cum aberaſſet à ſcopo, mores

E ſuos manifeſtauit: hic vero mentis conſtantiam tenuit, neque de virtutis ſtatione deijci potuit. Vides vt ſapienter Gratia delectum habeat? vides eum, quam iuſtè præ fratribus elegerit, quando fratres corpore ſpectabiles auerſata ſit, in vilem ſpecie ipſa de vnctione ſuffragium tulit. His gaudet Deus, his lætatur gratia, tales cælum è terris excipit. Talis & harum rerum cognitionis nobis fructus obtinget, ſi geſtiamus imitari, ſi ſapientiam hanc miremur, ſi humanitatem perſequamur. Ne inimicos odio proſequamur, Chriſtum reſpiciamus dicentem: *Videte, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris*, cui gloria & fortitudo in ſecula ſeculorum, Amen. Matth. 11.

In Eundem Dauidem.

Oratio XVI.

F CVm gratia paratam promtamque oſtendat audientiam, tunc linguæ quoque dictionem ſubminiſtrat, ac dicenti vires. Nam qui omni carni cibum ſuppeditat, animam quoque alere deſiderat. Animæ autem alimentum eſt epulum verborum Dei. Conuiuijs namque corporalibus caro nutritur, ac per corruptibilia capit incrementum caro corruptibilis. Animæ vero pabulum veritatis eſt cognitio, creatoris intelligentia, diuinarum rerum narratione repleri. Ac circa eiuſmodi alimoniam otium impendere cum Dominus homines doceret, clamabat: *Cibus meus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me.* Ioan. 4.
Propterea Iſraelitis per ſolitudinem corporalem cibum per aerem manna ſuffecit: ſpiritalem vero menſam per Moyſis doctrinam appoſuit. Nam ne, quod in natura deterius eſt, laboret inopia, neve animæ pars melior oppreſſa fame obbruteſcat, percommodè partitur alimentum conditor, dum vtrumque nutrit. Corpori quidem res cognatas, quibus ali conſueuit; animæ vero, eius ingenio commentarios congruentes. Quos enim Moyſes opera Dei loquentis conſcripſit, eos anima conquirit in paſtum. Rurſum terra promiſſionis corpori fructus reddebat: quæ vero Prophetarum linguas
G irrigabat gratia, cibus animæ comparabat. Eam enim ob rem literarum monumenta Sanctorum vitas complexa notitiam ad poſteros tranſmittunt, quo ad imitationem impellantur, vtque nondum natis theſaurus pateret, virtutis promtuarium ad vitæ rationes perutile obijciunt. Nos autem prius Dauidicam exorſi ſumus hiſtoriam: age in præſens quoque ex rebus ab eo præclare geſtis doctrinæ menſam apponamus. Cum ergo Dauid fratribus antelatus fuiſſet, & regno auctus, vnctioneque ſacra delibutus, ætatis quidem gradu inferior erat, lege autem gratiæ ſuperior; tunc omnibus Gratia perquam ſtudioſe reapſe oſtendens non temere delectum, agit deinde virum in certamina, deliteſcentem in adoleſcente boni theſaurum non ſine pompa extrahit in lucem. Arbitremur igitur Gratiam in Dauide delectus initi rationem reddere, cur in ipſum ſolum inſpiciens alios omnes homines deſpexerit. Siquidem rectoris virtutem non prodit tranquillitas, neque qui fertur in puppim ventus, & inſtar alarum nauigium tranſmittit. Sed cum ventorum impetus, & vndarum eruptiones, atque inſultus feruent, cum contra nauem ſurgit mare: tunc penitus rectoris eniteſcunt ar-
H tes, tunc ſollertia tempeſtatis violentiam palam vincit. Similiter & ars medici ſuſpicitur, cum ingraueſcentem morbum animaduertens pharmacis tollit ægritudinem. Et aurum probat ignis: viri vero virtutem conflant vitæ aduerſa. Videamus igitur qualia pericula Dauidem circumfuſa aperuerint quid in adoleſcente repoſitum eſſet. Vicerat pridem alienigenam inermis, cum in acie contra Goliath conſtitiſſet, & victoria Gratiæ erat: Gratiam vero fides vocauerat. Metu regem liberauit, priuſquam ſeruitij iugum contribules experirentur, repulit, & exitus victoriæ fuit inuidia, periculum, cædiſque meditatio. Saul ipſe victoriam haud ſecus, ac belli offenſionem dolet, & tropæum luget, & communem lætitiam deplorat, & inſtitutam victoriæ cauſa celebritatem per inuidentiam re-

puta-

A putabat calamitatem. At cum in talibus eſſet, & cædem Dauidis moliretur, dæmoni repentinum fit ipſe domicilium morum peruerſitate dæmonem ad opus vocante. Tunc Gratia per inuidiam abacta de habitatione concedit dæmoni. Anima enim quæ virtute exuta improbitatem induerit, cum vocat ad habitationem, qui malis affectibus gaudeat. Ita Saul, cum domeſticum haberet hoſtem, iactabatur. Eum vero tam ſibi inuidentem conſpicatus Dauid, non deſpexit eiuſmodi inimicitiæ affectum; ſed teli inſtar Gratiam contra dæmonem exciuit. Hic igitur lyram ſumebat in manus, quo cantu abigeret dæmonem. Ille ſanatus haſtam in medium iactabat, ac ſublatus ſit, niſi famulum ſuum eripuiſſet Gratia. O nouum, iniuriumque facinus! Dæmon pellebatur, & dæmone liberatus arma capiebat: dæmon vincebatur & hominis mores plus ſumebant audaciæ. Cumque fruſtratus eſſet exſpectatione teli per inſidias iacti, alio vertit animum; inuiſo Dauidi filiam dare vult, nõ quo exoſum cohoneſtaret, ſed vt filiæ nuptijs cædem emeret.
B Sponſaliorum legatos mittit huius thalamum dolo prætexens. Sed Dauid non auidius in domum inuolat. Quin potius præ animi moderatione reginæ nuptias repudiat. Cum vero in dotem muliebria dona ante puellæ nuptias alienigenarum eſſet occiſio præſtituta, fidens Gratia ſuadetur ſermonibus de ſocietate habitis, ſtrenuitatis præmium nuptias ducens. Non, inquit, *habet Rex ſponſalia neceſſe; ſed centum praputia alienigenarum.*
1. Reg. 18. Scriptura vero Saulis nequitiam coarguens animum euulgat: *Cogitabat enim tradere Dauid in manus Philiſthinorum*, inquit illa. Non vt ſponſum victorem ante nuptias ſpectaret, ſed vt ante thalamum præconſumeretur, vtque mors nuptias anticiparet, necis inſtrumentum facit alienigenas. *Non vult rex ſponſalia, ſed centum praputia* poſtulauit. Mores peruerſi, cogitatio fraudulenta. Arbitratus enim eſt Dauidem præciſis vel domeſticorum capitibus, quod ab inuidia ſibi periculum creabatur, furtiuo ſtratagemate poſſe propulſare; quando in amicis, & inimicis formæ diſcrimen natura nullum figurauit. Vna vero circumciſio ab alienigenis abiungebat Iſraelem, & legis nota differentiæ ſignum erat. Quam igitur Dauidi dat filiam, in cædis perpetrandæ ſocietatem adſumit.
C O miſerrimas cogitationes! vt inuidiæ motibus obſequatur, tam immaturè filiam viduitati adiudicat, inuidiaque oppreſſus contra naturam furorem concipit. Cognatio non ſoluit inimicitias, neque naturæ vinculum diſſipauit inuidentiam. Imperat filiæ, maritum ſeruet, ſed in mortem. O improbitatem occæcatam! Viduitatem imponit filiæ, & aduerſus maritum armat vxorem, quod ſcelus refutant vxoris mores, nec natura patitur. Ignorabat interim Saul auxiliatricem, non inſidiatricem dediſſe ſe; vitæ cuſtodem, non mortis adiutricem. Illa vero improbato parentis furore virum à iugulatione ereptum fuga dimittit, ita deuicta parentis inuidia ſuam in maritum caritatem conteſtata eſt. At Saul furore excitus necis artifices emiſit. Filia vero infirmitatem viri prudenter cauſata inueteratam patris iram mollire clam ſperabat, & fugæ occaſiones fugienti procudebat. At mihi vide qua ſollertia, qua caritate mulier in virum fuerit. Perſuaſit quoque lectulo, vt inualetudinis ſimulationem adiuuaret. Imago namque in viri ſpeciem conformata, & in lectulo collocata formæ fictione videntes eludebat; veſtibus vero ſub-
D iecto recens iugulatæ capræ iecore res credibilior apparebat. Adhuc enim micans hepar & ſupremam palpitationem prodens viri reciprocantis animam ſpeciem dabat eluſo ſenſu oculorum. Talem mulier tragœdiam amore viri incenſa dare potuit! Vt inſidioſa data fuit, & auxiliaris reperta eſt: latrocinatrix emiſſa eſt, & gubernatrix inuenta. At filiæ commentum patris feritatem cicurare non potuit. Verè ementitam inualetudinem eſſe ratus iubet in lectica deportari. Cur ceſſo? cur necem non molior? Exoſum vinctum teneo, præda in manibus eſt, iugulari poteſt. Huc iam mea peruenit oratio non tam voluntate Saulis cæde cruentari accuſandi, quam fortitudinis Dauidicæ propalandæ. Nam improbitatis illius commemoratio accurata eſt virtutum Dauidis demonſtratio. Siquidem ab eo, cui multis in caſibus ſalutem

dediſſet, profligabatur, vitæ datæ præmium mortem referebat, ac per ſolitudinem, per viarum errores ad necem acquirebatur. E Familiarius hæc euenta conſideremus, & profundam animi conſternationem peruideamus, vt Dauidicæ ſapientiæ magnitudinem cognoſcamus. Nam qui iniuriam fecit, ac deinde ad ſupplicium conquiritur ex perpetrati facinoris audacia mali ſolatium capit, & conſcientiam circumferens accuſatricem ſui perſequenti ex animo patrocinatur, actaque ſua iuſtè diiudicans pœnam non queritur. At qui ſolicitè ab eo, quem non raro ſeruauit ad necem circumuenitur; beneficentiæ ſuæ recordatione attonitus, quod per eam in arma contra ſe concitarit aduerſarium intolerabili doloris morſu ſauciatur. Ita Dauid aduerſis vndequaque ingruentibus obruebatur, nec in fuga periculum ſtetit: non enim Dauidis fuga Saul ſatiatus eſt, neque præceps fuga inuidentiam minuit, ſed cum viuere nunciaretur, qui in inuidia erat, accendit acrius. F Ideo regni cogens exercitus prædator iniuſtus protinus occultatum requirit, ſaltus peruestigat, ima vallium cingit indagine, ſumma montium luſtrat curioſiſſime. Dauidis pſalmi, quid paſſus ſit, euulgant, calamitates odæ clamitant: *In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem ſicut paſſer?* Pſal. 10. Vides animam cogitatione peregrinantem, & ad ſecuriſſimam Domini ſocietatem recurrentem. Quis in talibus anguſtijs ira ſimul, & deſperatione dominante non diceret: Hæccine mihi Saul reponit? iſne quem dæmoni eripui? iſne, quem à Goliathi terrore liberaui? cui regnum in tuto collocaui? quem à ſeruitute in libertatem aſſerui? cur Gratiæ lyram pulſabam? cur dæmonem turbas introrſum cientem mei cantus feriebant? ſi obtritus à dæmone conſumptuſque fuiſſet, iam non ad cædem me quæreret: tunc eius forte inuidiam mors præripuiſſet. Immiſit in me cantantem lanceam; ego vero carminis medicamentum non omiſi: mihi ægritudinem leuanti ſuccenſebat, ego vero contentioſa quadam humanitate inhumanum ſeruabam. Nihil horum dixit Dauid, ne cogitauit quidem: ſed ſublatis in cælum oculis, inde auxilia deuocabat. Huc iam progreſſus vide mihi rerum arcanam rectionem, vide mihi Dei in nos propenſam voluntatem, ac Prophetæ ſapientiam. G Iam inueſperaſcebat, & quod periculorum nullus reperiebatur exitus, quodque ſol, vt ſolet, occiderat, cum non occumberet inuidia, Dauid obiacens ſpelæum ingreditur. Ingreditur & Saul cum ſumma inconſiderantia tempeſtate compulſus, ingreſſus autem cum ſatellitio ſomno deuincitur. Socij vero Dauidis fugitiui opportunam rati prædam aduerſarium præſentem, Dauidem exacuunt: *Ecce dies, de qua locutus eſt Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, ſicut placuerit in oculis tuis.* 1. Reg. 24. Quis eiuſmodi nactus hoſtem per ſomnum in prædam obiectum non vna iniecta plaga ſe periculo liberaret? At non talis Dauid. Verum quid, ait? *Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo chriſto Domini, quia chriſtus Domini eſt.* Amici nefarie proritabant, quæ paſſus erat, ad arma vocabant, futuri terror manum acuebat: ſed animus Dauidis haud ſuperari potuit. O generoſum pectus, & ſoli Gratiæ ſeruire gnarum! *Et confregit Dauid viros ſuos ſermonibus.* Quis bello laceſſitum, cuſtodem laceſſentis intellexit euaſiſſe? quis, vt beneficium, iniuriarum autorem comiter excepit! *Tradidit*, H inquiunt, *in manus tuas.* Neque vero Dei commemoratio Prophetam ad cædem faciendam excitauit. Hominis interemtio Dei donum non eſt, neque oculus diuinus arridet. Eſto, inimicum tradiderit, Dominum meum ſatis noui humanitate delectari: Dei beneficentiæ mea lenitate reſpondebo. Pro humana victima ipſi manſuetudinem offeramus. *Inimicum tradidit*, & oblatum inimicum contumelioſa cæde non conficiam, Gratiam ſanguine non cruentabo. Me rurſum conquirat, & perſequatur: occiſione conducibilior eſt patientia. Eſto, rurſus inſequatur, fugere didicimus. Perſequi me poſſit, Deum non poteſt. *Et confregit* inquit, *viros ſuos ſermonibus.* 1. Reg. 28. Quot dexteras in cædem ruentes vna humanior ſententia prohibuit? Cainus ad Deum contentè clamabat: *Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego!* Gen. 4. Dauid autem vel iniurijs

appeti-

A appetitus Saulis cuſtos erat. Pepercit & dormienti, & hoſtiliter ſe gerenti, & inuidentis curam habuit, & oſorem Gratiæ regimen ſecutus conſeruauit, & legis tempore, Matt. 5. quæ erant Gratiæ conſectatus eſt. *Dictum vobis eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros.* Magna erat humanitati cum improbitate, iuſti cum iniuria, feritati cum manſuetudine certatio. Hic totus erat, vt oppugnatorem conſeruaret: ille, vt conſeruatorem perderet. Iſtiuſmodi manſuetudinis, & comitatis præceptores Dominus conſtituit. Iſtiuſmodi nobis lenitatis magiſtrum literarum monumentis prodidit Scriptura nobis à Deo inſpirata, quo nos quoque inimicos humanitate demereamur, & eorum, quibus odio ſumus, rationibus benigne conſulamus: *Eſtote*, inquit, *miſericordes, ſicut & pater veſter, qui in cælis eſt,* Luc 6. Matth. 5. *qui pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, & ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos*, cui gloria, & honor in ſecula ſeculorum, Amen.

B

Eiuſdem in Dauidem.

Oratio XVII.

QVandoquidem rerum à Dauide geſtarum recordatio diebus prætentis gaudio publico nos exſilire fecit, ob virtutum affluentiam iuſto aggaudere, ſtudium mores imitandi admiratione ſignificare, ac illius placabilitatem adamare: æquum eſt fauſta quadam inter nos acclamatione iuſti certamina rependamus. Scimus vt quodam loco tam illuſtrem propugnatorem, qui antea ſæpe diabolo fauces eliſerat, vulneratum quoque nobis Scriptura repræſentet, & vulnus monſtrantem, quidque pateretur, proclamantem. Verum ne animo concidas, neue obturbes cum audis vulneratum. Qui vulneratus, pugnator optimus eſt, & ferientem eodem telo referire poteſt. Nam etſi vulneratus, victoriam perſecutus eſt; ac tota licet acie corruiſſet, celeriùs ſurgere ſe, quam labi comprobauit. Bellator quouis tempore victor, & medijs in hoſtibus perdurans inuulneratus magna quædam res C eſt, & admirabilis: longè vero admirabilius vulneratum pugnam non prodere, nec hoſti, qui vulnerarit, ea re lætitiam adferre. Ex hoc enim videntes docet, neque oportere percuſſum ab hoſte victoriam prodere, neque ſaucium ex infortunio ſuo claudicare in officio, neque collapſum iacere, & ſecundam ſuſtinere plagam, neque hoſti gloriæ occaſionem præbere. Propterea Scriptura à Dei ſpiritu accepta, virtutumque præceptrix non iuſtorum facinora dumtaxat enarrat, ſed eorum ſubinde publicat offenſiones: ne ſola rerum ab ijs geſtarum amplitudine conſpecta mortales ad imitandum obtorpeſcant; quin potius per iſtarum offenſionum recordationem hominum ingenium cognoſcentes & quo nobilitatis peruenerint conſiderantes, virtutum æmulatione accendantur. Idque varijs è locis inuulgari nouimus. Audiſti Euangeliſtam Matthæum; times cum eo comparari, & imitari refugis: ſimul audi, vt ex vectigalium tractatione, ad Euangelicam vitam tranſilierit, bona quæ ſuapte natura ſtabilia ſunt, motibus aucupans. Audiſti Paulum iuſtitiæ pennis alatum tertium in cælum euolaſſe; ſed Eccleſiam ante perſecutus eſt, quam in præconem tranſmutatus. Petrus fuit Apoſtolorum coryphæus, diſcipulorum Chriſti primas; myD ſteriorum, quæ à Patre Filius acceperat, accuratus interpres, vndarum maris ambulator: verum dum perturbatur, lingua negationis erat inſtrumentum, & quæ mens non ſentiebat, ea de ſe lingua effutiebat timori obſequés. Item Latro Chriſtum vel crucifixum prædicabat, & qui reus, erat Euangeliſta dolorem clauorum præ Domini deſiderio nihil æſtimans. Verum neque Matthæus permanſit Publicanus, neque in Eccleſia perſequenda Paulus pertinax: Petrus quoque facti pœnitentia negationis fœditatem exſtinxit, & lacrymarum vndis culpam eluit: Latro mutata mente in finem vſque perdurauit cæMatt. 11. lo vim afferens. Ita *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Ideo ſiquidem, vt antè dixi, Scriptura communibus ſanctorum factis flagitia commiſcet; vt quos E ab imitatione arcent miracula, prouocent errata. Sic & nobis Scriptura Dauidem prodit; vt infinitis delectatus ſit facinoribus, vt plagis ſæpe illatis diabolum diſcerpſerit, vtque tandem velut in acie per imprudentiam plagam acceperit. Vt enim vidit aduerſarius omnibus è rebus gloriam & nomen Dauidem reportare, fratribus anteferri, Prophetam inexſpectatæ obſecundantem vnctioni, Gratia agi, pſalmo ferire dæmonem, haud ſatiari de inimicis bene merendo, tulit acerbiſſimè videns ſobolem virtutis in lege radices agere. Quare ipſum beneficiatum Saulem primum irritat inuidia, deinde inuidiam accendit ad cædem, & dum virtutis curſum ſtudet inhibere ſupplantando, Caini diſcipulum Saulem facit. Verum illæ inuidentiæ paſſiones Dauidis lenitati materiam ſuggerebant. Poſt etiam mulctat exilio, ac dum ei Saulem inſtare iubet, in ſolas terras proturbat, vt iuſtus ignaueſcens virtutis abijciat clypeum. Sed vitæ aſpera amoris in F Deum fuerunt exercitia, cum enim in ſpelæo quæritantem ſe deprehendiſſet, parcit, cumque inuidentem cepiſſet, humanitate ſumma vtitur, Sauli quidem pepercit; ſed quod veroſimile eſt, dum ab eo manus abſtinet, diabolum percuſſit, & pura ab inimici ſanguine ſeruata dextera communem hominum hoſtem conſeruauit animo imperans, calcans odia, aciem gladij retundens, odio perſequentem ſeruans; inuidiæ reſpondens manſuetudine, quibus ſolis ſtimulis pungitur diabolos. Num igitur hic Saul perſequens quieuit? nequaquam, ſed rurſum perſequens & captans, rurſum captus eſt. Nox erat media, ſomnique vinculis Saul tenebatur, & quæſiti Dauidis ſpolium fuit, qui quærebat. Quam non hic emouiſſet rupem adſurgens ira? quam non ſuccuſſiſſet turrim inſaniæ violentia? quæ tam ſerena humanitas, quam non exaſperaſſet fluctibus? in vlterius tempus tamen virtutis extendit ſpacia. Sublatum Saulem calenter admodum lugebat, illuſtrabat tumulo, tumulum lamentis ornabat, & hæres ſceptri motum non adibat hæreditatem. Humanitatis autem via progreſſus vel vſque ad inimici cognatos beneficentiæ ſuæ vim prodnxit, & Saulis ad ſe generi recurrenti ſuam humanitatem miſit obuiam. G His animaduerſis communis humanæ gentis hoſtis, & tantis facinoribus ſingillatim editis percuſſus reprimebatur nonnihil, nec abſtinebat tamen. Verùm in natura immortali nequitiam inſomnem exercens iuſti diuinas actiones obſeruitabat, item nocturnas, viuendi rationem; regis curas, hoſtium adſultus. Nunquid verbum iaciat acerbius, ſibi verò ſuaue; quomodo per iram Dauidem vulneret; quomodo cupiditatis telo feriat; quomodó amicitiæ diuinæ incurioſum offendat: Nec prima iuſti vitam inſidijs petere deſtitit, quam cum animaduertiſſet ipſum à recto paululùm oculos deflexiſſe, ſubito venuſtate mulieris obiecta confixit. Cum enim regiè Dauid epulatus eſſet, ac pollucibili menſa emollitus animo meridiana ſeſe oblectaret obambulatione, tunc diabolus tunc animi curæque neruum remiſſum conſpicatus; & mentem paſſionum aurigam indiligenter frenis ſuccinctam, ac paruula quadam ſui parte nudatum ab armis optimatem furtim cæcidit, ipſis iuſti oculis vſus pro telo, & momento à via virtutis abreptum in adulterij præcipi H tium deturbauit. Videns autem eum facti ſui pudore confuſum, & pudendum hulcus celare cupientem, pudorem vertit in alterius peccati materiam. Scelus namque admiſſum obterat ſcelus. Quippe cæde adulterium conatus occolere, & cædis, & adulterij deprehenſus eſt artifex. Sic qui ſe tam ſtrenuè non infrequenter geſſerat, proſtratus iacet: qui proſtrauit, iuſti caſum doloris domeſtici lenimen ducens magnificè ſe iactat ac circumſpicit. Sed regis vexatio non latuit omnituentem Dei oculum, qui ante ſuſceptas actiones cernens intentionem, & animum ante facta, Dauidis miſeretur, qui clancularijs diaboli technis falli ſe paſſus ſit, auxiliatur furtim oppreſſo, nec ſinit victoriam eſſe percuſſoris. Proſtrati ſtationem ipſemet excipit, & ad offenſionem iſtam pugna reuelandam cohortatur. Manum dat, prolapſum erigit; quo impegerit, circumluſtrat; præ humanitate omni ex parte hulcus obit, pœná remittit. Pareſt vt curatnræ mo-

A dum videamus, & quanta ſit vis, ac magnitudo Dei in homines amoris condiſcamus. Hinc enim publicum peccatoribus aperitur valetudinarium, & pœnitentiæ medicamentum Dauidis nomine paratum omnibus egenis condonatum eſt. Nathanum Prophetam mittit Deus Prophetæ medicum futurum. Imperat, hulcus denudet, ſubijciat oculis miſeriam, quam patitur. Mittit hominem vilem in ſpeciem ad eum, qui thronum inſidet; paupertati innutritum ad eum, quem ſceptra decorant. Quaſi dicat: Ne verearis, ô homo, dignitatem regiam, ſeruum meum noui, noui bellatorem meum, qui inimico terga non dedit, ſed deprœlians vulneratus eſt. Non eſt ab euentu mente alienatus, nec ea res hominis propoſitum immutauit; aſtu, non vi, proſtratus eſt. Optimè ſe gerens, non fugitans ictus eſt. *Act. 9.* *Vade: vas electionis eſt mihi.* Quod ſi maieſtatem regiam reformidas; ego linguam tuam perpoliam, ego curationis ſcalpellum verbis exacuam. Venit ad Dauidem Nathanus, & orationem texit argute; aciem ſermonum ſuorum regit, & B narratu ferrum celat; ſub lingua medicamentum gerit, & ſenſum fallit, vt ſenſum excitet. *2. Reg. 12.* Reſponde mihi, inquit, ô rex iudicium hoc. Verbo tribunal depingit, & contra Dauidem ipſummet Dauidem ſtatuit iudicem. *Duo viri erant in ciuitate vna, vnus diues, & alter pauper. Diues habebat oues, & boues plurimos valde. Pauper autem nihil habebat omnino præter ouem vnam paruulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filiis eius, ſimul de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in ſinu illius dormiens, eratque illi ſicut filia.* Orationis ſerie alit audiendi cupiditatem, vt iniuriam amplificet: Auget pauperis amorem in ouem, vt Dauidem in iram ſuſcitet. *Cum autem peregrinus quidam veniſſet ad diuitem.* Appoſitè peregrinus, hoſpes, alienus. Incidit enim Dauid in infortunium tanquam in extraneum, & peregrinum, & inconſiderato caſu deiectus eſt. *Venit peregrinus.* Improuiſo enim iaculo feritur. *Parcens autem ſumere [de ouibus, & de bobus ſuis] vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad ſe, tulit ouem viri pauperis [præparauit cibos] homini, qui venerat ad ſe.* Audiebat Dauid narrationem contra Dauid inſtitutam. *Iratus autem indignatione Dauid aduerſus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Viuit Dominus: quoniam filius mortis eſt vir qui fecit hoc. Quam reddet in quadruplum.* Ob peccata ſua C ſic afficitur, ac ob aliena regiè decernit, & ſuffragium contra Dauidem fert Dauid, Dignus morte eſt. Lingua iſta contra ſeipſam gladium acuit. Quid Nathanus denique? euulgat arcanum, oſtendit illi orationis habitę ſpeculum, nudat reum, ſcelus clarè repræſentat: *Tu ille es, ô rex, qui id commiſiſti.* Quaſi dicat: Regiè decreuiſti, ô rex, iuſtus animus ſibi patronus eſt: ſed nolebam contra te ferre ſuffragium. Tu factum tuum agnoſce; vide quis tuo iudicio ſit obnoxius. Volebam te iudicem, non reum eſſe: non in te inquiri, ſed ferre ſententiam. Audiſti, quæ dixerim, & mea narratio tibi mouit iram: ſed à te facta ſunt, quæ protuli: tu tantæ iræ materiam ſubieciſti; tu alienæ ouiculæ iugulator, ô rex: tu vnicum pauperis ſolatium ſuſtuliſti: tu poſſeſſionem ſuſtuliſti ſimul & poſſeſſorem. Reſpice tuo ſanguine ſcriptam epiſtolam: reſpice factis tuis enſem cruentatum. Hic mihi vide Dauidis philoſophiam: non enim afgurus regum more indignatus eſt, neque dignitatis adſpectu aſperatus, neque qui latens peccatum nudauit, odio proſecutus, neque à priuato accuſatus rex in iras adſurrexit. Verum agnito facinore dignitatis oblitus nulla vſus eſt loquendi libertate. Factum ex- D primit, non premit; cernuus ſolo affligitur, & animo contrahitur, hulcus dolet, nec ſine lachrymis culpam prædicans exclamauit: *Peccaui Domino*: externis criminationibus nihil egeo: meipſum accuſo, peccati ſum ipſe teſtis: factum non inficior, quod conſcientia palam facit: negatione peccatum non amplifico. Ecquod igitur è confeſſione lucrum? *Dominus tranſtulit peccatum tuum.* Dominus, qui legi dominatur: lex enim gladium nudauerat, quod adulterij pœnam noſſet, & necem nece parabat vindicare: Sed *Dominus tranſtulit peccatum tuum.* Debitum ſuperauit Gratia, pœnam remiſit clementia, iudex medici fecit officium ferri, vice pœnitudinis medicamen- E to contentus eſt. O magnam repentinamque bonitatem! concurrit cum culpæ confeſſione pœnæ abſolutio; oſtendit, quanta ſit pœnitentiæ vis. Sic doctus Dauid, & accepta per confeſſionem gratia non quieuit, ſed quod pœnitentiæ ſtadium capeſſiuerat, mordicus tenuit. Medicamentum ne quidem poſt curationem abiecit, at flens per omnem vitam clamabat intentus in cælum: *Psal. 6.* *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum.* Qua peccauit, & ſe purgauit. Peccatum namque lachrymis curatur, peccatum lamentis expurgatur, animæ illuuies oculorum fontibus extergitur. Deinde ſubcæleſtem creaturam conuocans, & orbis terrarum theatrum quotidie cogens publicat ſcelus, & ante omnium ora ponit confeſſionis verba, facitque defenſionis participes, vt in pœnitentiæ partem veniant. Nam Prophetæ lachrymæ pro pænitentiæ lege ſunt. Monſtrauit quomodo curentur animæ vulnera, monſtrauit ecquod ſit antipharmacum, monſtrauit inimicas diabolo eſſe lachrymas, per oculos contra iaculatus eſt, & lachrymis diabolum conuulnerauit: pugnat, F vt lachrymis ab offenſione ſe vindicet, lamentando victoriam acquirit, & gemitibus gratiam trahit, luctum luctu medicatur. Vidiſti virum optimum ſauciatum, nec accepta plaga quidquam de ſtrenuitate remittentem? vidiſti derepente ſuccumbentem, & ſubito emergentem? vidiſti, vt collapſus multos ſecum reſtituerit? vt afflictis manum dederit? vt docuerit lapſum poſſe reſurgere? Agnouimus pœnitentiæ vim, agnouimus vſum medicamenti. Hoc vti munere non deſiſtamus, dum labimur ac viciſſim ſanamur: ne per ſocordiam Gratiæ contumeliam inferamus. Neque vero immedicabiles peccatorum vomicas occultemus; neve marceamus, dum ab igne curemur. Clamemus & nos: *Peccaui Domino*, & eandem ab humaniſſimo rege ſententiam obtineamus, quæ dicat: *Dominus tranſtulit peccatum tuum*, cui gloria, & honor in ſecula ſeculorum, Amen.

In Herodiadem. Matth. 14.

ORATIO XVIII.

G HErodiadis tripudium nobis hodie inuulgat Euangeliorum vox, & atheam mulierum illarum publicitus pandit inſaniam. Herodem ſub iugo libidinis captiuum, Baptiſtam pro continentia capite truncatum, ac neque allata morte ſilentij patientem. Eiuſmodi enim iuſtorum facinora plus etiam poſt mortem ſplendoris obtinent, pluſque roboris. Hanc diabolus tragœdiam excogitauit, Herodes confecit, Herodias ſaltauit, Baptiſta deſcendit in certamen, Euangeliſta narrauit. Iam enim videns diabolus Ioannem fluento Iordanis eluentem hominum ſcelera, & Moſaico obnoxios gladio liberantem, nec non legis minas in aquis retundentem, ac pœnitentiæ decreto mutantem in melius, veteri rurſus correptus inuidia, & timoris plenus, ne potiſſima ſua in homines machina diſſoluatur, ac deinde videns adoptionis radios per Chriſtum in aqua inſertos, & cultorem humanitatis Ioannem in aquis ſtantem, ad vlciſcendum horum miniſtrum impellebatur & humaniſſimi ſeruitij pœnas repoſcere inſtituit. Ac primum cum abluto Chriſto confligit, & quaſi contra conſeruum iaculatus eſſet, à Domino alapa frangitur. Vbi cum victoriam deſperaſſet, in Ioannem vertit arma, & Herodianis affectibus pro armis vſus viam H aperit ad Baptiſtæ mortem. O pulcrè excogitatam à diabolo inſaniam! Carnificem ſtatuit in Ioannem regem ipſum. Vidit hominum quidem dominatorem eſſe Herodem, affectuum vero ſeruum: vidit regem intemperantiæ mancipium, & ſchemate quidem regni tyrannum; at ægritudinum animæ tyrannide premi. Ac mihi vide diaboli artem, vt ad impietatem ex leuioribus erratis extrahat. Primum fraterni cubilis perfoſſorem fecit, & ſubſeſſorem, vt ex adulterij foſſa ad Baptiſtæ cædem tranſilire faciat. Malum vero tempore altum creuit in quamuis libertatem. Viuit igitur, videntiſque fratris vxorem ſuam facit, regni poteſtate abuſus in auxilium intemperantiæ,

A & cum auſu conſiēto nefarium animi propoſitum conglutinans. Fratris autem appellatio per medias incedens iniurias ſcelus augebat adulterij nouo ſcelere, & iniuriæ acceſſione cumulabatur iniuria. Auget enim inimicitiam cognatio. A quo enim naturæ debita exſpectabatur beneuolentia, apud eum maiora ſunt, quæ accenſentur crimina. Verum ad mulierem feſtinans oratio, hæret, quem potiſſimum tangat. Vt enim qui videt in æqualibus lancibus æquipendia collocata, trutinam quoque videt requietam, & eorum, quæ appenduntur, æquabilitatem habitu ipſo conteſtatam: ad eundem prorſus modum oratio nequitiam vtraque vergentem librans, ijs victoriam concedit, qui per iniquitatem vicerint. Hunc quidem non puduit fraternum cubile fœdare iniurijs: illa contra maritum inſaniens in adulterinum totum auerſa eſt, & legitimo toro deſiliens, thalamum exſecrabilem amplexata eſt. B Vbi nunc cum viro compoſitio de amicitia? vbi animæ tuæ vincula? vbi inſolubilium votorum ſumma poteſtas? vbi laudatiſſimi amoris retentio? vna cum marito naturæ pudorem exuiſti, ô mulier. Viciſti belluarum feritatem: illæ quidem inditas à natura leges verentur, amant coniugem, & poſt mortem amorem in marem, qui frequenter concordiæ teſtis eſt, non abrumpunt. Nunquam leænæ factum audiuimus tuæ libidinis æmulum: reptilium natura neſcit coniugij legem violare? Draconum gens ab amoris inſania libera eſt. Nonnulla fama eſt, quæ turturem imitatur ob imitationem hominum, qui vel poſt fata coniugis torum vt prodat, vi adigi non poteſt, & quamdiu viuit, mortui memoriam viuere querela indicat. Pudeat te tam perditi amoris, quem coarguunt volatilia: rem perhorreſce, quæ ſupra reptilium crudelitatem eſt. Harum nuptiarum pararius erat diabolus, qui eiuſmodi tempeſtatis, excitauit occaſionem, dum antecurſori mortem procurat. Tale nunc in regum palatia ſpectaculum diabolus importauit, dum Herodes dramati ſubijcitur materia. Videns hæc Baptiſta Prophetarum apex, legis perfectio, veteris ſimul, ac Noui Teſtamenti ſequeſter, C (*Lex enim & Prophetæ vſque ad Ioannem Baptiſtam*) Luc 16. Matt. 11. eremi ciuis, temperantiæ opifex, reginam libidinis adminiſtram, contra dignitatis & naturæ rationem debacchantem, confuſos iuſtitiæ terminos, naturam in theatrum iniquitatis verſam; hæc, inquam, videns rurſus, quas olim voces in eremo iecerat, repetebat: Marc. 1. *Vox clamantis in deſerto.* Vocem emittebat, qua poſſent impuri illi affectus reſcindi, vocem emittebat ægram animam adurentem: *Non licet tibi habere eam.* Poſitor legis in regem legis præ- Matt. 14. uaricatorem. O dicendi libertas, quæ regiam iniuriam non metuit! Linguam vibrabat, vt olim in vtero ſaltum edebat: tunc in partionem naturam impellebat, & ante partionem partionis accuſabat lentitudinem, & nunc adulterantem naturam accuſat, vocemque iacit temperantiæ fulgorem coruſcantem. Sed vocis medela potentius erat malum, & quemadmodum, qui mentis furore correpti ſunt, cum per inſaniam nullum curationis ſenſum percipiant, medico gladium intentant, medicum pro hoſte vlciſcentes: ſic Herodes etſi cædis auiditate incenſus, metuens tamen opinionis, quæ de Ioanne obtinebat, ſupplicium differt præter animi ſententiam tantiſper humanitate vſus, nec tam hominem ſeruat, quam ad mortem reſeruat. D Tandem aliquando natalium Herodis tempus inſtabat, ſplendidaque, vt vero ſimile eſt, luxurioſi regis erat menſa & conuiuium regifici luxus notis inſigne, in quo ebrietas perbacchabatur, & dæmonum fraternitas natiuitatis tempus feſtum ducebat. Cui triſtitiæ potius tradere ſe oportuit, & lugubrem agere diem, tam rari adulterij opifex productus eſt. Nihilominus ipſi natiuitatis memoriam communiter, ac publicè celebrabant. Herodias interea ſaltationem adornans in conuiuij theatrum inſiluit. Herodias autem filia oſtentans habitu matris artes, exactum maternæ libidinis ſimulacrum aſpectu impudenti, fracto corpore, anima diffluente, iactis in cælum manibus pedes in altum ſubrigebat, habitu ſeminando ſuam turpitudinem publicabat. Hic vero tripudium omnium oculos attrahere, E Herodes admirabili ſaltationis dexteritate teneri, ipſum ſe in ſpectaculi præmium ſpondere, munerum delectum puellæ permittere, iureiurando muneri mox ſubſcribere, ſemiputata regni pars in tripudij honorarium proponi, denique filia matrem in conſilij partem vocare. Porro mater iudicium ſortita diabolo ſententiam fœneratur, & cædis in Ioannem excogitatæ gratiam illi concedit cum tali ad filiam clamore: Quid conſilia expetis? ecquid opus facto, mea filia? etiamne cum prærogatiua ſit in manibus, quod quæras, ignoras? tibine poſtulationis conſideratio moram affert? ecquid Ioannis capite nobis optabilius? quidquam ne aliud eius iugulatione in hoc epulo nobis iucundius? diſco caput apportetur: deliciemur oculis, quando dentibus minime poſſumus: diuellit nos à cubili regio? ipſe proprio diuellatur à capite, abſtrahit me meis amoribus, quod mihi volupe eſt oppugnat; quæ ira gladium acuerit, recipiat: linguæ tela proiecit, concidetur vnà cum capite orationis inſtrumentum. F Hanc mihi pridem occaſionem dare diſcupiebam, vel ante poteſtatem verſabar in hac cupiditate per ſomnia. Repende mihi, ô filia, ſaltandi diſciplinam: repende mercedem laboribus à me tui cauſa ſuſceptis. Inimici nex ſit mihi tuæ ſaltationis fructus; cuius odi vocem eius affecto ſilentium. Proferatur ocyus, dum feruet compotatio, dum conuiuium pendet, eſto mihi pars epularum Baptiſtæ caput: ſitim ſanguine reſtinguam. Videam iugulatum epulandum apponi, potet eius ſanguine. O matrem impiam! ô magiſtram multo magis impiam! Filia eiuſmodi matris armata ſuggeſtione excurrit ad Herodem ſaltationis laudatorem, poſtulata funeſta pro mercede ſaltandi poſtulatura. Quid ergo Herodes mœrorem ſimulat, & medullitus exultans gaudio, externa ſpecie triſtatur, contra puellam ſaltat habitu triſtis, deiecto vultu, lætus quidem quod inimici perſonam vlciſcatur, verum fortaſſe triſtis cædis tarditate. Iuſiurandum edit, quo cædi patrocinetur, & præſentes fallit, dum eos abiuratæ occidionis teſtes vocat, qui odium adulterij non recuſabat. Papæ! prodigioſam tragœdiam! iuiurandi religionem fingit: Nam quod perlubens, & admodum volens, non illubens, neque moleſtè ad cædem aggreſſus ſit, dilucidè dictis aperuit. G Age enim quando regni dimidium pollicitus Ioannis caput pro munere repoſcebatur, quid admiſiſſet iniuriæ, ſi talia locutus fuiſſet: Ego, puella ſaltandi artem in te miratus rapiæ à me voluptatis præmium dimidiatum regnum pollicebar: tu vero Baptiſtæ caput exquiris toto meo regno longè pretioſius, quodque ſceptris meis clarius emicat, ac dignitate mea longè eſt excelſius. Nam aut alterum mihi Baptiſtam monſtra, & Ioannem alterum in regno ſupereſſe, aut, quod obſcurum non eſt, toto regno me ſpoliare aues. Quemadmodum enim poſſeſſionum, pecuniarumve fine indepto æquam mihi partem relinqueres: ſic modo cum Baptiſtam poſcis, alterum mihi talem monſtra ſuperſtitem. Quamdiu vero alium non vides ipſi virtute quam ſimillimum, imprudens, ô mulier, Ioannis nomine toto me regno proſcribis. At grato vſus ſilentio lætatur animitus, occultus autem mœret, & ſub inhumanitatis perſona humanitatis partes agit. H Lætus poſtulatis annuit, quam fuerat necem meditatus gladio firmat, & quem vinctum tenebat, cuius ipſe linguam oderat eum morti tradidit. Oratio vertit in opus & puella cædem promiſſam conſpectabat. Cum adhuc explicatæ eſſent menſæ, ſatelles neſcio quis aderat elatum in lance caput inferens, & medias inter delicias caput reliquo truncatum corpore portabat: ſpectaculum alijs quidem perhorrendum, vni vero Herodi per intemperantiam lætabile videbatur. Manus puella ſubijcit, & congruentem cum libidine mercedem capit, & profecta ab impudentia dona offert matri. Ecce tibi, mater, inquit, inſtitutionis ſaltatoriæ minerual, cape quod ſaltationis gratia donum confertur: aperta tibi deinceps ad libidinem via. Verum enimuero abſciſſum quidem eſt caput: nec tamen Ioannis vox tacet, æternum loquetur poſt funera. Accuſatorem in te, mulier, armaſti: neque enim cum capite vocem quoque præcidiſti.

A ridiſti. Etiam poſt iugulationem ſuperſtes tibi eſt accuſator, plena criminatio tuorum ſcelerum, audaciam maria ipſa mirantur, cælum supernè cum Ioanne vociferatur. Linguam vnam ſuſtuliſti, ſed vice linguæ Ioannis totus eſt mundus, ad te accuſandum creatura plena vocis eſt. Necdum etiam immortale illud tribunal loquor; tribunal, quod nulla ratione falli poteſt, animaduerſionis æternæ terrorem, tenebras externè circumfuſas, cum ipſe lotus à Ioanne Chriſtus lotorem vindicabit, quando cuiuſque facta nuda proſtabunt, adſtabunt Angeli prolatas in quemcunque ſententias properanter perficientes. Vtinam his ſapienter auditores inſtituantur; hæc euangelicæ hiſtoriæ mens: vertant in ſalutare medicamentum voces euangeliorum. Herodiadis accuſatio ſit audientium ſalus, vt cum ſecuritate Chriſti tribunali adſtantes æternis bonis cum Chriſto perfruamur, cui gloria, & virtus in ſecula, Amen.

B

In Centurionem. Matth. 8.

ORATIO XIX.

EVangeliorum tuba, quæ ſpiritali carmine modo intonuit, etiam mihi ad dicendum linguam acuit. Vidi modo ore Euangelico Dominum miracula patrantem, & miraculis firmatus linguæ trepidationem ſoluo. Vidi Centurionem ad Domini veſtigia prouolutum, vidi gentes primitias Saluatori ſuas tranſmittentes. Nondum crux erat depacta: & Gentes ad Dominum feſtinant: nondum illud auditum, *Euntes docete omnes Gentes*; & Gentes ad Dominum conuolant: vocationem curſu præceletant, pariunt præterea Domini deſiderium: nondum prædicatio inclaruit, & ad eum, qui prædicatur, accurrunt: adhuc Petrus quaſi in vtero erudiendus geſtatur; & Gentes ad Dominum concurrunt: nondum Paulus fulguris ope ſub Chriſti vexillo merebat; & regem adorare Gentes incenſæ præuertunt. *Ecce*, inquit, *Centurio rogans eum, & dicens: Domine puer meus iacet in lecto paralyticus, & male torquetur.* O miraculum modo non opinabile! Puer membra diſſolutus, iacens domino ducatum præbet ad Dominum: ſerui morbus hero ſanitatem conciliat. Serui ſanationem perquirens Dominum reperit, dumque ſerui valetudinem venatur, fit ipſe Domino præda. Seruus ægrotatione lethali ægrotat, ſed dominus ante ſeruum perſanatur. Seruus æger eſt corpore, & domini anima ſanctificatur. Qui pro ſeruo legationem obit, in ſe medicamentum præconſumit, neque ſeruum ſpreuit per ægritudinem corpore diſtabeſcentem, nam ſerui contemſit addictionem herili faſtu turgens, neque præ voluptate, quam ex numeroſo ſatellitio capiebat, pueri immobilis oblitus eſt: verum vbi bibat inueſtigans periculo remedium. Nec à cura deſtitit, dum ipſe ro curationis fontem incideret; & per humanitatem iſtam ad immortiam diuina patuit via, inuentuque medico calamitatem denarrat, & ægrotationem tragicè exaggerat, vt humaniſſimo Chriſto commiſerationem excitet: *Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur.* Etſi ſeruus, homo tamen eſt, inquit, qui morbo detinetur. Tu ne vile ſeruitium ſpectaueris, quin potius mali magnitudinem: paralyſi proſtratus eſt, & morbo vinctus: vinctus diſſolutione corporis *grauiter torquetur*, vt non mortuus diſſolutus, vtque mortuus deiectiſſimus eſt, mortiſque ærumnas in viuo circumfert corpore. Tam miſerabili dictione Dominum Centurio allectabat. Quid igitur ad cura ſumma benignitas? *Ego*, inquit, *veniens curabo eum.* Ego, qui hominum ſtudio in hominem me indui, qui propter omnes veni non vnum deſpiciam, *curabo eum.* Beneficentia preces anteuertit. Quid ergo, dic mihi Domine, non parem animi promtitudinem in te nacta eſt Chananææ filia, & ſi per matrem eadem deprecaretur? At illa rogans canum loco numeroque eſt, & portum quæritans fluctus experitur, & ad animi vulnus accedis voce increpitans. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*; hic prope ante ſupplicationē curationē reportat: herus pro famulo rogās exorator fuit, mater pro filia rogitans tulit repulſam. Sed, ô ſapientiæ fons, & ſpiritus intelligentiæ, ô humanitatis inſignitudo, qua in vtriſque differentia competiit? Volt enim Gentium fidem oculis Iudæorum diſpaleſcere, & gentilis gratitudinis ſpectatores adſtare Iudæos ingratos. Idcirco Chananææ ſupplicanti moras iniecit, quo illa dilationis impatiens acclamaret: *Domine & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa.* Centurio vero Chriſti promtitudinem diceret: *Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum.* Eſt cum celeritudine, eſt cum lentitudine vt vſus poſtulat, vtitur. Et nauis gubernatorem mundi gubernator imitatur, qui in editiore nauis loco conſidens ſimul cum nauigante velum adducit, ac rurſus pro fluctuum impulſu gubernaculum transfert, & modo huc, modo illuc manu agens, clauum eundem vtrinque nauis curſum moderatur: ſic vniuerſi dominator tectam in anima fidem nudare volens quandoque dona contrahit, quandoque ad ægri concurrit auxilium. Et nunc quidem ſanguinis fluxum ſimulat ſuſtinere ſe, nunc ægritudinem pharmaco præſanat: vt dum varie animos excutit, fidem latitantem per miracula euulget; quo miraculorum animaduerſor Iudæus fidei gentilium diſcipulus, etſi minimè velit, euadat. *Ego veniam, & curabo eum.* Celeritate promiſſi fidei curſum excitat. *Non Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum*, Vides Domini machinationem, qua ſitam in abdito fidem venatur? *Non ſum dignus.* Fons anguſtiur pelagi diuitias non capit, ne murum meorum indignitatem amplius coarguas, non ſero. Verbis tantum loquere, & morbus mox abigetur: noui te morbus duntaxat ita volentem, & quid in morbo eſt, ſanabitur. Quid pedes meos remoraris? ſatis mihi ſi lingua procedat. Pollicentem videam, & optata conſequar. *Dic verbo*, & ſeruus erit à paſſione liber ægritudinis exutus ſeruitute. *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate, habens ſub me milites, & dico huic: Vade, & vadit.* Noui poteſtatis tuæ vim: ex iis, quæ habeo, quæ ſupra me ſunt, didici. Video ego quoque tuarum curationum agmina, video miraculorum virtutes eſſe in exſpectatione, dum annuas. Mitte, vt ego militem, mitte ipſe contra morbum impetum, rebus paruis minores quoque imitare, tuis oſtende pro nobis noſtra: Deus qui hominibus gratificetur, homines imitetur. Ac profecto, hæc dum dicebat, nondum ſciebat Deum eſſe, quem humanitas manifeſtabat: nondum enim Deum nouerat in ſerui forma domicilioque habitantem, ac hominum cauſa res humanas adminiſtrantem. *Nondum enim* inquit, *diſcipuli eius credebant in eum.* Sed admiremur ante omnia fidem, prudentiam, religionem. Fides vno verbo, curationem merita eſt: religio loquendi libertate repudiata reuerentiam euulgat: prudentia ex iis, quæ circa ſe, quæ circa Dominum colligebat. Ecquid vero, gentilis laudem detero, quem dilucidè in medio Iudaicorum populorum Dominus beatum deprædicauit? *Miratus eſt*, inquit, *Ieſus, & dixit. Non inueni tantam fidem in Iſrael.* Qui hoſpes io Dei vocatione, qui è Teſtamento alienus, qui Moſaicorum miraculorum ignarus, qui legum eius profanos, qui prophetarum expers, Iudæorum fidem ſuperauit. Quid tibi, Iſrael, lucri ex miraculis in Ægypto editis? ecquæ vtilitas ex facinoribus Moyſis virga perpetratis? Aer per ignem in ætherem tranſiit, quo tuum cor tranſmutaret: dies dici ſpatia conce[...], quo te Domino parere doceret: exſtans mare ſupra naturæ leges fingebatur, vt te fidem doceret igne ad mentem meliorem Deus vocat duritiem contumaciamque tuam, tenuitentia mollire machinatus ſupernè cælum alimentis tibi parandis vacabat: inferne rupes inexſpectatas aquarum compotationes adornabat: quo tibi ceſſit talium rerum cognitarum fructus? Vnicus gentilis ſupra totam Iudæorum multitudinem fide ſe extulit. Eſto gentilis diſcipulus: nam Moyſem legem ponentem non audiſti: incredulos, vt credas ſequere. *Non in Iſrael* Nomen, quo tu appellaris, Dei cogniti argumentum eſt, vt amplius incredulitatem tuam patefaciat. Cur, igitur appellationi, cuius virtute cares contumeliam irrogas? quid geſtas cognomen, quod perſonæ probro ſit? factis appellationem impugnas, & calomnia nomen tuum afficis. *Dico autem vobis, quod multi*

ab oriente

Marginal notes and letters (left margin): Matt. 28. (beside "Euntes docete omnes Gentes"); Matth. 8. (beside "Ecce, inquit, Centurio"); C; D; Matt. 15 (beside "Non eſt bonum").
Marginal notes and letters (right margin): E; Matt. 8. (beside "Domine, non ſum dignus"); F; G; Ioan. 7. (beside "Nondum enim"); Matth. 8. (beside "Miratus eſt"); H; Matth. 8. (beside "Dico autem vobis").

A *ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob: filij autem regni eÿcientur in tenebras.* Ac mihi conſideranti præſentem Euangelicæ lectionis narrationem iudicij futuri terror oculis depictus obuerſatur, cuius tempore iudex vniuerſorum, & Dominus è medio cælo delatus, & tremendis admodum fulgoribus vndique quaſi ſatellitio ſtipatus in cæleſti reſidens tribunali ſuper cuiuſque vita ſententiam dicet. Quare tempus verbis præoccupat, & iudiciale decretum præſignificans Prophetæ, ac Iudicis modo admonet, vt ſi fortaſſe mentem inuertat oratio, ſeſe ſupplicijs eximant: ſin prædictio nullum in audientium animis ſortiatur effectum, iudicium plenum rationis ſubſecutum parem pœnam infligat. *Dico autem vobis, quod multi ab oriente, & occidente venient.* O verba res præſentes conſignantia! ô vocem veritate completam! Ea ratione factum videmus, vt terræ

B habitatores deorum multitudinem vero Deo carentem abiiciant, & late explicatas dæmonum ſuperſtitiones exturbent, Abraham inuocent, & patribus naturalibus palam abiudicatis, quos progenitores offert Gratia ſortiantur. Iudæorum vero ſpes cùm mores adulterini refutarunt, eos etiam exhæredes fecerunt. Nam quorum fidem negarunt, ab eorum quoque cognatione repulſi

Gen. 28. ſunt. Audit Abraham cælitus elatam vocem: *Benedicentur in te, & in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Voci non ſecus ac rei credens præſentiam Chriſti contemplatur ſpe præſumens quæ præuidebat: præuidebat eum ſic ordinantem, præuidebat Deum ex eadem natura Incarnationis templum

Gen. 49. molientem, præuidebat ſtellam ex Iacob orituram. *Credidit, quod non auferretur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit exſpectatio gentium.*

Ioan. 8. *Deſiderauit*, inquit, *Abraham vt videret diem meum, & vidit, & gauiſus eſt.* O fidei vim! quæ natura non docuit, ea fides ſubobſcure delineauit. Atqui Iudæi, cuius fidem non habent, eius temere poſſeſſionem ſperant. Ex gentibus autem conflata Eccleſia fidem ſecuta filios appellat, ac in eorum hæreditatem ſuccedit fidei lege freta. Superior etiam effecta, & ſuffragio accepto ad fidei cornu Saluatorem ſponſum approperat operibus Domini verba con-

C firmans: *Multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent*

Matth. 8. *cum Abraham, Iſaac, & Iacob.* Ecquæ igitur borum, ô Domine, demonſtratio? verbo namque res præuenis & alios beatos, alios miſeros prædicas, & vtriſque conducibilia tribuis, ac futura præmonſtras. Ruſum tuis vocibus præſens Iudæus non credit, & inuidia victus dicta tua diluit. Factis oſtendo verborum veritatem. Tunc Cen-

Matth. 8. turioni: *Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora.* O fidem miraculi adiutricem! Centurionis fidei ſerui ſanatio teſtis eſt, & abactum malum ſupplicantis fidem promulgat: modus namque medelæ fidei modus erat. *Vade, & ſicut credidiſti fiat tibi.* O Domini humanitatem! Facti cooperatorem capit ſupplicantem. In teipſo, inquit, fera medicinæ pharmacum: fidem tuam morbus veretur. Fidem adeamus dilectam Domino, diligamus fidem miraculorum matrem. Fugiamus incredulitatem, cuius finis eſt exitium. Sic enim nos quoque Domino ſupplicantes eandem cum Centurione vocem audiemus: *Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi.* Ipſi gloria in ſecula, Amen.

D

Euſdem in Chananæam. Matth. 15.

Oratio XX.

ERat igitur calamitas ingentis lætitiæ materies, luctus cauſa iucunditatis, triſtitia ſummi gaudij occaſio. Vbi enim Ieſus præſens eſt, luctus voluptate commutatur, & lacrymarum eruptio in lætitiam vertitur. Fidem dictis facit Chananææ clamor, cuius hiſtoriam liber Euangeliorum ſuſpicit, quam nunc quoque clamitantem oſtendit, ipſaque in Scriptura velut in columna clamorem retinet, ne temporis inuidia memoriam oblitteret: præuſ-

Matth. 15. luit enim fidei fructus. *Et egreſſus inde Ieſus ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis:* Deus quidem omnibus adeſt in locis, neque Deum locus vllus audet circumſcribere. Tamen cum

E natura ſit inuiſibilis, præſentiam ſuam adſtruit templo quod gerit, videntibus obiecto. *Venit in partes Tyri, & Sidonis;* dæmonum olim diuerſoria, idolorum cubilia, idololatriæ ſedes, accuſationis Prophetarum argumentum. Ab Iudæa Sidonem, & Tyrum, à pietatis officina ad impietatis ſedem, à Moyſis diſcipulis ad fabricatores dæmonum. Cur toties ab eo demigratur? probrum Iudæorum Domini tranſmigratio. Beneficus ſimul ac iudex Saluator ea loca circuit. Namque & gentium agnitio reuera Iudæorum eſt condemnatio non ignoſcenda. Quando enim creber miraculorum imber Iudaicum populum ad fidem non flexit, ſed explicata quidem eſt inexſpectata medicinæ ſagena: ſola vero Iudæorum gens per barbarorum impudentiam ſalutis portam refugit. Quid facit ſolers medicus? qua ratione tractat animi morbum? ſana medicamenta Sidonem transfert, vt Gentium acceſſione ad meliorem mentem Iudæum infidelem prouocet. Dete-

F riores enim ſecernendo inſanitate laborantes inuitat; antiquum hoc reor eſſe Domini commentum. Cum olim redarguere Iudæorum in credendo contumaciam ſtatuiſſet, Niniuitarum conuerſione probrum Iudæorum auxit. Mittit ergo Ionam impietatis deſertæ inſpectorem, & Iudæorum Prophetam deſignauit adminiſtrum criminationis aduerſus Iudæos. Qui tribulibus intempeſtiuè parcens criminationem tegit, fugit mittentem. Verum ignorabat, à ceto deprehenſum ſe captiuum iterum Domino coram ſiſtendum. Rurſus itaque probitatis ethnicæ ſpectator ſubmittitur, & vna voce iacta omnium ſubegit animos. Et parum abfuit, quin falſi vaticinij coargueretur, dum factis doceretur, vt Gentes Iudæis credulitate anteeant: quatenus Prophetas hi ſuos iugulabant; illi, quem, an adeſſet, ignorabant, loquentem horrebant. Poſtquam animorum immutatio propheticas minas repreſſit, concuſſa ciuitatis mœnia in tranquillo collocauit, gladium ſuperne impendentem cohibuit, & mortis ſententia reorum fidem reuerita ab Iona inflexa eſt, atque ita Prophetæ vincebatur, dum reus per animi rectitudinem victoria deportur. Sic itaque nunc Saluator à Iudæa vadit Si-

G donem, & Tyrum impiorum ad fidem acceſſione Iudaicam publicans hypocriſim. Ac mihi vide, vt ſe Euange-

Matth. 15 liſta magnificè iactet, iſta narratione, & expeditionis dominicæ rationem euulget: *Et egreſſus inde Ieſus ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis. Inde,* vnde? vbi dum mira perficit, calumnijs petitur; vbi dum morbos ſanat, fert contumeliam, dum beneficentia vtitur, non creditur. *Et ecce mulier è finibus illis clamauit dicens ei: Fili Dauid miſerere mei.* Chananæa mulier, ſed animi probitate genus refutabat: naturam vicit fides. Nemo, inquit, Chananeos accuſet: ſoluit mulier maiores ſuos ab impietatis crimine, pietatis fit initium pijs clamans: *Fili Dauid miſerere mei.* O quot myriadibus Iudæorum perſanatis, ab ijs ipſis, qui perſa-

Ioan. 9. nati, Chriſtus ſibi repoſiti illud audiuit: *Hic vnde ſit, neſcimus.* Mulier vero Chananæa etiam ante curationem fide alata ad Euangeliſtæ dignitatem peruenit: Domine, *Fili Dauid miſerere mei.* Filia mea malè torquetur à dæmone. Luctum miſerabilem, & matri ſpectaculum morte acerbius. Dæmon aduerſarius cum puella congreditur, & hoſtis inuiſus contra puellam prodit in aciem. Quomodo rei grauitatem efferam? quomodo malum prædicabo? non ipſius adſpectus difficultatem fero. Domo exſiliens vrbem peruagatur: in altum manus extendit, oculos diſtorquet, comam nudat. Dæmoni receptaculum

H filiam peperi? Verecundiam omnem calamitas excutit, & ingenitum à natura pudorem mali vis captiuum ducit. Ciet vlulatus canum latratibus haud abſimiles, videt nec videt, curſu fertur, miſerabile eius eſt ſilentium, & loquitur dolentius. Supplicium nullas capit inducias, noctes etiam ſine ſomno abſumit, dies noctibus nocentiores experitur, cubili exilit, miſeriam confertro clamore exaggerat. *Miſerere mei,* quæ filiæ vicem flagellor: illa quidem patitur, ego vero doleo: eam ad oſtentationem dæmon agit, contra me vero per eam natura telum iacit: dæmon ſine matris iniuria filiam ingreſſus eſt, per eam in me deflexa tela perferuntur. Vtinam ne tantos in me cruciatus natura peperiſſet! vtinam partum ſummum exce-

Matt. 15. piſſet exitium! Mortis ſolatio fuiſſet naturæ lex. *Miſerere mei. Qui non reſpondit ei verbum.* O ſub inhumanitatis obtentu ſilentium longe humaniſſimum! ô ſilentium vocalis admodum Iudæorum accuſator! Namque ſilentio ad Iudæos talia loquebatur: Vides Iudæe Chananææ generoſitatem? vides ex improba radice fructum dilaudatum? Moyſem non ſuſcepit latorem legis, & Moyſes agnouit Dominum: Prophetas neſciuit, & à Prophetis cantato credidit: non vidit ſigna, & Dauidis filium confitetur. Deum poſt miracula negaſti, Iudæe, & hæc illa ante miracula credidit. Ecce etiam propter te luctu confectam deſpicio, commiſerationem tego, & ſi luctus miſereor. Vociferantem vt gentilem auerſor tibi infidelitatis occaſionem præſcindens. Nondum malum ſoluo, ne te ad inuidiam commoueam: ſanationem differo, ne infidelitati tuæ materiam ſuggeram, ne vt infide-

B lis accuſatus dicas: Quid te Chananææ miſerebat? quid Moyſis inimicos curabas? Ecce lugentem limis adſpicio ac piæ te matrem deſpicio filiæ doloribus diſcruciatam. *Fili Dauid miſerere mei. Qui non reſpondit ei verbum.* Curationis dilatio fidei ſpecimen, ſanationis prorogatio fuit voluntatis in muliere probatio: potius vero Domini ſilentium Chananææ commendatio: Interim vero Apoſtolorum chorus, cum neque ſilentij Domini ſapientiam ſatis cognoſceret, neque mulieris voces ferre poſſet, vicarius interceſſor apud Saluatorem interuenit, ac mulieris oratores fiunt Chriſti diſcipuli & infirmis mulieris ſuſceptis precibus hortantur Dominum: *Dimitte eam, quia clamat poſt nos.* Quid tandem inenarrabilis Domini humanitas? quid inexplicabilis ſapientia? *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Parturiens donationem retrahere ſimulat; licet ardentius ipſe dare deſideraret, quam quæ aduoluebatur gentibus, accipere: ſapientiſſime continet benignitatis ſuæ fontes. *Non licet ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Grauius ſilentio reſponſum, & fidei Chananææ bene congruens. Niſi enim talis fuiſſet mulier, forte inhumanitatis, aut impotentiæ Saluatorem condemnans auolaſſet: O diram inhuma-

C nitatem! non luctu abiectam miſeratus eſt, non matrem filiæ doloribus lancinatam ſolatus, non natura ſuas agente partes commiſeratione ictus eſt. Supplicantem auerſabatur & clamitantem refugiebat. Ac primum quidem taciturnitate voces abijciebat, neque clamans tacentem moui: & quando bonas curationis ſpes alebam, quando mihi miſeria ipſa patronos dabat, quando fui in exſpectatione humaniſſimæ orationis, quando mihi ad ſolam eius vocẽ leuamentum ſomniabam, quando vocem, quæ laxamentum afferret, exſpectabam, quando biabam: Commodior erat tacens, quam loquens. Ab eo inſuper tunc dictis ſpes excuſſit concepto mœrore. Contumeliarum additamento calamitates meas cumulauit: Canis in tanta hominum turba audio. Forte etiam ipſe dæmonium in eam permittit. Fortè meæ filiæ calamitas huius poteſtatem ſuperat: Fortè humilitatis, tenuitatiſque ſuæ confeſſionem celat obtentu contumeliarum; hoc vnum ſupplicando lucrum tuli, carnificis filiæ meæ indignationem exaggeraui, vocib. in eum iactis iras accendi, agreſtiorem in filiam aduerſarium reddidi. Sed

D non tam abiectum orationis genus ſeſe demiſit, neque iniurijs fidei firmitudo infracta eſt. O mulieris fides in

Matt. 15. Euangelijs deſcripta! *Non licet mittere panem filiorum canibus.* Ad quæ Chriſti verba ingenioſe illa repoſuit: *Etiam Domine*, contumeliam teneo curationis pignus. *Etenim catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Spondet mihi ſalutem canis appellatio: ſit mihi modus donationis pro modo contumeliæ: Canem vocaſti; cum ſim familiæ pars, Domini fruar menſa: inter filios partem micarum adipiſcitur canis. Non rapio panem, micam quæro: non in menſam inſilio, ad micas anhelo: non ego delicias loquor, hæres illa tua menſa fruatur de manu tua, dum fruſtula decidua noſtra ſint. O fides? ô prudentia? ô Chananææ pietas! Quid tandem Saluator? Quid ſilentium pariat, aperit. *O mulier, magna eſt fides tua!* Ideo tibi gratificari diſtuli, vt fidem tuam in exemplum proponerem. Non obucebam ex inclementia, ſed vt præſcius

E quieſcebam: exſpectabam, dum fidei tuæ amplitudinem patefacerem: præſentes doceri volebam quantum in Chananæa margaritum lateret. Totam tibi curationis menſam expleo: non vt cani micas, ſed vt filiæ panem largior. Tu quidem Iudæos fide viciſti: ego vero datu meo tua poſtulata. *Fiat tibi ſicut vis*: tu filiæ medere. Tecum circumfers curationis pharmacum. I Iudæorum; i dæmonum victrix: propagini tuæ ſanationem fer in fidei præmium. Adeamus fidem Eccleſiæ coronam: diligamus fidem adoptionis fundamentum: fidem coruſcantem minimè ferunt dæmones! fidem Chriſti diſcipulorum primarium ornamentum. Audiamus Paulum clamantem: *Manete in fide. Sine intermiſſione orate*, vt & ad vos hanc Dominus emittat vocem: *Fiat* vobis, vt vultis, ipſi gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen. 1. Cor. 16.

In claudum ad portam Specioſam ſedentem. Actor. 3.

ORATIO XXI.

F QVi tenues iſtas, ac per humum ſerpentes docent artes; tunc maximè diſcipulis probant artem perfectam eos eſſe conſecutos, quando abſque magiſtra manu per ſe ipſi magiſtrorum opera præclara effingunt imitatione. Pictor lineamentis, & coloribus naturam ſimulat. Naupegus nauem compingens per fluxum maris elementum curſum machinatur. Verum Dominus Ieſus Chriſtus mundi Saluator miraculorum poteſtate diſcipulis elargita ipſe in cælum euolauit ſolio ad Patris dexteram additus, inuiſibili vero manu cum diſcipulis mira facientibus conuenit: Videamus igitur hodie poſt Saluatorem diſcipulos miraculorum artem delibantes, & vaſtum illud mare non reformidantes. Nam quia a mortuis ad vitam redeunti domum incredibile videbatur, & cæli regnum promulgatum, quod res eſſet auditu peregrina non ſimul promulgatum, fidem animo faciebat: ideo miracula, quibus oculi perſuadeantur, propulſetur infidelitas, renitens denique ratio, ac reluctans inflectatur, anticipat, vt quibus non perſuaſit lingua prædicans, eos oculi ſuo teſtimonio coarguant. Vani quidem, ſtultique adulterinæ ſapientiæ amatores, quique ſola lingua ſapientiam excolunt, propriæ doctrinæ fallacijs colorata dictione deliram inuexerunt inſaniam, quæ mille Deos procudit, ac mendacia coloribus, atque fallaci veritatis

G prætextu veſtiẽtes, perſuaſos deuinxere, abripuere. Chriſtus autem veritatis magiſter orationi permiſcens miracula, fidem genuit rerum diuinarum prædatricem. Quem ſecuti Apoſtoli verbis prædicantes, factis prædicationem formabant. *Tunc temporis enim Petrus, & Ioannes adſcendebant in templum circa horam orationis nonam: Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, baiulabatur.* Actor. 3. Id primum in dictis cognitu neceſſarium eſt, quod ad tantam dignitatis celſitudinem euecti Apoſtoli orationem minimè neglexerint: nam homines cum eſſent, hinc quoque petito præſidio egebant. Quod ſi Apoſtoli precationis opem non excutiunt, ſed perpetuis rerum vſibus neceſſariam ſupplicationem oſtendunt: quantum nos crimen incurrimus, qui per incuriam hoc tam ſalutare proijcimus viaticum? Neque enim peccatoribus viaticum eſt, iuſtis vero magis diſconueniens: verum vtrique ordini multa inſunt in oratione conducibilia. Iuſtis quidem iuſtitiæ ſecuritatem offert; peccatores peccatis exuit, & iuſtos à peccatoribus diri-

H mit. *Tunc temporis Petrus, & Ioannes adſcendebant circa horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ baiulabatur.* Orationis appendix erat claudi curatio, & capitis ad orationem curſus iacenti claudo inopinatum curſum attulit. *Et quidam vir, qui erat Claudus ex vtero matris ſuæ baiulabatur.* Sic in naturæ officina prouenerat. Vterum natiuitatem non exſpectauit, ſed morbum anticipauit noxa, & falſum naturam formatio redarguit. Fallitur enim, ſæpe natura dum fingit, vt imperantis Dei miniſtra videatur, non etiam creatrix. Imperat enim naturæ Deus, quæ quod impar imperio, ſeruitium dedecorat, & diuinam exſpectans manum molitionis adiutricem inuocat. *Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ baiulabatur.* Manus alienas de more mutuabatur claudus, iiſq; vt

pedi-

A pedibus incedens ægritudine præpeditus vno circumſcribebatur loco, velut ſaxum aliquod in veſtibulo proiectũ. *Quem ponebant*, inquit, *quotidie ad portam templi.* Vt exanimalem aliquam naturam. Claudum ibi collocabant, vtque onerosum quid in portam iaciebant, vt ſtipem peteret *ab introeuntibus in templũ.* Cum naturæ paupertate pecuniarũ inopia coniuncta erat, & miſeri calamitates ita partitæ: natura enim malè pedatum genuit; inopia vero rogatorẽ fecit. Verum miſerabilis erat iſte pauper, dum Petrus, & Ioannes aduenirent: poſt illa vero non ſine miraculo Petri dextera demeſſo fructu, optimè cum eo actum eſt. *Is*, inquit Scriptura, *cum vidiſſet Petrum, & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat, vt eleemoſynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne dixit: reſpice in nos.* Rectè. Communis ſiquidem cum vtroque miraculi effectio, ex vtroque curationis profecta eſt gratia. Etſi enim ſolus loquitur Petrus, tamen adiutor eſt Apoſtolus. *Reſpice in nos* obolorum captator. Deſidioſum claudum iubet nonnihil B lucelli curam remittere. Ne, inquit, obolos modo quæſiueris: gratiæ mendicus eſto, non pecuniæ. Pecuniam ſi quæris, rogas pauperiores: *Argentum, & aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do.* Ne pecuniam quæſiueris, quam dare non habeo. Roga malis exſolui, cuius rei gratia mecum communicata eſt. Tu verò cum diſertis auro theſauris, quod à nobis accipis, compone. *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ſurge, & ambula.* Pro obolo fer pedes, pro pane temperatio naturæ ſupplementum accipe, pro amoris ſolatio vim vſumq; membrorum. Hæ meæ diuitiæ, hoc aurum Petri, hoc Apoſtolorum munus. *Surge, & ambula.* Hunc theſaurum, hanc nobis hæreditatem Nazaræus reliquit. *In nomine Ieſu Chriſti Nazaræi ſurge, & ambula.* Vt ille de ſepulchro: ſic tu de iſta ærumna exſili. Monſtra Iudæis maledicis reſurrectionem, eum reapſe teſtare, qui reſurrexit: prædica pedibus, quę nos linguis ſine adſēſu prædicamus. Claudicantes Iudæorum mentes perſana. Quandoquidẽ Iudæi parũ credunt, & Chriſtum à mortuis ſurrexiſſe moleſtè ferunt à nobis palam adſeri, vtriſq; iudex eſto, & tua C debilitate fer pro veritate ſententiam, eaq; debilitas abacta integra à munerib. voce iudicium exerceat. Chriſtus, de quo dubitant hærentq; Iudæi, tuis pedib. dilaudetur. Quod ſi poſt inuocationẽ malum remãſerit, ac niſi Chriſti compellatio iacentem erexerit, non ſurrexit Chriſtus, tumulus indiſſolubilis reſurrectionis prædicatio fabula. Sin Chriſti compellatione ſola mortuos reapſe vident reſurgere, ne diutius veritati oblatrent. Sed quid eam diſputationem ordior? *Reſpice in nos*, ne viſu captes præſentia, ſed de reſurrectione iudex eſto. *In nomine Ieſu Chriſti ſurge, & ambula.* Si mortuus eſt qui vocatur in vota, remaneat claudicationis malum: ſi Chriſtus in tumulo, vel eo inuocato pedes teneat ægritudo. Quod ſi calcata morte ſurrexit Chriſtus, euentum opere teſtificare, quod tumulo exierit. Vt rebus, quas vellicant, cõſpectis ad crucifixum accedant: *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.* Eadem loquor eius à vobis in crucẽ acti indicia, nec ad Deitatis celſitudinem verbis recurro, carnis ſigna profero. O Petri ſapientiam? ô audaciam? Intus in templo Iudæi, & crucifixi reſurrectionẽ * reſurrectionis ſimulacrũ procu-D dit claudum conſolidando, contraque mendaces linguas pedes veritatis indices produxit in aciem. *Surge, & ambula.* Non illud ſufficit. *Surge*; niſi & hoc adiungat: *Ambula.* Duplicis miraculi duplex teſtis eſto. Cum enim reſurrectionẽ exceperit adſumptio, per vtramque malo imperat: vt mali fuga teſtis ſit veræ vocis eorum, quæ dicuntur. *Et apprehenſa manu eius dextera alleuauit eum.* Emiſit vocẽ, immiſit tangendi vim, & liberationem à malo imitatione quadam expreſſit. *Et protinus conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ.* Oblitus eſt, quid negotij natura præbuiſſet. Per Petri manum curſuram didiciſti, cuius prius ſpectator, & cupiens eras: nec adſequebatis. *Protinus autem conſolidatæ ſunt baſes eius.* Momentanea ſanandi ratio: nec enim ſegnior Petri voce fuit ea gratia. Teſſera ad curſurã accepta claudus exſilijt: didicit imperio natura parere: formatio fines ſuos recuperauit. Simul cũ curatorib. ſuis *intrauit in templum ambulans, & exſiliens, & Deũ laudans.* Saltib. gratiam Dei deprædicabat; hymnis lætitiæ ſignificationẽ dabat: pedum tripudio rata E fiebant, quæ pronunciabat. *Et intrauit cum illis in templũ*, inſuetam viam inſolenti emenſus inceſſu, ante templũ, quã templi aditum ſuis veſtigijs conſignauit: cumque ingens multitudo confluxiſſet, claudus perſanatus Gratiæ ſpectaculum fuit. *Cognoſcebant autem illum*, inquit, *quod ipſe erat, qui ad eleemoſynam ſedebat ad Speciosam portam templi.* Notum enim ipſis miſeria faciebat, & ægritudo connata miſerum apud omnes nobilitabat, atque etiam claudi appellatio nomine erat illuſtrior. Multos præterea Petrus claudi curatione tanquam obiecta eſca pertraxit ad ſalutem: illius enim pedes, aliorum vero mentes erigebat. *Surrexerunt igitur Sacerdotes, & magiſtratus populi, & Saducæi dolentes.* Medicos iterum ad tribunal agunt, quo inuidiam Domino, & Apoſtolis concilient: *Quid facimus?* dicentes. Ardeſcunt in iras, qui curantur: indignantur beneficiarij: minantur, qui reualeſcunt: feſtiuitatem reputant calamitatem, ſanationem ſupplicium, ſalutem exitium. Mores apud ipſos rerũ naturam peruertunt. *Quid facimus?* rogaſne quid agas? inuidia depoſita crucifixum adora: exue mores iſtos, & bene merentem agnoſce. At *quid faciemus? quoniam quidem no-F tum ſignum factum eſt per eos omnib. habitantibus Hieruſalem: manifeſtum eſt, & non poſſumus negare.* Obturat, inquit, os noſtrũ benefacti euidentia, & calumniam refellit curationis magnitudo, occludit os nequitiæ miraculi vis. Vtinam etiam in ſabbathũ miraculum illud incurriſſet? id enim temporis calumniæ patrocinaretur, tegeremus miraculum violatæ legis obtentu. At *quid faciemus? Comminemur eis, ne vltra loquantur in nomine hoc.* O cœcutientes animas? ô mentes infidelitate merſas, & ebrias? Sed nos Iudæorum improbitatem auerſati eum claudo curato Deum laudibus perſonemus, & Apoſtolorum diſcipuli conſtituti Apoſtolicæ virtutis largitorem Chriſtum adoremus, ipſi gloria, & virtus in ſecula ſeculorum, Amen.

In illud: [*Nauigabant ſimul cum Ieſu diſcipuli, & ecce tempeſtas magna, &c. Luc.* 8. *Matth.* 8. *Marci* 4.

ORATIO XXII.

QVæ volatu, & ingenio ſecant aerem aues, pullos ſuos G recens genitos fouent, & calide accurant: proprioq; labore paſtu comparato fructum fœtibus offerũt abſque vllo eorum labore. At vbi eos pennis aptos viderint, inde eductos ad volatum exercent: & ipſæ ſimul aerem tranãtes exercitationem volandi tutam fœtibus adhuc teneris præſtant: nonnunquam etiam deſerunt interea volitantes, quo virtutis volandi experimentum capiant. Sic interdum Chriſtus Dominus ſuos diſcipulos cum multa de fide edocuiſſet, nunc tanquam doctrinæ rationem velit repoſcere, eos ſpe ac timore ſuſpenſos tenet, & mare Apoſtolis in fidei ſtadium apparat, & adſumptis diſcipulis nauigauit vltra. Nonnunquam enim nauigat, nonnunquam incedit ſuæ volũtati facultatem accommodans. Cũ vero ſcapha medijs eſſet in fluctibus, ipſe experientiæ locum cedens dormiebat. Inuſitata vero tempeſtas confeſtim cum fragore inſurgit, & recurrentes inuicem ventorum turbines ferebantur in ſcapham: ſublatiſſimæ etiam vndæ ſe in cælum iaculabantur, & fluctus inſurgens merſurum ſe ſcapham minabatur. Aduerſus diſcipulos cum talis tempeſtas deprœliaretur, Dominus dormiebat. Ecquod hoc tantum nauigantibus prœlium? ſomnus, elati H venti, ſonitus fluctuum: nauigium contorquebatur, rudentes cum velo collapſi conterebãtur, diſcipuli circumcurſabant, adhortabantur mutuo, ac dormiebat interim Dominus. O ſomnium, quo fidem dormitantem ex media maris tempeſtate Dominus excire parabat? Vnde alteros contra pietatem fluctus ſurgentes. Docuit enim Dominus, & mox hæreticus ſomni anſam accipit, Apollinarius, Arius, Eunomius, cognata turba contra Vnigenitum obarmantur: Nam cum Dominum ſopitum audiunt, veritatis doctrinam ſuffurati connituntur, ac veluti, quid rerum agatur, ignoret, his vocibus inſultant: Vides vt D E V S non ſit, qui dormit? vides vt Filius, cui id euenit, eiuſdem cum Deo patre, cui hæc non eueniunt, naturæ non ſit? Sed ô reipſa mari agreſtiores, & piſcibus indoctiores! Corpus dormire videtis, & corporis recto-

A Ioan. 1. rem incuſatis? *Deum nemo vidit vnquam*. Non igitur eum vnquam dormientem quiſpiam vidit. Nam qui ſuperat oculorum aciem, quique impatibilis, eum ſomnus corripere non poteſt. Dormit igitur Verbi Dei templum, per quod Deus adeſſe creditur, tantumque dormit quantum ſinit vſus corporis, In vos profectò conuenit à Domino contra mare profecta increpatio: *Tace, obmuteſce*. Cuius enim procellam linguis imitamini, eiuſdem increpationẽ admittite. Sic ope diuina hæreticorum errore refrænato accedamus ad contemplandas diſcipulorum anguſtias: videmus negotiatores, qui in mari vitã tuentur, mirè animo dubios perplexoſque, videamus Petrum contra fluctus audentem, & in nauicula conterritum. Sic, inquit, elato iam mari dormit Dominus. Dormiebat Saluator cum ſic prope cum mari diſputaret: In terra ſæpe diſcipuli miracula ſpectauere perpetrantem: ne vero continentis duntaxat anguſtijs meam coarctare poteſtatem putent, B diſcant & me maris eſſe dominum, diſcant & eum eſſe liquidioris iſtius naturæ creatorem, qui ſpecie hac tegitur: diſcant non hominem adſpicere, ſed Deum ſuſpicere: diſcant, vt in conſpicuo hoc corporis domicilio mundi totius ædificator inhabitet. Eſto mihi diſcipulorum præceptor, ô mare, & pro flagro fluctuum terrorem iniice. Attollantur vndæ tuæ, armentur venti, iactetur vndequaq; ſcapha, naufragij minæ intentẽtur, mors oſtentetur, mortis exſpectatione pendeant. Viq; ad ſpem tamen ſtet terror: nam terreri volo, non occidi. Ecce tibi monſtro, vt templum meum ſomnum capiat. Cape corporis mei ſomnum in præfinitam tempeſtatis exciendæ horam. Interea Dominus dormiebat, cuius iuſſis mare obtemperans paulatim vndis terrorem tollebat, ventus adſibilans nauem iaculabatur, nauis vndis concuſſa fluctuabat. Diſcipuli ſtudioſe ſalutem quæritabant ab arte: ſed manus faticebant. Cum tempeſtate depugnabant, & cum ventis de naui decertabant. At cum procella præualeret, neque arti pateret mare ac potius vinci extimeſceret, & terrorem de terrore exſuſcitaret, victi diſcipuli, & quæſitas ab C arte ſpes, tanquam & ipſæ naufragium facerent, omittẽtes recurrunt ad portum, qui in ſcapha erat, & adſtantes Luc. 8. clamant: *Magiſter, magiſter, ſalua nos, perimus*. O timorem naturæ magiſtrum! ô periculum, quo docetur, vbi ſalutis ſit ancora! ô mare exanimatos metu diſcipulos præceptori reconcilians! *Magiſter, magiſter.* Vocem ingeminat animi perturbatio, & timorem arguit oratio: *Salua nos, perimus*. Tu ſolus nobis ſalutis ſpes. Omnis noſtra exhauita eſt induſtria, manus ad opem ferendam comperiuntur inutiles, artis imbecillitatem arguit vis tempeſtatis. Oſtende te vigilantem, & pelagus te reuerebitur. Reconcilia, quod nobiſcum decertat, mare. Voce procellam extinguite. De pace vndis diſſere. Miſerere diſcipulorum, qui maris tyrannide premuntur. Mare te loquentem nouit, & ad tranquillitatem referetur, tuam exſpectat vocem, verbũ tuum ancoram præſtolatur. Quid tandem Dominus? ſomno quiete excuſſo, & per tam feſtinatam expergiſcendi rationem nihil, vt adſolent, qui dormiunt, ſomniculoſe Matt. 8. gerens, prius diſcipulos increpat, quam mare. Quid, inquit, tam *modicæ fidei eſtis*? Infidelitatis argumentum eſt timor. Perturbatio perturbatorum accuſatrix. Concuſſit D fidem veſtram commotum mare, & illuſa à fluctibus ſcapha fide vos denudauit? maris fluctus ad animam vſque inſiliuit? cur enim fide, vt mœnibus, ſepti non eſtis? O dignas Domino voces! Vult fidei vim rebus conditis eſſe valentiorem, & ad fidei præſentiam omnem ab anima deſperationem eliminari. Transfert increpationem in mare dicens: *Tace, obmuteſce*: voce eſto contentum, ne flagellorum exſpectes experientiam. Aquarum ingenium increpationem horruit, & vocis terrore ſtabat; fugiebant venti, coercebantur vndæ: ſopiebatur pelagus, fluctuum ſuorum ceruicem curuabat. Nam quod olim mare Moyſem fugit, & Moyſis Dominũ venerabatur, tãquam mancipiũ incompoſitis morib. Verbo minaci mare continet Deus, & modica voce ingẽs elementũ refrænabatur. Recognoſcebat enim veterẽ vocẽ, recordabatur antiqui præcepti: Gen. 1. *Congregentur aquæ in vnum locum, & appareat arida*. Tunc cõceſſit terræ volenti impetũ: nunc terram imitatur conſo-

E lidatione naturæ, coercet vndas, ventos cogit, tempeſtatẽ ſedat, diſcipulorum terrori mare ſuccedit, eorumq; defenſionem ſuſcipit, tacens pro ſupplicatione ſilentium obtẽdit. O Domini ſapientiam? ô magiſtri edictum? Exciuit mare, oſtendit naufragij ſpes, fidei ſcholam fecit mare. Ecquod igitur diſcipulis ab iſta trepidatione lucrum? *Et mirabantur*, inquit, *diſcipuli dicentes: Qualis eſt hic? quia venti, & mare obediunt ei*. Matt. 8. Quibus ex rebus conterriti fuere, docti euaſere. Cognouerũt elementorum frænatorem, cognouerunt mundi rectorem, auxitq; cognitionẽ maris terror, *Quis eſt hic*? Hoc ſi quæritis, hic eſt filius Dei viuentis, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

De Arreptiuo. Luc. 8.

ORATIO XXIII.

MVltæ quidem à dæmonibus homini creantur inſidiæ: at illi multiplex à Deo auxilium ſubmittitur. F Nam ſi auxiliarius ſuperne hominum cauſa de cælo non armaretur, pridem perijſſet hominum genus à dæmonib. circumuentũ. Quam enim vnquam oportunitatem, aut quod etiam tempus omiſerunt à vexatione liberum? quãdo contra naturam retia nectentes, & tendiculas noſtrarum calamitatũ prædatores nõ ſe conſtituere? Nam poſtquam non quidem à natura, ſed à voluntate deteriori improbus euaſit diabolus, & aeris adminiſtrationẽ eſt à mũdi opifice Deo ſortitus, vt rerũ diuinarum auditor Paulus nobis denarrat, cum dicit: *Secundum principem poteſtatis aeris huius ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ*. Epheſ. 2. Deinde ad naturam talem euectus dignitate excidit per mentis altitudinem de dignitatis altitudine deturbatus: tantusq; fuit elatioris animi faſtus, quantum capere potuit ſpiritus. Cęterum aduerſus homines cogitatione incubuit, rerumq; effectorem abominatus varias machinas adhibuit ad obliterandam Dei imaginem. Nam cum Deum contra belligerere non valeat, alia via pugnam init, dum creaturas cõtra creatorem ſuccendit ad ſeditionẽ. Sic à principio pro- G toplaſtum recens compactum imaginis diuinæ characteres ferentem aduerſus Deum rebellionem cogitare hortatus eſt: *In quocunq; die comederitis ex eo, eritis ſicut dij*. Hominũ vero genere propagato idololatriæ cogitationes inducit, & velut in nocte per creatoris ignorationem creaturã adorabat creatura. Vbiq; aræ, templa, idolorum figmenta, vbiq; ſanguinis effuſiones, vbiq; dæmonum tripudiũ. Neq; his in hominem excogitatis contenti fuere dæmones, aut ſatis habuere honoribus eorum ſibi delatis miſeros punire, in ipſos furtim illapſi hominum habitatores fuerunt. At nudum ab auxilio mortalium genus non deſpicit Deus varijs contra hoc methodis ad curationem vſus, tandem Chriſtianam inuexit ſapiẽtiam dum hominũ vice dæmonum naufragium parat, verbiſq; libertatem prædicat, promiſſionem miraculis firmat. Hæc ex euãgelijs modo lecta narratio dilucidè nobis repræſentat, qua dæmonum importunitatẽ expromit, qua auxilium hominib. à Deo ſuppeditatũ commonſtrat. *Et cum egreſſus eſſet ad terrã, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporib. multis, & veſtimento non induebatur, neq; in domo manebat, ſed in monumẽtis*. Luc. 8. Hic eſt dæmonũ in homines furor. Pariter ardent omnes circumuenire: quod vero idem in omnes cõmittere nequeãt, exanimantur. *Occurrit vir quidã* ex ciuitate. Ærumna altera, H altera grauior. Nam cum ipſe dæmonũ eſſet domicilium, pro domicilio habebat monumẽta, vt & habitans, & vna habitatus mortuos inter habitare cogeretur. Immo vero grauiorẽ morte vitã ſuſtentare velut iudicio dato iubebatur. Nã quos inuaſerit mors, ſenſu doloris priuat, & ab ijs, quæ dolorẽ creant, ſepulchrum mortuos liberat. Ille quidẽ cætera mortuus, ſolũ viuebat, quod ægrimoniæ ſuæ ſenſu torqueretur, eoq; ſine intermiſſione. *Et veſtimento non induebatur*. O præpoſteram diaboli malitiam? Adam quidem honeſte nudatum pudore induit: hunc vero honeſte indutum nudauit. *Et catenas*, inquit, *iam diruperat*. Siquidem afflicto virtutem dabat, vt eum virtute priſtina deſtitueret. Cedit enim violentiæ vel ferrũ, dum euadit infirmius. Locum vero vicinis inacceſſum reddidit, dum hominem contra hominem velut inſanientem dæmon immiſit. Tan-

A tis enim malis dæmon cum à ſe obſeſſum implicuiſſet, Domini congreſſu prohibere non valuit. Atque hæc prima ipſi prouidentiæ ratio. Cum enim præſentis Chriſti poteſtatem minime ferrent dæmones acclamabant? *Matt.8.* *Quid nobis, & tibi Ieſu?* ex carnis obiectu tumultuantur Deitatis in carne latitantis iguari. Nam vbi gentium ſcenus ad Dominum clamaret: *Quid mihi, & tibi?* Quem conſpiciunt, ſpernunt: neque tormenta vident admouentem. *Quid nobis, & tibi?* O, quot in vita iuſtos præteriuimus, nec ab ijs eiuſmodi flagium ſumus experti? Qui nos oppugnat, intollerabilis: haud ferenda contra nos iacula. *Quid nobis, & tibi?* A tuo partu dumuit, quod in nos exciuiſti bellum: noſtris nos poſſeſſionibus nudaſti: viderunt te natum magi nobiſq́; in fugam actis adorauerunt: loquentem audierunt publicani, & noſtram vectigalium tractationem defugiunt: meretrices prædas noſtras tibi per pœnitentiam prędatus es. Vna nobis reliqua erat conſolatio, hominum afflictationes, & ab his delicijs nos diuellis. Ibi fractos paralyſi conſtrinxiſti: ibi ſurdos à miſe- B ria liberaſti: ibi cœcis ſolares radios reddidiſti: ibi mortuos è monumentis exſoluiſti: mortis carcerem, quem tã laborioſe exædificauimus, ruinoſum reddidiſti. Quot *Matt.8.* tu mortales peruanaſti, tot in nos cõtuliſti ſupplicia. *Quid nobis, & tibi fili Dei?* Filium Dei vocant, cum interim Filium ignorent Deum. Dei namque filij vocati ſunt & qui, cum ad virtutis culmen euaſiſſent, ſummam cum Deo fa- *Exod.4.* miliaritatem inierunt. Tale illud: *Primogenitus filius meus* *Pſal.81.* *Iſrael.* Ac iterum: *Ego dixi dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Ac ite- *Gen.6.* rum: *Videntes autem filij Dei filias hominum.* Nec enim hoc nomen naturæ tantum, ſed & familiaritatis nota. Hanc quoque prodidit ignorantiam diabolus, dum in Iordane *Matt.3.* tes geritur. Cum enim audiſſet latam de cælo vocem: *Hic* *Matt.4.* *eſt Filius meus dilectus*, ei per ignorantiam dicebat: *Si Filius Dei es, mitte te deorſum.* Profecto ſi ad Deum, quem nouerat, loquitur, quomodo propoſita ſui deiectione territare connititur? Siquidem Dei natura neque altitudinem nouit, neque profunditatem. Sic & alter Euangeliſta dæ- *Matt.8.* monum voces retulit: *Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene?* nõ tanquam hominum effectorem, ſed vt Nazarethi ciuem appellarunt. Quæ ſe prodit forma ſibi conſentanea facias, loquitur: Hominem cum videamus, velut à Deo C tractamur: velut cælo delapſus, non Nazaretho profectus *Matt.8.* flagra importas: factis naturam notifica. *Quid nobis, & tibi Fili Dei?* veniſti huc ante tempus torquere nos. Quid ais diabole? ei, qui temporibus modum fixit, terminoſque iudicio præſtituit, occlamas: *Veniſti modo?* Sed ignorat naturam immortalem in forma ſerui fidem faciente aduentui, ignorat Deum vniuerſi dominum capta Dauide ſtola inueſtitum. Itaque ex adſpectu ad contentionem irritatus, occulto vero Deitatis imperio flagellatus temere audentis, ſimul & ſupplicantis voces commiſcet: *Quid nobis, & tibi Ieſu?* oro te, ne torqueas. Timoris ſimul, & audaciæ voces emittit: Valens quidem, vt ſeruus præfractus: ſupplicans vero, vt qui reus vapulat. *Veniſti huc ante tempus.* Vnde igitur norunt iudicij diem non adeſſe? vnde ſciũt ante tempus torqueri ſe? Norunt ex ijs, quæ perpetiuntur, ſe tormentis obnoxios. Nec tãntum apud eos morum potuit improbitas, vt illatæ ob flagitia pœnæ obliuionem inducat. Nunc vero videbant non ſupplicium inferentem, ſed ſeceſſionem tunc ab hominibus facientẽ. Quod D igitur non torqueantur, nondum ſupplicij tempus adeſſe ratiocinantur. Grauiter interim ferunt, ante iudicij tempus hominum pœnis vt abſtineant ſe, iuberi. *Præcipiebat* *Luc.8.* *enim eis, vt exirent ab eo.* Nondum eos in iudicium trahebat, nondum tribunalis terrorem oſtentabat, nondum iudicij flammam accendebat: ſed minis tantum effrænes impetus refrænabat: & mali tanta vis erat! Verum cum Dominus apud animum ſtatuiſſet ijs, qui aderant, oſtendere vel in medijs adiectis arcanam quandam in homines *Luc.8.* prouidentiam, rogat: *Quod tibi nomen?* at ille, ait: *Legio. Quia multi ſumus.* Quam interrogationem non ipſe quaſi ex ignorantia neceſſario adhibuit, ſed nos edocuit, quam multis humanum corpus carnificibus dæmonibus traditum non perierit: quandoquidem dæmonum multitudo in vnum armata tollere non eualuerit. Non in præcipitia proiecerunt, non membratim diuiſerunt, non illato ferro diſcerpſerunt hominem, verum occultiore virtute E ſtetit, reſtitítque contra excitatas à dæmonibus procellas in ipſis etiam ſupplicijs cuſtoditus. Quodque maius eſt dedita opera inſinuit Euangeliſta: *Multis enim temporibus arripiebat illum.* O ſolicitudinem inexuperabilem! Pariter enim torquebant, pariter torquebantur dæmones: modo quodam cædem anhelantes, ſed libidinem re ipſa explere non permittebantur, donec apertum regis decretum celerem & omnimodam libertatem laboranti attulit. *Erat autem ibi grex porcorum, inquit, paſcentium in monte. & rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi. & permiſit eis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos: & impetu abijt grex per præceps in ſtagnum & ſuffocatus eſt.* Cur igitur, ô Domine, dæmonibus poteſtatem facis? cui eorum nequitiæ gnarus verbis perſuaderi te ſiuiſti? Vt diſcamus nos homines porcis dæmones eſſe infirmiores, cum Deus obſtat. Deinde vt homines doceat hominum perditionem dæmonibus eſſe voluptati, noſtram vexationem illis eſſe F delicias. Nam qui neque hominum poſſeſſionibus parcunt, ſed in porcos etiam maleuolentiam palam explicant, quid, ſi facultas data ſit, in homines agant? Id quoque Deus permittit, vt inimicitia cognita eorum exoſam habeamus inhumanitatem, & quorum inſidias non ferimus, conſilia refugiamus. Præterea diuinæ circa nos curæ documentum edidit. Omnia namq́ue funditus pereãt, neque quidquam reliquum ſit non dæmonum violentia commiſſum, niſi tecta, & inexpugnabili manu Dei muniantur. Concedit igitur minora, vt agnoſcamus maiora, & cunctanter difficultatibus nos implicat, vt deteriorum rerum ſenſum capiamus. Quod ſi auxilij diuini obliuioſi non eſſemus, ne quidem paruis noſtram iuueret exerceri patientiam. Permiſit dominum porcorum dari, vt hominum cõmoda perdiſcamus. Prouidentiam igitur, qua perfruimur, confiteamur: vigilantiam, qua conſeruamur, hymnis ornemus: Dei auxilium, quo communimur prædicemus: Ab ea pendeamus ipſi, & eam reſpicientes exclamemus: *Tu Domine adiutor noſter, & protector*, cui gloria in ſecula, Amen.

G

In illud: *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram tuam.*

Matth. 20.

Oratio XXIV.

Acies ab hominibus in homines ordinata, & armis iaculiſq́; confligens, graue quiddam, ac ſæuum eſt: natura enim voluntate improba in ſeipſam inſaniens à ſemet eandem ſibi perniciem molitur. Attamen pugnæ æquitatis colore defendi volunt. Aut enim nonnulli prius iniuriam perpeſſi contra iniurioſos arbitram inimiciarum dimicationem vocant; aut gloriæ cupiditate, & trophæorum deſiderio contra ſe manus armant, ac trucidationẽ fortitudinis ſpecimen appellant. Cum vero nonnulli omiſſo ſecum pugnante exercitu in mundi molitorem linguas pro manibus armant Dei punientis animaduerſionem in belli cauſam trahentes, quæ oratio veniam impetret? aut quo iuſto æternæ punitionis prætextu talia cõmittantur? Quando *cæli enarrant gloriam Dei.* Angeli crea- *Pſal.18.* toris laudibus vacant, rationis compos imposq́; natura in H hymnos tota incumbit occupatione perpetua laudationes ſuas impares eſſe declarans: homines vitæ, quæ cum ratione agitur, & ſimilis cum Deo honoris conditionem ſortiti, & ad imitationem conditoris expreſſi, pro modo imaginis procreatorẽ ſuum induti excogitarũt creatorem modis quibuſdam maiorem minoremq́; qui commenio diuinitatem expugnatũ eunt. Quid propriã modulorum infirmitatem, ô homo, transfers in cælum? Quid ad ipſam Deitatis eſſentiam? quid corpore vacãtem corporis menſura dimetiris? quid naturam, quæ ab nullo authore eſt, in ſeruiles formas induis? Filium audis, ſeruum facis? improcreabili Patre cognito creaturam Filium autumas? genitorem ſeruire neſcinm, & ſeruum genitum? Nullus eſt orationis tuæ cum natura concentus.

A Filium ais? Patris naturam dilucidas, patrem nominas identitatem, quæ cum Filio eſt, proclamas. Quod ſi Filius non creatura? ſi creatura, non Filius. Namq; ob naturæ ſimilitudinem ſine vllo impedimento reciprocatur oratio. Tu quæ nec miſceri, nec conuenire poſſunt, cogis in vnum, & miſces. Si ſeruus Filius, quis creaturæ liberator?
Rom. 8. Quid igitur clamabat ipſe: *Si vos Filius liberauerit, vere liberi eritis.* Quid per blaſphemiam libertatem tibi eripis? quid Dominum calumnijs proſcindis, & teipſum æternæ ſeruituti adiudicas?
Rom. 8. *Quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Filius vero ſine vlla libertatis poſſeſſione ſeruiet æternum? Si dum Deum pronuntias, creaturam ſtatuis, reclamat impietati tuæ
Rom. 1. Paulus: *Et ſeruierunt creaturæ potius quam creatori.* Creaturam dicis Deum, agnoſcetur à te cognationē trahere. Magnus Deus, & apud illos paruus comperitur. Bellum infers diuinitati excogitata naturæ differentia. Audi vocem ipſius,
Ioan. 10. & animo reconde: *Ego, & Pater vnum ſumus.* Quod vnum ne diſtrahas. Ne metire, quod à menſura alienum eſt: ne partire ſubſtantiam, quam partiri non eſt. Cælum laudib.
B efferr, tu metiris? Cherubim ſe ſubmittunt, tu examinas? Gabriel tremens adſtat, tu vero maledictis impetens circumſtas? Pudeat te mulierculæ euangelicæ, quæ regiam dignitatem, non ſeruitium Chriſto ſuo adſcribit teſtimo-
Matt. 20. nio. Adſpice, quæ Zebedæo filios genuit: *Acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi adorans, & petens aliquid ab eo.* Quod cum permiſiſſet Dominus: *Dic*, inquit, *vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Muliercula regem proclamat, & Arius ſeruitudinē agnoſcit: *Dic, vt ſedeant.* O matrem filiorum impenſe amantem, & piam mulierem! Materiam inuenit natura, filijs vt gratificetur. Verum exactè videamus dictionem, qua mulieris fides inclareſcit, Euangeliſtam intueamur mulieris lau-
Matt. 20. datorem. *Tunc*, inquit, *acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi.* Vis, inquit, mulieris fidem cernere? ſupplicationis quære tempus. Quando libellum ſupplicem effert? quod poſtulationis tempus? Crux erat parata, paſſio appetebat, Iudæorum inſtructus erat exercitus, Dominus de morte ſermocinatur, diſcipuli æſtuant, ante paſſionem ad mentionem de paſſione cohorreſcunt, auribus percelluntur, animo perturbantur: ac tunc mater incurrit ſecans Apoſto-
C lorum chorum, regiam affectans poteſtatem, & thronum filijs rogans. Quid ais, ô mulier? crucem audis, & thronū rogas? de paſſione ſermo, & regno inhias? Sine diſcipulos vacare timori, ſine ſuos in periculū curas partiri. Vnde tibi tantæ dignitatis quæſtio? quid eorū, quæ dicuntur ſiunt ve, te commouit ad regni poſtulationem? Paſſionis commemoratio? crucis exſpectatio talia te quærere propulit? Video, inquit, paſſionem, animo tamen reſurrectionem prouideo: video crucem pangi, ſed video cælum pandi: video clauos, ſed & thronum imaginor: vidi pridem matrem virginem, quæ nixum tulit non à natura ortum, ſed à gratia, & partu diſpenſationis, non conſuetudinis: vidi ſtellam, quæ Perſidem adhuc ne partum emouit.
Ioan. 1. Ioannem audiui clamantem, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Tam denſa vidi miracula, quam denſæ de cælo niues cadunt: vidi qua cum poteſtate imperarit, i-
Matt. 19. pſum dicentem audiui: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim.* Futura video fidei oculis. Aures erit, vt apparet, latronis
Luc. 23. voces mulier. Ille in cruce orationes offerebat: *Memento mei in regno tuo.* Hæc ante crucem pro regno ſupplicat: *Dic vt ſedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram tuam.* O deſiderium paſſione maius! ô deſiderium
D in ſolam futuri cogitationem intentum! Quæ temporis intercapedo remouebat à cognitione, fides intuebatur. Quid ergo Saluator? Omiſſa matre cum filiis verba facit:
Matt 20. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Mater regnum poſtulauerat obtentu facile arbitrata, ſperabatque, quod ſperabatur, ex ſola poſtulatione rogantibus obuenturum. Chriſtus Dominus regni acquirendi modum docebat: *Poteſtis bibere calicem?* Item thronus laborum fructus eſt, & munus rogationis *poteſtis baptizari?* Via eſt paſſio, labores pro religione ſuſcepti regnum merentur. Non tenuis hæc poſtulatio: ſed paſſionis imitatio regnum conciliat. Si dignitatem amas: accede ad paſſionis ſocietatem, oſtende
E te cum Chriſto crucifixum, & in regni conteſſu ſpectaberis? Imis mercare ſumma. *Poteſtis baptizari.* Quid tandem filij? *Poſſumus.* Deſiderata res pertrahit ad patiendum. Quid ergo Dominus? *Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis.* Quid ais, ô Domine? pro te paſſi non etiam à te remunerationem obtinebimus? vngis & periculo obijcis, nec æquales meritis vicem reddere? Non eſt tuum dare? Quomodo igitur clamabas: *Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt?* In hiſce vero omnibus profecto regni donatio eſt. Aut quomodo dixiſti: *Pater omne iudicium dedit Filio?* Quinimo illud *Dedit*, Incarnationem tuam reſpicit. Nam cum à natura ſis Filius, habes in natura poſſidendi ius. Vbi autem iudicij dignitas inuenitur, remunerationis quoque facultas. Non ipſe dixiſti: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum?* Non modo clamabas: *Sedebitis ſuper ſedes duodecim?* & nunc dicis: *Non eſt meum dare vobis.* Quid ſibi vult: *Non eſt meum?* Cur vocem appoſuiſti, ex qua Ario præbeatur impietatis occaſio? cur tuis ille verbis in te inſoleſcit? cur mendacium à veritate mutuatur? qui mundum produxiſti, impar ſis ad remunerandum? cum ſis creator, poſt victoriam non corones creaturam? Tenemus verba tua poteſtatis tuæ pignora. Audiuimus te clamantem: *Vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.* Honoris æqualitas poteſtatis æquilibritati reſpondet. *Quæcunque facit Pater, hæc & filius ſimiliter facit.* Cum Patre ſimiliter operaris, & quod dat Pater, pariter dare non vales? Non aſſirmaſti ipſe: *Sicut Pater ſuſcitat mortuos & viuificat: ſic & filius, quos vult, viuificat.* Cur ergo vnus es cum Patre creator, cum Patre conſides, cum genitore ſimul gubernator es, excitas à mortuis, velle, quos vis viuificas vt ipſe, & modo dicis: *Non eſt meum dare?* Cur? Quia remuneratio accipientis meritum conſequitur, non ſolum facultatem donantis: thronus laborum præmium eſt, non ambitioſis donum gratuitum: ex recte geſtis thronus comparatur, nudam poſtulationem datio non conſequitur. Monſtra meritum tuum, & meam intuere poteſtatem. Si peccatorem peccati cædet, ægritudinem leuo, debitumque dimitto: ſi plorat meretrix, remiſſionem concedo: ſi publicanus pectus ferit, errata non exaro: ſi leproſus curationem quærit, virtutem exte-
G to: *Volo mundare*: ſi mortuum è tumulo reſurgere neceſſe eſt, poteſtatem expromo: *Lazare veni foras*: ſi cæcos luminis orbitatem gemit: *Secundum fidem veſtram fiat vobis*: Quod ſi thronum vero quis petat, & regiam poteſtatem quærat, & ſedere ad dexteram affectet, tunc quid poſſim curioſe diſpicio, ſuſum pro pietate ſudorem teſtibus repoſco: nam eorum merces eſt in meo verſari conſeſſu. Si repetero quod his condignum ſit, tunc *eſt meum dare*: vocant enim dantis poteſtatem accipientis merita. *Ideo non eſt meum dare* ſed Patris eſt dare, *ſed paratum eſt à Patre meo.* Pater, dū probat, non ſimpliciter gratificatur: expectat motus noſtros, donum dum parat: non leuiter effundit gratiam, ſed munus recondit. *Non eſt meum dare.* Neque enim Patris eſt temere gratisque talia largiri. Propterea martyrium perferenti regnum concedo. *Hodie mecum eris in paradyſo.* Viſo namque animi deſiderio dona præbeo. Propterea dico: *Docete omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Simul autem vna eſt inſtructio, idem baptiſma, eadem etiam remunerationis gratia, vna eademque perſonarum id concedentium poteſtas, cuius ſeruata fide vtinam regni cæleſtis conſecutionem mereamur in Chriſto, cui virtus, & gloria in ſecula, Amen. H

Margin notes of the second column, from top to bottom: *Ioan. 16.*, *Ioan 5.*, *Matt. 25.*, *Matt 19.*, *Matt. 20.*, F, *Ioan. 5.*, *Ioan. 5.*, *Matt. 8.*, *Ioan 11.*, *Matt. 9.*, *Matt 25.*, *Marc. 10.*, *Luc. 23.*, *Matt 28.*

In illud: [*Quem dicunt homines eſſe Filium hominis? Matth. 16.*

ORATIO XXV.

MOyſes Hebræorum doctor Dei cognitionis diſciplinam Iudæorum filijs traditurus, diſcipulorum animos Ægyptiorum ſupplicijs ante percellit, & creaturā iuſſo Dei transformat, quo mentes idoneè comparet ad doctrinā; totiuſq; naturæ legibus vim affert, quo mores euellat improbos. Illud enim, quod ante in lucem protu-

A li, doctus in locis deſertis: *In principio creauit cælum & terram.* cum orationi ægrè fidem habituros ſciret, rebus ante
Gen. 1. viſis flectit intelligentiam. Siquidem Deum eis oſtendit
creaturam transformantem, vt creantem cum fide adſtruat. Ideo per diem nox inuehitur, luci tenebræ commiſcentur, ignis cum grandine confunditur, fluuius in aliam faciem vertitur, mare finditur, & pedibus transmittitur, vndarum ingenium docetur hominum ferre veſtigia, ſuasque natura dediſcit leges, quo Deus ab hominibus creator credatur. Ad eum modum Moſaicæ res procedunt. Verum Dominus noſter Ieſus Chriſtus reſtitutionem Apoſtolorum choro promulgans, non quibus alios punierit, ijs ipſos docet, ſed miraculorum & humanitatis ſuæ fontes patefaciens, & commune valetudinarium aperiens miraculorum vi, quaſi manu ducit animos ad Dei cognitionem. Qui enim ægritudinum, quæ in corpore, liberationem adepti ſunt, liberatoris cognitionem animo acceperunt: & quiſquis morbo detentus, abiecit morbum, quem habebat, quam notitiam nõ habebat, adſciuit. Inde factum vt paralyſi membra deuinctus viam ad
B cognitionem nactus ſit curationẽ. Alius in altiſſima cæcitate natus, cum ordinaria videndi vi carerent oculi, ſimul & corpore, & animo factus eſt oculatus; luto quidem extrorſum reformatis oculis, voce vero introrſum efformatis. Addebatur enim præterea velut alterum aliquod
Ioan. 9. medicamentum, plena doctrinæ oratio: *Tu credis in Filium Dei?* & de luce cognitionis emicuit confeſſio: *Ita Domine, & adorauit eum.* Inde factum, vt dæmon abigeretur cla-
Matt. 8. mitans: *Quid nobis, & tibi Ieſu fili Dei?* Inuitus prædicabat, quem celare ſtudebat. Inde factum, vt mortuus exultaret reuera doctus deuictam eſſe mortem. Inde factum, vt
Ioan. 1. plorans peccator, & eum recognoſcens, *qui tollit peccatum mundi*, animi pondus abiecerit. Aperiebant itaq; viam ad maiora miracula. Oculus mirabatur, & fides alebatur. Non enim, vt dixi, puniens, ſed ſanans docebat, quod ait
Ioan. 3. alibi: *Non venit filius hominis, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Cum igitur innumerabilibus miraculorum virtutib. diſcipulorum pauiſſet oculos, incipit deinde auditui quoq; diuinitatis lucem adaperire. Et ſane
Matt. 16. coacto diſcipulorum globo rogabat: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Et rem miram inopinamque videre
C erat Magiſter rogabat, diſcipuli rogabantur: adhuc enim ignorabant Incarnationis altitudinem: non norant abditam in humanitate Deitatem, ſed in faciem duntaxat apparentium rerum mentis aciem intendentes vlterius videre nequibant: vnoq; fine vis oculorum, & eorum cognitio terminabatur. Hoc ſępe Dominus illis inſinuans a-
Ioan. 14. iebat: *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſti me Philippe:* Eruditionis enim principium eſt ignorantiæ exprobratio, & diſcendi initium eorum, quæ quis ignorat animaduerſio. Propterea rurſus eis non ſine clamore in-
Ioan. 16. culcabat: *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* Vnde vero, ô Domine, diſcipulorum condemnas imbecillitatem? quid enim? an non ſitientibus aurib.
Matt. 4. dicta tua excepere? Non cum diceres: *Venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominum*, illi fidei hamo per vocem iacto
Ioan. 1. capti ſunt? Non dicit Andreas Petro: *Meſſiam inuenimus?* & ad vocem Petrus auribus ligabatur? An non primum nudos contra paſſiones, contra dæmones militare iuſſiſti, ijque parta victoria rationem victoriæ tali reddebant ora-
Luc. 10. tione: *Domine etiam dæmonia ſubijciuntur nobis?* Quid ergo?
D qui dæmonum phalangas ſubiugant ad diſcendum vitiũ non ſatis habent? Profecto, inquit. Illud enim gratiæ meæ opus eſt, non virtus eorum intelligentiæ. Ignorantiam primum attente videamus, vt præcepta tanto maioris æſtimemus. *Nauigabat* olim cum diſcipulis Saluator, cumque animo conſtituiſſet eorum exercere fidem, mari imperat, vt vires commoueat: locum autem tempeſtati cõcedens indormientem ſe naui exhibebat: Mare facta cum Domino compoſitione contra ſeruos furebat: illi præ trepidatione omiſſo gubernaculo ad Dominum confugiũt:
Luc. 8. *Præceptor ſalua nos perimus.* Quibus Chriſtus excitus vocibus creaturæ retinuit habenas, & maris iras refrænauit: ventis autem quietem imperauit. At diſcipuli miraculo teſtimonium dum perhibent, miraculi opificem non cognoſcebant: verum per ignorantiam animorum flu- E
ctuatione iactati, & miraculis haud ſecus, quam vndarum tempeſtate, perturbati ſecum muſſitabant: *Quis pu-* *Luc. 8.*
tas eſt hic? quia & ventis, & mari imperat. Nam externa viſione corporis offenſi deliteſcentem & abſtruſam Deitatem ignorabant. Nunquam enim ſic admiratione perculſi fuiſſent, ſi creaturæ ſeiſſent opificem eum, quem creaturæ imperantem contuebantur. Atque etiam Iudæis Dominus clamabat: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus exci-* *Ioan. 2.*
tabo illud. Quod dicebatur, diſcipuli minimè cognoſcebant. *Quando enim*, inquit, *ſurrexit ex mortuis, tunc cognouerunt, quia de templo corporis ſui dicebat:* Et reſurrectio per experientiam miraculi inſcientiam expellens cognitionis cauſa fuit. Rurſus in manus Domini panem indidit natura, cum tota ſolitudo præ manducantium multitudine in anguſtias redacta tanto commeatui abſumendo par *Marc. 6.*
non erat. Quid ergo de ipſis Lucas? *Erat*, inquit, *cor eorum obcæcatum propter panes.* Cuius affectus occaſio fuit miraculi magnitudo. Vis aliunde etiam Apoſtolorum ignorantiam diſcere? Petrum intueamur. Petrus Apoſtolorum coryphæus poſtquam aliquando in monte Chriſtus adſpectu, figuraque corporis immutata ſpectabili ſuo lumi- F
ne ſolem condidiſſet, & e veſtigio Moyſes, ac Elias præſentes affuiſſent; hic nondum guſtata morte, ille mortuorum in lege laus prima, viuentium iudicem & Dominum ſuis hymnis prædicantes: tunc Petrus ſpectaculo obſtupefactus admodum viſum ſuo modulo non metitur, ſed
æquali pretio ſeruos æſtimans: *Faciamus*, inquit, *tria ta-* *Matt. 17.*
bernacula: tibi vnum, & Moyſi vnum, & Eliæ vnum. Quibus dictis confeſtim nubes è cælo deſiluit, illos quidem obtegens, huius vero corrigens ignorantiam, & formidabili
voce Petri linguam obſtruxit: *Hic eſt filius meus dilectus i-* *Matt. 17.*
pſum audite. Illi igitur ad eam vocem diffugiunt. Lucas vero Petri diſcipulus, Petri publicat ignorantiam: *Hæc*, in-
quit, *dicebat ignorans, quæ diceret.* Nam peritiores poſtmo- *Luc. 9.*
dum diſcipuli mutuam traducunt imperitiam, non linguis inuicem petulantius inuecti, ſed admirati gratiam, cuius ope animi ſunt mutati. Præterea ſic diſcipulorum
aures Chriſtus perſonabat: *Adhuc habeo multa vobis dicere;* *Ioan. 16.*
ſed non poteſtis portare modo. Ideo paulatim facta doctrinæ acceſſione ex diſcipulis magiſtros effecit: confertam enim doctrinam non fert hominum ingenium. Quare miracu- G
lis, & præceptionibus, quaſi pinnis, mentes aptans excitat, vt ad celſioris diſciplinæ culmen euolent, omnibusq;
coactis rogat: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Re- *Matt. 16.*
ctè, *Filium hominis*: quandoquidem Deus erat Filius, & cũ Patre creaturæ olim fabricator is extiterat, qui per hominum miſericordiam ex hominibus commonſtrat, quo vniformis naturæ ſpectaculo ad propriæ naturæ notitiam perducantur. Dum vero videntibus probat eiuſdem eſſe cum hominibus naturæ, quod videtur humanis modis agit humanitatem, indiſcrete quidem habitans, diuine autem gubernans, & quę fiunt, ſibi vendicans abſque paſſione: cibum enim capientem qui videbant, & incedentem, & triſtitia correptum, naturam cum euentis commenſi, quod in oculos incurrebat cognoſcebant: qui vero miraculis percellebantur, in varias ſuſpiciones ſcindebantur: hi Prophetam vocabant, illi Eliam autumabant, quidam iuſtum aliquem ſomniabant. Alij, qui Chriſtum confitebantur ieiuna quadam & tenui de eo percepta cognitione appellationem dehoneſtabant. Nam quendam homi- H
nem Chriſtum ſuſpicabantur cum de vnigeniti diuinitate notitionem nullam haberent. Cum igitur hominum animos tanta de Chriſto depaſceretur ignoratio, neque Apoſtolorũ cœtus ab ea ignoratione liber extitit. Quare ipſos quam ſapientiſſime notitia inſtruxit, Non enim à ſeipſo loquitur, neq; enim ſeipſum manifeſto ꝓclamat, magiſterij titulo ſibi arrogat. Etenim dicere erat ſi quidẽ voluiſſet: Ego Deus de Deo, ego cœlũ vna cum Patre fabricatus ſum, terram panxi in aqua elemento errabundo cõſtituta eius natura immobili, aerem diffudi, ſolares radios illuminaui. Et orationem eiuſmodi carnis humilitas ſuccidebat, & oculi re apparente offenſi ab altitutũ diſciplinã ablegabantur. Oculorum quoque imbecillitas orationis vim dimetiens incredulitate velut caligine occupabatur.

Quid

A Quid agat tandem? Primum alijs, res ſuas vt diuulgent, imperat, alienis vocibus prædicatione concredita. Ideo namq; vel à principio miracula cum partu concurrebant: Stella peregrino curſu manifeſtabat inopinato natum infantem, magi relictâ à tergo Babylone, faſciatum perquirebant, Simeon vociferabatur: *Nunc dimittis ſeruum tuum, Domine.* Aliud de Anna vates vaticina excita gratia. Propter hos Ioannes omnib. oſtendebat clamitans: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Tanti ſunt teſtes: ipſe de ſe conticeſcit. Nouit enim opportunũ ſilentium in contentam vocem erumpere. Quando vero ipſum quoque deinceps tempus ad docendum vocabat, miraculis primum oculos dictorum teſtes excitat, & comparat, tuncque verbis adaperit theſaurum, etſi nunquam euidenter demonſtret, (*Matt.* 16.) neque ſic adſeueret, *Ego ſum Filius Dei viui*: ſed quomodo? (*Matt.* 16.) *Quem me dicunt homines eſſe?* Per interrogationem doctrinã exordiri res eſt ſapientiæ perquam familiaris. B Ita profectò Adamum cum ob peccatum ſtrepitu ageret in fugam, (*Gen.* 3.) conditor quaſi ignarus reuocat occulentem ſe: *Adam, Adam vbi es?* (*Gen.* 4.) Ita Caini parricidialem audaciam interrogat: *Vbi Abel frater tuus?* (*Marc.* 4.) Ita: *Quot panes habetis?* qui fontis inſtar panes multiplicat, (*Ioan.* 11.) numerum ſciſcitatur. Ita de Lazari rebus: *Vbi poſuiſtis eum?* quærit de loco, qui de loculo ſoluebat. Ita (*Luc.* 8.) de hæmorrouſſa: *Quis eſt, qui me tetigit?* Ita modo quoque: (*Matt.* 16.) *Quem me dicunt homines eſſe?* cum ei propoſitum eſſet docere, diſcentes interrogat. Rectè *Filium hominis*, tantum non hoc dicens: Propter homines humanitate indutus ſum, & cũ ſim Dominus in ſerui forma appareo, & ex matre, corpus hoc, quod ex Dauide hominum ſtudio indui mihiq; hominem ex Adamo ob damni progeniem circumdedi, (*Matt.* 16.) & dignitatem meam tego victus humanitate: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Remotam à periculo quæſtionem interim diſcipulis obijciebat. Perfacilem enim reſpõſionem quærit de alijs inſtituta quæſtio. Quare proptere Apoſtolorum cœtus reſpondit: *Alij Eliam, alij Ioannem, alij vnum ex Prophetis.* Sed quæſtione iterum ingeſta refellit inſcitiam: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* & ſilentio ſuſpenſos omnes tenuit: nec enim omnes ſciebant: At cum interrogaſſet ignorãtia cognita Petro diuino quodam modo reſponſum ſubijcit, & ad quam vocem ſponte mouebatur, C primatem inclinat velut citharam quandam ratione præditam ictibus exſuſcitans; Petri linguã in obſequiũ doctrinæ vſus rogat ignorantes, & reſponſionem ſuppeditat: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Quod per ſcientiam non poterant, Gratia proloquebatur. Eam vero orationem cũ firmauiſſet approbatione ſua, omnes condocefacit: *Beatus es Simon Bariona: quia caro & ſanguis non reuelauit tibi: ſed Pater meus, qui in cælis eſt.* Petrum felicem adſerit, vt orationi fidem conciliet; vt ſententiæ gratiam, reſponſionem alludat. Et dum in aliorum cœtu diſcipulorum Petrus docetur, ſimul eructat & adſcribit magiſtro gloriam: tunc & ipſe docebatur, cum docere videbatur. *Beatus es Simon Bariona.* Noua rurſus doctrina eſt reſponſi collaudatio. Non enim laudare duntaxat illi propoſitum erat: ſed ijs, ex quib. fidem conficit, abſolutam exactamque doctrinæ ſuæ rationem retegere. *Bariona*, hoc eſt, Fili Ionæ. Quorſum ad laudem, genitoris mentionem ingerit? Quia me, inquit, vocaſti Filium Dei, naturam meam condiſce de tua. Vt enim tu homo de homine: ſic ego naturam cum D Patre meo eandem fero. Simon filius Ionæ. Perſimilis naturæ habitudo. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Hoc enim naturæ ratio poſtulat. *Tu es Chriſtus* ab Incarnatione nomẽ ſortitus. Nam qui ſe in vnctam ſerui formam induit, pariter etiam rei geſtæ nactus eſt appellationem. *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, quod eandem cum Patre naturam feras: Chriſtus vero, quod ſtolam geſtes à Spiritu vnctam. Illa quidem appellatio naturam repræſentat: hæc vero vna cum geſtante quod geſtatur, adſumit. Non tamen natura creata ſecundum ſe cum increata confunditur, neque ingenerabilis natura cum generabili naturæ vi componitur. Increatus Filius pro templo creaturam habet: increatus Filius ex diſpenſatione fert carnem, purpuram geſtatam, indiuiſam, perfectam & completam. Neq; enim quod geſtatur, aut membrum, aut geſtantis pars eſt. Numen enim partis eſt expers, neque cum natura generabili participat.

Hanc confeſſionem Chriſtus *petram* cum nominaſſet, eum qui confeſſus eſt, *Petrum* nominat, appellationem confeſſionis indicem videns. Hæc enim eſt ſeuera religionis petra, hæc ſalutis baſis, hic fidei murus, hoc veritatis fundamentum: *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere prater id,* (1. *Cor.* 3.) *quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*, cui gloria, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen. E

In illud: [*Ego ſum Paſtor bonus. Ioan.* 10.

ORATIO XXVI.

PEriucunda quædam res paſtor in montibus paſcens ouium greges, & fiſtulæ ſono ad paſcua greges exciens, qui calami modulatu delectatus etiam cõtra ferarum inſultus comparatus eſt, qui baculo & armis in eas armatur: Talis magnus hic gregis Chriſtiani paſtor. Nam cum pijs carminibus greges nutrit, arma quæ ad impietatis euerſionem faciant, negligere non ſolet. Immo verò cantillans, quæ ſunt ſpiritus, etiam in lupos arma capit. F Namque lætitia perfunditur creſcente grege, præparatusque eſt necubi lupus, necubi hæreticus, vbi animam aliena à fide narratione corruperit, ouem deuoret: quin immo adſumptam gregis ſolicitudinem pro donario, cæleſti offert paſtori. Sic Abelus primus paſtor, ouium effectori venit in admirationem, & paſtoris ſacra lubens admiſit Deus animi donariũ longe præferens oblationi animalis, & cultũ honoris acceptatione rependit, & honorem viciſſim ſacrificanti reddidit. Iacobum quoque Labani paſcentem oues admiratur Scriptura, vtpote qui ſudatos pro grege labores recenſens, *Die*, inquit, *noctuq; æſtu vrebar, & gelu.* (*Gen.* 31.) Notus ſum, inquit, nocturni rigoris, & æſtus ardoriſque diurni patientia. Et quaſi ſtaret in acie depugnans ouibus ſecuritatem præſtabat. Viro tam laborioſo Deus per hoſce labores animalium coloribus, quæ pauerat, remunerationis tabellam addixit. Paſtor fuit & Moyſes in montibus Madian, & ouium curator Iothori, poſt ferens Ægypti regnum, & *magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis* (*Heb.* 11.) *peccati habere iucunditatem.* Cuius electionis ipſum Deus admiratus ſe videndum offert viri tam cordati merito, & ſpectaculũ inter ac ſpectatorẽ medium ignẽ interlocat rubo, & florib. inſidentem innoxie. Neq; cum ab ouibus oculos amouiſſet, artem paſtoritiam deſiit, G ſed comprehenſa virga elementis imperabat: & conſerui vox lata paſcebat Iſrael: Egit quoq; paſtorem Dauid puer Spiritus lyricem, vtque ouium paſtor arma ſumebat in lupos, ſimul & leonis rictum ouiculæ fauces anguſtabat, & paſtoris induſtria ex belluæ dentib. prædam vice verſa diripiebat. Sed per gregem throno prohibitus non eſt, neq; oues aditum ad regiã dignitatẽ ei intercluſere. Sed virga paſtoricia ſceptro mutata eſt, & diadema ſucceſſit, nec ſinẽ concurſu Gratiæ Dauidem Samuel vnxit, vnaque cũ oleo Gratiæ Spiritus circumfundebatur, & paſtoricijs lapidib. Goliath appetitus violentè occubuit. Nam ſimul ipſe, ſimul Gratia lapidem eiecit, & iactũ Spiritus ſimul adiuuit. Ouium paſtor Spiritus miles euaſerat, & ouiculæ ritu è Goliathi faucib. Iſrael extractus eſt. Quib. enim feras ſternebat Dauid, ijs Goliathũ impetijt. Ne vero mireris, ſi apud Deum paſtores quoque aliquo ſunt numero: nec enim Deus homines paſcere erubeſcit. *Siquidem Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit.* Et (*Pſal.* 22.) iterum. *Qui paſcis Iſrael, intende, qui deducis velut ouem Ioſeph.* (*Pſal.* 79.) Non enim homines paſcere Deum piget, cũ non pudeat eorũ, quæ fingit. At nõ eiuſmodi Phariſæi paſtores, qui paſtorum loco poſiti greges iugulabant. H Quare in eos Deus Prophetarũ linguas acuebat, per eos ipſe reſonans, & dicens: *Fili hominis Propheta, & dices, Væ paſtorib. Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos.* (*Ezech.* 34.) *Nonne greges à paſtorib. paſcuntur? lac comedebatis & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis: gregem autem meũ non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis. Quod confractum eſt, non alligaſtis: & quod abiectũ eſt, non reduxiſtis: & quod perierat, non quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia.* Tales quidem iſti eum lupinis moribus, quos manent luporum cruciamenta. Nos autem ad noſtrum paſtorem Chriſtum reſpiciamus. Videamus eius artes plenas humanitatis & manſuetudinis, quæ ſupra omnium placiditatem ſunt.

A Lætatur præſentibus, & quod exerrat, quærit. Montes, & ſyluas obire non recuſat, obit præcipitia, cùmq; deerrante venit in partem errationis. Nec ob mores odio inflammatur, etſi morbidam comperiat; ſed mali commiſeratione mouetur, & ſubijciens humeros proprio labore ouiculam curat laborantem, gaudet ipſa fatigatione, ouium inuentionem ratus laſſitudinis eſſe leuamentum. *Quis enim*, Luc. 15. inquit, *qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnam ex ijs, nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam?* Venturam ex aliarum ſalute lætitiam vnius exſtinguit exitium, & concepta de vna triſtitia, quod eſſe potuit de toto grege gaudium, accidit. Dumque obit omnia, ſeſe in lachrymas effundit, deſiderium ingens publicat. Vbi mihi, inquit, ouis vnicè cara? vbi gregis decus! non vſque adeo lætor præſentibus, vt ob vnius abſentiam mæceror. Qua ratione eius erroribus finẽ ſtatuam? tantùm ſe reddat oculis noſtris, humeroſque inſcendat. Ibidem. B *Cùm enim eam inuenerit, imponit in humeros ſuos gaudens, & veniens domum cõuocat amicos, & vicinos dicens illis: Congratulamini mihi: quia inueni ouem meam, quæ perierat.* Primulum ſuborta miſeratio, & effluens de inuenta lætitia tum copia mœrori medicatur. Merito igitur Chriſtus, cum ſit eiuſmodi paſtor, clamabat: Ezech. 34. *Ego ſum paſtor bon⁹. Ego enim ſum, qui quod infirmum eſt, conſolido: & qui quod ægrotum, ſano: & qui quod confractum, alligo; & qui, quod abiectum eſt, reduco, & qui, quod perijt, quæro.* Vidi Iſraelitarum gregem morbis deuinctum, vidi ouile abijſſe in dæmonum diuerſoriũ, vidi gregem à dæmonibus haud ſecus, quàm à lupis laniatum. Et quæ conſpexi, non deſpexi. Inde abſtraxi manu areſactũ, qui à morbo haud ſecus, quàm à lupo tenebatur: inde ventrem in vndanti ſanguine naufragium quoddam patientem conſeruaui: inde febri illigatum exſolui: inde annoſum viti membris diſſoluti carcerem diſieci: inde captum oculis ex matris vtero poſt partum videre docui: quatriduanum Lazarum ſurſum extraxi. Alius cùm eſſet dæmonum domicilium, mortuis factus eſt cõtubernalis: ſed neq; tumulos habere, neq; à dæmonibus eum diutiùs C haberi permiſi. Ioan 10. *Ego, enim ſum paſtor bonus.* Non qui ouibus inuident Pharitæi, nõ qui collata in gregem beneficia ſua ducunt ſupplicia; non qui liberationem à malis lugent, & ægritudines exſtinctas dolent. Mortuus ſurrexit, & Phariſæus luget: paralyſi eneruatus ſanatur, & ſcribæ lamentantur: cœco redduntur oculi, & concilium indignabatur: leproſus liberatur, & ſacerdotes conquerebantur. O gregis miſeria altos paſtores, quique gregis calamitatem delicias ſuas reputant! *Ego ſum paſtor bonus. Paſtor bonus* Ioan. 10. *ponit animam ſuam pro ouibus.* Paſtorem hunc Pilatus nouerat, nouerãt Iudæi pro grege actum in crucem. Nouerant hæc & Prophetarum cœtus, dum ante paſſionẽ quicquid acerbitatis futurum erat, annunciant. Iſai. 53. *Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & velut agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum.* Paſtor pro ouibus tanquam ouis iugulum præbet: non mortem recuſat, non iudicium extrahit, non carnifices morte occupat. Neque enim neceſſitatis erat paſſio: ſed voluntate mortem pro ouibus admiſit. Ioan. 10. D *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, vt iterum ſumam eam.* Calamitatem calamitate expiat, & morte morti medetur, tumulo tumulos exinanit, clauos conuellit, & ſubruit inferni fundamenta. Tamdiu mors imperium tenuit, dum Chriſtus mortem excepit: tamdiu graues tumuli, & carcer inſolubilis, dum paſtor delapſus iam detentis ouiculis fauſtum liberationis nuncium attulit. Viſus eſt inferis data regreſſus teſſera: viſus eſt illis renouãs ex inferno reuocationem ad vitam. *Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ouibus ſuis.* Hac ille via ouium amicitiam ſibi parat adiungere. Amat autem Chriſtum quis, cum voces eius non neglectim ſuſcipit. Nouit paſtor hircos ab ouibus ſegregare. Matth. 25 *Congregabuntur enim*, inquit, *ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis: & ſtatuet oues à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris. Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei: poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Cuius compenſatio hæc vocatio? *Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me:* nam quæ meis præbes, à me metes. Ego eorum cauſa & nudus, & hoſpes,

E & vagus, & pauper: illorum eſt donatio, mea verò gratia. Ego ad eorum ſupplicationes crucior. Antè iudicium iudicem donis occupa. Largire illi exercendæ beneuolentiæ occaſiones, ſuggere ignoſcentiæ materiam. Ne hoſtiles eius voces exſpectemus: Matth. 25. *Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.* Quæ igitur facinora nos cum diabolo cõdemnant? *Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus, & non operuiſtis me.* Quis paſtorem proprium eſurientem deſpicit? quis nudum ſpernit mox futurum iudicem? quis vniuerſi iudicem damnet ſiti? nouit Chriſtus pauperum manibus doniſque capi, nouit paruo munere longa ſupplicia remittere. Miſericordia ignem exſtinguamus, obſeruatione amicitiæ mutuæ minas in nos iactas auertamus, aperiamus inuicem miſericordiæ viſcera nobis ipſis gratificati, ſicut Deus in Chriſto, cui gloria, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen. F

In Olympia.

ORATIO XXVII.

DElectabile, quod prætelabitur tempus, & formidabile. Delectabile, propterea quòd ſui fruendi perſuaſionẽ hominibus ingeneret: formidabile, quòd ſuper vita futurum Dei iudicium latenter inducit. Vita enim hominibus certamen eſt, & creator agonotheta, cuique exacto vitæ curſu finem diſtribuens congruentem: virtuti coronas plectit, vitioſis verò moribus, iudicium apparat. Neque enim fruſtra homo vectigal de creatura legere doctus eſt, neque ſine cauſa mundus vniuerſus huius vſibus ſubſeruire iuſſus. Nam ſi ſolem loquaris, ideo curſus ſui peragendi mandata cepit: ſi terram, ideo fructum homini ſufficere iuſſa eſt: ſi mare, hominum curſibus ſubſtratum eſt: ſi aërem, ſuas auras ſurſum ventilatus offert, quo creatura fruens homo creatorem agnoſcat, gratitudine creatori reſpondeat. G Quòd ſi datas creaturas in luxum homo vertat, peruerſa ratione creatorem deſpicit, diabolum lætitijs implet, quòd eius animo volupe eſt, faciens, atque bene merente Deo fugit, & ad hoſtem transfugit. Ecquis hic finis? reus ipſe iudicet. Tam enim in confeſſo res eſt, vt vel aduerſarius iam reus perfacilè veritati conſentiat. Intus enim quiſque, vel inuitus, conſcientiam accuſatricem habet. Quò hac oratione peruenire volo? Scitis prorſus, etſi non retegam, animi mei propoſitum, ſcopum meum ſcitis. Retulit tempus miſeriarum matrem panegyrin, feſtiuitatem ſe colentibus perniciabilem, mortis delectabile venenum, lætitiam exitij conciliatricem; voluptatem gehennæ viam; pijs animis machinam impietatis, græciſmum chriſtianiſmi larua coopertum; vt qui Chriſti ſigillum geſtant, diabolo choreas agitent. Ecquid enim eſt aliud certamen olympiacum, quàm dæmonis feſtiuitas in crucis contumeliam? O intolerabilia mala? quos in libertatem crux adſeruerat, diabolus iterum raptat: quos Chriſtus ſanguine liberauit, captiuos iterum tyrannus oſtentat! H Crucis quidem potentiam perhorreſcit: crucifixi verò diſcipulos in amorem ſui pellicit. Adulter neſcio quis diabolus eſt, & à ſuis cultoribus ſic indigitatus, qui obtẽtu temperantiæ Chriſti milites ad indecora ſpectacula ineſcat; imò potiùs ad bellum creatori indicendum extimulat: caſtitatem ſimulat, & ad intemperantiam protrahit: meretrices perſequi ſe fingit, & puritatis habitum ſcilicet induit; nõ temperantiam deſiderans, ſed ſegniorem fœminę coitum, in naturam maſculam furit ſæuius, & quę premere iuſſit natura, ea omnium oculis impudenter de theatro proponit. Oblectatio leuiſſima, & inimica grauitati, quiq; iſtiuſmodi rebus dediti ſunt ſuis literarum monumẽtis propalant, & accuſant, quæ facere eorum Deum minimè pudet. Quot eius adulteria Poëtarum garrulitas tragœdijs traducit? ac præterea publicatur inſania de Ganymede. Tum hac inſignis caſtitate Chriſtianis populis grauitatẽ imperat, & mulieres ſcilicet perſequitur. Quomodo hæc temperantiæ cauſa facis? Quid eſt, quod continentes mulieres cum incontinentibus in vnum agis?

A Sin execraris omnino, quid rurſus muliebri voce ſimulatum de quiete mandatum confirmas, & raptam ſublimè puellam iubes quietem bello proximam tragicè decantare? quid ad bellum acuis audientes? nam quæ pugnæ forma prætermiſſa eſt, vt vox audita? quæ ciuitatis pars bello libera? odio, & amoribus feriuntur. Odio dæmoniaco, & diabolico amoris incentiuo in ſe inuicem inuolant. Ciuitas, quæ prius concordia erat inſignita, in ſententias ſecum pugnantes ſcinditur. Hoſpites his odio ſunt, & illis hærent in amore, & rurſus vltro citroque inuicem reciprocantur ordines, nec vſquam pax vlla reliqua. Ab omnibus ſine intermiſſione bellum in omnes cõſurgit. Nam libidine armati hoſpites qui prius amici fuerant, vt inimicos intuentur, quoſque fratres antè appellitabant, vt hoſtes execrantur. Animi quoque ſeditioſi inter ſe bello & pugna vitæ tempus abſumunt, veluti nocturna in pugna armis in ſe mutuo ſæuiunt. Quies, inquit, in mundo: pacis erat appellatio, & hoſtiliter agebatur. Non iuuenis ſenem
B reuereretur, neque ſenex, quos geſtat, canos erubeſcens, cũ iuuenibus confligit. Nullius dignitate ſpectantes cómouentur. Pauper ob egeſtatem animo nõ contrahitur. Hæc
Iſai. 3. olim nõ ſine lamẽtis euulgans Propheta clamabat: *Tumultuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem.* Vaticinio tempus antecertit, vt moribus frænos iniiciat. Sic omnes contra ſe mutuo dæmon perbacchari facit: ſic locum inſaniæ, & impietatis officinam fidelem ciuitatem diabolus efficit. Et his omnibus præmium corona de frondibus. Dedecoris argumentum, donum ridicularium, & fallacia eſt appellationis. Corona cætera infructuoſa, pro fructu pœnas profert: ac totus ille conflictus propter vmbram foliorũ ſuſcitatur. Linguæ in blaſphemiam armantur, vniuerſi procreator iactis vltro citroq; conuicijs, blaſphemiarum iaculis appetitur, & erumpens ita verba in cœlum iactat. Quo digna ſunt hæc gemitu? quis Hieremias hæc pro dignitate lamentetur? Vtinam hæc calamitatis forma numero infidelium determinaretur! Sed enim
C cum ſint hæc Græcorum religio, Iudæorum exercitatio, per imitationem trahunt ad eorum impietatem, qui eſipiunt idolorum cultum. Heu mihi quãtum dolorum eſt! Chriſti quoque oues morbus tangit. Etiam Chriſti ſigillo cohoneſtati, & ſpiritalis lauacri filij diabolicam ſagenam amplectuntur: etiam filij Gratiæ cum dæmonibus Gratiæ inimicis tripudia ineunt: etiam qui Chriſtiani ſacrificij adorator eſt, ſedet in Græcis ſaltatoribus & ipſe ſaltator
2. Cor. 6. vocem Pauli non audiens: *Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? quæ autẽ conſenſus templo Dei cum idolis?* Si dum ſpectacula minimè ſpectanda ſpectas, abreptus eſſes à morte (mors enim, vt noſtis ipſi, venientes furatur, neq; legem ſibi præſtitutam nouit) quo te Chriſtus collocaret in ordine? Græcorum? at fidei ſymbolum circumfers. Credentium? hoc verò qui faciat cum eo, qui cum Græcis choreas miſcet? Sed pertinacibus verba hæc importuna fortè loquacitas videatur, & bene monentium vox pro nugamentis audiatur, & oratio ſeria riſus ſit argumentum. Verùm ſi cœleſtium irarum eſſemus
D inexperti, incredulitati fortè ſit locus. Sin verò indignationis olim futuræ primam ſegetem iam meſſuimus, & ciuitatem ſolare iubar æmulantem pulchritudine ſolo proſtratam aſpicimus; ſi viſis non monemur, vereor ijs, quæ non videmus, incidamus. Quàm multos res noſtræ ſapientes fecerunt? in vniuerſam terram noſtrorum malorum fama peruenit, & fama tonitrus inſtar excurrente orbis terrarum perculſus territuſque eſt, luctuque ſibi impoſito ad mentem meliorem verſi ſunt, ac famæ terrore, quas ad iniquitatem vias muniuerant, reliquerunt. Nobiſne igitur noſtra ſupplicia infructuoſa ſint? & reſtet infrænis, promptaque ad malitiam ratio? vimne humaniſſimo Domino afferemus, vt acerbius indignetur? bene merentem Deum non conciliabimus, quià plagis feriari diſcupit? Nã cùm, quæ ille minimè velit, tractemus, profectò futurum eſt ijs participemus, quæ nolumus. Ne per miracula diabolica diabolum colentes diaboli ſimus hæredes. A ludis diabolicis mentem auertamus. A dæmone nos abiunximus, ne rurſus ei per fraudem adiungamur. Stetimus in

E acie cum Chriſto, ne rurſus ab eius copijs per imitationem dæmonũ abſcedamus. Breuis hæc vita, dilecti, & aliquando ventura mors, & ob oculos noſtros ciuitatum calamitates verſantur. Fugiamus antiquum hominum aduerſarium, & ad Chriſtum curſu cótendamus, qui ſumma ſemper humanitate vtitur. Nec enim præſenti vita hominibus ſui determinati ſunt ordines: ratio reddenda nos manet, & iudicium, quod peruerti non poteſt, necnon iudex terribilis aut in regnũ vocans, aut in gehennam eijciens. Quam nobis hîc partem delegerimus, eam nos ibi poſſeſſionem adire neceſſe eſt: quam nos hîc ſortem noſtram fecerimus, ea ibi ſine controuerſia fruemur. Fugiamus æternas tenebras, cœleſte regnum diligamus: fugiamus inſopitum vermem; immortalitatis coronam curſu petamus. Vitemus ignes inexſtinctos, ad commodum & perhumanum Deum accurramus. Hæc loquimur, hæc monemus, hæc cum Paulo dicimus: *Dignè ambulemus vocatione, qua vocati ſumus,* cui gloria, & imperium in ſecula ſeculorum, Epheſ. 4.
F Amen.

In illud: [*Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matth. 18.

ORATIO XXVIII.

DOminus Deus dum varia hominum ingenia multiformi vocatione tractat, multas ad ſalutẽ vias aperit hominum generi. Et quemadmodum medicorum optimi varias texunt rationes, quibus morbos expugnent: ſic bonus hominum fictor multiplices, eaſq; voluntariè admiſſas cõſpicatus animorum ægritudines, plurima & ipſe benignitatis ſuæ medicamenta promit: per vnumquodq; cuiuique ſalutem perficiens. Si publicanum viderit publicanorum lucris inquinatum, medelam dat purgatricem voluntatis: ſi fornam, quæ voluptates nundinetur, transfert affectum, in amorem planè diuinum: ſi furem G prioris vitæ ſtatum retractantem, per fidem trahit: ſi inſecutorem per ignorantiam furentem, fulgure in ſagenam compellit: ſi militem fidelem, per miſericordiam attrahit: alius denique virginitate membra decorat, & maioris pretij apud Deum eſt: alius manſuetudinem amat, & in ſacris literis in admiratione eſt: alius zelo cœleſti obarmatur, & Deum laudatorem ſibi comparat. Verùm etſi plures ſaluti congruant modi; tamen omnibus humilitatis ornamẽtum conuenit. Ea comite continentia in admiratione eſt, & fides ſit amabilior, & iuſtitia purgatior, & verior miſericordiæ fructus, & pœnitentia tunc creditur, quando cũ humanitate coniugata eſt. Ideo primates ſanctorum dignitatem aliquam ſupra naturam conſecuti, tunc vel maximè humilitatem reſpiciunt. Congreſſa eſt igitur aliquando cum Deo creatura, colloquebatur, & oratio viciſſim ab vtriſque ſine honoris diſcrimine ferebatur, ac cernere erat rem inuſitatam; linguam è luto auſam cœleſtia loqui, & Deum impigrè reſpondentem homini terreno. Hæc enim parta ab humilitate lucra homines in altum H extollunt, & Deo perſuadent, verba cum hominibus faciat. Quando ergo Abraham ſuo illud ſermoni prætexuit: *Sum puluis & cinis*, tunc naturæ agnitione naturæ terminos eſt meritò ſupergreſſus. Geneſ. 18. Sic & Moyſes morum Abrahami ſucceſſor habito cum Deo colloquio honoratior, ſeipſum vt vilem abiecit, *Impeditioris, & tardioris linguæ ſum.* Exod. 4. Quanto enim faſtum comprimit, tanto gratiam attrahit, & modus amplificandæ gratiæ eſt humilitatis vis. Imò verò hominum opifex quantum poteſt, ac decet, humilitatem adſectatur, dum celata diuinitate ſerui formam ſibi circumijcit. Ideo quoque Paulus ad exemplum Chriſti auditores exhortatur: *Hoc ſentite*, inquit, *in vobis, quod & in Chriſto Ieſu.* Phil. 2. Eam & Chriſtus in Euangelijs diſcipulis ſuis varijs modis inculcat. quandoque clamans: *Beati pauperes ſpiritu*, qui morum faſtum oderunt, fructum eiuſmodi Matth. 5. paupertatis cœli diuitias pollicitus. Quandoque: *Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur: Et qui ſe humiliat, exaltabitur*. Luc. 14. per vtriuſque reciprocam conuerſionem malo medicinam faciens. At quod vero ſimile eſt, qui libenter verba de

humili-

A humilitate faciebant, nondum diſcipulorum animis inhæſerant. Sed poſtquam verba de regno in medium protulerunt, regni facta mentione deſiderium prorītabant. Matth. 18. *Tunc accedentes diſcipuli interrogabant dicentes: Quis putas maior eſt in regno cælorum?* Regni deſiderium genuit affectum, & deſiderium primi honoris, & illius affectus argumentum eſt interrogatio. *Quis* ergo *maior eſt?* Ne vero mirere, ſi diſcipulorum oratio ſeruit affectibus. Nam homines cum eſſent, ſibi in diſciplinam eos Gratia congregauit, vt ingenio cognito commutes tu quoque eorum in ſtatione mores; & homines cùm eſſent, hominum doctores creauit, vt offenſionis ſimilitudine magiſtros reddat ignoſcentiores, & communicatione paſſionum humanitatem doctrinæ adiungant. Idcirco pedetentim exercitati ad perfectiorem ſenſum prouehuntur, vt quo primum pacto docti fuerint, docere diſcant. Sic olim Petro, qui puellæ terrore Dominum negauerat, obiurgatione miſta veniam dabat, docens qua ratione peccantes ferendi B Ioan. 21. ſint: *Petre,* inquit, *amas me? Etiam,* inquit, *tu, quia amo te. Paſce oues meas.* Infirmitatem tuam ſenſiſti? agnouiſti, qui tua deuoluta ſit iactantia: experientia doctus es tibi minimè credere? noſti naturæ menſuram: didiciſti, quàm ſit vobisque neceſſaria Gratia: veniam concede, qua te ieſis eguiſſe. Ne depretiaueris pœnitentiæ pharmacum, cuius ro tobur admiratus es. *Paſce oues meas.* Sic & nunc aggreſſi interrogabant. Matth. 18. *Quis maior in regno cælorum?* Quid tandem Saluator? eam fert offenſionem, & mores corrigit: nam deuitato reſponſo procedit ad monitionem, & puerilem ratiocinationem puerilibus corrigit. Vocans enim puerum, & ſtatuens illum, inquit, ad eos: *Niſi conuerſi fueritis, & facti ſitis ſicut paruulus, non intrabitis in regnum cælorum.* Peregrinum à præſenti negotio ſpectaculum. Quis maior rogatus, puerum in medio ſtatuit, neque reſponſo dignam putat interrogationem. Moris enim eſt Domino non tam rogata ſpectare, quàm rogantium motibus occurrere. Phariſæus igitur, neſcio quis, ardens auaritiæ morbo, miraculorum conſpecta multitudine trahitur amore rem C ſuam augendi, & perſonatus diſcipulus Dominum aggreditur, vt arte miraculorum cognita miracula vertat in pe- Matth. 8. cuniolam nundinationem. *Sequar enim,* inquit, *quocunque ieris.* Cuius ad mentem Chriſtus aptat reſponſum, non Matth. 8. ad verba, oratione intuens eius mores. *Vulpes enim,* inquit, *foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* Quid miraculorum fingis deſiderium cum pecuniarum te vincat amor? quid ob quæſtum diuitiarum paupertatis adiſti legiſlatorem? pecuniæ miraculis non aucupantur. Inſpice me, qui ex autoritate patro miracula, volucribus pauperiorem. Non è miraculis aurum legitur, neque nobis hoc admirabilium rerum lucrum eſt. Pari ratione non reſpondet modo ad interrogata diſcipulorum; ſed ſciſcitantibus, quid fieri deceat, con- Matth. 18. ſulit. *Quis maior eſt?* Cur me præmaturam de futuris adſertionem poſcitis? cogitis, vt vel ante tempus tribunal ſtatuam? quid furtiuo rogatu thronū rapitis iudicio decernendum? docendi tempus, non iudicandi: certandi tempus eſt, non certaminū remuneratio. Quid ergo me nunc, D vt ante certamina agam agonothetam, tam violente flagitatis? Laborem primum videam, & tunc coronam concedam: opera videam, & meritum honorem decernam. Matth. 18. *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli.* Quid de primatu contenditis reiecta cura, viaque regni cœleſtis obtinendi: quid nondum vocatione cooperta primas affectatis? Hæc ſola eſt ad regnum cœleſte via, hæc ſcala: *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli.* Non vt naturam violento flexu vertatis, nuo vt præter naturæ ordinem actam ætatem reuocare doceatis, non vt temporis curſum retroagi doceatis: mores vertite, non tempora. Nicodemus, qui noctem in auxilium eruditionis trahebat, qui nocturnus diſcipulus tenebris pauori medebatur, cum audiſſet Ioan. 3. de Saluatore: *Niſi quis natus fuerit denuo, non poteſt introire in regnum cælorum,* naturam obijcit temporum viodicem, & ad tempus confugit Gratiæ incogitans. *Et quomodo poteſt,* inquit, *homo, cum ſit ſenex, introire in ventrem matris ſuæ.* Vide Nicodeme Gratiæ rationes: Nouit & ſenes refingere, & ſenibus naturitatem largiri. Sed quæ naturæ eſt generatio fœtui terram ſubſternit; aut Gratiæ partitudo cœlo E partum adſcribit. Ne verò vos quoque, ò diſcipuli, Nicodemi voces vſurpetis, neque incredulam illius orationem ſubijciatis: Qui nos pueri fieri poſſumus? quomodo rurſus experiemur, vt redeat natura? Vultis eſſe pueri? puerorum mores imitamini, morum ſimplicitatem adiumite. Illis nulla de dignitate vox, illi primas non ambiunt, hac ægritudine non laborant, non norunt efflorescentem parentum nobilitatem, non ſuper diuitijs elatione vanagloriantur, non ob patritatum gloriarum multitudinem. Inſuper conſueſcunt cum ijs, quæ vna ſecum ſunt ætate: videbis dominum ſimul, & famulum in omnibus conuerſantes: videbis pauperem puerum, & opulentum ignaros diſcriminis, quo diſtant inter ſe, ſedis celſioris ignaros, ignaros diuerſæ educationis. Verùm manent eorum ingenia ab affectibus pura, mens impermiſta malitiæ, voluntas à verſutia libera, ratio à malitia aliena, animus ad malitiam inexercitus; nondum enim per ætatem F ratio faſtu intumuit, nondum pecuniarum ſenſum ingenerauit, nondum nobilitatis flore delectari didicerunt, nondum aures auitis facinoribus percuſſæ ſunt, nondum dignitatis affectibus inquinati, nondum creatis à rebus magnum quidquam eſſe rentur, nondum honoribus exultat natura, nondum mores honorum cupiditate capiuntur: ſed ipſum naturæ numiſma remanet adulteris notis imperculſum. *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini,* Matth. 18 *ſicut paruuli.* Et conſilij neceſſitatem magis amplificans: *Non poteſtis,* inquit, *introire in regnum cælorum.* Animi primorſus in viam ſpes emittite, & ambitioſam orationem ponite. Nec enim poteſtis dignitatem ſimul, & regnum amare. Regnum cœleſte amantem gloriæ ſui cupitorem repellit, ambitioſa deſideria reijcit: humilitatis eſt merces, non ambitionis diuerſorium. An cum ijs ſolus tibi, Domine, diſputatio ſuſcepta eſt? an ſolos cœlum Apoſtolos excipit? an eorum numero munificentiam tuam circumſcribis? *Quiſquis,* inquit, *humiliauerit ſeipſum, ſicut paruulus:* G communis eſt humilitatis affectio, communis ad regnum via, morum imitatio regni poſſeſſionem ad ſe trahit. Poſſeſſionem enim ſuperbum cœlum non admittit: hunc odit affectum, etſi cœli deſiderium ſimulet: odit mores, etſi ſe amare mentiatur. *Quiſquis* ergo *humiliauerit ſe, ſicut paruulus iſte: hic eſt maior in regno cælorum.* Cur de primatu ſciſcitamini? Notitiæ regulam ſumite, diſcite viam ad dignitatem, ſubmiſſiores eſte moribus, & à Gratia coronabimini. Cur igitur, ò Domine, verè pueros moribus eſſe iubes? & pueritiæ hoius ſenſus qualis fructus. *Quiſquis ſuſceperit,* inquit, *vnum paruulum talem in nomine meo, me ſuſcepit;* meum cum illo honorem communico, ipſis curam mei definio. Nam qui eos propter me curauerit, me per eos amanter complectitur: eius expectent honores, cuius amplectuntur mandata. Quid igitur ſi moribus ſint efferis? per ſic affectorum feritatem horum lenitatem exercet, dum malitiæ materiam præbet. Si conuicijs laceſſant, ſi flagella inferant, cuiuſmodi erit ipſis iniquitatis curatio? *Qui,* inquit, *ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & de-* H *mergatur in profundum maris.* Nam quorum ego honores proprios reputo, eorum contumelias haud prætermitto: conuicio enim ſuccedet ſupplicium. Qui igitur molæ ceruicem alligatam gerit, in mare proiectus mortis celeritate ſupplicij ſenſum effugit. Qui verò in meos peccauerit pueros, pœnas ſuſtinere interminatas. Orationis igitur lenitatem ſectemur, quam tam terribilibus muris, & turribus Chriſtus communiuit. Humilitatis plantam deligamus, cuius fructus cœlum. Fugiamus excelſos animos ruinæ expoſitos. Propheticæ voces, quibus dicitur: *Cor* Pſal. 50. *contritum, & humiliatum Deus non deſpicies,* nobis pro alimento ſint. Credamus dicenti: *Qui ſe exal-* Matth. 23. *tauerit, humiliabitur, & qui ſe humiliauerit, exaltabitur,* cui gloria in ſecula, Amen.

Inillud: [*Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Matth. 11.*

ORATIO XXIX.

A

TErrarum Reges hoſtili ſubiugato exercitu in odioſiorem ſeruitutem rebelles vi mittunt, & ſpiritum ſubmittere captiuos cogunt mutata vitæ ratione audaciæ pœnas expoſcentes. Chriſtus verò rex verus belli artibus, & Incarnationis ſapientia cum diaboli tyrannidem oppreſſiſſet, eos qui ſub eo contra Dominum ſenſerant, vocat in libertatem, & ad regnum fruendum accerſit, tranquillo ille quidem aſpectu, expaſſis manibus, & ad ſe redeuntibus, humaniſque vocibus attrahit dicendo: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos* Factus Chriſtus humanitatis pelagus profuſis aquis, omnes inundat. *Venite ad me omnes qui laboratis*, qui diaboli aciem contra me muniueratis, mecum bonis meis delicijſque vtimini, qui bellis in me excitatis eſtis fatigati, quietem me dante capite, diabolicam ſeruitutem meo mutate regno;

B

vos ille inſtructa in me acie delaſſauit, armauit vos hoſtis legis violatione, impietatis panopliam induit, funeſtarum cædium thoracem circumiecit, ſagittis iniquitatis manus colligauit, ad libidinoſas actiones veſtras fluctus concitauit atrociores, ad cultum idolorum exercitum legit, internecinis bellis vos accidit, nec vobis mecum pugnantibus remiſſio fuit vlla. Sed ecce adſum, vos compello: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis.* Antiquitus poſita hæc humanitatis lex hominum ſecula obibat. Nam niſi Deus a principio clementiæ ſcutum ſuis obieciſſet; nunquam natura, quæ ab inobedientia initium ceperat, vlterius fuiſſet progreſſa; ſed primi hominis ætatem duraſſet. Manibus Adamum extrahens finxit, ipſi conformato quidem de terra corpore, animo verò immortali ex nihilo fabricato regij dominatus ſigna indidit, paradiſum deliciarum diuerſorium dedit, animantium greges pedibus ſubſtrauit, poteſtatem fecit nomina procudendi &

C

tanquam proprijs poſſeſſionibus, beſtiarum naturas, quæ nunc extabant, produxit, Adamus verò fictis appellationem affinxit. Et Deus quidem imperio producebat, hic verò producta vocabulis exornabat & conditionis æmulatione partem tituli conditoris ſibi vendicabat. Erat & paradiſus thalamus, & ſponſa de coſta producebatur: Deus autem ex æquali fictis materia nymphagogus inueniebatur per manuum coniunctionem nuptias conglutinans, & iam fictos naturæ parentes creauit, & plantæ humanæ radicem, à qua genus vniuerſum progerminaret. Quis tandem beneficiorum tantæ terminus? vnius abſtinentia arboris bene merentem Deum nõ honorauit homo tot auctus honoribus! ſed diabolum contra Deum verba facientem inſtituit, & auditor verborum fuit, quibus mundi opifex inſidiatoris opinione laborauit, eamque temeritatem manus apprehenſo cibo, qui quidem a ſolo Deo interdicebatur palam fecit. Tam audax igitur facinus extrema ſupplicia repoſcebat. Adamus autem ictus conſcientia,

D

fuga condemnationem firmabat, & rectis Deum oculis non ſuſtinens fugitans occulebatur. Quid ergo? confeſtim Dominus ſub oculos illatus lenior, quàm ſperabatur, apparuit, & vocem patris non iudicis ei reddidit. Adamum amores meos requiro, animatum meæ dignitatis ſimulacrum? Noui diaboli contra te machinamenta, noui impudentiam, qua ſauciatus excidiſti liberiore mecum colloquio, fœde in fugam coniecit, quem colloquio ſuo Deus honorat, & quam in medio creaturarum imaginem ſtatui, eam vertens in fugam occultauit planta in medio collocata, fraudum telis iaculatus eſt, præuaricationis onus impoſuit, belligerare cum bonorum autore docuit, pietati ſeruientem peccati ſeruum fecit: ſed te duntaxat præſentem ſiſte, & mali remedium cape, cape lapſus tui repoſitum in pœnitentia pharmacum.

Geneſ. 3.

Vbi es? Talia quidem cum vno peccatore diſſerebat: nunc autem ad omne hominum genus eam humanitatis plenam vocem explicat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis.* Rectè. *Omnes.* Nemo anguſtioris orationis Dominum condemnet; indefectus apud me eſt clementiæ

E

fons & omnes ſcelerum fomnans potens euertere. Quam multi quotidianis offenſionibus in iram me acuunt? quàm multi peccatorum incentiuo legibus meis iniuriam faciunt? Hic pecuniarum rapiones adornat; alter proximo dolos texit; alius alienas nuptias ſpoliat; alius lites conſuit ius deprædans, alius ex periurio diuitias corrogat; alius, animum ad alterius cædem intentum dum habet, lingua adulatur; alius inuidiæ iaculum immittit in proximum; alius damnum intuliſſe gloriæ ducit, & iniuriam potentiam reputat. At *venite omnes, qui laboratis, & onerati eſtis: & ego reficiam vos.* In me duntaxat propenſi eſtote, & curationem referte: apud vos crimina, apud me medicamenta: apud vos vulnera, apud me pharmaca. Solum pœnitentiam quæro, & hulcus ſano: Oſtendite mihi mutatos mores, & à moleſtia eſte liberi. Moſaica quidem lex ad creata ſingula gladium intentat, cum terrore morti adiudicat, & deuotionis ſententiam mox ipſa infert, neſcit vllam ſceleris remiſſionem, pœnitudinis lachrymas auerſatur, ſimul cum præuaricatione præuaricatorem tollit.

F

Ego verò peccatum quidem odi, peccatoris autem facti pœnitentis me miſeret; & ſi lachrymas fluentes video, debitum remitto; quæ inſpicio malefacta, dum motum conuerſionem reſpicio, deſpicio, & præſentem oſtenſionem oblitero; dum ſpem de futuris facinoribus concipio, factis ſubſecuturis priora extero. *Nam videte, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.*

Matth. 11.

Vt quiſque poſitus ſit, perſcrutor, & mentem exquiro, ſoloque animæ voto iuſtitiam definio. Noui etiam ſurreptitijs peccatis veniam tribuere, & ex ignoratione profecta delicta abijcio. Huius meæ clementiæ fructum tulit Propheta Dauid Gratiæ tempus anteuertens experimento veniæ, qui paululum à ratione deflexis oculis adulterij telo à diabolo fuit conſauciatus: quamobrem lex ſupplicium intentabat, & contra Prophetam gladium acuebat. Nec enim lex nouit peccatum ex æquitate expendere; ſed ſolum de eo, quod crimmoſum apparet, iudicat: priorum rectè factorum, etſi permulta ſint, nulla tangitur reuerentia, quod

G

actum eſt, vindicat. Audiuit** *Venite ad me omnes, qui laboratis,* & eam vocem ſui cauſa prolatam ratus currebat. Vnus ſum, inquit, qui publicanorum grauantur oneribus, iugum tuum ſubeo, terra tua exoſculor, & factus eſt publicanus publicanorum expiatio. Neque orationis Chriſti efficacitas hactenus ſtetit. Quemadmodum lata ſagena in latè fuſum mare explicata vndequaque piſcium conuertit examina: ſic & peccatorum turbæ in ſalutarem vocis illius ſagenam incurrunt.

Marc. 2.
Matth. 11.

Multi enim, inquit, publicani, & peccatores recumbebant cum Ieſu clamante, *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis.* Non coarctor ipſa multitudine, non fatiſco, eſto, omnes recipiam. Non tam exiguum benignitatis meæ pelagus eſt, vt licet inundent facinoroſorum torrentes, in anguſtum adducatur. Ego quietis locum terrarum orbem poſſideo. Domini namque vox haud inefficax manere poteſt.

Matth. 11.

Venite ad me omnes, qui laboratis. Huius vocis hæreditatem obtinuit Apoſtolorum cœtus, hanc in manibus habentes, non inflata tuba, cœlum hominibus peruium reddiderunt; terras integras peruaſit ea vox, inſulas occupauit vocatio, ſine vi captæ ſunt ciuitates, prouinciæ concurrerunt, ceſſit in prædam Græcia, admiſit eam vocem barbaria, reges adorarunt, imperatores ceruices iugo ſubiecerunt, populi eam vocem ſuam fecerunt, idola collapſa ſunt, aræ euerſæ, dæmones locum voci cedentes fugerunt. Quiſpiam ne paullò antè fuit, qui dæmones coleret? vt Chriſti iugum ſubiuit, idololatris etiam formidabilis apparuit. O vocem, quæ commune quoddam de hominibus trophæum ſtatuit! ô vocem ſalutis fontem! ô verbum vnica adſenſione terram captiuam agens! ô orationem mundi purgatricem! ô verbum, quod Verbi res propter Verbum ſtabiliuit! Ea voce participemus, cum bonorum fructu ſanctorum requietem ſequamur iuxta Chriſti verba: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos,* cui gloria, & imperium in ſecula ſeculorum,

H

Amen.

Inil-

A In illud: [*Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.* Matth. 4.

ORATIO XXX.

PEriti ſcienteſque medici tunc plus de arte cient admirationis, non cùm ferro, & igni in belli modum vim mali domant, ſed cum leuibus pharmacis affectæ parti adulantes ægrum ſcitè perſanant, & artis ſeueriora præcepta cohibent: miti interim, ac familiari quodam victu dolore ſopito ægrotum à morbo liberum oſtẽdunt. Ad eum modum rex Dominus noſter Ieſus Chriſtus medicus, qui totus ſapientia eſt, impietatis ægritudine terram laborantem conſpicatus, ac per mundanas deceptiones ardentem idolomania, non igneos imbres cœlo deijcit, non maris fluctus in continentem impetum dare iubet, neque violentiam elementorum contra impietatem armat; ſed miraculis fidem facit, & beneficentia pellicit, verbiſque cœ- B leſtibus incenſas animę paſſiones ſedat; Immò verò diſcipulos quoque minimi pretij deligit, eorum manibus, & (Matth. 4.) linguis curationem orbis terrarum credit; *Ambulans autem,* inquit, *iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare; erant enim piſcatores: & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum.* O verè conſilium excelſum, & ſapientiam immortalem! rem peregrinam, & doctrinam nouam, deque cœlo allatam politiam, cùm mortales inſtituiſſet docere, & iſtiuſmodi doctrinæ idoneos quæreret adminiſtros; deſpexit vrbes, populos non conſcripſit, regni miniſteria repudiauit, diuitiarum potentiam deteſtatus eſt, exoſam habuit vim Rhetorum: non Philoſophorum linguas optauit, gentes percurrebat, & neque armorum apparatum, neque manuum dexteritatem delegit, neque ad curſum pedum celeritudinem. Quid verò humana præſidia recen- C ſeo? Angelorum ordines, perpetem quietem linens agitare portus, & fluuios, & litora, & officinas ebibat, inde doctrinæ adminiſtros decretum habens mutuari, & adſtans hortabatur dicens: *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores* (Matth. 4.) *hominum.* Vos, inquit, venatum venio; piſcatores, non reges còquiro; nautas non dynaſtas adhortor, deſinite cum mari animę experte certamen habere; artem feras captandi mihi in continentem conuertite. Mare quoddam impietatis terra continet; eò mihi traiectis retibus prædam pietatis adhamate. *Venite poſt me vos* diſcipuli mei, & huius vniuerſi magiſtri. Artem veſtram ad cęli commercia vtendam mihi date. Idololatriæ mare fuſum eſt, nube multiplicium deorum creatura regitur, omnia inundat impietatis abyſſus, mortales dæmoniacis fluctibus immaduere, mundus ſanguinis graueolentiam redolet, & mortalibus ſacrificijs inquinatur: piſcatores illis ego, qui medicos agant, conſtituam: artem veſtram res ipſa vocat, medicamentum creaturę periclitanti ſalutare commodemus: *Venite poſt me.* Illi autem relictis *retibus ſecuti ſunt eum.* Concur- D rens eum Domini deſiderio diſcipulorum cœtus ſecuti ſunt eum; nec enim vocationem quid imaginarium arbitrabantur, neque promiſſionis magnitudo inclinabat eorum ſpes, neque vllam talem in Dominum orationem extorquebat. Quid nos, mi homo, cum vndis colluctantes irrides; quid ridicularijs vocibus ærumnas noſtras Indificaris? Victũ per mare quærentes cernis, ipſaque ars, quàm deſpicabiles ſimus prædicat, & dicit: *Venite faciam vos fieri piſcatores hominum?* Ediſſere nobis, quibus profuſis ante ora hominum diuitijs, eos conciliaturi ſumus? an diſrupta monſtrabimus retia, & populos ferarum inſtar adhamabimus? qua vſi lingua, quo orationis ornatu auditorem irretiemus? an vocabulis nauticis regum animos tractabimus? in piſcium nõ hominum piſcatu artem exercuimus. Nihil tale locuti, nihil meditati; ſed reipſa hamo verbi Chriſti traiecti ſequebantur loquentem Dominum, & piſcaturæ modum intus ipſi ſecum docebantur. Piſcari condiſcebant, quodq; facturi erant, primũ opere experiebantur. Dicebat: *Venite,* & vocati ſequebantur. O verba rebus demonſtrata! *Venite.* Ego verbis veſtris eſcas implicabo, E ego populos & ciuitates veſtris vocibus conuictam, vos ego ſagenæ meæ primitias faciam. Ipſe enim in vobis per vos rem conficio. Fas mihi fuit regibus potius vti miniſtris, fas mihi fuit Rhetorum linguas doctrinæ adminiſtras trahere, potui Angelorum ordinibus prædicãdi munus credere: ſed tum famulantium ſplendor gloriam famamque meam ad ſe rapiat. De eius enim exiſtimatione, qui rem gerit, famulorum potentia occultum quiddam detrahit. Recuſo diuitiarum obſequium, ne ſi operam cõferant rem tam mirandam extenuent. Vos ego comperio fidos miraculorum meorum cuſtodes. Quibus enim nullum humanum præſidium præſens eſt, apud hos Dei poteſtas retinetur integrior. Propterea namque miraculo eſt miles, cum vilibus armis ad victoriam vtitur. Vult enim cum illo virtus, qui præclarè quid fecit, gloriam partiri. Comprimãtur voces infidelitatis: occludatur lingua, nec ſit calũniæ locus. Ne dicat impius quis regionatim & oppidatim cum homines vltro confugere videt ad Euangelij F prædicationẽ: Quomodo potuit Chriſtus nõ perſuadere? præcones perquam ingenioſos permiſit, armorum terrore ſibi adiunxit animas, pecuniarum obiecto fulgore oculos ineſcauit, terrore adſenſionem ſibi comparauit, copijs copias ſibi ſubiecit. His omnibus nudati vos ab iuſtis accuſationibus nudos ſycophantas refellit. *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Relicto mari fias terreſtris piſcator, terra cum mercatur, eſte piſcatores hominum. Quando enim piſciũ incurſiones in ſe mutuo norunt homines, veſtris ſagenis incidant, pares cum piſcibus euentus ad ſalutem præſtolentur. Talibus verbis velut vnco perfoſſis auribus prompti ſecuti ſunt trahentem volentes, & longum vale retibus dixerunt, ſeque à mari expediuerunt Saluatoris nutibus obſequentes. Sic in Ieſu retia turmæ modo illapſi, & piſcatus admodum inſperati conſtituti diſcipuli, cum iam cœlum Dominus reperiuiſſet, Gratiæ retibus hominum genera piſcabantur. Primum igitur contra Iudaica collegia diſpertis laqueis cõfeſtim ter mille homines cõprehenderunt. Secundus ſagenæ iactus vel ad G quinquies mille homines ſurſum extraxit. Forte auetis eſcã noſſe, qua vſi quinquies mille viuos abduxerint? *Claudus quidam erat ante portam ſpecioſam,* cui pedum itionem cũ fortè natura ademiſſet, Gratiæ tradidit pro arbitratu recudendum, Petrus vnco fidei poſtquam hunc deuinxerat, populum vniuerſum lingua cepit. Fit & huius ſagenæ præda magnus ille Cornelius. Eodem modo Palæſtini adhamatis artem Gratiæ tranſportant in inſulas, & à continenti in mare retia traijciunt. Cyprum viderunt, Antiochiam obtinuerunt, Pamphylia deinde occupata eſt, Macedonia vaſtata, accurrit Thracia, Græcia cum ſua eloquentia capta eſt. Roma ſuppreſſo diademate crucis prædicationem exoſculata eſt, ordine denſiſſimo ciuitates ſponte cõceſſerunt in prædam Apoſtolicorũ retium. Nec iactu abnuere, dum terrarum ambitus Domini retibus fit comprehenſus. Verùm, ô res inopinas, & ſupra naturam! His enim vilis territus diabolus, neque ſalutem tam latè diffuſam videre ſuſtinens præcones morte circumuenit H agreſtioribus quibuſdam piſcibus in piſcatores concitatis. At mortem excipiunt quidem, nec piſcatu tamen abſtinent vel obita morte. Quin etiam poſt fata Domini faciunt imperata, nec preſſi ſepulchro prædationis obliti ſunt. Nam & ſepulchra volente gratia loquuntur. Verax enim qui dixit, *Venite ad me, & faciam vos fieri piſcatores hominum,* cui gloria, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

In illud: [*Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Matth. 20. Marc. 14.

ORATIO XXXI.

AVget difficultatem linguæ ſuam eluctantis anguſtiam auditorum attentio ſtudioſa, verbi tractationem formidabiliorem facit Eccleſiæ conſuetudo, & diuina capeſſendi deſiderium. Quare beatitate propoſita leniens prædicãdi trepidationem Dominus clamabat. *Beati, qui loquuntur ad aures audientium:* qui doctrinæ ſe- (Iob 29.)

A mentem in terram frugiferam conijciunt, qui bona documenta in areas animæ cumulant: quia præſentiũ laborum opportunum extat ærarium laborantibus fructum recondens. Etenim apud Iudæos ventura prædicere inuitabile erat, nec Prophetis optabile monita dare. Siquidem, *Iſai. 53.* *Domine*, inquit, *quis credidit auditui noſtro.* Ieremias quidem ſpecioſam detrectati officij excuſationem ætatem *Hier. 1.* prætendebat: *Puer ego ſum, neſcio loqui.* Moyſes ad populi ducatum vocatus, eam dignitatem refugit, & ſibi re- *Exod. 1.* fragatur: *Impeditioris, & tardioris linguæ ſum.* Accuſat enim leuitam ingenij Iudaici credulitatem eorum qui ad eos legabantur, deprecario. Gens enim Deo, diuinæque beneficentiæ rebellatrix. Moleſte ferebant olim ſeruitutem Ægyptiacam, & ab ea liberati conuicijs liberatorem in- *Num. 16.* ceſſebant: *Quaſi defuerint in Ægypto tumuli eduxit nos, vt occidat in deſerto.* Mare velut viam publicam decurrebant, pedibus puluerantibus maris iter conficiebant, & vitulo *Exod. 32.* per adorationem clamore gratiam referebant: *Hi ſunt dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Cœlum etiam ni- B uoſam mannæ copiam demiſit, &, qui ſub cœlo ſunt, in *Num. 16.* blaſphemias erumpunt: *Nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo.* Rupes quoque ſecura eſt, quæ torrentibus ſolitudinem inundant, & vnius virgæ percuſſio frequentes peperit vndarum fontes, ſed ingratam eorum linguam nõ *Pſal. 7.* eluit, qui percepto aquæ beneficio dicebant: *Quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt, nunquid & panem poteſt dare?* Iterum viarum ignaros comitabatur nubes, tum ad ignorantiam leuandam, tum ad ſolis ardorem defendendum. Noctem columna ignea illuminabat: verum tot à Deo miraculis honorati maledictis eum *Num. 14.* exhonorabant: *Conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.* Auium nubes aër dependebat veluti peregrinis hoſpitibus obſonium apparans: veſtis ab ipſis totos quadraginta annos trita recentis operis ſpeciem pertinaciter dabat nouo exortu temporis edacitatẽ pertinacens: renouabatur ſimul cum veſte calceorum vſus ad annorũ quadraginta tempus, & errationem reſiſtens. Prœliantibus illis elementa ſuccurrebant, quando ſol rurſum len- C tare doctus victoriam illis præcipiti curſu conficiebat: diurna ſpatia producebat, vt vno ipſo die pugnantibus tropæum pareret: producebat curſum, vt victoriæ tempus corriperet, aut potius tempus extrahebat, vt ne diuturniore victoria fatigatus moleſtiam crearet. Poſt ſolem ſtetere fluctus Iordanis, & vnda frænos paſſa eſt, dum ſpatium dat euntibus; ſtetit cõſuetus fluxus, dum præterirent, præſtolatus. Reges ea re audita conturbabantur, ſponte ſua ciuitates collabebantur. Obſeſſa Iericho murorum orbem exuebat, habitatores ſuos ipſa fugeret, & ad Iſraeli- *Num. 14.* tas transfugeret. Horum quæ gratia: *Conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.* Grauiora ſubſequuntur ante relatis. Moabiticum ſimulacrum adoratum, & victores idola victorum adorabant, Prophetici ſanguinis effuſio, Moſaici libri concremati, odium religionis Deo gratæ, diabolicarum ſtatuarum ſedes. Sed hæc vetera, atque obſoleta Sub Incarnationem Saluatoris quibus fuere Iudæi moribus? Chriſtus homines miſeratus venit ſalutarem D manum homini porrigens: nec ea fuit miraculorum reuerentia, vt mores alios induerent; ſed maiorum nequitia hæredes nacta perdurabat hoc quoque tempore. Erant in oculis denſiſſima miracula, curationum maria, omni genere bonorum profluentia; ſed ex beneficentia luctu *Ioan. 11.* conficiebantur, & inopiam cõſilij verbis vulgabant. *Quid facimus: hic homo talia ſigna fecit,* morbos abigi conſpicari inuidiæ morbo ad animum vſque pro ſerpente ſauciabantur, & alienæ miſeriæ leuamentum domeſtici Iudæorum doloris fuit ſeminarium. Paralyticus ſolidabatur, oculi cæco reficiebantur, mortuus ob illatam inferno cladem geſtiebat. & medicus in crimen vocabatur. Adſerebantur in libertatem à diabolica poteſtate, & adſertorem dęmonibus oppletum non erubeſcebant appellitare, & rurſum lamentantium voces inculcant: *Quid facimus? quia hic homo talia ſigna fecit?* Communis naturæ pernicies ſunt Iudæorum mores. Cùm ne morte quidem inuidiam finire poſſent, mortem dedecoroſam decernũt, crucem machinantur, & ob miracula legis violatæ dedecus offundentes

E impudentiæ ſuæ ſeruiebant. Sed non hæc Chriſtum latuere, qui paſſionem ſuapte ſponte ſubit, qui pridem vaticinans in Prophetis contra mortem minas iecerat ** *Soluite* *Ioan. 2.* *enim templum hoc. & in tribus diebus excitabo illud.* Non eum *Ioan. 10.* latuit paſſio, qui dixit: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo eam iterum ſumendi.* Nam Dei incarnati paſſio à Iudæis quidem nefariè, & audaciter ſuſcepta eſt; à Deo verò ad ſalutem deſtinata. Sed amans Chriſti Apoſtolorum chorus animo linquebatur audita paſſione, & ea oratione perculſi animo paſſionis acerbitatem prægustabant. Ingentem verò diſcipulorum dolorẽ molliens Saluator mortis mentionem reſurrectionis prædictione temperabat, ipſamque paſſionem dictis ambagioſis inueſtiens narratione penſiculatius expoſita leuiorem reddebat; ne ſpectaculo improuiſo percuſſi copioſiore triſtitia perfunderentur animi. Quare modo Saluator has *Matt. 20.* vel ante paſſionem de paſſione voces incinens, ait: *Ecce adſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur in manus* F *ſeniorum, & Scribarum, & occident eum, & tertia die reſurget.* Etiam temporis notitiam oſtentat, & quàm ſponte paſſurus ſit. Mihi licebat, inquit, inhibito curſu paſſionem recuſare, & deuitato mortis loco mortem effugere: ſed tempus crucem repoſcit & ipſa neceſſitas paſſionem parturit, adeſt præfinitum tempus quod aduẽtus mei cauſam quærit. Idcirco lapidum ante iactus ictuſque recuſabam, crucem quòd præſtolarer: idcirco ſtructas circa præcipitia inſidias recuſam, quod illatam per Adamũ in ligno mortem medicari veniſſem, vt ligno clauis affixus auerruncarem immiſſa per lignum mala. Miniſtri verò paſſionis Phariſæi, & ſcribæ, & ſeniores, legis veteris capita, qui Moſaica per ambitionem condecorati cathedra cum diabolo faciunt; qui ſanctioris legum diſcipuli cùm eſſent, præuaricatoris armigeri ſunt. Vobis autem, qui mei eſtis, paſſionem vaticinor, & futuræ reſurrectionis ſignificatione dolori medeor. *Ecce adſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur in manus ſeniorum, & Scribarum, & occident eum, & tertia die reſurget.* Si paſſionem doletis, dolori me- G deatur reſurrectio; ſi crucem horretis, ob victoriam lætamini. *Tertia die reſurgam,* ibo, in facili ſtat victoria, expeditum ſtatuam tropæum, prædeſtinatam coronam induam. Siquidem moriar, legem vt morti ſauciem, ne, quod hominis immortale eſt, occupet, & reſurgã è tumulo reſurrectionem innouans, infernum docebo ſucceſſuram exſpectare reſurrectionem. In me namque mors deſinit, & immortalitas ſeritur. Breue erit vitæ, & mortis interuallũ. Non enim vt peccati debitor, ſed vt interfector deſcẽdo. Vocem hanc nõ ſuſtinuerunt diſcipulorum animi; ſed ad illatam de paſſione mentionem deiectiores palam altiſſimum ſilentium tenuere. Petrus autem ſtupens, ſuper hac oratione, neque præ amore paſſionem ferens, apprehenſa Domini manu ait: *Abſit à te Domine: non erit tibi hoc.* Vox ea *Matth. 16.* perculſionem animi indicat, Quid ais, ô Domine? crucis mentio fit, & paſſionis omnino ſpes vlla eſt? an contra te me iuueniliter mors aget, cuius vocem non ſuſtinuit infernus: Pridem vocaſti mortuum viduæ filium, morſque fugit impotens eum ad tumulum vſque comitari, quem H deuicerat: quomodo igitur, quem reformidat mors, capiet? Apage verba iſta Domine. Elias morte ſuperior euaſit, Enochus tranſlatus infernum declinauit; & quomodo Chriſtus in mortis poteſtatem veniet? Hæc de paſſione diſputanti Petro Dominus oppilat os acerbiori inducta obiurgatione: *Vade poſt me Satana: ſcandalum es mihi: quia non ſapis, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum.* Quid ais Petre? arces mortem? non igitur exſpectas reſurrectionem? arces crucem? qua ratione victoria eniteſcet? non eueniet paſſio? quid igitur erit loci impatibilitati? non ligno corpus affigam clauis? quomodo igitur per lignum rumpetur peccati chirographum? non tirſum euehar? quomodo igitur diabolum triumphabo? ſepulchrum recuſabo? quomodo igitur aperientur? ad mortuos non deſcendam? quomodo igitur inferno vincula inijciam? quomodo ſoluam vinctos? crucem recuſabo? quomodo igitur Adami curabo vulnera? quam aliam medendi rationem admittat protoplaſti præuaricatio? ô Petre, diabolo, licet illubens, patrocinaris. Mortem recuſabo? quò igitur Prophetarum

præ-

A Iſaiæ 53. prædictiones euadent? Hunc tuæ orationi Iſaias ibit obuiam contentius occlamitans: *Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & velut agnus coram tondente ſe obmutuit.* Tibi eſſeret idem Iſaias paſſionis emolumentum: (c. 53.) *Cuius liuore nos omnes ſanati ſumus.* Ieremias quoque paſſionis imagine præpoſita condemnabit: (c. 11.) *Ecce quaſi agnum manſuetus, qui portatur ad victimam.* Altrinſecus Dauid cum pretioſam de paſſione fragrantiam cithara perſonat, te accuſabit: (Pſal. 44.) *Myrrham, & guttam, & caſiam a veſtimentis tuis.* Te premet & inſtabit Zacharias: (c. 12.) *Adſpicient ad me, quem confixerunt.* Alunde alius: (Amos 8.) *Occidet ſol in meridie*, & iterum. (Zach. 14.) *Non dies, neque nox, & in tempore veſperi erit lux.* Petre tantiſper expecta, & verborum effecta videbis: raptum die media ſolem, nocte præmatura mundum latè coopertum, ſaxa diſrupta, exſpoliatum infernum, mortem exinanitam, deuolutum tyrannide diabolum, liberas mortuorum turbas. Hæc ego præpediam, Petre! hæc inhibeam? hæc ne eueniant, obſtabo? (Matt. 16.) *Vade poſt me Satana: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum.* Verùm quæ hæc eſt aſperitas verborum, Domine? quæ hæc formidanda in Petrum increpatio! (B) Modo audiuit: *Beatus es Simon Bariona.* & nunc Satanam vocas Apoſtolum? Modo dicebas: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, & nunc ſcandalum, diaboliq́ue appellas inſtrumentum? Ecce Iudas venditionem molitur, cædem facit, tecum cum Iudæis compoſitione tranſigit: non tamen increpatur. Vnguento videt honorarium, indignatur, (Matth. 26.) & pretij iacturam ſolerter appellat: *Vt quid perditio hæc? poterat iſtud venundari multo*, verbis mores ſuos redarguit: nec indignaris, nec increpas. Contra verò miſerabili ſermone iras diſijcis: *Quid moleſti eſtis huic mulieri? opus enim bonum operata eſt in me. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum ad ſepeliendum me fecit.* Tantum non hæc ad Iudam effatus: Ne mihi ritus ſepulchrales inuideas, licet vita ſpoliaueris. Nam mulier hoc ſepulcrali ritu mortem, cuius tu mihi autor, præuertit. Honorem puta ſepulturæ meæ hoc eſſe: & ſi cædem apparas, tumulum (C) ſaltem concede. Vidiſti, ô Domine, (Matt. 26. & Ioa. 18.) *cum militibus, & armis, & fuſtibus* inuadentem, nec dixiſti: (Matt. 16.) *Vade poſt me Satana*, non verbis increpaſti, non reterritaſti, quin potius ad cœpta hortatus es: (Matt. 26.) *Amice ad quid veniſti?* Opus perſequere, tam audax facinus ne differ, venditionem effectu firma. Et contra Iudam talis, & Petrus amoris præmium fert contumeliam? feritur, qui parcit, & ex ignoratione offendens verbis vapulat? Næ, inquit, perhumanus Saluator: vbi enim vlcus eſt immedicabile, ibi pharmacum inutile, vbi autem curationis ſpes, ſectionem induco curationi. Cum agnoſco diſcipulum, eſto, contumeliam dicam, inſtruo, cum alieni ſunt mores ægritudo eſt inſanabilis: & vnius ignorantiæ medeor, & alterius ſuperbiæ vim affero. Tu quidem, Petre, mortem recuſem, conſulis: ego verò tibi conſulo, mortem meam imiteris, crucem ſubeas, paſſionem ſuſtineas, periculum æmuleris. (Matt. 16.) *Si quis enim vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* (D) Via ad ſalutem paſſio, & crux regni conciliatrix. Specimen diſciplinæ date rerum aduerſarum ſocietate. Sic enim propter me dura perpeſſi mecum regnabitis, cui gloria, & imperium in ſecula, Amen.

In illud: [*Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Matth. 26.*

ORATIO XXXII.

QVæ bellicum inſonuit tuba, militis dexteram animumq́ue in aciem concitat: Euangelij autem lingua Domini deſcribens vocem pro fide certantes vngit, & honeſtam pietatis cauſam propugnantes aduerſus periculum armat. Et nunc Euangeliorum vox paſſionem nobis fidei militibus ijs dictat verbis, quibus Dominus iter ad patiendum capeſſens, & ſubſecutus horis diſcipulos inhortans orationem, ſeu potius doctrinam tali clamore promebat: (Matt. 26.) *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Crux verò, & claui, (E) & proditor, & ſycophanta, & tragicè excogitatum à diabolo tribunal, & à Iudæis ſcenæ inſtar initum, & Chriſtus in hæc omnia ſeſe inſerens eos docent, qui pro Chriſto pati voluerint, vt Chriſti pro nobis perpeſſi deſiderio, malis pro coexantlatis par pari referamus, gratiam habentes ei, qui ad gratiam aditum aperuit, qui ſanguinis pretio malè venditos redemit iuxta Pauli vocem: (Gal. 3.) *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Verum Chriſtus paſſione ſua legis maledicto nos exſoluit. Arius verò & Eunomius par illud diabolicum, cum Iuda coniurati Chriſti paſſionis telam texuerunt cum impietatis intertextu, ſalubre medicamentum in perniciē conuertere ſumma contentione allaborarunt, & ſui in Chriſtum odij ſpecimen factis oſtentarunt, Scripturas vndiq; percurrentes, dictiones captantes, voculas inueſtigantes nuncubi quaſdam inueniant ſyllabas, qua Filij cum Patre æqualitatem celent occultiùs. Verùm qui decantatam eſſentiæ identitatem cum deprehenderit, obliquis oculis adſpicit, & prætermiſſa Scriptura tacet, affectata quadam cœcitate veritatem premit. (F) Sicubi verò voces comperetit incarnationis occaſione poſitas, quarum primus quidem adſpectus quid humile præ ſe fert ob neceſſitatem, in penetralibus verò quid excelſum, ac reconditum habet, (quas equidem voces, vt amoris in hominem pleniſſimas ſuſpicere oportuit) ex ipſa humanitate criminationis occaſionem captat. Vident in Scriptura: *Ego, & Pater vnum ſumus*, & eam vocem vt veritatis matrem oderunt. (Ioan. 10.) Audiunt: *Quæcunque enim Pater fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit*, & atratam infauſtamq́ue Scripturam opinantur. Audiunt: (Ioan. 5.) *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat: ſic & Filius, quos vult viuificat*, & quod dicitur, repudiant. Audiunt: *Qui videt me, videt & Patrem*: Et Scriptum (Ioan. 14.) horrentes ſententiam calumniantur. Audiunt ad leproſum clamantem: *Volo, Mundare.* (Marc. 1.) & morbis intractabiliores euadunt quatenus illi imperantem reuerti ceſſerunt verbo, & fugiendo declararunt obſequelam, hi verò aures oppilantes lingua temeraria Domino vindicias dant ſecundum ſeruitutem. (G) Opportuna Prophetæ vox inclamat: *Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis: oculos, vt non videant; & aures, vt non audiant vſque in hodiernum diem.* (Iſaiæ 6. Rom. 8.) Sicubi è verbis ad Incarnationem ſpectantibus & ingentem Chriſti demiſſionem proponentibus aliquod conſpexerint: Incarnationem rapiunt in impietatis defenſionem, exiliunt vt parta de Filio victoria, exempli gratia: *Pater* (Ioan. 14.) *meus*, inquit, *qui miſit me, maior me eſt.* Surdi audite, & cœci ſurſum oculos tollite, vt cognoſcatis. *Pater meus, qui miſit me.* In illud. *Qui miſit me*, aciem intendis. Cogita tecum, quid mittatur. Quod mittitur loco circumſcribitur, regione continetur. Filius autem, cum ſit Deus, incircumſcriptus eſt. Carnis igitur eſt circumſcriptio, non diuinitatis. Hæretica interpretamenta! Ex amore generis humani, ex benignitate orta eſt Incarnatio: œconomiam, non eſſentiam reſpiciunt iſtæ voces. Non ergo tanti amoris magnitudo vertat in naturæ detrimentum, nec ei qui ſalutem dedit, de ſalute crimen aſſingamus. Hoc igitur inexplebili odio ſtimulati deridiculum bellum ſuſtulerunt, & quam in Chriſtum aciem apparant, in nos tanquam in Chriſti milites conuertunt, pro telis voces iaculantur, & à nobis, qui Chriſti patrocinium arripimus, (H) reſponſa flagitant, *Pater*, inquit, *ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte:* (Matt. 26.) Vides, inquit, *Si poſſibile*, metum paſſionis? vides crucem deprecantem? vides Filij maieſtatem obteri? fallaces quaſdam contorquent concluſiunculas, vt Filium Dei conuicijs proſcindant. Sed ſi his voculis Filium incuſas, opportunum tibi Patris quoque infirmitatem coarguere. *Pater enim*, inquit, *ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Vbi dubium eſt ſubſidium, manifeſta eſt infirmitas. Non enim dixit: Transfer Pater: potes enim: ſed, *Si poſſibile eſt, tranſeat.* Si dictioni te mancipas, Patri crimen antè facis; Si Filium carpis, Spiritum antè vellicas: nam quorũ honor indiſcretus, eorum communis eſt contumelia, quod ipſius Domini ad Patrem voce comprobatur. *Mea omnia tua ſunt: & tua mea ſunt.* (Ioan. 17.) Sed contra nobis ingerunt ſequentia: *Attamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* (Matt. 26.) Alia iterum voluntatis diuiſio: vt nõ natura ſolum habeat diſcrimen,

A ſed & voluntas ſuum aduerſarium: *Attamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Vides, inquit, vt inuitus paſſionis limen ineat? Quod ſi inuitè ſuſcepta paſſio: reſurrectio quoque non ab eius voluntate profecta eſt. Si præter animi ſententiam crux, vi nobiſcum gratia communicata eſt, non eius voluntate ſalus obtigit, non volens ſaluauit. Quid ergo volebat Paulus cum gratias ageret, & clamaret:
1.Tim.1. *Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.* Quid rurſus ipſe Saluator aliud voluit:
Ioan 10. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam:* poteſtatem ſeruitute celſiorem, poteſtatem dignitatis parentem, poteſtatem teſtem naturæ nullius obnoxiæ dominationi. Quid porro affirmabat! *Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam pro ouibus.* Amandi incentiuum voluntatium ſit, paſſio non ſit? Alibi locum habet hæc eius luculenta vox: *Paſtor bonus animam ſuam dat pro ouibus.* Cur & paſtoris diligentiam furaris, & paſſionis gratiam? Paulus quidem
Rom.9. pro Iudæorum ſalute decertans dicebat: *Optabam ego anathema eſſe pro cognatis meis ſecundum carnem.* Scilicet
B Chriſtus volens creaturam ſaluat, pro qua, vt ſalutem daret, paſſionem ſuſtinuit. Accipe & alteram Domini vo-
Ioan. 12. cem, quæ velle ipſius conſignat: *Et ego ſi exaltatus fuero, omnes traham ad memetipſum.* Quomodo igitur alijs tribuit, quòd cùm ante cæteros acceperit, auerſatur? Verum expecta, diſcipulos impellens ad paſſionis ſpectaculum
Matt.16. animo virili perferendum: *Ecce,* inquit, *aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur in manus hominum,* Iudæorum animi propoſitum alacritate præoccupat. Paſſionem enim parturit, quo ſepulchra ſoluat. Iterum Pe-
Matt.16. trum increpat paſſioni per amorem obuiam eunti. *Abſit à te Domine,* inquit, *non erit tibi hoc.* Ad quem Dominus: *Vade poſt me Satana, quia ſcandalum es mihi.* Si paſſio non ſponte ſuſcipitur, cur diſcipulum familiariter congredientem dedecore afficit? Rurſus cum Iudæi per inuidiam miraculorum effectorem in fugam agerent: *Dicite,*
Luc. 13. inquit, *vulpi illi ſanitates perficio hodie, & cras, & tertia die conſummor.* Quid cauſæ eſt, cur ſi euidens eſt victoria,
C recuſetur paſſio? An vt adſcenſum præpediat, Chriſtus paſſionem ſubit illubens? Lauda Prophetas, ô homo, quod oculis Gratiæ futura prouidentes crucifixum pro mundo hymnis proſecuti ſint. Suſpice Abrahami gratiam qui in Iſaaco paſſionis imaginem præformabat.
Ioan. 8. *Abraham enim,* inquit, *pater veſter deſiderauit videre diem meum, & vidit, & gauiſus eſt.* Qui ſenio curuatus intrepida manu cariſſimæ proli gladium intentat, & imperantis Dei caritate vincit naturæ difficultatem, vt hoſtia minimè cæſa Domini ſacrificium imitaretur. Suſpice in Iſaaco animi æquabilitatem, qui vinctus ad cædem obuolitantre ferro lubens erat, vt imaginem paſſionis indueret. Suſpice Moyſis ſerpentem in locis deſertis pendentem, qui incredulorum oculis formam appenſi de cruce delineauit. Imaginem Chriſtus notificat, & diſcipulis arcanum explicat. Vna hæc igitur verborum Saluatoris
Matt. 26. cauſa, cum dicit: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte:* quæ cauſa decretis diuinis accommodata eſt. Altera, nec
D iſta inferior. Cùm enim Chriſtus præcognita hominum infirmitate diſcipulos edoceret, quomodo ſuſcepta pro religione certamina non ſine animi alacritate ſint adeunda, modum ſtatuit omnem accidens temeritatem, ne videlicet ſe ad patiendum præcipitent, neue aduerſus pericula per nimiam audaciam inſolentius inſurgant: hoc enim eſt anſam diabolo porrigere ad ruinam celerem. Quid ergo? vehementibus apud Deum precationibus deſiderare, tentationem declinare liceat: vt infirmitatis confeſſio auxilium ſibi adſciſcat inexpugnabile. Siquidem infirmiorum eſt non à principio contra aduerſa altos ſpiritus capere. Deinde ſi tempeſtas ineuitabilis ingruat, & crebrò petamur inſidijs, tunc pati, vt Deo collubitum erit, quàm non pati, anteferendum eſt. Hæc quod Chriſtus doceret, clamabat: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Orationi Dominus incumbit, quo diſcipulis det certandi monita. Verùm dicat aliquis. Cur ergo contra pericula diſcipuli pro Chriſto alacres armantur & re-

E rum aduerſis lætantur? cur Chriſtus cum animi anguſtia crucem admittit, & pauor paſſionem antecedit? cur? quia Chriſtus in mortem viuentem adhuc, expeditionem ſuſcipit, congrediturque nondum diſſecta tyrannide. Adhuc enim iam inde ab Adamo occupato in homines dominatu magnificè ſe iactabat mors. Chriſtus morte contrucidata poſt futuris eam velut enectam tradidit ad certamen. Ideo ipſe velut in viuentem parans impreſſionem pro rei veritate ſe gerit. Apoſtoli verò morte deuicta, & veluti iugulata, & extremum ſpirante bene multum animati eam inuadunt, vt Paulus prædicat: *Chriſtus* 1. Cor. 15.
mortuus eſt, pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturas, & ſepultus eſt. Examuſſim ſcribit mortem. *Et reſurrexit tertia die, & viſus eſt Iacobo, deinde pluſquam quinquies mille fratribus ſimul, ex quibus multi manent vſque adhuc quidam autem dormierunt.* Non iam: Mortui ſunt. Depacta namque cruce ſomnus mors eſt: ante crucem formidabilis, & poſt crucem deſpicabilis. Et rurſus: *Quod IESVS paſſus, & mortuus* 1.Theſ. 4.
eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Ieſum adducet. Chriſti finem mortem appellauit: bellum ſiquidem F
illi fuit contra mortem viuentem: aliorum, qui poſt Chriſtum, ſomnum agnoſcit, non mortem. Inde factum, vt viros pro religione concertare videamus, puellos mortem irriſui habere, puellas eam adire ludibundas: quando Chriſtus vitæ poſt mortem futuræ brauium protulit. Quare epinicium cantant omnes: *Vbi mors victoria tua? vbi inferne ſtimulus tuus?* in Ieſu, cui gloria, & honor in ſecula, Amen.

In quinquies mille homines quinque panibus paſtos.
Matth. 14.

ORATIO XXXIII.

ALlaudo veſtrum tam incitatum audiendi deſiderium, amplector pertinax veſtrum in diuinis rebus ſtudium, agnoſco verò vnde pulcherrimus hie vobis innatus ſit ardor, agnoſco veſtrum vir[…]is magiſtrum, G
quodque idem eſt, parentem, & paſtorem, & medicum, & gubernatorem, Euangelica viuendi ratione excellentem, gratiamque ſpirantem apoſtolicam, qui ſibilis ſpiritualibus vos ad prata cæleſtia tutò ducit, qui diuinarum literarum theſaurus eſt, qui viuens animatumque eſt humanitatis ſimulachrum, qui legis lenitatem amplificauit, qui ab ira indomitus eſt, à voluptate inexpugnabilis, qui ſapientiæ laude illuſtris, qui virtutum corona redimitur. Verùm quamuis vbertim & copioſè inſtrui poteſt mortis accuſatio, & veſter, vti dixi, ardor audiendi latè patet: ego verò quomodo pauperem vobis apponam menſam? quomodo conuiuio parcus ego verborum inexplebilem veſtram audiendi auiditatem excipiam? qui ſatis erit ieiuna lingua tanto populo exhilarando? aut Apoſtolorum vocibus repetendis? *Vnde nobis in deſerto tot* Matt. 14.
panes, vt rurſus pauper ille Dominus poſtquam paupertatem nudauerit, abundantiam tribuat? *Sequebatur,* in- Matt. 14.
quit, *turba multa.* Saluatorem, paſtorem oues, ægri morborum depulſorem, ſerui animarum liberatorem. Vni- H
cam videbant viam errore vacantem, & ad eam omnes affluebant, cui collubitum erat, ſequebatur, morbidus eximebatur è morbo, patuerunt fontes benignitatis, & omnes fruebantur. Imprudentes igitur in deſertas vſque terras iter contēderūt. Olim quidem in ſolitudine dum per Moyſem legem poneret Deus, igni Sinæum montem circumdedit, ſeque accenſa flamma in cælum iaculabatur, & terror, & caligo, & tubarum crepitus miſto vlulatu confuſiſque ſonis videntes perterrefaciebant: at nunc omiſſo terrore Dominus formam ſerui induit in humanitatis natura demonſtrans humanitatem. Olim enim audiebat terra: *Germinet terra herbam virentem:* nunc au- Gen. 1.
tem continentis menſa fructificātem Dominum excipit. Dominus igitur acceptis panibus adſpiciēs in cælum benedixit. Nunquid velut indigus abundantiam poſtulat? nunquid oculorum elatione de cælo accerſit auxilium? nunquid aliunde mutuatur beneficentiæ poteſtatem? An Ario materiam ſuppeditat, & Eunomij linguam

A armat blaſphemias aduerſus Chriſtum conquirentem? Non equidem, ſed Iudæorum calumniam opprimere occupat: ſemper enim Iudæus amans eſt criminationis, & ex quibus fructum capit, querelas captat. Cum igitur olim in ſolitudine Deus Iſraelitis manna ſuggereret, & terra iter habentibus cœleſtem explicaret menſam, necnon petram doceret imbres emittere, & prærupta ſaxa nubis ingenium imitari, ingratis eorum vocibus repercuſſus
Pſal. 77. eſt: *Quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ, nunquid & panem poterit dare?* Chriſtus eorum poſteris, ne ex miraculi magnitudine calumniandi caperent occaſionem, quòd ſe per ambitionem Patre ſuperiorem oſtentaret, neue quod Patri parem ſe faceret, iterùm rurſus calumniam excogitarent, Iudæorum loquacitati eripiens accuſationem ſublatis in cœlum oculis Patri hoc præclare factum acceptum refert. Semper enim Christus hac ratione tractat Iudæorum nequitiam. Sic alias quoque curato lepro ſo, & ob ægritudinem depulſam poteſtate innoteſcente liberatum à morbo remittit ad legem.
B
Matth. 8. *Offer*, inquit, *munus tuum ſacerdoti in teſtimonium.* Sit mihi lex teſtis curationis, & iniquitati lingua occludatur. Ideo quoque modo cælum ſuſpicit, ne ſe Deo iactetur æquiparare, os accuſatori obſtruens. Atque etiam vt homines doceat, dum cibum capiunt, recognoſcere alimenti fruendi autorem. Nam vel cæli ſuſpectus ſuſpicientis eſt
Matt. 14. confeſſio. *Cum confregiſſet ergo panes, dedit diſcipulis, vt darent*
Marc. 6. *turbis, & manducauerunt omnes, & ſaturati ſunt.* O quas
Luc. 9. tunc res videre fuit! Panes pariebant panes, & menſæ alimento extemporario differtæ erant, panes abſque ruſticano ſudore parti non de ſpicis erumpebant, ſed de Domini manu efflore ſcebant. Et verò quàm multa humanum piſtrinum antecedunt? velut, aratio ſoli, aratorum labor, aeris in nubes conuerſio, imbrium ortus, ventorum alibilium latio, tempeſtatum viciſſitudines, lunæ commutationes, ſtellarum radij tremuli, culmorum adſcenſus, opportuna ſegetis maturatio, ſegeniuæ meſſis durus labor, areæ miſeria, molæ auxilium, ſuperfluæ excretio, artis conformatio, ſimul ignis adſpiratio. Quæ nunc omnia contactu ſolo Domini manus perfecit. Aderat enim, qui
C terræ latera ad fructificandum excitat, aderat qui cælum nubibus circumuertit, aderat, qui artis induſtriam mortalibus elargitus, aderat, *qui portat omnia verbo oris ſui*,
Heb. 1. aderat, qui area, quam geſtabat, eaſdem fidem præſentiæ faciens, quis terra i eri iam gubernacula teneat, vno miraculo patefecit. Dirutam antiquam Iudæorum criminationem, & inſatiabilem voracitatem. Non enim amplius ad ere valuerunt *Nunquid & panem poterit dare?* Ecce enim præ panis copia coangultatur eremus. Diſce, Iudæe, quis eam ſuccreuit ex miraculorum cognatione: *Et tam cum diſtribuit inquit. & ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos.* Par cum Apoſtolis numero ſunt cophini, vt ſinguli ſingulos baiulando laborem miraculi teſtem inuocant, ut vterque, dum teritur, rei geſtæ ſenſum ingerat, & memoria fatigatione conſeruetur. Siquidem ne miraculi magnitudine mens abſorpta, quod videbat, imaginarium quid eſſe ſecum deputaret, neue cum tam peregrinum miraculum ſatis
D admirari nequit, ſomnium paulatim ſuſpicaretur, quod reipſa factum erat, reliquiarum multitudine facti memoriam extendit: quò videbeet eius quotidianus dum notitiam repetit, memoriam excitaret. Accipe mihi E-
Marc. 6. uangeliſtam dictis patrocinantem. *Erat enim*, inquit, *cor eorum obcæcatum propter panes.* Euulgat affectum, quo publicet miraculum. Magna res erat tot millibus quinque ſolos panes fuiſſe ſatis: tantam verò ſuperaſſe reliquiarum copiam non diſcipulis duntaxat miraculi recordationem ingenerabat, ſed & eius, qui patrarat, virtutem extrahebat in lucem. Nam ſi pro modo neceſſitatis dationem commenſus fuiſſet, decoris illius gratia adulterata eſſet, nec id qui feciſſet ſatis euidenter Dominus agnoſceretur, quippe qui neceſſitati ſeruiſſet. Nunc autem profuſior quàm neceſſitas poſtularet, ſuppeditatio autoris poteſtatem teſtatiorem facit. Verùm quod loquor, aliunde clarè diſcamus. De cœlo manna quondam Iſraelitis dabatur, ſed quia miraculi adminiſter ſeruus erat, ne-

E ceſſitati quoque donum ſeruiebat, quodque reſiduum, euaneſcebat, & cum manus lectione mannæ nequiret expleri deficeretque, ipſius etiam doni neceſſaria conſequebatur. Et eſcam librans cælum Iudæis demittebat, & tempus donum vincebat, ac intra modum Gratia cohibebatur. Vt enim finem habuit per eremum erratio, ac deinde conſuetum naturæ panem terra oculis ſubiecit, tunc mannæ profuſio contracta eſt, & cæleſte promptuarium hominibus occluſum. Transfer animum in alterum famulum præfinitò miracula patrare iuſſum. Elias ille magnus iureiurando ſterilitatem cælo induxerat, & labris aerem vinxerat, voceque creaturam addixerat otio: hic hoſpitæ viduæ oleo perſuaſit vt fontis inſtar flueret, & exiguus farinę modius cum tempore non imminuebatur: ſed quantum in vſus naturæ abſumebatur, tantum Gratia refundebat. Vt cecidit pluuia auolarunt Eliæ dona. Cùm quempiam curabat, ſupplicis in morem ſubſe-
F cundariam operam conferebat: nunquam vt Dominus honoratus eſt. Ideo nunc Dominus panes multiplicat præter neceſſitatem in potentiæ defenſionem, eumq́; omnibus cogitandum relinquit, qui eſcam porrigit omni carni, cui gloria, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

In illud: [*Tu es, qui venturus es, an alium exſpectamus?* *Matt. 11.*

ORATIO XXXIV.

QVando in Eccleſiæ pratum oculos refero, paradiſi huius cultorem, Dominum Chriſtum loquor, immane quantum miror: quando ſpiritale contemplor pelagus gubernatoris peritiam nimis obſtupeſco: quando rationem nos in Dei cognitionem perducendi conſidero, magiſtri induſtriam laudibus effero. Doctor autem hominum ſimul, & pater cum ſit Deus, inexſuperabili quadam amoris vi ad vtrumq́; aggreſſus eſt. Facto igitur
G homine primo, & latè fuſis naturæ terminis in vna circumſcriptis perſona, ac opulentis generis humani fontibus in vno inſertis homine, nudum à cogitatione rerum diuinarum non reliquit Deus. Verùm neglecta propria dignitate ipſe conditor vnius inſtructor accedit, & inuiſus cum ſit tanquam viſus loquitur, non naturam demutans, ſed nouello diſcipulo protoplaſto vocem attemperans, & adſpectum, legem obſequelæ tradit in eſu cognitionem largitus. Ideoque oblatas acceptat hoſtias vt offerentes per oblata Dominum ſuum deprædicent, & quorum nunc eſt indigus, eorum ſit arbiter atque ex apparentibus hoſtijs mentes inuiſibiles examinat. Sic olim diſpar illud fratrum par, Abelum loquor & Cainum, Deo vt rerum machinatori laborum primitias offerunt. At hunc repudiauit: vnius enim donationem ſuſcipiebat animi cauſa, alterius ſacrificationem auerſatus eſt morum cauſa. Crebris igitur ab initio viſionibus, & ſacrificijs Deus homines res diuinas docuit. Viſus eſt Abrahamo, familiariter egit cum Iſaaco, doctorem egit, ſecit doctrinæ de religione radices, quá cùm ipſemet tradidiſſet, homines bonorum doctores delegauit. Moyſem magiſtrū
H miſit, & Iudæorum populis in ſolitudine Moyſes doctor præſidebat. Verum ne notitiam furaretur obliuio, neue vocis celeritudo ſenſum effugeret aurium literis quoque voces in lucem edidit. Doctrinæ modum excogitauit immortalem, vt lingua quidem notitiam præbeat, manus verò per literas memoriam conſignet. Moyſem deinde Prophetarum chorus excipit, alij ſuper alios hominum bono exorti tanquam ſtellæ diuinæ cognitionis facem prælucentes. Præterea magnum illud, & plenum venerationis Chriſti Incarnationis myſterium parabatur, & nationibus hominum inſerebatur. Incarnatio morte valentior, dæmonibus fortior, idololatriæ euerticulum, parens libertatis, arx immortalitatis, ſeruitij depulſio, gratiarum diſtributio, regni ſtola, cæleſtis conuerſatio, ſucceſſionem nullam ſperans. Præſens enim in terra Chriſtus aderat bonorum imbres inimicis largiens. Hic Adami conſolatio, Moſaicæ diſciplinæ perfectio. Propheticarum gratiarū fructus, qui Ioannes naturæ lege clauſus

vtero

A vtero Prophetam agit, & quæ lingua non poteſt, eloquitur exultando, iudicio vtitur conſeruans naturam afflatus: Iuſſus, præcurrere pedibus, incedo. lentitudinem vereor, ne ſi naturæ terminos exſpectauero, præſtituto currendi ordine deijciar. Apparitor miſſus ſum, nolo in ſecundis per tarditatem conſiſtere. Stella namque ante ſolem exorta fulget: poſt ſolem ſi currat, luminibus offuſcatur. Mater, linguam mihi ſeruet, vt partus medear infidelitati: ex vtero, Chriſtum alloquar, eſto, ipſe virginea feratur aluo, Prædicationes meas exordiar diuinam œconomiam clamans. Præter naturæ ordinem prædicentur dona, quæ ſupra naturam: ſed Iordanis fluento reſeruabatur mirabilior quædam de Chriſti Incarnatione prædicatio. Fluuius Chriſtum circumdedit, baptizatum verò supernè cœlum fauſta proſequebatur acclamatione, ne ſpectatores baptizati dignitas lateret, neve enim ipſum, qui baptiſma in Iordanis fluento primum inſtituit gratiæ inopiam ſecum detuliſſe verbis vigeas. Ideo Pater cum clamore præconium fecit, Spiritus volatu indicium. Et videre erat rem inopinatam, in aquis matrix

B parabatur, quæ cœlo ciues pareret. O maccella myſteria! aqua pariebat, & cœlo ciues adſcribebantur: gratia enim erat, non natura, quæ producebat: gratia, non quæ legibus obnoxia, ſed quæ cœli tenet regna. Verùm Ioannes ſtabat miniſter gratiæ, vnaque cum voce manum emittens clamabat: *Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi.* Quorſum mihi tandem in præſentia Ioannis rebus dictionis pompam adhibeo? Quòd cùm poſt præmaturam illam ſaltationem, poſt inuſitatam prædicationem miracula perpetrantem, inquit Scriptura, Ioannes audiret Ieſum, diſcipulorum ſuorum nonnullos ad ipſum emiſit, rogans aut potius exſpectans Euangelicam vocem audire. Quam cum audiſſet Ioannes, miſit è diſcipulis ſuis nonnullos, *vt ipſum interrogarent: Tu es, qui venturus es, an alium exſpectamus?* quis orationis tuæ ſcopus? quæ hæc inuſitata rogandi ratio? Non tam miramur exultantem, quàm nunc interrogantem. Verùm huic Chriſti Domini amanti theatro neceſſario dicendum eſt, quæ ſit

C huius interrogationis penita vis. Eccleſiæ dicemus Eccleſiæ arcana: quæ propter ipſam inita contigere, ipſi enarrabimus. Propter ipſam namque Ioannes præconium facit, propter ipſam & antiquiores Ioanne Prophetæ, & cum Ioanne, cumque Prophetis Apoſtoli. Sic Apoſtolus clamabat: *Quoſdam poſuit Deus in Eccleſia, primum quidem Apoſtolos, deinde Prophetas, tertio Doctores. Cum audiſſet*, inquit, *Ioannes in vinculis opera Chriſti, miſit quoſdam diſcipulorum ſuorum dicens: Tu es Chriſtus? dic nobis.* Vide mihi primum vbi Ioannes agens quæſtionem habeat. Vbi? in vinculis. Tunc enim recens facta fuerat per Herodiadem ſaltationis fabula. Habitat cuſtodiam Baptiſta, qui incontinenti puellæ præmium ſeruabatur. Cum ergo aliquantò poſt capite truncandus eſſet, videretque domeſticos diſcipulos ad Chriſti documenta non ſtare, immo ex cupidine gloriæ ijs obuiam ire, quæ Dominus annunciabat, & nunnunquam ex Chriſti inuidia ad criminationem procedere, legationem inſtruit. Clamabant illi ad Ioannem: *Ecce, cui tu teſtimonium perhibuiſti, baptizat, & plures diſcipulos facit.* Vides verborum inuidiam? Contra quam

D rectè Ioannes: *Qui habet ſponſam*, inquit, *ſponſus eſt: amicus autem ſponſi gaudio gaudet.* Eccleſiæ ſponſus ſimul, & Dominus hic eſt: ego autem ſponſi & famulus, & amicus, famulus ob naturam, amicus ob gratiam. *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Idcirco veretur Ioannes, ne cùm ipſum in cœlo vitam agere diſcipuli accepiſſent, pertinaci quodam honoris ſtudio, & veteris magiſtri deſiderio Chriſto deſerto cognominem aliquam Ioanni turbam, eamque Chriſtiano gregi inimicam ducerent. Ideo nunc eos ablegat, in ſpeciem de Chriſto quidem ipſe ſciſcitans, reapſe verò eos cum Domino coniungens, per interrogationis ſpeciem diſcipulis cum Chriſto familiaritatem concilians. *Ite interrogate.* ac ſi diceret: Ite, & diſcite, Chriſtum cognoſcite, & cognito ſeruite. Omiſſo famulo Dominum cognoſcite. Non iam diſcipuli mei, ſed condiſcipuli eſtis conſtituti. Quid igitur Chriſtus rogatus? Animaduertite Domini ſolertiam, quæ ſe ſupra famularem prudentiam extollit. Re, non oratione

E dat reſponſa: *In illa*, inquit, *hora multos curauit à languoribus & plagis, & ſpiritibus malis, & cæcis multis donauit viſum.* *Et poſtea*, inquit, *euntes renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis: Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur. Euntes renunciate*, aut potius, Docti eſtote virtutis meæ notas. Viſis veſtris credite. Diſcipulos vos, non ſpectatores emiſit. Vos mea ſpectat oratio: Ioannem orationis forma: *Et beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Ne, inquit, poſt tantam miraculorum multitudinem increduli abſcedatis, ne inutilem reddatis magiſtri laborem, quæ didiciſtis docete. *Beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Et nunc ſcandalizatur in Chriſto, qui Chriſti diuinitati paſſibilis ſubſcribit. Scandalizatur in Chriſto, qui carnis paſſionem carnem geſtanti Deo attribuit, qui paſſionis modum pro paſſione ſua fabricatur, qui non carnem paſſibilem, ſed Deum per carnem paſſibilem

F violentius adſeuerat. Deus enim perdurat impaſſibilis, neque per ſe, neque per aliud paſſionem recipiens. Nos autem ſaluat paſſione propriæ Incarnationis paſſionibus victos, iuxta vocem illam: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, cui gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Luc. 7. Matt. 11. — *Matt. 11.* — *Ioan. 1.* — *Matt. 11.* — *1. Cor. 12.* — *Matt. 11.* — *Ioan. 3.*

In Publicanum & Phariſæum. Luc. 18.

ORATIO XXXV.

MEdicus abſque pharmaco Chriſtus Dominus ad ægrum hominum genus diuerſatus eſt, non famularibus artis inſtrumentis vſus, non herbas, quæ poteſtatem in puros inſinuent, adhibens, non cum igni, & ferro partimus induſtriæ laudem, non vſus curatione, cuius initia ſupplicia ſint, non ſpe mercedis contra morbos armatus: contra verò curatis cœlum pollicitus in

G mercedem. Quorum enim fuerat conditor, eorum & medicus apparuit, verbo quidem naturam producens, verbo autem iterato naturæ traducens ægritudines. Et videre erat omnigenos morbos exterminari: vox emittebatur, ac morbus pellebatur. Ibi qui malum integumentu deondabat, pœnæ liberationem inueniebat. Ibi qui manum habebat aridam, cum reliquo viueret corpore, in vno membro manus apertam mali notam geſtabat: ſed vt Chriſtum vidit, membrum recepit. Eadem virtute exſiliebat quatriduanus mortuus lethi ſigna circumferens & exuta morte ſepulchralem ornatum non exuerat, ſed erat in inſtitis velut è ſepulchro partus, & poſt partione faſciatus. Alibi cœcus ab vtero genitiuum malum circumferens, & oculis priuatus, antequam creatus, neceenmeo. quod habebat, ſpoliatus eſt. ſed de matrice cum exerupit ægritudine, cœcus, inquam, ignaruſque & ab alijs doctus, quæ opus erant, poſtulare. etſi id diſcere non valuit. ad luminis appellationem geſtiens, cuius cum naturam ignoraret, poſſeſſionem quærebat.

H Sed luminis fons cœco præſens lucem dedit, fingens & nunc oculos, vt quondam hominem, & fictione partis artem oſtentans naturæ. Mulier item proprio ſanguine inundans inteſtino fluctu mergebatur: at ſolo fimbriæ tactu ſtitit impudens naturæ tempeſtatem. Ecquid me neceſſum eſt commemorare, quot è corporibus ægritudines ſint eliminatæ? Nec enim periclitanti corpori Chriſtus opem ferebat, animam verò negligebat naufragium patientem, ſed contra potius. Nam quo violentiores ſint animæ paſſiones, tanto maiorem ad curationem ſolicitudinem afferebat. Quod enim anima à natura ſit immortalis, tanto magis propter arbitrium reddendæ rationi eſt obnoxia, cum præſertim intentionem habeat criminum parentem, ſi proprij arbitrij facultate fuerit abuſa, & libertatem in occaſionem peccati verterit. Multæ denique paſſiones quaſi agmine facto circumſtant animam ſic affectam. Superbia arx ægritudinum, quæ Deum bello perit, quæ ad naturam pertinentia ignorat, quæ diaboli morbo iactatur, quæ virtutis curſus inutilis efficitur: & ſi vniuerſas in medium virtutes repræſentes,

exſtin-

A exſtinguit earum faces ingruens faſtus. Ieiunij cum ſu-
perbia copulati emolumentum nullum: ſuperuacanea
virginitas ſuperbiæ ſorde inquinata: iuſtitiam Deus a-
ueſſatur faſtui ſeruientem: beneficentiam odit animi
tumore æſtuantem. O maius opinione malum, quo bo-
norum poſſeſſio fœdatur! alienam à cœleſti benignitate
ægritudinem! Nam qui alia peccant, cum pœnitudine
Iacob. 4. ducuntur, eorum miſeretur vniuerſi molitor, aut ſceleri-
bus pertinaciter adhæreſcentes punit: ſolis autem *ſuper-
bis reſiſtit*, inimicos non ſeruos ducens. Idcirco Apoſto-
lorum zelum longè ab hoc malo monitis, & clamoribus
Luc. 17. Chriſtus arcebat: *Cùm feceritis omnia, dicite ſerui inutiles ſu-
mus.* Humilitatis pulchritudine Apoſtolorum labores
illuſtrabat: ſola enim humilitas ſuperbiæ eſt aduerſatrix,
hæc ſiquidem cohoneſtatam virtutibus animam deho-
neſtat. ſola porrò humilitas vel peccatoribus opitulata
dat ſuffragium peruincens. Accipe orationis meæ ra-
Luc. 18. tionem ex Domini narratu. *Duo homines*, inquit, *adſcen-
debant in templum: vnus Phariſæus, & alter Publicanus.* Per-
ſonarum appoſitione medetur malis: hic enim virtutis,
B ille malitiæ ſectator. Vitæ vtriuſque ſumma inter ſe ca-
pita componit: expendit oratione iuſtum de ſe magni-
ficè ſentientem, & peccatorem abiectè, vt inopinatò ver-
ſæ victoriæ ſpes fugam ſuperbiæ hominibus annunciet.
Phariſæus ergo virtutis magiſter, legis explicator, linguæ
Moyſis, & cathedræ ſucceſſor. Publicanus ipſo vitæ
morumque inſtituto accuſabatur, qui curam cœperat ve-
ctigalium, plura concupiſcendi licentiam, implacabilem
rapacitatem, latrocinium, legibus pro armis vtens, vim
inſidiantem terra marique ſoluentibus. Vectigalium
namque redemptio ad vtraque elementa inexplebilium
Publicanorum manus diuidit: vectigalium redemptio
cuius fructus aliorum lachrymæ, cuius theſaurus alio-
rum miſeriæ. His vitiorum affectibus Publicanus gra-
uatus templum tenuit, & Phariſæus tunc virtutis theſau-
Luc. 18. rum importans. Quid tandem Phariſæus? *Stans*, inquit,
orabat dicens. Oculis, atque ore obuerſus cum Deo ſer-
C mocinabatur, fortè & in nubes propemodum ſe raptum
iri exſpectabat, vt in cœlo cum Deo colloqueretur. *Gra-
tias ago tibi*, inquit, *quia non ſum ſicut cæteri*: Bellum ſanè
gratiarum actionis exordium, mundi criminatio, & iu-
dex, & mortis ſententiam in omnes ferens? *Non ſum
ſicut cæteri.* O linguam tyrannicam! Se omnium loco
ſtatuit, & omnes partis alicuius, aut reliquiarum numero
habet. *Gratias tibi ago: quia non ſum ſicut cæteri.* Deo op-
probraturus introiuit. Non habes iuſtum alterum in
terra. Ego tibi ſolus virtutum theſaurus: deſerta ſit à
iuſtitia terra, niſi hanc ego calcatem. *Non ſum, ſicut cæte-
ri: velut etiam hic Publicanus.* Vel Publicani præſentia ra-
pitur in alimentum ſuperbiæ Phariſæi, neque arrogan-
tia ſecum congredientem ab accuſatione liberum præ-
termiſit. Phariſæus pro ſupplici iudex aduenit, & cum
Deo Publicani iudicandi partes arripuiſſe videtur. Qui
forte gratiarum actionem à me proficiſcentem ſua præ-
D ſentia dedecorat, quem nec videre velim, nec meminiſſe.
Luc. 18. *Ieiuno bis in Sabbatho*: vtpote, qui poſſeſſiones ſumptu
leuaret. *Decimas do omnium, quæ poſſideo*, tanquam debi-
tori Deo debiti memoriam refricat. Superaui factis iuſſa
Moyſis, rectè geſtis me ſupra legem extuli, meis donarijs
templum diteſcit amplius. Eiuſmodi igitur Phariſæus
virtutum commemoratione gloriabatur admodum. Vi-
deamus & ipſum Publicanum. Nunquid alibi deliteſcit
in oratione? *A Longè ſtans*, inquit, *neque ſurſum oculos re-
ſpicere audebat.* Scelerum enim conſcientia vlterioris ac-
ceſſus libertatem adimebat: deijciebat oculos geſtorum
recordatio, grauem gemitum emittebat è corde percuſſo
pectore, in ſtante iudicem animaduertens, lamentis a-
nimum pungebat, ac vellicabat, cor plangebat manu, ſui
ipſius erat carnifex, rei vapulantis vocem proferens:
Propitius eſto mihi peccatori. Benefacta, inquit, quæ mihi
patrocinentur, habeo nulla: omni ex parte ſceleribus
conuulneratus ſum, iniquitatum fluctibus circumue-
nior, video vitiorum meorum maria. Qui meis malis erit
medicus? quò confugiam? vbi auxilium inueniam? qui
iuſtè factum obtendam, cum nec per imprudentiam tale
quidquam egerim? ecquod opus bonum in peccatorum E
locum inferam? quomodo veraces mei accuſatores effu-
giam? quem adſpiciam? quem deſpiciam? quid ſilebo?
quidve loquar? pro quibus ſupplicabo? quæ promam?
quæ premam? quæ lamentis proſequar? in cœlum adſpi-
ciam, quod iniquitatum dedecore affeci? Deum adſpi-
ciam, in quem blaſphemias iacere pro delicijs habui? v-
nicum duntaxat inuenio miſeriarum mearum reme-
dium, periculum effugiam ad miſericordiam confugiens:
Deus propitius eſto mihi peccatori. Sceleribus, non iuſtitia
glorior. Noli, ô iudex Phariſæi de me ſententiam ſequi,
noli me cum hoc faſtuoſo abominari. Iuſtum agnoſco
procreatorem, eum nolim iudicem: humanitatem tan-
tum requiro peccatis meis ſalutarem. Monſtro vulnera,
tu ſana. Quid tandem, qui omnium ſupplicationes co-
gnoſcit, quid ait iudex auditor vtriuſque? Videamus,
quam ferat ſententiam, vt litem dirimat inter afflictum
deiectumque peccatorem, & iuſtum ſeſe magnificè ia-
ctantem. *Deſcendit hic*, inquit, *iuſtificatus ab illo.* Inuerſus
eſt ordo, apparuit Publicanus iuſto Phariſæo iuſtior, id- F
que iuſti iudicis iudicio. Commutata rerum eſt natura:
in altum faſtu elatus deijcitur: ad ima vergens per ſen-
tentiam erigitur. O Publicanum clementiæ mercato-
rem! ô Publicanum, qui de portu felicitatis rectè ve-
ctigal petit! ô peccatorem, qui ad libertatem peccato-
ribus viam aperuit! Docuiſti vectigalium redemptio-
nem iuſtitia valentiorem, non deſiſti vectigal poſcere,
dum Chriſtum ipſum vectigalem feciſti. Graue vectigal
ſuperbia, graue, & inimicum Deo. *Non ſum*, inquit, *velut
hic Publicanus.* Verax es, ô Phariſæe, ille enim peruincens
ſuffragium obtinuit humilitatem ad victoriam nactus
adiutricem. *Ieiuno*, inquis, *bis in Sabbatho.* Sed fruſtra ieiu-
nij laborem effudiſti per inſolentiam, ſed donationem a-
nimi abripit ægritudo. *Non ſum*, inquit, *vt cæteri.* Sic o-
lim ad Deum loquebatur progenitor tuus Abraham, vel
potius Publicani progenitor: nam ſibi Abrahami genus
Publicani mores adiungunt. Labundus in terram dice- G
bat: *Ego ſum puluis & cinis.* Vides, vt naturæ cognitio via Gen 18.
ſit ad colloquij libertatem? Et animo magis, quam cor-
pore concidens cum Deo colloquia miſcebat. Sic Daui-
dis lyram pſallentem inaudiſti: *Cor contritum, & humi-* Pſal. 50.
liatum Deus non deſpicies. Talia doctor tuus Moyſes cum
Deo colloquia agitabat, *quis ſum ego, vt vadam ad Pha-* Exod. 3.
raonem? Fugiamus, dilecti, iuſti iſtius affectionem: ete-
nim Phariſæus de iuſtitiæ gradu deiectus eſt. Fugiamus
ſuperbiam, cuius vitibus vel ipſe diabolus collapſus eſt.
Vidi Satanam, ſicut fulgur cadentem. Naturæ fulgorem mo- Luc. 10.
rum peruerſitas exſtinxit. Faſtus autem caſum attulit in-
feliciſſimum. Sic B. Paulus ne per elationem in iudicium
incidat diaboli: *Datus eſt mihi ſtimulus*, inquit, *angelus Sa-* 2. Cor. 12.
tan, & cætera. Audiamus Dominum clamantem: *Beati*
pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, cui glo- Matth. 5.
ria & virtus in ſecula ſeculorum, Amen.

*In duos Euangelij Cæcos. Marc. 10.
Matt. 20.* H

ORATIO XXXVI.

QVi in pratum varijs floribus refertum oculos inij-
ciunt, ex vago adſpectu admiratione collecta mul-
tis è locis florum pulchritudine oculis feriuntur: & quid
primum, quid ſecundum claudent, haud ſciunt. Nam
vbi primum quid miratur oculus, ſic à ſecundo rapitur,
vt obſtupeſcat, & tertium rapiens viſionem, pulchritu-
dinem oſtendit, ac inuicem erumpentes gratiæ viſione
oculum offuſcant rerum conſpectarum voluptate er-
rantem. Tale quiddam & mihi videtur accidiſſe ad tam
florens, & ſalubre pratum euangelicorum miraculorum
reſpicienti. Nondum enim primũ pro dignitate ſatis ad-
miratus à ſecundo obruor, & iterum in aliud ex alio trãſ-
mittor miraculo, & ab illo iterum in aliud, neque quo a-
nimum ſiſtam habeo, ac veluti quiſpiam æquor immen-
ſum ingreſſus, intelligentia iucundorum miraculorũ æ-
quore fluctuatur. Modo leproſus quiſpiam accedit varijs

A morbi maculis inſignis, reus corpore, & infectionem minimè voluntariam circumferens, exoſam legi, hominumque iudicijs. Verum quæ ad oculos vſque Domini tyrannidem exercuerat lepra, videndo tyrannidem deſijt, nec vltra apparet celeriter ad imperium fugiens patientem. Alius quis emortuam, nec tendi quitam oſtentat manum: ſed hoc mali vidit Deus, vidit perquam humanè medicus abundans humanitate, vidit vita mortem, recepit vitam manus, natura membrum recognouit ſuum. Alius dæmonum quamuis illubens exſiſtebat domicilium, impellens ipſe in ſemet hoſtem domeſticum. Infelix, qui habitationem inimico accommodans, de ſe arma miniſtrabat aduerſario! At fulgorem Domini vocis non ferentes dæmones fuga plagam manifeſtabant. Alius vinctus annoſa paralyſeos catena ad vocem Domini vinculis exſolutus eſt, & ſublata in humeros ærumnoſa lectica, tropæumque de ægritudine excitans ſpectabilem pompam trahebat. Lazarus quatriduanus excurrit de monumento vocem vocantis ſecutus. Alterius nuptiæ miraculis cohoneſtatæ ſunt, & aqua velut in vini B fontes verſa eſt. Eremus item panibus redundabat, & Domini manus egeſtatem apoſtolicam erexerunt. Alibi Publicanus ceſſit in prædam, & qui ſe adeuntibus inſidiabatur, ignarus in Domini naſſam incidit. Alibi meretrix vitam immutauit: vt facta verba, facta vitæ commutatio, comæ animæque retia ſoluuntur. Alius oculis à natura captus, quique nec poſt vteri carcerem innatam caliginem exuerat, & nox longa vitæ comes fuerat, dum ipſi Chriſtus verum lumen occurrens diem reddidit, lucis organis reſtitutis extra vterum refingens ea, quæ in vtero omiſerat, & artem in theatro expromit fidem quæritans, relictaque fidei officina fictionem iſtam publicat, Iudæorum ob oculos refingens oculos, quo cœco quidem ſplendor oboriatur artis ope, aliorum verò mentes illuminentur miraculo. Ab eadem humanitate Dominus pagos obibat, & vrbes, vbique ſpargens miracula, & cum corporis, tum animi quoque curans morbos. Anima namque ex inopinata carnis ſanatione veneratione com-
C mota dum medicum adorat, curationem ſibi communi-
Marc. 10. cat. *Et proficiſcente eo*, inquit, *de Iericho ſecutæ ſunt eum turbæ*
Matt. 20. *multæ. & ecce duo cæci ſedentes ſecus viam, audierunt, quod Ieſus tranſiret, & clamauerunt dicentes.* Nam cum ipſis eſſent oculi demortui, aures neceſſariò oculorum vicem corpori ſubſeruiebant, & vicinus ſenſus vſum minimè ſuum commodabat. Singularum quidem partium corporis noxa communi moleſta eſt: oculorum verò priuatio vitam facit minimè vitalem. Nam ſi pedes affecti fuerint, corpori curſus adimitur, oculi interim ſuo adſpectu dolorem leuant, & ſi morbo impediantur, amicos oculus exorat ad ſubſidium trahens, & ſi aures virtute ſua deſtituantur, hic oculus nutibus neceſſitatem ſolatur: extincto verò oculo ſenſuum colligatio vniuerſa commouetur, inertia corpus impeditur, pedes curſum negant oculum ducem repoſcentes, manus artes excutiunt ſimul cum oculo occœcatæ, auris præſentem, ſi tacet, nequit indicare, lingua vincitur noſſe non valens, cui loquatur, huic ſol aſtris fruſtra ſtipatus prælucceat, Luna tædis illu-
D ſtrans noctem hunc à caligine liberare non valet, non purpuraſcens vndiſque ridens mare, non tellus pratis & floribus germinans, verniſque coronata gratijs iucunditatem affert vllam: ſed eſt contrectatio quædam vita ſic condemnata, vita nocte vna commenſa, mundus inuiſibilis, artificij mundani pulchritudo ipſi incognita. Quod enim ſol in mundo, hoc oculus in corpore. Propterea
Luc. 11. quoque Chriſtus Dominus clamabat: *Lucerna corporis eſt oculus: ſi oculus tuus fuerit lucidus, totum corpus tuum lucidum erit.* Hac oppleti miſeria cœci duo ſecus viam ſedebant egeſtatis viribus, & lucis inopia detenti. At ventris ſolatium & paupertatis . . . .

. . . .

. . . . Nouit enim, nouit vel aduerſus miracula conſurgere inuidia. Ideo Dominus
Matt. 20. cæcos interrogat. *Quid vultis, vt faciam vobis?* Diſertè mihi poſtulationem veſtram exponite, ipſi inuidiæ malum expromite, diſcant Iudæi, quid hac ſupplicatione velitis:
E *Dicunt, Domine, vt aperiantur oculi noſtri.* Scimus, quid petamus, eſto Iudæi inuideant. Luminis radios videre à Lumine ſupplices petimus, oculorum rogatores ſedemus tuæ præſentiæ inſidiantes, hic moramur ſolis tui exortum
præſtolati. *Miſertus autem eorum Ieſus tetigit oculos eorum, &* *Matt. 20.*
confeſtim viderunt, & ſecuti ſunt eum. O perhumanum medicum! medicum compatientem! domeſtica paſſione humana medicantem mala! *Tetigit oculos, & confeſtim viderunt.* Contrectatio ſplendorem adiecit. Oculi Domini manus exſpectabant, & dicto citius miraculum peractum eſt. Et adſurgentes *ſecuti ſunt eum.* Liberati ſunt à cœcitate, & ſeſſu, & morbo immedicabili, & ab interminata nocte. Sequebantur, qui ſalutem dederat miraculis teſtimonium dicentes, dum præcones oculos ferunt corporis. Sequamur & nos Saluatorem, ſequamur inclinantes
ad nos manus, & habitu clamantes: *Venite ad me omnes, qui* *Matt. 11.*
laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Adeamus humanitatis fontem, diſcamus inexplebilem eius bonitatem. Cùm ſit à principio Deus noſtra induitur carne, & mortali natura, quam deinde monſtrauit immortalem, pro- F
pter nos veſtitus eſt, non carne completus. Cœpit for- *Ioan. 1.*
mam ſerui, vt ſeruos *filios faciat. Quotquot* enim *receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, cui gloria in ſecula ſeculorum.

S. Baſilij Epiſcopi Seleuciæ de infantibus in Bethleem ab Herode ſublatis.

ORATIO XXXVII.

EGo annis grauis in dicendi ſtadium referor, rurſus inſtar matris ærumnis in alenda prole multa conflictatæ exſuccam, & paupertinam meæ humilitatis mamillam vi cogor exprimere ad tantæ multitudinis nutricationem. Ecquis hanc vim adfert? fluuius ille magnus Euphrates, quare parco. Namque ſuo æſtu tantam aliquam orationis copiam nobis inuehere poteſt, quantam animi mei capere poteſt amplitudo. Pleni enim ſunt, G
Fratres, mellis faui Scripturarum, & ita ſuauis mellis ad ſatietatem ſcatent aluearia, vt induſtrijs abſque labore liceat expreſſum inde virtutis temetum in proprias animas deriuare, ac recondere: temetum temperantiæ parentem, temetum caſtitatis magiſtrum, temetum, quod mentis oculum peruigilare faciat, quod veritatis lumen in ſemper plenis gratiæ animis reponat, quod neque dementes, neque infirmos ex ſatietate, & lapſabundos faciat, ſed membra potius firmet, & iuſtitiæ armis contra ſcelus obarmet, temetum quo Apoſtolorum chorus repletus eſt, quando rorem Spiritus cælò defluentem ſua quiſque lingua excipiens, collectarum nationum auribus oris virtutem impartiebatur, vnicam cuiuſque vocem ad omnium nationum audiendi ſenſum cõformante Gratia. Adeo vt orationis flumen ore profuſum aptum modificatumque ad cuiuſque aures acciderer, Spiritu vocem transformante pro cuiuſque audientis lingua
vernacula. Me verò modo circumſtrepunt infantium H
clamores, & eos mihi videre videor non ſine animi perculſione neſcio quid indiſcretum clamitare, & ad enſium fulgores intueri, nec ſine metu ad matrum complexus ſecuritatem reclinari, deinde in ipſos ſinus immergi. Videor & ipſas videre matres, aliam parte alia ciuitatis diſcurſare cum illo miſerabili dulcique onere, & effugio locum quæritare, aliquam ſine decoro capitis tegmine, dum feruet crudelitas, nonnullam, quod habebat, per tam immanem concurſationem, ponere, & abijcere, aliam etiam comam temere confuſam infanti obiectare, tali tegumento ſperantem periculis furari poſſe infantem, non neminem ab acriter inſequentibus deprehendi, deinde curſu repreſſo ictam metu, necnon lachrymantem machæram fulgurantem reſpectare, oculos nũc ad impetum gladij diuidere, nunc ad plagam puero impendentem, & ſeipſam ferri lationi feſtinanter opponere. Contra aliam videre videor, quæ neque ſe quoquam commouere queat, neque paululum reſpirare ipſa perculſione p... vinciente, ſed præ timore ante prolem

ſuam

A ſuam perdita ſit, & percuſſorem eum intermortuo genitu maneat, quæ nonnunquam omiſſiure iam manu, & admodum trepidante geſtat infantem, nec iam adoertat elapſum è ſinu perniciem ferro afferendam ſuo occaſu præoccupare. O Herodis veſaniam quibus facinoribus ex inconſiderantia editis terram illam repleuit? Qualis erat ille multò infeliciſſimus, cum tam acerbam ſententiam contra nullius affines iniuriæ proferebat? Regio prorſus ornatu circumiecto, ſibique faſtuoſo tentorio depacto, in throno ex auro & gemmis compacto ſplendidè ſedebat, pectuſque furore ſimul, & inuidia coarctatum dilatabat, gladij capulo dexteram fulciens ſapientiæ gloria inſignes, qui adſtabant, conſulebat, quorum diabolus linguas agebat accelerans Herodi ruinam. Quandoque furioſas iactabat voces, quandoque audire ac iudicio videbatur vti, & conſultoribus, qui ſegetis intempeſtiuè meſſem cogitatione demetebant, grauiter annuebat. Poſtquam verò manans ab immiſericordi iudi-B cio exoſum illud conſultum obtinuit, & odioſum militem totum iam in armis, ac ferro multo circumſeptum eſſe iuſſit, & præfectis ſuos attribuit, ſimulque ſtrategos, qui, quod in tempore facto opus ſit, peruidere poſſint, & armis perficere, conſtituit, ad eos fortè hæc illum dicere nihil puduit: Multis iam, milites, pugnis ſtrenuè feliciterq; pugnatis, notabiles regni mei fines vos circummuniuiſtis. Nunc verò, ſi vnquam decet vos vrgere victoriam, ne pigremini: multum enim certaminis, nec parum periculi. E domu malum mihi oboritur. Latenter & obſcurè regni mei firmamentum ſubruitur: nullum mihi manifeſtarium bellum imminet. Infans eſt, qui me ſceptris ſpoliat, & etiamnum verſatur in ignoratione hominum. Scitis Bethleem? in ea natum puerum didici, qui à Deo regni captat ſuffragia. Nondum biennij tempus eſt, ex quo ſe de matrice euoluit. Nullus quidem me turbat apparatus: at Prophetarum ſuper ipſo oracula reformi-C do. Etenim magi (meminiſtis autem, vt nuper ad nos aduenerint) neſcio qua ſibi monſtrante ſtella ortum pueri didiciſſe pronunciabant, & Bethleem perquiſiuerunt, vt & infantem viderent, & honores haberent nato regi congruentes. Ego volebam de ijs noſſe, quis ille eſſet? quo in manus meas facilè deueniret, nec longis laboribus egeret tyrannidis oppreſſio. Quando verò conuenta mecum pacta, neſcio quam ob cauſam, ementiti terras ſuas curſu repetiuere, perturbor, metuo, periculum præſens eſſe reputo. Cæterùm vos meus ſpectat animus. Vos me metu ſoluite. Bethleem armati properanter ite, circumdate vniuerſam oram crebris obſidionis retibus. Viris parcatur, ſenectæ ætati parcat gladius, pubentibus nihil offerte periculi, in paruos tantum puellos arma capite. Primam illam ætatem omnem tondete: non miſereat vos matrum lachrymantium, hoſtem meum in cuiuſque matris inueſtigare ſinu, in eos ferrum diſtringite, qui tunc ad materna refugient vbera, & iugulationis cruor lacte miſceatur. Quod ſi matres circa infantes diſperſas traiecentis, ictus violentia ferro à teneris corporibus in eas diſſiliente: nullus in vos iſtiuſmodi cædis accuſator ſta-D tuetur. Feſtinate tantum, & feſtinantes more leonum in vrbem irrumpite: nulla cædis ſatietas vos capiat, dum infans ille deprehenſus agnoſcatur. Si nulli vitam conceſſeritis, & ille in communi iacebit exitio, ac neque honeſte, neque tutò magorum honore fruetur: mihi verò differtam gaudijs vitam dederitis, & à curis liberam. His illi auditis omni commiſeratione de pectore exturbata ſecum ſtatuunt ſceleribus decertare, curſu feruntur in vrbem dexteras attollentes armatas, & in Bethleemiticos impulſi greges, molles agnellos dilacerant: omni ex parte fontes cruoribus latè ſcaturientes terræ faciem atraminabant. Nihil interim perditis, quod ſatis ad ſalutem eſſe poſſet, erat in conſpectu, non domus, qua tegi poſſit latenter ingreſſa, non ſacer aliquis locus, qui carnificibus religionem inijciat, non cæco aditu ſpelæum vllum: verum infantes vndecunque velut hoſtes inueſtigabantur, & nullus carnificum machæram effugit, dum quiſque, tanquam ſit ipſe Chriſtus, in cuiuſque ſanguine quæritur. Quotquot autem matres audenter, & alacriter

E gladiorum mucronibus manus obiectabant plagis proprijs filiorum loco feriebantur: nec hilum proficiebant, quin potius periculi tempus illis producebant. Aliæ violenter interceptæ, quæ fortè membra nactæ manibus cõſtringebant, dum auellerentur liberi, ea poſtea tantum retinentes conſpiciebantur trahentibus illis, & retrahenti matri ferro infantem diſſecante, & partiente. E quibus hæc fortè manum, illa pedis fruſtum, alia aliud tanquam integro reportato filio diffugiebat. Multæ quoque curſu incitato iam proſtratis illapſæ corporibus, & duriori ſolo mollem ſuam ſobolem impingentes ad filiorum necem nullius egebant ferro. Iam verò quædam fuit, quæ ictum paranti filium oſtendit, & crebro per ſuam pueri cum adiurabat, & talia vociferabatur illachrymans: Miles, facti tui hanc à me ini gratiam, quaſi per imprudentiam pro filio me publicitus proſterne, neue contriſtes matris oculos tam acerbo ſpectaculo. Eſt tibi fortè mater alibi, eſt tibi vxor cum liberis. Scis vt li- F berorum ærumnis parentum viſcera conficiantur. In me igitur illatum miſerere. Illi nolleſcebat animus, ac per genas lachryma fluebat: at Herodis iracundiæ feruens, dum adhuc verba fiunt, in matris vlnis puer iugulabatur, & ſupplicationem cædis luctus accidit. Talia cum iſti audent, ac perpetrant, in maiorem quendam furorem exacuebatur ira, in ipſas domos inſiliunt, omnia ſcrutantur emiſſicijs, ac cædem ſpirantibus oculis, & in editiora cubilia curſu euadunt: deinde ſub lecticam fortè, aut rem quampiam ſimilem abſtruſum nacti infantem, & ſolo vagitu proditum è domeſticis latebris extrahunt, ac veluti ſaxum è funda in plateas ejaculantur, regis furori tam exſecranda nece gratificari. Clamor autem confuſus, & varia triſtitiæ vox inualeſcebat, partim filijs grandioribus fratres flentibus, partim patribus miſerabiliter natos deplorantibus, partim matribus altos gemitus vi doloris edentibus, partim ſenibus nihil vnquam tale, ne in hoſtili quidem irruptione, vidiſſe ſe clamantibus, dein- G que communis omnium auditur querela peracerbum diei illius illuxiſſe ſolem. Tandem cum tam inſigni edito facinore belli ducatu ceſſante, & exercitu quaſi è luculenta victoria dilapſo iterum matrum luctus recrudeſcebat, ac deinceps flendi facta poteſtate vnaquæque filij membra aliunde alia legens cum lachrymis, & violente diſſecta quoquo modo in vnum componens, quodque deſit, quæritans, ac, ſi quod inuenerit, ſæpiculè exoſculans, & totius corporis reliquias in ſinum ingerens validè clamabat: Heu mihi, fili mi! heu mihi! non in eam ſpem te excoluimus. Quomodo velut ſoboles in lucem erupetas? quanta fuit oris venuſtas? quomodo verò, cum bonæ ſpei ſemina prodidiſſes, confeſtim meis è manibus euolaſti? Reſurge, ſomnum excute, quem regis induxit inuidia, voce gratiſſima mecum communica, applicate miſeris tuæ genitricis vberibus, trahe dilectam olim mammam, depende de materna ceruice. Siles? quieſcis? heu mihi nimium miſeræ! Quomodo tua rurſum connectam membra, quæ tam inclementer machæra diſſecuit? cuiuſ- H modi matrix ad te recorporandum mihi ſubſeruiet? aut quibus manibus neceſſariam tibi terram aggeram? quomodo me ab imagine tua remouebo? Eiuſmodi lamentationibus, dum inuicem ſingulæ ad complorandum extimulant, ciuitas complebatur, & quotidianus viuentium conſpectus ſuper liberis demortuis luctum incendebat. Rex interea velut excitato trophæo coronabatur, & victoriam priſtinis ampliorem ſe viciſſe exiſtimabat. Tanos inſuper cum ſe funeſti homicidij criminibus obſtrinxiſſet, tantiſque proprij regni ſtirpibus excisis altos capiebat ſpiritus, & ſe quantauis ſecuritate ſrui putabat, ignorans homo vecordiſſimus fabricam illam tam bellè meditatam enanuiſſe. Quem enim ad cædẽm conquiſiuerat, rendiculis concludere minimè valuit: quos verò ſobrius nunquam voluiſſet affectos iniuria, fœde perdidit ſibi ipſe iniurius. Chriſtus verò vniuerſi Dominus tam immiti impiorum facinorum artifici pœnam celerrimam intulit. At inſontium animas infantium in patris Abrahami ſinum recondens, ipſe cum impietatis arcem ſtatuiſſet expurgare, & domeſticis radijs deliteſcen-

A tem in adytis idolorum errorem reuelare, pridem deceptis aperire, nec non diabolum luctu grauiſſimo exſternare, it in Ægyptum plenus authoritatis. Nam Iudæorum perpaucos propter Chriſtum ratus ſe perdidiſſe diabolus, ignorabat Ægyptijs illis prædia rapinis non obnoxia inhabitanda dediſſe, immineque nocens non animaduertit propriam iam ſe nudari tyrannide, & antiquiſſima ſui dominatus parte priuari, dum Iſaiæ prædictio completur, quam Chriſtus in Prophetæ labris repoſuerat, iam olim hanc ſuam peregrinationem dilucidè demonſtrans, Iſai. 9. & per eius linguam intonans: *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur ſimulacra Aegypti à facie eius*, ipſi gloria, & imperium in ſecula, Amen.

Eiuſdem contra Iudæos de Saluatoris aduentu demonſtratio.

ORATIO XXXVIII.

B CVm multa ſint ex legalibus, ac propheticis ſcriptis de Saluatoris aduentu teſtimonia, quæ quòd negare nequeunt, qui inter Iudæos cordati ſunt, venturum ipſum aſſerunt, nondum veniſſe: decens eſſe duximus ex Archangeli Gabrielis verbis: quæ cum accurata ratione temporum dicta ſunt ad Prophetam Danielem in eo viſo, quod ei obiectum eſt in anno primo regni Darij filij Aſſueri de Medorum ſanguine, qui Rex fuit tempore regni Chaldæorum, quod viſum decimum fuit, demonſtrationem eis texere: Vt expleto tempore ſub Auguſti Imperium Chriſtus oraculis Prophetarum prædictus, peregrinatus, & in crucem ſuffixus expleuit omnia de ſe ab Angelis & Prophetis ſcripta, quò Archangeli teſtificationem fortè reueriti deſinant exſpectatione vana pendere. Nam cùm Propheta Daniel fuerit vnus ex ijs, Matt. 13. qui deſiderarunt Saluatorem noſtrum videre præſentem de quibus Dominus noſter ait: *Multi Prophetæ, & iuſti cupierunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ* C *vos auditis, & non audierunt*. De quibus & Apoſtolus Pe- Epiſt. 1 c. 1. trus in Catholica dicit: *Scrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti, prænuncians eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias, quibus reuelatum eſt, quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea.* Hic enim Daniel perquam accuratè præſtitutam ſeptuaginta annorum legem, captiuitatis ſuæ explicauit, & putans expletum tem- Pſal. 67. pus prophetiæ Dauid de eo, de quo dixerat: *Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem*. Qui de captiuitate Pſal. 125. c. 61. Dauid plenus ſpiritu ſic orabat: *Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro*. Similiter & Iſaias in perſona Saluatoris dicebat: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me, ad annunciandum pauperibus miſit me, vt prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem*. Quæ de captiuitate animarum noſtrarum dicta ſunt. In ieiunijs igitur, & ſacco, & in cinere ſupplicabat quaſi iam expleto noui teſtamenti tempore, ac Saluatore ipſo pere- D gre venturo, nec non eorum captiuitatem auerſuro. De hoc igitur ei per viſionem reuelatum eſt, & rerum, temporumque ſeries exacta, quorum notitia neceſſaria eſt. Dan. 9 Quæ verò ad viſionem ſpectant, ita ſe habent: *Et ecce vir Gabriel, quem videram in viſione à principio citò volans, tetigit me in tempore ſacrificij veſpertini. Et docuit me, & locutus eſt mihi, dixit, Daniel: Nunc egreſſus ſum, vt docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo: ego autem veni, vt indicarem tibi: quia vir deſideriorum es, tu autem animaduerte ſermonem, & intellige viſionem. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & propheta: & vngatur Sanctus Sanctorum. Scito igitur, & animaduerte ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Hieruſalem vſque ad Chriſtum Ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt, & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt. Et ciuitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo, & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.* E *Confirmauit autem pactum multis hebdomada vna, & in medio* 319. *hebdomadis ceſſare faciet altaria, & ſacrificia vſque ad pterygium ab exterminio, & vſque ad conſummationem, & libamentum, conſtituet exterminium. & firmabit pactum multis hebdomada vna, & in medio hebdomadis deijciet hoſtia, & ſacrificium & erit in templo abominatio deſolationis: & vſque ad conſummationem, & finem perſeuerabit deſolatio.* Quare ſcitu neceſſarius eſt ſermo, qui egreſſus à principio orationis eius, vt ſciant de quo exierit Angelus docere eum, ac de quo dicat compleri tempora. Porrò ad hunc modum ſe habet oratio. *Et oraui Dominum Deum meum, & confeſſus ſum, & dixi: Obſecro Domine Deus magne, & terribilis cuſtodiens pactum, & miſericordiam diligentibus te, & cuſtodientibus mandata tua. Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & receſſimus, & declinauimus à mandatis tuis, ac iudicijs.* c. 9. Quandoquidem de pacto cum ijs, qui Deum diligunt, quique eius mandata ſeruant inito * quod pactum ſacri Chriſti F ſanguinis aſperſu perfectum eſt, de quo & Apoſtolus dicit: *Et ſanguinis aſperſionem melius loquentem, quàm Abel*: Hebr. 12. & de veteri, quod per Moyſem datum eſt Iudæis, *quod per* Hebr. 9. *ſanguinem taurorum, & hircorum, & cinerē vitulæ aſpergebatur*, quo tam oblito in capite orationis ſuæ ſupplicatione vſus eſt Daniel. Sermo enim egreſſus de ore ipſius Danielis erat pacti cum diligentibus eum, quod Nouum vocauit Dominus per Prophetam dicens: *Ecce dies veniunt di-* Ier. 31. *cit Dominus: & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus Nouum: non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus veſtris in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti: pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos dicit Dominus: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Et poſt pauca: *Quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* De hoc igitur nouo fœdere ad Danielem dicit An- Dan. 9. gelus: *Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo*, hoc eſt, de te. *Ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es*: deſiderans, inquit, Chriſti præſentiam videre: *Tu autem* G *animaduerte ſermonem. Animaduerte*, inquit, *ſermonem egreſſum* de ore tuo. *Et intellige viſionem.* Spiritaliter, inquit, *in-* Pſal. 67. *tellige* omnium ſecundam animam captiuitatem, quam redimet, qui venit in cruce, quam dixit Dauid: *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam*, hoc eſt L VI. anni præfiniti ſunt populo Iudæorum. Quod ſi pœnitentiam non egerint in aduentum Saluatoris ciuitate ſua olim ſancta, peribunt. Gratiam autem conſequentem credentes in Saluatorem refert ordine Angelus hocce modo: *Vt cōſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum.* Peccatum intelligit, quod ab Adamo vſque ad Saluatorem regnum in nos tenuit, quod lex tollere non valuit, ſed ipſe Saluator ſancto pro 1. Pet. 2. nobis liuore nos ab eo liberauit: *Eius enim liuore ſanati ſu-* Rom. 8. *mus.* Quod nos vt edoceret Apoſtolus ait: *Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus Filium* H *ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.* Quod autem cæteras quoque iniquitates noſtras ab Adami condemnatione, & quidquid iniquè geſſimus lauacro regenerationis obliteraturus e- Coloſ. 2. rat, vt Apoſtolus loquitur: *Delens, quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci*, ad eum modum dicit Angelus: *Vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas.* Deinde ipſius Domini declarat exortum cum dicit: *Et adducatur iuſtitia ſempiterna.* cum nulla ſit alia à Saluatoris iuſtitia ſempiterna. Quemadmodum dicit Pſal. 84. Dauid de templo ſancto ſuo, quod erit ex ſemine ipſius Dauidis, & copulata cum templo Deitate: *Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit.* Proſequitur An- Dan. 9. gelus: *Et impleatur viſio, & prophetia.* Viſiones autem, & prophetias impleri finem ſortiri intelligit in aduentu Saluatoris. Iterumque de Saluatore verba facit: *Et vngatur ſanctus ſanctorum.* Hanc enim de Saluatore prænun- Pſal. 44. cians vnctionem Dauid aiebat: *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti*

A Pſal. 44. *iniquitatem; propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*: Et rurſus: *Inueni Dauid ſeruum meum: oleo ſancto meo vnxi eum.* Quemadmodum & ipſe Saluator de ſe per Iſaiam Prophetam dicit: Iſai. 61. *Spiritus Domini ſuper me, eò quod vnxerit Dominus me, ad annunciandum manſuetis miſit me, vt prædicarem captiuis indulgentiam.* Deinde, quæ ad pactum faciunt, cuius in orationis ſuæ procemio meminerat Daniel, repetens Angelus ait: Dan. 9. *Scito, & animaduerte ab exitu ſermonis tui reſponſum eſſe*: hoc eſt, vt exactam Noui teſtamenti rationem teneas, & alios doceas. Tum ipſi accuratè tradit tempora. Nam cum ædificata à Salomone Hieruſalem, vti Hieremias Propheta denarrat, euerſa eſſet à Nabuzardam coquorum regis Chaldæorum principe, eſſetque iterum ſecundum eiuſdem Hieremiæ prædictionem actis in captiuitate annis LXX. exædificanda, ait Angelus: *Et ædificetur Hieruſalem*, ſiue poſt ædificatam Hieruſalem vſque ad Chriſtum ducem hebdomades VII. & hebdomades LXII. erunt. Sexaginta nouem igitur hebdomades dixit Angelus vſque ad adſcenſionem Saluatoris, & hebdomadam vnam alteram Iudæis B attribuit, vt redirent, ad ſaniora: conſpicerent videlicet poſt reſurrectionem ſignis, & prodigijs, vt ea ſaltem ratione credere inducantur. Quod & ipſe Saluator dixit Iudæis, Ioan. 4. *Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis.* Quæ igitur ante, & poſt reſurrectionem ventura erant deinceps ſic enarrat Angelus: Dan. 9. *Conuertet, & ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum.* Illud autem *Conuertet* pro *Viſitabit* dicit. Quod autem Deum *Conuertere* ſignificet Scriptura eum *Viſitare*, diſcere eſt ex Prophetis, ac potiſſimum ex Dauide. Sic enim loquitur pro populo ſupplicans: Pſal. 89. *Conuertere Domine vſquequo, & deprecabilis eſto ſuper ſeruum tuum.* Iterumque veluti ſi pro vinea, pro ſe rogat: Pſal. 79. *Domine Deus virtutum conuertere: reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam.* Sic & Angelus illud *Conuertet* vocat *Viſitare*, & quæ poſt captionem Veſpaſiani æuo futura ſunt, intelligit. Deſerta namque domo cum exteriori munitione Saluator ſecundum veriſſimas voces ſuas: Matt. 23. Matt. 24. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Item: *Non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur* . . . . . .

C . . . .

locum quendam extra pomerium fuiſſe, quem Caluariæ locum appellitabant, in quo mulier quædam cornutum fœtum enixa eſt, quo è ſigno nonnulli dixere eo loco domum regiam futuram, quod & ſucceſſus docuit. Nam cum dignatus fuiſſet in crucem agi Dominus, & ſepeliri, & ad vitam reſurgere in loco, qui Golgotha indigitatur, illic & ſancta Dei conſtituta Eccleſia in hodiernum vſque diem refert ſalutaria Chriſti myſteria crucis, & reſurrectionis, eſtque Saluatori cognominis. Inſuper ex Iudæorum cabala Adæ cranium aiunt ibi repertum, idque Salomonem pro ſupereminenti ſua ſapientia dignouiſſe. Cuius rei gratia eum locum Caluariæ nomen retuliſſe ferunt. Illud verò: Dan. 9. *Ædificabitur platea, & muri*: templi plateam ſignificat, & murum appellatæ Æliæ, quem eodem in loco Ælius Titus ædificauit poſt excitati templi euerſionem, & captiuitatem muri, quem L. annorum D ſpatio ædificauerant, vt Ioſephus ſcribit, Veſpaſianus deſtruxit vrbe capta. Porrò illud: *Conſummabuntur tempora*, indicat in hoc rerum ſtatu futuros Iudæos vſque ad conſummationem temporum. Tum ſupertexit Angelus, quę ad paſſionem Domini pertinent, & per paſſionem arcæ diſſolutionem, & ſacrorum in ea reconditorum, eiuſque cornu, quo reges, Prophetæ, populi iudices vngebantur, deinde quid Iudæis, qui Chriſtum cruci affixerunt, eſſet obuenturum, dicit enim ſic: Dan. 9. *Poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt.* Cornu dicit quo reges, & Prophetæ, populi ciuitatiſque iudices vngebantur. *Et ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo.* Ducem venturum Saluatorem appellat. Ac de ijs, qui Chriſtum dederant in crucem hunc in modum pronunciat: *Et finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.* Bellum Veſpaſiani diluuium vocauit internecinum. Scripturæ mos eſt ſanguinis effuſionem magnum belli diluuium nominare, quod vel ex Danielis Dan. 11. viſo condiſcimus. *Filij autem eius prouocabunt multitudinem*

E *exercituum plurimorum, & veniet properans, & inundans.* Et poſt pauca dicit: Dan. 11. *Et veniet fertilitas, & confirmabit regem in munimentis, & brachio inundanti inundabuntur.* Iterumque ad *diligentes Deum, & cuſtodientes mandata eius*, illata de eo Dan. 9. pacto mentione dicit: *Et confirmabit pactum multorum*, Hebdomas vna. Nam vſque ad annum ſeptimum poſt adſcenſionem Saluatoris crebris catenatiſque malis Iudæos inuadentibus, multi animaduerſa vltione diuina crediderunt in Saluatorem, & in Nouum teſtamentum bone animati Scripturam illam vſurpabant. Pſal. 57. *Si vtique eſt fructus iuſto: vtique eſt Dominus iudicans eos in terra.* Itaque Apoſtolorum prædicationi adhærentes Baptiſmum peccatorum expiationem, & iniquitatum obliterationem iuxta Angeli narrationem ſunt indepti. Quos vna cum ijs, qui poſtea in Saluatorem crediderunt, Dauid deprædicat: Pſal. 31. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Deinde ſic Angelus dicendo prouehitur: Dan. 9. *Et in medio hebdomadis ceſſare faciet altaria; & ſacrificia vſque ad pterygium ab exterminio, & vſque ad conſummationem & libaminum conſtituet exterminium.* Dicere verò, F *In medio hebdomadis*, in qua aras abrogabit, & victimas, ſic euenit. Nam poſt Saluatoris adſcenſionem Tiberio demortuo ſucceſſor imaginem Auguſti Hieroſolymis poſuit, ſuper quo bella multa Iudæis mouentibus, eos cum debellaſſet Caius, Iudæorum aras funditus demolitus eſt, & victimas, quæ ex lege fiebant, cum pterygio ſuſtulit. Pterygium verò ſummi Pontificis ſtolam, ſiue Diploidem appellat. Titi enim anteceſſores cum eam ſtolam vectigalem facerent, ac proprio ſigillo communitam ſeruarent ab iniuria, quibuſque ita collubitum eſſet, eam redimerent: Titus ſuo aduentu eam ſuſtulit ipſum ſolum adorari volens. Ac ne fruſtra rerum ſuarum vnquam redintegrandarum ſpes vlla Iudæis fieret reliqua, adiecit Angelus: *Dum delebuntur vſque ad conſummationem.* **Per lætum animi Titum loquitur addens: *Et libaminum exterminij.* Vtque verbis plus addat roboris reſumit Angelus, quæ ad hebdomadem pertinent, & ad dimidium hebdomadis adijciens hiſtoriam de imagine, quam in templo ſancto ipſorum G conſtituit, vtque adoraretur, perfecit. Hoc enim & abominationem deſolationum vocauerat Angelus, quia hoc abominati ſunt aliquando deſolati Iudæi. Hoc enim deſolationem vocauit, quemadmodum & ipſe Saluator de ea locutus eſt: Matt. 24. Marc. 13. *Cum autem videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta ſtantem in loco ſancto*: ſcitote, quia prope eſt deſolatio ipſius. Significans autem Angelus quando ea ipſis eſſent obuentura verba iterat: Dan. 9. *Vſque ad conſummationem temporum, & finem perſeuerabit deſolatio.* Et hic conſummationem appellat Iudæos deſolatos. Quando enim Ieremias prædixit priorem ætate Nabuchodonoſoris captiuitatem, tempus quoque reditionis illis manifeſtauit: *Quando completi fuerint ſexaginta anni Babyloni*. Archangelus autem Gabriel, ne temerè eſſent in expectatione, nullam illis ſpem reliquam fecit, dum dixit: *Vſque ad conſummationem temporum, & finem perſeuerabit deſolatio.* Hæc enim, illos Deo deſerente, euenerunt, quòd in Chriſtum ſceleſtiſſimè ſe impiauerant, H quemadmodum quoque Dauid de tali ipſorum impietate vaticinatus eſt: Pſal. 2. *Adſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* Eorum verò deſertionem nefarij iſtius facinoris cauſa deinceps ſic profert: *Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum. Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira ſua: & in furore ſuo conturbabit eos.* Quemadmodum etiam Dominus noſter per Ieremiam Prophetam prædixit, de tali ipſorum deſertione: Ierem. 12. *Dereliquerunt terram meam, diuiſerunt hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum ipſius.* Cum pro mea virili demonſtrauerim completa eſſe omnia, quæ de Chriſti præſentia Gabriel Archangelus dixerat, deque ijs, quæ poſt adſcenſionem eius contigere Iudæis, neceſſarium quoque eſt noſſe ea ætate reges, qui fuerunt poſt annos LXX. in captiuitate expletos vſque ad ædificationem Hieroſolymitanæ vrbis LXIX. hebdomadas ad Chriſtum vſque ducem porre-

A ctas, & alteram vnam hebdomadem, in qua futura erat abbreuiatio de Iudæis, & Hieruſalem, qua ratione dixit
Dan. 9. Angelus: *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam*, & cætera. Ita verò ſe res habet, vt in vndecimo volumine hiſtoriarum de antiquitatibus Iudaicis proſequitur Ioſephus. Cyrus Aſtyagis ſucceſſor cuius æuo Bel proſtratus eſt & draco exſterminatus, cum primo regni ſui anno de captiuitate Iudæos exemiſſet, præcepit eis, vt Hieruſalem ædificarent largito quoque in ædificationem pecuniario ſubſidio. Hoc verò anno Babylone occidit Daniel iuxta vocem Angeli hyſſinis amicti. Ad ipſum enim inquit: *Et tu Daniel veni huc, & quieſce: adhuc enim dies & hora antequam compleantur omnia*, quemadmodum de eo dicitur in principio tertiæ viſionis: *Et erat Daniel quaſi anno tertio Syri regis*. Hoc igitur anno ædificare exorſi ad mortem vſque Syri in ædificatione perſtiterunt, ſuntque anni XXX. Regnum verò obtinente Cambyſe eius filio ex indignatione principum di-
B latione intermiſſa eſt exſtructio per annos ſex. Similiter eo regnante, qui Maguſæus dictus, res per annum iacuit. Altero verò anno regis Darij poſt Maguſæum iterum ad opus Zorobabelis hortatu conuerſi templum perfecerunt anno IX. Darij, menſe ſecundo, XXIII. die. Cuius templi ædificationis tempora in vnum reuocata XLVI. explent annos, hac ratione. Syri anni XXX. Cambyſis VI. Maguſæi annus I. Darij anni IX. Cuius non ignari
Ioan. 12. Iudæi dicebant Saluatori: *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* Poſt exſtructionem templi cum alteros XXVII. annos Darius ſuperuixiſſet, perdurarunt in exſtruendis muris anterioribus. Porro circumuicinæ vrbis Hieroſolymitanæ gentes non ſolùm obſtabant muri iſtius molitioni, & quæ ſtabant ædificata, ſubuertebant, ſed & continenter eos diripiebant, & captiuos abducebant, & necabant ad quintum & viceſimum annum regni Xerxis. Nehemias autem genere Iudæus pincernatum regis Xerxis princeps
C cum exiſtens in Perſide id cognouiſſet de Iudæis, qui peregrinabundi illuc aduenerunt, orauit regem Xerxem anno quinto & viceſimo ipſius regni liceret ſibi Hieruſalem iure, & muri reſtantia ædificare. Facta poteſtate ea loca defendens muros abſoluit contento admodum labore octauo & viceſimo anno Xerxis regis, menſe nono. Sic vt ad exſtructam de integro Hieruſalem anni ſunt omnino C. ad hunc modum. A primo anno Cyri ad nonum vſque Darij annum, cum perfectum eſt templum acti ſunt anni XLVI. vt antè eſt expoſitum. A decimo verò Darij vſque ad XXVIII. Xerxis anni ſunt LV. ſubductu trimeſtri. Similiter de Ioſephi ſententia centeſimo anno ſtetit ædificatio Hieruſalem. Ab ædificatione verò Hieruſalem ad aduentionem Saluatoris anni ſunt quadringenti octoginta tres. Idque cum Angeli verbis con-
Dan. 9. gruit: *Vt iterum ædificetur Hieruſalem vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt*, quę ſic explanantur: Poſt reſtauratam Hieruſalem regnauit Artaxerxes Longimanus annos XLI. Ac vt Ioſepho viſum, hic ille eſt, qui Heſter duxit Mardochæi filiam, quo regnante in crucem ſublatus eſt Amanes. Poſt hunc Xerxes bimenſe tenuit imperium, & dierum ſeptem, Sogdia-
D nus ſeptem menſes regnauit, Darius Nothus annos XIX. Artaxerxes Cyri iunioris frater annos XL. Ochus cognominatus Artaxerxes annos XXV. menſ. VII. Arſes Nothus annos IV. Darius, quem Alexander ſuſtulit, annos ſex. Compoſita octo regum Perſarum imperia conficiunt annos CXXXVI. ab ædificatione Hieruſalem. Alexander peremto Dario annos XII. imperauit. Ptolomæus Lagi annos XX. Hic abduxit captiuos in Ægyptum Iudæos. Philadelphus annos XXXVIII. hic ſolutis Iudæorum captiuis libros Hebraicos incenſo ſtudio curauit in Græcam linguam tranſcribi. Euergetes annos XXV. Philopater annos XVII. Epiphanes annos XXIIII. Philometer annos XXXV. Euergetes alter annos XXII. Soter annos XXXVI. Dionyſius annos XXIX. Cleopatra Dionyſij filia annos XXII. Omnes ab Alexandro, ex quo Darium ſuſtulit colliguntur Ptolomæorum anni CCLXXXVII. Reges Romanorum,

Auguſtus annos XLIII. Hoc regnante Chriſtus ſecundum carnem genitus eſt, anno XXIX. regni ipſius. Tyberius Cæſar regnauit annos XXII. Decimo verò octauo anno regni ipſius expleto redemptionis opere Saluator crucifixus ſurrexit à mortuis, & adſumptus eſt poſt CCCCLXXXIII. annos ab ædificata Hieruſalem, ſecundum Angeli prophetiam poſt hebdomadas annorum ſexaginta nouem, hoc modo. Ab anno primo Cyri Aſtyagis ſucceſſoris, cuius æuo Bel proſtratus eſt, & draco exterminatus ad ædificationem Hieruſalem anni C. Ab ædificatione Hieruſalem vſque ad cædem Darij anni CXXXVI. Ex quo Darius cæſus fuit vſque ad Auguſtum anni CCLXXXVII. Auguſti poſt necem Cleopatræ anni XLIII. Nam ante eius mortem tenuit imperium annos III. Ideoque nonnulli autumant regnaſſe annos XLVI. Tiberij Cæſaris anni XIIX. Nam decimo octauo eius anno Dominus adſumptus eſt in cælum. Sic ab ædificatione Hieruſalem vſque ad Chriſti adſumptionem ſunt anni CCCCLXXXIII. hebdomades annorum LXIX. A reſurrectione verò Saluatoris ad tertium vſque Caij annum altera vna hebdomas. Ita vt hebdomades annorum LXX. ſint aptiſſimè cum Angeli vaticinio. Hæc enim hebdomas eſt, quam dixit: *Confirmabit* Dan. 9.
autem pactum multis. Hæ ſiquidem ſunt hebdomades dictæ ad conſummationem peccatorum eorum. Vt ſi velint audire vocem tubæ Domini noſtri Ieſu Chriſti facilè deleantur cuncta ipſorum peccata, & iniquitates. Si non admiſerint ſalutarem eius doctrinam, tunc gratiam doni cœleſtis tranſituram ad gentes, quæ ſanctę eius vocationi morem geſſerunt. Sicut & ipſe Saluator voce Prophetæ dixit: *Et dixi, audite vocem tubæ & dixerunt: Non audiemus. Ideo* Ier. 6.
audierunt gentes, & qui paſcebant greges eorum. Nam antequam CCCCLXXXIII. anni complerentur, commiſeratione motus in eos Saluator diſcipulos ſuos nonnunquam ita cohortatur: *In viam gentium ne abieritis, & in ci-* Matt. 10
G *uitates Samaritanorum ne ingrediamini. Sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* Suæ verò matri tempus veniæ Iudæis oſtendendæ hac aperiebat ſententia: *Nondum venit* Matt. 15.
hora mea. Nonnunquam Syrophœniſſæ dicens: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Nonnun- Matt. 15.
quam: *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* Nonnunquam ſuper vrbe Hieroſolyma illachrymans eam alloquebatur: *Si cognouiſſes, & tu, & quidem in hac die* Luc 19.
tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quis eorum tandem futurus eſſet exitus, cum lachrymis profectò lamentabilibus pronunciabat: *Hieruſalem, Hie-* Matt. 21.
ruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti. Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. Vbi verò cognouit veniæ tempus vnius horæ terminis concludi eos ad ſe venientes cum Iuda, & ſatel- Matt. 26.
litibus ſic alloquitur: *Tanquam ad latronem exiſtis cum gladijs, & fuſtibus comprehendere me. Quotidie apud vos ſedebam docens in templo, & non me tenuiſtis. Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Ideoque ad Patrem dicebat ipſe: *Pater,* Ioan 17.
venit hora, clarifica Filium tuum. Nam Iudæi poſt ſanctam reſurrectionem expletis annis quadringentis octoginta tribus cum pœnitentiam agerent nullam, ſanctis ſuis diſcipulis ita præcipit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* Matt 28.
H *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Quod compleri temporis myſterium cognoſcentes diſcipuli dixerunt Iudæis: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quo-* Act. 13.
niam repellitis illud, & indignos vos iudicatis vita æterna: ecce conuertimur ad gentes, ſic enim præcepit nobis Dominus. Facta igitur ex Archangeli Gabrielis doctrina demonſtratione de manifeſta Vncti præſentia, à vana exſpectatione, qua fallunt ſimpliciores, Iudæi pendere deſinant.

A

Patris noſtri Baſilij Epiſcopi Seleuciæ in ſanctiſſimæ Deiparæ Annunciationem.

ORATIO XXXIX.

QVi ſanctiſſimam Virginem Deique matrem collaudaturus eſt, plurimam laudum materiam inueniet. Sed ego propriam infirmitatem cognitam habeam, vt rerum magnitudini imparem, diu animo perculſus id facere ſuſtinui. Veluti enim ſiquis oneroſa ſarcina prægrauis in æquor etiam immenſum ſupra vires iuſſus dare ſe non ſine animi reluctantis certamine refugit: ſic ego peccatorum oppreſſus pondere cunctanter eiuſmodi orationum materiam ſumo, negotium id eſſe arbitratus hominum perſpicaciſſimorum, quique à corpore, & animo ſinceré expurgati, necnon emicatione quadam diuinæ gratiæ affatim illuminati debitam Dei matri laudationem plené concinnent. Verùm mihi hinc nulla loquendi libertas parta eſt. Neque enim, vt Iſaias Seraphinorum contemplator cœleſti carbone mihi labia expiata ſunt, neque ſpiritales pedes calceorum vinculis exſoluti, vt S. Moyſi. Vbi tales etiam videre eſt non ſine animi æſtu ac perturbatione ſubire res arduas. Quemadmodum magnus ille Moyſes, manſuetudine ſupra cunctos mortales euectus, à Deo vocatus, miſſuſque ad libertatem populo reſtituendam, diu tale munus detrectauit, magna licet oſtenta, cæloque miſſa ſupernæ opis affuturæ pignus accepiſſet, licet etiam poſtquam ex Ægypto emigrauerat, maiorum miraculorum acceſſione fuiſſet animatior: ſiue cum virga pulſatum mare viam populo dedit vel ſiccis pedibus, fluxaque marinæ aquæ natura exæquatis rupibus adſimilis murorum in faciem vtrimque ſtetit pro firmiſſima ſtatione: ſiue cùm ſicciſſima rupes & humore vacua eiuſdem virgæ percuſſione fluuiatilium aquarum abundantia ſolitudinem inundauit: ſiue cùm rurſus amararum acerbitas vndarum iniectu ligni exuta eſt dulcitudine conciliata: ſiue cum inſperato pane cælitus pluit, & innumerabilis multitudo alta eſt, & ſatiata: ſiue cùm præter hæc, alia per eum facta ſunt humana cogitatione maiora. Et poſt tot experta miracula, cùm Sinæum montem ſuperare iubebatur ſcriptas Dei digito tabulas excepturus, alios procul à pede montis ſubmotos manere iuſſit, quamuis à mulierum conſuetudine pridem eſſent expurgati, ſancti verò tabernaculi miniſtros à plebis ſocietate ſegregatos paulùm permiſit adſcendere, ac ſupra hos ſacerdotes aduocauit, ſubiectos edocens quanta ſacerdotalis & ordinis, & ſtatus ſit excellentia, omnibus autem celſiorem, extra caliginem tamen, Aaronem, quod eſſet Pontifex, conſtituit: ipſe ſolus interim propior Deo fit, rerumque cæleſtium decentem ordinationem ex eo diſcit, data lege, vt eas rudi modo commonſtraret. Et hic tali, tantaque virtute vir audiens tubarum, ac tonitruſ ſonum, fulgetrorum, aliorumque terrorum experiens, ſic mente cunfuſus perturbatuſque animo eſt, vt impotens animi pàlam omnibus faceret, quanto verſaretur in metu, ac trepidatione. Hæc illi Moyſi euenerunt, qui in ſpecie, non in ænigmate Deum audiebat loquentem, qui in facie ad faciem cum Domino ſermonem miſcebat. Me verò Dei matri laudem afferre volentem quantus timor, vti par eſt, circumſtare debeat? ne à veritate aberrem, neue per imprudentiam, dum eam dictis ornare me autumo, quidquam quod dedeceat effutiam. Neque enim mihi propoſitum eſt in montem ſenſilem, aut fuſam ſupra terram nebulam penetrare, neque pulcherrima æthereis luce circumfulgere: ſed, qua fas eorum pulchritudinem ſuperuadere, & cæleſtibus orbibus propiùs admoueri. Neque verò omnium honeſtiſſimus hic ſtabit impetus: ſed vlteriùs, quoad potero, emergam fretus ope Spiritus ad diuina promouentis, choroſque & ſtationes Angelorum percurram, & eorum ordinum principes ſimul relinquam, euehar ſupra thronorum adſpectum longè iocundiſſimum, ſupra honoratam Dominationum excelſitudinem, ſupra Principatuum ducatum, ſupra latè explicatam Poteſtatum maieſtatem, præterea ſupra præpotentem diuinarum Virtutum vim, ſupra puriſſimos, & oculis creberrimi perſpicaciſſimos Cherubinos, ſupra Seraphinorum ſenis alis inſtructorum motionem quaquauerſus expeditiſſima: ſiqua quoque creatura alia hiſce ſuperior: nequaquam ibi ſteterit animi curſus. Verùm ſi fas eſt homini carnis vinculis colligato curioſiſſimos mentis oculos, eoſque inconniuentes audaciter defigere in delibatum de gloria Dei Patris ſplendorem, Filiumque coæternum, qui vero circumfulget & manifeſtatur lumine, agnoſcere: inde ſumam initium laudationum Dei matris, vnde ipſa talis eſt, & appellatur. Age verò, ecqua ſublimior materia eſſe poteſt, præterquàm hæc eſt? Nihil certè inter diuina, & humana medium proferet quis, aut cogitabit. Vt enim non in facili eſt Deum noſſe, aut eloqui, immò ex eorum numero, quæ fieri minimè poſſunt: ſic magnum Deiparæ ſacramentum omni ratione celſius eſt, & oratione. Quando igitur Deum incarnatum enixa Deipara dicitur, ad Deum precationis ope dirigar, vt verba mihi præbeat: Domine omnipotens, totius vniuerſi rex, qui inexplicabili quadam ratione mentes incorporales ſpiritali luce perfundis, mentem meam illumina, quo propoſita res abſque errore cognoſcatur, cognita piè dicatur, dicta ſine periculo animo capiatur. Triplex namque ſubit periculum, qui de Deo verba facere conntitur: vel enim mens illuminata non eſt, vel ſine viribus oratio, vel audientia claudicat. Ac vos condignè purgatis ſenſibus me de Deo verba facientem pro Dei dignitate audite. Deus quod ſit, credi debet. Nam quo latius humanus animus ſe diffundit, tantò clariùs deprehendit intelligentiæ ſuæ inſcientiam. Ac ſi quid magnificentius dicere contendat infra veritatem erit. Quis enim cognouerit, quem cogitatione nequeat adſequi? quis eum, qui enunciari non poteſt, enunciet? quomodo animatus à Deo limus, ſuæque ignorans animæ ſubſtantiam, Deum, qui animam inhalauit, comprehendat? Nequaquam igitur, qui Deum venerari didicit, Quid ſit Deus ſuperſtitioſe anquirit: quin potius ex rebus conditis Dei notione in animum transfuſa Deum eſſe ſecum deputat: *A magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri*, qui eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, mundi origo expers originis, prædiue ſemicantis lucis fons, venuſtiſſima præ omni ornamento pulchritudo, Trias in Monade cognita, & Monas in Triade veneratione numinis affecta. Huius ſupremæ gloriæ ad imaginem factus homo ſtricturis diuinam lucem præferentibus opulentus erat: peccati proluuies talem ſplendorem hebetauit, & in pecuinam ſpeciem nos transformauit, quod & alibi loquitur hymnologus ille Dauid: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Vel potius ex eorum quoque adſimulatione, iuxta illud Scripturæ excidit: *Cognouit bos poſſeſſorem, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Multis verò modis nos ad ſapientiam officiumque prouocati vitam in melius non retulimus, deteriori conſuetudine oblectati. Et his à nobis admiſſis Dominus ſeruos auerſatus non eſt, ſed recordatus miſerationum ſuarum, qui earum obliuiſci non poteſt ad nimiam in homines caritatem expromendam permouetur iuxta Scripturam. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit gratia.* Nos enim deſperatos vt vidit, & nihil ex opibus adeſſe præſidij, immò verò præſentem ex iis profectam eſſe perniciem nihilque ſupereſſe reliqui, quod in nihilum exoleueramus: nobis compaſſus eſt, ſi hoc de illo dicere licet, cui ingenitum eſt non pati, & iras iure debitas in caritatem vertit indebitam. Quare emiſit imaginis autorem, vt imaginem obliteratam bonitatis ſuæ coloribus reformaret. Idcirco formam cepit ſerui, qui in forma Dei erat, quo iniquitatis mancipia in libertatem adſerta ad priſtinam nobilitatem reduceret, & cæleſtis Patris filios declamaret iterum ad imaginem ſuam conformatos: *Quotquot* enim *receperunt eum*, inquit, *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Ac ne eorum, qui adſunt, me quis incuſet, vt ad alia nunc deuolutum, quàm antè promiſeram (quibus enim benefacientem laudamus, eius quoque matrem collaudamus) ad ipſam tandem noſtra recurrat oratio.

Marginal letters and notes: B, C, D (left); E, F, G, H (right); Sap. 13.; Pſal. 48.; Iſai. 1.; Rom. 5.; Ioan. 1.

A Cum ergo imaginem repurgare ſtatuiſſet, & carnem immortalitate donare, carnem induit, rem congenerem medicamine congeniti curaturus: fit homo perfectiſſimus, vt homini, quem confirmarat, plenam perfectamque ſalutem afferret. Nam cum generis noſtri primordia propter peccatum fuiſſent prædamnata: altero fuit opus autore impeccabili, & omnifariæ iuſtitiæ perfectore, cuius beneficio totum corpus cum capite reconcinnatum cum hominibus iterum coniungeretur: quemadmodum in Adamo ſumus mortui: ſic in Christo viuamus. Potuit enim is, qui conſilij ſui rationes ſolo nutu perficit, ſalutem conferre ſine Incarnatione: ſed naturam, quæ peccati offenſione deiecta fuerat, in ſeipſa meliorem ſuperioremq; peccato voluit oſtendere, quo peccatum in carne condemnaret, & iuſtitiam ſuam in omnes propagaret, mortiſque dominatorem, hoc eſt, diabolum viribus exhauriret, vt etiam loquitur diuinus Apoſtolus:
Rom. 8. *Nam quod impoſſibile erat legi, in qua infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de*
B *peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur*
Heb. 2. *in nobis. Quia ergo pueri communicauerunt carni, & ſanguini: & ipſe ſimiliter participauit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui mortis habebat imperium, id eſt, diabolum.* Neque enim per ambitionem ad inimici vindictam ſeſe comparauit, qui quòd Deus inacceſſa, & inexpugnabili virtute eſt: verum vt victoriam ſibi adſcriberet deuictus Adamus, ad magnum Incarnationis ſacramentum deſcendit carnis amictu circumſeptus, ac per eam cum iis, qui ex carne conflati ſunt, conuerſatus eſt: vt per quem omnia facta ſunt, per eum cumulatè conſeruentur omnia. Sed fortè dixerit aliquis: Quid ergo? patrumne æuo ante hoc miraculum neglectæ ſunt humanæ res? Nullus dixerim o bone: Iam autè à principio Deus pro genere noſtro curam geſſit, & congruentem doctrinam dedit. Quod dum faceret, per viſas creaturas tanquam per monumenta
C quædam admirandam ſuam Deitatem viam pandebat. Deinde per naturæ legem boni, malique notionem nobis indidit, rationemque dedit ſui dominam, antigandi gnaram, & rectricem peroptimam. Cum vero maiores noſtri rectè inſtitutis vterentur non rectè (nam creatarum rerum pulchritudinem admirati, creatoris honore poſtpo-
Rom. 1. ſito, *ſeruierunt creaturæ potius, quam creatori*, & verſa naturæ lege ad nequitiam naturæ diſſentaneam conuerſi ſunt) dat leges ſcriptas veræ Dei cognitionis magiſtras, & autores vitæ ex virtute agendæ. Ad hæc Iudices, Reges, Prophetas, Sacerdotes ad progreſſionem vitæ melioris. Verum nihilominus ægrotabant hominum animæ, dum magnus ille medicus peregrinabundus adueniret è virgineo emicans thalamo. Ad hanc orationis partem appulſus, & ad miraculi magnitudinem reſpectans præ admiratione mutus ſum, & elinguis: neque enim verbis res exæquare poſſum. Quomodo inopinatū concelebrabo inopinatam illam Incarnationis gratiam? quibus laudibus afficiam fontem caritatis? quomodo profuſæ caritatis in homines flumen prædicabo? quomodo virgineum pelagus audens tentabo, & magni myſterij ſcrutabor altitu-
D dinem, niſi me vt inexpertum vrinatorem, ò Deipara, do-
Ephes. 4. ceas *veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria errorū, deponere?* niſi mentis os miſericordia compleas, quo tui partus fundum penetrem, vt tuæ miſerationis luce circumfulgens in te veritatis margaritum deprehendam. Subuenta, vt veritatem conſequar, vt à te doctus eloqui valeam: non quomodo Incarnatum Verbum pepereris, nam ſupra lumen meum eſt partitudinis tuæ ratio: ſed quòd mater effecta virgo quoque permanſeris, ſicut qui ex te partus eſt, homo verus fuit, & verè maſit Deus, corrigens opus manuum ſuarum. Ipſe enim eſt, qui principio hominem efformauit, qui nouiſſimis diebus per ſe reformauit, qui capto luto Adamum de terra conglutinauit, & ſuo afflatu animauit. Verùm non illis modum ſuę fictionis oſtēdit occupans curioſam eius audaciam compeſcere, quo ignorans luti, animæque compoſitionem, neque ſcrutetur, vt Deus, & caro in vnum coierint, tantummodo ſit afflatus: ne in cælum ſuſtolli audeas, cum de ſolo genitus ſis. Noſce teipſum, vt fictus ſis, vt formatus,

E vt animatus, vt in corpore tuo quod incorporale eſt, inhabitet. Age verò, ſimulne cum omnibus corporis membris porrigitur anima, an vnum duntaxat membrum ambit, atque perficit? Si porrigitur, multum inde abſurdi, corporum enim proprium eſt porrigi, animam autem corporis expertem omnes nouimus: ſi verò contrahitur, hoc altero abſurdius: neque enim duntaxat id, quod ſine corpore eſt, corpus eſſe competietur, ſiquidem in aliquam partem corporis contrahitur: ſed & reliqua membra mortua videre erit viuifico deſtituta ſpiritu. Vides vt comprehendi nequeat horum comprehenſio? quomodo igitur adſequeris, quæ ſupra te? Si namque tui ortus rationem caperes, æquius meam ſcrutareris Incarnationem, vel potius temerè tunc à te id quoque fiat: interminata ſiquidem diſtantia Deum inter, & homines. Quod ſi tua tibi incognita: quid ea facies, quæ ſupra te? Tandem ſapiant qui deſpiciunt, & à Iudaica abſcedant inſania, qui aiebant impoſſibile
F abſque viri ſocietate mulierem eniti? Vtrum enim illis minùs recipi poſſe videtur è muliere progigni, an è terra fingi? virgineum vterum ferre, an terram animari, videre, tari, audire, quodcunque viſum fuerit, facere? Limum Deus olim cepit, & hominem finxit: limum recepit ex virgine (carnem, quæ ex ea, loquor) & pro ſua prudentia ſibi aſſingens homo factus eſt. Quomodo qui primum credunt, ſecundo obloquuntur? Ac in eo quidem Dei conteſtantur omnipotentiam, in hoc verò nihil ei dant ſycophantæ poteſtatis. Ipſe enim eſt, qui & illud arte elaborauit, & hoc innouauit. Quamobrem Deo nihil impoſſibile pronuntietur: nam vbi opus molitur, impoſſibile Deus demolitur. At neque cordatis veritatis arbitris quidquam in humana natura fœdum eſt. Totum enim corpus noſtrum inſtar inſtrumenti nihil ſuopte motu nouit agere, ſed noſtris voluntatibus ſubſeruit: quandoquidem per ipſum anima velut muſicus aut virtutis concentum efficit, aut improbitatis tu-
G multum ciet. Nemo igitur humanum corpus turpe exiſtimet, aut velut à Deo alienum calumnietur: neque enim fictio probroſa eſt, ſed actio damnatoria: non enim peccant oculi, non manus, non partium aliarum vlla, ſed qui malè manu, oculo, alijſque membris vtitur. Quare omnium conditor, & Dominus ex virgine & Deipara natus in humanæ naturæ communicationem venit: carnem enim verè animatam geſtauit, nihil verò iniquè
1. Pet. 2. geſſit: *peccatum enim non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius.* O aluum ſanctā, Deique receptricem! in qua diſruptum eſt peccati chyrographum, in qua Deus factus eſt homo, permanens Deus, & geſtari vtero ſuſtinuit, & ad noſtræ generationis humilitatem ſe deiecit, non exinanito gloriæ patriæ ſinu, quo maternos amplexus oppleret. Non enim in ea, quæ ſponte agenda ſuſcipit, ſeſe patitur Deus: quin potius manens in omnibus indiuiſus ſalutem mundo confert. Equidem Gabriel non ſine cæli deſertione venit ad virginem Dei matrem: at Dei Ver-
H bum omnia complens, dum in ipſa incarnatur, cœleſti adoratione non caret. Vt enim verbum chartæ inſcriptum, in charta totum ineſt, & totum in mente generante, & totum in legentibus: ſic Deus Verbum, melius etiā, quod ipſi Verbo cognitiſſimum eſt, totus proprio corpore, & totus in Deo, & Patre, & implens cælum, & terram ambiens, & creata contrectans omnia. Quis modeſtiam Deo obiectabit? quis ſuſceptam noſtro nomine mendicitatem, per quam cæleſtem regiam & diuitias parare licet, dedecori verterit? Quid aiunt, qui ſuperſtitioſa reli-
Psal. 13. gione laborantes, *trepidant timore, vbi nō eſt timor*, ne quid, quod opinantur, Deus patiatur, cum paſſiones hominum ſine paſſione medicatur, ac ideo credere refugiunt Dei incarnati generationem ventri mulieris eſſe cōcreditam? Hoc Deo honorificentius, hoc modo magis impatibilis demōſtratur, quod & patibili celatus ſit corpore, & quod diuinitatis impatibilitatem oſtendat. Si enim ſolis huius, cum ſordentia fœtentiaque loca contingit, nullius inquinamenti contagione puritas inficitur: quomodo non magis ſol iuſtitiæ in intactam affulgens virginem, & ea per ſanctum corpus delibans impatibilis in ipſo

perſtitit,

Digitized by Google

A

perſtitit, vt Deo dignum eſt? Nam perditis funditus hominibus nullaque facta ſalutis ſpe reliqua, peregrinatio Dei à Prophetis nobis prænũciata fuit, neceſſaria, vt Iſaiã loquentem audire eſt:

Iſai. 7. & Luc. 1.

Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod interpretatur, Nobiſcum Deus. Rurſus:

c. 9

Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & cętera, dum ſequatur, *Pater futuri ſeculi.* Et alibi idem ille rurſus futuram alienatum gentium in Chriſto ſocietatem animo præcipiens ſic effatur:

Iſai. 11.
Iſai. 35.

Tunc habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, vitulus & leo, & ouis ſimul morabuntur. Iterum: *Ecce Deus veniet, & ſaluabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt; tunc ſaliet ſicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Audire eſt & Ieremiam apud Baruchũ vociferantem:

Bar. 3.

Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſthæc autem in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Michæas quoq; hæc loquitur:

B
c. 5.

Et tu Bethleem Ephrata, paruula es in millibus Iuda. Ex te enim egredietur qui ſit dominator in Iſrael: & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. Præter hos Zacharias:

Zach. 2.

Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, dicit Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in illa die, & erunt mihi in populum. Diuinus quoque Daniel ſomnium Nabuchodonoſoris enuncians ſic generationem, quæ ex Virgine refert:

Dan. 2.
Ibidem.

Et videbam ita, donec abſciſſus eſt lapis de mõte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam. Et poſt pauca: *Lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram.* Tum his interpretationem ſomnij inducit: *In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.* Ac rurſum idem:

Dan. 7.

Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum; & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſeruient. Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius quod non corrumpetur. Sophonias autem dicit:

C
c. 2.

Horribilis Dominus ſuper eos, & attenuauit omnes deos terræ: & adorabunt eum viri de loco ſuo. Ac præter hos omnes, vel potius ante hos omnes idem vates, idem rex Dauid clamauit:

Pſal. 75.

Deſcendet ſicut pluuia in vellus: & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terrã: & dominabitur à mari vſque ad mare; & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Et poſt alia: *Sit nomẽ eius benedictum in ſecula; ante ſolem permanet nomen eius; & benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes beatificabunt eum.* Quid verò neceſſe eſt quæcunque à Prophetis dicta, qui præſentiam Chriſti ex Deipara nati prælocuti ſunt, in mediũ adducere? Quæ igitur lingua tam vocalis, quæ pro eius dignitate hymnos perſonet? Siquidem per eam bonis magnis affecti ſumus. Quo laudum flore debitam illi plectemus coronam? Ex ipſa enim flos Ieſſe germinauit genuſque noſtrum gloria, & honore coronauit. Quæ digna ſatis in eam munera cõferemus, cum infra eius dignitatem ſint mundana omnia: Nam ſi de alijs ſanctis Paulus adſerit,

D
Hebr. 11.

Quibus dignus non erat mundus: quid dicemus de Deipara, quæ tanto ſupra omnes martyres exſplenduit, quanto ſtellas præfulgurat ſol? O virginitas, per quam Angeli humanam gentem pridem auerſati, iure meritoque geſtiunt ad hominum ſeruitium deſtinari, & hilaratur Gabriel diuini conceptus nuncio ſibi credito! Quare à gaudio, & gratia ſalutationem auſpicatur:

Luc. 1.

Aue gratia plena, Dominus tecum. Aue gratia plena: lætos ſume vultus: Ex te enim omniũ gaudium naſcetur, qui ſoluto mortis imperio, dataque omnibus reſurrectionis ſpe quietem afferet ab inueterata execratione. *Aue gratia plena,* aue florẽtiſſime virginitatis paradiſe, in quo lignum vitæ ſatum producet fructus omnibus ſalutares, & ex quo euangeliorum fons in quatuor ora ſectus miſerationum flumina credentibus diducet: *Aue gratia plena.* Dei hominumque ſequeſtra conſtituta, vt inimicitiarum parietes intergerini conuellantur, & cæleſtia, terrenaque in vnum coëant. *Dominus tecum:* quia templum exiſtis verè Deo dignum caſtitatis aromatibus bene odoratum: magnus te inhabitabit pontifex, qui ſecundum ordinem Melchiſedechis ſine matre eſt, ac ſine patre; ex Deo Patre ſine matre, ex te matre ſine patre. *Quæ cum audiſſet, turbata eſt in ſermone eius,* hoc eſt, ſuper dicto tam inopinato. Gabriel autem ne inopia conſilij perturbaretur, oratione conſolatoria ignorantiam anteuertit amoliri, & inquit: *Ne timeas Maria;* eorum enim timor eſt, qui quid offenderunt: tu verò *gratiam inueniſti apud Deum.* Deinde commonſtrans gratiam, quæ ſupra omnem gratiam eſt, pergit loqui:

E
Luc. 1.

Ecce concipies in vtero, & paries filium: & vocabis nomen eius Ieſum; hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius; & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dicit autem Maria ad Angelum: *Quomodo mihi fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco.* Nulla abſque viri opera, inquit, conceptus in mulieribus ratio explorata eſt: cum verò puritati ſtudens nihil tale ſim experta, qui poteſt id fieri? Inopinabilis tuus nuncius ægrè credi poteſt. Quomodo abſque ſatu fructum producam? quomodo virgo filium generabo: Iuſta poſtulas, inquit, Archangelus, veniam habeo, ac reſpondeo partim teſtimonio partum adſtruens, partim ipſi modo cedens.

F

Quod igitur noſſe me fas eſt, eiuſmodi eſt. Non ex viri ſatu erit hic conceptus: ſed Spiritus ſancti aduentus, & virtutis altiſſimi obumbratio eam perficiet. Cur ergo naturæ legem eius obijcis autori? nunquid abſque eius virtute poteſt ſatorem tuum ſuſcipere? nunquid vterus tibi cœlo patentior? nunquid mundum, cui ipſum vt capiant, ingenitum non eſt, magnitudine ſuperas: Vicinus eſt auxiliator, *Virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Nam ſi talis virtus te non obumbrabit, eum capere, qui capi non poteſt, minimè poteris: niſi ipſe partus ad propriam partionem conferat operam, limus ſuum fictorem ferre non poteſt. Item quia dixiſti: Quomodo ſine ſatu fructũ producam? hoc animo combibe, quo miraculo credas. Quomodo in prima mundi conditione ſine ſemine tellus fructum effruticata eſt? qui illi fructificandi vim indidit, ad fructum edendum vterum tuum promouebit. Ad illam dictum eſt:

Gen. 1.

Germinet terra herbam virentem; Deique imperium rerum erat exortus, & omnigenis fructibus omnia perornauit, Ad te verò:

G
Luc. 1.

Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoq;, quod ex te naſcetur, ſanctum vocabitur Filius Dei. Incurrens in Angeli ſententiam virgo ait: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecũdum verbum tuum.* Ac deinde, quæ ad conceptum Domini faciebant per vterum virgineum perficiebantur. Quę oratio imperuium conceptionis, quæ ſine viro contigit, pelagus ingredi valeat? Quę mens tam pura, tam perſpicax, quæ inuiſibilia iſta cõtempletur? Et hæc humana voce maiora ſunt: ac reuera diuini cuiuſdam afflatus vltro aperientis harũ quæſtionum exitum. Quomodo natura Verbi, quę nullius opera facta eſt, nec mente capi poteſt, quæque cum nulla creatura communicari poteſt; in quam Cherubini, etſi reliquos ordines ſupereminεant, oculos defigere non audent, quomodo hęc cum infirma, & terreſtri humanitatis natura lubens in communionem venit? Et fuit myſterium, quod in hodiernum vſque diem myſterium permanet, nec vnquam myſterium non erit. Tunc vidit creatura, quod antè viderat nunquam, filium genitricis eſſe patrem, infantem ætate matrem ſuperare, infantem æternitate antiquiorem.

H

Nec enim fuit nudus homo, qui genitus; ſed Deus Verbum ex virgine incarnatum, carne eadem mecum natura ſibi circumiecta, vt ſimili ſimile ſaluaret. Nam ſi alterius naturæ, quàm ego, corpus habuiſſet, ſi meæ carnis particeps non fuiſſet, mihi vitam non eſſet elargitus: niſi meam mendicaſſet naturam, ego regno Dei opulentus non eſſem. Proceſſit igitur Emmanuel in mundum vetus opus ſuum, puer quidem recens apparens, ſed ante æternitatem Deus: in præſepi reclinatus, & diuerſorio excluſus, cum æterna habitacula præparaſſet: in ſpelæo abiectus, & ſtella manifeſtus: à magis muneribus exceptus, & pretium pro peccatis exſoluens: à Simeone in vlnis geſtatus, & diuinæ poteſtatis ambitu cuncta complectens: à paſtoribus infans viſus, & ab Angelorum exercitu pro Deo agnitus, qui eius in cœlo gloriam, in terra pacem, inter homines bonam voluntatem concinebant. Quæ omnia ſancta Domini totius vniuerſi mater, ac verè Deipara *in corde conferens,* vti ſcriptum eſt, rerum admira-

Luc. 2.

A bilium acceſſione exhilarata cumulatiore gaudio intus perfunditur,& ſimul filij, qui Deus eſt, oculis mentique obiecta amplitudine percellitur. Vt igitur diuinum infantem contemplata eſt, deſiderijs reuerentiæ plenis, vt reor, deuincta hæc ſola cum ſolo agitabat colloquia: Quam tibi, fili, congruam appellationem inueniam? hominis? at conceptio tua diuina eſt. Dei? at humanam carnem ſortitus es. Quid ergo mihi tecum faciendum? lacte nutricabor, an Deum conſiderabo? curabo vt mater, an adorabo vt ancilla? circumplectar vt filium, an adorabo vt Deum? Lac indã, an thymiama inferam? Quodnam hoc maximũ, & inenarrabile miraculum? Cœlum tibi ſedes, & te ſinus meus geſtitat: totus præſto es terram habitantibus; & non à cælitibus prorſus abiunctus. Non contigit iſta deſcenſio loci mutatione; ſed diuina fuit condeſcenſio. Deprædico tuam in homines caritatem, non ſcrutor tuam Incarnationem. Videtis quantum per ipſam peractum ſit myſteriũ, quod omnem linguam, cogitationemq; ſuperuadit. B Quis ingentem Deiparæ potentiam non miretur? quis non miretur, quantopere ſuperemineat, quotquot honoramus, Sanctos? Nam ſi Deus ſeruis tantum impartitus eſt gratiæ, vt non tactu ſolum ægros perſanarent, ſed & vmbræ proiectu idem præſtarent; proponebant enim in foro medio ægros, vt Actorum liber edocet, & vmbra Petri morbos depellebat; Pauli verò neſcio quis apprehenſo linteo manuali, & corporis ipſius exterſo odore dæmones vltores abigebat: qualem Matri virtutem ineſſe cogitabimus? an non maiorem multo, quàm ei ſubiectis: cunctis notum. Ecquid mirum ſi viuentes virtute miraculorum pollebant Sancti, quando eorum poteſtatem non vna cum ipſis demortuis humus conſepeliuit? Lapides enim qui horum occulunt corpora, ijs qui malè agũtur, ſi modo pro dignitate acceſſerunt, ſalutem dare poſſunt. Quod ſi his tam rara perpetrare cõceſſit, quale nutricationis pretium Matri dederit? aut quibus ipſam gratijs illuſtrauerit? Si Petrus *Beatus* appellatus eſt. Clauesque regni cœlorum concreditas habuit; C cur nõ præ omnibus vna beata prædicetur, cui eum datum eſt enixi, quem ille confeſſus eſt? Si Paulus Vas Electionis cognominatus eſt, quod auguſtum Chriſti nomen extulerit, quòd vbique terrarũ id euulgauerit: quale vas erit Dei Mater? non aureæ inſtar arcæ, quæ manna cepit, ſed cæleſtem panẽ aluo comprehẽdit; panem alimenti, roboriſque cauſa credentibus datum. Sed caueto, ne dũ de ipſa plura paro dicere, parumq; ex eius dignitate, mihi plus pudoris afferam. Quare orationis vela contraham, & in tutum ſilentij portum referar pauca prius ad vos, qui huc peruenerunt, plura prius ad eos, qui huc conuenerunt, locutus. Cùm multa nobis bona, quæ nullius oratio poſſit adſequi, Deiparæ opera nobis contingant, eam bene mereri vicem rependamus, quæ in nos reciprocetur. Quam? *caritatem* mutuam, *quæ legis plenitudo eſt. Omnis enim lex, inquit in hoc expletur: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.* (Rom. 13.) Nam illud, *Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falſum teſtimonium dices, & ſi quod aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.* Ante D omnia verò corpus Eccleſiæ ſeruemus irruptum retenta concordiæ poſſeſſione inſpoliata. Nec, dum mutua vlciſcimur odia, rectę fidei cauſam nos tueri ſimulemus: nec per cauſam pietatis mali quidquã admittamus: nec ob inhoneſtas capturas à recta doctrina recedamus per damna lucrum captantes, & veritatem nundinantes. Sed ad rectam fidem honeſtas actiones adiungamus; nam alterum ab altero diuulſum non profuerit, vt Deo ſimus accepti. (Iacob. 2.) *Fides enim ſine operibus mortua eſt, quemadmodũ & opera ſine fide.* Vinculo quoque caritatis nobis inuicem colligati tales ante Deiparam voces effundamus: O virgo ſanctiſſima, de qua qui cum laude, grauiterque dixerit, non ille quidem à veritate aberrabit; ſed pro merito haud fecerit ſatis: ſupernè nos reſpice, eſto propitia: nunc quidẽ nos in pace rege; at ſub thronum iudicis ſine pudore adductos in ea ſtatione nos colloca, quæ eſt ad filij tui dexteram, vt in ſublime rapiamur, & pari cum Angelis hymno improcreabilem, eiuſdemque naturæ Trinitatem perſonemus, quæ in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto cognoſcitur, & laudatur nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Eiuſdem Oratio in illud: Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania de Caſtello Mariæ, & Marthæ ſororis eius. Maria autem erat, quæ vnxit Dominum vnguento. Ioan. 11.

ORATIO XL.

MVlti mortales cum viros Deo acceptos acerbum quidpiam pati viderint, verbi cauſa, aut in inualetudinem prolapſos, aut in paupertatem, aut aliquid eiuſmodi, animo offendũtur, ignari quod hæc infortunia ſint amicorum Dei, vel maximè. Nam & Lazarus erat ex amicis Dei, & æger erat. Hoc etiã qui Chriſtum accerſebant, teſtabãtur: *Ecce, quem amas, infirmatur. Erat enim quidam Lazarus languens in Bethania:* Non fortuitò, neque temerè dixit, vnde fuerit Lazarus, ſed ob cauſam, quam mox explicabit. F Interea propoſitum ordiamur. Commodè verò eius ſorores nos condocefecit. *Maria autem erat, quæ vnxit Dominũ vnguento.* Ambigunt hic nõnulli, quomodo talia ſibi à muliere fieri Chriſtus tulerit. Primùm id ſcitu neceſſariũ eſt, quòd nõ ſit hæc meretrix, cuius S. Matthæus meminit, neque illa cuius S. Lucas: hæc enim eſt alia. Illæ enim mulieres meretrices erãt, & multis oppletæ vitijs: hæc mulier grauis, proba: etenim Chriſti humaniter excipiẽdi ſtudio tenebatur. Euidens porrò eſt hanc non fuiſſe illam. Cur illam Chriſtus quoque ſuſceperit, dicit; nempe vt ab improbitate eam abſoluat, vt ſuam clemẽtiam palam faciat, vt diſcas nullam ægrotationem eſſe, quæ illius bonitatem vincat. Quare non hic ſolùm conſideres, quod ſuſceperit, verũ etiam illud animaduerte, quomodo mutauerit. Porro demonſtrat Euangeliſta hanc ſororum propenſam in Chriſtum volũtatem, vtque Lazarum nihilominus ſinat emori. At cur, nõ omiſſo fratre ægro, quod à Centurione, & principe regio factitatũ eſt, ad Chriſtum adierunt? cur alios eò deſtinarunt? Viro maximè Chriſto ſtabat earum G fiducia, & multam cum ipſo familiaritatem cõtraxerunt. Mulieres erant infirmæ & luctu obruebantur. Nam quod ex Chriſti contentione id minimè fecerint, poſtea declararunt. Quamobrem hãc nobis hiſtoriam in memoriam redigit Euangeliſta? Declarat, vt hæc Chriſtum dilexerit, & continenter ait: *Diligebat Lazarum, & ſorores eius.* (Ioan. 11.) Quare nos docet, ne ſi qua viris probis, ac Deo caris obnaſcatur ægrotatio, grauiter feramus. *Ecce, quem amas, infirmatur.* Ad commiſerationem Chriſtum flectere cõnituntur. Adhuc enim vt hominem eum conſiderabant; quod ex hoc dicto manifeſtum: *Si fuiſſes hic, non fuiſſet mortuus.* Neque verò dixit Euangeliſta: Ecce Lazarus infirmatur; ſed, *Ecce, quem amas, infirmatur.* Quid ergo Chriſtus? *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam.* Inſpice rurſus, vt Patris, ſuamque gloriam vnam eſſe dicat. Nam cum Dei gloriam dixiſſet, intulit: *Vt glorificetur Filius Dei. Hæc infirmitas non eſt ad mortem.* (Ioan. 11.) Cum enim biduum illic manſurus eſſet, ipſos interim dimittit, qui nunciabant. Quare ſorores illas admirari eſt, quòd vbi inaudijſſent ægrotationem nõ eſſe lethalem, ipſumque vidiſſent emor- H tuum, contrario rei euentu non ſunt offenſę, & ſine mendacij ſuſpicione ad Dominum adierunt. Neque vocula, *Vt*, hoc loco cauſam deſignat, ſed euentum. Aliunde enim infirmitas obtigit, quam Chriſtus in Dei gloriam vertit. Et hæc locutus *manſit duobus diebus.* Qua de cauſa *manſit*? *manſit*, dum ſpiritum exhalaret, & ſepeliretur: ne quis dicat, Quòd eum necdum mortuum exſuſcitauerit, Quod corporaliquis pertinax, nõ mors obrepſerit. Ideo moram traxit, dum fœtere dicatur, Diſcipulis dicit: *Eamus in Iudæã.* Cur cùm nuſquam profectionem prædicat, nunc prædicit? ne repente totos exſternaret. Dicunt ei: Cum ibi paulò ante ageres, *quærebant te lapidare.* Pro illo enim erant in metu, ac omnino pro ſe: quippe necdum erant perfecti admodum. *Dicit Thomas, Eamus & nos, vt moriamur.* Reliquis erat infirmior, & minus habebat fidei. Quomodo tandem eos Ieſus animat? *Nonne duodecim ſunt horæ diei?* An hoc igitur dicit, quòd nullius ſibi mali conſcius nihil patietur aduerſi, ſecus, qui praua perpetrarit? quare timen-

A time[n]dum non eſſe, non enim capital commiſiſſe. An hoc dicit, quod qui mundi huius lucem intuetur, in ſecuritate erit: quod ſi, qui mundi huius lucem intuetur, multo magis, qui mecum eſt, dummodo ſe non à me abiungat? His dictis audaciam illis iniicit, cauſamque profectionis illius neceſſariam affert, ſimul monſtrans, vt Hieroſolymam non ſint profecturi, ſed Bethaniam. Ioan. 11. *Dormit*, inquit, *Lazarus: ſed vado, vt à ſomno excitem eum.* Hoc eſt, Non ob eãdem cauſam vado, rurſus diſputaturus, rurſus cum Iudęis congreſſurus, ſed communem amicum expergefacturus. *Si dormit*, aiunt, *ſaluus erit*. Hoc autem dicebant, quòd inſtitutam illuc profectionem vellẽt interruptam. Dicis dormire, inquiunt: non ergo iter properandum eſt. Et ſi propterea dixerat ille: *Amicus noſter*, vt præſentiam neceſſariã oſtenderet: tandem, quod hebetiores eſſent dicit: *Mortuus eſt*. Ante enim iactantiæ deuitandæ dormire dixerat. Cum autem minus intelligerent: *Mortuus eſt*, inquit, *& gaudeo propter vos*. Cur *propter vos*? quia prædixit, cum ibi non eſſet: B & quia cum Lazarum ad vitam erexero; locus non erit ſuſpicioni. Vides, vt etiamnum imperfecti fuerint Apoſtoli, neque, vt par erat, ipſius potentiam cognouerint? Hoc interuenientes terrores faciebant, quibus ipſorum animi non ſine tumultu turbabantur. Et cum dicebat: *Dormit*, Ioan. 11. addidit: *Vado, vt à ſomno excitem eum*: cum verò dixit: *Mortuus eſt*, non id adiecit: *Vado, vt exſuſcitem eum*: quæ enim re comprobaturus erat, verbis ante dicere noluit, à vana gloria vbique docens alieniores eſſe, nihilque ſimpliciter oportere promitti. Quod ſi centurionis inuitatu id fecit, cũ dixit: *Ego veniens curabo eum*; fecit, quo illius fides teſtatior euaderet. Quod ſi quis dicat: Vnde ſomnum intellexerũt diſcipuli? Non id ex eo licet adſerere: *Vado, vt exſuſcitẽ eũ*: nam fuiſſet amentiæ exſpectare confecturum eum ſtadia quindecim, vt à ſomno excitaret. Illud potius dixerimus, quod putabant hoc ęnigma eſſe, qualia multa proferebat. Omnes quidem Iudæorum impetum metuebant, ac præ cæteris Thomas: quare ait, *Eamus, & nos, vt moriamur cum eo*. C Quare nonnulli putant, quòd & ille mortem optarit. At non ita eſt. Vox enim illa pauoris eſt: at non eſt increpitus, propterea quòd eius imbecillitatem Chriſtus adhuc tulerit. Poſtea tamen omnibus fortior euaſit, & inculpatus. Hoc enim mirabile eſt, quod ante crucem tam infirmum, poſt Chriſti paſſionem fideque acceptam de reſurrectione calentiorẽ omnibus videamus. Tanta eſt Chriſti vis. Nam qui cum Chriſto Bethaniam comitari auſus non erat, hic Chriſto iam oculis ſubtracto ſolis orbem percurſat vniuerſum, ac in medijs verſatur populis cędem anhelantibus, ipſumque ſublatum diſcupiẽtibus. Quod ſi Bethania quindecim ſtadijs, ſiue duobus paſſuum millibus aberat Hieroſolyma, quomodo interea dum quatriduanus Lazarus? Biduo Chriſtus ſubſtiterat, & ante biduum hoc venit nuncius, quo die viuẽdi finem fecerat Lazarus, & ipſe quarto die profectus eſt. Quare & vocari ſuſtinuit: neque ſponte acceſſit, ne cui factum veniret in ſuſpicionẽ. Neque aduenerunt dilectæ, ſed mittuntur alij. Ioan. 11. *Erat autem Bethania iuxta Hieroſolymam quaſi ſtadijs quindecim.* D Hinc dilucet vero ſimile eſſe multos ab Hieroſolymis affuiſſe. Ideo mox ſubiecit, quòd multi Iudæi eas cõſolabantur. Vnde conſolabantur Iudæi dilectas à Chriſto, cùm inter eos Ioan. 9. conueniſſet: *Si quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret*? An ob mali communis neceſſitatem? an eas, vt nobiliores venerati? an hi, qui aderant, non improbi? Ioan. 11. Quamobrem *multi ex ipſis crediderunt*. Quæ omnia dicit Euangeliſta, quo Lazari mortem fortiùs adſtruat. Cur verò ſororem non adſumit in occurſum Chriſto ituram? Vult eum ſeorſum nanciſci, quodque euenerat, nunciare. Vbi autem eas in ſpem meliorem induxit Chriſtus: tunc abit Martha, & vocat Mariam, & occurrit Chriſto luctu adhuc adoleſcente. Vides amorem viuacem? Hæc eſt, de qua di- Luc. 10. citur: *Maria optimam partem elegit*. Quomodo igitur Martha, dicat quis, ardentior erat? Ardentior non erat. Non enim Maria quidquam audiuerat, eoque ipſa ſerior venit. Ac ſanè tam multis auditis Martha deinde dicit: Ioan. 11. *Iam fœtet: quatriduanus eſt enim*. Maria verò etſi nihil audijſſet, tale nihil protulit, ſed credidit dicens: *Domine ſi fuiſſes hic, non fuiſſet mortuus frater meus*. Videte, quanta mulierum ſapientia!

E licet mens earum plerumque debilior: Chriſtum enim intuitæ non mox effuſæ ſunt in lamenta, gemitus, vlulatus, quod nobis euenit, vbi nobis lugentibus notos ſuperuenire conſpicimus: ſed propter magiſtrũ deuenerata ſunt. Credebant enim in Chriſtum, etſi non vti par erat. Nondum enim norant quod Deus erat, neq; quod virtute ſua, & autoritate hæc faceret, quod vtrunque ipſas docuit. Ex vtriuſque ignoratione dicebant: *Si fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus*. Ioan. 11. Dicere verò, *Quæcunq; popoſceris à Deo, dabit tibi*, eſt eas diſſerere tanquã de viro probato, cuiq; virtus inſit. Quamobrem ſubiecit Chriſtus: *Reſurget frater tuus*. illud interim euertens: *Quæcunq; popoſceris*: non enim dixit, *Poſcam*, quid ergo? *Reſurget frater tuus*. Dicere enim: O mulier adhuc ima vides, nõ alieno egeo ſubſidio, ex meipſo cuncta perficio, fuiſſet admodũ graue, & mulieris aures offendiſſet. Dicere verò: *Reſurget frater tuus*, medium fuit orationis genus. Et hanc ſententiam meã verbis inſecutis innuit. Nam cùm illa dixiſſet: *Scio, quia reſurget in reſurrectione*: autoritatẽ ſuam clariùs manifeſtans ait: *Ego ſum reſurrectio, & vita*, declarat alieno ſe non egere ſubſidio, quãdoquidem ipſe eſt vita: nam ſi egens eſſet opis alienæ, quo pacto eſſet ipſe & reſurrectio, & vita. Licet ergo hoc ipſum nõ ſic dixerit: innuit tamen. F Et illa dicente: *Quæcunque popoſceris*, ait ipſe: *Omnis, qui credit in me, etſi mortuus fuerit, viuet*. Apertè dicens ſe bonorum omnium ſuppeditatorem eſſe, & à ſe poſtulandum. *Omnis, qui credit in me, etſi mortuus fuerit, viuet*. Vide, vt eius mentem erigat. Non enim illud erat, quod vnũ quærebatur, Lazarum excitari: ſed neceſſe fuit eum Martham, cum præſentes, illam quoq; reſurrectionẽ didiciſſe. Quare antequam exſuſcitet Lazarum, verbis philoſophatur. Si verò reſurrectio ipſe eſt, & vita, loco non circumſcribitur, ſed vbiq; præſens medicinam nouit facere: *Si dixiſſet*, quod Matth. 8. centurio: *Dic verbo, & ſanabitur puer meus*, id vtique feciſſet. Cum autem ad ſe eum vocaſſent, vtque veniret, poſtulaſſent, illis ergo condeſcendit, quo eas à tam humili cogitatione attollat. Proficiſcens autem ad monumentum, & condeſcendens oſtendit quoque; quod vel abſens curare G valeat. Ideo lentus eſt: neq; enim iſtius beneficij gratia repente collata tam conſpicua fuiſſet, ſi fœtor non anteceſſiſſet. At vnde reſurrectionem futurã norat mulier? Multa audierat à Chriſto de reſurrectione diſſerente: attamẽ ardebat eam iam videre. Ac vide illam adhuc humiles cogitationes animo voluentem. Cùm enim audijſſet: *Ego ſum reſurrectio, & vita*, non ſic locuta eſt. *Exſuſcita ipſum* quid ergo? *Credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei*. Quid tandem Chriſtus? *Omnis, qui credit in me, & ſi mortuus fuerit, viuet*. Mortem intelligit iam tum præſentem. *Omnis verò, qui credit in me, nõ morietur*, mortem dicit animę. Cùm igitur ſim reſurrectio, ne turberis, ſi mortuus eſt frater veſter: neq; enim id mors eſt. Interea ipſam ſuper caſu tanto ſolatur, & ſpes oſtentat, ſiue cum dicit, Quod *reſurget*, ſiue cum illud, *Ego ſum reſurrectio*; & quod cum reſurrexerit, licet mortem rurſus oppetat, nõ illi erit acerba: quare nec eſſe, cur eam perhorreſcat. Quod verò loquitur, eiuſmodi eſt. Neq; hic mortuus eſt, neque vos moriemini. *Credis hoc*? reſpondet illa: *Credo, quia tu es Chriſtus Filius Dei, qui in hunc mundum veniſti*. Minus mi- H hi videtur hæc mulier intellexiſſe, quæ dicta; tamẽ magnũ quiddam id eſſe cognouit, licet pleno non ſit animo conſecuta. Quare aliud rogata, aliud reſpondet. Nihilominus id lucri fecit, quod triſtitia ſoluta fuerit. Talis enim eſt Chriſti verborum vis. Quamobrem occupauit illa ſe Chriſto dare obuiam, ſecutaq; eſt altera. Nam quę erat in magiſtrũ beneuolentia, ſic mali præſentis ſenſum minuebat, vt cũ Dei gratia vel muliebris animus philoſophari poſſet. Verum præter alia mala, hic quoq; morbus hodie mulieribꝰ imperat. Oſtentant, quanto ſint in luctu, vt gemant; brachia cruentant, crinem conuellunt, altè ſulcos per genas agunt. Quaſdam eò luctus adigit; alias oſtẽtatio, & ambitio; nonnullis mens adeo profligata eſt, vt nudæ brachia medio foro volitent. Quid agis, ô mulier? Indecorè te nudas, cum ſis Chriſti membrum, idq; virorum in pręſentia, medio in foro: crinẽ vellis, & cies gemitus graues? ſaltas, choros obis, furentiũ mulierum retines imaginem; & te in Deũ offendere non arbitraris? quantæ hæc dementiæ? An non rideant Græci? an nõ res noſtras pro fabulis habeant?

A reſponſum tulit, quale vel furor: Aderat turba conferta, neque tempus idoneum tali ferendo ſermoni. Sed naturam humanam enudat cum ſumma animi demiſſione, neque tunc maius quidquam humanis ſenſibus offerebat. Quia enim miraculum grande, & quale rariſſimè patratum, & illius ope multum lucri facturus erat, ne à turbis obijciatur ſeſe abſentibus patratū eſſe, ne nihil ex re tanta reportaret lucri, multos huic ſuæ demiſſioni teſtes adhibet, & humanam tunc naturam manifeſtat, ne prædam amittat. Lacrymatur enim, & confunditur: nouit enim luctum incēdere, ac deinde paſſioni imperare. Siquidem; *Infremuit ſpiritu*, hoc eſt, perturbationem repreſſit, & eo modo interrogat. *Vbi poſuiſtis eum?* vt abſque eiulatu interroget. Cur verò rogat? Noluit ſe vltro obtrudere; ſed omnia per eos diſcere, eorumque hortatu rem gerere, ne ſuſpicionibus obnoxium eſſet miraculum. *Dicunt ei, Veni, & vide.* Lacrymatus eſt Ieſus, neque hactenus reſurrectionis vllum prodidit indicium; & ſic comploraturo, quam reſuſcitaturo propior venit. Nam quod lamentaturo, quàm B reſuſcitaturo propior veniſſe videretur, audi Euangeliſtæ ſententiam: Dixerunt nonnulli: *Ecce quomodo amabat eum?* Alij contrà: *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci, facere vt hic non moreretur?* Neque in calamitate quidquam de nequitia remittebant. Tamen quod erat facturus, longè fuit admirabilius. Nam mortem depellere, quæ obrepſerit, victrixque fuerit, maioris eſt potentiæ, quam inuadentem ſiſtere. Quibus igitur è rebus Chriſti virtutē mirari oportuit, ex ijs calumnias procuderunt. Fatentur aperuiſſe cæci oculos, & cum ob eam cauſam Chriſtum ſuſpicere debuiſſent, ex eadem miraculum iſtud ita traducunt, ac ſi nō eueniſſet. Neque hac re duntaxat ſe perditos planum faciunt; ſed quod antequam ad monumentum adeat, aut virtutem expromat, non expectato rei exitu calumnias in eum iacere præfeſtinant. Vides vt erant corrupto iudicio? *Venit ergo ad monumentum* paſſionique rurſus imperat. Cur quæſo tam ſtudioſe iterum, atque iterum retulit Euangeliſta, vt lachrymatus ſit, vtique increpatione ſit vſus? vt C nôris, quam verè ſe in humanam naturā induiſſet. Quod enim magis de Chriſto præ cæteris Euangeliſtis narret Ioannes, in ijs quæ ad corpus pertinent multò humilius hic loquitur. Nihil enim tale, quale reliqui, de morte dixit, neque animi ſecum, & cum aduerſis contendentis æſtū: ſed oppoſitū, quod aduerſarios reſupinauerit. Quod igitur illic defuit, hic expleuit ex occaſione luctus. Nam *Ioan. 10.* de morte diſſerens ait: *Poteſtatem habeo ponendi animam meā*, nihilque eo loco abiectum loquitur. Quare hoc in caſu magnam dicit humanæ naturæ ſignificationem; vnde veritatem Incarnationis oſtendat: Matthæus enim ex agonia, ex tremore, ex ſudore; Ioannes ex luctu, id confirmat. Niſi verò naturæ noſtrę conſors fuiſſet, iterum, atque iterum luctu nequaquam fuiſſet occupatus. Verùm enimuerò ad accuſationes eorum nihil reſpondet. Quid enim neceſſe fuit eorum ora verbis obſtruere, cùm rebus ipſis id futurum erat? quod grauius eſt, & plus pudoris adferre *Ioan. 11.* potuit. Tādem ait: *Tollite lapidem.* Quid hoc obſecro? nonne vel abſens Lazarum vocare, & ipſum coram repræſen-D tare potuit: quid hoc? nonne obiacēte lapide, vt mortuus reſurgeret, fuit in eius poteſtate? poterat enim is, qui per vocem cadauer emouit, qui corruptum animauit, poterat multo magis ſua voce lapidem elocare, poterat qui vinctum membris & impeditum, qui mortuum voce ſola iuſſit ambulare, multo faciliùs lapidem elocare, ac etiam abſens id facere: cur ergo non fecit? vt eos miraculi teſtes haberet, neue quod olim de cæco, dicerent; *Hic eſt, Hic non eſt.* Nam manus lapidem tollentium, & aduentus ad monumentum teſtificabantur Lazarum eſſe: alias aut vmbram aliquam, aut alterum alterius loco facilè opinētur. Nunc & eos ad ſepulchrum profectos eſſe, & lapidem ſuſtuliſſe, & faſciatum de tumulo erupiſſe, & ijs commiſſum eſſe, vt obligatum ſoluerent, & amicos, qui extulerant, Lazarum coram cernere, & à veſtibus agnouiſſe, & ſorores relictas non eſſe, & alteram ſororum dicere; *Iam fœtet: quatriduanus eſt enim*: hæc, inquam, omnia abunde ingratorum miraculi teſtium ora poterant obturare. Hoc nomine iubet eos ſaxum de ſepulchro tollere, quo ſe eſſe oſtende-E ret, qui excitabat à morte. Eo quoque nomine rogat: *Vbi poſuiſtis eum?* vt qui reſponderent: *Veni, & vide*, eique duces eſſent, dicere non habeant alterum à Lazaro excitatum. Denique vt vox teſtetur, & manus; illa dicens: *Veni & vide*; hæ lapide elato, faſcijſque ſolutis: vt adſpectus idem conteſtetur, & auditus; audita voce auditus; viſus egrediente cōſpecto: vt olfactus quoque, dum fœtorem percipit; dicit enim, *Iam fœtet, quatriduanus eſt enim.* Meritò itaque dicebam, quòd quæ Chriſtus diceret, muliercula non intelligeret: *Etſi mortuus fuerit, viuet.* Animaduerte hic, vt illa cenſuerit tanto relicto iam tempore rem factu impoſſibilem. Nam peregrina res erat quatriduum iam morte obita cadauer vitæ reſtitui. Equidem Chriſtus de Lazari morte diſcipulis dicebat: *Vt glorificetur Filius Dei per eum*: hoc verò loco gloriam Dei Patris loquitur. Vides vt auditorum imbecillitas diuerſas voces exprimat? eorum etiam memoriā refricat, quæ ad Martham dixerat tantum non increpans eius obliuiſcentiam. Tūc tamen ſpectatores turbare maluit. Quare dicit: *Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris videbis* *Ioan. 11.* *gloriam Dei*: Magnum enim bonum eſt fides; magnum, & F multorum bonorum origo: quippe quæ homines eò prouehat, vt quæ Dei ſunt, in nomine eius facere valeant. *Si enim credideritis*, inquit, *dicetis mōti huic, Tranſi.* Item, *Qui cre-* *Matth.* *Ioan. 14.* *dit in me, maiora ſigna faciet, quàm ego, in nomine meo.* Quęnam illa maiora? Vmbræ illorum mortuos excitarunt, ac ea ratione potentia deprædicabitur. Neque enim paris eſt admirabilitatis miracula viuentē patrare, & eo mortuo plus poſſe cæteros in eius nomine. Non erat cōtrouerſioſa hęc reſurrectionis demonſtratio. Nam reſurrectio nunquam ſibi tantum fidei conciliaſſet, ſi in oculis hominum Chriſtus fuiſſet: illi enim potuiſſet obtrudi, ſpectrum eſſe. At qui ab eius ſolo & mero nomine maiora miracula prouenire videbat, quàm ab ipſo in carne inter mortales agente, non poſſit non credere, niſi forte mente eſſet exlenſa. Magnum igitur bonum eſt, præſertim cùm à calenti proficiſcitur pectore, ab amore multo, & anima feruēti. Hæc nos ſapientes facit, hæc vilitatem humanam tegit, hæc rationibus humanis ſolo abiectis cęleſtium rerum contem-G platu paſcitur; quod humana ſapientia cōminiſci nequit, & vnde deuoluta labitur, hoc fides præclarè conſequitur, hoc docet. Quamobrem huic inhæreſcamus, nec rationibus diſtrahamur. Cur enim Græci, dic mihi, nihil inuenire potuerunt? nonne omnem ſapientiam ab exteris importatam perſpectam habuerunt? Vnde factum, vt piſcatores, tentoriorum opifices alioſque ignaros ſuperare non potuerint? quòd rationibus illi omnia, hi fide conficiebant. Ideo Platonem, & Pythagoram, omneſque illos à veritate aberrantes hi deuicerunt, qui vitam omnem Aſtrologiæ, Matheſeos, Geometriæ, Arithmeticæ ſtudijs triuerāt, qui omnigenam eruditionē demeſſuerant, eos vt puluerem proiecerunt, tantoque ſuperiores fuerunt, quanto ab ingenio ſtulti, & excuſſæ mentis ſunt ijs inferiores, qui verè ac reapſe philoſophi. Hi enim animam immortalem confeſtim adſeruerunt; nec adſeruerunt modo; ſed & perſuaſerunt: illi autem ne quidem cognouerant, quòd eſſet anima. Quod vbi comperierunt, & eam auellerunt à cor-H pore, in parem reciderunt ignorationem. Nonnulli enim corpus eam dixerunt; alij compoſitum quiddam; alij cum corpore diſſolui voluerunt. Quid de cœlo? quidam & animatum, & Deum eſſe dixerunt: at piſcatores opus Dei & artificium: idque omnib⁹ pertinaſcunt. Verùm Græcos rationibus vti quid miramur? eos verò qui Chriſtiani videntur, Pſychicos inuenîri, hoc perridiculum eſt; ideoque recto decrrarunt: quidam adſerentes ita ſe Deum noſſe, ac ſemet ipſe Deus, quod nec illorum quidem vllus auſus eſt dicere, alij non concedentes Deum vulgo plus poſſe. Deū ſine humana paſſione generare nō poſſe affirmarunt; nōnulli vitam ritè inſtitutam prodeſſe nihil, nihil bonā reipublicæ ordinationem. Sed hæc iam refutare importunū eſt. Verum vbi corrupta viuendi ratio præualuerit, fidem nihil prodeſſe & Chriſtus, & Paulus pluribus diſputant. Dicit ille: *Non omnis, qui dicit mihi Domine, intrabit in regnum* *Matth. 7.* *cœlorum.* Item: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus. Et dicam eis: Neſcio vos.* Iterum: *Nolite* *Luc. 10.* *gaudere, quia ſpiritus vobis ſubijciuntur.* Nam qui in ſe minùs

atten-

A attenti ſunt, perfacilè in improbitatem deuoluuntur, etſi
Hebr.12. recta fide prædi i. Sed nos hæc refugiamus: quando abſ-
que vitæ probitate Chriſtum videre nō eſt. *Pacem*, inquit,
ſequamini, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum. San-
ctimoniam Caſtitatem appellat, cuius præſidio propria
quiſque ſit contentus vxore, nec ad alteram inclinet: nam
qui latiùs cupiditatem protulerit, cum impoſſibile eſt ſa-
lutem conſequi; ſed perditiſſimus ſit oportet, quantum-
cunque multa ediderit antè facinora. Nam vt regnum cę-
lorum ſcottator ineat, haud fieri poteſt: etſi non tam ille
ſcottator, quam mœchus. Vt enim quæ viro alligata eſt, ſi
cum altero concubuerit, mœchatur: ſic qui cum vxore de-
uinctus eſt, ſi alteram habeat, mœchatus eſt: cuiuſmodi
regni cœleſtis hæreditatem non cernet, ſed in gehennam
Iſai.66. incidet. De iſto genere hominum Deus adſerit: *Vermis eo-
rum non morietur, & ignis eorum non exſtinguetur.* Nam qui
poſtquam cepit vxorem, quî ſe ſoletur, & contumelioſus
eſt in alteram, nulla huic venia impetrabilis eſt. Mera ſto-
liditas! Nam ſi cum ieiunij, aut orationis tempus eſt, mul-
B ti à propria vxore ſe abſtinent: qui non hac contentus al-
teram ſuperinducit, quantum mali accumulat? Et ſi ei, qui
dimiſerit vxorem, nec vtitur tamen, alteri adhętere fas nō
eſt citra adulterium: quid qui ſuam domi cum habeat, al-
teram introducit? quantum crimen admittit? Hanc igitur
ægritudinē nullus ſinat in anima deliteſcere, quin exſtir-
pet radicitus. Neq; tam in vxorem, quàm in ſeipſum in-
iurius eſt. Tam enim facinus Deo videtur deteſtabile; vt ſi
vxor ab idololatria, illo inuito, diſtrahatur puniat eā De⁹:
non ſi à ſcottatore. Qua ex re vides, quantum ſit hoc flagi-
1.Cor.7. tij, *Si qua mulier*, inquit, *fidelis habet virum infidelem, & hic co-
ſentit habitare cum illa, nō dimittat virum.* De adultera autem
Matth.5. vxore nō ſic. Quid ergo? *Si quis dimiſerit vxorem ſuam, exce-
pta fornicationis cauſa, facit eam mœchari.* Si enim per concu-
bitum corpus conſueſcentis cum meretrice vnum euadit,
quomodo quę honeſta eſt, Chriſtique membrum, admit-
tet, vt adulter ſibi membrum meretricis agglutinet? Vide
criminis huius magnitudinem. Nam quę cum infideli ha-
C bitat, non eſt impurata: *ſanctificatur enim vir infidelis per mu-
1.Cor.7. lierem fidelem.* De meretrice non ita, quid ergo? *Tollens igitur
1.Cor.6. membra Chriſti faciam membra meretricis?* Ibi enim ſanctifi-
catio permanet vel vna illo habitante, nec euaneſcit: hic
autem abſcedit. Graue namque malum fornicatio, & om-
nino graue, immortali digna cruciatu. Hic etiā mille con-
trahuntur noxę. Vitam enim miſeram, & ærumnoſam co-
gitur traducere, qui talis: nec cum eo meliùs agitur, quam
cum ſupplicio addictis. Cum in alienas ædes ſe immergit
cum timore, cum multa trepidatione, omnia ſuſpecta ha-
bet, & ſeruos, & liberos. Quare hortor, vos hoc morbo li-
beretis. Sin id minùs vultis, templorum adyta ne ineatis.
Nam & coopertæ ſcabie oues, & morbis oppletæ non
ſunt cum ſanis congregabiles; ſed à grege abigendæ, dum
1.Cor.6. morbum deponant. *Chriſti* enim *membra ſumus*: ne igitur
membra meretricis ſimus. Non eſt hic locus lupanar, ſed
Eccleſia. Quod ſi meretricis membra habes, in eccleſia
ne ſteteris, ne locum ipſum contaminaueris. Nam ſi ge-
henna nulla eſſet, ſupplicia nulla, quomodo auſis admo-
D ueri alteri poſt pacta connubialia, poſt nuptiales tædas,
poſt liberorum procreationem, poſt initam ſocietatem?
quomodo pudore non àbſterreris? quomodo non eru-
beſcis? Qui poſt vxorum mortem alijs admiſcentur, cul-
pantur à multis, etſi impunè id liceat: tu verò tua viden-
te, ac viuente alteram introducis præterea? quantæ res
Marc.6. hæc libidinis? De talibus illud eſt: *Vermis eorum non morie-
tur, & ignis non exſtinguitur.* Minas exhorreſce, vereare cru-
ciamenta. Non eſt in iſtius vſu nequitiæ tantum volupta-
tis, quantum ibi pœnarum. Aſt vtinam nemo pœnarum
iſtarum reus agatur! vtinam poſt cultam caſtimoniam vi-
deamus Chriſtum, & promiſſa bona nanciſcamur!
quæ nobis liceat indipiſci gratia, & beneuo-
lentia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui
cum Patre, & Spiritu ſancto
gloria ſempiterna,
Amen.

*Eiuſdem Oratio in illud: Ieſus autem eleuatis ſurſum oculis dixit:
Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me: ego autem
ſciebam, quia ſemper me audis: ſed propter
populum, qui circumſtat,
dixi. Ioan.11.*

ORATIO XLII.

HOc iterum dicam, quod antea ſæpe. Deum non tam E
quid è dignitate ſua ſit, quàm quid è ſalute noſtra;
neque tam, vt grāde quiddam loquatur, quam vt id, quod
nos attrahere queat, conſiderare. Quo nomine ſublimia,
& magna parcè, & latenter loquitur: humilibus verò &
abiectis circumfluit eius oratio. Quibus enim familiarius
inducuntur homines, ijs quoque immoratur. Neque iſta
vbique loquitur, ne poſteritas damnum ferat: neque ſilet,
ne qui tunc aderant, offendantur. Nam qui ad perfectio-
nem peruenerunt, vel ex vna tali ſententia omnia cōtueri
poterunt. Qui verò tunc abiecti erant, niſi crebrò audiſ- F
ſent talia, capi non potuere. Neque enim poſt tam multa
conquieſcunt: ſed & lapidationem moliuntur, & perſe-
quuntur, & tentat eum interimere, & blaſphemū appel-
lant, quod ſe Deo coæquaret. Nunc etiam dicūt eum bla-
ſphemare, quòd dixerit: *Remittuntur tibi peccata tua* Et ite- Luc. 5.
rum dæmonibus præſcatentem nominant, cum verborū
ſuorum auditorem morte ſuperiorem futurum pronun-
ciat. Idem, cum dicit: *Ego in Patre, & Pater in me eſt*, ab eo re- Ioan. 14.
ſiliunt, & auertuntur; cumq; dicit ſe de cœlo deſcendiſſe.
Quod ſi hæc à Chriſto infrequentiùs prolata non fere-
bant, ſi continenter magniloquam texuiſſet orationem,
ægrè attentos eos habuiſſet. Contra quando dicit: *Sicut* Ioan.14.
mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Item: *Ego à meipſo non lo-* Ioan.8.
quor; tunc credunt: *Tunc igitur multi crediderunt in eum*, in-
quit Euangeliſta, indicatq; hęc eo loquente eos credidiſ-
ſe. Si ergo loqui humilia fidem promouebat; loqui gran-
dia derogabat: quomodo extremæ dementiæ non eſt, non
peruidere, quòd auditorum cauſa humilis texatur oratio? G
Præſertim cum & alibi quid magnum loqui vellet, ſup-
preſſa cauſa propriā hanc ſuppoſuit, cum diceret: *Vt non* Matth.17
ſcandalizemus eos, mitte hamum tuum in mare. Quod & hic v-
ſuuenit, nam cū dixiſſet: *Sciebam, quia ſemper me audis*: ſub- Ioan.11.
iecit. *Sed propter populum, qui circumſtat, dixi, vt credant.* Non
hæc verba noſtra, non humana coniectura: quandoquidē
enim ex rebus ipſis non credimus, quòd grandiloquentia
offendātur, ipſemet dicit: Ego propterea humilia loquor,
ne ſcandalizentur: Ecquis adhuc ſuſpicetur abiectas vo-
ces ab humilitate naturæ profectas eſſe, ac nō potius ab a-
nimi demiſſione? Alibi quoq; delata cęlitus voce dicebat:
Non propter me hæc vox venit; ſed propter vos. Etſi autem viro
primario multa de ſe licet abiectò loqui: infimo tamē ſub-
lime, & grande quidquam de ſe efferre fas non eſt. Cum
enim illud à Chriſto fit; humilitatis cauſa fit, necnon diſ-
cipulorum infirmitatem pro cauſa habet: tum vt ad hu-
militatem inducantur, vt que ſe carne circūueſtiti ſciant:
tum vt audientes doceantur de ſe nihil ſublime loqui: tū, H
vt à Deo veniſſe putetur, nec ad ſoluendam legem ve-
niſſe ſuſpicentur. Item ad ſedandam audientium
inuidentiam, & quòd ſæpe in veteri teſtamento inculca-
tur, corroborandum: *Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.* Hu-
milis autem animi qui fuerit, excelſum aliquid de ſe lo-
quēdi cauſam aut reapſe, aut in ſpeciem probabilem nul-
lam habet: ſed ſuperbia tantùm erit, & impietas, & non i-
gnoſcibilis audacia. Quid igitur cauſę eſt, quòd Dominus
tam abſtruſa, tamque immenſa natura præditus tam pro-
trita loquatur? Ob cauſas ante memoratas, ad quas acce-
dit: Ne putaretur ingenitus. Etenim Paulus tale quid ve-
ritus videtur dixiſſe: *Præter eum, qui ſubiecit ei omnia.* Impiū 1.Cor.5.
enim id cogitare. Quod ſi minor genitore, alteriuſque eſ-
ſentiæ: non par eſſe putandus eſt, non feciſſe omnia, quod
ne quis cogitet, it in contrariam ſententiam: *Si non facio o-* Ioan.10.
pera Patris mei, nolite credere mihi. Item dicendo: *Pater in me
manet, & ego in eo*, ſuam cum Patre æqualitatem nobis ſub-
obſcurè aperit. Quod ſi Patre fuiſſet inferior, idipſum o-
portuit violenta ratione conuellere; & nuſquam om-
nino dicere: *Ego in Patre, & Pater in me eſt*, aut: *Ego, &* Ioan.10

Pater

A Ioan. 10. Ioan. 14. Ioan. 5.

Pater vnum ſumus. nec illud: *Qui videt me, videt & Patrē.* Nam de poteſtate ſermo erat, cum diceret: *Ego, & Pater vnum ſumus.* Hoc quoque de poteſtate dixit: *Sicut Pater exuſcitat mortuos, & viuificat: ſic & Filius, quos vult, viuificat.* Quòd ab eo minimè fieri potuit, qui alterius eſſet naturæ. Etſi verò id fieri potuit, verbis exprimi non oportuit: ne vnam & eandem vtrinſque naturam eſſe ſuſpicarentur. Nam ſi ne veniat in ſuſpicionem, quòd cum Deo ſit æqualis, quæ ſe parum deceant, loquitur non tarò: quanto magis tunc? Dicere autem, *Vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem.* Item: *Quæcunque Pater facit; & Filius ſimiliter facit*, ac etiam dicere ſe reſurrectionem, & vitam, & mundi lucem eſſe, eſt ſe Patri exæquantis, & audientium ſuſpicionem conſtituentis. Nunc verò quo ſe probet legem non ſoluere, tam multus eſt in ſua defenſione. Opinionem verò de æqualitate cum Patre non ſolùm non conuellit, verùm etiam ſtatuit, & dicentibus quibuſdam: *Blaſphemas, cum te Deum facis*, ab operum paritate idipſum firmauit. (Ioan. 10.) B Quid Filium id feciſſe dico, quandoquidem Pater ipſe, qui carne indutus non erat, idem fecerit? Nam & ipſe de ſe multa humilia dici ſiuit ob audientium ſalutem. Illud enim: *Adam vbi es?* Item, *Vt ſciam vtrum clamorem, qui venit ad me opere compleuerint:* Item, *Nunc cognoui, quod timeas Dominum.* Et illud, *Si forte audiant.* & illud: *Quis det populo huic cor, vt ſit talis?* & illud, *Non eſt ſimilis tui in dijs Domine*, aliaque talia in veteri teſtamento permulta, quæ ſi quis cum iudicio excerpat, Dei maieſtate indigna comperiet. (Gen. 3. Gen. 18. Gen. 22. Ierem. 26. Pſal. 85.) Nec non ad Achabum dictum eſt, *Quis decipiet Achab?* ac ſe Græcorum dijs per comparationem anteponere, Deo ſemper indignum eſt. (3. Reg. 22.) Verùm aliunde dignitas accedit: quia tam eſt amans hominum Deus, vt ob ſalutem noſtram orationem, quæ dignitatem ſuam deceat, contemnat. Nam & ipſum hominem fieri, indignum eſt, & in ſerui formam ſe induere, & tam abiecta loqui, pati, ſi quis ad ipſius dignitatem oculos referat, prorſus dedecet: decet autē quam maximè, ſi quis animo reputet vim amoris eius inexplicabilem. C Eſt & alia ſermonis abiectioris cauſa, Quod Patrem norant, & venerabantur: Chriſtum verò nequaquam. Quare ad eum refugit ſemper, vt quem communi conſenſu fateantur; quaſi verò ipſe ne quidem mereatur fidem: non ob domeſticam vilitatem, ſed ſuperbiam auditorum, & imbecillitatem. Quare & orat, & ait: *Pater gratias ago tibi, quia audiſti me.* (Ioan. 11.) Nam ſi quos vult viuificat; & ſicut Pater viuificat; quorſum orat? At vide deinceps in eum intrantem locum. Vt lapidem ſuſtulerunt, ſuſtulit Chriſtus manus in cælum, & ait: *Pater gratias ago tibi: quia audiſti me: ego autem ſciebam, quia ſemper audis me: ſed propter populum, qui circumſtat, dixi, vt credant, quia tu me miſiſti.* (Ioan. 11.) Sciſcitemur hic ex hæretico: Vtrum orationis vi cadauer ad vitam Chriſtus excitarit? Quod ſi ita eſt, Quomodo alia ſine orationis ſubſidio perfecerit, ſolo imperio: *Tibi dico, Exi ſpiritus immunde ab homine. Volo, Mundare. Surge, tolle grabatum tuum.* Item, *Remittuntur tibi peccata tua.* Item mari, *Tace, obmuteſce.* (Marc. 5. Matt. 8. Marc. 2. Marc. 4.) Quod ſi & ipſe virtute precationis quidquam gerit: quare Apoſtolis antiſtat? Imò verò ne ipſi quidem precationibus peragebant omnia; D ſed & ſæpenumero citra preces vocato Ieſu nomine. At ſi nomen eius tanta vi pollebat, quomodo ei neceſſaria fuit oratio? ac viciſſim, Si fuit neceſſaria, ipſius nomen vim nullam habuit. Quando verò creabat hominem, quæ oratio illi opus fuit? Nonne magna honoris paritas in eo proditur? *Faciamus hominem ad imaginem.* (Gen. 1.) Ecquid autem impotentius, ſi egebat oratione? Videamus iam cuiuſmodi ſit oratio? *Pater gratias ago tibi: quia audiſti me.* (Ioan. 11.) Quis vnquam nihil ante precatus orationis tale cepit initium? *Gratias ago tibi*, inquit, demonſtrat vtique ſe oratione non egere. Omnia namq; facis, quæcunque ego volo, inquit. Non quòd parum ſit potens; ſed quod vnum vtriuſq; ſit velle. Cur ergo tali orationis forma vſus ſit, me non audias, ſed ipſum met: *Propter populum, qui circumſtat, vt credant, quia tu me miſiſti.* Non dixit: Vt credant, quia minor ſum, quia cæleſtes ſuppetiæ mihi neceſſariæ ſunt, quia ſine oratione nihil agere poſſum: ſed, *Quia tu me miſiſti.* Hæc enim omnia plana facit oratio, ſi ſincere ipſam expoſuerimus. Non dixit: Miſiſti me infirmū, ſeruitudinis meæ conſcium, nihil ſuapte vi facientem: ſed his omiſſis omnibus, ne quid horum ſuſpiceris, veram orationis cauſam ponit: E Ne me Deo aduerſari arbitrentur: ne dicant, *Non eſt hic à Deo*; vt patefaciam de ſententia tua opus fieri. (Ioan. 9.) Tantum non dicit: Si cum Deo pugnarem, opus non procederet. Illud autem, *Audiſti me*, & de amicis iactatur, & de paribus. (Ioan. 11.) *Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis*; hoc eſt, Ad explendam voluntatem meam, oratione non egeo, qua perſuadeam: vna ſiquidem vtriuſque noſtrum voluntas. Quid ergo precatus? vt infirmis, & vulgo conſulam. *Et hæc cum dixiſſet, clamauit voce magna.* Cur non dicit: *In nomine Patris mei prodi* foras? cur non dixit: *Pater, eum vita reſtitue*; ſed his omiſſis omnibus in ſpeciem precantis compoſitius, rebus ipſis autoritatem manifeſtat. Hoc eius ſapientiæ eſt, verbis demiſſionem animi, factis poteſtatem demōſtrare. Cum enim Chriſto nihil aliud obiectare haberent, quàm quòd ex Deo non eſſet; ac ea ratione multos ſeducerent: hoc ipſum idcirco pleniſſimè monſtrat, ac eo modo, quē eorum repoſcebat infirmitas. Erat enim alio etiam modo cum propriæ dignitatis conſeruatione concordiam cum Patre oſtendere; ſed non adeo multitudinis animus proſequi potuit. Tandem clamat: *Lazare veni foras.* (Ioan. 5.) Hoc eſt, quod dixerit: *Venit hora, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audient, viuent.* F Vt enim intelligas ab alio vim effectricem eum non eſſe mutuatum, hoc ſupra te docuit, factiſq; declarauit. Nec dixit: *Reſurge*, ſed *Veni foras.* Ita cum mortuo diſſerens, ac ſi viueret. Quid cum hac virtute comparari poteſt? Quod ſi propria virtute non id agebat, quo ſuperauit Apoſtolos, qui dicebant: *Quid nobis intenti eſtis, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate fecerimus hunc ambulare?* (Actor. 3.) Quod ſi virtute propria nihil faciebat, nec appoſuit, quod Apoſtoli de ſe dicebant; illi certè ſapientiores quod à ſe gloriam excutiant, & iterum. *Quid nobis intenti eſtis quaſi propria virtute? & nos mortales ſumus ſimiles vobis homines.* (Actor. 14.) Cum Apoſtoli domeſtica virtute nihil patrarent, id vt perſuaderent, nihil non dicebant: Chriſtus verò tali de ſe opinione conflata, ſi autoritate propria miracula non patrabat, non eam de ſe exiſtimationem ſuſtuliſſet? Quis hoc dicat? immò contrarium adſerit: *Sed propter populū qui circumſtat, vt credant.* (Ioan. 11.) Quod ſi credidiſſent, oratione nihil erat opus. Nam ſi ipſo non erat indignum precari, cur in eos cauſam refert? cur non dixit potius, *Vt credāt*, qui tibi par minimè ſum? G Eò enim oportuit ex ſuſpicione deuenire. At quando Chriſtus venit in ſuſpitionē legis infractæ, eodem vſus eſt loquendi modo, cum neque illi quidquam dicerent: *Nolite putare, quia veni ſoluere legem*; hoc autem loco ſtatuit eam opinionem. (Matt. 5.) Denique quorſum fuit neceſſaria tam ambagioſa, tamque obſcura verborum circuitio? ſatis erat dicere: Non ſum par, & eos demittere. Cur ergo, dicat quis, non dixit: *Non facio voluntatem meam?* (Ioan. 6.) hoc quoque adumbratim ac pro eorum imbecillitate, & ab eadem cauſa, à qua profecta erat oratio. Quid porrò illud, *Quia audiſti me?* hoc eſt, quia nihil inter nos pugnans eſt. (Ioan. 11.) Quemadmodum igitur illud, *Audiſti me*, non eſt eius, qui planum faciat, ſe nihil poſſe: nam ſi hoc ſit, non impotentiæ modo id erit, ſi ante precationem neſciebat quid annuiturus eſſet Deus, verū & ignorantiæ. Quod ſi neſciebat, quomodo dicere potuit: *Vado, vt exſuſcitem eum*, ac non potius, Vado Patrē oraturus, vt eum exſuſcitem? H Quemadmodum igitur hoc infirmitatis non eſt, ſed cōgruentis cum Patre voluntatis: ſic & illud, *Semper me audis*: Aut enim hoc dicere eſt, aut ad illorum opiniunē accommodatè dictum eſt. At ſi nulla in eo ignorantia, nulla impotentia; ſatis euidens eſt ideo humiliter locutum eſſe, quòd ita eius ſubmiſſio poſtularet, non dignitas: etſi rerum magnitudo idem tibi perſuaſerit, ac confiteri coëgerit. Quid ergo illud: *Quia audiſti me?* ita dictum eſt pro imbecillo captu auditorum. Neget aliquis, dicatq; ad oſtentandam excellentiam dictum id eſſe. Sed profectò excellentiā demonſtrare hoc non erat; quin ad eū deijciendum admodum faciebat, eoque etiam valebat, vt nihil maius homine videretur habere. Nam precari neq; Deo conuenit, neque illi qui pari maieſtate fulgeat. Vides vt alia nulla de cauſa eo deuenerit, quàm ob adſtantium incredulitatem? Factum igitur illi autoritatem adferebat, ac teſtabatur: *Prodiit* igitur *Lazarus ligatus.* (Ioan. 11.) Deinde cum colligatum erumpere de tumulo non minùs ſit inopinatum, quàm reſurgere, ne res eiuſmodi putetur eſſe ſpectrum, iubet eum

A ſolui: vt qui contingerent, propiuſque accederent, viderẽt reipſa illum eſſe E. *Sinite ipſum abire*, inquit. Vides de chariſti iactantiam? Non enim attrahit, neque ſecum iubet obambulare oſtentationis cauſa. Quod miraculum cùm eſſet perpetratum, alij mirabantur, alij ad Phariſæos referebant. Quid illi? cum admiratione perculti ac percelli debuiſſent, volunt eum tollere, qui mortuo vitam condonaſſet. O vecordiam! Eum qui in alienis corporibus mortem deuiumphauerat, morti tradere moliuntur & aiunt: *Quid facimus? quia hic homo ſigna multa facit?* Hominem etiamnum appellant tanta diuinitatis eius demonſtratione percepta. Ioan 11. *Quid facimus?* Credere oportebat, colere, adorare, non hominem vitrà æſtimare. *Si dimittimus eum ſic, venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem.* Quid ſibi verba iſta volunt? reliquum volgus ſolicitare volunt, tanquam à tyrannidis ſuſpicione ſit periculum. Nam ſi eum, inquiunt, plebem ſolicitantem animaduerterint Romani, veniemus apud eos in ſuſpicionem tyrannidis, & ciuitatem noſtram demolientur. Quod cauſæ eſt, amabo? nunquid enim defectionem docebat? an non adhortatus eſt vectigal dare B Cæſari? an non eum creare regem voluiſtis, & fugit? nunquid ſine lare & tecto, ſine poſſeſſione vlla vitam traduxit abiectam, & ingloriam? Hæc dicebant non id exſpectantes, ſed inuidia perciti. Euenit autem nihil ipſis minùs exſpectantibus, Chriſtoque ſublato & gentem Iudæorum, & ciuitatem Romani ceperunt. At Chriſti geſta procul erant ab omni ſuſpitione: nam qui ægros perſanabat, & optimum vitæ genus edocebat, qui imperantibus parere imperabat, non tyrannidem conſtituebat ſed diſſoluebat. Quod ſi ex præteriti temporis memoria quidquam conijcere eſt, illi defectionem docebant: Chriſtus contraria omnia. Vides dicta iſta plena fuiſſe ſimulationis! nam quid tale monſtrauit? nunquid ſatellite claudebat latus, & vehiculo trahebatur; nonne deſertos locos captabat? At ne priuata mala loqui videantur, totam aiunt periclitari ciuitatem, & commune inſidijs peti, ac de ſumma rerum verba fieri. Non hæc captiuitatis iugum vobis inuexerunt: non quam modo ſubijſtis, non quam Babylone, non quam poſtea Antiocho regnante: ſed longè alia. Non qui vobiſcum agebant viri religioſi; ſed qui iniuſti, quiq. cæleſtes iras aſperabant, vos hoſtium manibus de- C diderunt. Verum inuidentia cernit nihil, animos occæcat. Nunquid Chriſtus manſuetudinẽ docuit? nunquid nõ referire, malã ferientes? non iniuria laceſſitos ferre? lætiùs nũquid promtiuſque iniuriã pati, quam inferre? Hæccine ſunt tyrannidẽ conſtituẽtis! an tyrannidẽ euertentis? Verũ quod principio dicebam, inuidia graue malum eſt, plenumque ſimulationis. Ea orbem terrarum infinitis oppleuit malis: ex hoc vitio factum, vt tribunalia compleantur: ex hoc æmulationes, & pecuniarum cupiditas, & ambitio, & inanis gloria. Hinc itinera latronibus infeſta obſidentur, & per mare piratæ volitant: hinc in mondo cædes, hinc genus humanum diſſidijs laceratur. Quodcunq; videris malum ab inuidentia profectum eſſe cognoſces, quæ & in eccleſias graſſata eſt, & iampridem mala plurima importauit. Hic morbus auri ſitim pepetit, omnia ſurſum deorſum Eccleſ. 20. agit, & iuſtitiam corrumpit: *Dona enim excæcant oculos iudi-* D *cum, & quaſi mutus in ore auertit correptiones eorum.* Hic ingenuos à libertate in ſeruitutem redegit; hoc de malo quotidie diſſerimus, nec hilum proficimus, feris ipſis deteriores euadimus, orphanos diſpoliamus, viduas nudamus Matt. 7. pauperes iniurijs oneramus, diuas diuis accumulamus. *Heu mihi, quia perijt ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt.* Hic quotidie inculcandum eſt, ſed neque precationibus, neq; conſilio, neque admonitu quidquam proficimus. Flere tandem reliquum eſt: hoc fecit Chriſtus; cum ex ſuis ad Iudæos monitis, nihil illi reportarent lucri, fleuit ipſorum caſus: hoc & Prophetæ factitarunt: hoc & nos modo facimus. Lamentis vt vacemos reliquum eſt, & lachrymis, & Ierem. 9. gemitibus. Quàm opportunè nunc dicemus: *Vocate lamentatrices, & ad eas, quæ ſapientes ſunt, mittite, & loquantur.* Hae fortè ratione ex eorum animis, qui ſplendidas aædificant ædes, qui agros ex rapina acquirunt, ægritudinem exturbare poterimus. Lugendi nunc tempus eſt, ſed vos iniuriam paſſi me adiuuate, vos fortunis exuti adeſte, adiunate, lugete, deducite lachrymas, nec iam noſtram, quàm E illorum ſortem lugeamus: nec enim tam nobis iniurij fuerunt, quàm ſe ipſos malè perdiderunt. Vobis enim pro iniuria patebit regnum cæleſte; illos pro lucro gehenna manet. Quare optabilius eſt iniuriam ferre, quàm inferre. Lamentemur eos lamentatione non vulgari, ſed quæ ex diuinis ſcripturis excitetur, qua & Prophetæ vſi. Lamentemur cum Iſaia dicentes: *Væ vobis, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ: domus grandes, & pulchræ abſque habitatore.* Iſai. 5. Lamentemur cum Nahum, & cum eo dicamus: *Væ illi, qui euehit in altitudinem domum ſuam.* Aut potius eos lamentemur Chriſtum ſecuti dicentem: *Væ vobis diuitibus, quia habetis conſolationem veſtram. Væ vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis*, quia habetis mercedem & cõſolationem veſtram. Luc. 6. Lamentemur ſine intermiſſione. Plangamus, dum ſine inepijs dicamus, quod Propheta: *Nolite flere mortuum* Ierem. 22. ſed plorate raptorem, auarum, pecuniæ ſitientem, F & inexplebilem auri cupidine. Cur mortuos inutiliter ploramus? eos ploremus, qui in melius mutari poſſunt. At forè dum lamentamur, ipſi rident ob rem planè luctuoſam; & hoc quoque comploratione dignum eſt. Nam ſi ex luctu noſtro ſenſum doloris caperent aliquem, luctu ſit abſtinendum: quippe, quòd ſe correctum ſint. Sed quia nullus ad eos ſenſus doloris peruenit, pergamus lachrymari, non eò ſolùm quòd opulenti ſunt, ſed quòd amantes pecuniæ, plurium appetentes, rapaces. Diuitijs enim decenter vti licet; vt cum in egentes inſumuntur. At immodica pecuniæ cupiditas accuſatione, digna eſt, digna criminatione, digna vituperatione. Quamobrem lugeamus: fortè enim tandem emendatio conſequetur. Quod ſi in hæc illapſi vitia non mutentur; ſaltem alij, eodem ne impingant, ſeruabuntur. Vtinam verò ab illa liberentur ægritudine, & alius incidat nemo, quò omnes pollicita bona conſequamur fauore, ac beneuolentia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

G

BASILII SELEVCIÆ EPISCOPI,

IN TRANSFIGVRATIONEM DOmini, & Dei, & Saluatoris noſtri IESV Chriſti,

ORATIO XLIII.

VT ſol in terram radios inieceerit, aſtrorum ordines obnubit, lunæque ſplendorem offuſcat, excellentiſſima claritate luminum iſtorum conſpectum eripiens, noctis curſum H inhibet, luce tenebras arcens, omniaque velut atra veſte exuens luce ſuauiſſima circumueſtit, & terræ dorſa vndique ambita floribus manifeſtat, ac mare purpuraſcens: cumque vnus ſit, mundi adſpectabilis faciem illuminat. Verùm etſi ſol tantus ſit, nondum ad ſummum luminis ſplendorem perueniſſe comprobatur: contra enim audent intueri mortales oculi, nubeſque ſubiens plerumque ſolares emicationes intercipit, atque vmbroſius arbuſtum lucem prohibet, nox, etiam procreatoris ſui lege freta, tempus ex æquo cum ſole partitur. Quod enim hominum vita & laborioſa ſit, & laboribus obſtricta, mundi opifex diem labori aptauit: nox autem ineuns, & defatigatum nacta hominem, quo quietem indulgeat, lecto tradit; membra quidem illa ſomno reſoluit, naturæ verò concedit ſollenne tempus, quò vires paulatim colligat. Magnum igitur, & illuſtre dicebam ſolis eſſe lumen; ſed humanis duntaxat viſibus attemperatum eſt, ac pariter accommodatum: verum Domini lux eiuſmodi non erat (nec enim fas creaturam cum creatore componere) nec ex comparatione cum ſolaribus radijs æſtimantur, quandoquidem

A doquidem noctis ſucceſſione non occultatur: at lux illa hominibus obſtupenda eſt & Angelis inacceſſa. Hac circumfuſus luce Chriſtus Dominus ritu tropæum reportantis è cœlo deueniet, cum ſe hominibus iterum ſiſtet præſentem: tunc enim bellico mutato habitu victoris ornamento veſtietur: Ita namque Propheta: *Iſai.63.* *Quare rubrum eſt indumentum tuum?* ſiquidem belli ſucceus depræliantis veſtem cruentauerat. Nam cum totius Incarnationis ſcopus Deo ſit in homines beneuolentia, multimodis voluntatem perficit, & humilem, vt vſus poſtulat, ſpeciem induit. Sic inambulans in paradiſo occultum protoplaſtum ad colloquiū euocat, ſic ipſo rurſum cum hominibus loquente nebula intercedit. Verum extremis diebus adſumta humanitate cum ſolennibus naturæ indicijs ſe oſtendit, & aduerſorum tolerantia genus confirmat: ea erant natiuitas, præſæpe, faſciæ, circumciſio, purificatio, legalis redemptionis redēptio; ad hęc crux, paſſio, mors. Talia erant ſuſceptę B carnis, initia, in abiecto habitu moderantis & adſpectum ſui, & ſe neceſſitati hominum attemperantis, at cum iterum ſe videndum dabit, vertet habitum; nec deſpectum, vt prius, ſed formidabilem, & conſpicuum præbebit. *Matt. 16.* Illius igitur aduentus gloriam cum vellet diſcipulis aperire, ait: *Sunt quidam ex vobis, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in gloria ſua.* Vos itaque deſpicabilem eius habitum conſpicati per *Ioan. 14.* mentis ignorantiam abditæ ſapientiæ altitudinem non perſpicitis, & viſionis modus eſt notitiæ veſtræ modus: *tanto enim tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me.* Quamobrem inuiſæ meæ maieſtatis partem aliquam vobis reuelabo, & hoc ſpectaculo futuri ſpes concitabo. *Luc.9.* Vobiſcum de paſſione diſſerui, & animus obtorpuit: dicebam in crucem me agendum; & vobis mens terrore fracta eſt: dicebam: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me*; *Marc. 8. Matt.16.* ſed ad memoriam paſſionis conſtantia veſtra ſoluta eſt: dicebam, *Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur; anima verò ſuæ detrimentum patiatur?* nec ea C oratione timorem veſtrum diſieci, ſed malum manſit inſuperabile: rurſus inducebam iudicem integrum, & muneribus *Marc.8. Matt.16.* corrumpi neſcium, peccata donis nequaquam nundinantem, dicens: *Quam enim dabit homo commutationem pro anima ſua*: & apud vos ambigua fuit hæc oratio mea. dicebam: *Veniet filius hominis in gloria ſua*; & vos me vana loqui rebamini. *Matt.16.* Quandoquidem igitur inefficax noſtra eſt oratio, res docebunt: *Sunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in gloria Patris ſui.* Secundi mei aduentus tempus nondum eſt: oportet enim crucem figi, infernum ſubiugari, mortuis ſcita de libertate proponi, oportet reſurgentem à mortuis in cœlum adſcendere, cunctis euangelij difficultatem proponi, & prædicatione euangelium damnatum tenere, & eum tunc videri, qui fuerit euangelio declaratus. Vobis interim diſcipulis meis aduentus mei imaginem præmonſtrare feſtino, vt D præmatura demeſſa viſione, priora hæc in fidem futuri teneatis. *Sunt quidam de ſtantibus.* *Quidam*: non enim omnes; *Matt.17.* quia non omnibus viſionem hanc publico. Viſa res hæc vel poſt viſionem maneat myſterium. Hæc vbi dixit, *adſumit tres diſcipulos Petrum, & Iacobum, & Ioannem.* Hos ſpectatores conſtituit, cæteros auditores reliquit: *& ducit in montem excelſum*: rectè *excelſum*, vt mons cœlo ſit vicinus, quem*2. Theſ. 4.*admodum Paulus prædicabat: *Rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aëra.* Quærit modo locum nubibus coæquatum. Erant illi quidē congruētes ſpectatores, oculi vero in ſpes ſuas expandebantur, & animus cum reuerentia viſionis deſiderium producebat. Sic ipſis futurum rei euentum ſpectantibus, rapidiſſimè Chriſtus coram diſcipulis transfiguratur, & formam demutat, & illuminatam veſtem induens fulgurans ſpectaculum edidit. O rem miram! diuina vi ex humana forma radij promicabant: vidit ſol, quæ prius non didicerat, alienæ lucis fulgoribus occuli doctus eſt. Steteſti quondam ſol victoriam Hebræorum præſtolatus, Ieſum ducem imperantem veritus es, Domini nomen in conſeruo tuo honoraſti: nunc lucem vides, quam ante nunquam. Hoc ſpectaculum Euangeliorum conſcri*Matt.17.*ptores dum recenſent, alius aliter dictionem torquent, oratione deſtituti: qua ſpectaculum iſtud repræſentent: E hic enim ait, *Reſplenduit facies eius, ſicut ſol*; quod aliam illuſtriorem imaginem habeat nullam. Alter verò *Reſplenduerunt veſtimenta eius ſicut lux*: nam è viſis, quod aiunt, comparationem ducimus. Mundus verò nobiſcum vincatur: cum nequeat huius ſpectaculi imaginem reperire: oculi ſint teſtes; ſiquidem lingua ideloqui non edidicit: at adſpectus ipſa rerum viſarum fulgore vndequaque ſpectantes perſtringens, venturum vniuerſi iudicem ſubobſcure ſignat. Vobiſcum autem præſentes viſi ſunt viuorum atque mortuorum ad virtutem primitiæ, vt viuorum atque mortuorum iudicem Dominum eſſe præſentibus promulgent. Moyſes enim princeps, opifexque virtutis, & ſanctor legum cum eſſet, vitam cum morte commutauit: Elias autem Zelo diuino incenſus ignis auriga fit, & aërem circumequitans curſu naturæ leges tranſiliit, viam molitus morte ſuperiorem. Hucuſque oratione prouecta, & Domini interrogationes, & diſcipulorum reſponſiones tibi in memoriam redigendæ ſunt: quidam enim Eliam: quidam Prophetarum vnum nominabant; at cum viderent nunc à Prophetis adorari... Moyſes ſupplicat, Elias cernuus procumbit, & Domi- F num, non ſeruum præſentem conteſtantur. Verum Petrus, etſi hæc videret, tamen ob nimia mira, mente conſternatus nondum eam doctrinam capit: videndi namque deſiderio omnium obliuiſcitur, captus ingenti *Marc.9.* gaudio loco alligatur: *Faciamus*, inquit, *tria tabernacula; tibi vnum, & Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* Suam ipſe ſocordiam arguit, cum Dominum ſeruis annumerat: ſubiectos pari honore cum Domino putauit eſſe. Sed non permanſit in ignoratione Petrus: nam ſupernè tonitrus perrumpens non ſine terrore medetur ignorantiæ, tantum non hæc ſtrepitu ſuo clamans: Quid Dominum in ſeruorum ordinem redigitis? eiuſne auctis excellentiam noſſe! *Hic eſt filius meus dilectus*: illos ego ſeruos feci; hunc ex eſſentia filium genui, filius meus eſt, etſi *1.Tim.6.* veſtri cauſa formam ſibi ſerui circumiecit: *lucem habitat inacceſſibilem*, & ſi propter vos modicè radiet. O beata lumina, quæ ſponſi habitu Chriſtum ſunt contemplata! beati oculi, qui formidabilem iudicij diem placidiſſimè conſpexerunt! Nam quæ tremebundi videbunt alij, ea G cum iucunditate viderunt. Quæ enim vis oculorum tanta, quæ terribilem iudicij diem ſuſtinere poſſit, quando terra perturbabitur, & mare proſata ex Adamo hominum corpora reddet exæſtuans, quando cum Angelis homines iactabuntur præſentem terrorem minimè ferentes? Nam velut accedente rege cælum torquebitur; confeſtim apparitores obienta pro foribus peripetaſmata contrahent: ſublato verò ex oculis cælo, erunt in proſpectu angelicarum virtutum ordines cum fulgore, mille millia procurrent & decies mille millia: conſpicitur verò deſcendens Dominus, dum nimia luce circa ſe præfulgurat vniuerſa. Quis eiuſmodi ſpectaculo ſpectando par erit? quis terrori moderabitur? Nam ſi fulgur crebro intermicans non ferimus, & non rarò ſplendor intuentem ſolo affligit, quid tum dicet, qui eum ipſum, qui iacit fulgura, viderit emicantem? quando tubarum ſonitus mortuos è ſepulchris ciebunt, quando monumenta & loculamenta diſrumpentur, & captiuos emittent, quando de intentione, de factis, de H animi cogitationibus iudicia exercebuntur, quando diabolus vinctus productus violentiſſimarum cogitationum rationem in iudicio repoſcetur, quando hominum greges in partes diſtrahentur, quam quiſq; partem ſortietur? quis erit aut cum Chriſto iudicante aut cum reo prædatore animarum! quando ſimul viui, ac mortui confluent? omnium enim vna erit euocatio; quandoquidē iuxta B. Pauli vocem reſurrectionis celeritudo faciet, vt mortui cum immutatis *2 Theſ.4* currant æquis paſſibus: *Quia nos qui viuimus, qui reſidui ſumus, non præueniemus eos, qui dormierunt*, neque mortuum tumulus reddet ſegniorem. Ad iudicis ſententiam cum formidine manent omnes, neſcij an illud audituri *Matt.25.* ſint: *Venite benedicti Patris mei*, an: *Diſcedite in tenebras exteriores, quæ parata ſunt Diabolo, & Angelis eius.* Qui expenſis operibus congruo fine facta circumſcribet. Huius ergo ſpectaculi ſimulacra Dominus Apoſtolis

A dedit. Quem rectorem cogitantes, mores præmaturè commutemus, bonis operibus libertatem ordinemur, & ante iudicij tempus defenſionem præmeditemur, ne cum damnato aduerſario condemnemur; ſed cum amanti Chriſto in cælum euadamus, *Hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti*, cui gloria, & honor, & adoratio cum Patre originis experte, cumque ſanctiſſimo, & vitæ autore, ac eiuſdem ſubſtantiæ Spiritu nunc & in ſecula ſeculorum, Amen.

B

BASILII SELEVCIÆ EPISCOPI, DEMONSTRATIO ADVERSVS IVDÆOS.

PETRVS STEVARTIVS LEODIVS SS. THEOLOGIAE Doctor & profeſſor, &c. euulgabat.

C

BASILII EPISCOPI SELEVCIÆ DEMONSTRATIO ADVERSVS IVDÆOS, DE ADVENTV CHRISTI.

INTERPRETE FRANCISCO Turriano.

CVM ſint multa teſtimonia, tum legis, tum Prophetarum de aduentu Domini, quæ Iudæi, quia negare non poſſunt, qui ex ijs aliquanto meliores ſunt, venturum quidem eum eſſe aiunt, nondum tamen veniſſe; idcirco conueniens eſſe exiſtimaui, ex verbis Gabrielis, cum diligenti ratione temporum, ad Prophetam Danielem dictis, in viſione illi facta anno primo Regni Darij, filij Aſſueri, ex genere Medorum, qui tenuit imperium Chaldæorum, viſione ſcilicet decima; exiſtimaui, inquam,
D conueniens eſſe, demonſtrare Iudæis, quod impletis temporibus ſub Auguſto, Chriſtus Prophetatus cum ad nos venit, & crucifixus eſt tunc impleuit omnia, quæcunque de eo per Angelos, & Prophetas prædicta erant; vt vel teſtimonia Archangeli reueriti ceſſent Iudæi à vana ſua exſpectatione. Cum enim Daniel Propheta vnus eſſet eorum, qui deſiderabant Saluatoris noſtri aduentum, de quibus ait Dominus; *Multi prophetæ, & iuſti cupierunt videre,* Matth. 13.
quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ vos auditis, & non audierunt. De quibus Petrus: *Scrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti prænuncians eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias, quibus reuelatum eſt: quia, non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea*: cum, inquam, Daniel vnus eſſet ex his, diligenter excuſſa lege ſeptuaginta annorum captiuitatis illius, quæ in eius tempus inciderat; & exiſtimans impletum eſſe tempus prophetiæ Dauid, de quo tempore aiebat Dauid: *Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem.* De qua captiuitate ipſe Dauid in ſpiritu precabatur: *Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in auſtro.* Similiter Eſaias in perſona Saluatoris dicebat: *Spiritus Domini ſuper me, eò quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum.* Quæ quidem de captiuitate animarum prophetata ſunt. In ieiunio ergò, & ſacco, & cinere ſupplicabat, tanquam iam impletum eſſet tempus noui teſtamenti: quippe quod venturus eſſet Dominus ad conuertendum captiuitatem.

1. Pet. 1.

Pſal. 67.

Pſal. 125.

E Iſai. 61.

De his igitur per viſionem facta eſt reuelatio ipſi Danieli, de rebus, & ratione exacta temporum. habet autem ſic: *Et ecce vir Gabriel, quem videram in viſione à principio, volans: & tetigit me, quaſi hora ſacrificij veſpertini. Et docuit me, & locutus eſt mecum, & dixit mihi: Daniel, nunc exiui imbuere te intelligentia. In principio obſecrationis tuæ exiuit ſermo: & ego veni, vt annunciem tibi quia vir deſideriorum tu es. Et cogita in verbo, & intellige in viſione. Septuaginta hebdomades breuiatæ ſunt ſuper plebem tuam, & ſuper ciuitatem ſanctam, vt conſummetur peccatum, & ſignentur peccata, & deleantur iniquitates, & expientur iniquitates, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & ſignetur viſio, & propheta, & vngatur ſanctus ſanctorum. Et ſcies, & intelliges ab exitu ſermonis ad reſpondendum, & ædificandum Hieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ. Et reuertetur, & ædificabitur platea, & murus, & euacuabuntur tempora. Et poſt hebdomadas ſexaginta duas exterminabitur vnctio & iudicium non eſt in eo: & ciuitatem, & ſanctuarium diſſipabit cum duce aduenient e. excidentur in diluuio, & vſque ad finem belli conciſi, ordine, deſolationibus. Et confirmabit teſtamentum multis hebdomada vna. Et in dimidio hebdomadis auferetur meum ſacrificium, & libamen: & in templo abominatio deſolationum: & vſque ad conſummationem temporis conſummatio dabitur ſuper deſolationem.* Daniel 9.

F

Neceſſe eſt igitur intelligere, quis eſt ſermo, qui egreſſus eſt in principio orationis eius, vt intelligamus, de quo exiuit Angelus docturus Danielem, & de quo dicat impleta eſſe tempora. Habet autem ſic oratio: *Et oraui ad Dominum Deum meum, & confeſſus ſum, & dixi: Domine Deus magne, & mirabilis, qui cuſtodis teſtamentum tuum, & miſericordiam etiam diligentibus te, & cuſtodientibus mandata tua. Peccauimus, iniuſte egimus, iniquè egimus, & receſſimus, & declinauimus à mandatis tuis, atque à iudicijs tuis.* Quia igitur de teſtamento erga diligentes Deum, & ſeruantes mandata eius, quod
G Teſtamentum per aſperſionem ſanguinis Chriſti conſummatum eſt; de quo Apoſtolus ait: *Et ſanguinis aſperſionem melius loquentem, quàm Abel*: & non de teſtamento per Moyſen dato Iudæis, quod aſperſum eſt ſanguine taurorum, & hircorum, & cinere vitulæ; & iam antiquato. quia, inquam, nõ de hoc, ſed de illo ſupplicabat in principio ſuæ orationis Daniel; idcirco ſermo ex ore Danielis egreſſus teſtamenti fuit, quod pepigit Deus cum diligentibus eum; quod vocauit idem Deus nouum, per Prophetam dicens: *Ecce dies veniunt, ait Dominus, & diſponam domus Iſrael, & domus Iuda teſtamentum nouum, non iuxta teſtamentum, quod diſpoſui Patribus eorum in die qua apprehendi ego manum eorum ad educendum eos de terra Ægypti; quia ipſi non manſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, ait Dominus. Hoc enim eſt teſtamentum meum quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos, ait Dominus: dans dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſcribam eas.* Et paulò poſt: *Quoniam propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non recordabor amplius.* Hebr. 12. Hebr. 9. Hierem. 31. ſecundum 70. 38.

H

De hoc ergò nouo teſtamento ait Angelus ad Danielem, *In principio obſecrationis tuæ exiuit ſermo*, ſcilicet à te; *& ego veni, vt annunciem tibi: quia vir deſideriorum tu es.* Cupiens, inquit, aduentum Domini videre, *& cogita in verbo eo*, id eſt, in ſermone qui exiit ex ore tuo; *& intellige in viſione*, id eſt, ſpiritualiter intellige captiuitatem omnium, à qua captiuitate liberaturus eſt, qui aſcenſurus eſt in crucem, de qua captiuitate locutus eſt Dauid; *Aſcendens in altum, captiuaſti captiuitatem, accepiſti dona in homine. Septuaginta hebdomades breuiatæ ſunt ſuper plebem tuam, & ſuper ciuitatem ſanctam*, id eſt 490. anni ſtatuti ſunt populo Iudæorum, vt, ſi non reſipuerint in aduentu ſeruatoris, cum ciuitate eorum olim ſancta pereant: gratiam autem futuram ijs, qui in Saluatorem crederent, in ijs, quæ ſequuntur, declarat angelus: *vt conſummetur peccatum, & ſignetur peccatum. Conſummatum peccatum*, vocat peccatum, quod ab Adam, vſque ad Saluatorem regnauit; quod, non potuit lex tollere, ſed ipſe Saluator ab eo liberauit: *Liuore etenim eius ſanati ſumus.* Quod Paulus docuit, Daniel. 9. Pſal. 67. Daniel. 9. Ibid. 1. Pet. 2.

A *Rom. 8.* lus docuit, inquiens, *quod impoſsibile erat legi in quo infirmabatur per carnem: Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.* Quod autem peccata reliqua, quæ fecimus poſt damnationem ex Adam, per lauacrum regenerationis deleturus erat, *Coloſſ. 2.* ſicut ait Apoſtolus: *delens, quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis; & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci:* *Daniel. 9.* dicit ſic angelus; *vt ſignetur peccatum, & deleantur iniquitates, & exorentur iniquitates.*

Deinde ipſius Saluatoris apparitionem declarat, inquiens, *ibid.* *& adducatur iuſtitia ſempiterna:* quæ, non alia erat, quàm ipſius Saluatoris, ſicut Dauid ait de ſancto ipſius templo; quod eſt ex ſemine Dauid, & de diuinitate vnita: *Pſal. 84.* *Miſericordia, & veritas occurrerunt: iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Veritas de terra orta eſt; & iuſtitia de cælo proſpexit.* Deinceps ait *Daniel. 9.* Angelus: *Et ſignetur viſio, & propheta.* Ceſſauitas dicit viſiones, & prophetias de aduentu Saluatoris. Deinde rurſus *Ibid.* ait de Saluatore; *& vngatur ſanctus ſanctorum.* Hanc vnctio- *Pſal. 44.* nem prophetauit Dauid, inquiens, *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem; propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* B *Pſal. 88.* Et iterum: *Inueni Dauid ſeruum meum: in miſericordia ſancta vnxi eum,* *Iſai. 61.* ſicut ipſe Dominus de ſe per Eſaiam dixit; *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me. Euangelizare pauperibus miſit me; prædicare captiuis redemptionem.*

Et rurſus de teſtamento meminit Daniel in principio orationis ſuæ, Repetens Angelus ait, *Et ſcias, & intelliges ab exitu ſermonis ad reſpondendum,* id eſt, vt cognoſcas, & intelligas noui Teſtamenti exactam rationem, & alios doceas.

Deinde tempora docet Angelus Danielem, diligenter, & perfectè. Cum enim illa Hieruſalem, quæ erat tempore Salomonis, deſtructa à Nabuzardan Archimagiro regis Chaldæorum, vt narrat Hieremias; iterum poſt 70. annos *Hier. 25. ſecundum 70.* captiuitatis, ædificanda eſſet, iuxta eiuſdem Hieremiæ prophetiam; ideo ait Angelus; *& ad ædificandũ Hieruſalem,* id eſt, poſt ædificatã Hieruſalem, *vſq; ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ.* Ergo ſexaginta nouem hebdomades annorum dixit angelus vſque ad aſſumptionem Domini, & vnam aliam hebdomadam præbuit ad pœnitentiam Iudæis, vt videntes ſigna, & prodigia poſt reſurrectionem, vel ſic crederent, vt etiam ipſe Saluator dice- *Ioan. 4.* C bat Iudæis. *niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis.*

Ergò poſtquam quæ vſque ad reſurrectionem, & quæ *Daniel. 9.* poſt euenerunt, narrauit Angelus; deinceps ait ſic; *Et reuertetur, & ædificabitur platea, & murus, & euacuabuntur tempora.* ** reuerti, * viſitare* Et reuertetur, ait, id eſt, viſitabit. Quod autem *ἐπιστρέψασθαι ſignificet *ἐπισκέψασθαι in ſcriptura, intelligi poteſt ex Prophetis; maximè ex Dauid. ait enim ſupplicans *Pſal. 89.* pro populo: *Conuertere Domine vſquequo; & deprecabilis eſto ſuper ſeruum tuum.* *Pſal. 79.* Et iterum pro vinea deprecans; *Deus,* inquit, *Virtutum conuertere: reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam.* Sic nunc Angelus; *Et reuertetur,* inquit, id eſt, viſitabit; ſignificat quæ acciderunt poſt captam vrbem à Veſpaſiano: quando ſaluator domum cum muro deſtruxit, vt ipſe prædixerat; *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta:* Et, *non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Aiunt locum *Matt. 23. Matt. 24.* quendam eſſe extra * murum quem vocabant locum Cra- ** ἀγρὸν κρανίου.* nij; in quo mulier quædam peperit puerum cornibus præditum quod ſymbolum eſſe aiebant, futuram ibi domum D regnum: quod quidem euenit paſſo ibidem Chriſto, ſepulto, & reſurgente; qui locus vocabatur Golgotha: vbi vſque in hodiernum diem ædificata eſt Eccleſia Crucis, & Anaſtaſeos. ſecundum verò traditiones Iudæorum, aiunt, ibi repertum fuiſſe cranium Adæ. Id quod Salomon pro ſua magna ſapientia non ignorauerit. Idcirco, aiunt, locus ille Cranij locus appellatus eſt.

Quod autem ſequitur; *Et ædificabitur platea, & murus;* templi plateam dicit, & murum Æliæ, quem ædificauit Ælius Titus in eodem loco poſt deſtructionem templi, & muri, quem Iudæi ædificauerant poſt captiuitatem annis centum: quem deſtruxit Veſpaſianus, cum Vrbem cepit, vt *Daniel. 9.* narrat Ioſephus. *Et euacuabuntur tempora;* quoniam in hoc ſtatu erunt Iudæi, vſque ad conſummationem temporum.

Deinde Angelus reſumens hiſtoriam, paſſionem Domini narrat; & per paſſionem, deſtructionem Arcæ, & eorum, quæ in ea erant ſancta; & cornu, in quo erat oleum, E quo vngebantur reges, & Prophetæ, qui iudicabant populum, & quid eſſet euenturum Iudæis, qui illum crucifixe- *Ibid.* rant. Sic enim ait: *Et poſt hebdomadas ſexaginta duas exterminabitur vnctio: & iudicium non erit in eo.* *Ibid.* *Cornu* dicit, in quo vngebantur reges, & Prophetæ iudicantes populum. *Et ciuitatem, & ſanctuarium diſsipabit cum duce aduenientе:* Saluatorem dicit. De ijs autem, qui eum crucifixerunt, ait: *Excidentur in diluuio, & vſque ad finem belli conciſi, ordine, deſolationibus:* bellum Veſpaſiani ſignificat, quod *deſolationis diluuium* appellauit. quia, ſolet ſcriptura largam effuſionem ſanguinis in bello diluuium appellare. quod ex viſione Danielis intel- *Daniel. 11. Eodem.* ligi poteſt: *Et filij eius congregabunt turbam inter medium multorum. Et veniet adveniens, & inundans.* Et paulò poſt, *Et veniet in tranquillitate. & obtinebit regnum in lubricitatibus, & brachia inundantis inundabuntur.*

Daniel. 9. Deinde repetens illud de Teſtamento nouo ergo diligentes Deum, & cuſtodientes mandata eius, ait *Et confirmabit teſtamentum multis hebdomada vna.* Etenim vſque ad ſeptimum annum poſt aſcenſionem Saluatoris, inter multa illa mala, alia alijs ſuccedentia aduerſus Iudæos, multi F cum viderent vindictam, atque ſupplicium, crediderunt in Saluatorem, & roborati ſunt ad nouum Teſtamentum di- *Pſal. 57.* centes, quod ſcriptum eſt: *Si vtique eſt fructus iuſto: vtique eſt Deus iudicans eos in terra.* Accedentes ergo ad prædicationem Chriſto, conſummationem peccatorum, & deletionem iniquitatum conſecuti ſunt per baptiſmum, vt narrauit *Pſal. 31.* Angelus. Quos vna cum ijs, qui poſtea in Saluatorem crediderunt, Dauid deprædicans; *Beati, ait, quorũ remiſſæ ſunt iniquitates. & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum.*

Deinde ait Angelus: *Et in dimidio hebdomadis auferetur meũ ſacrificium, & libamen, & in templo abominatio deſolationũ, & vſq; ad conſummationẽ temporis conſummatio dabitur ſuper deſolationem.* Quod ait; *in dimidio hebdomadis, auferetur meum ſacrificium, & libamen;* ſic factum eſt. Etenim quarto anno poſt aſcenſionem Saluatoris mortuo Tiberio, ſucceſſor Caius imaginem Auguſti in Hieruſalem poſuit, & multis bellis G propter hoc geſtis à Iudæis, cum eos viciſſet Caius, altaria eorum deſtruxit, & ſacrificia legitima cum pterygio. Sic appellat veſtem Pontificis, ſcilicet diploida. Cum enim ante Titum illam velut vectigalem facerent, & vt proprium ſigillum cuſtodirent, &, qui vellent, eam emerent; Titus hanc ſuſtulit, volens ſe tantum adorari. Vt autem nulla vana ſpes relinqueretur Iudæis, tanquam hæc eſſent aliquando renouanda, addidit angelus; *à deſolatione vſque ad conſummationem.* Vehementiam autem iræ Titi ſignificat addens; *Et feſtinationem ponet in deſolationem.*

Ad maiorem autem confirmationem repetens angelus illud de hebdomade, & dimidio hebdomadis, addit ange- *Ibid.* lus de ſtatua, quam in eorum templo poſuit, & adorare fecit. Hoc enim vocauit *abominationem deſolationum.* quoniam hoc abominati ſunt aliquando Iudæi deſolati. hoc enim *Matt. 24.* ſignificans, deſolationem dixit: ſicuti Dominus de hoc lo- *Marc. 13.* quens; *Cùm videritis,* inquit, *abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto:* cognoſcite, quod appropinquauit deſolatio eius.

H Rurſus ſignificans Angelus, quando hæc eſſent futura, repetit dicens: *Vſque ad conſummationem temporis conſummatio dabitur ſuper deſolationem:* conſummationem vocans etiam hîc deſolatos Iudæos. Quia enim cum Hieremias de priori captiuitate ſub Nabuchodonoſor prophetaret, tempus reditus prædixit Iudæis, inquiens: *quando completi fuerint ſexaginta anni Babylonis:* Archangelus Gabriel nullam om- *Daniel. 9.* ninò ſpem vanam Iudæis reliquit, dicens, *vſq; ad conſummationem temporis conſummatio dabitur ſuper deſolationem.* Quæ quidem illis euenerunt à Deo derelictis, propter impieta- *Pſalm. 2.* tem commiſſam in Chriſtum ab ipſis, de qua Dauid prædixit: *Aſtiterunt reges terræ; & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtũ eius.* Hanc autem derelictionem eorũ propter hoc eorum ſcelus, deinceps ſubiunxit: *Dirumpamus, aiunt, vincula eorũ, & proijciamus à nobis iugũ ipſorum. Qui habitat in cælis, irridebit eos; & Dominus ſubſannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira ſua; & in furore ſuo conturbabit eos:* *Hier. 12.* ſicut ipſe Dominus noſter per Hieremiã Prophetã de hac ipſa derelictione dicebat: *Reliqui terram meam, dimiſi hæreditatem meam*

A

tem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius.

Poſtquam pro viribus demonſtrauimus, perducta eſſe ad exitum, quæcunque Angelus prædixit de aduentu Domini Saluatoris noſtri & de ijs quæ poſt aſcenſionem euenerunt Iudęis; reliquum eſt vt demonſtremus, id, quod neceſſarium eſt cognoſcere ex temporibus regum, qui fuerunt poſt impletionem ſeptuaginta annorum captiuitatis vſque ad ædificationem Hieruſalem; & ab ædificatione Hieruſalem ſexaginta nouem hebdomadas Chriſti Ducis, & vnam aliam hebdomadam, in qua facta eſt abbreuiatio contra Iudæos, & contra Hieruſalem, ſicut ait Angelus; *ſeptuaginta hebdomades breuiatæ ſunt ſuper plebem tuam, & ſuper ciuitatem ſanctam, &c.* Habet autem ſic, vt in vndecimo de antiquitate Iudaica ſcripſit Ioſephus. Cyrus, qui fuit poſt Aſtiagem, ſub quo Bel perijt, & draco interfectus eſt, in primo anno regni eius, cum liberaſſet Iudęos, & dimiſiſſet, iuſſit eis ædificare Hieruſalem, ſuppeditans pecunijs ad ædificium. Hoc anno obijt Daniel Babylone ſicut ei prædixerat angelus ille indutus byſſina. Ait enim; *Et tu Daniel vade, & quieſce. Adhuc enim dies, & hora in completionem conſummationis:* ſicut & in principio tertiæ viſionis dicitur de eo; * *Et fuit Daniel quaſi anno tertio Cyri regis.* Hoc igitur anno cœperunt ædificationem, & manſerunt ædificantes vſque ad mortem eius: & ſunt triginta anni. Regnante autem filio eius Cambyſe, prohibita eſt ædificatio à finitimis principibus annis ſex. Similiter regnante Maguſeo prohibita eſt ædificatio, anno vno. Secundo autem anno regni Darij poſt Maguſeum, hortatu Zorubabel, perfecerunt ædificationem templi anno nono Darij, menſe ſecundo, vigeſimo tertio die. Vt iam ſint anni ædificationis omnes, quadraginta ſex; Cyri triginta; Cambyſis ſex; Maguſei vnus: Darij nouem. Quod cum ſcirent Iudæi, dicebant Chriſto: *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?*

Marginalia: Daniel. 9. — B — Daniel. 12. — * — Ioan. 2.

* *Alioquin Dan. 1. ad fin. habetur:* Et fuit Daniel vſque ad annum vnum Cyri Regis. *Schol. Turriani. Secundo anno aduentus, ſiue reditus Iudæorum in Hieruſalem iuſſu Cyri regis Babylon, cœpit ædificatio, neque debent numerari anni, quibus ante in Perſia regnarat Cyrus, vt vult iſte. Eſdras ſextum annum dicit, non nonum.*

C

Schol. Turriani. Hoc dicebat Iudæi decepti quia 10 annos numerabãt imperij Cyri, cum non eſſent niſi 30. imperij ſcilicet Babylonis: quorũ tertio anno, id eſt vltimo cœpit ædificari templum. 27. enim regnauerat in Perſis.

Poſt ædificationem templi, ſuperuiuente Dario alijs viginti ſeptem annis perſtiterunt, ædificantes * muros. Gentes autem finitimæ Hieruſalem, non ſolum prohibebant ædificationem murorum, & ædificata diruebant, ſed etiam frequenter eos ſpoliabant, & ducebant captiuos, & occidebant vſque ad vigeſimum quintum annum regni Xerxis. Neemias autem ex genere Iudæorum * pincerna Xerxis regis, cum hoc in Perſide cognouiſſet ex Iudæis, qui illic peregrinabantur, rogauit regem Xerxem anno vigeſimo quinto regni eius, vt ingrederetur, & ædificaret reliquias muri Hieruſalem. Et accepta poteſtate, præſidens locis perfecit muros magna diligentia anno vigeſimo octauo regis Xerxis, menſe nono: Vt iam omnes anni ædificationis Hieruſalem ſint centum. Sic à primo anno Cyri vſq; ad nonum Darij, quando templum perfectum eſt, quadraginta ſex. A decimo Darij vſque ad vigeſimum octauum Xerxis, anni quinquaginta quinque, & menſes tres. Anni omnes ædificationis ſecundum Ioſephum, centum. Anni verò ab ædificatione Hieruſalem, vſque ad aſcenſionem Saluatoris, quadringenti nonaginta tres. ſicut ait Angelus; *ab ædificatione Hieruſalem vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ.* quæ ita euenerunt.

Marginalia: * τὰ τείχη κατ. — * ἀρχιοινοχόος. archipincerna, ſeu pincernarũ princeps, & primus. — D — Daniel. 9

Poſt ædificationem enim Hieruſalem regnauit Artaxerxes Longimanus annos quadraginta & vnum, ſecundum Ioſephum. Hic eſt qui cepit Eſther Mardochæi (ex fratre neptem) Sub hoc crucifixus eſt Amanes. Poſt hunc Xerxes menſes duos, & dies ſeptem. Segdianus menſes ſeptem. Darius nothus annis vndeuiginti: Artaxerxes Cyri iunioris frater, annis quadraginta. Ochus Artaxerxes annis viginti quinque, & menſes ſeptem. Arſes nothus annis quatuor. Darius, quem deſtruxit Alexander, annis ſex. Anni omnes regum Perſarum poſt ædificationem Hieruſalem, centum triginta ſex. Alexander poſt Darium deſtructum annis duodecim. Ptolemæus Lagi annis viginti. Hic duxit captiuos Iudæos in Ægyptum. Philadelphus annis triginta nouem. hic ſolutis Iudæis à captiuitate, rogauit verti ſibi Græce libros Hebræorum. Euergetes, annis viginti quinque. Philopater annis ſeptendecim, Epiphanes annis viginti quatuor. Philometor, triginta quinque. Euergetes ſecundus, viginti duobus. Soter, triginta ſex. Dionyſius, viginti nouẽ. Cleopatra filia Dionyſij, annis viginti duobus. Sunt omnes anni Ptolemæorũ cum Alexãdro, ex quo deſtruxit Darium, ducenti octoginta ſeptem.

E

Imperatores Romanorum (erant) Auguſtus annis quadraginta tribus. regnante hoc, natus eſt Chriſtus anno * vigeſimo nono imperij eius. Tiberius Cæſar, annis viginti duobus. Huius imperij anno * decimo nono, perfecta œconomia Saluator, crucifixus, & reſuſcitatus, & aſſumptus eſt poſt quadringenteſimum nonageſimum tertium annum ædificationis Hieruſalem; ſecundum Angeli Prophetiam, poſt hebdomadas annorum ſexaginta nouem. Sic ab anno primo Cyri poſt Aſtyagem, cuius tempore Bel proſtratus eſt, & draco occiſus, vſq; ad ædificationem Hieruſalem anni (ſunt) centum: Ab ædificatione Hieruſalem vſque ad deſtructionem Darij anni ſunt centum triginta ſex. Inde vſque ad Auguſtum, anni ſunt centum nonaginta ſeptem. Auguſti, poſt mortem Cleopatræ anni quadraginta tres. Ante enim mortem eius annis tribus tenuit imperium: idcirco quidam dicunt regnaſſe illum quadraginta ſex annis. Tiberij Cæſaris anni ſunt duodeuiginti. Anno enim decimo octauo eius aſſumptus eſt Dominus. Sunt itaque ab ædificatione Hieruſalem, vſque ad aſſumptionem Domini anni quadringenti octoginta tres: hebdomades annorum ſexaginta nouem. Poſt reſurrectionem verò Domini, vſque ad tertium annum Caij, vna alia hebdomas, vt iam ſint hebdomades annorum ſeptuaginta, ſecundum Angeli Prophetiam, hæc eſt hebdomas, de qua dixit: *Et confirmabit Teſtamentum multis hebdomada vna*, hæ enim ſunt (70.) hebdomades dictæ vſque ad impletionem peccatorum illorum. Vt, ſi voluerint audire vocem tubæ Domini noſtri Ieſu Chriſti deleantur illorum peccata omnia, & iniquitates; ſi verò non receperint illius ſalutarem doctrinã, tunc gratia doni cœleſtis tranſeat ad gentes, quæ obedierunt eius ſanctæ vocationi: ſicut ipſe Saluator per Prophetam dicebat. *Audite vocem tubæ: Et dixerunt: non audiemus. Ideo audierunt gentes: & qui paſcunt greges ſuos.* Ante enim impletionem quadringentorum octoginta trium annorum miſericordia erga eos vtens Saluator, aliquando præcipiebat diſcipulis, inquiens; *In viam gentium ne abieritis; & in ciuitates Samaritanorum ne ingrediamini. Sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* Matri verò tempus veniam dandi Iudæis ſignificans, aiebat: *Nondum venit hora mea.* Aliàs Syrophœniſſæ dixit: *Non eſt bonũ ſumere panẽ filiorum, & mittere canibus*, aliàs; *nõ ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* Item alias lacrymatus ſuper Hieruſalem, dicebat illi: *Si cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi nunc autẽ abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Eorum verò exitum lamentabiliter prædicebat, cum dicebat: *Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.*

Marginalia: * 42. — * 18. — F — Daniel. 9. — G — Hier. 6. — Matt. 10. — Ioan. 2. — Matt. 15. — Ibid. — Luc. 19. — H — Matt. 23.

Quod autem cognouerit tempus parcendi illis vſq; ad horam vnam impleri; cum venuiſſent ad eum miniſtri cum Iuda: *Tanquam ad latronẽ*, inquit, *exiſtis cum gladijs, & fuſtibus comprehendere me. Quotidie apud vos erã docens in templo, & non me tenuiſtis. Sed hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarũ.* Quamobrem & ad patrem dicebat; *Pater, venit hora, clarifica filium tuũ.* Poſt ſanctam enim reſurrectionẽ, quando iam aderat impletio quadringentorum octoginta trium annorum, cũ non egiſſent Iudæi pœnitentiam, præcipiebat diſcipulis ſuis dicens; *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Quod quidem myſterium temporum impletorũ cum noſſent diſcipuli, dicebant Iudæis: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ, ecce cõuertimur ad gentes: ſic enim præcipit nobis Dominus.* Cum igitur demonſtratus ſit aduentus vncti ex Archangeli doctrina, relinquant Iudæi vanam ſuam exſpectationem, qua ſimplices decipiunt.

Marginalia: Matt. 26. — Ioan. 17. — Matt. 28. — Actor. 13.

Finis.

SANCTI

SANCTI VALERIANI EPISCOPI CEMELIENSIS, HOMILIÆ XX.

ITEM EPISTOLA AD MONACHOS De virtutibus & ordine doctrinæ Apoſtolicæ.

Omnia nunc primùm, præter vnicam Homiliam, poſt annos plus minus mille ducentos in lucem edita. Studio Iacobi Sirmondi Societatis Ieſu.

IACOBVS SIRMONDVS, SOCIETATIS IESV, LECTORI.

De Valeriani Epiſcopi Homilijs, & quo tempore ac loco claruerit

VALERIANI Epiſcopi præter Homiliam de bono diſciplinæ, quæ incerto antea nomine iactabatur, paucisque ab hinc annis auctori ſuo reſtituta eſt, nihil hactenus in lucem prolatũ accepimus. Quas nunc damus reliquas vndeuiginti, celeberrimo antiquæ Corbeiæ Monaſterio debemus. Cuius vnicum, quo vſi ſumus, peruetuſtæ ſed parum caſtigatæ manus exemplar, etſi homiliam de bono diſciplinæ non habebat, & Ciuitatis nomen in qua Valerianus Epiſcopus ſedit non indicabat: facilis tamen ex ſtyli argumentique ſimilitudine coniectura fuit, has illius germanas ſorores eſſe, omneſque ab vno & eodem Valeriano editas, Epiſcopo Cemelenenſi. Neq; hac in re quiſquam, ni fallor, repugnabit. Fuit autem Cemelenum, ſiue vt poſterior ætas locuta eſt, Cemelium aut Cemela, Vediantiorum in Alpibus maritimis oppidum, cis Alpem ſummam nono, ſexto, vt vetus Itinerarium docet, vls Varum fluuium lapide. Cuius hodieque priſca ruderum veſtigia, nomenque haud procul Nicæa reſtat in colle, quem Cemelam vocant. Sed Cemelium Plinius lib. III. cap. V. & Ptolemæus in Italia locant, quia Italiæ initium à Varo ducunt: Itinerarium, quia Galliam iuſtis finibus ad Alpem vſque ſummam porrigit, Galliæ adſignat. Et verò ad Galliam pertinuiſſe fidem ſine controuerſia facit vetus Notitia ciuitatum Galliæ, quæ inter Alpium maritimarum ciuitates, quæ ſub Ebreduno Metropoli cenſentur, ſexto loco numerat Ciuitatem Cemelenenſium. & Vſuardus in Martyrologio pridie Idus Maias, quo die S. Pontij Martyris natalem in Gallijs, Ciuitate Cemela, ſolemnem fuiſſe notat, eius nimirum, quem auctor noſter ſæpius triplici Homilia de bono Martyrij, ſed tacito ſemper nomine cõmemorat. Conſtat ergo de Valeriani cathedra Epiſcopali. reliquum eſt vt quo ſeculo vixerit inquiramus. Rem enim coniecturæ noſtræ fecerunt Gennadius & Iſidorus, alijque illuſtrium ſcriptorum nomenclatores, qui illum protſus ignoraſſe videntur: ita nuſquam eius meminerunt. Mihi verò ex cathedra ipſa Cemelenenſi deprehendere videor illum, ſub annũ Chriſti CD. L. hoc eſt Leonis magni temporibus floruiſſe. Poſt Leonem, enim Leonis ipſius decreto, vt Hilari Papæ verbis epiſtola IV. docemur, Cemelienſis ciuitatis, & Nicænſis caſtelli Epiſcopi diuerſi non fuerunt: ſed ijdem Cemelienſes ſimul, quandiu Cemela ſtetit, & Nicænſes. Quod videre eſt in Synodo V. Aurelianenſi, cui Aëtius presbyter directus à Magno Epiſcopo Eccleſiæ Cemelenſis & Nicænſis ſubſcripſiſſe legitur in antiquis exemplaribus, quæ integras eius Concilij ſubſcriptiones habent. nam mutilæ ſunt in excuſis. Quare Valerianũ, qui Cemelenſis tantũ Epiſcopus nuncupetur, ante Leonis decretum ſedem illam rexiſſe oportuit. Atq; vt quod ſentio dicam, omnino Valerianum hunc illum eſſe conijcio, ad quem & alios vicinarum Galliæ Prouinciarum Epiſcopos, ſcripta exſtat Leonis eiuſdem epiſtola de Vaſenſis Epiſcopi ordinatione, quam æternæ memoriæ Cardinalis Baronius ex Arelatenſi codice diuulgauit. Confirmorque in ſententia, quod in illo Epiſcoporum numero Ingenuum video, Ebredunenſem, id eſt, Valeriani Cemelenſis Metropolitanum Antiſtitem. Sed & aliæ duæ ſunt epiſtolæ, Leonis vna ad XLIV. Epiſcopos Galliæ, altera Epiſcoporum eorundem ad Leonem, in quibus Ingenuus & Valerianus pariter coniunguntur. Stylus denique optimus iudicandi magiſter, characterq; dictionis Valerianæ; grauis inquam ac ſplendida, & dignitatis ſuccique plena facundia, quæ in his Homilijs elucet, ſatis hanc eius quam dixi ætatem prodit illam ſcilicet, qua Eucherius Lugdunenſis, Hilarius Arelatenſis Epiſcopi, Vincentius Lirinenſis, Proſper, & Saluianus presbyteri, Galliam noſtram nõ diſſimili eloquentiæ laude & gloria decorabant. Vellem modo emendatiores nobis, & quales diſertiſſimus Epiſcopus pronũtiarat, edere licuiſſet. Sed in tanta deprauati codicis labe optandum id mage fuit, quam ſperandum. Fortaſſe autem quod prima hæc editio non potuit, altera præſtabit. Tu interim præſentibus, Lector, fruere & vale.

EX VETERI CODICE FLORIACENSI, in quo varia antiquorum Patrum opuſcula vel fragmenta.

VAlerianus quoque Cemelenſis Epiſcopus in libro de bono diſciplina, *Bene*, inquit, *in omnibus cauſis timor obtemperat diſciplina. qui pro hoc ipſo quod imminentes periculorum caſus aut iras iudicum cauere nouit, poteſtatem conſeruanda ſalutis obtinuit.* & quæ ſequuntur Homilia I.

INDEX HOMILIARVM S. VALERIANI EPISCOPI, QVÆ HOC VOLVMINE CONTINENTUR.

I. *De bono diſciplina.*
II. *De arcta & anguſta via.* I.
III. *Item de arcta & anguſta via.* II.
IV. *De promiſſu & non redditu.*
V. *De oris inſolentia.*
VI. *De otioſis verbis.*
VII. *De miſericordia.* I.
VIII. *Item de miſericordia.* II.
IX. *Item de miſericordia.* III.
X. *De paraſitis.*
XI. *Qui gloriatur in Domino glorietur.*
XII *De bono pacis conſeruanda.* I.
XIII. *Item de bono pacis conſeruanda.* II.
XIV. *De bono humilitatis.*
XV. *De bono martyrij.* I.
XVI. *Item de bono martyrij.* II.
XVII. *Item de bono martyrij.* III.
XVIII. *De Machabæis.*
XIX. *De Quadrageſima.*
XX. *De auaritia.*
Eiuſdem epiſtola ad Monachos, De virtutibus & ordine doctrina Apoſtolica.

A

S. VALERIANI EPISCOPI CEMELIENSIS,

HOMILIA I.

DE BONO DISCIPLINAE.

MVLTI qui ſanæ doctrinæ aduerſantur, iuſtitiam culpant, & diſciplinam imperium eſſe iudicant, ac rationabilem caſtigationem ſuperbiæ aſſignant: cùm non ſit imperium, niſi vbi aliquid iubetur iniuſtum; nec ſit ſuperbia, niſi vbi negligitur diſciplina. Diſciplina igitur magiſtra eſt religionis, magiſtra veræ pietatis: quæ nec ideo increpat vt lædat, nec ideo caſtigat vt noceat. Denique mores hominum irata corrigit, inflammata cuſtodit, ita Salomone dicente: *Fili, ne deficias à diſciplina Domini, neque fatigeris cum ab eo increparis. Quem enim diligit Dominus, increpat: flagellat autem omnem filium quem recipit.* (Prou. 3.) B Nihil profectò eſt, quod non diſciplina aut emendet, aut ſaluum faciat. Quam ſi quis ſapiens apprehenderit, nec gratiam amicitiarum perdit, nec periculum damnationis incurrit. Nemo diſciplinam irrationabilem putet, ſub qua videt vniuerſis quæ in cœlo, & ſub cœlo ſunt, verbo operante compoſitis omnipotentis Dei ſtare conſilium. In principio enim operis ſui Deus nihil prius quàm diſciplinam fecit. Nam cum aſſiſtente ſapientia cœlum ſuſpenderet, terram pararet, maria concluderet, & ſuis locis ſuiſque temporibus curſum ſolis, lunæque globum diſponeret, omnia ſub diſciplina conſtituit. Quid autem non eſſet tenebroſum, quid non incompoſitum, quid non haberetur abſurdum, niſi conſtitutis legibus cuncta ſtarent elementa? Nunquid ſine diſciplina agitur ſolis curſus? qui quamuis diurni itineris neceſſitatem infatigatus impleuerit, ad officium tamen ſuum matutinus occurrit, & ſe in parte cœli quotidie terrarum ſpatia luſtraturus oſtendit. C Tanta eſt diſciplinæ ratio, vt intra temporum metas lege conſcriptas ita indefeſſi itineris alternis vicibus ſyderum curſus agitetur, vt nec Luna defectionis ſuæ damna effugiat, nec Solem diurni luminis flamma deſtituat. Nunquid ſine diſciplina eſt, quod tanti maris fluctus humili terrarum litore continentur, & in ſuo ſitu frequenter incitata ventis altior aggere vnda concluditur? Omnia profectò inſipiens natura confunderet, niſi mundum diſciplinæ ratio gubernaret. Hæc ideo propoſuimus dicere, vt diſceretis obedire euangelicis præceptis, & cœleſtibus obtemperare mandatis. Quid autem rationalem animam, & ad Dei imaginem factam expediat, facile poteſt homo intelligere, cum videt ſacratis per voluntatem Dei conſtitutionibus diſciplinæ etiam elementa ſeruire. Audite Prophetam dicentem. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.* (Pſal. 2.) Bene in omnibus cauſis timor obtemperat diſciplinæ: qui pro hoc ipſo quòd imminentes periculorum cauſas aut iras iudicum cauere nouit, poteſtatem cōſeruandæ ſalutis obtinuit. D Quid igitur adultero caſtum? quid furi eſſet tutum? quid latroni non peruium? quis non expaueſceret concaua litorum, ſecreta ſyluarum? quid nō præſumptio poſſideret, niſi furorem animorum ſub metu pœnæ diſciplina compeſceret? Ac niſi conſtitutus eſſet ordo viuendi, nunquam profectò finem poneret natura peccandi. Nihil eſt quod non gula ſuadeat, ſi gulæ diſciplina conſentiat. Nihil eſt quod non perdat luxuria, ſi amore vitiorum à te diſciplina diſcedat. Nihil eſt quod non habendi ac poſſidendi cupiditate animus occupet, niſi auaritiæ vitium diſciplina condemnet. Omnia ſub metu diſciplinę vitia iacent. Iam non eſt in quo fides vnquam erubeſcat, ſi homo futurum Dei iudicium reſpiciat, & cauſam reddendæ rationis intendat: nec eſt in quo vindex ſcelerum flamma deſæuiat, ſi intuitu diſciplinæ aut quæ ſunt honeſta cogites, aut quæ ſunt pudenda caſtiges. Multi ibi nomē crudelitatis imponunt, vbi pro amore diſciplinæ crimen ad nulli ſceleris ſupplicio vindicatur latronis: cum ſententia iudicantis iuſtis legibus ſeruiat; E & non ſolum præſentibus, ſed etiam futuris manum porrigat. Quis igitur non licitò crederet ſe debere peccare, ſi impudicis & impijs actibus iudex non præſcriberet diſciplinā? Videamus quid lex loquatur: *Non occides. Non adulterabis. Non furaberis. Non falſum teſtimonium dices.* (Exod. 20.) Hæ ſunt diſciplinæ leges, quibus etiam diſtrictio ſententiæ ſæcularis obſequitur, impugnando turpia, reſecando criminoſa. Nam adijcit ſcriptura: *Iudex non eſt vindex poſitus boni operis ſed mali.* (Rom. 13.) ita vt etiam vicariū pœnæ genus exigat, cum dicit; *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* (Leuit. 24.) Sed iſtā antiquæ ſententiæ ſeueritatem facile vitare poſſumus, ſi flammas futuri iudicij cogitemus. Abſolute autem docet Paulus Apoſtolus poſſe contemni ſæcularis arma iudicij, qui dicit; *Si vis non timere poteſtatem, quod bonum eſt fac.* (Rom. 13.) Sed hæc nō otioſè tractanda ſunt. Nam cū de his terrenis poteſtatibus Apoſtoli doctrina commemorat, ſenſibus noſtris cœleſtis iudicij partes inſinuat. Nam cum docet ſeruiendum ſæculi legibus, admonet neceſſario hominem futuris cauere temporibus. Si vis, inquit, non timere poteſtatem, quod bonum eſt fac. F Hoc eſt dicere, ſi vis non futurum timere iudicium, declina à malo, & fac bonum. Ergo hanc primam conſtitutionis formam, quæ ſæculi legibus caret, cauere debemus & vincere, vt poſſimus à nobis illud præiudicium futuræ mortis excludere: quia quos iſta temporalis non affligit pœna, hos illa in æternum inſatiabili tormentorum perſequitur dolore. Nemo autem illum homicidij crimen euaſiſſe æſtimet, quem excuſatum ſæcularis iudicij corrupti ſententia abſoluerit. Nec ille adulterij facinus prætermiſſum putet, qui indulgentiæ lege deprehenſus euaſit. Nemo cum ſanam dexteram videt falſitatis reo, debita iure ſupplicia iudicet fuiſſe conceſſa. Defunctis corporibus ſalua ſunt crimina, ſi fuerint priùs apud Deum lacrymarum interceſſione purgata. Expectat enim reum ſuum gehenna debitis armata ſupplicijs. Ad confuſionem magis præſentis vitæ, non ad abſolutionem criminis, pertinet autoritas ſententiæ ſæcularis. Illa ergo nobis ſunt ante omnia cogitanda ſupplicia, vbi homo viuit durante pœna, vbi nec tormenta corpori, nec deſunt membra tortori. G Quæ tamen facile vitare poſſumus, ſi habenas diſciplinæ teneamus, ita dicente Apoſtolo: *Si vis non timere poteſtatē, bonum fac, & habebis laudem ex ea.* (Rom. 13.) Quis ſapiens non ad hæc diſciplinæ bona animū lætus adponat, vbi poteſt homo non ſolū criminis pœnam vitare, ſed & gratiam laudationis acquirere? Audite Prophetam dicentē: *Apprehendite diſciplinam, nequādo iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.* (Pſal. 2.) In hoc loco ad illos, puto, pertinet iſta ſententia, ad quos nondū diſciplina peruenit: qui adhuc in deuijs morantur capti antiquo ſuperſtitionis errore. Probantur enim ſub lege nunquam vixiſſe, qui admonentur vt apprehendant ſtudiū diſciplinæ. Sequitur in hoc pſalmo: *Ne quādo iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.* Igitur ſi illos propheta ſtatuit reos, ad quos diſciplina nunquam peruenit; quid de illis iudicandū putamus, quos diſciplina deſtituit? Inter vtrorūq; actus autoritas propheticę lectionis incuſat minorem plane culpā non perueniſſe ad diſciplinā, quā in legem diſciplinæ reſpuiſſe. Ecce dicit Propheta: *Qui ſpernit diſciplinam odit animam ſuam.* (Prou. 15.) Et vere vt dixit ita eſt. H Nam hoſtis eſt & inimicus animæ ſuæ, qui ſpretis diſciplinæ monitis diabolicis occupatur officijs. Dicunt aliquanti diſciplinam ſatis duris legibus conſtitutam. Loquantur iſta ſatis miſeri, quos ad omne facinus ille diabolus autor mortis inuitat; quorum mentes inſatiabilis gula poſſidet; ſuper quos regnat ebrietas; quos turpis luxuria captiuos tenet, & à quibus nunquam ſuperbia ingrata diſcedit. Illis autem quibus eſt ſtudium honeſtæ fidem ſeruare continentiæ, humilitati pietatique ſeruire, dulce diſciplinæ onus eſt, & leue iugum Domini, quod nō grauat niſi aut perditos aut perituros. Erubeſco dicere in confuſionem humanæ negligentiæ, quare apud aliquantos parum proficiat diſciplina, cum videamus paſtorale magiſterium etiam apud muta animalia non perire. Doceant nos ecce ſeruare ordinem diſciplinæ tam dociles equorum animi, cum in gyrum ducti flexuoſis greſſibus membra componunt, & ſub vnius habenæ retinaculo ita laxari ſe conſentiunt, vt & currendi & ſtandi modus ſub quadam legum diſpo-

ſitione

A ſitione ſeruetur. Ita quos natura numero diuidit, ſtudio diſciplinæ coniungit. Videte quàm fortia boum corpora plauſtro ſubiaceant: quæ in tantum imperio animum parant, vt timentia naturaliter leui iugo colla ſupponant. Ita diſciplinæ conſtitutionibus ſeruiunt etiam quæ in feritate naſcuntur. Vnde miror aliquoties hominem, cui inest ſapientia & intellectus prudentiæ, paſſim præcepta diſciplinæ negligere: cùm videamus mutum animal vitia cauere, iuſſis obtemperare, imperio deſeruire, atque ita ad omnem obedientiam animum aptare, vt cùm opus fuerit armatis legionibus occurrat, & hoſtilibus ſe telis iuſſum obijciat. Audite in hoc loco Prophetam dicentem: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui, Iſrael autem me non cognouit.* Vereor dicere, ne noſtram negligentiam pulſet illa ſententia. non autem cognoſcit Dominum, qui conditionis ſuæ non cognoſcit officium. Oſtendam ſanè quomodo Dominus poſſit aut inueniri, aut cognoſci, ſi tamen eſt animus videndi. Si vis videre Dominum, ſequere mendicum, ſuſcipe peregrinum, viſita infirmum, curre ad carcerem. Si vis videre Deũ, vincula captiuitatis abſolue, B nodos iniquitatis incide. Audi de hoc Dominũ dicentẽ. *Eſuriui, & dediſti mihi mãducare: ſitiui, & dediſti mihi bibere: hoſpes fui, & ſuſcepiſti me: nudus fui, & cooperuiſti me: infirmus fui & viſitaſti me: in carcere erã, & veniſti ad me.* Moneo itaq; ne deſpicias nudũ, ne cœco manum ſubtrahas, ne inuolutum pannis contemnas. In hac enim veſte primum Dominus cùm à Magis quæreretur, inuentus eſt. Et quia de diſciplina fecimus mẽtionem, ſub qua fides Chriſtiana viget, neceſſe eſt vt omnia in aures veſtras vitæ ornamenta defeȓantur, vt intelligat vnuſquiſque parum ſibi prodeſſe conuerſionis famam, niſi in contemptu mundi amauerit diſciplinam. Ergo cui ſtudium eſt Chriſtum colere, prius cordis ſic corporis indumenta ſuſcipiat. Omnis igitur vita religionis profeſſæ, integritatis debet famam ſentire, ne quem expectat corona virtutis, pudoris damno ſentiat. Corporis integritas vitam muniat, integritatem fides incontaminata cuſtodiat, vt manente vtriuſque partis beneficio immaculatum hominem faciat regnare cum Chriſto. Sed in hoc ſolo conſtat conuerſionis noſtræ ratio, vt boni ſimus. Laborandum igitur illi ante omnia eſt, vt qui bonitatem ſequitur, C bonus eſſe iudicetur. Nam quamuis homo purum corpus immaculatumque cuſtodiat, laceratam vitam ad Deum portat, cuius actus vultum infamat, licet ſciamus conſcientiam ſolam bonis actibus poſſe ſufficere. Sed quanto melius eſt vt ſemper de te bene ſentiat, qui circa iacturam tuam vanis ſuſpicionibus frequenter ægrotat? Inſitum eſt enim naturaliter vulgo, vt de bonis male ſemper iudicet. Sed tu qui curam bonæ famæ colis, ſtudio tuo gratiam integræ opinionis acquire. Vita ergo noſtra ita ſit lucida vt ſit omnibus nota. Integritas religioni, pudor ſeruiat humilitati. Quem amor tenet ſeruandæ integritatis, ante omnia falſi ad ſe famam non admittat erroris. Magnum eſt quidem, & glorioſum, & vſque ad cœlum omnium ore proferendum, nunquam malis actibus locum dediſſe: ſed multo fortius eſt nunquam falſis ſuſpicionibus laboraſſe. Quid enim tibi prodeſt ſobrietas, ſi vitia ebrietatis exerceas? Quis te non ebrium iudicet, ſi inter effluentes vino D calices ſaltantium gyros imiteris? Quis te caſtum putabit, ſi te viderit meretricum fabulis mixtum ſcenico ſermone compoſitis, aut loquentem turpia aut inhoneſta reſonantem? Laudo quidem conſcientiam caſtitatis in te, ſed odi colloquium meretricis. In quo loco fortaſſe dicat aliquis, Sufficit mihi pura conſcientia. Quantum ad innocentiam pertinet, tibi ſoli ſufficit. Sed prouidendum eſt ne facilitate tua alter peccet, & alienum peccatum in te redundet, iuxta illud quod dicit ſcriptura, *Væ illi per quem ſcandalum venit.* Quamuis autem pretioſo ſerico corpus veſtias, & niueo vellere membra componas, non ſine macula diem tranſigis, ſi camini ardentis ora contigeris. In omni igitur actu tuo vitam tuam diſciplina comitetur. Si vis placere Chriſto, elabora vt profeſſionem tuam fides adiuuet, fama commendet. Præcedat vos patientia humilitatis ſocia, aſſiſtat pudicitia integritatis magiſtra: fugiat cupiditas, erubeſcat ebrietas, luxuria actus ſuos lugeat, ſuperbia confuſa diſcedat. Quicunque igitur eſt qui feſtinat Deum agnoſcere, ſub hoc diſciplinæ ordine Chriſtum noſtrum poterit inuenire. Multa quidem ſuperabant adhuc, dilectiſſimi, quæ diſciplinæ ratio ſuadebat aperire: E quæ interim putauimus differenda, ne onoſis auribus faſtidium pareret longa narratio. Sanè ne quid in hoc opere ſubſtraxiſſe videamur, elaborabimus, vt ea quæ religioſis actibus competunt, ſequenti tempore differamus.

Iſai. 1.

Matt. 25.

S. VALERIANI EPISCOPI CEMELIENSIS

HOMILIA II. F

DE ARCTA ET ANGVSTA via.

MVLTIS atque innumeris diſciplinæ legibus, dilectiſſimi, ſicut audiſtis Euangeliſtam dicentem, viuendi rationem Chriſtus noſter inſtituit; & diuerſis modis renaſcenti populo viam ſalutis oſtendit: nihilque occultum eſſe voluit, quod animam aut ſaluaret aut perderet: ne res tanto pretio comparata diabolicis ſuperſtitionibus ignorantiæ vitio decepta periret. Sed quod peius eſt, parum prodeſt medicina morituris: & ideo difficilis eſt via ſalutis, quia facilior eſt ſemper exitus mortis: ita ſcriptura dicente, *Quàm ampla & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad mortem, & multi ſunt qui intrant per eam! Quàm arcta & anguſta via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam!* Mirantur fortaſſe aliqui, quare Euangeliſta amplam & facilem dicat eſſe viam mortis, cùm iter vitæ toto arcetur acceſſu. G Cui autem vnquam difficilis fuit ad inferiora deſcenſus, vbi homo onere ſuo trahitur, & faſcis ſui victus mole portatur? Multa ſunt autem quæ viam proſperæ ſalutis impediant. In quo loco illos ſpecialiter mortis iniuria perſequitur, quibus vanitas & crudelitas dominatur. Concurrunt præterea in præiudicium vitæ diſſenſiones, æmulationes, lites, rixæ, ſacrilegia, adulteria, homicidia, fraterna odia, parricidalia conſilia, falſitatibus armata periuria: non ſolum aſcendentem impediunt, ſed etiam in profundum Tartari mergunt. Quando ergo fieri poteſt, vt ille homo facile ad ſuperiora perueniat, quem tanta vitia impediunt? *Arcta & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam.* Hæc eſt illa via, dilectiſſimi, per quam iuſti pergunt, & ſancti, immaculatiq; gradiuntur: per quã illis iter eſt, qui humilitate, integritate, ſanctitate prædit, indefeſſi Chriſtũ noſtrũ proſequuntur. Huius ergo viæ & eligendus nobis & muniendus H acceſſus eſt: quia ſicut eſt arduus, ita & peruius. facilem autẽ ſe volẽtibus præſtat, ſi non eam vanitas impediat, aut fallax huius mundi ornatus obſiſtat. Liberum autem & exutum omnibus impedimentis illum eſſe conuenit, qui iter ardui montis adgreditur. Sicut autem videmus iniuſto faſce vacillare veſtigia; ita multis lapſibus ſubiacet anima, ſi fuerit iniquis actibus occupata. Vnde exonerandum corpus eſt ſæcularibus deſiderijs impeditum: ne per ardua & excelſa tendentibus, aut periculum mortis incumbat, aut deſperatio laboris adcreſcat. Quis igitur ſapiens animal ſuum impeditum ſarcina per anguſtum iter dirigat, cuius vnum latus excelſi montis moles premit, aliud rupes præceps adſtringat; vbi ſi temeritas præualuerit, aut receptendum eſt, aut euadendum? Similis eſt & hominis illius cauſa, qui viam religionis ingreſſus eſt. Opus eſt ergo, vt ſemper reſecet quæcunque aut inhoneſta videantur aut turpia, qui animam ſuam ad cœleſtem gloriam deſiderat peruenire. Non ſine cauſa autem dicit Dominus, *relinque bona tua, & ſequere me.* Bona iſta, dilectiſſimi, mala noſtra ſunt, terrenis actibus enutrita: quibus dum aliquanti nimium attente ſeruiunt, cœleſtia perdiderunt. Si vultis itaque vt vobis pateat cœleſtis ianua, remouenda ſunt omnia, & pœnitentiæ deputanda ſunt, quæcunque in exitium vitæ negligenter & inconuenienter viſitata ſunt.

Matt. 7.

Matt. 19.

Dilectiſſ

A Difficile autem eſt, vt ad ea, quæ præparauit Dominus credentibus in ſe, tibi perueniendi ſit aditus, niſi onuſtum vitijs pectus exoneres, atque omnes iniuſtitiæ culpas religioſæ diſciplinæ auctoritate compeſcas. Superfluè autem te putas ardui itineris & viæ aſperæ ſemitas tenere, ſi animæ impediaris errore. Ponite vobis denique, ſi videtur, ante oculos duos ad ſuperiora tendentes; quorum vnus graui pondere onuſtus pergat, alter leui tantùm baculo nixus incedat: & videbitis quis facilius ad ſuperiora perueniat. Reſpicite prius ad illum qui grauatur onere: & videbitis hominis illius pendentia retrorſum feſtinare veſtigia, atq; ita flexo genu incedere, vt putetur redire. Modò deſcendenti, modò cadenti ſimilis, ita in diuerſam partem penduli itineris toto corpore per ſingula momenta iactatur, vt ipſa neceſſitas ambulandi pene plus deſperationis habeat, quàm laboris. Connectite modò oculos veſtros ad illum cuius ceruicibus nihil ponderis imminet: & videtis quàm liber incedit. quàm facile illi eſt per ardua exutis ire plantis, & in locis ſcrupeis pendulis hærere veſtigijs.
B Nunc leui curſu procetus attollitur: nunc per diuerſa tota animi alacritate portatur: vt oſtendat difficultatem locorum liberis non impedire corporibus; nec laborioſa eſſe cuiquam itinera, quamuis ſint ardua, ſi exoneretur mens iniuſtis ponderibus occupata. Similis eſt, dilectiſſimi, ratio ſiue his, quos iniqui actus onerant; ſiue illis, quos veteri reatos culpa pœnitentiæ lacrymæ commendant. Debet itaque quæ ſunt onerosa deponere, qui vult ad iudicium ſecurus venire: & terrena contemnere, cui eſt animus cœleſtia poſſidere. Sanè, dilectiſſimi, quo faciliùs illius ardui itineris exuperemus anguſtias, ſyncerae mentis adhibenda ſunt ſtudia: & remouendum ſi quid litium aut infelix ſermo ſeruit, aut in opprobrium domus alienæ iniuriæ fortè veneni lingua commouit. Æſtimari autem non poteſt, quantum impediant viam vitæ vitia indiſciplinatæ linguæ: quæ dum nimium loquendo organum ſui oris exercet, odia aduerſum ſe etiam de otioſis
Matt.12. ſermonibus concitauit. Nam dicit Dominus etiam de o-
C tioſis ſermonibus rationem eſſe reddendam. Videte ergo quid illi futurum ſit, quem cauſa culpæ principalis impugnat: cùm non ſit ſine periculo animæ ad iudicium etiam leuia quæcunque portare. *Arcta & anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam.* Quicunque ergo eſt ſapiens, primo loco iactet à ſe impedimenta mundi, & muniat iter ſuum ſtudio diſciplinæ. ſemoueat intercedente pœnitentia quæcunque per negligentiam videntur impoſita: nec ſecum portandum putet, quicquid gloria ſæcularis impoſuit: quia licet ſint per ſe grauia, fiunt tamen itineris difficultate grauiora. Fortè aliquantis in hoc ſæculo nimium delicatis anguſti & ardui itineris neceſſitas deſperationem parit. Et verè habet hoc ratio, vt aſpera quæq; & difficilia rudis animus expaueſcat. Sed quid facimus, quod nulla delicioſis militibus virtutum patet ianua? Quis autem fructus laboris eſſet, ſi per plana diſcurreres? aut quando te ad locum paratum veniſſe gauderes, ſi ſine iniuria corporis peruenires? Quis vnquam otioſus trophæa compoſuit? aut quis
D circumſtantibus vndique hoſtium legionibus ad victoriam dormitando peruenit? Parum laudis habet virtutum corona, quæ ea labore non deſcendit. Poteſt quidem, habere palmam, ſed non habet gloriam. Quando fuit vt agricola horrea ſua otioſus impleret? aut quis vnquam legitimo tempore agri ſui fructum recepit, niſi prius multiplicato rudem terram ſulco confecerit? Hæc eſt autẽ magnarum ratio virtutum, vt quanto plus homo laborat, tanto plus mercedis adquirat. Videamus tamen qualis iſta via mortis ſit, quam Euangeliſta dicit amplam, & ſpatioſam, & fluctibus plenam: quæ quamuis referta ſit mortibus, nunquam tamen deſinit ſuſcipere criminoſos. Eſt enim huius naturæ, vt citò ad ſe perituros inuitet. facilem autem ſe illis præbet, quos diſciplina deſtituit. In comparatione autem plani & anguſti itineris, nihil viatori periculoſius ſpatioſis itineribus: quia ſine diſciplina curritur, vbi equorum habenæ laxantur. atq; ita fit vt multos porta
Matt.16. mortis recipiat: quia vbi liberius pergitur, facilius pernecitur. Audite Dominum dicentem, *Tolle crucem tuam, & ſequere me.* Facilem profectò homo illius ardui itineris non

E expaueſcit acceſſum. Quare autem illum labor conturbet, cui alter manum porrigit? Quiſque igitur per ardua alterius latere regitur, neceſſitatem cœptæ rei diuiſo itineris labore hortatur. Et ideo poteſt fieri, vt ad promiſſa regni præmia non dubiè perueniat, qui ad ſuperiora Domino comitante feſtinat. Sed deponendum eſt priùs, dilectiſſimi, ſicut ſuperiùs diximus, quicquid humanis corporibus infelix ſæculi error impoſuit: ne fortè nos peccatorũ mole obiecta ad illa remunerationis tẽpora aut nõ patiatur peruenire; aut ſi peruenerimus, cœleſtes regni portas nõ permittat intrare. Sed dicis, Non poſſumus peruenire. certis experimentis agitur. videmus enim frequenter multos inſalutato patre familias ianua reſte diſcedere. quos tamen nequitia, aut malitia, aut perfidia, aut luxuria, aut ſuperbia facit exoſos. Contempletur vnuſquiſque veſtrum diabolicæ præſumptionis offenſam: & intelliget quantum ſuperbia grauet hominem ad ſuperiora tendentem; vel in quo ſtatu ſit poſitus, cui elationis ſpiritus dominatur. Au-
Iacob 4. dite de hoc Dominum dicentem: *Humilibus Deus dat gratiam, ſuperbis reſiſtit.* Sed nec minus impeditur neceſſitas hu-
F ius itineris vitio cupiditatis: quæ dum vult nimia pecuniæ mole gaudere, diuitem in regnum cœlorum non permit-
Matt 19 tit intrare, ita Domino dicente, *Amen dico vobis, quia difficile eſt diuitem intrare in regnum cœlorum.* Hinc ebrietas, luxuriæ omnis conſcia, non parum humanis corporibus oneris indicit: quæ dum impudicis actibus ſeruit, infelicem hominem à conſortio regni cœleſtis excluſit. Obſidet etiam anguſti itineris ſecretum crudelitas cum impietate coniuncta: quæ dum cruentis legibus mortis inſtruit, cœleſtis gloriæ clauſit viam: ita Apoſtolo dicente, *Non fures, non a-*
1 Cor.6. *uari, non ebrioſi, non maledici, non rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Ad hæc ergo, quæ diximus, pugnandum nobis eſt ſtudio diſciplinæ, vt perueniamus ad locum vitæ. Adhibenda magis eſt itineri noſtro pietas, miſericordia, humilitas, integritas, caſtitas, ſobrietas, pax, fides, caritas. Nun autem priùs ad locum promiſſæ hæreditatis peruenies, niſi ſub hoc vitæ ſtudio onuſtum prius vitijs corpus exueris.

S. VALERIANI EPISCOPI CEMELIENSIS G

HOMILIA III.

ITEM DE ARCTA ET anguſta via.

OMNIS homo, cui eſt cura Deum videre, & cœleſtia regna contingere, facilè poteſt, intelligere, anguſti & ardui itineris neceſſitates, ad vitæ compendium pertinere, & ſpem obtinendæ gloriæ in labore conſiſtere. Nihil eſt enim quod non labor exſuperet. ſi tamen in alteram partem, vt aſſolet animus non declinet. Conſtat autem illi omnes difficultates occurrere, qui illius ſpatioſæ viæ delectatur errore. Audite Euangeliſtam dicentem, *Quam ampla via & ſpatioſa eſt quæ ducit ad mortem, & multi ſunt, qui in-* H *trant per eam! quam arcta & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam!* Non dubito quod aliquantis in ordine cœleſtis militiæ conſtitutis deſperationem faciat, quòd cœleſtis militiæ ardui itineris arctatur acceſſus. Et verè, dilectiſſimi, non ſolum arduum, ſed etiam difficile & pluſquam laborioſum eſt ad celſiora tendentibus. Sed inuitis deſidioſis, & occupatis negligentibus, ſine dubio etiam per plana neceſſitas laboris accreſcit. Quamuis autem ſint aſpera & difficilia quæcunque ſunt locata celſis poſita; non dubiè fit vt in apertum campum veniant, ſi tolerantibus nihil deſperationis occurrat. Omne igitur opus dilectiſſimi, in quo ſtudium humanæ conuerſationis inuigilat, voluntarium requirit officiũ. Nam inæſtimabile eſt, quantum difficultatis accreſcat, ſi hominẽ voluntas in maxima rerũ neceſſitate decipiat. Nunquã ille bene iter ardui

A moitis adgreditur, cui deſperatio dominatur. Quando autem poteſt fieri, vt corpus adſueſcat labori, niſi voluntas obtemperet laboranti? Reſpice & vide, quam citò ad terram redibt, qui equum trepidos adſcendit: vel quantis laboret anguſtijs, qui inuitus altum mare nauigaturus ingreditur. Religio Chriſtiani nominis, in qua vocati ſumus, liberi arbitrij ſuſcepit officium, ad quam ſi quis inuitus venerit, onerionus addit, & exutis antiqua lege corporibus deſperatæ vitæ pondus imponit. Inde eſt quòd multos putta mortis recipit: quia perituris ſemper vitæ difficultas occurrit. Neceſſarium itaque, vt qui ad libertatis viam peruenit, ſi quid in ſe eſt infidelitatis, reſecet, & cœleſte ratiocinium ſtudio voluntariæ ſeruituris adcumulet: ne homo tantis Deo beneficijs obnoxius, in paruis officijs inueniatur ingratus. A negligentibus & imperitis ſeruitium Deo debitum fortè iudicetur oneroſum, ea hoc quod nullum tempus vacationis excipiat. Omnem hominem Deus, non ſolùm ad libertatem vocauit, ſed etiam in ſumma rerum dignitate conſtituit. Ipſe autem ſibi ſeruitium indicit, qui inuitus ſeruit. Nam ſi voluntati ſerui- B tium accommodes, non te famulum Dei inuenies eſſe, ſed filium. Nam ita dicit Propheta voce Domini: *Ego ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.* Conditionis noſtræ, dilectiſſimi, talis eſt ſeruitus, vt laudemus ſemper Dominum noſtrum in operibus ſuis, & extollamus eum in claritate maieſtatis ſuæ voce continua. Quid autem præter hoc humanum indiget inuiſibilis, incomprehenſibilis, inæſtimabilis gloriæ poteſtas? aut in quo corporale requirat officium, cui chorus obſequitur Angelorum? Illa eſt ſeruitus intolerabilis, quam indicit tyrannicæ, hoc eſt, diabolicæ dominationis ſuperbia, impiæ captiuitatis iniuria. ad officium verò, non ad ſeruitium pertinet voluntariè ſuperiori perſonæ exhibere famulatum. Audite Prophetam dicentem: *Voluntariè ſacrificabo tibi Domine.* Diſcite quantum diſtet inter addi- C ctam & voluntariam ſeruitutem. Nunquam poteſt fieri, vt ſine offenſa diem tranſigat, quem negligentia addictæ ſeruitutis accuſat. Qui ex voto Domino ſuo paret, adquirit gratiam: inuitus adcumulauit iniuriam, ita Propheta dicente: *Maledictus homo, qui facit opera Domini negligenter.* Si conſideret vnuſquiſque veſtrum gratiam adhibitæ libertatis, quam Chriſtus noſter fidelibus populis per regenerationem vitalis lauacri, & Spiritus ſancti effuſionem conceſſit; intelliget non otioſè Domino ſeruiendum; cur quãuis quodlibet quotidie honoris aut muneris exhibeamus, nunquam tamen perſoluimus quod debemus. Quando autem eſt, vt ille perſoluat debitum, quem conſtat vicario pœnæ munere comparatum, niſi fortè pro amore redemptoris ſe finali ſententia aut mortis, aut damnationis excipiat? Sed dum iſta fortiſſimis quibuſque proueniunt, nos vel quod ſolum poſſumus, Chriſto noſtro quotidie gratiarum hoſtias immolemus: vt ſi alios commendant virtutum merita, nobis ſaltem locum gratiæ faciant voluntariæ ſeruitutis officia. Exoneremus ante omnia corda noſtra impia contagione, vt fructus poſſimus nutrire iuſtitiæ. debet enim ex integro terrenis actibus abrenunciare, qui vult cœleſtibus mandatis ſatisfacere. Nam ſicut homo nun- D quam inuitus bene ſeruit: ita nec occupatus bene commendata cuſtodit. *Voluntariè ſacrificabo tibi.* Non ſine cauſa Propheta hac ſe Domino voce commendat. Sciebat neceſſario multos dubio corde ſeruire; & aliud ore promittere, aliud pectorum ſecreto diſponere. *Voluntariè ſacrificabo tibi.* Quamuis parua, ea voto offerentis magna ſunt munera. conſumunt verò auctorem ſuum beneficia, quæ conſtrictè extorta. ſic denique ſemper plangit quod erogauit, qui eum initium inuitus inſtituit. *Voluntariè ſacrificabo tibi.* hoc eſt voluntario ſacrificio. Vt auctori tuo ora munuſcula quotidie lætus exhibeas, eius ſacrificium laudis verborum ſuauitate componas; atque ad officium operis deputari deuotus occurras. Audite Prophetam dicentem: *Voluntaria oris mei fac beneplacita Domine.* Cùm ergo conuenimus ad Eccleſiam, dilectiſſimi, ante omnia ſecreta pectoris noſtri fides veritatis aoalio munita poſſideat: vt enim purum & immaculatum Deus diligit, non falſitate obſeſſum, non periurijs occupatum, non fictum, non dubium. ſeueritatis enim perfectæ hæc ſunt indicia, aut ſanctitatis amor, aut ſtudia diſciplinæ. hoc eſt immaculatam hoſtiam ſacrificijs exhibere, tota Domino fideliter mente ſeruiſſe. Seruitij autem noſtri hæc eſt ratio, vt beneficia Chriſti noſtri ſemper recolas: & in quo religioſæ fidei labore profeceris, auctori tuæ libertatis adſignes. Inter omnia cuſtodias præcepta iuſtitiæ, vni Deo ſeruias, Trinitatis tamen honore ſeruato. Vnam fidem, vnum baptiſma credas. Patris ac Filij, vel Spiritus ſancti vnam claritatis confitearis eſſentiam; nec diuiſa voluntate cuiuſquam aut præcedere, aut regnare perſonam: ſed Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum vnius poteſtatis, vnius credas eſſe virtutis. Ita igitur fit, vt illud arduum & anguſtum iter in æternum victurus exſuperes: atque ea quæ iuſtis laboribus in cœleſti patria promiſſa ſunt, non dubiè conſequaris, ſi per hos diſciplinæ gradus exurras, & vitæ tuæ tempora ſub hac viuendi lege diſponas.

Margin notes (left): 2.Cor.6. — Pſal. 53. — Ierem. 48. — Pſal. 118. Margin letters (right): E, F.

HOMILIA IV.

De promiſſis & non redditis.

SI homo obnoxius beneficijs, dilectiſſimi, promiſſioni ſuæ ſatisfaceret, & ſtudio deuotionis implendæ fidem placitis exhiberet, neminem vnquam repetitio debiti ingrata confunderet: nec eſſet cuiquam imputandi locus, ſi mox promiſſi muneris votum ſequeretur effectus. Sed inde eſt quod interdum amicitiarum fides læſa ſuſpirat; quia neceſſe eſt aliquotiens homini aut redhibitionis increpare moram, aut debitoris exprobrare perfidiam. Inimicitias enim dixiſſe, eſt promiſſa denegaſſe. quia ad litem pertinet, ſi quid aut hic inuitus reddit, aut ille per moras exacerbatus exigit. Audiſtis Prophetam dicentem, *Sic pſallam nomini tuo Deus in ſeculum ſeculi, vt reddam vota mea de die in diem.* Pſal. 60. Infinitum eſt, dilectiſſimi, quid beneficia gratiæ capiant, ſi ante diem creditorem ſuum debitor ſolutione præueniat. Quicunque autem commodatam pecuniam vltro reddiderit, ſibi reponit. Non difficile enim homo cum opus fuerit quodlibet impetrat, ſi fœneratori ſuo celeri ſatisfactione reſpondeat. Ille verò quem perfidia ar- G guit, ſemper creditoris ſui ianuam clauſam inuenit: & quamuis frequenter pulſet ac ſupplicet, triſtis & vacuus cum increpatione recedit. Si ergo homo homini mentiendo aduerſum ſe odia excitat; quanto magis ſi Deum fallat, & cœleſtis maieſtatis Dominum lubrica promiſſione decipiat? Ideo hæc propoſuimus, dilectiſſimi, quia ſolent aliquanti imminentibus periculis ita animorum vota componere, vt accedente tempore obliuiſcantur ſe aliquid Domino promiſiſſe. Hic hoſtiam corporis ſui offert: ille pœnitentiæ lacrymas repromittit. alius in amore Eccleſiarum, alius in honore Sanctorum voti reus exiſtit. Sed iſta iam facile eſt promittere, quàm negare. circa quos tamdiu durat ſpes deuotionis implendæ, quamdiu dolor ſentitur in capite. Ita paulatim conſueſcit promiſſa denegare, poſtquam mortem cœperit non timere. Et miramur quare aliquotiens Dominus vndantibus lacrymis tam tarde reſpondeat, nec exaudiat ſupplicantium voces iuſtis doloribus feruentes? Miramur quare non ſollicito agricolæ lætior ſe ſolito cultura componat? quare non fœcun- H do ceſpite multiplex ſpica parturiat? quare non pingues oleæ exhibeant pretioſa commercia? quare non plenis torcularibus ludet copioſa vindemia? Nemo hîc terræ imputet, nemo intemperiem aëris accuſet. manus arida nihil colligit: aut ſi collegerit, mox amittit. Infructuoſi agricolæ ſemper vacua & otioſa ſunt horrea. Nam & inde deſcendit, quod aliquotiens non inuenit medicina quos ſanet. Difficile eſt vt medicus manum fideliter accommodet, quem frequenter languentis promiſſio vana deſtituit. Ecce hic filij ſui infirmitate ſuſpirat, & Sanctorum ianuas die noctuque precibus inquietat. Hæc mariti, ille vxoris ſuæ valetudine afflictus, ſecretum pectoris ſui pulſat, & flebili oratione auxilium cœleſtis miſerationis implorat, ſeſeque munus Deo offerens. Sed iſta ſuccedentibus votis videmus aliquotiens vniuerſa ſubito animum excedere. vt æſtimes miſeros

obliuiums

A obliuionis magis bibiſſe poculum, non ſalutis. Ita non ſemper fallacibus votis proſutura reſpondent. Quando autem eſt, vt beneficium inueniat qui debitum non reportat? Non poteſt fieri ne aliquando ſuæ perfidiæ pœnas luat, qui inanibus verbis patientiam iudicis frequentes inluſerit. Inde eſt quòd otioſis Dei auribus hominum preces euaneſcunt, nec habet effectum intercesſio læuytmarum: quia difficile eſt vt exaudiantur, qui Deo ſuo frequenter vana promiſſione blandiuntur. Beati apud quos manet fides placiti, & nullum ſtudium mentiendi. Melius eſt profectò non promittere, quàm promiſſa fraudare. vbi quamuis homo inhumanitatis notetur culpa, nulla tamen ſubdolæ circumuentionis grauatur iniuria. Recurrite denique ad actus Apoſtolorum; & inuenietis ad damnum animæ pertinere promiſſis fidem frangere. Legimus igitur Ananiam & Saphiram vxorem ſuam vendito patrimonio ſuo partem diſpenſandæ pecuniæ ad Apoſtolos detuliſſe, B partem domi reconditam reſeruaſſe, quibus ait ſanctus Petrus: *Impleuit, Anania, iniquitas cor veſtrum mentiri Spiritui ſancto, cùm eſſet fundus in veſtra poteſtate. non hominibus mentiti eſtis,* (Act. 5.) *ſed Deo.* Ita dum operantur fraudem, mercati ſunt mortem: & dum cupiditati ſeruiunt, æterna munera perdiderunt. Ecce dicit Propheta: *Vota mea Domino reddam in atrijs domus Domini.* (Pſal. 115.) Obligatus legitima debiti eſt ſine dubio pactione, qui cunuincitur Domino aliquid promiſiſſe, qui autem redditurum ſe loquitur, neceſſario debitum confitetur. Tandiu enim iuris tui eſt patrimonium tuum, quamdiu chirographi fide alteri non fuerit obligatum. In omni itaque placito, ſiue quod amicitia obtulerit, ſiue quod voluntas adſcripſerit, non lentanda redibitio. Nam omnis oblati muneris gratia perit, vbi cauſa repetitionis incumbit. Ita nihil votis ſuis præſtitit, cui neceſſe eſt inuito reddere quod promiſit. Nam legimus in Salomone: *Si voueris votum Domino tuo, ne moram feceris reddere illud, quoniam enim queret illud Dominus tuus à te: & erunt in peccatum quæ egrediuntur per labia tua, niſi reddideris illud.* (Deut. 23.) Ergo, dilectiſſimi, moneo vt quicumque ſe Domino votum promiſiſſe nouit, ſtatim reddat. C Certè qui ſoluendo non ſufficit, non promittat. Non hic, vt aliquanti putant, inhumanitatis vitia exaggeramus: ſed de fide dicimus, quam videmus apud aliquantos periclitari peſtilentia vanitatis. Nam multi ſunt, quod peius eſt, qui ſubtracto libertatis ſuæ pretio, non integram pecuniam, hoc eſt, ſemipleoam religionis fidem ad Dominum detulerunt. Audite Prophetam dicentem, *Vouete & reddite Deo veſtro munera.* (Pſal. 75.) *Vouete,* his dat conſilium conuerſionis. *Reddite,* ab iſtis debitum promiſſæ repetit ſanctitatis. Parum autem ille habet de religione, quem ſtudere vides ſæculo, & plus præſenti vitæ fauere quàm æternæ gloriæ. Tunc probas nihil te Domino de tua oblatione fraudaſſe, ſi iuſtitiæ partes colas, integritatem diligis, ſanctitatem quam promiſiſti exhibeas. Debet autem expaueſcere Ananiæ vel vxoris eius exitum, qui intelligit ſe Domino fuiſſe mentitum. *Vouete & reddite Deo veſtro munera.* D In hoc loco cauſam munificentiæ non importunè proſequitur, quia teſtimonijs competentibus admonemur. Siquidem reluctuoſis hominibus adquieſcamus, vt iſta vox affectum indicet poſtulantis. Numquid à te Deus ideo aliquid requirit, quia illi deſit? quid autem non habet, qui totum poſſidet? Numquid quia in tribulationibus tuis promittis aurum, aut in doloribus polliceris argentum, Dei vſibus neceſſarium eſt? aut ideo aliquis pretioſos lapides, aut veſtes offert, quia his Deus indiget. Ob hoc à te tuum munus quæritur, vt ipſe fulgeas tuo auro, ipſe tuo niteas argento, ipſe tuis gemmis orneris, ipſe tuo ſerico veſtiaris. Tuis donis tuam vult Dominus animam componi, quam videt aut ſuperbiæ, aut nequitiæ, aut auaritiæ, aut luxuriæ vitio deprauatam. *Vouete & reddite Domino Deo veſtro munera.* Sed dicis fortè, Non indiget Deus noſtra munera. Non quidem munera indiget: ſed fructum requirit, quem propter redemptionem animæ tuæ miſericordiæ deputauit. Nam præter illam hoſtiam corporis tui, quam incorruptam & inuiolatam altaribus conuenit exhibere, nec non vocis officia, quæ noſtro debemus artifici, hoc eſt apud Dominum acceptabile ſacrificium, vt bonitati & miſericordiæ ſtudeas, E vt iuſtitiæ partes ſuſtineas, & fide intemerata iugiter Domino placere contendas; vt nudum non inuitus veſtias, vt inopem non inuitus paſcas, vt captiuos voluntariè redimas, vt in vinculo conſtitutum memor tuæ redemptionis abſoluas. Ad hæc totiè reſpondeas, Quid pauperi faciam, quid filio derelinquo? Audi Dominum dicentem: *Qui plus amauerit filium aut filiam, quàm me, non eſt me dignus.* (Matt. 10.) Videtis ergò nihil præferendum Deo, nec plus filium cogitandum eſſe quàm Deum. Dicis, quid filio derelinquo? Si cùm vnum filium habeas, alium tibi deſperanti vxoris partus exhibeat, nonne vtrumque tibi vno ſucceſſionis gradu pietas paterna commendat, & vt ſuperuenienti locum facias, etiam teſtamenti iura reſcindis? Ita hæreditatem, cui ſolet vnus inhæreditare, frequenter videmus inter multos numero acreſcente ſufficere. Qui ergo habet vnicum filium, cogitet Chriſtum ſibi natum; atque inter duos aut tres, vel plures ita opes ſuas diuidat, ne Chriſtus noſter exhæredatus abſcedat. Quod ſi tantũ gaudes numero filiorũ moneo vt admiſſo ad conſortiũ hęreditatis redemptore tuo, ita patrimonij tui diuiſionẽ temperes, quaſi aut vnum minus natum tibi iudices, aut vnum plus accreuiſſe gratuleris. Fac ergo locum Chriſto tuo inter filios tibi dilectos. F Quare autem illos non vna patrimonij in terra diuiſio maneat, quos in cœlo eadem portio promiſſæ hæreditatis expectat? Quicunque autem indigentibus & miſeris quæ ſunt vitæ neceſſaria ſubtraxerit, primogenito & quidem meliori inter omnes filios portionem ſubdolam denegauit. Audite in hoc loco ſcripturam dicentem; *Qui pauperis miſeretur, Deo fœnerat.* (Prou. 19.) Multi ſunt qui miſerorum neceſſitatem ita illudendam putant, vt in dies promittendo decipiant, & hoc ad illa vota pertinet, quæ ſuperius diximus obliuione conſumi. Quid iuuat differri miſerum, ſi abundantia ſuppetit facultatum? Vbi vides hominem ſtatim poſſe benefacere, & eleemoſynam procraſtinata humanitate differre, ſolam ibi voluntatem intelligis deſuiſſe. Audite ad hunc locum Pſalmiſtam dicentem: *Sic pſallam nomini tuo Deus in ſæculum ſæculi, vt reddam vota mea de die in diem.* (Pſal. 62.) Nunquid dixit de anno in annum? ſed dixit de die in diem. Omni ergo die operandum nobis eſt, dilectiſſimi. debitum autem Deo, & promiſſum munus non eſt tempore prolongandum. Nihil iuſto iudicio debet, qui quotidie vota perſoluerit, nec eſt vnde rationem in poſterum præſtet, qui de die in diem Domino bonorum operum fructus G iuſto labore ditatus obtulerit. Ecce dicit, *Quæcunque feceritis vni ex minimis iſtis, mihi feciſtis.* (Matt. 25.) Siue ergo bonum, ſiue malum quis fecerit, ad Domini maieſtatem nouerit pertinere, vtriuſque enim partis retributio hominem expectat. Vnde ſtudendum nobis eſt miſericordiæ & eleemoſynis: ne cum venerit Dominus cœli ac terræ, inter cæteros animæ errores pauperum nobis nuditates opponat, & oculis noſtris infelicitates ingerat miſerorum. Nemo ergo deſpiciat nudum, nemo conturbet aſpero ore mendicum. Hæc eſt inter omnia placita Deo hoſtia, hic ordo ſalutarium ſacrificiorum, vt miſeris in neceſſitate ſubuenias, & ne in infidelitatis notam incidas, compos voti fidem tuæ promiſſionis abſoluas.

HOMILIA V.

De oris inſolentia.

H NON otioſum eſt, dilectiſſimi, quod inter omnia vitia, quæ vitam humanæ conditionis impugnant, ſpecialiter linguæ inſolentiam Propheta caſtigat. Sciebat neceſſariò amatoris ſtudio aliquotiens venena componi, & nimia facilitate labiorum frequenter odia comparari. Et verè, dilectiſſimi, ita eſt. Nam inquieta naturaliter lingua non paruum mortalibus affert vitæ detrimentum, vt cum bene compoſita diſſipat, aut diu pacata conturbat. Quando autem eſt, vt ſe ira moueat, ſi ſe lingua conpeſcat? aut quis ibi locus eſt inimicitiarum vbi ceſſant venena verborum? Nam hoc habet ſemper lingua malitioſa commerciũ, vt lites ferat, odia moueat, mortes adquirat. ita in hoc loco Salomone dicente: *Lingua multos conturbauit pacem habentes, ciuitates deſtruxit, & domos effodit.* (Eccl. 28.) Falluntur profectò qui putant nihil eſſe ferro fortius, nihil veneno violentius, quàm

A tis autem iſti in perficiendis mortibus habeant peculiare naturæ beneficium, cedunt tamen in contentione verborum. Nihil enim eſt tam noxium, aut maliti oſum, quod non viribus ſuis minus ſit, ſi ſe incitata ſemel lingua commouerit. Multa ſunt quidem humani corporis vitia, & ſatis grauia: ſed parum poſſunt conſilijs, viribuſque ſuis, niſi ſceleribus armentur alienis, ſicut eſt crudelitas, quæ impietati ſeruit, & portas inferi cruenta mortis lege cuſtodit, quid autem ſæuiras poſſet, ſi cupiditas otioſa dormiret? nam & ipſe mortis exitus minor eſſet, ſi aut ferrum deficeret, aut venena ceſſarent. Singulare autem malum eſt lingua, in qua tantum malitiæ robur exultat, vt in perficiendo opere ſuo alterius auxilium non requirat. Cohibendi ergo nobis eſt, ſicut Propheta admonet: ne forte cum prorupcrit, aut excitata lædat, aut incitata percutiat. Solet enim non impune recedere, cum ſe in verborum procacitate iactauerit. Nam commota flammas euomit; & cum alium nocere quærit, totum intrinſecus male conſcium pe-

B Prou. 10. ctus incendit. Audite Prophetam dicentem, *De multiloquio non effugies peccatum.* Facilius, ſi neceſſe eſt, quilibet poteſt ferre armatas ferro acies, & inſtructas rebus bellicis legiones, quis autem ſuſtineat labiorum tela infixa pectoribus? Facilius ſine dubio recipiunt ſanitatem corpora ferro lacerata, aut quare aliquis tantum gladio occiſo iam morti crudelitatis pondus imponat, cum aliquotiens minora ibi ſint pericula, vbi maior eſt cruoris inundia? Difficilius autem ſemper ſanatur quidquid extrinſecus colliſionis includitur. Non difficile eſt profecto medico vlcera quamuis tumentia in oculis poſita herbarum beneficio caſtigata mollire. habet & vis veneni remedium ſuum: quod hauſtum quamuis in vltima viſcerum ſede dominetur, ſalotaris tamen potuli vnda perquiritur: in tantū vt miretur aliquotiens artifex ſcelerum, ſuperueniente medicina, nihil oris ſui incantationem valuiſſe. linguæ vero inſanabilis plaga eſt: quæ quamuis leuiter percutiat, alta tamen ſemper mouet pectoris dolore ſuſpiria. Sciebat ſine dubio Propheta quā-

Pſal. 140. C tum malum eſſet linguæ, cum clamaret, *pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis, vt non declines cor meum in verba mala.* Si quis ergo eſt ſapiens, ponat cuſtodiam ori ſuo, & det labia vinculo taciturnitatis. Sed nec vnius tantum partis ſtudia procacis linguæ pulſat iniuria. Agendum quidem eſt huic, ne aliquid iniurioſum proferat: ſed nec minus illi prouidendum, vt inſanientis hominis dicta rationabili verborum reſponſione ſupplodat. Magnum autem ſtudium eſt ſeruandæ pacis, ſi amaritudinem alienæ linguæ blando proſequatis alloquio, cum autem iniquorum labia amicus ſermo confundit. Sed quod peius eſt, facilius inuenies, qui aut male ſemper dicere, aut libenter mala velit audire. Nihil eſt ſæuius, nihil violentius amaris aſperiſque ſermonibus: quorum vulnera tanto difficilius curantur, quanto facilius proferuntur. Ferri ſpicula per cœlum volantis facile ſcuti obiectione contemnis: verborum vero iactus nec reuocari poteſt, nec prohiberi: multo enim velo-

D ciores ſagittis ſunt. Quæ autem ibi propugnacula ſubueniant, aut quæ munitio tam parata ſuccurrat, vbi emiſſum telum pene ante percutit, quam procedit? Enumerari non poteſt, quantis ſit lingua iaculis accincta verborum, quibus ſatis promptum eſt etiam quæ ſunt animæ ſecretiora percutere. Quamcunque autem aures iniuriam ſuſcipiunt, ilico ad cordis ſecreta tranſmittunt: vbi ſi ſemel introierit, ſine mortis exitu non recedit. Res autem quæ nullis medicinæ beneficiis indagata excluditur, in perpetuo dolores operatur. Vnde caſtigandus eſt linguæ ſonus, ne de facilitate verborum faciat venenum. Si reſpiciamus, dilectiſſimi, ad omnes qui corporibus dominantur dolores, nihil inuenies quod non poſſit aut ferro ſanari, aut blanda medicaminis confectione molliri. Latere autem neminem poteſt, quàm graues ſint luporum morſus, quàm periculoſum ſerpentium virus, ſed his facile obſiſti poteſt aut herbarum ſucco, aut arte medicorum. Verborum vero intolerabile vulnus eſt, difficile autem ſanare poteſt alius doloris

E cauſam, quæ ſemel pectori infixa ſedem animæ latenter inuaſerit. Audite Prophetam dicentem: *Mors & vita in* Prou. 18. *manibus linguæ.* Verè, dilectiſſime, ſi ad interiora reſpicias, & tumorem exaſperati cordis diligenter inquiras, inuenies verborum vulnera mortes operari. Quid mihi autem aliquis in comparatione malitioſæ linguæ artificium veneficij increpet, & noxias poculorum compoſitiones accuſet? Exceſſit illa res omne genus veneni, quæ non poteſt niſi morte compeſci. Omnis quidem malitia ex corde deſcendit, ſed hæc ipſa, quamuis ſit noxia, facilè poteſt tolerari, ſi res iniquo nutrita conſilio non prouocetur in litem; ſed aut tacita doleat, aut in ſuis volutata ſedibus conquieſcat. Tamdiu enim ſanari poteſt iniquarum valitudo cogitationum, quamdiu id quod corde concipitur; ore tacito continetur. Verum vbi ſemel lingua rotante proruperit, fruſtra medicum quærit, ſine remedio eſt enim culpa verborum: quia

F deleri non poteſt quicquid lachrymarum inſerta per aures propagauit iniuria. Audite Dominum dicentem, *Fa-* Eccleſ. 25. *cito ori tuo oſtia & ſeras, & verbis tuis facito ſtateram.* Ad hæc forte reſpondeas, Quis poſſit in tantum oris ſui labia cōtinere, vt tacitus diem tranſeat? non hæc ſententia honeſtæ linguæ vinculum taciturnitatis indicit. Vult plane loqui hominem; ſed honeſta proferentem, ac pacifica cogitantem. Multum autem verbis honoris adcreſcit, ſi dulciſonos organi cantus nulla mentis amaritudo confundat. Hæc ideo propoſuimus, dilectiſſimi, quia inuenimus multos aliquotiens vno atque eodem ſermone dulcibus verbis venena miſcere; & fictis pacis blanditijs litium pugnas introire. Quid iſtis infelicius, quid periculoſius eſſe poteſt, qui fallacis linguæ ſtudio vitæ inſidiantur alienæ? Quare iſti non reſpiciunt ad illum propheticum Pſalmum, qui dicit, *diſperdat Dominus labia do-* Pſalm 11. *loſa?* Videtis ſub quali maledictione viuit, qui aliud in corde ſerit, aliud in lingua diſponit? Bene profecto nouerat Dominus cœli ac terræ, aliquotiens malos Sanctorum ſtudia ficta humilitate decipere: qui ore Euangelico dicit, *Veniunt ad vos in veſtimentis ouium, ab intus autem ſunt* Matth. 7.

G *lupi rapaces.* Inextricabile profecto malum eſt, doloſa conſilia miſcere blanditijs. Nolo ſuſpectas munerum ſuauitates. Quis autem libenter habeat acidos lactes, & triſti herbarum ſapore conditos? Difficile igitur poteſt fieri, vt ille cuiquam placere poſſit, qui ſimul dulcem & ſalſam aquam profert. Quando autem eſt, vt guſtus non offendat, ſi fauo mellis quæcunque amaritudo ſe miſceat? Cor ipſum hominis, quamuis ſit viuum & ſapiens, integra prudentia caret, quod amaritudo fellis infecerit. Omnia itaque ſubdolæ mentis compeſcenda ſunt vitia: ne dum cœperint aliqua extrinſecus amara conficere, etiam ea quæ ſunt in ore noſtro dulcia incipiant diſplicere. Audite Prophetam dicentem, *pone Domine cuſtodiam ori meo.* Hæc eſt vtilis cuſtodia oris noſtri, vt non facilè declinet cor noſtrum in verba, quæcunque ad expugnanda pacis ſtudia aut turpis ſermo profert, aut vilis actus perſonæ contingit. Inter confuſos autem linguæ ſonos neminem pœnituit tacuiſſe. Nam videmus

H frequenter etiam verborum facta in crimen venire, & nimia facilitate verborum amicitijs odia ſuccedere. Quando autem poteſt fieri, vt homo aut magniloquus, aut maliloquus non habeatur ingratus? Quod tamen vitium ſi requiras, ſuperabundat in aliquantis fœminis: quæ ſicut non dubitant quæ ſunt turpia dicere, ita nec ea quæ ſunt pudenda confunduntur audire. Sed nec nos illa dicimus, vt aliquis ſemper vocem ſuam preſſo ore contineat, & linguæ ſonum obductis labijs perpetua taciturnitas includat. Vt nimium malos loqui ingratum eſt, ita inutile eſt bonos ſemper tacere. Cum opus ergo fuerit, proferamus verba iuſtitiæ, ſit os noſtrum conditum. Sed dicis fortè, Non poteſt non aliquando reſpondere prouocatus. Tacendum eſt planè, cum improbus ſermo labia quieta ſollicitat: & loquendum, cum os amicum pacis ſtudia commendat. Ita & loqui & tacere perfectio eſt. Eſt autem vtriuſque partis cauſa, verborum tenuiſſe menſuram. Magnum eſt tacere: magnum eſt & loqui, ſed ſapientis eſt vtrunque moderari. Nam aliquo-

A tiens nimia taciturnitas ſtultitiæ adſcribitur, ſicut & verborum nimietas ad furorem refertur. De qua re ſi noſtri ſententiam requiras arbitrij, iam malo aliquis tacendo ſtultus, quàm nimium loquendo iudicetur inſanus. Loquamur ergo, ſed cum timore & tremore, cogitantes de omnibus verbis rationem eſſe reddendam: ita vt nihil de corde noſtro iniquum exeat, nihil de ore blaſphemũ procedat, nihil reſideat in cogitatione quod lædat. Nam præter illa quibus auditus offenditur, quorundam interiorem conſcientiam Propheta caſtigat: *Labia doloſa in corde & corde locuti ſunt mala.* (Pſalm. 11.) Inter illas ergo inſolentis linguæ culpas, cogitationes. Nam quicquid in corde loqueris, Domino confiteris; quia Deus ſcrutator eſt cordis. Videte ergo ſi poſſit fieri, vt illi occultum aut excuſatum poſſit eſſe quod clamas, quem non poteſt latere quod cogitas. Omni itaque ſtudio, dilectiſſimi, æquali vinculo ora noſtra moderentur. Nihil ingratum lingua proferat, nihil iniurioſum improbus ſermo confingat, nihil B ſubdolum, nihil doloſum in corde noſtro ſit, nihil aſperum, nihil otioſum. Nam Dominus dixit etiam de verbis otioſis rationem eſſe reddendam. Quamuis autem aliquis vitam fide muniat, ſcientia regat, caſtitate & ſobrietate componat, nihil eſt quod in homine placeat, ſi in toto corpore ſola lingua diſpliceat.

HOMILIA VI.

De otioſis verbis.

QVotieſcunque, dilectiſſimi, pro ſtudio neceſſitatis nobis creditæ cauſam tractauimus diſciplinæ, dũ grauiora perſequi volumus, aliquanta neglexi mus; quę licet aliquantis videantur facilia, ſi diligentius requiras, multis criminibus inueniuntur obnoxia. Quibus nunc porrigenda manus eſt, & elaborandum ſtudio medicinæ, vt vnaquæque res culpas ſuæ infirmitatis agnoſcat. Currite C ergo per ſingula, ſi videtur, quæ aut pœnæ ſeruiunt, aut lætitiæ blandiuntur: & inuenietis non ſolum in ſæuis draconibus regnare noxium virus, ſed etiam in exiguis apum venena latere corporibus. Frequenter diximus, dilectiſſimi, ebrietatem & cupiditatem quoſdam fontes eſſe vitiorum, ex quibus quidam torrentes præcipitati peccatorum naſcuntur, qui ſecum maximam partem humani generis in profundum trahunt: cum hinc ebrietas gulæ gurgitem fouet, inde cupiditas furorem improbæ peruaſionis accendit, hæc enim mater eſt ſuperbiæ, illa luxuriæ: quarum vna faſtidiis, altera deformitatis eſt ſocia, quibus ſtudij eſt homicidia exercere, adulteria fabricare, amicitiarum fundamenta deſtruere: cum quodam commercio fœditatis furtiuo amori mercedem ſuggerit cupiditas, occaſionem præſtat ebrietas. Sed hæc, dilectiſſimi, ſicut aliquotiens diximus, paruo poteris labore cohibere, ſi illa prius, quæ peccandi fomitem præſtant, volueris reſecare, nec plane difficile tibi erit compeſcere D quæ ſequuntur, ſi ea quæ ſunt in capite vitia caſtigata damnentur. Cito enim vniuerſa corporis iunctura deficiet, ſi non ſit qui ventri improbo pabulum ſubminiſtret. Vnde ante omnia ebrietatis, ſiue cupiditatis caſtiganda ſunt vitia, quæ ſibi inter cætera vindicant principatum: vt illa quæ his obſequuntur ſuo periclitentur officio. Facile eſt enim quamuis profundi gurgitis vndam ſiccari, ſi ortus aquæ poſſit excludi. Multa quidem, dilectiſſimi, adhuc de his quæ recolimus memoriæ ſuggeruntur. Sed quia aliquotiens in earundem caſtigatione ſatisfecimus diſciplinæ: putamus pro commemoratione rerum hodie dicta poſſe ſufficere. Vnde ex his, quæ præſenti materiæ videntur inſerta, interim temperamus, donec illarum partium crimina, quæ aliquantis facilia videntur, exponamus. (Matth. 12.) Audiſtis, dilectiſſimi, Euangeliſtam dicentem de otioſis verbis Domino rationem reddendam. Si reſpiciatis, dilectiſſimi, ad hæc quæ propoſuimus, & illa quæ in caſtigatione indiſciplinatæ linguæ aliquotiens

E diximus; intelligitis hanc ſententiam ad oris inſolentiam pertinere, cuius dicta licet otioſa dicantur, non tamen otioſè tractanda ſunt. Nemo autem credat leuem eſſe culpam, quam tantopere cœleſtis ſententia diſtrictionis impugnat. Hinc denique exſequitur quicquid fama mentitur. Otioſa ſunt enim ſemper infructuoſa colloquia ficti rumoris expoſita. Qui autem putandus eſt otioſus eſſe ſermo, niſi ignarus rationis & nuntius falſitatis; cui id ſtudij eſt, aut ridenda confingere, aut de incertis quaſi certa ſentire? Eſt autem hoc genus hominum, quod dum fabulas paſcit, neſcit cauere mendacium. Audiant iſti Dominum dicentem, *Os quod mentitur, occidit animam.* (Sap. 1.) Otioſa verba ſunt ſignata conuitia, ſtulta fatigatione compoſita, dulcibus vt aliqui putant, ſed mutis accincta plagis, ac mortiferis inſuper armata ſupplicijs. Nam quamuis lætitiam excitent, odia tamen frequenter incidunt. Multa ſunt, dilectiſſimi, his ſimilia, quæ forte non ſint prætermittenda, licet inter omnia verborum vitia videantur extrema. Si verbi F gratia hominem fuſci coloris appellas argenteum, otioſum verbum iniuriam facis, quia ſi verum dixeris, accuſaſti: ſi falſum detuleris, irriſiſti. Cum hominem proceræ ſtaturæ & antiquæ infantem vocas, nonne iniuriam facis, ſi veritate ſuppreſſa puerili ſtudio mentiaris? Ad contumeliam enim pertinet, ſi verbis tuis humano corpori aut aliquid addas, aut detrahas. Sed dicis fortè, ſatis leuia eſſe iſta, & facile portanda. Verum eſt. Nam talia ſunt iſta genera vocabulorum, ac ſi alienis crinibus leues plumas inſeras, vel ſi per totum verticem iuuentutis primæ honore fulgentem, liquentes cineres aut puluerulenti aliquid candoris aſperſeris, non quidem caput oneras, ſed deformas. Similiter & detracta per iocos coma, quamuis nihil operetur doloris, multum tamen exhibet fœditatis. Cauendum eſt ergo, dilectiſſimi, ne ſcenico ſermone alter alterum lædat, & theatralibus verbis verecundiam fratri læſæ æſtimationis incutiat. Solet igitur nimia oris facetia excitare motus animorum, & ſermo lætitia accinctus reciprocum parare conuitium. Sic denique ſcintilla quamuis parua flammas G euomit, & ex nihilo exorta magna frequenter mouet incendia. Otioſus ſermo ſatis otioſo nutritur autore. Vnde quia theatralium verborum fecimus mentionem, fortè pro ſtudio diſciplinæ nec illa debeam reticere, quæ otioſis verbis curioſas aures capiunt, atque alti pectoris ſecreta concutiunt, dum plagis moduſantibus blandiuntur. Hæc ſunt illa vitia, quæ ſuperius commemorauimus quadam mellis ſuauitate componi, hoc illud opus, quo diximus admixta dulcedine triſtes vulnerum dolores inſtitui. In hoc loco forte aliquis pro amore diſciplinæ interrogandum putet, quæ ſint iſtæ otioſæ voces, quæ iniuriam exercent, & periculum audientibus parant. Bene requiris, ne per ignorantiam periclitetur auditus. Inuenimus igitur frequenter, ita impudicitiæ viam muniri, atque ex hoc fomenta adulterijs miniſtrari: cum hic agili plectro tinnientis citharæ ſonos expedit, ille docili digito laborantis organi blandi H menta componit. Iſti ſunt laquei, quibus famulantibus inter cætera vulnera diabolus hominum mortes operatur. Nam quotieſcunque dulci voce mulcetur auditus, ad turpe facinus inuitatur aſpectus. Nemo inſidioſis cantibus credat, nec ad illa libidinoſæ vocis incitamenta reſpiciat: quæ cum obiectant, ſæuiunt; cum blandiuntur, occidunt. Sic frequenter videmus blandis ſibilis aues decipi, & hebetes feras in laqueum mortis dulcedine vocis impelli. Similis eſt, dilectiſſimi, cauſa mortalium, quos dulciſoni cantus cura ſollicitat. In hoc autem proficiunt varietates vocum, & producta ſine ſyllabis verba, vt homo aut capiatur, aut capiat. Explicari non poteſt, dilectiſſimi, quàm periculoſos laqueos exhibeant mimicæ ſtudia voluptatis. Nam ſi aliquis poſſet humani pectoris ſecreta perquirere, inueniret ad ſingulos ſonos fiſtulæ corda inſelicium ſuſpirare. Intelligite ergo, quid inter viros ac mulieres nimium familiaris ac ſecretus ſermo faciat, quid iuncta vicinia, quid iocis mixta colloquia: quid gula delicijs inuitata, quid auri

A faucibus ad omne facinus proſtitutionis expoſita; ſi alienum furorem etiam mutæ vocis blandimenta decipiant. Refugiendus eſt ergo error iſte vocis ſonus, qui humanis pectoribus dulcedine ſua amaritudinem fecit: & perſuaſione quadam melliflui cantus frequenter mortifera ægris venena commiſcuit. In quo loco primum obturandæ aures ſunt, opponentes ſcutum fidei: quo facilius omnis lenocinantis vocis excludatur auditus. Adhibenda etiam diſciplina, quæ oculorum deſideria repellat, & tabeſcentis cordis incitamenta compeſcat. Nam ita docet Euangeliſta dicẽs, *Si te ſcandalizat oculus tuus, erue eum.* (Matth. 5.) Nemo, dilectiſſimi, in hoc credat huius ſententiæ ſtare rationem, quaſi Dominus humanum corpus deformare velit, quod ad ſimilitudinem ſuam plaſmauit, & ad ſpeciem ſuæ dignationis inſtituit. Hoc eſt oculos eruere, quæ ſunt in homine turpia reſecare, & vitios actus emendatione compeſcere, caſtigatis illecebris truncare luxuriam, & bono conſcientiæ B manus improbæ cupiditatis abſcindere. Ille autem manus ſuas incidit, qui in ſe infidelitatis telia confregerit, & iuſto iudicio infidelitatis calamos amputarit. Ad ſalutem igitur animæ pertinet, ſi debilitentur vitia iniquis actibus enutrita, & radicitus vellatur impiorum aſpectus oculorum: quibus cito mortis ſtimulus adquieſcit, ſi hæc quæ ſuperius dixi, integra & inlæſa permiſeris dominari. Sed quo facilius iſta operemur, audiendus eſt Chriſtus, qui dicit, *Relinque omnia bona tua & ſequere me.* (Matth. 19.) Scio quidem, dilectiſſimi, quod laborioſe ſuſpiciunt iſta, qui ſæculi actibus occupantur; quibus dulcis eſt iſtius vitæ vſus. Sed ſi diligenter requiras, vanitate plenus, & quodammodo tenui vmbra veſtitus, ad tempus mundus obſequitur, & hæc quam videtis fallax diuitiarum pompa blanditur. Bene iſta nouerat ſanctus Dauid, qui dicit, *Auerte Domine oculos meos, ne videant vanitatem.* (Pſal. 118.) Quæ eſt iſta vanitas, niſi cultus diuitiarum, & ſæcularium ſtudia voluptatum? Confirmat hoc in Salomone qui dicit, *Vanitas vanitatum omnis homo diues.* (Eccleſ. 1.) Nemo ergo, dilectiſſimi, in huius mundi vanitate confidat, quam videt infirmis ſtare C veſtigijs; cuius cultus temporalis atque inanis eſt, & ornatus fumo, ventoque ſimilis. Talis eſt autem decor vultus eius, ac ſi ſpeciem illius vitis aſpicias, quæ ſolſtitiali flore compoſita, promiſſæ fructum neſcit exhibere vindemiæ, quæ dum minime parturit, maculam perpetuæ ſterilitatis incurrit. Longe alium nobis, dilectiſſimi, æternæ vitæ tempus promittit ornatum, ſi tamen homo peccatis pauper incedat. Ille autem ad Chriſtum diues vadit, qui miſericordiæ fructus congregat, & ſtultæ ſtudia cupiditatis impugnat. Ille ad cœlos opulentiſſimus pergit, qui à ſe pompam temporariæ vanitatis excludit. Ille ſecum magnas opes ad paradiſum portat, qui onuſtum vitijs pectus ſtudio religionis exonerat. Ille poſtremo omnem penuriam mendicitatis euaſit, qui quotidie in corde ſuo Chriſti noſtri mandata ſerit, & peruigili fide horrea pectoris ſui ſeminibus diuinæ inſtitutionis impleuerit. Ita vt ante omnia illius otioſi ſermonis compeſcas libertatem, quæ ſi inter illa religioſæ vitæ ſtudia mixta conſederit, non dubie in examina- D tione futuri iudicij præiudicat ſanctitati. Cito autem quæ ſunt in homine optima reuileſcunt, niſi inter cætera quæ emendationem requirunt, ſtudioſe ea quæ ſuperius commemorauimus linguæ vitia reſecentur.

HOMILIA VII.

De miſericordia.

SI reſpiciamus, dilectiſſimi, omnes iuſtitiæ gradus, per quos opus religionis inſtruitur, non inuenies cui non apud Dominum gratioſa ſeruitus locum comparet dignitatis. Sed hæc ipſa, fides quæ in nobis operatur, quamuis E humano labore proficiant, ad Dominum referenda ſunt: per quem, & in quo ſi qua ſunt bene geſta conſiſtunt, & in poſterum quibuſque profutura ſeruantur. Vnde nemo ſapiens Dei beneficia ſuis virtutibus æſtimet adplicanda; ne audiat illam Apoſtoli ſententiam dicentis, *Quid habes quod non accepiſti? aut ſi accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* (1. Cor. 4.) Scimus quidem, dilectiſſimi, quod iuxta Euangeliorum fidem, quæ beatitudinis promiſſa commemorat, homini iuſtitia in cœleſtibus locum fecit, id eſt promiſſionem paradiſi, & terram repromiſſionis, gratia manſuetudinis & humilitatis obtinuit: cordis puritas Chriſtum videre meruit: miſericordia conſimilem mercedem retributionis accepit: pacis iocunditas multis inter filios Dei locum parauit: pœna ſanctorum victoriæ coronam, & cœleſtis regni gloriam ex virtutum meritis adquiſiuit. Sed hæc omnia vna atque eadem Patris, & Filij, & Spiritus ſancti in nobis virtus operatur, quæ perfectionem iuſtis laboribus præſtat, ac bonæ voluntati quæcunque ſunt optima ſubminiſtrat. F Vnum eſt ſane & permimium, quod ex illa miſericordiæ ſede deſcendit, in quo ſibi quotidie iuſte poſſit mortalis homo gloriari: hoc eſt refectio pauperum, & redemptio captiuorum: ſi tamen ipſam non aut iactantia diſſipet, aut triſtitia ingrata conturbet. Auditis ecce Euangeliſtam dicentem, *Venite benedicti patris mei, poſſidete mecum regnum cœlorum promiſſum vobis à conſtitutione mundi. Eſuriui & dediſtis mihi manducare: ſitiui & dediſtis mihi bibere: nudus eram & veſtiſtis me.* (Matt. 25.) Videtis ergo quod ſi gloriari cuiquam oportet, non niſi in hoc opere conuenit gloriari, in quo paſci ac veſtiri ſe Dominus præcipit; & in dies famem ſuam portiuncula panis fracti poſtulat ſaturari. Si vultis ergo, vt non ſit inanis noſtra gloriatio, primo loco abundantibus eleemoſynis ſummi regis redimamus amicitias: & vt nobis pateat cœleſte regnum, omne miſericordiæ ſtudium conuertamus ad Dominum. In cuius amore non otioſe aut negligenter pauperum tractandæ ſunt lachrymæ: ne ille qui totum orbem ſolet paſcere, ad noſtram confuſionem inter mendicos videatur eſurire. G Contemplare denique ſingulorum neceſſitates, & noſtri erga miſeros ſollicitudinem Saluatoris: & intelliges ibi eſſe Chriſtum noſtrum, vbi abundantiam videris lachrymarum. Nec enim longe tibi quærendus eſt Dominus, ſi non ſis auarus. Expectat nos ecce foris, cum illa ſuorum turba famulorum. Non enim tibi errandum eſt oculo, vt dubites circa quem potiſſimum opus miſerandæ erogationis impendas. Ipſum ſcias eſſe Chriſtum noſtrum, quem videris nudum, quem aſpexeris cæcum, quem oſtenderis claudicantem, quem pannis inuolutum, quem videris ſordida veſte contectum. In hac denique veſte, cum à Magis quæreretur, inuentus eſt: & cum in præſepi poſitus iaceret, ſub hoc habitu apertis theſauris munera oblata ſuſcepit. Ad hæc reſpondet illa Euangelica ſententia, quæ dicit: *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi neque tinea corrumpit, neque fures effodiunt.* (Matth. 6.) Hi ſunt illi theſauri, qui cœleſtibus meritis deputantur, quos nulla res aduerſa con- H taminat: hoc eſt, facultatum per miſeros diſpenſata ſubſtantia. Audi itaque primo in hoc loco conſilium meum, quicunque diuitiarum abundantia gloriaris. Si times tineam, commenda: ſi furem metuis, in ſuperiore parte commenda. Ecce habes idoneum cuſtodem, qui opes tuas ſeruet tibi, in æternum & in ſæculum ſæculi profuturas. Addit ad hæc, *nolite vobis theſaurizare theſauros in terra.* Non abre eſt, dilectiſſimi, quod admonet Dominus, ne quis theſaurum ſuum terræ commendet. Frequenter enim videmus congeſta terræ vitio periclitari; & opes nimium defoſſas quadam limi tabe conſumi. Vnde vtilius iudico eſſe commodare quam abſcondere, & fœnori magis credere, quam terræ deputare. Stultitiæ autem genus eſt, clauſum tenere, quod poteſt multiplici labore proficere, & ad vſum æternæ vitæ fructum exhibere iuſtitiæ. Moneo ergo, ne quis in terra abſcondat theſaurum ſuum: hoc eſt ne quis terrenis actibus cœleſtis animæ dignitatem deputan-

A dam putet. Illius autem theſauros tinea comedit, qui vanitati ſeruit, & vitam ſuam in huius mundi pompa conſtituit. Tinea igitur, dilectiſſimi, vermis eſt inuidiæ & auaritiæ: qui ſecreta cordis ſolus poſſidet, ſolus quæ ſunt in abditis congeſta conſumit. Furem vero diabolum credite: qui vt bonis operibus inſidietur, obiecta ſæculi pompa blanditur: & vt hominem à conſortio regni cœleſtis excludat, aurum manibus ingerit, argentum oculis opponit, gemmas collo inſerit. Ita ſuperbiam nutrit, & deſideria carnis ſtimulo cupiditatis accendit: quæ ſicut ſcriptura dicit, mergunt hominem in interi-
1.Tim.6. tum. Non dubie autem ille pœnis exonerat profundum, qui theſauros ſuos præmittit ad cœlum. Audite quid
Matt.25. Dominus offerat. *Venite benedicti patris mei, poſſidete mecum regnum promiſſum vobis à conſtitutione mundi. Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: nudus eram, & veſtiſtis me.* Quis dubitet poſt hanc vocem de hoc ſæculo cum tota patrimonij ſui pompa migrare? Stul-
B titiæ profecto vanitas eſt, vitium in electione meritorum, plus mundum eligere, quàm cœleſte regnum; magis ſæculo placere, quàm Chriſto. Si quis itaque vult locum inuenire in cœleſti ſede, non deſinat indigentibus neceſſaria miniſtrare. Sed forte dicat aliquis tenues ſunt facultates meæ: non patiuntur tantas erogationis expenſas. Si tibi aliquis domum præclaram huius temporariæ poſſeſſionis offerret, nonne pretio collato vndique nummos aggereres; & ſi forte ſacculi tui pondus non ſufficeret, rem tibi neceſſariam mutuata pecunia comparares, donec ampliata nouo ceſpite poſſeſſione gauderes? Ecce poſſeſſio tibi regni cœleſtis offertur, & quidem parua pretij mercede taxata; quæ poſſit etiam ab illo facile emi, qui non ſolet de paupertate cauſari. Videamus tamen quid ſit, quod à te pretij nomine poſtulatur, cibus, potus, & veſtitus. Ad hæc non inuenio cui erogatio non quotidiana ſuppetat. Si requiras, forte horreis tuis annonæ ſpecies exuberat, & nouas vi-
C ni cellulas antiqui guſtus fama commendat. Quid tibi prodeſt ſeruare iſta, ſi neſcias lucratiuis ſtudere commercijs? Sed dicis, pauper ſum. Nunquid ſub hac voce illis excuſare te poteris, quibus pretia ſpecierum pro temporum ſterilitate deponis? Sine cauſa exiguitatem tuæ facultatis accuſas, potes habere quod vendas: non potes habere quod dones. Non ſine cauſa dictum eſt, *frange eſurienti panem tuum.* Ad inhumanos puto pertinere iſtam ſententiam: quorum panes reconditos & incontaminatos ſolet caries exeſa conſumere. Frange ergo eſurienti panem tuum, ne pereat, & te à conſortio regni cœleſtis excludat. Addit ad hæc, *& domeſticos ſeminis tui ne deſpexeris.* Qui ſunt domeſtici noſtri? neceſſario omnes, qui nobis ſunt naſcendi lege coniuncti. Quid eſt quod in faciendis eleemoſynis non eſt cuiuſquam excipienda perſona, nec habendum electionis iudicium? quia res quæ neceſſitati ſeruit, erogationis ordinem non requirit. Quid autem tibi eſt opus quærere, vtrum Chri-
D ſtianus an Iudæus, vtrum hæreticus an Gentilis, vtrum Romanus an Barbarus, vtrum liber an ſeruus ſit ille qui poſtulat? Vbi incumbit neceſſitas, non opus eſt vt perſonam diſcutias: ne cum indignos miſericordia ſegregas, Dei filium pariter amittas. Vnde autem ſcire poſſumus, in qua parte terrarum habitet Chriſtus? Vbique credendus eſt eſſe, qui totum noſcitur poſſidere. Sequitur ſuperiora: *Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & veſtimenta tua ante orientur, & præibit te iuſtitia, & claritas Dei circumdabit te. Tunc clamabis ad Dominum, & Dominus exaudiet te. Adhuc te loquente dicet, Ecce adſum.* Et hoc propter fracti panis particulam, quam plus putas adquires, ſi maiora præſtraueris? Audite Euangeliſtam dicentem,
Matth.5. *beati miſericordes, quoniam ipſis miſerebitur Deus.* Multi quidem gradus ſunt miſericordiæ: ſed requirendum eſt, qui potiſſimum exiſtant. Principatus miſericordiæ eſt quidem, lapſo manum porrigere, erranti viam ſalutis oſtendere, infirmos viſitare, in tribulatione poſito ſolatijs inhærere, ſed illa eſt præcipue expectanda miſericordia, eſurientem paſcere, nudum veſtire, captiuum redimere, ad tempus non habenti neceſſaria commodare. Inueni-

mus aliquotiens præterea multa genera miſericordiæ, E
quibus ſe vulgo ſtudia humana commendant: quæ cum nullum exhibeant miſericordiæ fructum, miſericordiæ tamen mentiuntur affectum. De his enim dicit Iacobus in epiſtola ſua: *Si frater aut ſoror nudi ſint, & indigeant victu* Iacob.2.
quotidiano, dicat aliquis veſtrum, Ite in pace, calefacimini & ſaturamini, & non dederitis eis quæ neceſſaria ſunt corpori, nihil vobis proderit. Quis non oderit tale genus miſericordiæ, vbi oris elegantia infirmo pietas otioſa blanditur, & infructuoſæ cœlo lachrymæ porriguntur? Quid iuuat alienum flere naufragium, ſi negligas corpus expoſitum? aut prodeſt animum excruciare dolore alieni vulneris, ſi deneges poculum ſanitatis? Non paſcunt eſurientem blanda colloquia, nec veſtiunt alienam nuditatem infructuoſa conſilia. Quid iuuat fomentis mollibus palpaſſe mendicum, ſi non reficias fame morituum? Quod iſtud genus eſt miſericordiæ, vt hominem velis viuere, & nolis in neceſſitate ſeruare? Crudelis eſt profecto pie- F
tas, quæ ſcit dolere miſeris, & neſcit ſubuenire pereuntis. Quid amplius quæritis, dilectiſſimi, pro erogatione fracti panis? etiamſi non fuiſſet vobis cœleſtis regni portio repromiſſa, ſufficere peccatoribus deberet iſta ſententia, quæ mortalibus ſpem futuræ ſalutis, & lætitiam perpetuæ detulit ſecuritatis. Nam ſi reſpiciatis ad veſtri laboris fructus, & cœleſtis indulgentiam pietatis, multo plus recipitis quam datis. Ecce pro paſtu pauperis in Euangelijs cœlorum vobis regnum promittitur: pro erogatione fracti panis, & hoſpitij receptaculo, vel nudati corporis veſtimento, opem ſuam vobis inuocantibus per Prophetas Dominus pollicetur: in Pſalmis iuſtitia miſericordiæ veſtræ in ſæculum ſæculi collocatur. Si comparemus terrenis cœleſtia, ſatis paruo conſtat res tam pretioſa commercio, aut quanta pars eſt eleemoſynæ veſtræ ad illa quæ videtur mortalibus Dominus præſtitiſſe? Ecce nos damus terrena, ille cœleſtia: à nobis temporanea offeruntur, ille ſempiterna largitur. Vultis ſcire quantum diſtent à cœleſtibus donis veſtri cenſus? In comparatione beneficiorum, non eſt eadem ra- G
tio, diuitias accipere perpetuas, & dare quæ etiam peritura. Ante omnia illis lachrymis conſulendum eſt, quas nuper furor cruentæ hoſtilitatis indixit. Nec enim deeſt in quo ſe opere bona voluntas exerceat. Nam quod peius eſt multos videmus de ſua, ſuorumque redemptione ſollicitos: quibus manus porrigenda eſt. Sed dicis, pauper ſum, nec nos quemquam ſuademus dare quod non habet, ſed cuius facultas tam tenuis eſt, vt non poſſit redimere captiuum, ſaltem illud quod eſt minimum reddat ad pretium; vt vel paruo nummo videatur ſatisfeciſſe mandato.

HOMILIA VIII.

Item de miſericordia.

MVltæ cauſæ, dilectiſſimi, ex Euangelica lectione venientes in diuerſam partem animum trahunt, quas ſi voluerimus ſub vnius materiæ propoſitione diſponere: neceſſe eſt vt cauſa cauſam impediat, alterius negotij intellectum alter excludat. Quando autem poteſt fieri, vt non confuſione multarum rerum aut dicentis, aut audientis impediatur ingenium? Inter cætera ergo, dilectiſſimi, quibus pro meritis ſuis beatitudinis gratiam Euangeliſta commemorat iuſtiſſe collatam, interim cauſam miſericordiæ apud vos putauimus exponendam, quæ quotidiani operis fructum requirit, cætera temporibus ſuis, cum vſus fuerit, exequemur: vt vnaquæque res cum proprijs viribus fixa conſtiterit, alterius cauſæ materiam non requirat. Ecce dicit Dominus, *Beati miſericordes, quoniam ipſis* Matth.5.
miſerebitur Deus. Minor ſi poſt hanc vocem dubitet aliquis nummũ ſuũ expendere, cũ videat in iſtis lucra reſpõdere beneficij. Quid autẽ prodeſt cõgeſtã auri maſſã ſacculo cuſtodire, cũ poſſis quotidie & bene facere, & expẽſæ fœnus

A pecuniæ reportare? *Beati miſericordes, quoniam ipſis miſerebitur Deus.* Gaudete, dilectiſſimi, & ſecuri donate, atque indubitanter expendite. Quis autem non certatim opes ſuas largi per miſeros erogatione diſpenſet, cum multiplices fructus, & duplicia dona ſe intelligat recepturum. Ecce denique beatos illos Dominus in hac vita iudicauit, quibus in futuro miſericordiam repromiſit. Luc. 6 Audite in alio loco Dominum dicentem, *Omni petenti te tribue.* Non eſt otioſum, dilectiſſimi, quod omnibus petentibus eleemoſynam Dominus dare iubet. Sciebat neceſſario aliquotiens inter malos etiam bonos latere: atque ideo bonos, maloſque commiſcuit, ne cum indignos erogatio nimium cauta præteriret, etiam dignus miſericordia indonatus abſcederet. Nulla eſt diſcretio poſtulantis; nec eſt neceſſitas exploranda pauperis: dantis, non accipientis fructus quæruntur. Non intereſt cui petenti eroges, non enim requirit Dominus, vtrum mereatur ille qui poſtulat: ſed quærit quantum præſtet qui donat. B Audite ad hunc locum Apoſtolum dicentem, 2. Cor. 9. *Qui parce ſeminat, parce & metet.* Profecto nobis præſtamus, quotieſcunque miſeris ſubuenimus: lucrum noſtrum eſt, noſtrarum erogatio facultatum. Nam ſi reſpicias ad ſpem futuræ retributionis, fœnori traditur, quicquid eſurientibus miniſtratur: ita dicente Pſal. 40. Propheta, *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem in die mala liberabit eum Dominus.* His omnibus fideiuſſor eſt Matth. 19 Chriſtus, qui dicit, Ego vobis in centuplum reddam. Inſuper & vita æterna promittitur: impietati & auaritiæ iudicij diſtrictio reſeruatur, ita Euangeliſta dicente, Matth. 25. *Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſegregabit omnes ab inuicem, oues à dextris, & hædos à ſiniſtris: dicens illis qui à dextris ſunt, Venite filij mei poſſidete mecum regnum cælorum. Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram & collegiſtis me: nudus eram, & veſtiſtis me. Dicet illis qui à ſiniſtris ſunt, Recedite a me maledicti in ignem æternum. Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi bibere.* Cogitemus ergo, dilectiſſimi, & prouideamus ne nos retributio impietatis inueniat. C Nam ſicut in paſcendis, veſtiendiſque pauperibus placatur Dominus: ita læditur in contemptu miſerorum: cui tanta eſt cura infelicium, vt ſibi datum iudicet, quicquid inopem aut veſtit, aut reficit. Audite Salomonem dicentem, Eccleſ. 29. *Fili, benefac tecum: conclude eleemoſynam in ſinu pauperis.* Quiſque ergo vtilitatibus ſuis conſulere deſiderat, non inuitus pauperem paſcat. Non deeſt autem, in quo quotidie poſſis lucrum facere, ſi ad neceſſitatem reſpicias paupertatis alienæ. Nam dicit ſcriptura, Prou. 15. *Eleemoſyna & fide peccata purgantur.* Ecce hic ieiunis faucibus paſtum requirit: ille miſerabile veſtimentum deeſſe ſibi in nuditate teſtatur. Satis crudelis eſt & nimium durus, quem non tangit dolor, cum partem corporis ſui aut debilitas, aut nuditas, aut paupertas ſtimulat. Parum profecto ſibi proſpicit, qui non cauſæ alienæ neceſſitatis intendit. Nil tibi proſunt diuitiæ tuæ, ſi diuitiarum beneficijs non vteris. Nam pars mendicitatis eſt, congeſtam ſecreto pecuniam poſſidere. D Neſcis quod non recipit fructum quicunque non ſeminat? iuxta illam 2. Cor. 9. ſententiam, quam ſuperius commemorauimus, *qui parce ſeminat, parce & metet?* Hæc eſt igitur exercendæ culturæ ratio, vt quanto plus homo ſeminum terræ commendat, tanto futuris meſſibus ſpes maior adcreſcat. Qui non ſeminat, otioſis manibus alios metentes ſpectat. Nam qui inter ceteros agricolas plus laborauerit, plus reponet. Quando autem poteſt fieri, vt horrea ſua vacua reſpiciat, qui ſemina multiplicato iugiter ſulco terræ committit? Quid tibi prodeſt congeſtis incubare diuitijs, ſi de his nullum lucrum capias? Videmus denique frequenter inueteratam frugum maſſam vetuſtate conſumi, & vitiata temporibus vina nullis in poſterum vſibus profutura iactari. Illud ſolum aliquotiens Domino magis intelligimus profuiſſe, quod fœnerandi gratia ſoler agricola indigentibus commodare. Quicquid autem auaritia ſeruauerit, aut æſtas nimia decipit, aut vetuſtas ingrata conſumit, aut tinea damnoſa corrumpit. E Hoc ſolum ſibi homo reponit, quicquid cauſa miſerationis expenderit. Nam ita dicit Dominus, Matth 16. *Theſaurizate vobis theſauros in cælo, vbi neque tinea conſumit, nec fures effodiunt & furantur.* Prouideamus ergo, dilectiſſimi, ne facultates noſtras vermis auaritiæ exterminet. Præmittamus illuc opes noſtras, vbi nullus fur irruat, nullus inſidiator incendat. Commendemus diuitias noſtras Domino dicenti, *Nolite vobis theſaurizare theſauros in terra.* Quiſquis enim facultates ſuas in opere Dei fideliter erogauerit, in parte cœli reconditas ac repoſitas ſub iuſto fideiuſſore cuſtodit. Nemo ſapiens ad huius ſæculi ornamenta reſpiciat: quæ dum temporaliter voluntatibus hominum ſeruiunt, animis poſſidentis illudunt. Duo ſunt genera diuitiarum. Vnum quod ſuadet ad mortem: aliud quod ducit ad vitam. Diuitiæ mortis ſunt, incubare facultatibus alienis, & coaceruatam pecuniam infelicium lachrymis comparatam in diem adnumerare ſæculi hæreditatibus profuturam. F Illæ integræ & incorruptæ diuitiæ, quibus animæ redimuntur, quibus peccata purgantur. Illius diuitiæ acceptabiles Deo ſunt, cuius largitate pauper alitur, nudus veſtitur, captiuus redimitur, vinctus abſoluitur, cœleſtis regni hæreditas comparatur. Nolo illas diuitias, quæ quotidie augmento ſuo famem faciunt: & in poſterum dignitatis ſuæ flore nudatæ, amatores ſuos eſurire patiuntur. Recurramus denique ad ſcripturas, & intelligetis in comparatione diuitiarum ſub meliore ſorte ſtare paupertem. In caſtigatione enim auaritiæ Dominus quendam diuitem apud inferos Abrahæ patri noſtro ita ſupplicaſſe adſignat, vt mendicum Lazarum in ſublimiori loco reſidentem mitteret, qui refrigeraret os eius, & æſtuantia ſiti labia reſtingueret. Cui ita traditur fuiſſe reſponſum, Luc. 16. *Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris.* Videtis quod quædam vices ſtudia bonorum ac malorum hominum maneat: quas ſtudio miſericordiæ conuenit præueniri; ne infructuoſæ diuitiæ aduerſum ſe vltrices criminum flammas accendant? G Paremus itaque nobis, dilectiſſimi, apud Dominum locum gratiæ, & viam vitæ noſtræ munificentia & largitate muniamus. Affectuum noſtrorum labem apud Dominum præmiſſa ſatisfactione purgemus, reſpicientes ad illam propheticam ſententiam quæ dicit, Pſal. 125. *Qui ſeminant in lachrymis, in gaudio metent.* Si quis ergo conſcientiam ſuam diligenter interrogat, non otioſis auribus iſta ſuſcipienda putet. Non enim poteris in illa die futuri iudicij aliter inuenire refrigerium, niſi vulnera tua aut curaueris refectione pauperum, aut laueris inundatione lachrymarum. Profuſius autem ipſi flere, & facultates veſtras flentibus erogate: vt futuris temporibus inter ceteros gaudia metentes fructus miſericordiæ colligatis.

HOMILIA IX.

De eadem miſericordia.

H QVotieſcunque, dilectiſſimi, caritatem veſtram pro ſtudio religionis admonere opus eſt, toties nobis illa ſententia Euangelicæ lectionis occurrit, quæ futuro iudicio inter bonos maloſque diſcernit. Quam ſi quis neglexerit, lachrymas metet: ſi quis excoluerit, abundantiſſimos lætitiæ fructus adquiret. ita Euangeliſta dicente: Matt. 25. *Cum venerit Dominus in maieſtate ſua, & ſegregauerit malos à bonis, dicet ad illos qui a dextris ſunt, Venite poſſidete mecum regnum cælorum. Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere. Dicet & ad illos qui à ſiniſtris ſunt: Recedite à me maledicti in ignem æternum. Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis bibere.* Quicunque ergo, dilectiſſimi, veſtrum ad illud cœleſtis regni conſortium venire deſide-

A rat, primo loco paupertati manum porrigat, nec alienas lachrymas otioſè reſpiciat: quia vnuſquiſque ſiue boni operis, ſiue mali ſententia retributionis expectat: ita *Galat. 6.* Domino dicente, *Quæcunque ſeminauerit homo, illa & metet.* Inter cætera ergo, dilectiſſimi, quibus religioſæ vitæ ſtudio opera adponimus, non prætermittamus neceſſitatem pauperum, ne perdamus infelicium commercia lachrymarum. In hoc enim ſtat apud Dominum ratio pecuniæ per miſeros diſpenſata, vt quanto plus homo erogat, tanto fœnoris plus reponat. Sic multis ſeminibus multa parturiunt, ac multis parturientibus multiplicata conſurgunt. Audite de hoc quoq; Dominum dicentem, *2. Cor. 9.* *Qui parce ſeminat, parce & metet.* Si ergo videtis, quod qui parum ſerit parum metet; ita & qui parum erogauerit parum recipiet: qui nihil ſerit nihil reponit: ita fit vt qui parum recondit, inuitus ſæpe ieiunet. Quando autem poteſt fieri, vt homo horrea ſua plena magnis frugibus videat, qui nihil ſeminis terræ commendat? Si vultis ergo, vt fructus lætitiæ colligamus, largius in lachrymis B ſeminemus, *Qui parce ſeminat, parce & metet.* Inuenimus frequenter hominem, qui cum eſurienti ſemel eleemoſynam dederit, mandatum ſe perſoluiſſe credit. Non igitur deficientes fame artus vnius diei paſtu refeciſſe ſufficit, ſine cauſa autem vna die bonus eſt, qui altera deſcendit ingratus. Nam præcedentis miſericordiæ beneficium perdidit, qui putat eſurienti ſemel ſufficere quod donauit. Ille autem ad Dominum integros miſericordiæ fructus præmittit, à quo pauper nunquam triſtis abſcedit. Ingi medicamine opus eſt medico, vt gemitus alieni doloris excludat: quia infirmitas quæ in diem creſcit, medicinam in diem requirit. Sed nec minore cura nobis prouidendum eſt, vt abundantibus eleemoſynis curemus ſi quid in nobis cruentum, ſi quid eſt ſordidum. Non enim ſtatim ſanantur vulnera, quæ ſemel laueris. Sæpe exciſi corporis medicina repetenda eſt. Si vultis itaque, dilectiſſimi, vt dies vitæ noſtræ C nulla auaritiæ culpa contaminet: non claudamus aures noſtras ad clamorem infelicium, nec auertamus oculos noſtros à nuditate miſerorum. Nemo autem ſibi putet perire, quod pauperibus donauerit. Nam ſicut mendicitas inhumanitatem ſequitur, ita opulentia humanitatis *Prou. 28.* ſtudio comparatur: ita Propheta dicente, *Qui dat pauperibus, nunquam egebit; qui vero auertit faciem ſuam, in maxima penuria erit.* Ecce aures veſtras clamor eſurientis increpat, & ieiunis faucibus ianuam tuam ſonus vocis deficientis *Pſalm. 40.* accuſat. Quare tibi non occurrit illa ſententia, *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus?* Satis illum negotiatorem conſtat ſtultum, qui reconditum ſacculo tenet nummum, de quo inde poteſt habere commercium. Sed quod peius eſt, auaritiæ multa conſentiunt. Hic ne miſereatur pauperi, obſtrepit vocem poſtulantium conturbatione ſermonum: ille ne audiat, aliud audiſſe ſimulat. Satis miſera eſt iſta viuendi conditio, vt homo dum ſtudet auaritiæ auribus ſuis grauitatem conetur imponere. Reſpice ad illam ſententiam *Prou. 19.* quæ dicit, *Qui pauperi miſeretur, Deo fœnerat.* Quare ergo D dubitet aliquis indigentem paſcere, cum videat ſe iſta Chriſto noſtro in pauperis refectione conferre? Sunt aliqui, qui miſerabilem mendicitatem ſpe procraſtinatæ humanitatis illudunt; qui cum excuſare poſtulantibus erubeſcunt, miſeros promittendo decipiunt. Ecce hic dicit, clauis deeſt, cuſtos abſentat: cum primum fueris reuerſus, accipies. Non cogitas illam ſententiam *Prou. 3.* Salomonis, quæ dicit, *Ne dixeris, abi & reuertere, cras ego dabo: cum poſſis ſtatim benefacere.* Vnde ſcis quid contingat ſequenti die? Dicis, cum primum fueris reuerſus accipies. Quando eſt illud, eſurienti vt villicus tuus redeat, qui forte te volente frequenter abſentat? quando eſt, vt ad clamantem illa faſtidioſa ſecretorum tuorum clauſtra diſſiliant, quæ dum tuæ ſeruiunt voluntati, neſciunt aperiri? Dicis, cum fueris reuerſus, accipies. Quid ſi nudum grauior ſolito tempeſtas cædat? quid ſi deficientes fame artus exitus vicinæ mortis excipiat? Quis non iudicet tuo iudicio deputatum morti, quem vides tuo beneficio potuiſſe ſeruari? Cum fueris reuerſus, accipies. Cuius fide redit, quæro virtus tua E deſtituti? aut qua ſpe domum repetit, qui pridie confuſus abſceſſit? Deponamus quod promiſſioni tuæ redeundo ſatisfaciat; fortè ſub hac qua pridie conditione venturus. Satis iuſtius plane eſt eleemoſynam ſtatim negaſſe, quam eſurientem ſpe promiſſa decipere. Audite Dominum dicentem, *Frange eſurienti panem tuum.* Requiramus ſi vultis, dilectiſſimi, qua fractus panis mercede penſetur. Ecce dicit Dominus, *Frange eſurienti panem: ſi videris nudum, veſti* *Eſai. 58.* *eum: & domeſticos ſeminis tui ne deſpexeris. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & veſtimenta tua cito orientur: & prodibit ante te iuſtitia: & claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis & Deus exaudiet te: & dum adhuc loqueris dicet, ecce adſum.* Videte, dilectiſſimi, quantum nobis conſtet erogatio tenuis expenſæ, vt ad petitionem noſtram tantæ maieſtatis Dominus dignetur occurrere. Nam & alibi dicit, *Qui dederit vni ex minimis iſtis* *Matt. 10.* F *calicem aquæ frigidæ, amen dico vobis, quia non peribit merces eius.* In hoc loco voluntas requiritur, non facultas. In extremis enim affectum integræ deuotionis oſtendit, qui in minimis votum miſerationis exhibuit. Vnuſquiſque ergo, dilectiſsimi, prout habet, vt poteſt, eroget, largiatur, expendat. Nemo claudum refugiat, nemo ſurdum non audiſſe ſe fingat: nemo debili manus ſubtrahat, quia omnia iſta in retributione conſiſtunt. Veſtire enim pauperem, corporis ſui eſt operuiſſe nuditatem, lucrum autem magnum eſt refeciſſe mendicum. Sic enim dicit Dominus, *Quæcunque feciſtis vni ex minimis iſtis, mihi feciſtis.* *Matt. 25.* Tanta eſt enim apud Dominum noſtrum cura miſerorum, vt ſibi præſtitum putet, quicquid egentibus erogatio miſeranda contulerit. Videmus igitur aliquoties inter abundantis vini, frumentique commercia egentes viduas, quas ſexus & ſenectus decepit: quibus nec laborandi, nec prouidendi virtus ſuppetit. Satis ille impius eſt, quem non ad miſericordiam prouocat aut infelicitas deſolatio- G nis, aut infirmitas ſenectutis. Videmus & quod peius eſt, frequenter multitudinem captiuorum nudis errare corporibus. Quid tibi prodeſt abundantia diuitiarum tuarum, ſi in conſpectu tuo vnus algeat, alter eſuriat? Ecce imminet tempus, dilectiſsimi, iuſtæ retributionis, & promiſſæ in cœleſtibus munus hæreditatis. Erogemus ergo, & expendamus in hoc ſæculo, ſi vultis partem diuitiarum obtineamus in cœlo. Audite Dominum dicentem, *Theſaurizate vobis theſauros in cœlo:* & alibi, *Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt.* *Matth. 6.* *Luc. 12.* Bene, dilectiſsimi, Chriſtus noſter boni operis fructum penſata facultatum qualitate diſpoſuit: vt in faciendis eleemoſynis nec diues, nec pauper excuſare ſe poſsit, ita vt huic qui plurimum poſsidebat, theſauros iuberet erogare: illum quem nouerat paupertatis ſqualore ſordere, eſurienti panem iuberet frangere. Quæ autem tam vacua horrea, quæ ſuſtinere non poſsint tam tenuem erogationis expenſam? aut qui tam miſeri cenſus, quos poſsit conturbare mendicus? Facilè ſanè & ſine difficultate poteſt implere H mandatum, cui vltra poſsibilitatem nihil conſtat impoſitum. Scio quidem cenſus tenues frequenter bonæ voluntati obſiſtere: ita vt non ſit in quo ſe opera pretioſæ cogitationis extendant. Sed ſi illa quæ maiora ſunt, implere non poſſumus; vel hæc quæ parua & facilia ſunt, non prætermittamus. *Frange eſurienti panem.* Ad hæc quis non deuota mente reſpondeat, quamuis paupertate oppreſſus ſit, & tota victus mendicitate ſuſpiret? Aliquin aut nimium mendicus, aut ſatis vanus eſt, qui in facienda eleemoſyna non eſt fracti panis erogatione contentus. Sed dicis, multa minutatim, diſpenſata maſſam faciunt. Verum eſt, ſed quantum eſt illud *Matt. 19.* ad illud quod dicit Dominus, *Ego vobis reddam in centuplum, inſuper & vitam æternam?* Tu tamen, qui tam minimas fracti panis portiunculam porrigis, quid faceres, ſi à te auri pondus, ſi argenti pretioſum talentum, aut aliquid integrum peteretur? Neſcio ſi tu aliquando dato magno pretio captiuum redimas, qui dere tam paruo ſuſpiras.

A ſpiras. Qui pauperi miſeretur, Deo fœneratur. Vnde, dilectiſſimi, moneo vt nemo partẽ diuitiarũ Deo ſubtrahat: qui iuſtis laboribus non difficilè boni operis fructum reportat, cũ miſericordiæ mercedẽ multiplici miſeratione compenſat. Non dubitemus itaq; erogare: non diſſimulemus expendere. Maxima enim ſemper fuit apud cultores terræ ſpes alendæ vitæ, ex abundantia ſeminaſſe.

HOMILIA X.

De paraſitis.

QVOTIENSCVNQVE, dilectiſſimi, pro ſtudio diſciplinæ, ad confuſionem malorum, opus fuit bonarum partium virtutes exponere, multum amicitiis honoris exhibuimus, cùm ſingula quæq; pro ſuis meritis laudaremus: præferendo fraternæ coniun-B ctionis ſtudia, quæ pacis & caritatis iuncta conſortio, vitam perfectæ religionis inſtituunt. Sed dum aſſiduè ſingularum rerum cauſas curioſus inquiro, & honeſtis actibus officium ſermonis accommodo, multum in ipſis amicitiis quod mihi diſpliceret inueni. Vnde ne quid in adulatione bonarum partium ſubtraxiſſe videar diſciplinæ, auſus ſum inter illas inimicitiarum culpas etiam amicitias caſtigare: ſi tamen amicitiæ dicendæ ſunt, vbi operatur iniuria multis acta vulneribus. In quo loco ad excuſandam exſecrabilis erroris inuidiam, aliquanti fortè luſum prætendant, & pœnalibus cauſis lætitiæ nomen imponant. Ferat hoc quo libet animo, qui huiuſmodi contumeliis ſubiacere conſueuit. Ego ibi amicitias exceſſiſſe omne genus captiuitatis puto, vbi nec læſo iraſci, nec irato conuenit vindicari. In quo loco, dilectiſſimi, quem ex duobus infeliciorem iudicem, neſcio: vtrum illum qui aliena deformatione viuit, an iſtum qui corpus ſuum ludibrio proſtituit, & inluſionibus tradidit. Nemo mihi in talibus cauſis patientiæ nomen imponat. ad C luxuriam profectò pertinet pœna, quam iraſcentis inimici non extorquet iniuria. Sed fortè iſtis danda venia ſit, quos ad omnem contumeliam paupertas trahit, & infelix penuria luxuriantibus plagis ſubiacere compellit: qui dum neceſſitati ſeruiunt, contumeliis adquieſcunt. Eſto vt his patientiam cauſa improbæ paupertatis indicat: quid de illis iudicamus, quos aliena paſcit contumelia? Qualis iſte gradus eſt amicitiarum, quem vinxit pœna, aſperauit iniuria? aut quæ illi poteſt eſſe gratia familiaritatis, vbi eſt quotidie pœna venalis? Erubeſco quidem, dilectiſſimi, in confuſione miſerorum, quos fames improbæ cupiditatis inlexit: ſed multò plus illorum actu & conuerſatione ſuſpiro, apud quos pœnalis amicitia triſtitiam remouit, & lætitiam cruentus amor familiaritatis exegit. Infelices quidem illos indico, quos ad ingem contumeliam venter inuitat, & ad omnem iniuriam gula nunquam poculis exſatiatura ſollicitat. Sed iſtos multo infeliciores puto, qui amica inſtigatione pugnas inſtituunt, & inter fluentes mero calices alieno ſanguine ſatiantur. Ecce hic conuiuium inſtituit, & votiuo quodam apparatu vndique gre-D ges adulantium congregauit. Inter quos procedit paraſitorum gula: cui conſuetudinis eſt iniuriam mero vendere, & poculis ſciſſa plagis veſtimenta ſarcire. Videte ergo, quomodo iſti ferant odiorum cauſas, apud quos cruentas eſſe placet amicitias. Quid non inuenit infelix ac damnoſa luxuria! Ecce fit ſpectaculo homo homini: & ad excitandam lætitiam aut ſermo turpis, aut vultus exigitur fœditatis. Huic denique manducanti barba vellitur: illi bibenti ſedilia ſubtrahuntur: hic ligno ſciſſili, ille fragili vitro paſcitur. Tanta eſt igitur libido ridendi, vt putent miſeri nullum ſine lætitia tranſire conuiuium, niſi in cibos verterint aut veſtimenta corporum, aut miniſteria poculorum. Quantis autem putatis miſeris iſta conſtare? Ecce quicquid detrimenti menſa fecerit, inſatiabilis venter adquirit. Nam qui huiuſmodi voluptatibus ſeruit, etiam mercedem laboris ſui aut bibendo conterit, aut vapulando conſumit. Sed hæc ante omnia illis imputan-

E da ſunt, qui lætitiæ cauſa ad tam fœdum miniſterium gradum amicitiæ & familiaritatis inclinant. In meliore profectò ſtatu eſt apud Dominum ſeruitus, quæ ſtandi lege deputato paret officio. Eſt illi inter accumbentes locus ridendi, & nulla tamen inter expectantes tenetur culpa peccati. Ecce inſtruitur acies poculorum telis armata. Expectatur primùm in contentione verborum victoria: nec finis ponitur, donec abundantibus lacrymis aſpera quæque poculorum temperentur. Polluere eſt magis, quàm exornare conuiuium, expectare infelicium pugnas amicorum: ſi tamen amici dicendi ſunt, qui captiuorum lege ſeruiunt, & gladiatorum more paſcuntur. Datur miſero inter ciborum nouitates, vini liquores, quicquid vilius, quicquid aſperius: vt in tanta rerum abundantia incertum ſit, vtrum eſurire, aut ſitire ſit melius. Minùs planè ludibrio ſubiacet tenebroſis ſedibus deputata captiuitas: vbi quamuis ſuſtineat homo durum dominationis imperium, accipit tamen ex ipſa rerum neceſſitate ſolatia. Non enim F habet, in quo poſſit erubeſcere, cui neceſſe eſt inuito ſeruire. Velim tamen ſcire, dilectiſſimi, in quo reficiat expectantis animum iniuria deformitatis alienæ. Adferant fortè huius rei amatores iocis iſta præſtari. quaſi reuera deſit, vnde homo non requirat. Oſtendam vobis, ſi placet, oblectamenta non incommoda: quæ facilè omnem tabeſcentis animi poſſint mœſtitiam remouere. Ecce infantibus quàm ſunt verborum admiranda principia: vbi primùm informis litera vocabulum matris operatur, & diſtantis ſyllabæ gemitus patris nomen ordinat? Quis autem ibi lætus non ſit, cùm inter illa ſermonum dura rudimenta, luctantes labiorum ſonos rudis lingua decipit, & os trepidum ſtillantia verba deſtituit? Quod ſi fortè ſpectaculis delectaris, habes equorum, licet aliquotiens periculoſa, ſatis tamen grata certamina; cùm plagis gradu concito ventos aut timeant, aut rapiunt. Nec parum lætitiæ conferunt illa ſtudia venationum, & canibus acta certamina; quæ nec periculis, nec damnis conſtat expoſita. cùm hic in conflictu æmulis curſibus aurito lepori imminet, ille argutis naribus cerui veſtigia latentis inquirit. Quæ tamen dimittenda ſunt ſæculo, G in quo antiquo æſtuat errore luxuria. Nos verò aliter decet, quos Chriſtus noſter ſuis legibus vinxit, & ab illa ſuperſtitioſæ gentilitatis ſtultitia ſegregauit. Licet nec nobis deſint ſpectacula, quæ triſtitiam releuent, & anxium curis animum ſufficienter oblectent. Ponamus nobis ante oculos illas pugnas Martyrum, & intueamur admirabilium exempla virtutum: & videbitis ſubitò adcreſcente lætitia cedere omnes infelicium æſtus animorum. Cui autem non lætitiam paret pugna, iuſtis partibus ſuccedente victoria, quam ferus hoſtis admotis tormentorum ſtimulis in Sanctorum perſecutione compoſuit? Quis igitur non rideat, quis non lætus ſit, cùm videat militem Chriſti noſtri ſuppliciis exultantem? erubeſcente perſecutionis auctore, victum plagis ceſſiſſe tortorem? Si quis fortè dulciſoni cantus delectatur auditu, ad pſallentium Prophetarum chóros ſollicita latiùs corda conuertat. Impleatur os noſtrum cœleſtium exultatione pſalmorum, referente Chriſto noſtro gratias, qui ſpe redditæ ſalutis in honore nominis ſui iugiter exultare nos voluit. Hæc ſit exultatio cordis noſtri, vt die H noctuq; lætemur in Domino. Hoc eſt autem exultare, mandatis Domini tota mente ſeruiſſe. Mandatis autem Domini ſeruit, qui vitam ſuam ab omni vitiorum contagione cuſtodit. Ille vitam ſuam cuſtodit, qui fidem proximis ſuis exhibet, pacem diligit, amicitias colit. Hoc eſt igitur amicitias colere, alienam iracundiam moderationis ſtudio ſuſtinere, & feruentes fratris animos patientia temperare. Ita eſt vt futuro iudicio inter cæteros inculpatus incedas, ſi de Chriſto noſtro in his omnibus quæ diximus, te probatum caſtigatus exhibeas.

A

HOMILIA XI.

Qui gloriatur in Domino glorietur.

NON rectè ſentiunt, dilectiſſimi, qui putant vitæ ornamenta proprio labore componi, & ſine adiutorio omnipotentis Dei virtutum poſſe merita comparari. Si ergo noſtrum eſt tantùm quod boni ſumus, quare vitiis ſubiacemus? aut ſi ex nobis deſcendit omne, quicquid poteſt hominem aut ornare, aut ſaluum facere, quare peccandi lege concludimur? Omnem profectò modum ſacrilegæ ſuperſtitionis exceſſit, qui in laboribus iuſtis partem Deo ſubtrahit, à quo ſapientiæ ſpiritum accepimus: qui totum hominem regit, & ad omne opus bo-
B num mortalium mentes accendit. cuius eſt quicquid ex illa iuſtitiæ ſede deſcendit. Omnia itaq; laborum inſignia ad Deum referenda ſunt: ne ſancti Spiritus dona reſcindat. Nimiæ autem præſumptionis eſt vitium, imperatore pugnante militem ſolum palmam velle reportare victoriæ. Sanè ſi vultis poteſtis agnoſcere, cui mala, cui bo-
Pſalm. 118. na debeant imputari, Propheta dicente, *Bonitatem feciſti*
Pſalm. 113. *cum ſeruo tuo Domine.* Item alibi, *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Videtis ergo, quòd bona noſtra diuinitati debemus adſcribere; mala autem humanis moribus imputare: quia; vt bona procurante Domino creantur, ita mala diabolo auctore naſcuntur. Sed vt intelligatis vitam Dei munus eſſe, mortem
Matth. 25. diabolo ſubiacere, audite Euangeliſtam dicentem, *Venite filij, poſsidete mecum regnum promiſſum vobis à conſtitutione mundi. Eſuriui, & dediſtis mihi manducare.* Alijs verò dicit, *Recedite à me maledicti in ignem æternum, quia non dediſtis mihi manducare.* Videte ergo quòd boni actus cœlo ſeruiunt, mali inferni ſedibus deputantur. Diuiſio autem actuum noſtrorum eſt. cùm benè facimus, Chriſti ſumus: cùm mala operamur, in diaboli poteſtatem
C tranſimus. Nunquam enim deſerit Dominus voluntatem religionis ſtudio florentem: nec deſunt ſolatia diuinitatis, vbi ſunt actus bonæ conuerſationis. Tunc ſanè nos bona deſerunt, cùm deteriora ſuccedunt: quia non dubiè diuino auxilio deſtituimur, poſtquam iniquitatis deſiderijs occupamur. Adſiſtente igitur Deo ac Saluatore noſtro, ſine dubio dominatio diabolicæ poteſtatis abſentat. Vbi autem virtutum Dominus diſceſſerit, facilè hoſtis aulam vacuæ poſſeſſionis inuadit. Vna eſt itaque ſpes ſalutis noſtræ, vt malorum actuum ordinem nobis imputemus, bonorum Dei virtutibus adſcribamus. Citò autem ille ad ſe imperium diabolicæ poteſtatis admittit, qui diuinæ maieſtatis ſolatia non meruerit obtinere. Sperandū ergò in Domino, vt boni ſimus: & cùm boni fuerimus, in Domino gloriandum.
1. Cor. 4. Audite Apoſtolum dicentem. *Quid habes quod non accepiſti? Si accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Hæc a-
D ctuum noſtrorum perfecta gloriatio eſt, ſi gloriemur in Domino, apud quem victoribus virtutum corona componitur. Ibi ſanè de ſe hominem gloriari oportet, vbi pro nomine Domini voluntaria crucis pœna ſuccedit. quæ tamen gloriatio hunc habet fructum, ſi auxiliante Chriſto mereatur effectum? Nam Propheta
Pſalm. 126. in hoc loco dicit, *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam: in vanum vigilant qui cuſtodiunt eam.* Videtis ergo, quòd nec ſine Domino quod bonum eſt ædificari, nec ædificatum ſine Domino poterit cuſtodiri. Ædificatio diuinæ huius domus ædificatio eſt vitæ noſtræ, quam oportet diuinæ maieſtatis auxilio communiri. Rogandus itaque ſemper eſt Chriſtus noſter, vt in nobis bona nutriat: & exorandus, vt nutrita cuſtodiat: atq; ita intelligentiæ noſtræ corda componat, vt omnia quæ bona ſunt gloriæ cæleſtis poteſtatis adſignet. Stultitiæ verò genus eſt, vt homo ſuum eſſe iudicet quod laborauit, qui in alterius poteſtate conſiſtit. Ecce hic modò diuitijs exultat, modò paupertate ſuſpirat. ſi in manu noſtra ſunt bona
E noſtra, quare non cùm volumus aut penuria ceſſat, aut diuitiæ perſeuerant? Hic modò ſanitatis vigore attollitur, modò infirmitatis dolore vexatur. ſi in poteſtate hominis eſſet vitæ noſtræ ſalus, nunquam periclitaretur mendicus, nec interiret infirmus. Requirat denique vnuſquiſque initia vitæ ſuæ, & auctorem quærat generis humani: quis corpus formauerit, quis membra compoſuerit, quis terrenam materiam in humanum vſum fecerit vegetare. Nonne hæc omnia Dominus ſapientia procurante conſtituit? Cùm ergo non ſit noſtrum quod ſumus, quo modo noſtrum eſt quod habemus? Stultitiæ genus eſt, vt cùm alij debeas vitæ beneficium, tibi adſcribas ornamenta virtutum. Ecce hic honore extollitur, ille ſibi de corporis integritate blanditur: hic diuitias labori ſuo imputat, ille ſcientiam doctrinæ vigilijs adſignat. Nec nos negare poſſumus, orna-
F menta religioſæ vitæ vigilantiæ ſtudio comparari. Sed ibi Deus eſt, vbi integræ religionis eſt animus. ita
Rom. 7. Apoſtolo dicente, *Experimentum eius quæritis qui in me loquitur Chriſtus?* Satis ibi vacillat humanum ſtudium, vbi non ſequitur Dei auxilium. Nam non dubiè periclitatur fides, ſi non muniatur patrocinio diuinitatis. Noſtrum eſt igitur bonum velle, Chriſti verò perficere. Nam ita Apoſtolus loquitur: *Velle* Pſalm. 13.
adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Vides ergo boni operis voluntatem ex nobis debere deſcendere, perfectionem vero in Dei poteſtate pendere. Quare autem aliquis mortalium fieri bona ſuo tantum ſtudio adſignet, cùm dicat Propheta, *Non eſt* Pſalm. 13.
qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum: & Euangel ſta itidem doceat non eſſe bonum, niſi ſolum Deum: Ergo videtis, quòd ſi quando boni videmur, bonitatem Dei operamur. Audite Apoſtolum dicentem, *Vos eſtis* 1. Cor. 3.
templum Dei, ſi tamen Spiritus Dei habitet in vobis. Templum profectò Dei ſumus: ſed cùm bene facimus. Si ergo templum Dei eſt homo, neceſſariò Dei eſt quod habemus in templo. Sed hæc bonis diximus. Verum non eſt Dei templum, vbi conuenit multitudo vitiorum. Nam vbicunque crimina porriguntur, ibi diabolus dominatur. Ad illum ſcilicet reſpicit pompa diuitiarum, qui ſibi in magna dono vindicat principatum. G
Nos procuratoris loco fungimur, ſi aliquid lucri fecerimus, refertur ad Dominum: ſi damni, retorquetur ad procuratoris exitium. Quicquid enim ſeruus in Domini poſitus poteſtate laborauerit, neceſſariò Domini eſt. Habet quidem ſeruus gratiam laboris ſui, ſed Domino debet fructum operis impleri. Denique vtili ſeruo ad hoc pecunia creditur, vt domino duplicati fœnoris lucra numerentur. Reſpicite itaque ad conſuetudinem conuerſationis humanæ, & intelligetis vtili ſeruo ad hoc pecuniam credi, vt domino duplicati fœnoris lucra numerentur. Nam ita in hoc loco Euangeliſta dicit, ad eum qui lucrum quadruplicatæ pecuniæ reuerſo de peregre domino portauit, *Euge ſerue bone,* Matth. 25.
quia in pauca fuiſti fidelis, in multa te conſtituam: intra H
in gaudium domini tui. Ita dominus laudatur in ſeruo bono: ſeruus bonus prædicatur in domino. Vnde cauendum eſt, ne quando quod ad gloriam boni operis pertinet, noſtris virtutibus adſcribamus: ſcientes quòd non per iactantiam victoriæ corona componitur: ſed per fidem & confeſſionem Dominicæ paſſionis, quibus reſpondent bonorum operum ſtudia. Hæc eſt illa pecunia, cui diximus cæleſtis regni reſpondere beneficia. Hoc illud negotium iuſto fœnore duplicatum. Hæc eſt illa retributio meritis debita, ac beatis laboribus repromiſſa. Multiplicentur ergo in nobis pietas, fides, miſericordia, bonitas: vt cùm venerit Dominus facere rationem cum ſeruis ſuis, intremus in gaudium Domini Dei noſtri. Quod facilè obtinere poſſumus, ſi vſque in finem cæleſtia mandata ſeruemus. Sed non otioſè nobis laborandum eſt, vt mercede digni iudicemur. Iuſtis autem actibus facilè honeſta ſuccedunt, ſi tamen non occupent animum prauæ volupta-

tes:

A ces: quæ non difficilè in ventos euaneſcunt, ſi non diuinæ maieſtatis ſolatia requirantur. Quiſquis ergo eſt in hoc, quo ſtat ſalus hominî, religionis ordine conſtitutus, non extollatur gloria ſanctitatis: ſed magis fructum laboris ſui Domino reſeruet, qui vnicuiq; pro meritis cœleſtia dupla componit. Qui gloriatur itaq;, in Domino glorietur. Omni ergo ſtudio agendum eſt, dilectiſſimi, vt vitam noſtram Domino ita fides pura commendet, ne quid extollentia humana ſibi vindicet, aut ſuis laboribus doceat. Totum autem perdidit quod laborauit, qui proprius virtutibus fructum ſanctitatis adſcripſerit.

HOMILIA XII.

De bono conſeruandæ pacis.

B SOLLICITI ſint fortè aliqui maliuolis exprobrare verbis ſtudium bonæ voluntatis, & timori aut ignauiæ adſcribere, ſi quando homo litibus cedit, & exulceratus iniuriis ad omnem patientiam quietis amore confugerit. Ad confutanda tam prauæ mentis iudicia, ſufficere quidem deberet Euangelicæ lectionis admonitio. Sed quod ea nobis eſt, fidem rerum etſi exiguo ſermone proſequimur: atq; ea quæ plenitudo religionis poſtulat, pro affectu quo caritati ſtudemus, votis cumpetentibus adiuuamus. Licet ſciam antiquis legibus ita multos deuicto amore ſeruire, vt odiis ſemper impugnent quicquid ſeruandæ pacis cura ſuggeſſerit. Siquidem id ipſum quod dicitur ſumus multis diuinarum ſcripturarum teſtimoniis ad probemus: ita in hoc loco Domino dicente, Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui vos oderunt.* Non dubito quòd aliquantis ſatis odioſum, & impoſſibile videatur pro inimicitiis amorem deferre, pro contumeliis gratiam reddiſſe. Et verè, dilectiſſimi, difficile eſt, vt accepta iniuria dolor non in quacunq; parte corporis deſæuiat. Sed ſapientis eſt ſuperuenientem dolorem aut patienter ferre, aut fomentis mollioribus temperare. C Infinita autem virtus eſt, odia vicisse beneficiis. Nam ille inter cæteros palmam perfectæ virtutis obtinet, qui ad vicem veneni pocula dulci melle componit. Primus itaque dilectionis gradus eſt, caritatis affectum amicitiis nutrire: integræ autem dilectionis eſt cumulus, odium amore repenſare. Illud beneficiis adſcribitur: hoc virtutibus deputatur. Addidit præterea ad cumulum Rom. 12. perfectæ dilectionis illa ſententia, quæ ait, *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Quicunque ergo tu es, quem alienæ inſolentiæ inquietat iniuria, & dolor contumeliis excitatus ſtimulat: ſi vis perfectus eſſe, animorum iracundiam moderatione compeſce, & à te patientiæ bono odia improbæ indignationis exclude. aut certè, ſi tantùm vindicare deſideras, miſerere ab his qui ignorant ſalutem animæ in hac dilectionis perfectione pendere. Fortè odiis odia compenſentur, & ad compenſandum facinus vicaria iniuria. Prouocaſſe quidem ad iracundiam fratrem, crimen eſt? ſed prouocatum non ceſſaſſe, deforme eſt. D Ita enim odiorum ſemina abundantiſſimos iniquitatis fructus reddunt, & ſcelerum pœnas operantur: & cùm auctor litis erubeſcit fratri ſatisfacere; & læſus iuſto, quantùm ipſe putat, iudicio vindictam inlatæ requirit iniuriæ. Audiſtis ecce, dilectiſſimi, quibus pacis ſtudia fructibus gratulentur: nunc diſcite, quantis odia criminibus incuſentur. Sic enim proponit Euangeliſta Domino dicente, *Qui odit fratrem ſuũ, homicida eſt.* Videte vtriuſque partis retributionem. Huic pro odio fratris homicidij macula adſcribitur: illi vindicta pro patua eleemoſyna præparatur. Reſpicedenique & vide, quanto te amicitia quietis & pacis honore circundet: quantum tibi fauoris exhibeat, ſi aduerſus inimicitias amore contendas. Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros.* E Longè autem minor fructus eſt, ſi amantem te diligas. Alienis enim moribus ſeruit, qui non amantem diligit: ſuis autem moribus ſeruit, qui amantem diligit. Ad illum neceſſariò caritatis gratia pertinet, qui inter duos prior affectum amoris exhibuit: qui amantem diligit, debitum reddit. Nam non eſt nouum meritum, vbi alterius præcedit officium: nec perfectioni adſcribendum eſt, vbi muneribus munera, præmiſſis officiis redduntur officia. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum.* Rom. 12. Nunquid dixit, ſi eſurierit amicus tuus, ciba illum? Tu inimicum tuum paſce. nam amicus ipſe ſibi præſtat, vt non eſuriat. quid autem ibi operatur tua eleemoſyna, vbi amicum paſcit amicitia? Videamus tamen, quid interſit inter eum qui indigentem amicum paſcit, & eum qui eſurientem inimicum reficit. Ille gratiæ reddit debitum: hic exhibet miſerationis & virtutis exemplum. Glorioſum eſt quidem indigentem fratrem paſcere: ſed fortius eſt inimico in neceſſitate poſito ſubuenire. *Diligite inimicos veſtros.* Fortè illi quem recens pulſat iniuria, videantur iſta non conuenire rationi. Sed reſpiciat, quicunq; eſt, ad vitæ ſuæ quietem: & intelliget quia inimicum dilexiſſe, viciſſe eſt. F Infinitum autem eſt, quantum periculi homini incumbat, cùm duos æmulo furore conſimiles ad pugnam ille diabolus magiſter litis armauerit: cuius eſt conſuetudinis ad inſtiganda odia amaros portare ac reportare ſermones. Quando eſt autem, vt ille diem ſine tribulatione tranſigat; vel quando eſt, vt ab illo nox ſine impia cogitatione diſcedat, quem ira indignatione ſtimulat? Nunquam profectò ſine ſuſpicione vitam ducet, cui eſt ſemper neceſſe cogitare & timere quem læſerit. Summa itaque cura ſunt dolores aſperi blando verborum medicamine temperandi: quatenus & durities cordis pacis ſtudio caſtigata molleſcat. In quo loco beatos illos iudico, qui verba labiorum ſuorum tacito ore cuſtodiunt: & memores cœleſtium mandatorum alienæ vocis contumeliam non requirunt. Ceſſant enim odia, vbi non reputatur iniuria: nec habet vllam virtutem iracundia, ſi deſit vnius in contentione perſona. G Ita duplex patientiam manet victoria, hominem viciſſe proprios animorum motus, & temperaſſe mores alienos. Scimus quidem, dilectiſſimi, quòd aliquoties in contentione verborum laceratis auribus corda ſuſpirant. Sed ipſe ſibi iniuriam facit, qui litigioſi hominis verba cuſtodit: ipſe ſe maculat, qui alterius dicta queritur in ſe fuiſſe collata. Plena victoria eſt, ad clamantem tacere, & non reſpondere prouocanti. Habes enim mercedem & de tua patientia, & de fratris medela, ſi obliuioni deputetur iniuria. vbi enim verbis verba ſuccedunt, incendio fomenta præſtantur. Sicut nihil eſt deformius reſpondere furioſis: ita nihil vtilius tacere prouocatis. Nam ſic adcreſcunt inimicitiæ, ſi cùm alter ſe verbis defendit, alterius dicta alter accuſet. nullus autem eſt finis inimicitijs, niſi ad tempus obtemperemus iratis. Dicis fortè, non eſt culpa, ſi illud quod dicit Propheta, feceris: *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Pſal. 140. H Si non vis iniuriam pati, religa plectrum oris tui, & obtura aures tuas, ne ad te iraſcentis fratris verba perueniant: aut certè ſi peruenerint ſilentio deputentur. Sic fit vt conceptus furor virtutem perdat, ſi vno tacente alter ſolus inſaniat. Audite Apoſtolum dicentem, *Dilectio proximi malum non operatur.* Rom. 13. Vultis ſcire quod ſit iſtud malum, quod gratiam fraternæ dilectionis excludit? odia, iræ, ſimultates, lites, æmulationes: quæ omnem curſum vitæ præſentis infamant. Hoc ergò malo abſolutus eſt, qui caritati ſeruit: nec habet in eo locum ruina vitiorum, qui calcatis odiis integrum caritatis cuſtodit affectum. Addit ecce dilectionis augmentum Euangeliſta dicens, *Dilige proximum tuum, ſicut temetipſum.* Matth. 5. Videamus qui ſit iſte proximus, quem tanto ſtudio Euangeliſta commendat. Non ita Propheta gradum parentelæ, aut neceſſitudinem conſanguinitatis expoſuit, vt extraneos à gratia fraternæ dilectionis excluderet. Proximus tuus eſt omnis homo, qui eadem tibi eſt Chriſtianitatis lege coniunctus. priuatus tibi eſt;

A qui ab Eccleſiæ conſortio non videtur alienus. proximus ibi, quicunque eſt proximus Chriſti. Qui ergo proximum diligit, Deum diligit. Ita qui Deum diligit, oportet vt Chriſti ſui proximum veneretur. Propheta *Pſalm. 132.* laudans coniunctionem fraternam dicit, *Ecce quam bonum & quam iocundum habitare fratres in vnum.* Quid in vita hominis eſt bonum niſi pax, ſub qua omnia quæ ſunt honeſta proficiunt, ac religioſa nutriuntur? Quid eſt iocundius, quàm vt omnes gentes vni Deo in pace ſeruiant, atque in vnius Domini laudem omnium populorum vota conueniant? Habitare in vnum hoc eſt, in vnum Deum credere, & in vno Dei filio fideliter permanere. Hæc eſt mortalibus vtilis & iocunda coniunctio, vt non diuidamus, ſicut hæretici faciunt, patrem à filio, nec filium à patre, nec Spiritum ſanctum ab vtroque: ſed credamus hæc tria numina per perſonas diuiſa vnius deitatis gaudere conſortio. Ita ſi vicùm in vnum
B conuenerit, nullum ſit in Eccleſia diſſidium caritatis. Vitemus ergo ſemper, dilectiſſimi, odia. ſed vt odia vitare poſſimus, ante omnia cauſas vitemus odiorum. Primo loco ceſſet inuidia, quæ ad omnem litem animos humanæ mentis accendit. Nemo in comparatione perſonæ alterius natales infamet; & nunc eſt quem inſolentia ſui oris accuſet. Cauendum ante omnia eſt, ne quid per concertationem ſimultatis adoleſcat. Solet enim inſanabilis inimicitia ex contentione deſcendere. In quo loco patientia opus eſt, cui non ſine fructu propriæ ſalutis obſequeris. Nam ſicut illum qui iniuriam fratri infert, grauis peccati manet culpa: ita te maxima protegit virtutis corona, ſi accepta non iraſceris iniuria. Ille enim dilectionis plenus affectus eſt, ſi obliteratis contumeliis infirmitatibus miſerearis alienis. Scimus quòd glorioſum eſt aliquantis, expectare benignis oculis pœnas corporum, aut damna miſerabilium facultatum. Sed ſi qui ſunt iſti, audiant Dominum dicentem, *Math. 5.* *Orate pro calumniantibus vobis.* Multi accepta iniuria vicariam contumeliam parant, & vindictæ locum animo latrocinanti expectant. & vbi eſt illud quod Dominus *Rom. 12.* dicit, *Nemini malum pro malo reddentes?* Ac ne aliquid ſibi vindicaret iracundia, periculoſitatis etiam ſpem abſtulit vltionis, cùm dicit, *Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Domi-* *Ibidem.* *nus.* Dimittat ergo vnuſquiſque fratri ſuo ex toto corde.
C Nullus recolat iniuriam: nemo quærat ira perſeuerante vindictam. Sint tibi cum inimico tuo ſemper blanda, ſed pura colloquia. ceſſent obtrectationes, & ceſſant lites. Sic eſt vt à te diligatur inimicus, ſi non addas cauſas, quibus ſemper inflammentur iratus.

HOMILIA XIII.

Item De bono pacis conſeruandæ.

ALIQVANTI fortè æſtimant, dilectiſſimi, ab antiquis legis iuſtitiam, quam criminoſi ſatis duram iudicant, nimiæ bonitatis præiudicio fuiſſe calcatam: ex hoc quod dicat *Matt. 5.* Dominus in Euangelio, *Diligite inimicos veſtros: benefacite his qui vos oderunt, & orate pro*
D *calumniantibus vobis.* Satis crudelis eſt, dilectiſſimi, qui putat iuſtitiæ non conuenire bonitatem: cùm vnaatque eadem ſit ratio prouidentiæ, malos bonitate compeſcere, bonos legis vinculo cuſtodiſſe. Denique currite ad ſanctum Dauid, & inuenietis fontem iuſtitiæ ac bonitatis vnius eſſe virtutis. qui ita in parte pſalmorum *Pſalm. 118.* loquitur, *Bonus es tu, Domine, & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas.* Nemo ergo, dilectiſſimi, legis deſcriptionem aliud putet eſſe, quàm bonitatis, pietatiſque conſortium. quæ cùm diſciplinæ ſtudet, honeſtis actibus mores inſtituit; & concitata iniquis cogitationibus corda ſeueritate compeſcit. Nam vt ſciatis nihil de antiquo iure *Math. 5.* fuiſſe ſubtractum, audite Dominum dicentem, *Non veni legem ſoluere, ſed adimplere.* Non ſine cauſa, dilectiſſimi, Chriſtus noſter præſentis ac veteris teſtamenti præcepta

E vnum corpus eſſe voluit. Sciebat alteram partem ſine alterius adiutorio ſtare non poſſe. & verè ita eſt. Nam vbi eſt diſtrictio iudicantis, temperamentum ſemper opus eſt bonitatis. Omne denique poculum, dilectiſſimi, cuius auxilio medicina ſpem humanæ ſalutis operatur, ex amaris ſpeciebus & dulcibus conſtat. Quod ſi quis medicus rationis ignarus nequeat temperare, dum remedium quærit, mortifera agris venena componit: quæ ita omnes extrinſecus dolores accendit, ſi triſtes herbarum ſuccos æquis neſciat miſcere ponderibus. Ita & lex, dilectiſſimi, quæ Chriſtiana iura moderatur, ex amaris & dulcibus, hoc eſt ex antiquis & præſentibus inſtitutis eſt condita. Nam vt eſt peccatoribus ingrata, ita & iuſtis tota eſt verborum ſuauitate compoſita. in tantum vt his cœleſte promittat regnum, illis gehennæ minetur incendium. In qua ſi quis ſapiens nouerit humilitatis & pacis adiectione confectionis ſeruare menſuram, nullam exinde diſtrictionis iuris patietur iniuriam. Nam vt eſt facile aſpera quæque pocula mellis ſuauitate mollire: ita non eſt difficile, ho-
F neſtis actibus antiqui iuris amaritudinem temperaſſe. Si quis itaque veſtrûm iuſtitiam amat, vtriuſque Teſtamenti mandatis ſtudeat: atque ita nouellis legibus ſeruiat, vt illa quæ ſunt antiquitus conſtituta non prætermittat. Sic ergo implebis legem Chriſti, ſi nihil de antiquis aut præſentibus inſtitutis ſubtraxeris veritati. Quis autem ſapiens opus ſubiriæ fructum neget eſſe bonitatis, cùm audiat Prophetam dicentem, *Bonum* *Pſalm. 118.* *mihi quod humiliaſti me, vt diſcerem iuſtificationes tuas?* Non dubito eſſe aliquos, dilectiſſimi, qui ſub hac ſententia perfectam putent ſtare iuſtitiam, quæ dicit, *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Dominabatur qui- *Leu. 24.* dem iſta diu apud ſæculi homines ſed adeo, quia necdum auctor venerat bonitatis. Qualem autem illam putatis fuiſſe iuſtitiam, quæ ſolam mortis operabatur iniuriam? Et nullus profectò adhuc pœnæ finis eſſet, niſi Chriſtus noſter cruentis legibus oleum miſericordiæ miſcuiſſet: hoc eſt, verè ſine dolo impleſſet iuſtitiam, bonitatis exhibuiſſet doctrinam. His ergò, dile-
G ctiſſimi, eruditionibus inſtituti, antiquæ legis amaritudinem dilectionis ſtudio temperemus: ne videatur ille perfectæ modum exceſſiſſe iuſtitiæ, qui illatæ vicem reponat iniuriæ. Ecce dicit Euangeliſta, *Diligite* *Math. 5.* *inimicos veſtros.* Fortè aliquantis videtur abſurdum, contumeliam amore repenſare. Non eſt impoſſibile inimicum diligere, ſi partium tuarum vtilitatem cogites. *Diligite inimicos veſtros.* Nemo ſub hoc mandati titulo, æſtimet ſe aliquod inimico præſtare beneficium. Qui inimicum diligit, ſe diligit. Sibi enim pepercit, qui latrocinantis dexteram magni muneris præda compeſcuit: & ſuum corpus texit, qui armato hoſti precibus obuiauit, neguttoquodam cunatus ſeruare reuerentiam pugnatori. Nam pacem conſtat eſſe victoriæ, prælium oblato auri pondere redemiſſe. *Diligite* *Ibidem.* *inimicos veſtros.* Hoc eſt inimicos diligere, odiis non reſpondere, accepta contumelia patienter ferre, donare iniuriam, aut manu factam, aut verborum ſtimulis concitatam. Nam ita dicit Dominus, *Qui te percuſſerit in* *Ibidem.* *dexteram maxillam, præbe illi & ſiniſtram.* Iſtud
H *præbere* ſcio quòd aliquantis ingratum eſt, qui neſciunt lites cauere, & imminentes ſuppliciorum pœnas moderatione compeſcere. Infinitum eſt autem, quantum vni patientia ſua præſtet, ſi alter ſolus inſaniat. Nam ſicut duplicatas in ſe plagas excitat, qui repugnat: ita maioris rixæ lucrum facit, qui manus ſuas alio ferienie cominuit. *Benefacite his qui vos oderunt.* Pri- *Ibidem.* mus gradus eſt ille quem diximus, vt inimicum tuum diligas: ſecundus verò, vt inimico benefacias. nam ibi affectus docetur, hic opus miſerationis exigitur. Aliud eſt enim inimicum diligere, aliud miſero ſubueniſſe. Parum igitur apud inimicum tuum proficit gratia dilectionis tuæ, ſi eum, quem diligere te aſſeris, eſurire patiaris. Audite Paulum dicentem, *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, po-* *Rom. 12.* *tum da illi. hoc enim faciendo, carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Hic quantum video miſericordiæ crudelita-

ti ſa-

A ti famulatur. Quare ergo non ille circa inimicos ſuos pecuniam ſecurus expendat, quem promiſſæ tempus vltionis expectat? Neſcit ſine dubio iraſci, qui dubitat miſereri. Vltra felicitatem autem conſtat eſſe victoriæ, inimicum ſaluum feciſſe, & iniuriam vindicaſſe.
Matth. 5. Sequitur in hoc ipſo loco, *Orate pro calumniantibus vobis.* Sine dubio hîc Dominus conſcientiam ficti cordis admonuit. Sciebat enim dilectionem verbis compoſitam, ac licet largam erogationis expenſam, fieri frequenter ingratam. Ita ergò te oſtendis non inuitum illam vindictam tui eleemoſynam feciſſe, ſi inimici tui plagas cœleſti medico ſupplici oratione commendes, & profuſis lacrymis auxilium ſalutis implores. *Diligite inimicos veſtros.* Si inimicos diligere iubemur; in quo ſtatu putaris eſſe illum, qui fratrem nullis excitatus iniurijs impia inſectatione inſequitur? De hoc mihi vi-
1 Ioan 3. detur Apoſtolus dixiſſe, *Qui odit fratrem ſuum ſine cauſa, homicida eſt.* Et verè ita eſt ac ſi occiderit hominem, qui odijs perſequitur innocentem. Sed videamus tamen qui ſunt iſti, quos propter odia fraterna Sanctus
B Ioannes damnandos credidit. Puto illos eſſe, de quibus Propheta dicit, *Inuidia percuſſum eſt cor eorum.* Iſti ſunt, qui aduerſus ſe pugnas inſtituunt, & domos ſuas proprio igne incendunt. in quorum ſinu clauſo flamma tenetur incendio. Nam non eſt hîc quod alteri debeat imputari, vbi nullus eſt cum aduerſa parte conflictus; cum omnes penè cauſæ, & omnia odia inter perſonas in acie prouocatas deſæuiant. Si credibile eſt, ecce inuenimus reum, qui aduerſarium non habet. habemus itaque qui poſſit puniri, & non inuenimus qui debeat vindicari. Felicem planè illum iudico, cuius glorioſam vitam torius oculis alter aſpexit. Nam ſatis bono loco eſt illius cauſa, qui aliena laborat inuidia. quia non lucet humo niſi melioribus: nec inuidiæ ſubiacet, niſi quem ad celſiora melior vitæ profectus euexerit. Illus verò pluſquam miſeros puto, quos lucra alienæ felicitatis exagitant; & iracundia impia æmulatione concepta occultis cordis iaculis inquietat. Bene iſtos ſua
C tela puniunt. vt videatur mihi ipſa inuidia aliquid habere diſcretionis, cùm auctoris ſui cor repercutit, & malè conſcium pectus cruento iugiter liuore conſumit. Primò ergo caſtiganda inuidia eſt: quæ ſemel animo concepta dolores operatur. Sanè vbi occurrit oculis noſtris aliena gloria felicitatis, æmulationis nos magis ſtudium teneat, non liuoris. iuxta illud quod dicit Apoſtolus, *Æmulamini meliora.* Ille profectò nihil ſubtrahit veris amicitijs, qui ſine inuidia bonis æmulatur alienis: nec alteri iniuriam facit, qui exemplis ad meliora contendit. Si quis ergo eſt ſapiens, imitetur fructus iuſtitiæ, ſequatur actus continentiæ, apprehendat humilitatis gratiam, & cum bonis æmulo amore currat, vt ad meliora perueniat. reſpicientes ad illam Apoſto-
1. Cor. 9. licam ſententiam quæ dicit, *Sic currite vt apprehendatis.* Quicunque ergo mouetur aliena gloria, currat poſt bonos, & elaboret vt apprehendat: & adquieſco vt præ-
D cedat. tantùm vt ſine animi liuore contendat. Hoc eſt verè immaculatam exercuiſſe virtutem, ſine iniuria viciſſe meliorem. Superbis ſanè locum demus; tantùm vt nos in humilitate vincamus. Non nos ad æmulationem prouocet lucrum militiæ ſæcularis. Maneat illus pompa diuitiarum, quos admonet cura filiorum. licet multo plus lucri faciat, ac ſibi reponat, qui culturam miſerationis exercet. Nihil eſt autem tutius, quàm in ore pauperum partem recondere facultatum. Nam ita dicit ſcriptura, Domino dicente,
2. Cor. 9. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.* Tibi fraudas quicquid reſeruas. Erogemus ergo, dilectiſſimi, multum, vt multiplices colligamus fructus miſericordiæ. Sine lucro eſt autem pecunia, quæ ſacculo tenetur incluſa. quæ ſi negotio deputata fuerit, non multo pòſt tempore quadruplicata reſpondet. Quicquid pauperibus dederitis, ſine dubio fœnori deputatis, redditur o vobis in poſterum, cùm vniuſcuiuſque labores multiplicato honore cenſentur. Expectat enim ſingulos retributio operis ſui, ſiue quos religioſa fides ornat, ſiue quos manus larga commendat. Nam ita E
Euangeliſta dicit, *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſerebitur Deus. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Sit ergo nobis, dilectiſſimi, primo loco cura pacis: ſecundò miſerationis. Nihil fictum labijs corda noſtra ſuggerant: nihil dubij ora reſpondeant. reſpicientes ante omnia ad illam ſententiam, quæ dicit; *Quod* Tob. 4.
tibi non vis, alij ne facias. Hæc illa, quam diximus, perfecta dilectio, quæ affectum integri amoris inſtituit. Ita eſt ergo, vt in te antiqui iuris diſtrictio nihil habeat poteſtatis, ſi ea quæ legis plenitudo poſtulat, obedienter obſerues.

HOMILIA XIV.

De bono humilitatis.

NON ſine iniuria partis alterius, dilectiſſimi, eſt, quotieſcunq; opus eſt vocis præ- F
conia virtutum meritis exhibere: quia cùm homo meliora laudat, deteriora caſtigat. Non enim dubiè ſtultus notari ſe æſtimat, ſi bonorum iudicio ſapiens laudatus abſcedat. Sed quid facturi ſumus, qui non poſſumus nec bona ſine malorum increpatione diſponere, nec mala ſine bonorum commemoratione damnare? Dabit ergo veniam, qui ſe in hoc opere iniuriam æſtimat accepiſſe. Melius eſt enim, vt mala conſcio pudore confuſa diſcedant: tantùm vt ea quæ ſunt laudatione digna non lateant. Duæ igitur cauſæ in vnum veniunt, humilitas & ſuperbia: quarum exponi alteram ſine alterius verecundia rerum natura non patitur. quia vna ſuis actibus, altera erubeſcit alienis. Dicendum igitur eſt, quantum humilitas vtilitatis habeat: vt poſſitis intelligere, quantum ſuperbiæ infelicitatis incumbat: & exponendum, quantum ſuperbia odiorum pariat, vt diſcatis quantum amoris gratia humilitatis adquirat. quo faciliùs vnuſquiſque agnoſcat veſtrùm, quid in ſe de- G
beat emendare, vel quid poſſit eligere. Nun ita ſuperbiæ caſtiganda dominatio eſt, vt humilitatis prætermittenda ſit gratia: nec in tantum humilitas præferenda, vt ſuperbiæ tacenda ſint vitia. Quid enim prodeſt ſcire valetudinis cauſam, ſi neſcias medicinam? aut quid iuuat noſſe auxilium ſanitatis, ſi nulla ſit compeſcendi cura languoris? Audite de his ſcripturam dicentem, *Humilibus Deus dat gratiam: ſuperbis autem re-* Iacob 4.
ſiſtit. Diſcite nunc, dilectiſſimi, vtriuſque partis retributionem: & intelligetis quid diligere, quid odiſſe debeatis. Ecce hic pro amore humilitatis inuitatur ad gratiam: ille pro ſuperbiæ crimine deputatur ad pœnam. Caſtiget ergo vnuſquiſque in ſe, ſi cui adcreuerit tumor animorum: ne aduerſum ſe cæleſtis iuſtitiæ arma commoueat. Difficile autem ſine periculo vitæ ſuæ tranſigit, cui aduerſus ſubliniorem poteſtatem cauſa dimicationis incumbit. Inclinandus eſt itaq; ad omnem humilitatem animus; vt ſit apud Dominum obtinendæ locus gratiæ.
Poteſtis autem intelligere, quàm grauis ſit culpa tumen- H
tis ſupercilij, quam neceſſe eſt tanto diuinitatis labore compeſci. Bene humilitas ſemper illæſa eſt. neſcit enim vinci, cui non eſt cauſa pugnandi. Superbia verò non ſolùm odijs, ſed etiam periculis ſubiacet. Difficile enim poteſt fieri, vt non ſuſtineat pugnam, qui iniuriam indicit. Sed facilè à nobis omne periculum huius neceſſitatis excludimus, ſi aduerſus ſuperbiæ vitia humilitate pugnemus. Humilibus Deus dat gratiam: ſuperbis autem reſiſtit. Si diligenter requiritis, dilectiſſimi, vniuerſa, quibus ab initio mundi Domino cœpimus diſplicere: inuenietis omnium vitiorum principem fuiſſe ſuperbiam: & cognoſcetis facilè, in quo aut humilitas meruerit cœleſtem gratiam, aut ſuperbia inciderit diuinitatis offenſam. Periclitati denique ſuperbia hominem diaboli exitus docuit: qui in ſubliniori conſtitutus loco, humiliora deſpexit; ac propter

virum

A viтium præſumptioſæ mentis Angelica dignitate depulſus, tyrannicæ ſententiam damnationis excepit. Videtis itaque, quod ſuperbiæ partes agit qui ſuperbiæ ſtudet. Quid autem ſupereſt illi, niſi damnationis ſententia, cui arrogantia dominatur? Comparemus, ſi placet, bonis mala, & deteriora melioribus: & intelligetis quanta homo in diem ſuperbiæ vitio laboret inuidia. Sed nec longè quærenda perſona eſt. Tu aſſume officium libertatis, & ſtatim animum ſuperbientis agnoſces. Quæ, rogo, illis eſt vita, quibus quotidiana ſunt odia? Nunquam profectò ille aut ſine ſuo, aut ſine alterius peccato diem tranſigit, qui ſupercilio elatus incedit: quia inter ſuperiores inferioreſque perſonas, ſemper aut deſpicitur, aut timetur. Superbia vilitatis eſt vitium, & indicium ignobilitatis. neſcit autem extolli nobilitas mentis. Semper adcreſcit apud indignos mores cum poteſtate ſupercilium. verum vbi eſt vitæ ſplendor, humilitas otioſa B blanditur. Humilitatem illam veram & ſanctam dico, quam religionis & Dei amor ſuadet, non timor dominationis extorquet. Illius humilitatis facimus mentionem, quæ caritatis eſt iuncta conſortio: quæ non auctoritate extorquetur imperij, ſed nutritur lege viuendi. Nemo profectò mores naturæ tantùm vitiis æſtimet imputandos. cum facultate nutritur ſupercilium; cum poteſtate creſcit imperium. Quando igitur infirmis corporibus ſufficeret medicina, ſi cum homine naſcerentur & vulnera? Nutritur ſuperbia, dum hic ſe verbis ſapientiorem, natalibus iudicat ille meliorem. hic dum non vult loco moueri, ille dum putat ſe poſſe contemni. Ita videmus vitio ſuperbiæ odia creſcere in comparatione perſonæ: dum hic adulantium oculis auri, argentique pondus ingerit: ille ambitum honoris opponit: hic dum in ſe præfert abundantiam opum, ille ſermonum: hic dum ſe vult propter conſilium expeti, ille propter conuiuium deſiderat ſalutari. Enumerari vix poſſunt vitia ſuperbiæ, quæ ſi homo vincere aut cauere poſſet, nullum laqueum diabolicæ damnationis C incurreret. Ecce hic vt ſemper nouus eſſe videatur, excuſationem ſalutatoribus mandat: ille vt quotidie ſalutetur, ægrotat. hic vt inueniat imputandi locum, fingit ſe de omnibus eſſe ſollicitum; non quòd abſentem deſideret, ſed vt reum inofficioſitatis accuſet. Quærit enim quàm ex matutinis horis ianuam ſalutator obſederit, vt imputet quare amicorum pompa defuerit. Ita cùm ad ſalutationem non admittatur ille, qui præſto eſt, reus ſtatuitur ille qui deeſt: ac ſic cùm huic qui occurrit clauditur ianua, illi qui deeſt paratur offenſa. Nolo illos dicere faſtus animorum, cùm egreditur diu meditato ſupercilio, ac ſuis locis ſuiſque meritis ordinationes inſtituit: ita vt cùm hic oſcula porrigat, ille pectus opponat. Nullus illi ſermo gratus, nullus confabulationis ſeruatur affectus: alios oculis prætererit, alios ſermone deſpicit: alteram, vt alteri ſe oſtendat iratum. Quæ rogo ibi eſt ſpes viuendi, vbi vnus ſub ſpecie amicitiarum præſumit dominationem, alter dum nimium obſequitur, ſuſtinet ſeruitutem? Videamus autem qualis ſit hic ſuperbus, cùm D inter æquales in iudicio ſententiam daturus fortè conſederit. Videor mihi videre pugnas verborum eructatione compoſitas, cùm vnus miſericordiæ ſtudeat, alter iuſtitiæ fauere ſe fingat; non vt recto iudicio fidem ſeruet, ſed vt ſtudia perſonæ ſuperioris expectet. Aliud enim ſenſiſſe ſe ſimulat, vt alterius diſceptatione diſſentiat. Non putat in conſilijs rectum, niſi quod ſolus ſenſerit: non putat iuſtum, niſi quod ſibi ipſe perſuaſerit. Vult ſolus audiri, ac ſolus omnium ore laudari. nec deeſt, quod peius eſt, ex hac parte qui faueat. Citò enim ſuperbia adulationi dat locum, dum aut hic quærit gratiam, aut ille veretur offenſam. Nec parua eſt in ipſis conuiuijs ſuperbia, cùm alijs toro locus paratur; atque in tantum ſublimior lectus ſternitur, vt magis pendere, quàm iacere videatur. Ita ſuperbia adquieſcit iniuriæ, ne pati videatur iniuriam. Quæritur quis adſurgenti manum porrigat, quis humerum E tegat, quis latus fulciat. Nemo mihi excuſare poteſt hoc vitium non eſſe tyrannicæ dominationis. Officium enim, quod homo homini exhibet, ſi non ad hoc ſolùm deferatur, vt tueatur infirmum, conſtat eſſe ſeruitium. In quo loco laudo paupertatis patientiam, quæ cùm proprijs virtutibus deſerirur, alienis moribus famulatur. Sed quid ſolis diuitibus tantum ſuperbiæ pondus imponimus, cùm videamus frequenter homines in ſumma penuria conſtitutos ſimili animorum infelicitate ſordere? De quibus dicit ille ſapientiſſimus Salomon, *Tres odit anima mea. pauperem ſuperbum*, & cetera quæ ſequuntur. Eccl. 25. Excedit ſine dubio ille ſuperbiæ modum, cui nulla eſt conſcientia facultatum. In maximis, & in ſublimioribus humilitas præferenda eſt: humilem verò pauperem nemo miratur. inuitus enim ſe humiliat, quem neceſſitas paupertatis inclinat. Humilitas in paupere grata eſt, in diuite glorioſa. humilitas inter inimicos blanda: ſuperbia verò etiam inter amicos ingrata. Requiramus è contrario, dilectiſſimi, quæ ſint F bona humilitatis. Blanda eſt & officioſa ſemper humilitas: in amicitiis grata, in contumelijs otioſa: non extollitur proſperis, non mutatur aduerſis: non indicit ſeruitium, non extorquet: officio prior ad ſalutandum, tardior ad ſedendum: non ſe adulantium grege expectat deduci: non ſe ambitioſè deſiderat ſalutari: non laudis ſtudia poſtulat, non fauorem vocis expectat: odit adclamantium choros, quia non ſine verecundia laudatur bona conſcientia. Non requirit voces adulantium, niſi qui ſe laudatione nouit indignum. verecundiùs autem ſemper laudatur amicorum ſtudijs, qui meretur. Verùm vbi indignitas dominatur, notari actus ſuos æſtimat, ſi inlaudatus abſcedat. Circumſepta eſt humilitas bonitate. Vt facere iniuriam neſcit, ita à contumelia non requirit. Vir humilis in contentionibus magis vult tacere, quàm vincere: in iudicijs adquieſcit imperitus videri, quàm impudens iudicari: non in verbis promptus, non ad reſpondendum paratus. Citatus verò, & facilis eſt ſuperborum ſermo: plenus contumelijs, & refertus G iniurijs: nunquam ſine vulnere miſſus, nunquam ſine dolore iaculatus: cuius inſanabilis plaga eſt, & irremediabilis macula. Vbi autem præuenerit verborum culpa, mox per ſatisfactionem ſequitur medicina. Hanc ergo amare, dilectiſſimi, hanc quærere, hanc eligere, hanc tenere nos conuenit, vt non perdamus gratiam mercedis munere promiſſam. Audite Euangeliſtam dicentem: *Qui ſe humiliat, exaltabitur, & qui ſe exaltat, humiliabitur.* Luc. 14 & 18. Exaltatio iſta damnatio eſt: quæ circa arrogantes & ſuperbos futuri iudicij exerit poteſtatem. Inclinandus itaque nobis eſt animus, quatinus ſupploſa omni nota ſuperbiæ, odiorum ſtudia conquieſcant. Sic erit vt homo de humiliori loco ad celſiora perueniat, & remuneratus honore condigno cœleſtis gratiam poteſtatis adquirat.

HOMILIA XV.

De bono Martyrij.

H MVLTA mihi loquendi apud vos fiducia eſt, dilectiſſimi, quotieſcumque opus eſt in amore beati Martyris ad memoriam præconia reuocare martyrij, quæ animoſa fides peperit luctatiuis incitata ſupplicijs. licet non tantum lingua ſufficiat, quantum martyria poſtulant. Quando autem omnia humanioris officium poterit expedire, quæcumq; in paratum belli cœlitus virtutis operata eſt? Itaque quod ſolum poſſumus, fauorem labiorum meritis exhibemus. ſiquidem nullius ſenſum latere poterunt facta certaminis, quod nobis per annos ſingulos reparat documenta virtutum. Audiſtis Pſalmiſtam dicentem, *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum* Pſalm. 115.

A

ctorum eius. Quid pretioſius eſſe poteſt illa morte, quæ in conflictu pugnæ hoſtilibus telis neſcit cedere? Maximam profectò illam animam conſtat palmam reportare victoriæ, quæ non adquieſcit impiis legibus deceptaſeruire. Hoc eſt verè eximiæ virtutis indicium, perſecutionis tempore plus morti fauere quàm vitæ. Licet æternæ vitæ locum faciat, quem in confeſſione Chriſti noſtri voluntaria crucis pœna commendat. ita Domino dicente,

Ioan. 12.

Qui amat animam ſuam, perdet illam: & qui odit animam ſuam, in vita æterna inueniet eam. Quis non ſapiens contempta huius lucis vſura, ſi ita vſus venerit, ad martyrium ambitioſè feſtinet, cùm videat ad lucrum vitæ pertinere morti animam deputaſſe? Quare autem non homo ad tam pretioſum opus deuotus occurrat, ac ſe in impiorum manus audacter obiiciat, quem cæleſtis gratia remunerationis expectat? iuxta illud quod Dominus in

Matth. 5.

illa beatitudinis deſcriptione commemorat, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quia ipſorum eſt regnum cælorum.* Videtis quantos fructus humanis fides ſupplicii probata contulerit: vel in quo loco ſit poſita contemptu corporis adquiſita victoria. Quis autem

B

poſſet de hac quam commemorauimus mercede dubitare, cùm videat erga amore Sanctorum totius orbis ſtudia conuenire, & paſſim vndique ad deuotionem annuæ ſollemnitatis occurrere? Facilè profectò intelligimus, quis illis in cæleſti ſede locus pareat, quorum memoriam tanta officiorum cura proſequitur. Aptemus itaque animos ad futuram gloriam, quæ repoſita eſt nobis, & præponamus terrenis cæleſtia, vt poſſimus illa æternæ vitæ promiſſa contingere. Nemo autem ſibi de huius mundi ambitione blandiatur, quem videt in diem deficere acceſſu ætatis & temporis. Si comparemus denique æternis præſentia, ſatis vilia & inutilia conſtat eſſe quæ temporaliter poſſidemus. Require denique gratiam debitæ hæreditatis, & intelligis huius mundi diuitias diſplicere; ac iudicas nihil auro obſcurius, nihil argenti ſplendore ſordidius. In comparatione autem paradiſi, vitro ſimilis eſt gemma pretioſior. Ita eſt enim huius lucis & futuri temporis dignitas, ac ſi ſtante in cœlo

C

luna oculis hominum radius ſe matutinalis inſuderit. Tandiu enim placet lunare commercium, quandiu tenebroſæ nocti conſtitutis legibus præſtat officium. quæ quamuis placeat candore nocturni luminis, obſcuratur tamen ſuperuenientis ſideris claritate melioris. Hoc eſt ſolum quod tempora præſentis vitæ commendet, ſi ea agimus, quæ futuro iudicio non ſubiaceant accuſationi, nec poſſint accuſata conuinci. Sed vt nullam poſterum anima apud Deum iniuſtitiæ laboret inuidia, amplectendus eſt ille profectò Pſalmus qui dicit,

Pſal. 125.

Qui ſeminant in lacrymis, in gaudio metent. Hoc eſt in lacrymis ſeminare & gaudia metere, præcedentes vitæ actus proprio confutare iudicio, & laſciuientem animam iuſto ſubdidiſſe ſupplicio. Citò enim triſtitia lætitiam conſequitur, ſi diſtrictionem iudicis ſatisfactione præuenias, & admiſſi criminis culpas aſſidua caſtigatione confundas. Sed ne minorem ex hoc gratiam comparaſſe puteris, afflictis & mœrore confectis ſubuenias, & cauſam tuam apud pauperes larga erogatione compo-

Matth. 5.

D

nas. Nam ita dicit Dominus, *Beati miſericordes, quoniam ipſis miſerebitur Deus. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Si quis itaque veſtrûm, dilectiſſimi, ſtudioſè Chriſti conſolationem requirit, alienos dolores eleemoſynis reficiet, ac ſtudioſè lacrymas ſuas huic, in cuius honore conuenimus, patrono commendet: ac ſe frequentibus patrociniis inſinuet, quo faciliùs poſſit impetrare quæcunque Domino pro ſua vtilitate ſuggeſſerit. Occurrendum eſt ſemper Dei amicis, ac ſeruiendum eſt proximis, & inceſſabiliter ſupplicandum, vt ſanctæ interceſſionis poſſimus obtinere ſuffragium. Quis autem apud iuſtum iudicem locus erit veniæ, ſi amicis regis neſcias ſupplicare? Denique reſpicite ad ſæcularis ordinem diſciplinæ: & intelligetis quæ circa Sanctorum obſequia cura manere vos debeat. Sine dubio niſi priùs placatus fuerit illius animus, qui ſecreta domus prætoriæ obſeruat, non facilè peruenitur

E

ad ſublimioris amicitiam poteſtatis. Studioſè profectò expetenda ſunt ſuffragia patronorum, quibus ſolis datum eſt iraſcentis Domini animos noſſe mollire, & iracundiam temperare. In magna igitur domo poſt dominum ſecundus eſt ſemper gradus amicorum. Soli ſunt per quos apud dominum & ſuggerendi liber locus, & impetrandi facilis præbeatur acceſſus. Peculiari itaque veneratione excolenda nobis eſt memoria Sanctorum, vt ianuam ſalutis aperiant, & in notitiam Domini deſideria noſtræ perueníre faciant ſeruitutis. Magna enim ſecuritatis eſt portio, in rebus aſperis de domo regis habuiſſe ſuffragium. Nam decreſcit quodammodo inuidia criminis, vbi reus ad amicitias regalis familiæ cœperit pertinere. Ita ſine periculo homo vitam tranſigit, ſi ſit qui apud Dominum negligentiam peccatoris excuſet. Nemo autem eſt, cui non opus ſit potentioris, etiam in maxima ſecuritate, ſuffragium. Nam quamuis aliquantos in hoc numero fides probata ſanctificet, opus tamen eſt vt ſit qui ipſam fidem Domino ſupplici interceſſione commendet. Nec enim tam fortem in-

F

uenias, vt non egeat auxilium fortioris. Sicut bene ſub ſcuto militatur, ita tutò teſtibus ſub patrono res agitur, vbi quamuis immineat pœna, ſi ſit qui intercedat, non dubiè obnoxia legibus donatur iniuria. Quis autem modus eſſe poteſt mortis, ſi cùm iudex ſententia feriat, non ſit qui reo ſupplici interceſſione ſubueniat? Si cogitaremus, dilectiſſimi, quantum nobis ciuis Martyris virtus præſtitit, à laudibus Dei noſtri nunquam linguæ ſtudium, nunquam oris ceſſaret officium. Reſpicite ad illorum ſtudia, qui peregrinas aquas bibunt, & fontes longè poſitos ſitientes inquirunt: & videtis quantum gratiæ habeat ſuis aquis inundata poſſeſſio. Æſtimari autem non poteſt, quantum patrimonio vtilitatis adcreſcat, ſi quando quod alibi ambitioſè quæritur, in propria poſſeſſione naſcatur. Vobis ecce Dominus virtutum, de quo quotidie præſumeretis, dedit fontem viuum habere, non deficientem, non aſperum, non amarum: de quo ſi quis voluerit bibere, ſemper iuſtitiam ſitiet, nec vnquam ab illa cæleſtium mandatorum

G

lege diſcedet. Si vultis ergo, dilectiſſimi, vt ſit nobis in cæleſti ſede portio, quam victoribus Dominus repromiſit: imitemur primo loco ſancti Martyris fidem in confeſſione, & ſequamur viam eius in virtute. nec dubitemus in amore Domini cruentis lictoris manibus pectus opponere. Voluntarium autem militem in conflictu pugnæ citò protegit corona victoriæ. Sed dum iſta beatis ſuperueniunt, & felicium meritis conferuntur; nos interim, quod ad præſentem animæ ſalutem pertinet, reſiſtamus aduerſis. Non deeſt autem in quo poſſis quotidie vincere, ſi volueris carnis deſiderijs repugnare. Reſpice, & vides quanta circa te ſæuiant certamina criminum, vel quam multa ſit acies inſtructa vitiorum. Hinc ſuperbia, inde fidem noſtram impugnat inuidia: modò ebrietas luxuriæ materiam ſuggerit: modò cupiditas animum ad omne genus falſitatis incendit: cuius ſtudium eſt inter cætera rixas ſerere, lites mouere, odia comparare. Aduerſus iſtas

H

ergo legiones nobis eſt armis ſpiritalibus dimicandum, & die noctuque in acie ſtandum, donec aut viria cedant, aut ad pœnitentiam inclinata confugiant. Quibus ſuperatis, non dubiè etiam illum qui ſummam martyrij palmam requirit, poſſumus inire conflictum. Quis autem ibi nollet pugnare, aut quis non conetur vincere, vbi non ſolùm homo præcedentibus laborum meritis, ſed etiam præſentibus virtutum docetur exemplis?

A

HOMILIA XVI.

Item De bono Martyrij.

SATIS neceſſaria fuit, dilectiſſimi, huic mundo, quantum res docet, ad excitandam virtutum gloriam victoriæ tam præclaræ cognitio. Qui adhuc ſine dubio iaceret in tenebris vinculis, ſi non incliti Sanctorum illuminaretur exemplis: & circa dubia & incerta pugnaret, niſi incredulas hominum mentes diffuſa per totum orbem martyrij corona confunderet. Ob quam rem Deo agendæ ſunt gratiæ; qui ad tantam patientiam mortalium mentes armauit, nec otioſus operis magni labores adſpexit: ita vt cum amatoribus ſuis indiceret pugnæ neceſſitatem, victoribus pararet iuſta retributione mercedem. Ita Euangeliſta dicente, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* (Matth. 5.) B Quiſque ergo ſapiens ſtudio religionis ad ſuperiora contendit, diſcat prius vnde magis veniat corona virtutibus. Nec enim longè nobis quærendus, quem ſequamur. Ecce ante oculos noſtros eſt, qui quotidie exemplis ſalutaribus prouocat, & paterna affectione ad conſortium ſanctitatis inuitat. Facilè ergo, ſi vultis, ea quæ ſunt cœleſti regno digna adprehenditis, cùm habeatis quotidie quem poſſitis ſequi, & quem debeatis imitari. Reſpicite, dilectiſſimi, ad aliarum regionum ſtudia, quæ videmus in amore Sanctorum peregrinis latius florere commercijs: & intelligetis quantum nobis Dominus præſtiterit, vel quantum circa nos ſollicitudinis aut amoris impéderit, qui inter ceteras nationes, quas ſaluandi ſtudio reſpexit, etiam loca noſtra martyrij cruore perfudit. Requirite, & inuenietis quàm ambitiosè totus pene orbis expetat patrocinia ſanctitatis: ita vt tantarum virtutum merita certantibus votis ac frequentibus iugiter proſequantur officiis. C Facilè ergo agnoſcitis, quàm ſpecialis circa vicem Martyrum officiorum cura vos maneat, cum videatis huc etiam extraneas nationes deuotæ mentis amore concurrere; & prout cauſa exigit, ſancti Martyris ſolatia poſtulare. Habetis planè, quo peculiariùs gratulari poſſitis. Nã ex veſtro fonte ortum, quicquid religionis vbique bibitur: & ex vobis naſcitur, quicquid alibi ſitientibus miniſtratur. Diſcite ergo ex hoc, dilectiſſimi, Deum diligere, qui ſe quotidie cœleſti imperio ſanguinis ſui effuſione commendat: & agnoſcite quantum amatorib. Chriſti noſtri patientia, quantum religionis actibus conferat in perſecutione triſtitia. Ecce ſicut lectio docet, victorem poſſeſſio regni cœleſtis excipit. Tanti eſt planè ſuſtinuiſſe carnificem, cui patet pœna mercedem. Quis igitur ſapiens, ſi ita vſus venerit, tantæ virtutis operam bene ſibi conſcius non requirat, ac ſe hoſtibus audaciter obiciat? Quare autem ille flammas non ſecurus adſpiciat, aut quare tortoris vngulas expaueſcat, quem tam pretioſa gratia remunerationis expectat? D Perfectæ fidei eſt lucratiuis locum dare ſupplicijs: præſertim cùm tantis præcedentium virtutum doceatis exemplis. Perfacilè profectò poteſtis intelligere, quid profit fortiſſimis quibuſque in perſecutione viciſſe: cùm videatis quotidie aduerſus nequitiam diabolicæ præſumptionis per ſingula Sanctorum loca ſpiritalis iudicij ſæuire ſententiam. Non autem otioſa res eſt, dilectiſſimi, quòd videmus frequenter in caſtigatione immundi ſpiritus corpora humana vexari, & inuocatis Sanctorum nominibus actus ſuos auctorem ſcelerum confiteri. Quando incredulis mentibus lectio ſola ſufficeret? quando humanis ſenſibus antiqua cognitio integram fidem veritatis inſereret? aut quando ad credulitatem tantarum rerum deſcenderet animus, ſi ad aſſertionem præteritorum ſolus expectaretur auditus. Satis igitur infelix eſt, & alienus à Chriſto, cuius corda adhuc volſidentur ſtultæ incredulitatis errore: cùm videat merita Sanctorum tantis ſtare virtutibus. Ad hos enim reſpicit, quòd videmus frequenter aëreum ſpiritum ſub alterius perſona pallentem, & alieno ore trepidæ confeſſionis proferre ſermonem. In quo cùm operetur flamma, non videtur iniuria. alter cæditur, & alius confitetur. Tantum igitur Dominus per Sanctos ſuos virtutis operatur, vt diabolicæ nequitiæ actus per occultas vulnerum plagas, & inuiſibiles lacrymas iudicij auctoritate confundat; & latentia ſcelerum blandimenta ſub quodam tortore caſtigata compeſcat. Quis ſapiens hæc expectet, & non ſtatim quicquid illud eſt in ſe infidelitatis accuſet: & memor conditionis ſuæ iugi officio Sanctorum memoriæ condignè honorem paret? Facilè videlicet poteſt intelligere, quis illis apud Dominum locus ſit, vel quo honore à nobis habendi ſint, quibus examinatione palmarum commiſſum videt eſſe iudicium. Horum ergo, dilectiſſimi, exempla ſectanda ſunt. horum fides ſequenda: horum virtus imitanda. F Nec difficilè eſt cuiquam iſta perficere. nam ſi cogitetis promiſſæ remunerationis copiam, facilè vobis erit vincere perſecutionis iniuriam. Ecce dicit Dominus, *Qui perſeuerauerit, dabo illi victoriæ coronam.* (Apoc. 2.) Nemo ergo diffugiat, ſi ita vſus fuerit, ſonitus carcerarum, & tenebroſis ſedibus otioſa ſupplicia, in vſum impiorum parata, neruorum. Sine dubio vniuerſus apparatus mortis cedit, ſi tamen pugnandi voluntas adcreſcat. Omnis igitur ſpes obtinendæ victoriæ in fide & voluntate conſiſtit. Si enim voluntas ſequatur fidem, nunquam deſerit voluntatem. Difficile autem eſt, vt ille ſentiat pœnam corporis, qui ſuſceperit iniuriam voluntariæ paſſionis. Sanè quo faciliùs in acie poſitus ſecurus incedas, ante oculos ponenda ſunt ſemper facta Sanctorum. Nam in maximis prælijs non deſunt pugnatori ſolatia, ſi fortiſſimorum virorum ſequuntur exempla. Ecce dicit Dominus, *Tolle crucem tuam, & ſequere me.* (Matth. 16.) G Sed fortè non omnibus iſta conueniant: quia frequenter delectatum corpus cedit iniuriæ. Qui de corporis ſui fragilitate deſperat, ad arma iuſtitiæ confugiat, quæ voluntario deputatur officio. Facilè autem ſuperuenientis hoſtis impetum ſuſtinet, quem ad pugnam voluntas armauerit: nec expaueſcit cruentum lictoris gladium, quem munit virtus animorum. Sed cui iſta laborioſa videntur, dilectiſſimi, faciliora ſuſcipiant. Vnum quidem eſt & arduum iter, ſicut Euangeliſta dicit, quod ducit ad vitam. Sed ſi requiramus, multæ viæ ſunt, per quas venitur ad gloriam. Ecce incumbit luxuria, dominatur ſuperbia, ſæuit auaritia. aduerſus iſta pugnandum eſt nobis ſtudio diſciplinæ, cui omnis cœleſtis gloria virtutum obſequitur. Inclina denique ſuperbiam, & ſtatim conſequeris gratiarum coronam. compeſce auaritiam, & non dubie de omnibus vitijs poteris obtinere victoriam. Vince ergo priùs deſideria carnis, & non difficile tibi erit vincere tormenta carnificis. Noſtis quantis malis inuidia ſubiaceat: quia dum alijs lıuet, ipſa ſe percutit: vel quantum anima cupiditatis periclitetur incendio. Scitis quàm grauis aſpectus ad excitanda deſideria, quàm ſint veloces tactus oculorum; quàm turpis ebrietas; quàm periculoſæ verborum ſagittæ, quæ non ſine dolore percutiunt, non ſine fatigatione diſcedunt. H Aduerſus hæc ergo paranda nobis eſt crucis pugna. Toties denique in die tolles præmium, quoties deſideria vinces animorum. Multa ſunt præterea, dilectiſſimi, quæ nobis neceſſitatem pugnæ frequenter indicunt. quibus deuictis ac ſuperatis non minimam palmam iuſto victor labore conſequeris. Nam ſicut quanta ſunt in homine vitia; tanta ſunt & vulnera: ita quanta ſunt certamina, tanta ſunt præmia: quot ſunt victoriæ, tot ſunt coronæ. Non enim ille ſine triumpho pario diem tranſigit, qui caſtigatis vitijs animo purificatus incedit. Ecce dicit Dominus, *Tolle crucem tuam, & ſequere me.* (Matt. 16.) Scio quidem paucis deberi martyrij coronam, ipſo Domino dicente, *Multi vocati, pauci electi.* (Matt. 20.) Sed dum iſta felicibus ſuperueniunt, in his quæ ſuperiùs expoſuimus excitanda fides eſt, vt nos, cùm opus fuerit, impugnatione religioſæ vitæ hoſtilis impetus paratos inueniat. Virtus enim

magna

A ..agna in minoribus ſemper experimentum capit. Sicut u..cis miles, priuſquam ad pugnam veniat, aduerſus arborem truncatam robur exercet, & inductæ manus vulnera ludendo componit. Nunc pedes attollitur, nunc rapido equorum curſu ventos imitatur. In tantum denique proficit ſtudium, vt pene minor labor ſit viciſſe hoſtem, quàm exercuiſſe virtutem. In ſimilibus ergo, dilectiſſimi, præludendum nobis eſt, & aptandus eſt ſtudiis animus ad fortiora venturus. Virtus enim, quæ in paruis promittitur, faciliùs in maximis exhibetur. Sic dum conſueſcimus minora vincere, maiora diſcimus tolerare.

HOMILIA XVII.

Item 3. De bono Martyrij.

B ASSERVNT, dilectiſſimi, ſolliciti agricolæ rudem terram, & nullis vnquam examinatam ſulcis, non ſtatim iuſtis reſpondere ſeminibus: nec bene conceptum ſulco germen nutrire, niſi priùs ſciſſa ac ſæpius repetita molleſcat. Iam tunc neceſſe eſt vt Dominus agelli ſui fructus ſecurus expectet, cùm antiqui ceſpitis amaritudo ceſſauerit. vbi ſi arandi ſtudium ſubitò cultura deſtituit, prope eſt vt priſtino colore terra ſordeſcat. Hæc eſt enim boni malique diſcretio, quòd diligentia naturam vincit, negligentia reuocat ad naturam. Sub hac, dilectiſſimi, viuendi ratione Chriſtianæ religionis cultura aut creſcit, aut deficit: nec minore in hoc opere cura ſuſpirat, cui neceſſe eſt duritiam humani cordis aſſidua caſtigatione mollire, & expoſita frequentiùs fide obſeſſum vitiis pectus excolere. Non autem dubiè apud negligentes periclitatur religioſæ ſtudium profeſſionis: præſertim ſi cœleſtium

C verborum ſemina mens amara ſuſcipiat, & indociles animi neſciant fructus nutrire iuſtitiæ. Nam ſicut ceſſante ſtudio ſolent ſpinis arua ſordeſcere: ita vbi religionis cultura negligitur, vitium naturæ renouatur. Apud illas fortè nationes, dilectiſſimi, laborioſum ſit viam ſalutis iuſto ſermone diſponere, quibus tantùm verbo fides Chriſtianæ religionis innotuit. Inueniant iſti fortè, etſi vanum, excuſationis ingenium, qui dicant nulla ſibi vnquam quæ ſequerentur exempla admirabilium credita fuiſſe. Quorum vocem Propheta

Pſalm. 18. conuincit dicens, *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Nos ad hæc, dilectiſſimi, quem gradum excuſationis opponimus, ſi quid in nobis Dominus aut negligentiæ deprehenderit, aut infidelitatis inuenerit, apud quos Chriſtianum nomen à virtutibus cœpit? quorum non ſolùm auribus, ſed etiam oculis quotidie ſub præſentia tanti Martyris fides religionis inſeritur? Et cuius tandem Martyris? Illius neceſſariò, qui in hoc loco pugnam inclytæ virtutis primus exercuit, & quo ordine cœleſtis regni poſſeſſionem obtineremus oſtendit. qui in dies quid agendum nobis ſit exemplo docet; quid proficiamus, inquirit. Nemo au-

D tem dubitet illum pro actibus ſuis eſſe ſollicitum, quem videt ſibi parentelæ affinitate coniunctum. Oportet itaque primo loco, vt nos huic patrono frequentibus inſinuemus officiis, quatenus pro nobis apud Dominum peculiaris interceſſor inuigilet, & vitam noſtram dignationis ſuæ fauore commendet. Nihil autem eſt quod non poſſit homo in qualibet neceſſitate poſitus obtinere, ſi amicis ſummi imperatoris non deſinat ſupplicare. Reſpicite illorum ſtudia, dilectiſſimi, qui ſitientes aquas à peregrinis fontibus petunt: hoc eſt, qui ſanctas ac venerabiles Martyrum reliquias per extenſa ſpatia terrarum ſtudio religionis inquirunt; & diffuſa per totum orbem virtutum merita peculiaribus officiis proſequuntur: & intelligetis quo honore nobis ille habendus eſt, qui huius vrbis locum in conflictu cœleſtis pugnæ ſuo victor cruore perfudit. Vidimus enim

E per diuerſas & longè poſitas regiones ſciſſi corporis plagas paſſim diuidi, & pretioſa vulnerum documenta toto cominus orbe portari: ita vt non minor ſit illis Sanctorum cura, quibus ſola martyrij creduntur indicia. Patrocinium ergo, quod aliis fides præſtitit, nobis vltro Dominus maieſtatis exhibuit. Non itaque longè quærendus eſt, quem ſequamur. Hîc habemus patientiæ magiſtrum, hîc exempla præmiorum, hic formam virtutum, hîc documenta meritorum. Aptemus itaque, ſi ita vſus venerit, ad omnem patientiam animam: & memores annuæ ſollemnitatis, quem veneramur meritis, ſequamur & exemplis. Videte quæ ſunt ornamenta pectoris, quæ pretioſo ſerico quaſi opus Dei tegitis, & fuluo auro ſidereum vultum oneratis: & diſcite, quæ ſit pompa vulnerum, quæ corona lacrymarum, in quo ſtet ſuſtinuiſſe carnificem, vel quanti conſtet viciſſe tortorem; vel in qua deſcendat exultatione victoria ſuppliciis comparata, ita Propheta dicente, *Qui ſeminant in lacrymis, in gaudio metent.* Pſal. 125. Quis ſapiens his rebus edoctus non iudicet temporalis vitæ vſum in comparatione martyrij debere contemni? Si autem reſpi-

F ciatis ad hæc, quæ quotidie Sanctis exhibentur officia, agnoſcetis perſecutionis tempore melius eſſe perire, quàm viuere. Sed quare dicimus perire, cùm Propheta dicat, *Iuſtus vita viuet in æternum?* Ezech. 18. Huic ergo, dilectiſſimi, virtutum magiſtro profuſis in diem lacrymis ſupplicemus, vt nos profuturis doceat ſeruire vulneribus: oſtendat aduerſum bellis pectus opponere, atque omnem conflictum iniuriæ ſuſtinere. Neque enim difficile eſt ibi inire pugnam, vbi videas præceſſiſſe victoriam. Citò autem ſedet animis, quod docetur exemplis. Sed quod peius eſt, propter vanitatem huius mundi difficile eſt cuiquam ad cœleſtia peruenire. Non autem obtinet regnum promiſſum corporis delicata cuſtodia: nec ad coronam virtutum facilè peruenit, qui non legitimo agone certauerit. Neceſſe eſt igitur, vt ad omnem iniuriam corpus inclinet, qui ad locum victoriæ peruenire diſponit. In hoc autem ſtat obtinendæ locus gloriæ, vt diſcat priùs diſplicere ſæculo, qui placere vult Chriſto. Audite in hoc loco Dominum dicentem, *Qui amat animam ſuam, perdet illam; & qui odit animum ſuam, in vitam æternam inueniet eam.* Ioan. 12.

G Multa ſunt genera paſſionum, quæ Deo noſtro mortalem hominem viuendi lege commendent: in quibus etſi non eſt corona Martyrum, eſt tamen non minima palma virtutum. Sanè, dilectiſſimi, quia repoſita eſt hæc, de qua diximus, corona victoribus, nos interim vel quod poſſumus, peccatis circunſtantibus repugnemus. Cui ergo illa prima martyrij pompa non creditur, elaboret ſaltem, vt inter fortiſſimos quoſque honeſtæ ac religioſæ vitæ præmia conſequatur. Non igitur ignoratis, quantis naufragiis mens humana ſubiaceat. Ecce cupiditas oculorum noſtrorum portas iugiter pulſat, & corda hominum diuitiarum ſtimulis inquietat. Hinc hominem ad omne facinus animus, inde inuitat aſpectus. Non deeſt ergo, in quo vincas, ſi pugnare non deſinas, & quaſi in acie poſitus hoſtilibus telis per momenta confligas. Ad hæc ſanè expugnanda Euangelica inſtitutione opus eſt, quæ dicit, *ſi te ſcandalizat oculus tuus, erue eum.* Matth. 5. Hoc

H eſt oculum eruere, vitia caſtigare, deſideria carnis extinguere, & diſciplinæ ſtudio vitæ laſciuiam deprimere. Paratus tibi eſt ecce campus, luxuriæ prouocaris illecebris; & vt ſolet fieri, ſpecie, cultuque deciperis. Si vis vt iſta ſuperes, pugnandum eſt ſtudio caſtitatis. Occurrat tibi Theclæ inter flammas & rabidas beſtias cuſtodita pudicitia. quæ in tantum mundi huius ornamenta deſpexit, vt amore ſeruandæ pudicitiæ coniugales thalamos deſponſata contemneret, & integritatem profeſſæ virginitatis pugnando nutriret, vincendo ſeruaret. Frequenter nos ad pugnam prouocat iracundia, & furor animorum. inſtigamur iniuriis, contumeliis laceſſimur. Diſcite quo ſtudio iſta vincimus. armemus ad patientiam animos, & quod oratione obtinere non poſſumus, doceat nos adhuc Euangelicus ſermo, qui dicit, *Qui te percuſſerit in dextera* Ibidem.

A *maxilla, præbe illi & alteram.* Videris quòd iniuriæ adquieuiſſe, viciſſe eſt. Nam non minimam coronam illum conſtat reportare victoriæ, qui iuxta hæc quæ præmiſimus verba mandati, læſus neſcit iraſci. Suggerunt nobis aliquotiens oculi quod animus non requirit: frequenter etiam ipſa ſuos lingua prodit errores: erumpit in vocem turpia, & inhoneſta reſonantem. In hoc loco hæc eſt ratio adhibenda virtutum, vt taciturnitatis ſtudio amoris verba claudantur. Vbi in altercatione ſermonum loquendi modus eſt virtutis cumulus. Audite de hoc Prophetam dicentem,
Pſal. 140. *Pone Domine cuſtodiam ori meo, vt non declinet cor meum in verba mala.* Vincenda ergo eſt auaritia, confutanda iracundia, caſtiganda luxuria, & circunſtantiæ vinculo ora refrænanda. His gradibus ad paradiſum tenditur: his virtutum meritis ad Sanctorum conſortium peruenitur.

HOMILIA XVIII.

B

De Machabæis.

MVLTA quidem ſpe, dilectiſſimi, ad æternam ſalutem animus accenditur, ſi quando ſingulorum Martyrum facta recoluntur. ſed multiplicato quodammodo animi gaudio in amorem Domini, fauoremq; ſe commouet, quotienſcunque memoriæ Machabæorum mater occurrit, quæ adhortatione ſua vna die ſeptenarium numerum martyrij corona veſtiuit, tanto fide fortior, quanto partu videtur fuiſſe fœcundior. In qua tanta virtutum documenta, quanta fuerunt pignora. Nam tot vna die omnipotenti Deo Martyres tradidit, quot filios mater diuerſis temporum vicibus adquiſiuit. Beata inter omnes matres, & ipſa orbitate felicior: cui tantùm fides contulit, vt ſub vna die ad cœleſtis regni gloriam cum tota ventris fœcundi-
C tate migraret. Hinc reſpicite illam Euangelicam ſententiam, quæ dicit Chriſto noſtro nec parentes præferendos eſſe, nec filios. Apud aliquantos fortè glorioſum ſit, & exemplis ſalutaribus proferendum, vnum filium Deo hoſtiam obtuliſſe. Hæc omnem animarum virtutem & vota præceſſit: ita vt in dolore ſæuientis pœnæ nullum filiorum affectus maternæ pietatis exceperit. Videte autem per quot virtutum gradus pretioſa fides creuerit. cùm adquieuiſſe ſemel ſatis ſit, hæc ſepties in amorem Domini pietatem maternam voluntaria orbitate multauit. bene ſibi conſcia, quæ ſciret omnem fructum ventris ſui in illa vitæ æternitate conſi-
Ioan. 12. ſtere. iuxta illam ſententiam quæ dicit, *Qui amat animam ſuam, perdet illam; & qui odit animam ſuam, in vitam æternam inueniet eam.* Docet lectio veteris teſtamenti Abraham patrem noſtrum vnicum filium ſuum Iſaac immolandum Deo ſacrificium obtuliſſe. Quod per totum orbem memorabile fidei conſtat eſſe documentum. Ac licet nullus perfuderit ſanguis altaria, fuit tamen in voluntate victoria: quia apud Dominum hoc eſt velle, quod facere: Cui ita Angelum legimus adclamaſſe:
Gen. 22. D *Abraham, Abraham, ne mittas manum in puerum. ſufficit quod agnoui, quòd diligis Dominum Deum tuum.* Si ergo placet noſter Abraham vnum filium ſacrificium obtulit, & placuit: quanto magis hæc, quæ vno tempore ſeptem votis conſentientibus immolauit, ſeipſam octauo loco hoſtiam Deo offerens; vt quæ fuerat ad incitamentum cœleſtis gloriæ magiſtra tot fortiſſimorum virorum, fieret etiam ipſa eximiæ virtutis exemplum? Sed ſi placet, dilectiſſimi, ipſius pugnæ ordinem recolamus, vt diſcant parentes amare filios ſuos, & filij obtemperare parentibus: Chriſti noſtri amore prælato, qui victoribus legitimo agone certantibus coronam vitæ
Apoc. 2. cœleſti flore componit, ita Domino dicente, *Qui vicerit, dabo illi coronam vitæ.* Ecce, dilectiſſimi, quantum rei geſtæ fides eloquitur, inſtituitur pugna pro patriis legibus inter omnipotentis Dei & Diaboli miniſtros, multis atque innumeris inſtructa ſuppliciis; quibus armatus auctor iniquitatis venena nequitiæ ſuæ
E conſueuit exercere. Sed quamuis aduerſus iuſtitiæ miniſtros multis ſæuiat hoſtilis ira terroribus, fit ſine trepidatione conflictus. In quo loco artifex ſcelerum & inuidens bonorum altiori interpellat corda conſilio. Molitur igitur aduerſus ſingulos impietatis ſuæ tela, & pœnali quodam argumento, vt mos eſt, certamen ſingulare diſponit: dum credit in aduerſis diuiſam per partes fraternitatem facilè poſſe turbari; nec difficilè vinci, ſi ſingulos in quæſtione poſitos pœna confecerit. Producitur itaque primo loco natu primus, circumſtantibus ac frementibus vndique cum toto mortis apparatu impietatis officiis: non otioſè perſecutore tractante, qui putaret, ſublato coniuratæ virtutis capite, omne bellum poſſe finiri. Sed fefellerunt eum miſero crudelitatis magiſterio nimium edocta conſilia. Nam tanto fœdiùs hoſtis vincitur, quanto aduerſus vnum iuſtum vnum maior tyranno ſatellitum turba famulatur.
F Maximum autem eſt indicium ignauiæ, inter confertos hoſtium globos vnum palmam victoriæ retuliſſe. Sauciato itaque hoſtis furore, cui diuerſa tormentorum genera ſeruiebant, currit per ſingulos manus cruenta carnificis: & ad incutiendum mortis timorem, vnicuique fraternum ſanguinem portat, explorans metu mortis teſtimonia crudelitatis. Sed dum apud alterum victoriæ locum molitur, victum ſe ab alio confitetur. Stetit autem apud omnes inconcuſſa fides, vis ſuorum animata ſuppliciis. Succedit in aciem ſecundus: nec longo interuallo procedit & tertius: quibus coronatis, pugnam quartus aggreditur: nec quintum, aut ſextum mors funeſta detenuit. Eſt denique in omnibus vna fides, vna virtus, vna conſcientia: vt omnes vnum putares, atque omnes vnum eſſe crederes: cùm tamen ſingulos per partes laceraret iniuria. Ita fraternitas victoriæ animata conſortio, dum paternis legibus ſeruit, multiplicis virtutis inſignia reportauit. Inter tot igitur pompas funerum diſcurrit mater attonita, & curis anxia, ac metu &
G pauore conterrita. Sed neminem iſta res decipiat. trepidat quidem, ſed de victoriæ euentu, non de morte filiorum. Ad ſingulas interrogationes mater ſtat ſollicita, ne quem fides deciperet, ne quem à collegio ſanctitatis fragilitas humana ſegregaret. Nam aduerſus cruentas hoſtis minas vnumquemque ſedula adhortatione proſequitur, ne vellet aliud eſſe, quàm frater. Singuli quidem patiuntur: ſed iſta cum ſingulis patitur, & cum ſingulis animo ſola torquetur. Tollit ergo palmam propriæ virtutis in amore omnipotentis Dei. Sed ſi reſpiciatis ad ſingula, quæ ſedulitas materna ſuſtinuit, cum omnibus filiis partem eſt ſortita martyrij. Poſt tam innumeras virtutum palmas, venitur ecce ad illum, cuius ætas hoſti obtinendæ victoriæ ſpem fecerat: & qui viderat circa fortiores ætate viros parum profeciſſe minacis inquiſitionem ſermonis, pueriles animos lactandos blandæ adhortationis alloquio, omni denique via ſubdolæ perſuaſionis aggreditur. Hunc diuitiis & honore dignum iudicat. illam vnius filij abſtione æſtimat eſſe palpandam. Sed animus iam totus directus ad cœlum non facilè recipit de terrena par-
H te conſilium. accenditur magis ad virtutis culmen intrepidæ animus infantiæ adhortante matre. O nouum & mirabile virtutis exemplum! orbitate ſua mater exultat: & vnde pietas damnum patitur, lucrum reportat. Præmiſſo etiam hoc quem delicatiùs amabat filio, ipſa quoque viam glorioſæ mortis ingreditur. nec longè innumeris vexata ſuppliciis, cum triumpho proſecuta filios, ad cœleſtia & æterna contempta hac temporali luce prorupit. Cui ergo, dilectiſſimi, curæ ſunt ventris ſui pignora, huius matris imitetur exempla, tam numeroſa, tam fortia. In quam ſi quis vincendi ſtudio intenderit, non dubiè multiplicis gloriæ honore muneratus incedit. Quæcunque itaque mater eſt, filios ſuos hoc honore dignos iudicet: ac ſub iſta quam didiciſtis adhortatione doceat, vt diſcant cœleſtium legum inſtituta ſeruare. Qui autem Chri-

ſto no-

A ſto noſtro ſeruiunt, fortiſſimorum virorum pugnas imitentur. Illa mater probat ſe amare filios ſuos, quæ hoc quo mundus utitur errore depulſo, de fructu ventris ſui hoſtiam Deo tradiderit, ac ſe ſuoſque Domino quotidie immolaturа libenter obtulerit. Sed quo faciliùs illius cœleſtis virtutis inſignia obtinere poſſimus, contemnenda ſunt munera & honores huius ſæculi, quæ humanos oculos vanitate ſuadente decipiunt. Hoc autem apud Dominum acceptabile conſtat eſſe ſacrificium, ſi prælato cæleſti honore ſæculum cœperis deſpicere.

HOMILIA XIX.

De Quadrageſima.

B SI reſpiciamus, dilectiſſimi, cauſam præſentis ſollemnitatis, quæ nobis ſpem ſalutis æternæ futuræ reſurrectionis lege commendat: non abre eſt, ſi omnes hos in lætitia dies ducamus, atque illa diſtrictioris vitæ ſtudia temperemus. Sed in hoc mihi aliquotiens diſplicet lætantium chorus, quòd putat homo totum ſibi licere, quicquid Quadrageſimæ tempore illi religioſæ deputauerat diſciplinæ. Vnde nulli dubium eſt, præcedentia officia in confuſionem venire, ſi neſcias cuſtodire quæcunque ad purificationem animæ ieiuniorum & vigiliarum labore te conſtiterit comparaſſe. Citò autem ille quæ ſunt comparata reſcindit, qui immemor ſpiritalium munerum carnalibus deſideriis adquieſcit. Oportet enim inter hæc quæ diximus gaudia, illam religioſæ diſciplinæ viam teneri, quæ non dubiè Domino hominem bonæ voluntatis inſinuat.

C Cui ſi ſciremus condignam legibus ſeruare reuerentiam, nullum gehenna ſuſciperet, nullum perpetuæ mortis pœna damnaret. Omni ergo ſtudio nobis agendum eſt, dilectiſſimi, ne purificati corporis conſcientiam indulgentia nimiæ emiſſionis impugnet: non tantùm dierum illorum obſeruatione contenti, quos annuatim ieiuniorum cura commendat. Licet hanc ipſam aliquantis ob inutilem ſomnum & inſatiabilem gulam conſtet ingratam. Qui dum ad ſanctæ Paſchæ dies deſiderio inſtigante feſtinant, accuſando vigiliarum ſtudia continentiæ bona Paſcha conuiuia & ieiunia copioſa. Quaſi reuera quod quadrageſimæ dies prohibeant, licitò fieri ſollemnitas votiua permittat, & in abſolutione ieiunij data ſit licentia peccandi. Ideo nemo putet ex eo omnia ſibi licere, quia videt diſtrictioris vitæ tempora præteriſſe. Solet enim omnem honeſtæ vitæ ſtatum remiſſio incauta decipere. Non æſtimet ille ebrietati aliquid fuiſſe permiſſum, qui videt conſtituto tempore ceſſare ieiunium. Non credat mentes hominum ſomnolentiæ deputatas, qui videt iuges vigilias ſuperueniente ſollemnitate fuiſſe ſuſpenſas. Non eſt vtilis

D ſeruus, qui feriatos dies ad hoc expectat vt dormiat. Maior ſollicitudo agricolæ manet, poſtquam diutino terram labore contigerit. Vigilandum igitur eſt primùm, ne fortè commendata ſulcis ſemina, aut fera præſumptioſa ſibi vindicet, aut auis inſidioſa contemnat. Sequitur vt ex otio in vſum aquæ bibula foſſa deducatur, ne ſuperueniens tempeſtas pullulantia germina aut occidat, aut rapiat. Opus eſt etiam herbas velli, & aridum ceſpitem ſarculo operante molliri: ac per illos quos ſibi agricolæ vindicant feriatos dies improbum animal circunducta ſæpe prohibere. Tantus eſt enim amor alendæ vitæ, tanta prouidentiæ cura, tantum culturæ ſtudium, vt nec tunc quemquam otioſum eſſe conueniat, cùm agricolæ ariſta fructus perfecto flore commendat. Nam ſolent adultæ meſſes ſpinis adcreſcentibus impediri: atque illa quæ in ſpe maturitatis conſtituta ſunt, alieno ſemine ſuffocari. Ita intelligendum & multa agricolæ ſtudio creſcere, maxima quæque per negligentiam deperire. Sed dicis fortè, omnes negligentias ſolleunitatis excuſant. Omnibus ſine dubio periculis ſubiacet,

E qui vitam ſuam quolibet tempore negligentiæ tradiderit. Nunquam denique equis otio deputatis bene fræna laxantur. Ita & poſt hyemis rigorem citò inebriata aquis terra luxuriat. Videmus etiam frequenter nauigia maris portu proximo, quieſcentibus remis, ſubita vi incurriſſe naufragia. Ad hæc ergo, reſpicientes, fratres dilectiſſimi, ita vitæ noſtræ ordinem diſponamus, vt primo loco caſtigemus illum conuiuiorum luxum, quatenus à nobis deſideria carnis fugitiua diſcedant. Non igitur ideò dico, quaſi adeo ſit abſtinendum cibis, aut in totum parcendum poculis: quia licet ſint ad crucem parata, tamen ſemper ſuſtinenda ſunt corpora. Diſplicet mihi ſolùm in his diebus inſatiabilis gula, atque illa ventris infructuoſa commercia. diſplicet profuſum ebrietate conuiuium, ac per totam noctem ludibrio expoſitum. Excedit profectò diſciplinæ modum, ſi quis plus bibat quàm ſitiat. Quid igitur apud illos exoſum, vbi præter ebrietatis vitium, etiam detrimenta conueniunt facultatum? quis autem ferat illa damna vinolentiæ, vbi plus vergitur ebrietatis cauſa, quàm bibitur? aut

F quis apparatum illius triclinij liberter aſpiciat, in quo omnia pereuntis vini odore ſordeſcunt? Nam vbi ſupercurrit merum, horret neceſſariò turpi ſqualore conuiuium. perit profectò quicquid hydria plena ſuſceperit. Videat ergo quid futurum ſit, cui ebrietas placet: atque ad hæc, quæ dicturi ſumus, animum ſapienter accommodet: & non difficile cauſam ſuæ infelicitatis agnoſcet. Si oleo nimio vas compleueris, ad os patulum recurrit feruens unda vindemiæ, & cum fœditate reuomet quicquid ex nimietate ſuſceperit. Videmus etiam frequenter exudante vino captiui generis vaſa corrumpi, & vndis luctantibus cuppas figuli rimas aperire. Nihil profectò liceret morti, ſi ſcirent miſeri cauſas vitare pereundi. Debilitatis autem viam munit, qui infirmis corporibus plus aliquid oneris imponit. Ita eſt vt dubiè cœptum iter peragat, quem iniuſti faſcis pondus accuſat. Moneo itaque, dilectiſſimi, vt ſi quis Chriſto noſtro placere diſponit, primo loco deſideria gulæ caſtiget: quæ

G ebrietate famulante magiſtra ſolet eſſe damnorum. Denique hinc nuditas, hinc mendicitas, hinc ſolet aliquantis venire egeſtuoſa paupertas. Ita Salomone dicente, *Omnis ebrioſus pannis veſtietur.* Perſeuerent magis in bonis illi fructus continentiæ, quibus videmur Domino Quadrageſimæ diebus deuota iugiter mente ſeruire. ne cùm fortè nos poſſidendos negligentiæ dederimus, videamur ſtudium honeſtæ vitæ temporibus ſolùm præſtitiſſe, non moribus. Quid prodeſt, ſi te Domino quadraginta diebus bonum exhibeas, & vna die furore impiæ crudelitatis offendas? Quid iuuat per multa temporum ſpatia pudicitiæ ſeruaſſe reuerentiam, ſi poſtmodum ad turpe facinus luxuria inſtigante rapiaris? Quid prodeſt cupiditati ad tempus fraudem feciſſe, ſi poſt tantos miſericordiæ fructus, quos tibi manus larga contulit, alienis damnis & lacrymis delecteris? Perit profectò quicquid gratiæ homo per multos annos iuſtis operibus adquiſiuit, ſi ſub vnius horæ ſpatio quocunque turpis vitæ deprauetur errore. Hæc eſt igitur ſeruandæ diſciplinæ ratio, vt integritatem in te nutrias, caſtitatem

H diligas, pacem colas, atque omnia quæ iniquitati ſeruiunt, ſub metu diſciplinæ confundas: ita vt ſuperiori non ſuperbiat mediocritas, nec deſpiciatur in perſonarum comparatione paupertas. Sicut autem magnum eſt ſemper ſeruiſſe melioribus: ita vtile eſt & glorioſum humiliori perſonæ reuerentiam præſtitiſſe. quia in quantum homo dignitate præditus humiliatur, attollitur. Ita Domino dicente, *Qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Humilitatis itaque ante omnia via eligenda nobis eſt, quæ nec odiis ſubiacet, & multùm ſemper amoris adquirit: ita Apoſtolo dicente, *Humilibus Deus dat gratiam, ſuperbis autem reſiſtit.* Cogitet ergo quis huiuſmodi labore iniquo de pœna dubitare futuri iudicij, qui videt aduerſus ſeſe pœnam cæleſtis iracundiæ commoueri. Quam ſi quis humilitate præuenerit, non difficile erit, vt in cœleſti ſede locum æternæ poſſeſſionis inueniat, de quo ille diabolus ſuper-

Prou. 23.

Matth. 23.

Iac. 4.

A bia operante depulſus, ſententiam perpetuæ damnationis excepit. Sectemur ergo humilitatem, ſobrietatem, continentiam, pudicitiam: elaboremus obtinendo ſtudio ſanctitatis: vt vita noſtra nullis damnis animæ concutiatur, nullis vnquam apud Dominum vitijs addicta ſuſpiret.

HOMILIA. XX.

De auaritia.

ASSERVNT, dilectiſſimi, autores omnium curationum diuerſis doloribus medicinæ beneficia diuerſa competere, & ſingulis infirmitatibus ſingula quæque beneficium peculiare præſtare: ita vt doceant tumentia aut ferro debere compeſci, aut medicaminis confectione molliri: latentia melius eſſe poculis
B indagari, frigida corporum feruentibus paſci, calidiora frigidioribus temperari. Ego verò in opere diuinæ inſtitutionis aliter ſentio. Nam ſi illam epiſtolam ad Timotheum factam recenſeatis, inuenietis ſub vno medicamine, & vnius vulneris reſectione multas valetudines poſſe curari. Quod autem iſtud vulnus ſit, in quo infirmitates diuerſæ conueniunt, & mortiferos dolores operantur, ſanctus Apoſtolus Paulus euidenter expo-
1. Tim. 6. ſuit, dicens, *Radix omnium malorum eſt cupiditas. quam quidam appetentes errauerunt à fide. & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Tractandum eſt ergo, dilectiſſimi, quo opere, quo labore debeat tanta criminum ſylua ſuccidi. Sed priùs concurrentium vndique in vnum omnium vitiorum cauſas debetis agnoſcere, & ſingula quæque vnde deſcendant, quò vadant, quid deformitatis, quid doloris exhibeant, diligenter inquirere. Maxima enim ſpes eſt recuperandæ ſalutis, fontem noſſe languoris. *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Et verè dilectiſſimi, ſi re-
C ſpiciamus ad ſingula, quibus ab initio vitam ſuam habendi ſtudio conditio humana proſtituit: nihil eſt malorum, quod non cupiditas, aut concipiat, aut parturiat, aut paſcat, aut nutriat. Ex hoc enim fomite videmus pullulare odiorum cauſas, hinc euenire criminum pugnas, hinc fraternas acies inſtrui, hinc amicitiarum fœdera diſſipari. Nemo ergo ſingulis infirmitatibus proprij doloris crimen adſignet. Nam cùm omnia vitia conſtent nominibus ſuis, pendent tamen ſceleribus alienis. Videmus igitur ſuperbiam vanitatis tumore componi, & humillimum quemque arrogantiæ contagione moueri. Quem ſi inter æquales poſitum ſubito fortè reſpicias, alium iudicas eſſe quàm fuerit. ita elatum verbis incedere, & tumenti aſpectu aſpicias ad cœlum collum portare: ac paupertatis beneficio diu clauſum iter linguæ verborum nimiis ponderibus: atque in tantum faſtidioſi oris verba diſponere, vt cùm ipſe velit loqui, alium nolit audire. Sed hæc quamuis ſint per ſe grauia,
D conſtat illecebris cupiditatis animari. Ceſſet denique diuitiarum pompa, & non tam facilè inuenies, qui ſuperbiæ laboret inuidia. *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Curramus per ſingula, ſi videtur: & inuenietis quantis malis pullulet vitium cupiditatis. Ecce armatur vicinitas frequenter ad litem. vnde eſt, niſi quòd hic fortè terminos tranſcendere, & ceſpitem iuris alieni cogitat occupare? Quare non occurrit oculis illa ſen-
Prou. 22. tentia, *Ne tranſeatis terminos quos poſuerunt patres veſtri?* Ecce fit primùm in hoc loco de proprietate contentio: & dum ſuam quiſque cupiditatem verbis fouet, ſtimulum litis accendit. Creſcit poſtmodum de contentione cauſatio. atque vtinam hoc ſolùm ſufficeret cupiditati! Illud grauius eſt, quòd dum nemo vult inchoatæ calumniæ facere iacturam, peruenitur ad rixam. Armantur ſerui, incitantur propinqui, & in alterius litcrum pectus opponitur alienum. Animatur vino furor conductus, & effuſus ſanguis fit pretium poſſeſſionis. Aperitur poſtmodum legionis forum: & dum vltionis
E locus quæritur, congeminatur homicidium. Videmus etiam frequenter acies cupiditate componi: dum aut hic vult videri ditior, aut ille erubeſcit eſſe pauperior. Quibus inter ſe æmulantibus periclitatur interim vicina poſſeſſione conſortium, dum quærit quis primus inuadat, & cogitat vt immune poſſideat. Ita fit vt dum cupiditas quærit augmentum, patrimonium vacillet alienum. Quare non cogitant illi illam ſententiam, quæ
Luc. 12. dicit, *Stulte, hac nocte requiretur à te anima tua: hæc quæ paraſti cuius erunt?* Et verè nihil eſt ſtultius, quærere dubia, & adquirere peritura. Quid enim proſunt homini opes, quæ ad hoc ſolùm congregantur vt pereant? Certè te moriente remanet ceſpes auaritia propagatus: relinquitur ampliata poſſeſſio: & quamuis ſit in alterius poteſtatem transfuſa, teſtimonium tamen tui ſceleris retinet tua. In quo loco cogitandus eſt ſemper ille Prophe-
Eſai 5. ticus ſermo, *Væ illi qui iungit villam ad villam.* Sed dicis,
2. Cor. 12. lego, *parentes filiis theſaurizare debere.* Ex hac ipſa ſenten-
F tia potes agnoſcere, quid profecerit pietas tua. Ecce ad alium tranſeunt diuitiarum tuarum ornamenta, & tecum remanet peruaſionis inuidia. Apud alium ſacculorum tuarum pompa reſedit, & tecum pœna migrauit. Stultitiæ genus eſt, aliis feciſſe lucrum, & tibi paraſſe ſupplicium. Nam ita dicit Apoſtolus, *Qui volunt diuites fieri,*
1. Tim. 6. *incidunt in tentationem & laqueum diaboli.* Sed nec longo interuallo cœleſtis ſententia diſtinctionis ſuæ exercet poteſtatem. Nam quodam modo per gradus ad vnionem quandam præteritorum actuum vitiorum incrementa ſuccedunt. Denique hic parricidali animo, aut patris vitam increpat, aut matris mortem expectat. Tueatur illum fortè ab hoc crimine cauſa debitæ hæreditatis. Verum eſt. ſed quanquam legitimus hæres ſit, non tamen ſine cupiditatis vitio ſucceſſionis vota componit. Vellet denique vnicus eſſe, ſi poſſet. modò de patris morte cogitat: modò de fratris vita ſuſpirat. Non eſt hoc ſine grandi ſcelere impietatis. Nam quiſque hominum parentiuæ mortis expectatione animam paſcit, parrici-
G dali crimine in hæreditate ſuccedit. In quo loco cupiditatis impulſu nutriuntur inter cohæredes odia. Necdum funus effertur, & iam teſtamenti fides iuris interpretatione vacuatur. Alter de ſubſcriptione patris diſputat: alter de fratris perſona deſperat. Huic adſtruit ſcripturam non ſtare teſtibus: ille adſignat teſtamentum non conuenire temporibus. Ita vacillat prædium in colliſione cauſarum: & quod adquiſiuit auaritia parentum, perdit cupiditas filiorum. Audite ſcriptu-
Exod. 20 ram dicentem, *Ne concupiſcas rem proximi tui.* Enumerari non poteſt, quantis modis cupiditas ſæuiat. Ecce vbi teſtamentum profertur, ſtatim de falſitate cogitatur. Quæritur quis mutum audierit loquentem, quis mortuum hæredes nouerit ordinantem. Nec difficile eſt, quod peius eſt, cuiquam inuenire perſonas, aut ſcelere conſtrictas, aut pretio comparatas. Imitatur hic infelix ſubſcriptionem manus alienæ. Ita ſcriptoram, quam teſtator non inſtituit, cupiditas calamo ſæpius reperente componit. *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Hic ad confirmandam fraudem armat periurio
H falſitatem: ille alienis litibus corruptum nonnunquam pectus opponit. Ita ſub vnius cupiditatis vitio facultas & adquiritur, & laceratur. Vbi eſt quod dicit ſcri-
Prou. 5. ptura, *Falſus teſtis non erit impunitus?* Cui hoc imputandum putamus, quòd inter illos quos audimus aliquoties criminibus inſerti ſunt, etiam innocentes in crimen vocantur? Venit enim frequenter in quæſtionem ſuſpicio: & cùm apud alterum reſideat furti culpa, ad alium tranſit peruaſionis inuidia. Ita dum augmentum facultatum quæritur, etiam bene adquiſita lacerantur. Sic fit vt aliquotiens deſcendat ex cupiditate falſitas, & ex falſitate paupertas. *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Vnde eſt quòd videmus inter ſe frequenter armatas ſtare legiones? Quid autem aliud eſt, niſi quòd aut ille aliena occupare quærit, aut ille occupata cuſtodit? Inde deſcendit, quòd aliquotiens de imperij poteſtate contenditur, & de primatus ambitione certatur. Omnia profectò in pace conſiſterent, ſi homi-

A nem imperandi cupiditas non teneret, *Radix omnium malorum eſt auaritia.* Requiramus cuius ſit vitium, quòd tenui tabulato hominis vita committitur, & dubijs caſibus pelagi incerta tentantur. Nonne cupiditati adſcribendum eſt, cum ſuperueniente procella altum mare nauticus clamor incuſat? Nonne ad cupiditatis recurrit inuidiam, cum ſcrupeis rupibus naufragum corpus illiditur, & tumentia aquis membra ignotis littoribus pelagi vnda iactantur? Nunquam ſe profectò nauta nauigio credidiſſet, niſi nauigandi deſiderium negotiandi cupiditas incitaſſet. Fertur denique homo vndis voto quadruplicandæ pecuniæ: portatur aurum, vt reportetur cum falſitate pretium. Nunquam enim negotium ſine fraude agitur, vbi ad hoc ſolum vilius emitur, vt carius diſtrahatur. In qua re etiamſi votis hominum nauigatio quieta ſucceſſerit; non ſine naufragio eſt, cum inter vendentem & ementem iniquis aut ponderibus, aut menſuris, quis aut operatur aut patitur.

B — *Matth. 7.* Quare iſti non cogitant illam ſententiam, quæ dicit, *ſicut menſi fueris, metietur tibi*? Erubeſcimus illa dicere, dilectiſſimi, quæ luxuria agente deferuntur, cui deſcendit ex cupiditate commercium. Frequenter igitur coniugalis pudor pecuniæ taxatione vileſcit: & diu incontaminata virginitas ſub paruo auri pondere proſtituta fidem integritatis amiſit. Tanta eſt apud aliquantos cupiditas, vt venalis pudor pretium fœditatis inueniat. Nam ita ad corruptionem corporis pecunia ſtudioſè penſatur, quaſi dignum aliquid comparetur. Infelix profectò eſt, qui plus cupiditati conſulit, quam pudori. Damnaſſe eſt promiſſæ hæreditatis gratiam, integritatis feciſſe iacturam. Videte ſub vno crimine quàm diſſimile commercium cupiditatis. Hic pecuniam dedit, vt corruptionem emeret: illa pudorem perdidit, vt pecuniam compararet. Nihil enim ſine cupiditate agitur, quotieſcunque peccatur. Nam ſi remoueas ornamentorum cultum, nullum patieris in corporis contaminatione naufragium. Ceſſet denique auri deſiderium, & nec coniugalis fides perit, nec virginalis integritas erubeſcit.

C *Radix omnium malorum eſt auaritia.* Hic proditionis arguitur, ille delator alieni criminis accuſatur. Quis dubitet quod ſecretum pectoris oblatæ pecuniæ pondus irruperit? Nihil clauſum conſtat, quod auro, argentoque non pateat: nihil occultum, quod non pecunia indagante ſit cognitum. Vnde periculosè illis conſcientiæ fides creditur, quibus cupiditas dominatur. Haberet profectò integritas totum ſecretum, ſi in aliena domo proditrix pecunia non haberet ingreſſum. *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Ecce ille Dominus ac Saluator noſter exitum voluntariæ paſſionis vitio alienæ cupiditatis impleuit. Legimus damnationem Redemptoris noſtri triginta argenteis comparatam. Sed ſicut vidiſtis proditionem ex cupiditate venire: ita debetis agnoſcere damnationem ex proditione deſcendere. Proditus quidem ductus ad ſupplicium, ſed proditor currit ad laqueum. Ecce quid fructus habet cupiditas, pecunia damnationis ad comparationem ſepulturæ repoſita, hoc eſt funeribus deputata. Intelligite ergo, in quo ſtatu ſit culpa

D cupiditatis, cum in damnationem venerit pretium proditionis.

Actor. 2. Nam & Apoſtolus Petrus dicit, *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Fortè ſit aliquis de ſtultis & auaris, qui ſibi de hac ſententia blandiatur; & præferat quod audit, ſecum ſuam pecuniam migraturam. Nihil votis illius ea hac parte ſubtrahimus. Ventura quidem tecum eſt, non vt putas ad ornamentum corporis, ſed ad teſtimonium falſitatis. Non tamen ad illos eſt ratio, quos miſericordia comitatur. Alia illos manet cauſa, quos pecunia ſua circa pauperes expenſanda, Domino larga erogatione commendat: alia illos, quos reconditæ per ſcelus facultates accuſant. Iſtis denique adnumeratur ad ſupplicium: illis vero paratur ad regnum. Ita Domino dicente,

Matth. 25. *Venite filij, poſſidete mecum regnum paratum vobis à conſtitutione mundi. Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: nudus eram, & veſtiſtis me.* Sit ergo, dilectiſſimi, vnuſquiſque veſtrum illa pecuniæ qualitate contentus, quæ gratiam ſalutis adquirat, non quæ

E cauſam damnationis accendat. Caſtigemus itaque primo loco cupiditatem, ſi volumus vt omnium vitiorum vincamus errorem. Nemo appetat aliena, & non eſt qui inimicitiarum laboret inuidia, nemo impetat conſortium, & nullum eſt de peruaſione certamen. Sit vnuſquiſque contentus propria, & nulla eſt de occupata poſſeſſione cauſatio. Contemne aurum, & paratum euaneſcit homicidium, nec parricidialia odia ſeruntur, ſi cupiditatis oculus caſtigetur. Nõ eſt in quo hęres erubeſcat, ſi quis ad mediocritatem portionis ſuæ contentus accedat. Non ſit qui pecuniæ augmentum quærat: & neminem culpa proditionis accuſat. Si non requiras lucrum, nullum patieris in tempeſtate naufragium: & cum agelli tui otioſus ſecreta cuſtodis, alienum periculum ſecurus aſpicies. Vitare iſta, dilectiſſimi, per ſingulos gradus forte difficile eſt, & laborioſum multis ſimul hoſtibus per diuerſos errores occurrere. Quærendum eſt ergo compendium belli, & auctor litis requirendus: vt cum illo nobis

F ſit pugna, à quo proceſſit iniuria. Non enim dubie legiones armis inſtructas poteris vincere, ſi tyrannum potueris obtinere. Totam autem cauſam belli finiuit, qui auctorem pugnæ ſuperauit. Inſtruamus ergo virtutum acies aduerſus paratas ſcelerum legiones. Sed ante omnia aduerſus ipſam, quæ caput belli eſt, hoc eſt cupiditatem, fide auxiliante, pugnemus. Ita non difficilis erit de illa quam diximus vitiorum labe victoria, matre captiua.

Homiliarum finis.

VALERIANI EPISCOPI CEMELIENSIS EPISTOLA ad Monachos.

De virtutibus & ordine doctrinæ Apoſtolicæ.

IMpoſitę mihi votorum circa me veſtrorum ſarcinæ etſi interim corpore, vt ſcriptum eſt, abſens, præſens tamen ſpiritu ac mente ſuccedo.

G Nec parum, vt reor, dilectioni veſtræ officij atq; amoris exhibeo: quia vos quoque in ſpiritu, non in carne agere confido Dicente Apoſtolo, *Quicunq; in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamẽ ſpiritus Dei habitat in vobis.* — *Rom. 12.* Nec ſane incognitam ſpiritalib. viam teneo, ſi ædificationis veſtrę ſollicitudinem ſermonibus eloquij epiſtolaris expromo: præcipuum beatiſſimi Pauli exemplum præ manibus habens; quẽ ſequi cupimus, etſi conſequi non valemus. Etenim etſi nos comparatio illius in nullo recipit: vobis tamen obedientia eorum eſt coæquanda quos edocet. Vt doctrinæ ordine conſtituto, cum ROMANIS prædicari credulitatem veſtram in toto orbe cupientes, ſecunda emendatione correcti, pace integra, caritate non ficta inuicem vos, vt ſcriptum eſt, ſancto oſculo ſalutetis. Cum GALATIS menſium, temporum, dierumq; obſeruatione reiecta, repudiantes mundum, ac ſequentes Deum, non ancillæ vos filios intelligatis, ſed liberæ. Vt in verbo veritatis cum EPHESIIS permanentes, vnum Dominum, vnam fidem, vnum Deum patrem omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnib. nobis eſt, noueritis.

H Cum PHILIPPENSIBVS irreprehenſibiles & ſimplices, omnia ſine murmuratione & hæſitationibus facientes, in medio gentis prauæ ſicut luminaria luceatis. Cum COLOSSANSIBVS verbo Chriſti in vobis abundanter habitante, inuicem vos pſalmis, hymnis, & cãticis ſpiritalibus doceatis. Cum THESSALONICENSIBVS voluntatem Dei abſtinentes à fornicatione ſectemini, orantes ſine intermiſſione, omnia probantes, quæ bona ſunt retinentes. Dehinc præcepti ordinẽ cum omni labore ſectantes: vt ſi quis operari nõ vult, nec manducet. Ipſe enim eſt panis, qui de cœlo deſcẽdit, cui adniti ceteros neminem decet, niſi opera quibus ille delectatur exerceat. Vt TIMOTHEVS vobis forma ſit etiam, poſt diuturnã aquã vino modico vti præceptus, ad ſuſtinendũ ſtomachũ, non ad opprimendum, quia quãuis geminis cõmonitionib. erudiatur: niſi quis ſobrius fuerit, miniſteriũ ſuũ implere non poterit. Vt TITI vos informet

A exemplum, non ſolum ſobrios eſſe debere, ſed etiam continentes, quia omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum. Denique hæc Apoſtolicæ concluſio tota doctrinæ myſtici numeri ſummam abſterſi corporis purificationem compleuit, quia nihil eſt tam Deo proximum, quam hominem non eſſe corruptum. Attendamus quippe poſt hæc circumſpectius quid ſequatur. Fugitiuus quondam Domino famulus redit, & conditio conuerſione mutatur. Apoſtolicis vinculis genitus ad vtilitatem inutilis proficit: nec ſolũ in fratrẽ, ſed etiã in cariſſimũ fratrẽ, gradũ coniunctorũ nominum faſtigio tranſcendit animorum, nec tantũ appellationis meretur vinculum, ſed etiam amoris affectum. Ad hoc enim Domini dignatione perducitur pura caſtitas ſobrietate nutrita, vt quod parcitas vini curauit in Timotheo, quod abſtinentia & continentia purgauit in Tito, id ad indulgentiſſimam libertatem accreſcat in ONESIMO.

B Hæc & exſequenda doctis, & agnoſcenda ſunt imperitis, quia, ſicut ſcriptum eſt, & ignorantia mors eſt, & fides ſine operibus mortua eſt. Gemina vobis ratio adhibendæ obſeruationis incumbit, ſciendi cura, cum labore complendi: quoniam ea quæ in diuinis eloquijs præcipiuntur, non ſolum non facere, ſed etiam ignorare peccatum eſt. HEBRÆOS denique in exemplum conſummatæ perfectionis aſſumens, contemptum præſentium rerum ob amorem cœleſtium inſinuo præmiorum. Vt ſi fortè quiſpiam vobis, aut perſecutionis pondus intulerit, aut diripuerit vniuerſa quæ veſtra ſunt: vos quoque nobile illud ac ſingulare teſtimonium, quod in eximia eorum laude venerando Paulus ore deprompſit, non diſpari ſanctæ imitationis proſequatur affectu, quo ait, *Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.* Hebr. 10.

FINIS.

C

FAVSTI, EX LERINENSI MONACHO, RHEGIENSIS EPISCOPI, OPVSCVLA QVÆ EXTANT OMNIA.

Ex Bellarmin. de Scriptor. Eccleſ.

Fauſtus ex Monacho Lirinenſi factus Epiſcopus Regienſis in Gallia, vixit medio tempore inter ſanctum Proſperum, & ſanctum Fulgentium: ſcripſit de Spiritu ſancto, & contra Arianos, & Macedonianos, *quæ non extant: ſcripſit præterea libros duos de gratia, & libero arbitrio, qui extant, & quos Gennadius in lib. de viris illuſt. miris laudibus effert: ſed Gelaſius Papa in decreto de libris apocryphis omnino reijcit: vt etiam reijciunt, & refellunt ſanctus Fulgentius, Petrus Diaconus, Alchimus Auitus, & alij. Ado Viennenſis in Chronico ad annum 492. ſic loquitur, Fauſtus ex Abbate Monaſterij Lirinenſis apud Regium Galliæ Epiſcopus factus, Pelagianorum dogma deſtruere conatus, in errorem labitur: vnde qui eius ſenſus in hac parte Catholicos prædicant, ſicut Gennadius de viris illuſtribus ſcribens, omnino errant.*

D *Ita enim liberum arbitrium tam Auguſtinus, quam cæteri Catholici in Eccleſia Dei docent, vt illuminatio, virtus, & ſalus illi à Chriſto, per Chriſtum, & in Chriſto ſit. Fauſtus vero iſte ita liberum Chriſtianorum arbitrium docere conatur, vt illuminatio, virtus, & ſalus non à Chriſto, ſed à natura ſit: contra hunc ſcribit Beatiſſimus Auitus Viennenſis Epiſcopus lucidiſſima fide, eius redarguens errorem; ſimiliter & Ioannes vir eruditiſſimus Antiochenus presbyter.*

Iſidorus de viris illuſtribus in Fulgentio, dicit, à Fulgentio ſcriptos libros ſeptem contra Fauſtum, qui mira calliditate Catholicus videri volebat, cum Pelagianus eſſet. Auctor quoque vitæ ſancti Fulgentij cap. 28. teſtatur à ſancto Fulgentio refutatos libros duos Fauſti de gratia & libero arbitrio. Et Petrus Diaconus in libro de Incarnatione & gratia Chriſti, cap. vltimo anathema dicit libris Fauſti. Hæc admonere volui propter aliquos, qui noſtro tempore Fauſtum Catholicum fuiſſe contendunt.

E

Fauſti Rhegienſis Epiſcopi, ad Monachos ſermo.

INſtruit nos atque hortatur ſermo diuinus, qualiter nos accingere debeamus ad inquirenda promiſſa ſua, & obtinẽda illa bona quæ nec viſu capi, nec auditu percipi, nec cogitatu comprehendi poſſunt. *Petite* (inquit) *& dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis.* Matt. 7. a. Luc. 11. b. Id eſt; vt petamus orando, quæramus laborando, pulſemus perſeuerando: & in ſpem cœleſtium tanto incitemur ſtudio, tanto inardeſcamus affectu; vt cum præmiorum dignitate, deſideriorum magnitudo concordet. Non vult enim Deus noſter, bona ſua, nimia inueniendi facilitate vileſcere. Pretioſa & concupiſcibilis merx; cupidum amatorem, atq; auidum negotiatorem requirit. Ergo ille tantorum munerum repromiſſor; non vult in opere ſuo tepidum, deſpicit faſtidioſum, recuſat coactum & ingratum, reſpuit indeuotum.

Non vult Deus, bona ſua, inueniendi facilitate viléſcere.

F

Lentum enim & parum gratũ quærere gratiam diuini muneris; maxima eſt iniuria Remuneratoris. Ergo totis licet animæ & corporis laboribus deſudemus, totis licet obedientiæ viribus exerceamur; nihil tamen condignum quod merito pro cœleſtibus bonis penſare & offerre valeamus. Non valent vitæ temporalis obſequia, æternæ vitæ gaudia. Laſſeſcant licet membra vigilijs, palleſcant ora ieiunijs; *non erunt* tamen *condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8. d. Pulſemus ergo, inquantum poſſumus; quia non poſſumus, inquantum debemus. Futura beatitudo acquiri poteſt; æſtimari non poteſt. Niſi enim cum auiditate, niſi cum bona voluntate & cum lætitia Dei opera egerimus; Deo nos perire nouerimus.

Diuina, tepide petita, maxima in Deum cõtumelia eſt.

Putamus (chariſſimi) quod digne quærat illa anima, & ita pulſet vt ei aperiatur; quæ ad leue præceptum Senioris reſpondere præſumit & dicere: Nunquid ſerui veſtri ſumus? Iam feci vicem meam: & ille faciat ſuã.

G

Contra Iuniores Senioribus obmurmurantes.

Quo modo hoc dicit, cui præceptum eſt; *Nolite quærere quæ veſtra ſunt?* & iterum: *nõ quæ ſua ſunt ſinguli deſiderantes:* Phil. 2. a. à quo non hoc expetitur, vt mercedem ſuam impleat; ſed vt alienas inuadat, præoccupet, rapiat? Putamus quod ita petat, vt accipiat; ita quærat, vt inueniat; ita pulſet, vt ei aperiatur; Luc. 11. qui pro aliqua negligentia correptus, & pro diſciplinæ ordine caſtigatus; non ſe ad emendationem, non ad ſatisfactionem confert; ſed magis ad illam proteruiam, vt dicat; deſero atq; diſcedo; hoc ego ferre non patior; ingenuus homo ſum! Iam primum qui ante Præpoſitum vel Abbatem, ingenuũ ſe eſſe iactat; puto quod adhuc emptũ eſſe ſe neſciat. 1. Cor. 6. d. Qui Chriſtianæ militiæ mancipatus præſumit dicere ſe ingenuum; pene eſt, vt ſe neget Chriſti ſanguine comparatum. Quid eſt hoc aliud, quam ipſi Domino clamare; liber ſum, nihil tibi debeo? De talibus dicebat Apoſtolus: *Cum enim ſerui eſſetis inobedientiæ, liberi fuiſtis iuſtitiæ.* Rom. 7. d. Non bene ingenuus appellatur, qui miſera vitiorum ſeruitute deprimitur. Clamat autem in contumelia diſciplinæ, in peccato animæ ſuæ: Malo diſcedere, quam emendari, quam ſatisfacere, quam implere quod præcipis.

H

Votum Monaſticum.

Quid eſt hoc aliud quam iugum Chriſti, rebelli ceruice diſcutere? Iſti tales neſciunt, quid vouerunt; obliti ſunt, propter quid huc venerunt. Iſti tales non bene petũt, ſi male vitijs appetũtur; non fide pulſant, ſed infidelitate pulſantur. Quid prodeſt quod diſcedis, qui vndiq; adſtrictus es vinculis paſſionum? quem hinc atq; inde circumuallant vitia ſua? Digne aliquis diſcederet, ſi illo ire poſſet, vbi illum diabolus inuenire non poſſet. Nemo ſe fallat; non fugiat Aduerſarium de loco ad locum, ſed de vitio ad virtutem, de paſſione ad emendationem. Si eum fugiat; ſequitur: emenda te, & fugiet à te, ſicut ait Apoſtolus: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Iacob. 4. b. Non obedire autem & velle diſcedere; hoc eſt, dupliciter facere diaboli voluntatem, hoc eſt voluntarie tibi ipſi (etiam in præſenti) damnationem inferre peccati.

Dæmon quomodo fugiendus.

Illis ipſis qui grauiter apud nos delinquunt; nullã triſtiorem, nullam acerbiorem poſſumus inuenire ſententiam, quam vt à corpore Congregationis abſciſſi ſine pace diſcendat: Et nunquid non a-

Excommunicatio pœna eſt triſtiſſima.

mentiæ

A

mentiæ genus eſt, vt hoc quiſquã pro remedio expetat, quod etiam à Præpoſito niſi pro ſummo crimine non poſſit inferri? Intelligamus ergo iſtas indignitates & contradictiones, inimico cooperante & diſponente, prouenire.

Apoſtaſia eſt à Dæmone. Infidelitas comes eſt inobedientiæ.

Ille enim qui non poteſt aliquem abſolutè de loco ſalutis excutere; immittit primum occaſiones & cauſas; immittit inobedientiæ paſſionem, quam ſemper infidelitas comitatur; quæ dum captiuam illaqueauerit mentem, ſtatim intoleranda atq; impoſſibilia facit etiam illa quæ parua ſunt. Et ſane dubium non eſt, quod vires inobedientibus diuinitus ſubtrahuntur: & ſicut ille qui non habet neceſſariam fidei deuotionẽ: & quod habebat, *auferetur ab eo*: ita & inobedientia obdurat animum quẽ ſemel ceperit; vt ad ſuſcipienda præcepta, nec autoritate, nec ratione flectatur: ſed, ꝙ peſſimum eſt, ſibi ſoli credat; & pro omni ratione, intentiones ſuas ſequatur; & hoc ſolum præceptum putet, quod obturato corde concepit, ſimilis ei effectus de quo diuinus ſermo pronũciat: *Itinera Inſipientium recta in conſpectu eorum.* Et iterum: *ſunt viæ, quæ videntur rectæ eſſe hominibus; nouiſſima autem eorum venient in profundum inferi.* Poſtremo veniet huiuſmodi animabus, quod domui quæ ſuper arenam ædificata eſt: hæc enim parabola, maxime ad inobedientes reſpicit. Sic enim legimus: *Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea; ſimilabitur viro ſtulto qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam, &c.*

Matt. 13. b 25. c. Marc 4. c. Luc. 19. d

B

Prou. 12. c. Pro. 16. d

Matt. 8. d

Id eſt; cum influxerint ſtillicidia paſſionum, cum aduenerint flumina & Torrentes atq; impetus tribulationũ, ex multitudine negligentiarum; cum flauerint venti, illi vtiq; qui per iſtum aerem volitant, parati ad Chriſti Arcã ventilandã ſicubi inueniant paleas quas ad ludibriũ ſuũ rapiant atq; diſpergant: tunc irruent in domum illã quæ ſine obedientiæ fundamento inuenta eſt, & fiet ruina illius magna. Sed forſitan dicat aliquis: nunquid ſtatim, de hoc loco diſcedere; ruina dicenda eſt? Dico (chariſſime) non grandis ſpes eſt, ſi nauis in fluctibus conſtituta (licet ipſa non pereat) tamen iacturam maximam de honore ac mercibus ſuis faciat, & ad portũ vacua perueniat.

C

Contra monachos in habitu ſuæ profeſſionis, ad ſeculũ redeuntes

Sic non grãde gaudiũ eſt, ſi aliquis ad ſeculi fluctus reuertẽs, nomen atq; habitum profeſſionis ſuæ cuſtodire videatur; anima vero eius negligentijs tabeſcat ac defluat. Et quid grauius quando ſubito tanquam aliquis repentinus eradicatus de loco ad quẽ te Dominus tuus vocauerat, in quo te primũ poſt mala ſeculi quaſi in portũ de tẽpeſtate induxerat: obliuiſci ſubito fraternæ ſocietatis & cõſolationis; obliuiſci loci illius in quo primũ dulciſſimũ immutationis habitum & nomen Secularis exueris?

Secularis nomen exuere.

Aues ipſæ diligant nidos ſuos; amant Feræ loca in quibus nutritæ ſunt, amãt cubilia & paſcua ſua; quãlibet naturali libertate varijs partibus rapiantur, ſæpius tamen ad chara ſibi loca quodam deſiderio reuertuntur: & tu intellectu præditus, ratione munitus; ita interdum ſenſu alienus efficeris, vt præferas Dei beneficijs voluntates vel intentiones tuas, & diaboli inſinuationes ſequeris! Quę quãlibet ad duros labores, quãlibet ad ſalutis naufragia atq; animæ detrimẽta te rapiant; totum hoc præ nimia cordis indignitate non ſentis! Tempore .n. diſceſſionis, multa promittit inimicus, te illic quo tendis, maiorẽ profectum, multã gratiam atq; omnium rerum abundantiã reperturum, ac te tanquã angelum ſuſcipiendum.

D

Et poſt hæc; quando anxietate repletus & pace nudatus, profectus tui ſtudium & ſacrum Ouile reliqueris, tunc animaduertis (quaſi ſedata temporis tẽpeſtate) inde quid de te male egeris; tunc recognoſcis quid periculi incurreris cum de loco ad quem cum gaudio veneras ſine pace, cum ſcandalo diſceſſiſti. Tunc ſera pœnitentia ſuper ruinas ſuas pœnitet, ac deflet ſicut quædam aues quæ præ dolore, ſuper eos quos occiderint, flere dicuntur, & hæc omnia animæ detrimẽta ex inobedientiæ malo eueniunt. Obedientes autẽ & humiles animæ, multas tribulationes atq; omnes labores proſternunt, atq; in cõpendium mittunt. Sciendum eſt enim quod quanto humiliores & obedientiores fuerimus prępoſitis & patribus noſtris, in tantum obediet Dominus orationibus noſtris: Videamus quã acceptabilia ſunt Domino vel opera, vel ieiunia eorum qui ſuis potius quàm ſeniorum voluntatibus obſequuntur. Clamant illi; *quia ieiunauimus, & non aſpexiſti: humiliauimus animas noſtras, & neſciſti.* & ille reſpondet: Ideo quia in diebus ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.

Iſa. 58.

E

Videmus ergo per inobedientiam animorum opera non reſpici, ieiunia nõ audiri, vota non ſuſcipi. Vnde nos amplius illius mandata ſectemur, quia ad nos è cœlo deſcẽdit, non ſolum vt nos redimeret mortis pretio, ſed etiam vt vitæ ædificaret exemplo: & cum illo dicamus: *Ego non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatẽ illius qui miſit me Patris.* Ire autẽ poſt voluntates proprias tam pernicioſum eſt, vt hoc Deus iam poſtmodũ iratus, pro dãnatione peccati, inobediẽtibus irroget dicens: *Et dimiſi illos ſecundum deſideria cordis eorum.*

Ioh. 4. e.

Pſal 80. c.

Obedientiæ nihil eſt anteponendũ.

Quamobrẽ qui vult opera ſua eſſe recta in cõſpectu Dei, nihil obedientiæ, nihil pręceptis præponat; ſiue ille iunior, ſiue ſenior eſt, tanto plus debet ſtudere ædificationi & perfectioni. Nullum ſibi finẽ faciat proficiendi, nullũ terminũ conſtituat acquirendi, cum ſibi dici audiat; *para in exitu opera tua*: & iterum; *non verearis vſque ad mortem iuſtificari*, & iterũ; *ſapientia in exitu canitur.*

F

Eccl 33. b. Eccl. 18. c.

Humilitas.

Quanto ergo plus proficimus, tanto plus humiliemur: quia quãto plus humilitati fuerimus, tanto amplius proficiemus. Nullus illi ſenior tam indoctus appareat, vt putet, quod eũ non deceat obedientia, quæ Deum decuit. Humilitas .n. atq; obedientia in iunioribus adhuc neceſſitas, in ſeniorib. iam dignitas eſt. Ille bene proficit, ille bene conſummat, qui quotidie ſic agit, quaſi ſemper incipiat. Quamobrem augmenta meritorum incitamenta eſſe perfectorum, ſcriptura pronunciat. De his vero qui dum primas negligentias prætermittunt, in alias atque alias ſemper incurrunt, ita ait: *Peccator adijcit ad peccãdum*, de perfecto vero dicitur: *& ſanctus adhuc ſanctificetur.*

Eccl. 3. d. Apoc. 22. c

Videamus prius primum, quid eſt; *peccator, adijcit ad peccandum.* Verbi gratia, cuiuslibet, vt puta obtrectationis, paſſio ſi me impugnare cœperit, ſi non ſtatim me pœnitudo huius vitij cœperit, cras tanta mihi huius vitij facilitas veniet, & quædã (vt ſic dixerim) ſuauitas, vt reuocare me ab illo & continere non poſſim.

G

Peccatorum initia ſedulo repugnandũ.

Ita .n. euenit, vt qui primo tẽpore emendare ſe nolit, incipiat in ſequẽti neç velle nec poſſe. Verbi gratia, ſuperbiæ acquieſcere cœpi, regulã violaui, ſeniorem læſi, iuniorẽ deſtruxi: ſi non ſtatim me pœnituit grauiter me fuiſſe præuentum, iam de die in diem libentiſſime me rapiet ipſa violẽtia conſuetudinis & impetus paſſionis, vt iam nec delinquere me intelligam, nec peccare me ſentiam. Obſcurat enim atq; obruit intellectum delicti, aſſiduitas delinquendi.

Peccandi aſſiduitas obruit intellectum

Superborum inepta verba.

Etenim ita cor negligentis obduratur, vt hoc ipſo ſi non ſe humiliet, ſi non ſatisfaciat, præpoſito ſuo nocere ſe credat, inſuper & inſultet & dicat: Quã conſtanter illi reſtiti, quam bene non acquieui, quanta auctoritate reſpõdi, putabat quod me ſemper illi humiliare deberem? Quod qui facit, diabolo ſe tradidiſſe conſtat, qui de hominũ vitijs & paſſionibus & perditione lætatur, & eiuſmodi animæ eueniet illa ſentẽtia: *peccator adijcit ad peccandum.* Quam nos refugientes, illam potius teneamus quæ dicit; *& ſanctus adhuc ſanctificetur*; vt quotidie addamus merita, nec de nobis aliquid præſumamus, quia Dei eſt omne quod ſumus.

Eccl 3. Apoc 22.

H

Simus itaq; in opere Dei indeficientes propter æternam retributionem, & quotidie ad meliora tendamus. Ipſa enim apprehendendi auiditas, ipſa conſuetudo proficiendi ſemper nos ad maiora prouocet; & vbi viderit Deus deuotionem animæ, ardentiorem inſinuabit affectum: & quanto † nos arſerimus ad ſtudium, tanto ille apponet adiutorium: quanto nos appoſuerimus ad diligentiam, tanto ille addet ad gloriam. *Qui habet, dabitur illi, & ſuperabundabit*, & alio loco dicit: *poſui adiutorium ſuper potentem.*

† Caue iſta Pelagiana in thore Pelagiano.

Matt. 13. b 25. c. Marc. 4. Luc 8. Pſal 88.

Gratia de gratia naſcitur.

Gratia ergo de gratia naſcitur, & profectus profectibus ſeruiunt, lucra lucris & merita meritis locum faciunt: vt quanto plus quis acquirere cœperit, tanto plus conetur acquirere: & quanto auidius de ſapientiæ bonis hauſerit, tanto plus haurire deſideret; ſicut ipſa de ſe loquitur ſapientia: *Qui edunt me, adhuc eſurient.* Vrgeamus curſum noſtrum, vt creſcat in nouiſſimo vita noſtra. Quæramus vſq; in finem, vnde ſine fine gaudere mereamur. Sed eſto, non poſſumus exercere corporis labores, conferamus nos ad ſpiritualium bonorum deſide-

Eccl. 24. d

rium,

A rium, ad compunctionis & charitatis augmẽtum. Si quotidie in cordibus noſtris diſponamus aſcenſus, nulla infirmitate, nulla ætate laſſari poſſunt mentes, vt ſpiritualibus quibuſdã gradibus aſcendere mereamur ad promiſſa Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui eſt honor, virtus & gloria, potentia & claritas, & magnificentia, & imperium & nunc, & ſemper, & in cuncta ſecula ſeculorum, Amen.

EIVSDEM FAVSTI ADMONITIO INCIPIT.

Ex Henrico Caniſio.

2. Co. 5. 10. MOdo, Fratres chariſſimi, cum diuina lectio legeretur, audiuimus beatum Apoſtolum terribiliter nos & ſalubriter admonentem. Sic enim ait: *Omnes manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Quare etiam Dominus in Euangelio denunciat, dicens: *Filius hominis venturus eſt in gloria ſua, cum angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* Diligenter, quæſo, attendite, Fratres cariſſimi, & mecum pariter expaueſcite; quia non dicit, quod reddet vnicuiq; ſecundum miſericordiã ſuam, ſed, *ſecundum opera ſua.* Hic enim eſt miſericors; ibi iuſtus. Nam quod ſtatim non in peccatores † vin.... patientia eſt, non negligentia. Non ille potentia perdit; ſed nos ad pœnitẽtiam reſeruauit. Vnde magis timendum eſt, ne quanto diutius expectat, vt ceſſemus, tanto grauius damnet, ſi emendare noluerimus. Cum hæc ita ſint, ſcire & intelligere debemus, Fratres, nihil nobis eſſe ſalubrius, quam vt damnatis omnium præſentium rerum voluptatibus, id potius cogitemus, quando erimus de hoc ſeculo tranſituri, vel quando tabernaculũ noſtri corporis, vltimo die ſuperueniente, depoſituri, & iterum illud Reſurrectionis tempore recepturi, vt eum eodem recipiamus, prout geſſimus, ſiue bonum, ſiue malum. Et ideo rogo vos, fratres, vt cogitemus, quales erimus in die iudicij puriſſimis angelorum conſpectibus offerendi, & æterno iudici rationem de libris conſcientiæ reddituri. Remotis enim omnibus probationibus, certum eſt in diem illum ipſum ante ſe hominem conſtituendum, & ipſam ſibi animam in cordis ſpeculo demonſtrandam & teſtes contra eã non aliunde deforis, ſed intus de ipſa proferentur, adijcienda erunt non aliqua peregrina, ſed nimiũ nota teſtimonia, id eſt, opera ſua, ordinabuntur ante infelicem animam peccata vel crimina ſua, vt eam confundat probatio, & confundat agnitio, ſecundum illud quod ſcriptum eſt: *Arguam te, & ſtatuam illam ante faciẽ tuam.* Quicunq; ſe modo, dum licet, emendare neglexerit, ante illum cœleſtem populum primum excepturus eſt de confuſione ſupplicium, & anima, quæ modo per pœnitentiam, compẽdioſam tranſactionem, peccatorum putredines curare diſſimulat, ante illud tribunal metuẽdum, ſine vllo remedio in perpetuo vulnerata remanebit. O ſi iam nunc faciem peccatoris animæ liceret oculis cordis aut corporis intueri, & conſcientiæ noſtræ vultum in oculorum præſentiam permitteremus adducere. Quod ſi liceret nec dici poteſt, quanto ſtudio, quantoq; metu vrgeremus fœdata cõponere, maculata tergere, vulnerata curare. Ideo quia non poſſumus oculis corporis, inſpiciamus, in quantum poſſumus, oculis cordis, & vnuſquiſq; conſcientias noſtras ante conſpectum interioris hominis conſtituamus, ipſi noſmetipſos caſtigemus, ipſi nos curationem de quotidiana conuerſatione faciamus. Alloquatur ſe in ſecretis vnaquæq; anima, & dicat, Videamus ſi hanc diẽ ſine peccato, ſine inuidia, ſine obtrectatione, ſine murmuratione tranſegi. Videamus, ſi hodie, quod ad perfectum animæ pertinet, operatus ſum. puto quod hodie mentitus ſum, per iram, vel concupiſcentiam victus ſum, nec alicui bene feci; nec per timorem æternæ mortis ingemui. Quis mihi reddat hanc diem, quam inanibus reb. perdidi, quã cogitationibus noxijs peſſimiſq; cõſumpſi: Ac ſi, Fratres, de omnibus negligentijs noſtris compungamur in cubilibus, id eſt, in cordibus noſtris, ipſi nos condemnemus, ipſi nos accuſemus Iudici noſtro quotidie, & dum in hac carne ſumus cõtra ipſam carnem quotidie dicamus, vincamus voluntates & intentiones noſtras, dum nobis tẽpus illud expectatiſſimum ac beatiſſimũ felice mutatione æternæ vitæ ſuccedit. Quando illud, quod Dominus dixit: *Et erunt ſimiles angelis.* Et iterum: *Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol, in regno Patris eorum.* Putas qualis tunc erit ſplendor animarum, quando ſolis claritatẽ habebit lux corporũ? Tunc enim cum ad iſtam beatitudinem venerimus, nulla erit triſtitia, nullus timor, nulla infirmitas, nulla mors, nullus nobis obſtabit ad ſeruiendũ Deo noſtro; nulla iam nobis ſtabit infirmitas; nulla contradicet miſeræ carnis aduerſitas, nulla vel vlterius remanebit pugnãdi neceſſitas. Veniet, inquam, tempus, quando nullus deſideretur cibus, omniſq; refectio, nulla ſentiatur ieiunij laſſitudo, nulla timeatur vel de carne inquietudo, vel de hoſte tentatio; ſed aduerſario in inferni ꝓfunda detruſo perfruemur hac primum felicitate, vt incipiamus nec velle vltra peccare, nec poſſe; ceſſante omni iniquitate, omni miſeria, omni mœrore; totum innocentia, totũ felicitas poſſidebit. Nullam inferior miſeriam, nullam felicior timebit inuidiam, quia exinanita & penitus extincta tranſiuit. In pectoribus hominum caritas angelorum, quibus admixti homines iam † cœleſti recepta carne, ſine carnis infirmitate fulgebunt. Et ideo nullum vlterius patientur de ſempiterna Domini ſui virtute faſtidium, nullum ſub perẽni laudum ſuarum exultatione defectum. Habemus plenam beatitudinem inter illa immenſa beneficia Dei noſtri, vt nunquam in referenda gratiarum actione ceſſemus; cohæredes effecti eius, qui dicet: *Venite benedicti, percipite regnum, quod vobis paratum eſt, ab origine mundi.* Donante ipſo, qui viuit & regnat in ſæcula ſæculorũ, Amen.

B

Matth. 16. 27.

† f. vindicta deſcẽdit vel vindicat, vel aliquid ſimile.

C

Pſ. 49. 21.

D

E

Lu. 20. 36. Mat. 13. 43.

F

† m. ſ. cœleſtis.

Matth. 25. 34.

EIVSDEM FAVSTI PROFESSIO FIDEI CONTRA EOS, QVI DVM PER SOLAM DEI VOLVNTATEM Alios dicunt ad vitam attrahi, alios in mortem deprimi, hinc, Fatum cum Gentilibus aſſerunt, inde liberum arbitrium cum Manichæis negant.

G

DOmino beatiſſimo ac reuerendiſſimo Leontio Papæ, Fauſtus. Quod pro ſolicitudine paſtorali, beate Papa Leonti, in condemnando prædeſtinationis errore conciliũ ſummorum Antiſtitum congregaſtis, vniuerſis Galliarũ Eccleſijs præſtitiſtis. Quod vero ad ordinãda ea quæ collatione publica doctiſſime protuliſtis, operam infirmis humeris curamq; mandaſtis, parum, vt reor, tanto negotio, parum ſanctæ exiſtimationi veſtræ cõſuluiſtis, & me iudicio charitatis, vos periculo electionis oneraſtis. Quia ergo & veſtram laborare perſonam ſub impoſito nobis faice cognoſcitis, communem cauſam hoc loco agitis, ſi ei quem opinioni veſtræ imparem cernitis, manum ſuffragij porrigatis. Studium aſſerendæ gratiæ competenter & ſalubriter ſuſcipit, qui obedientiam famuli laboris adiungit, tanquam ſi patrono vel Domino inſeparabiliter pediſſequus miniſter inhæreat. Quod ſi vnum ſine altero erit, aut inhonorus abſq; ſeruo Dominus apparebit, aut ſeruus Domini locum, conditionis immemor, occupabit. Recte ergo inter adiuuantem pariter & adnitentem ordo iſte ſeruabitur, vt hic teneat pleno iure dominatum, & ille tota reddat ſubiectione ſeruitium. Augebitur autem dignitas imperantis, ſi ei ſemper præſto ſit ſedulitas obſequentis. Socientur ima ſummis: ſicque ſocientur, vt ſubijciantur vtique, non æquentur. Sed ſicut deeſſe non conuenit gubernatori remigem ſuum, ſacerdoti miniſtrum ſuum, imperatori militem ſuum: ita oportet gratia alumnæ obedientiæ inſeparabili ſeruitute connexa ſit. Verum quia Pelagius nudum laborem importunius exaltans, & humanam demens infirmitatem ſine gratia ſibi poſſe ſufficere, ſtulte credidit, impiè prædicauit, elationis turrim in cœlum conatus erigere, blaſphemias eius breui ſermone præſtringere, & confutare neceſſariũ iudicauimus. Ne forte is, qui donum laboris, id eſt, præceptum iubentis excludit, aſſerentibus nobis quod Dei miſericordia fide & operibus promerenda eſt, catholicã vocẽ ad Pelagij ſenſum, diſcretionis neſcius, applicaret,

H

& omiſ-

A & omiſſa via regia in dexteram cadens, in ſiniſtram declinare nos crederet, & dum de labore ſeruo gratiæ loquimur, offendiculum ante pedes cæci oppoſuiſſe videremur. Cum autem mentionem de opere ac labore fecerimus, Prophetæ, Apoſtoli, Euangeliſtę & verbis vtemur & ſenſibus. Quibus ſi quis contraire præſumpſerit, non noſtra inuenta deſtruere, ſed cœleſtia ſine dubio iura diſſoluere, & fidei ſubruere fundamenta tentabit. Latius vtcunque ſermonem de præſcientia & prædeſtinatione produximus, vt quæ putabantur obſcura, abſolutiora tardioribus redderentur. Non autem aliquos, qui verborum phaleris delectantur, offendat, quod teſtimoniorũ virtute contenti, abſq; ſublimitate ſermonis, lucem protulimus veritatis. In quo quidem opuſculo, poſt Arelatenſis concilij ſubſcriptionem, nouis erroribus deprehenſis, adijci aliqua ſynodus Lugdunenſis exegit.

B *Ex Indice expurgatorio M. S. Palatij.*

Gennadius (quem conſtat, fuiſſe plurimũ Semipelagianis, eoſque in ſuo illo libro de viris illuſtribus plerumque laudibus extuliſſe) opus iſtud Fauſti de gratia & libero arbitrio appellat egregium, quod etiam mirum in modum laudaſſe reperitur S. Sidonius Apollinaris libr. 9. epiſt. 9. ſed viro ſancto atque ſyncero nondum comperta fuiſſe videbantur techna & impoſtura Fauſti. Certiſſimum enim eſt Fauſtum fuiſſe Semipelagianorum antesignanum, & ſcriptionem iſtam eius hic poſitam multis Pelagianorum erroribus refertam. Id quod diſerte annotarunt S. Iſidorus libr. de viris illuſtribus, cap. 14. S. Ado Viennenſis Epiſcopus in chronico anno Domini 492. Scripſerunt aduerſus hoc Fauſti opus de gratia Dei ex profeſſo S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus. S. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, S. Alcimus Auitus Viennenſis Epiſcopus, Petrus Diaconus. Et ex hæreticis Ioannes Maxentius. Porro S. Gelaſius Primus in decreto de libris ſacris, Fauſti opera omnia inter apochrypha reijcit. S. Hormiſdas etiam Roman. Pontifex epiſt. ad Poſſeſſorem Africanum Epiſcopum hæc ait: Hinc vero quod vos de Fauſti cuiuſdam Galli Antiſtitis conſuluiſſe literis indicaſtis, hi ſibi reſponſum habeant: neque illum, neque quenquam, quos in auctoritatem Patrum non recipit examen catholicæ fidei, aut eccleſiaſticæ diſciplinæ, ambiguitatem poſſe gignere, aut religioſis præiudicium comparare. Tantum ille. Et ex his plene perſpectum habeas, quam caute ſcripta iſta Fauſti ſint tibi perlegenda, in quibus in errores multos Pelagianis dogmatis plerumque offendes. Si eos autes collectos inſpicere, conſule Ioannem Maxentium in reſponſione ad epiſtolam Hormiſdæ Papæ ad Poſſeſſorem. Sciendum tamen epiſtolam hanc Fauſti ad Lucidum Presbyterum, approbatam 101 Epiſcoporum ſubſcriptione in Concilio Arelatenſi, & Epiſtolam Lucidi Presbyteri ad Epiſcopos congregatos in ſynodo Lugdunenſi, quæ ambæ operi Fauſti præmittuntur, ſanas eſſe atque catholicas, iudicio duarum ſynodorum confirmatas. Neutiquam tamen vllus ob id exiſtimet ab vtroque Concilio approbatos tres libros Fauſti de Gratia, vt ipſe mendaciter innuere videtur in ea, quæ hic ſubijcitur, præfatoria Epiſtola ad Leontium Epiſcopum Foroiulienſem. Conſule plenius de his omnibus diſſerentem Baronium Tom. 6. Annal. Eccleſ. anno Chriſti 490.

D

FAVSTI EPISCOPI DE GRATIA DEI, ET HVMANÆ MENTIS LIBERO ARBITRIO,

Liber primus.

QVOD PELAGII SENSVS, QVI GRATIAM NEGAVIT PRIMO LOCO NECESSE ſit deſtrui.

CAPVT I.

DE gratia Dei, & tenuitate liberi arbitrij, illuminante ſancto Spiritu, iuxta Euangelicas diſciplinas, & Apoſtolicas regulas tractaturi, primo loco Pelagij blaſphemias, ſcilicet iamdudum eccleſiæ catholicæ fide proditas, eruditione confuſas, authoritate calcatas, breui & neceſſario ſermone præſtringendas eſſe credidimus. Pro eo quod inter reliquas dogmatis ſui abominationes, etiam laborem hominis valere poſſe ſine gratia, elatione damnabili adfirmare conatus eſt. Et ideo nefarios ſenſus ſuos vel ex parte aliqua in medium proferre curabimus, vt ſolicitus quiſque cognoſcat, multo aliud eſſe ſalutari gratiæ officium laboris adiungere, aliud vero nudum abſque patrocinio gratiæ laborem temeritate vna aſſerere. Hic ergo dum altius humanam fragilitatem, immemor diuini timoris, extollit, iudicij ſui perdidit ſanitatem. Ita ex parte alia cecidit, dum arbitrij libertatem integram prædicat & illæſam, ſicut illi qui eam ex toto aſſerunt fuiſſe euacuatam. Hoc itaque loco gemini inter ſe colluctantur errores, quorum vnus ſolam gratiam, alter ſolum laborem, relicto tramite atque menſura veritatis, inſinuat. Sectarum genere diſpares, ſed impietate conſimiles. Diuerſo quidem ſtudio, ſed ſpiritu vnius ſerpentis inſibilant. Quorum vnus, id eſt, ſolius gratiæ prædicator, prima quidem fronte venenum ſuum ſub ſpecie pietatis occultat: alter, id eſt, laboris aſſertor, protinus extantem tumorem improba elatione manifeſtat. Hæc profeſſio, inſinuando ſolum laborem ipſo ſui titulo deteſtanda: Illa magis ſub religioſo colore metuenda eſt. Hæc ſacrilegium ſuum ipſis ſuis oribus prodit, illa virus ſuum imis viſceribus, pene antequam ſentiatur, infundit. Duos anguſtum obſidere fretum ſcopulos putes quorum vnus ſubdeprimitur in profundum, alter minatur in cœlum. Vnus infeſtus nauigantibus cernitur, alter cæca naufragia improuiſus operatur. Ille gratiam loquitur, hic laborem. Vtrumque eloquia diuina confirmant. Si diſſidentes remoueas, & dicta coniungas, plena fidei ſynceritas apparebit. Sed quia velut temerarij remiges ſine magiſtro inexplorato mari vela committunt, ac temperare moderamina neſciunt, & gubernacula tractare non norunt, hic tanquam in Scillææ male dextrum fertur periculum, ille in læuum Charybdis tendit abruptum. Et quid eos inter hæc facere oporteat, ſi requiras, prouiſo gubernatore nauim fluctibus credant, medium teneant curſum, & ambo flatu dextro perducentur ad portum. Videamus cui impietati geminum hunc errorem adſimilare vel conferre poſſimus. Pari modo in petram ſcandali offendunt, vel illi qui Chriſtum Dominum ſolum Deum, vel illi qui ſolum hominem, amiſſa diſcretionis luce, aſſerere præſumpſerunt. Pene vtraque nimietas, dum diſcretionem atque diſcrimen tenere neſcit, æquale crimen incurrit. Proinde qui Chriſtum ſolum hominem dixerit, negauit auctoris potentiam: qui ſolum Deum, perdidit miſericordiam redemptoris. Ac ſic, qui vnam in Domino ſaluatore ſubſtantiam confitentur, in hanc conſtringentur neceſſitatem, vt aut ſolum hominem cœlo lapſum, aut ſolum Deum cogantur dicere crucifixum. Sed non ita eſt. Mortem enim nec ſolus Deus ſentire, nec ſolus homo ſuperare potuiſſet. Et ideo eam pro gemina ratione ſubſtantiæ, homo ſuſcepit, & Deus vicit. Si ergo partibus proprietates ſuas reddas, & Chriſtum Deum ſimul atque hominem credas & aſſeras, perinde eſt, ac ſi gratiam cum labore coniungas, & ab adiutorio Dei conatum hominis non repellas. Ita tamen, vt adnitentis deuotioni, elationis culpam penitus non admiſceas. Quia quantum detrimenti eſt non laborare, tantum periculi, de labore præſumere. Dicit ergo Pelagius, quod ad obtinendam ſalutem natura hominis ſibi ſola ſufficiat. Ita hic peſtifer doctor adfirmat, quaſi adhuc factura conditionis noſtræ, in ſtatu ſuo inlibata permaneat. Ego arbitror quod libertas arbitrij ſibi ſola ſufficere ſine præſidio gratiæ non potuerit, etiam antequam priuilegium illius tranſgreſſio violaret. Quomodo vero nunc poteſt ſibi ſola ſufficere, ad cuius arrogantiam dicitur: *Quia ſine me nihil poteſtis facere?* Ad cuius præſumptionem diuinus ſermo dirigitur: *Niſi Dominus ædificauerit domum in vanũ laborauerunt, qui ædificant eam?* Quod vtiq; elationi ſine gratia perficere denegatur, humilitati vero cũ gratia implere conceditur. Proſequitur adhuc Pelagius

Adam

Margin: E; Monichęi; F; G; H; Pelagius.; Ioan. 15.; Pſal. 126.

A Adam mortalem factum, qui ſiue peccaſſet, ſiue non peccaſſet eſſet moriturus. Sed cum dicit Apoſtolus, *Propterea,* Rom. 5. inquit, *ſicut per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors,* intelligis, quia ſi peccatum non præceſſiſſet, mors ſecuta non eſſet, & donata immortalitas perduraſſet, quam vtique manifeſtum eſt ſub propoſita lege præſtitam: & cum conditione conlatam, vt ſi non receſſiſſet ſuperbus ab obedientia, permaneret æternus in gloria. Nam cum interdictum cœleſte ſanxiſſet Gen. 2. dicens: *In quacunque die comederitis de ligno ſcientiæ boni & mali, morte moriemini.* Illiciti guſtus male ſuaſa præſumptio, facta eſt ex accidenti mortis occaſio. *Morte,* inquit, *morieris.* Si nihil largientis contulit gratia, quid eſt quod abſtulit damnantis offenſa? Mors itaque, id eſt, peregrinum & aduentitium malum, non eſt ordo naturæ, ſed Sap. 1. pœna ſententiæ. *Quoniam,* inquit, *Dominus mortem non fecit.* Æternitatem creditam fuiſſe homini, liuor ipſe teſtatur inimici. Et quia ei immortalitatem deiectus inuidit, Gen. 3. ideo cauſam mortis ingeſſit, dicendo: *In quacunque die* B *comederitis de ligno hoc, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij.* Si hoc tantùm dixiſſet: cum manducaueritis, ſatietatem de cibi ſuauitate capietis, vſque ad concupiſcentiæ carnalis inlecebram tranſgreſſio perueniſſet. Cum vero hanc præuaricationis propoſuerit finem dicendo, *eritis ſicut dij,* edacitatis culpa vſque ad diuinitatis ambitum, & vſque ad crimen maieſtatis acceſſit. Facti ſunt ergo ſicut dij, dono gratiæ cœleſtis exuti, & de beatæ ſtationis culmine proturbati. Ac ſic callidus ſerpens pro ſuperbiæ malo eiectus è cœlo, machinas ſibi ad hominem ſubruendum de caſu proprio, lapſuque diſpoſuit, & quomodo cecidit, ſic decepit. Quid vero aliud intelligendum eſt, etiam in ipſa qua homo conditus eſt, Dei imagine niſi perennitatis inſigne? quā perennitatē non ſolum animæ non ademptam, ſed etiam corpori agnoſcis reſurrectionis virtute reparatam. Quapropter immortalitatem homini commiſſam non dubites ante culpam, quam Pelagius. reddi perſpicis etiam poſt ruinam. Aſſerit ergo Pelagius C ſiue peccaſſet, ſiue non peccaſſet, omnibus modis fuiſſe moriturum. Et hoc ex ipſa prauitate deſcendit, quia negat originale delictum. Dum enim adfirmare contendit mortalem neceſſitatem conditionis fuiſſe, nō tranſgreſſionis, vult videri originem huius debiti, non à ſeruo, ſed à Domino, non à contemptore, ſed ab auctore cœpiſſe, vt mortis lex ordinationis credatur eſſe, non criminis. Et hanc lugendam contritionem ſuper humanum genus, non præuaricator putetur tranſmiſiſſe, ſed conditor. Et Sap. 2. vbi eſt illud? *Inuidia autem diaboli, mors introiuit in orbem terrarum.* Dum autem peccatum originis denegat, tollit omnino cauſam qua redemptor aduenerit. Videamus vtrum per voluntatem Dei, an per hominis prauitatem, infelix & deflenda conditio initium ſumpſerit. Audi Rom. 5. quid tuba perſonet veritatis. *Propterea,* inquit, *ſicut per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors: ita non omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Dicendo Pelagius Adam mortalem factum, D in primo facturæ ordine conſtituit mortem, quam pro noxa præuaricationis tertio gradu conſtat impoſitam. Homo enim opus Dei, peccatum opus diaboli: mors, pœna peccati. Nam Apoſtolus non dixit: voluntas Dei Rom. 6. mors, ſed *ſtipendium peccati mors.* Dolos ergo eius in profundo latentes, ſolicitius inſpiciamus. Ideo mortem applicat conditori, vt de quo potiſſimum malo initium ducat, non poſſit agnoſci. Ac ſic liberius adfirmat, infantes nexu originis non teneri. Quod cum dicit, duplici impietate blaſphemat, dum & mortem ad auctoris inuidiam reuocat, & negando originale vinculum, gratiam reparatoris exacuat. Itaque vt poſſit aſſerere paruulos baptiſmo non egere, generale peccatum negauit. Quo negato, hic ordo erroris ſui fuit, vt vnde mors eſſet generata neſciret. Quid mirum, ſi arborem illam in fructibus non agnoſcat, quam noluit in radice cognoſcere? Quandoquidem cauſam vulneris ſupprimit, & abſcondit gladium quo vulnus inflictum eſt. *Stipendium,* inquit, *peccati mors.* Quia intelligere neglexit tanti principem mali, ideo ignorauit impoſitam mortis conditionem, pediſſe quam eſſe peccati. De qua præfati ſumus: *ſtipendium* E *peccati mors.* Dignam ſecundum tale opus mercedem recepit, tale ſtipendium meruit qui diabolo militauit. Vnde vas electionis euidentiſſime rationem redemptionis oſtendit, & prædicat dicens: Quid *enim cum adhuc infirmi* Rom. 5. *eſſemus, Chriſtus pro impijs mortuus eſt? Vix enim pro iuſto quis moritur.* Hoc eſt dicere: Si abundaſſet in terris iuſtitia, non fuiſſet è cœlis tranſmiſſa medicina. Sed vt adueniret vnica ſanitas, generalis exegit infirmitas. Inter hæc cum Pelagius tantis ſacrilegiorum vinculis inligetur, non mirum, ſi per reprobum ſenſum multiplici tradatur errori, qui per ſolum laborem putat poſſe ſaluari. Merito contra huius arrogantiæ præſumptionem, ſermo diuinus vim ſuæ auctoritatis, vel increpationis exſeruit. *Nemo,* inquit, *venit ad me, niſi pater attraxerit eum.* Ioan. 6. Et iterum: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt* Rom. 9. *Dei.* Quod merito ad ſe dictum eſſe reputauit, qui ſalutem ſuam cum Pelagio propria in voluntate ac virtute conſtituit. Quod vtique illi obijci non neceſſe eſt, qui F non de ſolo labore præſumit, ſed conatibus ſuis quotidianam Dei miſericordiam & iugem gratiam implorandam eſſe cognoſcit, & auxilium Domini peruigili obſecratione depoſcit.

CONTRA OBIECTIONEM PELAGII, QVA *dicit, paruulos baptiſmo non egere.*

CAPVT II.

Attendat etiam hoc Pelagius: Si per baptiſmi donum, inquit, tollitur originale peccatum, de duobus baptizatis nati, debent hoc carere peccato. Quomodo, inquit, mittunt ad poſteros, quod ipſi in ſe minime habuerunt? Quibus facile reſpondetur, duas eſſe natiuitates, de quarum vna peccatum ex generātis voluptate tranſmittitur: ex alia autem, ſanctificatio de regenerantis adoptione donatur. Quomodo, inquit, mittunt ad poſteros, quod ipſi in ſe minime habuerunt? G Quam inrationabilis & plena iniquitatis obiectio. Non vis vt transfundant in poſteros, quod naturæ eſt, & vis vt eis poſſint velut de ſuo conferre quod gratiæ eſt? De qua natura Apoſtolus dicit: *Eramus,* inquit, *natura filij iræ.* Epheſ. 2. Merito quaſi de proprio dare nequeunt, quod de ſurſum & extrinſecus acceperunt. Imprudentiſſime per parentes filij innocentiæ puritatem Pelagius dari credit. Ad parentum miniſterium natiuitas ſecunda non pertinet. Officium vult eſſe hominis quod Dei munus eſt, vt velut quodam hæreditario ordine per hominum currat poſteritatem, quod extra humanam conſtat eſſe ſubſtantiam. Originale autem peccatum, ex parentibus etiam baptizatis per carnis originem ad filios tranſire non dubium eſt, dicentibus nobis quotidie cum Propheta: *Ecce* Pſalm. 50. *enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea.* Sicut & Apoſtolus iſtud inſanabile piaculum ex vno in omnes homines pertranſiſſe confirmat. Sed 1. Cor 15. dicit Pelagius ideo non eſſe originale peccatum, quia ipſa concupiſcentia generationis ex Deo ſit. Vnde au- H tem veniat nexus iſte, qui per poſteros trahitur, ſi requiras? ſine dubio per incentiuum maledictæ generationis ardorem, & per inlecebroſum vtriuſque parentis amplexum. Nam cum illum ſolum videas ab originali immunem eſſe contagione, qui non carne ſed ſpiritu, nec erubeſcenda paſſione, ſed ſtupenda benedictione conceptus eſt, agnoſce cauſam mali originalis de oblectamento natum conceptionis, & de vitio voluptatis. Propterea etiam Adam & Euam in origine ſua obnoxios conditio iſta non tenuit, quia à duorum miniſterio eorum quoque ortus alienus, inlecebram in ſui natiuitate & creatione neſciuit. Sed forſitan requiras, quare in conceptu ſit poſitum originale delictum. Initium totius ruinæ, obedientia fuit. Primum enim exaltatus homo, poſtea humiliatus eſt & confuſus. Et quia *cum in honore eſſet,* Pſalm. 48. *non intellexit,* ideo *comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Quamdiu ergo circa auctoris obſequium, humilitas reuerentiā tenuit, nuditatē conſcientia imma-

A culara non ſenſit. Cùm vero illo animo vt Deus eſſet, guſtum cibi lethalis appetijt, & damnandam cupiditatem in ambitum maieſtatis extendit, immemor legis & mandatorum legis, rebellis mulctatur in impugnatione membrorum. Et dum æqualitatem Domini ſui præſumit, corporis ſui perdidit poteſtatem. De ſuperbia namque nata eſt incontinentia. Nam quid in eo percuſſum eſſet oſtendit, quando verecunda contexit. Præceſſit elatio, ſecuta confuſio eſt. Diuinitatis ambitioſus, libidinis cœpit eſſe captiuus. Sed forſitan dicas: dum hæc diſſeris, nuptias damnare deprehenderis. Non ita eſt. Ordinatio nuptialis ex benedictione cœpit: generatio corruptionis, ex tranſgreſſione cœpit. Interim nuptiarum munus adhuc in paradiſo à creatore conceſſum, & earum vſus extra paradiſum iam ſumpſit exordium. Peccatum in medio fuit inter generationem & concupiſcentiam. Quicquid præceptio diuina conſtituit, hoc laudo, quicquid humana præuaricatio adiecit, hoc reprobo. Quo- B modo ſi aliquis atro inquinamento candorem niueæ veſtis aſpergat, non diſplicet factura, ſed macula. Veſtimenti non amiſit vſum, etſi perdidit dignitatem. Futura erat indubitanter caſta & ſyncera generatio, ſi non interceſſiſſet inimica tranſgreſſio. Sed immaculatos thoros caro maledictioni addicta maculauit, & ſuperbiæ ſpiritus, ſimplicem corrupit affectum. Et ſicut immortalitatis priuilegium, ita donum perdidit puritatis. Non in querelam vocatur nuptialis gratia, ſed obſcœnæ paſſionis iniuria. Non aurum in culpam venit, ſed quicquid auro obryzo adulterinum fraus iniquitatis admiſcuit, ſicut Pelagij ſpiritum ad meliora ſtudia à Deo conditum, corruptione peſtifera nequitiæ auctor infecit.

Contra hoc quod dicunt, quia per ſolam gratiam omnis homo ſine vllo labore ſaluetur.

CAPVT III.

C NVnc veniendum eſt ad illos, qui dum gratiam alijs dari, alijs negari aſſerunt munus gratiæ cum Pelagio perdiderunt. Dicunt ergo ad cultum Dei atque famulatum, etiam poſt baptiſmi ſalutare donum deuotæ ſeruitutis obedientiam non requiri, ſed ſolam per ſe gratiam effectum humanæ ſalutis operari. Totum, inquiunt, ſolius eſt gratiæ. Iſtud melius à nobis poterit dici, hoc magis noſtris partibus conuenit applicari: qui non in partem, ſed in totum genus humanum, gratiæ beneficia fatemur extendi: ſic tamen vt ei vigilantiæ humanæ ſtudium per omnia iudicemus adiungi. Nam qui negat gratiæ adſociandum famulati laboris conatum, ſubtrahit homini ſeruitutis officium. Neſcio vbi aut quãdo ab opere feriari, quando ocio debeat derelinqui, qui etiam in paradiſo iubetur operari. In quo (ſicut le- *Gen. 2.* gimus) ita eſt conſtitutus, *vt operaretur & cuſtodiret illum.*

Contra eum ſenſum, qui dicendo vnus ad mortem præordi- D *natus, alter ad vitam prædeſtinatus eſt, rebus ipſis ſpem intercludit orando.*

CAPVT IV.

CVm dixerint: totum gratiæ Dei eſt: quis non ad tam reuerendum nomen omni cordis inclinetur affectu? Sed cum reſponderimus: totum plane gratiæ eſt, ſed omnibus ea offert atque ingerit ad ſalutem, omnium conditor ac redemptor. Ad hæc illi longè à pietatis tramite recedentes, reſpondere præſumunt: Non eam ſaluator omnibus dedit, quia nec pro omnibus mortuus eſt. Ecce ſtatim in ſecundis apparet gratiæ impugnator, qui in primis putabatur aſſertor. Obijciunt nomen gratiæ, vt abominandum ſenſum operiant blaſphemiæ. In alterutram itaque partem ſubſidia orationis excludunt. Quid

cuius vltra ſperet, quem iam gratia ſuum fecit? In quo e- E contrario non deſperet, quem præſumptio violenta damnauit? In hoc culpa, in illo gratia locum non habet. Periclitabitur in vtroque iuſtitia. Remunerabitur ſine fidei merito adſumptus, damnabitur ſine proprio crimine derelictus. Salus illi ingerenda eſt non quærenti, huic auferenda laboranti. Sed dicis: Ideo orare debet, quia ex qua parte ſit neſcit. Quis non putet rationabiliter ac ſapienter fuiſſe reſponſum? Sed quid orare homini proderit in vna harum duarum conditione omnimodis conſtituto? Nam & ſi ad quam partem fuerit deputatus ignorat, vtramque tamen partem defixam eſſe & immutabilem non ignorat. Quid refert ſi nondum nouerit locum ſuum, qui definitiſſime nouit, quia nullum iam recipiat vel dextera periculum, vel ſiniſtra profectum? Quod ſi adhuc tam confuſa perſuaſio orationem neceſſariam putat, indubitanter agnoſcat, quia contra definitionem ſuam & de ſalute ad perditionem, & de perditione tranſire poterit ad ſalutem. Si ergo orandi vſum prætermittendum eſſe non æſtimat, ſtudium non excludat operan- F di. Quid eſt hoc, pulſare debere me iudicas, & aperiendum mihi eſſe deſperas. Alterutrum ergo faciat, aut fructum orationis neget, aut legem ſtatutæ perditionis excludat. Videmus itaque quia hæc plena erroris aſſertio, dum cauſam intercludit orandi, de luce gratiæ incipit, & finis eius in tenebras ſacrilegij incurrit ac deficit. Sic diabolus, calliditate veteris artificij ac multiformis ingenij, condit blandimenta peccandi. Sic etiam malefici facere ſolent qui mortiferos herbarum temperant ſuccos in cõdito, aut aliquo dulci poculo neſcientibus propinatum guſtum mentita ſuauitate componunt, virus amaritudinis obſcurant fraude dulcedinis. Prouocat primus odor poculi, ſed præfocat incluſus ſapor veneni. Mel eſt quod aſcendit in labia, fel eſt quod deſcendit in viſcera. Dicunt quod in alterutro rerum ſtatu illos ſibi mors vindicet, iſtos vita defendat, quæ cum dicunt, qui vnum in origine perditum, alterum in prædeſtinatione adfirmat electum, vide quo improba perſuaſione declinet. Quid enim aliud G dicit, niſi quod adiutorio orationis neuter indigeat. Nam iam præordinatis ad vitam neceſſaria non erit, deputatis ad mortem prodeſſe non poterit. In iſto ſuperuacua, in illo infirma iudicabitur. Beneficia ſupplicationis qui in acquiſitione prædeſtinationis eſt, non requirit: qui vero in perditionis parte, non recipit. Quod ſi curam impendendam æſtimat rationi, indubitanter intelligat ea quæ imminent, poſſe mutari, ſecundum illud Euangelicum: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Item: *Vigilate ita-* *Marc. 15.* *que omni tempore; orantes vt digni habeamini fugere iſta omnia* *Luc. 12.* *quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis.* Et iterum: *hoc genus dæmonij non eijcitur niſi per orationem & ieiunium.* *Matth. 17.* Quod ſi oratio neceſſaria non eſt, cur ipſe qui exorandus eſt, formam orationis inſtituit & orauit? In eo ergo qui indoctis auribus ſolius gratiæ aſſertione blanditur propheticum illud implebitur: *Malignus*, inquit, *nocet, cùm ſe commiſcuerit iuſto.* Auri ſpecies primo colore præfertur, ſed plumbi vilitas intrinſecus latere deprehenditur. Quomodo ſi ſub prælato mentiti ciuis habitu ſubito hoſtis appareat, aut ſi ſe inimici doloſa ſubtilitas transfiguret in angelum lucis, H ita ſub pietatis fronte gentilitatis malum, & intra gratiæ vocabulum, abſconditum erit fatale decretum. Si ergo vnus ad vitam, alter ad perditionem (vt aſſerunt) deputatus eſt (ſicut quidam ſanctorum dixit) non iudicandi naſcimur, ſed iudicati. Neque vlla ſibi iuxta hæc poterit æquitas conſtare iudicij. Nam ſi nihil Deus famulo dedit, à famulo quid repoſcit?

(·:·)

Legis opera deſtruuntur, & gratia commendantur, vel contra hoc quod indoctiſſime teſtimonia pro ſolius gratiæ adſertione proponunt.

CAPVT V.

[*Rom. 4.*] LEgimus, inquiunt, ad Romanos: *Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.* [*Ibid.*] Item: *Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.* Ei autem qui non operatur, credenti autem in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam. Addunt etiam: [*Rom. 11.*] *Si autem gratia, non ex operibus, alioqui gratia iam non eſt gratia.* Quibus reſpondendum eſt, duo eſſe genera operum, quorum vnum poſt aduentum Domini remouetur, aliud improbatur. Nam dicendo: ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam, aperte fidem, legis operibus anteponit. Neque enim Apoſtolorum teſtimonia compugnantia & contraria ſibi eſſe dicemus, cùm alius Apoſtolus dicat: [*Iac. 2.*] *fides ſine operibus mortua eſt.* Et iterum, *oſtende mihi fidem tuam ſine operibus, & ego oſtendam tibi operibus fidem meam. Tu credis quoniam vnus Deus eſt, bene facis. Et dæmones credunt & contremiſcunt.* Item: *Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.* Sed nec ipſe doctor gẽtium Paulus, diuerſus ſibi & contrarius apparebit ita dicens: [*2. Cor 6.*] *In omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus.* Et iterum: [*1. Cor. 3.*] *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem.* Quæ imperitis & indoctis, & his qui veritati obſtinato ſpiritu reluctantur, diſcordantia videbuntur. Verum iuxta Catholicam regulam, Opera legis euacuantur, quæ ſecundum literam ſunt, & ea quæ poſt gratiam comitante gratia gerenda ſunt aſſeruntur. Videamus ſi hoc ita eſſe rebus ipſis adprobare valeamus. Opera legis deſtrui legimus, cùm Iudæorum comprimit elationem dicens: [*Rom. 3.*] *Vbi eſt,* inquit, *gloriatio tua? excluſa eſt. Per quam legem? factorum? non, ſed per legem fidei. Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Similiter & ad Galatas dicit. [*Gal 2.*] *Scientes,* inquit, *quod non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Chriſti Ieſu, nos in Chriſto Ieſu credimus, vt iuſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis. Propter quod, ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo.* Ac ſic euacuari opera error impius dixit, ſed quæ illa eſſent, doloſa calliditate ſuppreſſit. Nunc ergo pateris intelligendi difficultatem, ſi perſonarum vel operum intellexeris diſtinctionem. Ad Iudæos enim dicitur: *Non iuſtificabitur ex operibus legis omnis caro.* Ad Chriſtianos verò iam in CHRISTO renatos, ita inſtructionis ſermo dirigitur: [*Gal. 6.*] *Operamini bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei.* Et iterum, [*1. Cor. 15.*] *itaque fratres mei dilecti ſtabiles eſtote & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino*: ad Chriſtianos, inquam, dicitur; [*Matt. 5.*] *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui eſt in cælis*, id eſt, vt non tam otio reſoluantur, quàm de operibus bonis, non in nobis, ſed in Domino gloriemur. Ad Chriſtianos dicitur: [*Act. 10.*] *In veritate comperi, quoniam non eſt perſonarum acceptor Deus, in omni gente qui timet illum & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi.*

De eo quod ait, gratia Dei ſum id quod ſum.

CAPVT VI.

[*1. Cor 15.*] AVdi Apoſtolum laborem cum gratia humili confeſſione miſcentem: *Gratia autem Dei ſum id quod ſum, & gratia illius in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Vide quomodo ad gratiæ donum, ſemper ſubiungit laboris obſequium. *Non ego autem.* Quia mentionem ſolius laboris intulerat, cito quaſi ad amplexum matris gratiæ recurrit dicens: *ſed gratia Dei mecum. Gratia,* inquit, *Dei ſum.* Primas partes ſoli gratiæ pie ſubiectus adſcripſit, media quæque labori magiſter obedientiæ deputauit. Vtrumque in conſummatione moderatus, gratiam laboremq; coniunxit. Non dixit ego ſine gratia vel gratia ſine me, *ſed gratia Dei mecum.*

Quę prius ſingillatim diſtincta protulerat, quam bene in ſermonis fine cõnexuit. Ac ſic apud regeneratos, quando gratia ſine labore, vel labor ſine gratia in ſcripturis ponitur, ſupprimitur non ſeparatur. Cum vnum ſine alio dicitur, tacetur alterum, non negatur: ſecundum illam regulam, antiſtes Auguſtinus inſinuat: Non omnia quæ tacentur negantur. Sed & alio loco dicit Apoſtolus: [*1. Cor. 9.*] *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Ecce B. Apoſtolus iam Chriſto acquiſitus; iam vas electionis effectus, nequaquam ſub nomine prædeſtinationis & gratiæ: otio manus relaxat, ſed cum Dei beneficijs conatus ſuos iungit, & dicit: *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo.* Ecce iam partis dextræ miles eſt, & vide quomodo periclitari meruit iam probatus, quomodo reprobari pertimeſcit electus. Iam victoriam in manibus habet, & necdum arma deponit. Iam perductus eſt ad trinmphum, & adhuc militiæ pertimeſcit euentum. Quæ cum ita ſint, perſpice te non contra infirmam quamcumq; perſonam, ſed contra ſummi Apoſtoli doctrinam armis impij erroris inſurgere, & Chriſto [*Eph. 2.*] qui intra eum loquitur contradicere. Dumq; laboris ſeruitium & orandi cauſas adimis, ianuam ſalutis humano generi intercludere te agnoſce. Et dum Pelagij impietatem neſcis refugere, ad Manichæorum dogma peſtiferum, qui liberum arbitrium totum denegant, te intellige declinare.

Quomodo intelligendum ſit: gratia, inquit, ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Vbi & fides intra opera numeratur, & cibus legis perire, cibus gratiæ manere deſcribitur.

CAPVT VII.

SIcut inter opera legis, & fidei deſidiæ amicus, & diſcretionis ignarus, ab intelligentiæ tramite deuiaſti, ita inter duo gratiæ tempora perſuaſionem tuam peſſimum ducem ſecutus, lucentem Catholicæ fidei regulam perdidiſti. Tempus gratiæ, quo redempti ſumus, merita hominum non expectauit, opera penitus non quæſiuit, ſola Deus fidei noſtræ deuotione contentus fuit, ſecundum illud Apoſtoli: [*Gal. 3.*] *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam*, ſicut & alio loco dicit: [*Heb. 10.*] *Iuſtus autem ex fide mea viuet, quod ſi ſubtraxerit ſe, nõ placebit animæ meæ.* Iuſtum cum & ex fide viuere aſſeruit, quia ei fidem & iuſtitiam quærenti contuliſſe ſe meminit, Sed dicendo: *Quod ſi ſubtraxerit ſe*, cum ad deuia voluntarius declinauit, non perijt quaſi derelictus, qui ſe ingerenti miſericordiæ ſubtraxit ingratus. Item ad Hebræos. *Credere autem oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Quam bene & Domini officium coniunxit & famuli, dicendo, *& inquirentibus ſe remunerator ſit.* Sicut enim ad Deum largitio remunerandi, ita ad hominem deuotio reſpicit inquirendi. Sed dicis, fidem ipſam non omnibus poſſe competere. Non mirum ſi homini, ad quem denegas opera pertinere, etiam fidem ſtudeas derogare, quam manifeſtum eſt inter opera depntari, ſicut habemus in euangelio: [*Ioan. 6.*] *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Vbi cibus, id eſt, intellectus litteræ perire, cibus verò gratiæ, id eſt, fides permanere, deſcribitur, & ita continuatus ſermo conſequitur. [*Gal. 5.*] *Dixerunt ad eum Iudæi: Quid faciemus vt operemur opera Dei? Reſpondit Ieſus & dixit eis: Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum quem miſit ille.* Aduertis quia nihil in famulatu Dei ſine opere geritur, quando & is qui credere videtur operatur? Item in Apoltolo. *Neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ*

per

A 2.Theſ.1. *per charitatem operatur.* Similiter & ad Theſſalonicenſes ſecunda, *Dignetur vos vocatione ſua Deus & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in vobis.* Et de Abraham in Iac. 2. epiſtola Apoſtoli Iacobi. *Vides quia fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt.* Geminum hic of- Eph. 2. ficium recognoſce, & operationis, & fidei. *Gratia*, inquit, *ſalui facti eſtis per fidem.* Prima itaque vocatio compendium fidei requirit à nobis, ſequentis vero temporis gratia redemptis, ablutis, innouatis, ſedulitatem operis, & curam laborioſæ ſeruituris indicit, vt quod ſine labore accepimus, opitulante adiutorio cum labore ſeruemus. Apoſto- 2.Cor.6. lo commonente, *Videte*, inquit, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Agnoſce diſtinctos eſſe gradus vocationis, & conſummationis. Fidem expectat à paruulis, opera etiam cũ fide à confirmatis requirit, ita tamen, vt credulitatis affectum proficientibus augeat, & laborantibus adiutor cotidianus adſiſtat.

B

Contra hoc quod dicunt liberum arbitrium ex toto fuiſſe ſublatum.

CAPVT VIII.

HVius improbæ perſuaſionis aſſertor, hominem intellectu locupletatum, ratione præditum, diuinæ imaginis honore decoratum, brutis animantibus, & iumentis inſipientibus æſtimat comparandum vt ad viam rectè nullo ſuo ductu, ſed violento tantum autoris imperio pertrahatur. Quo genere eum etiam inſenſibilibus adſimilare contendit elementis: vt ſicut de ratione terrarum, quæ nihil vbertatis arbitrio ſuo proferunt, quę propriæ fœcunditatis ignarę ſunt, quibus ſenſus alicuius nec libertas ſuppetit, nec voluntas, frugum tamen prouentus ex his cultore operante capiuntur: Ita ex homine ab omni exercitio virtutis otioſo, iuſtitiæ fructus ac bonarum rerum adpetitus atque profectus, ſolo Deo inſiſtente ſumantur, & quaſi in nullo vel ſentiat vel cõſentiat, ita cum C appetierit geſſeritve, in nullo ad conatum eius ac ſtudium pertinere iudicentur. Et ſicut mare magnum, quod huc atque illuc ventis agitantibus volutatur, ita ad quodcunque bonum vel facinus, ſine vllo affectu ſuo, ſolo diuinæ poteſtatis impulſu, mens humana verſetur. Quæ cum ita ſint, ſi hominem à ſiniſtra mali non reuocat intellectus, ſi ad dexteram boni non excitat ambitus, iam non hominis tenebitur conditione, ſed pecudis. Ecce hæreticus ſub prætextu gratiæ, qualem vult hominem eſſe poſt gratiam. Itaque ſi liberum arbitrium ex toto perijt, quod vtique in amore innocentiæ, vel operatione iuſtitiæ, vel in corporis ſanctificatione conſiſtit, ſi hoc ex toto in primi hominis præuaricatione ſublatum eſt, quomodo legi- Eſa.26. mus, *Iuſtitiam diſcite qui habitatis terram.* Et iterum: *Iuſtus* Heb.10. *autem ex fide mea viuit:* &, *iuſti hæreditate poſſidebunt terram.* Et, Pſal.36. *oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum?* Nun- Pſal.33. quid penitus interijt innocentia, quia in primo eius gradu poſſeſſor eius ſtare neglexit? Non opinor, quia ſcri- Pſal.24. ptum eſt: *Innocentes & recti adhæſerunt mihi.* Et iterum: *quis* Pſal.23. *ſtabit in loco ſancto eius? innocens manibus, & mundo corde.* Et Pſal.83. iterum: *Dominus non priuabit bonis ambulantes in innocentia.* D Nunquid ſanctificatio corporis ex toto amiſſa eſſe cre- Rom.12. denda eſt, quia membris in ſeruo rebelli ſuam non ſeruantibus ſeruitutem, diſcuſſa eſt primæ dignitas puritatis? Non vtique, quia legimus: Vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuam, ſanctam, placentem Deo. Et iterum: Leu.19. *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.* Ita hoc genere bonorum, illorum quæ male ſecutus paradiſi incola à benigno authore ſuſceperat, non perijt actio, etſi eſt amiſſa perfectio. Non inquam, harum virtutum perijt caſtitas, etſi eſt temerata virginalis integritas.

(·:)

Qualiter infirmitas liberi arbitrij intelligenda ſit.

CAPVT IX.

E

SEd interrogas & ais, quomodo intelligendum eſt infirmatum humanæ mentis arbitrium? Attenuata libertas eius, ita gratiæ adminicula plus requirit, ſicut homo longa infirmitate confectus, adiutorijs ac ſolatijs greſſu titubante magis indiget. Igitur ſicut poſt inueteratam luxuriæ conſuetudinem, reparatio continentiæ multo labore conſtabit: & ſicut longo temulentiæ vſu captiuata, ſobrietas cum violentia rigidæ crucis vix recipitur, quæ prius cum illæſa teneretur, paruo negotio ſeruabatur (Siquidem cum voluptate quadam inuiolata conſcientia poſſidetur) & quemadmodum poſt diuerſa carnalium blandimenta vitiorum, quæ facilè prima ætas ſta- F tum ſuum retinens calcare potuiſſet, cum magno luctamine, velut contra ardui montis aſcẽſum ad virtutis viam reditur, ita humani arbitrij à Deo conceſſa libertas florem vigoremque gratiæ ſuæ perdidit, tamen ipſa non perijt, vt diuina munera non tam interdicta ſibi ſentiat, quam cum ſummo labore ac ſudore per adiutorij patrocinium ſibi repetenda eſſe cognoſcat. Audi legiſlatorem de voluntatis arbitrio diſputantem, cùm dicit: *Poſui an-* Deu.30. *te faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum, elige vitam vt viuas.* Et iterum: *Viam veritatis elegi, iudicia tua non ſum* Pſal.118. *oblitus.* Vides quod neminem hic premit fati, vel impoſitæ perditionis neceſſitas, vbi competit eligendi poteſtas? Neque enim in vnam partem trahit prædeſtinatio, vbi vtriuſque partis defertur electio. Item: *Fiat manus tua vt* Pſal.118. *ſaluum me faciat, quia mandata tua elegi,* hoc eſt dicere: Solicitabat me quidem in ſiniſtram partem pernicioſa mundi voluptas, ſed in dexteram mandatorum tuorum traxit vtilitas. Itaque cum gentes ipſæ ad mali bonive iudicium inſito ſibi dirigantur arbitrio, quanto magis moderari ad bonam partem voluntatis ſuæ libertate poteſt humilis G Chriſtianus, qui poſſibilitatem ſuam in Dei adiutoris virtute conſtituit. Ad quem dicitur: *Si vis perfectus eſſe, vade,* Matth.19. *vende quæ habes.* Et iterum: *Vis ſanus fieri?* conſcius quantum Ioan.5. cordi humano potens factor indiderit, voluntatem ipſius quem eſt ſanaturus interrogat. Nam & alio loco populum ambulantem conceſſa arbitrij libertate ſic arguit: *E-* *duc foras populum cæcum, & oculos habentem, ſurdum, & aures* Eſai.43. *ei ſunt.* Hic quod ſurdus & cæcus eſt, contumaciæ eſſe intelligitur, non naturæ. Et in Euangelio apertè oſtendit inditum eſſe homini bonę voluntatis affectum. *Si quis*, in- Luc.9. quit, *vult poſt me venire, abneget ſe ipſum ſibi, & tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Hoc eſt dicere: Meæ miſerationis eſt vt voceris, ſed tuæ voluntatis commiſſum eſt vt ſequaris. Videamus ſi per otium ad ſe inuitet hominem Deus. *Abneget*, inquit *ſeipſum ſibi*, id eſt, qui malus eſt, bonus eſſe contendat, & ſupplicans dicat: & ex voluntate mea confitebor illi. Iubetur vnuſquiſque ex voluntate conuerti, ne peccator fortaſſe deſperet in melius ſe poſſe mutari. *Si quis*, inquit, *vult poſt me venire, abneget ſeipſum ſibi*, id eſt, alter efficiatur ex altero. Patientia vincat iracundiam, temperantia refrenet concupiſcentiam, humilitas exturbet H ſuperbiam, crux conterat voluptatem. Quis hæc ſinè labore cordis, ſine afflictione carnis, ſine magno hominis vtriuſque luctamine dormienti ſibi per ſolam gratiam æſtimet conferenda? *Abneget ſeipſum ſibi*, hoc eſt dicere: O homo non putes te ita ab auctore tuo conditum, vt de iniquo iuſtus, de luxurioſo caſtus, de maleuolo benignus eſſe non poſſis. Quod vt conſequi valeas non factura in te eſt mutanda, ſed vita. Nunc iſta dicentes, non laborem gratiæ coæquamus, ſed omnino gratiam ſine comparatione præponimus.

A

Quomodo intelligendum ſit: non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Vel illud: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores in pœnitentiam.

CAPVT X.

SEd dicis: In tantum nihil eſt hominis, ſed tantum gratiæ Dei, vt Apoſtolus dicat: *Non volentis, neque currentis,* Rom. 9. ſicut ſibi arrogat Iudæus ex lege, vel Pelagius ex liberi arbitrij præſumptione, ſed licet cum hominis ſeruitute, totum tamen *miſerentis eſt Dei, non volentis neque currentis.* Hic illum euidenter notat & arguit, qui ſolum ſe ſibi ſufficere, ſine manu adiuuantis exiſtimat. Cæterùm ad eum, qui cum miſerantis auxilio conatus ſuos iungit, non dicit, *non volentis neque currentis,* ſed multo aliter ad eum loquitur. *Sic,* inquit, *currite, vt comprehendatis.* Et iterum.

B *Tam bene currebatis, quis vos impediuit veritati non obedire?* Si non eſt etiam voluntas expectanda currentis, quare dicitur: *Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum,* & iterum: *Curſum conſummaui, fidem ſeruaui?* *Non volentis neque currentis.* Ipſe ſibi obtexit rerum tenebras, qui in ſcripturis ſanctis vel perſonas neſcit interrogare, vel cauſas. Hoc loco Apoſtolus gentium aſſerens fidem, Iudæorum ſuperbiam coërcet & comprimit, qui ſibi iuſtitiam de legis operibus adrogabant, ac Dei miſericordiam & gratiam

Rom. 10. reſpuebant, qui *ſuam*, vt dicit Apoſtolus, *quærentes ſtatuere iuſtitiam, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* Quos & alio loco ſimulata iuſtificatione, & obliqua per ironiam voce

Matth. 9. condemnat dicens: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Iuſtos, id eſt, qui ſibi de præſumptione iuſtitiæ blandiuntur. Sicut & alio loco iuſtificantem reſpuit Phariſæum, & accuſantem ſe ſuſcepit publicanum. *Non veni,* inquit, *vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* i. non veni vocare Iudæus ex lege ſibi iuſtitiæ priuilegia vindicãtes, ſed potius gẽtes requiro ex fide peccatorum pœni-

C tentiam profitentes. Nam ob ipſorum elationem & alio loco ita dicit: *Non eſt opus ſanis medico, ſed qui male habent.* Iudæi autem iuſtos & ſanos ſe iactabant eſſe, ſed non erant. Quis autem ſanum ſe ſano corde dicere auderet, quando vniuerſitas generis humani vno ſerpentis morſu percuſſa languebat? Vna eſt ergo ſpes ſanitatis infirmo, ſi ſe coram medico agnoſcat infirmum. Dignum vero eſt vt remedio careat, qui ægritudinem ſuam ſcire diſſimu-

Luc. 15. lat. Et propterea *magis gaudij erit Angelis in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.* Quis nunc hoc loco verè iuſtos eſſe credat, hos, qui non indigent pœnitentia? ſed nemo magis eget ſalute, quàm qui ſe non intelligit indigere. Et ideo magis verus ille paſtor exultat ſuper vna oue quæ ab errore reuocata eſt, quàm ſuper nonaginta nouem ouibus, quæ non errauerunt. Et quis eo mortiferi erroris malo eſſe poſſit immunis cum Propheta teſtetur:

Eſai. 53. *Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit.* Quam dolenda cæcitas Iudæorum viam negato ſaluatore perdiderat, & errorem ſuum ſcire nolebat. Hic ergo ſermo diuinus ſub appellatione iuſtorum, ſine

D præiudicio ſenſus alterius magis Iudæorum notat atque increpat arrogantiam. Nam cum denarius & centeſimus numerus iuſtos perfectoſque deſignet, nonus & nonageſimus iniuſtus & peccatores ipſa imperfecti numeri ratione deſignat. Itaque hoc loco Iudæi elationem, qui ſe ex lege iuſtificans, redemptoris miſericordiam repudiauerat, Apoſtoli doctrina caſtigat dicendo *Non volentis.* Quia in humili Chriſtiano ipſa obedientia & ſubiectio curſus eſt & aſcenſus, in Iudæi elatione lapſus eſt & decurſus. *Non,* inquit, *volentis neque currentis.* Quomodo vox iſta pertinere poteſt ad fidelem & CHRISTI legibus ſubditum, ad quem dicitur: *Et in lege Domini fuit voluntas eius:* & quod præfati ſumus: *ſi quis vult poſt me venire,* &, *voluntarie ſacrificabo tibi Domine,* &, *qui voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet illam, & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet illam?* Vide quam magnum opus & quam arduum perdendæ & inueniendæ animæ etiam in hominis voluntate conſtituit. Et propterea ita

E concluſit: *Filius enim hominis venturus eſt in gloria patris ſui, & tunc reddet vnicuique ſecundum opera ſua.* Aduerte quia dum dicit, opera ſua, ſalutem hominis non in prædeſtinatione factoris, ſed in operatione famulantis largitor gratiæ collocauit. Ergo hic non conditio hominis, ſed conuerſatio deſignatur, & ideo alio loco dicit: *Omnes* Rom. 14.

ſtabimus ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum. Agnoſce hoc loco non aliena generis vel originis mala, ſed propria corporis geſta nouiſſimo diſcutienda iudicio. Quapropter ex homine qui in Chriſto renatus eſt, non quod natus eſt, ſed quod operatus eſt. Si ergo actus hominis non eſt etiam voluntatis, quomodo dicit, *ſi volueritis & me audieritis, bona terræ comedetis?* Esa. 1.

Itaque conditor vtriuſque, id eſt, exterioris & interioris hominis Deus, ſicut potentia ſua corporis humani membra diſpoſuit, ita ordinatione ſua miniſterium vtriuſque membrorum, homini agere

F ac diſpenſare permiſit. Et ſicut dextram in omni homine ipſe formauit, ſed & in poteſtate hominis poſuit, vt eam quo vellet extenderet, & ad diuerſa conferret, pari modo ſenſum rationis, & arbitrium voluntatis in vnamquamque animam inſeruit, inſpirauit, infudit, ſed eam in manu humani conſilij moderandam & exercendam reliquit, eiuſque officia iuri hominis dominioque commiſit, vt ſi malum deprauatus appeteret, in arbitrij libertate permiſſum ſibi ſciret, licere neſciret. Si autem bonum cuperet, actionem & perfectionem eius à conditore depoſceret, ad mercedem vero illius officioſa deuotio pertineret. Et ideo hominis formator & rector, bonæ voluntatis homini deputauit vſum, ſibi reſeruauit effectum. Nunquid ergo æquum iuſtumque, vni velle conceſſit, & alteri denegauit. Sed ſicut omni homini manum, oculum, greſſumque donauit, ita ſimiliter omni homini voluntatem, vt eam in quamlibet partem verſaret indulſit. Iuſtitia ergo in homine non perſonale, ſed

G generale & publicum Dei munus, eſt aditus capeſſendæ ſalutis. Quaſi fons quidam in medium mundi huius expoſitus, & in commune conceſſus, ad hauriendum vniuerſis patet, vt largitori merito reus ſit, qui haurire neglexerit. Omnibus itaque oblatum eſt, quod ab omnibus repoſcendum eſt. Nam ſi circa hominis (vt dicunt) ſalutem ſpecialis eſt diſpenſatio, neſcio quomodo generalis poterit eſſe diſcuſſio. Sed cum dicat: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Dei.* Nunquam ab omnibus terribiliter exigeret, niſi omnibus miſericorditer obtuliſſet. Igitur in procinctu militiæ conſtitutum ita Apoſtolus adhortatur: *Labora quaſi bonus miles Chriſti. Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus, vt ei placeat cui ſe probauit. Nam & qui in agone contendit, non coronatur, niſi legitime certauerit.* Et iterum: *Laborantem agricolam oportet* 1. Cor. 9.

primum de fructibus accipere. Audi & alio loco Apoſtulum 2. Tim. 2.

non tua otia prædicantem. *De cætero,* inquit, *fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos* Eph. 6.

armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quia non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. Propterea

H *accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, induti lorica iuſtitiæ, & calciati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere.* Cum dicat, *vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli,* & iterum, *vt poſſitis reſiſtere in die malo,* & in conſequenti, *ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere,* apertiſſimè oſtendit à Deo poſſibilitatem arbitrij omni homini fuiſſe conceſſam, qua ei promptum eſſet non ſolum carni ſuæ reſiſtere, ſed etiam diabolo repugnare. De quo & alio loco dicit. *Vigilate,* inquit, *quia aduerſarius veſter diabolus tan-* 1. Pet. 5.

quam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret. Si huic aduerſario iam certos quoſque impoſitos, quomodo aſſeris, originis neceſſitas deputaſſet, non quæreret quos deciperet, nec deputatis vigilare prodeſſet. Sed non ita eſt. Nam ſicut hoſtis omnibus admouetur, ita omnibus præ-

ſidij

A

ſidij & adiutorij dextera non negatur, & orantibus ac vigilantibus miſericordiæ benignitate ſuccurritur. Quæ vtique pulſantibus, magis ex deuotione, quàm ex prædeſtinatione defertur. Itaque inter iſta, qui dicit ſolam gratiam ſine exercitio operis & laboris poſſe ſufficere, nónne tibi videtur in hanc blaſphemiæ vocem alienata mente prorumpere? Nemo vigilet, nemo ieiunet, nemo luxuriæ impugnationem abſtinentiæ conſtitione caſtiget, nemo bellum vitijs mortificatione exterris indicat, nemo interioris curæ plagas ſalutifera afflictione contendat, nemo libidini contradicat, nemo criminibus remedia per laborem maceratæ carnis inquirat, nemo hoſtem illecebris obſcœnæ voluptatis armatum crucis viribus repercutiat, ſed contra ignea inimici iacula nudum pectus exponat, nemo debita æternæ morti obnoxia, eleemoſynarum ſacrificijs redimat, nemo per opera miſericordiæ atque iuſtitiæ curam vulneribus ferat, ſed integra ea ad diem iudicij perferat. Ecce hic qui paulò ante adſertor

B

gratiæ putabatur, intercludendo viam ſalutis humanæ, impugnator gratiæ, per quam ſalus ipſa conlata eſt inuenitur, & in diaboli tranſiſſe conſilia adiutor perditionis oſtenditur.

Contra hoc quod dicunt ad malum tantum liberum arbitrium promptum eſſe homini, ad bonum prorſus non eſſe.

CAPVT XI.

Eſai. 51.
Rom. 6.

VBi eſt illud Prophetæ: *Audite me qui ſequimini quod iuſtum eſt, & quæritis Dominum.* Vel illud Apoſtoli: *Neſcitis quoniam cui exhibuiſtis vos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui obediſtis, ſiue peccati ad mortem, ſiue obeditionis ad iuſtitiam.* Dum ergo Apoſtolus ab homine ſtudia meliora depoſcit, ineſſe ei facultatem bonæ voluntatis oſtendit, quam cum præferimus apertè ordinationem atque mirabilem diſpoſitionem ſui prædicamus auctoris, quam ad iuſta officia præparatam idem Apoſtolus demonſtrat dicens:

Rom. 6.
C

Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentijs eius. ſed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma iuſtitiæ Deo. Item:

Rom. 6.

Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ. Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Nónne hic ipſum eundemque hominem ad bonorum operum ſtudia prouocat, quem prius malis deditum fuiſſe manifeſtat? igitur dum liberi interemptor arbitrij in alterutram partem omnia ex prædeſtinatione ſtatuta & definita eſſe pronuntiat, etiam ſuprema remedia pœnitentiæ ſenſu abruptæ impietatis euacuat. Et quomodo prædicat gratiam qui miſericordiam negat? Quomodo videtur aſſerere Dei donum, cuius tollit auxilium? Quomodo audet de ſcripturis præſumere teſtimonia, qui ſcripturarum conatur excludere beneficia? Quomodo mihi dicitur, *declina à malo & fac bonum*, ſi

Pſal. 36.

iam malum declinare non poſſum? Cur Apoſtolus loquitur.

Coloſ. 3.
Eph. 5.
D

Mortificate, inquit, *membra veſtra*, & iterum: *Eratis*, inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate.* Quomodo mihi mutationem mei, legis prædicator inſinuat, ſi inimitabilem legem factor impoſuit: *Expoliantes*, inquit, *vos veterem hominem cum actibus eius, induentes nouum.* Quo modo concretam peccati labem inſeparabiliter ad originem & conditioné pertinere contendis, quam deponi & exui poſſe cognoſcis, intellige contrario te ſpiritu aduerſus ſanctum ſpiritum loqui, qui legis & Prophetarum ſacramenta, qui Euangelicę veritatis oracula mundo in adiutorium dedit, & præcepta diuina per laborioſæ ſeruitutis officia, gratia cooperante ſeruantibus, regnum cœleſte promiſit. Quapropter honorem ſancti operis ac laboris de præmij magnitudine ac dignitate metire, cuius palmam tu pariter & coronam vilem abſq; dubio iudicas, ſi eam ſine laborioſa contritione adprehendi poſſe confirmas. Nunquid poteſt ſine magna operis intentione mandatum illud diuinæ præceptionis impleri? *Noli*, inquit, *vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Rom. 12.

E

Vel illud: *Nolite ſeduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala*, 1. Cor. 15.

& quomodo inter hæc aſſeris acceptum gratiæ donum nullo modo periclitari, cum legas, inſitum moribus bonum à malo poſſe corrumpi? Num qui docuerit vt obtineatur quod Apoſtolus dicit: *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur. aporiamur, ſed non deſtituimur, perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur, deijcimur, ſed non perimus.* 2. Cor. 4.

Et quod alio loco dicit: *Mihi autem mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Gal. 6.

Si hæc atque huiuſmodi, quibus ſcripturæ ſanctæ plenæ ſunt, per otium comparantur, cur non ab omnibus obtinentur? Multum & remuneratis gloriæ, & remuneratoris iuſtitiæ derogabitur, ſi ſummi & inluſtres viri per quietem & deſidiam coronantur. Et vbi eſt illud Propheticum? *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.* Pſal. 16.

Si procuratio inquirendæ ſalutis otioſum negotium eſt, communis, & generalis, & lata eſt virtutis via, ergo mentiuntur Euangelia, quæ dicunt: *Quam anguſta porta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam.*

F

Si opera ceſſabunt, honorem meriti non habebunt. Si nihil fuerit in labore arduum, nihil erit in virtute pretioſum. Sed hæc ardua via offendit ignauos, & labor deterret otioſos. Non ergo violentia præſcientis, ſed inobedientia peccantis in cauſa eſt, ſicut legimus: *Perierunt propter iniquitates ſuas velut ſomnium exurgentis.* Pſal. 72.

Et iterum: *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Pſal. 6.

Et alio loco: *Non cuſtodierunt teſtamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare.* Pſal. 77.

Non ergo impoſſibilitas ab opere iuſtitiæ hominem reuocat, ſed iniquitas & voluntas. Cùm autem Apoſtolus dicat: *Peccantem coram omnibus argue*, nulla ratio eſt qua vel 1. Tim. 5.

arguendus ſit vel condemnandus qui delinquit inuitus. Sed non ita eſt. Nam cum per Prophetam ſuum Dominus dicat: *Vnumquemque ſecundum vias ſuas iudicabo domus Iſrael*, quicunq; ſuccubuit paſſioni, non præſcientia vrgente ſuperatus eſt, ſed peccato blandiente ſeductus eſt. Adhuc negantes conatum laboris humani, teſtimonium iſtud opponunt: *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam.* Pſal. 126.

G

Qui hoc imperite obijciũt, & totum homini denegandum credunt, primum ſecũdum ſonum literæ, intellectum ſuum expedire non poſſunt. Nunquid enim Dominus per ſe tantum velut ſolitaria procuratione ſalutem humani generis adminiſtrat? Non vtique. Sed cum corpus per membra diſpoſitum capitis exequatur imperium, ædificat domum ſuam per Eccleſiæ præſules atque paſtores, per eos qui dicunt: *Dei enim adiutores ſumus.* 1. Cor. 3.

Qui enim curam ſuſcipit ſaluandi hominis, adiutor eſt redemptoris. Ædificat ergo domum hanc Dominus per ſanctos ſuos, & ſancti per Dominũ ſuum. Ædificatur Eccleſia per eum qui dixit: *Vt ſapiens architectus fundamentum poſui.* Ibid.

Nunquid aliter ędificat & cognoſcit Eccleſiam, quam per labores & officia ſacerdotum, per miniſteria & exempla ſanctorum, per Apoſtolorum virtutes, & martyrum mortes? Sed inter hæc cum vſq; ad omnium malorum tolerantiam vitæque iacturam laborare debeat famulus, ad Dominum tamen ſemper eſt referendus laboris effectus. Qui vero vel initium operis ſibi præſumit arrogare, vel finem, ad illum merito dicitur: *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam.*

H

Cæterum ſicut ab homine indefeſſæ ſeruitutis expectanda deuotio eſt, ita operis conſummati Domino eſt deputanda perfectio, cuius dona ille ſolus non habuit, qui ſeruare neglexit. Nam & ille ſeruus ſe accepiſſe cognouit, qui commiſſum ſibi Matt. 25.

talentum negotio ſalutis duplicare contempſit, ſed terræ potius otio languente mandauit. Sed & Saul gratiam Dei 1 Reg. 9.

à Samuele vnctus accepit, & munificẽtiam ſpecialem, regalemque potentiam, ſub conditione hac, ne à præceptis Dei declinaret, obtinuit. Et qui lucos & fana cum phytonibus ſuis magiſtro ſacerdote ſubuerterat, defuncto eodem, cum magiſtro fidem perdidit, & ad phytoniſſæ poſtmodum reſponſa fallentia conuolauit, qui ſe ad Deum pertinere potuiſſe idolorum ſubuerſione monſtrauerat.

Cau-

A

Contra eum ſenſum qui dicit, quod vas in contumeliam non poſsit adſurgere, vt ſit vas in honorem.

CAPVT XII.

AIunt vas contumeliæ in vas honoris tranſire non poſſe, eò quod dixerit Apoſtolus: *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere, aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Hoc loco præcedentes cauſas, quibus vel in honorem, vel in contumeliam homo tranſeat, concluſa locutione ſuppreſsit. Nam cum homo per gratiam eſſe cœperit vas honoris, inuigilandum eſt, vt acceptus honor diuina cooperatione ſeruetur, ne adquiſitus homo, poſtmodum in vas contumeliæ culpa exiſtente vertatur. Quod autem dicunt ab ineunte ætate præfinitū, in melius non poſſe mutari deteriorem hominis ſtatum, hoc illic futurum creditur poſt vitæ huius exceſſum, vbi
B
iam nec emendatio, nec mutatio erit apud inferos. Cæterùm vſque in finem, & ad iuſtitiam tranſire peſſimi, & periculum poſſunt timere perfecti. Sicut legimus in regum:
1.Reg. 2. *Qui glorificant me glorificabo eos: qui autem contemnunt me, erūt ignobiles.* Quare iſte honoratur, & ille deſpicitur? Propter hoc vtique, quia & ille Deum glorificare potuit qui intulit contumeliam: & iſte contemnere qui detulit gloriam. Quia placere Domino Deo ſuo & potuit nolle qui voluit, & potuit velle qui noluit. Nec putes hic naturæ eſſe diſtantiam, ipſe eſt qui vult, ipſe eſt qui non vult. Quiſque ergo renatus in Chriſto, niſi prius fuerit vas malitiæ per culpam propriam, vas offenſæ & iræ eſſe non poterit. Et econtrario, vt fiat miſericordiæ, prius futurus eſt vas obedientiæ, vt præcedentibus cauſis iuſti iudicis ſententia ſubſequatur. Oſtendamus vas contumeliæ in vas honoris adiutorio Dei, & ſtudio ſuo poſſe tranſire. *Si, inquit, dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritq; iudicium & iuſtitiam, vita viuet & non morietur.* Quid eſt impius, niſi vas contumeliæ? Ecce per remedium pœnitentiæ ſubitò honoratur candore gratiæ, & induitur decore iuſtitiæ, vt peccatorum fece deterſa, confidenter poſſit
C
dicere cum Propheta. *Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor, lauabis me & ſuper niuem dealbabor.* Audi Apoſtolum quomodo dealbari poſſe pronuntiat maculas conſcientiæ, vt de vaſe iniquitatis, vas ſanctificationis appareat. *In domo,* inquit, *magna non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea,*
Rom 9. *ſed & lignea & fictilia.* Quid enim *alia ſunt vaſa in honorem, alia vero in contumeliam?* Attolle cor liberum ab immutabili neceſſitate humana conditio, & agnoſce circa ſalutem hominis Domini tui ineffabilem bonitatem. Cùm dixiſſet, *alia quidem in honorem, alia vero in contumeliam,* manum ſpei fidelibus aperuit ac dilatauit ita dicens:
2.Tim.2. *Quod ſi quis ſe ex his expurgauerit, erit vas in honorem ſanctificatum.* Vis ergo cordis vtriuſque rei capax eſt, & quod in ſe ante permiſit infundi, facile poteſt prioris propoſiti mutatione vacuari, vt ipſum atque idem vas in ſe & apud ſe effuſa iniquitate permaneat. Itaque vas ad ſubſtantiam hominis, quod vero in vaſe conditur, ad genus ac diuerſitatem pertinet voluntatis. Et alio loco oſtendit Dominus perditum reſtitui poſſe, cùm dicit: *Non ſum miſſus,*
D
niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael. Et iterum: *Epulari & gaudere oportet, quia hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit, perierat & inuentus eſt.* Non ergo in natura eius fuerat facta perditio, ſed qui recedendo contemptu mortuus fuerat, reuixit deſiderio reuertendi. Nam ſicut ſui criminis eſt quod longè pii parentis refugit oculos, ita ſuæ eſt deuotionis, quod per inſitum ſibi bonum deliberans & adſurgens, ad paternos recurrit amplexus. Sed gratia quæ pulſauerat peregrinantem, ipſa ſuſcepit reuertentem. Recedat hinc originalis definitio vel fatalis. Ecce mortuus
Luc. 15. viuificatur, & perditus inuenitur: Sicut & mulier Euangelica quæ amiſſam in domo drachmam, id eſt, rem vel cuiuſcunque muneris vel ſalutis, lucerna inquirit accenſa, & ad gratiæ oleum apponit ſtudium ſuum, & cum Dei adiutorio iungit ſe requirentis intentio Acſi quod intus perdiderat, intus inuenit. Si quando ergo homo ex bono
E
malus, vel ex malo bonus effici arbitrio mentis adnititur, voluntas quæ libera eſt, à Deo data corrigitur, nō vis prædeſtinationis operatur. Et quotieſcunque in ſacris paginis legeris: *In quacunque die conuerſus ingemueris, tunc ſaluus* Ezech.33.
eris. Et iterum: *Nolo mortem impii, ſed vt reuertatur impius à via ſua & viuat. Conuertimini à viis veſtris peſſimis.* Et iterum: *Impietas impii non nocebit eum, in quacunque die conuerſus fuerit ab iniuſtitia ſua.* Et illud. *Auferte vetus fermentum, vt ſitis no-* 1.Cor 5.
ua conſperſio. Et quoties homo ad meliora, deterioribus repudiatis, gratia iuuante conuertitur, toties de vaſe contumeliæ, vas honoris efficitur. Vt vero de bonis mali efficiantur, hoc facilius in ſe recepit humana fragilitas, vt de vaſe honoris, in vas contumeliæ trāſeat. Sicut legimus in Abacuc: *& eſca eius electa.* De quibus etiam dicitur: *Au-* Tren 4
rum vt palea reputabis. Hieremias quoque: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?* Sicut & Apoſtolus dicit: *Tollam ergo membra Chriſti, & faciam membra meretricis?* Itaque manifeſta ſententia eſt, de Chriſti corpore 1.Cor. 6.
F
poſſe hominem in partem diaboli per culpam propriam commutari. Sicut & alio loco abſolutiſſimè docet de optimo peſſimum fieri, & templum Dei poſſe violari, ita dicendo: *Vos eſtis templum Dei, & ſpiritus Dei habitat in vobis. Si* 2.Cor.6.
quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Ecce iam templum Dei eſſe dinoſcitur, iam à ſancto ſpiritu poſſidetur, & tamen per incuriam violari atque corrumpi, & ab indigno hoſpite occupari poſſe memoratur. Sicut & Propheta increpat animam, Dei gratia ſponte vacuatam:
Ego plantaui te vineam electam, omne ſemen verum, quomodo Hier. 2.
conuerſa es in amaritudinem vitis aliena? Ecce vineam à Deo nobili radice plantatam, ſtudio cultoris electam, proprio oſtendit crimine deprauatam. Et ideo de eius Eſaiæ cantico loquitur: *Expectaui vt faceret vuam, fecit autem ſpinas.* Expectatio increpantis agricolæ, oſtendit hanc vineam dare fructus potuiſſe iuſtitiæ. Et cum ſtantem cadere teſtetur poſſe, cùm dicit: *Et qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Et econtrario, ad iacentem loquitur: *Nunquid* 1.Cor 10.
qui cadit non reſurget? Potens eſt enim Deus ſtatuere illum. Apertè oſtendit ſtatum hominis in diuerſa non pro conſtitutione Dei, ſed pro arbitrii libertate poſſe verſari. Sed &
G
Eſaias euidenter affirmat deprauata corrigi, & dilui poſſe maculata, cùm ad peccatores loquitur dicens: *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.*

Item, velle & nolle, ſicut ad malam, ita etiam ad bonam partem hominis arbitrio patet fuiſſe commiſſum.

CAPVT XIII.

INter hæc ſolicite nobis apud hæreticos requirendum eſt, vtrum homo bonum non poſſit an nolit, inſita homini bonæ ſemina voluntatis. Quod euidenter adſignat ita dicens: *Si volueris, mandata conſeruabunt te, &, noli deficere à diſciplina Domini, noli abſtinere benefacere egenti, &, noli fabricare in amicum tuum mala, &, nolite fieri ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus, &, noli repudiare conſilia matris tua, &, noli intendere fallaci mulieri, &, noluit intelli-*
H
gere vt bene ageret, &, noluerunt accipere diſciplinam. Cui nolle obiicitur, velle in promptu fuiſſe euidenter oſtenditur. Et plura ſimilia ſunt in eloquiis veteris teſtamenti, quæ omnia ipſam ſpecialiter conſtringunt, & conuincunt voluntatem. In libris etiam nouis Euangelicis & Apoſtolicis, quid aliud niſi libertas voluntatis oſtenditur, vbi dicitur: *Nolite theſaurizare theſauros in terra, &, nolite timere qui occidunt corpus: ſobrii eſtote, iuſti, & nolite peccare.* Et ad Timotheum: *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, nec bonum tuum velut ex neceſſitate ſit, ſed ex voluntate.* Et alio loco: *Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri* IESV CHRISTI. *Nolite detrahere in alterutrum, &, nolite errare, Deus non irridetur, quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet.* Et, *nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* Videmus ergo & in bonam, & in contrariam partem, poſſe humanæ mentis tranſire conſenſum. Et ideo

A alio loco dicit: *Bonum* (inquit) *facientes, non deficiamus: tem-*
pore enim ſuo metemus non deficientes. Operemur ergo bonum ad
omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Nolite, inquit, *dilige-*
re mundum, niſi ei bonum ad meliora contuliſſet affe-
ctum, mali ei non interdiceret appetitum, & ideo in ſini-
ſtram crimine ſuo trahitur, qui à Domino ſuo vocatur
ad dextram. Et propterea iterum dicit: *Noli vinci à malo,*
ſed vince in bono malum. Apertè mali neceſſitate non pre-
mitur, cui victoria de boni electione promittitur. Non
enim in deuia lex originis trahit, quem auctor in biuio
conlocauit, ac ſic cui voluntas indita eſt, vt vincere ma-
lum poſſit, ſi fortè aduerſarios vocet, ſi animus ei pug-
nandi deſuit, euentus non defuit obtinendi. Legimus ad
Hebræos: *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam no-*
titiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia. Secun-
B dum hæc ſi libertatem arbitrij non habemus, quomodo
cum voluntate peccamus? qua cauſa ſi reus ſit requiras,
quia poſt acceptam notitiam veritatis, ad ſpiritum decli-
nauit erroris. *Poſt acceptam,* inquit, *notitiam*: Intellige eum
accepiſſe gratiam, & per negligentiam perdidiſſe, & ite-
rum: *Irritam faciens legem Moyſi ſine vlla miſeratione, duobus*
vel tribus teſtibus moritur, quanto magis putatis deteriora mere-
ri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſta-
menti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gra-
tiæ contumeliam fecerit? Cur ſub duobus, aut tribus teſti-
bus accuſatur, & quaſi proprij criminis reus moritur, ſi
iam ineuitabili ad peccandum naturæ lege deprimitur?
Sed ideo abſque dubio meretur pœnam, quia potuit &
noluit cuſtodire iuſtitiam. Qua verò cauſa in tanto bo-
no exutus ſit ſi requiras? quia, inquit, *ſpiritui gratiæ contu-*
meliam fecit. Agnoſce hoc loco, quia gratia non tam ne-
gata homini defuit, ſed hominem prius ab eodem, dere-
licta & cōtempta, deſeruit benignitas dantis. Cum quo-
dam dolore increpat contumeliam reſpuentis, ac ſic
cùm ad deuia voluntarius declinauit, non perijt dereli-
ctus, qui ſe ingerenti miſericordiæ ſubtraxit ingratus. Si-
C milis effectus illis, de quibus Pſalmiſta pronunciat: *Et*
Pſal. 1:6. *benedixit eos, & multiplicati ſunt nimis.* Et in ſequenti, cauſas
amiſſæ benedictionis oſtendit. *Et ſeduxerunt,* inquit, *eos*
vana ipſorum, & ſeduxerunt eos in inuio & non in via. Hic
præuaricator mandati, ideo apparuit reus, quia ad ma-
lum magis ſeductus eſt quàm coactus. Similiter & ad
Galatas tranſgreſſionis noxam ad hominis retorquet of-
Gal. 4. fenſam, ita dicens: *Sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui*
natura non ſunt dij ſeruiebatis. Secundùm hanc naturam
Deus eſt Chriſtus, cui ſeruire præcipimur. Sequitur:
Nunc autem cùm cognoueritis Deum, immò cogniti ſitis à Deo,
quomodo conuertimini ad infirma & egena elementa, quibus de-
nuo ſeruire vultis? Non dixit, boni eſſe non poteſtis, ſed
mali eſſe vultis, niſi in bono potuiſſent ſtare correcti,
non arguerentur ad deteriora prolapſi. Ad quos iterum
dicit: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Chri-*
ſtus in vobis. Ecce iſtos qui de fide geniti facti fuerant ab-
ortiui, aſſerit adhuc poſſe ad Chriſti imaginem reforma-
ri, & dum perditos adhuc filios vocat, præuaricationem
ſine deſperatione condemnat, docens & reparari per-
dita, & auferri poſſe conlata. Nam cùm alio loco hæreti-
cus Apoſtoli ſententiam prædeſtinationem Dei vel præ-
finitionem interpretetur eſſe, cùm legitur: *Miſerebor cui*
Rom. 9. D *voluero, & miſericordiam præſtabo cuius miſerebor*, interro-
gandus eſt, vtrum quod vult Deus, ordinatum an inor-
dinatum, iuſtum, an iniuſtum ſit? Cùm id, quod neceſſe
eſt, iuſtum eſſe reſponderit, dicendum eſt: Puto hic ver-
ba eſſe iuſtitiæ, quia voluntas diuina, iuſtitia eſt. Et ita
hæc elocutio intelligenda eſt, *miſerebor cui voluero*, id eſt,
quem iuſtum eſſe cognouero, cuius promptam fidem vi-
dero, quem præceptis meis obedire perſpexero, quem
meam facere probauero voluntatem. *Et miſericordiam,*
inquit, *præſtabo cuius miſerebor*: quod ita intelligendum
eſt, Qui conlatam à Deo miſericordiam ſubdita & ſoli-
cita mente ſeruauerit, ampliorem miſericordiam conſe-
quetur, ſicut alio loco dicit: *Qui enim habet, dabitur illi, &*
ſuperabundabit, id eſt, quia acceptum Dei donum cum vi-
gilantia & cordis timore cuſtodit, magis ac magis gra-
tiæ ipſius capiet augmentum, vt ei profectus ipſe pariat
incrementa profectuum: ſicut alio loco dicit: *Et ſanctus* E
adhuc ſanctificetur. Quod autem & illud ad præfinitio-
nem Dei putant eſſe referendum, quod Apoſtolus di-
cit: *Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat: Dicis ita-*
que mihi, quid adhuc queritur? Voluntati enim eius quis reſiſtit?
Manifeſtè hic ſub interrogantis vel obijcientis perſona
contrarium ſenſum Apoſtolus intromittit, quem ex ad-
uerſo propoſitum ſequenti increpatione caſtigat, dicens:
O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? An non habet poteſtatem fi-
gulus luti, ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud ve-
rò in contumeliam? Hic infidelis curioſitatem, argumen-
tis authoritate compeſcit, & cùm dicit: *An non habet pote-*
ſtatem? Hic calumnianti ſolam Dei obijcit poteſtatem,
conuincens eum ratione, qui vniuerſos humanos actus
diuinæ ordinationi indoctè & infideliter adſcribebat. *An*
non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud vas F
in honorem, aliud verò in contumeliam? Inter hæc dum di-
cit, *ex eadem maſſa*, quicunque duas humani generis maſ-
ſas eſſe arbitrabaris, vnam ſacra ex lectione cogno-
ſce. Duas autem facit prauitas ſtudiorum, & diuerſitas
voluntatum. Ita pro earum qualitatibus, non pro im-
pulſu Dei, vnuſquiſque aut contumeliæ vas, aut hono-
ris efficitur.

Vbi ſibi gratia Dei & voluntas humana, teſtimoniorum aſſertione ſociantur, & de paruulis inanis calumnia tranſeundo perſtringitur.

CAPVT XIV.

SI bene intendas animum, apertè copioſeque cogno-
ſcis, quomodo per ſanctarum paginas ſcripturarum,
nunc aſſeratur gratiæ virtus, nunc humanæ voluntatis
adſenſus. Fragilitatem arbitrij demonſtramus, cùm ad G
Deum dicimus: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium* Pſal. 140.
circumſtantiæ labijs meis. Item iubet ſermo diuinus, vt ali-
quid vigor poſſit arbitrij, dum ad hominem dicit: *Cohibe* Pſal. 33.
linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Arbi-
trium commendat ſapientiæ ſermo, cùm dicit: *Omni cu-* Prou. 4.
ſtodia ſerua cor tuum. Sed Apoſtolus ſine diuino adiuto-
tio hoc fieri non poſſe manifeſtat, cùm dicit: *Dominus cu-* Philip. 4.
ſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu. Aſ-
ſerit in Propheta voluntatis propriæ facultatem, de ſe-
metipſo dicens: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificatio-* Pſal. 118.
nes tuas. Sed nihil de ſolis eius viribus intelligit præſu-
mendum, cùm proclamat ad Deum. *Inclina,* inquit, *cor*
meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam. Propter libe-
rum arbitrium indicitur nobis, *rectos curſus fac pedibus tuis,*
& vias tuas dirige. Sed nos ad gratiam confugientes, pro
infirmitatis conſcientia ſupplicamus. *Dirige in conſpectu* Pſal. 5.
tuo viam meam, & perfice greſſus meos in ſemitis tuis. Imperat
nobis, qui propriæ voluntatis generali diſpenſatione
ius tribuit: inluminate vobis lumen ſcientiæ. Pro eo ve-
rò quod totum ad authorem gratiæ referendum eſt le-
gimus: *qui docet hominem ſcientiam,* vel, *Dominus illuminat cæ-* Pſal. 93.
cos, & iterum: *Illumina oculos meos ne vnquam dormiam in* Pſal. 45.
morte, &, *beatus homo quem tu erudieris Domine, & de lege tua* Pſal. 12.
docueris eum. Apoſtolus arbitrij prædicator, libertatem H
eius ita incitat dicens: *Cuſtodite animas veſtras.* Sed miſe-
ricordiam Dei proteſtatur, ita commemorans: *Dominus* Pſal. 90.
cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum. Per hæc itaque
quibus modo arbitrij libertas aſſeritur, modo cœleſtis
largitas demonſtratur, nunc homo de conceſſis viribus
admonetur, ne de ſola gratia ſperet otioſus: nunc de gra-
tia ſperare præcipitur, ne de ſolo labore ſit ſecurus.
Sed dicis: Si prædeſtinatio non eſt, cur in paruu-
lis alij baptizantur, alij ſine baptiſmi ſanctificatione ra-
piuntur? Serpentinæ fraudis eſt, ad tenebroſas cauer-
nas relicta luce trāsfugere. Cùm per omnia volumina ſa-
cræ literæ euidēter liberum loquantur arbitriū. Quid ra-
tionis eſt vt interrogare velis occulta, cùm ſolitudini tuæ
pleniſſimè videas reſpondere manifeſta? Quid vtilitatis

A eſt certa omittere, & incerta conſulere, de quibus nihil inuenis Catholica lectione conſcriptum? Non intelligis quod in veritatis iniuriam perſcrutaris, quicquid veritas ſcire te noluit? Materiam de liberi arbitrij ratione proponis, & ad diſcutiendum infantiæ ſtatum pernicioſo errore dilaberis? in quo nullum penitus veſtigium liberi arbitrij, nullum apparere poteſt propriæ voluntatis indicium.

Contra hoc quod dicunt, eos qui poſt baptiſmum pereunt, in baptiſmum penitus non credidiſſe.

CAPVT XV.

B HOc loco reſpondendum eſt, in quo authore hoc legis, de quo doctore hoc aſſerere præſumis? & cùm in baptiſmo aboleri peccatum originale non deneges, & firmum eſſe baptiſma comprobetur, vbi induuia Trinitas inuocatur, da cauſas quibus baptizatus adhuc intra debitum originale conſiſtat. Et ipſi, inquis, in Adam pereunt, quia in baptiſmum non crediderunt. Nonne tu paulò ante dicebas, ad capeſſenda Dei dona ſtudium hominis non requiri? Ecce tu ipſe manifeſtiſſime profiteris ſine accipientis deuotione irritam eſſe munificentiam largientis. Tu, inquam, ipſe confirmas ſine merito fidei, id eſt, ſine cooperatione voluntatis humanæ, gratiam nihil prodeſſe, & quomodo dicis totum Deus ſibi de ſtatu hominis reſeruauit, & nihil homini dedit? Ecce etiam ſecundum ſententiam tuam nec ipſum ſibi regenerationis poteſt conſtare myſterium, niſi homo iuxta benedictionis donum adhibuerit credulitatis affectum. Cui negas conatum quid ab illo requiris adſenſum? Cùm autem Propheta dicat: *Exibunt aquæ viuæ de Hieruſalem*, (Zach. 14.) in quibus vitalis vndæ ſacramenta deſignat, quomodo fieri poteſt, vt innouatus homo deletam veteris hominis cautionem ſecum retineat? C Quomodo fieri poteſt, vt cum debito Adæ in Chriſto abſolutus reſurgat? Quomodo fieri poteſt, vt de ſacri fontis inriguo ſinu adoptiuo Dei adhuc mortem vita parturiat, cum dicat Apoſtolus: (Gal. 3.) *Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis?* quem vtique nullus induere poteſt, niſi indumenta primæ natiuitatis exuerit. Cui autem ad baptiſmum ſponte venienti, baptiſmum non profuiſſe poteris edocere, cùm etiam hæretico in Trinitatis nomine regenerato tantum per ſe virtus ipſa myſterij cõferat, vt ſi poſtmodum ad Chriſti fidem tranſeat, baptiſmatis iteratione non egeat? ſed ita operante gratia ablutus iudicetur, vt tantum benedictione chriſmatis induatur. Hunc verò perſuaſionis tuæ reprobum ſenſum Catholica deteſtatur Eccleſia. Ideò, inquis, genitali quamlibet vnda perfuſi munus baptiſmi non accipiunt, quia ad baptiſmum infideliter veniunt. Non ita eſt. Aduerte quia hoc ipſum ad baptiſmum venire, & ſalutem deſiderare, iam fidei eſt. Quicunque, inquis, poſt baptiſmum pereunt, in Adam pereunt, quia in baptiſmo non crediderunt. Rectius diceres ideò eos periſſe poſt baptiſmum, quia ad gratiæ donum iungere noluerunt laboris officium, quia eos conſuetudinis negligentia, cordiſque deſidia à vigilantia operis, & à ſollicitæ ſeruitutis reuocauit induſtria. D Quod ſi culpa incredulitatis cauſa eſt perditionis, quid de paruulis ſentiemus, quibus in parentum deuotione, & in lactentis infantiæ ſimplicitate integræ fidei peruigilia deputantur, qui abſque vllo infidelitatis periculo immaculata regenerationis munera conſequuntur, & multi eorum proceſſu ætatis in mortis præcipitia demerguntur? Quæ id ratio agit, niſi quia expugnari ſe patiuntur ignauia reſoluente? & cauſam cur fracti viderentur expoſuit. (Rom. 11.) *Propter incredulitatem*, inquit, *fracti ſunt*, non vtique propter præſcientiam. Non ſpecialem eſſe circa credentes Dei munificentiam docet, quando & eos quos incredulitas arguit, credere potuiſſe demonſtrat. Quo genere etiam infideles copiam fidei accepiſſe manifeſtat, & dum de naturalibus fractos dicit, præſumentes ſalutifera

E caſtigatione compreſſit: *Si*, inquit, *naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat*. Et ſubdidit. *Et illi*, inquit, *ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur; potens eſt Deus iterum inſerere illos.* Magnanimitatem itaque hic, & humilitatem cordis alloquitur. Humilitatem, vt & qui incertus eſt frangi timeat: magnanimitatem, vt ſpem remunerationis, & qui fractus eſt, non deponat. Sic ouem perditam paſtor ſedulus inquiſiuit, & inuentam ſubiectis ad ouile humeris reportauit. Quomodo ſequentem relinqueret, qui ſequitur etiam relinquentem?

Contra hoc quod dicunt, Chriſtum non pro omnibus mortuum.

CAPVT XVI.

F DOminum noſtrum Ieſum Chriſtum aiunt humanam carnem non pro omnium ſalute ſumpſiſſe, nec pro omnibus mortuum eſſe. Hoc omnimodis Catholica deteſtatur Eccleſia. Nam ſi ita eſſet, quomodo Apoſtolus diceret: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur?* (1. Cor. 15.) Hic dici non poteſt pro parte totum. Nam ſicut pars prima ſententiæ, *omnes in Adam moriuntur*, euidenter oſtendit, ſine dubio hoc quod ſequitur, *in Chriſto omnes viuificabuntur*. Nihilominus ad omnes in Chriſto viuificandos, non ex parte, ſed generaliter pertinere Apoſtolus indicauit. Ijdem etiam impij per virtutem reſurrectionis Chriſti reſuſcitandi eſſe creduntur, licet etiam non iudicandi, ſed puniendi reſurgant. Cùm autem Apoſtolus dicat: (1. Tim. 4.) *qui eſt ſaluator omnium hominum maxime fidelium*: quod dixit, *omnium hominum*, ad propoſitum diuinæ bonitatis aſpexit. Quod autem dixit, *maxime fidelium*, illos hoc loco pronuntiauit atque diſtrinxit, qui per fidem, per obedientiam, per ſubditam voluntatem redemptoris munera ſuſceperunt. G Pro vniuerſis autem veniſſe Chriſtum, idem Apoſtolus declarat: (2. Cor. 5.) *Charitas, inquit, Chriſti vrget nos iudicantes hoc, quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* Quia ergò reſurrectio generalis, ad virtutem pertinet redemptionis, ſi redemptio non ad omnes pertinet, nec ad omnes reſurrectio pertinebit. Et ideò quia ſicut *omnes reſurgemus*, licet *non omnes immutabimur*, ita Dominum redemptorem cum generalis miſericordiæ beneficio veniſſe teſtamur, & ſi illud infidelitas, quia noluit, non recepit. Nam Deum quolibet tempore qui quæſiuit, inuenit, & qui inueniſſe non viſus eſt, non quæſiuit. Quod ſi, quemadmodum abrupta blaſphemat impietas, alij ad mortem præordinati, alij prædeſtinati videntur ad vitam, nullam Chriſtus veniendi cauſam, nullam moriendi quam pietas eius inuenit, habuit neceſſitatem. Nouum ergo remedium nihil agere potuit, ſi ante ſecula res humanas definitio vetuſta præfixit. Sed quia fatalis perſuaſio, quæ vim præſcientiæ cogentis inducit, omnimodis reſpuenda eſt, ideò magis & legem dedit, & Prophetas medijs temporibus excitauit, quia arbitrium voluntatis humanæ attenuatum nouerat, non ablatum. H Quod ſi ex toto vigor eius periſſet, quomodo legeretur: (Pſal. 1.) *Et in lege Domini fuit voluntas eius.* Et iterum: *Voluntariè ſacrificabo tibi Domine.* Et ad Philemonem: (Philem.) *Vt non ex neceſſitate, ſed voluntarium eſſet bonum tuum.* Et cùm dicat in Euangelio: (Ioan. 6.) *Caro mea eſt quam ego dabo pro mundi vita*, dubitare penitus non debemus, quod pro toto mundo ſe impenderit, qui plus dedit, quam totus mundus valebat. Sicut & beatus Ioannes Euangeliſta teſtatur: (1. Ioan. 2.) *Ipſe eſt enim propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed & pro totius mundi.* Sed dicis quomodo totum mundum redemit? Ecce videmus homines in peccatis ſuis viuere: quomodo putabimus redemptos, quos videmus permanere captiuos? hoc loco intellectum de propoſita ſimilitudine colligamus. Verbi gratia. Si legatus aliquis vel ſacerdos interceſſurus pro ciuitate captiua largius pretium

A tium deſerat, & vniuerſum captiuitatis populum de manu eius recipiat, qui belli iura retinebat, & omnis omninò relaxetur lex, ac neceſſitas ſeruitutis, & inter hæc ſi forte illic aliquos de captiuis vel oblectatio conſuetudinis, vel male blandus prædo ſolicitet, gratuitum beneficium vnuſquiſq; voluntatis ſuæ ſeruus recuſet, nunquid minorauit gratiam pretij contemptus ingrati? Nunquid aliquam beneuolentiæ redemptoris intulit diminutionem, qui reſpuit libertatem? Non ita eſt. Quinimmo ſicut redemptoris gratus poteſt eſſe, qui redijt, ita de contemptu reus eſt qui remanſit. Volentes enim redemit voluntatum remunerator. Iuſtus enim arbiter Deus voluntarium cupit redire, quem non inuitum meminit corruiſſe. Quæ cùm ita ſint, dic mihi, quem à gratia redemptionis exceperit, qui damnationis antiquæ chirographum generale deleuit. B

Contra hoc quod Euangelicam ſententiam imperito & improbo ſenſu interpretantur.

CAPVT XVII.

Ioan. 6. Nemo, inquit, *venit ad me, niſi Pater qui miſit me, attraxerit eum.* Quis tam immemor ſalutis ſuæ ſit, qui attrahentis miſericordiam negare præſumat. Sed ille verè impius eſt, qui eam non omnibus ingeri, non omnibus teſtatur impendi. Hoc loco attracti ſalutem attrahentis putat eſſe violentiam. Apparet illum non noſſe niſi catenas obnoxiæ ſeruitutis, qui deuotæ neſcit vincula charitatis. Hic autem ſermo diuinus ſpecialiter increpat hominem de proprijs ſibi viribus arrogantem, & de labore ſuo impiè præſumentem. Cùm inter hæc vnus totum labori, alter totum gratiæ iudicet deputandum, impleatur in vtroque Græca ſententia: Nimietates, inquit, & inæqualitates, ſunt ſimilis improbitas: & par eſſe probatur impietas, ſi totum ſoli gratiæ, vel ſi totum ſoli adſcribatur labori. Quid nos oportet inter iſta ſentire, niſi vt
C ſemper gratiæ ſubijciamus laborem, & ſemper gratiam cum labore ſociemus. Sed ante omnia arrogantiam laboris refugiamus, nec nobis quicquam de eius meritis vindicemus, ne Phariſæum imitari mortifera iactantiæ præſumptione videamur. Nam cùm ille orans indubi-
Luc. 18. tanter verum diceret, *Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæcunque poſſideo*, euacuauit veri fidem, quia veritati miſcuit vanitatem. Non ergo operatio, ſed cordis ela-
Ioan. 6. tio declinanda eſt. *Nemo*, inquit, *venit ad me, niſi Pater attraxerit eum.* Nunquid velut inſenſibilis & inepta materies de loco ad locum mouendus eſt & trahendus? Sed adſiſtenti & vocanti Domino famulus manum fidei, qua
Marc. 9. attrahatur extendit, & dicit: *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Et ita ſe duo iſta coniungunt, attrahentis virtus, & obedientis affectus: quomodò ſi æger aliquis adſurgere conetur, & facultas animum non ſequatur, & propterea ſibi porrigi dexteram deprecetur? Clamat voluntas, quia ſola per ſe eleuari neſcit infirmitas. Ita Dominus inuitat volentem, attrahit deſiderantem, erigit adnitentem. Quid eſt autem attrahere, niſi prædicare, niſi ſcripturarum conſolationibus excitare, increpationi-
D bus deterrere, deſideranda proponere, intentare metuenda, iudicium comminari, præmium polliceri. Audi Dominum non duris nexibus, ſed manibus attrahentem, & dilectionis brachijs inuitantem, ſicut ait Prophe-
Oſe. 11. Cant. 1. Matt. 11. ta: *Attraxi eos in vinculis charitatis.* Et illud: *Poſt te in odorem vnguentorum tuorum currimus.* Et ideò dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, ne vllus excuſare ſe poſſit excluſus, qui conuincitur inuitatus. Licet enim non omnes obedientiam exhibituros eſſe præmoſceret, omnibus tamen & velle & poſſe donauerat. Hoc loco ſolicitè requiratur, vtrum quiſque attrahi velit an nolit. Si non vult aſſolitam attrahentis beneuolentiam non meretur. Si autem vult, ecce iam cùm Dei &
Ioan. 6. hominis conſenſus operatur. *Nemo*, inquit, *venit ad me, niſi pater attraxerit eum.* Quomodo attrahentem vides, cur

E diſſimulas videre venientem? & ideò ſicut gratiæ eſt quod attrahitur, ita obedientiæ probatur eſſe quod ſequitur. Hæc attrahentis Dei miſericordia ſi dignis datur, aduertis quia iam & ſtudio humanæ vtcunque ſeruitutis impenditur: ſi verò indignis, conſequens eſt, vt etiam reprobis non negetur, & euidenti miſeratione bonitas Dei indiſcrete, & iuſtis & peccatoribus offeratur. Sed is quem perſpicis attrahentem, requirit omnimodis præcepta ſeruantem, vt per quandam voluntatis anſulam, comprehendi & attrahi valeat qui vocatur. Quod ſi eum putas attrahere nolentes, cœleſti iuſtitiæ iniquitatis pondus imponis. Sed ſi inuenitur attrahere nolentes, quanto magis complectitur deſiderantes, nam etiam qui ſine labore videtur attrahi, laboraturus eſt vt inhæreat attrahenti. Quanti enim venerunt, & receſſerunt? quia attracti in gratia perſeuerare deſideratore vocante noluerunt. F
Sicut in Euangelio ſcriptum eſt: *Multi ex diſcipulis eius audientes, abierunt retrorſum, & iam cum illo non ambulabant.* Ibidem.
Item: *Dixit autem Ieſus ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? reſpondit ei Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei.* In vtriſque libera fuit voluntas, & in illis vt ingrata mente diſcederent: & in iſtis, vt cum libertate fidei permanerent.

Contra hoc quod dicunt, quia Dei violentia induret hominem, ne venire valeat ad ſalutem.

CAPVT XVIII.

Si ipſe, vt blaſphemus vult, obdurat, quomodo ait in Pſalmo: *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra?* & iterum: *Secundum duritiam autem tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ.* Item in Hiere- Pſal. 94. Rom. 2.
mia: *Percuſſiſti eos, & non doluerunt, attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam, indurauerunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reuerti.* Adhuc cauſam obdurationis aduerte, ſecundum ſententiam ſapientiſſimi Salomonis, qui dicit: Ierem. 5. G
Impius cùm venerit in profundum malorum, contemnit, id eſt, de aſſiduitate peccandi, deſperatio naſcitur: obduratio verò ex deſperatione generatur. Dum dicit Hieremias: Prou. 18.
Noluerunt reuerti. Vides quia obduratio cordis, crimen eſt propriæ voluntatis? Inhoneſtus, cupidus & cruentus, & cuiuslibet facinoris ſeruus, ſi peccatis non reluctetur. Videamus vnde obduratio iſta naſcatur. Non vtique violentia compellentis, ſed clementia relaxantis obdurationis occaſio eſt. Dumque ad pœnitentiam ſuſtinet delinquentem infatigabilis bonitas, abutitur beneuolentia remittentis elata ſecuritas. Ideò ait beatus Apoſtolus: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei.* Rom. 2.
Aduertis quod Apoſtolus dicendo, *ſecundum duritiam tuam & cor impœnitens*, non Deo, ſed homini culpam indurationis cordis adſcribit. *Ignoras*, inquit, *quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum duritiam autem tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.* Agnoſce, quia non au- H
ſteritas Dei indurat corda malorum, ſed bonitas. Nam quia tribulationum laboribus ac flagellis pro Dei patientia non affliguntur, ideò ſuperbia deprauantur. Quod ira eſſe euidenter & Propheta commemorat dicens: *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur*, ideo tenuit eos ſuperbia eorum. Ac ſic dum Pſal. 72.
pœna in iudicium reſeruatur, dumque ad emendationem prouocat Domini longanimitas, in ſeruo contemptum nutrit impunitas. *Qui reddit*, inquit, *vnicuique ſecundum opera ſua.* Certè non imponit Deus homini ſe- Rom. 2.
cundùm præſcientiam peccandi neceſſitatem, à quo ſecundùm opera ſua legitur exacturus eſſe rationem. *Peccaui*, inquit Propheta, *& quid accidit mihi triſte?* hoc eſt Eccle. 5.
dicere: Certum eſt Deum neſcire peccata, qui non acce-

A

Pſal. 9. lerat pro vltione ſupplicia. Et iterum: *Dicit enim in corde ſuo: oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam, ne videat vſque in finem.* Dum ergo dicit: *oblitus eſt Deus:* patientiam remittentis, negligentiam iudicat ignorantis, & arbitratur oblitum, quod magnanimus diſpenſator reſeruat in poſterum. Quo genere metuentem admonitio Dei caſtigantis emendat, contemnentem magis lenitas moderantis obdurat, vt putet de Deo impius, quod vſque in finem ignorantia obſcurante non videat, quicquid ad præſens beneuolentia ſuſtinentis punire diſſimulat. Et cùm probetur ab inſultante contemptus, obdurationem putatur operatus. Dum enim iram inter crebreſcentia peccata ſuſpendit, peccatorem inſultare permittit.

B

Contra hoc quod dicunt, homines voluntate Dei impelluntur.

CAPVT XIX.

SI autem, vt dicit hæreticus, per voluntatem Dei trahuntur homines in perditionem, quomodo in le-
2. Reg. 14. ctione regum mulier loquitur ad Dauid? *Nec vult,* inquit, *Deus perire animam, ſed retractat cogitans ne penitus pereat, qui abiectus eſt.* Item & Ezechiel ſub verbis Dei ita diſſerit:
Ezech. 24. *Multo labore ſudatum eſt, & non exijt ab ea nimia rubigo eius, neque per ignem immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis.* Ecce Deus hominem non ſolum ſaluari optat, ſed pro eius purgatione multo labore deſudat. Porrò pro ratione iuſtitiæ per ſe effectum medentis cura non peragit, quia voluntatem eius, qui eſt purgandus, expectat. Item, *defecit ſufflatorium, fruſtra conflauit ſufflator: malitiæ enim veſtræ non ſunt conſumptæ.*
C Dum audis ſufflatorium, vel conflatoris officium, intellige purum metallum adulterina permixtione corruptum, & è naturali ſinceritate vitiatum. Si homo in mortem impulſu ſuo ac voluntate Dei agitur, cur item ſub E-
Ezech. 33. zechiele imputans, & velut dolens loquitur: *quare moriemini domus Iſrael, quoniam nolo mortem impij, dicit Dominus: reuertimini & viuite.* Et quomodo eos in mortem, vt blaſphemas, impellit, quos ad vitam non ſolum nutu
Num. 14. iubentis, ſed affectu ſupplicantis inuitat. Item: *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, ſed vt reuertatur impius à via ſua & viuat.* Reditum ſe in poteſtate habere cognoſcat, qui à Domino prouocatur vt redeat. *Viuo ego dicit Dominus.* Ne de indulgentia reus dubitet, iudex clementiam ſuam etiam quadam ſacramenti interpoſitione confirmat. Sed & per Apoſtoli Petri ſententiam voluntas be-
2. Pet. 3. nigniſſimi inſinuatur auctoris. *Non tardat,* inquit, *Dominus promiſſum ſuum, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed ad pœnitentiam reuerti.* Peccanti ingeritur pœnitentia, vt in conferenda miſericordia locum poſſit habere iuſtitia. *Sed patienter,* inquit, *agit* emendationem hominis, quia impatienter deſiderat, patienter expectat. Item ſecundùm Lucam: *Et vt appropinquauit, videns ciuita-*
D *tem, fleuit ſuper illam dicens: Non relinquent in te lapidem ſuper*
Luc. 19. *lapidem, eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ.* Hic conſtringendi ſunt hæretici. Si Dominus pereuntis ſalutis interclauſerat aditum, ergo falſo iſtorum defleuit exitium. Si autem eorum perditionem vero (vt manifeſtum eſt) mœrore perdoluit, non voluntatem ſuam homini, ſed conſenſum hominis voluntati ſuæ defuiſſe monſtrauit. Quid mirum ſi pro ſalute hominis lachrymas fudit,
Matt. 23. mox ſanguinem profuſurus? Item in Matthæo: *Hieruſalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas? & noluiſti.* Duas res hic agit ſermo diuinus. Nam dum dicit: *Quoties volui, & noluiſti,* in Deo propoſiti bonitas, in homine arbitrij eſt expreſſa libertas. Dicendo autem: *Hieruſalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt,* ſaluare ſe eos voluiſſe pronuntiat, cùm euidenter proferat cauſas, per quas ſalutem eis negare debuerit. Hoc loco duplici genere in ſeruo iniquitas cruentæ mentis oſtenditur. In Domino indulgentia be-

E nigniſſimæ voluntatis aperitur. Si Deus perire vult hominem, quomodo dicit etiam Propheta Micheas: *Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te? vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.* *Mich. 6.* Dum dicit, *& quid Dominus quærat à te, vtique facere iudicium:* promptam exercendi boni operis voluntatem non repoſceret, ſi non dediſſet. Vides, quia ſicut Dei eſt, vt prouocans adhortetur, ita obedientiæ hominis reſeruatum eſt, vt ſequatur.

Finis Libri primi.

F

FAVSTI EPISCOPI, DE GRATIA DEI ET HVMANÆ MENTIS LIBERO ARBITRIO,

LIBER II.

CONTRA HOC QVOD IMPIE ASſerunt à Deo induratum fuiſſe cor Pharaonis.

CAPVT I.

HIc ſenſum ſcripturæ ſanctæ ſolicitius perſcrutemur, & obijcientis animum confundamus, vtrum Pharao volens, G an inuitus à Domino fuerit induratus: ſi volens, ipſi vtique culpam obdurationis aſſignas: ſi verò inuitus, iniquitatem Dei obdurantis accuſas. Quæ etiam iuſtitia erat, ſi quem ipſa obdurauerat, ipſe puniret? Cùm verò Dominus ipſe ad eum loquatur & dicat: *Cur non vis dimittere populum meum? vel vſquequo non vis ſubijci mihi?* *Exod. 7.* ecce vbi diuinis teſtimonijs liberam fuiſſe in Pharaone agnoſcimus voluntatem. Hac ratione Pharaonem, dicit Dominus, obdurabo, dum eum mihi in decem plagis, quas à Moyſe exoratus remouero, inſultare permitto. *Ego,* inquit, *obdurabo cor Pharaonis.* Sic interdum familiariter etiam apud homines huius elocutionis vim aſſumimus, ſic interdũ contumacibus famulis exprobramus mãſuetudinem noſtram, ita dicentes: Ego patientia mea te peſſimum feci, ego remiſſione mea malitiã tuam ſuperbiamq́ue nutriui, ego te contumacem indulgentia mea reddidi, ego diſſimulatione mea cor tuum, vt con- H tra me obduretur animaui. Et hoc modo quod in bonitate Domini virtutis eſt teſtimonium, in ſerui improbitate fit vitium. Ait autem ſermo diuinus: *Videnſq; Pharao eo quod data eſſet requies, ingrauauit cor ſuum.* *Exod. 8.* Manifeſtiſſimè hoc loco indulta requies cor Pharaonis indurasse perſcribitur. Hoc enim quod dicit: *obdurauit cor ſuum:* non paſſiuum eſt, ſed actiuum. Vis ſcire, quia diuina moderatione ob cauſam induratæ mentis operatur? Idem ipſe Pharao in decem plagis poſitus cùm percuteretur, mitigabatur: cùm laxaretur, ingrauabatur. Ac ſi impium diuina ſeueritas inclinabat, bonitas obdurabat, & vt ſe eſſe liberi arbitrij demonſtraret, caſtigante Deo, populum dimittebat, parcente, reuocabat. Perſpice quomodo rebellem ſpiritum cœleſtis lenitas obdurat. Accedentibus mitioribus, & flagellis recentibus inſoleſcit. Agnoſce rationem obdurationis, & vim propriæ voluntatis. Hebræum populum, quem egredi pro impoſita ſibi contritione nunc præcipit, & pro plagarum moderatione nunc prohibet, ad extremum incumbentibus

A plagis etiam feſtinus perurget, & abire compellit. Non ergò induratur in multa Dei potentia, ſed contemptor efficitur in multa Dei patientia. Denique inter alternas vices caſtigationis & remiſſionis flagellatus humiliatur, exauditus erigitur, liberatus inſultat, afflictus obtemperat, & filios Iſraeliticos poſt decimam plagam emiſiſſe cognoſcitur, ad primam eum emittere potuiſſe voluntas poſtrema teſtatur. Et cùm inter medias correptiones profiteatur: *Iuſtus es Domine, ego verò & populus meus impij*: non ſe à Deo, ſed à voluntate propria deprauatum conſcientiæ ſuæ teſtis oſtendit: & tu Deum circa Pharaonem durum vel iniquum fuiſſe præſumis aſſerere, quem circa ſe iuſtum & pium ipſe ſacrilegus non potuit abnegare: Immitem Deum Chriſtum eſſe côſequitur, quem pium etiam impius confitetur: Exod. 9.

B Hoc ergò agit in hominibus cœleſtis miſericordiæ diſpenſatio, quod in terris pluuiæ ſuperuenientis infuſio, ad copioſi imbris inlapſum, cultus & edomitus ceſpes multiplicatur germinum fœtibus: verùm incultus & crudus inutilibus herbis repletur, & ſentibus, ac ſic vnus idemque imber duas res diuerſas atque contrarias iuxta culturæ aut ſtudium operatur, aut vitium. Sicut legimus: *Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam, illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem ſpinas ac tribulos reproba eſt & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem.* Agnoſce terram ſub vno eodemque imbre nunc ſpinas & tribulos germinantem, nunc fructus benedictionibus idoneos proferentem. Eodem modo dum miſericordia Dei expectat & parcit, emendatur obediens, obduratur impœnitens. Heb. 6.

Quod præſcientia Dei nec ad iuſta, nec ad contraria humanas violenter vrgeat voluntates.

C

CAPVT II.

PRæſcientiam & prædeſtinationem Dei malè intelligunt aſtruentes, quod inde humanorum actuum cauſa naſcatur. Primum quid ex quo pendeat vel procedat, perſpicere debemus. Non propterea homo quodcunque facturus eſt, quia eum coactura ſit præſcientis auctoritas, ſed magis Deo præſciendi ingerit qualitatem libertas præſciti hominis ac voluntas. Ergò non de violentia præuidendi imponitur homini cauſa peccandi, ſed magis de conſecuturis hominum meritis ordo exoritur prænoſcendi. Generalis itaque præſcientia, quæ de ſtatu mundi totius apud Deum manet, de potentia naſcitur, ſed circa ſtatum hominis qualitates & ſpecies prænoſcendi, de humani actus inſpectione mutuatur. Sed inter iſta, Deo reſpondes & dicis: O Domine quomodo bonum apprehendere valui, quem tu malum futurum eſſe præſciſti? non ita eſt. Aliud eſt quod vult Deus, aliud eſt quod permittit Deus. Vult itaque bonum, & permittit

D malum, præſcit vtrumque, iuſta bonitate adiuuat, iniuſta pro arbitrij libertate permittit. De ſuo eſt quod dat gratiam, de tuo quod prænoſcit offenſam. Et inde eſt quod circa iniquos inceſſabiliter inuenitur prohibere quæ prouidit. Nunquam praua hominum ſtudia præciperet ad meliora conuerti, ſi ea ſciret non poſſe mutari: & ideò reſpondebit tibi conſequenter diuina prouidentia: O homo non te talem feci, qualem te futurum eſſe præſciui. Bonum te pro iuſtitiæ meæ lege formaui, & ne malum ſequereris admonui, malum te pro conſecutura voluntatum tuarum iniquitate præuidi. Vbi non compulſio, ſed conſenſio peccandi deprehenditur in querela; non auctor, ſed præuaricator in culpa eſt. Si ad factorem, inquit, ô homo reſpicis, bonus eſſe potuiſti, ſi ad præcognitorem, tu me pro geſtorum tuorum ordine, vt de te malum prænoſcerem compuliſti. Sed reuoluis & dicis: Præſcientia & prædeſtinatio humanorum actuum atque meritorum præfigit & excitat cauſas. Non ita eſt, magis de origine voluntatis humanæ genus præſcientiæ deriuatur. Sed vt aliqui cogitationis ſuæ prauitate ducantur, & actus ſuos in præſcientia æſtiment inchoari, E

hoc de proprio animi vitio, hoc de inemendabili obſtinatione procedit, dum ſimulant paſſionibus reluctari, & putant ſe non poſſe quod nolunt. Legem dicunt eſſe immutabilis mali, conſuetudinem delinquendi. Sed adhuc dicis, quia opera ac voluntates hominum, de nutu & impulſu præſcientiæ cœleſtis incipiant. Non ita eſt. Hoc potius agnoſce, quod præſcientia Dei de materia humanorum actuum ſumat exordium. Quid de nobis præſcire ac præordinare debeat Deus, quantum pertinet ad futurum, in profectu hominis defectuque conſiſtit. Accipe illud exemplum, quo præſcientia Dei pro humana ſe actione conuertit. Ad decumbentem Ezechiam regem, mors defertur in verbo triſti, vatis veridici F

adnunciata reſponſo ita dicentis: *Ordina domum tuam, nam cras morieris.* At ille conuerſus ad fletum, ordinauit domum ſuam, quia humiliauit animam ſuam. Propheta quidem exploratæ ſanctitatis agnoſcit, ſed deſperatio ſpe repellitur. Oratio interdicit oraculo, reſoluit deprecatio definitionem: fides plena, dicti ſuperat veritatem. Ineuitabilem denunciatæ mortis cauſam, extrema vincit deflentis infirmitas. Humiliat ſe fragilitas humana, & vim quandam patitur diuina ſententia. Sicut ait: *Regnum cœlorum vim patitur.* Omnimodis moriturus fuiſſet, niſi territus ſupplicaſſet. Elige vtrum velis, aut præfixam neceſſitatem confitere mutatam, aut Veritatem conuince mentitam. 1. Reg. 19. Matt. 11.

Quia aliud eſt præſcire, aliud prædeſtinare.

CAPVT III.

APoſtolus ait, *quos præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri imaginis filij ſui.* Aliud eſt præſcire, aliud prædeſtinare. Præſcientia itaque gerenda prænoſcit, poſtmodum prædeſtinatio retribuenda deſcribit. Illa præuidet merita, hæc præordinat præmia. Præſcientia ad potentiam, prædeſtinatio ad iuſtitiam pertinet. Præſcientia de alieno ſubſiſtit actu, prædeſtinatio autem de iudicio ſuo. Illa facinus manifeſtat, iſta condemnat: illa teſtis, hæc iudex eſt. Cùm illa pronunciauerit cauſam, tunc pronuntiat iſta ſententiam. A præſcientia quæ ſunt noſtra produntur, à prædeſtinatione quæ ſunt præparantur. Ac ſic niſi præſcientia explorauerit, prædeſtinatio nil decernit. Oculi autem vicem præſcientiæ virtus exercet, & quod ſe aſpectui obtulerit, hoc videbit. Nunquid feciſſe creditur, quod deprehendiſſe cognoſcitur? Cùm autem oculi ea videant, non quæ ipſi intrinſecus operantur, ſed quæ eis extrinſecus offeruntur. Si peccantem quempiam forte conſpexerint, nō opinor videntis, ſed committentis flagitium iudicabitur: Ita non ad prænoſcentis, ſed ad præcogniti pertinebit reatum omne delictum. Sic & Deus ea ante diem hominis præuidet, quæ non à ſe, ſed ab homine facienda ſunt. Et ſicut materia exiſtentis efficit, vt eam oculi acies contempletur, non autem oculus facit, vt res videnda naſcatur: ita & præſcientia Dei, ea quæ de hominum meritis ſecutura ſunt, non vt eueniant exigit, ſed euentura præcurrit. Et quia ſacris eloquijs moris eſt, vt per aſſumptam quamcunque ſimilitudinem aſſerendæ rei aperiant veritatem, ſicut interdum vel grano ſinapis, vel fermento mulieris Euangelicæ, vel ſagenæ miſſæ in mare, & quàmplura talia, regnum cœlorum legimus comparari, ita & nos diſtinguere cupientes futura inſtituti genus colligitur præſciendi. Quod ſi præſcire compellere eſt, qui præuidet peccatorem, ergo ipſe cauſa peccati eſt? præſcit adulterium Deus, ergo ipſe oſſa & medullas ignibus obſcœni furoris inflammat? Præſcit Deus homicidam, nunquid ipſe beſtiales motus perturbatis ſenſibus ſuggerit? ipſe ad peragendum facinus gladium cruentæ mentis exacuit? Præſcit impium, ergo ipſe ad profana ſacrificia ſpiritum dementis inſtigat? Itane quarum rerum vltor eſt, earum & auctor eſſe credendus eſt? & inter hæc ad malum perurgere iudicandus eſt Rom. 8. G H

captiuæ

A captiuæ voluntatis adſenſum, qui nec diabolo compellere permiſit inuitum? volūtas eſt quæ operatur delictum, volūtas eſt quæ meretur auxilium. Sed dicis: Inuenio vbi ſola gratia ſine ſocietate humanæ volūtatis operetur. Nā in Bethleem omnis innocentiū populus tam beatā mortem ex ſola Dei prædeſtinatione conſequitur. Non ita eſt. Nam tum fortitan ſolius gratiæ verteretur operatio, ſi innocentis ſanguinis non interceſſiſſet effuſio. Quod ſi vna tunc fuit innocentium cauſa, cur non omnis illic ſaluatur infantia? ab illius enim temporis gloria omnis ætas alterius ſexus aliena eſt. Si vis prædeſtinationis ſpecialem per ſingulos facit conditionem, cur hic omnes pueri diuerſis dierum vel menſium temporibus nati vnam obtinent felicitatem? Si verò promiſcua in genere humano electionis ratio agitur, cur ab hoc munere omnis ſtatus puellaris excipitur? Hic ergo decreti ſorte ceſſante: mors
B pueris pro diaboli infertur furore, mors verò beatiſſima pro Dei honore confertur. Non ergo eos prædeſtinatio morti addixit, ſed cauſæ occaſio conſecrauit. Hanc itaq; paruulorum interſectionem, nō diſpoſitio Dei, ſed impietas ordinauit inimici. Deus autem qui etiam malis hominum bene vtitur, peremptis gloriam, de ſcelere perimentis operatur. Contraria quidem malitiæ diſponit inuentor, ſed bonitatis auctor in melius conſilia aduerſa componit.

Contra hoc quod dicunt, in iſtis miſericors eſt quos adquirit, in illos iuſtus eſt, quos reliquit, cùm & circa malos miſericors, & circa bonos etiam iuſtus appareat.

CAPVT IV.

SI hominis ſtatum Deus, ſicut blaſphemat impietas, non æquitate, ſed poteſtate diſponit, ille fortaſſis qui pulſauit excluditur, & ille qui non quæſiuit attrahitur.
C Ac ſic nec circa ſaluatos miſericors fuiſſe videbitur, quibus non dedit, vt ex officio miſericordiam mererentur: nec circa perditos æſtimari poterit iuſtus, qui ſine proprio crimine à miſericordia repelluntur. Quod ſi ambo rei ſunt in natura, & in iſto iuſtitia periclitabitur, qui ſine merito indignus eligitur, & in illo miſericordia, qui perditioni ſiue peccati iudicio deputatur. Qua enim miſericordia honoratur otioſus? qua iuſtitia damnatur innoxius? Itaque dum imperitè tollit homini libertatem, impiè Deo probatur negare iuſtitiam. Si dicas, quia tantum miſericors in acquiſito, & ſolum iuſtus in perdito eſt, in vtraque perſona abrupte negabis vtramque virtutem. Nam nec in hoc erit æquitas, ſi eligat non probatum: nec in illu bonitas, ſi perdat immeritum. Nos autem geminum hoc in Dei operibus bonum, inſeparabili conſertum fatemur amplexu, ſicut legimus: *Miſericordiam & iu-*
Pſal. 100.
dicium cantabo tibi Domine. Et iterum: *Miſericors Dominus &*
Pſal. 14.
iuſtus, & Deus noſter miſerebitur. Et iterum: *Miſericors & miſe-*
Pſal. 140.
rator, & iuſtus Dominus. Nam miſericors eſt, & in perditos quos inquirit & inuitat errantes, qui diu ſuſtinet delinquentes. Et ſicut *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos,*
Matt. 5.
D *& pluit ſuper iuſtos & iniuſtos,* ita vtroſque indifferenter lumine rationis impleuit, honore imaginis ſuæ induit, ad gratiam redemptionis generaliter euocauit. Itane miſericors in illo non fuit, in quem tanta congeſſit, quem de neglecta & perdita miſericordia iudicauit? Iam illud minoris negotij eſt, vt erga acquiſitos, ſicut miſericordem, ita iuſtum eſſe doceamus. Iuſtus inquam, & circa eos quos ſuſcipit reuertentes, quos non deſerit laborantes, quos dignos efficit libertate, fideliter ſeruientes. Hæreticus autem ideò circa malos negat miſericordem, quia non credit oblatam fuiſſe ſalutis copiam his qui delabuntur in mortem. Ideò circa bonus non aſſerit iuſtum, quia nihil eis æſtimat pro humili deuotione collatum. Miſericors ergò eſt, quia & malis ingenerationis intellectum, & bonitatis affectum. Iuſtus verò, quia obedienti proponit præmium. Iuſtus, quia nullum ſaluat inuitum,

Itaque Apoſtolus magnificè ad donum gratiæ officium laboris adiungit, ita dicens: *Laborantem agricolam oportet*
E 1. Tim. 2.
de fructibus accipere. Ecce quomodo ſibi admirabili commercio diuina & humana ſociantur. Ad obedientiam pertinet labor, fructus verò laboris ad gratiam. Et iterum: *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum*
1. Cor. 3.
laborem; ſecundum quod in Euangelio dicit: *Cùm feceritis*
Luc. 17.
hæc, dicite, ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus. Aduerte, quia non excludit operis ſtudium, ſed operantis requirit obſequium: nec laborem ſeruitutis recuſat, ſed humilitatem mentis inſinuat. Vitium ergo quo laborem imperitiſſime refugiendum putas, non in opere, ſed in corde conſiſtit. Totis ergo viribus laboro, ſed quicquid de ſuperna largitate percepero, gratiæ, non induſtriæ deputabo, Beneficium vocabo non pretium. Donum teſtabor eſſe, non debitum, remunerationem, non retributionem. Ita cùm ex officio aliquid agimus, nequaquam nos imputare Deo poſſumus, quia ſoluimus quod
F debemus. Tu verò diuinæ ne inuideas bonitati, ſi opus quod à me illo adiuuāte bene geſtum eſt, vel etiam accepta perdiderint? Hoc genere nec conuerti eos permittunt mala præcedentia, nec ſanari.

Contra hoc quod dicunt, non tam voluit, quàm non potuit ſaluus eſſe qui periit, iuxta quod legimus: & non poterant credere.

CAPVT V.

INter hæc cùm Ioannes Euangeliſta commemoret,
Ioan. 12.
propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eſaias: Ex-
Eſai. 6.
cæcauit oculos eorum, & indurauit eorum cor, hoc loco elocutio concluſa ſic reſonat, quaſi eis non credendi neceſſitas imponi videatur inuitis. Sed ex illis cauſam vel culpam incredulitatis exortam in conſequentibus lectionis ordo manifeſtat ita dicens: *Veruntamen & ex principibus multi*
Ioan. 12.
crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt de
G *ſynagoga non eiicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.* Abſolutè hic indicat, ſicut & de Simone legimus, etiam infidelibus vim credulitatis fuiſſe collatam: quibus ſicut facultas credendi adfuit, ita voluntas defuit confitendi. Quod credunt, gratiæ largitas eſt: quod profeſſionem credltis non accommodant,
Matt. 4.
mentis improbitas eſt: & impletur in eis: *qui autem non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.* Ecce quomodo bonum voluntatis & fidei admixta malitia deprauauit, ſicut alio loco in eodem Euangelio ipſe Dominus dicit: *Quomodo*
Ioan. 5.
poteſtis vos credere, qui gloriam abinuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo eſt Deo, non quæritis? Vides ergò, quia ſicut ſuppreſſis cauſis abſconditur veritas, ita manifeſtis remouetur obſcuritas? quæ in Eſaię teſtimonio denſiores paulò nebulas videtur obducere, dum eos quos propria ne-
Eſai. 6.
quitia ſurdos cæcoſque reddiderat, à Deo aſſerit obcæcatos, ne fortè conuerſo ad Deum corde ſanentur. Itaque vt paululum differamus, quod Matthæus apertius
H elocutus eſt iuxta ipſius ſermonis rigorem, qui ex verbis Prophetæ auſterius percutit legentis auditum, altius requiramus, quare huc loco nolle putetur Dominus vt ſanentur, id eſt, ne momentanea conuerſione ſuſcepta collatis beneficijs abutantur, iram, cùm probati fuerint, ſuſceptam neglexiſſe ac reſpuiſſe recidiua infirmitate medicinam, ſicut ille ad quem ipſe Dominus loquitur. *Iam ſanus factus es, noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Aduerte bonitate ſanitatis impium prægrauati. Sic Pharao inſultaſſe deprehenditur miſericordiæ Dei, quem addictus plagarum reſipiſcentem & conuertentem, & humiliantem ſe, quoties ſanare voluit, toties deteriorem eſſe poſt humanitatem clementiæ deprehendit. Quare (inquam) iſtos ſanare diſſimulat? ne fiant vtique illius ſimiles, *qui ſupra petroſa ſeminatus eſt,* id eſt, *qui*
Matt. 4.
ad momentum cum gaudio ſuſcipit verbum, qui ad tempus credit, & in tempore tentationis recedit. Quid eſt momentaneam

ſuſcipere

A ſuſcipere ſanitatem, id eſt, ad tempus credere, & in tempore tentationis pro animi infidelitate diſcedere; & ad leuem tentationis æſtum infirma radice deficere. Videamus quis ſanare tentauerit, & eis parum pro conſequenti incredulitate profuerit.
Matt. 18. Ecce ſeruo illi in Euangelio magnis debitis & animæ languoribus oppreſſo, decem millia talenta, quæ ei remiſſa videbantur, per crimen propriæ malitiæ adiectis cruciatibus exiguntur. Vbi & aduertendum eſt quomodo adquiſita perduntur, & beneficia iam conlata reuocantur. Sed & ille depulſo à ſe immundo ſpiritu ad tempus legitur fuiſſe ſanatus, de quo
Luc. 12. dicit ſermo diuinus: *Cùm autem immundus ſpiritus exierit ab homine, perambulat per loca arida, quærens requiem, & non inueniens, tunc dicit: reuertar in domum meam vnde exiui. Et veniens inuenit vacantem, ſcopis mundatam & ornatam*, id eſt, va-
B cuatam virtutibus, & vanitatibus adimpletam. *Tunc vadit & adſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi, & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.* Ecce cui ſanitatem conlatam eſſe non profuit. In quem multiplicatis malis nocitiuis languor incubuit & increuit. Sed & alio loco is qui poſt acceptam notitiam veritatis, id eſt, poſt conlatam (veritatem) ſibi curam ſalutis, ſanguinem teſtamenti pollutum duxerat, in quo ſanctificatus eſt, id eſt, in quo ſanatus eſt, grauiora mereri ſupplicia Apoſtolo atteſtante perhibetur. Sic itaque gratia in culpam vertitur, niſi cuſtodia ſubſequatur. Sed in his Euangeliſta Matthæus dum incraſſatum cor, obturatas aures, clauſoſque oculos ad culpam hominis refert, cur non ſanarentur apertiore ſenſu, & dilucidata ratione
Matt. 13. perdocuit. Dum (inquam) dicit: *incraſſatum eſt cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt.* Nonne tibi videtur velut interrogantibus, cur videntes non videant, & audientes non intelligant, euidentem protinus dediſſe rationem de cauſis, propter quas non videant neque intelligant? quia audire & videre, id eſt,
Rom. 10. intelligere & obedire noluerunt. Quia (inquit) *non omnes obediunt Euangelio*, quia *tota die expandi manus meas ad popu-*
C *lum non credentem & contradicentem*: ſicut etiam per ſe iam
Hier. 51. Dominus loquitur: *filios alui & exaltaui, ipſi autem me ſpreuerunt.* Et iterum: *Quoniam dereliquerunt venam aquarum*
Act. 13. *viuentium Dominum.* Et in Actibus Apoſtolorum: *Videntes* (inquit) *Iudæi, repleti ſunt zelo, & contradicebant his quæ à*
Act. 18. *Paulo dicebantur, blaſphemantes viam Domini.* Et iterum: *Inſtabat* (inquit) *verbo Paulus, teſtificans Iudæis eſſe Chriſtum Ieſum. Contradicentibus autem illis & blaſphemantibus, excutientes veſtimenta ſua dixerunt: Sanguis veſter ſuper caput veſtrum erit, mundus ego ex hoc iam ad gentes vadam. Contradicentibus* (inquit) *illis & blaſphemantibus.* Vide quomodo remedia ingerit medicus, & recuſat ægrotus. Quorum duritiam etiam beatus Stephanus pari auctoritate increpat di-
Act. 7. cens, *Incircumciſi corde & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis.* Ecce quare videre non poſſunt? quia Spiritui ſancto reſiſtunt, atque à ſe clauſis ſponte oculis lumen veritatis excludunt. Quod ergo in Euangelio ſequitur & di-
Ioan. 12. cit: *Ne forte oculis videant, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos*, ne poſſint conuerti atque ſanari, obdurati cordis vitium & pœna peccati eſt.
D *Ne*, inquit, *conuertantur & ſanem eos.* Non hic ſanitatem volentibus denegat, ſed contradicentes ſe ſanare nolle, id eſt, non debere pronunciat. Ad conferendum remedium promptiſſima eſt bonitas medici, ſed intemperantia contradicit infirmi. Nam qui ita intelligendum putat, quod eos ſanare noluerit, abſoluit hominem, & damnat authorem. Nullus ergo excluditur à beneficijs Dei, qui primum de neglectis beneficijs iudicandus eſt.

Quid ſit quod ait, cùm enim nondum egiſſent boni aliquid aut mali.

CAPVT VI.

E ILlum verò Apoſtoli ſenſum intra gentilis decreti arctare conantur anguſtias, quòd dicit: *Promiſſionis* (in-
Rom. 9. quit) *verbum, hoc eſt, ſecundum hoc tempus veniam, & erit Saræ filius. Non ſolùm autem, ſed & Rebecca ex vno concubitu habens Iſaac patrem noſtrum. Cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid egiſſent boni aut mali, vt ſecundum electionem propoſitam Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia ma-*
F *ior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio*
Mal. 1. *habui.* In his verbis hoc vult intelligi gentilitiæ perſuaſionis impietas, quod Deus abſque vllo inter malum & bonum moderatoris examine, non ordine regentis, ſed iure dominantis illum affectu dignum reddat, hunc odio, illum recipiat ſtudio, hunc excludat imperio. Et inter duos perditos, nulla conſideratio laboris, nulla deuotionis habeatur, ſed vnus ſine ratione ceſſantibus officijs aſſumatur, alter ſine diſcretione damnetur. Ac ſic dum in alterutro nec meriti exiſtit materia, nec delicti, aufertur omnino futuri cauſa iudicij. Quod ſi hæc iterum tam indigna confuſio etiam à ſenſu humanæ mentis aliena eſt, ſolicitius requiramus, quid diuinæ conueniat, Apoſtolo diſſerente, iuſtitiæ, inter duos populos conſtitutus Iudæorum doctor & gentium, dum ita ait: *quia maior ſeruiet*
Gen. 25. *minori*, in ſeniore Iudæi arrogantis reprobatur, in iuniore fides gentilis eligitur. Itaque ipſe ſibi obducit ignorantiæ nebulas, qui nō tam ſcripturis ſanctis ſequaci ſenſu ſe accommodat, quam ſcripturas ſanctas ad intellectum ſuum violenter attrahere, & præſumptiuè nititur applicare, & id ſibi pro captu ſuo omiſſa præcedentium vel ſequentium ratione perſuadet, vnde penitus loqui Apoſtolus non inſtituit. Quod ſi ad capituli ipſius, de
G quo agitur, recurras exordium, omne abſque vlla difficultate declinabis ambiguum. Si magiſter gentium de geneſi hominum tractare cœpiſſet, & diceret homini totius vitæ curſum origine præfinitum, & magis neceſſitati ſubditum, quam libero arbitrio fuiſſe commiſſum, eo quòd Dominus omnium pro poteſtatis nutu violento, quo decreto alios relinqueret ad perditionem, alios eligeret ad ſalutem, tunc forſitan velut per lineas decurrentes, colorem huic iniqua perſuaſio poſſit aſſerere. Cùm verò Apoſtolus promiſſiones Dei, & vocationem gentium altius repetitis texat exemplis, & Iudæorum præſumptionem omnimodis comprimere ſtudeat, qui improbè de legis operibus intumeſcebant; non in origine ſeniorum Iſmahelis vel Eſau decretum fatale conſtituit, ſed in benedictione Iſaac & Iacob electionem populi minoris oſtendit, & propterea minorem maiori non velut potentia Dei, ſed pro iuſtitia prætulit. Perinde enim impietatem Iudæorum, ſicut obedientiam gentium præuidebat. Quia ergo dicit: *Cùm enim nondum egiſſent boni ali-*
Rom. 9. *quid aut mali, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia maior ſeruiet minori.* Ex vocante quidem dictum eſt, non ta-
H men ad compellendos vel repellendos, ſed ad credituros & non credituros dictum eſſe manifeſtum eſt, vt diuinæ ſibi conſtante iuſtitia, ad hominis pertineat voluntatem, vel renuere, vel obſeruare præcepta. Cùm ergò audis, *ex vocante dictum eſt*, inuitantem intellige non cogentem. Item dum dicit, *non ex operibus*, aſſerit circa eos non legis opera, quæ vtique nondum aduenerat, ſed etiam ante legem diuinæ miſericordiæ ac munificentiæ dona viguiſſe. *Non ex operibus*, inquit. Audis legis opera deſtrui, & tu propterea inepto ſenſu etiam ſub gratiæ lege viuentes, alios ſine operibus gratiæ credis poſſe ſaluari, alios etiam cum operibus prohibente naturali nexu & lege fatali ianua ſalutis excludis. *Iacob dilexi, Eſau odio habui.* Quomodo hic iuxta praui ſenſus interpretem circa nondum natos, ſententia cœleſtis exercitur? Nec reus enim eſſe poteſt nondum genitus, nec dilectus: nihil enim meretur nondum productus in lucem: ſed ſicut in futurum adhuc erat eorum re-

A tum repoſita conuerſatio: ita futura præſcientis oſtenſio, futurum prænuntiatur electio. Nam diuina prouidentia ſicut nouit iudicare de geſtis, ita ad hæc gerendis ſcit præiudicare. Nemo itaque putet, quod fratribus nondum natis diuerſorum neceſſitas ſit præfixa meritorum, cùm hoc poſt tranſactam vitæ militiam de eis Malachias Propheta commemoret; & de præterito eorum ſtatu diuinum proferat manifeſta æquitate iudicium. Rom. 9. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Quid mirum eſt, ſi iuſtitia diligat innocentiam, & reſpuat iniquitatem, apud quam etiam futura facta ſunt? Quod autem minor maiori ex lege præponitur, & Iacob neglecto fratre diligitur, hinc paulo tardioribus obſcuritas naſcitur, quod prolatũ dilectionis vel odij teſtimonium nondum natis fratribus arbitrantur, dum & euidentes cauſæ quibus vnus diſplicuerit, alter placuerit ſupprimuntur. B In his ergò duobus non naturæ mira hominibus præfiguntur, ſed de fide gentium & infidelitate Iudæorum iuſtitiæ ſtatuta narrantur. Non enim hoc loco iuxta literam perſonæ ſpecialiter geminorum, ſed rerum cauſæ ac myſteria deſcribuntur, dicente Domino: Gen. 25. *Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi de ventre tuo diuidentur.* Quod ſi de præfixa lege originis tractaretur, quid opus erat vt maioris & minoris ætatem, quod ad rem non pertinebat, inſereret, niſi quia apud Iudæorum proſapiam ſemper in duorum vocatione populorum ſeniori minor anteſertur. In qua tamen partium diuerſitate multi & de Iudæis reprobis eliguntur, & de electis gentibus reprobantur, vt intelligas in vtroque populo iuſtum iudicem non decreta obſeruare, ſed merita. Sed dicis: *Cum adhuc non egiſſent aliquid boni aut mali,* iam præfinitis partibus deputantur. Quid mirum ſi quorum actus præuidit, eorum exitus præſignauit? Et ideò ſicut eos curſum viuendi pro arbitrio proprio diſpoſituros eſſe conſtabat, ita pro Dei potentia prænoſcuntur, pro iuſtitia præordinantur, hoc totum de eis prædicitur, non præfinitur. In Iacob ergo fidelis populus deſcribitur, in Eſau incredulus deſignatur, de quibus vtriſque ita dicit: Rom. 9. C *Quid ergo dicemus, quod gentes quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam: iuſtitiam autem quæ ex fide eſt. Iſrael verò ſectans legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offenſionis.* Dum dicitur, *non ex operibus*, vides quia legis opera deſtruuntur, & quod Gentibus obedientia viam aperuit ad miſericordiam: Iudæis verò præcedens iniquitas & incredulitas præparauit offenſam? *Non ex operibus* (inquit) *ſed ex vocante dictum eſt.* Non illos dicit proprijs operibus vacuos, ſed negat ex operibus legis fuiſſe ſaluatos. Abſit, vt propoſiti hic damnatio originis æſtimetur, vbi vocantis benignitas & obtemperãtis humilitas prædicatur: & vbi fidei diuitias doctrina generalis inculcat, ac lumen credulitatis inſinuat. Non ergo ſe hoc loco iniquitatis aſſertio, quæ in ipſa conditione partem humani generis damnatam loquebatur, interſerat. Cauſas verò cur Iacob dilexerit Deus, & Eſau odio habuerit, euidenter Geneſeos expreſſit hiſtoria, quo intelligas non ſine operum diſcuſſione, nec ſine ratione perſpicua diuinitus pronuntiatum, vt Eſau odio, Iacob autem dilectione Dei dignus haberetur. Apparuerunt planè in vita Iacob euidentes cauſæ, quæ iudicium Domini rectum omnimodis aſſerant, ſicut Cain dicitur: Geneſ. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* D Non ſuperpoſuit homini peccatum, ſub hac ordinationis ſuæ lege, ſed ſubdidit. Ecce piiſſimus moderator generoſam eſſe cupiens facturam ſuam, etiam poſt ruinam inclinatam, licet hominis voluntatem totius paſſionis & concupiſcentiæ, non famulam iubet eſſe, ſed dominam. Seductoris vel amicitiam vel repulſam in manu hominis poſuit, ad quem eius iudicium collocauit. Videtur quidem vtriuſque oppeſis appetitum electione ipſius permiſiſſe, ſed ideò, vt mali licentia boni fieret gloria. Sed *ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Nulla peccandi neceſſitate concluditur, cuius diſcretioni committitur, vt peccato ſuperiore libertate dominetur. Degener verò animus, qui cum beneficio Dei de peccato poteſt victoriam conſequi, mauult cum offenſa Dei ſeruus eſſe peccati. Quæ cùm ita ſint, poſt primi ho-

E minis præuaricationem, non mors arbitrij, ſed infirmitas, nec impoſſibilitas, ſed difficultas propoſito labore ſucceſſit. Sed & Abel diuinis placere conſpectibus: per inſitum à Deo generaliter bonum, id eſt, per propriæ meruit voluntatis affectum. Hic ergo cui cognomen iuſti immaculatæ vitæ perfectio dedit, quo erudiente iuſtitiæ ſectator exiſteret, niſi eum lex viſceribus inſcripta docuiſſet? aut vnde placituras Deo hoſtias, & per ignem cœlitus abſumendas de adipibus & primitijs ſciſſet eligere, niſi fides, quæ eum amatorem virtutum fecerat, inſpiraſſet, ſicut legimus: Heb. 11. *Fide plurimam hoſtiam Abel quàm Cain obtulit, teſtimonium perhibente muneribus eius Deo.* Quod nequaquam obtinere potuiſſet, niſi ad Domini donum famuli acceſſiſſet obſequium. Et tu nihil eum ordinatione Dei habere iudicas proprium, cuius deuotioni Deus perhibet teſtimonium? F Vides bonum credulitatis non nouellum eſſe priuilegium, ſed vetuſtum, & inter ipſa mundi coaleſcentis exordia mentem hominis ſicut intellectu atque ratione, ita etiam fide à ſummo auctore dotatam? Itaque iam tunc dedit animæ notitiam ſuam, quando ei committere dignatus eſt imaginem ſuam.

Ad cuius imaginem & ſimilitudinem primus homo ſit conditus.

CAPVT VII.

SEd dicis: Quid mihi ad libertatẽ arbitrij iũgis imaginẽ Dei, cùm ille eximius conditor futurus ſecuturis ſeculis, & redemptor, ad illam magis imaginem fecerit hominẽ, quam per virginem erat aſſumpturus ex homine? Perſuaſio hæc à pleriſque profertur, ſed omni ratione nudatur, quia prioris initia, imaginem multo poſterioris induere nullo modo poſſunt. Aut quomodo nõdum creati ſimilitudinem, is qui primus creabatur, acciperet? Inter hæc facilius hinc credi poſſit, vt ad ſecundum Adam primus Adam imaginem ſuam, pro ordinis ac temporis ratione tranſmitteret. G Minime autem fieri poterat, vt imago nondum exiſtentis ſubſtantiæ diceretur is, qui ante tot ſecula formabatur. Et impudens aſſertio probaretur, vt ſicut dicunt ſimilitudinis auctorem ex virgine procreandum, antiquiſſimi protoplaſti perſona præcederet. Huc accedit, quod multum res illa humiliaret in homine primæ innocentiæ decus, ſi immaculatus ad exemplar illius fingeretur, qui peccatum erat maculas curaturus: vt cùm tranſgreſſio nondum exiſteret, iam tamen trãſgreſſionis culpam futuri interceſſoris forma præferret. Conſequens itaque non erat conſummatum atq; perfectum ad imaginem illius, per quem neceſſe erat perditum reparari, ne ſub nomine venturi medici ipſo tempore fœlicis exordij, ſupplantandi videretur ruina prædici. Id ergo rationi magis congruit, vt in homine, cui in ipſa ſimilitudine à Deo gratiæ res traditur non naturę, imago hoc potius nuncupetur, quod à priore & ſuperiore ſuſcipitur. Et de veritate ſimilitudo fuiſſe conlata plenius iudicetur, quam tamen cum filio naturali pater iure communicat. Deinde & illud ſolertius aduertendum eſt, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus in primo tempore de ſuo meliora contulit. In ſecundo autem de noſtro deteriora H ſuſcepit. Et propterea quando ex nihilo nos parauit, imaginem ſuam factor appoſuit. Quando verò nos perditos reparauit, formam ſerui reſtitutor aſſumpſit, ſicut ait Apoſtolus: Philip. 2. *formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Quod ſi ad illam exterioris hominis ſpeciem formati ſumus, in cuius membris, viſus, auditus, guſtus, odoratus & tactus eſt: quid erit honoris aut gratiæ, ſi de illa participemus imagine, quam nobis ex parte maxima communem ſcimus eſſe cum pecude? Grauis ergo eorum error eſt, qui arbitrantur primum hominem iuxta illum, qui erat ſumendus ex Maria, ab incorporea trinitate compoſitum. Neque enim Pater vel Spiritus ſanctus veſte carnis & habitu erat hominis induendus, vt ad eius quaſi imaginis ſuæ ſpeciem ac facturam primi hominis lineamenta diſponeret, ac

membra

Digitized by Google

A

membra plaſmaret, vt poſſit dicere: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem quam ſumpturi ſumus ex Virgine. Ideoq; ex deitatis ſimilitudine deriuatur, quicquid homini trinitas in commune largitur. Nec ſic quidem primus homo, ſecundi Adæ ſuſcepiſſe imaginem dici poſſet, etiam ſi filius Dei ſolus hominem condidiſſet. Cùm verò vnita Trinitas dicat: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, plurali ſingulare, & ſingulari plurale permiſcens: & iterum: *Et fecit Deus hominem ad ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei fecit illum.* Toties legis hominem ad imaginem Dei conditum, & qua authoritate contra diuina eloquia præſumis aſſerere, iuxta ſerui formam fuiſſe compoſitum? Cùm ergo imago hæc à patre & filio, & Spiritu ſancto conferatur, abſque dubio trium perſonarum vna diuinitas primo homini ſuæ imaginis tribuit dignitatem. Quæ cùm ita ſint, ineſſe homini licet attenuatam voluntatis propriæ libertatem minime dubitabis, ſi primam gratiam, qua à Deo eſt honoratus, inſpexeris. Imago ergo Dei dicitur, quia ei indulgenter ac dignanter inſeruit veritas iuſtitiam, ratio ſapientiam, perennitas æternitatem. De imagine Dei eſt, quod intelligit, quod rectum ſapit, quod inter malum & bonum iudicio examinante diſcriminat. Et cùm Dei bonitas, miſericordia, patientia atque iuſtitia ſit, quanto quiſque magis iuſtus ac patiens inuenitur, tanto magis Deo ſimilis approbatur. Cuius vtique ſimilitudo, non in vultibus, ſed in virtutibus poſſidetur. Et propterea de Deo dicitur, ſubtilis, ſimplex, ſyncerus. Simplex vtique, quia nihil illi extrinſecus adiectitium, nihil aliunde conlatum, ſed in illo virtus, eſſentia, atque ſubſtantia eſt. Ac ſic Deus quod habet, eſt, homo verò hæc dona niſi acceperit, non habet. Cùm ergo Deus iuſtus ac iuſtitia, miſericors & miſericordia, pius & pietas ſit: homo iuſtus eſſe poteſt, iuſtitia eſſe non poteſt, miſericors eſſe poteſt, miſericordia eſſe non poteſt, pius eſſe poteſt, pietas eſſe non poteſt, quia non naturaliter habet iſta, ſed largiter, verbi gratia, Ille aurum eſt, homo verò deauratum vas videri poteſt: & in homine gratia eſt, quod in Deo natura eſt: & in hoc creatum eſt, quod in illo probatur ingenitum. Et ideò iuxta hanc rationem magis duplex ſtatus hominis apparet, cui hæc ita inſeruntur, vt ſeparentur ſæpius & auferantur. Errant ergo qui iuſtitiam reliquaſq; virtutes animę putāt eſſe ſubſtantiā, ſine quibus vtcunq; poteſt vitali in natura ſua vigore ſubſiſtere, ſine quibus & diabolus in natura ſua manere dignoſcitur. Manifeſtè enim inueniuntur appoſita, dum culpis inuenientibus exuuntur. Solum verò arbitrium & immortalitas, quæ etiam malis inſita eſt, non aufertur, licet dignitas & beatitudo immortalitatis poſſit auferri. Quantum ergò ad libertatem arbitrij & immortalitatem pertinet, imaginem Dei, licet è ſe & in ſe decoloratam, etiam mali habere poſſunt, ſimilitudinē niſi boni habere non poſſunt. Quæ cùm ita ſint, cur homines imagine & ſimilitudine Dei decorari, Angeli ſeu filij Dei meruerint nuncupari, vel paucis adhuc exemplis præſtringere nos oportet, quanti ante legem literæ, erudiente lege naturę, quæ prima (vt diximus) Dei gratia eſt, veſtibula ſalutis intrauerint, per Chriſtum ad ipſa vitæ penetralia perducendi. Sed hoc quoque in loco Abel morum ac meritorum ſimilitudine ſubſtitutus, vnde profana fratris inſtituta reſpueret, inde meliora potuiſſet eligere, niſi eū in viam rectam intellectus & ratio direxiſſet, qua duce ſanctas traditiones & prædicabiles diſciplinas velut hæreditarium munus tranſmiſit ad poſteros, vt angelorum vel filiorum Dei nomine per multas cenſerentur ætates. Quis dubitet innumeras eius familias Deo placitas, libertate arbitrij præditas, & ex gentibus fuiſſe ſaluatas, de quibus pauci admodum, ſed clari atque perfecti ad illuminationem ſeculi ſacris produntur eloquijs? Vnde enim Enoch cum Deo ambulare, vel Deo placere potuiſſet, niſi eum lex viſceribus infuſa ſecreto magiſterio illuminaſſet, in tātum, vt nihil terrenum ſapiens mirabiliter à terra Deo adſumente raperetur? Qui dum fidei merito in prima ſæculi illius ætate cæteros antecellit, fidem ipſam cum lege naturæ ſibi traditā fuiſſe perdocet. Sicut legimus: *Fide Enoch translatus eſt, vt non videret mortem. Ante translationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo. Sine fide autem impoßibile eſt placere Deo. Credere autem oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe ſit remunerator.* Niſi voluntariam deuotionem & intentionem quæreret, remunerationem homini non deferret, & niſi ei aliquid prius vnde poſſit placere, tribuiſſet. Dum autem dicit, *ante translationem enim teſtimonium habuit, placuiſſe Deo*, dubium nō eſt, quod prius vita examinetur, & ſic electio ſubſequatur. In perſuaſione prædeſtinationis facilè declinabitur error accedens, ſi interrogetur cauſa præcedens. *Inquirentibus ſe remunerator ſit*, cum magno non deeſt crimine non quærenti, quia dedit vnde non poſſit inquiri. Qualem, quantamque homo à Deo legem prima conditione ſuſceperit, perfecta etiam Noë iuſtitia declarauit, quia generalia fidei dona, ſpeciali in ſe ſtudio virtutum ſectator excoluit. Cuius tempore cùm corrupiſſet omnis caro viam ſuā ſuper terram, damnatio ſecuta non eſſet, niſi præuaricatio ex arbitrio hominis præceſſiſſet. Sicut ergò culpa pœnam meretur, ita culpa pœnam reſtatur, quę pro æquitate moderatoris infertur. Dum autem dicit ſermo diuinus: *Omnis caro corruperat viam ſuam*: iniquitates illius temporis non impoſitæ definitioni, ſed voluntariæ imputat prauitati. Legem itaque literæ abſque dubio cœleſtis diſpenſatio non dediſſet, niſi legem naturæ interpellaſſet vſque ad iram diluuij perducta tranſgreſſio. Ideoq; hęc lex Moyſi, quæ prima creditur, iam ſecunda eſt. Opus itaque naturalis legis in cordibus hominum fuiſſe conſcriptum, etiam beatiſſimus Pontifex Auguſtinus doctiſſimo ſermone proſequitur, ita dicens: Vtrunque ſimul currit in iſto alueo atque torrente generis humani, malum quod à parente trahitur, & bonum quod à creante tribuitur. Item nullius quippe vitium ita contra naturam eſt, vt naturæ deleat etiam extrema veſtigia. Nam hinc & quod etiam impij cogitant æterna, ac prædicanda etiam in præſenti ſeculo iura conſtituunt, & multa rectè reprehendunt, rectéq; laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis iudicāt, niſi naturalibus, in quibus vident quemadmodum quiſq; viuere debeat, etiam ſi nec ipſi eodem modo viuant? Quod & Apoſtolus ad Romanos euidentius proteſtatur dicens: *Reuelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum qui veritatem in iniuſtitia detinent, quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis. Deus enim illis manifeſtauit: inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. Sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, vt ſint inexcuſabiles. Quia cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Niſi enim à lege Dei receſſiſſet voluntas, iram Dei non ſenſiſſet impietas. Et cùm dicat: *quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtauit*: euidenter hoc diſſerit, per internam doctrinam paginis mentis inſcriptā, manifeſtam illis eſſe debuiſſe notitiam Dei, & per creaturæ magnificentiam creatorem potuiſſe cognoſci. Inexcuſabiles quippe apud Deum non eſſent, niſi & extrinſecus & intrinſecus copiam percipiendæ veritatis habuiſſent, adijciente Apoſtolo: *Quia*, inquit, *cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt.* Impios ergo & de intellectu quod abuſi ſunt damnat, quorum iniuſtitiam in contemptum diuinitatis accuſat. Famoſi autē exundatio vaſta diluuij, quid aliud niſi arbitrium humani generis per reatum damnati orbis aſſeruit? Ac ſic Noë perfecta iuſtitia ſpontaneos ſeculi illius & oſtendit & condemnauit errores, ſicut legimus: *Fide Noe reſponſo accepto de his, quæ adhuc non videbantur, metuens, aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ: per quam damnauit mundum, & iuſtitiæ, quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus.* Quare condemnauit mundum? quia ſequi mūdi improbitas iuſtitiæ neglexerit exemplum. Ac ſic inobedientis accuſat reatum, & placuit per obſequium, & arguit alio placere nihilominus potuiſſe per ſtudium. Certè nullum in illa ætate fatalis conſtitutio locum habuit. Nam quia vniuerſalis fuerat præmiſſa tranſgreſſio, vniuerſalis eſt

Marginal notes: Gen. 1. — B — C — Naturæ legem nō interiiſſe. — D — Gen. 5. — Heb. 11. — E — F — Gen. 6. — G — Rom. 1. — H — Heb. 11.

A ſecuta damnatio. Quomodo dicis quod adſumatur vnus & alius relinquatur? Vide quemadmodum excepta iuſti familia, totus orbis cogente iniquitate deletur. Illud ergo quod aſſeris ſpeciale decretum, excluditur per generale iudicium. Et qui pro improbitate damnatur, bonum facere potuiſſe conuincitur.

De eo quod naturæ legem in primo homine aſſerunt interiſſe, nec per poſteros viguiſſe, vſque ad Saluatoris aduentum.

CAPVT VIII.

B SED dicis naturalia bona commemoranda non eſſe, quia ante aduẽtum Chriſti nequaquam gentes ad ſalutem pertinuiſſe manifeſtum eſt. Qui naturam in bonis ſuis negat prædicari debere, neſcit profectò ipſum naturæ authorem eſſe qui gratiæ eſt. Hoc qui imprudentiſſimè negat, negat naturæ bonum extra Dei opificium, & aut numen quod eſſe arbitratur aut fatum. Cùm verò ipſe ſit conditor qui reparator, vnus idemque in vtriuſque operis præconio celebratur. Iure itaque vtriuſque rei munus aſſero, quia me ſcio illi debere quod natus ſum, cui debeo quod renatus ſum. Et propterea non ideo negabo conditoris dona quia perdidi, ſed priora ideo ſequentibus non exæquabo, quia multipliciter in melius reparata ſuſcepi. Extollam beneficia creantis, ſed in immenſum præferam redimentis. Nec hoc quidem videbor incautus, ſi profitear, quod aliquoties in diſpoſitionibus noſtris, non quidem in vitæ noſtræ primordijs, ſed duntaxat in medijs, gratias ſpeciales & ex accedenti largitate venientes, voluntas noſtra, Deo ita ordinante, præcedat. Vtrum ita ſit, ſacra interrogemus eloquia. Legimus in

Marc. 10. Ioan. 5. Euangelio dicentem Dominum: *Quid tibi vis faciam?* & iterum: *Vis fieri ſanus?* Vides quia non tribuitur munus ſalutis, niſi prius interrogetur deſiderium voluntatis. Sed & cùm venitur ad baptiſmum, prius accedentis voluntas inquiritur, vt regenerantis gratia ſubſequatur. Et in cen-

C turione Cornelio, quia præceſſit voluntas gratiam, ideò præuenit & gratia regenerationem. Nihil hic, vt opinor, redolet præſumptionis, cùm & hoc ipſum inceſſabiliter aſſeram, quod Deo ipſam debeam voluntatem, præſertim cùm in omnibus eius motib. ad opus gratiæ referam, vel inchoationis initia, vel conſummationis extrema. Abraham quoque ex media gentilitate progrediens, non ſolum cum omni familia ſua ad ſalutem vocatur, ſed etiam

Gen. 17. *pater multarum gentium* teſtimonio ipſius Veritatis efficitur. De Dei bonitate eſt quod vocatur, de propria voluntate quod promptus obſequitur. Iob quoque ſine animi libertate incumbenti in ſe hoſti non potuiſſet obſiſtere, ſed iungit magnitatem cordis cum auxilio protectoris. Ac ſic iuſtitia remunerantis, deuotionem pugnantis oſtendit. In ſpiritali bello, ita ad hominis laborem videtur pertinere conflictus, ſicut ad Deum refertur euen-

Iob 2. tus. Amicos quoque Iob ex gentibus veniſſe nondũ promulgatæ legis oſtendit, & dum pro eiſdem Iob præcipiente Domino ſupplicaſſe, & exauditus eſſe memoratur, his quoque adhuc in gentilitate viuentibus, ſalus in-

D dubitata confertur. Raab quoque in tantum nationis gentilitiæ fuit, vt ex gentibus congregandæ typum præferret Eccleſiæ. Hæc etiam in ſalutem cum omni domo

Heb. 11. ſua fide operante ſuſcipitur. De qua legimus: *Fide Rahab meretrix non perijt cum incredulis.* Vnde hic extra legem poſiti accuſantur increduli: niſi quia legem naturę, cui fides iuncta eſt, ſeruare noluerunt? Vnde obijcitur incredulitas, niſi quia in promptu fuit credendi facultas? Liberi itaque arbitrij ratio facit, vt remuneretur credens, & damnetur incredulus. Legimus in libro Geneſeos: *Nondum enim completa ſunt peccata Amorrhæorum*: prædicit Dominus filios Iſraël in terra Ægypti humiliandos, atque inde ad perdendas impias nationes, & percipiendas promiſſas ſedes in ſignis & miraculis educendos, ſed hoc prius fieri non poſſe teſtatur, quàm gentes quas eis traditurus

E erat, peccatorum excreſcentium magnitudine, flagellis debitis locum faciant, & extendi in ſe manum afflictionis, extremæ conſummatæ iniquitatis mole compellãt. Vbi expectatur multiplicatio peccatorum, prauitas arguitur voluntatum. Qui gentili abſoluto à lege pręcepti, imponit pro æquitate ſententiam, legem naturæ arguit fuiſſe calcatam: ſimulque longanimitas ſuſtinentis, iuſtitiam probatur manifeſtare damnantis. Nemo enim moram ex moderatione præmittit, qui ex prædeſtinatione punire diſponit. *Nondum* (inquit) *impleta ſunt peccata Amorrhæorum.* Dum in plenitudine peccatorum commemoratur perditionis cauſa, aufertur præfixæ neceſſitatis inuidia. Diuinæ hoc loco patientiæ agnoſce virtutem. Liberandus, & ſubuerſurus impias gentes, po-

F pulus Iſraël interim in ſeruitute retinetur, donec iniquitas gentium compleatur. Tamdiu vltionem affert ira iudicij, quamdiu creſcat in cumulum menſura peccati. Vt concurrente ſibi bonitate, & ſeueritate ſub vno eodemque tempore: hinc abſolutio filij, inde contritio exerceatur inimici.

Contra hoc quod dicunt, quia ante gratiæ tempus agnitio vnius Dei gentibus conceſſa non fuerit.

CAPVT IX.

IN grandi profundo ignorantiæ volutantur, qui dicunt, quod vnius Dei notitiam habere non potuerint gentes ante Saluatoris aduentum, cùm Apoſtolus aſſerat factorem mundi per facturæ ſuæ magnificentiam potuiſſe cognoſci, ita dicendo: Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis: *Inuiſibilia enim eius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas, vt ſint inexcuſabiles.* Rom. 1. Quomodo tu excuſabiles dicis, eo quod alieni fuerint à cæleſtibus donis, quos Deus ex hoc inexcuſabiles proteſtatur, quod abuſi probantur acceptis, & opificis ſublimitatem ſine difficultate ſcire potuiſſent, ſi opus interrogaſſent. Longè eſt hoc ab omni ratione atque pietate, vt homo ad cognoſcendum Deum nuper putetur eruditus, cui vmuerſus

G ab exordio rerum teſtis eſt mundus, & ideo in eadem epiſtola dicit: *Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt.* Rom. 2. Non ergo recenti magiſterio ad comprehendendam legem Dei credatur imbutus, qui id, quod naturaliter habet in primi vtique hominis conditione percepit. *Immutauerunt,* inquit Apoſtolus, *gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.* Rom. 1. Dum imprudens abiecta & indigna veneratur, debuiſſe ſe omnimodis cultum dignioribus profitetur. Dumque lignum adorat, & lapidem, in promptu habuit vt ſaperet adorare terreſtrium & cœleſtium conditorem. Nam dum homo colendum eſſe aliquid probat, ipſe intellectus colendi crimen conditoris oſtendit. Quomodo enim religionis habuit ſenſum? Inueniſſet abſque dubio Deum, ſi inquirendi apponere voluiſſet affectum, dicente Domino: *Quærite & inuenietis.* Matt. 7. Cùm enim mens humana ad videndum oculos aperuerit, ſtatim ſe deſideranti quæſita lux ingerit. Ideo-

H que lex intus inſerta docuit venerationem, ſed negligentia & contumacia inuenire non meruit veritatem. Et propterea dum ſe mortuis ſimulachris & figuris inſenſibilibus figmentum cœleſte proſternit, iniuriam, non ſolùm factori, ſed & in ſe facturæ ſuæ intulit, & erubeſcendis ſemetipſum contumelijs, propriæ immemor generoſitatis affecit, atque ex errore ipſo pœnam recepit erroris, ſicut ait Apoſtolus: *Et mercedem quam oportuit erroris ſui in ſemetipſis recipientes.* Rom. 1. *Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitiam, tradidit eos Deus in reprobum ſenſum.* Hic rebellis ſenſus ſponte corruptus, non violenter ablatus eſt. *Sicut* (inquit) *non probauerunt Deum habere in notitiam, tradidit eos Deus in reprobum ſenſum.* Qui pro cauſis præcedentibus derelinquitur, non fato premitur, ſed iudicio reprobatur. Quod ſi requiras, vnde indoctis nationibus, in illa ingenita feritate peccatum? Vnde mihi per animi motum mentiſ-

A mentiſque conſenſum? Denique pecudes & bruta animantia à peccato omnimodis libera ſunt, quia diſcretionis neſcia, & rationis ignara ſunt. Tu deteriorem pecude, hominem facis. Cur enim ei relinquis peccatum, cui tollis arbitrium: aut ſi eum ſubdis peccato, noli priuare iudicio. Non ergo mentiatur iniquitas ſibi, nouit quid in occulto homini dederit cognitor occultorum. Et ideò quando ab eo quiſque pro malo opere corripitur & condemnatur, bonum facere potuiſſe conuincitur. Magna eſt ergo vis animi in vtramque partem, dum & ſuper honeſtatem fundatur, & ſuper inhoneſtate confunditur. Psal. 10. Et ideò dicitur per Prophetam: *Palpebræ eius interrogant filios hominum, Dominus interrogat iuſtum & impium.* Quid me iudicis natus interrogat de peccato, ſi ſuæ definitionis eſt quod delinquo. Itaque qui finxit ſingillatim corda B hominum, vias hominum & emerita conſcientiarum ſecretus diſcuſſor interrogat. Sed ſi te & ipſe diſcutias, ſi quando in ſiniſtram declinare voluiſti, nonne trepida conſcientia ne peccares admonuit? Nonne te velut cenſor occultus, triſtis cogitatio caſtigauit? Ac ſic homines ſeipſos latere non poſſunt, *teſtimonium reddente illis conſcientia, & inter ſe cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.* Inter hæc ſi requiras vbi ſit libertas arbitrij poſita, vbi ſit voluntas hominis conſtituta, & vbi niſi in intellectu, in ratione, atque ſapientia? Quæ cùm ita ſint, prius neceſſe habebis homini negare ſapientiam, auferre rationem, vt adimere liberam valeas voluntatem. Quamobrem ſi quando delictum aliquod anima intra domicilium ſuum captiua meditatur, reclamant ei cogitationum ſecreta, interdicunt ei intrinsecus officia ſua, ſed vires ſubtrahit reſiſtendi conſuetudo peccandi. Sed renolnis, & dicis quod mali, & qui ad perditionem trahuntur, non acceperunt arbitrij libertatem. Primum ſcire debemus, quia libertas arbitrij, duplici miniſterio prędita eſt, nunc ad ſalutem, nunc ad perditionem ſui prompta eſt. Sed opponis, quod voluntatis libertas ſolis liberandis competat, & in redemptionis beneficio C conſtitutis. Non ita eſt. Liberatio ad donum gratiæ, & ad propoſitum conſentientis pertinet vitæ: libertas verò arbitrij non eſt res accedentis munificentiæ, ſed naturæ. Quærentibus illam, vel tribuitur, vel conſeruatur, etiam non requirentibus iſta confertur. Illa renaſcentibus miniſtratur, iſta naſcentibus. Libertas ad ſolam Dei pertinet operationem, liberatio & ad ſubditi hominis ſeruitutem. Illa bonis confirmata, iſta & malis inſita eſt. Illa adquiſitis, & perſeuerantibus competit, iſta & perditis ſuppetit. Illa condentis, iſta & obedientis eſt. Illa potentiæ, iſta eſt miſericordiæ. Illa originis & generis, illa eſt muneris & virtutis.

Gentes Deum naturaliter ſapuiſſe.

CAPVT X.

PLenus Spiritu ſancto Propheta Daniel, ſciens Deum in ſenſu hominis appetitum boni malive poſuiſſe, ita Dan. 4. D Nabuchodonoſor alloquitur dicens: *Quamobrem conſilium meum placeat tibi ô rex, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſerationibus pauperum. Et peccata,* inquit, *tua eleemoſynis redime.* Præfixum videri non poteſt, quicquid redimi poteſt. A ſanitate itaque non excluditur, cui remedium perſuadetur. Simulque ei arbitrium non negatur, cuius conſenſus exigitur. Liberi animi officium non amiſit, qui probatur ſuſcipere potuiſſe conſilium. A ſalute alienus non inuenitur, cui materia ſalutis ingeritur. Et cui offert Propheta comparandæ indulgentiæ occaſionem, ineſſe ei voluntatis aſſerit poteſtatem. Sed & hoc quod Baltaſar gentilis arguitur, dicente Propheta: Dan. 5. *Laudaſti deos argenteos, & aureos, & ligneos, & lapideos, & Deum in cuius manu flatus tuus eſt, non laudaſti.* Vides quia hic alienigena Deum & ſcire potuit & laudare, ſed noluit? Ineſſe homini intellectum Dei pariter & cultum, ideo Propheta memorauit, quia legem naturæ indiſcretè intra omnis hominis ſenſum vigere cognouit. Et propterea cùm præfato Nabuchodonoſor regi, Daniel vim ſomnij reuelaſſet, Deũ ſe nõ ignorare quãlibet profan⁹ oſtẽdit, ita dicens: *Verè Deus veſter Deus deorũ eſt, & Dominus regũ.* Sed & E Danum quis ita de Deo ſentire & eloqui docuit, niſi vis rationis & legis, cùm Daniel Deum conuerſione poſſe placari edocuit? Vnde fuit quod Deum cum conditione cognouit iraſci. Non enim magna illa ciuitas Ionæ eruditione reſipuit, Iona 1. nec eius monitis intellectum petendæ ſalutis accepit, nec docuit populum Propheta, ſed terruit: nec miſericordiam promiſit, ſed immutabilem ſententiam nunciauit, & tamen vrbs illa (ſicut ſcriptum eſt) *contra ſpem in ſpem credidit,* Rom. 4. atq; ipſa ſibimet remedia quodammodo interdicta promiſit multum placitura Deo, etiamſi promiſſa quæſiſſet. Quæ quidem remedia, ideo interdũ à Domino ſupprimuntur, vt violentius acquiſita F ſeruentur. Simulque interpoſita obtinendi difficultate, dum munificentia abſconditur, fides probatur, exercetur ambitus, manifeſtatur affectus, totumque hoc in homine ignis interior à Deo inſitus, & ab homine cum Dei gratia nutritus operatur. Oſtendit itaque gens illa, ea quæ ſaluti hominis competunt, ipſa ordinatione facturæ Deum intra hominem collocaſſe, & ante munera redemptoris, circa rationabilem creaturam ſemper authoris dona viguiſſe. A conditore quidem ſummo præſcita per naturam, ſed confirmanda per gratiam. Per gratiam, inquam, in cuius tempore præteritorum ſalus erat conſummanda ſæculorum, quia nihil ad perfectum adduxit lex vel literæ, vel naturæ. Niniuitis ergo euidenter manifeſtata eſt clementiæ & bonitatis plena vox Domini ita dicentis: *Repente loquar ad gentem & regnum, vt euellam, & deſtruam, & eradicem. Si gens illa pœnitentiam egerit pro peccato ſuo, & ego pœnitentiam agam ſuper malo quod locutus ſum vt facerem ei.* Hier. 18. Optat iudex miſericors cœleſtis decreta conſilij pio immutare mendacio, ſi reus medicinam feſtinet adhibere peccato, inuitus homini pondus damnationis imponit, qui remedium ſatisfactionis oſtendit, & ſedulæ obſequium ſeruitutis expectat. Et ideo perfecta illa prouidentia, quæ in hoc ſæculo virtutum exercitijs delectatur, ordinatiſſimum & ſapientia ſua digniſſimum iudicauit, G vt hominem conditum ad ſacræ imaginis dignitatem, hic prius agonibus & conditionibus exploraret, illic verò donis & retributionibus adimpleret: vt cùm famulus exhibuiſſet in labore obedientiam, Dominus oſtenderet in remuneratione iuſtitiam: vt cùm infirmitas humana obtuliſſet humilem deuotionem, ineffabilem diuina potentia exerceret largitatem. Iugiter ergo laborandum, ſed à gratia non recedendum, & dicendum: *Deus in adiutorium meum intende.* Psal. 69. Ipſum ergo adiutorij vocabulum, laborantis requirit officium. Adiutorij itaque ſermo duos indicat, operantem & cooperantem, petentem & promittentem, pulſantem & aperientem, quærentem pariter & retribuentem. Hoc ſolum noſtrum eſt, vt qui pro fragilitate idonei non ſumus, ſaltem quærendi & pulſandi importunitate placeamus. Vbi erit ſedulitas miſerentis Dei, ſi cum perſona nihil mereatur indigni, & ad hoc deſideria accedant otioſi? Et ideò niſi obſequendi ſtudium obedientia indefeſſa prætulerit, locum remanendi iuſtitia non habebit. Et propterea ſermo diuinus in ſpe laboris ſui poſitum deſcribit agricolam, H ita dicens: *Ecce agricola expectat pretioſum terræ fructum, vt recipiat temporiuum, & ſerotinum.* Iacob. 5. Quid eſt temporiuum? quid ſerotinum? Temporiui fructus ſunt, quos ſtipendijs militiæ præſentis adquirimus. Serotini ſunt, quos poſt emeritam ſeruitutẽ in illius ſeculi retributione capiemus. Temporiui ſunt fides atque ſynceritas, cordis beneuolentia, corporis temperantia, contemptus mali, appetitus boni, tranquillitas manſuetudinis, puritas caſtitatis. Serotini fructus ſunt, adquiſitio rerum immortalium, hæreditas cœleſtium, proprietas æternorum. De quibus dicitur: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum.* 1. Cor. 2. De quibus per Apoſtolos & Martyres dicitur: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 7. Temporiui itaque fructus in virtutibus ſunt, ſerotini in remuneratione virtutum. Temporiui ſunt, quos hic

A opera capiunt in præceptis. Serotini, quos illic vota conſequentur in præmijs. Quantum ergo delectetur Deus fieri murum, id eſt, validiſſimum contra offenſam Dei ſupplicationis obſtaculum, ſicut fecit ille de quo legimus: *Properauit enim homo ſine querela deprecari pro populo, proferens ſeruitutis ſuæ ſcutum, reſtitit iræ, & finem impoſuit neceſſitati.* (Sap. 15.) *Quis ſtaret,* inquit, *oppoſitus contra me, propterea ne diſperderem eam,* (Ezech. 22.) qui oſtendit quomodo eius ira ſeparetur, quodammodo placatus iraſcitur. Inter hæc, quicunque à potentiſſimo ac iuſtiſſimo conditore ita factum hominem dicit, vt vnus in ſiniſtram ſine proprio crimine, impulſu tantum præſcientiæ deputetur: alter in dexteram indiſcuſſis meritis attrahatur, hoc apertè aſſerere deprehenditur, inordinatas vel iniquas eſſe diſpoſitiones & factoris & iudicis. Sed hoc loco ſolicitus indat auditor aucturi ſummo, cùm hominem plaſmare diſponeret, B auctori, inquam, ſummo in miniſterium & conſilium hominis fabricandi, quatuor aſtitere virtutes. Quæ quatuor? Potentia vtique, bonitas, ſapientia, atque iuſtitia. Tu vide quam Deo ex his quatuor defuiſſe præſumas aſſerere. Itaque ad intellectum euidentius colligendum, proferant, ſi placet, ſingulæ iſtæ virtutes, quaſi tractatus & allocutiones ſuas. Potentia dicat: Faciamus poſt cœli regnum in ſecundis mutabilem creaturam, ne in imperij noſtri poſſeſſione, quæ prima ſunt, hæc etiam videantur extrema. Iſtam ſpecioſam mundi machinam conſummemus, vt in ea hominem faciamus, & præficiamus per quem mundus ordinetur, poſſideatur, ornetur. Bonitas dicat: Fas non eſt, vt ſola beneficijs noſtris cœleſtia perfruantur. Faciamus & in terra hominem, circa quem abundantiam gratiæ noſtræ exerceamus, circa quem beneuolentiæ munera dilatemus, in quem pietatis ingenitæ diuitias profundamus. Sapientia dicat: Non ſolum faciamus, ſed etiam ſenſu rationis ac diſcretionis honoremus, prudentiæ lumine repleamus, faciamus ſimplicem, faciamus aſtutum. Simplicem, ne malum callidus inferat: aſtutum ne incautus incurrat. Inſinuemus ei affectum C boni, intellectum mali, & iuxta gubernationem noſtram permittamus eum in manu conſilij ſui, ac proprij in libertate iudicij. Tractat inter hæc ſecum potentia, cui ineſt & præſcientia. Quid agimus, quod eum arbitrio ſuo permittimus liberum? In peccati denia prænoſcimus tranſiturum, & pretioſæ dona facturæ conuerſurum eſſe prævidemus ad inſtrumenta nequitiæ. Et ideò ſi opus in eo noſtrum volumus eſſe perpetuum, tollamus ei de poteſtate peccatum. Dicit iuſtitia. Non ita eſt. Non competit legibus noſtris, vt is, quem à contrarijs oportet probari, de viribus ſuis non poſſit agnoſci. Non competit, inquam hoc legibus noſtris, vt eum, quem glorificari etiam ex officio ſuo volumus, materiam & cauſam gloriæ denegemus: vt eum, quem cupimus remunerari per nudam gratiam, faciamus de labore proprio nil mereri. Exerant potius in eo ſingillatim ſociæ iſtæ, germanæque virtutes, exerant partes ſuas. Potentiæ ſit inter cuncta viſibilia, præſertim inter hoſtes habitaturum creare ſublimem, ſapientiæ ordinare prudentem, bonitatis adiuuare certantem, iuſtitiæ coronare vincentem. Talem ergo hominem D pro vtilitate ſui, ac pro noſtri dignitate faciamus, quem in dexteram partem non trahat neceſſitas, ſed voluntas: qui malum ratione intelligat, bonum virtute perficiat. Talem faciamus, cui bonitas in natura, malitia verò extra naturam ſit, qui bonum in voluntate, malum habeat in poteſtate, qui bonum naturaliter velit, malum actualiter poſſit, qui mandata noſtra cuſtodiat voluntarius, & periclitari nò poſſit inuitus. Cui prima iſta ſit laudis occaſio, vt peccare & poſſit, & nolit. Sufficiat autem, quod in quadrupedibus & brutis ſubijcienda ſunt homini, iam fecimus tale animal, quod dum non eſt obnoxium culpæ, fructum non poteſt habere iuſtitiæ. Hunc autem non oportet eſſe pecudis ſimilem, cui commiſſuri ſumus noſtræ imaginis dignitatem. Interrogemus ea quæ peccari neſcia, ac rationis ignara, abſque vllo prudentiæ honore formauimus. Nunquid proderit pecudi ſimplicitas ſua, aut arbori fœcunditas ſua? Erga hominem noſtrum non poterimus laudi conferre palmam, ſi volumus neceſſitati

E ſeruire naturam. Hunc ergò conditione ſubditum, diſcretione liberum, ratione perfectum, ita ordinare nos æquum eſt ſub poteſtate permiſſa, & lege propoſita, vt cuſtodia præcepti, aditus & cauſa ſit præmij. Nam ſi mali copiam ac licentiam non habuerit, boni gloriam non habebit. Si iuxta beneuolentiam noſtram non etiam ſuo ſtudio vel labore prædicabilem tenuerit ſanitatem, non erit innocentia, ſed inertia: & prætereà præmium perit, vbi meritum non præcedit. Bona noſtra non poteſt ſeruare, qui neſcit acquirere.

Niſi fuerit obedientiæ præmiſſa deuotio, gratiæ vileſcit oblatio. Similique verecundia remunerantis eſt, ſi honoretur otioſus, ſi remuneretur ignauus. Quin potius cooperante adiutorio etiam, ſuo opere fiat dignus, & cum bona conſcientia ſit beatus. Nam niſi fuerit tribuentis iuſta liberalitas, non erit accipientis perfecta fœlicitas: & niſi prius explorata fuerit inquirentis auiditas, in F quo iocundabitur benignitas largientis? Adhuc cum iuſtitia verba confert præſcientia, & ipſa ita dicit: Melius eſt vt non fiat genus humanum, quàm ita fieri videatur vt pereat. Respondet bonitas atque iuſtitia. Non ita eſt. Propter impium Cain Abel pius reus non erit? propter creſcentem malitiam mundus Noë iuſtitiam non videbit? propter Iudam non habebimus Petrum? propter eos qui vitio blandiente vincendi ſunt, in vitam nõ venient, qui per rigidam magnanimitatem virtutis auſteræ iuſto iudicio coronandi ſunt? propter præuaricatorum multitudinem, prætermittentur in nihilum iuſtorum ſæcula, nullla martyrum, regnumque ſanctorum? propter eos quos ſuo crimine prænoſcimus peccatores, non faciemus eos quos præſcimus etiam ſuo merito placituros? Si ita eſt, plus ſtandabit potentiæ noſtræ præcognita, quàm conſummata malitia. Nocebit ſiquidem bonis malorum præſcita generatio: nocebit bonis, qui propterea creandi non erunt, quia creata quandoque ſoli ſibi nocere potuiſſet. Sed dicat bonitas. Ita faciamus humanum genus, vt G peccare non poſſit. Cui reſpondeat è contra circonſpecta iuſtitia: Quomodo terreſtribus dabimus, quod cœleſtibus indulſimus. Quomodo habebit fragilitas hominum quod natura non obtinuit angelorum? Quę cùm ita ſint, non audeat creatura de creatoris opere diſputare. Potentiæ itaque fuit, vt immortalem ex nihilo hominem conderet: ſapientiæ, vt capacem rationis efficeret: bonitatis, vt ad beatitudinem præpararet: iuſtitiæ, vt non ante eligeret quam probaret. Sed inter hæc aliquis perſiſtit, & dicit: Si conſtat peccatores in illo ſæculo ſupplicijs addicendos, & æternis ignibus mancipandos, ſic fieri homo debuit, vt is omninò peccare non poſſet. Quid præcurris ô homo, authoris tui diſpenſationes? quid quæris rem immortalitatis in regione mortis? quid quæris in malitia quod paretur in gloria? quid ante emeritum laborem poſcis quæ præparata ſunt poſt laborem? Dabitur hoc, ſed iam in æternum iuſtificato, quando id quod conlatum fuerit, perire non poſſit. Dabitur hoc, ſed in tempore beatitudinis, vbi iam peccatum nec vincere, ſit neceſſe, nec ſcire. Vbi ad peccandum non voluntas, non poſſi- H bilitas erit. Vbi ſanctè, integrè, piè viuere non erit diligentia, non induſtria, ſed natura. Diſpenſante ita diuina miſericordia atque iuſtitia, vt qui hic ſtuduerit integritati, nulla illic vltra poſſit labe corrumpi. Dignum enim eſſe iudicauit, vt homo peccare qui noluit infirmus, non poſſit æternus. Sed vt labentibus in immenſum ſæculis ſine metu gaudium, ſine inuido præmium, ſine hoſte ſit regnum.

EIVSDEM

A

EIVSDEM

FAVSTI RHEGIENSIS EPISCOPI EPISTOLÆ

AD

Anonymum. contra Arianos. & de creaturis. Epiſtolæ 16.	Lucidum Epiſtol. 3. cum reſponſoria Lucidi cõtra Fauſtum. Epiſt. 4.
Felicem. 1.	Paulinum. 17.
Græcum. 2.	Ruricium. 5. 6. 7. 8. 9.

Item

B

AD RVRICIVM EPISCOPVM LEMOVICENVM

Epiſtolæ

Cæſarij. Epiſtola 18.	Sedati. Epiſt. 13. 14. 19.
Euſraſij. 15.	Taurentij. 12.
Græci. 10.	Victurini. 11.

Nunc primùm ex membranis m. ſ. celeberrimi Monaſterij S Galli editæ, per Henr. Caniſium.

Ad Lectorem.

C

QVi ſcire volet, quis Fauſtus, quis Ruricius, qui item alij, ad quos ſcriptæ hæ Epiſtolæ, vel qui ad alios ſcripſerunt, ille videat Sidonium Apollinarem, & Venantium Fortunatum, quem integrum, dedit Chriſtophorus Brovverus Societatis Ieſu. Videat item Illuſtriſſimum Baronium. Nos hic de ſingulis adtexere nõ volumus. Tantum de Fauſto Rhegienſi, qui in m. ſ. appellatur Sanctus, hæc notanda videntur, quæ Baronius de hoc ipſo habet in appendice tomi 10. ad tomum 6. anno 490. §. Porro Fauſtus ipſe cum - *ibi* miramur ab aliquibus impudenter ſane inſcribi Sanctum - *his hæc adde - iſta quidem priori editione ex adductis diuerſorum ſcriptis affirmaſſe, non indecens quidem fuit. At vero ex poſtea cognitis & adductis, rurſus ad iudicium ipſum reuocandum, haud exiſtimamus indignum, cùm tamen de eius ſcriptis immotæ maneant ſententiæ Patrum.*

D

Quod n. vſq; ad hæc tempora noſtra eundem Fauſtum continuit inter Sanctos Martyrologium Gallicanum, à quo ipſum Molanus primum expunxit. Quod etiã, vt accepimus, Eccleſia Regienſis in Gallia, vbi ipſe ſedit Antiſtes ſemper eum, vt Sanctum coluerit, celebrans eiuſdem Natalem 17. Ianuarij: ibiq; in eius memoriam antiquitus erecta baſilica eius nominis titulo inſignita hactenus eius cultu à fidelib frequentetur: Quodq; tot ſæculis Chriſtiano orbe ſpectante, Eccleſia Romana tacente, nemine penitus (quod ſciatur) contradicente, iſta eidem Fauſto exhibita intelligãtur: opinari non prohibemur, de eodẽ Fauſto accidere potuiſſe (quod de multis viris ſanctis aſſeritur) quod delinquens errauerit, cùm queſtio illa fuerit auctoritate ſedis Apoſtolicæ definita,

E

& eius opinio aliorum Patrum ſententia condemnata, ipſe ſuum errorem fuerit ſcriptis contrarijs deteſtatus, quæ potuerint, vt alia quamplurima perijſſe, vel ipſum ante ſuorum ſcriptorum factam ab Eccleſia damnationem diem obijſſe (incertus eſt. n. eius obitus annus) habentem in animo in his ſequi, quod ſequendum doceret Eccleſia. Itaquidem ipſum compoſitum animo fuiſſe, alijſq; innotuiſſe, inde facile poteſt intelligi, quod ſemper (vti indicant Acta Conciliorum Arelatenſis & Lugdunenſis) communicationem habuit cum ſanctiſſimis Orthodoxis Galliarum Epiſcopis. Maneant igitur Fauſto integra iura ſua, nec ex noſtris ſcriptis ſentiat præiudicium: neq; priuato iudicio nouitati liceat conuellere antiquitatem. Hæc Baronius.

Epiſt. 1.

F

FAVSTI RHEGIENSIS GALLIARVM, EPISCOPI DE POENITENTIA AD FELICEM PP. ET PAtricium, Epiſtola.

Domino piiſſimo & ſpecialibus officijs excolendo, vt confido, in æternum Fratri, & per omnia domino Fœlici, Fauſtus.

MAGNVM pietatis & fidei teſtimonium, quod per tantarum vaſta interualla regionum, & per tot rerum interiecta diſcrimina, ad nos vſque latitudinem veſtræ charitatis extendiſtis. In hac relegatione noſtra, artifex Dei noſtri miſericordia, gemina exercet officia, noſtram excutit paterna ſedulitate rubiginẽ, & veſtram circa nos dilucidat fidem, veſtramq; adprobat pietatẽ. Nos elimat benigna ſolertia, vos producit; nos coanguſtat ſalubriter, vos dilatat. Nos arguimur, vos proficitis, detrimenta noſtra in veſtra tranſeunt commoda. Cùm fœneratores noſtri ſitis, incipitis noſtri eſſe debitores, ſi quidẽ cauſa veſtræ deuotionis, & mercedis veſtrę materia ſum⁹.

G

Opera veſtra, de nobis capiunt lucrum, merita veſtra, de flagellis noſtris mutuantur augmentum. Veſtrę ſollicitudinis, ad nos, affectus ad Deum, peruenit fructus: ac ſic duplici modo, & de noſtra caſtigatione, & de veſtra retributione, diuinis beneficijs obligamur. Pœnè autem mihi reſpondendi ſilentium, perfectio veſtræ † conſultationis indixerat. Nam ipſa ſollicitudo interrogandi videtur forma viuendi, quam quotidie de Domini mei patris veſtri S. Epiſcopi † Leonij efficacibus doctrinis & præſentibus documentis ſufficienter attrahitis. Non autem miror ſi & meum (quamlibet ex ſuperfluo) requiritis inſtitutum, cuius, circa vos ſingularem noſtis affectũ. Creditis, in adiutorium fidei veſtræ, magiſterium meum tam perfectũ eſſe quam votum eſt: ſed, licet ſermo meus (quem lentiorem, etiam præſens reddit infirmitas) veſtro ſufficere vix poſſit ardori, tamen paucis conuerſationem veſtram nõ tam inſtruam, quam reuoluam.

†*al.* cõſolationis. Leontius Epiſcop⁹. †*al.* Leontij.

Magnam ſollicitis perhibet cautionem agnitio peccati, metus Iudicij, terror Ignis æterni. Itaq; ad immolanda orationum ſacrificia, amica ſunt fruentibus nocturna ſilentia, quibus, vſq; ad horam tertiam lectio moderata ſuccedat, vt exercitium ſpiritale nõ deſinat deſiderare, & ſemper poſſit augeri.

Remediũ triplex cõtra peccata.

H

Nocturna ſilẽtia lectioni & orationi amica.

Vtinam prouideat Dominus vel duo fida ſolatia, cum quibus diurnas & nocturnas exigas functiones, & vel biduo in ſeptimana ſalutantium frueris officijs. Ardua ſunt quæ pro interrogantis feruore colloquimur: ſed ille laborantiũ benignus adiutor, tam leue tibi faciat iugum ſuum, quàm iucũdum erit præmium ſuum. Igitur ſi trepida parum amplius rudimenta permittunt, alternis hiemales dies ieiunijs tranſigantur: quæ ſicut moderari conuenit, ita neceſſe eſt duplicari: duplicari, inquam: duo enim ſunt abſtinentiæ genera: Vnum eſt, incontinentiæ appetitum, à cibo & potu & à diuerſis carnalium ſuauitatum illecebris coercere, & vomere Crucis, terrã ſubiecti exterioris edomare, & neceſſitati potius quam voluptati temperata moderatione

Ieiunia moderãda, ſed tamen duplicanda. Abſtinẽtiæ duo ſunt genera.

A

Vita, ſenſim in melius cómutanda.

ſeruire paulum ſi permittat infirmitas, vel alternis diebus donec vis longæ conſuetudinis ſenſim diſſueſcat accipere. De viſu verò indumentorum, paulatim ſe grauitas ad inferiora ſubmittat, ne ipſa nouitas ſubitę mediocritatis offendat. Obſeruandum eſt etiam, ne elatio de nimia humilitate generetur, & vitium de virtute naſcatur; quæ tamen facilè ſuperabitur, ſi confuſibilis illa præteritæ cũuerſationis hiſtoria ante oculos adducatur, & rea conſcientia trepidis ſenſibus præſentetur. Ita fiet, vt dum per recordationem prętetitorum malorum à diabolo ingeſta præſumptio caſtigatur, dumque iactantia validis culpatum armis victa propellitur: crimina quæ generauerant mortem, militare incipiant ad ſalutem, inque remedium delicta proficiant, & medicina de vulneribus producatur, & ſicut dixit Apoſtolus, *de peccato* claboremus *damnare peccatum*. Alterum abſtinentiæ genus eſt multo ſublimius multoque precioſius, motus animi regere; irrationabiles perturbationes & cogitationum inter ſe colluctantium rebelles tumultus mẽtis imperio ſubiugare, malitię virus, tanquam functum aliquod maleficium, de penetralibus cordis expuere, & animam contra diuerſarum fluctus tentationum, conſtantiæ moderamine gubernare, & contra paſſiones occultas velut contra domeſticos inimicos, rixam quandam, iraſcentis fidei auctoritate cũſerere, inanes curas longè repellere, & à noxijs colloquijs ac deſiderijs quibus diabolus paſcitur abſtinere, & per manſuetudinem, patientiam, tranquillitatem Dei in vultu exteriore excolere virum ſpiritualia & diuina cogitantem, vt triſtitia non frangat, lætitia non reſoluat, ſtabilitum in timore Dei pectus oſtẽdat magnanimitatis æqualitas, vt nobis coaptari poſſit Libelli illius inſigne principium, *Erat vir vnus abſtinens ſe ab omni re mala. Vir*, inquit, *vnus*; hoc eſt, ſemper idem: quia nihil erat in eo dubium, nihil duplex, nihil accidens, nihil varium vel diuerſum, ſed eum in ſtatu virtutum ſuarum, æquali ordine permanentem, tempora non mutabant, nec eum (vt maximis fluctibus mos eſt) in alternas partes diuerſa ventorum flabra verſabant. Ita & ſollicitus Dei famulus, inconcuſſa fidei mole fundatus, in hoc tantum (Chriſto in ſe operante) mutetur, vt nouis ſemper virtutibus induatur. Ante omnia, inquantum Deo adiuuante poſſumus, illas in nobis quinque ſenſuum expugnemus illecebras. Quicquid enim pulchreſcit viſu, quicquid lenocinatur odoratu, quicquid molleſcit attactu, quicquid dulceſcit guſtu, quicquid blanditur auditu, hæc omnia ſi his abutamur, intentionem de ſpiritalibus ad terrena deuoluunt. Et ideò ſicut pater fidei Abraham, quinque illos Reges, in trecentis decem & octo, myſterio intra literam latente, deuicit: ita & nos contra hos principales vitiorum duces, in Ieſu nomine & Crucis ſigno (hoc enim vtraq; ęra † exprimunt) dimicemus, vt audire mereamur à Domino: *Vincenti dabo coronam vitæ, & qui vicerit non lædetur à morte ſecunda: Et, quia regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Vim enim ſibi factura eſt anima, vt carnales affectiones ſpiritui ſubdat, vt crucem delicijs præferat, vt vigilias ſomnis dulcibus anteponat, vt aduerſarium in membris ſuis vincat, vt ex alio alter effectus homo ad illã Domini præceptionem idoneus inueniatur: *Si quis*, inquit, *vult poſt me venire, abneget ſeipſum ſibi.* Si quis ex iracundo, patiens efficiatur, continens, ex luxurioſo, placidus, ex cruento, benignus, ex inuido, largus, ex cupido, toties nos negamus, quoties nos ad meliora conuertimus. Et ideo, vt ad hoc aſſurgamus quod eſſe debemus, prius ſtudeamus odiſſe quod ſumus. Oportet vt hic prius mutetur ad vitam, qui illic mutari optat ad gloriam.

Medicina ex peccatorũ vulneribus. *Rom.* 8. 3.

B

Iob 1.

C

5. Senſuũ illecebræ expugnandæ.

Gen.

† *al.* exprimit.

Apo. 2. 11.

Mat. 11. 12.

D

Abnegare ſe ipſum, quid ſit. *Mat.* 16. 24

E

EIVSDEM FAVSTI RHEGIENSIS GALLIARVM EPISCOPI, CONTRA NESTORII ERROREM, AD G. DIACONVM, EPISTOLA.

Epiſt. 2.

Domino ſancto & in Chriſto deuinctiſſimo fratri GRECO, *Diac. Fauſtus.*

Alias Gregorio, & Græco.

HONORATVS officio tuo, honoratus iudicio, prouocatus affectu; loquar tecum in humilitate ſincera, in libertate beneuola, in charitate non ficta, in vẽrbo veritatis. Et licet mihi tacẽdi cauſam indicere potueris, dũ benigno ac nimis credulo animo tantum pœnæ mihi quantum tibi peritiæ & eruditionis indulges: tamen per interrogandi ſollicitudinem, impuliſti mihi reſpondendi neceſſitatem, qua cum abſente, non ſine trepidatione, mihi æſtimo colloquendum: quia de rebus tam profundis, & meas ac tuas vires excedentibus, nõ minus periculi eſt reſpondere quam incondito ſtylo ingentia ſacramẽta committere: & ideò charum meum, in his quæ nimis temerè protulit, tacendo magis caſtigare debuiſſem. In tantæ autem rei conſultatione, in qua longè viam regiam reliquiſti, aliquos expertæ ſcientiæ viros, eruditione atq; ætate ſeniores, quibus credere facilius poſſis, interrogare debueras, ſecundum illud Propheticum; *Interroga patrem tuum & indicabit tibi, ſeniores tuos & dicent tibi.* † Deinde in his quę agimus vel quæ dicimus, atq; ad extremum ſcriptis mandare præſumimus, fructum profectumq; operis expectare debemus: In hac autem ſcriptiuncula quam ad me dirigere dignatus es, non eloquentia, non ſcientia, non ratio, non ædificatio aliqua ordinati aut compuncti ſermonis apparet; ſed teſtimonia confuſiſſimè pro memoriæ facilitate, congeſta, temeritatem incauti cordis accuſant. Nouit Dominus, quia ſtupefactus, præ ſtudio tuæ ſalutis hæc colloquor: ſic, & te, interrogaſſe, & me, reſpõdiſſe, ad bonum commune proficiat. In Scriptis ſancti Pontificis Auguſtini, etiamſi quid putatur apud doctiſſimos viros eſſe ſuſpectum, ex his quæ damnanda iudicaſti, nihil noueris reprehẽſum, ſed Fidei ſenſum, maximè de duabus ſubſtãtijs vel naturis Dei & hominis Domini ac Redẽptoris noſtri, ſcito apud Catholicam, non ſolum Patrũ auctoritate ſuſceptum; ſed etiam Apoſtolicis oraculis conſecratum. Proinde verbũ hoc quod more Prophetico ad te factum dicis; vt certum eſt, non Dei ſpiritu, & apud Deũ & apud homĩes valde damnabile eſt, niſi prior ipſe damnaueris. Ergo vt alijs prætermiſſis hunc duplicem errorem & de hæreſi natũ & in pericula hæreſis pertrahentem, breui (quãtum abſens poſſum) ſermone conſtringam, cum ſanctæ ſinceritati tuæ, multorum (nũ, qualis ego ſum) neceſſaria eſſet pręſentia magiſtrorum: primo loco ignoranter & ſatis periculoſè, non dicam, ſcribitur; ſed, cogitatur, ſuſcipi non debere vt homo mater Dei ſit: quod de Neſtorianæ hæreſis impietate deſcendit; qui prophano auſu diſputare non timuit, beatam Mariam tantũ matrem fuiſſe hominis, non etiam Dei: & ideò, pro hoc, Catholicæ per omnẽ mundum Eccleſiæ diſtrictione damnatus eſt. Non debet (inquit) ſuſcipi, vt homo mater Dei ſit: ſed vbi eſt illud propheticum vel euangelicũ, *ecce virgo concipiet & pariet Filium, & vocabunt nomen eius Emanuel, quod eſt interpretatũ, nobiſcum Deus*? Et iterum in Euangelio: *quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Vbi etiã illud eſt quod ſuſcepta per oẽs Inſulas & Eccleſias, Patrum ſignat auctoritas contra Neſtorium loquens: Maledictus, inquit, qui filium Dei Deum verum de Maria non nuper natum pro noſtra ſalute non confitetur? Secutum eſt vt diceres Dei & hominis vnam eſſe naturam, hoc modo; vnam Dei eſſe ſubſtãtiam. Rectè dixeras, ſi de ſola Trinitate dixiſſes, vbi vna atque eadem eſt, ſub trium Perſonarum diſtinctione, natura.

F

Deu 32. 7 *in m̃ Rẽ* ... *e Canſ.* ... *ddum* ... *ed abſq; dubio, qui vel qualemcunq; terminũ D... ẽ, declinare oporet errorẽ. Deinde &c.*

G

H

Iſai. 7. 14.

Mat. 1. 23

Cæte-

A

Cæterùm cum ad hominis aſſumpti incarnationem venitur: ſicut hominis & Dei vnam confitemur eſſe perſonam; ita duplicem ſcimus eſſe ſubſtantiam. Qui autẽ vnius naturæ aſſerit Deum redemptorem: aut hominem in diuinitate, aut Deum negauit in corpore; cum redemptio noſtra non ex alterutro, ſed ex vtroque perfecta ſit. Hoc autem loco vnum ſine alio erroris periculo noſtræ fidei ſolius † noſtri eſſe naturã. Ergo in ſubſtantia maieſtatis ſuæ, diuinitas crucifixa eſt? Si vnam Dei ſolius naturam dicis; in ſubſtantia ſua, maieſtas mortua vel ſepulta eſt? Quæ omnia Deus non in ſe, ſed in natura ſuſcepti hominis excepit. Nihil enim Deus † ſenſit cũ patientis ſenſu; ſed ſenſit cum patientis effectu: nihil ſenſit pro diuerſitate ſubſtantiæ, ſed ſenſit pro vnitate Perſonæ. Vnitate coniunxit, & conſequenter adiecit; nos vnum eundemq́; verum hominem & verum Deum intelligimus: Et iterum; nos, verum Deum & verum hominem nullo modo ambigimus confitendum. Accipe etiam in hymno S. Antiſtitis & confeſſoris Ambroſij, quem in natali Dominico, Catholica per omnes Italiæ & Galliæ regiones perſultat Eccleſia; *Procedit de thalamo tuo geminæ gigas ſubſtantiæ.* Refuge ergo mi ci hæc, ſancte frater, alterutræ partis errorem: ſi tantum Dei naturam dixeris; impoſuiſti Deo conditionem paſſionis & mortis: ſi verò tantùm hominis naturam dixeris; ſubſtraxiſti Deo gloriam redemptionis, ſubſtraxiſti auctori poteſtatem Reparatoris. Audi quomodo ſacra eloquia, per vnam perſonam explicant vtramq́ue ſubſtantiam. Iuxta diuinam Naturam loquitur; *Ego & Pater vnum ſumus*: ſecundum humanam naturam confitetur; quia *Pater maior me eſt.* Iuxta cœleſtem naturam pronunciat, *omnia quæ Pater habet, mea ſunt*: Iuxta terrenæ naturæ infirmitatem dicit, *Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Quaſi homo indicabat, *triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem*: Quaſi Deus conteſtabatur, *poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Secundum carnis naturam in cruce pendebat, ſecundùm diuinitatis ſubſtantiam, Paradiſum & regnum cœleſte donabat. Hoc Arriani, obſcurato corde, penitus non videntes, quia præſumptio & elatio ſuffundit mentis intuitum, ad Deũ, quæ erant hominis retulerunt, credentes quod minor loqueretur diuinitas, vbi ſola hominis demonſtrabatur infirmitas. Nullam ponentes inter cœleſtia & terrena rationem, dum naturas in Deo & homine duas recipere nolunt, Dei ſubſtantiam diuiſerunt: & dum ad ſola hominis verba reſpiciunt, Deum qui gloriæ plenitudo eſt, intellectus lumine perdiderunt. Ac ſic, qui Deum filium hominis credendum denegat, Neſtorij impietate maculatur: qui duas ſubſtantias in Redemptore non credit, Arrij laqueo deceptus inuoluitur. Nos verò, mi frater cariſſime, in Chriſtum Deum, ita perfecta & inſeparabili diſtinctione credamus, vt Dei & hominis ſimplicem perſonam & duplicem nouerimus eſſe ſubſtantiam. Sicut anima & corpus, hominem facit, ita diuinitas & humanitas, vnus eſt Chriſtus. Tu autem quod gemino errore præuentus ſcribendum putaſti, ſub duarum Naturarum conuentu ſuſcipi non debere, vt Deus, pater hominis ſit, vt homo, mater Dei ſit: nos, vnam Dei hominiſque perſonam fiducialiter & ſalubriter aſſerentes in eo qui erat in principio, & qui ſub redemptionis noſtræ tempore factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati, id eſt, in veritate hominis, & ſimilitudine peccatoris: Nos (inquam) ita, Deum, patrem hominis ſub perſonæ vnitate teſtamur, ſicut, ſub eiuſdem vnitatis amplexu, Matrem Dei hominem confitemur, iuxta ſymboli auctoritatem (vt alia prętermittam) quia dicimus: Credo & in filium Dei Ieſum Chriſtũ qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine. Qui ſi talis error eſt, in Domino Saluatore vnam & ſimplicem crediſiſſe ſubſtantiam, qualis error eſt, duplicem aſſeruiſſe Perſonam? Nam ſi in ſocietate carnis aſſumptæ, formam famuli Deus induit, duæ ſubſtantiæ non fuerunt. Ergo in homine Deus non fuit, & ſeparata à Deo, perſona hominis, fuit: ac ſi ſub tali ſenſu videbis ſubitò quartam neſcio vnde accreuiſſe perſonam; & in hunc intellectum, prauitatis conſequentia præcipitaberis, vt iam non Trinitatem neceſſe ſit confiteri. Audi potius quemadmodum Sanct. Eſaias, diſtincto ordine coniunctoque diſcrimine, Domini noſtri ac redemptoris natiuitatem diſponat: *Paruulus* (inquit) *natus eſt nobis, filius datus eſt nobis.* Accipe, Filium Dei in extrema parte ſæculorum, ex innupta matre, natum ignorante & fide maritante progenitum, ſuperueniente in Virginem ſancto Spiritu, hominem Deo mirabiliter impletum, & Deum, in hominem miſericorditer commutatum, nec exinaniſſe gloriæ magnitudinem; ſed per ſuſceptam ſerui conditionem, Domini oſtendiſſe pietatem. *Paruulus natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis!* Natus eſt nobis qui ſibi erat. Datus ergo ex diuinitate, natus ex Virgine; natus qui ſentiret occaſum, datus qui neſciret exordium. Natus qui & matre eſſet iunior; datus & quo nec pater eſſet antiquior: Natus qui moreretur; datus per quem vita renaſceretur. Illic dominatur, hic humiliatur; ſibi regnat, & mihi militat. *Paruulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis: & factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Manifeſtum hominem demonſtrat humerus; latentem Deum loquitur Principatus: Agnoſce duplicem ſub perſonę vnitate ſubſtantiam. De noſtro eſt, quod apprehẽdit, de ſuo eſt quod donauit. De noſtro habuit vnde caderet, de ſuo vnde conſurgeret. De noſtro habuit vnde pro nobis ſolueret; de ſuo, vnde penitus in nullo debitor appareret. De noſtro vnde crucifigeretur, de ſuo vnde glorificaretur. De noſtro dedit peccati hoſtiam, de ſuo, indulgentiæ tribuit gratiam. De noſtro itaque humiliatio; de ſuo eſſe probatur Aſcenſio. De noſtro obtulit ſacrificium, de ſuo contulit præmium. Duarum ergo naturarum capax, homo infirmitatibus agnoſcitur, Deus virtutibus approbatur. Piget, ſermonem, tam manifeſtæ rei aſſertione producere. Scio quod hæc ipſa breuiter ſtrictimque commemorata, temerè committo vel tacitis epiſtolis vel ſenſibus tuis: Sed dum te ad interrogationis ſalubritatem ſollicita humilitate ſubmittis; multũ mihi de erroris huius remedio polliceris. Reuoca quæſo ab hoc diſcrimine pedem tuum, priuſquam in Profundum irreuocabile, elationis Torrente rapiaris: & rectum animi ſenſum qui multæ elationis pondus non ſuſtinet, nec nouit theſaurum ſcientiæ diſpenſare, magis laboris occupatione caſtiga. Tempera immoderatum abſtinẽtiæ rigorem, qui etiam menti generat infirmitatem; quem puto inde naſci, vnde ſcribendi præſumptionem. Regredere ad viam regiam, nutricem elationis refuge Solicitudinem: & quia legimus, *Manducare mel multum, nõ eſt bonum* (magis enim inflat parum fundatum ſenſum, ſcientia; quam ædificat) ita caue nimiam lectionem, vt cordi parũ capaci, tanquam ſumpti immoderatius vim periculoſam noueris ebrietatem. Nũquam cogitationibus tuis credas, ſed magis imitanda legas, quam legenda conſcribas: & in mente tua loquaris ad Dominum, *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Et ſi euadere pericula non de foris ingruentia, ſed intus concepta deſideras, nihil tibi vtilius ſcias, quàm vt ſub alio quocunque probatiſſimo abbate vitam tuam munias, ac voluntates tuas ſenioris legibus tradas. Et vt aduerſarij inſidias poſſis ſuperare, te ſcripturulam ipſam retinendam, imò ſupprimendam putaui: ne vltram alterius alicuius catholici, qui te minus diligeret, manum & conſcientiam veniret. Ex hoc autem poteris agnoſcere ſana eſſe intima cordis tui, ſi adhuc quaſi liber me cultorem tuum humiliter & amabiliter commonentem ſollicite & libenter audieris. Ante interrogationem iocaura videbitur fuiſſe perſuaſio: poſt reſpõſionem inexcuſabilis apparebit intentio. Quòd ſi inter hæc aliquid mihi, qui auſteris magis quàm dulcibus ſanari animam tuam cupio, credideris imputandum,
memento oſculis malè blandientis præponi vulnera
charitatis.

Marginalia (left): † *al.* ſolius Dei noſtri. — Chriſtus, quomodo paſſus ſit. — † *m.ſ.* ſenſit paſſus ſenſu, ſed ſenſit compatientis affectu. — B — Ioan. 10. 30. — Mat. 26. 38 — Ioan. 10. 18 — Elatio, excæcauit Arrianorũ mentes — C — D

Marginalia (right): E — Iſa. 9. 6 — Natura ignorãte, & fide maritãte nat' eſt Chriſtus. — Naturæ duæ in Chriſto. — F — G — Animus elatus, labore caſtigandus. Abſtinẽtiæ rigor mentem debilitat. — Prou. 25. — Nimia lectio, inſtinis periculoſa eſt. — Pſal. 18. — H

Digitized by Google

A

Epiſt.3.

EIVSDEM

FAVSTI EPISTOLA AD LVCIDVM PRESBYTERVM.

DOMINO DEVINCTISSIMO ET MIHI SPECIALI AFFECTV VENERANdo ac † ſuſcipiendo, Fratri Lucido Presbytero, Fauſtus.

† al. ſuſpiciendo.

GRandis charitas eſt parum cauti fratris errorē, per Dei adiutorium & gratiam magis velle curare, quā ſicut ſummi Antiſtites meditantur; à bonitate ſuſpendere. Quid poſſum de hoc ſenſu, ſicut vis cum vnanimitate tua per literas loqui, cùm te præſens multa & blanda & humili collocutione nunquam potuerim ad viam veritatis attrahere. Loquentes ergo de gratia Dei & obedientia hominis, id omnimodo ſtatuere debemus, vt neque proni in ſiniſtram, neque importuni in dexteram, regiam magis gradiamur viam. Illud autem venerationem tuam dixiſſe miratus ſum, quod nullus vnquam ſub religioſa profeſſione contra catholicam fidem, vel ſcripſerit vel prædicauerit: cum plurimi multiplices & profanos errores ſuos, etiam ſcriptorū monumentis crediderint inſerendos, qui tamen Chriſtiano nomine gloriabantur. breuiter ergo dicam, quantum cum abſente loqui poſſum, quid ſentire cum catholica eccleſia debeas, id eſt, vt cum gratia Domini operationem baptizati famuli ſemper adiūgas, & eum qui prædeſtinationem, excluſo labore hominis, aſſerit, cū Pelagij dogmate deteſteris. Anathema ergo illi, qui inter reliquas Pelagij impietates hominem ſine peccato naſci, & per ſolum laborem poſſe ſaluari, dānanda præſumptione contenderit, & qui eum ſine gratia Dei liberari poſſe crediderit. Item anathema illi, qui hominem cum fideli confeſſione ſolenniter baptizatum, & aſſerentem catholicam fidem, & poſtmodum per diuerſa mundi huius oblectamēta prolapſum in Adam & originale peccatum perijſſe aſſeruerit. Item anathema illi, qui per Dei præſcientiam in mortem deprimi hominem dixerit. Itē anathema illi, qui dixerit illum qui perijt, nō accepiſſe vt ſaluus eſſe poſſet, id eſt, de baptizato, vel de illius ætatis pagano, qui credere potuit & noluit. Item anathema illi, qui dixerit quod vas cōtumeliæ non poſſit adſurgere vt ſit vas in honorem. Item anathema illi, qui dixerit quod Chriſtus nō pro omnibus mortuus ſit, nec omnes homines ſaluos eſſe velit. Cùm autem ad nos in Chriſti nomine veneris, aut cum à ſanctis ſacerdotibus euocatus fueris, tūc opportunè, ſi Dominus iuſſerit, locis ſuis teſtimonia proferemus: quibus & quæ catholica ſunt manifeſtētur, & quæ catholicis ſunt contraria, deſtruantur. Nos autem per illuminationem Chriſti veraciter & confidenter aſſerimus, & eum qui perijt per culpam, ſaluum eſſe potuiſſe per gratiam, ſi gratiæ ipſius famulatui, laboris obedientiam non negaſſet. Et eum, qui per gratiam ad bonæ conſummationis metas, ſeruitio obſequente, peruenit, cadere per deſidiam, & perire potuiſſe per culpam. Nos ergo per mediū Chriſto duce gradientes, poſt gratiā, ſine qua nihil ſumus, laborem officioſæ ſeruitutis aſſerimus, ſed omnimodo arrogantiam & præſumptionem laboris excludimus, vt totis viribus deſudantes ne gratia in nobis euacuetur, quicquid de manu Domini ſuſceperimus, donum pronuntiemus eſſe, non pretium, ſcientes laboris ipſius fructum officij rem eſſe non meriti, cùm Euangeliſta dicentes: *Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.* Hæc quæ ſtrictim pro epiſtolæ breuitate memorata ſunt, aut recipere ſe, aut reſpuere vnanimitas tua recurrente ſermone reſpondeat. Cæterum qui hanc veritatis menſuram, gratia præcedente & conatu adſurgente, nō ſequitur, dignus erit qui à ſacris liminibus arceatur. Ego tamen indiuiduam mihi bonitatem tuam toto ſynceræ benignitatis amplexu in via retinens, in matris eccleſiæ gremio permanere, repudiato hoc errore, deſidero. Qui ſi cito reſpuatur, ignorātiæ fuiſſe videbitur. Blaſphemia vero reputabitur, ſi pertinaciter defendatur. Grauem namque in autorem retorquemus inuidiam, ſi dicamus quod ei poſſibilitatem capeſſendæ ſalutis noluerit dare qui perijt, ei duntaxat qui capere iam poſſit arbitrij libertatem, cum minimè negare poſſimus, quod mandati præuaricatorem in iudicij ſui examinatione damnabit. Qui enim non eſt obnoxius de ſuſcepto, neſcio quomodo reus poſſit eſſe de perdito. Ac ſic peccantes in Deum, cuius in primis incautius aſſeruimus gratiam, in poſtremis eius videbimur impugnare iuſtitiam. Huius autem Epiſtolæ exemplar mecum retineo in conuentu ſanctorum antiſtitum, ſi ita neceſſe fuerit proferēdum. Quam ſi ſuſcipiendam putauerit fraternitas tua, aut ſubſcriptam manu propria mox remittat, aut ſequentibus ſcriptis omnino ſe improbaſſe reſpondeat. Quod ſi eam ſubſcriptam (vt dixi) tranſmittere nolueris, apertè adhuc te in errore perſiſtere ipſo ſilentio comprobabis: ac proinde iam neceſſitatem mihi facies ad perſonam tuam publicis conuentibus exponendam. Et ideo ſecundum hæc, quæ à me ſunt directa: reſcribe, vtrum ea remotis circuitionibus aut cognoſcas, aut reſpuas.

Luc.17.

B C D E F G H

Et ſubſcripſerunt Epiſcopi, qui ordine ſubſequuntur, qui in ea quoque Synodo adfuerunt.

Auxanius in Chriſti nomine Epiſcopus relegi & ſ.
Fauſtus exemplar Epiſtolæ meæ relegi & ſ.
Paulus Epiſcopus in Chriſti nomine relegi & ſ.
Eutropius in nomine Chriſti Epiſcopus rel. & ſubſ.
Pragmatius in Chriſti ſigno Epiſc. relegi & ſ.
Patiens in Chriſto Epiſcop. rel. & ſ.
Eufronius relegi, & admiratus ſum plenitudinem ſanctam.
Megetius Epiſcop. relegi & ſubſcripſi.
Claudius in nomine Chriſti Epiſcop. relegi & ſ.
Leucadius in nomine Chriſti Epiſcop. relegi & ſ.
Iulianus in nomine Chriſti Epiſcop. relegi & ſ.
Lucidus Presbyter relegi & ſ.

ADMONITIO HENR. CANISII Ad Lectorem.

HÆ, ſubſcriptiones non ſunt in m. ſ. codice. Sed ſequuntur quædam aliena. primo fragmentum quoddam breue auctoris incerti: deinde fragmentum ex proœmio S. Hieronymi commentarii in Epiſtol. ad Epheſ. Tertio fragmentum Epiſtolæ, quæ à viro, an à fœmina ſit conſcripta, neſcias, ita variat ſexum dictio quæd. Index Epiſtolarum initio attribuit S. Hieronym. ſed falſo. Quarto ponitur Epiſtol. titulo S. Hieronymi ad Marcellam viduam, cuius hoc initium eſt: Quamlibet ſciam ſacerdotali familia, non niſi electas verborum victimas offerendas, &c Finis vero eſt iſte: Quod de tam excelſis loqui præſumpſimus, imputabit. Sed hæc Epiſtola, certum eſt, quod ſit ſuppoſititia. & nomini S. Hieronymi falſo adſcripta. Sequuntur poſtea Epiſtolæ Fauſti, Ruricij, Deſiderij, aliorumque, prout hic fideliter damus. In fine autem poſt Epiſtolam 21. quæ eſt Felicis ad Deſiderium (& eſt vltima inter eas; quæ ad Deſiderium ſcriptæ ſunt) ſequuntur hæc verba: Item alia manu Faſtus Exempl. Epiſtolæ meæ relegi, & ſubſcripſi. *Hæc, inquam, verba ſunt, quibus Fauſtus ſubſcripſit Epiſtolæ illi ſuæ erroneæ, quam etiam varijs Epiſcopis miſit, vt ſubſcriberent. Cui Lucidus quod ſubſcripſerit pœnitet, erroremque publicata Epiſtola damnauit. Quæ Lucidi Epiſt. in m. ſ. huic iam citatæ Fauſti ſubſcriptioni ſubiuncta eſt. Extitit quidem tom. 4. Bibl. PP. fol. 878. edit. 2. nos tamen integram damus, quia longe auctior eſt in m. ſ. variantib. locis in margine notatis.*

(* * *)

A

Epiſt. 4.

EXEMPLAR EPISTOLÆ LVCIDI PRESBYTERI.

*Dominis Beatiſſimis, & in Chriſto reuerendiſſimis Patribus * Eufronio, Leontio, Fonteio, Viuentio, Mamerto, Patienti, Vertano, Auxanio, Fauſto, Paulo, Megethio, Græco, Eutropio, Leontio, Claudio, Marcello, Croco, Baſilio, Claudio, Vrſicino, Vrſicino, Prætextato, Pragmatio, Theoplaſto, Leocadio, Viuentio, Iuliano, Amicali, Ioanni, Opilioni, & Lycinio Epiſcop. Lucidus Presbyter.*

** Margarin. Leontio, Eufronio, F V. Mamerco, P. Viriano, Auxiano, Fauſto, Megetio, Paulo, Græco, Eutropio, Baſilio, Leontio, Claudio, Leucadio, Pragmatio, Marcello, Prætextato, Iuliano, Amicali, Ioanni, Opilioni, Licinio, Viuentio, Theoplaſto, Epiſcopus Lucidus.*

B CORreptio veſtra, ſalus publica, & ſententia veſtra, medicina eſt. Vnde & ego ſummum remedium duco, vt præteritos errores accuſando excuſem, & ſalutifera profeſſione me * diluam.

† Marg. Confeſſione me deluam.

Proinde iuxta prędicandi recentia ſtatuta Concilij damno vobiſcum ſenſum illum,

1\. qui dicit, laborem humanę obedientiæ diuinæ gratiæ non eſſe iungendum.

2\. Qui dicit poſt primi hominis lapſum ex toto arbitrium voluntatis extinctum.

3\. Qui dicit, quod Chriſtus Dominus Saluator noſter mortem non pro omnium ſalute ſuſceperit.

4\. Qui dicit, quod præſentia Dei hominem violenter cōpellat ad mortem, vel quod * Dei pereant voluntate, qui pereunt.

*Mar. cū Deip.

5\. Qui dicit, quod poſt acceptum legitimè baptiſmum, in Adam moriatur, quicunque deliquerit.

6\. Qui dicit alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædeſtinatos.

7\. Qui dicit ab Adam vſq; ad Chriſtum nullos ex gētibus per primam Dei gratiam, id eſt, per legem naturæ in aduentum Chriſti fuiſſe ſaluatos, eo quod liberum * arbitrium ex omnibus in primo parente perdiderint.

*Mar. arbitriū in primo.

8\. Qui dicit Patriarchas ac Prophetas, vel ſummos quoſque Sanctorum etiam ante redemptionis tempora * in paradiſi habitatione deguiſſe.

C

*Mar. intra paradiſum.

9\. * *Qui dicit ignes & inferna non eſſe.*

†alio typo excuſa, abſunt in Mar. edit.

Hęc omnia quaſi impia, & ſacrilegijs repleta condēno.

1\. Ita autem aſſero gratiam Dei, vt adniſum hominis & conatum, gratiæ ſemper adiungam.

2\. Et libertatem voluntatis humanæ non extinctam, ſed attenuatam, & infirmatam eſſe pronuntiem. & periclitari eum, qui ſaluus eſt, & eum, qui periit, potuiſſe ſaluari.

3\. Chriſtum etiam Deum ac Saluatorem noſtrum, quantum pertinet ad diuitias bonitatis ſuæ, pretium mortis pro omnibus obtuliſſe.

4\. Et quia nullum perire velit, qui eſt Saluator omnium *hominum*, maximè fidelium, diues in omnibus, qui inuocant illum.

Rom. 10. 12.

5\. † *Et quia in tantis rebus conſcientiæ ſatisfaciendum, memini me ante dixiſſe, quod Chriſtus pro his tantum, quos credituros præſciuit, aduemiſſet, ſententias Dominicas ſequens, quibus ait ſic, Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam redemptionem dare pro multis. Et illud: Hic eſt calix ſanguinis mei noui teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Vel illud Apoſtoli: Sicut ſemel ſtatutum eſt hominibus mori, ita & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Nunc vero ſacrorum teſtimoniorum authoritate, quæ abundè per ſpatia diuinarum literarū inueniuntur, ex ſeniorum doctrina ratione patefacta, libens fateor, Chriſtum etiam pro perditis aduemiſſe. Quia eodem nolente perierunt. Neque enim fas eſt circa eos ſolum, qui videntur eſſe ſaluati, immenſa diuitias bonitatis, ac beneficia diuina concludi. Nam ſi Chriſtum his tantum remedia attuliſſe dicimus, qui redempti ſunt; videbimur abſoluere non redemptos. Quos pro redemptione contemta, conſtat eſſe puniendos.*

†Hæc abſunt in ed. Marg.

D

6\. Matt. 20. 28. Matt. 26. 28. Marc. 14. 24. Heb. 9. 28.

7\. Aſſero etiam * pro ratione & ordine ſæculorum alios lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus ſcripſit, in ſpe aduentus Chriſti fuiſſe ſaluatos.

E

** m. ſ per ratione & ord. Marg. per rationem & ordinem S. alios lege gratiæ, alios lege Moyſi, alios lege naturæ.*

Nullos tamen ex initio mundi ab originali nexu, niſi interceſſione ſacri ſanguinis abſolutos. 8.

Profiteor etiam æternos ignes, & infernales flammas, factis capitalibus præparatas; quia perſeuerantes *in finem*, humanas culpas, merito ſequitur diuina ſententia: quam iuſte incurrunt, qui hæc non toto corde * crediderunt. 9.

*Mar. crediderint.

Orate pro me Domini Sancti, & Apoſtolici Patres.

Lucidus Presbyter hāc epiſtolam manu propria * ſubſcripſi: & quæ in ea adſtruuntur, adſero, & quæ ſunt * damnata, damno.

*Mar. ſcripſi. † Mar. dānanda.

Domino piiſſimo, & in Chriſto ſummo mihi honore ſingulariter excolendo Ruricio filio Fauſtus.

Epiſt. 5.

LIcet per quamcunque perſonam iucundum mihi ſit cum indiuiduo pectore ipſius charitatis vocibus cōloqui, & ſedula vos officiorum ambitione complecti; ſed nunc quanto opportunius, tanto auidius pignus animi veſtri, miniſterio domeſtici portitoris aſſumpſi; in cuius merito minus aſſignauit relatio, quàm probauit agnitio. Et propterea ad fructum veſtrum creuiſſe gratulatus ſum, quod in eo vita melior cōditionem primæ natiuitatis aboleuit, atque in eo næuum generis manumiſſio religionis abſterſit, & in adoptionem Chriſti perſonam mancipij fide emancipauit & tranſcripſit. Quomodo autem apud eius, vel apud reliquorum fratrum lacteam ſinceritatem agere deberemus latiſſimam Apoſtoli diſpenſationem, expedito digeſſiſtis alloquio, & cum eorum doctiſſima pagina minus doctus aſſerit. Nos tamen in eorum defecatis moribus admirati ſumus per donū manſuetudinis & humilitatis, plenitudinem lectionis. Vincit enim largitas gratiæ inſtituta doctrinæ. Nam etſi ſub exiguo tempore intra eorum lucida pectora, & perſpicua penetralia introduxit ſe morum candida puritas, & præclara ſimplicitas, per quam diuinæ imaginis ſpeculum in interioris hominis nitore perfulget; diuinæ, inquam, imaginis. Ita enim de Domino legimus: Purus, ſimplex, ſubtilis. Sed multo aliud indicat diuina illa ſimplicitas. Siquidem in nobis duplex ineſt, in ſpiritu, & carne ſubſtantia. Nos quod habemus, accepimus. nobis diuerſa virtutum chariſmata adiuncta ſunt, non innata. Sine dubio adponitur, quod auferri poteſt. vt boni ſimus, de auctoris ſumus bonitate mutuati. *Ex illo* quidem *viuimus*: ſed vita, ſicut ille eſt, non ſumus. Iuſti eſſe poſſumus; iuſtitia eſſe non poſſumus. Ille ideo ſimplex; quia nihil ei ex accedenti largitate cōlatum eſt. Qui ex ſe ſubſiſtit, aliunde nihil ſumpſit. Deus & viuens pariter & vita; bonus & bonitas; miſericors & miſericordia; in virtutum ſuarum gloria, hoc eſt ipſe, quod poſſidet. verbotenus homo deauratus eſt. Deus aurum eſt. quod in homine gratia eſt, in Deo natura eſt. Et propterea, quia nihil ei extrinſecus acceſſit, nihil ei detrahi poteſt. Detrimentum non recipit, quia neſcit augmentum. Ipſe & ſibi auctor & filio, quia vna origo eſt & fontis, & fluminis. Ex his, quæ abſq; initio habent, communio eſt, tranſfuſio non eſt.

F

Philem. 1.

G

Act. 17. 28

Et quia de filio legimus: *ſplendor eſt claritatis Dei*: Sicut nunquam Deus ſine ſplendore, ita Pater nunquam fuit ſine Filij maieſtate. Et ſicut vtriuſq; æquæua ſunt nomina (niſi. n. iſte naſceretur. Pater ille non diceretur) ita eos ſine ſeparatione concitat vnius paternitatis antiquitas: ex illo eſt, ſed poſterior illo non eſt: ſicut facies de capite naſcitur, nec tamē capite ſuo iunior inuenitur: ac ſi Deus noſter nec permixtus in perſonis proprijs, nec diuiſus, vna virtus, nec poteſtate diuiſa, nec tempore. Sicut in ſubſiſtētia triplex eſt, quia ſibi quiſq; ſubſiſtit, ita in ſubſtātia ſimplex, quia vnus ſeipſum pręcedere neſciens, nec poſteriorem recipit, nec priorē. Inde & nos de hac accepimus ſimplicitate, ſi in nobis nihil ſit diſſonum, nihil varium, nihil diuerſum, ſi ſemper idem eſſe probabilibus ſtudijs & fundatis in Chriſto ſenſibus enitamur, vt immutabiles in bono, nouis tantum in diem profectibus immutemur.

Heb. 1. 3 Sap. 7. 26

H

A De eo autem, quod quidam prouocationis amore conſuluit, ſalutifera & perfecta meditatio eſt curas animi, partitas per plures terrenæ regimine rei, ſubleuare, & poſt hæc triplici deliberatione tractare, quid melius ſit locare, vel adminiſtrare, vel diſtrahere propriam portionem.

1. Primum reuera bonum eſſet, vt Chriſti famulus, Chriſti pauperis vias ex toto pauper ſtuderet incedere, ſi perfectam magni alicuius monaſterij ſcholam, vel certè inſulam Angelicæ congregationis militiam liceret expetere. Nam in medio ſæculi inſtitutionem Eremiticam profiteri, quanta magnanimitas, tanta eſt difficultas.

2. *Suis verò vicis ſuæ pondus imponere, ſecundum pro animæ releuatione compendium. Sed peruidendum, ſi aliquis filiorum tam arduo ſufficiens eſſe poſſit obſequio. *Ne forte paterna eius* ſonis auctoritas in partem. . . . Optimum eſt in ſecundo gradu ſubnoxio beneficijs administratore conſiſtere, ſi vel voluntas ſuppetat, vel facultas neceſſitatem annuæ penſionis impleuerit.

*ſenis. †locus vitioſus. *ſenis.

3. B Tertium eſt per fidelium famulorum electa ſolacia, impoſitæ procurationis officijs, ſub propria acriore ſollicitudine quantitatem reſeruatæ gubernare ſubſtantiæ, & eum per viam regiam tota mediocritate dirigere. Quod cum ſuadeo, vident vel noſtram vtilitatem, vel pauperum cogitare. In quo ordine non parum eſt lucri, ſi reſeruato vſu, proprietas diſtrahatur. Itaq; breuiter indicâres, quid primum, quid ſecundum; quidve ſit tertium, electionem iudicio, vel poſſibilitati reſeruauimus conſulentis. Quid magis competat quod promptius poſſit impleri, ille inſinuare dignetur, pro cuius timore & amore conſolatio ipſa tractatur. Dominus Deus noſter beneficia in nobis ſua felici ac placita longæuitate multiplicet, Domine piiſſime, & in Chriſto ſummo mihi honore ſingulariter excolende fili.

6. *Domino deuinctiſſimo, & tota pietatis virtute ſingulariter excolendo fratri Ruricio Fauſtus.*

C PRopitia diuinitate in ſecreto religionis congruo, & tranquilliſſimo in ſilentio conſtitutus, in quo Dominus ad rubiginem longa ſecuritate contractam, ſalutiferæ lima caſtigationis admonuit. In hac, inquam, qui & magna, ſi agnoſcamus, vacatione donati, dum nouos ciues commercio charitatis adquirimus, dum de acquiſitorũ ſalute gaudemus, inter hæc poſiti bona, præſenti inſultamus exilio, & patriam nos nõ amiſiſſe, ſed commutaſſe cognoſcimus. Nam dum fideles famuli Dei in neceſſitatibus noſtris bonitatem ſuæ deuotionis exercẽt, ſine ſede propria poſſeſſores, ſine poſſeſſione diuites ſumus. Imò eos, qui de noſtra fructum accipiunt cõſolatione, dicamus; miro modo conſolatores noſtri de pauperculis negotiãtur, & de egenis lucra perpetua conſequuntur. Ego autẽ hanc primam munificentiã, Domino largiente, percepi, quod piiſſimus meus Ruricius poſt vitæ huius iactationes ad portum religionis, proram ſalutis, excelſi manu gubernante, cõuertit, quod poſt vmbras ſeducentium vanitatũ & inluſiones tranſuolantium ſomniorũ, manſura & ſolida concupiuit, & deſpecto tandem ſæculo infelici, artem eius magnã rapuit, felicitatem & lucrum ſui de mundo pereũte adquiſiuit, arte fideli, atq; conlabentium rerum fuga prætereũtes, D qua opes contemptu ſuo conſulit, quæ iam vſu ſuo cõferre nihil poterant. Vnde quanta dudum alacritate ſæcularibus ſtudijs militauimus, tanta nunc deuotione Domino ſeruiamus. Et quia me auſterius loqui ſecum pro peccatorum curatione, pietas veſtra conſtringit, & illius ſententiæ

Prou. 18. 17 nõ obſeruatio mihi, quæ dicit: *Iuſtus in principio ſui eſt accuſator.* In primis ergo lapſus oris, cordiſque vitemus. Sed quod Oris, diximus; ſi cordi ſtudueris adhibere cuſtodiã, ori non laborabis imponere diſciplinam. Sine difficultate

Pſal. 140. 3 *oſtium circumſtantiæ* opponere poteris *labijs tuis*. Illud ſiquidem voce deprimitur, quod prius in officina conſciẽtiæ deformatur. Hoc exterior reddit, quod dictat interior. Mens exercet imperium; lingua famulatum. Et propterea

Mat. 12. 34 cœleſtibus edocemur colloquijs: *Ex abundantia cordis os loquitur.* Quod de ſermone naſci videtur, prius cogitatione concipitur. Vt oris tonus indignationis proferat, animus tuſa præcipiat.

E Et quia duo ſunt ieiuniorum genera, vnum incontinẽtiæ appetitum à malè blandis deliciarum ſuauitatibus coërcere; vt exterior & terrenus homo vomere crucis edomitus commoda infirmitate macreſcat. Alterum abſtinẽtiæ genus eſt multo ſublimius, multo pretioſius, cui nulla contradicere poſſit infirmitas, motus animi regere, & irrationabiles perturbationes vel conluctantium inter ſe cogitationum tumultus, interioris iudicio refrænare, & contra impugnationes occultas, vel contra domeſticos inimicos iram quandam iraſcentes, fidei auctoritate cõterere, & per beneuolentiam, manſuetudinem, patientiam, tranquillitatem, Dei imaginem in facie interioris excolere: cuius decus non in corporis perſonam, ſed in animi formam ſolertia factoris impreſſit.

Virum ſpiritualia & diuina cogitantem triſtitia non frangat, lætitia non reſoluat, ſtabilitum in timore Dei pectus magnanimitas æqualitatis oſtendat: vt & nobis coaptari poſſit libelli illius inſigne principium, vbi ille magnificus Helcana, qui poſſeſſio Dei interpretatur, vir vnus 1. Reg. 1.

F myſtico nuncupatur eloquio. *Erat*, inquit, *vir vnus*, hoc eſt, ſemper idem. Quia nihil in eo apparebat dubium, nihil duplex, nihil varium, nihil diuerſum, ſed eum in ſtatu virtutum inconcuſſo ordine permanentem, accedentia in contrarium non commouebant; mutabilia tempora non mutabant; nec eum, vt magnis virtutibus moris eſt, in alternas partes leuia ventorum flabra verſabant. Ita & ſollicitus Dei famulus vaſta mole fidei fundatus, in hoc tantum, Chriſto in ſe operante, mutatur, vt nouis ſemper gratijs induatur. In agro pectoris plantentur vtilia; noxia ſuccidantur. Et quia militibus ſuis præcepit ſermo diuinus: *Cùm*, inquit, *ad bellum proceſſeris, & inter reliquas prædas* Deu. 21. 12

peteris virginem, abſcindes vngues, & crines eius, & ita eam tibi coniugio copulabis. Ita nos ad ſanctam, Chriſti timore præcincti, prudentiam ſæculi, quæ ſimplex, incorrupta, ſincera, à Deo facta eſt, captiuam ſpiritali ſapientiæ ſubiungamus, ac ſuperflua eius, amputatis vitijs, abſcindamus, & pectori caſta coniunctione ſociemus.

G Ante omnia in quantum, adiuuante Deo, poſſumus, illas in nobis debellare curemus quinq; ſenſuum paſſiones. Quidquid enim pulchreſcit viſu, quidquid blanditur odoratu, quidquid lenocinatur adtactu, quidquid dulceſcit guſtu, quidquid corrumpit auditu, hæc omnia, ſi his abutamur, intentionem mentis de ſpiritalibus ad terrena deuoluent. Et ideo ſicut pater fidei quinque il-

Gen. 14. 14 los Reges in trecentis decem & octo, myſterio in. . . . latente deuicit; Ita per adiutorium Domini, & per CRVCEM ſuam has quinque principalium vitiorum expugnare ſtudeamus illecebras. Per CRVCIS enim SIGNVM, & per SACRVM IESV nomen, apud GRÆCOS HERA vtrius ſupputationis imprimitur. Quibus armis carnalia delectamenta ſuperantea merebuntur audire:

Apoc. 2. *Vincenti dabo coronam vitæ.* Et: *Qui vicerit non læditur à morte ſecunda.* Vnde ipſa facile terrena deſpicis, vel fœnerantis more diſpenſas, dum illud cogitas tempus, quo exurentur peccatores ſicut fœnum, quo æſtuantes gehennæ furore perpetuo, cuius *fumus aſcendit in ſæcula ſæculorum.* Apo. 8. 7. Apo. 19. 3

H Hi, qui neglexerunt oblata, tali morte punientur; vt eis mori in dolore non liceat: morituri vitæ, & morti ſine fine victuri. Dum illud, inquam, tempus ante oculos tuos prouida in futurum mente diſponis, de quo legimus:

Pſal. 65. 13 *Introibo in domum tuam cum holocauſtis.* Id eſt, quando bonorum operum fructu ſubſarcinatus, & iuſtitiæ inſignibus redimitus ianuam vitæ cum triumpho euictæ carnis intrabis. De quo legimus: *Adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus*, id eſt, animæ Chriſto de gentibus adquiſitæ, Pſal. 44. 13

moneta non de ſuo offerent, cum gratiarum actione dicturæ: Ecce multiplicaui talentum quod dediſti. Recipe Matt. 25.

cum vſura diuinæ fœnus tuum. Erit enim tunc quoddam dandi & accipiendi commercium inter hominem & Deũ. Homo afferet, quod laborauit; & Deus reſtituet, quod promiſit. Quo tempore cùm ſanctus alter pro altero remunerandus, corona duplici pro mutua ſalute decorandus, audire mereberis: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.*

Tunc

A Tone vſum præſentium in æternorum proprietatem tranſiſſe mirabeiis, & pro datoribus tuis glorificandus, debitorem te ei fieri, iocunda rerum mutatione gaudebis.

Leontius. Indiuiduum filium noſtrum LEONTIVM, omnemque domum pijſſimos cum maioribus pio ſuſpiramus officio. Dominus Deus noſter beneficiatu vobis ſua, felici & placita ſibi longæuitate multiplicet, Domine deuinctiſſime, & ſola pietatis virtute ſingulariter excolende frater.

Epiſt. 7. *Domino deuinctiſſimo, honore præcipuo ſpecialiter excolendo, Ruricio, filio, Fauſtus.*

GRatias Domino, qui id generali diſpenſatione largitus eſt, vt inter eos quos locorum interualla diſcriminant, liber ac nullis concluſus abſentiæ legibus animus commearet, nihilque eſſet tàm impenetrabile, quod mentis aſpectibus non pateret; ſed per cordis intuitũ inde ſe

B inuicem cari, gratia intercurrente, conſpicerent, vbi caritas ipſa conſiſtit.

Habet liquidem & interior noſter oculos ſuos, quibus ſe conſcientiæ teſtis introſpicit; quibus in ſe conuerſus aut erubeſcenda, aut gaudenda conſideret; quibus diem vltimum peruidet; quibus vel confuſibilem, vel, Deo tribuente, laudabilem totius vitæ hiſtoriam, ante animæ ſuæ faciem prouida in futurum cogitatione diſponit, & in præſentiam trepidæ ſollicitudinis tempus reddendæ rationis adducit; & ea, *quæ parauit Deus diligentibus ſe*, in ſecreta pectoris ſui pagina, ipſe imaginante, depingit. Quos,

Eſa 64.4. 1.Cor.2.9. vt puto, oculos & ipſe ad tremendi Iudicis thronum ſemper attollis, vt de te illud Propheticum meritò dici poſſit:

Eccl. 2.14. * Locus vitioſus. *ſapientis oculi in capite eius.* * Inde eſt ab eo enim illic filius mater ... ditores tuus. Inde eſt, inquam, quòd præſentium rerum relinquenda ſubſidia, quaſi auidus fœnerator, per pretia captiuorum, in ſinu remuneratoris, ſeminantis more, commendas; de vſu proprietatem facis, & in perennes theſauros petitura conuertis. Inde eſt quod cum

Sara. C fideliſſima SARA tua ſub vno CHRISTI iugo ad communem tendens coronam, terrenorum deſpector, & cœleſtium competitor, ſæculi peregrinus, & Paradiſi candidatus; mundo huic, qui iam non habet, vnde decipiat vel ſeducat, miles Chriſti ſecretus illudis. cum regni interminabilis ſocia ieiunijs, & orationibus, & quadam fidei manu ianuam vitæ, pia coniuratione, pulſatis, vt duplicem palmam de mutua ſalute capiatis.

Sed inter hæc patuit eſt, quidquid agitur, vt cauſæ inſanabiles hic ſanentur, vt inextinguibilis ignis hic extinguatur, vt ineluctabiles neceſſitates hic ſuperentur, vt hic peccatorum ſagittæ de animæ viſceribus euellantur, vt hic vlnera ipſis altè medullis impreſſa curentur, vt hic maculæ inuiſibiles diluantur, vt hic æterna gaudia fidelium ſtudiorum labore comparentur. Illic quidem vita præmium iſtius erit; ſed oportet, vt illius iſta ſit pretium.

Prælatis itaque obſequijs, quæſo, vt cùm ſe facultas opportunè præbuerit, gaudere nos de veſtra ſoſpitate ac pro-

D ſperitate faciatis. Pro filijs & diaconibus meis vberes refero gratias. Dominam filiam meam religionis ſpeculum, & pietatis exemplum, debito cultu veneratus ſaluto. Dominus Deus noſter magnificandam mihi bonitatem veſtram, & præſentibus repleat bonis, & dignam reddat æternis, Domine deuinctiſſime & honore præcipuo ſpecialiter excolende fili.

8. *Domino Beatiſſimo, & ſummo mihi honore ante omnes ſingulariter excolendo, Fratri Ruricio Epiſcopo Fauſtus.*

TAnta mihi de animi veſtri benignitate fiducia eſt, vt ex eius fonte puriſſimo non iam ſolus haurire contentus ſim, ſed alios quoque, qui eius vſu mecum reficiantur, inuitem. Præſertim cùm prorogata huius largitas in lucrum tranſeat largientis; eiuſq; bono ita muneretur accipiens, vt non minuetur impertiens; & iſſi noctem ſœnoris ſui creſcat expenſis, Domine beatiſſime, & ſummo mihi honore ante omnes ſingulariter excolende.

E His itaque caritatis inexſolubilem penſionem, quo ſoluentis magis reoſus dilatus, exhibeo, & materiam boni operis ingerere pro laborantium commendatione præſumo. Quia etſi inſinuationem meam ad fructum veſtrum pertinere confido, & ideo miſericordiam, quam miſeris Eccleſiaſtica præbere conſueuit humanitas, harum portitori, qui in LVGDVNENSI pertulit captiuitatem, negare non potui. Vtinam tam poſſit prompta eſſe fidelium largitas, quàm huius nimis manifeſta neceſſitas eſt. Et quia in ſe aliquatenus abſolutus, in vxore vel filiorum tenetur ſeruitute captiuus, prælatis officijs, quæſo, vt miſeri benignitatis veſtræ, etiam in huius conſolatione teneatis, & apud ante poſitos, quò popoſcerint, litteris proſequatis.

Conſeruus, & præcipuè admirator veſter, frater meus, Presbyter MEMORIVS mecum reuerentiſſimè ſoſpitant. Dominus Deus noſter memorem mei piam beatitu- Memori'.
dinem veſtram Eccleſiæ ſuæ profectibus felici longæuitate conſeruet, domine beatiſſime, & ſummo mihi honore F
ante omnes ſingulariter excolende frater.

Domino Beatiſſimo, debita pietate ſuſpiciendo, atque Apoſtolica ſede digniſſimo, Fratri, Ruricio, Epiſcopo, Fauſtus. 9.

GRatias ad vos, dum vobis de patria ſcribimus, qui nobis patriam in peregrinatione feciſtis, qui indefeſſa liberalitate patriæ deſideria temperaſtis; vim quandam diuinæ iuſtitiæ ſuccedentibus ſibi beneficijs inferentes; vt quod intulerat ad caſtigationem, conuerteret ad honorem, conferret ad conſolationem, mutaret ad requiem mentis; noſtra prætermitteret, vt veſtra cumularet; debita obliuiſcens, & lucra veſtra multiplicans; apud vtraſque partes magnitudinem ſuæ bonitatis exercens, nos veſtro locupletaret obſequio, vos noſtro ditaret exilio. Vnde factum eſt, vt iam in præſenti benedictionem, futurorum impatiens, diſpenſaret, & fideliſſimum famulum ſuum ſuper candelabrum domus ſuæ, cooperante miſericordia, iuſtitia, ſinceritate, continentia, benigni- G
tate, id eſt, domeſticis ſuffragatoribus, ſublimaret. Ecce quali precio RVRICIVS meus ſummum ſacerdotium comparauit. Vnde emit, ipſum eſt, quod emit; & teſtibus proprijs adclamantibus, in ſe honoris cauſas, refugia honoris exhibuit. Tantũ itaque munus ſcit in CHRISTI nomine cuſtodire, qui ſciuit adquirere.

Harum autem portitorem ſanctum Presbyterum FLORENTIVM mihi iam diu cognitum, & exemplis magiſtri, & morum floribus adornatum; qui pro germanæ ſuę abſolutione peregrinatur, inſinuò, qui mihi opportunum
gratus mediator ingeſſit. Omnem domum * noſtram, ſe- * Fort. veſtram.
niores cum iunioribus paterno ſoſpitamus affectu. Conſerui mei, debitores, & admiratores veſtri, mecum reuerentiſſimè ſoſpitant. Dominus noſter magnificandam mihi beatitudinem veſtram Eccleſiæ ſuæ profectibus, noſtriſque gaudijs perfecta longæuitate conſeruet, Domine beatiſſime, debita pietate ſuſpiciende, atque Apoſtolica ſede digniſſime frater. H

Domino religionis honore ſublimi, ac fidei meritis magnificando filio Ruricio Græcus. 10.

GRatias DOMINO, quod fidei veſtræ meritum ſicut proficit deuotione, ita creſcit & opere. Laborantium neceſſitates ſollicitudine præuenis, benignitate foues, humanitate ſuſtentas. His enim rebus, iuxta Apoſtolum, *ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes, ſpe gaudentes*, diui- Rom. 12.11
nas vobis æternæ retributiones acquiritis. Sed in ſublimitate veſtra iſta non noua ſunt; quia animus veſter ſicut plenus eſt Dei timore, ita plenus eſt caritate; Caritate, inquã, quæ ſolo vſu proficit, & largiendo ſuccreſcit; & penſum faciens, & detrimenta non ſentiens. Dum enim dependitur, non expenditur; ſed magis, dum prorogatur, augetur; eiuſque gratia ita muneratur, percipiens, & non minoratur impertiens, quæ ad ſimilitudinem diuinitatis dat quod habet, habetque quod dederit.

A

ANNOTATIO IN SEQVENTEM.
Epiſtolam Fauſti, quæ eſt decima ſexta.

Gennadius de hac Epiſtola loquitur, dum ait: *Legitimus & aduerſum Arianos & Macedonianos paruum libellum, in quo coeſſentialē prædicat Trinitatem. Et alium aduerſus eos, qui dicunt eſſe in creaturis aliquid incorporeum. In quo diuinis teſtimoniis, & Patrum confirmat ſententiis, nihil credendum incorporeum præter Deum.* Hæc Gennadius, qui duos diſtinctos libellos facit ex hac vna Fauſti Epiſtola, cuius prima pars eſt contra Arianos; alia contra eos qui dicunt eſſe in creaturis aliquid incorporeum. Neque mirum quod ſeiunxerit Gennadius. Nam & in bibliotheca Patrum Margar. 2. edit. tom. 4. fol. 759. illa pars huius Epiſtolæ de creaturis, quòd illis nihil incorporei inſit, auulſa eſt à prioribus, & ſeparatim edita, cum priora lucem, quod ego ſciam, nunquam viderint. Nos integram hanc Epiſtolam damus; hac tamen admonitione. Turpem & grauem errorem eſſe hunc Fauſti, eorumque qui Fauſto fauerunt (vt videtur etiam Gennadius fece ſſe) negantium, nullam creaturam eſſe incorpoream. Refutauit hunc errorem, imò hanc ipſam partem huius Epiſtolæ Claudianus Mamertus Viennæ Galliarum Epiſcopus tribus libris de ſtatu animæ, Pattnio & Sidonio inſcriptis, qui libri extant. Vide S. Thom. 1. q. 51. a. 1. q. 6. de potentia, a. 6. & Baronium tom. 6. Annal. & in appendice tomi 10. ad tomum 6.

B

Incipit Epiſtola * ſancti Fauſti.

* ita m. ſ. ſed vide appendicem tom. 10. Baronii ad tō. 6. Ann.

QVæris à me, Reuerentiſſime Sacerdotum, quomodo ARRIANIS reſpondendum ſit, qui blaſphemo ore conantur adſerere, Non poteſt, inquiunt, fieri, niſi vt iunior ſit genitus ab ingenito. Iuxta quæ totum ſilentium quaſi iuſſus abſoluere; non tàm pro rei inſtructione, quàm pro fidei confeſſione præſumam. Id primitus obſeruans; ne res per ſe obſcuras ſtudio compoſiti ſermonis inuoluā; ſed quædam pauperis ſenſus indicia, qua non tam ornatui, quam intellectui videantur ſeruire, depromam.

Reſpondeo ergò ſicut reſpondere diſcipuli Magiſtris interrogantibus ſolent. Itaque ad præceptum beatitudinis veſtræ loquor, vt diſcutias imperitiam. Conteſtor, vt doceas. Nam apud eruditiſſimum ſi reticeam, vix poſſum ſcire, quid neſciam.

C

De ingenito loquuturi, ſcire debemus, aliud eſſe rerum ſubſtantias, aliud rerum nomina, ſicut verbi gratia, cùm aurum atque argentum dixeris, non ſtatim metallū ipſum, ſed metalli vocabula protuliſti. Etenim aurum aliud eſt in proprietate generis, aliud in appellatione ſermonis. Aliud eſt, cùm illud nominamus, aliud cùm tenemus.

Genitus & ingenitus ſignificatio eſt Deitatis, non ipſa Deitas. Natura eſt appellatio non natura ingeniti & geniti nuncupatio. Ad hoc valet, vt quis ex quo ſubſiſtat, intelligas, & non Patrem ex Filio, ſed Filium ex Patre eſſe cognoſcas principium ex principio, & vnum eſt, & initio caret. Quomodo ſi dicas: Deus ex Deo: non tamen duo Dii; ſed vnus dicitur. Genitus ergo, & ingenitus † ex vtraque procedens, perſonas indigitat, non naturas. Maieſtas enim, quæ Patri eſt indiſcreta cum Filio, & Spiritu ſancto diſtingui nominibus poteſt; ordinari gradibus non poteſt.

† leg. & ingenitus, & ex vtroque p.

Hoc loco præſcius oportet intentionem mentis admoneas.

D

Dicis forſitan, Quia ex illo eſt, poſterior illo eſt. Age ad hæc intellectum noſtrum aliquibus comparationibus nutriamus. Videamus ſi aliqua res ex alia exiſtat, quæ tamen illa, ex qua exiſtit, non ſit ætate poſterior; verbi gratia, hoc ipſum filij nomen ex patris deriuari nomine creditur, nec tamen poſterius inuenitur; quia niſi iſte naſceretur, pater ille nō diceretur. Ecce nomen, quod abſolutè coæuum illi eſt, à quo eſt, & cum filius ex Patre ſit, patri nomen filius facit; adquirit genitori vocabulum pietatis perſona naſcentis; cum hoc ex illo ſit, nec hoc poſterius, nec aliud probatur antiquius. Et cùm Brachij nomine Filius ex operum virtutibus nuncupetur; ecce brachium procedit ex corpore, & tamen brachij ætas corpus non præcedit. Verbum ex voce profertur, & tamen cum ex ore naſcitur, voce eſſe poſterius non probatur. Ignis & calor indiuiſa ſocietas; ſed cum calor indubitanter ex igne eſſe intelligatur, tamen ignis nequaquam calore ſuo prior eſſe dinoſcitur. Ecce rem, quæ exiſtere videtur ex illa, & tamen ei, de qua exiſtit, ſine vlla temporis interceſſione coniuncta eſt.

E

Cum autem ad Deum venimus, hoc eſt, genitus, quod Iuſtus & Iuſtitia, ſapiens & ſapientia, miſericors & miſericordia, abſolutè ex Deo iuſto atque ſapiente ſecundum Apoſtolum omni intelligimus iuſtitiam atque ſapientiam. Et ſicut nunquam iuſtus ſine iuſtitia, nunquam ſapiens ſine ſapientia fuit; ita Filius ex Patre; ſed nunquam potuit eſſe ſine filio.

Abſque dubio ARRIANI Saluatorem noſtrum negare non audent. Sed dum minorem dicunt, Deum adſerere non poſſunt. Deus enim naturaliter plenitudinis dignitate ſubſiſtit, & eorum impietas vnum ſe Deum colere prima confeſſione teſtatur. Sed qui iuniorē per eum, qui putatur ſenior duos facit, & ſoliditatem vnitatis interſecat. Nam ipſum nomen minoris alterum, qui illo ſit maior oſtendit. Quis illo antiquior, qui de ſeipſo pronuntiat: *Ego ſum Alpha & O, primus & nouiſſimus?* Qui cum Iudæis, qui eſſet, interrogatus, ita reſpondit; *Principium, quod & loquor vobis.* Qui veridica per Prophetam voce confirmat: *Ante me non fuit Deus, & poſt me non erit.* Si Pater hoc dicit, inferiorem poſt ſe non cœpiſſe confirmát, ſi filius ante ſe penitus non fuiſſe pronuntiat. De hoc Propheticus ſermo euidenter inſinuat: *Hic eſt Deus noſter, & non reputabitur alius ad eum.* Et poſt hæc: *inter homines viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Secundum hæc ergo inter genitum, & ingenitum nec ordo eſt; quia vnus eſt: nec tempus intereſt; quia primus eſt: nec poſtponendus eſt: quia ſolus eſt: nec minor dicendus eſt; quia plenus eſt. Ergo dicitur perfectus, ſimpliciſque naturæ, inæſtimabilis & impaſſibilis; etſi eum ſecundum carnem paſſum eſſe pro nobis veraciter & ſalubriter confitemur.

F

Eſa. 44. Apoc. 1. Ioan. 8. 25. Eſa. 43. 10. Bar. 3. 36. Bar. 3. 38.

Poſt hæc ſequenti loco quæris à me, quomodo iuxta ſubſtantiam Dei in † epiſtola quadam ſcriptum ſit: Nihil ſenſit patiente ſenſu, ſed ſenſit compatiente affectu.

† Hoc dictū extat ſupr. in epiſt. 2. Fauſti ad Græcū Diaconū: quæ epiſt. excuſa eſt ſupra

Primo hoc, quod nec Philoſophos latuit ſcire promptiſſimum. In homine diuerſæ affectiones, id eſt, iuſtitia, miſericordia, ſanctitas, beneuolentia, pietas, res accedentes ſunt, & ideo affectus vocantur. Deus verò his non poſſibiliter afficitur: quia ei ineſſe iugiter & naturaliter dinoſcuntur. Ergo quod in homine affectus ex gratia, in Deo virtus eſt ex natura. Nam quod dictum eſt: Nihil ſenſit patientis ſenſu, ſed ſenſit compatientis affectu: Cur quiſquam illo ſenſu dicere non præſumat, quod etiam Propheticum commemorat: *Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me.* Et: *Iurauit Dominus, nec pœnitebit eum.* Et iterum: *Iratus eſt Dominus populo ſuo, & abominatus eſt hæreditatem ſuam.* Et item diuerſo affectu Iacob dilexiſſe, & Eſau odio habuiſſe deſcribitur. Contriſtari in peccatis noſtris, & lætari dicitur in operibus ſuis, & affectibus ſubiacens de ſeipſe dicit: *Pœnitet me feciſſe hominem.* Et de ſumma cœli ſede pronuntiat: *Saule, Saule; quid me perſequeris?* Nam & compatientis oſtendere affectum videtur cum dicit: *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare; ſitiui, & dediſtis mihi bibere:* & reliqua huiuſmodi quæ memoriæ abundanter occurrunt.

G

Pſal. 6. 2. Pſal. 37. 1. Pſ. 109. 4. Pſ. 105. 40. Malac. 1. 3. Rom. 9. 13. Gen. 6. 7. Actor. 9. 4. Mat. 25. 35.

H

Quomodo ergo, ſi quiſquam ſacerdos multiplici linguarum ſcientia præditus, & in medio diuerſarum gentium conſtitutus, Hebræum Hebræo, Græcum Græco, Romanum Romano inſtructurus adloquio ſecundum ſingulorum intellectum verba confirmet, & iuxta vniuſcuiuſque ſenſum oris ſui coaptet adloquium, & diſſonis vnius cordis expectatas pectoris voces in varios diſpenſet auditus. Ita & Deus cum homine locuturus, adiumere dignatur hominis linguam, formam etiam ſuſcepturus humanam, per intellectuum noſtrorum ſonos ordinationum noſtrarum teſtatur affectus. Nam dum quinque humanorum ſenſuum officia deſcribens, ita dicit: *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum.* Et iterum: *Os Domini locutum eſt.* Item: *Et odoratus eſt odorem ſuauitatis.* Et: *Manus mea fecit hæc omnia. Cœlum mihi thronus eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Cordibus noſtris efficientias inſinuat rerum ſub ſignificatione membrorum. Vnde pro ineffabili eius circa humanum genus dignatione, ſeruos, amicos, ac filios

Pſal. 33. 16. Eſa. 1. 20. Gen. 8. 21. Eſa. 66. 1.

A

ac filios nominare & compellare non deſpicit, homo cum eodem viciſſim humano ore, & more colloquutus.

f. ſæpe mutata.

Cæterum Dei ira, iuſtitia eſt; Dei furor ſeueritatis vigor eſt; Dei iuraſſe, definiſſe eſt; Dei pœnituiſſe, ſententia, tamen *f* ſæpè muta; Et cũ ſe, perſequente aliquo, lædi dicit, etiam lædentis oſtendit. Intercluditur nobis omnimodis orationis miniſterium, omniſque ratio, qua dicitur, vel intelligitur, vel prædicatur; ſi hæc humani ſermonis commercia ſubtrahuntur. Cur ergo dici inter iſta non poſſit, SED SENSIT COMPATIENTIS AFFECTV?

Si ergo diſcutienti Magiſtro ſimplex & aperta reſponſio ſatisfecit, iam ſeamus ad tertiam quæſtionem, qua *a* vt reſpondeam *b* præcipis: Quæ in rebus humanis corporea, quæue incorporea ſentienda ſint.

a Ab hoc verbo quæ ſequuntur, in modum ſeparati libelli ſeu Epiſtola, extant tom. 4. bibl. PP. 2. edit. fol. 919. Turpis ſane error hic Fauſti, de quo vide annotationem in hanc Epiſt. b in margine m. ſ. codicis adiuncta erant aliqua, quæ hunc ſenſum videntur reddere (neque enim alibi inſeri poſſunt, niſi huc, & quodam ſigno appoſito) vt reſpondeam, præcipis ventilationem huius quæſtionis minimæ Quæ &c.

B

Ad hæc aliqua non pro ſenſus mei præſumptione promam, ſed pro Sanctorum opinione ſeniorum. Præſertim cum hæc animum lædere non poſſint, & ad fidem nutrire poſſint, & vſque ad id, quòd Patri Filius æqualis appareat, contra ARRIANAS armare, atque *c* regere valeant prauitates. Ergo quando de tractatu altiori conlatio eſt, ad ſubtiliorem intellectum ſenſus & animus præparandus eſt. Nonnulli erudítiſſimi Patrum alia aſſerunt eſſe inuiſibilia, alia verò incorporea. Quidquid creatum eſt *d* materia videri, & factori ſuo comprehenſibile, & corporeum eſſe definiunt. Nam & animarum, & Angelorum naturam aſſerunt eſſe corpoream, pro eo, quod in loco circumſcribantur, & ſpatio. Nam ſicut in quodam S. HIERONYMI tractatu legimus globos, inquit, ſiderum *e* corporatos eſſe ſpiritus arbitrantur. Et item: Si Angeli, inquit, cœleſtia corpora ad comparationem Dei immunda eſſe dicuntur, quid putas homo æſtimandus? ſed inter hæc tu animam negas eſſe corpoream, quia iuxta aliquorum opinionem nec localis ſit, nec *f* qualitate credi debere manifeſtum eſt. Legimus enim in quodam receptiſſimo Patrum tractatu: Ingredi, inquit, & implere omnia, ſoli eſt poſſibile Trinitati: quæ ſicut vniuerſæ intellectualis naturæ efficitur penetratrix, vt non ſolum circumplecti eam atque ambire, ſed etiam inlabi ei, & velut incorporea corpori poſſit infundi. Licet enim pronunciemus nonnullas ſpirituales eſſe naturas, vt ſunt Angeli, Archangeli, cæteræque virtutes, ipſa quoque anima noſtra, vel certè aer iſte ſubtilis; tamen incorporeæ nullatenus æſtimandæ ſunt. Habent enim ſecundum ſe corpus, quo ſubſiſtunt, licet multo & incomparabiliter tenuius, quàm noſtra ſunt corpora, ſecundum Apoſtoli ſententiam, dicentis, *& corpora cœleſtia, & corpora terreſtria.* Quibus pro manifeſto colligitur, nihil eſſe incorporeum niſi ſolum Deum. Et idcirco ipſi *g* tantummodo per ſe penetrabilia omn. atque intellectuales eſſe ſubſtantias. Quæ cũ ita ſint, obijcit mihi, ideo animã nõ eſſe incorpoream, quia vt dictũ eſt, nec localis ſit, nec qualitate aut quãtitate ſubſiſtat. Quod *h* cuius ſit periculi, ita in hac ſtatus noſtri habita diſcuſſione pendebit, vt ſi nec localis ſit, nec qualitati ſubiaceat, eſſe eam haud dubiè incorpoream concedamus. Si verò demonſtrauero eam quantitate determinari, loco ue cõcludi, cõſequenter eam etiam corpore contineri; nec ipſe iam dubites. *i* Quomodo non localis eſt, quæ inſerta membris, & inligata viſceribus, ſolis motibus *k* vaga conditione ſubſtantiæ tenetur incluſa? Quod ſi localem non eſſe animam, ideo aſſumendum putes, quod per diuerſa ſenſibus euagetur, & cogitationib. deferatur, primum intelligendum eſt, quòd aliud ſit animæ ſtatus, aliud hic qui de anima naſcitur cogitationis *l* affectus. quamobrem vt hoc potius *m* æſtimandum eſt, quod ſi quando ſibi aliquid imaginatur, magis cum ſuis intra ſemetipſam motibus occupatur. & ſi quid *n* illud eſt, quod aſpicere videtur, *o* magis ei in cordationis ſpeculo deſcribatur. Nam quando abſentem ſuum carum cogitat, nunquid iam velut ipſo conſpectu deſiderio ſatisfecit? Aut cum, verbi gratia, Petri aut Pauli ſpeciem intra mentis arcana depingit,

c Marg. atque erigere exiguè p.

d Marg. materiam videri.

e M. vitioſè incorporatos.

C

f M. nec qualitate nec quantitate ſubſiſtat, quod de ſola Dei maieſtate credi debere m. e.

1. Co. 15. 40

g M. tantummodo penetrabiles omnes intellectuales eſſe. ſ.

D

h M. cuiuſmodi periculi ſit ita credere, in ſubſequentibus demonſtrabitur, nunc vera in hoc tractatu noſtri ſtatus pendebit. vt ſi nec l. ſ. n. q. ſubiaceat anima

i M. Quomodo localis eſt.

k M. vacans.

nunquid ſtatim intimas paradiſi ſedes, vbi eos eſſe nouimus, penetrauit? Aut cum ſibi in corda diuitis illius flammas ex lectione propoſuit, nunquid iam ad eius tormentorum loca cuiuis inacceſſibilia inferni profunda deſcendit? Hęc omnia procul dubio aut ſecum intra pectoris arcana per varias ſimilitudines fingit; aut certè ſi extra animæ ſedẽ inſtabilis cogitatio lubrico motu agitata diſcurrit, hoc ipſum localiter agit. Et ſiue vrbem, ſiue quamcunque regionem cogitet, ibi tantum ſenſu commorante defigitur, quo animi intentione *p* rapiatur. Imaginari ſibi aliqua poteſt; complecti omnia ſimul non poteſt. Cum ergo anima Alexandriam vel Hieroſolymam cogitauit, *q* ſiue illic tota ſui præſentia, vt arbitraris, interfuit, referat nobis ſitus locorum, vultus hominum, motus actuſque populorum. Sed hoc ipſum, quod nunc inter nos commercia ſermonum mutua ſpiritus actione *r* ſcimus, loqui me vobiſcum, ſed apud conſcientiam meam ſentio; ad vos me acceſſiſſe non ſentio. Nam ſi verè anima cum ſuis ferri ſenſibus creditur, & his, quorum reminiſcitur ipſa per ſe ſuis cogitationibus præſentatur. Ecce per hæc præſentis temporis momenta vos cogito, & animo reminiſcente vos video, & quorum omnimodis quid geratis, & vtrum quieti, an lectioni, vel orationi vacetis, ignoro. Sed hoc ideo euenit, quia ad vos cordis affectu, non ipſa ſubſtantiæ meę veritate peruenio. Neque enim in ſuis motibus, quos nunc optimos, nunc peſſimos eſſe ſentimus, animæ noſtrę natura conſiſtit. Nam ſi per cogitationes ſuas conſtare credenda eſt; cur eis interdum euaneſcentibus atque pereuntibus ipſa in ſui vigore atque alacritate perdurat? Quantæ ergo in nobis frequentiſſimæ cogitationes & curæ etiam ſalubriter moriuntur, & vitæ magis *ſ* libertati interioris operantur! Si ipſis anima conſtaret, abſque dubio ipſis *t* pereuntibus ſupereſſe non poſſet. Vnde hoc magis ipſa conſcientijs noſtris ratio loquitur, quod vnaquæque anima aut multiplicia cogitata rerum cauſis intra ſe *v* concepta parturiat, aut ſenſus ſuos velut quædam officia aut miniſteria diuerſis neceſſitatibus occupanda diſpergat, ipſa vero in conclaui corporis ſui ſemel de eo exitura requieſcat. Quamobrem localem eſſe ipſam, vt denuo ſufficiens proferamus exemplum. Nonne anima Lazari manente vita, intra corpus fuit; ſecedente autem vita de habitaculo corporis exulauit, & rurſum in eam animum refuſa corpus, illò vnde ſe abſentauerat, euocata remeauit? Tunc eam tanquam ex hoſpitij habitatione depulſam, & rurſum inter hoſpitium, vnde abſentauerat reſtitutam vides; & localem non eſſe contendis? ſed quid ego hæc de corruptibili homine loquar? Quum ille, cuius caro non vidit corruptionem, immaculatam quidem animam poſſederit, ſed localem, quam vtique intra ſe habuit, quando adfixus eſt in patibulo, extra ſe procul dubio miſit, quando iacuit in ſepulchro. quomodo non eſt localis, quam caro continet, coniungit vita, mors ſeparat? Quod ſi, vt dicis, localem neceſſitatem animarum natura non *x* recepit; non deſunt ergo & de regione paradiſi, illæ quæ carcere clauduntur inferni? dic quæſo, ſi locales non ſunt, quomodo peccatrices à cœtibus conſortijſque iuſtorum iuſtum illud chaos iſtius interiectione diſcriminat, vt neque hinc illuc poſſint accedere, neque inde huc transmeare? Iam illud manifeſtiſſimũ eſt, quod quantitate circũſcribantur, quæ ſpatijs continentur. Si agnoſcis animam localem, concede corpoream. Dic mihi anne ipſa glorioſi anima redemptoris noſtri reliquit mundum, quando conſcendit ad cœlum?

Ego autem ne angelos quidem locales eſſe dubitauerim, quos certum nunc in cœleſtibus contineri, nunc per aeris vacuum ferri, nunc ad terrena dimitti; quos ſermo diuinus aſcendentes, & deſcendentes in Patriarchæ viſione deſcribit. vtique ſi locales non eſſent & vbique eſſent, adeſſe atque diſcedere aſcenſu deſcenſuque non poſſent. Ipſe beatiſſimus Gabriel, qui ſe ante Dominum aſtare teſtatur, cùm cælorum Dominum Mariæ infundendum viſceribus nuntiaret, cumque ſub Dominicæ oculis genitricis adſiſteret, ſine dubio cœlo *y* erat, maria non ſuperuolabat, vacua atque diffuſa venti vaſti aeris non implebat, ſed illum tantum locum in quo erat, occupabat. *z* Quæ

cum ita

E

l M. effectus.

m M. exiſtimandũ.

n M. aliud.

o M. magis incordationis.

p M. ſimul rapiatur.

q M. ſiue verè illic.

r M. miſcemur.

F

ſ M. libertatem operantur.

t M. vitioſè: per eum.

v M. concepta parturiat, aut quadam officia aut m. d. n. occupata d.

G

x M. reſpicit.

H

y M. deerat.

z M. quæ cum ita ſint, qui de loco ad locum mittitur, &c.

A cum ita ſint, quidquid locum occupat, corpus eſt. neſcio quomodo locali lege non teneatur, qui de loco ad locum mittitur, & velut corpus motu acceſſuq; transfertur, mole deſcendit, mobilitate diſcurrit, vadit, redit, abſentat, deſcendit. Vel ille, credo, localis eſt, nec ſe ſolum localem eſſe prodidit, qui ſecum tertiam partem ſtellarum ex alto proturbatus abſtraxit. Dic mihi ſi corpus non habet, in illa deiectione quî decidit? quid illi negas corporalem naturam, cuius negare non audes ruinam? Etſi, vt dicis, corpus non habet, non ardebit; vbi autem niſi in corpore ſentiet ignem illum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius? Iam illud dici ſuperfluum puto, illum in aëris iſtius conuerſatione quandam craſſitudinem de elementorum concretione traxiſſe. Dic mihi ſi corpus non habet vbi inhæreret concretio, vbi hæc ipſa neſcio quæ colligere ſe potuit craſſitudo, ſi ſecum aliquid corporale de illa cœleſti arce non detulit? Alienum, vt video, corpus ad tormentum portabis. Corpus itaque eſſe etiam ex ſua adſertione recognoſce. Corpus eſt quod inficitur, quod ma-

B culatur, quod quacunque ex accedenti adiectione, *a* vertitur. Hic ergo dudum primogenitus angelorum, nunc primus factus eſt *b* tenebrarum, & quaſi corporeus pulcher ante, nunc degener; dudũ cœleſti ſplendore conſpicuus, nunc tetro infernalis peccati horrore fœdatus. Corpus in-quã eſt quod habet, actione depellitur, quantitate circũſcribitur, qualitate mutatur, dolore conficitur. quæ cum ita habeant, quin corporeum dicunt animum? Vide in quàm profundum ſe crimen immergant. Iam primum cum auctor vniuerſitatis Deus omnia in numero & pondere feciſſe referatur. Ergo anima à materia vniuerſæ creaturæ excepta eſſe creditur: quæ non eſt corporea, nec localis eſt, ſi loco non continetur. ergo vbique diffunditur; omnia intrare, implere, & vbique præſens eſſe dicitur, ac ſic creatori ſuo creatura ſociaretur, & fragilitas auctori ſuo non iam res Dei, ſed pars Dei, æſtimanda iungitur. Vide quo adſertores ſuos ducat alti perlapſus erroris. Equidem nobis ea quæ ſupra nos ſunt, inuiſibilia ſunt; ſed omnia illa, ſicut comprehenſibilia, ita & corporea ſunt. qui ex nihilo fecit omnia, quæ fie-

C ri opere inſtituit, ita & materia corporauit, & rebus omnibus, inter quas & anima cenſetur, ſicut diſtribuit pondus & numerum, ita & poſuit qualitates. Inter hæc ſi forte, vt dictum eſt, adſerendum aliquis putet, quod illa angelicæ ſubtilitas naturæ quadam contagione aëris huius admixtione collecta, flammis inueniatur obnoxia; ergo in aëre ſolo, prout ait, ſi aëreum eſt, quod ardebit, non in illo, ſed extra illum pœna deſæuiret. ſed abſque dubio non aliud eſt, quam ſubſtantia corporis, vbi dominari poterit vis doloris. Vide quo tendat imprudens & imperita perſuaſio, qui incorporeum loquitur, & iam incomprehenſibilem confitetur: ac ſic conditô adſcribit operi, quod ſoli competit conditori; ac rebus creatis communicat priuilegia maieſtatis, & indebitam creaturæ potentiam vſque ad factoris extendit iniuriam. Si bene requiramus ad quos rerum exitus animum referas, hæc vel maximè diabolum crudelitas ex

D illa beatæ ſedis ſtatione deuoluit, & propter hoc angeli perdidit dignitatem, dum ſe Dei præſumit habere naturam. *c* Vnus ergo DEVS incorporeus, quia & incomprehenſibilis, & vbique diffuſus: ex nullius enim facturæ corpore materiale ſumpſit exordium. Et ideo coæternus Filius Patri, quia ex nullo opere conditus, nulliſque initijs circumſcribitur; ſuper omnia quæ figulo ſuo comprehenſibilia atque corporea intra mundum corpus operatus eſt incorporea maieſtate diffunditur.

Ex ingenito genitus, id eſt, ex Patre, ſed ſemper
cum patre, his quæ excitauit ex nihilo,
indiſcreta ſancti ſpiritus ſocie-
tate dominatur.
Amen.

a M. vitiatur.
b Ab hoc verbo quæ ſequuntur non ſunt in excuſo codice Marg. vſque ad illa verba in fine: Vnus ergo Deus
c Hucuſq; m. ſ. codex habuit ea quæ in vulgato abſunt.

E *Epiſt. 17.*

Fauſti Rhegienſis Galliarum Epiſcopi, ad Benedictum Paulinum, Epiſtola.

Hæc epiſtola & ſequentia quæ ſubijciuntur Fauſti opuſcula cautè legenda, vt pote opera reiecta & damnata à Romana Eccleſia. Cum iudicio lege quæ hic Fauſtus differit, nã etſi extrema neceſſitate momentaneà vera pœnitentia difficile habeatur, veram tamen & legitimam interdũ poſſe tunc contingere nullus vnquam Orthodoxus dubitauit. Vide Dominic. Soto 4. ſent. diſtinct 19. q. 2. artic. 6.

ADmiranda mihi ſemper tuarum pagina literarum nunc abundantius gemina eloquij & fidei luce præfulſit; dum ſuper ſtatu animæ † cogitans, timore ſollicito iudicia futura ſuſpirat. Ait quodam loco ſermo diuinus: Rectè interroganti ſapientia reputabitur. Quædam enim ſcientiæ portio eſt, ſcire quod neſcis, & ea quæ ignoranter non intelligis; prudenter inquirere. Primo loco inquirendum putaſti; ſi incumbentibus extremæ neceſſitatis anguſtijs momentanea pœnitentia capitalis inimica perſuaſione mentitur, qui maculas longa ætate contractas ſubitis etiam inutilibus abolendas gemitibus arbitratur: quo tempore confeſſio eſſe poteſt, ſatisfactio eſ-

F ſe non poteſt. Nam quia *Deus non irridetur*; ipſe ſe decepit qui mortem multis temporibus vicit; & ad quærendam viam iam ſemi-viuus adſurgit; vt tunc officioſus appareat, quando dominicæ ſeruituti omnia corporis & animæ ſubtrahuntur officia. Circa exequendam interioris hominis ſanitatem; non ſolùm accipiendi voluntas, ſed agendi expectatur vtilitas. Ita enim legimus: *Si (inquit) peccator pœnitentiam egerit pro peccatis ſuis (egerit*, memorauit; non ſolùm dixit; *acceperit) in ſua*, inquit, *iuſtitia, quam operatus eſt, viuit.* Aduertis quòd huiuſmodi medicina, ſicut ore poſcenda, ita opere conſummanda eſt? Inſultare Deo videtur, qui illo tempore ad medicum noluit venire quo potuit; & illo, tunc incipit velle, quo non poteſt. Opus itaque eſt, vt quàm in peccando fuit abrupta & vegeta ad

G malum mentis intentio; tanta ſit in vulnerum curatione deuotio. Secundo quæſiſti loco; † vtrum ſola proficiat ad ſalutem vnicæ ſcientia Trinitatis: In rebus diuinis non ſolùm credendi ratio requiritur, ſed placendi. Fides ergo nuda meritis; inanis & vacua eſt, ſicut Apoſtolus dicit: *Quid prodeſt ſi fidem quis ſe dicat habere, opera autem non habeat?* nunquid poteſt ſeruare eum? Sequitur enim: *Fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa; Sed dicit quis, tu fidem habes & ego opera habeo; oſtende mihi fidem tuam ſine operibus, & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam!* Secundum hæc; ſufficere per ſe ſolam credulitatem non probatur. Nam dum ſcire & credere etiam diabolus inuenitur; ſicut idem Apoſtolus dicit: *Tu credis quod vnus eſt Deus! benè facis, nam & dæmones credunt & contremiſcunt; vis autem ſcire ô homo inanis, quòd fides ſine operibus mortua eſt? Abraham pater nonne ex operibus iuſtificatus eſt?* Et ne ſpem noſtram in ſola fidei parte ponamus, ita concluſit: *Sicut corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt*; ſine quibus inanem eſſe hominem dixit. Multum ſimilium teſtimoniorum, ſtudio breuitatis omittam: Apoſtolus Paulus; de cuius pectore quaſi de templo ſuo Dominus loquebatur nunquid ſolam fidem ſibi iudicauit ad ſuperanda Mundi mala poſſe

H competere; ita dicens? *corpus meum caſtigo & in ſeruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauero ipſe reprobus efficiar.* Ecce; per vitia corporis reprobus fieri pertimeſcit; iam probatus; per mortifera carnalium contagia paſſionum, vas contumeliç fieri metuit, qui iam vas electionis effectus eſt! Videamus ſi vitæ ſuæ prodigum fides ſola defendat; & baptizatus (vt dicis) iam perire non poſſit. Agnoſce quomodo male carnalia, alienum à Deo faciant obſcœna in mancipium voluptatum. Ad Galatas ait Apoſtolus: *manifeſta ſunt opera carnis; quæ ſunt, fornicatio, immunditia, luxuria, homicidium, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia; qui talia faciunt, regnum Dei non conſequuntur.* Item ad Epheſios: *Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod eſt idolorum ſeruitus) non habebit hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* Sine dubio, excluſus à regno; Inferno & morti eſt mancipandus: Multos autem baptizatos; ſalua fide diuerſis generibus in æternum perire manifeſtum eſt. Arguit ſermo diuinus

al. cogitas & timore
Sera pœnitentia an vtilis ſit.
† vtrum ſola ſufficiat ad ſalutem ſi des ex veritate ſcientia, &c.
Fides ſol. nõ proficit ad ſalutem.

A 13. Baptizatos perditioni tradi pro imonitatibus ſuis dubitas; cùm baptiſma ipſum per multa ſcelera perire cognoſcas? Quòd autem, ſicut pagina continet, ſermo tuus de propheta mutuatus ignem animæ ſimplicis æſtimauit, de ſola hoc diuinitatis ſubſtantiæ dicere conuenit, cui nihil ſppoſitum, nihil à ſuperiore collatum, nihil conſtat adiunctum. Iuſtus pariter & iuſtitia viuens & vita, ſapiens atq; ſapientia eſt, virtus & origo virtutum: In principalibus enim bonis ſuis, hoc eſt ipſe quod poſſidet. Homo verò duplex intelligi poteſt, qui viuens & iuſtus & ſapiens dici poteſt: vita autem & iuſtitia dici non poteſt, quia ita his induitur, vt aliquoties exuatur. Quod homini datum eſt, Deo inſitum eſt. Homo (verbi gratia) deauratus eſt, Deus aurum eſt, in quo, hoc eſt potentia & gloria quod natura. Nam quod ſubtiliter indicaſti, ſi omnia hæc quæ dominus Marinus interminatur, excipiunt peccatores, quid magis impij mereantur ignoro! Habent ſub perennibus malis, & ſupplicia gradus ſuos, & grauibus obnoxius peccatis, infinitis (licet tamen vtcunque tolerandis) impius verò, inauditis cruciatibus torquetur. Tunc autem baptiſmi * gratiam habetis, nec poſſet morte aliquem vindicare, niſi in aliquibus eius integritas & dignitas non periret.

B

* *al.* Gratia ab æterna morte poſſit hominem vindicare ſi in aliquib. &c.

Graue timen eſt, quòd hæreticus accipere noluit, non minus illud graue, quòd Chriſtianus accipit & perdit. Nam & ille qui fiducia baptiſmi, nuptiale conuiuium, ſacri concilij temerator irruperat nitore puritatis amiſſo; de illuſtri iuſtorum conuentu expellitur, & in exteriores tenebras perturbatur. Nam credendus eſt niueum ſanctæ Generationis poſſidere candorem, qui inter inceſtos, veneficos & cruentus, vel præcipitio aut ſuſpendio vitam præcedens, in partem tranſijt impiorum. Legimus inextinguibiles flammas Factis capitalibus præparatas, hominem verò in malis ſuis viuentem, ſolo baptiſmate ſaluatum eſſe non legimus. Periculoſa ſibi, quod cæleſti Scriptura non legitur, inimica ſecuritas pollicetur, multò periculoſior, illa non credere quæ veritas comminatur. Aliqua (vt dicitis) beatiſſimus vir Marinus cum interminatione diſſeruit: ſed ſicut illud quod promiſit Dominus diligentibus ſe, etiam teſtimonio Apoſtoli pro rei magnitudine in cor hominis non aſcendit, ita futurorum immenſitas cruciatuum, anguſtias humanæ mentis excedet, quæ mala momentanea pœnitentiæ vmbra non remouet, quæ fidem ſine operibus non repellet, quibus æternorum ſæculorum labentium curſus in flammis inextinguibilibus ſtatuere non valebit, inter quos inexhauſtos vapores tardè te anima corporea & ſentiet & videbit. Et ideò, iuſtis, caſtis, & pijs operibus diem vltimum præcurramus: & hic timendo ea quæ illic timere nihil proderit, non declinemus. Hic finem infinitis * contentionibus imponamus, & intolerãda incendia nunc ſalubriter cogitando, ex ipſis ignibus æterna nobis refrigeria comparemus.

Mart. 22. 2.

Facta, ſeu Peccata Capitalia.

C

* *al.* contentionib. Ex igniũ æternum cogitatione, præparata ſibi ęterna refrigeria.

* Certus autem ſum de fide veſtra, quod falerati compoſito nitore ſermonis acceptiora vobis erunt ſalutifera ſynceræ teſtimonia veritatis. Filium meum *Eminentium*, dulce decus noſtrum, paterno ſoſpitamus affectu. Dominus noſter admirandam mihi magnificentiam ſuam præſentibus repleat bonis & dignum reddat æternis.

* *Hæc in hactenus excuſis nõ habentur, ſed nūc ex M.S. Hēr. Caniſ. acceſſerunt.*

D

Domino ſancto meritiſſimo in Chriſti luminaria præferendo & plurimum in Chriſto deſiderando piiſſimo Domino Ruricio Epiſcopo Cæſarius Epiſcopus.

Epiſt. 18.

DVM nimium tribularetur animus meus, quare ad SYNODVM veſtram præſentiam non meruimus obtinere, ſanctus & Domnus meus VARVS Epiſcopus mihi dignatus eſt dicere, quod per ſuum diaconum mihi * Agate veſtras literas deſtinaſſet, quas ego neſcio quo caſu, aut qua negligentia me non retineo ſuſcepiſſe. Sed tamen ſancto & Domino meo fratri veſtro certiſſimè credo; & malo hoc potius totis negligentiæ imputare. Sed licet ſanctos & deſiderabiles veſtros apices miſeritis, tamen ſicut ipſi optimè noſtis, digniſſimum fuerat, vt perſonam dirigeretis, quæ ad vicem veſtram ſubſcriberet; Et quod ſancti fratres veſtri ſtatuerunt, in perſona veſtra firmaretur. Sed quia noui, quàm ſancto, ac frequenti, & pio deſiderio intereſſe volueritis omnibus fratribus veſtris, votum veſtrum, & ſanctam voluntatem expoſui, pro qua te nihil pietati veſtræ vel potuimus, vel debuimus imputare. Sed licet deſiderabilem veſtram præſentiam non habuerimus, orationum tamen veſtrarum ſuffragia nos meruiſſe perſentimus, & ideo his dictis ſaluto plurimum affectu & honore, quo dignum eſt; & rogo, vt me ſanctis & illuſtribus precibus ſimul ac meritis Domino commendetis, ſimulque indico pietati veſtræ, & quia filius veſter EVDOMIVS ſi potuerit hoc elaborare, deſiderat, vt ſuperueniente anno THOLOSAE ſynodum, Chriſto propitio, habeamus, vbi etiam ſi potuerit, HISPANOS vult Epiſcopos conuenire. Et ideo * oro te, vt tam ſancto deſiderio ſuo Dominus tribuere dignetur effectum.

* *Fort.* à caritate veſtra.

E

* *Fort.* orate.

Sanctum vero & dulciſſimum fratrem meum CAPILLVTVM presbyterum, amatorem & prædicatorem veſtrum, veſtræ ſanctimoniæ, quanta valeo inſinuatione cõmendo; & pro ipſo vobis ingentes & vberes gratias ago, quia quantum ipſe aſſerit, tantum ſe circa illum impendit pia & ſincera beneuolentia veſtra, vt hoc nullus hominum poſſit exponere. Nunc ergo quia pro veſtro deſiderio æſtuans pietatem veſtram expetijt, dignum iudicaui, vt per ipſum humilitatis meæ literas deſtinarem, quo remeante, ſi Chriſtus annuerit, apices veſtros, quaſi cœleſte munus deſidero promereri. Ora pro me.

F

Domino ſancto ac beatiſſimo & apoſtolica reuerentia ſuſcipiendo Domino & Papæ Ruricio Epiſcopo Sedatus Epiſcopus.

19.

EQuum quem per fratrem noſtrum presbyterum trãſmiſiſtis accepi; magnificis verborum veſtrorum phaleris honuratum; in via vilem; In Epiſtola pretioſum, mouentem ſe, cùm foditur calcaribus, aut vrgetur verberibus; & nihil penitus promouentem: forma deterrimum, colore viliſſimum, molliorem plumis, ſtatuis pigriorem, ſolida corpora paueſcentem, vmbras, ſolum, vt credo, de conſuetudine non timentem; fugitiuum, cùm dimittitur; immobilé, cùm cæditur; in planis ſtantem, in aſperis conuenientem; qui teneri neſciat, ambulare non poſſit; quem prius, quàm viderem, dum Epiſtolas veſtras relego, illorum de gente eſſe credidi, quos DAEDALA CIRCE

Epiſtola ad quam hic reſpondet Sedatus, extat infra in Ruricii li. 2. Epiſt. 39.

Suppoſita de matre nothos furata creauit.

Putabam illum calidum animis, acrem curſibus; ignem, cùm exhiberetur, elatis naribus efflaturum, concuſſurum ſolido cornu campos; celeritate ventos & flumina præcurſurum. Talem enim mihi ſplendidiſſimus Epiſtolæ ſermo promiſerat. Credebam etiam, quod illum manducantem frenos, terentem morſibus ferrum, duo fortiores viri, ne euaderet, retinerent. Nec me fefellit. Nam trahebant eũ aliquot; impingebant alij, & plures cædebant. Quem vt ſic exhibitum vidi, optaui, vt talia, qualia erant, non qualia Epiſtola mea continet, ſemper catis veſtris munera mitteretis. Ego tamen quia mihi non reliquiſtis in tranſmiſſi muneris laude quod dicerem ne omnino..........;

Quique etiam pari contrarietate fata; quæ quia non parcerent, PARCAS vocitauere. Redijt ipſe CATILINA ſæculi noſtri nuper ATVRRIAVS, vt ſanguinem fortunaſque miſerorum, quæ ſibi ex parte propinauerat, ex aſſe miſceret.

H

Quæ ſequuntur, ſunt ex Epiſtola Sidonii ad Hecdiciũ lib. 2. Ep. 2.

Scitote in eo per dies ſpiritum diu diſſimulati ſatoris aperi. Apertè inuidet, abiectè fingit, ſeruiliter ſuperbit, indicit vt dominus, exigit vt Tyrannus, addicit vt iudex, calumniatur vt barbarus, toto die à metu armatus, ab auaritia ieiunus, à cupiditate terribilis, à vanitate crudelis, non ceſſat ſimul furta vel facere, vel punire, palam, & ridentibus conuiuatis, ructat inter cibos pugnas, inter barbaros litteras. Epiſtolas, ne primis quidem apicibus ſufficienter initiatus publicè à iactantia dictat, ab impudentia emendat; rotum quod concupiſcit, quaſi comparat, nec dat pretia, contemnens, nec accipit inſtrumenta deſperans. In concilio iubet; in Cuntilio tacet;

A io Eccleſia iocatur; in conuiuio prædicat; In cubiculo damnat, in quæſtione dormitat. Implet quotidie ſyluas fugitiuis, villas hoſtibus, altaria reis, carceres clericis; exultans GOTHIS, inſultanſque ROMANIS, inludens Præfectis, conludenſque numerarijs, leges THEODOSIANAS calcans, THEODORICIANAS proponens; veteres culpas, noua tributa perquirit. Proinde moras tuas citius explica. Et quidquid illud eſt quod te retentat, incide. Te exſpectat palpitantium ciuium extrema libertas. Quidquid ſperandum, quidquid deſperandum eſt, fieri te medio, te præſule placet. Si nullæ à republica vires, nulla præſidia; ſi nullæ (quantum rumor eſt) Anthemij principis opes, ſtatuit, te auctore, nobilitas ſeu patriam dimittere, ſeu capillos. Vale.

B

NOTÆ IN EPISTOLAM XIX.

NE omnino quiq; etiam pari contrarietate] Codex m. ſ hæc ſine vlla diſtinctione coniungit. Ego reiungo & lacunam noto. Nam ab hoc verbo, *quiq; etiam*, vſq; ad finem huius Epiſtolę, omnia ad verbum ſunt Sidonii ad Hecdicium lib. 2. Epiſt. 1. quæ ſic incipit: *Duo nunc pariter mala ſuſtinent Aruerni tui. Quænam? inquis. Præſentiam Seronati, & abſentiam tuam. Seronati inquam, de cuius vt primum etiam nomine loquar: Sic mihi videtur, quaſi præſcia futurorum luſiſſe fortuna, ſicuti ex aduerſo maiores noſtri prælia, quibus nihil eſt fœdius, bella dixerunt: quique etiam pari contrarietate fata, quia non parcerent, Parcas vocitauere. Redijt* & cetera, quæ vſque ad finem in m. ſ. ſunt. Quomodo autem hic error contigerit, vt pars Epiſtolæ Sedati ad Ruricium, & pars Epiſtolæ Sidonij ad Hecdicium ab exſcriptore hic perperam ſint coniuncta, non facile aſſequor, niſi ſcriba inciderit in codicem, in quo pagellæ quædam exciderunt. Contigiſſe autem hic talem errorem patet ex Epiſtolarum Indice in fronte libri, vbi poſt hanc Epiſtolam Sedati ad Ruricium notantur variæ Epiſtolæ Sidonii, quarum nulla in m. ſ. codice ſcripta eſt. Index enim hoc modo habet:

C

Epiſtola Sedati ad Ruricium.
Epiſtola Sidonij ad Conſtantium.
Alia Sidonij ad Eucirium.
Alia Sidonij ad Tetradium.
Alia Sidonij ad Aſperum.
Al. Sidonij ad Proculum.
Al. Sidonij ad Domnulum.
Al. Sidonij ad Nymphidium.
Al. Sidonij ad Simplicium.
Al. Sidonij ad Taumaſtum.
Al. Sidonij ad Ruricium.
Al. Sidonij ad Papianillam.
Al. Sidonij ad Lupum Epiſcopum V.
Al. Sidonij ad Cenſorinum.
Al. Sidonij ad Patientem.
Alia Sidonij ad Mamertum.
Alia Sidonij ad Agræcium Epiſcopum.
Alia Sidonij ad Sulpitium.
Alia Sidonij ad Ruricium.
Alia Sidonij ad Gothum.

D

Alia Sidonij ad Principium Epiſcopum.
Alia Sidonij ad Remegium Epiſcopum.
Alia Sidonij ad Fauſtum Epiſcopum.
Alia Sidonij ad Herſinum.
Habet in ſequenti Epiſtolarum libros 2. domni Ruricij Epiſcopi.
Deinde Epiſtolarum librum vnum domni Deſiderii Epiſcopi.
Item Epiſtolas diuerſorum ad eundem domnum Deſiderium.

Nulla Epiſtola Sidonii ex his in codice m. ſ. eſt, niſi quod fragmento Epiſtolæ Sedati ad Ruricium perperam ſine vlla diſtinctione coniunctum eſt aliud fragmentum Epiſtolæ Sidonii ad Hecdicium. Et iterum ſequuntur duo libri Epiſtolarum Ruricii. Hæc monere volui. Nam diu me torſerat hic locus.

ATVRRIBVS] ita expreſſis literis m. ſ. Recte ergo Sauaro in Epiſt. 1. lib. 2. Sidonii ita correxit, & notauit. Aturres ſunt Nouempopulaniæ, ab Aturro fluuio, Aturres, vt ab Aſtura, Aſtures, Floro l. 4. ſub finem, de Aturro, & Aturrico ponte, vide Sidonio lib. 8. Epiſt. ... ciuitas Aturenſium Notit. Prouinc. in Nouempopulana Prouincia, quam Itinerarium Antonini Adturrem vocat, vbi de Gallia Narbonenſi. Et quod maxime facit ad hanc veterem lectionem, & Sidonii mentem, erat tunc temporis Gothicarum partium, Commonitorium Timothei: *Anianus vir ſpectabilis ex præceptione D. N. Glorioſiſſimi hunc codicem de Theodoſianis legibus atque ſententiis iuris vel diuerſis libris Aduris anno 22. eo regnante edidi, atq; ſubſcripſi.* Vulgo Aire

Quæ ſibi ea parte propinauerat] Sidonii vulgatus codex: *quæ ille ibi ex parte propinauerat, hic ex aſſe miſceret.*

Ex qua phraſi licet coniecturam ducere, hoc fragmentum Epiſtolæ Sidonii eſſe, non Sedati. nam Sidonius de eodem Seronato lib. 7. Epiſt. 7. *Seronatum barbaris prouincias propinantem.*

Indictis vt Dominus] Sidonius lib. 5. Epiſt. 13. de eodem Seronato: *nunc inauditis indictionum generibus exhaurit.*

Non ceſſat ſimul furta] vulgata editio: *non ceſſat ſimul furta vel punire, vel facere palam, & videntibus.*

Villas hoſtibus] *m. ſ. hoſpitibus.*

Altaria reis] *ita & m. ſ. licet in margine ſit poſita hæc vox, viſis.*

Concludenſque numerariis] *m. ſ. viticte conlaudanſque numariis. ita enim in medio hæc vox raſa, & poſtea neſcio à qua manu ſigno hoc tincta eſt. Vide quæ notat Sauaro hic de numerariis.*

Citius] *vulg. citus.*

Incide] *m. ſ. incidito.*

Anthemii] *ita lego cum Sauaro, nam m. ſ. hic mutilg. Ante.*

F

RVRICII

LEMOVICENI EPISCOPI EPISTOLARVM LIBRI DVO.

Nunc primum ex membranis m. ſ. celeberrimi Monaſterij S. Galli editi, per Henr. Caniſ.

G

INDEX EORVM AD QVOS RVRICIVS EPISTOLAS SCRIPSIT.

A

AEonio lib. 1. Epiſt. 15. lib. 2. Epiſt. 15.
AEnio lib. 2. Epiſt. 8. forte idem cum AEonio.
Agricola lib. 2. Epiſt. 31.
Albino lib. 2. Epiſt. 45.
Ambroſio lib. 2. Epiſt. 43.
Anonymis lib. 2. Epiſt. 10. 11. 24. 26.
Apollinari lib. 2. Epiſt. 25. 40.
Aprunculo lib. 2. Epiſt. 48. 54. 55. 56. 57.

B

H

Baſſulo Epiſcopo Epiſt. 7. lib. 1.

C

Ceſario lib. 2. Epiſt. 32. 35.
Capilluto lib. 2. Epiſt. 20. 30.
Celſo Epiſt. 12. 13. 14. lib. 1.
Cenſurio lib. 2. Epiſt. 50.
Ceraunia lib. 2. Epiſt. 1. 2. 3. 4. 14. 49.
Claro lib. 2 Epiſt. 63.
Conſtantio lib. 2. Epiſt. 23. 24. 42.
Cronopio lib. 2. Epiſt. 6. 30.

E

Elaſio lib. 2. Epiſt. 7.
Eonio vide AEonio.
Eracliano lib. 2. Epiſt. 29.
Endomio lib. 2. Epiſt 38.
Euphraſio lib. 2. Epiſt. 21. 28.

Fauſto

A

F

Fauſto Epiſt. 1. 2. lib. 1.
Fœdamio lib. 2. Epiſt. 13.
Fredar. Epiſt. 11. lib. 1.

H

Heracliano vide Eracliano.
Heſperio Epiſt. 3. 4. 5. lib. 1.
Hiſpano lib. 2. Epiſt. 44.

I

Ioanni lib. 2. Epiſt. 47.

L

Leontio lib. 2. Epiſt. 41.
Lupo Epiſt. 10. lib. 1.

M

Melantiæ lib. 2. Epiſt. 38.

N

Namacio lib. 2. Epiſt. 1. 2. 3. 4. 5. 61.
Nepotiano Epiſt. 6. lib. 1.

B

O

Omacio lib. 1. Epiſt. 18. lib. 2. Epiſt. 27.

P

Papianillæ lib. 2. Epiſt. 36.
Parthenio lib. 2. Epiſt. 36.
Petur. lib. 2. Epiſt. 37.
Pomerio lib. 1. Epiſt. 7. lib. 2. Epiſt. 9.
Præſidio lib. 2. Epiſt. 11. 52.

R

Ruſtico lib. 2. Epiſt. 19. 53.

S

Sedato lib. 2. Epiſt. 17. 18. 33. 34.
Seuero lib. 2. Epiſt. 58.
Sidonio Epiſt. 8. 9. 16. lib. 1.
Stephano lib. 2. Epiſt. 51.
Sthorachio lib. 2. Epiſt. 59.

T

Taurentio lib. 2. Epiſt. 16. 46.

C

V

Vero lib. 2. Epiſt. 22.
Victurino lib. 2. Epiſt. 39.
Viliuó lib. 2. Epiſt. 13.
Vittameno lib. 2. Epiſt. 60. 62.
Voluſiano lib. 2. Epiſt. 64.

INCIPIT DOMINI RVRICII EPISCOPI EPISTOLARVM LIBER PRIMVS.

1\. *Domino ſuo peculiari in Chriſto, Domino patrono Fauſto Epiſcopo Ruricius.*

D

OLIM te Domine mi venerande, ac beatiſſime ſacerdos, fama celeberrima prædicante cognoui. Olim deſiderio pij amoris infuſo, illis te, quibus ſcribere dignaris, oculis cordis intueor; ſed nihilominus etiam corporeis videre feſtino; ſi quo modo poſſim, intercedentibus vobis, peccatorum meorum vincula diſrumpere, acceptiſque columbæ illius pennis, à venantium laqueis euolare; & vobiſcum poſitus in Dominica lege requieſcere; vt ſitim, quam opuſcula veſtra legendo concepi, ipſo præſente, vnde illa manarunt, vberius hauriens reſtinguerem; vt caritatis igniculum, quem in tepidis animæ dormientis fauillis feruentibus ſuſcitaſtis, prolatis de condenſa ſcripturarum pabulis, viuax flamma roboraret, quæ eloquio ſancti oris accenſa, more ſibi ſolito, in pectore peccatoris vim naturæ potentis exereret, calefaciendo frigida, inluminando tenebroſa, & ſpinas criminum conſumendo. Adhæſit, doctor eximie, anima mea poſt te. Me autem adiuuent orationes tuæ, vt poſſim, terrenis actib. ſpretis, cœleſtibus inhiare, quia *corpus, quod corrumpitur adgrauat animam*, vt inclinare aurem ſuam ad oracula diuina non poſſit, vt domum patris obliuio obediens, quę vocantis imperio de terra ſua, & cognatione diſcedat, atq; illam, quæ ei demonſtratur, potius concupiſcat. Non enim adhuc valet puſillitas noſtra merum obnoxiæ conditionis expellere, & caritati perfectæ purgata corda reſerare, vt relinquētes præſentia, petamus æterna; electaq; ancilla, hæreditatem paternam liberi poſſimus adipiſci. Quamobrem ſpero, Domine mi, vt pro me indeſinenter oretis, & quoties dignati fueritis ariditatem terræ meæ eloquentiæ veſtræ imbre perfundere, non mihi, ſicut nunc feciſtis, & adhuc meæ infirmitatis ignari, delicatos & dulces cibos, ſed auſteriores, & ægritudini meæ congruos ſuggeratis; quia non expediunt ſtulto delitiæ; poſtmodum proditoribus meis cenſorium præbeatis adſenſum, qui more humani ingenij, adfectu nimio præpediti, à veritate iudicij declinantes incurrunt pro amore mendacium. Sane nec vereatur ſanctitas veſtra, ne vulneribus meis gratior ſit fouentis dextera, quàm ſecantis, quia ea nec me poſſe curari, & tamen grauiter computruiſſe, Domino dante, iam ſentio. Et ideo eligo, vt me iuſtus miſericordiæ increpatione corripiat, quàm *caput meum oleum peccatoris impinguet*. Supplici itaque prece depoſco, vt de illo theſauro penetralium veſtrorum, vnde noua & vetera proferre conſueuiſtis, peritiſſimi vtpote medici, qui languentium innumeras & varias ægritudines quotidiè gratia Dei adiuuante ſanatis, languori quoque meo, quæ conuenire cognoſcitis, medicamenta mittatis.

Pſal. 54. 7. *Pſal. 90. 3.* *Sap. 9. 15.* E *Pſ. 44. 11.* *Gen. 12. 1.* *Gen. 21. 10.* *Gal. 4. 10.* F *Pſal. 140. 5.* *Mat. 13. 52.*

2\. *Domino ſuo peculiari in Chriſto Domino patrono Fauſto Epiſcopo Ruricius.*

ITA me hactenus impia negligentia & negligens impietas poſſederunt, vt quid, Domine mi, in me potiſſimum accuſem, neſciam; & quid in me primum excuſem, non inueniam. Si enim argumentationem aliquam *ad excuſandas excuſationes in peccatis* exhibere tentauero, adijciam peccato ſine iudicij recordatione peccatum; vt duplici atque maiori delicto ipſe me premam: vt qui tarditatis reus ſum; eſſe incipiam falſitatis; & ab humana vſque iniuria crimen extendam ad ęternam: nunc tantum expectans de ſegnitię noxa ſententiam; diuinæ vero pro mendacij vltione ſubijciar, præſertim cùm vera confeſſio indulgentiam; & falſa excuſatio mereatur offenſam. Malo itaq; tam ſimplici cōfeſſione, quàm ſupplici veniam petere, quàm peccata geminare. Habes ergo, pater optime, paſtor egregie, meam culpæ meæ ſpontaneam confeſſionem, habes & in diſcipuli errore; quod corrigas; & in oniculæ languore, quod ſanes, poteſtatiſq; & iudicij tui eſt, vtrum velis vlceris mei putredinem ferri rigore reſcindere, an medicamentorum lenitate curare. Ego tamen vtram elegeritis curationem amplectar intrepidus; nec paternæ ictum dexteræ declinabo; dummodo portionem promiſſæ hæreditatis adipiſcar. Neq; attendam, quæ mihi pœna ſit in flagello, ſed quem habeā in teſtamento. Melius enim mihi eſt flere ſuper patre, quàm vt abdicer contemtus à patre. Quia parentum pietas diſtringit, vt corrigat; non perſeuerat, vt puniat, nec tantum ei mœroris infert adrogantia ſuperbientis, quantum gaudium fert humilitas confitentis. Sic ille Euangelij indulgentiſſimus pater filium perceptæ ſubſtantiæ decoctorem læto ſuſcepit amplexu, promptior gaudere de reditu, quàm imputare de lapſu. Denique non exprobrantur facinora, non luxuria, non egeſtas; ſola conuerſi reuerſio omnia damna compenſat, quia maior fuit procul dubio patri facultas reditus, quàm rerum facultas. Itaq; abſceſſio reum fecerat; regreſſio fecit inſontem. Ea miſericordia ſufficit hæredi, quin etiam paternæ clementiæ venia ſola non ſufficit, quod vlnis fouet, quòd gratia permulcet; niſi & munera larga multiplicet. Dat annulum, ne rurſus à patre, perfidia duce, diſcedat, calceamenta dat pedib. quò facilius ardui itineris aſpera & dura cōtemnat, dat & ipſam primam quam perdiderat ſtolam, vt quē à morte receperat, priſtina immortalitate donaret. Datur etiam ipſe iuniori vitulus reuerſo, qui ſeniori agnus datus fuerat de Ægypto profecturo, quia ipſe educit ex Ægypto pater.

Pſ. 140. 4. G H *Luc. 15.*

Tanti

A Tanti parentis imitare tantus fidem. Trade peccatoribus adiutorium, præſta conantibus remiſſionem, interceſſionem largire, confitentique filio non ſolum ipſe veniam tribue, ſed ipſe veniam deprecare; vt quem in peregrina patria appellas liberum, in propria poſſis videre liberatum. Et qui per ſe amiſit Dominicam liberalitatem, per te mereatur conſequi libertatem, nec à veſtro ſeparetur ſolatio, qui ſequeſtratur præmio.

3. *Deuinctiſsimo Filio ſemperq; magnifico Heſperio Ruricius.*

SCribendi mihi ad vnanimitatem tuam aditum, quem ſubſtruxerat imperitia, patefecit affectus & illa dominatrix omnium pietas, per quam flectuntur rigida, ſaxea molliuntur, ſedantur tumida, leniuntur aſpera, tumeſcunt lenia, miteſcunt ſæua, ſæuiunt mitia, accenduntur placida, acuuntur bruta, dominantur barbara, immania placantur. B Etiam in me opus ſuum peragens, os elinguę reſerauit, producens me ex tutiſſimo ſilentij receſſu ad publicum formidandumque iudicium & inuitatio veſtri noua ſubire compellit. Scilicet vt qui hactenus illam ſententiam ſecutus antiquam, qua dicitur: Sæpenumero præſtare tacere, quàm dicere; inſcitiam meam malueram verecundiæ taciturnitate legere, quàm impudenter inconditoſermone proferre, non tam conſuetudinis meæ immemor, quàm ruſticitatis oblitus, quaſi ex Arione in Orpheum repente mutatus, velim diſertiſſimis auribus tuis ore garrulo non tam officioſus, quàm iniurioſus exiſtere. Dum & ignota pertento, & inſueta præſumo. Sed dabitis, vt reor, veniam venienti ex neceſſitudine neceſſitatæ neceſſitatis. Quia quod dilectio in mortalium mentibus naturali poteſtate ſibi vindicet, conſcium mutuæ paſſionis pectus agnoſcit. Ergo ne excuſationi diutius immorantes, ita paginam dilatemus, vt non ſolum tibi non exhibeat ſermo incomptior, verum etiam copia inordinata C faſtidium, iam in vocem pietatis erumpimus, & deſideriorum verba ructamus; Commendantes tibi pignus noſtrum, depoſitum tuum, cuius nos ſuſceptione cepiſti. Tibi enim ſpem poſteritatis meæ; tibi ſolatium vitæ præſentis, & leuamen, ſi diuinitas annuerit, futuræ; tibi vna omnia mea vota commiſi. Te * elicitorem & formatorem lapillorum nobilium, & rimatorem auri, te repertorem aquæ latentis elegi, qui ſcias abſtruſas lapidibus gemmas propriæ reddere generoſitati; quæ vtique in tanta rerum confuſione amitterent nobilitatem, ſi iudicem non haberent, aurum quoque arenis vilibus mixtum, niſi artificis ſolertia lauetur aquis, ignibus eliquetur, nec ſplendorem poterit retinere nec meritum, ſeptas etiam aquarum manantium venas, & obductum terra fluenti alueū, niſi diligentius eruderauerit appetitoris induſtria, laticis vnda non fluet. Ita & teneriorum adhuc acies ſenſuum ignorantiæ nubilo, quaſi craſſitate ſcabroſæ rubiginis obſeſſa, niſi aſſidua doctoris lima purgetur, nequit ſponte D clareſcere. Tuum ergo nunc, tuum eſt, in his omnibus & opinioni tuæ, & noſtro pariter reſpondere iudicio, ne aut tu præſumpſiſſe illicitè, aut nos inconſideratè elegiſſe videamur.

* *Ita expreſſum m. nouo apto vocabulo & non inelegante ſenſu, ab eliciendo, ſicut Iupiter ab Eliciendis fulminibus dicebatur Elicius. Ouid. 3 Faſt.* Eliciunt cœlo te Iupiter: vnde minores nūc quoq; te celebrant, Eliciūq; vocant. *Niſi malis legere:* licitatorem, *quod non placet, vel:* elucidatorem, *quod malim.*

4. *Deuinctiſsimo Filio ſemperq; magnifico Heſperio Ruricius.*

REcepi apices vnanimitatis tuæ tam gratia, quàm eloquentia; tam amore pariter, quam lepore; tam ſale, quàm melle reſperſas, in quibus nec dulcedini deeſſet aliquid, nec ſapori. Qui cum omni dictionis & rationis arte præmineant, ſolo tamen à ſe diſcrepare videntur iudicio. Dum enim paginulæ meæ, non laudi aptæ, ſed vituperationi ineptia ruſticitatis aptatæ, maiora meritis tribuere feſtinas, & ſequeris vel declamationis curſum, vel diligentis affectum; à norma recti iudicij declinaſti. Ad quam rem ego perfectionem non ignorantiæ vitio, ſed ſpontaneo arbitror deſcendiſſe conſilio, triplici ea cauſa, vt in tenui materia & acumen ingenij, & oris facundiam, & affluentiam ſermonis oſtenderes. Sicuti in ieiuno at- E que otioſo ceſpite magis ſtrenuitas cultoris apparet, cùm aut rebellionem glebarum tenacium repetita ſæpius impreſſione vomeris domat, aut ariditatem nimiam ſtercoris aſperſione fœcundat, vt fructuum copiam, quam ſoli natura negat, induſtria producat. Ita & tu, egeſtatem epiſtolæ meæ eloquentiæ tuæ vbertate ditaſti, vt poſſit eſſe, ſi eam ſuppreſſeris, te loquente, laudabilis: ſi vero protuleris, incurrat & mihi de falſa laude, & tibi de iudicij errore verecundiam. Et idcirco quia imperitiam meam tui pudoris opus eſſe voluiſti, caue, ne præconio tuo nobis non reſpondentibus, tua periclitetur electio. Itaq; ſi quid mihi credis, ſi quid vtrique conſulis, indignum memoria, obliuione digniſſimum volumen abſconde, ſi vis & me ad arbitrium tuum oratoris famam, & te probati iudicis obtinere perſonam.

Deuinctiſsimo Filio ſemperque magnifico Heſperio Ruricius. 5.

F SPoponderas, fili chariſſime, vt mihi aliquos de ramuſculo, quem ex amaritudine in domeſticum ſaporem vertendum transferendumque ſuſceperas, floſculos deſtinares: quorum odore cognoſcerem, quam ſpem ſpei gerere deberem; vtrumnam ipſi flores germina, aut rurſus ipſa germina fructus ſui qualitate promitterent, iidemque iterum fructus vtrum poſſint te excoquente miteſcere, & dulci eloquentiæ verbo audientium corda ſatiare. Quod quia neſcio quam ob cauſam facere diſtuliſti, opportunum vos admonendi tempus inueni, quo in harmonia mundi vniuerſa animantia bruta pariter, & elinguia, incedentia, volantia, atque reptilia, ſuis quæque modis, ſuis ſibilis, ſuiſque quæque vocibus, etſi ſono diſſono, aut ore diuerſo, pari tamen affectu, quaſi vno concentu in laudem proprij auctoris erumpunt; & potentiam, quam promere nequeunt, ſentire ſe produnt. Hoc namque tempore cunctis orbis ſpecies rediuiua reparatur, & quidquid in eo ſitu G ſqualidum, frigore torpidum, glacie concretum, nuditate deforme, ariditate præmortuum hactenus fuit, ad inſtar reſurrectionis emergit; vt diſcat humana fragilitas de viſibilibus inuiſibilia, & de præſentibus futura cognoſcere, & ſpem venturæ melioris ætatis depoſita deſperatione percipiat. Nunc etiam tellus ſterili rigore concluſas, quaſi viuali ſemine hoc verno tempore concepto, occultis maritata meatibus, venas laxat ad partum. Et hinc quod deliciis ſuaue, quod eſui dulce, quod vſui vtile, quod victui neceſſarium, quod viſui iucundum, quod olfactui gratum, quod tactui blandum, omne producit. Siquidem hæc eſt illa tempeſtas, quæ mundi naſcentis materiam, quaſi adhuc in incunabulis teneram in gremio quodam clementiſſimæ altricis complexu nutriuit; ne ſubſtantiam nullo labore duratam aut æſtiuus feruor exureret, aut hiemalis algor extingueret, aut ventorum flabra portarent. Habet itaque ſuſceptus tuus conuenientiſſimum tempus, quo animi ſocordia tandem aliquando * H depoſita, hebetudinem cordis exacuat. Et ſi inter homines declamare non poteſt, ſaltem inter pecudes clamare, aut inter volucres garrire feſtinet.

* *M.S. in margine:* deteſtat-

Domino ſancto & piiſſimo Patri Nepotiano Presbytero Ruricius. 6.

COdices, quos ſanctitas veſtra tranſmiſit, accepi, eloquentia claros, ſcientia perfectos, doctrina probos, fidei puritate perſpicuos; qui ſacrorum teſtimoniorum vbertate locupletes, auctoritate præſtantes, luce fulgentes facile & fidelium mentes illuminent, & infidelium errores detegant atque conuincant, quorum ego guſtu admodum tenui pellectus potius, quàm refectus ad ſatietatem propter ſollicitudines ſæculi peruenire non potui. Sicut enim ſtomachus cùm febrium ardore decoquitur, dulces ſibi ante cibos nec oblatos ore recipit, nec requirit ablatos; ita & animus mundanis anxietatibus curiſque confectus, ſpiritales dapes nec deſiderat abſentes, nec carpit appoſitas, nec ſentit infuſas. Quæ cum ita

ſe in me

Digitized by Google

A ſe in me habeant, vos tamen & pij parentis probaſtis affectum, & ſolliciti magiſtri miniſterium, & ſeduli medici impleſtis officium, vrtali tædio laboranti medicamenta congrua mitteretis. Quib. & propter negligentiam meam ego non valeo conſequi ſoſpitatem. Vos tamen percipietis à iuſto repenſatore mercedem, qui etiam pro ingratis grates beneuolas referre conſueuit. Horum ego præfatorum codicum vnum, ſicut iuſſiſtis, retinui, alium remiſi, quem S. HILARII PICTAVAE vrbis antiſtitis eſſe noueritis, quod quia præceperatis, indicare curaui. Hunc vero retentum permittitis transferre; diſpoſui, vt quod memoriæ commendare non poſſumus, ſaltem vel paginis mandare curemus.

7. *Domino ſuo peculiariter in Chriſto patrono Baſſulo Epiſcopo Ruricius.*

QVam me diligere ſancta pietas, & pia ſanctitas veſtra B dignetur, multimodo probatis affectu, dum legenda tranſmittitis, & neglecta corrigitis, dilectionem diligendo prouocatis; & quod prædicatis verbis, docetis exemplis. Sed quoniam ſemen veſtrum in terra ſterili & dumoſa non proficit, vtpote quæ ſentibus ſupercreſcentibus ſuffocatur, ne ſicut infructuoſam illam ficulneam me iubeat Dominus vineæ, quam tanto tempore nequicquam expectat, abſcindi; vos ſeueriorem ſententiam orando differte, donec doctrinæ veſtræ * pinguedine tanquam terræ amaritudo infructuoſa dulceſcat. Sed quoniam plus ſunt apud me delicta, quàm verba; nec poſſum facta expiare ſermonibus; obſequium ſaltem epiſtolare dependo, & librum, quem præſtiteratis, me remiſiſſe ſignifico alium, qui identidem veſtris vſibus nunc neceſſarius non eſt, ſpero per portitorem harum remitti. Iubeatis ſimul quod ſi propitio Deo ad ſolennitatem ſanctorum * gurdone abituri ſitis, recurrentibus ſcire faciatis.

* M. S. pinguine.

*

8. C *Domino ſuo peculiari in Chriſto Domino patrono Sidonio Epiſcopo Ruricius.*

PRædicantibus vobis, ſæpius audiſſe me recolo, nullatenus ab iniquitatibus nos poſſe purgari, niſi fuerimus crimina noſtra, conſcientia compungente, confeſſi. Quis enim, non dicam conſequi, ſed vel quærere queat indulgentiam, niſi deplorationi confeſſionem erroris adiungat? Quia error indulgentiam, non indulgentia requirit errorem. Quod ego valde ſerum eſſe cognoſcens, facinus meum nuper admiſſum, pietati veſtræ indicare non diſtuli. Ne quod modo prodente me ſpectat ad veniam, tacente poſtmodum pertineret ad culpam. Sed iam ipſum dolum proferimus in medium. Furti me vobis reum ſtatuo, & depoſitum veſtrum me, ignorantibus vobis, illicite præſumpſiſſe pronuntio. Quod vt tamen committerem, occaſionem perpetrandi facinoris vos dediſtis, aut teurantes cupidum, aut indoctum erudire cupientes. Codicem namque quem de fratre meo LEONTIO me recipe- D re iuſſeratis, tranſtuliſſe me fateor. Quod ſi probatis, * ignoſcite, ſi imputatis, agnoſcite, quia confeſſioni querela ſociatur. Nam primum vt eum legerem, voluntas impulit, deinde ille, vt transferretur, extorſit. Nam cum de dapibus ipſius adhuc pauca libaſſem, taliter me guſtu illecebroſi ſaporis illexit, vt primi quodammodo parentis imitator, domino repente contempto, ad ſatietatem ſtuduerim peruenire; magiſque conſilium ſuadentis, quàm imperium dominantis audierim. Nam vt omnia pectoris mei arcana manifeſtem, videbar mihi libri ipſius verba adhortantis audire: Quid ceſſas ingrate, quid dubitas? Noſti erga te communis Domini voluntatem, quàm diuerſis occaſionibus te elimare contendat, quàm tibi etiam inuito ſpiritales cibos ſoleat bonus paſtor ingerere. Mihi crede, plus tibi, ſi diſtuleris, quàm tranſtuleris imputabit, quia ſtudioſis fauere, non inuidere conſueuit. His & talibus ſilentis adloquijs in vincula eius me voluntarius pariter & coactus ſponte conieci, ad exemplandum eum feſtinus acceſſi. Quem neſcio vtrum, ſicut eſt, tranſſcriptum, an paratum reddere debeam, in veſtro pendet arbitrio.

Fort. agnoſcite; ſi imputatis, ignoſcite.

Ego tamen libens mulctam, quam intuleritis, excipiam, quia remedium meum, veſtrum credo eſſe decretum; & ſententiam veſtram, medelam duco eſſe, non pœnam. E

9. *Domino peculiari in Chriſto domino, patrono Sidonio Ruricius.*

ITA me recens prædicatio, & antiqua dilectio veſtræ pietatis illexit, vt audeam auribus veſtris ineptijs meis facere ſæpius iniuriam; dum veſtram, quantum ſterili ingeniolo conceditur, attingere cupio diſciplinam. Quam etſi adſequi grande eſt, atque difficile, ſequi tamen pulchrum eſt atque ſublime. Quoniam ſummarum rerum non adeptio tantum, ſed etiam imitatio ipſa iucunda eſt. Quia nunquam fere aliquis eius rei portione ad integrum caret, ad quam ſcandere ac peruenire contenderit. Deſidero itaque, Domine mi, deſidero, inquam, tuis cibis refici, tuo fonte potari, tuis repleri dapibus, tuis epulis ſaginari: quas ſi quis, diſtribuentibus vobis, non ſummo ore F libauerit, ſed totis animæ viſceribus appetens conuiua ſorbuerit, atque intimo pectoris poſtmodum eaſdem ruminaturus abſconderit; incipiet aſſiduis ructationibus in laudem Domini omnipotentis erumpere; refertus corde, ore ieiunus, dum ſatur eſurit, & ſaturatus eſuriens; magis in regeneratione ſaturandus. Nec deeſſe poterit cibus, cuius paſtus in verbo eſt. Vt ego harum deliciarum particeps eſſe merear, veſtris patrocinijs obtinete; mihique ſupra menſuram virium connitenti auxiliatores accedite, ſimulque & ab ouili vobis credito non inueniar alienus. Orate, errantemque ouem à paſcuis ſæculi ad caulas Dominicas reportate: quia confido, quòd interceſſionibus veſtris fieri poſſit agnus, qui veſter metuerit eſſe diſcipulus.

Domino, pectori ſuo Lupo, Ruricius. 10. G

ACcepi literas magnanimitatis tuæ, quibus excuſare dignaris, quod vt me rarius eloquentiæ tuæ rore reſpergas, baiuli faciat inopia; ſimulque etiam indicas, te mirari, cur, cùm mihi eorum frequentia ſuppetat, verborum quoque copia compta non deſit, vobis ſcribere ſæpius detrectem. Quod vos per ironiam, vt eſt leporis veſtri facundia, iactaſſe non ambigo. Cum & vos abundetis tabellarijs, & me ſciatis laborare egeſtate ſermonis, ac ſterilitate exilis ingenij, velut æſtiuis menſibus arentis venæ curſum ſudare, non fluere. Addidiſtis etiam ſicut ACHILLI PATROCLVM, aut HERCVLI THESEVM, vel THESEO PYRITHOVM; ita vos mihi debere ſociari. In his fabulis factiſque maiorum non prærogatiuam perſonarum, ſed comparationem debemus dilectionis accipere; vt amicorum recolentes nomina, ſequamur exempla; & eorum in nos vocabula transferentes, merita conferamus; atque ex ipſorum geſtis magnifica quæque & honeſta carpentes, vitæ noſtræ vtiliter coaptemus; & ſeruiamus no- H bis in caritate candida, non adulatione fucata. Studeamuſq; quod in amicitijs illorum poetarum falſitas finxit, in nobis animorum veritas peragat; vt dum imitari videmur antiqua, relinquamus imitanda; & ſeniorum facta laudantes, laudemur à poſteris. Hæc ergo, domine mi, flamma pectoris mei, perſuaſioni tuæ, quàm conſcientiæ meæ amplius credens, gerulo feſtinante, breuiter curſimque dictaui: quæ peritia tua, & probitas tua, ſi amici verecundiæ conſulit, aut celare debebit, aut emendare curabit.

Domino ſublimi ſemperque magnifico Fratri Fredar. Ruricius. 11.

QVONIAM amœnitati nemoris veſtri etiam deſerti noſtri ineptias voluiſtis adiungi, tranſmiſi, ſicut iniunxiſtis, abietum plantas, non ſpecie, ſed proceritate placituras; non fructibus, ſed ſui peregrinatione mirabiles; non vſu aptas, ſed amœnitate iucunditas, quippe

quæ

A quæ cum coaluerint craſſitudine vmbrarum * cetena-
Voces corrupta. tum frigus * oceanis in æſtatibus præbitura. Et hoc in-
ter illas præclariſſimas diuerſi generis arbores, tam deco-
re, quàm vtilitate præſtantes, opulentas onere, diſtinctas
flore, odore fragrantes. Illis enim induſtria veſtra contu-
lit, quod ſoli natura non protulit. Nam vt roborem ro-
ſarum, liliorum candorem, lauri perpetuum virorem, &
alia huiuſcemodi ſimilia viſibus prætermittam (quia ſæ-
pe per abundantiam pretioſa vileſcunt, & facit copia quo-
tidiana faſtidium) illic etiam graminum, germinum, fru-
tetorum peregrinæ conlatæ ſunt ſuauitates, viſui, vſuique
vernantes. Sed quid illic primum laudandum ſit, aut mi-
randum, vbi etiam temporis intemperies temperatur?
Siquidem ibi torridæ feruor æſtatis tam vmbrarum,
quàm vndarum rigore depellitur, hiemis vero in tantum
non ſentitur aſperitas, vt intra eadem potios tepor aeris,
& cantus auium, veris reddat effigiem. Sed quid ego im-
memor imperitiæ meæ, paupere ſermone, mi domine,
ruris veſtri diuitias, delicias deſcribere, aut enarrare con-
B tendo; ad cuius laudem etiam ingenia maiora ſuccumbe-
rent? Date itaque impudentiæ meæ veniam, quam ex-
torſiſtis, qui vt auribus veſtris verboſus exiſterem, digna-
tio veſtra me compellit. confidens, quod Epiſtola lon-
gior vobis, dominis meis, ſi diſpliceret affatu, placeret af-
fectu. Cùm intellexeritis eam non pro eloquentiæ lepo-
re, ſed pro veſtro amore copioſam; ſimulq; quia ſciebam
ſublimitatem veſtram in amicis veſtris plus reprehendere
taciturnitatis verecundiam, quàm loquacem familiarita-
tis audaciam.

12. *Domino pectoris ſui, Celſo Ruricius.*

TRepido in præconium veſtrum os elingue reſerare,
cui ſcio rite etiam ingenia maiora ſuccumbere. Quid
enim primum de affectionis, aut dignationis veſtræ lau-
Fort. oris. de commemorem? qui omnes mihi ruris, * moris, &,
quod his omnibus maius eſt, caritatis delicias contuliſtis,
C aut certe ſi quid horum defuit, deputandum tempori,
non vobis eſt imputandum. Nam totum apud vos quod
carum, pectus; quod habuit clarum, mundus, inueni,
nulla me penitus iocunditate fraudaſtis; quin etiam deſi-
*derabile mihi hoſpitioli mei deſertum veſtra vicinitate re-
ciſtis. Et idcirco me magis finitimum vobis eſſe congau-
deo; quia non ex toto malus eſt, qui bonis iungitur. Sed
ne exhibeat vobis ipſa ineptia ſui longior ſermo faſtidium;
ſalue largiſſimum dico; & vitrarium, ſicut iuſſiſtis, me de-
ſtinaſſe ſignifico: cuius opus ortore, non fragilitate opor-
tet imitetur vt dilectio, quæ nobis à parentibus relicta,
magiſtro tradita vitæ communione, firmata eſt ſecundis,
eliminetur aduerſis, nulla penitus turbinum procella fran-
gatur. Nam ſicut auri atque argenti pretioſa ſinceritas ſi
æris, aut plumbi, vel cuiuslibet alterius materiæ vilioris
fuerit admixtione corrupta, niſi ignium examinatione
purgatur, nec ſplendorem naturalem poterit habere, nec
ſonum. Nam nec viſui claritatem, nec tinnitum reddit
D auditui, magisque raucum reſonat, ſi feriatur, & ſtridu-
lum. Hanc ergo ſententiam, non meam, ſed Domini,
frater optime, contuentes pariter & ſequentes, ita vitam
noſtram medio curſu, gubernatore ipſo Domino, tempe-
remus, vt quum ſerenitas adrideat, proſperior flatus inui-
tet, mare placidum blandiatur; ſcientes tamen illam æ-
quoris ſubiecti planitiem ad inſtar montium repente con-
ſurgere; neque in altum nauem noſtram patiamur impel-
li; vbi eam aut tempeſtas ſoluat, aut vnda demer-
gat.

13. *Domino pectoris ſui Celſo Ruricius.*

REcepi apices germanitatis tuæ, qui mihi non parum
ſcrupuli retulerunt. Vereor enim, ne ſecus de litte-
ris meis quàm à me miſſæ ſunt, cenſueritis, & idcirco qua-
ſi temerariæ præſumptionis memores videamini, dum vt
pro vobis orem, ac ſæpius commoneam, poſtulatis. Ego-
ne frater optime, caſtigare vos audeam, qui me nequeo
caſtigare? Egone vos, qui me ſæculi adhuc in turbini-
bus tanquam in maris æſtibus cymba inſtabili fluctuan- E
tem, quaſi iam de ſublimiori ſpecula vel eminentiori col-
le reſpicitis? Egone vos, qui ad portum veniæ per pœni-
tentiæ indulgentiam, Domino gubernatore? * Non e- *Deeſt verbum.*
go penitus, frater dilecte, ſic ſcripſi, vt mihi aliquid blan-
diens, vos improbo dente morderem, nec vt vos læde-
rem, ſed mihi Epiſtolæ familiaritate vincirem. Nam ſi be-
ne conſideretis, votorum ſunt illa verba, non actuum; &
optantis potius, quàm monentis, quia non quid agere-
mus, ſed qualiter vellem, vt viueremus, expoſui. Cæte-
rum ſi actus vitæ meæ præteritæ præſentiſque diſcutias,
pudebit te, intimo & ſecretiſſimo fratre teſte, ferre, quæ
non puduit Deo teſte * promittere, pro quibus facinori- *Fort. committere.*
bus meis ſpero vos potius Domino ſupplicetis, vt quos in
hoc ſæculo amicitiarum & propinquitatis voluit eſſe con-
ſortes, in futuro bonorum iubeat eſſe participes.

Domini pectoris ſui Celſo Ruricius. 14.

EQuum qualem iuſſeras, deſtinaui, manſuetudine pla- F
cidum, membris validum, firmum robore, forma
præſtantem, * factura compoſitum, animis temperatum, *Fort. fartura.*
nec præproperum ſcilicet velocitate, nec pigrum: cui fre-
nus & ſtimulus ſit, ſedentis arbitrium, cui ad euehendum
onus, & velle ſuppetat & poſſe; ita vt nec cedat ſuperpo-
ſito, nec deponat impoſitum. His itaque, ſicut oportuit,
intimatis, ſalutatione prælata, pollicitatione diſpenſa,
promiſſa depoſcimus, vt ad ſolennitatem ſanctorum ad
nos, Deo propitio, vnà cum ſorore venire dignemini: ho-
norem Patronis, fratribus affectum, gratiam populis præ-
ſtituri. G

Domino ſuo peculiari in Christo domino patrono Eonio Epiſcopo Ruricius. 15.

AGnito tranſitu ſancto, & venerabilis apud me re-
cordationis domini mei deceſſoris veſtri, Leontij, a-
nimo & mente confuſus diu multumque triſtatus ſum,
quod & impedientibus peccatis meis, tanto antiſtiti oc-
currere non merueram, & tali eſſem parente priuatus.
Cuius etſi exterioris hominis non fruebar aſpectu, inte-
rioris tamen gratia delectabar, & mentis acie ingiter ad-
hærebam; per quem & in quo mihi præſens quodammo-
do & cernebatur obtutu, & audiebatur affectu, & palpa-
batur adtactu, & tenebatur amplexu. Siquidem cari nul-
lo ſe melius loco, quàm in corde, caritatis ipſius ſeſe, con-
ſpiciunt. Vnde & amplius deſiderabam oculis videre
carnalibus, quem ita ſpiritalibus intuebar. Sed dolori meo
conſolationem ea quæ prius tribuerant, ſolatium ipſius
merita dederunt. Quia confido, quòd quem paterna pie-
tate dilexit, & ſedula intercesſione cuſtodiat. Sed hæc ſan-
ctitati veſtræ quaſi vobiſcum colloquens, atque à vobis
mœroris ipſius leuamen requirens, dictante dilectione,
retuleram. Nunc vero, vt dicere inſtitueram, acceſſione
ipſius domini mei, & apoſtolatus veſtri ordinatione com- H
perta, ad officium veſtrum mittere cogitabam. Sed inu-
nenibus veſtris humilitatis meæ præuenistis obſequium,
quæ mihi maiorem ſcribendi fiduciam contulerunt, quia
præſumo, quod quem liberalitate feceritis dignum, ab a-
nimis veſtris non habeatis alienum, & ideo ſicut dictis in-
tellexi, quoniam tanti habere dignamini, ſoſpitationem
beatitudinis veſtræ per literas vberem dico; ſimulque pe-
culiari prece depoſco, eo mecum agere tanto habeatis af-
fectu, vt dominum LEONTIVM præmiſiſſe, & commutaſſe
potius, quàm perdidiſſe cognoſcam.

Domino venerabili, admirabili, & ſanctis omnibus æquiparando, Fratri, Sidonio, Vidente, Ruricius. 16.

OLim te, frater chariſſime, fama celeberrima prædi-
cante, cognoui, & in ſede caritatis illis, quibus ipſe
melius terrena deſpicis, & cœleſtia diuinaque conſideras
oculis mentis aſpexi: vnde ipſius nomen adſcripſi, cuius
munere donatum eſſe te vidi. Et ideo dum te in ſpeculo

cordis

A cordis diligenter, & pulchritudinem interioris hominis tui vehementer admiror, ad deſiderandum animi mei viſcera concitaſti, quæ in tantum affectum tuum meraciſſima dilectione commota ſunt; vt quem ſpiritalibus oculis contemplor, etiam carnalibus cernere concupiſcam. Quamobrem, ſalue in Chriſto Domino plurimum, dicens ſpecialius, quæſo, vt vnà cum domino meo Episcopo; quem ad nos venturum pro ſua dignatione confido, vobis; ad humilitatem noſtram viſitandam, faciatis iniuriam, vt poſſimus in vnum positi fructum de noſtra inuicem carpere præſentia; dum ſciſcitantis intentio, ſit reſpondentis eruditio; & mutuus quodammodo profectus diſcentis efficitur, & docentis. Pax, pax, pax.

17. *Domino animæ ſuæ, & totis in Chriſto Domino dilectionis viſceribus excolendo Pomerio Abbati Ruricius Epiſcopus.*

B SCriptum eſt, ſicut ipſi melius noſtis, *mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus.* Iam vos mihi ſiquid imputatis, ignoſcite: quia ſciatis Dominum vindicaſſe. *Deut. 32. 35. Rô. 12. 19.* Tam auijs nos eſſe itineribus noueritis, in tam abditas ſolitudines inductos, vt eas retexere animus horreat, mens refugiat, ſermo non queat. Incurrimus namque ſemitam obſtructam ramis, ſpatio conſtrictam, ſpinis hirtam, ſtirpibus clauſam, obſitam ſentibus, ſitu aſperam, ſaxorum aggeribus impeditam, radicum connexione conſtratam, cœno voraginoſam, vt in tam varijs, tamque multiplicibus malis non eſſet ſimplex forma periculi; dum caballorum pedes radicum nexus detinet, & ſoli putredo non ſuſtinet, montibus vero ita in ſublime porrectam, & vallibus in profunda demerſam, vt nos per vndoſum mare, excitantibus ventorum ſæuientium flabris, erepto ab oculis noſtris nebulis ac nubibus die, iter agere crederemus. Quia etiamſi mundo radius ſolis illuxit, ad nos præ denſitate nemoris ſplendor ipſius, & calor peruenire non valuit, dum nos ita per iter infelicium felicium proceritas premit, & ſic inundatio roris adſpergit, vt contracti frigore, vel coacti apricitatem ignis plurimi diebus cynocaumatis quæremus. C Sed cùm ad locum, ad quem tendebat intentio, perueniſſemus, vallati aquis atque madefacti, ſiti cœpimus deperire. Qua cum eſſet, vt diximus, rigor in aere, erat tamen tepor in fonte, odor in flumine, ardor in campo, æſtus in caſtro, & vt breui ſermone vniuerſa concludam, per talem viam nos iter egiſſe cognoſcite, per quam nec ad paradiſum, non dicam ad exilium ire quiſquam deſideret. Quapropter quia hæc omnia Dominus noſter & me incurrere, & vos iuſſit euadere; peccata mea à veſtris meritis etiam viſibili itinere diſcernens; & vos qui arcta & laborioſa ſpiritaliter pergitis via, iſtas non incideretis anguſtias, & nos qui lata & ſpatioſa, retrorſum ſemper reſpicientes incedimus, huius incurrimus iniurias. Orate Dominum, cui omnia poſſibilia confitemur, vt etſi per diuerſum iter, ad vnam nos tamen vrbem faciat conuenire; D in quam nos miſericordia poteſt inferre, vos merita.

18. *Dulciſſimo & vnanimo filio Omacio Ruricius Epiſcopus.*

VT per VENERIVM dulcedini tuæ non ſcriberem, non negligentiæ, nec imputationis alicuius, ſed occupationis fuiſſe cognoſce, vnde has per AMELIVM dedi, quibus ſalue plurimum dico, & vt propoſiti tui ſemper reminiſcaris, commoneo. Nec animum tuum iam Deo dicatum aut à cœpto itinere blandior viſus auocet aut modulatior corrumpat auditus, aut dulcior guſtus inficiat, aut mollior ſollicitet tactus, aut ſuauior odoratus illiciat, & per feneſtras corporis mors intromittatur ad animam. *Luc. 9. 16.* Sed neque ſtiuam tenens, contra domini ſententiam *retro reſpicias*, vt directum lineæ ſulcus amittat: quin potius ita in eum, cui te, ipſo inſpirante, vouiſti, omnibus ſenſibus inhies, & corde defixus adhæreas, vt eum te vel vna præteritorum vitiorum illex forma pulſauerit, fide firma, & diuina meditatione munitum pectus adire non poſſit. E Et quamlibet in turbis poſitus eſſe videaris, *intrans in cubiculum* cordis tui, *clauſo oſtio* tuo, *Dominum orare* non deſinas; vt *qui videt in occulto*, dicat tibi, ſicut ſancto Moyſi vociferanti ad ſe non voce, ſed corde dicebat: *Quid clamas ad me?* *Matt. 6. 6. Exo. 14. 15.* Et ſpero vt in talibus orationibus etiam mei meminiſſe digneris, & citius te ad nos, etiam ſi inter nos reducit affectus, deſiderium dulciſſimæ & ſaluberrimæ quietis adducat.

Explicit Domni Ruricij Epiſtolarum liber primus.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

Epiſt. 1.

1. *Dominis ſublimiſſimis, in Chriſto Domino deuinctiſſimis fratribus Namacio & Ceraunia Ruricius.*

F ANTIQVI ſapientes amicos duos vnam animam habere dixerunt, quod valde verum eſſe ego prædico, proboque. Nam poſtquam à veſtra germanitate diſceſſi, diuiſum eſſe me ſentio, partemque meam vobiſcum reſidiſſe cognoſco. Nec abſentibus vobis integer eſſe mihi videor. Et cùm me in me non inueniam; apud vos me, ad vos reuerſus, inquiro, atque ibidem, quantum me iubes reliquiſſe, tantum veſtri mecum abſtuliſſe conſpicio. Et ita priuſquam fiat, annuente Domino, pignorum noſtrorum votiua coniunctio animorum inter nos facta iam diuiſio, quæ * diuino amplectenda magis eſt diligentibus, quàm vitanda; *F. Diuiſio.* per quam fit in cordibus eorum caritatis integræ ſincera transfuſio; G cuius ego vinculis colligatum à vobis eſſe me gaudio, & talibus catenis vinctus exulto, obſtringique me earum nexibus magis cupio, quàm reſolui. Quibus & vos conſtrictos eſſe confido. Redeuntibus itaque veſtris ſalue largiſſimum dico, & ex omnibus gratias agens dereliuquo, quæ ad præconium noſtrum pertinent. Idcirco me ſiluiſſe ſignifico, quia in proprijs laudibus, ſicut dicitur, eſt odioſa iactantia, veſtra enim laus mea facta eſt; & ideo, vt dixi, de magnanimitate veſtra tacere melius duxi, quia quidquid de vobis dixero, mihi videor contuliſſe.

2. *Dominis ſublimiſſimis, & in Chriſto Domino deuinctiſſimis fratribus Namacio & Ceraunia Ruricius.*

INTER reliquas grates, quæ à me vobis iure referendæ ſunt, præſentia ac viſione patroni communis domni POSTVMINI ingentes gratias ago, quod hoſpitiolum veſtrum feciſtis ipſius orationibus inluſtrari. H Quia dum vobis exhibet fidem, nobis tribuit benedictionem, & licet fuerit vigilantiſſimus inſpector, importuniſſimus exactor, diſtrictiſſimus executor; leuia tamen hæc omnia gratia veſtra & ſanctitatis ſuæ ponderatione penſauimus, quia ſicut ſcriptum eſt: *Caritas omnia ſuſtinet, caritas nunquam excidit*, *1. Cor. 13. 7* præſertim cùm hoc, quod viſus exigere, nobis eum credimus Dei beneficio contuliſſe. Itaq; eo * propria ciuitate remeante, non quia neceſſariæ eſſent, ſed quia voluit, dedi, quibus indiuiduæ germanitati veſtræ ſalue largiſſimum deſiderans dico. *M. ſ propria diciuitate, Sed vocula, di, eſt deleta: An propria deciuitate, an: propiam in ciuitatem legendum?* Iter meum, veſtrumq; conſpectum mente præuenio, atq; omnia, ſicut iuſſiſtis, & dignum ac debitum fuit, inſpecta, tradita, firmata ſignifico. Nec vereor quod debeat animos veſtros vel aliquantiſper offendere, quod vnum vocabulum de libello doris videtur eſſe ſubtractum, cùm hoc quod deeſt numero, non ſolum compenſatum, ſed etiam auctum agnoſcitis in merito.

* * *

A

3. *Dominis ſublimibus & in Chriſto Domino deuinctiſſimis fratribus Namacio & Ceraunia Ruricius.*

QVAM grauiter ſim de luctu veſtro nuntij atrocitate perculſus, facilius vos pro mutuo poteſtis amore conijcere, quàm ego poſſim litteris intimare. Quia animus nimio mœrore confectus, quod horret recolere, renuit expedire. Doleo, fratres deuinctiſſimi, tam acerbo caſu veſtro & toto corde compatior. Nam etſi ad præſens à vobis ſeparatus ſum corpore, tamen ſemper mente coniungor, & dum à vobis animo non recedo, planctibus veſtris intereſſe me credo. Quia ſecundum diuinam ſententiam quod patitur vnum membrum, omnia membra compatiuntur in corpore. Nos enim non ſolum fide concorporamur in Chriſto, ſed etiam filiorum coniunctione connectimur. Vnde etiam ſi ætatum tanta intem-

B peries permiſiſſet, ad ſolandos vos, pro Epiſtolis ipſe veniſſem. Sed quid facimus, fratres optimi, quod diuinæ reſiſtere iuſſioni, ſicut virtute non poſſumus, ita nec voluntate debemus, & omni aduigilantia præcauere, ne dum dulcia nobis pignora nimio dolore deflemus, blaſphemi, aut quodam modo iniurioſi videamur in Domino; & grauius animam noſtram auctor ipſius meritis inuenta occaſione confodiat, quàm carorum amiſſione percuſſit. Ideo in omni amaritudine vel dolore ad illum nobis refugiendum eſt, & ad illum omnes caſus noſtri toto corde referendi, qui ſanat vulneratos, qui releuat mœſtos, qui conſolatur afflictos, & illa ſententia ſancti Iob omnino dicenda eſt: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit,*

Iob. 1. 21. *ita & factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Hæc ergo Domini pectoris mei, ſcribere vobis idcirco præſumpſi, vt dolorem communem, quem ſciebam, quòd verbis meis mitigare non poteram, vel diuinis eloquijs vtcunque moderaret. Et verè non minimum poteſtis capere de Chri-

C ſti voluntate ſolatium, quod quatenus ipſum immaturus

Mat 19. 14 manebat innocentes, talem eum eſt dignatus aſſumere, qualium regnum dixit eſſe cœlorum; vt & patronum haberetis exſilio, & minus doleretis amiſſum, quem à Domino videbatis aſſumptum.

4. *Dominis ſublimibus, & in Chriſto Domino deuinctiſſimis fratribus Namacio & Ceraunia Ruricius.*

SÆpius, cariſſimi fratres, propter communis luctus acerbiſſimum caſum vobis ſcribere, aut ad vos venire diſpoſui, ſed ſemper me & ab itineris procinctu infirmitas corporis, & ab epiſtolari officio nimius dolor cordis retraxit. Nam ſi quando ad ſcribendum animum conatus ſum intendere, ſtatim ſenſus horruit, mens refugit, & ita mihi pro ſermonibus ſemper fletus occurrit; vt prius paginam lacrymarum imbre perfunderem, quàm ſtylo pingerem, ſicut dixit ille paternam indicans de filij amiſſione

D pietatem.

Bis conatus erat caſus effingere in auro;
Bis patriæ cecidere manus.

Pſal 76. 4. Vel quod potius à me dicitur: Quoniam *negabat conſolari anima mea.* Haud iniuria. Perdidi enim filiam, quam & me ſuſcepiſſe, & vos genuiſſe gratulabar, perdidi vitæ ſolatium, poſteritatis ſpem, decus familiæ, cordis gaudium, lumen oculorum, nec ſimplici ſum orbitate perculſus. nam cum filia & fratres amiſi, quorum me ſolabar affectu, quorum me coniunctione iactabam. Diſruptum eſt, fratres cariſſimi, vinculum germanitatis noſtræ, ablatum nobis eſt pignus mutuæ caritatis. Heu mihi, fratres optimi, dum depoſitum veſtrum cuius me traditione ceperatis, amitto, vnà vos perdidi, & ideo in vnius neceſſitudinis gradu, compluriuin mihi neceſſitudinum ſolatia ſublata ſuſpiro. Solam tamen patriam, quæ mihi per ipſam acquiſita fuerat, non amittam, qui hanc mihi potiſſimum terram, quam illa corpore ſuo occupauit, patriam iudicabo. Sed quo immemor officij, memor gratiæ, dolore impellente, progredior? & tempore aliquatenus vulnus obductum, rediuiua recordatione, tanquam noua ſectione reſcindo? & qui conſolari vos potius per diuina promiſſa cupiebam, conſolationem ipſe non capio. Cauſas tamen vobis recidiui huius doloris exponam, vtcunque enim animus mœrore confectus recipere conſolationem Apoſtolica exhor-

1. Theſ. 4. 13. tatione iam cœperat, quæ ait: *Nolo vos, fratres, ignorare de dormientibus, ne contriſtemini, ſicut cæteri, qui ſpem non habent.* Sed vbi infelix noſter communis aduenit, & eum ſine ea, qua prius ſplendebat, gemma conſpexi, per quam mihi & acceptior eſſe ſolebat, & gratior, & quaſi ornamento proprio ſpoliatus, mihi & indecorus apparuit. Nouit ille, fratres cariſſimi, qui cordium occulta rimatur, quòd ita mihi dolor repente geminatus eſt, & ita mihi per ſingulos dies de tanta indole illius, & illius deſolatione affectus duplicatus & luctus, vt nec hunc aſpicere; nec illius meminiſſe ſine lacrymis queam; & Propheticum illud ſæpius dicam:

Ierem. 9. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?*

F Sed ille populi ſui peccata deflebat; ego vero propria, quæ & me & vos pondere ſuo & numeroſitate preſſerunt; Ego vt illius mortem, & meam vitam, illam defunctam, & me ſuperſtitem plangam. Longe aliud tibi, venerabilis ſoror, quaſi de noſtris meritis præſumebas, cùm tantum tibi, nimia caritate decepta, de noſtris orationibus, me refellente, promitteres, vt domum tuam noſtra intercesſione ſaluandam, & filiam per me, vt ita dicam, fore crederes immortalem. Sed cito apparuerunt merita mea, quæ me irremediabili vulnere ſauciarent, & te ſecus, quàm oportuerat, de peccatore credentem, tanti pignoris orbitate percuterent. Vel nunc certe in Chriſto Domino venerabilis ſoror, & te falſa credidiſſe, & me vera dixiſſe cognoſces. Sed nimium diu immemores præceptorum cœleſtium humano dolori præbemus adſenſum. Ad diuina nobis præcepta redeundum eſt; ne ita plangamus corpore mortuam, vt ipſi corde moriamur. Diſcedentes ergo paululum de præſentibus, rurſum futura cogitemus; vt quos infirmant præſentia, futura corroborent. Nos debemus,

G fratres cariſſimi, illam ferre conditionem humanæ fragilitatis, quam & Prophetæ, & Apoſtoli, & ſancti iuſtique omnes, vel quod maius eſt omnium, Dominus noſter ſuſcipere dignatus eſt. Deplorare (ſed magis Deo gratias agere & gaudere) non conuenit, quod filiam, qualem quidem voluimus, quam Deus, qui dederat, promiſit, habuimus; & quidem mutauimus, non perdidimus; ſed ad Chriſtum, ipſo iubente, præmiſimus. habere enim filios, generalis eſt beneficij; bonos vero habere, ſpecialis eſt præmij, ſicut viuere commune eſt omnium; bene vero viuere & bene deſcendere de hac vita paucorum eſt; non tamen naturæ conditione, ſed culpæ, nec diuina præſcriptione, ſed propria voluntate. Et ideo non turbetur cor noſtrum, nec filiam pro amiſſione, ſed pro deſiderio defleamus: nec vt Dominicis promiſſis increduli, aut præcepti obliti eſſe videamur. Fleant liberos ſuos, qui ſpem reſurrectionis habere non poſſunt; quam eis perfidia ſua adimit, non diuina ſententia. Fleant mortui mortuos ſuos, quos in per-

H petuum æſtimant interiſſe. Illi nullam mœroris ſui habeant requiem, qui non credunt eſſe requiem mortuorum. Nobis verò, quibus & ſpes & portio Chriſtus eſt, ſpes in terra morientium, portio in regione viuorum; quibus mors iſta non naturæ, ſed vitæ præſentis eſt finis, quia eam in melius credimus eſſe reparandam, iuxta Apoſtoli ſen-

1. Cor. 15. 54. tentiam: *Cum corruptibile hoc induerit incorruptionem;* Cum

Iob 1. Propheta dicendum eſt: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino viſum eſt, ita factum, ſit nomen Domini benedictum.* Quia tenenda eſt in tentatione patientia, ne cogat aut oreant corde delinquere.

Fletus itaque veſtros fides prompta detergat; quia credimus caros noſtros vitam non tam perdere, quàm mutare; relinquere ſæculum cernimus luctibus plenum, & ad regionem beatitudinis feſtinare; Exire de peregrinatione laborioſa, & ad quietis patriam peruenire. Vnde &

Pſal. 141. 8. Propheta dicit: *Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo.* Credite mihi, fratres cariſſimi, quia illa tam de ſua quiete ſecura, de noſtra eſt ſalute ſollicita; quæ ſi nobiſcum poſſet miſcere colloquia, hoc diceret: Nolite pij

pateo-

A parentes, nolite me flere; nec ingrati tam benigno Domino planctibus nimiæ dilectionis exiſtere. Eſto habuerit tempore meæ arceſſitionis hoc pietas; iam debet dolorem veſtrum fides cum tempore temperare. Quia etſi vobis mortua ſum, Deo viuo. Aut nunquid vos magis poteſtis amare, quàm Dominus, qui me fecit? qui me donauit vita, emit, redemit, quia voluit; & quando voluit pro ſua pietate ſuſcepit. Aut quod magis doloris veſtri poteſtis habere ſolatium, quàm quod Dominus noſter vnicum filium ſuum pro nobis eſt tradere dignatus ad mortem? Et cum filius Dei ſecundum carnem mori voluerit, homo tam acerbè debet conditionem humanæ ſortis excipere? Quamobrem, pijſſimi parentes, veſtra potius peccata deflete, & de ſatisfactione veſtrorum criminum cogitate; vt ſi me in Chriſto diligitis (quia me verè diligere non poteſtis, niſi in Domino diligatis) in ſinum Patriarchæ venire

Fort. ſuæ. mereamini, vbi Dominus pro innocentiæ * meæ puritate, & pro ſua pietate conſtituit, *quia miſericordia eius melior*

Pſal 62. 4. B *eſt ſuper vita*, vt ibidem non falſis, ſed veris; non temporalibus, ſed æternis gaudijs pariter exultare poſſimus. Talibus oportet, vt vos, optimi fratres, & his ſimilibus præce-

*Sponſionibus. ptis ac * ſponſibus Dominicis conſolemur. Quia ſicut apud Dominum futura tam facta ſunt, ita fidelis catholicus promiſſa cœleſtia, quæ tempore ſuo implenda confidit, debet etiam quodammodo habere præſentia, ſpe præcipere, poſſidere fide, operibus obtinere. Hæc enim ſunt, quæ nobis exhibent in mœroribus ſolatium, in contrarijs fiduciam, in proſperis moderationem; ne aut extollamur ſecundis, aut cedamus aduerſis, aut triſtibus conſumamur. Hæc ergo, fratres chariſſimi, tranſmittenda vobis ad communem quandam conſolationem, non ſine magno animi dolore dictaui, nec me paulo latius protrahere ſermonem affluentia verborum compulit, ſed æſtus animorum; vt deſiderium, quod recordatio accenderat, commemoratio diutina crebra leniret; & in hoc etiam parem gratiam erga communem filiam comprobemus, & ſicut nos eius vita deuinxerat, ita eius memoria in eadem

C dilectione cuſtodiat.

5. *Domno ſublimi & in Chriſto Domino deuinctiſſimo fratri Namacio Ruricius.*

QVi occaſionem ſcribendi pro neceſſitudinis iure perquirimus oblatam, prætermittere non debemus; vt reddat nobis quandam præſentiæ portionem ſermo meditatus, qui emittitur, & non amittitur; tribuitur, & habetur; videtur diſcedere, nec recedit; à me dirigitur, à te ſuſcipitur; à me ſcribitur, à te legitur; nec tamen diuiditur, cùm quaſi diuiſus integer vtriuſque corde teneatur. Quia verbi more diuini traditur, & non egreditur; confertur indigenti, & non aufertur auctori; accipientis lucrum, ſine diſpendio largientis, ditans inopem, nec attenuans poſſeſſorem.

D

6. *Domno ſuo, & peculiari, in Chriſto Domino, patrono, Cronopio, Epiſcopo Ruricius Epiſcopus.*

IN ordinando grege Dominico, vel regendo, inter ſpeculatores atque præpoſitos non præſumptio debet eſſe, ſed ratio; & de cuſtodia ſolicitudo, non de peruaſione contentio: ne mercenariorum ſubeant notam, dum paſtorum non tenent diſciplinam; & inueniantur, ſicut

1. Theſ. 2. 6 Apoſtolus dicit, Non Chriſti gloriam affectare, ſed propriam; dum malunt ab hominibus percipere laudem, quàm à Domino expectare mercedem; præſentis appetitores lucri, & præmij contemptores æterni. Vnde ſicut idem Apoſtolus docet ſi pacifica ad opus ſanctum con-

Rom. 12. gregatione concordes, *ſi ſine ſimulatione diligentes*, ſi cum *ſollicitudine miniſtrantes*, ſi vnius capitis membra ſumma,

1. Cor. 12. corporis vnanimiter debemus eſſe rectores. Quia caulæ gregis Dominici poſſunt eſſe numeroſitate multæ, non fi-

Ioan. 10. 16 dei varietate diuerſæ, vt, ſicut ipſe Dominus prænuntiare dignatus eſt, non nobis per inuidiam diſſidentibus, & per

E diſſentionem gregem Dominicum diuidentibus, multiplex per nos ſchiſma procedat, ſed magis per vnitatem doctrinæ ſimplices oues Dominicas congregantibus, *fiat in nobis vnus grex, & vnus paſtor*, qui ſicut eſt rex regum, & Dominus dominantium, ſacerdos ſacerdotum, & pontifex pontificum; ita intelligatur & paſtor eſſe paſtorum. Quamobrem ſtudio caritatis, non cupiditatis, * has ad Fort. cum his.
ſanctitatem veſtram presbyterum meum pro diœceſi GEMILIACENSI, vnde iam pridem vobis ſcripſeram, deſtinaui; ne ſi tacuiſſem negligentiæ deputaretur non concordiæ. ratione * irrationabilis vides ceſſiſſe non pauci, Locus corruptus
vt ſi agnoſcitis vera eſſe, quæ dico, aut iuſta quæ repeto; nec me iniuriam diutius, nec vos inquietudinem diutius ſuſtinere patiamini.

Domno ſublimi ſemperque magnifico Fratri Elaſio Ruricius Epiſcopus. 7.

F

ITA propitio Deo operum tuorum fama percrebuit, vt omnes in laboribus conſtituti commendari ſe germanitati veſtræ omni precum ambitione depoſcant. Quia fatigationem ſuam apud vos effectum habere non dubitant. Vnde etiam portitor harum nomine VLFILA, quem mihi * FRARETRIVS presbyter ſuis literis commendauit, ad vos commendatitias poſtulauit, quas ei & pro Vel Fraſetrius.
iuſſione diuina, & pro iuſſione mutua libenter indulſi. Quibus indiuiduæ caritati veſtræ ſalue plurimum dico, & præfatum pro affectione germana, non pro pontificali autoritate commendare præſumpſi. Quia in peccatore amittit dignitas dignitatem; Cui honor indebitus oneri eſt potius, quàm honori, quod licet vobis placere pro noſtra deuinctione confidam, tamen ſiquid nobis veri vel vicarij amoris impenditis, ſpero condoleatis potius, quàm gaudeatis, quia indignum me, & penitus non merentem non attollit res tanta, ſed deprimit.

Domino ſancto & Apoſtolico, & mihi præ cæteris in Chriſto Domino cultu affectuque peculiarius excolendo patrono & Papæ Aeonio Ruricius Epiſcopus. 8.

G

QVotienſque † quicunque ſanctos aut Apoſtolicos viros quos miſericordiæ opera, operum merita, meri- Fort. quoſcunque aliqui.
torum vita commendat, atque omnium virtutum ſana diſſeminat, ærumnarum mole depreſſi coguntur expetere, dum literarum ſolatium quærunt labori ſuo, beneficium conferunt deſiderio noſtro. Et enim ſi illorum labor noſter dolor, fit tamen per officij collationem eorum neceſſitas, quodammodo caritas noſtra, qua dum ipſorum adquieſcimus petitioni, noſtræ ſatisfacimus voluntati, & ita fit vt egeſtas petentis, ſit largientis voluptas. Fratri itaque & compresbytero noſtro, POSSESSORI nomine, * quo pius eſt potius, quam facultate; quia quod M S. vt nomine quod potius eſt.
habuit pro fratris redemptione profudit, factus eſt poſſeſſor paradiſi, dum proprietatis ſæculi deſinit eſſe poſ- H
ſeſſor. Ad Apoſtolatum veſtrum commendatitias poſtulanti libenter indulſi. Cuius neceſſitatem ſi digoatur plenius ſanctitas veſtra cognoſcere, epiſtolam, quam ad humilitatem meam frater noſter EVMERIVS epiſcopus per ipſum direxit, tanti habeat recenſere; & illic agnoſcet qualiter ipſi debeat & pro conſuetudine conſulere, & pro caritate mutua condolere. Qui vt fratrem ab hoſtibus redderet liberum, ſe creditorum maluit eſſe captiuum, & vt ille crudeliſſima morte non priuaretur vita, ipſe extorris eſt factus è patria.

Sancti Apoſtoli Pauli ſententiam * conſtituentes Prius erat in M S. cõtuentes
qua Romanis ſcribens ait: *Nolo vos ignorare fratres, quia ſæpe propoſui venire ad vos, ſed prohibitus ſum vſque adhuc*; & nos Rom. 1. 13.
dicere pudore inſtigante compellimur: Crebrius voluimus ad ſinceriſſimam pietatem veſtram ſcripta dirigere, ſed prohibiti ſumus vſque nunc; prohibente nimium illo, qui bonæ voluntati conſueuit ſemper obſiſtere, inuidens ſcilicet profectui noſtro, & affectui veſtro; affectui noſtro, & profectui veſtro; * profectui noſtro & affectu * Hæc redundant.

A veſtro. quia doctrina veſtra, eruditio noſtra eſt; & epiſtola noſtra, conlatio deſiderij veſtri eſt; & rurſus profectui veſtro & affectui noſtro, quia eruditio noſtra, merces veſtra eſt; & * tempora conlatio deſiderij veſtri, veſtri eſt ſermonis affectus. (* Fort. ſemper.) Ita enim paucis diebus, quos mihi vere & paucos & breuiſſimos veſter fecit affectus, dum contemplatione veſtra non ſolum ſatiari noſter nequit, verum etiam videndo magis exardeſcit intuitus; cum nos & deſideraremus præſentes, & ad hoc coram poſitos quæreremus, ſenſus noſtros fonte puriſſimo benigni pectoris irrigaſtis, vt quamlibet nulla deinde ſancti oris munera pretioſa perciperem, præſentiam tamen veſtram intra mentis meæ arcana poſſideam, & effigiem veſtram in ſpeculo mei cordis intuear, quam illic tua caritas perfecta depinxit, vt nullius ætatis obliuione poſſit deleri; quia iugi recordatione momentis ſingulis innouatur. Illic enim vobiſcum ex conſuetudine pietatis veſtræ ſecretius conloquor. Illic etiam de vitæ melioris inſtitutione pertracto. B Illic vos labijs mentis exoſculor, & manibus cordis amplector. Quo fit, vt vera dilectio, quæ in viſceribus meis viua vultus veſtri figuratione nutritur & igniculo caritatis accenditur, amoris veſtri viciſſitudinem mihi repromittat, & animus meus mihi animi veſtri fideiuſſor adſiſtat; dum quantum mihi de vobis præſumere debeam, conſcium mutuæ dilectionis pectus interrogo. Vnde ſcribendi mihi aditu orationibus veſtris tandem aliquando reſerato, hanc ſalutationem defero, & interceſſionem peccatorum requiro. Illud ſpeciali prece depoſcens, vt miſericordiam Dei noſtri aſſiduis petitionibus flagitetis omnibus delictis meis, atque omnibus, opitulantibus vobis conſuetudinaria clementia & copioſa bonitate, delictis, & ſi non ad idem præmium, ſaltem ad eundem nos portum quietis iubeat peruenire; vt quatenus hic propter ſpatia interiecta terrarum oculis corporis ſæpius nos videre non poſſumus, vel ibidem de mutua præſentia gaudeamus, vt quando vobis à iuſto Iudice retribuatur corona meritorum, mihi à pijſſimo redemptore, & aduocato perfectiſſimo * commiſſorum venia non negetur, C (M. S. ommiſſorū. fort. omiſſorum.) ipſe ante iudicium peccatoris agere dignetur cauſam, ne in iudicio puniat culpam, quia nouit quippe omnipotens nec in bonitate clementiæ iudicij perdere veritatem, nec iudicij ſeueritate clementiæ amittere bonitatem. Et ideo per ineffabilem miſericordiæ ac virtutis operationem vobis præſtare dignetur, vt quos hic veritate coniunxit, illic habitatione non ſeparet; promiſſionem veſtram recolens peculiarius rogo, * vt fratrem POMERIVM, ſanctitas veſtra non ſolum non retineat, verum etiam ad nos venire compellat, partemque ſuam nobis in diuiduum vtriuſque tranſmittat. (M. S. nobis indiuiduum per vtriuſq;.) Nec eum à vobis diſcedere, ſi ad me acceſſerit, indicetis, quia & vos hic inueniet in me, & cum eo vos, reſidente corpore; vt confidimus, corde venietis. Sed & inde non paruum fructum habere poteritis, ſi ruſticitas noſtra doctrina ipſius aliquid in Dei timore profecerit.

D 9.

Domno animæ ſuæ & in Chriſto Domino viſceribus excolendo Pomerio Abbati Ruricius Epiſcopus.

SApientes ſæculi amicos duos vnam animam habere dixerunt, quod ego etiam eccleſiaſtico teſtimonio verum eſſe confirmo, quod ait: *Credentium autem erat anima & cor vnum.* (Act. 4. 32.) Vnum vtique caritate, non numero; & fidei ſimplicitate, non ſingularitate perſonæ. Hoc ergo prædico proboque, nam ex quo à veſtra vnanimitate diſceſſi, diuiſum eſſe me ſentio, partemque meam vobiſcum reſediſſe cognoſco. Nec abſentibus vobis, integrum eſſe me credo; & cum me in me non inueniam, apud vos me ad vos regreſſus inquiro, atque ibidem quantum me vobis reliquiſſe, tantum veſtri mecum abſtuliſſe conſpicio, & omnipotenti Deo gratias ſuper tam admirabili facto eius refero, quod ita generali tribuere diſpenſatione dignatus eſt, vt inter eos, quos locorum interualla diſcriminant, liber ac nullis concluſus abſentiæ legibus animus commearet; nihilque eſſet tam impenetrabile, quod mentis aſpectibus non pateret; ſed per cordis intuitum inde ſe inuicem cari, gratia intercurrente, E conſpicerent, vbi caritas ipſa conſiſtit. Et ideo ſalutem pleniſſimè erga me quantum propria mente conijcio, pietati veſtræ deferens, omni precum ambitione depoſco; ſi nobis parem repenſatis affectum, ſi ſimili caritate nos diligitis, ſi aliquid in viſceribus veſtris, amor noſter operatur, ſi vſque ad medullas cordis veſtri dilectio noſtra peruenit; ſi ita vos pro me, quàm me pro vobis dulcedine poteſtatis edomuit, vt imperio ipſius nec poſſitis reſiſtere, nec velitis; ad deſiderantem fratrem deſiderans quantocius venire feſtinabo, beneficio & promiſſum ſoluturus debitum, & mutuum mitigaturus affectum. Quia coram poſiti æqualem vobis gratiam de noſtra contemplatione & conlocutione præſtabimus, tantumque, ſi, vt diligeris, diligis, à me retribuetur caritati tuæ, quantum tu meæ ipſe detuleris. Nec ſane inueniendo fatigationem poteris formidare. Quia vt ille dixit, vicit iter durum pietas. F Et iuxta Apoſtolum noſtrum: *Caritas omnia ſuſtinet, quæ nec quærit, quæ ſua ſunt, nec vnquam nouit excidere.* (1. Cor. 13. 7.) Oportune etiam deſideranti viatori autumnalis temporis congruit cum caritate temperies, ſi eam tamen præteritæ æſtatis feruor accendat, non aduenientis hiemis algor extinguat.

Item Epiſtola domni Ruricij. 10.

REctis literis meis, fortaſſe mirraberis, quòd venerationi tuæ, Fratri, ſcripſerim; cùm hoc nec ætati noſtræ conueniat, nec honori, quia ſicut me maiores natu, ita minor & gradu. Et ideo ſi ad tuam, Deo propitio, longæuitatem, aut ad noſtram reſpexiſſemus adminiſtrationem, aut, Patri, ſcribere debueramus, aut, Filio. Sed quia & S. Ioannes Apoſtolus in Epiſtola ſua vnis eiſdemque, & patribus, & iuuenibus ſcribit, & pueris, dicens: *Scribo vobis patres, quia cognouiſtis eum, qui ab initio eſt. Scribo vobis Iuuenes, quia viciſtis malignum, ſcribo vobis pueri, quia cognouiſtis Patrem.* (1. Ioan. 2.) G Qua diſcretione verborum non ætatem exterioris hominis, ſed qualitatem interioris adſignat. In quantum enim in Dei cognitione ac dilectione proficimus, patres ſine dubio nuncupamur, in quantum vero contra aduerſarium, qui *tanquam leo circuit quærens, quem deuoret*, (1 Pet. 5. 8.) viriliter dimicamus. Iuuenes eſſe cognoſcimur, in quantum vero ſocordiæ deſidiæque committimur, & ad incedendam mandatorum viam fidei infirmitate deficimus, atque ad contuenda ac peragenda præcepta diuina à ſæcularium actuum intentione quaſi è ſomno ſegniores adſurgimus, rectiſſimè puerorum leuitate cenſemur. Vnde & Apoſtolus Paulus ita commonet negligentem: *ſurge qui dormis, & exurge à mortuis, & continget Chriſtum*, (Epheſ. 5. 14.) ſiue *illuminabit te Chriſtus.* Nam & dominus in Euangelio, cùm ei à circumſtantibus diceretur, *Ecce mater tua, & fratres tui quærunt te volentes videre te.* (Matth. 12. 47.) Ita reſpondit: *Quæ eſt mater mea, aut qui ſunt fratres mei?* Et oſtendens Apoſtolos, ſequentes ſe, Nonne hi, *qui faciunt voluntatem patris mei?* H Mater enim Chriſti dici poſſumus, quando Chriſtum corde geſtamus. Nam & S. Maria, quæ & Virgo concepit, virgo peperit, virgo permanſit, Dominum noſtrum non complexu virili, ſed fide maritante concepit. Fratres vero ipſius efficimur, quando ita vitam noſtram omni virtutum genere diſponimus, fulcimus, ornamus, vt *hæredes Dei* eſſe poſſimus, & *cohæredes Chriſti.* (Rom. 8. 17.) Cui enim dubium, quod ſi hæredes Dei Patris efficimur, rectiſſimè & fratres Chriſti dici, ipſo adoptante, poterimus? qui nos plaſmauit vt ſuos, redemit vt alienos, elegit vt ſeruos, adſciuit vt filios; plaſmat enim nos poteſtate, redimit paſſione; præſcientia adſciſcit in gratia. Nos tamen filij per adoptionem, ille ſolus filius per naturam; qui vt nos ad eandem, qua excideramus, beatitudinem reuocaret, cùm penitus non deſierit eſſe, quod erat, voluit tamen eſſe quod non erat, vt verbum caro fieret. Et dum creator in creaturæ humilitate deſcendit, ad creatoris ſublimitatem creatura conſcendit. Quo fit, vt humanitati diuina communicent, & diuinitati humana participent, ſecundum illud Apoſtoli: *Qui cum in forma Dei*

A Philip. 2.6 *nia Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed*
ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem
hominum factus, & habitu repertus vt homo. Humiliauit ſe-
pſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, pro-
pter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt
ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæle-
ſtium, terreſtrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur,
quoniam Dominus IESVS CHRISTVS *in gloria eſt Dei pa-*
2. Cor. 5.16 *tris.* Vnde & ad Corinthios idem doctor ſcribens ait: *Ita-*
que nos neminem nouimus ſecundum carnem. Etſi cognouimus e-
nim Chriſtum ſecundum carnem: ſed nunc iam non nouimus,
quia ceſſante in eo infirmitate corporea, totus creditur in
Gal. 3.28. virtute diuina. Et ideo iuxta eundem Apoſtolum, quo-
niam *omnes in Chriſto vnum ſumus*, fratres rectiſſime nun-
cupamur, quia nos & vnus vterus ſacri fontis effudit, &
eadem vbera matris Eccleſiæ, ſpiritu viuificante, lacta-
runt ſimul. Idcirco, Frater, ſcripſi, quia & Deo propitio
à ſæculi actibus ad æternam beatitudinem te animam con-
Mat. 13.44 uertiſſe cognoui, & imitatorem illius Euangelici nego-
B tiatoris effectum, qui venditis omnibus ſuis comparauit
pretioſiſſimam margaritam: vel illius, qui reperto in a-
Mat. 13.44 gro theſauro, diſtractis, quæ habebat, vniuerſis, agrum i-
pſum laudabili cupiditate mercatus eſt; non alienæ poſ-
ſeſſionis importunus inhiator, ſed propriæ facultatis pro-
uidus diſtributor, caritatem, vtpote ſincerrimam, reti-
nens corde perfecto; non vt parcius venderet, ſed vt lar-
gius fœneraret, ſuper quo facto gaudeo, & Deo gratias a-
go, quod ſecundum diuitias bonitatis ſuæ atque virtutis,
per inæſtimabilem miſericordiam ſuam propemodum, vt
ita dixerim, contra ſententiam ſuam venire dignatur.
Mat. 19.23 Quia cùm ipſe dixerit, difficile eos, qui pecunias ha-
bent, regnum adipiſci poſſe cœlorum. Ecce te & his digna-
tur in ſæculo, & prouehere feſtinat in regno, ſed tamen i-
dem dominus continuo rigorem prioris huiuſcemodi
ſententiæ, quam Apoſtoli vehementius formidabant, mi-
ſericordiæ ſuæ moderamine temperauit, dicens: Quod
impoſſibile eſſet in te *hominibus* per naturam, *poſſibile Deo* in eis
C eſſe per gratiam: quod in te, cui operi vt totis vsq; impen-
dijs pronus incumbas, pro affectu mutuæ caritatis admo-
neo, vt ita fabricæ turris illius, quam Dominus in Euan-
Mat. 14.18 gelio conſtrui præcepit, ſtrenuus ædificator inſiſtas, vt ad-
uerſarij tui habeant potius de eius perfectione quod do-
leant, quàm de intermiſſione, quod rideant.

11. *Domino ſublimi ſemperq́; magnifico Fratri Præſidio*
Ruricius Epiſcopus.

PLeriqúe dum me apud indiuiduam mihi ſublimita-
tem veſtram non vitæ merito, ſed amicitiarum priui-
legio multum poſſe confidunt, commendatitias à nobis,
quibus vobis excuſentur, inquirunt; quas eis pro officij
noſtri neceſſitate negare non poſſumus; non præſumptio-
nis audacia, ſed miniſterij diſciplina. Dum & illis præſen-
tis vitæ ſolatia, & vobis prouidere deſideramus æternæ;
D vt & illi per patientiam veſtram reſeruentur ad pœniten-
tiam; & vos per miſericordiam perueniatis ad veniam, ſic-
ut dicit ſcriptura: *Quia Iudicium ſine miſericordia erit illi, qui non*
Iacob. 2.13. *fecerit miſericordiam.* Quia qui dixit: *Dimittite, & dimittetur*
Luc. 6.38. *vobis*, proculdubio, quem viderit hic facere quod præce-
pit, in futuro reſtituet, quod promiſit. Nobis enim illius
veritas præſto eſt; illi fides noſtra non deſit. Vnde mani-
feſtiſſimè poteſtis aduertere abſolutionem miſerorum ve-
ſtrorum, eſſe indulgentiam peccatorum; & hoc veſtris
conferendum precibus, quod vos præſtiteritis alienis; Iu-
Mat. 7.2. xta ipſius in Euangelio ſententiam: *quo iudicio iudicaueritis*
iudicabitur de vobis. Ideoque pro VRSO & LVPICINO, qui
ad me, quaſi vobis peculiariter, ſicut ſuperius dixi, carita-
tis iure deuinctum, pro criminum ſuorum interceſſione
venerunt, precator accedo; vt primum Deo, deinde nobis
Vox mendola. hoc quod commiſerunt donare digneris & * infieri; nec
nos de eorum damnatione confundas, qui ſe abſo-
lutos eſſe cum ad humilitatem meam de-
ducti ſunt crediderunt.

Et alia. 12.

IN ſalo ſeculi iſtius aduerſis ac diuerſis tempeſtatibus E
fluctuantem te iatem ad portum ſalutis tandem aliquan-
do, Domino gubernante, applicuiſſe congaudeo, in cu-
ius fida ac tranquilla ſtatione compoſitus, æſtus ipſius per-
fidi, & iniqui, & amari ridebis. Deinceps non timebis
de quibus parum formidinis, ita multum gaudij habere
iam poteris, quod eos vel retro derelictos reſpicis, vel in
celſiori ſpecula conſtitutus deſpicis, & te euaſiſſe miraris.
Supereſt, vt clauo manum inferens; aſtra ſemper intentus
aſpicias, & ita cœptæ nauigationi velum pandas, ne te aut
in altum vehementior flatus excutiat; aut in vicina litto-
ribus ſaxa collidat. Neque etiam iuxta ſententiam Do-
mini Saluatoris iam ſtiuam tenens aratri retrorſum cla- Luc. 9.26.
moribus Sodomæ conlabentis percitus forte reſpiciens Gen. 19.26
Loth imiteris vxorem. Aut de Ægypto iam profectus, &
fluctus rubri maris dextra leuaque pendentes tantum tibi F
ferentes auxilium, & perſequentibus te parantes exitium,
Domino viam tuam & præparante & illuminante, tranſ-
greſſus, & eremi arduum iter arripiens; ollæ carnium re-
corderis, aut cœpas, quæ in modum corporalium volu- Exod. 16.3.
ptatum ipſa ſui qualitate corrupta noſcuntur, & fœtida,
nec vſu grata, nec odore ſuauia, nec ſtabilitate manſura;
quidquid in hoc ſæculo mulcet auditu, molleſcit adtactu,
lenocinatur aſpectu, blanditur vt capiat, famulatur vt te-
neat, illicit vt occidat. Nam quamcunque capere volue-
rit voluptatem; permanet quod puniat, præterit quod
delectat; dulcedo fugitiua pertranſit, conſcientia damna-
tura vel damnanda ſubſiſtit. Inde etiam dicit Salomon:
Lingua meretricis mel ſtillat. In nouiſſimis autem diebus amariorem Prou. 5.3.
rem felle inuenies eam; quod tamen nihilominus & ipſe
cùm prædixiſſet, incurrit. Et ideo vide quod malum ſit,
frater cariſſime, quod dum deteſtatur, admittitur; dum re-
fugitur, vix vitatur. Vnde & tu, ſicut dicit ſcriptura, *omni* Pro. 4.23.
cuſtodia ſerua cor tuum, & diſcute conſcientiam tuam, ne vn- G
de exiſſe videris aſpectu, hæreas affectu: Sed dicas potius
Domino cum Propheta: *Adhæſit anima mea poſt te, me au-* Pſal. 62.9.
tem ſuſcepit dextera tua. Vel illud etiam: *Mihi autem adhærere* Pſal. 72.28
Deo bonum eſt, ponere in Deo ſpem meam. Vt quanto labore,
quantaque inſtantia militaſti ſæculo, ſeruias Deo; dicente
Apoſtolo, vel monente: *Humanum dico propter infirmitatem* Rom. 6.19.
carnis veſtræ. Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immun-
ditiæ & iniquitati: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire Iuſtitiæ
in ſanctificationem. Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi eratis Iu-
ſtitiæ, quem ergo fructum habuiſtis tunc in quibus nunc erubeſcitis?
Nam finis illorum mors eſt. Nunc vero liberati à peccato, ſerui au-
tem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem
vero vitam æternam. Patientia, frater cariſſime, non nomi-
ne eſt ſuſcipienda, ſed opere; non ore tantummodo agen-
da, ſed corde. Verum eſt, quod ſicut vtroque, hoc eſt, in-
teriore & exteriore homine delinquimus, ita & vtroque
pœnitere debemus; vt, ſicut dicit idem Apoſtolus; *Corde*
credatur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fiat in ſalutem. Ita gemi-
tus cor noſtrum conſcientia compungente concipiat, vt H
eos os noſtrum per confeſſionem confuſionis effundat.
Quinquageſimus vero Pſalmus qui pœnitudini dicatus
pariter & remiſſioni, die noctuque cum gemitu fletuq; can-
tetur, vt vere & ſalubriter dici poſſit: *Rugiebam à gemitu cor-* Pſal. 37.9.
dis mei. Et: *Iniquitates meas ego agnoſco*, &: *Delictum meum con-* Pſal. 50.
tra me eſt ſemper. Vel illud etiam: *Quoniam iniquitatem meam* Pſal. 37.19
ego pronuntio & cogitabo pro peccato meo. Hic enim ante nos
peccata noſtra eſſe debent, vt in æternum contra nos eſſe
non poſſint, quia ita legitur in Prophetis: *Dic tu prior iniqui-* Eſai. 43.26
tates tuas, vt iuſtificeris, à quo priores dicturi ſumus iniquita-
tes noſtras coram Domino vel prolaturi, niſi diabolo vtri-
que qui delictorum & incentor eſt & delator: Ipſe enim
vt peccemus inſtigat, ipſe cum peccauerimus accuſat, vt
ideo in Confeſſione criminum à nobis præueniatur
in ſæculo, vt contra nos habeat quod pro-
ferat in futuro.

* *
*

A

13.

Beatiſſimis & in Chriſto venerabilibus fratribus Fædamio & Vilico Presbyteris Ruricius Epiſcopus.

QVamlibet literas fraternitatis veſtræ per * ſubſidiaconem [Fort. ſubdiaconem Contumeliosum] continuum non perciperem, tamen has egi ac per ipſum ad vos affectu inſtigante direxi; vt & deſiderio ſatisfacerem, & ſcribendi aditum prius prior vtpote patefacerem, ne in poſterum locus relinqueretur excuſationi; & res voluntatis, diffidentiæ & verecundiæ eſſe diceretur. Salutem itaque in Chriſto Domino plurimam dico beatitudini veſtræ & ſpero, vt me, ſicut decet Eccleſiaſticos viros, non labijs, ſed corde diligatis; & de me caritate ſincera in alloquio priſtina dicere præſumatis. Quia ſi illa fuiſſet vera, permanſerat, & ſi fuiſſet mutata, mutata non fuerat. A cuius tamen fuerit parte mutata, & conſcientiæ noſtræ melior; & conſcientiarum cognitor ſine aſſertore cognoſcit; quem ego teſtem adhibeo profeſſioni meæ. B Nec de mutuo mutatis me eſſe culpabilem, nec in corde meo quidquid actum eſt dictum vere ſediſſe. quia ſcio nobis ab æterno & vero Iudice dictum, quod niſi ex corde dimiſerimus fratribus, nobis dimitti non debeat. Habetis itaque ſponſionem meam, reddite mihi fidem veſtram, quia in Epiſtola mea procul dubio vincolum, quod elegeritis habetis, aut caritatis, quod ſalubriter conſtringit & cuſtodiat; aut perfidiæ, quod culpabiliter innectat & perdat. Nec mihi aliquid de iudice prioris temporis imputetis, quia definitionis meæ eſt, in comitijs ſeruare concordiam, & in iudicijs tenere cenſuram. Illud etiam peculiarius gaudeo, quod vos in integram domini & fratris mei familiaritatem rediſſe cognoui. Supereſt, vt quod illius in bono tribuit gratia, veſtra in domino cuſtodiat * ioſequilla. [Vox mẽdoſa fort. inſequella.]

14.

Dominæ venerabili & in Chriſto Domino magnificandæ filiæ Ceraunia Ruricius Epiſcopus.

C

VT picturam vobis antea non tranſmitterem hæc * refecit; [Fort. res fuit.] quia aduentu noui iudicis te occupatam eſſe credidi, atque ita deterritam, vt de his rebus cogitare non poſſis, ſed quia Deo propitio vos & literis & relatione veſtrorum ex ſententia agere ac valere cognoui, ſalutatione prælata, pictorem, quamlibet hic eſſet occupatus, cum diſcipulo deſtinaui, quia malui meæ detrahere neceſſitati, vnde veſtræ ſatisfacerem petitioni. Sed quia & propoſitum veſtrum & noſtrum poſcit officium, his venerationem veſtram paucis monere præſumpſi, vt ea opere illius ad agendam pœnitentiam, & noua noui hominis veſtimenta ſumenda capias exemplum, quo facilius in te Adam vetuſtus intereat, & viuificator exurgat, quemadmodum ille parietes varijs colorum fucis multimoda arte depingit, ita vos animam veſtram, quæ eſt templum Dei, diuerſis virtutum generibus excolatis, vt vere de ſpiritali domo veſtra ſpiritaliter cum Propheta dicere poſſitis: D *Domine dilexi decorem habitationis tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* [Pſal. 25. 8.] Quia ſecundum ipſius Domini noſtri ſententiam, *Non in manu factis habitat Deus, nec in tabernaculis viri beneplacitum ei, ſed beneplacitum eſt ei ſuper timentes ſe, & in eo, qui ſperat in miſericordia.* [Act. 7. 48. Act. 17. 24. Pſ. 146. 10.] Et ipſe iterum nos per Prophetam docere dignatur: *Cælum mihi thronus eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum, quam mihi ſedem ædificabitis, aut quis erit locus requietionis meæ, nonne hæc omnia fecit manus mea? aut ſuper quem alium reſpiciam, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos.* [Eſai. 66. 1.] Et ipſe in Euangelio Dominus clamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos,* & reliqua quæ ſequuntur? [Mat. 11. 28] Et ideo in Chriſto Domino cariſſima ſoror ac filia priſtinæ conuerſationis ambitione depoſita, humilitatem debes cordis inducere, miſericordiam indigentibus fœnerare, caſtitatem non ſolum corporis, ſed animæ procurare, quod adiuuante domino vt adquirere valeas pariter & cuſtodire, ieiunandum eſt ſæpius, & temperandum, quia Adam paradiſi & cultor delegatur & colonus, ſcilicet vt haberet operandi materiam libertas [Gen. 2. 15.] arbitrij, & quod orationum obtinuiſſet induſtria, parcitatis abſtinentia cuſtodiret. E Sed quoniam neglexit ſibi ſeruare ieiunium, per concupiſcentiam vetitam amiſit & vitam & immortalitatem. Sub * Hierobabel muros Hieruſalem reuerſi ad captiuitatem reparabant, cum eis eſſet contra alienigenas pro eorundem murorum reſtauratione certamen, operabantur dextra, & ſiniſtra pugnabant: [* Zorobabel. 2. Eſdræ 4. 17.] ſcilicet *ſcutum fidei* læua contra aduerſarios prætendentes, & dextra bonorum operum tanquam lapidum compoſitorum mœnia conſtruentes, [Epheſ. 6. 16] ſed & ipſi viri qui ædificabant cum Prophetis ſuis ſuper lumbos cincti operabantur, quod & Dominus in Euangelio obſeruare nos præcipit dicens: *ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ veſtræ ardentes,* præcinctus eſt lumbis, cuius caro caſtitati militat, & non libidini, & [Luc. 12. 35.] mens illius tanquam ardens lucerna præfulget, quam præceptis ſuis Chriſtus accendit, quia *hæc omnia,* ſecundum Apoſtolum, *in figura noſtri facta ſunt,* ſcire nos conuenit, quod [1. Cor. 10. 6] quamdiu ſæculi actibus ſumus occupati, tanquam Babylonijs & Regi eorum captiui à Iudæa producti in hoſtium F regione ſeruimus, vnde per pœnitentiam ad patriam, hoc eſt, ad cæleſtem Hieruſalem matrem omnium fidelium reuertentes, debemus omni virtutum genere reparare collapſa, ſarcire diſciſſa, delere præterita, cauere præſentia, parare ventura; vt per benignitatem domini à priſtina peccatorum captiuitate diſtracti, non Babyloniorum Regi, ſed regi Cælorum Chriſto in Hieruſalem, quæque congregationi Sanctorum ædificatur ciuitas, ſeruiamus. Et ideo faciem noſtram debemus magis lacrymis rigare, quam lauacris, vt dicere cum Propheta poſſimus: *Quia cinerem ſicut panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.* [Pſ. 101. 10.] Debemus corpus noſtrum indefeſſis vigilijs & continuis edomare ieiunijs, vt verum exercentes inter animam carnemque iudicium, non caro dominetur ſpiritui, ſed ſpiritui caro victa deſeruiat. Cuius rei exemplum nobis Dominus dum per angelum ad Agar Saræ ancillam loquitur, dedit, quæ dominam ſuam deſerere maluerat, quam audire, dicens ei: *Reuertere, & eſto ſubdita dominæ tuæ.* [Gen. 16. 9.] G Vt his laboribus omnibus & bonis operibus dedita poſſis eſſe & conuerſatione perfecta, & confeſſione deuota, & in regno patris tui, illius, de quo Dominus in Euangelio dicit: *Nolite vobis vocare patrem ſuper terram, vnus enim eſt pater veſter;* [Matt. 23. 9] ſecundum nomen tuum in illa beatorum turba vera ſplendere CERAVNIA, & vocabuli tui auctori caſſere: de quo ſplendore operum Dominus dicit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & magnificent,* non vos, ſed *Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* [Mat. 5. 16] Cuius eſt & vt detur, & omne quod datur. Quia iuxta Apoſtolum: *Omne datum bonum à ſurſum de Patre luminum deſcendit,* à quo & voluntas tribuitur, & præſtatur effectus. [Iacob. 1. 17] Quia pœnitentia non nomine tantum obtinenda, ſed actu eſt exequenda. Pœnitentia non eſt nomen otiſum, quæ ea qualitate operis poſſidet laborioſa vocabulum. Non enim poteſt pœnitens dici, qui pœnitenda committit, ſed ille, qui præterita peccata vel maculas humilitate cordis, ſubiectione corporis, bonorum operum ſedulitate, aſſiduitate orationum, continuatione gemituum, pectoris contuſione, lacrymarum profuſione * detergit; vt poſſit dicere cum propheta: H *Ne memineris iniquitates noſtras antiquas,* vtique non quotidianas. [Detergit. Pſal. 78.] Et illud: *Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum.* [Pſal. 6. 7] Et: *Lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Et iterum: *Rugiebam à gemitu cordis mei.* [Pſal. 37. 9.] Et iterum: *Quoniam iniquitates meas ego pronuntio & cogitabo pro peccato meo.* [Pſal. 37. 19] Sint ideo hic crimina noſtra ante nos, & contra nos, vt in die iudicij eſſe non poſſint, & illud etiam hic poſſit cum fiducia dicere mereamur: *Delictum meum ego cognoſco, & iniuſtitias meas non operui. Dixi pronuntiabo aduerſum me iniuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei.* [Pſal. 31. 5.] Certum eſt quod in quantum tibi de priori conuerſatione diſplicueris, in tantum Domino placebis, & in quantum tibi placueris, illi ſine dubio diſplicebis, qui dicit: *Quoniam diſſipat oſſa hominum ſibi placentium.* [Pſ. 140. 7.] Et ideo tanquam ſeueriſſimi cenſores culpas noſtras in nos ipſi diſtrictius vindicemus, ipſi nobis per diuerſos corporis cruciatus tortores quodammodo exiſtamus & iudices; & in illo iuſtæ examinationis tempore non habeat ignos

Regis

A Regis ſententia, quod damnet, quos iam hic caſtigationis vitæ diſciplina correxit, quia iuſtus & miſericors iudex bis non iudicat in idipſum, hoc eſt, et ſe exhibet mitem, quem inuenerit hic eſſe præ peccatorum ſatisfactione crudelem; illi benignum, quem in hac vita cognouerit ſibi fuiſſe diſtrictum; ſecundum illud euangelicum: *Qui perdiderit animam propter me, inueniet eam.* Vel illud: *Beati qui nunc lugent, quia ridebunt.* Breue eſt enim omne, quod in hoc mundo agitur, ſiue bonum, ſiue malum, ſicut experimentis Dominus aut promiſit aut voluit iam probari. Et ideirco ad ſuſtinendas pro Dei amore preſſuras conſtantes eſſe debemus, quia ſi *ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia* ſubſequitur, itaque nunc ſeramus in lacrymis, quod tunc metamus in gaudijs. Hæc pauca ad confortandam fidem veſtram pro exhortationis ſolatio dicta ſufficiunt, quæ licet ipſe non faciam, tamen vt & vos agatis exhortor. Scio enim exhortationi poſitam eſſe mercedem, quia legimus: *Flere cum flentibus.* & ne forte in iudicio dicerer: *Quæſiui qui ſimul mecum contriſtaretur, & non fuit, & conſolantes me, & non inueni.* Perfectiora vero atque maiora in B Scripturis diuinis, vnde illa decerpta ſunt, inſtrumenta perquire, ſi vis aut cœpta perficere, aut ad pollicita peruenire. Dabit tibi taliter quærenti Dominus ſcientiam pariter & virtutem, vt & lecta intelligas, & intellecta cuſtodias. Nam pater orphanorum & arbiter viduarum cum te de ſe tantum ſperare compererit, & pupillis tuis tribuet paterna pietate præſidium, & te remuneratione iudicis perducet ad præmium.

Mat. 10. 38. Luc. 6. 21. Pſal. 29. 6. Pſal. 125. 6. Rom. 12. 15. Pſal. 68. 21.

15.

Domino Sancto, & Apoſtolico, at mihi præ cæteris in Chriſto Domino cultu aſſiduo peculiariter excolendo patrono & Papæ Aeonio Epiſcopo Ruricius Epiſcopus.

ANte paucum tempus litteras veſtræ ſanctitatis accepi, quibus etiam de noſtra ſoſpitate tanti habuiſtis affectuoſius commonere, dicentes: Nihil caritate præſtantius. Quod ego valde verum eſſe confirmo, & ſecundum C Apoſtolum, illam caritatem dico eſſe perfectam & ſublimem, quæ *de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta* procedit: quæ iuxta eundem Apoſtolum *patiens eſt, benigna eſt, quæ non inflatur, non æmulatur, non quærit quæ ſua ſunt, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia credit, omnia ſperat.* & inde eſt quod *nunquam cadet. Patiens eſt*, quia contra tentationes ſæculi vel procellas in Deum defixa perſiſtat tuta obicis; *benigna eſt*, quia proximorum profectibus delectatur; *non inflatur*, quia non ſuperbit humilis; *non æmulatur*, quia inuidere neſcit æquali; *non quærit quæ ſua ſunt*, dum ſoam Domini ſeruitutem ſibi etiam minoribus anteponit, & aliorum commoda ſuis mercatur incommodis; *non gaudet ſuper iniquitate*, quia lætari niſi fratrum proſperitate non nouit; *congaudet autem veritati*, quia amicum ſincera, non fucata directione veneratur, nec falſa adulatione ſublimat, ſed vero honore concelebrat. *Omnia credit*, quia in diuinis mandatis promiſſiſq; confidit; & ideo *omnia ſperat*, quia pro minimis magna, pro caducis perpetua, D pro temporalibus æterna ſibi retribuenda non ambigit. *Nunquam cadit*, quia humilitas habere non poteſt caſum, cũ habeat ſemper aſcenſum, & cum fugiet excelſa meditetur; habitare tamen in ſublimibus non præſumit, cũ conuerſatio eius habeatur in cœlis, ipſa tamen videtur adhuc eſſe terrenis; excelſa opera mente deiecta habens, vnde glorietur in Domino, nec tamen extollatur in ſæculo. Hæc quia iuſſiſti ſcribere, non pro eruditione noſtra, ſed pro dignatione veſtra præſumpſi. Veſtrum vero eſt nos adocere verbis, & ad hanc eandem caritatem prouocare ſemper exemplis. quia dilectio, quæ ante cognitionem mutuo inter abſentes epiſtulatio inchoata ſermone ſemper & fota eſt, debet augeri corporali viſione, non minui, & creſcere intuitu, quæ cœpit affatu.

1. Tim. 1. 5. 1. Cor. 13. 4.

E

16.

Domino ſublimi, ſemperq; magnifico fratri Turentio Ruricius Epiſcopus.

EXigit ſolliciti cordis affectus, vt imperitioris promatur affatus, nec erubeſcit ruſticitatis opprobrium, dummodo impleat caritatis imperium. ſicut ſanctus Apoſtolus dicit: *Perfecta caritas foras mittit timorem.* Quia longè melius eſt proximum diligere ſincerè, quàm prædicare perfectè. Siquidem multo plures inueniuntur in mundo eloquentiæ lepore prædiri, quam dilectionis vigore perfecti. Quia ſicut quod bonum eſt, rarum eſt, ita arduum, quod æternum. Procliuis namque, iuxta Domini ſententiam, & trita via eſt, quæ præcipitat in gehennam; arctior vero & difficilior, quæ ſublimat ad gloriam. Quæ cauſa? niſi quia illa multi gradiuntur, hac pauci? & ideo imminente iam præſentis æui termino, & ſenectute vſquequaque vicino, ſicut nos etiam docet cæſaries decolora, vel conuenit, ne in veteribus annis iuuenilia facta meditemur; atque in confecto corpore, & corde decrepito adoleſcentiæ regnet cupido, de qua iudicij tempore in illo tremendo æternæ diſpenſationis examine, quando ille omnium mortalium teſtis & iudex non ſolum merita ponderaturus & facta, verum etiam verba eſt diſcuſſurus & vota, iuxta pollicitationem ſuam, aquæ frigidæ præbitione daturus eſt præmium, alijs de otioſi verbi ſermone ſupplicium, reos nos etiam non de perpetrati facinoris voluptate, ſed etiam de concupiſcentiæ voluntate conſtituat. *Quia qui viderit mulierem ad concupiſcendum, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* quod & de rebus omnibus alijs ſimiliter obſeruare nos conuenit, vt ſingulis appetentiæ partibus imbecillis huius corporis amputatis talibus membris, ſic debiles, vt tamen integri potius introeamus in regnum, quam ſalui, & tamen perditi, in æternum proijciamur incendium. His omnibus ſalubriter pertractatis & iure perſpectis, dum tribuuntur induciæ, declinemus à malo, & bonum inceſſanter operemur, obliuiſcamur præterita, contemnamus præſentia, futura cupiamus, obliuiſcamur in factis, recordemur in conſcientijs, vt omne peccatum à nobis auferatur in via, viuat in pœnitentia, nunc ſeminemus in fletu, quod poſtmodum metamus in gaudio. Quia tempus huius vitæ tempus eſt operis, dies vero retributionis tempus eſt meſſis, quando ſine dubio hic vnicuique apparebit in germine, quod nunc ſpargit in ſemine. ſicut ait quidam ſanctorum: *Reſpondebit mihi cras iuſtitia mea.* Cras vtique diem reſurrectionis appellans. Hæc vos, fratres optimi, non Pontificali authoritate, ſed fraterna pietate fidenter ſcribere vnanimitati veſtræ, caritate dictante, præſumpſimus, qui vt vobis vel circa vos non dictatoris ingenium, ſed germani probaremus affectum. Salutem itaque dicens, rogo, ſicut promittere dignati eſtis, librum nobis S. AVGVSTINI de CIVITATE DEI per portitorem harum ſine dilatione mittatis. Cuius dum nos lectione ædificatis in terris, vobis eiuſdem ciuitatis habitacula præparatis in cœlis, ad quam tamen aliter peruenire non poſſumus, niſi caritatis gradibus conſcendamus. Quia ipſa eſt eminentior via, quæ vos in hac poſitos ſociat DEO, & de poſita perducit ad DEVM. de qua etiam Propheta teſtatur; *Ambulant de virtute in virtutem; videbitur DEVS deorum in Sion.* Quamobrem hic collyrio bonorum operum oculos cordis acuamus, vt illic DEVM videre poſſimus. quia ſecundũ Euangelium, *beati mundo corde quoniam Deum videbunt.* Ac proinde oportet hic interioris hominis præparetur intuitus, vt illic non hebetentur obtutus.

1. Ioan. 4. 18. Mat. 7. 14. Mat. 10. 42. Mat. 12. 36. Matt. 5. 28. Gal. 6. 10. Gen. 30. 33. Pſal. 83. 8. Matt. 5. 8.

F G H

17.

Domino ſancto, ac beatiſſimo, & mihi peculiari cultu aſſiduè ſpecialiter excolendo Papæ Sedato Epiſcopo Ruricius Epiſcopus.

CVlpatis me ſæpius, & crebrius imputatis, quod indiuiduæ mihi in Chriſto Domino beatitudini veſtræ huculq; nõ ſcripſerim. Vtinam ſic eſſet facultas faciendi, ſicut eſt voluntas ſcribendi, & caritas, quæ corde concipitur, ore promatur. Sed vbi deeſt effatus, ſilet affectus, & intra latebras pectoris contenta eſt ſui conſcientia, ſe

A non eſſe in dilectione culpabilem, etſi in officiorum redhibitione ſe nō cernit æqualem. Quia confidit quod ſicut ipſa amoré fratris in ſe ſui coniectione perſentiat, ita & diligens fratrem eum ſimiliter poſſit ex ſua dilectione cognoſcere. Quia nulla re melius aliorum cordium ſecreta, quá arcanorū noſtrorū contemplatione metimur. Tantum.n. nos caritate diligimus. Parui itaque petitioni veſtræ, parui iuſſioni, vt qualibuscunq; ſermonibus contexta vobis ſcripta tranſmitterem, quæ vos, ſi nos ſimpliciter, vt confido, diligitis, aut confeſtim delebitis, ne quod vobis cordi eſt, alijs incipiat eſſe deſpectui; quia non æquali iudicio amor audit, & odium: aut certe vobis tantum relegenda ſeruabitis, vt quoties in vobis videndi nos caritatis ignis exarſit, deſiderium veſtrum eorum colloquio temperetis. Quin etiam vt amoris noſtri circa vos ſinceritatem plenius noſceretis, inimiam inferre præſumpſimus, quia certi ſomus, quod non tam diſerta cupiunt audire, quàm fortia; non tam voluptuoſa, quam vera. Quapropter credimus, quod pietati veſtræ nec longitudo paginæ noſtræ
B afferat ſatietatem, nec ruſticus ſermo faſtidium; ſcientes quod quanto nos amplius ruminaueritis, tanto eſuriatis ardentius.

18. *SANCTO RVRICIVS CLIENS PATRONO.*

SEDATO, monitis parens paternis,
Grates concinit, & refers ſalutem.
Quem blandis precibus rogat, timendo
Ne fors diſpliceat leuis camœna,
Tanti iudicia minor magiſtri.
*Hoc tu luminibus libens * reuerſa,*
Hoc ſanctis manibus frequens reuolue,
Hoc tu dum relegis, mei memento,
Me ſemper recolat, canatq; lingua,
C *Et mens me teneat, ſapor retentet,*
Me ſemper recitat tuum libellum.
Hos tu viſceribus piis recaude.
Hos tecto reſidens, viamq; carpens,
Hos inter calices, ſaro recumbens,
Et parcas epulas ciboſq; dulces,
Antro pectoris & medulla cordis
Incluſos recita, canente mente,
Sic nos & mutuos videre vultus,
Et viuis tribuat referre verbis,
Quæ nunc intima pectora fatigant.
Largitar Deus omnium bonorum,
Chriſtus cū Patre ſempiterno regnans
Sancto ſpiritui dignantes hymnos.
Finiunt verſus.

*al recurre.

D
19. *Domino indiuiduo ſemperq; magnifico Filio Ruſtico Ruricius Epiſcopus.*

INquietudinem mihi ab alijs, & vobis à me facit amicitia communis. quia qui me apud vos, non dico multum, ſed omnia poſſe, confidunt, ad eccleſiolam noſtram pro ſua ſecuritate confugiunt. quorum non poſſum non & condolere gemitibus, & precibus obedire, vt pro ipſorum quidem reatu, ſed & pro veſtro pariter profectu, poteſtati veſtræ attentius ſupplicem. Nec mireris, quod dixi illorum reatum ad veſtrum pertinere profectum. Siquidem illorum indulgentia, veſtra ſit venia. Sicut & inopum indigentia, largientium eſſe noſcitur copia. Hoc enim nobis retribuetur in iudicio, quod præſtiterimus in ſæculo. dicente ipſo Domino: *Dimittite, & dimittetur vobis, date, & dabitur vobis.* & iterum: *ſi dimiſeritis hominibus, & pater veſter dimittet vobis peccata veſtra:* Vnde etiam denter agnoſcimus Deum noſtrum ſententiam ſuam in noſtra poſuiſſe cenſura. qui precum noſtrarum miſericors

Luc. 6. 38.
Matt. 6. 14.

E & iuſtus auditor poteſtati ſuę de noſtra lenitate præſcripſit; vt in eos quodammodo non haberet ius ſeueritatis, quos hic auidos non perſpexerit vltionis. Quia quod ipſe eſt, hoc & nos eſſe deſiderat. miſericors eſt; miſericordes quærit dicens: *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter perfectus eſt.* Quotidie veniam peccantibus & ſupplicantibus tribuit; Ideo & indulgentiam à peccatoribus poſcit, vnde & oratione Dominica ipſius dicimus doctrina: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Quibus verbis durиſſimis nos vinculis illigamus, niſi quod pollicemur implemus. qui & per Prophetam ſic dicit: *Homo homini tenet iram & à Domino quærit medelam.* Quapropter pro BAXONE, qui ad † eccleſiam viſceræ confugit, intercesſor accedo, ſperans vt primum pro Dei timore, deinde pro noſtra interceſſione ipſi parcere digneris. Cuius abſolutione & in nobis tollere confuſionem, & vobis poteſtis comparare mercedem.

Matt. 5. 48.
Matt. 6. 12.
Eccl. 28. 3.
Fort. Eccleſiæ viſcera vel veterum.

20. *Ruricius Epiſcopus Capilluta filio ſalutem.*
F

INgrata mihi eſt frequentior ægritudo veſtra; quæ mihi etiam videtur eſſe commotio diuina, qua mauult Dominus noſter pro ſua pietate largiſſima peccatores caſtigare, quàm perdere; vt quos bonorum ſuorum ætas longæua non † conuenit; vel conuincat infirmitas, vt deponant ſæculi byſſum, & ſumant eccleſiæ veſtimentum, quod eſt cilicium, contritionis indicium. Quia *cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit.* Ille enim vadit ad cœlum, qui ſe collidit ad ſolum. *quia qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Vnde & dicit pœnitens ille perfectus: *adhæſit pauimento anima mea, Domine viuifica me ſecundum verbum tuum.* Quid eſt, *ſecundum verbum tuum,* niſi ſecundum promiſſionem tuam? quod qui coram te peccata ſua defleuerit, compunctus in mundo, tu eum perducis in regno, vbi poſſit deinceps cantare ſecurus? *Audiuit Dominus, & miſertus eſt mihi: Dominus factus eſt adiutor meus. Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi: conſcidiſti ſaccum meum, & præcinxiſti me lætitia.* Vnde ſuadeo pietati veſtræ, vt quod cogitaſtis, celerius, Deo adiuuante, faciatis. quia mors non tardat, ipſo Domino dicente: *Ne tarderis conuerti ad Deum, nec differas de die in diem. ſubito enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Ideoque dum tempus habemus, conuertamur ad Dominum, vt non cum hoc mundo damnemur. Quia ſine dubio illi miſericors Deus ſuum præſtat auxilium, quem circa præcepta ſua cernit attentum.

Fort. conuincit, vel correxit.
Pſal. 50.
Mat. 23. 12.
Pſ. 118. 25.
Pſal. 29. 11.
G
Eccleſ. 5. 9.

21. *Ruricius Epiſcopus Eufraſio Epiſcopo.*

GRatias ago ſinceriſſimæ in Chriſto Domino germanitati veſtræ, quòd perlato tædio ad vos noſtro, confeſtim nos litteris veſtris viſitare tam habuiſtis. qui dum infirmitatis noſtræ ſollicitudinem geritis, ſanitatem veſtri pectoris approbatis. Quia ſicut ipſi melius noſtis, *finis præcepti eſt caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Et qui viſitat infirmum in dilectione firmatur. Vnde peculiarios ſpero, vt quem requiritis affatibus, orationibus adiuuetis. Redeuntibus itaque gerulis litterarum reddo mutuum ſoſpitationis officium. & ſicut ad vos rumor peruenit, ſufficienter me ſecundum miſerationem diuinam, non ſecundum merita mea tribulatum eſſe ſignifico. Quia ipſe qui *cibat lacrymis* in minima *menſura,* caſtigationi, iuxta pietatem ſuam, pro imbecillitate noſtra, modum ſtatuit, ne infirmitas noſtra in manus ſuæ correptione defecerit. Ideoque propitia miſeratione ſua iam commodiorem eſſe me nuntio; conſolationem vobis veſtri mæroris pagina deferente tranſmittens, vt qui eſtis laboribus noſtris pro caritate compatientes, ſitis lætitiæ in Dei nomine de recepta incolumitate participes, ipſius lectione diſpono. Ora pro me.

1. Tim. 1. 5.
H
Pſal. 79. 6.

A

22. *Domino deuinctiſſimo ſemperq́; magnifico Vero Ruricius Epiſcopus.*

RElectis litteris pietatis veſtræ, Deo gratias egi, quod
vos prius reualuiſſe, quam infirmatos eſſe earum re-
latione cognoui. Quod vobis tam frequenter accidere,
Prou. 3. 11. propitio potius Deo, quàm offenſo confido. Quia *quem*
Heb. 12. 6. *diligit Dominus, corripit: caſtigat autem omnem filium, quem re-*
cipit. In diuina itaque vos diſciplina ſuſceptos ſedula ad-
monitio & mitis oſtendit. quia paterna clementia ma-
uult per multimoda incommoda negligentem corrigere
filium, quam punire peccantem: mauult nutantem ac du-
bium ad ſeruitium ſuum habenis piæ moderationis attra-
here, errabundum & per ſæculi præcipitia lapſantem a-
criore verbere coërcere. Ipſe eſt enim indulgentiſſimus
Luc. 15. paterfamilias, qui *animam ſuam ponit pro ouibus ſuis.* Ipſe eſt
bonus pater, qui ouem perditam ad caulas Dominicas
mauult proprijs humeris reportare ſollicitus, quàm ſtimu-
Luc. 15. lis vrgentibus reuocare diſtrictos. Ipſe eſt pater pius, qui
B male prodigo filio, & præceptæ ſubſtantiæ decoctori, ad
ſe vel ſero redeunti non ſolum crimina anteriora non im-
putat, verum etiam præmia amiſſa multiplicat, dum vlnis
fouet, oſculis permulcet, muneribus ditat, doctrina cõfir-
mat; non tantum ad eius indignatus abſceſſum, quantum
lætatus ad reditum. Ipſe enim horum omnium nominum
in ſe effectus affectusque ſuſcepit, vt ſicut dicit Apoſtolus:
Heb. 1. 1. *multifariè multiſq́; modis* nos erudiret verbis, inſtrueret di-
ſciplinis, prouocaret beneficijs, informaret exemplis, re-
conciliaret prece, redimeret paſſione, viuificaret morte,
immortalitate donaret, iuſtificaret reſurrectione, aſcen-
Rom. 5. 10. ſione portaret, & reconciliatos per ſanguinem ſuum, in
1. Ioan. 2. 2. eam, à qua excideramus, Patris gratiam reformaret. *ipſe*
Rom. 8. 34. enim *eſt apud patrem propitiatio noſtra* ſine ceſſatione ſugge-
Ioan. 17. 20. rens pietati ſuæ, *Pater non ſolum pro his rogo, ſed pro his qui cre-*
Ioã. 17. 24. *dituri ſunt in me per verbum illorum. Pater volo, vbi ego ſum, &*
ipſi ſint mecum. Pater ignoſce illis, neſciunt enim quid faciunt. Ipſe
Luc. 23. 34 nobis quotidie per Apoſtolum ſuum clamat: *Nolite diligere*
1. Ioã. 2. 16. *mundum, neque ea quæ in mundo ſunt; qui enim diligit mundum,*
C *non eſt caritas Patris in eo. quia omne quod in mundo eſt concupi-*
ſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ humana,
quæ non eſt de Patre, ſed de mundo eſt. Et mundus tranſit, & concu-
piſcentia eius. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æter-
num, ſicut & Deus manet in æternum. Ipſe in Euangelio blan-
ditijs inuitat, muneribus prouocat, adhortatione ſollici-
Mat. 11. 28 tat dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis*, &
reliqua, vt quaſi iugum ſalutaribus ſubdentes colla præce-
ptis, ſalutari ſuo libertatis & miſericordiæ currui ſubiun-
gamur, & ideo audiremus reuocantem ſequi, audire cla-
mantem, blandientem modo non ſpernere; ne ſentiamus
poſtmodum iudicantem. quo iudicio? Sicut ipſe in Eu-
Mat. 19. 28 angelio præmonere & docere dignatus eſt: *Cum in maie-*
ſtatis ſua ſede conſidebit, quando non ſolum merita pondera-
turus & facta, verum etiam verba eſt diſcuſſurus & vota.
quem hic nunc viderit ſalutaria ſua præcepta negligere, &
admonitiones ſuas ſaluberrimas ſuperba mente contem-
Matt. 25. 3. nere, non ſolum cum ſtultis à ianua regni cœleſtis exclu-
Luc. 12. 46 det, verum etiam *partem ipſius cum infidelibus deputabit*; vt cũ
quibus habet in ſæculo ſocietatem, cum ijſdem in æter-
D num habeat portionem.

23. *Filio Conſtantio Ruricius Epiſcopus.*

QVamlibet Baccho, ſymphonijs, & diuerſis muſicis,
nec non etiam & puellarum choris te deditum eſſe
cognouerim; tamen quia bonum eſt ab his, dum perual-
de feruet adoleſcentia, aliquoties reſpirare, & magis Do-
mino vacare, quàm Libero; parentibus quoque operam
dare, quàm cantibus; moneo vt craſtino, quod erit quar-
ta feria briuę temporius tamen, quod te facturum minime
credo, mihi ieiunus occurras.

24. *Eiuſdem alia.*

Videtur eſſe ſcripta ad eundẽ Conſtantium. ALiud mihi Deo teſte promiſeras, quod ipſum debe-
res colere, non † Ianuum; cuius criminis etiam me
vis eſſe conſortem, vt ego ad hunc errorem colendum de-
licias ſubminiſtrem, & oleum incendio ſuperfundam.
quod neutro noſtrum noueris expedire. Sed dices for-
taſſe, Pollicitus es. Quo ore à me promiſſa perquiris, cùm
tu ſacramenta violaueris? Vnde dabis veniam meæ pro-
miſſioni, quamdiu te huic ſeruire cognouero † parſioni.
Ne confirmare videamur factum, cuius reprehendimus
pactum; & ſimus ſcandalo, † cuius eſſe debemus exem-
plo.

E — Fort. Ianũ — fort. portioni, vel perſonæ. — ſ. quibus

25. *Ruricius Apollinari ſuo ſalutem.*

QVia noſtri curam ſemper gerere pro mutua caritate
dignamini, indico ſollicitæ pietati & piæ ſollicitudi-
ni veſtræ, nos non paruum quidem, ſed, Deo propitio vo-
luptuoſum à vobis reuerſum ſumpſiſſe negotium, quod
nobis plurimum prodeſſe poſſit, ſi aut intentionem intel-
lectus, aut intellectum ſequeretur ingenium, ſine cauſa
enim ſolis ortum cœcus expectat. Ille quidem videnti-
bus ſemper exoritur; non cernentibus vero iubar ipſius, F
quaſi nubibus ſemper operitur. SOLLIVM enim no- Sidonium intelligit, quem Sollium alij vocant.
ſtrum domnum patremque communem; quem tranſcri-
bendum ſublimitati veſtrę dediſſe me dixeram, legendum
recepi. Cuius lectio ſicut mihi antiquum reſtaurat affe-
ctum, ita præ obſcuritate dictorum non accendit inge-
nium. quamlibet ipſum poſt tam longi temporis ſpatium
caritatis igniculum ſcintillis ſuis inter obliuionis fauillas
vtcunque relucentem, nonnunquam & ſuſpirioſis fleti-
bus excitemus, & interdum dulcibus nobis fletibus irri-
gemus; quo tamen illo imbre perfuſus quanto magis
inficitur, tanto magis incenditur. quia per lacrymarum
copiam deſideriorum atque affectuum creſcit flamma,
non deficit. Hunc ergo, ſi Dominus piæ definitioni ve-
ſtræ tribuet, vt fauor effectum, vobis præſentibus per-
cenſere feſtino, & effici diſcipulus de magiſtro. quia non
me pudet etiam in hac ætate, nec piget diſcipuli arripere
induſtriam; dummodo affectata ætate artis conſequar di-
ſciplinam: Prius enim quilibet debet diſcere, quàm do-
cere. Quia præproperè doctoris vſurpat ſupercilium, ni- G
ſi diſcipuli ſuſceperit ante famulatum. Quid enim iuſtius,
quàm vt ipſe ſis paterni interpres eloquij, qui vniuerſa
quæ ille conſcripſit, non tam de codicis membrana, quàm
de cordis potes pagina proferre. cuius vos eſſe filios non
ſolum generoſitate proſapiæ, verum etiam & eloquentiæ
flore, & omni virtutum genere comprobaris: Quæ bo-
na vobis non tam doctrina contulit, quam natura. Quia
riuus de fonte prorumpens licet fluendo proficiat, & ple-
nitudinem currendo conquirat, auctori tamen vnde ſu-
mit vocabulum, debet & meritum. quem ſi diuina cle-
mentia vſque ad hoc tempus ſupereſſe voluiſſet, ſicut iam
tum de veſtra imitatione lætabatur, ita nunc de perfectio-
ne gauderet; cùm ſpem ad rem cerneret perueniſſe; nec
ſibi inuideret æqualem, quem optauerat eſſe meliorem.

26. *Item Eiuſdem Alia.*

QVamlibet per diaconem IVSTVM non meruerim H
litteras benigni pectoris & facundi oris accipere, qui-
bus & erudiretur ingenium; & deſiderium paſceretur.
Ego tamen qui malo affectuoſus ruſticus, quàm vrbanus
impius iudicari, ſcribendi opportunitatem mihi petere non
paſſus ſum; vtpote qui mihi nollem non dicam occaſio-
nem ſcribendi, ſed nec videndi vos, vnius ſaltem horæ
ſpatium deperire. Ideoque ſalue plurimum dico; & ro-
go, vt ſine communi detrimento, & vtriuſque compen-
dio, nos ſemper, opportunitate porrecta, litteris veſtris
inluſtrare dignemini. Quia quod nobis in affectu impen-
ditis, non expenditis; quod tribuitis, non amittitis; &
quod nobis in charta tranſmittitis, vobiſcum in corde re-
tinetis.

27. *Ruricius Ommatio ſuo ſalutem.*

SIc à pietate veſtra diſceſſi, quòd à vobis penitus non
receſſi. in eadem vos parte hominis interioris exhi-
bui, in

A bui, in qua vobis remanſi. Scio quia ibidem remanſi, vnde me nec inſidiator antiquus potuit, neque recens* conciliator. ſiliator excludere. Vnde etiam ſententia illius vos ſapientiſſimi Salomonis admoneo: *Fili ne derelinquas amicum antiquum, nouus enim non erit ſimilis illi. Vinum nouum, amicus nouus: veteraſcet, & cum ſuauitate bibes illud.* Eccl. 9. 14. Et ideo nos veteraſcamus in amicitijs, & de die in diem affectibus innouemur. quod ſi amicus relinquendus non eſt, quanto magis pater, qui erudijt, qui nutriuit, qui adiuuante Domino ad ſacerdotium vſque perduxit: cui fortaſſe etiam iuxta diuinam miſericordiam lucis iſtius debetur vſura. Sed hæc ego beatitudini tuæ ſcribo, non quaſi aliquid imputans, aut exprobrans, ſed vt filio chariſſimo, quem ſine vllo næuo cupio in hoc mundo impietatis incedere, & purum atque immaculatũ in illo die iudicij coram Deo, & angelis eius, ac congregatione carnis totius apparere. Saluto itaque vnanimitatem tuam, & rogo, vt pro me orare digneris, ſimulque cùm opportunum vobis fuerit, nos tanti habeatis viſitare. Vale.

B

Ruricius Eufraſio ſuo ſalutem.

28. MIror ſanctitatem veſtram poſt tantorum & talium virorum iudicia potius, quàm reſcripta, inſcitiæ meæ quæſiſſe ſententiam. quod vos magis pro neceſſitudine, quàm neceſſitate feciſſe conijcio; de cuius tanti habetis præcipuum in animo tenere cultum, videremini in negotio prætermiſiſſe conſenſum. Vnde gratias ago indiuiduæ mihi in Chriſto germanitati veſtræ, quod ita de nobis præſumere & iudicare dignamini, vt nihil habeamus aut in caritatis ſimplicitate ſubdolum, aut in veritatis puritate fucatum. Reddo itaque debitum vnanimitatis officium, & de cauſa, qua mihi ſcribere dignati eſtis, idem me quod & fratres noſtros ſentire ſignifico. Sed quid facto opus ſit, vel quid mihi potiſſimum fieri debere videatur, per Diaconum veſtrum verbo fideliter intimaui quia .... m. fuit litteris indicare. Ora pro me.

C

Ruricius Eracliano ſuo ſalutem.

29. QVi ſe reum de officio eſſe cognoſcit, prius ſupplicare debet, quam audeat ſalutare. Quia ſicut importunè occurrunt nopiranti, ita opportunè remittitur confitenti. Et ideo nos noſtram in palam produximus noxam, vt facilius peruenire poſſimus ad veniam. quia non relinquitur locus imputationi, cùm aditus patuerit deplorantı, ſecundum illam ſententiam: *Dic tu prior iniquitates tuas, vt iuſtificeris.* Non enim præualebit accuſantis inuidia, vbi humilitas præceſſerit ſupplicantis. Quamobrem nos ſi iam excuſando diluimus culpam, veniamus ad cauſam. ſalutem ergo tantam dicimus pietati veſtræ, quantam poteſt affectus intelligere, & nõ poteſt ſermo proferre; quantam ſentire poſſumus, & non valemus exponere; quantam poteſt interioris mens deſiderio calefacta concipere, & non poteſt lingua exterioris adſerere. Vnde gratias agentes ipſius caritatis auctori, qui eam in cordibus veſtris ſ lagitio. D eſt dignatus inſerere, oremus vt præcipuum ſua largitatio munus in nobis cuſtodire ſemper, & iugiter dignetur augere. Quia iuxta Apoſtolum Paulum ipſa eſt eminentior via, quæ ducit ad vitam. Quod ſupereſt, ſpecialiter quæſo, vt communi patri vnu nobis quotidie ſupplicetis. Quia,
Iac. 5. 16. ſicut legitis, *multum valet oratio iuſti aſſidua.* Et ſicut ipſe Do-
Luc. 11. 8. minus noſter in Euangelio dicit de illo, qui tres panes ab amico ſuo noctis tempore, importunè quidem, ſed ſalubriter, quod improbitati præſtitum fuerit inſiſtentis, quod negabatur amicitijs flagitantis. Reliqua per portitorem verbo mandaui, quæ longum fuit litteris indicare.

Vnde ſicut principium Epiſtolæ continet,
rogo, vt pro tarditate veniam
dare dignemini,
Vale.

Ruricius Epiſcopus Capilluto filio ſalutem. E 30.

GRatias ago pietati veſtræ, quod me conſulere de † ciuitatis ordinatione dignamini; cum vobis ſufficere, Deo propitio, ſatis abundeque poſſitis. Et ideo quia quod vobis & fratribus veſtris placet, nobis diſplicere non debet. Bene facitis, vt hominem, quem communis conſenſus elegit, ordinetis. Sed admonete illum vt veritati ſtudeat, non falſitati; paci, non perditioni; diſciplinæ, non diſcordiæ; vtilitati publicæ, non priuatæ cupiditati; Iuſtitiæ, non rapinæ. Tueatur bonos, emendet reos: miſeros non faciat, ſed defendat. corrigat ſontes, cuſtodiat innocentes; vt ita agens magis futuro poſſit placere iudicio, quam præſenti. † *hac vox vitiato, corrupta eſt.*

Domino illuſtri, ſemperq; magnifico filio Agricola Ruricius Epiſcopus. 31.

RElectis litteris ſublimitatis veſtræ, gratias Deo egi, quod vos prius reualuiſſe ordinatione ipſius, quam infirmatos eſſe cognoui, & nobis anxietatem tolleret, & vobis redderet ſoſpitatem. quam tamen infirmitatem vobis clementer illatam, propitio potius, quam irato ipſo Domino noſtro, pro ſolita eius pietate, conijcio. Sic enim legimus, quod *corripiat Dominus, quem diligit; diligit autẽ omnem filium, quem recipit.* Heb. 12. 6. Quod etiam in vobis quantum audio re probatur; vt ordinatis affectibus veſtris, ſuum vobis inſinuaret affectum, & habitu, animoque mutato, iugum vobis ſuæ lenitatis imponeret, vt ſalutari currui ſuo colla ſubdentes, dum mandatorum ſuorum leue onus euehitis, peccatorum grauem ſarcinam deponatis. *Hæc eſt enim mutatio dextræ excelſi,* Pſal. 76. 11. dum de peccatoribus iuſtos, de extraneis domeſticos, amicos ſibi facere dignatur ex ſeruis. Supereſt, vt nunc conuerſionem, quam protuliſtis in veſte, probetis in corde, & hæc commutatio inter indumentum veſtrum habeatur, & animum; vt ſicut ille ſub candidis veſtibus habuit hucuſque nigredinem, ita nunc ſub pullis veſtibus operum luce candeſcat. Peccator enim qua die cõuerſus ingemuerit, tunc ſaluus erit. Dum- G modo iuxta ſancti Pauli Apoſtoli ſententiam, *Sicut exhibuimus* Rom. 6. 19. hactenus *corpora noſtra ſeruire* ſæculo, *& iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibeamus membra noſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Neſcimus, quaſi timentes Deum, aliud ſermonibus prætendentes, aliud habentes in moribus; aliud oſtentantes in veſtibus, aliud actibus comprobantes, ne nos mordeat ſermo ille Dominicus, Sub veſtitu ouium, luporum rabiem contegentes. Quia *oculus ille diuinus,* ſicut ſcriptum eſt, *omni loco bonos ſpeculatur & malos.* Prou. 15. 3. ſine dubio, quem ad ſe integro corde traoſire conſpexerit, ipſe in cordis illius iugi habitatione deſcendet, vt eo habitatore non careat, cui ſe præparauit habitaculum. Gratias itaque Domino noſtro ſuper tam inenarrabili eius bonitate in commune referamus, qui mauult ſeruos monere, quàm perdere; corrigere, quàm punire; & pro vſura breuis vitæ perpetua regna donare. Quod ſupereſt, ſaluto H plurimum, & ancillam veſtram vobis peculiari inſinuatione commendo: quamlibet hoc ſalua veſtra pietate nõ egeat; vt quo eam ſuſcipere tanti habuiſtis affectu, ſemper foueatis, indultuque largitate diuina vtroſque nos ſibi parauit obnoxios; vos auus ſacros ſua fœcunditate, nos proauos. Domnam filiam meam deſiderio, & honore, quo dignum eſt, ſuſpito. Ob cuius, ſi facultas eſſet ambulandi, erat voluntas promptiſſima vos viſendi, vt quam interioribus oculis pro affinitatis ipſius coniunctione iugi recordatione conſpicimus, exterioribus cerneremus. Opto bene agas.

Domino Sancto, & Apoſtolico, omniq; à me honore, & amore ſpecialiter Fratri Cæſario Epiſcopo Ruricius. 32.

FRater & Compreſbyter noſter CAPILLVTVS dupliciter hac vice nobis gratus apparuit, dum & ipſe nobis iam diu deſideratus occurrit, & quandam veſtri præſentiam nobis per veſtras litteras repræſentat. Quo redeunte has reddere procuraui, quibus debitum beatitudini

veſtræ

A vestræ rependo caritatis officium. Quod vero ſcribitis, cur ad Synodum, ſicut conlocutio habuit noſtra, non venerim, fecit hoc infirmitas, non voluntas. Ipſi enim recolere poteſtis quam feſſum me †burdigalia videritis; & hoc hyeme, quando eſſe ſoleo fortior ſolito. Quia æſtiuis diebus etiam in hoſpitio meo, & locis frigidis, ipſam conſuetudinariam infirmitatem ſuſtentare vix valeo; ne dicã, quod illos cœtus regionis illius ferre quiuerim, ſi veniſſem. Vnde magis ſpero, vt pro me orare dignemini, & ad tempus aliud, quod intimatis, ſi Deus vitam ceſſerit, venire vultis, nobis per hominem veſtrum maturius indicetis. Quia litteras veſtras ad me modo tardiſſime veniſſe ſignifico. Quia etſi non pro dignitate, vel pro ætate, non debemus tardius, quàm alij commoneri, qui fortaſſe (vt minus prudens dicam) merebamur ambiti. Quia ſi alijs nomen vrbium præſtat auctoritas, nobis autoritatem demere non debet vrbis humilitas. Siquidem multo melius, multoque eminentius eſt, ciuitatem de ſacerdote, quàm ſacerdotem de ciuitate noſcere.

f. Burdigali.

B

33.

Domino ſancto & Apoſtolico mihiq; in Chriſto domino ſpeciali cultu affectuq; ceteris præferendo patrono Sedato Epiſcopo Ruricius Epiſcopus.

DVm ſcribendi vobis omnis pectoris mei animus vos ſitiens occaſionem frequenter inquirit, aliquando diuturna meditatione pertractans reperit idoneum portitorem, per quem & ſilentia longe diſrumperem, & ſibi ſpiritales delicias poſtulare, oris veſtri cupiens rore reſpergi. De qua, credo, ſiti ſanctus Pſalmiſta dicebat: *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Illa nimirum aqua ariditatem corporis ſui reſtinguere ſobria ebrietate deſiderans, de qua Dominus noſter in Euangelio clamare dignatur: *ſi quis ſitit, veniat, & bibat. Flumina enim aquæ viuæ de ventre eius fluunt.* Hanc aquam Samaritanæ etiam idem Dominus offerebat, hoc eſt, Eccleſiæ ex gentibus congregandæ dicens: *Aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Hanc aquam ſi quis fidelis non guſtu tantum ſummo tenus ore libauerit, ſed totis animæ viſceribus appetens conuiuia ſorbuerit, protinus in laudem Domini omnipotentis erumpet; & hoc incipiet ructare quod biberit; ſicut beatiſſimus Euangeliſta atque diſcipulus, qui ſuper pectus Domini recumbere meruit, myſteria regni cœleſtis audiuit, & in illam vocem quam ante nullus audierat clamauit; *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Hoc erat illud verbum, quod ſine tempore à Patre genitum, in tempore creatur ex matre, vt creator fieret; vt eſſe poſſit humanitatis quædam portio, diuinitatis totius plenitudo; & plenitudinem humanitatis portio ipſa humanitatis ſua paſſione redimeret; dum imago inuiſibilis Dei, forma ſit ſerui; vt poſſit impaſſibilis pati, incomprehenſibilis capi, immortalis mori, qui mortem occumbendo perimeret, vt vitam reſurgendo repararet. Sed quid ego oblitus mei, auidus tui, quaſi de huiuſcemodi rebus tecum conloquens, & inde in deſiderium tui vehementius perardeſcens, reſtinguere ſitim meam velut quodam dilectionis riuulo feſtinans, inſcrutabilia & inacceſſa pertentans, quid loquar, qui loquar, cui loquar non conſidero. Sed dabit, vt confido, veniam pietas, quam committit affectus. Quia caritas omnia ſuſtinet. Salue itaque plurimum dico indiuiduo mihi pectori veſtro, & rogo, vt pro me inceſſanter orare dignemini, ſimulque etiam partem corporis mei, per quam vobis has trado, peculiari inſinuatione commendo, vt in illis, quam me diligatis integre comprobetis. quos vobis eo arbitror fore cariores, quia meam vobiscum deferunt portionem. quibus quidquid dignati fueritis dilectionis impendere, nobis vos conferre cognoſcite. Quia ſi iuxta ſanctum Apoſtolum minus membrum maiori in dolore compatitur, & maius procul dubio in minoris proſperitate lætatur. & ita demum fit, vt omnibus vſquequaque membris in pace & quiete compoſitis, caput totius corporis rector vtpote & dominator exultet. in quo capite omnia membra iubentur aſpicere, dicente Propheta: *ſapientis oculi in capite eius.* quod alius Propheta euidenter exponit dicens: *Oculi mei ſemper ad Dominum, quia ipſe euellet de laqueo pedes meos.* Et iterum: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlo.* Erigamus itaque oculos cordis noſtri ad Chriſtum, & in mundi iſtius nocte manus noſtras operibus fructuoſis extollamus ad Dominum, & ipſe caput noſtrum eſſe dignetur, & nos adhærere capiti noſtro, vt illa corporis ſui membra eſſe mereamur; vt de hoc ſæculo diſcedentes, tanquã in exitu Iſrael de Ægypto dicere redemptori noſtro poſſimus: *Adhæſit poſt te anima mea, me autem ſuſcepit dextera tua.* Cùm ea diebus ac noctibus fuerit in corporis huius carcere meditata, vnde non confundatur ad vota. Ora pro me.

Pſ. 142. 6. Ioan. 7. 38. Ioan. 4. C *Ioan. 1.* D *1. Co. 12. 26.* F *Eccl. 2. 14. Pſal. 24. 15. Pſal. 122. 1. Pſal. 133. 1. Pſal. 62. 9.*

34.

Domino ſancto, & Apoſtolico, mihiq; in Chriſto Domino ſpeciali cultu affectuq, ceteris præferendo patrono Sedato Epiſcopo Ruricius Epiſcopus.

PEr † arciatrum PALLADIVM litteras fœcundi cordis, & facundi oris accepi, quæ nos ad viſionem mutuam voto pectoris inuitabant. Sed quid facimus, quòd deſiderijs animorum noſtrorum diuerſa membrorum reſiſtit infirmitas? dum vos nimietate robuſti, nos tenuitate exeſi corporis impedimur: dum vos alieni, & quatuor pedes ferre nequeunt ponderoſos; me etiam proprij & duo ſuſtinere præ defectione vix poſſunt. Quo fit, vt implere communia vota nequeamus. Ego enim (teſtis eſt Dominus) quod ſi valuiſſem, ad Synodum condictam omni auiditate veniſſem. ſed me à diſpoſita itineris voluntate neceſſitas imbecillitatis inhibuit. quia aeres regionis illius præſertim hoc tempore ferre non poteram. quod & vos ita credere confido, & prauos ad aliud deriuare non dubito. His itaque ſufficienter, vt potuimus, indicatis, ſalutatione animi deſiderantet impenſa, ſi dignum duciris, tranſmiſi vobis † caballum, qualem vobis ſciebam eſſe neceſſarium, manſuetudine placidum, membris validum, firmum robore, forma præſtantem, factura compoſitum, animis temperatum, ſcilicet nec tarditate pigrum, nec velocitate præproperum, cui frenus ac ſtimulus ſit ſedentis arbitrium, cui ad euehendum onus & velle ſuppetat pariter & poſſe: ita vt nec cedat ſuperpoſito nec deponat impoſitum. Supereſt vt reſcripto, quomodo vobis placeat, indicetis. Quamlibet ita de indiuiduo mihi corde præſumam, quod nobis etiam mala à me commiſſa, non dicam tranſmiſſa complaceant. Tanta eſt enim integri vis amoris vt in † amicum nil diſpliceat; cum magis malum diſplicere debeat. Et hinc illud eſt, quod iudicia hominum, aut amore præpediantur, aut odio, vt recta non proferantur. Vos vero, quos nec odium exaſperat, nec inflammat inuidia, & iocos noſtros libenter accipite, & de ſoſpitate veſtra vel actibus affluenter inſtruite, vt dum vos diutius legimus, copioſius imbuamur. Ora pro me.

F *Archiatrũ.* *aerem.* G *Hinc patet illam Sedati decimãnonam epiſtolam eſſe reſponſoriam ad hanc Ruricii.* *f. amico.*

35. H

Domino ſancto, & Apoſtolico, mihi in Chriſto Domino ſpecialiter excolendo fratri Cæſario, Epiſcopo, Ruricius Epiſcopus.

QVi occaſiones ſcribendi nobis inuicem pro mutua caritate inquirimus, oblatas prætermittere non debemus; vt conferat nobis quandam præſentiæ portionem ſermo † meditator; qui emittitur, nec amittitur; tribuitur, & habetur; videtur diſcedere, nec recedit; à me dirigitur, à te ſuſcipitur; à me ſcribitur, à te legitur, nec tamen diuiditur; cùm quaſi diuiſus, integer tamen vtriuſque corde teneatur. quia verbi more diuini traditur, & nõ egreditur; confertur indigenti, & non aufertur auctori. accipientis lucrũ ſine diſpendio largientis; ditans inopẽ, nec attenuans poſſeſſorẽ. Ideoq; veniente illo nepote meo dulciſſimo PARTHENIO has per ipſum dare non diſtuli; vt & meam præſentiam vobis litteris exhiberem, & ipſum pariter commendarem: cui quidquid dignati fueritis dilectionis impẽdere, nobis vos præſentate noueritis. ſimulq;

f. mediator.

etiam

A etiam peculiarius rogo, vt pro me ipſiſque pignoribus noſtris inceſſanter oretis, ne impediant affectum amorum noſtrorum ſpatia interiecta regionum. quia qui in Domino, qui præſens eſt vbique, ſe diligunt, non credendi ſunt diſparati corpore, cum pariter in eo orente iungantur. Ora pro me.

36. *Ruricius Epiſcopus dulciſſimis nepotibus Parthemio & Papianillæ.*

POſtquam pietas veſtra diſceſſit, dimidium eſſe me ſentio: quia maximam mei partem, hoc eſt, interiorem hominem, reſidente corpore, vobiſcum ambulaſſe cognoſco; ita tamen, quod & vos in pectore meo, quod hic remanſit, manere conſpicio. ſaluto itaque dulcedinem veſtram, & vt verborum meorum memores ſitis admoneo, quia certum eſt vos iuxta Salomonis ſententiam poſſe in bonis Deo dirigente proficere, ſi ſeniorum conſilia & amori habeantur & vtiliter bene agatis.

B

37. *Ruricius Epiſcopus Fratri * Pet.....*

Hæc vox in MS. non expreſſa eſt, & neſcimus an legendū ſit Petro, an Petur. an Petul.

QVia obedientia ſacrificijs anteferetur, idcirco ruſticitatem meam malo prodere, quàm perdere caritatē. *ſcientia* enim *inflat*, *caritas*, vt ipſi melius noſtis, *ædificat.* Quamobrem quia iuſſiſtis, vt vos per ſingulas occaſiones & de meis actibus facerem certiores, & deſiderium veſtrum, quod mihi non meo merito, ſed generali, & inſita vobis dilectione dependitis, alloquio temperarem; me quidem Deo propitio fortiorem, ſed lien plenum & omne hoſpitiolum noſtrum diuerſis incommodis laborare ſignifico. Peculiarius rogo, attentius Domino ſupplicetis; vt qui nobis incolumitatem veſtris orationibus reddidiſtis, & his opem ac medelam diuinæ miſericordiæ interceſſionis veſtræ patrocinio conferatis. Ora pro me.

1. Reg. 15. 22. 1. Cor. 8. 1.

38. *Dominis ſublimibus & magnificis filiis Eudomio & Melaniæ Ruricius Epiſcopus.*

C QVàm grauis mihi orbitatis veſtræ ſit luctus, teſtis eſt pectoris mei conſcius DEVS; quod verbis ſubtilitatis veſtræ indicare non poſſum. Nam ita animum meum doloris veſtri paſſio ſauciauit, ac ſi vnum de proprijs † affectibus perdidiſſem. quia me vobis proximum & quodammodo conſanguineum bene mecum agendo feciſtis. Atque ideo quia labores & anguſtias noſtras frequenter in vobis pro veſtra dignatione ſuſcipitis, iuſtum eſt, & nos veſtris, cum acciderint, participare mœroribus. Si enim iuxta Apoſtoli ſententiam, vnius corporis membra ſibi inuicem compatiuntur & condolent, decet nos quoque, † eorum incommoda ſæpe percipimus. Dolemus itaque, caſui veſtro & planctibus veſtris intereſſe nos credimus. Sed quid facimus domini filij? Equidem voluntati diuinæ reſiſtere nec poſſumus, nec debemus, & omni ſollicitudine præcauere, ne dum dulcia nobis pignora nimio dolore deflemus, blaſphemi quidam & iniurioſi inueniamur in Domino, & grauius animas noſtras auctor ipſius mortis, inuenta occaſione, confodiat, quam carorum amiſſione percuſſit. ideoque in omni amaritudine vel dolore ad Deum nobis eſt refugiendum, & ad illum omnes caſus noſtri toto corde referendi. Qui ſanat vulneratos, qui releuat elliſos, qui conſolatur afflictos. Et illa ſancti Iob ſententia omnino dicenda eſt: *Dominus dedit, Dominus abſtulit ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Et ille hoc quando dicebat decem filios cum omni facultate perdiderat: Nec tamen blaſphemare aut damno aut dolore compulſus eſt. Sicut dicit ſcriptura: *In omnibus quæ accidebant ei, nihil peccauit labiis Iob.* Quod ego & pietati veſtræ ſcribere pro mutua caritate præſumpſi, vt dolorem animorum veſtrorum, quem litteris meis mitigare non poteram, vel diuinis eloquijs vtcunque moderarer. Et verè, ſi mihi quaſi veſtro creditis cordi, non minimum poteſtis capere de Chriſti Domini voluntate ſolatium, quòd quatenus immaturus manebat interitus, talem eum dignatus eſt aſſumere, qualium regnum docet eſſe cœlorum; vt &

Fort. aſſiduis.

1. Cor. 12. 26.

†

D

Iob. 1. 21.

Iob. 1. 22.

Mat. 19. 14.

partorum haberetis ex filio, & minus doleretis amiſſum, quē à Domino videbatis aſſumptum. Opto bene agatis. E

39. *Domino ſancto, & Apoſtolico in Chriſto Domino cultu affectuq; ſpecialiter excolendo patrono † Victurino Epiſcopo Ruricius Epiſcopus.*

Victorino.

FRater & compreſbyter noſter CAPILLVTVS, licet apices veſtros nobis non detulerit in charta relegendos tamen † totos exhibuit in corde conſcriptos: vnde eos nec fur auferre, nec violentus eripere, nec imber eluere, nec vetuſtas poſſit abolere; dum mihi fidelis admodum veſtri pectoris conſors & deditiſſimus delator ſæpius inculcat, & dulcius, qualiter me & quàm adſidua dilectione de me rumineris. Non quod in me ſit, vnde caritatis veſtræ paſcere poſſitis eſuriem, qui ſolidos, & nunquam perituros cibos & accipere ſoliti eſtis, & dare; ſed quando fortior eſca defuerit, teneritatem noſtram pro lactis poculo ſorbetis, vt deſiderium pij cordis & puro alimento innocentiæ temperetis. Nec mirum eſt, hoc tamen in veſtra virtute miraculum, vt diligatis venerantes vos, qui odientes amare conſueuiſtis. Siquidem & ad augendam erga nos caritatem veſtram, duo lumina noſtra detinetis, AVRELIANVM dico atque LEONTIVM: pro quorum ſpe & conſummatione, rogo, vt indeſinenter diuinæ miſericordiæ, ſicut vos confido facere, ſupplicetis, & cum illis iterum pro nobis ſemper oretis. quia fiducialiter credo, quod profectioni veſtræ, & illorum incipientiæ, pro ipſa adhuc teneritudine, à nutritore Domino nil negetur. Salutem itaque vberem dico pietati veſtræ, quantum poteſt promere ons affectus, non quantum cordis poſcit affectus, & rogo, vt præfatos dulciſſimos ſtimulos pectoris mei noſtro nomine ſoſpitetis; noſque, quoniēſcunque ſe opportunitas porrexerit potueritis, benedictionis veſtræ imbribus irrigetis. Ora pro me.

f. potius F

M.S. & 10 & 11 Aurelianum.

Ruricius Epiſcopus † Apollinari ſuo ſalutem.

M S. Apollonari 40. G

AFfectus ſublimitatis veſtræ in viſceribus noſtris violentus exactor eſt, & amori veſtro me potius, quàm pudori meo ſeruire compellit; dum non conſiderat, quo ſermone, qua pagina; tantum veſtris imperijs obſequamur. cogitis enim nos auribus peritiæ veſtræ verbis ruſticis iniuriam frequenter inferre, dum apices noſtros ſæpius vultis accipere, pareo voluntati veſtræ, pareo iuſſioni. malo enim de meipſo tibi magis, quàm mihi credere. Quia pietatis, non poteſtatis eſt, quod iubetis. Et ideo, quæ diſplicuerint emendabitis proculdubio potiùs, quàm prodetis. Siquidem nihil eſt imperioſius caritate. cui quiſque toto corde ſe dederit, libenter & vincula illius inpacta patietur, & onera illata portabit, dum præcipientis imperium non inuitus excipit, ſed deuotus exercet. Præſtabit itaque diuina miſericordia, vt tumultibus temporis huius, vel neceſſitatibus, aut dilatis in perpetuum, aut parumper oppreſſis, cuius fructus † nos faciat de noſtra carpere præſentia, vt deſideria, quæ incitantur affectibus, aſpectibus mitigentur. Finit.

Leg. vos. vel. nos faciat de veſtra. H

41. *Domino deuinctiſſimo, & mihi omni honore venerabili fratri Leontio Ruricius.*

GRatias ago, quod & noſtri curam gerere, & nouitate holerum, quæ libenter habere nos noſtis, nos reficere iam habuiſtis. quod & conſuetudini præſtatis pariter & amori. Ideoque redeunte puero veſtro, reddo reciprocē ſoſpitationis officium. & vt de ſuſcepto, Deo propitio, Officio indeſinenter cogitetis admoneo. Quia Deus non initium boni operis, ſed finem requirere comprobatur, dicens: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Præſtabit, vt credimus, miſericordia ipſius, vt qui pœnitendi vobis animum inſpirare dignatus eſt, ipſe vobis & in agendo virtutem, & in conſummatione plenam tribuat pro ſua miſeratione remiſſionem. qui ſolus poteſt & ſanare corrupta, & reparare collapſa, & delere commiſſa, & abdere præterita, conſeruare præſentia, & donare ventura. Finit.

Mat. 10. 22.

A

42. *Ruricius ad Dominum Conſtantium.*

DE delicijs tranſmiſſis gratias ago, & quantum indicaſtis, tantum me vtratumque auium ſuſcepiſſe ſignifico, ſimulque etiam per pueros ipſos, qui nobis hæc detulerunt, tergus apronum me pietati tuæ indico tranſmiſiſſe: vt dum nos volatilia, quæ tranſmiſiſti, deliciamur: tu bipede de quadrupede ſacto ſatieris. Cuius tamen malo carne, quam vita capiaris. Quia qui ſemper de ſæcularibus cogitat, & iugiter terrena meditatur, huic animanti à ſcriptura diuina merito comparatur. Quia de omnibus animalibus ſolus homo ſublimis creatus eſt, & effectus, vt auctorem ſuum ſemper cœlo intentus aſpiciat, non mundalia opera ſolo inceſſabiliter defixus exerceat.

43. *Ad Dominum Ambroſium Epiſcopum Ruricius Epiſcopus.*

B · 1. Cor. 14. APoſtolica præcepta nos cummonent, vt à quibos diuina percipimus, eis terrena præbeamus, quod nos vel in hac duntaxat parte ſeruantes, pro cœleſtibus epulis, quas nobis & ſermone viuo, & patrum tractatibus miniſtratis, legumina marina tranſmiſimus. Per hæc nil nos habere proprium comprobantes. ſiquidem & à diuinis bonis ſumus, quæ vos tribuitis, peregrini, & nos peregrina tranſmittimus. Itaque quia nos à marinis cœleſtibus exulare, & ſolis terrenis ſedibus incubare cognoſcimus, à vobis ſpecialius poſtulamus, vt hæc aliena à nobis libenter accipere, & veſtra nobis dignemini frequenter impendere. Illud ſit affectionis, hoc miniſterij: illud doctrinæ præſtetur, hoc gratiæ.

44. *Ad dominum Hiſpanum Ruricij Epiſcopi.*

AGo gratias, quod dum nobis dona nomine, re ſpolia tranſmittitis, pietatem veſtram erga me ſinceriſſimam comprobatis, qua nos amplius, quam delicijs delectamur. Siquidem inde eſuriem corporis cōpeſcemus, hinc cordis: inde veſtris † tranſitoriam * porrigimus paſtū, hinc vero animo manſurum præbemus affectum. Proinde tam amori, quam muneri veſtro gratias repenſantes, reciprocis pietatem veſtram plurimum ſoſpitamus. Et quia de noſtra dignaris eſſe ſalute ſollicitus, iuxta vota pietatis veſtræ me valere ſignifico, ſimulque depoſco, vbi ſanctum Paſcha facturi ſitis, me recurrentibus inſtruatis. Finit.

† *peregrinus.*

C

45. *Ruricij Epiſcopi ad Presbyterum Albinum.*

VBi ad me communis luctus nuntij rumore peruenit, quod tamen miratus ſum, quod non hoc prius ex germanitatis veſtræ relatione cognoui, ipſe ad vos requirendos continuo veniſſem, niſi me dierum horum reuerentia retardaſſet. Has tranſmiſi, quibus ſpero, vt me excuſatum habere dignemini, & filiam noſtram, quā audio ſe vehementer affligere, ad vicem meam, tam ex ratione, quam ex veſtra authoritate conſolemini, quod Dominus noſter de ſeruo ſuo, & quando voluit, & quod voluit, fecit. Et ideo contra voluntatem Domini venire videbitur: cui diſplicet diuina præceptio: vtique diuina: quia animā noſtram ille ſolus, cum voluerit, ex corpore poteſt educere, qui fudit in corpore. Et idcirco luctus iſte nimius, qui videtur eſſe pietatis, magis ex Diaboli conſilio, quam ex pietate deſcendit: vt cum dolor conſolationis impatiens querelis ſuis Deum impietatis exprobrat, qui præmiſit filium per humanam conditionem, per incredulitatem animam perdat. *Plangant mortui mortuos ſuos*, quos reſurrecturos eſſe non credunt, qui animam cum carne æſtimant interire, quibus nulla de beatitudine animæ, nulla de corporis reſtauratione fiducia eſt. Nos vero, qui ſpem reſurrectionis habemus in Chriſto, qui animas noſtras iuxta pollicitationem ipſius Domini, in Sanctorum finibus credimus collocari: ad ipſum nos corde & orationib. conferamus: & conſolationem de ipſius promiſſione capiamus, quod credentes in ſe ſecum viuere faciat. Nec vllus apud eum niſi infidelis mortuus iudicetur. Et ita planctus noſtros, ſicut ſcriptura nos edocet, temperemus, dicens: *Luctus ſapientis ſeptem diebus, impij vero omnes dies vitæ ſuæ.* Sicut ſcimus illum mortuum corpore, anima vero pro innocentia ſua Deo viuere; ita nos viuentes corpore, corde moriamur. Finit.

D

Mat. 8. 22

E

Eccl. 22. 13

46. *Ruricij Epiſcopi ad Taurencium.*

AGo gratias promptiſſimæ in Domino deuotioni, & ſinceriſſimæ erga me charitati veſtræ, quæ diuinæ bonitatis imitatrix, id quod me ſibi proſpicit ſupplicandum, priuſquam rogetur, & noſtrum præoccupare beneuolentia ſua feſtinat officium: dum non ſolum cuſtodire, verum etiam augere * in iſtum ſibi geſſit affectum, quem idcirco beneficijs anticipando lætificat, quia ad modicū contriſtare formidat. Et ideo mauult offerre tacenti gratiam, quam præſtare poſcenti. ſciens procul dubio, plus eſſe in eo meriti, quod ſpontanea benignitate defertur, quam quod precibus indulgetur. Siquidem horum vnum non niſi neceſſitate datur neceſſitudini: aliud vero ſæpe etiam precatoris ſedulæ dimittitur improbitati. Vnde ſalutem reciprocans dicens, de pietatis veſtræ promiſſione ſecutos, puellam veſtram in rem directis pueris veſtris, conſignaſſe ſignifico: cui confido, quod iuxta pollicitationem veſtram, non ſolum veniam, ſed etiam gratiam pro noſtra interceſſione tribuatis.

F

Luc. 11. 8.

47. *Ruricius domino venerabili Fratri Ioanni.*

* MAnus communis ſuſceptus, quod voluntarie facere debuerat, fecit nunc neceſſitate compulſus; vt ad venerationem tuam commendatitias flagitaret, & ſe gratiæ tuæ, etſi propter negligentiam ſuam de præterito ingratus, per inſinuationem noſtram nunc tamen gratificandus ingereret. Cuius petitioni ideo promptius adquieui, quia credidi, ſicut & confido, vos petitioni meæ libēter annuere. Vnde ſalutatione depēſa ſpero, vt ipſum pro interceſſione noſtra recipere tanti habeatis. Et quia hoc, quod debuit, reddidit, vſuras illi ſolidorum ipſorum, non tantum pro precibus noſtris, quantum pro diuinis præceptis donare dignetis. Quod pro conuerſatione veſtra, qua vos, Deo propitio, per dies ſingulos audio proficere, ſine dubitatione præſtetis. Quia ipſe noſtis, quod ille regnum Dei lætitia & gratulatione percipiet, & in montem Domini glorificatus aſcendet, qui pecuniæ ſuæ vſuram non in præſenti ſæculo à proximo ſuo exegerit, ſed à Domino expectauerit in futuro; nec per doloſa beneficia laqueos laborantibus iniecit inſolubilium debitorum, ſed illius eſt fœnerator & creditor, qui dicit: *date, & dabitur vobis, & qua menſura menſi fueritis, ea remetietur vobis.* Infidelis vtique & iniquus eſt etiam ſibi, qui hoc quod elegit concupiſcendum, non vult habere perpetuum. Quamuis enim quicunq; multa condat, multa congreget, & infinita diuerſis nundinationibus acquirat, mendicus de hoc mundo diſcedet, niſi de rebus ſuis portionem ſuam ad æternam beatitudinem ante præmiſerit, dicente Domino per Prophetam: *Ne timueritis, cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius. Quia non cum morietur recipiet omnia, neq; ſimul deſcendet cum eo gloria domus eius.* Et iterum: *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt homines diuitiarum in manib. ſuis.* Qui ſi benigni eſſent animæ ſuæ, illi potius bona ſua crederent, qui & idoneus fideiuſſor eſt pauperum: & largiſſimus redditor vſurarum. Non ergo cupidus ſis, frater chariſſime, nunc recipere in duplo: quod Dominus redditorum ſe tibi promittit in centuplū, vnde nec à tinea poteris pertimeſcere exterminium, nec à fure formidare diſpendium. Quia ipſe Dominus noſter munerum ſuorum & largitor, & cuſtos eſt. Finit.

Hæc vox ita literis M & A imperitè contracta eſt, vt ſeparem, legere, denominandum igitur f. Ioannem.

G

Pſ. 14. 5.

Matt. 7. 2.

Pſal. 48. 17

H

Pſal. 75. 6.

Mat. 19. 29

Luc. 12. 33

Digitized by Google

A

48. *Aprunculo Epiſcopo Ruricius Epiſcopus.*

EXegit mutui amoris affectus ad indiuiduam mihi ſanctitatem veſtram ſola ex cauſſa litteras deſtinare, etiã ſi non ſe occaſio opportuna porrexerit. Vnde per hominem filij mei Leontij has ad Apoſtolatum veſtrum dedi, quibus ſoſpitatione prælata, quam ex ſententia, Deo fauente, valeatis, inquiro. Quia ipſi noſtis, incolumitatem veſtram, noſtram eſſe lætitiam, ſperans, vt redeunte præfato, nos reddatis de veſtris actibus, propitia diuinitate, ſecuros, quos videtis eſſe de proſperitate ſollicitos.

49. *Ruricius Epiſcopus Ceraunia ſalutem.*

DE ſinceriſſima, qua nos pro benignitate animi tui, non pro veſtris meritis dignaris excolere in Domino, caritate, confidens, ſecurus has ad Venerationẽ tuam direxi, quibus in Domino ac Deo noſtro ſalutem vberem dicens, ſpecialiter rogo, vt ea, quæ per ſeruum veſtrum Amandum verbo ſperaui, ſi poſſibile eſt, nobis ſine dilatione præſtare dignemini. (B) Quia hæc res & nos releuare poteſt, & vobis nullum poteſt adferre diſpendium. quod ego pro beneficio maximo computabo. Iterum in quo iuſſeritis, vel vſus exegerit: vicem reciprocis obſequijs repenſare contendam.

50. *Ruricius Epiſcopus Cenſurio Epiſcopo ſalutem.*

LItteras ſanctitatis veſtræ, etſi per occaſionem, accepiſſe me gratulor, non enim intereſt, vtrum ex neceſſitate, aut ex voluntate, dummodo inter ſe inuicem, qui ſe diligũt, colloquantur, & quos corpore locorum interualla diſcriminant, animorum ac ſenſuũm colloquia fida coniungant. Quia hoc nobis generale vel maximum virtus diu iactæ pietatis indulſit, vt qui nos aſpectu carnali non poſſum contueri, ſpirituali cernamus obtutu. Vnde redeunte gerulo litterarum has, ſicut iniunxiſtis, reddere procuraui, vt & ſollicitudini veſtræ & mutuæ caritati pariter reſponderem. Salue itaque Apoſtolatui veſtro plurimum dependo, & hoc quod apicibus mearum teſtimonio voluiſtis agnoſcere, (C) vtrum Sindilla porcos ſuos prudente Fœdamio perdidiſſet: noueritis me apud homines meos, vbi fuerunt, diligenter perquiſiſſe. Sed ſicut ante iam nouerã magis & iſtos laborem faciente † paci Sindilæ perpeſſus eſſe, & ipſum porcos ſuos peruerſitatem ſuam, dũ de aduerſa parte eſſe ſe iactitat, amiſiſſe cognoui. Cæterum præfatum Fœdamium illi in nullo culpabilem: Nam quod pertulit, nulli niſi debet & omnibus imputare, in qua cauſa, quantum ego cõtemplationi veſtri, vt homines veſtri, aut à cuſtodia liberarentur, aut porcos veſtros reciperent, laborauerim ipſis, iam referentibus, plenius potuiſtis agnoſcere, quod propterea neceſſe non fuit litteris indicare. Veſtrum eſt, hominem vere iuſtum ab huius calumniæ obiectione defendere, quam eum iniuſte ſcriptis noſtris agnoſcitis ſuſtinere.

† *locus corruptus.*

51. *Ruricius Epiſcopus Stephano ſuo ſalutem.*

ITa me pauciſſimis diebus ad cultum ſuum pietas veſtræ ſanctitatis inlexit, vt eum vos, Deo propitio, corde detineam, & oculis mentis intuear; (D) tamen ſemper affectu inſtigante perquiram, quia ſcilicet breue videtur omne, quod dulce eſt; ita inexplebile eſt omne, quod † carne eſt. Et omnipotenti Deo gratias ſuper tam admirabili dono eius, quod ita generaliter ſeruis ſuis tribuere ineffabili diſpenſatione dignatus eſt, vt hi qui diſparantur corpore, animis iungerentur: neque eſſet aliquid tam longinquum difficile quod mentium obtutibus obuiarit. Sed per cordis intuitum ibi ſe inuicem diligentes caritatis contemplatione conſpicerent, vbi caritas ipſa conſiſtit. quo fit, vt deuinctio veſtra, quæ in viſceribus meis iugi recordatione, dum quotidie renouatur, augeretur, amoris veſtri mihi viciſſitudinem repromittat, animus meus mihi animorum veſtrorum fideiuſſor adſiſtat, dum tantum ſibi audet (E) de veſtra dilectione præſumere, quantum vobis concupiſcit impendere. Salutem itaque beatitudini veſtræ plurimam dico, & rogo, inceſſanter communi Domino ſupplicetis, vt ſecundum diuitias bonitatis ſuæ atque virtutis, cui omnia poſſibilia confitemur, vt ſi in hoc ſæculo nos propter vitæ iſtius turbedines ac procellas, & regionũ interualla ſæpius videre non poſſumus, vel ad illam vrbẽ, *quæ ædificatur, vt ciuitas*, faciat conuenire, ad quam nos miſericordia Domini poterit perferre, vos merita. *Pſal. 121. 3.*

† *carum.*

52. *Ruricius Epiſcopus Præſidio Filio ſalutem.*

* PLerumque dum me apud indiuiduam mihi ſublimitatem veſtram non vitæ merito, ſed amicitiarũ priuilegio multum poſſe confidunt, commendatitias à nobis quibus vobis excuſentur, inquirunt: quas eis pro officij noſtri neceſſitate negare non poſſumus: non præſumptionis audacia, ſed miniſterij diſciplina, dum & illis præſentis vitæ ſolatium, & vobis prouidere deſideramus æternæ. Vt & illi per patientiam veſtram reſeruentur ad pœnitentiam: & vos per miſericordiam perueniatis ad veniam, ſicut dicit Scriptura: *Quia iudicium ſine miſericordia erit, qui non fecerit miſericordiam.* *Iacob. 2. 13* Quia dixit: *Dimittite, & dimittetur vobis.* *Luc. 6. 37.* (F) Proculdubio quẽ viderit hic facere, quod præcepit, in futuro ei reſtituet, quod promiſit. Nobis enim illius veritas præſto eſt, ſi illi fides noſtra non deſit. Vnde manifeſtiſſime poteſtis aduertere abſolutionẽ miſerorum veſtrorum eſſe indulgentiam peccatorum: & hoc veſtris conferendum precibus, quod vos præſtatis alienis, iuxta ipſius in Euangelio ſententiam: *Quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis.* *Matt. 7. 2.* Idemque pro Vrſo & Lupo, qui ad me, quaſi vobis peculiarius, ſicut ſuperius dixi, caritatis iure deuinctum, pro criminum ſuorum interceſſione venerunt, precator accedo: vt primum Deo, deinde nobis hoc, quod commiſerunt, donare digneris: nec nos de eorum damnatione confundas, qui ſe iam tum abſolutos eſſe, quando ad humilitatem meam deducti ſunt, crediderunt.

† *Pleriq;.*

53. *Ruricius Epiſcopus Ruſtico filio ſalutem.*

EXtra affectum conſuetudinarium & probatum & humanitatem nobis dignaris impendere, dum vſib. tuis detrahis, quod noſtris largiaris expenſis. (G) Quia puero veſtro referẽte cognoui, quod piſcationis in viſceia pro parte Viſera nobis iuſſeras delicias miniſtrare. Vnde ſalutatione depenſa, gratias ago plurimas, exorans diuinam miſericordiam, vt pro honore, quem nobis pro ipſius timore dependitis, & præſentium rerum vobis confe:at felicitatem, & beatitudinem tribuat futurorum. Finit.

54. *Ruricius Aprunculo Epiſcopo ſalutem.*

SIent litteras ſanctitatis veſtræ per virum venerabilem Elogium, cum gratulatione ſuſcepi, ita has eodem redeunte, libenter emiſi, quibus apoſtolatui veſtro debitũ † deponendo ſoſpitationis officium, ſimulque depoſco, vt pro nobis orare dignemini, & id à communi Domino peculiarius poſtulare, vt iam tandem aliquando in vnum venire, & nos videre mereamur: (H) vt charitas quæ ſecundũ ſententiam Dominicam in pectoribus noſtris per abſentiam † quod peris eſt, refrixit, *Mat. 24. 12.* per præſentiam iterum in ſoſpitis cineribus ſuſcitetur, & viuis vocibus, quaſi nouis flatibus veteris amoris rediuiuum reparetur incendium, quod more atque virtute ignis illius, quem Dominus miſit in terram, *Luc. 12. 49.* & ſpinas negligentiæ noſtræ atque deſidiæ vi naturæ potentis exurat, tenebras dormientis cordis inluminet. Finit.

† *dependo.* † *fort. quod temporis eſt.*

* * *

A

55. *Item alia Ruricij ad ipſum Epiſcopum.*

ADſiduitas † ſupplicatum ſupplet in nobis gratiæ cõmunis officium, vt hoc quod facere debeamus ſuper mutuæ dilectionis affectum, faciamus per externæ neceſſitatis imperium: dum alienæ tribuimus petitioni, quod propriæ debere nos cognoſcimus caritati. Vt hæc litterarum neceſſitudo eſſet ex voluntate neceſſitudinis iocunda noua calamitate deplorantis extorta. Tamen quia ſpõtaneam ſcribendi neglegimus gratiam, ſaltem prætermittere non debemus ingeſtam. Ideoq; per fratrem & Compresbyterum noſtrum Maxentium, quem nobis frater † Epiſcopus ipſius commendauit, dedi, quibus ſoſpitatione depenſa, ipſum Apoſtolatui veſtro, ſecundum quod poſtulauit, inſinuo, quia illic notos, & amicos habere ſe dicit, qui eum beatitudini veſtræ poſſint in præſenti plenius intimare, quorum teſtimonio poſſit credi, quod aſſertioni ipſius fortaſſe non creditur.

† f. ſupplicatuum *vel* ſupplicantium.

† m. ſ. Epiſcopi.

B

56. *Item ad ipſum.*

FIlij noſtri Omacius & Eparchius ad me litteras plenas lacrymis & deploratione miſerunt, ſpecialiter deprecantes, vt apud ſanctitatem veſtram pro ignorantia ipſius filij noſtri Eparchij interceſſor exiſterem; confidentes, quod pro amore mutuo nihil nobis negare deberetis. Idemque Presbyterum noſtrum Euſebiolum ad pietatem veſtram in hac cauſa direxi. Per quem ſaluto plurimum: & rogo, vt præfato, ſicut dicit, ſufficienter admonito, indulgentiam errori illius dare pro noſtra † ſupplicatione minime iniqua. Sicut in defenſione peccati ſtulte atque infideliter perduranti culpa, donec agnoſcat reatum † (non) debet relaxari, ita agnitio peccati debet conferre veniam confitenti. Remedium eſt enim mali confeſſio non ſimulata delicti, nec vltioni publicæ relinquitur locus, vbi reus conſcientia torquente punitur.

† m. ſ. ſupplicationem iniquia.

† *hæc vox abeſt in m. ſ.*

57. *Item alia Ruricij ad ipſum.*

C

ANte diem quã litteras veſtræ ſanctitatis acceperim, compresbyterum meum, ſicut ipſo referente poteritis agnoſcere, ad germanitatem veſtram in eadem, qua mihi ſcripſiſtis cauſa direxeram. Et quia mihi non ſolum ipſe filius noſter Eparchius, ſed etiam frater ſuus flebiliter per litteras ſupplicarunt, Apoſtolatui veſtro precator accederem. Qui & cõfeſſione culpæ, & deprecatione veniæ, & conſanguinitatis affectu compulſus, indulſi. Quia vos mihi ſuper hac re ſcripturos eſſe nõ credidi. Sed quia humilitatem meam dignati eſtis pro ea, quæ inter nos eſt, propitio Deo, caritate, conſulere, & nobis vtrũ iuſta eſſet veſtra diſtrictio, meis potiſſimum apicibus indicarem: ſciat Dominus noſter, quod ego factum veſtrum & probo, & conlaudo, & vehementer admiror. Quia dum vni indiſperato per admonitionem gladij † ſpiritale pro reddenda ſalute intuliſtis dolorem, multis contuliſtis languentibus ſanitatem. Multi etenim in eccleſia, qui curari nequeunt verbo, ſanantur exemplo. Supereſt ſeueritatem miſericordia conſequatur, vt recipiatis lenitate patris, quem corripuiſtis autoritate Pontificis. Et iuxta illum Euangelicum, inuocantes, quem nos per omnia & ſequi oportet & imitari, qui filio paternæ ſubſtantiæ decoctori, & facinus confitenti non ſolum veniam clementer impertijt, verum etiam priſtinam gratiam libenter indulſit: & nos condoleamus lapſo, ſubueniamus attrito, amplectamur reuerſum, lætemur inuentum. Quod & Apoſtolatum veſtrum propterea feciſſe certus ſum, vt paululum infirmantem filium excluderetis à matre, vt eum ipſi poſt modicum reſtitueretis incolumem: & eum contriſtaretis ad tempus, de quo gaudere concupiſcitis in æternum.

† *fort.* ſpiritalis.

D

Luc. 15. 30

E

58. *Ruricius Epiſcopus filio Seuero ſalutem.*

NEgligentiam noſtram atque pigritiam dum vos excuſatis, arguitis, & nos beneficijs & officijs veſtris agnoſcimus debitores. Sed ſcio hoc ſincero amore, quo nos diligitis, facere, atque perfecto. quia parum eſt caritati veſtræ, quod nobis tribuitis, dum totos vos nobis & cotidie impendere deſideratis. Sed nobis ſatis ſuperq; ſufficeret beneuolentia quam prompti animi & aſſiduitas † deeſſet obſequij. Vnde ſalutatione depenſa, gratias ago vberrimæ pietati veſtræ, quod erga me bonæ memoriæ patris veſtri non ſolum retinetis, ſed etiam vicinis affectum.

† *fort.* deſiſtet.

59. *Ruricius Epiſcopus filio Sthorachio ſalutem.*

AIo atque habeo vberes gratias pietati veſtræ, quod nos negligentiam famulorum noſtrorum neſcire feciſtis, dum ſubuectionem congruam, quam nobis callidus ſubtraxerat inimicus, benignus ſubminiſtrauit affectus. Quem idcirco nobis Dominus hoc ad tempus permiſit inferre, vt & noſtram patientiam per iniuriam, & veſtram erga nos caritatem per compatientiam comprobaret, ac ſine dubio facultatis noſtræ vobis lucrum operis per beneficium dilectionis adferret.

F

60. *Ruricius Epiſcopus filio Vittameno.*

FAmiliares nos vobis facit veſtra dignatio, dum hoc, quod à nobis libenter offertur, à vobis gratanter accipitur. Siquidem illud munus acceptabile probatur & dulce, quod non magnitudo inſinuauerit, ſed commendarit affectio. Quæ res facit, vt ad perſoluendum vobis ſpontaneæ deuotionis obſequium, etiam id habeamus in votis, quod non habemus in † verba. Itaque ſalutatione depenſa, quia centum † peta ſublimitati veſtræ, alia centum filiæ meæ deſtinare præſumpſi. Quæ ſi fortaſſe diſplicuerint ſaporis guſtu, placebunt, vt confidimus, tranſmittentis affectu.

† verbis.
† pira.

61. *Ruricius Epiſcopus fratri Namacio.*

G

SAluto plurimum, & ſpero, vt ſi ſecundo craſtino non potueris, vel tertia feria ad nos venire digneris. Quia deſiderio tuæ caritatis accenſi, & nos dicimus cum Propheta: *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Defecit ſpiritus meus.* *Pſa. 142. 6*
Ne auertas faciem tuam. Ne moreris aduentum, vt pectoris *Pſ. 142. 7.*
noſtri, quem parui temporis ſolatio ſuſcitaſtis, extinguatis incendium. Finit.

62. *Ruricius Epiſcopus filio Vittameno.*

GRatias ago dignatiſſimæ erga me ſublimitati veſtræ, quod nos de actibus atq; incolumitate veſtra, quos noſtis, Deo propitio, pro amicitiarum iure ſolicitos, tacitis litterarum ſedulitate ſecuros. Vnde his reciprocum reddo nobilitati veſtræ ſalutationis officium, & me has de Decaniaco ad vos dediſſe ſignifico, meamq; vobis fauore diuinitatis quam † vobis placere confido, indicans ſoſpitatem. Præſtabit Dominus, vt citius hinc regreſſus veſtris merear obtutibus præſentari. Vt cuius benignitate veſtra incitaſtis deſideria, viſione ſollicitetis affectum.

† m. ſ. vos

H

63. *Ruricius Epiſcopus fratri Claro Epiſcopo.*

APoſtolatui veſtro pro ea, quam mihi non pro meis meritis, ſed pro beneuolentia animorum veſtrorũ impenditis, caritate, non dicam vicem non poſſum repẽſare beneficijs, ſed nec tantas gratias, quantas meremini, ſermonibus explicare. Impendo tamen per litteras debitum ſoſpitationis officium, partemq; pectoris mei in quo affectum veſtri auiditate ſuſcepi, paginæ conlocutione tranſmitto: ſimulque deprecor, vt communi Domino ſupplicetis, vt citius nos faciat fructum de noſtra capere præſentia: quosq; ſuæ inſpirationis inſtinctu connexuit,

A vultum etiam mutua viſione coniungat: vt deſiderium in
nobis, quod accendit affatus, reſtinguat obtutus. De co-
lumnis vero gratias ago, &, ſicut iuſſiſtis, quia modo pro-
pter imminentem hyemem vehicula illo dirigere nō poſ-
ſum, poſt ſanctum Paſcha, propitia Diuinitate tranſmit-
tam. De minoribus vero ſicut verbo mandaſtis, ſi inue-
niri poſſunt, mihi vel decem neceſſarias eſſe ſignifico. Sed
ſi dominus proſpera vniuerſa conceſſerit, antequam vehi-
cula dirigam ad vos hominem deſtinabo.

64. *Ruricius Epiſcopus fratri Voluſiano Epiſcopo.*

ITa quod peius eſt, caritatem antiquam, & inſitam no-
bis, partim (quoniam confitendum eſt) negligentia
noſtra, partim neceſſitate temporis, partim corporis in-
firmitate faciente, longa delebit obliuio, vt penitus im-
memores noſtri facti nō ſolum vos nullis officijs, ſed nec
litteris requiramus. Miror nobilitatem tuam quaſi filium
ad me litteras deſtinare, cum ſine vllo reſpectu religionis
B aut propinquitatis tibi iniuriæ noſtræ ſic placeant, vt eas
vindicare non velis. Vnde niſi exiſtimationem perſonæ
meæ, aut officij cogitaſſem, portitorem litterarum tua-
rum talem ad te miſeram, quales homines meos non ma-
trona veſtra, ſed domina procax & effrænata nimium
perduxit, cuius mores ſi tu tanto tempore cum famæ tuæ
diminutione, aut voluntatie aut neceſſitate ſupportas, a-
lios noueris nec velle ferre, nec eſſe cōtentos. Nam quod
ſcribis, te metu hoſtium hebetem factum: timere hoſtem
non debet extraneum, qui conſueuit ſuſtinere domeſti-
cum.

Finiunt Epiſtolæ Domni Ruricij Epiſcopi † Lemouiceni.

† *Ita expreſſe m. ſ. vbi nota hunc vocari Epiſcopum Lemouicenum. lege apud Fortunatum de Ruricio ſeniore & iuniore.*

EPISTOLÆ

DESIDERII
C
EPISCOPI CA-
DVRCENI

AD

Abbonem Epiſtola 9.
Aſpaſiam 14.
Cæſarium 13.
Chodulfum 8.
Dadonem 10.
Dagobertum Regem 5.
Felicem 15.
Grimoaldum Maiorem domus 2.6.
Medoaldum 7.
Paulum 11.
Saluſtium 1.
D *Sigebertum Regem 3.4.*
Sulpitium 12.
Pro Vntedio commendatitiæ ad Epiſcopos, Comites &c. 16.

Nunc primum ex membranis m. ſ. celeberrimi Monaſterii S. Galli editæ.

E

INCIPIVNT EPISTOLÆ DOMNI DESIDERII EPISCOPI CADVRCENI, AD DIVERSOS porrectæ, nunc ad Saluſtium Epiſcopum.

Domno ſanctiſſimo, atque præ optimis mihi in Chriſto diligendo Saluſtio Præſuli Deſiderius veſter. 1.

MVltiplices & ineffabiles veſtræ beatitu-
dini pro inquiſitionis ſtudio, vel eulo-
giarum percepta benedictione † gratias † m. ſ. gratiarum
iure perſoluimus, & quamlibet indi- iura.
gni, Domini optamus pietatem, qui
nobis cuius locum tribuat veſtræ gratię
ſeruiendi. Illud namque quod zelo ze-
lati eſtis pro noſtra exiguitate, non omittitis ſolertiam e-
F gregij & nobilis paſtoris, dum viriliter & vigilanter agere
adorti eſtis. Vtinam † etiam in nobis diuina pietas perfi- † m. ſ. etenim.
cere dignaretur. Quia ille rectè vigilat, qui aſpectu veri
luminis, & intimæ contemplationis ſemper oculos aper-
tos gerit. Qua de re neceſſe eſt, vt mentem ſemper ad in-
teriora & ſublimia ſuſpendamus: ne per corporis negligē-
tiam ad ima trahamur. Igitur de eo, quod ſollicitudo ve-
ſtra ſciſcitare ſtuduit, veſtra dilectio comperiat omnes o-
ptimates & Principes, iuxta quod antea † cum ipſis ha- † m. ſ. cū ipſos habebamus cōglutinata amicitia.
bebamus conglutinatam amicitiam, Gratias Chriſto, qui
eſt bonorum omnium diſpenſator, ſatis amabiliter nos
receperunt: & nos eos eatenus in Dei nomine retinemus,
vt charitas mutua nunquam decidat, ſed aucta magis in
dies floreſcat: & cum amico veſtro Flauado firmiter & a-
mabiliter in charitate conſolidati ſumus. De cætero vero
ſatis, & cum pleniſſimo affectu, vt præfati ſumus, pro tā-
tæ inquiſitionis veſtræ dilectione gratias agimus. Saluta-
mus præterea veſtram almitatem eo affectu, quo † nobis † m. ſ. nob. latere non am.
oblata eſſe non ambigo, & ſupplex quæſo, vt pro mea ex-
tremitate pio domino † dignetis exorare. Vale vir Dei, & † m. ſ. digneris.
G memento mei.

Item Epiſtola domni Deſiderij ad Grimoaldum. 2.

Domno Inluſtri, & à nobis peculiarius ſuſcipiendo domino, & in Chriſto filio Grimoaldo Maiori Domus Deſiderius peccator.

NOn ignotum vobis famulum, ac bene cupientem,
cupio eſſe commendatum. Adeſt enim frater meus
Lupus Abba, cuius mentem agni cupio agminibus inter-
eſſe. Iſte ad vos redituo Deſiderio pergit, & poſtulat ſe
noſtris affatibus commendari, quatenus enim veſtra indu-
ſtria glorioſi Principis domni Siggeberti Regis obtutibus
repræſentet. Age ergo virum egregie, mihique patrone,
& iſtum habe, vt ſupra petij, per omnia ſodalem; quate-
nus gaudeat ſe noſtris apicibus veſtræ eminentiæ commē-
datum. Interea ſalute vberi fuſa, precor impensè, vt quod
ipſe ſuggeſſerit, conditiones Monaſterij noſtri, † quod † m. ſ. quē
nuper in honore ſancti Amanti ædificaui, dignetis recipe-
re per omnia commendatas. Et talem exinde curam ge-
H ratis, vt æternam retributionem pro collato beneficio ex-
pectetis. Dignamini etiam expectationem noſtram de ve-
ſtra, ac domni Regis ſalute, patrumq;, vel fratrum veſtro-
rum reciprocante nos pagina † conſolari manu propria. † m. ſ. conſolare.
Incolumem Excellentiam veſtrā ſuperna pietas tueatur.

Item Epiſtola Domni Deſiderij ad domnum Sige- 3.
bertum Regem.

Domino glorioſiſſimo, triumphali palmate coronato, ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ filio Sigeberto Regi, ſeruus veſter Deſiderius Cadurcæ vrbis Epiſcopus.

DVm & contigit de præcelſo Domno noſtro genitore
veſtro, quod nec pietati veſtræ tam cito fuerat opta-

bile,

A bile, Vos, reuerendiſſime domine, tam de nos ſeruos veſtros, quàm & de cunctos fideles integram dignamini habere mercedem. Vt quos genitor veſter pie enutriuit, veſter rigor æquanimiter portet, & dum vos Deus omnipotens ſua pietate in regni ſolio ſublimauit, & tantum vobis dedit prudentiæ intellectum; præſumimus commonere celſitudinem gloriæ veſtræ, vt ſemper † protectoris veſtri memoriam intimiore corde retineatis. Semper cogitetis, quid poſt regni ſceptra futuri eſtis, & ad qualem remunerationẽ pro operum qualitate venietis. Nos pro Epiſtolæ paucitate te modicum quid monuimus. Vos taliter in omni opere, in omni cauſa, in omni iudicio voſmet ipſos exhibere, vt quando perfidi Reges cum iniquis damnantur, vos pro bonis operibus † æternam remunerationem percipiatis. Explicit.

† f. progenitoris, *vel*, prædeceſſoris *vel*, protectoris noſtri.

† m. ſ. æterna remuneratione.

4. Item Epiſtola domni Deſiderij ad domnum Sigebertum Regem.

B *Domino glorioſiſſimo, atque piiſſimo, vbique præcelſo ſanctæ Eccleſiæ Filio Sigeberto Regi Deſiderius ſeruus ſeruorum Dei, atque per gratiam eius Cadurcæ vrbis Epiſcopus.*

QVod nos pia ſollicitudine dignati eſtis litteris conſolare, inſufficiens eſt mens noſtra gratiarum iura perſoluere. Qua de re ſingulari poſtulatione credidi depoſcendum, vt ea me dignatione iubeatis peculiarius confouere, qua Domini Genitoris veſtri circa meam puſillulam, exiguamq; perſonam habita eſt gratia familiaritatis. Volui quidem ſic obtemperare, vt non prius ad vrbem reditem, donec, ſi potuiſſet fieri, veſtri culminis præclaram celſitudinem vidiſſem. Sed quia hoc difficile fuit, ideo nunc latorem præſentium commendare præſumo. Per quem officia ſalutationum digno culmini veſtro honore perſoluens, quæſo, vt petitiones ipſius in effectu poſitas, me de veſtræ excellentiæ incolumitate † dignetis facere certiorem.

† f. digneris.

C

5. Item Epiſtola domni Deſiderij Epiſcopi ad domnum Dagobertum Regem.

Domino glorioſiſſimo, atque piiſſimo, vbique præferendo, vndique præcelſo, ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ filio, Dagoberto Regi Deſiderius ſeruus ſeruorum Dei, & veſter fidelis.

DVm plerumque pro conditiones Eccleſiaſticas me neceſſitas compellat ad celſitudinẽ culminis veſtri apices dirigere, ipſa tamen recordatio contubernij, & † dulcedo auſpicatæ indolis pubertatis monet, vt frequenter, ſi fieri poſſit, me exiguum famulum ſollertiſſimis obtutibus veſtris præoptem præſentari. Qua de re ſalutationis obſequio, eo quo decet honore prælato, quæſo, vt de conditiones Cadurchæ Eccleſiæ, cui Deo auctore, ex iuſſu veſtro præſedeo, pro quas nunc præſentium latores apicum ad excellentiam dominationis veſtræ feſtinant, pro diuino reſpectu vel iuſtitiæ contemplatione integra mercede ſtudeatis habere, ſollertiſſimo libramine cauſam trutinare: & qua iuſtitiam perſpicitis ponderare, illuc ſententiam declinate. Nec ſolum de hac re, ſed omni tempore, de omni conditione ſententiam Regis iuſtitia præcedat & veritas. Iudicium quoq; miſericordia comitetur, ꝓpter illud Apoſtoli: *Iudicium ſine miſericordia erit ei, qui non fecerit miſericordiam.* Age ergo præcellentiſſime Princeps, mi domine Dagoberte, age taliter, vt dum ſingularem inter homines regni apicem obtines, ad æterni regni ſingularẽ gloriam ſine confuſione attingere poſſis. Me quoq; non ſuperfluum iudices pro pia commotione, ſed amantem mente ames pro ſalubri exhortatione. Explicit.

† m. ſ. dulcido f. dulcitudo.

D

Iac. 2. 13.

* * *

E

6. Item Epiſtola domni Deſiderij ad Grimoaldum præpoſitum palatij.

Domino Inluſtri, totius aulæ, immoq; regni † Rectori Grimoaldo Maiori Domus, Deſiderius exiguus ſeruus Dei.

† m. ſ. Rectorẽ G. Maiorẽ, *Et nota quod in his Epiſtolis m. ſ. codicis errores etiam manifeſtos exprimimus, vt fides editionis conſtet.*

PAgellari officio ſuggero, vt harum portitorem apicũ commendatum dignetis recipere, & quæque ore proprio ſuggeſſerit effectui iubeatis mancipare. Et quia nipio me veſtris animis eo ordine commendare, quo parentum veſtrorum affectu ſum vnico deuinctus, precor, vt illam gratiã genitoris veſtri, erga me tenere dignetis, † quæ me vobis faciat placabilem, & veſtram mihi præſtet ſemper optabilem. De condiciunculas etiam Eccleſiæ noſtræ, & pauperum ſuorum ſingulari mercede ſtudete habere, eaſque per omnia habete commendatas. Nos quoq; in ſinu gratiæ veſtræ, non vt meremur, ſed vt optamus, atq; confidimus, paterno cõfouere affectu. Et ſi de hoc, quod ſuggeſſimus, ſperata conceditis, ſimul & de veſtra ac Domni Regis, vel fratrum veſtrorũ incolumitate, aut † quicquid nos ſcire recte cenſetis, quod in illa regione agitur, reſcripti nos ſerie dignamini certificare. Incolumem vitam veſtram ſuperna pietas tueatur.

† m. ſ. quoque.

F

7. Item Epiſtola domni Deſiderij ad Medoaldum Treuericæ vrbis Epiſcopum.

Domino ſemper ſuo Medoaldo Papæ Deſiderius peccator.

SI gratiarum iura beneficijs veſtris recõpenſare voluero, non ſapiam, pro illa ſcilicet ſupereminentia bona, quæ anno præſenti erga nos largitas veſtra deſeminare ſtuduit. Pro impenſas videlicet ſuperfluentes, pro itinerantium multimodas neceſſitates. Nec ſolum famulantium opportuna ſubſidia non pauca miſiſtis, ſed etiam noſmet & expenſis, & muneribus ampliaſtis. Impleſti, beate pater, largitatis officium, ſuſtinuiſti peregrinationem noſtram, compaſſus es laboribus noſtris, & longe à ſolo patriæ poſitos, ita paterno affectu fouiſtis, vt nec regionis vbertatẽ, nec parentum † dulcedinem ex inopia deſiderarem. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, in cuius amore id impendiſti, tibi pro noſtra extremitate retributor exiſtat. Nunc igitur famulatus mei iura perſoluens ſupplico, vt quẽ tunc beneficijs conſolaſtis, nunc orationib. beneficio foues. Latorem præterea præſentis officij filium communem Claudium Abbatem recipite per omnia cõmendatum, & munuſcula, quæ ex nobis intulerit, grato animo habetote. Cum ſe de mundo opportunitas contulerit, de veſtra, & Domni Regis, vel fratrum ac filiorum veſtrorum mereamur incolumitate reſcripti ſerie conſolari.

G

† m. ſ. dulcedinem & inopia deſiderarent.

8. Item Epiſtola domni Deſiderij ad Chodulfum.

Domino Inluſtri, & à nobis peculiariter ſuſcipiendo domino, & in Chriſto Filio Chodulfo Deſiderius peccator.

IN ſancti Apoſtoli Pauli dictis ſcriptum habetur: quod *vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia.* Iam quantũ me hactenus de gratia veſtra dolui contriſtatum, ſuperabundare me de veſtra gratulor charitate. Non enim itineris illius, quo ætate ſum grauata confectus, iam quadam doloris memoria ducor: cum recolo, quanta erga me dulcedo veſtra eſt pia voluntate diffuſa. Vnde gratulatione maxima præſentem paginam ad dominationem veſtram deſtinaui, per quam ſalute vberi fuſa, precor Dominum, vt magis, magiſq; ſuam in vobis tribuat largitatem pietatis, ac bonis faciat ſucceſſibus abundare. Et quia ſcriptũ legimus: *Generatio rectorum benedicetur,* Tu vir excellentiſſime benedictiones paternas ſemper memoriæ viuacitate conſerua, & ſi qua ſunt, vel quod monuit, vel quod egit, quaſi ante oculos præſentaneo retine memoratu. Multa enim ſunt de eius geſtis tuis auribus recolenda, quæ ſi geſtis adijcias vitæ huius & intenta meditatione conſerues. Ille orationibus donabit vtique nunc fauorem, quo pro-

Rom. 5. 20.

H

Pſal. 111. 2.

A babiliter probe polleas, & iſtinc curſu feliciter auſpicato, paternis remuneratus præmijs adiungaris. Interea, quanquã neceſſarium eſſe nõ ducam, latorem præſentis officij multa deuotione commendo, & vbi quod aut iſte dixerit: aut aditum cognoſcitis opportunum, conditiones patroni veſtri beati Stefani, cuius adminiſtrationem gerere videor, habere receptas, & per omnia commendatas, vt ipſi domini rerum, quibus vice noſtri Redemptoris ſeruire videmur, ipſi vobis impendia æterna compenſent, ac ſupplementum ſuæ tribuant largitatis.

9\.

Item Epiſtula domini Deſiderij ad Abbonem.

Domino ſemper ſuo † Abboni Papæ Deſiderius peccator.

† m. ſ. Abbone.

† m. ſ. ad obſeruando illo monaſterio & q. n. e. v. e patrocinium.

DVm lator præſentium apicum † ab obſeruando illo Monaſterio veſtris accedit, & quia neceſſe eſt veſtro eum patrocinio commendemus, igitur famulatus mei officia perſoluens ſupplico, vt eum ſicut famulum, gratia pietatis veſtræ recipiat commendatum, & de conditiunculas domni Stefani, vndecunq; fuerint extortas, adhibere

B ſollicitudinem. Sicut me de veſtra gratia cõfidere, vt credo, nullatenus ignoratis. Non enim à me docendus es, quid in noſtris ſupplimentis, & Eccleſiæ, cui ſeruimus, vel pauperum eius opportunitatibus prædes, quid vigilando proſpicias, quidue experientiæ actionis tribuas. Noſti omnia, omniaque non ambiges, quibus laboribus † vrgemur, quibusque fatigamur ærumnis. Hoc ſolum cupimus

† m. ſ. vrguimur.

te velle. Nam poſſe datum vs eſt ille, ſub cuius nomine nos præſidio, & fauore teneri gaudemus. Rogamus ergo, vt iſtum famulum beatum viſitarem frequenter, ſi poſſibilitas arrideret, ſacris veſtris intereſſe colloquijs, vt ſicut nos ſub ſæculi habitu in contubernio ſereniſſimi Flodharij Principis mutuis ſolebamus reuelare tabellis, ita iam nunc illa ad plenum depoſita vanitate dulcia licere Chriſti ruminare præcepta, ſed quia ſicut mens anhelat, effectus ſequi non præualet; hoc ſufficiat dicere † dom fauore veſtræ charitatis non mediocriter ſum recreatus. Proinde gratiſſima effuſa ſalutatione, peroro, vt quem tunc & amaribus bonis, & benigna charitate conſolatis, ſemper in memoriam veſtri † intentam animum teneatis latorem, præterea præſentis officij, qua valeo inſinuatione, vobis cõmendo, & precor, vt in omnes conditiones, quas exterit, benignum iubeatis præbere fauorem, & ſi accipium, vel

videtur hic aliquid deeſſe

† f. demũ.

† m. ſ int.

C quandocunq; aditus extiterit, de veſtra felicitate mereamur certificari. Vale vir Dei, & memento mei.

10\.

Item Epiſtola domni Deſiderij ad dominum Dadonem Epiſcopum.

Sancto ac præferendo Apoſtolico patri Dadoni Papæ Deſiderius ſo uus ſeruorum Dei.

DVm plurima tempora elabuntur, quod præſentiam veſtram videre nequimus, nunc immiſſa ſe gratulatio menti obiecit, dum aliquatenus vel poſt diutina interualla ſeſe opportunitas † prohibuit, qua vel pagellari officio me veſtris conſpectibus præſentarem. Igitur debito obſequio humiliter exhibito, illud peculiarius peroro, vt quem quondam in ipſo flore primæuæ iuuentutis vnico mihi amore præbuiſti, ſemper concedere digneris illum

† f. præbuit.

D meũ Dadonem. Maneat priſtina inter nos atq; illum tuũ, immo noſtrũ † Eligium inconnulſa charitas, indiſiuncta, vt fuit quondam, fraternitas, mutuis nos iuuemus precibus, vt quemadmodum in aula sereni Principis ſocij fuimus: ita in illo ſuperni Regis cœleſti palatio ſimul viuere mereamur. Et licet de noſtro collegio duos iam amiſerim germanos, habemus pro his venerabilem Paulum, nec minus prædicabilem meritis Sulpitium. Quiſquis igitur noſtrum quantum plus præualet, tanto amplius profectuũ gradus conſcendere elaboret. Ad hæc autem prædico plus me veſtris orationibus, quam meis viribus attingere poſſe confido. Tantum eſt, vt indeſinenter vos orare dignetis: & pietas Domini noſtri IESV Chriſti, credo, præſtabit, quod rogatis. Vale vir Dei, & memento mei.

† m. ſ Eligium.

E

11\.

Item Epiſtola Domni Deſiderij ad Domnum Paulum Epiſcopum.

Domino ſemper ſuo Paulo Epiſcopo Deſiderius peccator.

IAm credo ad aures tuas perlatum, qualiter Monaſteriũ conſtituere cœperim, & Baſilicam iam mihi Domino cooperante conſummatam habeam. Proinde rogo, atque inuito Apoſtolicam dignationem veſtram, vt ibidem ad Dedicationem intereſſe dignemini. Et cum nos ibidẽ in Dei nomine viderimus, aliquantis ſimul diebus commorantes, de illa perenni ac deſiderabili vita, de qua mutuo ſuſpirare ſolebamus, familiaria colloquia deſidero, vt habeamus. Alios etenim plures Epiſcopos intereſſe faciemus, qui nos vel exemplo iuuent, vel hortatu roborent. Quorum nos cõntubernio non mediocriter opinor adiuuari. Veni igitur chariſſime, quantum longius, tantum velocius. vt poſt diutinam corporis abſentationem tandem refocillemur mutua confabulatione. Aderit credo Dominus de ſe concionantibus, adſtabit orantibus, nec nos deſeret vnquam qui paſſus eſt pro nobis, de ſede † veniens paterna. Orantem te pro nobis potentia domini noſtri Ieſu Chriſti conſeruare dignetur.

† m. ſ. venire.

F

12\.

Item Epiſtola Domni Deſiderij ad Domnum Sulpitium.

Sancto Patriarchæ Sulpitio Deſiderius ſeruus ſeruorum Dei.

COndecet primæ ſedis Antiſtitem, vt ſolleris circa eũ conſacerdotum exhibeatur ſollicitudo; vt dum viciſſim iura charitatis glutinantur, facilius deuitis conſortio intereſſe mereantur. Iuxta illud, quod ſacratiſſimo eximij vatis ore pollicitus: *Ego, inquit, inhabitabo in eis, & inter illos ambulabo.* Necnon & Domini dictum: *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, & ego in medio eorum.* quapropter, Papa beatiſſime, veſtra ſit elaboratio, vt pertinacia, quæ plerumque inter fratres ſerpit, veſtro libramine radicitus euellatur. Nam noſtri erit ſtudij ſolatia opportuna præbere. De cetero prece qua valeo ſupplico, vt quotiens ad exorandam Domini clementiam defixa mente adſiſtitis, noſtri memoriã ſacris precibus inſeratis. Hæc nimirum facientes, vicem nobis in præſentiarum rependitis. Qui quamuis non, ſicut oportet, oramus, orandi tamen inſtantiam non omittimus. Memento mei Papa beatiſſime, & cultoris tui meritis orationibus foue.

Ierem. 7. Mat. 18. 20

G

13\.

Item Epiſtola Domni Deſiderij ad domnum Cæſarium.

Domino ſemper ſuo Cæſario Epiſcopo Deſiderius peccator.

DEſiderabilia nobis gaudia eueniunt, quotiens ſe aditus præbet, ex quo puſillitatis noſtræ litteras Almitati veſtræ poſſumus dirigere, ideoque prælata occurſionis obſequia fraterna charitate monemus, vt cauſas vnde mutua fuit confabulatio, id eſt, de id, quod ad profectum animæ pertinere noſcuntur, toto conatu, omnique a dorſu elaboretis adſequere, ſicutè contra illa, quæ euidenter ſaluti animæ obſunt, tota virtute ſtudeatis fugere. Et quia *caritas omnia ſuffert*, ſicut nos videtis de veſtra ſalute ſollicitudinem gerere, ita vos quoque de noſtra exiguitate dignamini ſollicitare, ne, quod abſit, culpa quælibet nobis latens, vicinis propaletur, & nobis quandoque in obiectionem ponatur. Præterea credo, quod nec vobis lateat, qualem egeſtatem de aqua, quam fons præbeat in hac Cadurcina ciuitate habemus. Sed voluntas nobis ineſt, ſi † poſſis permittit, vt per tubos ligneos ſubterraneo officio ad ipſam ciuitatem aquam ducere debeamus. Proinde quia nouimus, quod peritos ex hoc artifices haberes, precamur, vt compendium de-

H

1. Cor 13. 7.

† *fort.* poſſeſſio *vel* paſſus.

A pſos faciatis. & vnde iubetis nos pleniſſimè * re ſeruimus.
† fort. recreamus Agat Apoſtolica dignatio veſtra taliter tam de prælata
monitione, quam & de vltima ſuggeſtione, ſicut nos in o-
mnib. efficaciter de parte veſtra confidimus. Incolumem
Pontificatum veſtrum diuina pietas cuſtodiat.

14. Item Epiſtola domni Deſiderij ad quandam ſanctimonialem.

Deſiderius Epiſcopus Aſpaſia Abbatiſſa ſalutem.

Luc. 9 LAcrymis tuis hactenus motus hanc tibi hiſtoriam de
Euangelio egregiæ illius fœminæ deſtinaui. In ipſa
quippe diuinam conſolationem reperies, & timorem.
conſolationem quidem, quoniam qui de peccati onere
reſipiſcet, hanc animam pia Domini benignitas non re-
B futat; timorem ideo, quia anima, quæ accedit ad ſeruitu-
Eccl. 2. 1. tem Domini, continuo ad tentationes ſuſtinendas ſe for-
titer parat, dicente Salomone: *Fili accedens ad ſeruitutem
Domini ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.*
Luc. 15. 7. Gaudium quidem eſt in tuis lacrymis, & exultatio fit in
cœlis, dum ipſa ſponte damnas, quod male ſponte con-
traxeras. Abiit enim, ac ſicut Eua ſeducta eſt per ſerpen-
recidiuitas. tem, ita tu ad recidiuas miſerias ne pias reuertere. Ergo
compatiatur anima tua dolori meo, vt ego poſſim vulne-
re ſanato lætificari de bono tuo. Age pœnitentiam, quan-
Prou. 4. 23 tum melius potes; & *omni cuſtodia ſerua cor tuum.* Confido
ego in Domino meo Ieſu Chriſto, quia cito obliterabit
f. confuſionis. omnem maculam tuæ confeſſionis bona confeſſio. Vigi-
lia aſſidue, & ora, vt nullatenus retrorſum reſpicias. Me-
Lu. 9. 62. mento quid Veritas dicat: *Nemo, ait, ponens manum in ara-
tro, & reſpiciens retro, aptus eſt regno cœlorum.* Reſpicere autem
retro, nihil eſt aliud, quam pœnitere quenquam, & abij-
cere quod cœperit bonum, & ruſum mundialibus nego-
Gen. 19. tijs implicari. Recordare etiam vxoris Loth, quod vtique
Dominus ſpecie hactenus per Euangelium pœnitentibus
Luc. 9. fuiſſe noſcitur proteſtatus. Ergo in hac hiſtoria contine-
tur & magnus pœnitentiæ fructus, & impletum in cœlis
gaudium coram angelis ſanctis. Cum illa, quæ fuerat ante
C peccatrix, meruit ſuis lacrymis promereri ſpem ſalutis. O-
ro ergo, & per Dominum Ieſum Chriſtum te obteſtor, vt
non des amplius diabolo locum, ſed in ieiunijs, & obſe-
crationibus, & vigilijs te inſtanter impendas. & quantum
ſentis te hominum deſtitutum præſidio, tantum tibi diui-
num adeſſe flagites adiumentum. Iterum ac ſæpius mo-
neo, vt hæc à te hiſtoria frequentius relegatur. Et in tan-
tum prote inſta, vt etiam pro me apud Dominum te cre-
dam poſſe aliquid obtinere.

15. Item Epiſtola Domni Deſiderij ad Felicem Narbonæ vrbis Epiſcopum.

Domno ſemper ſuo Felici Præſuli Deſiderius peccator.

ANte dies aliquot quidam frater litteras veſtras no-
bis exhibuit, plenas doloris & mœſtitiæ. quarum
tetra ſuperficies nihil ſerenum, nihil iucundũ, vel ad cha-
ritatem pertinens innuebat; ſiquidem à ſummis ad ima vſ-
que moleſtiæ exitiales querimoniæ ibi inerant. Et forſitan
mea negligentia, non mea culpa ita confectæ. Non enim
reor me hactenus adeo fuiſſe veſtra offenſa pulſatum, vt
† m. f. repleretur. huiuſmodi iurgia pontificalia viſcera * repletent. Et licet
D veſtræ aures viperea infuſione ſuppletæ ſerpentis erumpe-
rent ſibilum, noſtra tamen præcordia præcepta Chriſti
meditabantur in arcanum. Et quamuis ſerpentina aſtutia
iurgiorum propinaret venena; ego tamen vt de veſtra eſ-
ſem caritate depulſus, magis mœrendo dolebam. Proin-
de precor propenſius, ſi in me remanſit actio culpæ, veſtra
pia almitas intercedat, vt ſententiæ aduerſæ prorſus ad-
uertat. Sin autem ſueta me ambiunt accuſatione vexare,
conticendum cenſeo, & à veſtra cenſura opto fore cauen-
dum; vt aures veſtras viperina venena, ac velut * Sirena-
† m. f. Serenarum. rum cantu letali ſibilus non infundat. Ego me veſtrũ, nõ
vt opinor, iniuſto iudicio ſubdo. vos propenſa ratione tra-
† fort. tenere. ctare, vt indemnem nequaquam damnare * dicere iubea-
tis: quapropter ſalute humillima precor, effuſa, vt quia
dudum me quamlibet minorem iudicio tamen pare me eſ-
ſe duxiſtis, non nos ſeparet viroſa & pertinax audacia ſua-
E dentium, quos pia hactenus & ſalutifera caritas nectere
iuſſit. Ego itaque ac ſi ſupra vires fari queat, iuſſioni non
obſiſto; dummodo à veſtræ dignationis gratia non auel-
lar. Quod minus vtilis ſtyli exarauit impreſſio, affatu lato-
ris præſentium eſt ore commiſſum. ipſum diligenter auſ-
cultate; & tunc verè cognoſcetis, quantum vobis hono-
ris reſeruet. Date igitur veniam, date gratiam, date piam
aſſatus copiam, vt qui pro Chriſti exemplum ante veſtra
veſtigia caput humile ſubdit, non conculcandum, ſed po-
tius eleuandum veſtra bona pietate ſe putet. Certè multo
melius eſt cum humilibus in conſpectu Dei exaltari, quam
cum ſuperbis humiliari.

16. *Dominis ſanctis, & cum ſumma veneratione memorandis dominis Epiſcopis & Abbatibus, nec non & ſublimibus atque Magnificis viris, Comitibus, Tribunis, Defenſoribus, Centenis, & hominibus*
F *Publica vel Eccleſiaſtica agentibus, Deſiderius ſeruus ſeruorum Dei vrbis Cadurcæ Epiſcopus.*

QVæſumus domni, vt pro nobis orare dignemini, &
harum portitorem Vniedium Presbyterum, vna cũ
puero itineris ſui comite, commendatum recipiatis. Quia
non, vt multi * girouagi, circumuentiones prætendit, ſed
† gyrouagi. pro rationabili peregrinatione Hiſpaniarum petit. Agite
itaque vt à nullo inquietetur, neque patiatur iniuriam.
Sed magis veſtro aditu in antea proficiſcatur ſecurus. Pro-
pitij receuſeatis domni ſemper nobis.

Finit dictio ſancti Deſiderij Epiſcopi.

AD

DESIDERIVM EPISCOPVM CADVRCENVM

G EPISTOLÆ.

Abbonis Epiſtola 13.	*Felicis Epiſtola* 21.
Auiulfi 3.	*Galli* 20.
Bertegyſeli 2.	*Palladij* 18.
Chamulfi 14.	*Pauli* 11. 12.
Conſtantij 4. 15.	*Rauracij* 7.
Dadonis 4.	*Sigeberti Regis* 9. 17.
Elegij 6.	*Sulpitij* 1. 10.
	Veri 16. 19.

Item

*Epiſtola Sulpitij ad Verum. † eſt quinta ordine.

Nunc primum ex membranis m. ſ. celeberrimi Monaſterij S. Galli edita.

INCIPIVNT EPISTOLÆ DIVERSORVM PONTIFICVM AD DOMNVM DESIDERIUM DATÆ.

Nunc

H Epiſtola Domini Sulpitij ad Domnum Deſiderium.

*Domno ſemper proprio, atque Apoſtolica ſede colendo, Domno Deſiderio Cadurcæ vrbis Pontifici Sulpitius * Bitoricæ vrbis Epiſcopus.* *f. Bituricæ.

EXCITAVIT animum paruitatis meæ exi-
mia dulcedo magnitudinis tuæ, vt Pontifi-
calem ſacerdotij veſtri laudem inſignem,
vel ex parte tenuem præſumam diſſerere ſer-
monem. Sed vnmerſa ſubito virtus defecit
in verbis, quem exſuperauit tantæ materia dictionis: vt

A rudimenta rantatum † anguſtiarum ſtudia animo libtantepenſatam, ipſius magnitudinis mole, victus ſuecubui. vnde meo ſaltem voto ſatisfeci, † etſi veſtro implere ſuffragio non valui. libens tamen qui aliud nihil dominationi veſtræ prodeſſe appateo. ſed vos ſemper pietate conſueta tanti habetis inquiſitionem nos velle frequentet viſitare. Vnde imprimis incolumitatem veſtram inquirentes, quod optamus potius tam † motu corporis quam linguæ mutuo ſermone complete, dum regionum longinquitas non diſcrepat aſpectum, niſi tantum modo ſi audat intetiectionis ſpatium, & ipſum tamen dilectio cernit intuitum eum figurat † animos recordatum. Ergo nihil perdet abſentiam, quod præſentaliter laborabit præſentiam. ſemper in dirigendis apicibus beatitudo veſtra ſolum officium, vt plus debeat reddendum agminis famulatum, quam meritis conſideret debitorem. B Auctotem cœli præſumimus poſtulare, vt veſtram iubeat prætendere vitam curſibus annorum longæuam dignetur tempore longo, cuius nunc locuples ſetuatur * nomine mundus. Et diu † firmantur nutantia culmina rerum, vel dilapſa magis ſolidata reſurgunt. Illud manu propria feci rà tuis temporibus. veſtræ gratiæ ſeruire meteat mihi peculiaris domine.

† m. ſ. ana gnuſticorum.
† m. ſ. ac ſi
* m. ſ. motum.
† ſ. animus.
† m. ſ. aa-mini.
* m. ſ. firmatus.

2\. Item Epiſtula Bertigisli Abbatis ad domnum Deſiderium, cum adhuc laicus in palatio degeret.

Domino Inlaſtri, & à nobis ſumma dilectione colendo, atque cum omni reuerentia nominando, domino Deſiderio Theſaurario Bertegyſelus Abbas.

LIcet libenter ac frequenter noſtros miſſos pro ſuſcitanda incolumitate glorioſi Domni Dacoberti Regis debeamus dirigere, his tamen diebus ſpecialiter direximus famulum veſtrum Dulcidium Diaconum ad veſtram ſolertiam, vt per veſtram inſtantiam, & de ſoſpitate domno debeat ſollicitare, & de veſtra nos incolumitate poſſit certificare. Sicque de ambas partes, vt cupimus, votiua nobis gaudia valeat denuntiare. C Et licet placitum enim Philippo Patritio illuc ante ipſo domno habemus, proeo, quod miniſteriales noſtros poſt ſe retinere videtur; vnde petimus, vt præſens frater † per veſtre conſilio, & efficaciſſimo adiutorio vos per omnia tuentes & inſinuantes, ipſa cauſa valeat effectum producere. De puetos etiam, quos ad opera dominica per veſtra ordinatione direximus, ſi aliquid faciunt, quod domno ſit placitum, veſtra inſinuatione diſcamus. Annis multis diuina potentia veſtram ad ornatum vel conſolationem multatum conſeruare dignetur, domine ſemper meus peculiaris pattone.

ſ. Dagoberti.
m ſ. per veſtra inſtantia.
ſ. per veſtra conſilia & efficaciſſima adiutoria nos.

3\. Epiſtula Autulfi Epiſcopi ad domnum Deſiderium.

Domno ſancto, & Apoſtolica ſede digniſſimo, domno & Patri Deſiderio Papa Antulfus peccator.

VNde nobis inſiſtis, & nos † ſanctitatis veſtræ innotuimus clericũ veſtrũ nomine Dructulfo per amicũ nos de Spania recepimus ipſum nunc † præſente miſſo vobis direximus. D culpas precamur, vt † excuſatæ ſint, & ipſe de cætero emendatus teſideat. Domni pietas ſi iſta nobis concedit, grandem nobis fiduciam de ſua gratia facit. De cætero quod præſens miſſus vobis ſuggetit pro conditiones noſtras domnus obtemperare dignetur, & ad effectum perducat, vt melius nobis delectet quouſque audiuimus veſtro ſemper ſeruitio inhærere. Salutare quidem non audeo, ſed deprecor ſanctitatem veſtram, vt pro me humillimum veſtrum in ſactis orationibus veſtris memores eſſe dignemini.

leg. ſanctitati.
m. ſ. per præſente miſo.
m. ſ. excuſata ſ. e t d. c. e. teſideat.

E

4\. Epiſtula Conſtantij & Dadonis Epiſcoporum ad Domnum Deſiderium.

Domno ſemper nobis proprio, & poſt Deum peculiari patrono Deſiderio Papæ Conſtantius & Dado Epiſcopi.

SEcundum quod per litteras veſtras inſinuaſtis, & iuxta quod filius veſter domnus Godenus mandaueras credimus, † quod heſterno ad illud monaſterium veniſſet. ſed dum † dabo odie apud Cariatone & Maurino † comitem videre minimè poſſumus. Flauianus autem denunciauit, vt quinta feria apud ipſum iungamur. Et quia læſionem nobis inferre cupit, Epiſtolam ſanctitatis veſtræ ad ipſum depoſcimus, vt dum noſtra fiducia tuiamur, veſtra autoritate in omni parte muniamur. F Prælata prius debita ſalutationia obſequia, rogamus impenſe vt pro noſtra paruitate exorare dignetis; noſque ſemper in ſinu gratiæ veſtræ conſouendos retineatis. Annis multis vobis ſeruire mereamur beatiſſime Papa.

m. ſ. quod eſterno ad illo monaſtetio.
† locus corruptus.
m. L. commucin.

5\. *Domino ſancto & Apoſtolica ſede colendo Fratri Vero Rutenæ vrbis Epiſcopo Sulpitius peccator.*

IN quantum vobis vir Apoſtolicus domnus Deſiderius Caducæ vrbis Epiſcopus per litteras ſuas innotuit, graui iniuria homines ſui à Perticio † Diacono veſtro in patrocinia ſua Atonnaeo pertulerunt. Et audiuimus, quod Aprilis * Kl. vobiſcum exinde placidum debeat habere. Propterea ſalutantes charitati veſtræ rogamus, vt taliter aduerſus domno Deſiderio ordinetis emendari, ſi cognoſcitis, quod ſuperius * ſcripſit Diaconus exinde negligens eſt, qualiter veſtra eſt prudentia, & ſi hoc fortaſſe ipſe dicat, obaudire diſtulerit, & taliter ſi non emendatur, qualiter domno Deſiderio voluntas eſt, non aliter fiat, niſi in placito, quod vobis ſupraſcriptus Pontifex denuntiauerit * memora .... diaconus veſtro per fideiuſſores vna cum indiculo veſtro ante paruitatem noſtram faciatis dirigere. Interim nos exemplar epiſtulæ apud nos retenemus. Petimus veſtræ dulciſſimæ ſanctitati, vt in ſanctis orationibus veſtris nos memores eſſe dignetis.

mſſ. Diaconus.
ſ. Kal. April.
hic locus omnino corruptus eſt, fo. ſi cognoſcatis, quod ſuperius ſcripſi. Diaconus exinde negligens eſt qualiter veſtra prudentia' etſi hoc fortaſſe (ut ipſe dicat) obaudire diſtulerit.

6\. *Domno ſemper ſuo atque Apoſtolico Patri Deſiderio Papæ Elegius ſeruus ſeruorum Dei.*

G QVotiens aditum ſcribendi gratiæ veſtræ reperimus, totiens nobis * cumulus gaudij videtur adcreſcere. Quapropter cum ſalutationis officio illud propẽſius præ cunctis conditionibus depoſco, vt quotienſcunque inter mundanas ſollicitudines mens ad ſtatum quietis præualet attingere, memoriam paruitatis noſtræ ſactis precibus veſtris ſubiungere non omittatis. Quod nequaquam credo, vt noſtri obliuio vllatenus apud vos cadat; vt nec veſtra apud nos vnquam ſeneſcere nouit. Sed non incongruè arbitrati rediuiua commonitione eadem ingerere. cum nimirum conſtet, quod nulla in præſenti ſæculo cauſa ita mentem ſtimulet, quemadmodum vitæ perpetuæ, H & beata iuſtorum patria deſiderij immenſitate viſcera, mentemque ſollicitet. Quamobrem vt vndequiſq; attentius cogitat, inde frequentius & loqui ſtudeat. Proinde mi vnanimes pia viſcera Deſiderij, memento ſemper Elegij tui, cum preces Domino fundes. Et quamuis nos terrarum interpoſitio longe ab alterutrum ſeparet, nec queat nos ſubinde corporalis coniunctio ſociare; in Chriſto ſemper ſimul verſemur. Et ita viuere elaboremus, vt non poſt longum ſpatium anima ſimul & corpore ſociemur, ſociatique in æternum viuamus. Quod exoratus fideliter ac frequenter præſtabit, credo, nobis clementiſſimus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui gloria in æterna ſæcula, Amen. Saluto te ſupra modum ſinceriſſimo affectu, ſalutat & Dado fidelis vtrorumque ſodalis.

m. ſ. memorauere. *ſed hæc vox vaſe fuit & correcta, ita vt neſciam, an legenda ſit memorato, an memoratus, ſor. leg.* memoratum Diaconum veſtrum.
mſſ. comolum.

Domno

7. † an hic Ruſticus?

Domno ſemper ſuo atque Apoſtolico Præſuli Deſiderio Epiſcopo † Rauracius peccator.

† m. f. cū humillima ſalutationis officia. c. A. v. ſeruellos v. Nummolo Presbytero & Gaidimūdo m. f. inquirenda.

CVm † humillimo ſalutationis officio commendo Apoſtolatui veſtro ſeruulos veſtros Nummolum Presbyterum, & Gaedimundum, quos ad vrbem veſtram, & ad hoſpitiolum veſtrum Gregionaco, ſiue Abbates deſcriptionem mancipiorum † inquirendo direximus, ſupplicamus, vt commendatos ipſos recipere dignetis. Et vbi ipſis neceſſitas extiterit, veſtro auxilio in omnibus merea tur habere, vt quod Eccleſiæ veſtræ Neruernenſi ex ipſo agro iuſtiſſimè redebetis, per eorum inquiſitionem, vel veſtro ſolatio perdere non debeamus. Simulque ſuggerimus, vt de ipſa Cuttecella, vel hominibus inibi conſiſtentibus ſub veſtra defenſione tanquam propria familia dignetis habere receptos & commendatos; vt de iudicum infeſtatione, ſicut & immunitas noſtra ex hoc continet, liceat eis viuere cum quiete. His obtentis precamur, vt redeuntibus famulis de veſtræ felicitatis B gaudio litteris nos iubeatis lætificari. Orate pro nobis domine ſemper peculiaris atque Apoſtolice Papa.

m. f. gaudia.

NB.

8. *Hic in m. ſ. ſequebatur epiſtola Deſiderij, qua Vntedium in Hiſpanias euntem commendat Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Tribunis, &c. Quā epiſtolam ſupra cum epiſtolis Deſiderij coniunximus, ordine decimam ſextam & vltimam.*

9. *Sancto atque Apoſtolica ſede digniſſimo honorum titulis præferendo domno, & in Chriſto Patri Deſiderio Papa Sigebertus Rex.*

CVlminis veſtri paginam deferente venerabili viro Bettore Abbate vna cum ſanctis Eulogijs veſtris me cum ſummo gaudio conperite ſuſcepiſſe. De id vero ſcripſiſtis, vt qualiter proſpere nos diuina pietas degere permit-C tebat, vobis inſinuare deberemus. Cognoſcite, veſtra intercedente oratione, proſperè hactenus Chriſto præſule conſiſtimus. Et gentes patriæ, nobis à Deo conceſſæ, pacifico ordine nobis obediunt. gentes etiam barbaræ pagaiſſimæ nobis cohabitant. De conditiones vero veſtras, vnde inſinuaſtis, taliter Chriſto adiuuante ad effectum produximus, veſtra fuit iniunctio. Proinde cum ſalutatione deuotiſſima petimus, vt per nos Domini noſtri Ieſu Chriſti miſericordiam vbi iugiter ſedulas funditis preces, exorare dignetis, vt ſua largiente clementia, & hic pacificè viuere, & ad æternam vitam nos iubeat peruenire.

legō: vt veſtra.

10. *Domno ſemper ſuſpiciendo, & cum omni honore venerabiliter nominando domno Deſiderio Papa Sulpitius peccator.*

D SIngularibus myſterijs paſtorale competenter impleſtis officium, eo quod ad noſtram paruitatem ſollicitudinis deſtinantes affectu, dum gaudium, quod nobis ipſius Reſurrectionis Dominicæ ſolennitatis principale contulit, paſtoralis viſitatio geminauit. in qua † vtrinque partium & benedictionu oblationes, & affectio præſulſit in apices. Reddentes ergo omnia ſoſpitaris, optamus, vt multiplicatis annorum curriculis, veſtris mereamur & Eulogijs recipi, & affatibus benedici. annis innumeris vobis ſeruiam, & proſperis perſeuerantibus poſſe beatiſſime Papa.

for. vtraque parte. Nam m. ſ. legit: vterque partes.

Domino Reuerentiſſimo palma triumphali decorato, ac Pontificali nomine adornato præcellentiſſimo Eccleſiæ ſpeculatori Deſiderio Papa Paulus peccator. 11.

MVlta ſum alacritate repletus, quia adoptatum, deſiderabilemque diem à diuina miſeratione promerui, mellifluis reciprocis veſtris reperire. Quas recenſitas immenſas creatori noſtro egi prærogatiuas, quod incolumem vos eſſe cognoui. De id vero quod ibi intimaſti, vt de cauſſa Iluſtris matrisfamiliæ Bobilanæ aliquid agere deberemus, qualiter exinde fecimus, præſentis latores officij vobis ore proprio edicere poſſunt. Prætetea multiplices dominationi veſtræ agimus gratias de eulogijs ſanctis, de Falerno nobili, vel vaſculis decem, quæ nobis tanti habuiſtis dirigere. Superexcreuit quidem, & ſuperabundauit benedictio largitatis veſtræ, adeo, vt dum nos vnam falerni amphoram depoſcimus, vos eminentia vaſa, & vt vſitatius dicam, tunnas decem elegantiſſimi Falerni tanti habuiſtis dirigere. Nec ſolum ſic inopiæ noſtræ credidiſtis ſufficere, ſed etiam in multis adhuc excellentioribus donarijs magnificentiam erga nos veſtrā ſtuduiſtis augmentare, dilatare, ſupplere, ac ſuperexcedere. Vnde pius Dominus vobis renibutor & hic & in æternum exiſtat. Nos enim non ſufficimus tantas Almitati veſtræ referre nec pecunias, nec gratias. Proinde in illum, qui ſufficiens eſt, ſupra quam petimus, aut intelligimus, largiri, in ipſum cauſſam remunerationis veſtræ committimus. Nos quoque in ſanctis, ac Deo placitis orationibus veſtris commendamus, noſtrā animam in ſuffragio veſtrarum precum committimus. Nos ſane, vt valemus, indeſinenter pro † vos orationi inſiſtimus, vt vos vndique gratiarum muneribus circumſeptum, ad coronā gloriæ iubeat perducere, & nos per veſtram interceſſionem ad ſpem ſalutis, & portum quietis dignetur admittere, veſtrique ſequipedam permittat exſiſtere. Annis multis vobis, peculiaris domine, mereamur ſeruire.

m f de eulogias ſanctas, de Falerno nobile, vel vaſcula decem. F

† vobis.

Domno ſemper ſuo Deſiderio Papa Paulus peccator. 12.

APices ſanctæ dominationis veſtræ redeuntibus fratribus Frodoleno & Ruccone de Mettis accepimus. vbi nobis per ſingula pietas conſueta inſtruere dignauit. vnde omnipotenti Domino gratias agimus, quod vos iuxta noſtrum deſiderium incolumem cognouimus. De G Regis conditione innoteſcimus, nuper per Viredunum † Remos pergit, ibique natiuitatem Domini expectat. † Bide autem Leuduno accedit, & inde in Maſao, ac poſt ripa Reno pergit. cognoſcatis Chainoaldū Epiſcopum ſtatutum etiam fati munus impleſſe. Ceterum vt ad veſtra beneficia mentis oculos reflectam, nec ſi lingua clamet ferrea, vt quidam Poeta ait, aut centena ſonent ſpiramina, nullatenus poteſt quis tanta narrare Dei magnalia, quantum eius in viſcera veſtra diffunditur gratia. Nos præcipuè nec factis poſſumus repenſare, nec verbo explicare, quanta erga me dignatis impendere. Dominum tamen indeſinenter oramus; ipſe vobis pro noſtra paruitate æternus retributor exiſtat, & cœleſtia bona in perpetua beatitudine concedat. Oratio me veſtra ſubleuet beate & venerabilis Papa.

m. ſ. femus.

Domno ſemper proprio Deſiderio Apoſtolico Papa Abbo peccator. 13. H

LItteras gratiæ veſtræ tam per anteriores miſſos, qui cum filio veſtro Chedeno venerunt, quam & qui, poſtea cum Babone accepi, per quas præcepiſti, vt de veſtris conditionibus, iuxta quod Deus poſſe dabat, ſollicitudinem gererem, Deo ſoli ſufficit non latere. Quia cum integra fide & promtiſſima voluntate id adſecutus ſum, & ordinationes † dominicas infirmatas ſunt, vt de res illas, quas leua tenebat præſentaliter Bobila reueſtita eſſe debeat. Nam per veſtra gratia non nobis ſine labore conſtauit, tamen dum ſcimus, quod iuſtitia eſt, credimus de Dei pietate, quod ſic pro veſtro prudentiſſimo conſilio cauſa gubernetur, vt ad bonum perfectum perueniat. De villa autem ROTOVOLLO, ſicut ſcriſſ, dominus DAGOBERTVS Rex ipſam pro amplius, quam quingētos ſolidos in luminaria ad baſilicas METENSAS delegauit.

Quia

A ralem ſollicitudinem atque inſtantiam adponatis; vnde ſicut nos vobis ſumus, ita ipſos quoque adquiratis per omnia debitores. Reduce etiam antefato de veſtræ felicitatis eminentia reſcripto reddito noſtram ſollicitudinem dignamini releuare. Dominus noſter Ieſus Chriſtus cuſtodiat corpus & animam veſtram in die examinis ſui, Amen.

20. *Domno ſemper ſuo, & Apoſtolico Patri Deſiderio Papæ Gallus peccator.*

DVm talis nuntius de clade à Maſſilia venit, quod omnem pæne prouinciam depopulans vaſtet, domnus ordinet cuſtodias mittere, & nullus de Caduréino ad iſtas ferias in Rutenico, vel vicinas vrbes non præſumat exire.ne, quod abſit, per quamlibet occaſionem tantum

B malum in vrbem veſtram videatur inferre. nam per iſta contigua illis partibus loca † cuſtodiæ poſitæ ſunt, vt nullus emendi aut vendendi aditum penitus habeat, ſi non ſollicitè † cogitabitis præuidere, periculum mortis inſtat. Præterea debita veneratione ſalutem mittens, quæſo, vt in ſanctis precibus veſtris paruitatem noſtram memorare dignemini, domine; † verius, pater.

m. ſ. cuſtodias poſita
**rogabitis*
m. ſ. venius

21. *Domno ſemper preferendo, & cum omni veneratione nominando beatiſſimo Patri Deſiderio Papa Felix Peccator.*

PRauorum adulantium concione percepta, ante hoc ferme biennium, reor miſiſſe *epiſtolam, quæ ſereniſſimam mentem veſtram ac ſiquidem turbo pertranſiens, nube obtexit, & licet non eo ſenſu fuerit edita, quo domnus cenſuit interpretandum, me tamen pœnitet incautè, & minus inculto ſenſu vel impolito ſermone ſtylum exaraſſe, vnde † offenſam ſanctæ animæ veſtræ poteram incurrere; niſi veſtra bonitas cauſam admodiaſſet.

C pœnitet, inquam, me, & ter quaterque pœnitens, his exceſſibus veniam poſco. Poſtulo autem indulgentiam, quam tuis beneficijs, non meis meritis adipiſci confido. Quam mihi gratiam ita nunc præſtare dignabitis, vt nunquam me deinceps à ſinu gratiæ veſtræ, vel à cleméntiſſimo pietatis amplexu excludere, vel reijcere digneris. Inter hæc debita ſalutationis obſequia perſoluens, illud peculiarius à ſanctitate veſtra peroro, vt omnibus maculis explosis in ſacroſanctis precibus veſtris noſtri memoriam admiſcere dignemini, domne, † verius & ſemper ſuſcipiende Papa. Explicimt.

† m. ſ. offenſa.
† m. ſ. venius ſ. venuſte.

Item alia manu Fauſtus exempl. epiſtolæ meæ relegi & ſubſcripſi. *Hæc ſubſcriptio vna cum aliorum Epiſcoporum ſubſcriptionib. ad Epiſtolam Fauſti, extant tom. 4. biblioth. PP fol. 878 Margar. de la Bigne. edit. 2.*

NB.

Sequitur in m. ſ. Epiſtola Lucidi Presbyteri, errores Fauſti, quibus temere ſubſcripſerat, deteſtantis; quæ extat ſupra inter Epiſtolas Fauſti &c. Epiſt. 4.

Ad Lectorem.

D *IN præcedentibus plerisq. Epiſtolis, maximè poſterioribus, eſt incondita dictio, & errores nimis manifeſti. quod maximè mirari quis poſſet, etiam in eorum Epiſtolis id hic euenire, qui alias ſat elegante & latino (vt illa tempora ferebant) ſermone Epiſtolas dederunt. Vt proinde ſuſpicio ſit, vitia non tam auctorum eſſe quam exſcriptorum. Hoc licet in aliquibus ſuſpicari, non tamen in omnibus. Quare ſummæ fide codicem m. ſ. expreſſi. errores manifeſtos etiam dedi. In dubiis & corruptis locis vel non diuinaui, vel id moneo. Neque enim dubito fore, vt docti hac editione excitentur ad inquirendos m. ſ. codices, ex quibus omnia reſtitui & perſanari poſſint. Equidem Fauſtus, Ruricius, Deſiderius, aliique hic editi digni ſunt, in quibus ornandis & reſtituendis docti laborent, quantum in Epiſtolis Symmachi, Sidonij, aliorumq. à pluribus certatim videmus fieri. Tu beneuole lector hanc noſtram primam editionem boni conſule, & fruere.*

E

THEODVLI, COELESYRIÆ PRESBYTERI THEOLOGI, IN PAVLI EPISTOLAM AD ROMANOS Commentarius.

Falſò videtur adſcriptus hic commentarius Theodulo Cœleſyriæ presbytero, nam Theodulus obijt ſub Zenone Imperatore, anno Domini 490. vt Gennadius eſt auctor lib. de Eccleſiaſticis ſcriptoribus cap. 91. & Marcellinus Comes in Chronico, in diſtinct. 15. ſine Coſſ. at in hoc opere citantur Oecumenius, quem aiunt claruiſſe anno Chriſti 800. & Photius, qui electus eſt in Epiſcopum Conſtantinopolitanum circa annum Chriſti 858. vt ex Curopalat, Cedreno, Zonara & alijs conſtat. Ad hoc, Gennadius recenſens Theoduli ſcriptorum monumenta, huius in Epiſtolam ad Romanos commentarij nequaquam meminit.

F

AVTHORES EX QVIBVS THEODVLVS COELESTRIENSIS TEXVIT COMmentarium ſuum in Epiſt. B. Pauli, ad Romanos.

Dionyſius Alexandrinus
Ioannes Chryſoſtomus
Cyrillus
Gennadius
Methodius
Baſilius Magnus
Seuerianus
Iſidorus
Photius
Gregorius Nazianzenus
Theodoritus
Oecumenius.

Videtur autem hoc opus ex Oecumenij cathena ad verbum decurtatum.

EPISTOLÆ, B. PAVLI AD ROMANOS, ARGVMENTVM.

G

Euangelicam hæc Epiſtola inſtitutionem continet, de ijs qui ſunt extra Chriſti gratiam, tum de ijs qui ſunt in gratia, tum de ſpe atq. rebus ſpiritualibus,

PAVLVS. Quia abſentibus ſcribit, ideo nomen eius appoſitum eſt: à Saulo autem propterea in Paulum ſane permutatum eſt, vt ne inferior eſſet Apoſtolorum coryphæo Petro. *Seruus:* Multæ ſeruitutis ſunt formolæ, quę omnes in Paulo cóparuerunt: alia namque creationis, alia Fidei, alia Apoſtolatus, alia ad Rempublicam attinéns. *Seruus:* Ipſi namque totus ſum venditus, liberatus ab Lege & peccato. *Ieſu Chriſti.* Ieſus, humanam naturam ſignificat; Spiritus vero vnctionem, Chriſtus. *Vocatus Apoſtolus.* Moderatè cófitetur quod non per ſeſe acceſſerit ad Apoſtolatus officium; verum vocatus: vocatus autem non ad fidem tantummodo, ſed ad muneris Apoſtolici functionem. *Segregatus in Euangelium:* Alius ſane ad alia ſelectus eſt, ego vero ad Euangelium ſegregatus ſum. *Dei:* Deum enim exiſtentem, Chriſtum annunciabat nam Patrem ex veteri Teſtamento norant iam antea. Nihil autem triſte, Prophetarum inſtar, prædicamus; è contrario Deum incarnatum annunciamus. *Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos:* Nemo, inquit, me noua tradere arbitretur, Iam olim enim promiſſum fuit hoc Euangelium. Quod adijcit: *In Scripturis*; indicat, quod non modo id dixerint, verum etiam ſcripſerint Prophetæ. *De filio ſuo qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem:* Secundum ſpiritum enim Ieſus, Deus erat. *Definito filio Dei.* Hoc eſt, demonſtrato, declarato, cum per Prophetas, tum per myſtica dei

S. Petrus Apoſtolorum Coryphæus.
Seruitutis plures cauſæ.

H

ſigna,

A ſigna, per quę reſurrectionem. *In virtute*: Id eſt, non gratia, qua cæteri filij pollent; ſed virtute, propriaque potentia quam operabatur & exhibebat diuinis ſignis. *Secundum ſpiritum Sanctificationis.* Et ex Spiritu, inquit, ſancto, quem præſtabat Ieſus in ſeſe credentibus. *Ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti Domini noſtri, per quem accepimus*: Et ex reſurrectione, inquit, mortiſque diſſolutione; reſurrectione autem, qua ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus reſurrexit. *Gratiam*: Non ex proprijs virtutibus rebuſque per nos ſtrenuè geſtis, accepimus Apoſtolatum; ſed quicquid id eſt, gratia & donum eſt. *Et Apoſtolatum, ad obedientiam*: Atqui Spiritus ſancti, Apoſtolatus eius, munus eſt, vt in actis memoratur; Omnia tamen, quæ ad ſanctam Trinitatem pertinent, communia nouit. *Fidei*: Etenim non oportet varijs occupari rebus eum qui Filii Dei generationem & eſſentiam nouiſſe velit, ſed ſolummodo verbo obedire. *In omnibus gentibus pro nomine eius*; Et ſi enim ipſe non omnes circumcidit gentes, omnes tamen, per

B Apoſtolos Euangelium acceperunt. *Inter quas eſtis & vos vocati Ieſu Chriſti.* Non, inquit, vt circa eſſentiam Dei curioſi ſitis, verùm vt nomini eius credant. In quibus gentibus; hoc eſt, cum quibus; & vos vocati eſtis: non enim à vobis ipſi veniſtis. Deprimit autem ſimul illorum faſtũ, perinde ac ſi dicat, Ne exiſtimetis Vrbem imperatoriam veſtram primas in orbe hodie tenentem, cæteris præſtantiorem Euangelij nomine eſſe; ſiquidem cum cæteris, pereque gentibus vocati eſtis. *Omnibus qui ſunt Romæ.* Non enim apud ipſum eſt diſcrimen inter diuitem & pauperem. *Dilectis Dei*: Primum, *dilectis Dei*, poſuit; deinde, *vocatis ſanctis*; innuens, ex dilectione Dei eſſe ſanctificationem. *Vocatis ſanctis.* Vndique vocatis dicens, beneficia Dei nobis exhibita reuocat nobis ad memoriam. *Gratia vobis.* Nemo enim, inquit, ex operibus ſeruari poteſt. *& pax*: Nam à Deo, gratia & pax ſtabilis eſt. *A Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto, primum quidem.* Porro per dictionem Patris; filiorum adoptionem: quæ nobis obtigit, commonſtrat. *Gratias ago*: Conueniebat enim à gratiarum actione præfari. *Deo meo*: Gratias autem agere decebat, hæc dum pro proximorum pariter officijs; hæc enim charitatis eſt indicium; Deum enim omnibus communem, ſibi tantum vendicat. *Per Ieſum Chriſtum, pro omnibus vobis quoniam*: Ipſe namque nobis autor eſt gratiarũ actionis quam

C Patri exhibemus: quippe qui natura noſtra aſſumpta, proprio ſanguine Deo Patri nos reconciliauit. *Fides veſtra annunciatur in toto Mundo.* Siquidem Romanorum fidè apud omnes paſſim diuulgari, non erat indecorum. *Teſtis enim mihi eſt Deus*: Merito Deum teſtem adducit; hominibus enim incognitis perſuadere, animus eſt. *Cui ſeruio.* THEODOR. Species ſeruitij Dei ſeu diuini cultus, multæ ſunt. Etenim qui adorat Deum, illi inſeruit, eumque colit; tum qui inedia corpus ſuum extenuat, quin etiam qui ſacris literis adhibet mentem, ac qui peregrinorum curam gerit. Sanctus vero Apoſtolus ſeruire ſe Deo dixit, gentibus afferens Euangelium de Filio Dei: ac ſeruire Deo in ſpiritu; hoc eſt, in tradito ſibi dono. *In ſpiritu meo*: Vel hoc dixit, Non quoniam meo conatu contigit mihi ſeruire Deo, ſed Spiritus Paracleti gratia: vel, quia non carnalis eſt mea ſeruitus, ſed ſpiritualis. *In Euangelio.* Multi quidem ſeruitutis modi ſunt, ego vero per Euangelij prædicationem inſeruio: Hinc ſimul commonſtrans, quod neceſſario pro ipſis ſollicitus ſit qui Verbum Dei ſuſcepęrunt, ſuſceptumque dum ſint. *Filij ipſius.* Viden' quod ſupra dicens, *in Euangelium Dei*, Chriſtum dixerit? *quod inceſſanter*

D *memoriam veſtri faciam ſemper in orationibus meis.* Sinceręcharitatis eſt, meminiſſe, & citra intermiſſionem iſtuc facere, maxime vero in precibus ad Deum. *Precans, ſiquomodo iam tandem.* Proficiſci Romam vrgebatur, ſed enim citra Dei voluntatem iſthuc tranſire nolebat. Quod addit, *iam tandem olim*, ἤδη ποτέ, admodum vrgentis profectionem argumentum eſt. *Proſperum iter inſtituam in voluntate Dei, veniendi ad vos*: Vt facilitatem habeam (inquit) & vt profectio mea ad vos ſit bona, ſit honeſta, & fœlix. *Deſidero enim videre vos.* Non ſimpliciter, inquit, nec citra fructum videre vos laboro, ſed vt donum vobis communicem: dicit autem, doctrinam & inſtitutionem, hoc enim eſt fulciri.

E Eſt autem hinc colligere, ipſos vehementer fuiſſe commotos. *Vt aliquid*: quod ait, *Vt aliquid*: moderantis eſt: quaſi dicere velit, parum quippiam. Quum ſubjicit, *impertiam*, indicat, quod nihil mei vel ex me dabo, verum illud duntaxat quod à Deo ego accepi, *Spirituale gratiæ vobis impertiam*: Haud enim exigua gratia vel exile donum eſt, fide non concuti. *Vt fulciamini vos, hoc autem eſt, vt ſimul conſolationem accipiam in vobis per mutuam fidem, veſtram & meam*: Poſtquam fulciri vel conſtabilitionis meminiſſet, vt ne contriſtaret eos planè quod in fide concuterentur nutarentve, ſtatim conſolationem mutuam ſubdit: Hoc eſt, vt ego vos, & vos ipſi me conſolemini. Mutua enim inter nos conſolatione (inquit) indigemus, ob eam quæ in nobis eſt, fidem. Valde autem moderatè agit. Poteſt etiam iſta paracleſis ſic intelligi: Vt vos quidem à me ad fidem adducemini, ego autem ad lætitiam vertar, quando quidem vos Chriſto credentes cernam. *Nolo autem vobis clam eſſe fratres, quod ſæpe propoſui venire ad vos.* Multorum namque Fidelium conuentus, maximam conſolationem parit. *&*

F *prohibitus ſum huc vſque*: Si igitur venire optas atque vtilitatis cauſa iter inſtitutis, cur non aduenis? *Prohibitus ſum*, inquit. Non autem iam ſciſcitatur cauſam curioſe vetationis iſtius: non enim noſtrum eſt, poſcere à Deo cauſas eorum quæ mandat, ſed noſtra intereſt, obedire tantummodo. *Vt fructum quempiam & in vobis habeam, quemadmodum &.* Omnino dixerit hic aliquis, quod eam ob rem vetitus ſit; quia non ſecundum Dei voluntatem proficiſci voluerit. Haud quaquam, ad hoc reſpondet, fructum enim & in vobis habere volui. Fructum autem appellat, quod eos ad fidem perducat. *In reliquis gentibus*: Dum cæteris eos gentibus copulat, faſtum illorum retundit. *Græcis & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum: ſic quantum in me eſt, promptus ſum, & vobis qui Romæ eſtis, Euangelium prædicare*, perinde ac Græcis & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum. Sic quantum in meo eſt ſtudio ac promptitudine, vobis etiam prædicare Chriſtum repeto, *debitor ſum. Non enim pudet me Euangelij Chriſti.* Quia infidelibus, pleraque in celebria Euangelio ineſſe videtur, quod genus ſunt, Crux, mors, Iudæorum dementia: docet iam eos, nihil in ipſo inglorium in celebreve reputandum propter quod pudefieri quiſquam debeat. Deinde ad reliqua pergens, extollit Euangelium. Alia etiam ratione iſthuc

G intelligi poteſt. Quoniam Romani ob non parum multa quibus abundabant, inſignia & præclara, veluti diuitijs, potentia, ſapientia, turgebant. Vos quidem, inquit, illorum cauſa ſuperbitis, ego autem Deum prædicaturus venio in medio veſtrum, & non erubeſco. Quam ob cauſam? Potentia enim Dei ad ſalutem ſuſcipientium illud, vt ſequitur. *Potentia enim Dei eſt ad ſalutem omni credenti*: Pulchre dicit, *Ad ſalutem*, eſt enim & ad pœnam potentia Dei: ad ſalutem autem non cuiuis cedit, ſed credenti: Inobedientibus enim & incredulis, pœnam interminatur Euangelium *Iudæo primum & Græco*: Verbi tantum honor eſt, *primum*: non gratiæ exuberantia. *Iuſtitia enim Dei in ipſo reuelatur*: Vt ne ſalutem & iuſtitiam audiens, eam ſolummodo ſignificare ipſum cenſeas quæ eſt in hoc ſeculo, ſubdit, eam reuelari: quod, & futuram ſalutem & iuſtitiam innuit, perinde quaſi nondum tota manifeſtata ſit. *In ipſo*, Euangelio ſcilicet. Aliter. Oportet enim fidem adhibere Prophetis, per quę illos ad Euangelij fidem perduci. Vel aliter: Domino enim Chriſto credens, Baptiſmatis gratia accepta, transfertur per eam illo vt futuris bonis credat;

H nimirum reſurrectioni à mortuis, & æternę vitę regnoque cœlorum. *Ex fide in fidem*: A fide incipit, & in credentiam deſinit, vel, à fide orditur, & in fidem deſinere debet, tanquam non debeamus nos cuncta quæ in ipſo ſunt, curioſe rimari, *Iuſtitia enim Dei in ipſo reuelatur ex fide in fidem*: Iudæo quidem reuelatur ex fide Legiſlatoris, quæ ſunt in Ieſum Chriſtum, Græco autem ex fide naturæ, in ipſam Ieſu Chriſti fidem. *Quemadmodum ſcriptum eſt, iuſtus autem ex fide.* Vt non videatur imperſuaſibile verbum, quod fides ſalutem donet & iuſtitiam; Abacuc vatem, teſtis vice producit, Abac. 2. Viuet; In die iudicij. *Reuelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem.* Primum quidem poſt præfationem de iudicio, quod eſt contra Gentes, quę naturæ Legem non cuſtodie-

ſtodie-

A ſtudierunt. *Impietatē & iniuſtitiam hominum: veritatē:* Iuſtitia namque vniformis, varia vero circa dogmata eſt impietas. Hanc ad rationem varia eſt circa vitam, adeoque mores, malitia & prauitas. *In iniuſtitia detinentium:* Veritas quidem eſt Dei cognitio, iniuſtitia vero, idolorum impoſtura. Illi igitur veritatem Dei in iniuſtitia detinent, quotquot cultum Dei, Idolis tribuūt. *Detinentium* porro; idem eſt, ac *Obſeruantium. Eo quod, id quod de Deo cognoſci poteſt.* Cognitio enim Dei manifeſta eſt inquit, per viſibilem enim creaturam, inuiſibilis Deus cognoſcitur. Proinde huiuſmodi, ſuaptè ſponte in errorem abducuntur. *Manifeſtum eſt in ipſis*; Per pulchritudinem & magnitudinem huius creaturæ. *Deus enim ipſis manifeſtauit*; dum apponit omnibus creaturam doctricem ſuæ maieſtatis: *Cœli* enim, vt Dauid inquit, *enarrant gloriam Dei. Inuiſibilia enim ipſius.* Vbi dixiſſet Apoſtolus, quod ſuam illis Deus notitiam manifeſtaſſet, ipſique ſuapte ſponte eum neglexiſſent; iam hoc demonſtrat, inquiens, quoniam per ea quæ cōdidit Deus,

Pſalm. 18.

B veluti per inuiſibilia & viſibilia, monſtrauit ſuam ipſius maieſtatem: nam Creatura vocem edens, per viſum, Autorem ſuum deprædicat. *Inuiſibilia* vero, intelligit Angelos, adeoq; vniuerſam cœleſtem potentiam ac virtutem: Per opera autem; quæ cernuntur, accipit, vt cœlum, terram, mare. Intuere ergo in ea quæ dicit; *Inuiſibilia* (inquit) *ipſius, per viſibilia, perſpicua redduntur.* Quanam ratione iſtuc? Qui enim cœlum intuetur, cogitabit omnino, quod intra ipſum ſint Spiritus nonnulli adminiſtratorij: Itaq; quod non apparet, ex eo quod conſpicitur, declaratur. *A creatura mundi, ex operibus, intellecta conſpiciuntur:* Vt ne coæternos Deo Angelos arbitreris, creationi eos ſubijcit. *Inuiſibilia enim*, inquit: qualia nam hæc? Quæ à condito mundo ad generationem rerum peracta ſunt. Pulchrè autem ait; *Conſpiciuntur*, ex viſibilibus enim, intelligibilia cognoſcūtur. *Ipſa nimirum ſempiterna eius virtus ac diuinitas*: Repete, *Intellecta conſpiciuntur.* At quomodo per creationem, æterni Creatoris agnoſcitur virtus & potentia? Quia, quum, quæ generationis via producta ſunt, corruptibilis ſint naturæ, ſuoque tempore ad ſubſtantiam ſint traducta; horū auctorem, incorruptibilem & ſempiternum eſſe, omnino neceſſarium fuerit. *Vt ſint ipſi inexcuſabiles quod eum Deum cognouiſſent*:

Angeli quando creati.

C Quum enim tot tantaque ſint quæ Dei maieſtatem indicant; quomodo ſe purgabunt qui (voluntariè excæcati) non incubuerunt ſtudijs ſuis, vt Deū agnoſcerent? Quinimo etiam ſi hoc accidit & cognouerunt quidem Deum per creationem, ſed ſuapte ſponte neglexerunt, & tamen, *non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Pro quibus enim oportebat glorificare Deum, illique gratias agere, quod mundum quem cōſpicimus (nobiliſſimum opus) condiderit, è contrario tantum abeſt vt glorificauerint, vt ignominia etiam adfecerint. *Sed vani facti ſunt in diſceptationibus ſuis*: Errauerunt (inquit) & à Deo prorſus exciderunt. Porro quum dixiſſet quod voluntarie excæcati eſſent, adijcit cauſam, quæ eſt, quod omnia ſuis rationibus commiſerint, & non fidei. Volentes enim per formam & figuram formæ omnis expertem, perque imagines corporeas, incorporeum deprehendere, in errorem delapſi ſunt, quum non poſſent cogitationibus ſuis ad finem duci. Verbi gratia: Vndenam pateat, quod cœlum aut terram Deus condiderit? Quis nam Pater Dei, quæve cauſa ſubſiſtentiæ vel Perſonæ eius, aut quæ ipſa ſit Hypoſtaſis? *obtenebratumque eſt cor eorum non intelligens.* Nubibus enim adæquatæ cogitationes eorum, obfuſcarunt

Qua ex cauſa cōtigerit Philoſophis errare in Dei cognitione.

D ipſorum cor inſipiēs. Inſipiens autem ideo appellat, quod noluerint fide Vniuerſum ipſum comprehendere. *Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*: Cauſam reddit cur omnia cogitationibus ſuis permiſerint: Putarunt, inquit, ſe eſſe ſapientes, ſeque ſufficere ſibi ad cuiuslibet rei comprehēſionem, idcirco ſtulti facti ſunt, quid enim dementius, lapidum & lignorum adoratore? *Permutaueruntque gloriam incorruptibilis Dei.* Habebant ſanè ſcientiam Dei, ſed hanc tranſtulerunt in gloriam & cultum Idolorum, quibus & creationem rerum adeoquè præſcientiam diuinam tribuerunt. Hæc itaque Idolis adiudicarunt, quæ conficta fuerunt ad ſimilitudinem hominum, alitum, & cæterorum, nec interea loci pudeſiunt, quæ ſolius Dei ſunt propria,

E ſerpentibus & reptilibus accenſere. *In ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.* Quod Deum corruptibilem eſſentiam putabant, ſatis erat ad redarguendam illorum amentiam: at vero quod corruptibilis imaginis ſimilitudinibus, Dei gloriam adiudicarunt, iſthuc vero, cū attonitæ, tum ſtupidæ prorſum mentis eſt. *Propterea tradidit eos Deus in deſideria cordium ſuorum, ad immunditiam, vt ignominia afficerent corpora ſua in ſemetipſis.* Non ipſe ſane tradidit, abſit: verùm ijs quidem iſtos neglexit, à cura ſua illos excidere ſinens, quod quum contingit, cōſequitur eos ab Sathana comprehendi: hunc, tradidit eos, in quæ tradidit. Dei itaque permiſſum, traditionem appellat. *qui permutauerunt.* Viden' rurſus permutandi verbum, ſignificare permutationem ſecundum formas? *veritatem Dei in mendacio.* Theod. Veritatem vocat, Dei nomen, mendacium autem, manufactum Idolum. Quum igitur debuiſſent verum adorare Deum, Creaturæ diuinum cultum obtulerunt. Aliter: Quoniam Deus vere

Tradere; pro permittere.

F quidem Deus eſt, idola autem quæ coluerunt, vani appellantur dij. *Et coluerunt*: Hoc eſt, quæ verè de Deo dici & intelligi poſſunt, mendacio attribuerunt, hoc eſt, Idolis: *Et ſeruierunt.* Suapte namque ſponte, in cultu Idolorum perſeuerarunt. *Creaturæ potius.* Atqui per hoc (inquit) Deus nihil quicquam læſus eſt in propria ſua gloria, nam in ſe permanſit, idque in ſæcula benedictus. Ipſorum autem pœnæ prædictæ ac prædicendæ, ſunt corporis ſui ignominia & permutatio. *Quam Creatori qui eſt benedictus in ſecula, Amen.* Comparatione, ſemper terribiliorem facit ſermonem: Creaturæ, inquit, potius quam creatori ſeruierunt. *Propterea tradidit eos Deus in paſſiones ignominiæ*: Propterea qualenam illud eſt? Nempe quod ſeruierunt creaturæ potius quam Creatori. *fœminæ namque eorum mutauerunt naturalem vſum, in eum qui eſt præter naturam.* Habentes namque natura congreſſum legitimum, permutarunt illum in illegitimum. *Similiter & mares relicto naturali vſu fœminæ.* Turpiſſimum quiddam recte dicit: *Exarſerunt in cupiditate ſua*: Oſtendit quod nedum aduerſum diuinas Leges, verumetiam aduerſus naturales bellum gerant. *Inter ſe mutuo, maſculi in maſculos*: Multam inſaniam & œſtrum denunciat; propterea exarſerunt. *Turpitudinem*: Non dicit; cupiditatem ſuam exercentes; ſed enim, *turpitudinem*; planum faciens, quod ipſam etiam naturam pudefecerint. *operantes.*

G Viden' quod non ignorantiæ affectus fuerint, ſed quod ſtudioſe tanta ſcelera patrarint? κατὰ, enim, præpoſitio; in participio, κατεργαζόμενοι, hoc eſt, intentionem & contentionem quam oſtendit, perinde ac ſi quiſquam cōtendat, ac totus in hoc ſit vt offendat Deum. *Et mercedem quam oportebat*; Quæ illis oportuna erat, ac quæ illos decebat qui tales eſſent. *Erroris ſui in ſeipſis recipientes*: Mercedem dicit, quę debebatur errori eorum. Errorem porro vocat, quod adorarint creaturam: Quam in ſemetipſis recipiunt, mulier à muliere, vir ab viro turpia patientes. Quum enim ſermonibus de gehenna non adhiberent fidem, hanc ipſis mercedem compenſationem Sāctus Paulus profert, qua pudore eos ſuffundat. *Ac quemadmodum non probauerunt Deum habere in agnitione; tradidit eos Deus.* Obſeruaſne, quod non ignorantiæ error fuerit, ſed ſcientiæ? Ac quoſdam potius illorum ſubobſcurè petit, etiam ſi orationem ſuam perinde inſtituat, quaſi de alijs loquatur. *In reprobam mentem, vt facerent quæ non oporteret*: Per auerſionem enim à Deo, reproba mens à dæmonibus inducitur. Hanc ſanè auerſionem, inductionemque, mos

H eſt Scripturæ appellare traditionem. *Repletos omni iniuſtitia, fornicatione, malitia; refertos inuidia, cæde, lite, dolo, prauis moribus; murmuratores, detractores, Deo odibiles, iniurios, ſuperbos*: Nullam itaque menſuram dicit, neque quicquam medij habet: ſed, *repletos*, dicit, ceu pleni ſint iniuſtitia, eaque omni: Quum enim quiſquam Deum auerſatus fuerit, & ab eo diſceſſerit; merito omnia malorum genera è contrario in eum ſubintrant. Deinde generatim iniuſtitiam nominans; in poſterum & ſpecies eius iuxta recenſet. Gennadii. Hac iniuſtitiæ appellatione; omnia illorum (quæ inter ſeſe admiſerunt) ſcelera complexus, ſingula deinceps ſigillatim denumerat. Ac malitiam quidem dicit, quæ ex confirmatione ad quædā, è labore fit, πλεονεξία.

Malitia quid ſit.

A locum ſurrogare. Aliter: Monſtrare vult; duobus peccan-
tibus; Iudæo nimirum & præputium habente ethnico;
Iudæum peius adfligendum, quatenus Lege duce ac ei re-
ctum indicante iter, deliquit. Citra Legem autem peccan-
tes introducit Gentes: quæ & ideo (inquit) citra Legem
peribunt, hoc eſt, non cum exactione Legis; quod quidem
oſtendit moderatam perniciem. Iudæum porro in Lege
peccantem adſerit; qui & per legem (inquit) quam præ-
uaricatus eſt, iudicabitur, id eſt, condemnabitur, atque
hoc, peiorem interitum ſignificat. Iudicium autem ap-
pellat, & non interitum, quandoquidem forum iudicia-
rium præcedit condemnationem. Si peius igitur Iudæus
punitur iuxta præſentem ſcripturam; quomodo de Græ-
co, *interibit*, dixit; de Iudæo vero, iudicabitur? quorum al-
terum quidem, malum videtur ambiguum; alterum au-
tem, indubitatum! Atqui animaduertas oportet, quod
B iudicium, condemnationem dicat; hoc eſt, minime in-
certam internecionem: Sed eſt pœna ſupra pœnam. Ac
duo iſta non pariunt indubiam perniciem. Non ſolum
parem hic dignitatem Iudæi & Græci oſtendit, ſed multo
etiam magis Iudæum grauari Legis traditione: nam Græ-
cus citra Legem iudicatur. *Citra Legem* autem hic, non dif-
ficilius: ſed quod placidius & manſuetius eſt, vocat: Hoc
eſt: Græcus non habet accuſantem legem: Nam ſine lege,
hoc eſt, ſine condemnatione quæ eſt à ratiocinatione co-
gitationeque Legis condemnatur tantum: Iudæus vero
in Lege, hoc eſt, tum natura tum Lege accuſante perit, Plu-
tonisque Regiæ adiudicatur. Quanto enim maiore fru-
ctu curat lex mortales, tanto maiore pœna damnat iuxta
neglecta. *Non enim auditores Legis iuſti ſunt apud Deum, ſed fa-
ctores Legis iuſtificabuntur.* Fortaſſe enim homines fallunt:
verum auditores Legis Deus non iuſtificat, ſed factores.
*Nam quando gentes, quibus non eſt lex; natura quæ Legis ſunt fa-
ciunt:* Naturæ cogitationibus vtentes ad iuſtam opera-
tionem. Aliter: quando dixerit natura, pro naturæ cogita-
tionibus accipit. *Illi Legem non habentes, ſibipſis ſunt Lex, qui o-
ſtendunt opus legis.* Admirationi igitur ſunt huiuſmodi, Lege
non indigentes pro pædagogo, qui ſuiipſorum ſunt legis-
latores, legislationisque adimpletores. *Scriptum in cordibus*
C *ſuis.* Nam non opus habent literis comprehenſa, cæterum
cor eorum ſcriptam in mente perdurantem legem habet.
Teſtimonium dicente ipſorum conſcientia. Satis enim eſt Legis
loco, propriam habere conſcientiam, quæ Teſtimonium
dicat bonis operibus. *Et inter ſe mutuo accuſantibus cogitatio-
nibus, aut etiam defendentibus.* Siquidem in illo Iudicio, non
indigemus exterioribus vel accuſatoribus vel bonum no-
bis Teſtimonium dicentibus; ſuæ enim, cuiuſque, cogi-
tationes & conſcientia, vel accuſabit vel defendet. *In die
quando iudicabit Dominus occulta hominum, ſecundum Euange-
lium meum,* Homines ſanè manifeſta indagant, Deus vero
abſtruſorum eſt explorator. *per Ieſum Chriſtum.* Pater nam-
que iudicabit neminem, vt qui *omne iudicium Filio* dederit.
Ecce tu Iudæus agnominaris. Quum dixiſſet; quod Deum ti-
menti Græco nihil deſit ad ſalutem, ſi modo legis factor
extiterit; ponit deinceps, cuius gratia plurimum turge-
bant Iudæi, commōſtrans nimirum quod nihil illis com-
modet ſi non rectè viuant, quod Iudæi ſunt, quod Legem
habeant. Ac primum quidem nomen ipſum poſuit; *En tu,*
inquit, *Iudæus cognominaris:* Videbatur enim nomen ipſum,
magnum eſſe quippiam, perinde ac hodie Chriſtiano-
rum. *& requieſcis in Lege:* Non enim es reuera, niſi adim-
D pleas Legem. *Ac gloriaris:* Valde, inquit, ſuperbis Legis no-
mine, ac propter ipſam delicatus es, quippe qui dignus
indicatus ſis diuina Lege præ cæteris. *Requieſcis,* porro in-
dicat quod haud quaquam laboribus eius aut virtutibus
rebusve præclarè geſtis data ſit lex; verum diuina potius
ex gratia. *In Deo*; ceu ſolus præ cunctis mortalibus dile-
ctus: Videtur autem eorum ſimul ſtoliditatem notare. *Et
noſti voluntatem.* Atqui cognoſcere quidem & non facere,
maiorem pœnam apparabat; interim tamen, eo nomine
inflabantur admodum: Vnde, non dicit; Facis, ſed co-
gnoſcis Dei voluntatem. *Probaſque quæ eximia ſunt, inſtructus
ex Lege.* Legis namque inſtitutio nouit exactam eorum
quæ præſtantia ſunt, explorationem docere; ac propterea
quod eorum quæ commoda forent, probationem nouiſ-

E ſent, non parùm faſtuoſi erant. *Confidens te ipſum ducem eſſe
cæcorum, lumen eorum qui in tenebris agunt, eruditorem inſipien-
tium, doctorem infantium.* Non es (inquit) dux, verum ta-
lem te reputas ipſe. Cæcos autem dicit, & in tenebris a-
gentes, & inſipientes, & infantes qui ipſis accedebant;
Proſelytos qui nondum Legis ſcientiam habebant: huſce
enim nominibus, ob vanam ſuam qua intumeſcebant
gloriam, ipſi Proſelytos vocabant. Hinc & Apoſtolus, ta-
cite exprobrando, talibus illorum nominibus vſus eſt. *Ha-
bentem formam ſcientiæ & veritatis in Lege.* Studioſe dixit, *for-
mam ſcientiæ & pietatis*; indicans, quod non veram cogni-
tionem & pietatem habeant, ſed fictitiam tantummodo
imaginem quandam quæ figuram quidem præ ſe ferat ve-
ritatis; re ipſa vero, nulla ſit. Bellè autem poſitum eſt; *In
Lege* oportebat namque imaginem veram in conſcientia
& operibus poſſideri. Tu vero, inquit, valdè intumeſcis;
F quod Legi talis imago ſit; verùm id nihil ad te attinet,
poſtquam non es factor Legis. *Alium igitur doces, te ipſum
non doces? Qui prædicas non furandum, furaris? qui dicis adulte-
rium non committendum, ipſe mœchus es?* Confectarium erat
dicere, quod qui talia à Deo acceperunt nec tamen ea cu-
ſtodierunt, hoc maioris ſint ſupplicij rei, quo maius in a-
gnitione peccatum ſit: non nimium tamen eos impetit;
verùm per interrogationem promouens ſermonem, illud
ipſum oſtendit. *Qui abominaris idola, ſacra deprædaris?* Lex,
pecunias in Idolis execrabatur; vt quæ dæmonibus eſſent
dicatæ: Vos vero Idola quidem execrari vos dicitis; pe-
cunias autem quę in ipſis ſunt, rapitis; proinde neque ido-
la reuera deteſtamini. *Qui in Lege gloriaris*; Glorians ceu
magni æſtimatus à Deo per Legem: quid igitur, præuari-
catione, ignominia Legem afficis, Deumque pariter ho-
nore ſuo ſpolias. *Per tranſgreſſionem Legis, Deum contumelia
afficis!* Quia graue erat quod dixerat, *Deum contumelia
afficis*; Prophetam adducit teſtem, quaſi dicat: Non meum
hoc verbum eſt, ſed Eſaiæ; *Nomen enim Dei propter vos vitu-
peratur.* Gentes enim animaduertentes, eos perperam vi-
tam inſtituere ſuam, ad maledicentiam vertebantur, ita vt
ſecum commentarentur; nunquid tales à Deo diligun-
tur? num quicquam illis ab eo datum oportuit? An ne ſce-
leſtos illos & eſſe, & fore nouerat? *Inter gentes, ſicut ſcri-
G ptum eſt.* Non ſolum vos, inquit, contumelia Deum afficis-
tis, verùm alijs iuxta occaſionem præbetis. *Circumciſio qui-
dem prodeſt, ſi Legem operéris:* Poſtquam eximium quiddam
videbatur Circūciſio, tandem ad ipſam peruenit inquiēs:
ardua & commoda (dicetis) res eſt Circumciſio; pertinet
enim ad populum Dei, eiuſque eſt ſymbolum: Ne (in-
quam) iſtuc equidem fateor; ſed tum cùm legem fueris
operatus. *Sin tranſgreſſor Legis fueris, Circumciſio tua.* Demon-
ſtrare illi animus eſt, Circumciſionem eſſe (vt ita dicam)
mentalem, cuius typus ſenſibilis fuerit illa corporea qua
& purgabantur ſuperflua & circūcidebantur. Ex hoc, quiſ-
piam incircunciſus eſſe poteſt corpore, circunciſus autem
mente; ac è diuerſo circunciſus corpore, incircunciſus au-
tem mente. Siquidem præputium & circunciſionem ve-
ram, cùm bona tum praua opera denuntiant. *In præputium
verſa eſt.* Ad mentale adeoque internum præputium abiit
Circunciſio tua; propter te nimirum, qui ea male vſus es.
Nec enim palam, contumelia vult afficere Circunciſio-
nem. *Si igitur præputium iuſtificationes Legis ſeruauerit, nonne
præputium eius in Circunciſionem:* Hoc eſt; gentes præputium
H habentes. *Reputabitur*: non dicit, quod vincat circun-
ciſionem; fuiſſet enim id admodum odioſum; verum
quod in Circunciſionem reputatur, coram Deo videlicet.
Et iudicabit præputium: Hoc eſt, condemnabit; quemadmo-
dum dictum eſt: *Viri Niniuitæ ſurgent, & condemnabunt gene-
rationem hanc. Ab natura Legem perficiens*: Ex natura præpu-
tium dicit, in carne adhuc præputium, habentem. Talis
igitur adimplens quæ ſunt Legis, condemnabit te Circū-
ciſionem habentem, & quoad literam, Legem etiam, ſed
operibus, eam tranſgredientem. *Te qui per literam & Circun-
ciſionem es tranſgreſſor Legis.* Per Legem enim ſcriptam, &
Circunciſionem adhibitam, factus es omnium tranſgreſ-
ſor. Aliter. Definit iam quis reuera Iudæus, quiſve reuera
præputium gerat. Ac videtur quidem non reijcere Iudæū,
ſed præuaricatorem; omnino autem deijcit, demittitque

A

inceps ſequuntur, dicta fuit per defectum. Ei enim quod dixit; Quid igitur excellentius adepti ſumus? conſectarium erat inferre; iuſtitiam quæ eſt ex fide: quod in ſequentibus etiam in progreſſu dicit: nempe iuſtitiam Dei per fidem Ieſu Chriſti. Quid igitur, inquit, nos præcellentes tenemus? iuſtitiam quæ eſt ex fide: *antea enim cauſati ſumus Iudæos & Græcos.* Ecqui antea cauſatus eſt? Dum Græcos coarguit; quod corrumperent naturalem cognitionem, quum, inquit; *Deus autem illis manifeſtauit, Inuiſibilia enim ipſius, à creatura mundi, ex operibus intellecta conſpiciuntur, & quia cum cognouiſſent Deum, non vt Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Iudæos autem reprehendit, quod Legem ſint tranſgreſſi. *Nam qui* (inquit) *in Lege gloriaris, per tranſgreſſionem Legis, Deum contumelia afficis.* Porro ſimul ac oſtendiſſet, quod apud alios quidem natura elanguiſſet, apud alios vero & natura & lex; conſequenter Euangelij gratiam introducit, & ait: Quid enim habemus eximium aut excellens ex gratia & fidem, quæ per Ieſum Chriſtum efficax eſt iuſtitia. *Neutiquam quidem.* Quum ſupra dixiſſet: Quid igitur plus habet Iudæus? docuiſſetque nonnihil præcellere gentibus Iudæos; quandoquidem omnino eis & credita & tradita eſſet Lex; nunc oſtendit, illos in nullo præſtare gentibus, quia Legem Dei non ſeruauerint ac fortaſſe inferiores ſint illis, ac tanto minus habeant præſtantiæ, quanto in cognitione peccare peius eſt. Quid (igitur) inquit eſt in quo Iudæi præcellimus? nihil ſanè. Quid ita? Nam omnes peccato ſumus obnoxij & Iudæi & Græci. Nihil igitur ex Lege, Iudæo, præſtantiæ ſeu prærogatiuæ accedit; non enim eam cuſtodiuit, non obſeruauit: Nec præputium gerenti, nam & is peccauit; neuter igitur altero eſt melior. Omnes namque cauſati ſumus; hoc eſt curcimus; peccato eſſe obnoxios. Deinde ne videatur ipſis infenſus, Dauidem, nec non Eſaiam teſtes producit. *Perinde ac ſcriptum eſt: Non eſt iuſtus, nec eſt qui intelligat, non eſt qui exquirat Deum:* In præputio videlicet. *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt; non eſt qui faciat bonitatem, non eſt vſque ad vnum:* Quum enim à Deo declinarunt, ſimul inutiles & abiecti facti ſunt. *Sepulchrum apertum guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum, quorum os execratione & amarulentia refertum eſt, veloces pedes ipſorum ad effundendum ſanguinem.* Hæc obtrectatoribus conuenit applicari. *Contritio & afflictio in viis ipſorum.* Per vias, mores intelligit & vitam; contritionem & miſeriam, peccatum dicit. Nihil enim adeo atterit & attenuat cùm animum tum corpus, vt peccatum. *Viamque pacis non cognouerunt, non eſt metus Dei coram oculis eorum.* Viam pacis, commodam vocat vitam & conuerſationem. *Nouimus autem, quod quæcunque lex dicit,* iis qui in Lege ſunt loquitur: Vt ne dicant Iudæi; Ecquid hæc ad nos? Omnia enim de nobis dicta ſunt certè; & profecto, inquit, maximè iſta ad nos attinent: Omnes enim id nouimus, quod quæcunque Lex dicit (Legem autem nominat, vniuerſum vetus teſtamentum) iis qui in Lege ſunt, loquitur. Quæ enim neceſſitas erat, alios & non proprios, per Prophetas; nimirum Dauidem & Eſaiam, ad correctionem Iudæorum diuinitus allegatum in iudicium vocari? Theodoret. Multa iſthuc cautione ac diligentia poſuit; non enim dicit de iis qui ſunt extra Legem, ſed iis qui ſunt in Lege. Etenim pleraque de Babylonijs, de Perſis, Medis, & Ægyptijs loquitur, & aliis quam plurimis gentibus: Iudæi tamen, vaticinia de hiſce adferebant vt omne os obturetur. Tale quiddam ſubobſcure indicat: Hanc ob cauſam (inquit) Prophetæ redarguerunt Iudæos; plerumque fecerunt, eos nequaquam magnifica de ſeſe prædicare debere; quinimo totum iuxta mundum peccatis obnoxium, vt iter præſtruerent fidei. Etenim cognoſcentes mortales, quod neque per Legem & circumciſionem neque per præputium liceat ſeruari æternum: facilè Chriſto acceſſerint, gratia ſua genus mortalium conſeruante. Aliter: Grandiloquos adeoque ſuperbos oſtendit Iudæos; propterea igitur arguebantur à Prophetis, vt faſtuoſa loquentium obſtruerentur ora. *& ſubditus fiat, non ſolum* Iudæus, ſed etiam, *vniuerſus mundus, Deo: eo quod ex operibus Legis non iuſtificabitur:* Deinde ne indigna patiantur Iudæi, toti mundo connumerati; vt obnoxij ſint, de-

Rom. 1.

B

Pſalm. 13. Pſ. 5. & 13.

C

D

E

nuo quæ contra eus ſunt explorat. *omnis caro coram ipſo:* neque enim quæ ſunt in Lege adimpleuit. *Per Legem enim cognitio peccati.* At enim quid dico, quod vos Iudæi nihil commoditatis ex lege accipiatis, quin minus cum vniuerſo mundo rei efficiamini? Imo ſi quis rite exploret, inueniet ab lege vos detrimentum accipere; ob eius naturam, verum propter veſtram malitiam. Ecqui fit iſtuc? Quia peccati notitiam per legem non habetis. In cognitione vero peccare grauius eſt, quam per ignorantiam indignum admittere facinus. Aliter: Oportebat, ad Abraham factas promiſſiones impleri; *In ſemine tuo benedicetur cuncta gentibus.* Ea igitur eſt iuſtitia, quod Deus promiſſionis tenax fuerit, eamque etiam apud indignos ſeruarit. Vel hunc ad modum intelligere licet. Ad hoc nobis lex profuit: manifeſtauit, cognitumque nobis reddidit peccatum, non ſolum quod ab abſurdis nos operibus arceat, eaue prohibeat; verum etiam, quod morem ſibi non gerentes ſupplicio adficiat. Non enim quale peccatum eſſet agnouiſſemus, niſi erroribus atque delictis noſtris pœnam inferret. Ac per omnia, omnes prorſus peccato faciens anxie obnoxios; infert protinus, verbi & Euangelij ſui quod prædicat excellentiam oſtendens. *Nunc autem ſine lege, iuſtitia Dei manifeſtata eſt.* Commonſtrato, ipſos ex lege nihil adiutos; ad deſiderium eos perducens, compendij ac ſcientiæ qua ſeruari queant, opportunè admodum ad fidem Chriſti pergit. *Cui teſtimonium dixere lex & Prophetæ.* Si cum lege peccauimus, ecqui ſeruari poterimus? Sic enim quiſquam dicere queat; maxime vero quomodo citra legem? Huic reſpondet; per iuſtitiam quæ ex Deo eſt: quam ſi Deus dederit, ne ambigas de ſalute tua, ô homo. *Iuſtitia autem Dei;* Ab Deo tradita *per fidem Ieſu Chriſti.* Porro iuſtitia Dei manifeſtata eſt vt erat, quæ antea fuerat occulta. Proinde vt effugiat calumniam, neve à quopiam videatur nouitatis ſtudioſius, vt ne recens eſſe dogma iudicetur & prædicatio dixit; *Manifeſtata eſt:* neque id ſimpliciter. Enimuero iam olim teſtimonium eſt nacta, adeoque per Moyſen prædicta, & Prophetas. Qualis autem eſt iuſtitia, dixerit aliquis; aut quomodo ab Deo eſt tradita? *Per fidem* (inquit) *Ieſu Chriſti.* Atque vt ne nouum quiddam audita videantur, ſi omnino eos ſeruari æternumque beari liceat, citra vllam ipſorum additionem contributionem, vel operationem, demonſtrat, quod ipſum credere, ſit contribuere: Anima namque fortitudine, ipſum credere indiget. hinc & ait, *Per fidem,* indicans, per eam nos etiam adijcere vel contribuere quicquam. *In omnes & ſuper omnes credentes.* In omnes, nimirum Iudæos, vt qui ex genere ſuo, ſeque ipſis habuerint ſalutis Autorem. *Super omnes* vero gentes, ceu ab Iudæis in ipſas quoque ſit tranſfuſa gratia. Attamen & hos & illas gratiæ participes fore dixit; non tamen ſimpliciter, verum *Credentes:* & quia non iniuria, gratia ſit omnibus communis. *Non enim eſt diſtinctio, Nam omnes peccauerunt & deſtituuntur gloria Dei: iuſtificati gratuito ipſius gratia, per Redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu.*

Geneſ. 22.

F

G

Hominis contributio ad ſuſ ipſius ſalutem.

Per Redemptionem, Quomodo iuſtificatur homo? per remiſſionem (inquit) peccatorum, quam in Chriſto Ieſu conſequimur; id eſt, per Ieſum Chriſtum, *quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem.* Quem propoſuit. Beneuolentia enim Patris, propitiatio facta eſt noſtrorum peccatorum, per, *Propoſuit,* autem verbum; denunciat veterem, adeoque æternam Dei hac de re voluntatem atque decretum, *In ſanguine ſuo.* In ipſius ſanguine. Pater quidem propoſuit ac decreuit; Filius autem ſanguinem effudit pro nobis: Communis itaque gratia ſanctæ Trinitatis: cooperatus eſt namque & Spiritus ſanctus. *Ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ.* Ad oſtentionem iuſtitiæ. Perinde ac demonſtratio locupletis, in hoc cernitur quod alios etiam locupletat: hac ratione Chriſtus iuſtitiam ſuam oſtendere volens, mortales etiam iuſtificauit. *Per remiſſionem præteritorum peccatorum quæ Deus tollerauit.* Demonſtratio iuſtitiæ ipſius, maximè in hoc conſiſtit, quod remiſſos; hoc eſt, mortuos plane in peccatis; iuſtificarit. Deinde orationem, ad mortalium culpam (eam exaggerans) dirigit: quod peccata fuerint in tollerantia Dei; hoc eſt, quod

H

A Deus ea longanimis tulerit. Qunm enim data patientia, mores & vitam quiſque ſuam in meliorem permutare ſtatum debuiſſemus; tunc peceauimus. Qui igitur grauiter adeo flagitia commiſerant, vt vel indigni eſſent venia; hos iam per fidem ſeruat, æternumque beat. *Ad demonſtrationem iuſtitiæ ſuæ, in præſenti tempore, vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificet eum qui eſt ex fide Ieſu.* Mortuum namque peccatis nunc ſeruari quando tempus ſupplicij inſtar; iſthue vero eſt commonſtratio iuſtitiæ: per hoc quod nedum ipſe Deus iuſtus ſit, verum etiam iuſtificet per fidem in Ieſum Chriſtum, proprium etiam populum ſuum. *Vbi igitur gloriatio tua*? Quum hæc ita ſeſe habeant, paterque ſeruet eum qui ex fide in Chriſtum proprius factus eſt, Deoque adiunctus, vbinam in poſterum Iudæorum gloriatio manet? monſtrat autem eos temere gloriari. *Excluſa eſt. Per quam legem*? Non dixit; obſcurata eſt, ſed, *Excluſa eſt*; oſtendens olim quidem fuiſſet relictum iactantiæ & gloriationi locum, iam nunc vero per fidem excluſam. Aliter: *Excluſa eſt*: id eſt, eiecta eſt. *Operum? non, ſed per legem fidei.* Legem operum, periphraſtice dixit, legem; ſicuti legem fidei, periphraſticè, pro ipſa fide accepit. Non per opera ergo, inquit, quæ nos peregimus, Iudæorum gloriatio eſt excluſa; ſed certè per fidem; Perinde quaſi dicere fuiſſet ei animus: omnis iſta gloriatio, & quæ viſa eſt dignitas, primatuſve veſter: excluſa ſunt per fidem, citra operum indigentiam, acceſſumve.

Apoc. 9.

B *Arbitramur autem fide. Arbitramur*: pro eo quod eſt: rationibus certis accedentes putamus, iuſtitia fidei, omnem hominem volentem eſſe participem eiuſdem, ſine operibus legis iuſtificari. *Iuſtificari hominem, ſine operibus legis.* Proinde, inquit, dicimus ex fide iuſtificari hominem citra legis obſeruationes. *An Iudæorum ne Deus tantum? non etiam gentium? Næ, & gentium: poſt quam vnus eſt Deus.* Quod ſi eos tantummodo, qui ex lege proficiſcantur, aut ex lege incedunt, iuſtificaret, nec omnem hominem credentem, vnius modo partis ſtudioſus eſſet, ac Deus Iudæorum tantum. *Qui iuſtificabit circunciſionem ex fide, & præputium per fidem*: Cum qui ſunt è lege, tum qui extra legem, opus habent fide ad ſalutem. *Legem igitur deſtruimus per fidem? Haudquaquam.* Tumultuabantur Iudæi, perinde quaſi lex per fidem è medio tolleretur. Quare, inquit, non ſolum non deſtruit legem fides, ſed potius conſtituit. Ecquanam id ratione? Quia lex ſalutem impertiri volens, non poteſt hoc præſtare: fides autem ſaluat & æternum beat. Quum itaque legis ſcopum expleat fides, ſtatuit profecto legem ac ſtabilit. Vel ſic intelligas licebit. Opus erat lege, vt iuſtum faceret hominem; verum hoc præſtare non potuit, omnes enim peccauerunt: Fides autem veniens: idipſum tranſegit: ſimul ac enim quiſpiam credidit; & iuſtificatus eſt. Proinde legis voluntatem ſtatuit: vel antè hac apud Maiores noſtros, adhæc vſque tempora, Prophetæ, quæ ad fidem pertinebant vaticinati ſunt: fidem itaque amplectentes, ſtabilimus legem. *Sed legem ſtatuimus*. Quum dicit: *ſtatuimus*: indicat fuiſſe conuulſam.

C

CAPVT IV.

QVid igitur dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem? Impenſe Abrahami nomine, Iudæi intumeſcebant: quod Abraham circumciſus eſſet adſerentes. Conſilium itaque & ſcopus Apoſtoli, eſt, demonſtrare, quod Abraham etiam ipſe non ex operibus legis, ſed per fidem iuſtificatus ſit. *Quid igitur dicimus, Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem, inueniſſe?* aut qualem ipſum conſecutum iuſtitiam? operumne an fidei? Oſtendit autem, quod per fidem ſit nactus iuſtitiam. Vnde & inuentionem, ipſam appellat, poſtquam non ex operibus ipſam poſſederit; ſed ex fide, quæ per gratiam Chriſti præſtatur: Aliter: Qualem nam (inquit) antequam Deo crederet Abrahamus, iuſtitiam eius per opera fuiſſe audiuimus? Secundum carnem namque, iuſtitiam appellat operum: quandoquidem per ipſam carnem nimirum, opera perficimus. Vel hunc ad modum intelligere etiam queas. Hyperbaton huic ſenten-

D

E tiæ ineſt. Sic enim quadamtenus conſecutio textus ac ſtructura erat compoſita; *Quid igitur dicemus Abraham, ſecundum carnem patrem noſtrum inueniſſe*? Redeamus (inquit) ad principem generis noſtri ſecundùm carnem, Abrahamum: quem ex omnibus gentibus Deus eligens, benedixit ei: poſteriſque eius per ipſum, benedictionem ſeſe tranſmiſſurum promiſit; vt quatenus ſe Abrahami res haberent, ita & noſtræ habituræ eſſent. *Secundum carnem.* Pulchrè ad Iudæos, *ſecundum carnem.* Secundum fidem enim & promiſſionem, Fideles, filij ſumus Abrahami, perinde ac ſcriptura dicit: *Non filij carnis, ij ſunt filij Dei: ſed filij promiſſionis reputantur in ſemen Abrahami. Si enim Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriationem, ſed non apud Deum.* Duo indicat: & quod Abraham ex fide iuſtificatus; & quod iuſtitia per fidem, maior eſt. Dicit itaque, ſi operibus & virtutibus ſuis Abraham iuſtificatus eſt: habet quidem gloriationem, ſed non apud Deum, verùm apud ſeipſum eo quod ſtrenuè & cum virtute ſeſe geſſerit. Qui vero ex fide ſeruatus eſt, poſtquam non habet vnde apud ſe glorietur (nullum enim opus operatus eſt) coram Deo gloriatur. Maius porro eſt apud Deum gloriari, quam apud Semetipſum. Virtutes enim recteque geſta, haud raro alijs delictis obſcurantur; gloriatio vero quæ eſt in Deo, inalterabilis perſeuerat.

F *Quid enim ſcriptura dicit? Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Geneſin profert, atteſtantem quod Abraham ex fide iuſtificatus ſit. *Operanti autem merces non imputetur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum: Non operanti vero.* Maiorem, ſecundum gratiam, iuſtitiam eſſe monſtrat, quam fides præſtat; hanc ob rationem: Ei qui grauiter operatur; præmium, ſecundum debitum debetur, & meritum. At vero quid quæſo poteſt, qui totus etiam in virtute verſatur ac ſtrenuè ſe gerit? quid inquam: & quomodo Chriſtum poteſt debitorem ſuum vel facere vel habere? Enimuero qui ex fide iuſtificatur, ſecundùm gratiam iuſtificatur. Vbi porro Deus donat, omnino grandia donat. Ecquid vero donat? filiorum adoptionem præſtat, fratres efficit Chriſti, hæredes Dei, cohæredes Chriſti; quæ ſanè iam olim nobis præſtitit dona. *Sed credenti in eum qui iuſtificat impium, reputatur fides eius.* Neque fidem exiſtimes cuipiam facilè obtingere, fortitudine enim indiget, circunciſaque anima. *Ad iuſtitiam.* Vides quod operanti, merces ſecundum opera tribuitur; credenti vero, iuſtitia imputatur: Innumeras autem mercedes, iuſtitia continet. *Quemadmodum & Dauid dicit, beatitudinem eſſe hominis cui Deus imputat iuſtitiam ſine operibus.* Dauid, iuſtitiæ fidei, tribuit ſanctificationem, citra opera. *Beati quorum dimiſſæ ſunt iniquitates, & quorum contecta ſunt peccata.* Beatitudo, ſummitas adeoque finis bonorum eſt. Videtur quadamtenus alienum eſſe teſtimonium. Non enim eſt Beatus, cui fides ad iuſtitiam ſine operibus imputatur: nam mutuum inter ſe reſpectum habent, opera & fides: quod ſi Beatus eſt is, cui peccata per gratiam dimiſſa ſunt, ter Beatus eſt, quem per gratiam iuſtificauit Deus.

G — Fides nõ fortibus non obtingit. Merces ſecũdum opera tribuitur.

GREGORII THEOLOGI. *Remiſſa ſunt*; ad baptiſma: *Contecta*, ad pœnitentiam refertur. Quod adijcit: *Cui non imputauerit*: eſt interpretatio verbi, *Contecta ſunt*, vera namque & recta pœnitentia tegit peccata, vt apud Deum non imputentur. *Beatus vir cui non imputauerit Dominus peccatum.* Beatitudo (inquit) ab Dauide dicta, ad circunciſionem ne venit an ad præputium? Magis autem oſtendit ad præputium ipſam veniſſe, locumque habere; propterea quod Abraham in præputio exiſtens, & ſeruatus & iuſtificatus ſit.

H

SEVERIANI. Circunciſio, treis ob cauſas data eſt: Primum vt eſſet ſignũ fidei; deinde vt eſſet indiciũ generis Abrahami; poſtremo, vt eſſet Argumentum & index & præmonſtratio Reipublicæ, vitæque puræ & ſobriæ. *Beatitudo igitur illa, ad circunciſionem an ad præputium pertinet.* Proinde non eſt data vt iuſtitiam efficeret, verùm vt iuſtitiæ ſigillum eſſet, & euidens iuſtitiæ ſignificatio, quæ Abrahamo ex fide obtigit. *Dicimus enim, quod imputata eſt Abrahamo fides ad iuſtitiam. Quomodo igitur imputata eſt? quum in circunci-*

Pſal. 31. a — Circunciſionis myſteria.

ſione

A *ſione eſſet, an cum in præputio? Non in circunciſione.* Confirmat, in præputio magis habere locum beatitudinem. Abrahamo (inquiens) iuſtitia per fidem imputata eſt, videamus itaque, in circuncisione ne an præputio talis fides Abrahamo imputata ſit: Planum autem fit, quod incircunciſo obtigerit. Quare in præputio potius, beatitudo eiuſmodi locum habet. *Sed in præputio:* Si ergo in præputio quum eſſet, iuſtificatus eſt: magis igitur, à Dauide dicta beatitudo, in præputio locum habet quam in circunſione. *Et ſignum accepit circuncisionis, ſignaculum iuſtitiæ.* Obiectionem quæ videbatur hic emerſura, diluit: Hunc enim ad modum opponere quiſpiam poſſet. Adeo præclara & ardua res erat circunciſio: vt ſine hac iuſtificari non liceret: nam & ipſe iuxta tuum ſermonem, in præputio iuſtificatus, circumciſione opus habuit. Cui hac via occurrit: Non ob aliam rem circunciſus eſt, quam ob ſignum. Ac, circunciſionem, infert, demonſtrationem
B eſſe præſentis iuſtitiæ, quæ in ipſo quum in præputio dum eſſet, renitebat. Si vero propter iudicium, adeoque ſigillum, accepit circunciſionem: nihil ipſi ad iuſtitiam profuit. Cæterum tali ratione ipſum iuſtificatum eſſe ſignificabat: hoc eſt, quum in præputio eſſet, iuſtitia eum Deus dignatus eſt. *Fidei quæ eſt in præputio.* Fidei quæ ex fide eſt. *Vt ſit pater omnium.* Ad quid autem omnino circunciſio neceſſaria fuit, ſi nihil eadem iuſtitiæ profuit? quid (inquam) opus ea habuerunt? Primum quidem, perinde ac ſupra commemorauit, vt eſſet ipſa ſignum: deinde vt communis eſſet pater & eorum qui in circunciſione eſſent & eorum qui in præputio agerent. *Credentium.* Non ſimpliciter qualitercunque credentium, verum credentium in Chriſtum Ieſum. *per præputium vt imputetur & ipſis iuſtitia.* Per præputium; hoc eſt, eorum qui in præputio credunt. *Et vt ſit pater circunciſionis:* Iuſtitia per fidem, ſcilicet ſine operibus. *non iis tantum qui ex circunciſione ſint verum etiam, &c.* Quemadmodum in præputio agentes, eam ob rem ſolam non habebunt Abrahamum patrem, quod in præputio crediderint eum eſſe patrem: niſi & fidem eius imitati fuerint: Hac ratione, neque circunciſi tantum, patrem habebunt Abrahamum, niſi fidem eius
C cum imitati fuerint, tum moribus expreſſerint. Planum itaque eſt, quod Iudæi excident à cognatione Abrahami, niſi in Chriſtum crediderint. *Veſtigia fidei ingredientibus:* in obedientia perſeuerantibus. *Quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahami:* Rurſus meminit, quod in præputio credidit, & poſtea circunciſus eſt. *Non enim per legem promiſſio Abrahamo, aut ſemini eius.* Mirificum quiddam dicit. Adeo (inquit) circunciſio ſine fide iuſtificare non poteſt: neque progenitorem tuum, ô Iudæe, tibi Abrahamum facit: Nam & ipſa lex ob quam gloriaris, nihil profuit ad promiſſiones ipſi Abraham factas; vt quæ non dum ſancita eſſet, ſed ſola fides. Quum enim incircunciſus dum eſſet: ante legem, promiſſiones illi datæ ſunt credenti. Si itaque lex ad promiſſiones nihil fecit, circunciſio ad iuſtitiam haudquaquam quicquam valebit, ſufficietve. *Vt hæres eſſet mundi.*

Iuſti, Orbis innouati, hæredes futuri.

Severiani. Hæredes mundi, Iuſtos fere adſeuerat, quoniam impijs è medio ſublatis ſupplicioque traditis in die iudicij, vniuerſum deinceps mundum poſſidebunt iuſti innouatum: ipſorumque erunt tam cœleſtia quam terreſtria bona, *ſed per iuſtitiam:* non quamlibet inquit, ſed, *fidei. Si enim qui ex lege, hæredes ſunt, euacuata eſt fides.* Qui enim legem, ceu eam qua ſeruetur, tenet: is ſalutem per fidem obuenientem contumelia afficit. Hære-
D des autem, nimirum cœlorum regni. *Euacuata eſt fides:* Ceu nihil commodantes, irritæ factæ ſunt promiſſiones: hoc eſt, ineſficaces, nihil efficientes, inutiles factæ ſunt. Quomodo? Si enim fides deſtruitur, propter quam promiſſiones factæ: perſpicuum eſt, quod promiſſiones pariter abolentur: quæ ſi abolitæ fuerint, neque Abraham pater cuiuſpiam relinquitur. *Irritaque facta eſt promiſſio: lex enim iram operatur. Vbi namque non eſt lex, ibi, neque tranſgreſſio eſt. Propterea ex fide ſunt hæredes.* Adeo autem (inquit) per legem promiſſiones non ſtabiliuntur, vt quadamtenus etiam impediant. Quomodo? Quoniam lex iram efficit, ſi quis nimirum eam præuaricetur: nemo enim ipſam implere potuit. Vnde autem ita prouenit quanam

E ratione, iſthinc, promiſſiones oriantur? Atqui fides gratiam Dei adducit: gratia porro ſi adſit, veniunt implenturque promiſſiones. *Secundum gratiam.* Vbi namque gratia Dei, ibi haud ſunt dubiæ promiſſiones, ſed firmæ ac ſtabiles: *Deus* enim, inquit, *eſt qui per gratiam iuſtificat & quis eſt qui condemnet? Vt firma eſſet promiſſio omni ſemini,* Rom.8 f
Hyperbaton eſt, *omni ſemini,* Abrahami. *non illi quod ex lege ſolum eſſet.* Ex lege eos dicit, qui ex Iudæis ad fidem Chriſti acceſſerunt: *Verum ei etiam quod ex fide Abraham eſſet, qui eſt Pater omnium noſtrum, ſicut ſcriptum eſt: Quoniam Patrem multarum gentium poſui te.* Gen.17.a.
Eos qui ſine lege fideles facti ſunt ex fide Abrahæ eſſe dicit. Porro hic iterum intuere & conſidera, quo pacto duos populos conuertat omniumque Patrem Abrahamum faciat.

Theodoreti. Perinde (inquit) atque omnium eſt conditor Deus, omniumque Deus & curator: conſimilem ad modum Abrahamum omnium patrem elegit;
F non Iudæorum tantum, verum cunctorum iuxta credentium. *Ante conſpectum eius cui credidit:* Coram eo, hoc eſt, æque ac Deus non eſt partis vnius tantum; ſed omnium plane Deus: non diſſimilem ad modum; Abraham cunctorum eſt Pater. *Qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt tanquam ſint.* Reſurrectionis hic ſermonem & argumentum texit: idque commode & ad inſtitutum: *Credidit,* enim *Abraham Deo:* quod quum mortuos reſuſcitet, ipſum etiam ſibi ſenio confecto poſſe dare ſemen. Nam ſi mortuos viuificat: & ijs quæ non ſunt, eſſentiam communicat: multo magis poterit etiam effœto & ſenij nomine mortuo corpori meo dare ſemen. *Qui præter ſpem in ſpe credidit vt eſſet ipſe pater.*

Severiani. Præter ſpem propriæ naturæ, in ſpe promiſſæ potentiæ. Aliter: Præter ſpem, ſcilicet humanam: in ſpe Dei. *Multarum gentium ſecundum id quod dictum eſt: Sic erit ſemen tuum:* Multarum gentium quæ ſecundum fidem & promiſſionem agerent. Quis vero per fidem & promiſſionem ei filius datus eſt? Iſaac ſane: nam Iſmael filius eius ſecundum carnem. *Porro quum in fide non elanguiſ-*
G *ſet, haud conſiderauit ſuum ipſius corpus iam emortuum.* Multa profecto erant, quæ fidem eius languidam & inualidam reddere potuiſſent, ſed enim ad nullum iſtorum plane generoſa eius anima elanguit. Primum quidem nullum exemplum quod intueretur, cuive mens eius inniti poſſet habuit: verum primum præter ſpem, promiſſio progenerandæ ſobolis illi tradita eſt. Secundum, quo animus eius labefactari potuiſſet quominus adhiberet fidem; erat corpus eius ſenio iam prorſus confectum & emortuum. Tertium; quod Sarræ coniugis eius matrix pariter intermortua eſſet: & Sarra ipſa effœta, & ſterilis ſenio, adeoque inutilis ad prolem cum concipiendam, tum gignendam. *centum enim fere tum annos natus erat, & emortua matrix Sarræ.* Rectè dixit, *Centum propemodum annos,* nonaginta enim nouem tum habebat. *promiſſione autem Dei.* Non erat operis demonſtratio, ſed tenuia verba. *non vacillauit incredulitate,* Non dixit: *Non credidit,* ſed, non fuit incertus animi, non hæſitauit, neque dubitauit. *Sed roboratus eſt fide:* Quum dixit, *roboratus eſt.* monſtrat, multo labore & virtute animi defatigationeque fidem recte firmari. *dans gloriam Deo:* Hoc eſt: non curioſè indagans quomodo iſtuc fieri queat, verum illico rediens, Deumque laudans ceu benefactorem qui iam dederat
H quod iam olim promiſerat. *Ac certus factus, quoniam quod promiſerit, potens ſit præſtare Deus: eam ob rem reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Certior redditus: non dixit, *credens,* ſed ſignificantius, *Certior redditus. Non ſcriptum eſt autem propter ipſum tantum,* Viden' quod ex fide iuſtificatus eſt? *quoniam reputatum eſt ei: verum propter nos etiam, quibus itidem ad iuſtitiam imputabitur ſi crediderimus in eum.* Vt ne dicerent auditores, Ecquid iſthuc ad nos? Ille enim iuſtificatus eſt, Infert: hæc non Patriarchæ ſolùmodo cauſa ſcripta ſunt, verum etiam propter nos: vti exemplo Abrahami nobis prǽpoſito, fideles ſimiliter efficiamur, eundemq; ad modum fides ad iuſtitiam nobis reputetur. *Qui excitauit Dominum ex mortuis, qui traditus eſt propter delicta noſtra & excitatus eſt propter nos.* Studioſè in ſermonem de Domino ſe conuertit, inqui-

A ens: Non ob propria ſua commiſſa mortem obijt, quan-
doquidem neque hac ratione reſurrexiſſet, perinde ac ne-
mo ante hunc alius excitatus erat: verum ob noſtra pec-
cata mortuus eſt, vt nos ab illis liberaret. *iuſtificationem
noſtram.* Vt nos, inquit, iuſtificaret, atque peccatis liberos
faceret: Non enim eam ob cauſam peccata noſtra in ſe
tranſtulit, mortis ſupplicium pro nobis ſubiens, vt nos
obnoxios teneret morti, eiuſque debitores; enimuero vt
nos iuſtificaret, ac omnino inculpatos dimitteret.

CAPVT V.

I*Vſtificati igitur ex fide, Pacem habeamus apud Deum.* Quo-
modo autem aliquis pacem habet apud Deum? Si ſe-
quatur mandata eius: quemadmodum qui peccat, bel-
lum gerit aduerſus DEVM. *Per Dominum noſtrum Ieſum*
B *Chriſtum.* Per Dominum. Si enim per ipſum à præteritis
peccatis liberati ſumus: per ipſum rurſus & per fidem in
eum à peccato deinceps abſtinemus. Etenim facilius eſt
tueri ſeruareque, quam acquirere bona, eius ope atque
conſilio. *Per quem & acceſſum habemus.* Per ipſum namque
adducti ſumus ad Deum. Si ergo quum longe abeſſemus
ab DEO, per mortem eius viciniores illi facti ſumus, mul-
to magis propinqui ipſi exiſtentes, pacem habebimus er-
ga ipſum per gratiam CHRISTI. *In fide:* Poſitis ijs quæ
ad CHRISTVM attinent, noſtra etiam ſubdit: ad in-
enarrabilia enim dona & beneficia DEI in nos collata,
nos nihil præter fidem attulimus. *Ad gratiam hanc in qua
ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ Dei:* Hoc eſt, vt donaremur
adeoque digni iudicaremur cognitione Dei, vt ad eum
duceremur liberaremurque à peccatis, eaque acciperc-
mus quæ baptiſma confert. Quod vero ait, *Stamus*: ſta-
bilitatem indicat. *Non ſolum autem, verum etiam gloriamur
in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur,
patientia vero probationem:* Non ſolum (inquit) ob tradita
C nobis bona & ob ventura nobis adhuc, gloriamur: ve-
rum ob contraria & aduerſitates etiam gloriamur. Ec-
quid ita? Quoniam ad patientiam nos adflictiones inun-
gunt. Quod verò patientiæ lucrum probatos (inquit)
efficit: quæ porro commoditas eius quod quiſpiam pro-
batus efficitur? ſpem nobis præbet futurorum bonorum.
Qui iam hac ſperauerit, non pudefiet: At qui in hominem ſpem
ſuam collocauerit, fortaſſe ſpe ſua excidere poterit: qui
vero in Deum ſperat, nunquam à ſpe ſua excidet. Verun-
tamen non modo (inquit) in bonis, in quibus ſtamus,
verumetiam in bonis quæ expectamus cou præſentibus
gloriamur: hoc enim exactæ firmæque fidei. Pulchrè au-
tem, *gloriæ*, dixit: Quum enim promiſſa eueniunt, effi-
ciunt eum qui promiſit celebriorem, glorificantque. *Pro-
batio vero ſpem, ſpes autem non pudefacit.* Mala igitur conſcien-
tia percuſſi, neque ſperant retributionem boni & mali:
quod enim quiſque vult, id etiam arbitratur. *Nam dile-
ctio Dei effuſa eſt in corda noſtra per Spiritum ſanctum qui datus eſt
nobis.* Vnde planum fit, inquit, quod Deus illic ſit nobis
bona daturus? Vnde inquam? & quibus hæc dedit? Ec-
D quid vero dedit? Spiritum, quem ex ſola dilectione qua
nos dilexit, impertijt nobis. Non enim proprijs virtuti-
bus vel operibus, Spiritus paracleti gratiam impetraui-
mus. Aliter: Bene dilectionem Dei; quæ eſt donum Spi-
ritus, effuſam eſſe ait, vt quæ largiter tradita ſit in corda
noſtra. Mentalis autem inhabitatio, adorandi terque ſan-
cti Spiritus cum ſola mente, tum corde eſt comprehenſi-
bilis. Porro, Spiritum ſanctum dicens, pulchre ad Deum
tranſit. *Quum enim adhuc eſſemus infirmi:* Quum quæ futu-
ra eſſent, ex Spiritus ſancti datione firmaſſet: nunc ex
morte Chriſti, eadem ſtabilit. *Chriſtus ſecundum tempus:*
Hoc eſt: opportuno, adeoque conuenienti tempore: *Pro
impijs mortuus eſt: Vix enim pro iuſto quis moritur, pro bono for-
ſan aliquis etiam audeat mori.* Si, inquit, pro viro virtutibus
conſpicuo, nemo mori eligat: Domini noſtri bonitatem
mihi hic contemplare, qui Filium ſuum etiam pro im-
pijs peccatoribus dedit. *Commendat autem:* confirmat,
demonſtrat: *ſuam dilectionem erga nos Deus. Quoniam quum
adhuc peccatores eſſemus nos, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Mul-* E
*to magis igitur, iuſtificati nunc ipſius ſanguine ſeruabimur per i-
pſum.* Si tum (inquit) non eſt aſpernatus nos quum pec-
catores eſſemus, opuſque erat morte Filij eius vt nos
conſeruaremur: quanto magis nunc nos non contem-
net, vt qui ſumus iuſtificati ſanguine Chriſti, neque por-
ro ſit neceſſe Filium eius poſtmodum mori? *Ab ira:* id eſt,
futuro ſupplicio. *Si enim quum hoſtes eſſemus, reconciliati ſu-
mus Deo per mortem Filij ſui: multo magis reconciliati ſeruabimur
in vita eius.* Non opus eſt quemadmodum antea, vti de-
inceps Filium ſuum in mortem tradat; verum viuentis e-
rit ſalus, quare nihil erit difficile nos per ipſum beari.
*Non ſolum autem, verum etiam gloriamur in Deo per Dominum
noſtrum Ieſum Chriſtum.* Vt ne rubore ſuffundamur, mœ-
roreque conficiamur quod adeo extiterimus impij, vt et-
iam neceſſarium fuerit Filium Dei pro nobis in mortem
tradi vt ſaluaremur: infert: Non ſolum autem ſeruati ſu-
mus, inquit, verum gloriari debemus: Proinde gloria- F
mur quod Chriſtus omnino pro nobis mortuus eſt, cum
impij eſſemus. Id enim maxime Patris dilectionem in-
dicat: quandoquidem & pro impijs Filium ſuum dede-
rit. Dilectos porro ab Deo neque lugere, neque mœſtos
eſſe, ſed enim exultare potius & gloriari in Deo conue-
nit. *per quem nunc reconciliationem accepimus.* Reconcilia-
tionem, id eſt, aſſertionem, qua Deus nos in libertatem
aſſeruit: qua item per Chriſtum Deo Patri, irato ante hac
nobis, reconciliati ſumus. *Propterea, perinde ac per vnum
hominem peccatum in mundum ingreſſum eſt, & per peccatum
mors: & ſic in omnes homines mors peruaſit.* Quum ſupra mul-
tifariam confirmaſſet, iuſtificatos nos communicatione
Spiritus ſancti, morteque filij: iam nunc ex rationabili
eadem ac decenti ratione corroborat. Decebat (inquit)
ac rationabile erat, vt qui per vnum hominem peccato-
res mortique obnoxij facti eſſent per inobedientiam A-
dami, per vnum hominem Chriſtum Dominum ſerua-
rentur, iuſtificati, & immortales conſtituti. *in quo omnes
peccauerant:* ἐφ᾽ ᾧ, in quo, Adam: vel, per quem, Adam: G
vel quod in ipſo etiam alij peccauerint. OECVMENII.
Porro ne quis iniuſtitiæ inſimulet Deum quod ob Ada-
mi delictum nos moriamur; ſubdit: *In quo omnes peccaue-
runt:* perinde ac ſi dicat: Ipſe quidem principium præ-
buit & cauſam, peccauimus autem & ipſi nos. Non e-
nim propter auitum, adeoque primorum Parentum pec-
catum tantum punimur: nec ideo ſolum quia per mor-
tem Adami, in genus eius & propagationem, peccatum
deriuatum ſit: enimuero ob ſuum quiſque perpetratum
indignum facinus, mortis terminum recipit. *Aduſque e-
nim legem, peccatum erat in Mundo: peccatum vero non imputa-
tur, ſi non ſit lex.* Demonſtrare eſt illi animus, quod non
vſque adeo propter peccata noſtra intermorimur, quan-
tum propter Adamum qui peccato locum fecerit per in-
obedientiam ſuam, inquiens: Erat ſane in hominibus,
ante legem etiam, peccatum: verum non imputabatur i-
pſis, quandoquidem non eſſet lex peccatum denuncians
adeoque vetans. Non imputato itaque peccato, obibant
diem homines? Quid? Nonne perſpicuum eſt, quod
propter Adami condemnationem iſtuc eis acciderit. OE-
CVMENII. Obſerua Apoſtoli prouidentiam: vt ne H
videremur iniuria affici indigna ve pati, alterius cauſa
morientes, intulit: *Peccatum in mundo erat*, etiamſi non
imputaretur. Quocirca non ob ſolum Adamum: cæ-
terum propter noſtrum etiam peccatum intermorieba-
mur. Aliter: Ego cenſeo, peccatum ipſum hic dicere,
quod ex præuaricatione Moſaicæ legis eiuſque præcepto-
rum conſtet: qualia ſunt, oportere circuncidi, Sabba-
tum ſanctificari, hæc deinde manducari, ab illis vero tem-
perari.

Nam peccatum vniuerſum ipſi humanæ naturæ cogni-
tum cum erat, tum imputabatur, quod genus eſt, homici-
dium, furtum, puerorum virginumque corruptiones, ho-
rumq; ſimilia: Cuius rei teſtes ſunt Cain, Lamech, ac tem- *Gen. 5. &*
pore diluuij, Sodomitæ. De hiſce namq; peccatis, natura- *18.*
lis erat lex poſita. Conditor enim Vniuerſi Deus, homi-
nem creans: rerum quas agere deberet & non agere, na-
turalem quãdam eidem cognitionem indidit & inſeruit

Nonnulli

A Nonnulli ex Patribus: inter quos eſt Gregorius Nazianzenus, adfirmant, Mandatum traditum Adamo, ne veſceretur Ligno ſcientiæ boni & mali: legem eſſe, peccata huiuſmodi generatim prohibentem. Lignum enim efficiens ſcientiam boni & mali, peccatum eſſe intellexerunt. Ἄχρις, *vſque*, non pro, *tantiſper dum*: ſed veluti, *ad finem*, dixit: ac tanquam diceret: Donec lex regnabat, peccatum potens fuit; nam citra legem non eſt transgreſſio. *Verum regnauit mors ab Adam.* Regnauit, accepto ordine ac dominatu à transgreſſione Adami. *Vſque Moyſen, in eos etiam qui non peccauerant*: Moyſen totum vetus Teſtamentum appellat, itidem vt iſthic, *Si Moyſen non audiunt*: Tempus igitur ad aduentum vſque Chriſti, Moyſen dicit. Ait itaque quod mors (veteris Teſtamenti tempore) ſceptris ſit potita: iam nunc vero, in nouo Teſtamento, per gratiam Chriſti ſoluta ſit ac deſtructa per ſanguinem Dei noſtri. Non peccantes autem eos vocat, qui ante legem in terris vixerunt. OECVMENII. Non quod qui ante legem vixerint, non peccauerunt: magis enim illi delinquebant, quam qui poſt legem duxere vitam: verum enim ob eam quam ſupra retulit, cauſam. Nam peccatum ſane erat & patrabatur ab hominibus: at enim non imputabatur ipſis, eo quod non eſſet lex, peccatum denuncians. Quantum igitur adhoc quod non imputaretur peccatum (peccatum enim non imputatur, inquit, ſi non ſit lex) peccati tum expertes fuerunt etiamſi peccarent. *In ſimilitudine trangreſſionis Adam.* Nam etiam ſi mandatum Adæ traditum non ſint transgreſſi, alia tamen præuaricati ſunt. Ac quemadmodum ille admiſſo flagitio propriam ſuam mortalitatem in genus omne mortalium transfudit: conſimilem ad rationem, Chriſtus vniuerſam iuſtitiam replens, aque morte reſurgens, cunctis incorruptibilitatem impertijt. Quum deinceps figuram eum vocat, oſtendit ſublimitatem eius ſententiæ quam ſubijcit, *ſed non quemadmodum delictum. Qui eſt typus futuri*: Qui (inquit) Adam, figura erat venturi; nimirum Chriſti. Quanam ratione? Æque, inquit, atque per mortem Adami, omnes moriebantur: ſic per mortem Chriſti, omnes viuemus reſurgemuſque: Typus igitur ex contrario contingit. Aliter: Ecqui figura Chriſti eſt Adamus? Etenim perinde ac ille omnibus ſuis poſteris, ijs etiam qui non ederant de ligno illo, cauſam mortis per manducationem induxit: Haud diſſimilem ad modum Chriſtus in ipſum credentibus: etiam ijs qui nihil iuſte egerunt: iuſtitiæ† autor eſt & collator. *Sed non quemadmodum delictum, ſic & donum.* Obſerua quid dicat: Non adeo, inquit, efficax eſt delictum Adami, vt donum Dei. Si igitur tam fuit potens delictum Adami (etiam ſi infimum eſſet ac longe inferius dono Dei) vt etiam eos qui non peccauerant, morte frangeret: quanto maiore robore donum Dei efficax erit: eos etiam qui non recte egerint, reſurrectione ſua viuificare? *Si enim vnius ob delictum, multi mortui ſunt.* Vult indicare efficaciorem potentioremque fuiſſe Dei gratiam, Adami præuaricatione. Ecquanam ratione iſtuc? Nam videmus eum qui paria effecerit, etiamſi diuerſi ſint effectus. Vt enim obedientia Chriſti in omnes homines allegauit vitam & reſurrectionem: haud impari via, inobedientia Adami, in omnes homines demiſit mortem. OECVMENII. Quum iſta ita ſeſe habeant, quemadmodum dixit, efficacior fuit gratia Dei. Et non ſecundum hoc maius ipſum dico, quo quiſpiam cogitare poſſet: nimirum quod vita cum maior ſit morte, tum etiam præſtantior: ſed certe quod ipſo opere, adeoque reuera, maiora effecerit Chriſti obedientia, Adami tranſgreſſione. Quomodo? Nam mors principium ex Adam ducens, noſtri omnium peccatum cooperationem habuit, vt contra omneis eſſet potens: quod tamen minime potens futura erat, ſi à cunctis ſordibus manſiſſent puri mortales: Gratia autem DEI, vel citra noſtram cooperationem ad omnes acceſſit: atque hoc indicat, quod gratia reſurrectionis non ſolum in Fideles efficax fuerit, veluti eos qui fidem ad ſalutem contribuerint attuleríntque: verumetiam in infideles, vt Iudæos & Græcos. Quod igitur noſtro auxilio non eget, maius dicit quam quod eget noſtra, ad hoc vt potens ſit valeatque, ope. *Multo magis gratia Dei, & donum in gratia quæ eſt vnius hominis Ieſu Chriſti, in multos exuberauit.* Ne dum, inquit, gratia Patris, ſed Filij quoque. Eſt autem confirmationis argumentum à poſſibili ductum, quum ait: Gratia Patris & Filij. Vbi autem Pater & Filius; planum fit quod Spiritus poſſit neminem non ſeruare. *Ac non quemadmodum per vnum qui peccauerat donum*: Non inquit, vt peccatum Adam, ita & donum Dei: verum, donum eſt maius. Qua ratione? iudicium enim: hoc eſt, condemnatio: ex vno Adam in omneis homines venit: Gratia vero ac donum Dei adeo exuberauit vt & ipſum Adami peccatum deleret: nec illud ſolummodo verum omnia omnium aliorum mortalium alia delicta quæ poſt illius peccatum commiſerunt. Nec id tantum effecit, verum ad iuſtificationem: id eſt, ad iuſtitiam, omnes deduxit; Multum autem intereſt inter obliuionem peccatorum & iuſtitiam. *Iudicium enim ex vno ad condemnationem, donum autem ex multis delictis ad iuſtificationem.* Constructio eſt: Non ſic, inquit, donum eſt, perinde ac tranſgreſſio & peccatum eſt per vnum qui peccauerat, ſed donum eſt longe excellentius & maius. *Si enim vnius delicto, mors regnauit per vnum.* Iterum idem confirmat, & ait. Si enim vnius Adami delicto, per ipſum vnum mors regnauit; multo magis nos gratiam & donum accipientes & iuſtitiam, non ſuccumbemus morti, ſed certe vincemus. *Multo magis exuberationem gratiæ ac donum iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum.* Exuberationem, ipſam largitatem & copiam vocat. Confirmat autem iſtuc, quod in vita regnare debeamus, quatenus gratia nobis haud parcè neque diuiſim data eſt, ſed copioſè. Vel hunc ad modum intelligere queas: Non ſolum vt viuamus, data eſt nobis gratia Dei, vtque peccatum tollatur, & pœna ſimul auferatur: verumetiam vt & Filij Dei efficiamur, & cohæredes Chriſti, & hæredes Patri, concorporeique Filij aliaque innumera bona conſequamur. Eam ob rem *exuberationem*, inquit, *gratiæ accipientes.* Aliter; Eadem ratione certat. Quum enim communem vulgi opinionem exuperaret: atque adeo mirificum videretur, vnius Ieſu Chriſti vita, dono & virtute, omne ſeruari mortalium genus: multipliciter illud comprobat. *Igitur quemadmodum per vnius delictum, ad omnes homines ad condemnationem, ſic per vnius etiam iuſtificationem, in omnes homines ad iuſtitiam, vita. Vt enim per obedientiam vnius hominis.* Idem rurſus argumentum eſt. *Peccatores conſtituti ſumus multi*, morte ſcilicet & pœna. Vel, quod ſerie quadam & ordine in omnes homines primi parentis peccatum tranſierit:, omnibus nobis per imitationem & ſucceſſionem quandam peccantibus. Vel, *peccatores*, pro eo quod eſt, obnoxij morti & ſupplicio. *Sic & per obedientiam vnius, iuſti conſtituentur multi.* Siquidem obediens factus eſt Patri vſque ad mortem, mortem vero Crucis. *Lex autem*: Legis gloriam tollit. Ad Iudæos enim illi certamen erat, & ait; Non ſolum autem nobis nihil profuit lex, vt & peccatum per tranſgreſſionem augeret. Coniunctio ἵνα, id eſt, *vt*: non eſt poſita hic vt rationem reddat, verum vt quod acciderit indicaret. Non enim in eum finem ſancita eſt lex ac data, vt peccatum faceret abundare; minime gentium: verum data eſt, vt nos ſeruet & erudiat. Atqui non obſeruata auxit peccatum: non quod per propriam naturam peccatum augeat; ſed per ſocordiam & tranſgreſſionem eorum qui ipſam non obſeruant. GENNADII. Simile eſt hoc, ei quod Galatis Apoſtolus dixit, lex, præuaricationum cauſa lata eſt. Nam particulam, ἵνα, id eſt, *vt*: hic iuxta proprietatem linguæ poſuit, ſignificat enim conſequens. Cunctis enim Adami poſterijs: imo ipſi etiam Adamo lege lata, abundauit delictum. Quo enim præcepta maiora, hoc ſi quis ea tranſgrediatur, delicta grandiora. *Subintrauit*, acceſſit, opportunitatem eius oſtendit. *Vt abundaret delictum.*

Quum enim multa mandata dediſſet lex, ſi quis eam præuaricetur, peccata auget. *Vbi autem abundauit peccatum.* Ne perterreſias, inquit, quod peccatum abundauerit? etenim hominum tranſgreſſione ad bonum & commodum vſus eſt Deus, indigentibus opes tribuens. Hinc enim gratia per Chriſtum maior & deſiderabilior facta eſt,

cuius

Margin notes: *Gen. 3.* — *Luc. 13.* — † Primæ quidem, quæ in Baptiſmo donatur: non autē ſecundæ quæ per pœnitentiam confertur. — Vt finale, non cauſale.

Section letters: A, B, C, D (left margin); E, F, G, H (right margin).

A cuius bonitate nobis communicata, fides auctior eſt reddita. Non enim ex abundantia peccati, pœna etiam maior eſt facta, ſed ſalus iucundior amabiliorque nobis obtigit. *Superexuberauit gratia*. Non enim à peccatis tantummodo nos liberauit, ſed innumera etiam bona largita eſt. *Vt quemadmodum peccatum regnauit*: Peccatum enim, Regis inſtar, mors vero, militis & miniſtri in mortem fuit. *In morte*, per mortem. *ſic & gratia regnet per iuſtitiam*. Gratia namque Dei iuſtitia, maiora perſequitur, quam peccatum & mors. *In vitam æternam per Ieſum Chriſtum*: Per iuſtitiam videlicet Chriſti.

CAPVT VI.

B Q*Vid igitur dicemus? permanebimus in peccato, vt gratia exuberet?* Quid? Veniemuſne ad hæc verba, per conſecutionem ex præcedentibus? Qualia vero intelligat, ſubijcit, poſtquam ſupra dixiſſet; Vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia, vt ne inſipientibus videantur dicta, per adhortationem ea tollit. *Haudquaquam*. Id io apertè abſurdis dicere conſueuimus. S E V E R I A N I. Quoniam dum baptizamur, profitemur nos mundo eſſe mortuos, atq; peccato & diabolo nos reluctaturos. *Qui mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in ipſo?* Mortui ſumus peccato, vel quod quadam ex parte illi obediuimus: at quomodo tum licet peccati nomine, & mori & viuere? Vel quod mortui (inquit) ſumus peccato, Chriſto credentes, Baptiſmateque tincti. Non oportet igitur ſalutarem (inquit) mortificationem expectantes, viuere minime optimam peccati vitam: Mortui proinde ſumus peccato. Quomodo? vt ne, inquit, morem geramus ipſi. *An ignoratis, quod qui baptizati ſumus in Ieſum Chriſtum, in mortem eius baptizati ſumus? Conſepulti igitur ſumus ipſi per baptiſma, in mortem: vt quemadmodum excitatus eſt Chriſtus ex*

C *mortuis*. Admirabili vſus eſt ſermone, interpretans, quomodo mortui ſimus peccato. An ignoratis, inquit, quod quotquot in Chriſtum baptizati ſumus, in mortem ipſius baptizati ſumus? Nam mortem imitatur baptiſmus, hoc enim indicat, *In mortem eius baptizati ſumus*, Etiamſi enim baptiſma non ſit corporalis mors: peccatum tamen eſt. *Per gloriam Patris*. Credibilem facit reſurrectionem, per gloriam excitantis. Pulchre porro dicit Patrem excitaſſe, adhuc enim infantibus diſſerit. T H E O D O R E T I, Gloriam Patris Chriſti diuinitatem appellat: nam & alio loco dicit: *Vt Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater gloriæ, ſic & nos*. Conſectarium erat dicere: Sic & nos reſurgemus: Verum ad vitæ inſtitutionem peruenit, aliam à nobis reſurrectionem poſtulans quæ eſt per vitæ nouitatem: in qua emoritur quidem peccatum, reſurgit autem vita, virtute & fide conſpicua. *In nouitate vitæ ambulemus*: Si fornicator non porro fornicetur, & raptor ac prædo non amplius prædetur: vitæ iſthuc eſt nouitas. *Si enim ſimul inſiti ſumus*: Adæquationem quandam oſtendere inſtituit cum noſtri, tum Chriſti. Si ſimul (inquit) inſiti ſumus: hoc eſt, ſi participes ſumus mortis. Inſitos vero propterea ſimul nos dicit,

D quia æque ac corpus Chriſti Domini noſtri tumulatum, adeoque in terram ſepultum, ſalutem mundo protulit: ſic & noſtrum corpus per baptiſma ſepultum, iuſtitiam produxit nobis ipſis. *Similitudini mortis eius, reſurrectionis quoque erimus*. Similitudinem quidem mortis habuit in baptiſmate, non corporalem mortem. Nam tres obitus & ortus, hoc eſt, triplex illa Tinctura: mortem & reſurrectionem ſignificant. Cyrilli. Similitudo erat mortis, Chriſti mors, eo quod non permaneret ipſe in morte, ſed tertio die reuiuiſceret, reſurgeretque. Ac rurſum ſimilitudo mortis erat, Paſſio & Crux Chriſto, idque decenter & apprime: reuixit enim, neque quiſpiam mortuus remanſit. O E C V M E N I I. Vide hic bonitatem Dei? Morte Domini, ceu in imagine adeoque ſimilitudine mortui ſumus: verum reſurrectionis reuera conſortes erimus.

Hoc ſcientes, quod vetus noſter homo ſimul crucifixus eſt. Commemorat poſtmodum quam ſit nobis celebris reſurre-

E ctio, inquiens: *Scientes, quod vetus noſter homo*: id eſt, vita condemnata; ſimul crucifixa eſt cum Chriſto, per baptiſma: vnde etiam dicit in eo deſtrui corpus peccati: hoc eſt, mala opera, ſcelera, flagitia, mortem, expectare. Hæc enim dicit, *corpus peccati*. Aliter: Veterem hominem, non naturam appellauit, ſed enim prauam mentem & ſententiam, quam baptiſmate dari neci adfirmat. *vt aboleatur corpus peccati*. In hoc, inquit, vt aboleatur & morte plane tollatur, ne porro quiſpiam in peccatum incidat. *Vt ne deinceps ſeruiamus peccato*: Internecionem & mortificationem dicit, quantum ad peccatum, vt in caſſum vita: Nam mortuum non quicquam porro committit. C Y R I L L I. Abolitum autem eſt ac deſtructum corpus peccati: id eſt, affectuum in ipſo inſita ſeritas: concitans quidem perpetuo ad turpia mentem terrenisque voluptatibus ceu luto admouens. Atque hoc dicit S. Paulus: Nam impoſſibile legis, in quo languebat per carnem: Pater,

F Filio miſſo in ſimilitudine carnis peccati: amouit, ac de peccato condemnauit peccatum in carne. Videò quînam corpus peccati ſit abolitum? Condemnatus eſt enim in carne peccati ſtimulus, occiſusque eſt in primo Chriſto. Tranſiit autem ab ipſo & per ipſum, ad nos, gratia. *Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato*. Animaduertis, quod quantum ad peccatum, oporteat nos eſſe mortuos? Qui enim (inquit) obijt, iuſtificatus eſt: hoc eſt, diſceſſit: nec non liberatus eſt à peccato: Nonnulli iſtuc de baptiſmate intellexerunt: in quo, Chriſto conſepulti ſumus. *Si autem mortui ſumus cum Chriſto credimus quod pariter etiam cum ipſo viuemus*: Reſurrectionem deinceps prædicat. Si, inquiens mortui ſumus cum Chriſto, quemadmodum obiimus diem per baptiſma: credimus, quod & ſimul viuemus cum ipſo beatam illam reuera ſenioque vacantem vitam, poſt reſurrectionem nobis obuenturam. *Scientes quod Chriſtus excitatus ex mortuis. poſtmodum haud moritur: nec mors porro in ipſum*. Et vnde (dixerit aliquis) perſpicuum eſt, quod ſimul viuemus cum

G Chriſto? Nam & illud obſcurum eſt, num Chriſtus excitatus denuo occumbat morti, que addicatur. Minime (inquit) gentium. Nam eius re certiſſimum eſſe oportet: nempe Chriſtum vltra non moriturum: eam enim ob cauſam etiam mortuus eſt, vt mortem deſtrueret, eamque exarmaret. *Dominetur*. O E C V M E N I I. Quanam enim ratione in ipſum dominaretur, in quo nos vitam habebimus? Nam & nobis ſimul remiſſa eſt mors, in primitijs, qui Chriſtus eſt. *Quod enim mortuus, peccato mortuus eſt ſemel: quod autem viuit*. Adeo, inquit, deinceps non morietur, vt & illud ſemel quod mortuus eſt, non reus morti obnoxius reliquorum mortalium inſtar mortuus eſt, verum propter mundi peccatum, vt illud tolleret occideretque. *Viuit Deo*: hoc eſt, vt Deus: citra vllum nocumentum, vel corruptionem. Vt enim intelligitur, mortuus eſſe peccato: hoc eſt, propter peccatum: ſic etiam accipitur quod dixit *Deo*: hoc eſt, ideo quod ſit Deus O E C V M E N I I. Hanc ad rationem intelliges: perinde ac dicere ſolemus de homine apud nos agente, adeoque noſtræ ſortis: Mortuus eſt ſane carne, viuit autem anima. Iuxta quorundam vero interpretationem ſic accipias,

H quod ait, *Viuit* D E O: hoc eſt, eſt D E V S: vel per hoc quod eſt D E V S: non quod ſi anima eſſet, non viueret. Cæterum quod certius erat, minuſque pugnæ habebat, poſuit: quod ſcilicet ſit ipſe D E V S, *exiſtimate vos ipſos mortuos quidem eſſe peccato, viuere autem* D E O: Ne dicerent: quid ad nos, ſi ſemel vita defunctus Chriſtus in poſterum non moriatur? Sic & vos de vobis ipſis cogitate. Quomodo? quoniam moriemini quidem propter peccatum ſemel, viuetis autem D E O: Etenim in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus: æque ac alio in loco ait. Vel hanc ad rationem intelligas licet: Quemadmodum C H R I S T V S mortem obijt, & viuit; ſic & vos exiſtimate, vos ipſos oportere mori, quantum ad non peccandum attinet: viuere autem in diuinis cœleſtibuſque rebus, per Ieſum Chriſtum, hoc eſt, C H R I S T O auxiliante. *In Chriſto Ieſu Domino noſtro*, id eſt, per I E S V M Chriſtum, per mortem enim ipſius: nobis vita obtigit. *Ne igitur regnet peccatum in mortali*. Poſtquam nos mortuos

eſſe

Digitized by Google

A

eſſe peccato dixiſſet, quantum ad peccatum: *Ne dominetur veſtri peccatum*: ſubdit. Pulchre vero adijcit: *In mortali veſtro corpore*: per corpus enim, peccatum vires accipit. Ne itaque regnet, inquit, vt obediatis ipſi: obedire enim peccato, eſt idem quod inſeruire. T H E O D O R E T I. Regnum hic à tyrannide differt, quod tyrannidi, inuiti ſubdantur ciues: regno vero, ſuapte ſponte morem gerant. Commonefacit igitur nos, ne poſthac peccati potentiæ ac potentatui aſſentiamur: diſſoluit namque imperium eius, Dominus, quo homo factus eſt, ac mortale dum corpus habentibus legem tulit, ea tamen ſanciens, quæ imbecillitati noſtræ reſponderent, conuenirentque. Nec dicit: Peccatum tyrannidem exerceat: ſed, *ne regnet*: alterum enim, peccati eſt proprium; alterum vero, à noſtro conſilio dependet. *Mortali veſtro corpore, vt obediatis ipſi.* Conſolatur eos, dum corpus mortale dicit: monſtrans, quod opportuna ſit aduerſus peccatum lucta, quandoquidem & corpus accommodum ſit & opportunum. *In cupiditatibus eius*: nempe corporis, ne perficiatis quæ ipſum ſuaſerit. *Neque exhibete membra veſtra, arma iniuſtitia.* Corpus namque (vt manum) quiſpiam ducere poteſt, vt fiat ſentum cum eleemoſynæ tum rapinæ; ſic lingua, vt ſit grata & non maledica inſtitui poteſt, atque ad hanc rationem artus reliqui, *omni peccato*: Belle, iniuſtitiam, peccatum appellauit: aut enim ſeipſum quiſquam iniuria per ipſum afficit, aut proximum. *Verum exhibete vos ipſos Deo.* Ex vocibus interim eſt diuerſitas & pugnantia; dum non peccato ſed D E O, illos & corpora & ſeipſos exhibere præcipit. *velut è mortuis viuentes, & membra veſtra.* Ita, inquit, vos ipſos exhibete Deo, vt par eſt, nam mortuos vos iam olim peccatis, viuificauit atque à peccati (adeò ne in vos dominaretur) imperio liberauit. *Arma iuſtitia D E O.* Qui enim ad arma iuſtitiæ, membra ſua conſtituit, D E O, ſemetipſum exhibet. *Peccatum enim vobis non dominabitur.* Qualenam peccatum non dominabitur? Quod ante baptiſma in vobis potens erat, quod remittit etiam gratia Chriſti: Id vero lex præſtare haud potuit. Non eſtis igitur ſub lege, quæ non potuit liberare ſed potius afficere pœna. *Non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Niſi, inquit, nos ipſos ſubdimus peccato, haud intercipimur. Quomodo? quoniam non ſumus porro ſub lege denunciante tantum, peccatum: nec enim ea ornata eſt virtute qua nos liberare poſſit: ſed ſub Chriſti gratia, quæ & commiſſa flagitia condonat, & quæ in futurum excubias canit, ſi nos modo minimè torpeamus. *Quid igitur? peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Haudquaquam.* Vt ne ſegnis auditor fiat, cum audit ſeſe non redigendum eſſe ſub iugum peccati, quod ſub gratia ſit vigilante: præmunit orationem ſuam, ipſumque auſcultatorem à tali cogitatione ſocordiæ auocat. *Neſcitis, quod cui vos ipſos exhibetis*, id eſt, facitis, demonſtrans, præparatis: *Seruos ad obedientiam, ſerui eſtis qui obeditis?* Serui eſtis, inquit, illius rei cui paretis *ſiue peccati ad* mortem ducentis: *ſiue obedientiæ* Dei, ad iuſtitiam agentis. Non dico ad gehennam, neque quæ iſtic ſunt iudicia & ſupplicia: Nonne enim ſatis, vos rubore ſuffundi ob eam ignominiam, qua peccato vos in ſeruitutem redigitis, quum ſitis à Chriſto liberati *ſiue obedientia*, repete, ſerui eſtis ad iuſtitiam. *Gratia autem Deo, quoniam eratis ſerui peccati*: Quum terruiſſet eos ſeruitute peccati, & morte ex eodem prouueniente, beneficiorum, iuxta, Dei meminit addens ipſis animum, atque demonſtrans facilem fore deinceps ad ſalutem viam, obediſtis *autem ex corde*, Nemine inquit vobis vim faciente aut cogente, obediſtis: Id vero ad encomium illorum pertinet. *In quam traditi eſtis doctrinæ formam*: Simulac dixiſſet ſpontaneam illorum eſſe voluntatem, diuinum ſimul auxilium deinceps ſubdit: Vos quidem, inquit, voluntarij obediſtis, Deus autem vos in formam hanc doctrinæ tradidit. Qualem? vt recte viuere velitis & cupiatis; tum etiam incolumes ſitis, valeatiſve circa religionis Chriſti doctrinam: Formam vero doctrinæ appellat, veluti finitionem & regulam. *Liberati autem à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ.* Non ſolum, inquit, Deus liberauit nos à peccato, verum etiam ſubiugauit iuſtitiæ. *Humanum loquor propter imbecillitatem carnis veſtræ, Quemadmodum enim exhibuiſtis membra veſtra, vt ſeruirent impuritati & iniquitati, ſic etiam nunc exhibete membra veſtra, vt ſeruiant iuſtitiæ ad ſanctificationem.* Moderatum & exiguum quiddam dico, atque adeo quod non excedat humanam naturam. I O A N N I S C H R Y S O S T O M I. Natura metior inſtitutionem adhortationemque meam ad vos. Noui enim, quinam in mortali corpore ſoleant affectus concitari propter imbecillitatem carnis veſtræ. Non dixit electionis, deliberationis, aut cupiditatis veſtræ, quæ illorum erat iniuſtitia, ſed carnis, quæ præter ſententiam illis erat, hoc dicit, vt ſermonem ſuum & verbum moleſtia & grauamine liberet. Aliter, multo quidem maiorem oportebat Chriſto ſeruitutem exhibere, & iuſtitiæ, quam ea eſt, quam exhibuiſtis impuritati & iniquitati propter imbecillitatem tamen carnis veſtræ, æqualem poſco: *Quando enim ſerui eratis peccati, liberi eratis ab iuſtitia.* Quando in peccatis viuebatis, adeo parebatis peccato, vt ne tantillum quidem boni ageretis, hoc enim indicat quod ait: Liberi eratis ipſi iuſtitiæ, hoc eſt, non eratis ſubditi iuſtitiæ vlla in re. Proinde & nunc ſimulatque tranſlati eſtis in iuſtitiam. Liberi facti eſtis ipſi peccato, nam iſthuc ſubaudire, ſuperioris capitis ſcopus poſtulat. *Quem igitur fructum habebatis tum ex iis ob quæ nunc pudore affic imini?* Quæ igitur vobis eſt è vetere prauitate commoditas? Immo planum eſt, quod iſtius etiamnum vos pudeat. Tantum enim mali eſt peccatum, vt commiſſo illo, rubore ſuffundamini. *Finis enim illorum mors.* Nedum ab ignominia verum etiam ab euentibus, peccati malignitatem probat, Finis (inquit) illorum mortem nanciſcitur: nempe ſpiritualem. *Nunc autem liberati à peccato, redacti autem in ſeruitutem Deo habetis fructum veſtrum ad ſanctificationem*: illorum, inquit, fructus mors eſt & confuſio: horum autem emolumentum, eſt ſanctificatio & vita. Attamen quum hæc ſe ita habeant, ſic Deo ſeruite deinceps, vt iam antea impuritati & iniquitati, *finem vero, vitam æternam.* Ex ijs quæ data ſunt: ea quæ expectantur, firma facit: hoc eſt, à ſanctificatione, vitam æternam. *Stipendium enim peccati, mors*: Stipendium, veluti fructus eſt. Obſerua autem, quomodo ſermone ſuo pergat, fortioreſque & ſecuriores reddat: ad futurarum rerum expectationem ac quomodo gratos eos facere Deo laboret, eo quod per Chriſtum redempti ſint. P H O T I I. Stipendium appellat, quam ceu mercedem nobis per peccatum comparamus: quamque, admiſſum flagitium ſeu perpetratum, nobis reddit atque donat. *Donum autem Dei, vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro*: Non dixit, merces virtutum ſeu officiorum: ſed *donum*, vel gratia: demonſtrans quod non ex laboribus ſuis verum ex gratia, diſceſſerint ac liberati ſint à peccatis.

Tyrannidis & regni differentia.

Chriſti lex imbecillitati noſtræ reſpondet.

Peccati regnum & tyrannis in homine.

B

C

D

E

F

G

H

C A P V T VII.

A*N ignoratis fratres (ſcientibus enim legem loquor)* Scientibus, cum laude hæc dicuntur. *Quod lex tantiſper dominatur.* Mortui ſumus peccato, ſupra dixit: quocirca non dominatur noſtri, quatenus ei ſumus mortui: Nunc autem commonſtrare vult, quod neque lex in nos exerceat dominium. Humanum autem exemplum commemorat: deinde pergens, oſtendit quod non modo nos mortui ſimus legi verum quod lex pariter ipſa in aduentu Chriſti obierit. *In hominem*: Non dixit, in virum aut mulierem: ſed, *in hominem*, vt vtrumque comprehenderet & ſignificaret. *Dum viuit*: Tantiſper dum viuit; videlicet vir: Per Ellipſin ergo hic S. Paulus locutus eſt; perſpicuũ autem id efficit quod ſequitur. *Mulier enim viro ſubdita, viuenti viro adligata eſt ſolo: Sin maritus obierit diem ſuum, ſoluta eſt à lege mariti.* Ad virum, legem retulit: Credentes autem in Chriſto, ad mulieris locum tranſtulit. *Viuente igitur marito, adultera vocabitur ſi alteri copuletur viro: ſin mortuus fuerit maritus, libera eſt*: Soluta eſt: *à lege* ſtatuente de marito vxoremque illi adnectente κατήργηται: pro, ſoluta eſt, liberata eſt. Photij. Exempli vice, legem vita defunctam hic adfert; non finis & concluſionis loco, vt ne inuilam reddat orationem ſuam.

Vt non

A *Vt non ſit amplius adultera, etiamſi alteri viro copuletur: itaque fratres mei: & vos occiſi eſtis legi.* Non concluſionis, ſed exempli loco legem adducit, ne aſpera videatur oratio, vt antea dictum eſt: Iudæis enim verba facit: verum credentes, morte Chriſti, lege ſe mortuos, & ab ea liberatos. Si igitur lege mortua, non eſt tranſgreſſor qui aduerſus eam committat: quippe quia Domino credit: multo magis (inquit) ſi quis ipſe mortem obijt, perinde ac vos obijſtis, ſolutus eſt à lege, nec eſt porro tranſgreſſor legis qui Chriſto fidem adhibet. *Per corpus Chriſti, vt iungeremini vos alteri.* Per corpus leto dati pro nobis: ſimul enim cum ipſo in baptiſmate mortui ſumus, nec ſumus porro noſtri iuris: empti ſumus enim precio. *Qui à mortuis excitatus eſt:* ceu lege ad orcum demiſſa, adeoque vita defuncta: Quapropter præuaricatores poſthac haud inueniemur. THEODORETI. Fructum feramus: legem nimirum, vita moribuſque noſtris exprimendo: ſiquidem carnem, carni latas ſanctiones nominauit: deeſu videlicet, potu, lepra, idque genus alijs. Aliter: Ad
B meliorem ſpem excitat. Tum enim, inquit: fructum ferebamus: legi, quicquid faceremus, colligentes: iam nunc vero Deo viuimus fructum producentes. *Vt fructum feramus DEO: Quando namque eramus in carne, affectus peccatorum qui per legem vigebant.* In carne: id eſt, carnali vita. Non dixit autem in lege: ne gratificaretur Iudæis, legem adhuc colere viſus. *Efficaces erunt in membris noſtris.* Non enim noram (inquit) concupiſcentiam, niſi lex diceret: *Non concupiſces:* Carnis itaque cupiditates per legem manifeſtantur. Nec dixit, efficacia ſunt: vel operantur efficaciter membra, vt ne carnem accuſet:
Exod. 20. ſed, *efficaces*, inquit, *erant* vel operabantur adfectus. *Vt*
Rom. 7. *fructum ferrent morti:* Innuit affectiones carnis, per Satanam forinſecus etiam accidiſſe, vt nos morti obnoxios redderent, eique includerent: per peccata enim admiſſa, morti fructum ferebamus, commodabamuſque.

Nunc autem ſoluti ſumus à lege, vita defuncti, in qua detinebamur. Rurſus quod inuidioſum erat declinans, non dixit: lex eſt abolita vel ſoluta, verum: Nos à lege liberati ſumus: hoc eſt, abſoluti & adempti. Quamobrem? Nam
C mortui ſumus per peccatum quod nos detinebat: excitatique ſumus non per legem, ſed per Chriſtum. Perſpicuum igitur eſt, quod à lege abſoluti ſumus tanquam mortui: ſubiectique ſumus ei qui nos à morte redemit, Chriſto. *Vt ſeruiremus nos in nouitate ſpiritus.* Ne exiſtiment: poſtquam abſoluti ſint à lege ſibi deinceps quiduis etiam patrare licere citra omnem vel metum vel periculum: aliud longe (inquit) exactius miniſterium ad ſeruitium adfert; ſpiritus nimirum. Pulchre vero: *In nouitate*, dixit: Non enim eadem in nouo Teſtamento mandata quæ veteribus, legis tempore iniungebantur: verum communia noua præcepta, ſapientiamque maiorem complexa, Chriſtus nobis dedit: perinde ac dicat: vt inſeruiamus à
Matth. 5. ſpiritu profectis mandatis. Nam veteribus iniunctum erat non occidere: nobis ne iraſci quidem: illis porro non
Luc. 18. mœchari: nobis autem, ne viſu quidem curioſis eſſe præceptum eſt, *& non vetuſtate literæ:* Non enim lex porro, ſed ſpiritus nobis imperat. Quum dixit: *Vetuſtate*, oſtendit legem eſſe marcidam & inutilem: quod enim antiquatum eſt ſenioque confectum, proximè ad obſcurationem eſt. *Quid igitur dicemus? Lex ne peccatum eſt? Abſit.*
D Quum dixiſſet: *vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus:* ceu ſpiritus ſeruet æternum, lex autem minime ſeruet: ſubdit: *Quid igitur dicemus?* Lex ne peccatrix eſt aut peccati ſuppeditatrix? Id vero (inquit) non adſero: verum, ipſam præbere mihi peccati cognitionem. Quare cruciari me gra-
† Melius poſt. uius etiam oportebit, ſi per † cognitionem delinquam. Pariter autem commonſtrat, legem eſſe peccati conſtitutricem, non modo præter propriam naturam, verum etiam præter ſuam malitiam. *Peccatum non noui, niſi per legem: cupiditatem enim non noueram, niſi lex diceret, Non concupiſces.*

Non dixit, peccatum non feci niſi per legem: verum, non noui. Lex itaque in cauſa eſt, non vti peccatum committas: ſed vt illud ipſum potius agnoſcas. Erudire namque ſolet (ea enim eius eſt natura) nec permittit, per ignorantiam ad brutorum naturam excidere, & ratione vacantibus pecoribus adæquari. *Occaſionem autem accipiens peccatum: per mandatum, in me omnem operatum eſt cupiditatem, citra namque legem.* Peccatum hic videtur accipere, ipſum diabolum. Perinde enim vt ſcriptura. Ser- Ioan. 14.
uatorem noſtrum appellat vitam & iuſtitiam: quando- Colo 3. Ioan. 1.
quidem & vitæ & iuſtitiæ ſit author: hunc admodum, contrariam ſane poteſtatem, alias peccatum, alias mendacium, nonnunquam vero mortem appellat. Sic poſtmodum, vbi inquit: *Peccatum reuixit:* Satanam indicat. Per peccatum itaque deinceps occaſionem accepit diabolus. Etenim præcepta legis, ceu materiem arti ſuæ quandam faciens: hominem deduxit eo, vt diuerſum à mandatis ageret. Planum eſt autem, quod Apoſtolus per, *ſeipſum*, omnem hominem intelligat. Proinde lex non eſt cauſa peccati, ſed peccatum per mandatum: hoc eſt, legem: ſeduxit me. Viden' quam tacite monſtret, legem peccati occaſionem eſſe? At palam hoc non adſerit; ne impingat aduerſum eos. Recte, Omnem: ait, Nam & priuſquam lex ſanciretur, erat concupiſcentia. F
Nam cur Cataclyſmus factus eſt? cur Sodoma interijt? Geneſ. 7.
Atqui quas nunc non noueram, didici ex lege cupiditates, *peccatum eſt mortuum.* Mortuum, id eſt, inefficax, Geneſ. 19.
perinde quaſi dicat: Licet etiam ante legem, peccatum, affectum ſuum haberet, non tamen tantum, quantum nunc agnoſcitur, erat. Dormire namque videbantur peccata, & mortua eſſe, non enim multa noram. Hinc & in ignorantia agens, non adeo peccabam. *Ego autem viuebam.* Quondam viuebam ſine lege, priuſquam daretur mandatum primis parentibus, vitam viuentibus in paradiſo. *Quondam ſine lege*, Quondam: antè Moyſen videlicet, non eram tum mortuus multitudine peccatorum. Tum enim ſolum naturæ legem habebam, quæ me accuſaret, nunc vero & ſcriptam. Animaduertis quinam ex circumſtantia, lex nocuerit? *vbi autem veniſſet mandatum: peccatum reuixit, ego autem mortuus ſum: & inuentum eſt mihi mandatum, quod ad vitam erat, eſſe ad mortem.* Mandatum, legem vocat: quum autem ait, *Reuixit*, oſtendit fuiſſe quidem peccatum, ſed quietum permanſiſſe. Lex autem ceu beneficio nos afficiens: manifeſtauit iſthuc, vt auerſemur illud. Circunſtantia autem, ijs G
qui non effugerunt obfuit. Quæ itaque ad vitam mihi lata erat (ea enim eius natura erat & finis) in mortem mihi verſa eſt, propter noſtram ſocordiam, non certe per ipſius naturam. *Nam peccatum occaſione accepta per mandatum, impoſuit mihi, & per ipſum occidit.* Eadem rurſus varijs modis probat, idque non immerito: Magnam namque gloriam, ingenſque decus lex habebat. Oſtendit itaque, legem nihil quicquam profuiſſe, ſed accepto pondere & occaſione læſiſſe quoque, vt gratus ſit cum docet deferendam eſſe legem, & ad fidem Chriſti accurrendum. *Itaque lex ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum:* Non enim legis naturæ erat quod mihi nocuiſſet: ſed noſtræ, inquit, malitiæ: quod non demandata iniunctaque nobis cuſtodiuimus. Aliter: legem Moſaicam dicit, mandatum quod Moyſi traditum fuit: *ſanctum* profecto; vt quod doceret, quid æquum, quid decens eſſet: *Iuſtum* autem, quod recte in tranſgreſſores ſententiam ferat: Bonum, ceu vitam, illud obſeruantibus impertiens. *Quod igitur bonum eſt: factum eſt mihi in mortem? Haudquaquam: ſed peccatum, vt appareat peccatum,* H
per bonum mihi mortem operatum eſt. Sed peccatum vti demonſtretur, quomodo ſceleratum, validum & forte peccatum, per bonum ipſum: id eſt, legem: mortem operatum eſt. Maximum autem peccati robur indicat, ob oculos nobis ponere volens Chriſti donum quantum ſit; quippe quod nos à tam forti, à quo nemini effugere liceat, peccato liberauerit. *Vt fiat excellenter peccans peccatum per mandatum.* Vt ipſius omne venenum, omniſque malitia appareat; quod ait: καθ' ὑπερβολὴν, per exceſſum, per exaggerationem, & intenſionem dictum eſt. Non parum igitur lex profuit, omnem peccati amarulentiam reuelans, vt ita ipſum euaderemus. *Nouimus enim*, Quum dixiſſet legem eſſe cauſam peccati, tametſi id non ſit ex natura ſua, vt ne exiſtiment

quic-

A quicquam ipſum contra legem dicere: non ſolùm ipſam ab accuſatione liberat, verùm etiam defendit ac laudibus vehit: Vocat autem in iudicium eos qui non obſeruarunt legem. Vide quomodo Titus hunc locum ſit interpretatus, in quarto cōtra Manichæos *Quòd lex ſpiritualis ſit*. Magiſter ac præceptor virtutis, hoſtis peccatorum, ſpiritualis eſt: id eſt, donum ſancti Spiritus eſt, ac veluti naperium eiuſdem. *Ego autem*: id eſt, ipſe homo, non quatenus eſt homo, verùm quatenus nos ipſi vs ita inſtituimus, *Carnalis*: ſub carnis cupiditatem poſitus, ac quæ corpori placent perficiens. *Venditus ſub peccatum*. Nam commotæ, perturbationũ pariter cœtus ſubijt, vt ira, triſtitia, concupiſcentia mala: his (inquit) traditus ſum: id enim ſignificat, *Venditus*: Traditus autem ſum perturbationibus principium ducentibus in Adami præuaricatione. PHYTIR. Vnde perſpicuum eſt, quod venditus ſum ſub peccatum? Ex eo, quod ignoro quidnam agam: liber autem & ſolutus ab ipſo, agnoui quid me oporteat facere, cum à naturæ tum charitatis lege edoctus.

B Enimuero voluntario peccato ſubiugatus, ſub eius iure ſui conſtitutus, ac planè diuenditus: hinc non noui, quid operer. *Quod enim operor*. Deinceps dicit, quomodo venatus ſit ſub peccatum. Ignoro, inquit, quomodo decipiar ac rapiar ad peccatum: furtim, inquit, rapior, vt propemodùm me clàm ſit quidnam patiar. *Non noui*. Non noui, hic non ſignificat ignorantiam, nemo enim vnquam in ignorantia peccauit: verùm, *non noui*, inquit: pro eo quod eſt, renebus obrepior, dolorem & violentiam ſuſtineo, verùm neſcio quomodo eneruer. Tale eſt quod ait. *Non volo*: Non enim neceſſitatem oſtendens hoc dixit; verùm quod non probet ea quæ fiant. *Non enim quod volo, hoc facio: ſed quod odi, hoc ago*: Non dicit quod peccatum ipſi vim faciat, aut cogat inuitum: verùm deceptionem eius oſtendere vult, & quomodo dulcedinem quandam ſenſibus inſpirans, eos corripiat: Nam haud raro, quam rem & damno, & odi, in eam rapior. *Si autem quod nolo, hoc facio; conſentio legi, quòd bona ſit. Nunc autem non adhuc ego operor illud*. Non exiguum legis præconium dicit:

C Quod peccatum nolim, à lege habeo: Quomodo igitur lex, cauſa mali eſt, quum iſthuc ſolummodo doceat: Autor eſt autem adeo laxus, lex: vt ob opportunam peccati ſuauitatem, homo illa etiam agat quorum accuſatrix eſſe videatur; quæ etiam damnet eum antequam agat, tum poſtquàm egerit. *Sed quod habitat in me peccatum*. Ecce quomodo operatum iſthuc peccatum. Suauitas (inquit) ei mihi obijcitur: ſicque decipit me, ne perſeuerem in iſtis in quibus decreui atque conſtitui. Bona eſt lex, videlicet quoniam meipſum accuſo, tranſgrediens legem, odioq; proſequens peccatum. *Non enim, quod non habitat in me*: Libertatem vult oſtendere; nempe quòd homo non ſit Dominus ad boni malique momentum. Dicit itaque: *Non habitat in me bonum*: hoc eſt, non eſt certum neque neceſſario apud me permanet, vt poſſim bona perſequi, immo adeò natura mea corrupta eſt, vt vi quadam ad mala me pertrahat: Id enim eſt veluti habitatio, aſſidua perduratio, ac veluti confeſſio eſt ac tendentia. Hoc eſt: *in carne mea, bonum*.

D Carnem dicit, quæ poſt tranſgreſſionem per peccatum eſt cohabitata, vt S. Methodius in Sermone de reſurrectione ait: *Nam velle adiacet, perficere autem non inuenio*: Volunt is quidem eſt mihi: facere autem non adparet propter peccati raptum, & celerem qua me inuadit arreptione: Corripit enim me, & ita apprehendit vt non peragam quæ à me laudantur, ſed quæ potiùs vituperantur. *Non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago*. Oſtendit tantùm peccati eſſe deceptionem & fraudem, eiuſque perſuaſionem, quum inquit: Sedulo attendo, eſtque mihi animus bonum facere aliquod, eſtque mihi animus nihil mali tranſigere: nihilominùs me concupiſcentia inuadit captiuum me ducens, adeoque perſuadens, quæ mihi placuerunt poſthabere, atque conatus meus bonos intervertere, eique obtemperare. *Si autem quod nolo ego, hoc facio; non adhuc ego operor ipſum*. Ferè enim præter voluntatem meam ad malum arripior, vt adeò totum peccatum ſit ex Dæmonibus ſuggerentibus: Illi enim ſimulac exiguum loci occupauerint, totum ſubuertunt. *Sed quod habitat in me peccatum*. De bono, non dixit habitationem, de peccato autem dixit: nam ſæpè delinquendo, ad peccati habitum peruenimus: Nimia enim conſuetudo, inſtar naturæ eſt. *Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum. Nam malum mihi adiacet*. Obſcurum eſt quod dixit; eſt autem eiuſmodi. Laudo, inquit, legem ſecundùm conſcientiam meam, atque ipſam legem deprehendo, me (ſi quando boni quicquam facere delegero) ad hoc adhortantem. Quid igitur deinceps? Malum, inquit, ago; nam mihi malum adiacet (id eſt, ſedulò mihi adglutinatum eſt) vt ne volēti quidem mihi bonum agere, lex ſufficiat auxiliari: Nam præter adhortari, nihil valet. Igitur à lege abſtinēdum (hoc enim hic efficit S. Paulus) Chriſtoq; accedendum & attendendum; qui non adhortatur tantùm, verùm etiam tollit præteritum delictum, per baptiſma: deinde verò ſeruat & opitulatur. Vel hanc ad rationem intelligere queas: Difficilem eſſe peractu legem relinquitur, quandoquidem volens etiam facere bonum, non poſſum; & ſic inuenio ipſam haud poſſe facilè ſeruari.

F Nam volenti mihi facere bonum, malum eſt magis in procinctu: vel quia & legi & voluntati meæ, malum reſiſtit: Patrocinatur itaque bonis, lex inuenitur *Volenti*: hoc eſt, adhortationem ac veluti conſultationem exhibenti. *Oblector autem lege Dei*: Quatuor ſunt legum formulæ, de quibus hic diſputat. Prima lex eſt Dei, de qua dicit hic: *Oblector autem lege Dei*. Altera eſt, quæ opponitur legi Dei. Tertia eſt, de qua inquit: *Legi mentis meæ*. Quarta eſt, de qua ait; *Legi peccati, quæ eſt in membris meis* Harum prima, eſt Euangelica inſtitutio forinſecus per Verbi miniſterium & prædicationem ingrediens, animam noſtram componens & ordinans. Altera eſt, quæ primæ opponitur; & hæc forinſecus accedit, iuxta operationem mali, animam hominis captiuans. Tertia, quam dicit legem mentis; hæc eſt, quæ naturæ noſtræ à conditore eſt inſita & inſperſa, ad ea quæ Deo grata ſunt, excitans. Quarta eſt, peccati lex; hæc eſt peccati amans, quæ per cōſuetudinem ad malum, peccatu in nobis indurauit. Quomodo igitur in adeò ex diametro pugnantibus legibus incedemus? Harum namque duæ extrinſecus nos adeunt:

G altera quidem ad boni operationem vocans: Euangelica ſcilicet: altera verò ad malitiam adhortans, Euangelicæ oppoſita, prauitatis nimirùm lex. Aliæ duæ intus ſunt, & intrinſecus animam cohibent: altera quidem, lex mentis à cōditore Deo nobis inſperſa, & ad meliora nos ducens: Quarta eſt, lex peccati; ob frequentiam peccatique crebram vſurpationem, nobis infixa. Proinde animaduerte, quàm ſcitè & accuratè dixerit: *Video aliam legem contrapoſitam: repugnantemq; legi mentis meæ*, adeoque huic legi tententem quæ mihi ad bonum eſt inſita; Porrò iſta me captiuum detinet per legem peccati, quod eſt in artubus meis: perinde ac dicat, forinſecùs adſpirans, commouet & irritat omnes in me repoſitas ſordes & ſtercus, quæ mihi ad peccatum conſuetudo fœdè iniecit & inſſit. Vel ſic accipias licet, vt S. Methodius in concione de reſurrectione. Lex Dei (inquit) Euangelica, mouet & exuſcitat quæ nobis ſunt inſita & inſperſa à conditore Deo ad boni operationem, ſemina. Nam quælibet legum forinſecùs accedentium, propriam & mutuato interiorum in nobis legum mouens & prouocans, aut piè aut

H impiè agere nos adhortatur. Vel σύνϑημι αὐτῷ: id eſt, conſentio ei bene habenti: Nam & anteà quid bonum eſſet, nôram; quum verò iſthuc literis quoque proditum reperiam, commendo ipſum. Atque interiorem quidem hominem, dico mentem: Legem verò in membris; peccatum, ob obedientiam ei, perſuaſionem & morigerationem. Quemadmodum Mammonem & ventrem, Deum appellamus, propter ſubditorum ipſis ſeruitutem, & ob eos qui nolunt ipſi dicere, vale, ipſum peccatum nimirum opponitur naturali legi, hoc enim eſt quod ait, *legi mentis meæ*. Quod addit, *in membris meis*, eſt pro: per membra, bellum gerentia aduerſus me. Neque hoc ſit corporis culpa: neque enim ſi Regis domum tyrannus quiſpiam occupet, domus eſt cauſa. Hæc verò explicat, vt demonſtret, quinam ante gratiam, quales item poſt gratiam communicatam ſimus, Ac, quòd per hoſtes in ſeruitutem redactus ſit & coactus eorum robore: Legem verò imbecillem ad opem ferendam demonſtrat, inquiens:

Tit Liber cōtra Manichæos.

S. Methodij Sermo de reſurrectione.

Peccatum totum eſt ex dæmonibus ſuggerentibus.

Peccati conſuetudo, altera natura eſt.

Lex quadruplex.

Matth. 6. Luc. 16.

O infelix ego homo. Secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, oppoſitam legi mentis meæ. Interiorem hominem, mentem aut animam vocat, inquiens: Cupit quidem mens mea agere quæ lex exigit, verum in ipſo tempore peccati, quando corripior per peccatum. (Hoc enim alteram legem appellat, eo quod propria quædam & ea quæ ſint extra legem, imperet.) Hæc lex ſiue peccatum, decipit me propter inſitam membris meis & nobis ipſis concupiſcentiam, meque captiuum ducit. Nam concupiſcentia quæ in nobis eſt, vt commodet, ad incommodum peccatum vertens, nobis ipſis contra nos pro munimentis vtitur. *Captiuantemq; me:* Rectè dixit, *Captiuum ducentem me:* Pugna enim excitata inter peccatum legiſque mandata, ſiue contradicente peccato, abit victoriam referens peccatum, captiuum agens calamitoſum hominem. *Legem peccati.* Legem peccati, periphraſticè, ipſum peccatum vocat. *Quod eſt in membris meis:* Hoc eſt, quod per membra mihi mea reluctatur. Id verò non eſt corporis culpa, neque enim ſi regiam tyrannus quiſpiam domum occupauerit, ipſius iſthuc domus eſt cauſa. O miſerum me hominem! *quis me liberabit ex corpore mortis huius?* Quis, inquit, me liberabit ex corporalibus actionibus, ſpiritualem mortem adducentibus? Aut; quis me liberabit, vt non arripiar ab ijs, quæ in corpore meo ſunt, cupiditatibus, quæ nobis prorſus mortem conciliant? Quis autem alius præter Chriſtum? id enim clàm indicat: Neque enim lex me liberabit, neque mea voluntas (quantumuis hoc conetur) ſeruabit. *Gratias ago Deo meo, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Gratias, inquit, ago Deo; quoniam ipſe me (inquit) liberauit per mortem Filij ſui. *Proinde ipſe ego mente ſeruio legi.* Quantùm ad voluntatem meam attinet (quod ſuprà dicebat) oblector ſecundum interiorem hominem, lege Dei. *De carne autem legi peccati.* Peccatum, per carnem eiuſque cupiditates, quæ ſua ſunt, facit.

CAPVT VIII.

N*Vlla igitur.* Lex quidem ad hunc modum agit: Chriſtus verò à præteritis nos peccatis liberauit, verumetiam in futurum nos liberos effecit; ac tales, qui delictis intercipi captiuique teneri non poſſimus: hoc enim denunciat: *Nulla igitur condemnatio nunc:* ac ſi dicat, nulla poſtmodum (propter peccatum) condemnatrix proferetur ſententia. *Nunc condemnatio eſt in Chriſto Ieſu, non ſecundum carnem ambulantibus, ſed ſecundum ſpiritum.* Quid igitur? nulla condemnatio, neque peccatum nunc? Hoc iam confirmat, & inquit: Nulla ſanè condemnatio; ſed ijs tantummodò qui non ſuapte ſponte carnalem vitam viuunt. Si enim ſolummodò ſpiritualiter viuere elegerint, non peccabunt. Porrò in lege; non qui rectè viuere voluit, potuit, nemine adiuuante neque confortante: in Chriſto autem Ieſu, tanquam ijs qui ſunt in Chriſti fide, eligentibus ſpiritualem vitam. *Lex enim ipſius ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu, liberauit me à lege peccati & mortis.* Quemadmodùm legem peccati, peccatum appellat; ſic & legem ſpiritus, ſpiritum, quem dicit vitæ eſſe choragum ac datorem: hoc eſt quod dicit; *Spiritus per Ieſum Chriſtum.* Ipſe namque Chriſtus autor eſt, cur nobis impertiatur Spiritus donum, & idem nobis ſoluit peccatum, & attrahit (quatenus eſt homo) Spiritum quem nobis communicet. Is itaque Spiritus liberauit me à peccato, & inde emergente morte, ducens nos ad quæque optima. *Impoſſibile itaque legi, in quo ægrotabat per carnem,* Vides quòd legem non condemnet! Non enim dixit, prauitatem legis in qua fraudabat? ſed, *Impoſſibile:* &, *in quo infirma erat:* perinde ac ſi dicat; voluit ſeruare, ſed non potuit. *In quo,* inquit, *ægrotabat per carnem;* hoc eſt, per carnalem effectum: non enim carnem vituperat, criminatur, calumniatur. *Deus miſſo ſuo ipſius Filio:* Suprà confirmabat, nos per Spiritum paracletum ſeruatos; nunc, per Filium, dicit: Nam communi ſanctæ Trinitatis nos beneuolentia ſalui facti ſumus. *In ſimilitudine carnis peccati.* Quod ait, *in ſimilitudine;* non ad carnale reſpicit, verùm ad peccata carnis: Non enim aliam à noſtra naturam ſibi adunauit: minimè gentium! verùm haudquaquam

Similitudo carnis peccati in Chriſto, quid ſit.

peccatricem naturam aſſumpſit: perinde ac ſi dicat; In ſimilitudine peccantis carnis, peccato tamen vacans ipſe. S. Cyrillus libro decimoquinto aduerſus Iulianum: Corpus (inquit) Chriſti non erat peccati corpus; ſed ſimilitudo carnis peccati. Aliter: Chriſtus naturales affectus ſuſcepit ad confirmationem veræ humanæ naturæ, ne videretur, apparenter, in ſpeciem, & per imaginationem duntaxat, hominem induiſſe; repulſis tamen affectionibus, adeoque cupiditatibus planè vitioſis quæ vitæ noſtræ puritatem ſordibus conſpergere defœdareque ſolent: Has enim vt indignas Deitate, reiecit. Hanc ob rem dictus eſt, *in ſimilitudine carnis peccati* factus eſſe. Carnem itaque noſtram vnà cum adfectibus ſuſcepit, peccatum autem admiſit nunquam. *Et de peccato condemnauit.* Non ſimpliciter, neque inexploratè dixit; Quemadmodum potens eſt, pro potentia ſua cōdemnauit peccatum, verùm, primùm certè commonſtrans quòd maximè impegerit, offenderit, deliquerit, peccatum nempè ipſum: *Peccatum in carne:* per carnem, inquit, ſuam. Hoc enim admirabile eſt, quòd per carnem quæ iam olim obnoxia erat peccato, ipſum condemnaret. Quomodo; quum videlicet peccati vacuam & inanem teneret: hac enim ratione, & vincit & punit peccatum. Atqui peccati ſanè punitio, eiuſdem eſt ablatio & interneccio: Hacque ratione, dum peccatum ſuſtulit, exhibuit ſe eſſe Deum. *Vt iuſtitia legis impleatur in nobis qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum Spiritum.* Vt ne quis dicat: Et quid hoc ad nos? Hæc Chriſtus fecit, vt ſcopus legis (hæc enim iuſtificatio eſt) impleatur in nobis. Quis verò legis ſcopus eſt? Vt ne ſiamus obnoxij execrationi, impleatur autem in nobis. quibus? illis qui nolunt porrò ſecundum carnem viuere ſed ſecūdum ſpiritum: Vt enim ne dicas, Chriſtus victoriam obtinuit, nec opus eſt porrò nos nō tutò viuere. *In qui ſecundum carnem non inambulant,* adiecit, perinde quaſi dicat: Scopus quidē legis per Chriſtum nobis partus eſt ac exhibitus; verùm noſtra etiā hic vita & præſentia opus eſt. Chriſtus namque nobis victoriam & coronam impertijt, noſtra autem intereſt, poſſe retinere quæ nobis ſunt tradita: per non peſſimam videlicet conuerſationem, & fidem. *Qui enim ſunt ſecundum carnem, quæ carnis ſunt ſapiunt.* Qui (inquit) carnalibus ſeſe cupiditatibus dediderunt, ijs etiam vnicè ſunt intenti: *Qui verò ſecundùm Spiritum, quæ ſunt Spiritus:* ſcilicet, ſapiunt. *Affectus enim carnis, mors: Affectus autem Spiritus.* Affectum carnis vocat, terreſtrem mentis impetum, atque adeò conatum & raptum ad abſurdas operationes. Hæc verò non eſt carnis calumnia: Non enim dixit, *natura:* ſed, *affectus,* qui poteſt corrigi. *Vita & pax.* Vita, quatenus attinet ad hoc quod dixit: *Affectus carnis, mors:* pax verò, quatenus attinet ad ea quæ ſequuntur: *Nam adfectus carnis inimicus eſt Deo.* Adfectus carnis non eſt caro, verùm ipſius ad intemperantiam impetus: Ita S. Methodius in concione de reſurrectione tradit. *Legi enim Dei non ſubiungitur:* cauſam inimicitiæ dicit, quòd non obtemperent legi Dei. *Neque enim poteſt:* Ne turberis, quum audis: *Neque enim poteſt:* non hoc dixit, quòd carnalem adfectum habens, Deo placere nunquam poſſit; cæterùm, quòd ſi in eo perſeueraret, non poſſit Deo ſubijci: Nam quomodo alias, plerique reſipiſcentes ſeruati eſſent? Non enim iſthuc adfirmat, quòd affectu carnali imbutus non poſſit Deo ſubdi, verùm quia adfectus ipſe (quæ ſunt praua opera, quæ & meritò deſerere licet) Deo non ſubiungatur. *Qui verò in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Quinam verò ſunt in carne: iſti nimirum qui adfectum carnis habent; nam iſtuc per mutuum reſpectum dixit, *Vos:* Ob datam vobis Dei gratiam. *Autem:* Haud eſt ambigentis hoc loci, coniunctio, εἴπερ, ſiquidem, ſed perſuaſi, adeoque certi, perinde ac ſi dicat: Quoniam iam ſpiritus Dei habitat in vobis. Quemadmodum & in eo loco, vbi dicitur; εἴπερ δίκαιον παρὰ θεῷ, poſtquàm ſanè iuſtum eſt apud Deum, reddere adfligentibus vos adflictionem: Nam & iſthic coniunctio, εἴπερ, pro ἐπειδήπερ, eſt poſita. *Non eſtis in carne:* hoc eſt; in carnalibus peccatricibuſque operationibus, verùm in ſpirituali affectu. *Si verò quiſquam ſpiritum Dei non habet, non eſt eius.* SEVERIANI. Spiritum Dei dixit, noui Teſtamenti dona. Porrò ne mœrore afficeret Romanos, non dixit; Si verò Spiritum Dei non habetis

In carne eſſe, quid ſit.

A

Spiritus eſt cõmunis Patri & Filio.

Hom 13 in Epiſt ad Rom.

betis vos; ſed permutauit, vt veluti de alijs loqui videatur. Inſuper Spiritus Dei, etiam Spiritus Chriſti; nam & Patri & Filio Spiritus eſt communis. *Quod ſi Chriſtus in vobis eſt.* Quod triſte erat, in alium quempiam, eumque vnum tranſtulit; quod verò lætum ac deſiderabile, ad Romanos, multitudinis numero refert, inquiens: *Si autem Chriſtus in vobis eſt.* IOANNIS CHRYSOSTOMI. Monſtrauit Apoſtolus, quo haud carnem, ſed peccatum potius accuſet. Præcepit enim corpori, vt peccato moreretur; hoc eſt, peccatum non efficax eſſe debere, neque vllas habere vires. Spiritum verò hic animam appellauit, quæ iam ſpiritualis facta eſt: hanc, iuſtitiam adire iubet; cuius fructus, amabilis eſt vita. *Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum.* Corpus quidem mortuum eſt, quatenus ad peccati effectum & operationem; hoc enim eſt quod ait, *Propter peccatum, Spiritus autem viuit propter iuſtitiam.* Ne perterrefias, inquit, quum audis mortuum corpus: Tibi namque eſt etiam vita; nempe ſpiritus, ad iuſtitiæ & operationem & effectum. Vt autem dixit: *Corpus quidem mortuum*, ſic conſequens erat dicere, Spiritus autem vita. Porrò, Vitam, dixit, innuens non modò eſſe Spiritum, ſed viuificantem

B

etiam ſpiritum. CYRILLI. Excitatus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus à Patre qui operatus eſt ei ex eius ipſius vitam, per Spiritum ſanctum qui ad eum etiam pertinet. Proinde etiam ſi à Patre dicatur excitatus, ipſe tamen etiam per ſeſe reſurrexit & per Spiritum ſanctum; Omnia namque diuina operatur Chriſtus per Patrem & Spiritum paracletum; quare & noſtra Chriſtus corpora excitabit. *Si autem Spiritus eius qui excitauit Ieſum à mortuis, habitat in vobis: qui Chriſtum excitauit à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra.* Ad reſurrectionem peruenit. Quoniam igitur in hac omnes reſurgunt; ſed alij quidem ad vitam, alij verò ad ſupplicium; non dixit, *Excitabit*, ſed, *Viuificabit*: hoc eſt, ad vitam & gloriam reſurgere faciet. *Per ſpiritum ſuum habitantem in vobis.* Cauſam viuificationis reddit, & habitantem dicit, vniuerſalem tantummodò ipſius vim denuncians, adeoque oſtendens. *Proinde fratres debitores ſumus non carni.* Poſt tantum, inquit, exhibitum nobis

Spiritus ſanctus pertinet etiam ad filium.

C

beneficium; debemus certè ſecundum voluntatem Dei, vitam ducere, nec porrò ſecundum carnem. Deinde ne exiſtimetur neceſſaria corporis miniſteria adimere, vt alimentum, indumentum: infert; *Vt ſecundum carnem viuamus*: hoc eſt, in peccatis; vt ve carnalibus eam cupiditatibus permittamus. *Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini*: morte immortali, in gehenna. *Si autem Spiritu opera corporis occideritis, viuetis.* Si autem per Spiritum ſanctum opera corporis (hoc eſt, praua opera) interfeceritis, viuetis vitam illam cœleſtem ac ſempiternam. *Quotquot enim Spiritu Dei ducuntur.* Non dixit, quotquot Spiritum Dei acceperunt; verùm, *Quotquot Spiritu aguntur*: hoc eſt, vniuerſæ vitæ ſuæ heniochum, aurigam & ducem eum præſtituunt. Nam omnes qui baptizantur, Spiritum ſanctum accipiunt; at non omnes, præſidatum ei permittunt atque concedunt. *Hi ſunt filij Dei.* Ecce filiorum etiam adoptionem annunciat. *Non enim accepiſtis.* Poſtquam filiorum

D

Exod. 4

Pſal 81.

adoptionis meminit (fuerunt autem & Iudæi hoc nomine honorati, quemadmodum illud indicat: *Filius meus primogenitus Iſrael*: Et, *ego dixi, dij eſtis & filij, Altiſsimi, omnes*) vult oſtendere, multam adoptionum differentiam. *Non enim*, inquit, *accepimus ſpiritum ſeruitutis rurſus ad timorem*: non perinde ac Iudæi ſpiritualem acceperunt legem, ſeruorum inſtar ad terrorem; id enim indicat, *Spiritus ſeruitutis.* Nam ipſi per timorem, qui in manus illorum poſitus erat, cogebantur facere quod bonum honeſtumque erat; Nos verò, vt filij, propter ſpem in cœlis repoſitam, quæ decet & recta ſunt perſequimur. Quocirca ad ſeruos illos ex æquo omnes in timore vitam agentes, nomine tenus & honore, filiorum adoptio pertinet, ad nos verò re-

Adoptionis noſtræ & Iudæorũ diſcrimen.

nera applicatur, noſtraque eſt ipſa opere. OECVMENII. Perinde ac omnia apud eos typus erant, noſtrorum (quæ nobis per Chriſtum obtigerunt) bonorum; ſic & filiorum adoptionem arbitramur pari ratione figuram fuiſſe. *Spiritum ſeruitutis rurſus ad timorem.* Spiritum ſeruitutis, ſpiritualem legem vocat: Non enim acceperunt Spiritum vniuerſim Iudæi. *Sed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorũ.*

E

Nec conſequens erat dicere, *Spiritum libertatis*: verùm tamen quod potius eſt, protulit & accepit. *In quo clamamus, Abba pater*: dicimus enim: *Pater noſter qui es in cœlis.* Poſuit autem Hebræam dictionem, vt oſtenderet genuinum Patrem & verum per omnia. *Ipſe ſpiritus teſtimonium dicit ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei.* Quia Iudæi, Patrem vocabant Deũ; vult iam demonſtrare hoc ipſis non fuiſſe permiſſum, nobis autem reuera iſthuc datum eſſe, atque hoc perſpicuum fieri ex teſtificante Spiritu. Ipſe itaque Spiritus, hoc eſt, ipſe paracletus ſimul teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, id eſt, communicato nobis ab ipſo dono. Non enim ſolus charismatis doniue huiuſmodi vox eſt; verùm etiam donantis Spiritus. Atqui in hoc loco; *Spiritus teſtatur*: nonnihil eſt controuerſiæ. *Si autem filij & heredes*: Auget dignitatem, quum inquit; *Si filij & hæredes. Hæredes quidem Dei.* Viden' quòd alia ſit noſtra adoptio, quàm Iudæorum? Nos enim hæredes ſumus; cæteri autem, non item. Nam de ijs: *Malos (inquit) male perdet, & vineam illorum alijs agricolis elocabit*: Et rurſus; *Multi (inquit) venient & recumbent cum Abraham, filij autem reijcientur, cohæredes autem Chriſti.* Iterum amplificat dignitatem Chriſtianorum; noſque Domino Chriſto vicinos ac propinquos ſtatuere

Matth 6.

Luc. 11.

Alia eſt quam Iudæorum noſtra adoptio.

Matth. 21

Matth. 8.

F

contendit. *Siquidem compatimur, vt ſimul glorificemur.* Ne ſegniores reddamur, quum vniuerſum gratiæ eſſe cogitabimus; exigit etiam à nobis quæ noſtra ſunt: (inquit) triſtium conſortes erimus; bonorum quoque participes erimus. *Arbitror autem non eſſe dignas afflictiones præſentis temporis.* Opportunitatem & occaſionem adflictionum, per præſens tempus innuit. *Ad futuram* Deinceps oſtendit, totum propemodum eſſe gratiæ, eò quod Deus vincat compenſationibus beneficijſque nos: ac quòd non poſſumus dignum aliquid futura permutatione lue vel pati, vel cõtribuere, vel adferre. *Quæ in vobis reuelabitur gloriam.* Pulchrè dixit: *Quæ reuelabitur*: nam hodieque eſt: cæterum occultata eſt. *Expectatio enim creaturæ.* Ἀποκαραδοκία, vehemens auidaque expectatio eſt. Quod porrò ait, eſt huiuſmodi: Ipſa creatura auidè exſpectat futuram noſtram gloriam. Quàm ob cauſam? Incorruptibilis creata, & ob mortalium peccata corruptibilis facta eſt: quandoquidẽ & nos ex incorruptibilibus, corruptibiles facti ſumus. Vult igitur creatio & creatura, vt homines immortalitatem accipiant (id quod in reſurrectione eſt futurum) vt & ipſa propriam incorruptibilitatem accipiat. Homine enim propter quem creatio facta eſt corruptibilis, incorruptibilitatem recipiente; & ipſa ſimul propriam induet, nunquàm interituram ſanè naturam. Atqui totum

G

iſtuc proſopopœia eſt, vt bonorum excellentiam in apricum proferat: & vt demonſtret, vos multò magis debere, huiuſmodi ſempiternam naturam adeoque incorruptibilitatem aſſequi conari, quam illa creaturam inſenſibilemque creaturam. Nec enim exiſtimabis, inanimatam & ſenſu vacantem creaturam, talia vel exſpectare vel percipere. Aliter. Ἀποκαραδοκία, ἡ ἐπιτεταμένη προσδοκία, hoc eſt, Apocaradocia eſt veluti intenſa expectatio. Excitans itaque auditorem & attollens erigenſque à creatura, grandem reddit ſermonem ſuum Apoſtolus contemptum præſentium conſtituens cupiditatemq; futurorum: atque vt futurorum bonorum excellentiam exhibeat, ac deſiderium oſtendat quo cupiant liberari à quibus detinentur malis; infert. etiam creationem valde cupere præſtolariq; bona. *Ingemiſcit*, inquit, *creatura*: non quia gemitum cuiuſpiã

H

quòd à terra moueatur, audiuerit, hoc dicit; verùm vt ob oculos poneret cupiditatem qua cupit creatura, à malis quibus eſt obnoxia, liberari. *Reuelationem filiorum Dei manet.* Reuelationem; hoc eſt, mundi finem, quãdo demonſtraturus eſt Deus quinam ſint filij Dei quiue filij Satanæ. *Vanitati enim ſubiecta eſt*: id eſt: corruptibilis facta eſt, ſed non planè condemnata eſt, reuertetur enim ad incorruptibilitatem denuò, *non volens, ſed propter eum qui ſubiecit.* Chriſti potentiæ hoc opus eſt, vt vel inuitam ſubiecerit creaturam, *eam in ſpe*: Sperat, inquit, ipſa liberationem: in ſpe igitur liberationis ſubiecta eſt. Deinceps verò ſeipſum interpretatur, quomodo in ſpe ſit ſubdita: *Nam & ipſa creatura liberabitur (inquit) à ſeruitute corruptionis ad libertatem gloriæ filiorum Dei.* Ad libertatem; veluti dicat,

A

ob libertatem gloriæ: hoc eſt, noſtri cauſa, creatura erit incorruptibilis. Perinde namque vt propter nos facta eſt obnoxia corruptioni; ſic rurſum propter nos erit conſors incorruptibilitatis. Vel, *Ad libertatem*, ſignificat quòd æquè ac nos à corruptione liberabitur, ex corruptibili incorruptibilis futura. *Nouimus enim, quòd omnis creatura ſimul nobiſcum ingemiſcit.* Ingemiſcit creatura, cupiens in poſterum deponere corruptionem. Quid ſi hæc, creatura deſiderat; quantò potiùs nos iſthuc velle debemus, nec terrenis adeò hic inhiare rebus? quippe, verbo Dei honorati ſumus, filiorumq́ue adoptionem præſtolamur! *Et parturit ad vſque nunc.* Quia primitias Spiritus habemus, noſque ipſi ingemiſcimus; proptereà præpoſitio σὺν, id eſt, *ſimul*, adiecta eſt, συστενάζει hoc eſt, ſimul ingemiſcit. Rubore autem ſuffundit auditorem, quum hoc dicit: Ne ſis, inquit, inferior creatura; aduenturumque Chriſtum lubens expectes. *Non ſolum autem, verùm etiam nos ipſi primitias Spiritus habentes. Et nos ipſi in nobis ipſis gemimus.* Non modò creatura (inquit) ingemiſcit; verùm etiam nos qui primitias

B

quaſdam exiguas ac veluti guſtum quendam Spiritus accepimus, eò peruenire feſtinamus conamurq́ue. Nam ſi primitiæ, adeoq́ue principium Spiritus tale eſt vt faciant mirifica ex vmbra; quid finis & conſummatio Spiritus efficiet? *filiorum adoptionem:* Ne quis obijciat: Dixiſti nos Deos eſſe; quam ergo aliam adoptionem exſpectamus. ſubdit; Liberationem corporis, hoc eſt, incorruptibilitatem: tum enim ſtabilis erit adoptio. effectuſque eius eueniet, nunc enim neque gloria eſt conſpicua. Expectamus etiam vt liberemur à caſu & ruina in peccatum, ad quod per damnatam vitam propellimur. *expectantes redemptionem corporis noſtri.* Tum enim adoptionis euenta & effectus apparebunt. Porrò ne videatur præſentia criminari, hæreticiſque nonnihil anſæ dare. nò præſentia ſed futura quæ expectantur, dixit bona, quæ ſunt meliora, ipſam nimirum filiorum adoptionem. *Spe enim ſeruati ſumus: Spes verò quæ videtur, nō eſt: Quod enim videt quiſquam, quid adhuc ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus.* Spe enim, perinde

C

ac ſi dicat; omnia à Deo accipientes fidem ipſi attulimus, cuius magna pars eſt ſpes futurorum bonorum: Ne igitur quære, cuncta tibi hic adeſſe bona, ſed nonnulla etiam ſpei reconde. Si enim cuncta eſſe tibi præſto vis, nondum porrò ſperas. Etenim ſpes quæ videtur, non eſt ſpes: Si autem quæ non videmus, ſperamus; per patientiam aſſequemur illorum expectationem, patientia autem eſt maxima virtutis pars. Nemini non item perſpicuum eſt, quòd ſpes & fides patientiam generent. *Similiter & Spiritus opitulatur infirmitatibus noſtris:* Nec exiſtimes, inquit, defatigari te expectando; Spiritus enim nō ſinet te defatigari, verùm hac in re te adiuuabit: Sumus enim infirmi, nec patientes ſatis eſſe poſſumus, citra Spiritus paracleti auxilium. Nam ſi conaris bonum operari quantum in te eſt, Spiritus pariter tui curam geret: ſi verò negligis, tu ſimul negligens. *Nam quid oremus, & quatenus oportet.* Ecquid dicam, inquit, quod ad patientiæ exhibitionem deteriorem, Spiritus indigeamus auxilio, vt in re difficili: Quis enim hoc inficiari queat, quum & in ijs quæ facilia videntur (vt in oratione) eius ope carere non poſſimus? Admoduo enim inutilia nonnunquam citra Spiritus parácleti gubernamen peteremus. *Ignoramus.* Seipſum immiſcet, ne infenſum ſe reddat, neve grauis videatur. *Verum Spiritus ipſe intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Olim plerique varia chariſmata accipiebant; nempè prophetiarum, interpretationum, linguarum, quæ omnia, Spiritum vocabant: Nonnulli etiam orationis donum accipiebant. quū enim ignoraret vulgus quæ ſint commoda, ſæpe inutilia petebat. Acceperunt itaque chariſmata quidē orationis, vt adeò pro populo ad Dominum preces funderent; quod & ipſum, Spiritus dicebat. Dicit igitur, quòd donum & gratia orationis, apud Deum pro nobis intercedit vehementiſſimis gemitibus. Hoc verò ait, commendare atque commonſtrare nobis volens, ignorare nos quid orandum ſit. Nam ſi hoc non eſſet, quid erat neceſſum quoſdam accipere, pro populo interpellandi & orandi donum? *Qui ſcrutatur corda, chariſmata nomi.* Ipſe (inquit) Paracletus, corda ſpiritualium hominum ſcrutans; qui gra-

D

Patientia eſt maxima pars virtutis.

Spiritus, pro dono Spiritus.

E

tiam videlicet orandi ſuſceperunt ſpiritum. *Quiſnam ſit affectus ſpiritus;* ſpiritualium videlicet hominum, qui commemoratum orationis cùm ſpiritum tum donum acceperunt. *Quoniam ſecundum Deum intercedit.* Nouit (inquit) Paracletus quòd ſecundum Deum intercedit, non ſecundum noxiam quandam cupiditatem. *Secundum Deum;* id eſt, voluntatem Dei. *Pro ſanctis.* PHOTII. Qui per orationem ſanctificantur. Vel quia pro puris Deoq́ue placentibus operibus petitiones faciat; vel pro hominibus ſanctificationem deſiderantibus. *Nouimus autem quòd diligentibus Deum.* Sic, inquit, in ignorantia precum à Spiritu iuuamur, & vt mala in bona nobis permutet. Porrò totus hic locus ad eos qui in periculis ſunt conſtituti pertinet, eruditq́ue eos, ne quæ ſibi videantur commoda ſeligant: Nec dixit. quòd non accedat quicquam periculi. Cæterùm; ad bonum cooperantur; hoc eſt, quòd ipſis periculis vtatur ad bonorum, inſidias & calamitates ſuſtinentium, probationem. *Omnia cooperantur ad bonum.* Omnia,

F

etiam mala; nam & hæc Deus conuertit ad bonum ad explorationem eorum patientium conuertuntur. Magnum autem eſt, quod in bonum permutentur, vt adeò ne accedant quidem mala vel adoriantur electos. *ijs qui ſecundum propoſitum.* Quia minimè probabile videbatur, quòd mala in bonum conuerterentur, Dei vocatione adiecta confirmauit, quod dixerat: Non enim quibuſlibet id contingit, cæterùm à Deo tantummodo vocatis. Deinde ne exiſtimetur Deus partem ſolummodo mortalium vocaſſe, ſubijcit; *Iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt.* Oſtendens omnes quidem vocatos eſſe, verùm eos dumtaxat obediſſe adiutos què à Deo eſſe, qui ſecundum propoſitum ac prædeſtinationem ſint vocati. *Quoniam quos præſciuit:* repete; ſecundum propoſitum vel prædeſtinationem vocatos. *Prædeſtinauit etiam conformes fieri imaginis filij ſui, vt eſſet ipſe primogenitus.* Perſpicuum eſt, quòd Filius Dei ſecundum naturam humanitatis ſanctus eſt, & peccato vacat; id, & credentes facti ſunt ſecundum gratiam. *Conformes* autem vo-

Chriſtus vt homo, natura ſanctus.

G

car, qui ſint haud imparis cum eo formæ, imaginem verò Filij, diſpenſationem nominat, & corpus inde ſuum. Nam ſecundum carnem & diſpenſationem ſumus conformes ipſi nos homines, adeoque fratres ipſius; ſecundum verò Deitatem, vnigenitus Filius Patris ſui æterni eſt imago. CYRILLI. Qualiſnam hic imago Dei intelligatur, declarabit ipſe. quum dicit, *Quemadmodum enim tulimus imaginem Terreſtris, ſic & imaginem Supercœleſtis ferentur;* hoc eſt, vitam in ſanctificatione, ac irreprehenſibilem ad quemque proximum conuerſationem. Quemadmodum enim imaginem terreſtris; id eſt Adami, dicimus eſſe vitam in inobedientia & peccato; haud diſſimilem admodum, imaginem Supercœleſtis; hoc eſt Chriſti; ſanctificationem, iuſtitiam & obedientiam adſeueramus. *Inter multos fratres;* Per omnia, cognationem noſtram. quæ nobis cum Chriſto eſt, ſignificare vult, per cognationem quæ eſt in diſpenſatione carnis ſuæ. *Quos autem prædeſtinauit, eos & vocauit: & quos vocauit, hos etiam iuſtificauit.* Vbique; qui ſecundum propoſitum vocati ſunt; ſubaudi. Nam abſurdum

1. Cor. 15.

Adami veriuſq. imago, quid ſit.

H

colligitur,* ſi Deus in quoſdam beneficium contulit, in quoſdam verò non contulit: ſin, *ſecundum propoſitum*, ſubaudiatur; ipſorum virtutem ſtatuit, Deumque à perſonarum reſpectu liberum facit. *quos autem iuſtificauit,* per lauacrum regenerationis, *hos & glorificauit,* per chariſmata & filiorum adoptionem: *Quid igitur ad hoc dicemus?* Perinde ac dicat: Quum iſta ſic habeant; nemo deinceps de tentationibus, quibus hic expoſiti ſumus, conqueratur. Quid enim adducere poteris aduerſus tantam Dei bonitatem? *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Vt ne dicant: quoniam Reges nobis aduerſantur, & populi ac duces (omnes enim dolum nectebant fidelibus) ait; Poteſt Deus, hoſtium noſtrorum technas, occaſionem facere coronarum. Nemo igitur contra nos. *Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quomodò nos Deus perdet, qui nedum conformes nos filio ſuo fecit, ſed & iuſtificauit & glorificauit? Nec id tantùm fecit, ſed & filium ſuum dedit pro nobis omnibus peccatoribus, publicanis & fornicatoribus. *Quomodo non etiam vna cum ipſo nobis omnia donabit?* Si filium in mortem dedit; quid eſt quod de alijs ambigamus?

* *Nam abſurdum colligitur* Hanc (vt Pelagianam) opinionē retractauit S. Auguſtinus, Retract. 1. cap 23. Cæterum, an præſcientia meritorū ſit cauſa prædeſtinationis, petes ex Xiſto Senenſis Bibliothecæ lib. 6. Annotatione 251.

Digitized by Google

A

in qua Theodo[illegible] hûc locū intactum ob præter miſſe. Quin & in explanatione Theoduli illud prorſus reijciendum, quod propoſitū in verbis Pauli, nō Dei, ſed hominū propoſitū interpretatur.

bigamus? Nam qui maius dat, minus etiam dabit. *Quis igitur accuſabit electos Dei?* Plerique impij accuſabant pios atque credentes, ait ergo: Ecquis iam poterit accuſare electos Dei, vel de ijs quicquam conqueri? Animaduerte autem quod nō dixerit ſeruos Dei aut fideles; ſed *electos*; dignitatem illorū amplificans. *Deus qui iuſtificat?* Non dixit, qui remittit peccata; ſed quod maius eſt; *Qui iuſtificat. Quis condemnat?* Si enim Deus proprio calculo quempiam iuſtificat; quis eſt qui cōdemnet? Quid ergo efficit is, qui condemnat? Condemnandi autem verbo, velut de peccato vtitur. *Chriſtus qui mortuus eſt, imò & reſurrexit?* Per iterrogationem ipſum cœptum perficit, tanquam ſint irrefragabilia. Ecquis eſt (inquit) qui condemnet, Spiritu ſimul excipiente adiuuanteque imbecillitatem noſtram, Patre autem iuſtificante, Filio verò pro nobis mortuo? Porrò quos ipſa Trinitas iuſtificauit, quis cōdemnet? OECVMENII. Poteris etiam ſic intelligere, velut ad ea quæ in præſentia dicta ſint, reſpondeatur. Si ſpiritus (inquit) nos adiuuat, ſi excipit, ſi Pater iuſtificat; quis eſt qui condemnare poſſit? relinquitur itaque filius. At filius (inquit) poteſt condemnare? Atqui vſque adeò diligit, vt & mortem pro nobis elegerit; quumque ſit in gloria Patris, & in propriam ſit reuerſus gloriam, non deſtitit à dilectione erga nos, verum apud Patrem pro nobis intercedat. Conſolationem autem & interceſſionem ſic intellige, quòd per incarnationem qua homo factus eſt, pro nobis ad Patrem interpellet: *ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis.* Ne per interceſſionem, diminutionem quandam intelligas: primum parem adeòque æquam dignitatem poſuit, nimirum quòd ſit ad dexteram Patris: deinde adijcit, *Intercedit*; monſtrare volens ignitam ipſius dilectionem erga nos, non quod ipſe per ſeſe non poſſit ſeruare credentes. OECVMENII. Ceu humano more dictum eſt; quoniam Pontifex erat.

B

Quis nos ſeparabit à dilectione Dei? Nemo, inquit, nos ſeparabit, poſtquàm tāta nos dilectione Deus & prouidentia proſecutus eſt ac dignatus. *An adflictio, an anguſtia, an perſecutio, aut fames, aut nuditas, aut periculum, aut gladius?*

C

Non dixit; pecuniæ, gloria, & quæcunque homini ſpecioſa videntur, ſed ea quæ humanam etiam naturam cogere ſolent: porrò θλίψεως id eſt, adflictionis nomine, multa ſignificantur; carceres, vincula, catenæ, proſcriptiones, idque genus cætera. *Sicut ſcriptum eſt.* Pudefacere eos volens adduxit teſtimonium. Si enim qui in veteri Teſtamēto erant, vitam contemnebant, quibus tamen terreſtria præmia promittebantur; quantò magis nos debemus, vt regnum cœlorum obtineamus, adflictione ac labore quādam Deo permutationem? *Quoniam propter te occidimur.*

Pſal. 43 d.

Teſtimonio, ſermoni ſuo fidem facit. *totum diem.* Die enim propemodum occidi ſolent homines. *reputati ſumus tanquam pecudes mactationi deſtinata.* Omnibus, inquit, ad iniuriam expoſiti ſumus; nos Apoſtoli videlicet, tanquam nos oporteat primùm mactari; cui ſanè rei nihil contradicimus. *Verum in his omnibus egregie vincimus, qui dilexit nos.* Auditorem erigit, vt ne ſuccumbat animumve deſpondeat audiens adflictionem & perſecutionem, idque genus reliqua; Omnium, inquiens, dominamur per gratiam Chriſti: Nec dixit ſimpliciter; *Vincimus*; ſed enim ὑπερνικῶμεν, hoc eſt, ſuperuincimus, excellenter vincimus; hoc eſt, per eos qui nobis inſidiantur, coronamur. Inſidiatores enim & aduerſarij noſtri, ſunt nobis coronarum ſuppeditatores, ſi modò patienter iniuriam propter Chriſtum feramus.

D

Perſuaſus enim ſum, quòd neque vita, neque mors, neque Angeli, neque poteſtates, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo. Quia ſuprà, præſentia dixit; nunc futura commemorat. Neque futura (inquit) mors, neque futura vita, neque Angelus, neque poteſtates, poterunt me ſeparare à dilectione Dei, quæ mihi per Chriſtum donata eſt. Nam omnia, mihi, prę illa charitate ſunt exigua. Quum omnem deinde creaturam enumeraſſet viſibilem & ſpiritualem; adijcit: *Neque alia quædam creatura*: Hoc eſt; ſi alia quædam præter eam quæ eſt, ſubſiſteret; neque ipſa mihi quicquam eſſe videtur ad charitatem Dei. Poſtquàm verò & Angelorum & Poteſtatum mentionem fecit, ne exiſtimes, Angelos quoſpiam aut poteſtates à Chriſto auertere velle, abſit: enim vero vehemens deſiderium ſignificare quærens, & ardorem erga Deum, ad hos ſermones peruenit. *Neque profunditas; neque vlla alia creatura poterit nos ſeparare à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

E

THEODORITI. Profunditatem, vt opinor, Gehennam appellat: altitudinem autem, regnum, prętereà æternam vitam, & æternam mortem. Aliter: Id eſt, neque valde celebria, neque apprime incelebria nos ſeparabunt à dilectione Dei. Quod autem dicit, eſt eiuſmodi: Etiamſi alia tanta creatura eſſet, quanta eſt viſibilis & inuiſibilis, nihil quicquam tamen ab ea me charitate diuelleret.

CAPVT IX.

V*Eritatem dico in Chriſto, non mentior, ſimul Teſtimonium mihi dicente conſcientia mea, in Spiritu ſancto, quoniam triſtitia mihi magna eſt, & inceſſabilis dolor cordi meo.* Supra, primum meminit charitatis Dei, vt ne videatur verba dare, ſi de propria dilectione loquatur: nihil enim mirum, ſi amatus redamet. Quippiam ardui porrò dicturus eſt,

F

eam obrem præſtruit ſibi iter, vt verus eſſe credatur. Vide autem: *Veritatem* (inquit) *dico in Chriſto, non mentior, conſcientiaq; mihi ad hoc teſtis eſt in Spiritu ſancto: Optarim enim ipſe ego anathema eſſe à Chriſto.* Obſerua epitaſin, hoc eſt, intentionem. Non dixit, velim, ſed, *optarim.* Videtur velle pro fratribus abalienari à Chriſto, adeòque cognatis ſuis: hæc enim anathematis vis eſt. Attamen exactè rimanti hæc, apparebit eum ob Chriſti dilectionem hæc dixiſſe. Quanam ratione? Quia enim videbat Deum à Iudæis vituperari, hunc ad modum: Nos (inquiunt) qui Legem & Promiſſionem accepimus, & qui maiores ſumus ipſius Chriſti, ad quos pertinebat adoptio filiorum, eiecti ſumus: Subierunt autem in noſtri locum homines recens ab aris & focis egreſſi. Quum igitur hæc dicturos norat, & ne eſſet occaſio blaſphemiæ contra Deum, cupijt Iudæos etiam reſipiſcere, atque adeò anathema pro ijs fieri: quod ſanè indicium eſt ingentis dilectionis, qua erga Chriſtum accenſus eſt. Quem enim nulla creatura

Vis Anathematis.

G

ſeparare potuit à Chriſto: quomodò charitas erga cum cognatos tum fratres, ſegregaret? Ne itaque dicerent, excidit promiſſio Dei, irritaque facta eſt promiſſio, & ad opus non peruenit aut exitum, adijcit verbum: *Optarim*, inquit, *anathema fieri*, id eſt, cuperem à gloria Chriſti ſegregari, vt Dominus ille meus Chriſtus non vituperaretur: proptereà quod audiret nonnullos tali Chriſtum maledicentia petere: Res ipſæ factæ ſunt irritæ & vmbræ inſtar. Nam alijs promiſit, alijs verò præſtitit. Exciderunt itaque è regno tales. Lubens autem nihil non periculorum ſuſtinuiſſem, ne ita obloquerentur & malè ſentirent de eo qui eſt deſiderabilis præ filijs hominum. Præceptor porrò cunctarum gentium hæc dicit, qui innumeras expectabat coronas, qui omnium dilectionem & ſalutem ſuæ ipſius anteponit, *Pro fratribus meis, qui mihi cognati ſunt ſecundum carnem.* Propter Chriſti dilectionem, hoc dixit: voluit enim ipſum ab omnibus glorificari: Cæterùm, donum ita publicare noluit, vt non ſanguine ad ſeſe pertinentes quoque contingeret. Donum namque, quo

H

adeò ardenter Chriſtum amat, cognatos etiam amore complecti facit; *qui ſunt Iſraelitæ, quorum filiorum eſt adoptio, & cultura, & promiſſiones, quorum ſunt patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem; qui eſt ſuper omnia Deus.* Oſtendit, Deum nihil prætermiſiſſe quod faceret ad Iudæorum beneficentiam: Ipſi namque propria tum imprudentia, tum ſtultitia ab omnibus iſtis bonis exciderunt; atque ob eam cauſam recenſet dona Dei. *Benedictus in ſecula, Amen.* S. Apoſtolus pro omnibus gratiam retulit. Et ſi enim, inquit, aduerſus ipſum blaſphemi ſunt Iudæi, Ego tamen (vt is qui arcana norit, eiuſque prouidentiam compertam habeat) ſcio quòd prædicari laudarique, quippe qui Deus exiſtat, ſit digniſſimus. *Non quod iam veluti exciderit ſermo Dei.* En anathema quæro fieri, vt Iudæi Chriſto accedant, & vt ne videatur Deus in ſuis promiſſionibus minus eſſe verax. Attamen ſi penitus rem fuerimus contemplati, neque nunc excidit ſermo, aut promiſſio Dei facta eſt irrita. Hæc enim dixi, inquit, non quòd ſermo Dei caſſus factus ſit; verùm vt dilectionem ipſis meam oſtenderem.

A

Deinceps etiam monſtrat, quomodò ſermo Dei, & promiſſio Abrahamo facta, non ſit irrita facta nec exciderit. *Geneſ. 22.* Qualis nam? quæ pollicetur ſemen eius futurum aſtris ſimile: Semen autem ſecundum promiſſionem, eſt eorum. Suntne ij qui non exciderunt à diuina promiſſione. *Non enim omnes qui ſunt ex Iſrael, illi ſunt Iſraelitæ: nec, quia ſunt ſemẽ Abraham, omnes propterea filij; verum in Iſaaco vocabitur tibi ſemen, hoc eſt.* Et quomodo non excidit verbum Dei? Quoniam, inquit, non omnes qui ex Iſrael ſunt, Iſraelitæ ſunt, hoc eſt, Abrahami: deinde ſeipſum declarat; Non enim ſi qui ſunt filij Abrahami ſecundum carnem propterea ſunt filij promiſſionis, quibus promiſſio data eſt. Verùm quales nam ſunt filij Abrahami? Audi, inquit, Scripturam. Obſerua autem quòd non dixerit ex Iacob; verùm ex Iſraele; virtutis manifeſtationem ac notitiam Iſraeli attribuens, ſupernumque ac cœleſte donum. *Geneſ. 21 b.12.* *non filij carnis.* Deinde interpretatur ad doctam Scripturam; quid ſit, *In Iſaac vocabitur tibi ſemen:* Quoniam, inquit, qui ex promiſſione ſunt, filij ſunt. Non dixit autem, Abrahami, ſed Dei; oſtendens neque Iſaac ſimpliciter eſſe filium Abrahami, indicando quod filiorum adoptionem habentes, ij ſunt iuxta promiſſionem, filij Abrahami, *hi ſunt filij Dei.* Hac enim ratione & Idumæi (quandoquidem & ipſi ſunt de ſemine Abrahami quantum ad carnem attinet) debebant eſſe filij Dei, ſed non ſunt; nam ſecundum carnem ſunt ſemen Abrahami. Nos verò ſumus filij Abrahami, qui ſumus eiuſdem cum eo fidei; filij autem Dei, per lauacrum regenerationis: *ſed filij promiſſionis reputantur in ſemen.* Quotquot ſecundum Iſaac nati fuerint; hi ſunt & ſemen Abrahami & filij Dei: Nam Iſaac non eſt natus, lege naturæ, cæterum virtute promiſſionis. Igitur qui ſic nati ſunt, filij ſunt Abrahæ: Hanc verò ad rationem nos naſcimur per baptiſma. Quin etiam & verbis, nos promiſſionis filij efficimur. Verbis quidem, quòd per nomen Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, in baptiſmate fiat ſubmerſio & intinctio; promiſſione verò, quando Prophetæ antè multa tempora baptiſma nunciarunt; vt, *Lauamini, mundi eſtote.* *Iſa.1 d.16.*

C

Promiſſionis enim ſermo ille, ſecundum tempus iſthuc veniam, eritq; Sara filius. Non ſolum autem, ſed & Rebecca, ex vno ſemen habens patre noſtro. Quid mirum eſt, quod Iudæi credentes, in ſemen Abrahami reputantur; Infideles autem, non item? Nam id & in veteribus deprehendes: Iſaac namque ſolus pro ſemine cenſetur, quum tamen & alij ex Cheturra naſcerentur. Non ſolùm autem hoc, inquit, verumetiam Rebecca ſimul ac ex vno Iſaac ſemen haberet, duoſque genuiſſet, non habuit tamen ambos placentes Deo neque reputatos in ſemen Abrahami. Pari ratione, Iudæi; alij quidem Fideles ſemen Abrahami ſunt, & ſeruantur in æternum; alij verò infideles, & pereunt. *Iſaac;* ex quo non habuit duos placentes Deo; Ambigentibus dubia diluit Quid mirum, inquiens, Iudæorum quoſdam ſeruatos eſſe, quoſdam verò non item; quum & in Patriarchis iſthuc acciderit? *cum nondum nati eſſent, neque quicquam vel mali vel boni egiſſent,* Eſau & Iacob. *vt propoſitum Dei maneat ſecundum electionem,* Electio ſecundum præſcientiam ac prædeſtinationem. *Non ex operibus, ſed ex vocante:* Quum

D

enim nondum quicquam egiſſet Iacob, vocauit eum dilectum; *Iacob* (inquiens) *dilexi, Eſau autem odio habui. Dictum eſt fœminæ; Quoniam maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum, Iacob dilexi, Eſau ſum odio proſecutus.* Dictum eſt matri priuſquam pareret; Maior ſeruiet minori. *Quid igitur dicemus? Nunquid iniuſtitia eſt apud Deum? abſit: ad Moyſen enim dicit.* Quid igitur: Num iniuſtus eſt Deus: Nequaquam. Audi itaque reliqua deinceps. Virtus quidem & vitium iſthic diſcernebant, hic verò vitium erat vniuerſorum Iudæorum peccatum; quod vitulum ſcilicet conflarant; & interim tamen alij quidem ſunt puniti, alij verò ſeruati. *Miſerebor enim, inquit, cuiuſcunque miſertus fuero.* Non enim tuum eſt, ô Moyſes, nouiſſe quinam clementia digni ſint, verum iſthuc mihi permitte. Homines quidem poſt natiuitatem fortaſſe quicquam animaduertunt; cæterum Deus priuſquam quiſquam naſcatur, nouit quid ſit in homine. Porrò Eſau, ceu impius odio eſt habitus. Quid verò dicemus de Iudæis in deſerto: Nonne omnes vitulum finxerunt? Quomodò igitur dictum eſt, *Miſerebor, cuius miſertus*

Malach 1. & 2.
Geneſ.25.
Exod 33. d.19.
Deut.9.
Exod.32. f.28.

E

ſum: Nam iniuſtitia apud Deum nulla eſt. Interim tamen, quum in vniuerſum omnes fudiſſent vitulum. Miſerebor, inquit, cuius miſereri voluero. Atqui occultis oculis Deus inſpicit in corda mortalium; neque hominum more iudicat: Proinde neq; hodie in Iudæis iniuſtus eſt Deus. Quotquot enim digni ſunt, ſeruantur: credunt enim: Et quotquot nõ ſunt digni, pereunt; nõ enim credunt. *Miſerebor, cuius miſerebor, & miſerebor quem miſereri voluero.* Perinde quaſi dicat, Ego noui quinam digni ſint ſalute, & quotquot indigni. Quòd ſi Moſes ignorauit arcanum hac in re diuini conſilij, quanto magis rerum & euentuum cauſæ nobis clam erunt? *Non eſt igitur volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Operæprecium quidem eſt velle & currere, adeoque quemlibet pro ſua virili agere, attamen citra voluntatem Dei, neque volens neque currens, quippiam eximij perficiet. *Attenim ſcriptura Pharaoni.* Videbatur ipſi obijci, *Ex.9.c.16.* cur rejectus eſſet Iudaiſmus apud Deum, & introducta fides: Volens igitur erudire nos ne petamus cauſas eorum

F

quæ agit Deus, ſed vt omnia potius bona cenſeamus quæcunque agit, etiamſi nos ignoremus, multa adducit, quibus infinitam adeoque inſcrutabilem iudiciorum Dei naturam nobis commendet. Huius itaque dilutionem infrà ſubdit: *In hoc ipſum excitaui te vt demonſtrarem in te potentiam meam, & vt annunciaretur nomen meum in vniuerſa terra.* Pharao ex propria malitia paſſus eſt, quæ paſſus eſt, etenim Deus eum ſeruare volebat; hinc & longanimis erat, locum ei pœnitentiæ relinquens. OECVMENII. Potentia Dei eſt longanimitas, adeoque maxima potentia. Quis enim non obſtupeſceret, ſi Deus ſit longanimis? Ait itaque: In hoc regnare permiſi, vt demonſtretur quàm ſim longanimis. *Proinde cuius vult, miſeretur; quem autem vult, indurat.* Qui dignus eſt miſericordia, eius miſeretur; qui verò durus eſt & inobediens, durum & incredulum eſſe concedit. Non enim iudicij præſens tempus eſt; cæterum, morum, liberæque poteſtatis. Induratigitur, pro, durum eſſe permittit, *Exod 4.7. & 14.* intelliges. GREGORII NAZIANZENI. Quòd Ægyptius

G

tyrannus à Deo induratus eſt, non ſic accipiendũ eſt, quaſi Deus diuinæ ſuæ volontati pugnantiam & renſum, menti tyranni impreſſerit: verum, quòd voluntas, adeoque propenſio ad malitiam, non acceperit verbum, molliens iſtum (quo Dei ſententiæ aduerſabatur) renſum. S. BASILII. Indurauit Deus Pharaonem longanimitate, pœnæque dilatione, eius ita malitiam intendens, vt ad extremũ vſque finem nequitia eius aucta, diuinum aduerſum eum iudicium iuſtũ appareret. *Dices igitur mihi: Quid adhuc quæritur? voluntati enim quis reſiſtet? Atqui ô homo, tu qui es, qui ex aduerſo reſpondeas Deo:* Veluti ex conſecutione dicens: Quid igitur reliquum eſt aduerſum nos? Deinde obſtruit omneis qui volunt nouiſſe quæ facit Deus, eorumque ſcire cauſas. Pro ijs quæ diſcis, gratus eſto: ob ea verò quæ ignoras, ne ſis ægro animo, compertum habens, quod omnia haud citra rationem eueniant, etiamſi huiuſmodi rationes te lateant. Pulchrum autem eſt quod ait; *Tu quis es?* Es ne particeps dominatus eius? Es ne iudex ipſius? *Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit. Cur me ſic feciſti?* Non vt libertatem tollat voluntatis, hæc dicit: Minimè, verùm vt oſtẽdat omnibus modis nos oportere obtemperare Deo, etiam ſi ignoremus cauſas rerum, euentuumque. Itaque in

Libertas volũtatis.

H

poſtulatione cauſarum à Deo, cur ita fiant vel non fiant; conuenit perſuaſum eſſe, nihil differre hominem à luto. *An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa fingere.* Habet, inquit, poteſtatem Deus excitans mortuos: alios quidem ad gloriam, alios verò ad ignominiam excitare, iuxta formulam vitæ quam quiſque pro ſeſe hic tranſegit. Hæc S. Methodius, in Concione de Reſurrectione. *Aliud quidem vas ad honorem, aliud verò ad ignominiam?* Ad diſpenſationum poteſtatem hic accipitur figulus: Non, quia alios quidem bonos, alios non tales Deus condidit: Abſit; verum omnia Dei bona ex æquo ſunt omnibus communia. Quia verò ad omnes, huiuſmodi bona Dei peruenerunt, omneis voluit probare. Verum Apoſtolus hæc de potentia Dei ait; qua, quæ ſibi placent, agit. Omnia, inquit, pulchrè & probè decenterque facit; etiam ſi nos non intelligamus, rationemq; ignoremus. Nam perinde ac figulus quod ipſi viſum fuerit, parat; neq; quicquam contradicit

S.Methodij cõcio de Reſurrectione.

ei lu-

A

et lurum, curioſeve ſciſcitatur. hanc ad rationem, neque tu (inquit) curioſus eſto. Num ſi ignores rerum harum cauſas, quas te Deus latere voluit, ægreferes? Atqui ignorantia tibi omnino conducit, ſi modo ſpiritu Dei imbutus es. *Si autem Deus volens oſtendere iram, ac manifeſtare potentiam ſuam.* Longanimitatem voluit commonſtrare, Verū ſimulac ad dementiam, lōganimitate eius abuſi ſunt, iraſci illis deinceps habuit. OECVMENII. Nunquid igitur iræ affectu Deus apprehenſus eſt? haud quaquam: Enimuero, quia talia egit qualia nos indignantes facimus, iram, huiuſmodi rem, ex nobis cognito appellauit. *Tulit in multa longanimitate*: Hoc eſt, omnino longanimis fuit, ad reſipiſcentiam ducens. Vt verò non peruenit ad reſipiſcentiam moreſque ſobrios, afficit ita delinquentem pœna. *Vaſa iræ, apparata ad interitum.* Vas iræ erat Pharao, id eſt, homo Dei iram accendens, vel Dei iram ad ſeſe attrahēs: neque hoc ſolum, verum ad interitum iuxta deſtinatus, ac plane in hoc conſtitutus vt periret, atque id nō à Deo, cæterum à propria malitia. *Et vt manifeſtaret diuitias gloriæ ſuæ ſuper vaſa.* Quid (inquit) condemnas, quòd Deus citra rationem tibi videtur agere? Per ſubdiſtinctionem iſtuc legendum eſt, vel quod iam dixit, ſubaudiendum, *miſericordiæ.* Quemadmodum ad vaſa iræ tulit iram, quū diu fuiſſet longanimis ac patiens: ſic ad vaſa miſericordiæ, hoc eſt, ad eos qui digni per eum miſericordia ſua reputari eſſent, attolit humanitatem & clementiam: hoc enim ſubintelligendum: *quæ præparauit ad gloriam, quos & vocauit nos.* Præparauit autem, poſtquam dignos cognouit, per fidem. Id verò ad gloriam ſuam pertinet. Vnde igitur alij quidem vaſa iræ, alij verò vaſa miſericordiæ? à propria videlicet deliberatione ac voluntate. Deus autem apprimè bonus, vtriſque bonitatem ſuam oſtendit: Non enim eorum qui ſeruantur, tantùm miſertus eſt: verumetiam Pharaonis, partem etiam populi ſui miſeratus eſt. *Non ſolum ex Iudæis, verumetiam ex Gentibus: ſicut & in Oſea dicit.* Viden' quòd non vnius partis, Deus eſt Deus? ſed enim ex Iudæis & Gentibus, qui per fidem digni ſunt ſalute, ſeruat. *Vocabo non populum meum, populum meum.* Quia verò non ſimpliciter dixit. nec veluti ſi quiſquam aſſeueret quòd Deus ex Gentibus ſimpliciter bearit fideles, verùm quia digni fuerunt ſalute, ſubdit Prophetam qui ante multa retro tempora iſtuc præcinuerit: Ecce enim Deus, & populum, & dilectam Eccleſiam, tum filios quoque ex Gentibus appellat. Quid ita? omnino ſanè ob ſuam ſapientiam & fidem. *Et non dilectam, dilectam. Et erit in loco, vbi dictum eſt eis*: Ex gentibus Eccleſiam intelligit, quæ ante hac non erat dilecta: nec enim agnoſcebat Deū. *Non populus meus vos, illic vocabuntur filij Dei viuentis.* Gentes enim rurſus auerſabatur, ob ſuperſtitionem & idololatriam. *Eſaias autem clamat ſuper Iſraelem, Si fuerit numerus filiorum Iſrael, velut arena maris.* Non remiſsè loquitur, ſed clamat, *reliquiæ ſeruabantur.* Non omnes, inquit, ſed pars ex ipſis: id enim, *reliquiæ*, volunt. *Verbum enim conſummans & concidens iuſtitia.*

Iraſci Deū quid ſit.

B

Oſee 2. d. 1.Pet.2.b.

C

Oſea 1. d. Iſa.10.e.

D

OECVMENII. Conſummans vel perficiens, indicat quòd finem habeant omnes ſermones fidei cognitioniſque Dei: nec aliud verbum poſthac prædicandum ſit præterquam quod diuulgatum eſt: Quemadmodum Iudæorum politia & Lex, in præſentem Chriſtianiſmi ſtatum deciderunt. Verùm in perfectione totius fidei omniſque ſermonis, datum eſt nobis fidei illud mirificum verbum. Conciſus verò & conſummatus ſermo, eſt fidei ſermo. *Nam verbum conciſum faciet Dominus in terra.* Fidem intelligit: ſi enim dixeris ore tuo Dominum Ieſum, & credideris in corde tuo quòd Deus ipſum excitauit ex mortuis, ſeruaberis. Vides breuitatem? *Ac ſicut prædixit Eſaias: Niſi Dominus Sabaoth.* Virtutum, Exercituum. *Reliquiſſet nobis ſemen.* OECVMENII. Poteris etiam hoc de Chriſto accipere, ſicut inquit S. Cyrillus. *Velut Sodoma facti eſſemus, & Gomorrha aſsimilati eſſemus.* Obſerua hic dilutionem, quamobrem fideles quidem æternum ſunt ſeruati, in Iudaiſmo verò permanentes, reprobati. *Quid igitur dicemus, quod gentes non perſequentes iuſtitiam, iuſtitiam acceperint:* Quæ eſt rerum permutationis ratio? Et, qui iuſtitiam conſecuti ſunt? Ij quibus iuſtitia non erat curæ: qui verò

Iſa.1.

E

ſecundum Legem vixerunt & per eam in iuſtitia ſunt inſtituti, ad eam non peruenerunt. Quid (inquam) cauſæ eſt? *Offenderunt*, inquit. Nouum enim eſt, & alienum planè quod (non ſectantes) apprehenderint, Iudæi verò ſectantes non apprehenderint. *Iuſtitiam autem quæ eſt ex fide.* Illa enim verè eſt iuſtitia, quemadmodum iuſtitia Legis eſt fallax & vana. *Iſrael autem perſequens Legem iuſtitiæ*: Hoc eſt, iuſtitiam quæ eſt ex Lege. *Ad Legem iuſtitiæ non peruenit: Quare? Quoniam non ex fide.* Non enim quæ lex poſtulat, obſeruauit. *Sed veluti ex operibus Legis.* Voluit (inquit) iuſtificari: quid igitur cauſæ eſt, quo minus perueniret ad iuſtitiam? Quoniam ex operibus quæſiuit iuſtificari: Quis autem mortalium ex operibus iuſtificatur? Inducit autem hic totius loci dilutionem, cauſamque dictorum omnium reddit. Quæ igitur cauſa eſt, Quoniam, inquit, non ex fide, ſed veluti ex operibus Legis. Hanc enim dicit eſſe cauſam interitus eorum, quoniam non fide, ſed veluti ex operibus Legis iuſtificari volunt, *Offenderunt enim in lapidem offenſionis, ſicut ſcriptum eſt. Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali.* Offenderunt, id eſt, increduli manſerunt. Quomodo autem aliquis offendit? Si aduertit animum ad externam Legem, æque ac Iudæi faciebant. Offenſionis porrò lapidem petramque ſcandali, Chriſtum Dominum appellat, nomine illo, ab ijs qui in eum impegerunt eoque offenſi ſunt impoſito. THEODORETI. Impingere conſueuerunt, qui alio mente ſua feruntur, dum ad iter non defigunt oculos, vel inuiti. Hoc patiuntur ſanè Iudæi. In ſuperflua enim Legis inhiantes, à vatibus prædictum iam olim Lapidem videre noluerunt. *Et omnis qui credit in ipſum, non pudefiet.* Viden' non eſſe vnius duntaxat partis ſtudioſum Deum? ſed quiſquis in eum crediderit, ſeruabitur æternum. Infidelibus, ſecùs quàm natura eius ferat, ſe oſtendit: Infidelibus autem, natura clementem & benignum ſe exhibet.

Iſa. 18. 1.Pet.2.

F

CAPVT X.

G

FRatres, *voluntas quidem* Εὐδοκία, bona voluntas, id eſt, vehemens cupiditas. *cordis mei, & precatio ad Deum pro Iſrael eſt ad ſalutem.* Iudæus notaturus, beneuolentiam primum conciliat, vt ne videatur inuidentis eſſe ſermo. verùm eius qui increpationis verba profert, ait itaque: Valde deſidero atque precor, vt ipſi ſeruentur. *Teſtimonium enim illis exhibeo.* Videtur gratificari Iudæis. Teſtimonium illis dico, quòd non per hominem ſunt diſſecti à Chriſto, ſed enim per zelum ſanè Dei. Hoc verò per ignorantiam agunt, exiſtimantes enim Legem eſſe bonam, non adhibent fidem ei, qui poteſt ſeruare, Chriſto. *Zelum Dei habent, verum non ſecundum ſcientiam.* Zelum quidem habent, inquit, ſed non vt agnoſcant quod verè bonum eſt, nempe Chriſtum: ſi enim talem habuiſſent zelum, vtique ipſum agnouiſſent, *ignorantes enim.* Verbū eſt veniæ, quandoquidem gratia Dei indigeat. *Dei iuſtitiam.* Iuſtitiā Dei vocat, fidem in Chriſtum. *Et propriam iuſtitiam.* Propriam iuſtitiā, eam quæ eſt ex Lege, appellat, vel quia nihil porrò valeat, vel quia laboris ac ſudoris ſit indiga. *Quærentes ſtatuere.* Ne Legis quidam igitur iuſtitiam impleuerunt, quam lex poſtulat, quærunt enim ſtatuere, proinde non ſtatuerunt, *Iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* Id eſt obedientem non ſubiecerant ceruicem. *Finis enim legis Chriſtus.* In libro nono aduerſus Iulianum, ſic eſt ſcriptum, Quoniam finis & veluti ſublatio Legis & impletio, eſt Chriſtus. Aliter: *finis enim Legis.* Obſerua, quidnam aſtruat. Quoniam lex, inquit, iuſtum volebat facere hominem, ſed non potuit, nemo enim ipſam impleuerat. Hic igitur finis erat Legis, & propter hunc omnia facta ſunt, & feſtiuitates, & ſacrificia. Verùm hunc finem Chriſtus perficit, per maiorem in ſe fidem. Et quia ex Lege iuſtitiam quandam appellauit, vt ne exiſtiment quod lex iuſtificare queat, Chriſtum, finem & adimpletionem Legis eſſe ait: Lex namque perfectionem habet per fidem in Chriſtum. Qui igitur Chriſto credit, Legem implet. *Eſt ad iuſtitiam omni credenti.* Vt verè iuſtificet legis conſummatorem, hoc eſt, fidem. *Moyſes enim ſcribit iuſtitiam quæ eſt ex lege.*

H

Digitized by Google

A Legalis iuſtitiæ, finis qualis quantuſque ſit monſtrat. *Quoniam.* Non igitur ſeruari poteſt æternum, qui mandata Legis non impleuerit. Quum igitur nemo mortalium impleuerit, iuſtitia ſane per legem excidit, euanuit, adeoque interijt. *Qui fecerit ea homo, viuet in ipſis.* Qui Legem impleuerit, inquit, illis tantùm bonis fruitur quæ per Legem annunciata ſunt, hoc eſt, terra fluente lacte & melle. *Quæ verò ex fide eſt iuſtitia.* Quum feciſſet mentionem iuſtitiæ quæ eſt ex lege, iuſtitiæ item quæ ex fide eſt meminit, oſtenditque non adeò laborioſam aut difficilem eſſe: Quare hanc nonnulli adſecuti ſunt, illam verò nemo. *Ne dixeris in corde tuo, quis aſcendet in cœlum: hoc eſt Chriſtum deducere, aut, quis deſcendet in abyſſum: hoc eſt Chriſtum à mortuis reducere, ſed quid dicit?* Vt ne exiſtimetur fides tranſactu facilis, beneque comprehenſibilis intellectu, ideò demonſtrat eam labore etiam indigere, & aduerſus obſcuras cogitationes habere luctam. Ne dixeris enim, neque in corde tuo, hoc eſt, ne cogitaueris quidē, ſed omnem cogitationem eijce foras. B *Prope te eſt verbum tuum in ore tuo, & in corde tuo, hoc eſt, verbum fidei quod prædicamus.* Breuis ſanè ſalus eſt, nihil indigens externis vel operibus vel circumſpectionibus, in mente namque & lingua ſita eſt: verumtamen ſolido, forti, prudentique animo opus habet. *Quoniam ſi confeſſus fueris in ore tuo Dominū Ieſum & credideris in corde tuo quod Deus ipſum.* Oſtendit, quo pacto in corde, veluti in mente, cogitatione, & lingua, ſalus ſit conſtituta. *excitauit à mortuis, ſeruaberis.* Modum explicat, quo aliquis ad fidem perduci queat: Cogita enim potentiam eius qui Chriſtum à mortuis excitauit, ſic fiet, vt non ſis difficilis ad fidem futurus. *Corde namque creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.* Corde namque creditus Chriſtus, iuſtificat: ſin ore quiſquam eum ſuo confiteatur ſeruat. Sufficiebat quidem cor ad vtraque, & ad credendum & confitendum, niſi operæ ſimul eſſet precium, ore pariter profiteri, ſiue docere eos qui inſtituuntur in religione Chriſti, & in Perſecutionibus confiteri, C & non abnegare ipſum, *Dicit enim ſcriptura, Omnis qui credit in ipſum, non pudefiet.* Teſtimonium protulit, vt oſtenderet non eſſe in fide differentiam inter Iudæum & non Iudæum. Omnis enim qui credit, æternum beatus erit. *Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci.* Omnibus communem eſſe gratiam prædicat, & quod ſuprà multis verbis effecit, Iudæorum faſtum deijcere volens, iam nunc paucis ſanè perſequitur. Non eſt, inquit, medium inter Iudæum & incircumciſum. *Idem enim eſt Dominus omnium.* Suprà de Patre dixerat: *Num Iudæorum Deus tantum, non autem & Gentium?* Nunc idem de Filio commemorat, adeò non nouit ſacroſancti Ternarij diſcrimen. *Diues in omnes qui inuocant ipſum.* Chriſtum ſalutis noſtræ apprimè appetentem indicat, quippe qui diuitias ſuas exiſtimat eſſe, ſi plures beentur æternum. Iſtuc autem facit, erudiens eos ne ſemetipſi deſperent. Nam qui diuitias proprias arbitratur, alios ſeruari, nunquam cunctabitur aut differet illam ipſam ſalutem. *Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, ſeruabitur. Si omnis,* nihil igitur Gentes ipſas Iudæi excel- D lunt, vel Ioële teſte. *Quomodo igitur inuocabunt, in quem non crediderunt?* Paulò antè dixit: Quicunque inuocauerit nomen Domini, ſeruabitur: Quomodo igitur licet eis adſequi Prophetæ verba, hominibus credere nolentibus? ſeipſos itaque accuſent, vt qui ſalutem à ſe excludant ſuam. *Quomodo verò credent, quem non audierunt?* Per conſequens id accidit: Poſtquam enim ſermones eius audire renuerunt, meritò quidem nec crediderunt etiam. *Quomodo audient ſine prædicante?* Proinde, inquit concionator, conuenit vos tolerare cùm verbatum obiurgationes. *Et qui vero prædicabunt niſi mittantur?* Ob oculos eis ponit quòd non propria authoritate prædicaturus illis verbum, ſeſe intruſerit: cæterum ſeſe à Chriſto amandarum teſtatur, dignum ſeſe, fide, hac ratione faciens. *Sicuti ſcriptum eſt.* Non ſolùm, inquit, quòd miſſus ſim: verumetiam quòd olim in Propheta ſit prædictum, me Apoſtolum futurum. Vtriuſque ergo rei nomine fidem mihi adhiberi par eſt, cùm ex Apoſtolatu, tum ex Apoſtolatus mei prædeſtinatione. *Quàm ſpecioſi pedes.* Pedes eorum celebrati ſunt, ob prædicationis rationem. *Euangelizantium pacem, Euangelizantium bona.* E Igitur alias non licebat credere niſi audiretur & niſi prædicaretur, iamque prædicatum eſt & crediderunt etiam quidam; perſpicuum fit, quòd Deus nihil quidem reliquerit quod ad ſalutem mortalium faceret: Quare qui non crediderunt, de ſe ipſi conquerantur. *Sed non omnes obedierunt Euangelio: Eſaias enim ait,* Quia S. Paulo obiectum erat: Si à Deo miſſi eſtis, cur non omnes ex æquo obtemperarunt Euangelio, ſubdit, quòd antè multum retro temporis, iſtuc prædictum ſit. Quum enim nos liberi ſimus, neminem Deus adigere vult, vique pertrahere ad ſalutem ſuam. *Domine quis credidit auditui noſtro?* Si offenderis, quòd pauci obedierint, offenſionem tibi adimat quòd prædictum ſit non omnes credituros. *Fides igitur ex auditu.* Quandoquidem Iudæi perpetuo ſigna inquirebant, occaſione accepta ex loco Prophetico, hortatur eos haud eſſe neceſſarium ſigna inquirere, fides enim ex auditu (vt cernitis) non ex ſignis naſcitur. *Auditus autem per verbum Dei.* F Quum auditum dixiſſet, infert, *per verbum Dei*, ne vile quippiam exiſtimes auditum vel prædicationem: non enim humana iſtic verba, verum diuina dicuntur. Fides (inquit) ex auditu eſt. *Sed dico, Nunquid non audierunt? Atqui in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba ipſorum.* Verùm hic obijciet quiſpiam, inquit, Num quid igitur audiuerunt Iudæi? cui reſpondet: Vniuerſus terrarum orbis audiuit, perinde ac Propheta teſtatur, & Iudæi apud quos maximè diuulgatum erat, non potuerunt audire. *Sed dico, an ne Iſrael cognouit? Primus Moſes dicit: Ego prouocabo vos in non gente, in gente autem non intelligente.* Prædicauerunt ſanè multi. Eſt autem veriſimile, Iſraelitas non agnouiſſe prædicationis vim. Ecquomodo iſtuc contigit? Quoniam, inquit, gentes quibus nihil prædictum erat, agnouerunt: Iſrael verò non agnouit, etiam ſi iam audiuiſſet. En ipſe namque Legiſlator ait: *Ego prouocabo vos per non gentem.* Quum igitur viderent, ex Gentibus nonnullos accedere fidei, deinceps G item acceſſuros, ſeſe autem reijci, par erat, eos cauſam nouiſſe, quæ alia dari haud poteſt quàm quòd ſuaptè ſponte ſint obliti cœleſtium, nec non apertiſſimorum Vaticiniorum. *Exacerbabo vos.* Ad iracundiam prouocabo, hoc eſt, excitabo vel irritabo. Nam ſæpenumero vſuuenit vt qui adhortationi non crediderint, æmulatione perſuadeantur, quæ res plurimùm ſanè roboris habet. *Eſaias vero audet, ac dicit: Inuentus ſum,* In gente non intelligente. Quid autem eſt vilius, aut imprudentius, aut inſipientius, Idolorum cultoribus? *Iis qui me non quærunt, perſpicuus factus ſum.* Ἀποδλμᾷ: Maluit, inquit, periclitari Eſaias, quàm ea non dicere quæ ad reipublicæ ipſorum diſpenſationem pertinentia Spiritus ſanctus nunciarat. *Me non interrogantibus*: ex Gentibus videlicet. Viden' quantas agnoſcendi Chriſti habuerint occaſiones? Animaduertentes enim, fide probati Gentes, debuerunt & ipſi accendi. Enimuero voluntarij excæcati ſunt. *Ad Iſrael autem ait: Tota die expandi manus meas.* Gentium hic prudentiam tollit, quum totum iſtud Chriſti myſterium H gratiæ tribuit. Attamen & gentium eſt, nam quòd & inuentum & monſtratum Chriſtum non dimiſerint, ipſorum eſt virtutis. *Ad populum minimè morigerum.* O Iudæorum quanta hæc eſt accuſatio! Vt enim non dicerent, cur nobis non apparuit? eccur nobis non eſt factus conſpicuus? abundè ſatiſque demonſtratum ipſis ait: Nam adhortabatur eos, nec tamen eſt exauditus Dominus. Totum diem, inquit, ceu tempus incarnationis intelligat, vel potiùs omne illud quod præceſſerat tempus abuſque ex Ægypto emigratione. *Et contradicentem.* Deus quidem vocabat, ac veluti vlnis ſuis complectebatur. Quid autem iſti agebant? inobedientes erant, & contradicebant.

Iſa. 53. *Deut. 32.* *Iſa. 65.* *Soph. 9. & 10.* Sacroſanctus Ternarius. *Iſa. 52. b.*

CAPVT

A

CAPVT XI.

D*ico igitur vobis.* Poſtquàm igitur inobedientes manſerunt, & cõtradixerunt, nunquid iſthic in reiectionem eorum factum eſt, ceu reuerti non poſſint, atque per hoc irritæ factæ ſint promiſſiones ad Abrahamum factæ? Haudquaquam: nam & populus eius eſt, ipſumque præcognouit, hoc eſt, ante gentes. Porro, confirmatio eſt in promptu; Nam & ego, inquit, ſum præco ac doctor gentium: Minimè igitur repulſi eſtis, cæterùm vos ipſos repellitis. *Num repulit Deus populum ſuum?* Per interrogationem & inficiationem producit ſermonem. *Abſit: Etenim & ego Iſraelites ſum, ex ſemine Abraham, ex tribu Beniamin. Non repulit Deus populum ſuum, quem præcognouit.* Si enim repuliſſet, non ex Iudæis ſanè Apoſtolos & præcones delegiſſet.

3.Reg 19.

Aut ignoratis, in Elia quid dicat Scriptura, quòd intercedat apud Deum aduerſum Iſrael dicens: Domine, Prophetas tuos occiderunt, & aras tuas ſuffoderunt. Vt ne dicant Iudæi: Tu igitur ſolus, es vniuerſus populus Iſrael, & in te promiſſiones

B

Abrahamo factæ, finem ſunt accepturæ? dicit ad hoc: Multi quidem ſeruati ſunt qui vobis haud ſunt cogniti, Etenim & Elias ſolus putabatur eſſe relictus, verùm audiuit etiam alios eſſe. Hanc ad rationem iam nunc ait: Næ ex Iudæis crediderunt haud pauci, atqui vos id ignorantes, arbitramini me ſolum eſſe. *Et ego relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam.* Quòd ſi Elias ignorabat ſe ſolum eſſe, non eſt mirum ſi vos neſciatis. *Verum quid dicit ei diuinum reſponſum?* Id eſt, verbum Dei. *Reliqui mihi ſeptem millia virorum qui non flexerunt genu Baal.* Reliqui, verbum, indicat, plurimam partem gratiæ fuiſſe. *Sic igitur.* Quemadmodum igitur, tum ex vniuerſo populo ſeptem millia Deo placebant, ſic hodieque pauci placent, qui & ipſi in ſemen Abrahamo reputantur, nec excidit promiſſio Dei. *Et in præſenti tempore, reliquiæ, ſecundum electionem gratiæ, ſaluæ factæ ſunt. Si autem ex gratia, iam non ex operibus.* Proinde &

C

temporibus Eliæ gratia ſeruati ſunt, hoc enim coniunctio. *Et,* denunciat. Ac rurſus, perinde ac Eliæ temporibus, reliquiæ placebant, ſecundum gratiam electorum: monſtrante ſimul electorum probationem, non enim reprobi delecti ſunt. Sed quum ait, *gratiæ,* Dei donum oſtendit. *Nam gratia iã non amplius eſſet gratia. Si vero ex operibus, non porro ex gratia, quoniam opus non eſt porro opus.* Vt ne dicant: Etiam ſi Prophetæ admonerent nos ac Deus nos adhortaretur, ac prouocatio per gentes ſatis eſſet vt nos ad fidem accederemus, attamen quia grauia quædam & intollerabilia à nobis exigebantur, eam ob rem non obedimus, ſubdit: Gratiæ eſt, quicquid per Chriſtum contingit, nec opera ad fidem ſunt neceſſaria. Neque enim qui crediderunt, ob præterita opera, vocatione illa digni viſi ſunt, verum gratia Dei hoc totum eſt. Nam ſi gratia opus poſtulat, opus igitur non eſt opus, quum gratia anteuerterit, & facta ſit opus, ac veluti expellat opus ne ſit opus. *Quid igitur? quod inquirebat Iſrael,*

D

hoc non eſt aſſecutus? Hoc non eſt interrogantis, ſed accuſantis. Secum, inquit, ipſe pugnat Iudæus quærens iuſtitiam quam non vult accipere. Hic enim (inquit) inquirit quod non vult aſſequi. Nam quod ait, *Non conſecutus eſt,* ſecundum propriam intellige voluntatem. *Electio autem eſt conſecuta:* Tanquam ex eum Iudæis, tum gentibus fideles. Electionem autem dicens, illorum oſtendit aſſumptionem, Deique gratiam. *Aſſecuta eſt,* autem, bonorum magnitudinem indicat. *Reliqui autem indurati ſunt, perinde ac ſcriptum eſt:* Reliqui, quicunque in Iudaiſmo perdurarunt. Inter reliquam reprehenſionem, obdurationem eorum accuſat. *Dedit ipſis Deus.* Dedit, non actum, ſed permiſſum intellige: veluti ſi dicat, accipere permiſit. *Spiritum compunctionis: oculos vt non videant, & aures vt non audiant in hodiernum vſque diem.* Animi circa peiora habitudinem

Iſa.6.c.

& attentionem, compunctionem vocat. Compungi enim, eſt, infigi alicubi & affigi tam malo quàm bono. Hic ſanè permutabilem ipſorum ad malum propenſionem & conatum, κατάνυξιν nominauit. Dicto, *obdurati ſunt,* Eſaiæ Teſtimonium profert, vt non videatur eſſe infenſus illis. Cauſam itaque ipſorum obdurationis ipſorum fuiſſe contentionem ait: Oculos enim habentes, quibus videre poterant mirifica Chriſti, & aures, vt doctrinam ipſius audirent: neutro opportune horum vſi ſunt, verum, hos quidem clauſerunt, illos verò obfirmarunt, incumbentes in hoc vnicè, ne ſeruentur.

Compũgi quid ſit

E

Inſuper & Dauid ait. Tandem incredulitatis pœnam, vaticinantem Dauidem profert, quæ iam vera facta eſt, & ad ſuum effectum deducta. *Fiat menſa ipſorum in laqueum.* Bona ipſorum atque deliciæ ad perniciem vertantur. *& ad venationem, & ſcandalum.* Facilè à perſequentibus, immò, miniſtris capiantur. *& in retributionem ipſis.* Retributionem dixit, oſtendens, quòd hæc patientes, peccatorum pœnas luant. *Obtenebrentur oculi eorum ne videant.* Quod voluntarium ab ipſis futurum erat, tanquam in execrationis parte commemorat. Nam ſimulac noluerunt Solem iuſtitiæ intueri, Ne videant, inquit. *Ac tergum illorum ſemper incurua.* Ipſos Romanis ſubiugãdos indicat: Quod autem, *Semper,* adijcit, innuit eos nunquam futuros liberos. *Dico igitur, num impegerunt vt caderent? Haud quaquam.*

Pſal. 68.

F

Quum acriter eos carpſiſſet, attentat iam nonnihil conſolationis eis adijcere, & inuenit. Næ peccata, inquit, ſunt grauiſſima: Nunquid igitur ſic impegerunt, vt lapſi non reſurgant, etiam ſi cupiant? Minimè gẽtium, inquit: Nam qualiacunque commiſerint facinora, ſi modo velint, Deo reconciliari poſſunt. Interim tamen obſerua, quòd in ipſa conſolatione reos facit maximorum delictorum. *Verum ipſorum delicto ac lapſu, ſalus gentibus obtigit,* Totus hic locus eo pertinet, vt ipſis animum addat, conſoleturque ne deſperent: vtque gentium demitteret faſtum, perſuaderetque ne ad dementiam verterentur: Ob eam, inquit, cauſam ſeruatæ ſunt gentes, quia Hebræi ſeruari non ſuſtinuerunt: ceu hos primum opportuerit (vt dignitas poſtulabat) æternum beari, deinde gentes. At poſtquam illi renuerunt, vos exemplaria facti eſtis fidelium: Vnde & ipſe ait. *Iudæo primum & Græco.* tum Dominus: *Proficiſcemini potius ad oues quæ interierunt in domo Iſrael. Et neceſſarium erat vt vobis primum annunciaretur verbũ.* Viden', incredulitatem Iudæorum locum dediſſe gentibus vt fierent exemplaria? *vt prouocaret eos:* Vt quia à ſeipſis credere noluerunt, per zelum quendam crederent. *Quod ſi lapſus ipſorum diuitiæ ſunt mundi, & quia ſuccubuerunt, opes gentium* Ad conſolationem eorum hæc dicit, & admonitionem. Si enim lapſus eorum atque ipſum ſuccumbere, occaſio facta eſt tantorum gentibus bonorum, quorum bonorum occaſio erunt, quantæque ſalutis ſi omnes ſeruentur? Hac itaque ratione ne deſpondeant animum, eos erudit. *Quanto magis plenitudo eorum?* Conſolatur eos ita conſtitutos, abundè confidere ipſos putans ſalutis ſuæ nomine, ſi modò reſipiſcant. Etenim ſi quando tot tantique impegerunt, tot ſimul ſalutem conſecuti ſunt, ac dum illi eiecti ſunt, tot vocati ſunt, conſidera quid futurum ſit, ſi redeant ad ſaniorem fidei mentem. Nec dixit, quanto magis conuerſio eorum, ſed, *quanto magis plenitudo ipſorum?* Hoc eſt, quando omnes ad Chriſtum acceſſerint. Hoc verò adiecit, gratiæ donique Dei plenitudinem & exuberantiam demonſtraturus.

G

Rom. 1. Matth. 10. Act. 13. & 18.

H

Vobis enim dico Gentibus, quatenus ego quidem ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum glorifico, ſi quo modo ad æmulationem. Pro Iudæis verba fecit, vt ne videatur ex inuidentia, quæ dixit, memoraſſe, vtque gentium demitteat faſtum. Vos, inquit, gentes ob duas cauſas laudo & glorifico: Primùm, quoniam in miniſterium veſtrum (hoc eſt, prædicationem) vobis datus ſum, neceſſe habeo & laudare & glorificare vos, ceu diſcipulos. Deinde vt ex Iudæis (quos & proprium corpus appellat) nonnullos ſeruem laudibus nimirum veſtris impulſos. Atque per hoc gentes ſplendidas reddit, ceu eas quæ ſint ſalutis cauſa Iudæis factæ. Nam illi, inquit, qui ad interitum pertinebant, vobis occaſio ſunt ſalutis, Siquidem robur ex fide ſunt nacti. Aliter: Videtur eos terrere ac ferire qui ſunt ex gentibus, eorumque arrogantiam deprimere. Tacitè autem Iudæos carpit ac circumit, inquirens quomodo fulciat tantam ruinam eorumque interitum, nihil autem inuenit ob rerum naturam. Etenim ex ijs quæ dixit, maiore ſunt accuſatione digni, quum, quæ ijs benè parta ſunt alij ipſis

indigen-

A indigentes acceperint. Poſthac contentionem illorum
indicans, non dicit, ſi quo modo perſuadeam, *prouocem
carnem meam, & ſeruem.* O Iudaicam contentionem, & re-
nilum, & peruicaciam! Non enim dixit, perſuadebo, ſed,
ad æmulationem prouocabo, vt qui aliter perſuaderi
non poſſint, niſi per intenſionem, per ve appoſitionem
exempli aliorum. Suprà autem, eos, cognatos & fratres
appellat, nunc verò carnem, magis eos ſibi admouens,
vicinioreſque reddens. *Quoſdam ex ipſis:* Neque ſic tamen
omnes, ſed quoſdam, adeò ipſorum exploratam habebat
peruicaciam. *Nam ſi reiectio eorum, eſt reconciliatio mundi, quæ
erit aſſumptio?* Poſtquam eos notauit, hic rurſus laudat, ea-
dem cum ſuperioribus dicens. Si enim, inquit, eorum
transgreſſio & offenſio facta eſt ſalutis occaſio mundo,
quid dixerit aliquis futurum, ſi aſſumpti fuerint à Deo?
Quid igitur aliud, *niſi reſurrectio,* inquit, *ex mortuis?* Verum
perinde vt reſurrectio non ob receptionem eorum futu-
ra eſt, ſic neque ſalus gentibus obtigit propter ipſos: At-
B qui verba ipſis facit, quibus eos inhortetur ad ſalutem.
OECVMENII. *Si enim reiectio ipſorum.* Hoc etiam eos con-
demnat. Siquidem alij quidem ex peccatis ſuis lucrum
acceperunt, hi verò, ne ex rebus quidem ſtrenuè geſtis,
adeoque virtutibus aliorum adiuti ſunt. Quòd ſi, quæ
neceſſitate fati contingunt, illorum eſſe adſeueret, nemi-
neris: Nam vt hos demitteret, illos verò adhortaretur, ſic
format ſermonem. Aut hoc dicit: Quid erit aſſumptio
eorum, niſi vt dicamus, quod mortuos eos peccatis, aſſu-
mens Deus, eos viuificet? *Si autem primitiæ ſancta, & maſſa.*
Primitias & radicem Abrahamum vocat, maſſam autem
& ramos, qui ex genere ipſius crediderunt. Si autem iraſ-
cens ipſis, tanta donauit alijs, quando iam eis reconcilia-
tus fuerit, quid non dabit? *Ac ſi radix ſancta, & rami.* Si igi-
tur cum primitijs & radice, neceſſe eſt ſanctam eſſe maſ-
ſam & ramos, Iudæi verò non ſunt ſancti, exciderunt er-
go à cognatione Abrahami. OECVMENII. Vel quia
ipſos ſanctos appellat, adhortatur ad fidem, perinde ac
C dicat: Studioſi eſtis, ac virtute decori, velle vobis tan-
tummodò deeſt. *Sin nonnulli ramorum.* Paucitatis ſignifi-
catiuam poſuit dictionem, animum illis addens, quan-
doquidem in ſuperioribus oſtendit, haud multos ſerua-
tos eſſe, veluti ſi dicat, reliquias fore ſaluas. *Effracti ſunt,*
Incredulitate. *Tu autem oleaſter quum ſis:* Quantò oſtendit
viliores Gentes, tantò illos carpit magis. Porrò quum ait,
Inſitus es ipſis, oſtendit gentes excellentiori ſe radici, inſiſte-
re: Proinde verba hæc ſunt carpentis. *Ac ſimul particeps
radicis & pinguedinis oleæ factus es.* Iſthuc ad calamitatem
Iudæorum ſpectat, nulla in re excellentes (Gentes nimi-
rùm) conſortes eximiæ ipſorum radicis fieri, ipſos verò
eijci expellique. *Ne glorieris aduerſus ramos.* Ingentem Iu-
dæorum vilitatem exhibet: non enim dixit, *glorieris,* ſim-
pliciter, ſed, *contra glorieris,* id quod ad humi iacentes re-
fertur. Deinde admordet etiam eos, gentibus digna eue-
niſſe monſtrans, gloriatione ex fide, etiamſi non deceat
gloriari. *Si autem gloriaris, non tu radicem baiulas, ſed radix te.*
D Ecquid hoc ad effractos ramos? nihil ſanè. Nam ſi ad-
uerſus radicem gloriaremur, haberet hoc rationem: Sin
radicem veluti ſanctam adoro, quid ad ramos qui exci-
derunt, ſi baiulor à radice; verùm vmbram eis vult inue-
nire conſolationis, vt ne vltrà quàm par ſit, in mœrore
ſubmergantur, ſed ſobrij potiùs ſint, ac excubias canant,
tanquam ſalutis reliquiæ.

Dicet igitur, effracti ſunt rami, vt ego inſerar. Figuratus eſt
ſermo, ceu Gentes dicant: Eccur non gloriarer, quum tot
tantaque mihi ſint bona? ego inſertus ſum, factuſque hæ-
res gloriæ, adeoque bonorum à patribus in ipſis deriua-
torum, promiſſionibus item quæ illis ſunt traditæ ego
nouus hoſpes (nihil tale meritus) fruor. Ac quum dicit,
Bene, Gentibus adſentitur, ceu ijs quæ vera dicant. *Per in-
credulitatem effracti ſunt.* Intuere hic S. Apoſtoli ſapien-
tiam. Quum videtur verba facturus pro Iudæis, magis
eos atterit, atque concidit, illorum reiectionis noſtræque
aſſumptionis, fidem in Chriſtum cauſam adferens. *Tu au-
tem fide ſtas, ne nimium altè ſapias ſed metue.* Metue, inquit,
Nam fidei & incredulitatis res agitur, haud naturæ. Nec
dixit, humiliare, ſed, metue, clementia enim contem-
E prum parit & imprudentiam. *Si enim Deus naturalibus ra-
mis non pepercit.* Calamitatem ipſorum nonnihil minuere,
animum inducit, gentium quadam obiurgatione. *forſan,
ne tibi quidem parcat.* Sermonis ſui moleſtiam ac duriciem,
ambiguitate tollit. *Vide igitur bonitatem & ſeueritatem Dei:
ſuper eos qui ceciderunt quidem, reiectionem: ſuper te autem, bo-
nitatem.* Ad Deum rem perducit, & ad ipſius gratiam re-
fert. Non enim dicit, Intuere, conſidera, quantùm la-
boris & virtutum, rerumque benè ac piè tranſactarum
habeas, *ſi permanſeris in bonitate, alioqui & tu excideris; &
illi, ſi in incredulitate non permanſerint, inſerentur. Nam potens
eſt Deus illos rurſus inſerere.* Si digna, Dei manſuetudine,
peregeris. Non enim fide, tibi (inquit) ſola opus eſt. Fide ſola non eſt opus.
Nam neque tibi bona, neque illis mala ſunt immutabi-
lia. Non enim Deus illos excidit, verùm ipſi ſeipſos. Nam
potens eſt Deus, illos rurſus inſerere. Probabilem facit
ſermonem, dum Dei potentiam recordatur. *Si enim tu
ex naturali exciſus es oleaſtro, ac præter naturam inſitus es in pul-
chram & veram oleam, quantò magis illi ex natura ſua inſeren-
tur propriæ oleæ?* Rationem reddit, quòd poſſit, eos (ſi mo-
dò velint) inſerere. Si enim fides efficit quæ ſunt contra
F naturam, quantò potiùs quæ ſunt ſecundum naturam
efficiet? Ne quis Iudæos præcellentiores Gentibus exiſti-
met, quum audit Gentes præter naturam inſitas, Iudæos
etiam inſerendos adijcit, vt alterutrius eandem dignita-
tem ob oculos ponat, ac quod ad rem nihil quicquam
ſint præſtabiliores quia ad natiuam oleam pertineant,
quandoquidem & ipſi inſitione opus habeant. *Nolo au-
tem vos ignorare fratres myſterium hoc.* A vobis ignoratum:
Ignorantiæ autem mentione, ſuæ voluntati autoritatem
parit. Vt ne ſitis, apud voſmetipſos prudentes. GENNA-
DII. Ne (inquit) magnum aliquid & mirificum de vobis
ipſi ſuſpicemini, decipientes vos blandienteſque vobis,
tanquam ſuper alios, vos quippiam intelligatis. Dicite i-
taque omnino myſterium iſtuc horribiliſſimum, & inef-
fabile prorſum. *Quoniam induratio, ex parte, Iſraeli conti-
git.* Dei erga omnes prouidentiam oſtendit; Iudæis nam-
G que ex parte induratis ac ſalutem repellentibus ab ſe, ta-
lem nimirùm ſuper eos Deus excæcationem & indura-
tionem adduxit: Omnibus autem vobis & illis rurſum
adoptatis, gratia denuò omneis aſſumet. Teſtimonium
autem & huic ſententiæ ipſum diuini Eſaiæ vatis oracu-
lum depromit. *Ex parte, Iſraeli contigit.* Non ex toto (in-
quit) Siquidem & ex Iudæis plerique crediderunt, & cre-
dituri ſunt. *Tantiſper dum plenitudo gentium acceſſerit.* Pleni-
tudinem gentium, cunctos ex gentibus credentes dicit.
Quando ergo ad fidem omnes acceſſerint, tum & Iſrael
credens ſeruabitur. Iſraelem autem appellat eos qui in
Iudaiſmo perdurarunt: Nam, *pones* (inquit ſcriptura) Pſal. 20. b.
eos dorſum, & in reſiduis (hoc eſt, reliquijs) *parabis faciem eo-
rum. Et ſic omnis Iſrael ſeruabitur.* DIONYSII Alexandri-
ni. *Omnis Iſrael:* Pro, Bona pars, ſeu, plures. *Sicut ſcriptum* Iſa. 59. d.
eſt, Veniet ex Sion liberator. Ne quis ad Iudæos qui recens
Chriſto acceſſerint, Scripturam hanc pertinere reputet,
H ſignum ponit quo cognoſcatur quando hoc vaticinium
complendum ſit. Qualenam id eſt? *Quando abſtulero pec-
cata eorum.* Si enim nondum abſtulit, igitur hoc vatici-
nij adhuc complendum eſt. Vnde infert, dona Dei va-
cant pœnitudine. *Et auertet impietatem ab Iacob: hoc quod erit
ipſis à me teſtamentum, quando auferam peccata eorum.* Auertet
quidem à peccatis, conuertet autem ad ſeipſum. Tum
eueniet (inquit) promiſſio Dei, quando peccata per Ba-
ptiſma abſtulero. *Secundum quidem Euangelium, dilecti pro-
pter vos, ſecundum autem electionem, dilecti propter patres.* Quā-
do Euangelium illuxit orbi: propter vos, Gentes, Iudæi
ſunt inimici. Qua ratione iſthuc? Nam vobis fide annun-
ciata, illi contentioſiores facti ab fide reſilierunt. Quate-
nùs autem ad maiores attinet (patrum nempè nomine
intelliguntur) à Deo dilecti ſunt. OECVMENII. Deinde
quia in incredulitate perſeuerarunt, ac propter hoc non
ſunt dilecti, tutum quiddam accipiens, *Propter patres* (in-
quit) perinde quaſi dicat: Licet ipſi ob incredulitatem
ſuam dilecti non ſint, propter patres tamen adhuc dili-
guntur, vnde & ſalutem ſunt accepturi. *Pœnitudine enim
vacant dona, & vocatio Dei.* OECVMENII. Vocatio gen-

A tibus exhibita. *Vt enim & vos olim non obediſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis horum inobedientia, conſimilem ad rationem iſti iam inobedientes facti ſunt vt veſtri miſericordiam conſequantur.* Inouit ex gentibus primũ vocatos eſſe quoſdam, deinde quia non crediderunt, Iudæos electos, atq; idem rurſus deinceps eucturum. Poſtquã enim noluerunt Iudæi fidem adhibere Chriſto, denuò gentes vocatæ ſunt, ac ſecundum accitæ crediderunt: atqui id in Iudæorum reiectionem non vergit, ſed vt etiam ipſi miſericordiam rurſus conſequantur. *Concluſit enim Deus omnes ſub incredulitate, vt omnium miſereatur.* Concluſit: hoc eſt, incredulos arguit iudicauitque: Vt alios (inquit) propter aliorum contentionem ſeruet, hos autem propter illos, illos verò propter hos. *O profunditas.* Profunditatem quidem nouit, quantum autem ſit, non nouit *diuitiarum, & ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Quum intelligeret ſapientiam Dei & gubernationem quæ à condito vſque mundo in rerum diſpenſatione conſpicuus fuerit, non habẽs quod B dicat, demiratus eſt tantummodò. *Quam imperſcrutabilia iudicia eius!* Non enim ſolùm cognoſci non poſſunt, ſed ne inquiri quidem. *Et inueſtigabiles:* Nedum enim comprehendi non poteſt, ſed ne indagari quidem, *viæ ipſius,* id eſt, diſpenſationes. *Quis enim nouit mentem Domini? aut quis à conſilijs illi fuit?* Ipſe, inquit, ſolus nouit quæ ſua ſunt. *Aut quis primum dedit ei, & retribuat ei?* Nulli, inquit, pro debiti compenſatione beneficium exhibet, verùm primus beneficia largiri incipit, donaque impertit. *Quoniam ex ipſo:* Ipſe inuenit bona, *& per ipſum:* Ipſe fecit etiam quę ſunt. *Et in ipſo ſunt omnia.* Ipſe continet etiam res. *Ipſi gloria in ſempiterna ſæcula, Amen.* Quia magna dixit & incognita, ad admirationem ſeſe conuertit, & ſic hoc argumentum finijt.

CAPVT XII.

C ADhortamur igitur vos, Fratres, per miſerationes Dei, exhibere corpora veſtra. Ipſæ (inquit) miſerationes Dei, per quas ſeruati eſtis, adhortantur vos. Ipſas namque miſerationes ſuas profert, vt Deo dignam vitam geratis. *Hoſtiam viuentem, ſanctam, beneplacentem Deo.* Quia ſacrificij mentionem facit, ne quis exiſtimet, nos mactari iuberi, intulit: Viuens, ſeu viuentem hoſtiam. Qui verò erit victima corpus? Videant oculi, quæ recta ſunt: lingua manuſque, altera quidem laudibus Dei, altera verò præceptis vacet, ſic fiet hoſtia viua ipſum corpus. Secernens itaque ſacrificium iſthuc ab Iudaico, ſanctum, inquit, bene placens, & rationis capax. Nam Iudaica victima, corporea & externa quum eſſet, non perinde ſancta aut beneplacens erat. *Rationalem cultum veſtrum,* ſeu rationalem ſeruitutem ſeu miniſterium, quaſi dicat: Exhibete corpora veſtra hoſtiam, per rationalem latreiam, hoc eſt, cruore vacantem: Vel, offerte ſacrificium viuens, & rationale miniſterium: Offerte namque, ſubaudiendum eſt. Rationalis autem ſeruitus, eſt vita ſecundùm Chriſtum. *Et non conformemini ſæculo huic.* OECVMENII. Id eſt, ne ſimul transferamini cum deceptione eius: vel, ne ſimul mutemini cum temD pore hoc. Et quomodo aliquis ſeſe offert hoſtiam viuentem? quomodo? *Ne conformemini:* id eſt, ne efformetis vos iuxta formam mundi huius, nihil enim ſane habet aut firmi. Hinc etiam figuram ipſum vocat, inſtabilitatem eius denuncians, atque hoc dictus, mortalem innuit. Verum *transformamini.* Mundi figuram nominans, virtutis formam intelligit, natiuam eius pulchritudinem monſtrans. *In renouatione mentis veſtræ.* Quia homo quum quiſpiam ſit, nec poſſit non peccare: ideò, innoua, inquit, teipſum per pœnitentiam, nihil enim adeò animam ſenio conficit, annoſam reddit & antiquat, atque peccatum. Vel hoc dicit: Innouare, vt diſcas quid ſit commodum, quæve bona Dei voluntas. *Vt probetis vos quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta.* Ad Iudæos ſermonem dirigit, qui lege tenebantur, inquiens: Lex quidem Dei, itidem voluntas erat, ſed non beneplacens neque conſummata, verùm ob imbecillitatem veſtram conceſſa: perfecta autem & beneplacens Dei voluntas, eſt nouum Teſtamentum. *Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, cuivis qui eſt inter vos, ne ſit arrogans, nimiumve ſapiat.* Quum ſuprà per miſerationes dixiſſet, nunc per gratiam, inquit, haud quaquã ſe fide dignum iudicans ad perſuadendum. Hinc alias quidem miſerationes, aliàs verò gratiam obijcit ac proponit. Gratiæ autem mentionem faciens, beneficiorum etiam Dei recordatur. *Ac præter id quod opportunum eſt:* Ne (inquit) vltrà menſuram noſtram ſapiamus, id enim dementiæ eſt atque ſtultitiæ. *Sed ſapiat ad ſobrietatem, cuilibet vt partitus eſt Deus menſuram fidei.* Prudentiam enim accepimus, non vt ad dementiam ea vtamur, aut ſtultam eam reddamus, ſed vt ad ſobrietatem ac mentis noſtræ ſanitatem eam potiùs adferamus: hanc enim nunc ſobrietatem appellat, non eam quæ luxui & libidini opponitur. Fuerunt nonnulli apud eos donis conſpicui, ac alij quidem admodùm turgeſcebant huiuſmodi donorum nomine, alij verò adſpernabantur alios, contraque eos efferebantur, hi verò æmulabantur: Quare ait, Quid alios deſpicis? quid inuides? Si Deus diſtribuit, omnino benè & commodè diſtribuit. Progrediatur ergo vnuſquiſque quò poteſt, neque extollatur, Dei enim donum eſt, non tua virtus. Neque quiſquam alijs, quod non habet, inuideat: Deus enim dona diſtribuit, qui nouit quid cuique decorum ſit atque conueniens: In ipſa igitur perſeueret, neque æmuletur, neque efferatur dono ſuo. *Quemadmodum enim in vno corpore membra multa habemus.* Quid enim tu (inquit) criſtas erigis atque ſuperbis? quid verò æmularis? Nonne omnes vnum corpus ſumus, membra autem inter nos mutuò, alter alterius? Nec dixit, is qui inferius donum habere viſus eſt, membrum eſt eius cui maius chariſma obtigit: verùm, is qui maius habet, eius eſt membrum, cui minus eſt donum: Hac dijudicatione volens cum hos demittere, tum illis addere animum. *Membra autem omnia non eandem habent operationem, ſic multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem inter nos alter alterius membra ſumus.* Eo reſpicit parabola: quemadmodum (inquit) membra, differentem nacta ſunt operationem, ſic diuerſa à ſpiritu paracleto data ſunt chariſmata. *Habentes autem donata, ſecundum gratiam quæ data eſt nobis.* Si donauit, quid tu faſtu turges? Nunquid enim tua virtute dona peperiſti? haudquaquam. Dei namque donum eſt. *diuerſa.* Pulchrè dixit, *diuerſa,* vt oſtendat, non alterum quidem magnum, alterum verò paruũ eſſe: nam omnia Dei magna ſunt, verùm varia ſunt & conuenientia. *Siue Prophetiam,* ſubaudi habeamus. *Secundum proportionem fidei.* Communſtrat iam, quòd qui maiora quæ videntur dona accipiunt, ſint cauſa cur accipiant. Si enim gratia eſt, tantò magis adfluit, quãtò magis inuenit commodum quiſquam ea per fidem exhibere ſibi. *Siue miniſterium.* Miniſterium, generale quippiam eſt, omnia enim dona ad miniſterium & proximi commodum dantur: deinceps verò ad ſpecialia etiam accedet. Subaudiendum eſt autem, accepit aliquis *in miniſterio.* Scilicet, permanet. *Siue qui docet.* Si quis accepit dona doctrinæ & inſtitutionis, *in doctrina:* repete, perſeueret. *ſiue qui adhortatur,* Donum adhortationis accepit: *in adhortatione,* ſcilicet, permaneat ſeu perſiſtat. *Qui impertit, in ſimplicitate:* Deinceps oſtendit, quòd qui donis abutuntur ea inutilia reddant. *Qui præeſt, in ſedulitate:* Non enim ſatis eſt, præſidere tantùm. *Qui miſeretur, in hilaritate:* Nõ veluti damno adfectus, verum ceu lucro auctus ſit, hinc enim cõtinget exhilaratio. *Dilectio nõ ſit fucata.* Ne ſit fucus charitatis, ſed ipſa charitas, qua exiſtente, commemorata rectè tranſiguntur, *odio proſequentes malum.* Non modò abſtinentes, verùm penitus illud odio proſequentes: atque, illud, præpoſitio ἀπὸ, innuit, in dictione ἀποστυγοῦντες. *Adhærentes bono.* Deinde ſubdit, Non ſolùm odio proſequamini malum, ſed ipſum etiam bonum iuncta teneatis. Illud autem, *Adhærentes,* ipſam ad bonum propenſionem palàm indicat: poteſt enim & in turpibus quædam eſſe dilectio. *Fraterna charitate erga vos mutuò adfecti, bonore alius alium præuenientes.* Si fraterna inter vos charitas viguerit, omnino vos mutuò diligatis, fratres enim eſtis. Deinde commemorat quomodo fraterna charitas rectè perficiatur, ſi quiſque fratrem ſuum honore præuenerit: Etenim & hoc honorem parit, quando non honoramus tantùm,

Voluntas Dei beneplacẽs.

Sobrietas quid ſit.

Corpus humanũ quomodo fiat viua hoſtia.

E F G H

verùm

A

verùm & in hoc ſtudioſè incumbimus vt honore alios anteuertamus & vincamus. *Studio non ſegnes, ſpiritu feruentes.* Feruentem habentes & flammantem in vobis Spiritum ſanctum, quod fiet, ſi in bonis operibus vixeritis: Vt & ſitis calidi & excitati, ſic fiet, vt Domino inſeruiatis. *Domino ſeruientes.* Ex commemoratis enim eueniet, vt Domino ſeruiatis. *Spe gaudentes.* Qui fiet autem vt ſpiritu ferueamus? Si ſpe, inquit, gaudeatis. Nihil enim adeò ad quæuis alacrem efficit, atque ſpes bona. Ac ſi patientes (inquit) permanſeritis, & ſi citra intermiſſionem, orationem veſtram coram Deo effundatis. *In afflictione patientes:* Patientia namque parit probationem. *In oratione perſeuerantes:* Ea enim adiutante, erunt facilia omnia. *Neceſsitatibus ſanctorum communicantes.* Si neceſſitate conflicti fuerint. *Hoſpitalitatem perſequentes.* Ne expectes tantiſper dum ille ad te venerit, erubeſcit enim ac pudore ſuffunditur: verùm tu inſequere eum, inuita eum. *Benedicite perſequentibus vos: benedicite, & ne maledicatis.* Quum docuiſſet, quomodo erga cùm fratres, tum amicos, nos affectos eſſe oporteat, ſimul iam nunc inſtituit, qui Chriſtiani ſeſe aduerſum hoſtes gerere debeant. Obſerua autem, quod nõ dixerit, Ne vlciſcaris te de hoſte, neque maledictam eum euomas, verùm quod longè maius eſt, Benedic & intercede pro eo apud Deum. *Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus.* Nedum verbis (inquit) benedicite, verumetiam operibus, gaudentibus quidem congaudentes, dolentibus condolentes. Magnum autem eſt, congaudere gaudentibus, quandoquidem fœlicitas proximorum, impijs ſeſe occaſionem inuidiæ præbeat. *Idem inter vos mutuò ſentientes, non alta affectantes, verum humilibus conſentientes.* Si magnum te exiſtimas, talem & fratrem tuum reputa etiam ſi pauper fuerit. Nam apud Deum, diuitiarum & inopiæ nullus eſt reſpectus aut diſcrimen. Quomodo autem tibi hoc contingat? Si de te ipſe non alta ſentias, verùm ſi commodes & conſentias tenuibus, atque ad illorum humilitatem deſcenderis. Ex his, vanam illorum gloriam ſupprimit, veriſimile namque erat, propter vrbis amplitudinem, tali affectu detineri. *Ne ſitis prudentes apud voſmetipſos.* Hoc eſt: Ne exiſtimetis vos eſſe ſapientes ac nullius conſilio indigos, dicit enim ſcriptura, *Væ prudentibus & intelligentibus apud ſeſe.* Nulli *malum pro malo reddentes.* Si namque vituperabilis atque infœlix eſt qui tibi iniuriam infert, cur non prauorum imitationem fugis? Si quidem dum vlciſceris te, impietatis te ipſum conſortem reddis, *proſpicientes bona coram cunctis mortalibus.* Tantum dicit: Date operam, ne cuipiam vituperationis occaſionem detis, & vt boni & probi appareatis. Vel, quia paulò ante dixerat, *Nemini malum pro malo reddentes,* appoſuit, curam gerentes boni, perinde ac ſi dicat: Non ſatis eſt vos tantum non reddere malum, cæterum oportet vos ei etiam proſpicere qui vobis malefacit. Nam & ſuprà non ſatis fuit non execrari eos qui perſequuntur nos, ſed benedicere nos illis etiam præcepit. *Si poſsibile eſt, quantum in vobis eſt, cum omnibus pacem habentes:* Nonnunquam enim non poteſt habere locum pietatis ratio. Quod verò ait, *quantum in vobis eſt:* valet, Tu fac quod tuum eſt, nec exhibeas inimicitiæ occaſionem, neque Græco neque Iudæo: hoc enim eſt quod ait, Cum omnibus. *Non vos ipſos vlciſcentes, dilecti, ſed date locum iræ.* Id conſectarium eſſe ſolet, vt qui iniuria ſit affectus, vltionem ac vindictam affectet, atqui idipſum tibi nunc, inquit, annunciatur: Ne vlciſcaris te, ipſum enim ſic futurum eſt, vti Deus tuo nomine vltionem ſumat. *Date,* enim inquit, *locum,* ſpaciumque *iræ,* vt veniat Deus. Si enim tu non vltionem de te ſumas, veniet ſuper illos ira Dei. IOANNIS CHRYSOSTOMI. Quia cui vis facta eſt, maximè deſiderat videre, vt vltione ipſe fruatur, hoc ipſi magna copia tribuit. Si ipſe, inquit, de te vltionem ipſe non ſumpſeris, Deus erit vltor tui. Permitte igitur ipſi cauſam tuam, vt ipſe pro te egrediatur aduerſus hoſtem: hoc enim eſt quod ait, *Date locum iræ. Scriptum eſt enim:* Maiori conſolatione iniuria affectum recreans, illique animum addens, protulit teſtimonium, *Mihi vindictam, & ego rependam, dicit Dominus.* Mihi, hoc eſt, apud me. *Si igitur eſurierit inimicus tuus, ciba illum: hoc enim faciens carbones ignis coaceruabis ſuper caput ipſius.*

Hoſpitalitas.

B

C

D

E

Non ſolùm, inquit, pacifici ſitis & pacati, nec vltionem ſumatis de inimicis veſtris, verumetiam benefacite, alentes eos & potu ſaturantes. Quia verò id admodum durum erat & arduum, ſubdit, ignem ei coaceruabis hoc faciens. Hoc autem dixit, vt animum adderet, cui eſt iniuria illata, vtque perterrefaceret illum qui intulit: *Ne vincaris à malo ſed vince in bono malum.* Emollito iam antea eo qui iniuria erat affectus, perſuaſoque vt benefaceret, per hoc quod dicebat, *Carbones coaceruabis:* nunc altiùs ipſum adhortatur. Si tali, inquit, affectu ipſum alis, vt ignem ei aggeres, non viciſti malum, ſed victus es ab eo. Ego autem volo, vt tu vincas malum: Proinde ne malefico affectu benefacias. Pro tua enim conſolatione, quæ dicta ſunt commemorata ſunt, non vt ita facias.

Quo affectu ſit inimicis benefaciendum.

CAPVT XIII.

OMnis anima poteſtatibus præeminentibus ſubdatur. Multam capitis huius vndique prouidentiam facit, mõſtrans, Chriſti Euangelium non ad publicæ bonæ ordinationis ſubuerſionem datum eſſe: & quod ſatis ſit hoſtium qui veritatis nomine ſint nos impugnaturi, & quid nos aduerſum tot hoſtes, eoſque ſuperfluos, cogitare oporteat. *Non enim eſt poteſtas, niſi à Deo.* Non de quouis principe ſigillatim hæc dicit, ſed de ipſo magiſtratu. Quum enim eundem eſſe omnium honorem idemque precium, dicere, ſeditioſum eſſet, intulit, Deus poteſtatẽ inſtituit. *Quæ autem ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt.* De eodem hæc loquutus eſt. Quum enim, *non eſt poteſtas,* diceret, *niſi à Deo,* rurſus idem profert. *Quæ ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt,* veluti factæ. Deus, inquit, ordinauit & diſpenſauit eas. *Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Ne ſeſe deteriores viliorcſque reddi, Chriſti ſerui arbitrentur, ſi poteſtatibus ſubijciantur, oſtendit quòd neceſſarium ſit, obtemperare & non reluctari, neque inobedientem eſſe quempiam magiſtratui. Qui enim iſthuc attentauerit, Deo reſiſtit, qui condidit inſtituitque magiſtratus. *Qui autem reſiſtunt, ſibi ipſis iudicium acquirent.* Condemnationem appellat, quam ipſi tibi à Deo attrahunt, pariunt, conciliant. *principes enim non ſunt metus bonorum operum.* Quid doles, inquit, ſubditus poteſtati? quid verò metuis eam atque tremis? Nunquid enim increpat benè honeſteque viuentes? nunquid eſt terrifica ei qui virtuti impendit operam, Hoc eſt, ijs qui benè operantur, & vita ſunt bonis digna conſpicui? *ſed malorum.* Id eſt, mala patrantibus. *Quod ſi nolis metuere poteſtatem.* Quod ſi cupias, vt vel Princeps vel Magiſtratus nedum tibi clemens ſit, verùm te laudibus etiam vehat, *fac bonum & habebis ex ea laudem: Dei namque miniſtra eſt tibi in bonum.*

F

G

Adeò, inquit, laudabit te ſi bonum operetis, vt ſit etiam auxiliatura ad hoc, tibi. Porrò timor occaſio tibi erit benè recteque viuendi. Eam autem ob rem dixit, Dei eam eſſe miniſtram ad bonum, quandoquidem miniſtret ac inſeruiat voluntati Dei, cùm bonos laudibus euehens, tum malos puniens: hinc te ad bonum etiam impellit. *Sin malum feceris, time.* Non igitur Princeps aut Magiſtratus, metus tibi cauſa eſt, ſed ſcelerata tua vita. *Non enim fruſtra gladium geſtat.* Viden' quomodo perterrefecerit ſubditum, armaueritque Magiſtratum? *Dei enim miniſtra eſt, vltrix ad iram, ei qui malum operatur.* Nam qui ſceleratam vitam ducentes pœna afficit, Dei miniſter eſt ad iram. *Quare neceſſarium eſt, ei ſubijci.* Neceſſarium eſt igitur, inquit, magiſtratui ſubijci, non ſolùm propter iram Dei Magiſtratui ſubditis obuenientem, ſed etiam propter conſcientiam: hoc eſt, vt ne videaris conſcientia vacare, & ingratus eſſe benefactori ac miniſtro Dei; ſi non obtemperes poteſtati: Atque hoc eſt quod ait, *Non ſolum propter iram, verùm etiam propter conſcientiam. Propter hoc enim & tributum penditis.* Tantis, inquit, beneficijs vos perfundit magiſtratus, vt & tributum ei pendatis: mercedem nimirum gubernationis, præſidatuſque eius, *miniſtri enim Dei ſunt:* Hoc eſt, ſuboperarij Dei ſunt, miniſtrantes ipſi principes ex hoc quod curam ſubditorum gerunt. *In hoc ipſum inuigilantes ſedulo.* Neglectis ſuis priuatis rebus, publico ſuorum ciuium commodo inuigilant. *Reddite igitur*

H

Tributũ eſt merces gubernationis.

A *omnibus quæ debetis: cui tributum, tributum: ci cui vectigal debetis, pendite vectigal: cui timorem, timorem.* Monſtrant paulò ante, rem eſſe neceſſariam Magiſtratum: hinc, debita hic nominat ea quæ exhibentur eidem. *cui honorem, honorem* Non ſolum pecunias debetis, cæterùm, etiam honorem. *Nemini quicquam debeatis, niſi vt vos mutua inter vos charitate proſequamini.* Ad matrem adeoque fontem omnium bonorum peruenit, nempe charitatem, oſtendens, eam eſſe tum neceſſariam, tum deberi. Nam qui alterum diligit. *legem impleuit.* Lucrum charitatis ſubdit. Qui hanc implet, vniuerſam (inquit) legem implet. Porrò quum ait, *Qui diligit, totam legem impleuit*: innuit quadantenus, vniuerſa mandata, charitate impleri. Atqui non dixit, Implentur, ſimpliciter, ſed, in ſummam rediguntur: hoc eſt, breuiter & ſuccincta ratione totum fit, & paucis completur vniuerſum mandatorum opus. *Quod enim ait lex; Non committes adulterium, non occides, non furtum facies, non dices vanum teſtimonium, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo redigitur, ac ſummatim comprehenditur, nempe: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Quod habet mandatum? *Sicut te ipſum*, intenſam admodùm charitatem ſignificat. Dilectio proximi *malum non operatur. Plenitudo itaque legis dilectio.* Viden' vtramque in charitate virtutem eſſe, & quòd à malis abſtineat, & bona perficiat? Ecce abſtinentiam à malis proximo (inquit) *malum non operatur*: Ecce bonorum operationem, *Plenitudo* (inquit) *legis charitas*, proximo enim beneficium impetit: Vniuerſum autem legis ſtudium nihil aliud quàm hoc ipſum poſtulat. *Et hoc ſcientes.* SEVERIANI. Implete, inquit, dilectionis opus, ſcientes, tempus id vrgere, virtutemque depoſcere, Nunc enim eſt propior ſalus noſtra quàm quum credidimus. hoc eſt, nunc quum nouimus quæ ſint opera commodiora, leuius nobis eſt & facilius ſeruari quàm quando inſtituebamur in fide adhuc verbo atque norma. Nō enim ſimul cùm fidem in Chriſtum primum docemur, ſtatim exactam agendorum comprehenſionem aut cognitionem tenemus. *tempus.* Scientes (inquit) hoc: qualenam *Hoc*? tempus nimirùm adeoque opportunitatem temporis. *Quoniam hora eſt iam*: id eſt, proximè finem. hinc operæ ſanè eſt precium, vrgere nos bonorum operum peractionem. *nos è ſomno excitari.* Ex ſocordiæ, nec non acediæ ſopore expergiſci, ſurgere. *Nunc enim propior eſt noſtra ſalus.* Præſente namque vita vel paululùm præterlabente, vicinius redditur Reſurrectionis futuræ tempus. Si enim quemadmodum opus fuerit, inſtructi inueniemur, ſalutaris nobis iudicij illa dies illuceſcet: ſin minus, pernicioſa nobis erit: Attamen ipſe ex commodioribus illam diem denunciat. *Quàm quando credidimus*, Veriſimile eſt, eos qui primùm crediderunt, ceu neophytos, feruentes fuiſſe in fide & religione, at poſteà illos deferbuiſſe ac veluti emarcuiſſe: Hoc igitur nunc ſubobſcurè iudicat. Quantò, inquit, vicinior eſt ſalus noſtra, tantò nos feruentiores eſſe in fide & moribus oportuit, potius quàm ſegniores eſſe. *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit.* Noctem, præſentem vitam appellat, nihil enim à ſomno, res humanæ diſtant: Diem verò, futurum tempus nominat, quòd, quæ iam abdita ſunt, tum reuelabuntur. *Deponamus igitur opera tenebrarum, induamuſq; arma lucis.* Opera tenebrarum, prauas operationes accipit, arma verò luminis, virtutem ipſam. Perinde autem vt arma muniunt, pari ratione, luminis arma ſplendidum reddunt. *vt in die, decore circumambulemus.* Quum ſupra dixiſſet futurum iudicij diem, nunc ipſum exhibet ac veluti præſentem ſtatuit, in trepidationem conijciens auditorem. Quum, ait, *Circumambulemus*, exuit inuidia & odio ſermonem, nam & ſe ipſe immiſcuit. *Non in comeſſationibus & temulentijs.* Non bibere ſanè, verùm immodicè bibere prohibet. *non in cubilibus & libidinibus*:

B

C

D

Nox eſt, vita humana.

Non tollit matrimonium, ſed fornicationem. *non in lite & æmulatione.* Per litem intelligit, indignationem & excandeſcentiam, per æmulationem, inuidiam. *ſed induite Dominum Ieſum Chriſtum.*

Chriſtum induere, quid ſit.

Qui enim Chriſtum Dominum induerit, is habet vniuerſam virtutem. Qui verò ipſe induendus eſt? Si nobis intrinſecus & forinſecus, omnia ipſe ſolus fuerit, ſi externa bona noſtra, ille ſolus extiterit: Porrò, & nunquam ab eo deſtitui, indumentum vocat. *carnis prouidentiam ne feceritis ad concupiſcentias.* Quum, ait, carnis non eſſe gerendam curam, addidit, *Ad concupiſcentias*, ne exiſtimes, in neceſſarijs rebus non oportere nos carnis noſtræ cura tangi, vt in cibo & potu: Eſt enim ei proſpiciendum vt permanere poſſit, non ad libidinem.

E

CAPVT XIV.

L*Anguentem in fide ſuſcipite.* Fuerunt nonnulli ex Iudæis credentes, qui legis cæremonijs adhuc detenti, multos cibos execrabantur, & ne profani fierent, veſcebantur oleribus ſolis: ita vt non continentiæ ſed execrationis iſta obſeruatio videretur. extiterunt & alij ex Iudæis credentes, qui ſolida fide firmati, haud quaquam obſeruabant cibos. Ad hos igitur in fide ſinceros, ſermonem ſuū vertens, cibos abominantes nonnihil carpit ac tangit, infirmos eos in fide appellans. *non ad dijudicationes diſceptationum.* Primum aduerſum ipſos vulnus eſt, dicere Languentes in fide: Alterum eſt, Suſcipite, oſtendit enim, eos ingenti cura indigere. Tertium, quòd ait, *Non ad dijudicationes diſceptationum*, ſeu cogitationum. Indicat autem, vſque adeò impingere illos infirmos, vt & eos qui eodem ſecum charitatis & amicitiæ vinculo colligari debeant, iudicent. *Alius quidem credit licere ſibi veſci quibuslibet: qui vero in fide infirmus eſt, veſcitur oleribus.* Alius (inquit) ſincerè credens, neque vllam Iudaicam obſeruans traditionem aut obſeruationem, quibuſlibet citra abominationem veſcitur: Prædicat autem ipſum à fide. Qui verò, inquit, circa fidem *infirmus eſt*, oleribus veſcitur: hic ſimul increpat eum quòd non ſecundum laudatam abſtinentiam edit oleta: verum hypocritam agit, at ſecundum fidei infirmitatem. *Qui veſcitur, non veſcentem ne aſpernetur. Et qui non veſcitur, veſcentem ne iudicet; Deus enim ipſum ſuſcepit.* Non dixit, non corrigat, ſed, *ne aſpernetur*, oſtendens quòd ridicula agat. Opus eſt enim ipſum fraterna charitate corrigere, nec veluti execratum contemnere. Porrò quemadmodùm qui per fidem omnia edebant indiſcriminatim, vilipendebant obſeruantes, ſic illi, hos veluti edaces ac gaſtrimargos iudicabant. Obſerua autem, quum id dixiſſet, Deus (inquit) ipſum ad ſeſe attraxit ac liberauit ab omni Iudaica obſeruatione. SEVERIANI. Chriſti miniſter, quem Chriſtus ſuſcepit, alienus eſt à lege: Quis igitur es qui iudicas ex lege, ab lege alienum? *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum.* Ad ſincerè credentem, ipſi ſermo eſt. Hinc manifeſtum eſt, quòd non modò vilipendebant, verùm etiam iudicabant manducantes oleta. *ſuo Domino ſtat, aut cadit*: Dei eſt, & ad Deum pertinet lapſus, eius & reſurrectio. Ne igitur iudices ipſum, quum non digna condemnatione agat, Alienus namque ſeruus eſt. *Statuetur autem, nam potens eſt Deus ſtatuere eum.* Rurſus ferit infirmos, adeoque eos qui ciborum diſcrimina obſeruabant. Quum enim dicit, *Statuetur*, indicat, quòd concutiuntur in tantùm, vt etiam Dei conſolidatione opus habeant. *Alius quidem diem à die diſcernit, alius autem omnem diem iudicat.* Veriſimile erat, eos qui continuè ieiunabant, eos condemnare qui non continua inedia corpus caſtigarent ſuum, quos hic vetat, iudicare, condemnare, & accuſare. Fuerunt enim qui recens ad fidem acceſſerant: Metuebat itaque, ne multa accuſatio planè eos à fide abſcinderet, ita perculſos ob huiuſmodi accuſationes. *vnuſquiſque in propria ſententia.* Ne de omnibus accipias quod ait Apoſtolus, *Vnuſquiſque ſua ſententia certus eſto*: verùm de ieiunio tantùm, idque quum fidei recens infixi fuerūt Romani conſentiebant Iudæis: Nam ſi de fide commemoratum locum acceperis, à toto ſeu ſcopo excidiſti. *certus ſit.* Quilibet propriæ ſententiæ certus ſit, vel quòd rectè facit ieiunans ſemper, vel quod benè, non ieiunans ſemper. OECVMENII. Non eſt accipiendum quod dixit, de doctrina fidei, quemadmodum & ipſe prædixit. *Qui diſcernit diem, Domino diſcernit*: Ambo enim, hic & ille, vno vtuntur ſcopo, nimirùm honore Dei: Nam qui obſeruat diem, legem ſeſe Dei adimplere cenſet, qui verò hic ſeſe indifferenter gerit, ſimili honore Deum adficit. *qui non*

Ciborum delectus duplex.

F

Laudata a cibis abſtinentia.

G

H

A *diſcernit diem, Domino non diſcernit: qui edit, Domino edit.* Qui ſic adfectus eſt vt in ſingulos dies ieiunet, Domino ſic adfectus eſt: & qui in ſingulos dies, media ſeſe non caſtigat, propter Dominum ſic affectus eſt. Quicquid autem propter Dominum fit, bonum eſt, inquit, *gratias enim agit Deo. Et qui non edit, Domino non edit, & gratias agit Deo.* Si igitur oppottunum eſt, vt per omnia gratiæ agantur Deo, quid adeò vehementer ieiunij cauſa diſſidetis? parum enim diſtans, nec eſt adeò magnum, quod inter vos eſt medium. Ac ſi pro ipſorum concordia loquitur: Enimuerò, qua via Chriſto placere poteſt, qui non edit? veluti enim legi detentus iſta dicit. Obſerua hic, quàm continuè hic feriat Iudaiſantem. Si enim quod quæritur, eſt, gratias agere: perſpicuum eſt quòd ille gratias agat, qui edit, non qui non edit, quomodò enim is gratias agat, quum lege dum teneatur? *Nullus enim noſtrum ſibi ipſi viuit, & nullus ſibi ipſi moritur.* Habemus (inquit) Dominum cui & viuimus, ſi viuamus, cui & morimur, ſi moriamur. Si igitur

B Domino, & vita & mors noſtra precioſa eſt, ipſe reget ac diſpenſabit ea quæ ad nos attinent, nec opus vt proximũ noſtrum iudicemus vel contemnamus. *Siue namque viuamus, Domino viuimus: ſiue moriamur, Domino morimur:* Vitæ enim ipſe mortiſque ſolus poteſtatem habet. *Siue igitur viuamus, ſiue moriamur, Domini ſumus.* Rationem adduxit eius, nempe, quod & viuentes nos & morientes ſumus Chriſti. Præterea & illud monſtrat: Si tanta, inquit, vſus eſt erga nos prouidentia vt crucifigeretur, haud iam nos deſpiciet. Nam ſi morientibus adeoque defunctis vita proſpicit, quantò magis viuentium tangetur noſtri cura? Iſthuc verò ad condemnatos dicit, quòd imbecilles in fide apud Deum curentur, quodque ratio eorum habeatur: ob tantam nimirum ipſius erga omnes prouidentiam. In fide autem exiguum rubore ſuffundit, dum beneficia Dei ad memoriam illi reuocat: *In hoc enim Chriſtus & mortuus eſt, & reſurrexit, & reuixit.* Noſtri dominatus

C iuſtificationes antea repoſuit. *Vt in mortuos & viuentes dominetur.* Hoc in animas & corpora: Hæ enim ſunt immortales, illa verò morti obnoxia. Hæc S. Methodij quoque, in Concione de Reſurrectione, eſt ſententia. *Tu autem, quid iudicas fratrem tuum?* Ad eum qui in fide puſillus eſt, hic rurſus eſt ſermo. *Aut & tu quid contemnis.* Ad ſolidum in fide hæc verba facit. *Fratrem tuum?* Nomine tenus fratrem. *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.* Diluit ipſis interrogationem. *Scriptum eſt enim, Viuo ego dicit Dominus.* Videtur quidem per Prophetiæ prolationem, demittere fidelem, vt ne flocci faciat Iudaiſantem. Atqui totum locum ideò protulit, vt animum eius qui Iudaiſmo adhuc laborat, concutiat: hic quidem iudicij mentione, ſuprà verò ipſis Chriſti beneficijs illos pudefaciens. Si enim ante Chriſti thronum iudicialem omnes ſiſtemur, ipſe à nobis, non lex ipſa, delictorum noſtrorum rationem exiget. Quid igitur adhuc legem tenes, & non potiùs Chriſtum amplecteris? *Quoniam mihi flectetur omne genu & omnis lingua.* Dominatum ipſius in omnes teſtatur. *Confitebuntur.* Propria peccata, ex propria

D conſcientia: *Deo*, tanquam iudici. OECVMENII. De Deo & Patre dictum, quod ipſe iudicet neminem, iudicium autem dederit Filio: Perſpicuum eſt igitur, quod de iudice hoc, à S. Paulo in medium eſt depromptum, *Confitebitur Deo*, & rationem reddet Deo: Igitur Chriſtus Deus eſt, etiam ſi hoc impij nolint. *Proinde vnuſquiſque noſtrum, de ſeipſo rationem reddet Deo. Ne igitur nos inuicem iudicemus. Verum id iudicate potiùs.* Rurſus prima tenetur ratione, vt ne accipias, timoris ac terroris cauſa, iudicij ipſum meminiſſe: ſed enim propter ſermonis conſequentiam. *Vt non ponatis offendiculum fratri, aut ſcandalum.* Hoc & ad ſincerum fidelem, & Iudaiſmum adhuc ſpirantem quadrat. Etenim & perfectus ille oſtendebatur ex ciborum obſeruatione, qua proximus occupabatur: cibos item obſeruans, vehementi increpatione ſincerè credentis lædebatur: Vno itaque conſilio vtrumque corrigit, & ad rectius iter reuocat, per horum quæ proximo ſcandali occaſionem præbent, commemorationem. *Noui autem & perſuaſus ſum in Domino Ieſu, quoniam nihil commune eſt per ſeſe.* Adhuc de ciborum obſeruatione eſt ſermo eſt. Quum igitur dixiſſet,

E Noui & perſuaſus ſum, nihil eſſe commune, ne obijceret qui Iudaiſmo adhuc addictus eſſet: Ecquid ad nos ſi tu perſuaſus es, lege diuerſum docente? adijcit, *In Domino Ieſu*, oſtendens, quòd ab ipſo hæc didicerit certuſque factus ſit, nec à ſeipſo protulerit. THEODORETI. Nihil, inquit, commune eſt per ipſum: Vt ne dicerent, Tu qui es, qui reſiſtis Moyſi? ipſius Moyſi Dominum, in medium adducit, docens, ab eo legales obſeruationes antiquatas, ac nullum cibum debere à te immundum iudicari. Nam quòd Apoſtolus ait, *per ipſum.* Sic vulgata, & non, *per ſeſe*, vt hic paulò ſuprà: Atque id quidem multò melius: Illud enim, *per ſeſe*, niſi ad cibos ipſos referri non poſſet, cùm Authoris Commentarius id de Chriſtiana lege interpretetur: Quamquam etiam ſtatim ſubiungit interpretamentum Seueri qui legat, per ſeſe, accipiendum eſt, pro

F Euangelica ipſius ſanctione. Vel, *Per ipſum*, nempe Deum, vel per gratiam quæ data eſt nobis ab ipſo. SEVERIANI. Nihil commune eſt *per ſeſe*, ſeu natura, hoc eſt, immundum: *niſi ei qui reputat quicquam eſſe commune, illi commune eſt.* nihil natura commune eſt, inquit, verùm ex voluntate vtentis fit commune, vnde & illi ſoli eſt commune, non omnibus: *illi* (inquit) *commune eſt. Quod ſi verò propter cibum frater tuus contriſtatur.* Fideles conuiciabantur & eis obijciebant, quòd Iudaicis ceremonijs adhuc adhærerent ideoque cibos obſeruarent: Non vult igitur eos in non adeò magnis rebus attonitos reddere, admodum veritus ne forſan animum deſpondentes, omnino à fide deficerent tandem. Nihil igitur in cibis commune ſeu impurum dici, verùm hoc tantum præcipit, vt ſibi temperent à nimia fratrum accuſatione, ob æqualem & eandem Chriſti erga ſe curam, perinde ac antehac dictum eſt: *non adhuc ſecundum charitatem ambulas:* Vult enim vigere inter Chriſtianos charitatem, ſciens, omnia per ipſam quadantenus rectè perfici. *Nec cibo tuo illum perdas, pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Ne, quia tu omnibus veſceris

G quum fidelis ſis, acriter ipſum accuſans, prorſus ipſum tandem à fide eijcias. Etenim & pro ipſo Chriſtus mortuus eſt, vnde debes etiam pari ratione illi acquieſcere. OECVMENII. Hic conſulit & fideles à cibis abſtinere, vt ijs qui in fide adhuc ſunt exigui, condeſcendant & inſeruiant: id quod & in progreſſu deinceps ait. *Ne igitur vituperetur.* Nam accuſans eum, & ſemper cum ipſo contendens ob ciborum obſeruationem: non ſolùm ipſum contentioſiorem reddis, verumetiam occaſionem das Gentibus & Infidelibus vituperare noſtram fidem, ob huiuſmodi contentiones veſtras. OECVMENII. *bonum veſtrum:* id eſt, fides: Perinde atque ſi dicat, Bene quidem doces, verùm contentio veſtra cauſam maledicentiæ præbet. *Non enim eſt regnum Dei, cibus aut potus.* Compeſcere eos in animum inducit, vt ab accuſationibus deſiſtant: Non enim, inquit, per cibum & potum ingredi poſſumus regnum Dei. *Sed iuſtitia, pax & gaudium.* Qualia igitur ſunt, quæ in regnum introducunt? Iuſtitia, pax, lætitia: hoc eſt, vita virtutibus conſpicua, pax erga fratrem, ex vnanimitate gaudium. Quum verò pax etiam, gaudium & lætitia

H ſit in turpibus quoque rebus, apponit, *In Spiritu ſancto*, perinde quaſi dicat: Hanc dico pacem & lætitiam in Spiritu ſancto factam: hoc eſt, quæ per Spiritum ſanctum docetur. *Nam qui in hiſce ſeruit Chriſto.* Eſt quando & ex vana gloria quiſpiam inſeruiat Deo, non vel ex metu, vel dilectione Dei: propterea inducit, Qui enim in huiuſmodi Chriſto inſeruit, hoc eſt, in iuſtitia, gaudio, & pace ſpirituali, *Cum Deo gratus eſt, tum probatus hominibus.* Etenim & homines te admirabuntur videntes paci ſtudere te, gaudium item & iuſtitiam complecti, vel propter cibos. *Proinde quæ pacis ſunt perſequamur, & quæ ad mutuam inter nos ædificationem pertinent.* Quia hæc iam ſunt in confeſſo, & quia pax demonſtrata eſt eſſe bona, hanc itaque accedamus & amplectamur, per quam omnium noſtri ædificatio peruenit. *Ne propter eſcam deſtrue opus.* Non ſolùm, inquit, non ædificas, ſeu nomine litem ſeris: verumetiam quam fidem habet alter, eam diſſipas, contentioſiores itaque alios efficiens exacerbanſque, vt tandem penè à fide deficiant. *Dei.* OECVMENII. Deus, inquit, per crucem illum extruxit, tu verò ædificationem extinctionẽve

S. Methodij Conc. de Reſurrectione.
Iſa. 45.

eius

A eius diſſipas. *Omnia quidem munda ſunt.* Ne conſternatione firmorum in fide, confirmet infirmum vt cibus obſeruet, ad ipſum deinceps pergit. *ſed malum eſt homini per offenſionem edere.* Mala conſcientia edere, malum eſt, inquit: Nam etiam ſi coactus edis, nihil agis, cum dijudicatione enim & condemnatione edisti. Neque enim, manducare, te purum efficit, ſed mens & ſententia eum qua manducas. *Bonum erat non veſci carnibus, neque bibere vinum.* Hic non modò fidelem adhortatur, non grauiter impetere infirmum in fide, verumetiam illi condeſcendere ac nonnihil aſſentiri, neque carnes edere neque vinum bibere, & ſi quid aliud opus ſit deuitare ob fratris ſalutem: Maximam enim habet aſſenſus, adeoque permiſſus occaſionem, ipſa infirmitas. *Neque in quo frater tuus impingit aut offenditur aut imbecillis eſt.* Obſerua quo pacto in ſermone ad fidelem pertinente, eos qui in fide ſunt imbecilles, notat. Impingere enim dixit, quod eſt cæcorum proprium: deinde, *Offenditur*, inquit, quod eſt eorum qui facilè offenduntur: poſtremò, Infirmus eſt, quod eſt, in

B fide exiguorum. *Tu fidem habes? apud teipſum habe.* Fidem hic dicit, veluti de eſcis propoſitis, tanquam fides doctrinæ omnibus debeat eſſe manifeſta. Hic verò, & vana gloria, in fide firmum, viſum duci innuit. Perfectus es, inquit, & in fide firmatus, quid ob virtutem tuam criſtas tollis? Deus, te animumque tuum nouerit, eique tantum placeas. *Beatus qui non iudicat ſeipſum in eo quod probat*: Hoc eſt, in ea re quam probauerit hac vel illa ratione, veluti, veſci hoc vel illo. Quomodò autem id continget? ex pura conſcientia. Quum enim dixiſſet, *Apud teipſum* fidem *habe*, illud vult: Conquerentur de te infirmi, quòd impurè agas, ſerua igitur fidem apud te, vel fratris tui nomine. Quod ſi conſcientia tua non dijudicat te, non condemnat, non ambigit: Beatus es. Ex hoc, in fide languentem ferit. Nam ſi ex conſcientia, corona & beatitudo fideli prouenit, manifeſtum eſt, quòd inde etiam condemnatio. Ne igitur per dijudicationem ede, ſed propter neceſſitatem. *Qui enim dijudicat, ſi ederit, condemnatus eſt, quoniam*

C *non ex fide: Omne autem quod non ex fide, peccatum eſt.* Hoc rurſus ad ſanum in fide pertinet, quid enim ipſum adigis edere, ſi nondum firmatus eſt? Eſtne te clam, quòd qui diiudicat, ſi ederit, condemnatus eſt, quoniam non ex fide edit, verùm vel ex neceſſitate, vel ex verecundia? Neque enim credidit purum eſſe cibum, & interim edit: cur igitur ei condemnationis fit occaſio? Deinde quod ſequitur per inficiationem ait: Quicquid quiſquam non ex fide fecerit, peccatum eſt.

Fides, pro doctrinæ certitudine.

CAPVT XV.

EI *autem qui poteſt vos.* Hyperbaton eſt, Ei qui poteſt vos fulcire, gloria ſit in ſæcula, Amen. *fulcire iuxta Euangelium meum.* Deinde orat, adeoque votum edit pro infirmis: oratione namque potius opus habebant, quàm conſilio. Quum porrò dicit, *Fulcire*, indicat, quòd concutiantur: deinde firmationis modum ſubdit, *Secundum E-*

D *uangelium meum.* OECVMENII. Vt viuant, perinde atque Euangelium annunciat. *& prædicationem Ieſu Chriſti, ſecundum reuelationem myſterij, temporibus æternis.* Chriſtus eadem prædicauit. Nequaquam igitur ſunt humanæ Leges, quæ per Euangelium traduntur: fidem autem illis firmat, cùm à prædicatione, tum nomine. Nam Euangelium dicitur, ipſa verbi annunciatio. Qualis autem eſt prædicatio? Chriſti adeoque ipſe Chriſtus. *taciti.* Dati, inquit, ſecundum reuelationem myſterij, qualis? taciti & abſconditi. Præcedentibus temporibus ſæcularibus, hoc eſt, multis: noſtris verò hodie temporibus manifeſtati. Significat autem ipſum donum magni eſſe precij, non modò ex prædicante Chriſto & ex eo quod Euangelium dicatur, verumetiam, quòd nunc nobis gratis illuxerit, & ſi fuerit ante tempora & mundi creationem: A principio enim erat Chriſtus, verùm nunc cognitus eſt qui antehac ignorabatur. *manifeſtati autem nunc per ſcripturas Propheticas, ſecundum mandatum æterni Dei.* Qui verò manifeſtum eſt per ſcripturas Propheticas? Patre nimirum imperante, vt iſthuc fieret. Hac itaque ratione, incredulum, ad fidem

E hortatur. Quid enim, inquit, melius candidè ac ſincerè illi credere, quandoquidem Prophetæ diuinitùs afflati prædixerunt, Deus verò Pater demandauit Filij ſui Euangelium diuulgari per vniuerſas gentes? *ad obedientiam fidei.* Nam fides opus habet obedientia, vt credens non multum ſit curioſus. quamobrem nunc ſit primum manifeſtatum, & cur olim, omnibus retro ſæculis fuerit occultatum. *Ad omnes gentes patefacti.* Ne metuas, inquit Non tu ſolummodò credis, verùm vniuerſus terrarum orbis. *Soli ſapienti Deo.* Ad diſcrimen vanorum Deorum, non Chriſti aut Spiritus paracleti: haudquaquam enim eò referendum eſt hoc encomium. *Per Ieſum Chriſtum, cui gloria in ſæcula, Amen.* Patefacto in gentibus per Ieſum Chriſtum, vt qui & ipſe etiam promulgauerit. Reliquum eſt per medium hyperbaton; *Soli ſapienti Deo gloria*: OECVMENII. Sic accipias licebit: Ei qui poteſt vos firmare, ſoli ſapienti Deo. Firmare autem quomodo? per Ieſum Chriſtum: Gloria, inquit, ſit in ſæcula. *Debemus autem nos, qui fortes ſumus, infirmitates eorum qui non ſunt fortes, baiulare.* Ad eos qui in fide ſani ſunt ſermonem transfert, docens oporte-

Non eſt curioſè inquirendum cur iam ſerò Chriſtus venerit.

F re nos condeſcendere & aſſentiri infirmis: Hoc enim, inquit, debemus, Vide autem quàm humiliter de imbecillibus loquatur. Alios enim potentes vocat: de his autem dicit, infirmitates & imbecillitatem eorum nos debere baiulare, *nec nobis ipſi placere*, ſed proximo, per aſſenſum ſeu infirmitatis tolerantiam. *Quilibet enim noſtrum proximo placeat ad ædificationem.* Potens, fortis, & fidelis es? experiatur ergo robur tuum infirmus, per tuam tolerantiam ac permiſſum: Oportet enim quemlibet noſtrum, proximo placere. Verùm, quum & quiſpiam in malo, ei placere queat, adiecit: Ad bonum, *ad ædificationem.* Hoc enim faciens, ædificabis ipſum & corriges, erigeſque. *Nam & Chriſtus ſibi ipſe non placuit. Sed,* Si voluiſſet Chriſtus, quod ſuum eſt, quærere, non fuiſſet paſſus: licuiſſet enim & ipſi extra iniuriam manere. At verò ſibi ipſe non placuit, neque ſuijpſius curam geſſit, ſed noſtram commoditatem

G ſpectauit. IOANNIS CHRYSOSTOMI. Potuiſſet alienus eſſe à conuicijs & opprobrio Iudæorum, neque pati quæ pertulit, ſi priuatum commodum ſpectaſſet: ſed noſtram vtilitatem quærens, propriam ſanè poſthabuit, & iniuria eſt affectus, malamque apud non parum multos gratiam retulit, quemadmodũ ſcriptum eſt, *Opprobria opprobrãtium tibi, ceciderunt ſuper me.* Nihil, inquit, noui contigit: cæterùm qui veteris Teſtamenti temporibus te & contumelia & iniuria affecerunt, Deus Pater, illi & aduerſus me, Filium tuum ſeſe concitarunt. *Quæcumque olim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam olim ſcripta ſunt.* Hæc, inquit, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt imitemur. *Vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Vt accepta conſolatione per ſcripturas, & per ſcriptam iſthic patientiam conforrati, maneamus in ſpe Dei. Patientia enim ſpem efficit, & ſpes rurſus patientiam & expectationem parit. *Deus autem patientiæ & conſolationis det vobis idem ſapere inter vos mutuò.* Oſtendit, quòd cùm ſcripturis, & doctrina & conſolatione, quæ ex ipſis proueniunt, opus etiam ſit oratione vt Dei nobis auxilium conciliemus.

Pſal. 28.

H *Per Ieſum Chriſtum.* Dilectionem ipſis precatur. At quia & in malo dilectio eſt, ab ea, hanc ſecernens, addit, Secundum Ieſum Chriſtum. *Vt vnanimiter vno ore glorificetis Deũ, & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti*: Quæ verò eſt commoditas, ſi charitatem habeatis, atque idem inter vos ſentiatis; hæc nimirùm, vt vnanimiter glorificetis Deum. *Propterea.* Quum hæc ita ſeſe habeant aſſumite alter alterùm: hoc eſt, reconciliamini inter vos, ac Chriſtum vita veſtra commonſtrate. Hoc facientes, Deum per dilectionem glorificabitis. *Aſſumite vos mutuò, quemadmodum & Chriſtus nos aſſumpſit ad gloriam Dei.* Hyberbaton eſt, aſſumite vos mutuò ad gloriam Dei. *Dico autem, Ieſum Chriſtum.* In Iudaiſmo adhuc perſeuerantibus, ipſumve ſpirantibus, hæc, Apoſtolus, ceu accuſans eos, loquitur. Chriſtus in hunc mundum veniens, Patri ſuo cooperatus eſt, vt promiſſiones Abrahamo factæ, ad finem perducerentur. Cooperatus eſt autem, legem vniuerſam implens, circumciſus etiam: ideò enim ait, ipſum miniſtrum fuiſſe Circumciſionis, vt & hanc firmaret compleretq; legem.

A *miniſtrum fuiſſe Circumciſionis.* Poteſt & ſic locus hic intelligi: Miniſter fuit Chriſtus Iudæorum: hoc eſt, eorum qui inter promiſſionem detenti fuerunt, vti Pater qui has promiſiſſet, veras etiam efficeret eaſque præſtaret. *Pro veritate Dei.* Vt verum oſtenderet, & exhiberet Patrem qui promiſerat. *Vt ſtabiliret promiſſiones patribus factas.* Lex quidem non potuit ipſas ſtabilire: Quomodò igitur non abſurdum eſt, Chriſtum qui promiſſiones noſtras Patribus factas firmauit, negligere, ac legem tenere atque tueri, quæ non potuit promiſſiones nobis ſeruare? *Et vt gentes pro miſericordia glorificarent Deum.* Iudæi etſi promiſſiones acceperant, nihil tamen per eas adiuti fuiſſent niſi Chriſtus eas firmaſſet. Vos autem gentes, inquit, pro ſola clementia & humanitate debetis Deum glorificare, poſtquàm neque promiſſiones habetis, ſed miſericordia vobis eſt communicata quæ totum id quicquid eſt, efficit. Quantò magis igitur miſericordia perfuſi eſtis, tantò maiores debetis Deo agere gratias, adeoque debitores eſtis Dei, vt ex Iudæis in fide imbecilles feratis. Id enim
B in gloriam Dei cedit, concordia veſtra, paxque veſtra. Differit autem hic de fidelibus qui ex gentibus Chriſto acceſſerant: quos enim maximè, ciborū diſcrimen obſeruantes, impetebant. IOANNIS CHRYSOSTOMI. Promiſſio
Gen. 20. & 22. ad Abrahamum facta erat huiuſmodi: *Tibi dabo terram, & in ſemine tuo benedicentur omnes gentes*: Verùm facti ſunt obnoxij pœnæ deinceps, quotquot à ſemine Abrahami deſcenderant. Lex enim quam prætergrediebantur, iram ipſis operabatur, ac promiſſione illos ita orbabat, Patribus addicta. Proinde Filius Dei in carnem veniens, cooperatus eſt Patri, vt promiſſiones illas præſtaret. Vniuerſam enim legem implens in qua & Circumciſio erat, atque per crucem eos qui tranſgrederentur legem, liberans, non permiſit interciderepromiſſionem. Quum igitur Chriſtum Circumciſionis miniſtrum dicit, hoc ait: quòd ſimulatque adueniſſet impleſſetque legem, ac circumciſus, eſſet factus ſemen Abrahami, diſſoluit maledictionem, placauitque iram Dei: propterea etiam & auditos
C hac ratione faciens eos qui promiſſionem in poſterum accepturi erant. Vt ne igitur dicant illi in iudicium vocati: Quomodo igitur Chriſtus circumcidebatur, & omnem legem obſeruabat, ſi in diuerſum ipſam illam conuertit, ac tandem non cuertit, Reſpondet: Non vt permaneret Lex, id egit, verùm vt eam diſſolueret, atque ab illius nos liberaret maledictione. Porrò ne hanc ob rem criſtas erigerent gentes, adijcit, gentes propter miſericordiam, Deum glorificare debere. Quod verò dicit, eſt huiuſmodi: Iudæi promiſſionem ſaltè habebant, tu verò nihil huiuſmodi: verum ea ſola humanitate atque clementia ſeruatus es, quanquam & illis nihil profectò, quo alios excellerent, obtigiſſet ex promiſſione illa, niſi Chriſtus adueniſſet. Gloria autem Dei hoc totum eſt, nempe, coagmentatas eſſe gentes cum Iudæis, vt vnanimiter Deum prædicent, fortiores quoque, imbecilliores baiulent.
Pſal. 17. d. 2. Re. 22. d. *Sicut ſcriptum eſt: Propter hoc confitebor tibi in gentibus,*
D *& nomini tuo pſallam.* Et iterum, dicit: *Lætamini gentes cum*
Pſal. 116. a. *populo iſto.* Et rurſus: *Laudate Dominum omnes gentes, laudate*
Iſa. 11. c. *eum omnes populi.* Ac iterum Eſaias dicit: *Teſtimonium ſcripturæ producit*, oſtendens coagmentari Iudæos gentibus. *Erit radix Ieſſe, qua exurgit vt dominetur gentibus, in eam gentes ſperabunt.* Erit radix Ieſſe: qualis? quæ exurget, vt domi-
Iſa. 11. netur in gentes. *Deus autem ſpei impleat vos omni lætitia & pace.* Rurſus ad votum & precationem venit, inquiens: Deus, inquit, liberabit vos à mutua pugna mœſtitiaque, & infœlicitate inde prouenientè. *Vt credatis, & in ſpe exuberetis in potentia Spiritus ſancti:* A nobis enim fides ipſa adferenda eſt. Hinc iam erit nobis cauſa omnium bonorum ipſa in Deum ſpes, quam cum quadam exuberantia illis exoptat: Vt exuberet, inquit, quod non aliter erit, niſi potentia. Qui igitur ſpiritum habet, omnia habet. *Perſuaſus ſum autem fratres mei, & ipſe ego de vobis, quòd vos pleni ſitis.* Non opus habeo diſcere ab alijs. *Bonitate.* Bonitatem appellat, perfectam virtutem. Quod adijcit, πάσης, id eſt, referti, verbum eſt intentionis. *Repleti omni cognitione.* Quid enim, quòd aliquis fratrum amore dilectioneque intenſa flagrat, is non poſſit commodè charitate vti? proptereà adijcit, Omni cognitione. *Quippe qui poſſitis &*
E *alios adhortari.* Non ſolùm, inquit, opus habetis admonitione, verùm alios etiam inſtituendi. *Audacius autem ſcripſi vobis fratres, ex parte, veluti memoriam ſubinde veſtri faciens.* Oportebat enim eos qui duriter tractati eſſent & obiurgari, mitigare, lenitateque quadam excipere. Perſuaſus ſum (inquit) de vobis, veruntamen audentiùs ſcripſi quadantenus. hæc ſunt placantis verba, neque hic deſijt. cæterùm quid ait? Veluti ad memoriam vobis reuocans: nec dixit, docens, neque reminiſcens, ſed ἐπαναμιμνήσκων: hoc eſt, paululum quippiam vobis ad memoriam reuocans: Aliter. Placidè, inquit, veluti reminiſcens, vel ad memoriam reuocans: hoc eſt, parum recordatus, ſeu commonefaciens vos. Talis autem dictionum ſignificatio prohibet, ne omnino ad memoriam iſta eis reuocet: Vnde non dicit, docens, ſed, reminiſcens. *Per gratiam quæ data eſt mihi à Deo, vt ſim miniſter Ieſu Chriſti inter gentes.* Non meus eſt
F labor, inquit, ſed gratia Dei. Oſtendit autem, quòd neque recordari eorum auſus fuiſſet, niſi gentes ei concreditæ fuiſſent: pleraque autem mitigat. *Ac ſanctè miniſtrem Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium.* Proinde & à vobis non iniuria ſanè audiar. *Acceptabilis & ſanctificata.* Proinde quum mihi miniſterium iſthuc, & ſacrum officium adeoque opus concreditum ſit, dabo operam vt ſedulò perſequar voluntatem Dei, quæ eſt, vt oblatio veſtra, grata beneque accepta reddatur. *in Spiritu ſancto.* Quomodo autem eritis acceptabiles & ſanctificati? Si habetis, inquit, ſpiritum. Ecquî hoc fit? per vitam irreprehenſibilem. Quare, qui non rectè viuunt, Spiritum ſanctum à ſeſe abigunt. *Habeo igitur gloriationem in Chriſto Ieſu, in ijs quæ ad Deum pertinent.* Glorior igitur, non in meipſo, neque in diligentia mea, ſed in rebus ad cœleſtem Patrem redeuntibus, pertinentibuſque. Proinde fides in Chriſtum, Patri etiam eximia res eſt, & ad Patrem pertinet. *Non enim audebo loqui quicquam eorum quæ non effecit Chriſtus per me.* Quia dixit, *Habeo gloriationem*, addit: Non ſunt inanes verborum faſtus, quæ dixi. Nihil enim audeo dicere, præ-
G ter ea quæ ipſi ſunt à Chriſto tradita, ad gentium ſacrum miniſterium, & vt mihi gentes obediant: quin etiam ſignorum operationes, & prodigiorum demonſtrationes mihi ſunt traditæ. Seipſum enim hic rurſus attollit, quū omnium ſeſe ſuprà demiſerit, Confidentiùs ſcripſi vobis, vt ne veluti à vili quopiam profecta oratio rejectitia fiat. *Ad obedientiam gentium, verbo & opere: in potentia ſignorum & prodigiorum.* Nihil ſuum fuiſſe, ſed totum Chriſti, oſtendit. *in virtute ſpiritus Dei.* Spiritus ſancti dignitas eſt & honor, quòd hæc eius virtute fecerim. *Vt ita ab Ieruſalem ſiminimiſque, circumiacentibus locis, ad Illyricum vſque impleuerim Euangelium Chriſti.* Quæ dixit, demonſtrat ex Diſcipulorum multitudine. Proptereà dixit κύκλῳ, hoc eſt, per circuitum: vt ne rectam viam intelligas, ſed omnia quæ Ieroſolymæ circumiacent. Non dicit autem, prædicare, ſed quod maius eſt, Implere. *Ipſumque adeò annum prædicarim: non tamen vbi nominatus eſſet Chriſtus.* Erat mihi honorificum,
H & gloriæ mihi ducebam, annunciare Euangelium vbi nondum nominatus eſſet Chriſtus. Ecquur ita? Vt ne, inquit, ſuper alienum fundamentum ædificarem. SEVERIANI. Non veluti deprecans, aliorumque Apoſtolorum communionem deuitans, enimuerò auarum & iniquum iudicarem, alienorum operum gloriam mihi arripere ac vendicare. *Vt ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.* Alienum fundamentum, aliorum præconum doctrinam appellat: alienum autem, non quòd diuerſa docerent, verùm mercedis laboriſque nomine. *Sed perinde ac ſcriptum eſt. Quibus non annunciatum eſt, de ipſo videbunt, & qui non audierunt, intelligent.* Oſtendit, quòd dum fecerit, Prophetiam ſimul impleuit. *Propterea & impediebar ſæpè, ne venirem ad vos.* Eius quòd principio dixit, *Sæpe decreui mecum venire ad vos*, nunc rationem reddit: Ad gentes, inquit, doctrina & prædicatio, me hactenus arcuit. *Nunc*
Sup. cap. 1. *autem nondum locum habens in regionibus his.* Vides quòd eorum gloriam, ſuamve vtilitatem appetens, hæc non ſcripſerit: neque perinde ac quiſpiam obijcere poſſet quòd aduletur ipſis, ceu magnatibus & potentibus? etenim tantùm non hoc ſcribit: Opere meo completo, adeo vt

nihil

A nihil mihi porro tranſigendum reſtet, ad vos venire in a-
nimum induxi. *Deſiderium autem habens veniendi ad vos iam
inde à multis annis, vt ſi proficiſcar ad Hiſpanias.* Ne videatur
eos floccipendere, ſi ſcribat, quoniam nihil habens quod
agam, ad vos veniam, charitatis rationem replicat. *veniam
ad vos.* Ne rurſus videatur adulanter dixiſſe, *deſiderium ha-
bens iam inde à multis annis*, corrigit hic quod dixit, inquiẽs:
Propterea potiſſimum venire volo, vt ad Hiſpanias pro-
ficiſcar. *Spero enim, me, ſi tranſiero, viſurum vos. & à vobis de-
ducendum illuc.* Ne dicant, profectionis tuæ nos facis o-
cioſum quiddam & ſuperuacaneum, adeoque fruſtrà &
nulla de cauſa ad nos proficiſceris, infert: *Vt à vobis dedu-
car*, vt rurſus charitatem ob oculos ponat. Verùm quia
hoc non erat debitum, adijcit, Simulac veſtri ſatur fuero,
quod Patris erat magis, quàm præceptoris aut doctoris.
Si veſtri primum quadamtenus plenus fuero : Id eſt, ex parte.
Nullum enim tempus, dilectionem meam erga vos com-
plere ac ſaturare poteſt. *Iam verò abeo Ieroſolymam.* Quum
B dixiſſet: Non porrò locum habens in climatibus hiſce,
veniam ad vos: & quia moram nexuit vſque, dilatum vſque
aduentum, ne illuſos ſe arbitrarentur, cunctationis ſuæ
cauſam explicat. *miniſtrans ſanctis.* Si Paulus miniſter eſt,
rei inde magnitudinem tecum reputa. Non modò cau-
ſam vult dicere cunctationis ſuæ, cęterùm eos iuxta com-
monefacere, vt perinde quicquam vt alij, ſanctis in Ieru-
ſalem degentibus impertiant. Eo enim reſpicit, quum
Macedoniæ & Achaiæ ſuam eleemoſynam mittentium
Eleemo-ſyna. mentionem facit. *Placuit enim Macedoniæ & Achaiæ commu-
nionem quandam facere.* Communicationem, ipſam elee-
moſynam appellat, quandoquidem ipſi pecunias, ſancti
autem interceſſionem apud Deum contribuant. *in pau-
peres ſanctos qui ſunt in Ieruſalem.* Duplex eſt impertitionis
neceſſitas, propter paupertatem, & virtutem. *placuit enim
eis, cùm & hoc illis debeant.* Ecquur iſtud facere voluerunt,
inquit, quippe qui debitores ſint. Non igitur vt eleemo-
ſynam, verum vt debitum mittunt. *Si enim ſpiritualibus i-
pſorum communicauerunt gentes, debent & in carnalibus mini-
C ſtrare ipſis.* Deinceps quomodò ipſorum debitores ſint,
recenſet. Propter ipſos, inquit, potiſſimùm venit Chri-
ſtus. Loquitur de ijs qui ex Circumciſione crediderant,
illorum etiam bona tanta erant, & promiſſiones. Quem-
admodum igitur ſpiritualibus ipſorum communicaue-
runt gentes, ſic operæpretium eſt, eos in carnalibus opem
ferre. Non dicit autem rurſus, communicare, ſed, λειτου-
ργῆσαι, hoc eſt, miniſtrare: ita eos collocans, In ordine eo-
rum qui ſanctis miniſtrent, adeoque tutò repoſiturus (in
cœlis enim repoſiturus erat) inquit, & ſigillo muniens.
Hoc igitur perficiens, & obſignans ipſis fructum hunc. Fructum
appellat eleemoſynam, innuens eum qui quicquam im-
pertiat pauperibus, lucrum facere. *Abibo per veſtram ope-
ram in Hiſpanias.* Rurſus Hiſpaniarum meminit, amorem
ſuum erga Hiſpanos ingenrem detegens. Noui autem
quòd veniens ad vos, *in plenitudine benedictionis Euangelij
Chriſti veniam.* Hoc eſt: Noui, quòd veniens ad vos, orna-
tos vos bonis inueniam. nam quod ait, In plenitudine
benedictionis Euangelij veniam, eos intra omnia bona
D eſſe conſtitutos ſignificat. OECVMENII. Vel ſic intelli-
gere hunc locum poteris: Noui quòd veniens, eo ventu-
rus ſum, vt vos Euangelij benedictione impleam: hoc eſt,
vt vos ad fidem & virtutem inungam. *Adhortor autem
vos, fratres, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per dile-
ctionem ſpiritus, vt ſimul certetis mecum.* Perinde ac ipſe non
ſatis idoneus eſſet ad perſuadendum, per Chriſtum (in-
quit) & Spiritum ſanctum vos adhortor. Obſerua, quòd
hic, Filij & Spiritus meminit, nondum etiam Patris: Hoc
autem dictum eſt, vt quando Patris & Filij ſolius men-
tionem facit, non turberis quòd non ſpiritum etiam ex-
primat: indiſcriminatim enim ſanctam Trinitatem po-
nit. *in orationibus pro me ad Deum.* Maxima eſt S. Pauli hu-
militas, quòd dicat ſe illorum etiam precationibus ad
Deum habere opus. *Vt liberer.* Non dixit, vt confligam
cum illis, vel vt vincam eos, ſed, *Vt liberer*, Chriſti manda-
tum implens, Orate ne intretis in tentationem. *ab infide-
libus in Iudæa.* Indicat ſceleratos quoſdam lupos potiùs
quàm homines, inſurrecturos aduerſum ſeſe. *Vtque mini-
ſterium meum erga Ieruſalem, gratum fiat ſanctis.* Vt ſacrifi- E
cium meum acceptabile fiat apud Deum, vtque ipſi cum
alacritate & gratiarum actione recipiant, quæ illis offe-
ram. *Vt in lætitia veniam ad vos.* Simulatque enim libera-
tus fuero ab infidelibus, & miniſterium meum gratum
extiterit, in lætitia, neque quicquam in mœrore veniam.
per voluntatem Dei. Quod principio dixit, id nunc quoque
commemorat, *Si qua ratione, proſperum iter nactus fuero ve-
niendi ad vos. ac ſimul quieſcam apud vos.* Viden' ipſum omni
vacare faſtu? Non enim dixit, docebo vos aut inſtituam,
ſed, ſimul requieſcam, vel refocillabor: hoc eſt, vos, apud
me, per doctrinam, & ego apud vos, ob fidei veſtræ com-
municationem. *Deus autem pacis cum omnibus vobis, Amen.*
Id vbique Apoſtolo in more eſt, vt poſt adhortationem,
votum adijciat & exoptationem.

CAPVT XVI.

*COmmendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, mini- F
ſtram Eccleſiæ quæ eſt apud Cenchras, vt ipſam ſuſcipiatis.*
Vide quanti faciat Phœben: & quòd primùm eius memi-
nerit, & quòd ſororem eam appellat Ecquid ſi forſitan
Pauli ſoror fuerit? *in Domino*, Aut, ſecundum Dominum,
vel, per Dominum. *Dignè ſanctis*: quemadmodum (inquit)
decet ſanctos accipere. Duplicem autem dedit eis curan-
di occaſionem, tum quod propter Dominum ſuſcipienda
ſit, tum quia ſancta ſit. *& aſſiſtite ei, in qua re veſtri opera in-
diguerit.* Conſidera hic Apoſtoli modeſtiam, qua nemini
grauis eſt. Non dixit, liberate ipſam ab ijs quæ ei immi-
nent, eamve circumſtant, ſed, Aſtate, *aſſiſtite*: hoc eſt,
quantùm in vobis eſt conferre, & manum ei porrigire.
Nam & ipſa multorum aſſeſtrix fuit. Ingens laus, quæ ſola
ſufficiebat eam commendare. *mei que ipſius.* Maximum po-
ſtremo loco encomium poſuit. Fœlix re vera eſt, vt quæ
potuerit prodeſſe, ac refocillare animam Pauli ſanctam.
Mei ipſius : hoc eſt, Apoſtoli, præconis verbi, Doctoris G
terrarum orbis. *Salutate Priſcam & Aquilam, cooperatores
meos in Chriſto Ieſu, qui pro anima mea ſuam ipſorum ceruicem
ſuppoſuerunt: quibus non ego ſolus, gratias ago.* Cooperarij fue-
runt in doctrina, in tentationibus, in periculis. Ingens
hæc profectò laus eſt. *Verumetiam omnes Eccleſiæ gentium.*
Vel propter inſtitutionem, vel propter pecuniarum col-
lationem. *Et quæ in domo eorum eſt, Eccleſiam.* Adeo probatæ
viæ fuerunt Priſca & Aquila, vt & domum ſuam Eccle-
ſiam fecerint. Vel quòd tota cum domo ſua fideles fue-
runt, ſic domum reliquam, Eccleſiam vocat. *Salutate Epæ-
netum, dilectum meum, qui eſt primitiæ Achaiæ in Chriſtum.*
Magnum eſt Pauli eſſe dilectum, qui iudicio & non ad
gratiam amare nouit. Primitias autem ipſum vocat, ſiue
quòd primus credidit, ſiue quòd maiorem omnibus pie-
ratem oſtenderit. Atque ne exiſtimes, ipſum in rebus car- 1. Tim. 2.
nalibus fuiſſe primitias, addit, in Chriſtum. *Salutate Ma-
riam quæ multum.* Oſtendit, quòd cum doctrina, alia etiam
erga ipſos fecerit. *laborauit erga nos.* Nedum, inquit, erga
ſeipſam laborauit, vt ſeruaretur, verùm erga nos etiam
Apoſtoli ordinem implens, & Euangeliſtæ. Quomodo H
igitur dixit. Mulieri autem docere non permitto? Prohi-
buit mulieri, ne in publico & in communi conuentu pri-
matum ſibi vendicaret, neve concionandi cathedram oc-
cuparet, cæterum à doctrina verbi non remouit. *Salutate
Andronicum & Iuniam cognatos & concaptiuos meos.* Maior
laus eſt. *concaptiuos meos*: ſiquidem duriora patiebantur in
carcerem intruſis, dum perſecutionibus, iniuriæ & con-
tumeliæ obnoxij erant, ac tantum non ſuccumbebant,
qui ſunt inſignes inter Apoſtolos. Magnum quidem eſt, eſſe
Apoſtolos, ſed quod inter ipſos ſint celebres & inſignes,
eſt omnium maximum, *qui & ante me fuerunt in Chriſto*,
Vide piam mentem ſanctamque animam. Non veretur
dicere, quod illi ante me crediderunt Chriſto. *Salutate
Ampliam, dilectum meum in Domino, Salutate Vrbanum*, Ingẽs
laus. *Cooperatorem noſtrum in Chriſto: & Stachyn dilectum
meum.* Hoc maius eſt, quòd doctrina cooperatus eſt.
Salutate Appellem probatũ in Chriſto. Veluti irreprehenſibi-
lem. *Salutate eos qui ſunt ex Ariſtobuli domo.* Fortaſſe non
fuerunt eiuſmodi quales priores; ideò nec nominatim

eorum meminit, *Salutate Herodianum dilectum cognatum meum. Salutantes eos qui ex Narciſſi familia, qui ſunt in Domino. Salutate Tryphænam & Tryphoſam.* Æqualis omnibus laus, quoniam in Domino fuerunt, id eſt fideles. *Quæ in Domino laborant.* Suprà Mariam recordabatur quæ multum laborauerat, hasce autem adhuc laborare dicit, quæ res maiorem ipſi laudem parit. *Salutate Perſidem dilectam, quæ multum laborauit in Domino.* Hæc maior eſt Tryphæna & Tryphoſa, quoniam eum dilecta eſt, tam multa fecit in Chriſti gloria. *Salutate Rufum, electum in Domino, & matrem ipſius & meam. Salutate Aſyncritum, Plegontem, Herman, Patrobam, Hermen.* Duplex bonum eſt, & quòd filius ſit inculpatus, & quod mater virtutibus ſit redimita, hoc enim indicat, quod ait, & meam. *& qui cum ipſis ſunt fratres.* Magnum eſt quod iſti S. Pauli fratres dicantur. *Salutate Philologum & Iuliam, Nereum & ſororem eius, & Olympiam & qui cum ipſis ſunt. Sanctos omnes.* Quod ſi ſancti, non parum profectò encomij conſequuntur. *Salutate vos mutuò. Salutant vos Eccleſiæ Chriſti.* Nunc ad omnes promiſcuè ponit, ne quiſpiam triſtitia afficiatur cuius nomen expreſſum non ſit. *in oſculo ſancto*: Ad diſcrimen eius, quod minimè ſanctum eſt: Non porrò hunc vel illum, ſed iunctim omnes eſt complexus, quum, *vos*, dixit. *Adhortor autem vos fratres.* Nona conſultatione ſupplicis perſonam gerit; fratres eos, multo ſanè honore vocans. *vt conſideretis eos.* Scrutari & perdiſcere hortatur. Subijcit autem oculis fallacias eorum: non enim palam ſe conſpiciendos præbent ſcelerati. Porrò maxima eſt Eccleſiæ ſubuerſio, eam inter ſeſe diſſociari. *qui diſſenſiones.* Poſt diſſentionem namque, ſcandalis patent aditus. *& ſcandala præter doctrinam quam vos didiciſtis, faciunt: ac declinate ab ipſis.* Quid verò ſint ſcandala, ipſe interpretatur. Hæreſes, inquit, præter doctrinam Euangelij noſtram, ſubeuntes irrepentesque. *Tales enim Domino Ieſu Chriſto non ſeruiunt, ſed ſuo ventri.* Hæreſes enim omnes & offendicula hinc oriuntur, quod earum autores & ventri & affectibus ſuis ſeruiant: Eam ob rem dicit, quod Chriſto non ſeruiant, ſed alio. Videtur autem Iudæorum hic notare quoſdam: Iudæos enim velitis gaſtrimargos accuſat, ſuaque tantùm quærentes, per ſubuerſionem Eccleſiarum. *& per commodi loquentiam & bona verba imponunt cordibus.* Verbis, inquit, veſtri curam gerunt, mens verò illorum, erga vos doloſa eſt. Nouum autem deceptionis modum hic profert, quod nimirum adulatione dolum nectant. *Simplicium* Non dixit, veſtris, ſed ſimpliciorum. *obedientia enim veſtra ad omnes peruaſit. Gaudeo igitur propter vos.* Quòd verò non vobis ſed ſimplicibus imponant, inde liquet, quod obedientia veſtra & fides, ad omnes peruenit. multos autem eorum, fidei & obedientiæ cauſa laudat, ne & ipſi ad teram iſtam doctrinam turpiter cum rubore quodam acclinentur. *volo autem vos,* qui nondum eſtis decepti: obſcurè autem innuit, quòd ex ipſis etiam nonnulli in errorem fuerint inducti. *Sapientes quidem eſſe ad bonum, ſimplices autem ad malum.* Volo, inquit, ad bonum vos eſſe prouidos, ad mala verò, volo vos imperitos & inexpertos planè eſſe. SEVERIANT. Hoc eſt, prudentia quidem vti, vt ne ab alijs iniuria vobis inferatur: ſimplicitate autem, vt ne alijs fallacias machinemini. *Deus autem pacis.* Quia diſſenſiones fuerunt, pacis datorem inuocat, vt offendicula tollat & compeſcat. conteret: Multò maius eſt quam ſi imperaſſet, occidendo, conterat. *Satanam, celeriter ſubter pedibus veſtris.* Non modò, inquit, offendicula diſſenſionum autores conteret, verùm ipſum iuxta imperatorem eorum ſatanam: idque celeriter, ex temporis breuitate conſolationem conſtituens. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum.* Gratiæ Dei nunquam non ſeruantis, apud eos meminit. Quod ſi hoſtes quum adhuc eſſetis, vos ſeruauit, multò magis nunc. Viden' quod operibus & gratia habeamus opus, vt æternum beemur? Quum enim obedientiam eorum adduxiſſet, gratiam pariter eis exoptauit & precatus eſt. *Salutant vos Timotheus cooperator meus, & Lucius, & Iaſon, & Soſipater.* Viden' Timothei encomion? Adiuuabat autem eum in Euangelio. *Cognati mei.* cognatos appellat, qui pietatis nomine tales videbantur. *Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi Epiſtolam hanc in Domino.* Magnæ ſibi laudi duxit, ſe eſſe Amanuenſem Pauli. Salutat vos *Caius hoſpes meus, totiuſque Eccleſia.* Hoc eſt, qui me hoſpitio recepit. Non parum autem laudis ei accedit, quòd vniuerſam ipſe Eccleſiam hoſpitabatur, adeoque ipſum Paulum qui haud ſimpliciter apud ipſum tractatus eſt. *Salutat vos Eraſtus, œconomus vrbis, & Quartus frater.* Dignitatem eius poſuit, vt ſcias neque diuitias, neque dignitatem cuipiam obſtare, quò minùs rectè viuat, & fidei accedat. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Gratiæ meminit, Chriſti beneficia ad memoriam reuocans. *Cum omnibus vobis Amen*, ſic auſpicari ab oratione, ſicque deſinere ac finire ſermonem conuenit oratione & voto. Hoc enim fundamentum, hunc iterum terminum ſemper facere, Sanctu Paulo & gratum & conſuetum eſt.

NEMESII EPISCOPI EMISSENI ET PHILOSOPHI CHRISTIANI, DE NATVRA HOMINIS, LIBER VNVS.

NVNC PRIMVM ET IN LVCEM EDITVS, ET LATINE CONVERSVS à NICASIO ELLEBOdio Caſſeriano.

Nicaſius Ellebodius Græca in Nemeſium præfatione, ſiue Epiſtola, ait, Nemeſium Emeſæ vrbis Phœnices Epiſcopum extitiſſe. Apud alios omnes, altum eſt de illo ſilentium. Notat idem, quod ſectori facilè apparebit, animas ante corpora exiſtere, ſenſiſſe, Pythagoræ, Platonis, & Origenis dogmatum ſtudio, & proinde vixiſſe ante Iuſtiniani tempora, quibus anno videlicet 551. in Synodo Conſtantinop. error iſte damnatus eſt. Reperias & apud Nazianzenum carmen ad Nemeſium: ſed non forſan iſtum, quia illum legum peritum facit, hunc autem apparet Philoſophiæ deditum eſſe.

EX BELLARMINO DE SCRIPTORIBVS ECCLESIAST. IN Gregorio Nyſſeno.

LIBRI octo de Philoſophia non videntur eſſe Gregorij Nyſſeni: nam in li. 2. docet, animam non creari in corpore, ſed ante corpus fuiſſe creatam, qui eſt error Origenis: & præterea totum hoc opus philoſophicum eſt, & ſapit Pelagianiſmum. Adde quod hoc idem opus inuenitur in Bibl. Patrum, ſub nomine cuiuſdam Nemeſij philoſophi Chriſtiani: eo ſolùm excepto, quòd apud Nyſſenum diuiditur in octo libros, apud Nemeſium eſt vnus liber, diuiſus in capita 45. & inſcribitur de homine, ſiue de Anima. Hic autem Nemeſius quando ſcripſerit, ignoratur: ſed quia nominatim refellit Manichæos, Apollinarem, & Eunomium, videtur vixiſſe & ſcripſiſſe tempore S. Gregorij Nyſſeni, aut certè non antea.

(v.)

A

NEMESII DE NATVRA HOMINIS.

CAPVT PRIMVM.

Quot, quibuſve partibus cōſtet homo diuerſæ ſunt ſententię.

HOMINEM ex animo intelligente, & corpore rectiſſimè cōſtructum eſſe, atque ita quidem rectè vt aliter fieri, ac cohærere non poſſit, vult, multi ijque boni viri, exiſtimarūt. Sed cùm hoc habeat controuerſiam, quòd intelligens animus dicatur, vtrum intelligendi vis ad animum, velut diſpar quædam natura ad diſparem naturam accedens, intelligentem eum efficiat: an intelligētiam à ſeipſo, atque ſuapte natura habeat, atque vt corporis oculus, ita hæc eius pulcherrima pars ſit: aliqui, in quibus eſt Plotinus, aliud eſſe animum, aliud intelligentiam ſtatuentes ex tribus hominem conſtare volunt, corpore, animo, intelligētia. Quos etiam Apollinarius ſecutus eſt, Laodiceæ Epiſcopus: nam hoc opinionis ſuę iacto fundamento, reliqua ſuo dogmati conuenienter aſtruxit. Nonnulli non ſepararunt ab animo intelligentiam, ſed in ea principatum eſſe animæ opinantur. Ariſtoteles verò eam quidem intelligentiam quæ poteſtate eſt, vna cum homine fabricatam putat: ſed eam quæ actu eſt, extrinſecus ſe inſinuare nobis, neque ad eſſentiam hominis, ſed ad progreſſionem cognitionis, & contemplationis rerum naturalium, conferre. Nam paucos admodum homines, & eos ſolos qui ſe philoſophiæ dediderunt, intelligentiam actu habere confirmat. At Plato quod in homine præſtantiſſimum eſt intuens, eoque nos ad vnius animi diuinitatem, curamq; conuertens, non quod ex corpore & animo iunctum eſt, ſed animum ipſum tali corpore vtentem, hominem eſſe dicit: ſcilicet vt animum nos eſſe credentes, ſpretis, & contemptis cupiditatibus corporis, vtpote quæ hominis non ſint, qua homo eſt, ſed primario loco animalis, (ſecundario hominis: quoniam & animal homo eſt) ſola animi bona, virtutes, & pietatem perſequamur. Neq; tamen certè inter omnes non conſtat animum corpore potiorem eſſe, cùm ab hoc corpus velut inſtrumentum moueatur. Declarat hoc perſpicuè mors, ſiquidē anima ſeiun-

B

C

Animum corpore potiorem eſſe, omnes cenſuerunt.

cta, omnis motus & muneris expers corpus manet: non aliter atq; artifice remoto nullo motu cieri poſſunt inſtrumenta. Iam verò illud nemo eſt qui ignoret, hominem & cum inanimis conuenire, & beſtiarum vitæ eſſe participē, & cum ratione præditorum mente quadantenus coniungi. Nam cum inanimis quidem, conuenit in corpore, & quatuor elementorum temperatione. Cum ſtirpibus, & in his ipſis, & in altrice & procreatrice anima. Cum rationis expertibus non ſolùm in his omnibus, ſed etiam in motu interiore, in appetitu, in ira, denique in ſentiendi, ſpirandique facultate. Hæc enim omnia, communia ſunt hominum, & rationis expertium, etſi non omnia omniū.

Homo quatenus cum alijs rebus conueniat.

D

Mente porrò, & ratione, cum corporis expertibus & intelligentibus naturis cōiungitur, cùm ratiocinetur & intelligat & iudicet omnia, & cùm cæteras virtutes ſequatur, tum pietatem, in qua virtutū omnium ſumma eſt, amplexetur. Quapropter velut in confinio eſt ſenſum mouētis, & quæ mente comprehenditur naturæ, quòd (vt iam explicatum eſt) corpore, & corporis facultatibus ad cætera animalia, & inanima, ratione ad corpore vacantes ſubſtantias accedat. Nam huius pulcherrimæ fabricæ opifex & ſator videtur ſenſim diſpares inuicem naturas aptaſſe; vt vnum eſſent omnia, & inter ſe cognatione quadam tenerentur. Ex quo maximè vnum eſſe qui vniuerſitatem rerum procreauerit, oſtenditur. Non enim ſolùm iunxit ſingulatim indiuidua, ſed etiam omnia quæ vbique ſunt aptè inter ſe compoſuit. Sicut enim in vnoquoq; animali, quæ ſenſu carent, os, adipem, pilos, & alia eiuſdem generis, cum ijs quæ ſenſum habent, neruis, carnibus, & ſimilibus coniunxit & ex his vtriſque animal conflauit, neque conflauit ſolùm, ſed etiam vnum effecit: ſic in reliquis rebus, cuiuſcunque ſint ſpeciei, fecit, eaſq; naturę cum ſimilitudine, tum diſcrepantia, pedetentim procedente inter

E

ſe conſtruxit, vt neque multū quæ prorſus ſunt inanima, à ſtirpibus quæ nutrientem habent animam, diſſideant: neq; rurſus hæ à beſtijs, & reliquis animantibus quæ anima ſentiente inſtructa ſunt: neque porrò beſtię, ab intelligentibus naturis planè deiungantur, nulloq; cum eis fœdere & inſito naturaliq; vinculo colligentur. Lapis enim à lapide differt vi quadam ſed Magnes lapis à natura & vi cæterorum lapidum diſceſſiſſe videtur, cùm ferrum ad ſe perſpicuè trahat & contineat, idque velut alendi ſui cauſa facere videatur. Neque id in vno ferro efficiat, ſed etiam aliud per aliud cohibeat, quò omnibus ſibi adhæreſcentibus, vim ſuam impertiat. Itaq; etiam ferrum tenetur à ferro, cùm ipſum à Magnete cōtinetur. Deinceps ædificator mundi Deus à ſtirpibus ad animalia tranſiens, non protinus ad gradiendi ſentiendique vim deuenit, ſed gradatim eò & concinnè progreſſus eſt. Pinnas enim, & vrticas marinas, velut ſentientes arbores effecit, quoniā eas in mari inſtar ſtirpium ſuis radicibus defixit, & teſtis quaſi lignis circumdedit, & non ſecus ac ſi ſtirpes eſſent, immobiles iuſſit conſiſtere: tangendi tamē ſenſum ijs largitus eſt, qui communis eſt omnium animalium: vt, cum ſtirpibus hoc ipſo quòd fixæ, & ſtabiles ſunt, cū animalibus ob tangendi ſenſum, ſocietate teneantur. Nam ſpōgiam, etſi ad ſaxa inhæret, & cōtrahi, & aperiri, aut potius dilatari cū ſenſerit aliquid accedere, ab Ariſtotele eſt traditū. Quocirca hæc omnia eruditi iuncto ex animali & ſtirpib. nomine ζωόφυτα vſurpant. Porrò autem ad primas, & id genus alia, adiūxit ea quæ cōmeant quidem illa de vno loco in aliū, at longè procedere nequeunt, ſed circa vnum eundēq; locum volutantur. Huius generis ſunt pleraq; quibus teſta protegmine eſt, & quæ terræ inteſtina nominantur. Atque ita paulatim alijs plures ſenſus, alijs vim progrediendi lōgiùs, tribuēs, ad beſtias perfectiores peruenit: dico autē perfectiores, quæ omnes habent ſenſus, & lōgè poſſunt procedere. Inde à beſtijs ad animal rationis compos: hoc eſt, hominē progrediens, non cōtinuò eum genuit, ſed priùs etiā cęteris animantib. naturalē quandam prudentiam, & artificium, & calliditatē incolumitatis ipſorum cauſa dedit, vt propinqua ratione verè rationis participes animalibus viderentur. At tum demùm illud animal q̄ verè rationis eſſet particeps hominē procreauit. Eandē progreſſionib. rationē in ſonis vocū ſi quis quærat, inueniet: ex ſimplici ſcilicet & vniuſmodi, equorum & boum voce minutatim ad variā & differētem coruorum & mutatricium auiū vocē eſſe deductos, quoad explanato & perfecto ſunt hominum ſermone terminati. Explanatā autē & diſtinctam vocē ex cogitatione & ratione aptā eſſe voluit, quòd eam vt animi ſenſus interpretaretur, effinxit. Ita omnia omnib. cōcinnè aptauit, & colligauit, & per hominis procreationem ea quæ intelligentia comprehenduntur, & quæ ſenſu accipiuntur in vnū contraxit, atq. coniunxit. Quare rectè Moyſes mūdi ædificationem exponens, vltimò dixit hominē eſſe factum, non ſolùm quòd cùm omnia propter ipſum eſſe cōdita, oportebat primùm quæ ad vſum illius pertinebant parata eſſe, deinde cum qui eis vſurus eſſet produci, ſed etiam quoniā cùm & quæ ratione & quæ cernendi ſenſu natura percipitur facta eſſet, oportebat eſſe quoddā vinculum vtriuſq;, vt vnum eſſet hoc vniuerſum, ſibiq; conſentiens, nec à ſeipſo alienū. Proinde homo genitus eſt, animal quod vtrãq; naturam coniungeret. Ac ſapientia quidem eius qui nunc orbem molitus eſt Dei, vt breuiſſimè exponi potuit, hæc eſt. Itaq, homo inter vtriuſque naturæ, vtentis ratione & expertis, fines interiectus ſi corporis voluptatibus delinitus eas præoptauerit, beſtiarum vitam amplectetur, & in illis numerabitur, & *terrenus*, vt loquitur Paulus, vocabitur, audietq; illud: *Terra es & in terram reuerteris*, &, *Comparatus eſt iumentis inſipientibus, & illorum ſimilis eſt effectus:* ſin deſpectis & pro nihilo ductis omnibus voluptatibus corporis, rationi paruerit, diuinā & Deo acceptiſſimam, eamq. quæ ad hominem præcipuè pertineat vitam ſequetur, & erit velut cęleſtis, vt literis ſanctis eſt proditū. Qualis terrenus, tales terreni, qualis cęleſtis, tales cœleſtes. Eſt autem naturæ ratione vtentis hoc caput, fugere & auerſari quæ mala ſunt, ſequi & expetere contraria. Bonorū porrò alia in animi & corporis ſocietate cernuntur, (nam & hæc

Magnes.

In creandis rebus perfectionis gradatio à Deo obſeruata.

F

G

Homo cur loco vltimo creatus ſit.

H

1 Cor. 15. Geneſ. 3. Pſalm. 48.

Bonorum ſpecies.

A

hęc ad animum velut vtentem corpore referuntur) vt virtutes: alia animi ipſius per ſe nec egentis corpore ſunt propria, vt pietas in Deum & rerum cognitio. Itaq; qui hominis qua homo eſt non animal tantùm, vitam volunt degere, virtutes & religionem colunt. Quæ autem ad virtutes & religionem pertineant, poſtea perſpicietur cùm de anima & corpore diſſeruerimus. Cùm enim nondũ ſit cognitum, quænam vis ſit & eſſentia animi noſtri, non cõuenit de vſu eius agere & munere.

Hebræorũ de homine ſententia.

Hebræi hominẽ ab initio neque planè mortalem, neque planè immortalem genitum eſſe aiunt, ſed veluti in confinio cadentis, & ſempiternæ naturæ eſſe poſitum, ſic vt ſi corporis affectionibus ſe dederet, ſub corporis mutationes ſubijceretur: ſin animi bona anteponeret, ad immortalitatem traduceretur. Nam ſi hominem à primo ortu Deus mortalem procreaſſet, profectò, non poſtquàm ſe peccato obſtrinxerat, mortis eum condemnaſſet. Nam mortalem quidem quis mortalitatis condemnat? Contrà ſi immortalem, neq; alimenti egentem feciſſet:

B

Nihil enim quod immortale eſt, corporeum alimentum deſiderat, neque ita facilè pœnitentia ductus eum qui creatus eſſet immortalis, continuò mortalem effeciſſet. Neq; enim in Angelis qui peccarunt hoc fecit, ſed vt ab initio natura immortales ſunt creati: ita manſerunt, neque peccatorum ſuorum pœnam mortẽ, ſed aliud ſupplicij genus eaſpectant. Quare vel hæc probanda ſentẽtia eſt: vel dicendum mortalem quidem factum eſſe hominẽ, ſed qui ad perfectionem procedere, ac immortalitatẽ tandem conſequi poſſet. Quod hanc habet ſententiam, poteſtate hominẽ eſſe immortalem procreatum. Quoniam verò nõ conducebat illi ante partam perfectionem, noſſe naturã ſuam, ligno illi cognitionis interdixit: Erant enim & verò ſunt etiam nunc vires in his quæ è terra oriuntur maximę, verùm tunc vt in exordio mũdi, cum puræ & incorruptæ eſſent, erãt efficaciſſimę. Erat igitur fructus quidam qui delibatus, illi naturæ ſuæ cognitionem afferret. Nolebat autem Deus ipſum, antequam perfectus & abſolutus eſſet, noſſe naturam ſuã, ne vbi multa ſibi deeſſe cognoſſet, animi curam vſui cultuiq; corporis poſthaberet.

C

Hanc ob cauſam ne cognitionis lignũ attingeret, prohibuit. Verùm vbi nõ obtemperaſſet, ſeq; ipſe cognouiſſet, & à perfectione remotus eſt, & quæ ad corpus viui eſſent, deſiderauit: Itaq; ſtatim quo ſe tegeret, quæſiuit. Ait enim Moyſes, illum *ſe eſſe nudum cognouiſſe*. Priùs enim apud ſe nõ erat, & in ſuipſius ignoratione verſabatur.

Geneſ. 3.

Cùm igitur à perfectione eſſet reiectus, item ab immortalitate depulſus eſt: quæ tamen poſtea Dei beneficio recipietur.

Poſt lapſum conceſſũ eſt homini veſci carnibus.

Poſt hunc caſum conceſſum eſt vt carnibus veſceretur, cùm priùs ſolis ijs quæ è terra naſcerentur contentum eſſe iuſſiſſet: Ea enim in paradiſo erãt. At deſperata perfectione, de cętero vt quibus vellet frueretur, indulſit. Cùm autẽ ex corpore homo conſtet, omne porrò corpus ex quatuor elementis conflatum ſit, neceſſe eſt, quæ affectiones elementis conueniunt, eaſdem in hominem cadere, ſectionem, cõmutationem, fluxum, quæ ſunt ſolius corporis. Ac commutatio quidẽ in qualitate, fluxus in exinanitione perſpicitur. Exhauritur enim ſemper animal cùm per aperta, tum per occulta foramina qui pori dicuntur, de quibus poſteriùs dicemus.

D

Neceſſe igitur eſt paria ijs quæ exhauriuntur ſummitti, aut morte diſſolui animal, inopia eorum quæ ſufficiantur: quoniam autem ſicca ſunt & humida, & ſpiritus, quæ exhauriuntur, neceſſe eſt & ſicco & humido cibo indigeat animal, & ſpiritu.

Eiſdem concreti ſumus & nutrimur.

Cibus autem & potus per elemẽta nobis cõparantur, ex quibus etiam concreti ſumus. Aliter enim vnumquodque naturæ ſuæ accommodato, & ſimili, curatur contrario. Elementum verò partim proximè, partim alijs quibuſdam naturis intercedentibus aſſumimus, vt aquam aliquando per ſe, aliquando per vinum, oleum, & omnia quæ humidi fructus appellantur:

Vinum.

Nihil enim aliud eſt vinũ quàm aqua è vite certa quadam qualitate affecta. Similiter igne vtimur aliquando proximè, dũ ab eo caleſimus, aliquando per ea quæ edimus, vel bibimus: In omnibus enim vel magna vel parua ignis pars inſperſa eſt. De aëre idem ſentiẽdum eſt. Nam proximè quidem eò fruimur, quòd reſpiramus, quòd circũfuſum nobis habemus, quòd in comedendo & bibendo ducimus:

E

Per alias verò naturas omnes quibus alimur. Terra autem per ſe nos quidem nullo modo, ſed ſemper alijs quibuſdam interpoſitis veſcimur: Terra enim frumẽtum fit, frumentum autem nobis cibus eſt. Galeritæ enim, & columbę ſæpè etiam perdices terram edunt. At homo per ſemina, arborum baccas, carnes. Sed quoniam non ſolùm propter decentiam, ſed etiam propter tangendi ſenſus excellẽtiam, quo maximè omnibus animalibus homo præſtat, neq; corio nos obduxit, vt boues & cætera quæ craſſa cute veſtita ſunt: neq; pilis magnis & denſis, vt capras, oues, lepores: neque cortice, vt ſerpentes, & piſces: neque teſta molliore, vt carabos: neque pennis, vt aues: neceſſariò, veſtitu opus habuimus, qui cum ijs quæ cæteris animãtibus tribuit compenſaretur.

Quibus homo egeat iuxta corpus.

Atque hæ quidem cauſæ ſunt cur alimento & amictu nobis opus ſit. Tectum verò, cùm iiſdem de cauſis ob quas & veſtitu & victu indigemus, tum maximè ad fugiendum ferarum impetum opus eſt. Medicos autẽ & curationẽ, propter malas temperationes qualitatum, & diſſolutionem continuationis corporis, requirimus.

F

Mutatio autem cùm in qualitate fiat, neceſſe eſt per contrariam qualitatem ad aptam compoſitionem humorum, cõſtitutionem corporis redigere. Non enim, vt opinantur quidam, medicis propoſitum eſt corpus concalefactum refrigerare, ſed ad bonam temperationem traducere: Si enim refrigerarent, in contrarium morbum habitus corporis verteretur. Quare concluditur, homini cibo & potione opus eſſe, propter exinanitiones, & diſcuſſiones: veſtitu, quoniam à natura nullo valido amictu munitus eſt: domo, propter malas temperationes aëris, & feras: curatione, ob mutationes qualitatum, & ſenſum, qui corpori ingeneratus eſt. Si enim ſenſus nobis non adeſſet, neque doleremus, neque curationis indigeremus: Si autem non doleremus, vtiq; periremus, neq; in ignoratione mali morbum curaremus. Iam verò propter artes, & ſcientias, & vtilitates quæ ab his manant, indigemus alter alterius opera, & idcircò vnum in locum multi conuenimus, & ad vitæ vſus, res inter nos rationeſque contrahimus.

G

Ciuitatũ ratio.

Quem conuentum, & cõnnectionem ædium, ciuitatem vocauimus, vt è propinquo non longè mutua commoda caperẽmus. Natura enim animal congregabile & ciuile homo factus eſt. Nam in nemine vno, ad omnia ſatis præſidij eſt. Itaque perſpicuum eſt, ciuitates propter commercia & diſciplinas eſſe cõſtitutas. Eſt autem duplici honoris & muneris genere homo affectus, quòd & ipſe ſolus pœnitentia veniam peccatorum impetrat, & eius vnius corpus quamuis mortale, & caducũ, æternum, & immortale redditur: Quorum alterũ quod ad corpus pertinet propter animũ: alterum quod ad animum propter corpus conſecutus eſt.

Solius hominis errata, per pœnitentiam condonantur.

Solus enim homo inter omnia quæ ratione ſunt prædita habet hoc præcipuũ, vt eius erratum pœnitẽtię condonetur: Nam neq; Dæmones, neq; Angeli, per pœnitentiã delictorum veniã impetrare poſſunt. In quo maximè iuſtus & miſericors Deus & oſtenditur & dicitur. Nam Angeli cũ nullam habeant cauſam neceſſariam quæ ad peccandum impellat, ſed natura omni affectione corporis, & inopia & voluptate vacent, meritò per pœnitentiã ad veniã aſpirare non poſſunt.

H

At homo non modò rationis particeps, ſed etiã animal eſt, & neceſſarij vitę vſus animalis, motuſque turbidi perſępè rationem attentant, atq; labefactant. Quare cùm ad ſanitatem redit, & declinatis turbulẽtis animi motionibus, virtutẽ complectitur, iuſta illi miſericordia, id eſt, venia tribuitur. Atque vt proprium eius naturæ ridere eſt: nam & ſoli adeſt, & omni, & ſemper, ita in teb. nõ naturæ lege, ſed Dei erga nos beneficio cõſtitutis, proprium eſt hominis prę omnibus quæ ratione ſunt prędita, vt per pœnitentiã omni culpa liberetur. Nam ſoli homini, & omni, & ſemper, quoad in terris viuit hoc datum eſt. Nam morte obita nõ item. Quomodo etiam Angelos, nonnulli volunt nõ ampliùs poſtquàm lapſi ſunt cõſequi veniam per pœnitentiã. Mors enim illorum lapſus eſt. Sed ante lapſum, ad ſimilitudinẽ vitæ hominum, etiã ipſis veniã Deum daturum fuiſſe: Nunc verò, cùm non pœnituerit eos errorum ſuorũ, æternis, nec vlla venia remittẽdis ſupplicijs, ſuiſq; meritis congruentibus mulctãtur. Quapropter hinc intelligitur, qui pœnitentiam reſpuunt, eos

præci-

A

præcipuum munus & proprium hominis tollere. Eſt hoc quoque in homine proprium, & eximium, quòd in omni genere animantium, eius vnius corpus, à morte excitatur ad vitam, & ad immortalitatem cõtendit. Quod quidem, propter animæ immortalitatem, vt illud alterum, propter corporis imbecillitatem, & perturbationes, quibus plurimis iactatur, adeptus eſt. Solius quoque hominis eſt, artium, & ſcientiarum cognitio, & harum ipſarum artium exercitatio. Quamobrem hominem definiunt ſic, Animal rationis particeps, mortale, mentis, & ſcientiæ capax. Animal, quoniam homo ſubſtantia eſt animata, ſentiens, quæ animalis definitio eſt. Rationis particeps, vt ſeparetur ab his quæ ratione carent. Mortale, vt ab immortalibus quæ ratione vtuntur, ſeiũgatur. Mentis & ſcientiæ capax, quoniam diſcendo artes, & ſcientiæ parantur. Etſi enim naturalis facultas in nobis eſt mentis artiumque capax, earum tamen vſum & exercitationem diſciplina acquirimus.

Soli⁹ hominis corpus ad immortalitaté ſuſcitabitur.

Homo quid.

B

Quanquam hanc partem, additamentum definitionis aiunt eſſe, quòd nihilominus, vt ea abſit, definitio conſiſtat. Sed quoniam ſunt qui Nymphas & alia quædam Dęmonum genera inducant, viuẽtia quidem illa ad longum tempus, nõ tamen immortalia, vt ab his hominem ſecernant, addiderunt ad definitionem, mentis capax, atq; ſcientiæ. Nihil enim illa diſcunt, ſed natura ſciunt quæ ſciunt. Porrò autem Hebræorum dogma eſt, hanc rerum vniuerſitatem hominis cauſa ædificatam eſſe, vt quæ tergo geſtandis oneribus apta ſunt: & boues qui ad agricultionem ſunt vtiles proximè hominum cauſa, fœnum illorũ. Quæ enim facta ſunt, alia propter ſe, alia aliorum cauſa, facta ſunt: propter ſe, omnia quæ ratione vtuntur: aliorũ cauſa, cùm quæ ratione, tum quæ anima carent. Quòd ſi hæc aliorum cauſa ſunt genita, age quorum cauſa ſint genita videamus. An igitur Angelorum? At hoc quidem nemo qui ſapiat dixerit: quæ enim propter alia ſunt effecta, propter eorum cohærentiam & permanẽtiam & oblectationem, comparata ſunt: aut enim propagãdi generis gratia, aut cibi, aut tegumenti, aut curationis, aut voluptatis, & requietis.

Hebræorũ de reb⁹ creatis ſententia.

C

At verò Angelus nihil horum deſiderat, neque enim genus ſuum propagat, neque corporeo alimento neque tegumento, neque reliquis opus habet. Sin autem horum Angeli non indigent, equidem multo minus alia vlla natura quæ Angelis ſit præſtantior. Vt enim quidque excellit maximè, ita ab inopia & indigentia eſt remotiſſimum. Itaque quærenda natura eſt, quæ & rationis ſit particeps & his quæ iam enumerauim⁹ opus habeat. Quæ igitur alia ſi hominem prætermittamus, talis queat exiſtere? Quare efficitur hominis cauſa, & quæ inanima ſunt, & quæ ratione carent, eſſe procreata. Quod quoniam ita eſt, ei imperium in illa omnia mandatum eſt. Officium autem eius qui imperat eſt, pro modo ſuæ inopiæ vti ijs quibus imperet. Neque intemperanter & cõtumelioſè ad luxum abuti; aut ijs grauem eſſe, atque moleſtum. Ergo in vitio ſunt, qui beſtijs non rectè vtuntur: non enim imperantis, aut omnino iuſti hominis munere funguntur, quando vt traditur diuinis literis, *Iuſtus miſeretur animarum iumentorũ ſuorum.* Sed fortaſſe dicet quis, nihil alterius cauſa, ſed quodque propter ſe factum eſſe.

Angeli rebus corporeis nõ indigent.

Reb⁹ creatis nõ eſt abutendũ.

Prouer. 12.

D

Quocirca ſeiunctis primùm animatis ab inanimis, conſideremus an fieri poſſit, vt inanima ſuam ob cauſam creata ſint. Si enim propter ſe ipſa, quomodo aut vnde nutrientur animalia? Videmus enim naturam ſuppeditare animalibus paſtũ è terra, fructus, & ſtirpes, exceptis paucis, quæ carnem vorant, quæ tamen ipſa paſcuntur animalibus quibus terra cibus eſt, vt lupi, & leones, agnis, capris, ſuibus, ceruis: aquilæ, perdicibus, palumbibus, leporibus, & eiuſmodi quæ terræ fructibus alũtur. Nam piſces qui inter ſe alius alium vorant, non omnes in carnem graſſantur: ſed hæc carnis appetitio inſiſtit in ijs quæ paſcuntur alga, & alijs quibuſdam quæ in aqua naſcuntur. Nam ſi omnia piſcium genera carne veſcerentur, nullumque eſſet quod à carne abhorreret, ne ad exiguum quidem tempus ſuffeciſſent, ac iamdudũ alia mutuis cędib⁹, alia cibi inopia perijſſent. Quod ne eueniat, aliqui piſces à carnibus ſe abſtinent, & marinam, vt ita dicam, herbam depaſcunt, vt ex ipſis etiam cæteri ſuſtententur. Horum enim pabulum alga eſt, ipſi aliorum, & iſti rurſus aliorum, vt vltimorum alimento quod perpetuò, è terreno illo quod in mari eſt, ſuggeritur, reliqui incolumes conſeruentur.

Nec animata, nec inanima, propter ſe facta fuerunt.

E

Ratio igitur edocet, ſtirpes non ſua cauſa, ſed ob victum & naturam hominum & cæterorum animalium ortas eſſe. Idque ſi verum eſt, dubium nõ eſt, quin etiam cauſæ illarum accretionis, & ortus, propter eadem animalia conſtitutæ ſint. Ergo ſtellarum motus, & orbes cœleſtes, & anni tempora, & imbres, omnia talia propterea inſtituta ſunt, vt alimentis cõtinenter velut in orbẽ ſuppeditantibus nullo tempore eorum natura occidat, quæ fructibus veſcuntur: vt illa quidem propter fructus, fructus autem, animalium cauſa, & hominum reperiantur. Reliquum eſt videre beluæ & mutæ pecudes ſuane cauſa, an hominis gratia generatæ ſint. Verùm fortaſſe abſurdum ſit, quæ prudẽtia vacent & naturali ſolùm appetitione viuant, & terram prona intueãtur, & ſeruitutẽ figura ſui corporis declarent, dicere propter ſe eſſe producta.

F

Cùm autẽ multa ſint quę hac de re dici poſſint, & ferè proprium opus propter multitudinem deſiderent: nec inſtitutum noſtrum huius temporis longitudinem orationis patiatur, ad pauca, eaq; quæ pondus aliquod habeant veniendum eſt. Itaq; ſi in hominem vt in imaginẽ intuentes, ea quæ externa ſunt contemplabimur, ex ipſa eſſentia earum rerũ quæ quæruntur, argumentum concludemus. Videmus in noſtra anima, partem eam quę rationis eſt expers, eiuſq; item duas partes iram, & cupiditatem ſeruire rationi, itaque rẽm comparatam, vt hæc imperet, illa pareant: hæc iubeat, illa iuſſis obſequantur, & præſto ſint, velut miniſtræ, ad omnes vſus quos ratio oſtenderit, eũ quidem homo in naturæ lege perſtiterit. Quòd ſi ratio quę in nobis eſt imperat rationis expertibus animæ partibus quę in nobis ſunt, nonne verum eſt, etiam eorum expertium rationis quæ extra ſunt eam eſſe dominam, & illa ad eius vſus eſſe cõparata? Natura enim ita ſtatutum eſt, vt quod rationis eſt expers, rationi ſeruiat, vt ex eo quod in nobis vſu venit probatum eſt.

G

Oſtẽdit idem multorum animalium ſtructura ad hominum miniſterium fabricata boum, omniumq; quę tergo geſtant ad colendos agros, & vectiones: plerarumq; volucrium, & aquatilium, & terreſtrium, ad veſcendi voluptatẽ: imitatricium auium, ad delectationem, & animi remiſſionem. Sin aliqua ſunt quæ hos fructus non ferant, contraq; perniciẽ homini important, ſciendum eſt cùm quę ad hominum vſus valent, primario loco creata eſſent, tũ cætera omnia quæ natura ferebat, eſſe condita: vt ne res vlla quæ fieri poſſet ab hoc opificio abeſſet. Quanquã ne iſta quidem planè eiuſmodi ſunt, vt nullam ex ijs homo vtilitatem capiat. Nam etiam venenatę beſtię emolumentũ illi faciunt, propterea quòd eis ad curãda vulnera ab illis ipſis illata, cæteroſq; morbos ſanandos abutitur. Tales ſunt theriacæ quædam compoſitiones, quæ vocantur, quas ratio excogitauit, vt per eas etiam illis dominaretur, & velut à deuictis hoſtibus commodũ perciperet.

Quod rationis eſt expers, rationi ſeruire debeť.

Venenatę beſtiæ homini proſunt.

H

Sed habet homo infinitas vires his contrarias à Deo acceptas, quibus arcere, & vlciſci & corrigere eorum iniurias poſſit. Alia enim alios vſus habent, communiter tamẽ omnia ad hominis commoditatem naturæ cõferunt, etiam illa quorũ alioqui nulla vtilitas appareat. Verùm hæc ſic accipienda ſunt, vt ad præſentem vitæ noſtræ ſtatum referantur. Nam antiquitus quidem nullũ cęterorum animalium hominem audebat lædere, ſed omnia illi ſeruiebant, & imperio parebãt quoad ſuos ipſe turbidos animi motus, & partem illam à ratione vacuam in poteſtate habebat. Cùm verò non ratione regeret cõmotiones illas turbulentas, ſed illis ſe ipſe dederet, meritò etiam ab extraneis feris ſuperatus eſt. Nam peccatum beſtiarum nocumenta comitata ſunt. Quod ita eſſe, patet ex his qui caſtè & innocenter vixere, quos beſtiarum conatus refutaſſe ſcimus, vt Danielem leonum, Paulum morſum viperæ. Quis ergo huius animalis nobilitatem dignè admirari poſſit: quod in ſeipſo mortalia cum immortalibus copulat, & ratione vtentia cum rationis expertibus coniungit: Quod in ſua ipſius natura omnium rerum creatarum ſpeciem gerit, qua de cauſa paruus mũdus dictus eſt: Cui tam egregiè Deus conſuluit, cuius gratia omnia & præſentia & futura ſunt, cuius cauſa etiam Deus homo factus eſt: quod

Peccati ſequelæ.

Daniel 6.
Act. 19.

Homo paruus mundus.

morta-

A

mortalitatem effugit, & ad immortalitatem tendit, in eaque acquieſcit: quod ad imaginem, & formam Dei factũ, imperat cœlorum orbibus: cum Chriſto beatam vitam ducit: Dei filius eſt: omni poteſtati, & dominatui præeſt. Quis huius animantis præſtantiam, & ornamenta quibus cætera vincit animalia, oratione cõſequatur? Maria tranſmittit, animi contemplatione cœlos peragrat, ſiderum curſus, & interualla, & magnitudines intelligit: terra & mari potitur, feras & cete contemnit: Omnem ſcientiam, omnem artem, omnem doctrinam rectiſſimè tractat: abſentes quos vult, nihil impediente corpore, per literas cõuenit: prædicit futura: omnibus imperat: omnibus dominatur: omnibus fruitur: cum Angelis & Deo colloquitur: cæteris rebus creatis mandat quæ vult: Dæmonibus imperat: rerum naturam indagat: Dei eſſentiam ſtudioſè inueſtigat: domus & templum Dei fit, & hæc omnia per virtutes, & pietatem adipiſcitur. Sed ne videamur aliquibus ineptè hominis laudes pertexere, neque ſolam eius naturam exponere, quod nobis erat propoſitum, hic orationẽ terminabimus: etſi maximè dum eius naturę præſtantiam

B

Vſus præcedentiũ.

explicamus ipſam naturam exponimus. Proinde excellẽtiæ naturæ noſtræ conſcij, & ſtirpem nos eſſe cœleſtem quandam ſcientes, ne dedecoremus naturam, ne tantis muneribus indigni iudicemur, aut pro caduca, & breui voluptate, ad omnem æternitatem duraturam lętitiam proijcientes, tanta nos poteſtate, tanta gloria, tanta beatitudine ſpoliemus, imò potiùs per honeſtas & cum virtute cõiunctas actiones, perfugam vitiorum, per propoſitum, & voluntatem bonam, quam in primis adiuuare Deus ſolet, & per preces, nobilitatem, & dignitatẽ noſtram tueamur. Sed de his ſatis. Quoniam autem hominem ex animo conſtare & corpore, communis omniũ ſententia docet, age vt diſtributè procedat oratio, prius de anima tractemus, ſed ita vt ſubtiles & ſpinoſas admodum & vulgo ad intelligendum difficiles quæſtiones prætermittamus.

C

De Anima.

CAPVT II.

Variorũ Philoſophorum, variæ de anima ſententię.

DE anima omnium ferè veterum rationes inter ſe diſſentiunt. Democritus enim & Epicurus & omnis Stoicorum Philoſophorum chorus, corpus eſſe animam dicunt. Et hi ipſi qui corpus eſſe animam volunt, de eius eſſentia inter ſe non conueniunt. Stoici enim ſpiritum aiunt eſſe animam concalefactum & igneum. Critias ſanguinem. Hippon Philoſophus aquam. Democritus ignẽ: etenim globoſas indiuiduorum corpuſculorum figuras concretas ignem, animamq; efficere. Heraclitus vniuerſi quidem animam, exhalationem eſſe humidorum: animalium autem animam, cùm ab exteriori exhalatione, tum ab ea quę in ipſis eſt animalibus, eiuſdem cum illa generis ortam eſſe auctor eſt. Inter eos etiam qui ſine corpore animam dicunt, infinita diſſenſio eſt: quòd alij, eam ſubſtantiam, & immortalem confirmeut: alij, etſi corporis ſit ex-

D

pers, ſubſtantiam tamen, & immortalem negent. Thales enim princeps dicendi fuit, animam ſemper moueri, & per ſe moueri. Pythagoras numerum aſſeruit ſeipſum mouẽtem. Plato ſubſtantiam quæ ſub intelligentiam cadat, per ſeque ad numerum harmoniæ aptum moueatur. Ariſtoteles entelechiam primam corporis naturalis, inſtrumentis præditi, poteſtate viuentis. Dinarchus harmoniã quatuor elementorum, non enim eam quæ è vocibus exiſtit, ſed calidorum & frigidorum, humidorũ & ſiccorum quæ in corpore ſunt temperationem, harmoniæ participem, & concentum vnlt dicere. Atque de his perſpicuum eſt, cæteros animam ſubſtantiam dicere: Ariſtotelem & Dinarchum à ſubſtantia remouere. Præterea fuerunt qui vnam eſſe, & eandem omnium animam putarunt, quæ minutatim in res ſingulas concidatur, in ſeque rurſus cocat: vt Manichæi, & alij nonnulli. Alij, multas ſpecieque differentes, arbitrati ſunt. Alij, & vnam, & multas. Neceſſe eſt igitur in tot opinionibus refellẽdis paulò longior ponatur oratio. Atqui communiter contra omnes qui dicũt

Anima non eſt corpus.

animam eſſe corpus, illa ſufficient, quæ ab Ammonio doctore Plotini, & Numenio Pythagoræo, diſputata ſunt.

E

Sunt autem hæc, Corpora quæ ſua natura mutantur, penituſque diſſipantur, & infinitè diuiduntur, ſi in ijs nihil quod ſit immutabile relinquatur, opus habent aliquo ſe continente, & connectente & velut cõſtringente & cohibente, quod animã dicimus. Itaq; ſi corpus eſt anima qualecunq; tãdem etiam tenuiſſimum, quid rurſus erit quod ipſum contineat? Oſtenſum eſt enim, omne corpus indigere aliquo à quo contineatur, & ita infinitè donec ad aliquid quod corpore vacet perueniamus. Sin reſponderint quod Stoici, contentam quandam eſſe motionẽ in corporibus, quæ intro ſimul & extra feratur: & eam quidẽ quæ extra fertur, magnitudines, & qualitates efficere: quę verò intro iunctionem, atque ſubſtantiam, quęrendũ de ijs eſt, cùm omnis motus ab aliqua vi proficiſcatur, quæ vis hæc ſit, & in quo eius eſſentia ſit poſita. Nam ſi vis hæc, materia quędam eſt, inſtabimus iiſdem rationibus: Sin materia nõ eſt, ſed è materia quid concretũ, (aliud autem eſt è materia

F

concretum, aliud materia: quod enim materiæ eſt particeps, è materia concretũ dicitur:) Quid tandem eſt, quod materiæ eſt particeps? vtrùm materia etiam ipſum, an materiæ expers? Si materia, quomodo è materia concretum, ac non materia eſt? Si non materia, expers ergo materiæ: ſi materiæ expers, nõ ergo corpus: omne enim corpus è materia concretum eſt. Quòd ſi dicant corpora, triplici ſpatiorum genere porrigi, in animaq; quæ per totum corpus permeet, parem ſpatiorum numerũ reperiri; ac ideò certè corpus eſſe, reſpondebimus, omne quidẽ corpus tria habere ſpatiorum genera: non tamẽ quidquid tria habet ſpatiorum genera, eſſe corpus. Etenim locus & qualitas cum vacent corpore per ſeipſa, ex accidenti in magnitudine quantitatem adipiſcuntur. Ita animæ per ſe adeſt, vt omni careat ſpatio: at ex accidenti, cũ eo in quo eſt, quod triplex habet ſpatium, etiam ipſa triplex habere ſpatiũ intelligitur. Deinde omne corpus, vel pulſu agitatur externo, vel motu cietur interiore & ſuo: Si externo, inanimum eſt: ſi

G

interiore, animatum. Si ergo corpus anima eſt, ac agitatur aliunde, inanimata eſt, ſin à ſe mouetur, animata. Vtrumque autẽ abſurdum eſt, & animatam, & inanimatam animam dicere. Non ergo corpus anima eſt. Præterea, anima ſi alitur, eo quòd vacet corpore alitur: animi enim eſca, diſciplinæ ſunt: At nullum corpus alitur eò quòd vacet corpore: non ergo corpus anima eſt. Xenocrates autẽ ita concludebat, Si non alitur anima, omne autẽ corpus animalis alitur, non eſt corpus anima. Atque hæc quidem communiter aduerſus omnes qui dicũt animã eſſe corpus, diſputata ſint. Propriè verò, contra eos qui putant animam vel ſanguinẽ eſſe, vel ſpiritũ, quoniam remoto ſpiritu, vel ſanguine animal extinguitur, non illud dicendum quod nõnulli, qui arbitrãtur ſe aliquid afferre, ſcripſere, cùm dicerent: Ergo cùm defluxerit pars ſanguinis, animæ pars defluxerit. Leuis enim eſt, & futilis iſta reſponſio: Nam in his

Anima neque eſt ſanguis, neque habitus.

quę particularum ſunt ſimilium inter ſe, reliqua pars eadẽ eſt cum tota: Nam & multum, & perpaulũ aquæ aqua eſt, argentum itidẽ & aurum, & omnia quorum partes eſſentia inter ſe non differunt. Itaq; & ſanguis qui relinquitur

H

quantumcunq; ſit, anima eſt: liquidẽ ſanguis anima eſt. Illud igitur potius dicendum eſt, Si hoc eſt anima, quo detracto animal interit, ſanè & pituita anima eſt, & bilis vtraque: Nam horum vtrumcunque defecerit, viuendi finem animali afferet. Quod & in iecore valet, & cerebro, & corde, & ſtomacho, & renibus, & inteſtinis, & alijs permultis. Quo enim horum ſublato non ad interitum animal dilabetur? Præterea multa carent ſanguine, quæ tamen animata ſunt, vt cartilaginea, & mollia, vt ſepiæ, & loligines, & muri: & omnia quibus teſta pro tegmine eſt, quæque cruſta integuntur, vt carabi, & cancri, & gammari. Si igitur hæc animata ſunt, nec ſanguinem habent tamen, patet animam non eſſe ſanguinem. Illis verò qui di-

Anima non eſt aqua.

cunt aquam eſſe animam, quoniam vitam omnibus largiri videtur, nec fieri poteſt vt ſine aqua vita ducatur: multa ſunt quæ aduerſentur: neque enim ſine alimentis poſſis viuere: quare horum ſententia omnes, ſinguli que cibi anima ſunt. Deinde multa ſunt animalia quæ non bibant, vt de quodam aquilarũ genere traditum eſt. Perdix etiam

fine

A

ſine potu viuere poteſt. Verùm cur aqua potiùs anima eſt quàm aer? Ab aqua enim perquamdiu abſtinere te poſſis, at à ducendo ſpiritu ne ad breuiſſimum quidem tempus, quamquàm nec aer anima eſt? multa enim ſunt quæ viuunt, neque tamen reſpirant, vt inſecta omnia, vt apes & veſpæ, & formicæ, & quæ ſanguine carent, & pleræque animantes marinæ, & omnia quæ pulmonem non habent: nihil enim quod pulmonem nõ habet, ſpirat aerem. Quæ reciprocata enunciatio, Nihil quod aerem non ſpirat, pulmonem habet. Sed quoniã Cleanthis Stoici, & Chryſippi feruntur rationes quædam non contemnendæ, etiam harum diſſolutiones afferendæ ſunt, vt à Platonicis ſunt expoſitę. Cleanthes ratiocinationem nectit eiuſmodi. Non ſolùm, inquit, corpore parentũ ſimiles naſcimur, ſed etiam animo, affectionibus, moribus, habitibus: Similitudo porrò, & diſſimilitudo in corpore, non in non corpore ſpectantur, corpus igitur anima eſt. Primùm ex partibus vniuerſum genus non concluditur: deinde illud, non in non corpore, falſum eſt; dicimus enim numeros ſimiles eſſe, quorum latera inter ſe proportionem habeant, vt VI & XXIIII. latera enim VI ſunt II & III: XXIIII verò, III & VI. nam II ad IIII. & III ad VI proportio eſt: in duplici enim ratione ſunt poſita: IIII, enim II duplicia, & VIII: & tamen numeri corporis ſunt expertes.

Cleanthis & Chryſippi rationes refelluntur.

B

Figuræ quoque, figuris ſunt ſimiles, quæ & angulos æquales habent, & latera, quæ æquales angulos continent, ſibi proportione reſpondentes. Figuram autem etiam ipſi eſſe nõ corpus confitentur. Accedit huc, quòd vt quantitatis eſt proprium, æquale eſſe, & non æquale, ita qualitatis ſimile, & diſſimile. Non corpus autem qualitas: Eſt igitur etiã non corpus nõ corpori ſimile. Addit Cleanthes, Nullum non corpus conſentit cum corpore, ſed corpus cum corpore. Conſentit autem anima cum corpore, dum ægrotat & ſecatur: Corpus item cum anima, quod dum pudore afficitur, rubeſcat, dum timet, palleſcat; Corpus igitur anima. Eſt autem altera ſumptio non vera, quæ in aſſumptione eſt hæc, Nullum non corpus, cum corpore conſentit.

C

Quid enim ſi in ſolam animam hoc conuenit? Similiterq; dicunt vt ſi quis ita ratiocinetur, Nullum animal ſuperiorem maxillam mouet, Crocodilus autem ſuperiorem maxillam mouet, Non ergo animal eſt Crocodilus. Falſa eſt enim enunciatio in aſſumptione iſta, Nullum animal ſuperiorem maxillã mouet: nam Crocodilus & animal eſt, & ſuperiorem maxillam mouet. Idem euenit in iſta Cleanthis enunciatione, Nullum non corpus cum corpore conſentit: nam cum negante enunciatione ſumit quod quæritur. Verùm faciamus verum eſſe, Nullum non corpus cum corpore conſentire, quod inducitur non eſt conceſſum, Conſentire animam cum corpore dum ægrotat vel ſecatur. Dubium enim eſt vtrum corpus tantùm ſit quod doleat, accepto ſenſu ab anima quæ omnis doloris ſit expers, an etiam ipſa cum corpore dolore afficiatur. Atque adeò prius illud nobilioribus Philoſophis magis probatur. Atqui non ex ambiguis, & cõtrouerſis, ſed ex conceſſis omnis ratio concludenda eſt. Illud etiam etſi neceſſe non eſt, tamen velut ornandæ, cumulandæque rationis noſtræ cauſa oſtenditur, Non corpora aliqua cum corpore conſentire: Nam qualitates quæ vacant corpore cũ corporibus conſentiunt, cùm & in interitu & in ortu cũ corpore commutentur.

D

Chryſippus ait mortem eſſe ſeparationem animæ à corpore, nullum autem non corpus à corpore ſeparatur, neque enim non corpus, corpus attingit, at anima & tangit, & ſeparatur à corpore: ergo corpus anima: Quorum illud quidem, mortem eſſe ſeparationem animæ à corpore, verum eſt.

Mors eſt ſeparatio animæ à corpore.

At non corpus non tangere corpus, falſum quidem ſi vniuersè dicatur: ſed in anima verum eſt, falſum vniuersè, quia linea cùm ſit non corpus, tangit corpus, ab eoque ſeparatur: ſimiliter & albedo. In anima verum, quoniam anima corpus non tangit: ſi enim tangit, nimirum ad illud appoſita eſt. Quod ſi eſt, non ad totum appoſita eſt. Fieri enim nequit vt totum corpus ad totum corpus apponatur, & ita non erit totum animal animatum. Quare ſi tangit, corpus anima eſt, ſed animal non erit totum animatum: ſin totum eſt animatum, neque tangit, neque corpus anima eſt. Eſt autem animal totum animatum, neque ergo tangit, neque corpus eſt anima. Et cùm ſit non corpus, à corpore ſeparatur. Quare animum non eſſe corpus ex his quæ diximus perſpici poteſt.

E

At verò neque eſſe non ſubſtantiam, deinceps explicandum eſt. Quoniam ergo & Dinarchus harmoniam animam definiuit, & Simmias contradicens Socrati, animam harmoniam eſſe aſſerebat, quòd animum harmoniæ ſimilem eſſe diceret, corpus lyræ.

Anima an ſit harmonia, aut aliud accidens.

Horum diſſolutiones afferendæ ſunt quæ in Platonis Phœdone ſunt expoſitæ. Quarum vna vtitur ijs quæ ſuprà confirmata & demonſtrata erant. Erat autem demonſtratum diſciplinas eſſe recordationes. Hoc igitur ſumpto vt confeſſo rationem inſtituit ſic, ſi diſciplinæ ſunt recordationes, antè erat noſtra anima, quàm in humana ſpecie generaretur. At ſi harmonia eſt, priùs non erat, ſed poſterius corpore iam compoſito genita eſt. Omnis enim compoſitio non aliter habet, quàm ſe illa habent ex quibus conflata eſt. Eſt enim compoſitio, quippe quæ harmonia ſit, quædam communio eorum quæ componantur, eamque non antecedere illa ex quibus conſtat, ſed conſequi contingit.

F

Quare inter ſe pugnant, animam harmoniam eſſe, & diſciplinas recordationes. Verum autem illud de recordationibus: falſum igitur animam eſſe harmoniam. Præterea anima, & aduerſatur corpori, & imperatoris locum obtinet, quòd corpori imperet, & dominetur: Harmonia verò neque præeſt, neque aduerſatur. Non eſt igitur harmonia anima. Deinde vna harmonia, magis & minus harmonia eſt alia, quòd remittatur, & intendatur, non quidem ratione harmoniæ. Fieri enim nequit, vt ratio magis minuſve dicatur ratio, ſed propter aptationem. Si enim acuta vox cum graui permixta remittantur, rationem quidem eandem ſeruant in vocum magnitudinibus, ſed variatur harmonia ex aptatione, dum magis minuſve intenditur. Vna porrò anima non eſt magis minuſve anima, quàm alia: non eſt ergo anima harmonia. Ad hæc, in animam virtus cadit, & vitium, in harmoniam harmonia, & quod ei contrarium eſt non cadit: non ergo anima harmonia.

G

Præterea anima, quòd in eam contraria viciſſim cadant, ſubſtantia eſt & ſubiectum: harmonia verò qualitas & in ſubiecto. Eſt autem ſubſtantia aliud à qualitate, quare & anima, ab harmonia aliud eſt, etſi participem eſſe animam harmoniæ, non eſt abſurdum, non tamen idcircò harmonia eſt: non enim quoniam virtutis anima eſt particeps, virtus eſt. Galenus verò nihil quidem pronunciat, ſed teſtatur in libro de demonſtratione, ſe nihil de anima affirmaſſe, attamen quæ dicit, declarant eum magis probare animam eſſe temperamẽtum, vtpotè cùm morum differentia temperamentum ſequatur. Quod ex Hippocratis dictis cõfirmare nititur. Verùm ſi ita eſt, certè etiam mortalem eam opinatur, non tamen omnem, ſed eam tantùm quæ rationis eſt expers. Nam de rationis participe addubitat his quidem verbis.* Verùm corporis temperamentum non poſſe eſſe animam, hinc patet, Omne corpus, & animatum, & inanimum ex quatuor elementis temperatum eſt, horum enim temperatio corpora efficit. Si igitur corporis temperamentum eſt anima, nihil erit inanimum, & concluditur ratio ſic: Si temperamentum corporis anima eſt, Omne porrò corpus temperamentum habet, Omne corpus animam habet, Si omne corpus animam habet, nullum eſt corpus inanimum, neque lapis igitur, neque lignum, neque ferrum, neque aliud quippiam inanimum eſt.

Galeni & Hippocratis ſententia de anima refellitur.

* Galeni verba, itẽque libri de demonſtratione, deſiderantur.

H

Si verò non vniuersè omnẽ temperationem corporis dixerit eſſe animam, ſed certam quandam, quærendum qualis temperatio ſit, quæ animal efficiat, & animæ loco numeretur. Qualecumque enim temperamentum dixerit, tale & in animis reperiemus. Cùm enim nouem temperamenta ſint, vt ipſe in libris de temperamentis oſtendit, octo quidem incõmoda, vnum commodum, eò quòd commodum eſt dicit hominem eſſe temperatum, non omnem tamẽ, ſed eum qui medio temperamento eſt. Reliquis incommodis temperamentis cętera animalia pro cuiuſque ſpecie alia magis, alia minus eſſe concreta. Inueniuntur autem etiam in animis nouẽ hæc temperamenta, vt ipſe rurſus in ſimplicibus oſtendit. Præterea ſi anima temperamentum eſt, temperamẽta

autem

A

autem ætatibus, temporibus, victuque mutantur, efficitur mutari animam: ſi mutatur anima, non eandem habemus animam, ſed pro temperamento aliquado leonis, aliquando ouis, aliquando alterius cuiuſdam animalis, quod abſurdũ eſt. Deinde temperatio non aduerſatur cupiditatibus corporis, ſed adiuuat etiã Ipſa enim eſt quę mouet, & incitat: anima autem aduerſatur, non eſt ergo anima temperatio. Præterea ſi anima temperamentum eſt, temperamentum autem qualitas, qualitas rurſus & aduenit, & recedit, ſic vt ſubiectum nihilo magis intereat: item anima quoque ſeparabitur, ſic vt ſubiectum non intereat. Hoc autem verum non eſt. Non ergo temperamentum, aut qualitas anima. Non enim ſanè alterum cõtrariorum naturaliter adeſſe animali dicent, vt calorem igni. Hic enim mutari non poteſt, at temperatio mutatur: imò hi ipſi ſunt, qui medendi ſciẽtia, temperationes mutant. Omnes inſuper corporis qualitates ſenſu percipiuntur, anima verò non ſub ſenſum, ſed ſub intelligentiam cadit, non ergo

B

corporis qualitas anima eſt. Prętereà ſanguinis, & ſpiritus, adiũcta carne, neruis, cæteris bona temperatio, robur eſt: caloris, frigoris, ſiccitatis, & humoris, ſanitas: membrorũ autem apta compoſitio, cùm coloris ſuauitate, corporis pulchritudinem gignit. Quare ſi harmonia ſuauitatis, & roboris, & pulchritudinis, anima eſt, neceſſe eſt hominẽ, quoad viuit, neque ęgrotum eſſe, neque infirmum, neque deformẽ: Contingit autem ſępè non vnam tantùm, ſed omnes pariter has tres bonas temperationes perire, & hominem tamẽ viuere: Accidit enim vt idem ſimul & turpis ſit, & infirmus, & ægrotus: non ergo corporis bona temperatio anima eſt. Sed inquies, quomodo ergo naturales virtutes, vitiaque naturalia hominem inſequuntur? Id verò ex corporis temperamento fit. Vt enim naturaliter ex tẽperamento ſalubri ſunt, & inſalubri corpore, ita alij naturaliter amara bile abundantes, ad iracundiam, alij ad timorem, alij ad venerem propẽſi ſunt. Verùm aliqui coërcent, & ſuperant. Dubiũ autem non eſt, quin temperamẽtũ coërceant: atque aliud eſt quod coërcet, aliud eſt quod

C

coercetur, aliud ergo temperamentũ, aliud anima. Cùm enim corpus animæ ſit inſtrumentum, ſi idoneè effectum fuerit, adiuuat animam, ipſumque ſe commodè habet: Sin non idoneè, impedit animam, ac tum ſatis negotij habet anima, dum cum ineptia ſui inſtrumenti luctatur, ac niſi admodum ſit ſobria, etiam cum eo peruertitur: quomodo muſicum lyræ peruerſio in errorem inducit, niſi eam primùm rectè compoſuerit. Quamobrem animę adhibenda cura eſt, vt corpus accõmodatum ſibi inſtrumentum reddat, quod per rationem, & mores aſſequetur, vt in harmonia, ita hic alia laxans, alia intendens, quo ipſum ſibi aptũ efficiat, eoque vt commodo inſtrumento vtatur, niſi & ipſa cum eo peruerſa fuerit, quando etiam hoc aliquando vſu venit.

Ariſtotelis opinio de anima, refellitur.

Ariſtoteles qui animã dicit entelechiam, nihilominus idem ſentit, quod qui qualitatem eam eſſe volũt. Sed explicemus priùs, quam entelechiam vocet. Subſtantiam triſariam dicit intelligi, vnam, quæ vt materia ſubiecta ſit, quæ per ſe quidem, nihil eſt, poteſtatem tamen ad

D

rerum ortum habeat: Alteram, formam, & ſpeciem, per quam materia formatur: Tertiam quòd ex vtriſque ſpecie & materia conflatur, quod demum animatum eſt. Eſt igitur materia poteſtas, ſpecies entelechia. Et iſta quidem bifariam quoque accipitur, tum vt ſcientia, tum vt ex ſcientia contemplatio, hoc eſt, tum vt habitus, tum vt vſus habitus. Anima igitur, vt ſcientia eſt, quoniam hoc ipſo quòd anima eſt & ſomnus, & vigilia eſt. Vigilia autem cõtemplationi, ſomnus viſui, qui tamen iam non fungatur ſuo munere, proportione reſpondet. Atque ſcientia vſu ſcientiæ prior eſt, propterea primam entelechiam vocat, ſpeciem ſecundam, vſum, atque muneris functionem. Quemadmodum oculus ex ſubiecto eſt, & ſpecie, atque id quidem, quod in eo ſubijcitur, viſumq; accepit, materia eius eſt, quæ ipſa quoq; communi nomine oculus dicitur. Species verò, & entelechia prima oculi, ipſemet viſus qui videndi vim oculo impartit. Secunda autẽ entelechia oculi eſt functio muneris qua videt. Vt igitur paulò antè natus catulus, neutra prædirus eſt entelechia, ſed vim habet accipiendi entelechiam, ita de anima intelligendũ eſt.

E

Vt enim illic videndi ſenſus, dum eſt ortus, oculum abſoluit, ita hic dum corpori anima ingenita eſt, animal perficit, vt neque ſine corpore vnquàm ſit anima, neque corpus ſine anima, corpus enim non eſt, ſed corporis: ideoq; in corpore eſt, & quidem corpore tali: per ſe verò, ſuaque vi nulla eſt. Sed primùm quidem patibilem animæ partẽ animã vocat, diſcludens ab ea quæ rationis eſt particeps. Atqui omnis ſimul hominis anima ſumenda erat, neque ex vna eius parte, eaq; infirmiſſima, de vniuerſo pronunciandum. Deinde corpus ait poteſtatem habere, vt viuat, etiam antequàm generetur anima. Ait enim corpus poteſtate vitam in ſeipſo habere. Oportet autem corpus quod poteſtate vitam habet, priùs actu eſſe corpus. Non poteſt autem actu eſſe corpus, antequàm formam accipiat. Eſt enim corpus, materia omnis qualitatis expers. Fieri ergo nequit, vt quod actu non eſt, aliquid ex ſe creandi vim habeat. Quòd ſi etiam corpus poteſtate eſt, quomodo quod poteſtate corpus eſt, poteſtate vitam habere in ſeipſo poteſt? præſertim cùm in cæteris fieri poſſit, vt qui habeat a-

F

liquid eo non vtatur, vt in quo viſus ſit, nõ fungatur munere oculorum: in anima id fieri nequeat: non enim in dormiente nullum animæ munus eſt: Nam & alitur, & augeſcit, & phantaſia vtitur, & reſpirat, quod in primis vitæ argumentum eſt. Quare ex his manifeſtum eſt nulli adeſſe poſſe vt viuat poteſtate, ſed omnino actu viuet. Quod enim potiſſimum animam format, nihil aliud præter vitam eſt: animæ enim cognata vita eſt. Corpori verò non aliter adeſt, quàm quod eius quodammodo eſt particeps. Quare qui dicit ſanitatem vitæ proportione reſpondere, non animæ vitam, ſed corporis intelligit, & ita fallax eius eſt oratio. Nam in corpoream ſubſtantiam viciſſim cadũt contraria, in eam quæ ſpecies eſt, non cadunt. Si enim differentia quæ ſpeciem efficit mutetur, etiam animal mutabitur. Itaque non in ſubſtantiam quæ ſpecies eſt, contraria cadunt, ſed eam quæ ſubiectum eſt, id eſt, corpoream. Nullo igitur modo anima corporis entelechia eſſe poteſt, ſed ſubſtantia eſt omnibus partibus abſoluta, vacans cor-

G

Anima nõ eſt entelechia, ſed ſubſtantia corporis expers.

pore. Nam viciſſim in eam cadunt contraria, virtus & vitium, à quo ſpecies lõgiſſimè aberat. Deinde ait animam, quæ ſit entelechia, eſſe immobilem, per ſe: moueri tamen, ex accidenti, neque eſſe abſurdum, eam motum afferre nobis, etſi ipſa omnis motionis ſit expers. Etenim pulchritudo mouet nos, quę tamen ipſa nullo motu agitatur. Verùm vt ita ſit, non mouet pulchritudo rem immobilem, ſed quæ ea natura eſt, vt moueatur. Itaque ſi corpus quoque per ſe motum haberet, nihil eſſet abſurdum moueri ipſum ab eo quod ſit immobile. Nunc fieri nequit, vt immobile ab immobili moueatur. Vndè igitur motus proficiſcitur niſi ab anima? Non enim per ſe corpus mouetur. Itaque dum primum motionis ortum vult oſtendere, non primum, ſed ſecundum oſtendit. Si enim moueret eam rem quæ non mouetur, primum motum faceret: Sin alio quodam modo mouet id quod à ſeipſo mouetur, ſecundi motus ortum exponit. Vnde igitur primus ortus motionis corpori? Nam dicere à ſeipſo moueri elementa,

H

Motus cauſa inueſtigatur.

quòd alia, natura ſint leuia, alia grauia, falſum eſt. Si enim leuitas, & grauitas motus eſt, nunquàm leuia, & grauia conſiſtent: Conſiſtunt autem cùm ſuum locum occupauerint: Non ergo leuitas, & grauitas, cauſæ primi motus ſunt, ſed qualitates ſunt elementorum. Sed tamen vt etiam hoc detur quomodo ratiocinari, opinari, iudicare, grauitatis, & leuitatis opera eſſe poſſunt. Si non ſunt grauitatis & leuitatis opera, neque elementorum ſunt: ſi non elementorum, neque certè corporum. Prætereà ſi ex accidenti mouetur anima, corpus per ſe efficietur, vt etiam ſi abſit anima per ſe corpus moueatur. Quod ſi eſt, etiam animal erit ſine anima. Hæc autem abſurda ſunt, abſurdum ergo, & quod initio dicebatur. Verùm ne illud quidem verum eſt quod dicitur, Quicquid natura mouetur etiam per vim moueri, & quicquid per vim mouetur, etiam moueri natura. Mundus enim cùm natura moueatur, per vim non mouetur. Neque ſi quid natura mouetur, id etiam natura conſiſtit: nam & mundus, & ſol, & luna, cùm ſecundùm naturam moueantur, ſecundùm naturam ſtare non poſſunt. Eodem modo & anima, cùm

ſecun-

A ſecundùm naturam ſemper moueatur, ſecundùm naturam conſiſtere non poteſt. Nam ſtatus, animæ eſt interitus, vt cuiuslibet rei quæ ſemper moueatur. Accedit eodem, quod illud quod ab initio quærebatur, non diſſoluitur, vndè corpus contineatur, quod natura ſua diſſolubile eſt, & diſſipabile. Atque hæc quidem ſelecta de multis, ſatis ſunt, vt animam neque entelechiam eſſe, neque immobilem, neque in corpore gigni oſtendamus. Pythagoras verò, per quandam ſignificationem, & Deũ, & omnia alia, cum numeris ſemper comparare ſolitus, etiam animam numerum eſſe ſeipſum mouentem definiuit, quem Xenocrates ſequutus eſt, non quòd numerus ſit anima, ſed in iis quæ numerantur, & multiplicata ſunt reperiatur. & quoniam anima eſt, quæ res inuicem ſecernat, quòd formas cuique & notas imprimat. Hæc enim eſt quæ ſpeciem à ſpecie diſtinguat, & eas cum diſſimilitudine formarum, tum numeri multitudine diſcrepantes efficiat, eamque ob rem numerum in rebus conſtituat. Vndè non omninò à ſocietate, & coniunctione numerorum aliena eſt.

B Cæterùm immortalem eam eſſe, & per ſe moueri, ſuo quoque iudicio & teſtimonio comprobauit. Verumtamen numerum eam non eſſe, hinc clarum, & apertum eſt: Numerus enim quantitas eſt, anima autem non eſt quantitas, ſed ſubſtantia, non ergo numerus anima eſt: & ſi vel maximè etiam numerum in iis quæ intelligentia cernuntur, ſubſtantiam eſſe volunt, vt deinceps dicemus. Deinde anima continua eſt, numerus continuus non eſt, non ergo anima numerus. Præterea numerus addendo creſcit, at anima addendo non creſcit. Numerus item, vel par eſt, vel impar: anima neque par neque impar, ergo anima non eſt numerus. Anima inſuper per ſe mouetur, numerus autem definitè eſt immobilis. Adde quod numerus vnus, idemque natura permanens, nullam qualitatem, quæ in numeris ſit, mutare poteſt: Anima autem vna, eademque permanens eſſentia, mutat qualitates, dum ex inſcitia, in ſcientiam; ex vitio, in virtutem commutatur: non ergo anima, numerus. Itaque veterum dogmata de anima hæc ſunt. Eunomius cum Platone ſimul, & Ariſtotele conſentiens, animam ſubſtantiam eſſe corporis expertem, quæ in corpore creatur definiunt.

Pythagoræ ſententia confutatur.

C Nam quod ait, ſubſtantiam corporis expertem, à Platone accepit: vt illud alterum, quæ creatur in corpore, ex Ariſtotelis diſciplina: neque vidit quamuis acutus ſit, vt eſt, ſe ea coniungere quæ conuenire nullo modo poſſunt. Quidquid enim corporeum habet ortum, & ab aliquo tẽporis principatu genitum eſt, id fragile & caducum eſt. His conſentanea ſunt quæ à Moyſe ſunt prodita, nam ortum eorum quæ ſenſum mouent deſcribens, nõ diſertè dixit, in eo etiam illorum naturam exiſtere, quæ ratione ſapientiaque comprehenduntur, etſi aliqui ſunt qui hoc opinione augurentur, ſed his non omnes aſſentiuntur. Quòd ſi quis ex eo quod poſt effectum corpus anima immiſſa eſt, eam poſt corpus generatam eſſe putat, à vero aberrat. Nõ enim Moyſes creatam dicit tum, cùm in corpus impacta eſt, neque ratio fert, vt ita ſe res habeat. Quare aut mortalem animam dicat, vt Ariſtoteles, & Stoici, qui voluerunt eam in corpore generari: aut ſi dicit ſubſtantiam corporis expertem, ne dicat eam in corpore creari, ne in mentibus noſtris mortalis animæ notionem gignat, atque adeò quę pro ſuaſione ſit vacua. Præterea eius ſententia nondum plenus mundus eſt, ſed etiamnum inchoatus, ac dimidia ſui parte perfectus, acceſſionemque ſemper deſideat, nam quinquaginta millia ſubſtantiarum, quæ ratione percipiuntur, vt minimum quotidie ad eum ſit acceſſio: & quod grauiſſimum eſt cum abſolutus erit, tum illo auctore diſſoluetur, vltimis hominibus qui erunt ad illa tempora, cùm mortui ad vitam reuocabuntur, animarum numerum explentibus. Quo quid à ratione magis auerſum eſſe poſſit, dicere, tum mundum interire, cùm omnibus ſuis partibus expletus fuerit. Omnino enim hoc inſtar luſionis puerorum in arena eſt, qui ſtatim vt opus perfecerunt, ea quæ fabricarant, perturbant. Nam aſſerere prouidentiæ ratione animas nunc gigni, non creationis, non enim nouam ſubſtantiam, neque aliam ab ea eſt quæ

Hæc & ſequentia attentè & cum iudicio lege. nam hic Nemeſius orditur multis argumentis ſtabilire hæreſin Origini, vel aliorum, de præexiſtentia animarum ante corpora, conatus probare

D

animam non creari à Deo in corpore, ſed iam antea ſimul omnes creatas, variis tẽporibus in corpora infundi. Vide Sixtum lib. 5. biblioth. an-

E eſt, importari, ſed eam quæ ſit per prouidentiam multiplicari, ignorantium eſt differentiam creationis & prouidentiæ. Prouidentiæ enim opus eſt, per vnius ortum ex altero, conſeruare ſubſtantiam caducorum animalium: dico eorum, quæ ex putredine non naſcuntur. Nam horum propagationem alia rurſus putrefactio conſeruat. Creationis verò præſtantiſſimum officium eſt, ex nihilo aliud efficere: Si ergo animæ ex ortu fiunt mutuo, ratione prouidentiæ fiunt, & caducæ ſunt, vt cætera, quæ ex propagatione generis oriuntur: Sin fiunt ex nihilo, creatio hæc eſt, neque verum eſt quod dicit Moyſes, *Ceſſauit Deus ab omnibus operibus ſuis*: ſed horum vtrumque abſurdum eſt. Non ergo nunc animæ fiunt. Nam illud, *Pater meus operatur*, non de creatione, ſed de prouidentia dictum eſſe, etiam ipſi Eunomio videtur. Apollinarius verò putat animos ab animis gigni, vt à corporibus corpora. Progredi enim vt propagationem primi hominis in omnes qui ex illo generantur. Neque enim ſepoſitas eſſe & conditas animas, neque nunc gigni. Eos enim qui hoc dicant, Deum mœchis operam nauantem facere, propterea quòd ex his pueri naſcantur. Mendacij etiam conuinci illud, *Ceſſauit Deus ab omnibus operibus ſuis*, quæ cœpit facere, ſiquidè nunc etiam facit animas. Verùm ſi omnia quæ per propagationem ex ortu mutuo gignantur, oſtenſa ſunt eſſe mortalia, propterea enim generant, & generantur, vt caducorum genus permaneat, neceſſe eſt etiam iſtum, aut mortalem dicere eſſe animam, cùm fiat ex ortu mutuo, aut non per propagationem iſtiuſmodi ortu gigni animas.

notat. 26. Qui hunc Nemeſii cum notis ſub nomine S. Gregorii Nyſſeni: nam liber hic Nemeſii natura hominis, ſeu de anima falſo S. Gregorio Nyſſeno inſcriptus circumferebatur. Vide Poſſeuini ſacrum apparatum.

Creatio quid.

Geneſ. 1.

Ioann. 5.

Apollinarii opinio quæ etiã exagitatur.

F Nam de iis qui ex adulterio naſcuntur, prouidentiæ rationi quæ incognita nobis eſt, relinquamus. Verumtamen ſi aliquid de prouidẽtia coniiciendum eſt, planè cognoſcit id quod gignitur, aut vitæ hominum, aut ſibi ipſum vtile futurum, ideoque animam ſubire corpus permittit. Cuius abunde magnum argumentum licet arripere Solomonem qui ex Vriæ vxore & Dauide natus eſt. Nunc Manichæorum opinio qualis ſit inſpiciamus. Aiunt enim animam immortalem & corporis expertem eſſe: ſed vnam ſolam omnium quæ vbique ſunt, animam minutatim concerptam, & diſtributam in ſingula corpora, tam inanima quàm animata, & eius in aliis plus, in aliis minus ineſſe. Plus enim eſſe in animatis, in inanimis minus, ac multo plus in cœleſtibus corporibus, quàm in aliis omnibus, vt partes vniuerſæ animæ, rerum ſingularum ſint animæ.

Manichæorum opinio refellitur.

G Ac ſi quidem indiuiduè diuidi eam dicerent, vt vocem in iis, qui eam auribus accipiunt mediocre malum eſſet. Nunc ipſam ſubſtantiam animæ in partes aiunt diuidi, & quod omnium grauiſſimum eſt ipſam propriè in elementis eſſe volunt, cum quibus & in ortu corporum diuidatur, & rurſus in eorundem diſſolutione coeat, non ſecus atque aqua quæ diuiditur, iterum contrahitur, & permiſcetur. Ac puras quidem animas in lucem excedere, cùm ſint lux, quæ verò à materia contaminatæ ſunt, abire in elementa, & rurſus ab elementis in ſtirpes, & animalia. Et ad hunc modum ſubſtantiam eius concidentes, & corpoream patibilemque facientes, immortalem eſſe aiunt. Verùm eo delabuntur, vt ſecum pugnantia loquantur. Nam cum dicant eas quæ contaminatæ ſunt, reuocari in elementa, & ſibi mutuo miſceri: rurſus eas pro magnitudine cuiuſque peccatorum, dum ab vno corpore in aliud transferuntur, puniri cenſent, & earum naturam, tum coniungunt, tum ſeparant. Nam quod vmbræ lucente ſole ſeparantur, cœlo nubibus obducto iunguntur, id in natura quæ mente cernitur fieri non poteſt: nam vmbræ ſub ſenſum cadunt, etiamſi concedat quiſpiam eas ſeparari, rurſuſque coniungi.

H Plato & vnam, & multas eſſe animas, affirmat. Vnam enim eſſe huius vniuerſi animam, eſſe etiam alias rerum ſingularum, vt vniuerſum, vniuerſi anima ſeparatim animatum ſit, itemque ſeparatim res ſingulæ, ſua quæque anima ſint præditæ. Dicit enim vniuerſæ naturæ animam porrectam eſſe à centro orbis terræ, vſque ad extremas oras cœli: non equidem vt locum iſta noret porrectio, ſed extenſionis quendam modum, quem mens & ratio aſſequatur, atque hanc eſſe animam, quæ in orbem rerum vniuerſitatem contorqueat, mundique corpus contineat, atque conſtringat. Egere

A enim corpora vi aliqua à qua contineãtur, idque præſtare animam, quæ ſpeciem efficit, ſuprà oſtenſum eſt. Viuere enim quamque rem, ſuo vitæ genere, & interitus, interire. Quoad enim corpus continetur, & conſtringitur, eſſe dicitur, dum diſſoluitur, occidere. Et viuere quidem omnia, non eſſe tamen omnia animalia. Secernunt enim ab inanimis ſtirpes, quod hæ creſcant, & nutriantur, id eſt, altrice, & naturali facultate expertes: rationis animantes, à ſtirpibus, & herbis, ſenſu rationis compotes, ab expertibus ratione. Atque ita cùm omnia dicant viuere, vniuſcuiuſque naturam diſtinguunt. Itaque viuere dicunt etiam quæ prorſus ſunt inanima, vita quadam quæ in habitu eſt, quoniam continentur ab vniuerſi anima eo quod ſint duntaxat, nec dilabantur. Hanc eſſe volunt animam, quę gubernat vniuerſa, & ſingulas animas, quæ tamen iam antea à Deo factæ ſint, in corporibus includat, cùm ſcilicet Deus illi leges dederit, quibus hunc mundum adminiſtret: quas etiam fatum vocat Plato, & vim quæ ad nos regendos ſatis ſit, ſuppeditet. Sed hæc etiam in diſputatione de fato dicta ſunt.

Diſputatio de fato.

Communiter igitur omnes Græci qui animam immortalem ſtatuerunt, eam de vno corpore in aliud transferri, cenſuere: ſed in formis animarum diſſentiunt. B Alij enim, vnam ſpeciem ratione vtentem dicunt, eamque & ad ſtirpes, & herbas, & ad beſtiarum corpora tranſire, & horum partim certo & definito temporum ambitu, partim vt caſus tulerit, id fieri exiſtimarunt. Alij, non vnam ſpeciem animarum eſſe tradunt, ſed duas, rationis participem, & quæ rationis ſit expers. Neque deſunt, qui multas animarum ſpecies cõſtituant, totidem ſcilicet, quot ſunt ſpecies animantium, maximaque eſt inter Platonicos in hoc dogmate diſſenſio. Cum enim Plato ſcripſerit furioſas & iracundas & rapaces animas, in luporum & leonum corpora transferri, quæ verò intemperatè vixiſſent aſinorum, & ſimilium corpora aſſumere. Alij propriè intellexerunt, leones, & lupos, & aſinos: alij mutatione verborum, eum vſum eſſe iudicarunt, ac mores per animalia deſignaſſe. Cronius enim in libro quem de iterato ortu ſcripſit, (ita enim migrationem illam de vno corpore in aliud appellat) omnes animas ratione præditas eſſe vult. Similiter Theodorus Platonicus, in libro qui inſcribitur, Animam eſſe omnes ſpecies. Itemque Porphyrius, Iamblichus verò contrariam rationem ſequitur, & perinde vtcunque fuerit ſpecies animalium, C ita animæ ſpeciem eſſe dicit: quod hanc habet vim, ſpecies animarum eſſe differentes. Nam librum edidit vnũ, inſcriptione hac, Non fieri migrationes animarum ab hominibus ad beſtias: neque à beſtiis ad homines, ſed ab animalibus ad animalia, & ab hominibus ad homines. In quo mihi quidem videtur non modo Platonis opinionem, ſed etiam veritatem præ cæteris eſſe aſſecutus, vt cũ multis alijs, tum his rationibus licet oſtendere.

Contra metempſychoſin Platonicam

Nullus enim motus rationis cernitur in beſtiis, neque enim artes, neque diſciplinæ, neque conſilium, neque virtutes, neque aliud quippiam, quod ad rationem pertineat, in illis eſt. Ex quo patet, non eſſe eas, animæ vientis ratione participes. Etenim abſurdum eſt, quæ ratione careant dicere, ratione eſſe prædita. Et ſi enim in modò natis pueris, ſolus ratione vacuus motus ineſt, tamen anima rationis compote ornatos eos dicimus. Nam vbi adoleuerint, rationis vſum declarant. At beſtia cùm nulla ætate rationem patefaciat, ſuperuacaneam habeat animam rationis partici- D pem, quòd nullam illi rationis vis vtilitatem allatura ſit. Nam nihil ſuperuacaneè à Deo factum eſſe, ab omnibus vno ore conceſſum eſt. Quod ſi eſt, ſuperuacaneè anima rationis compos, iumentis, & feris iniecta ſit, cùm nunquam in iis ſuum munus poſſit edere, neque hoc illi non vituperationi ſit, & crimini, qui corpori animam inhabilem dedit. Non enim hoc artificis opus eſt, aut omnino eius cui ordo, & harmonia ſit cognita. Quòd ſi quis dicat eſſe quidem in animalibus motus rationis ex habitu, verùm ita effecta eſſe eorum corpora, vt in ea non cadat artificioſa actio, idque hominum exemplo confirmare nitatur, quibus, ſi digitis modo manuum amputentur, plurimas artes exercere non poſſunt, quæſtionem non diſſoluit. Relinquitur enim adhuc idem abſurdum, Deũ

E non ingenuiſſe corpori accommodatam animam, ſed ſupervacaneam, & inutilem, & ocioſam, quæ per omnem ipſorum vitam à fungendo ſuo munere impediatur. Accedit etiam quòd ea dubiis, neque conceſſis rebus eorum ratio conſtet. Vnde enim ſcimus, ex habitu ratione moueri animalia? Satius ergo eſt exiſtimare, cuique corpori accommodatam animam eſſe inſitam, neque habere quidquam amplius ex habitu animalia, quàm naturalem illam ſimplicitatẽ, quæ in operibus eorum apparet. Quæque enim ſpecies beſtiarum, naturæ inſtinctu mouetur ad quem ab initio vſum, & ad quod fungendum munus generata eſt, atque ad ea exequenda, appoſitè illorum corpus figuratum eſt. Neque ea tamen omni ope deſtituta, Deus reliquit, ſed vnicuique naturalem, non à ratione proficiſcentem prudentiam immiſit: quibuſdam etiam calliditatem, tanquam artis imaginem, & rationis vmbrã inſeruit. Quod duabus de cauſis ab eo factum eſt, & vt inſtans malum effugerent, venienſque præcauerent, & vt omnia quæ creata eſſent, inter ſe connecteret, atque coniungeret: vt ſuprà eſt à nobis expoſitum. Verùm illa non ratione ad agendum adduci, hinc licet exiſtimes, quod omnia quæ ſub eandem ſpeciem ſubiecta ſunt animalia, ſimiliter eadem faciant, neque in tanta multitudine opera F eorum diſcrepent, niſi quod vnum magis facit, alterum minus, ſed vno naturæ impetu, tota ſpecies moueatur. Omnis enim lepus, eodem modo dolo vtitur, & omnis lupus, eodem modo callidus, & omnis ſimia, eodem modo imitatur. Quod in homine non ita eſt, ſexcentæ enim rationes ſunt humanarum actionum. Liberum eſt enim, ſuique iuris, quod rationem habet.

Homo liber eſt & ſui iuris.

Proinde non vt cuique ſpeciei beſtiarum, ita omnibus hominibus vnum idemq; opus eſt. Nam illæ ſola natura mouentur, quæ autem naturalia ſunt, eodem modo ſunt apud omnes, at actiones quæ à ratione manant, aliæ apud alios ſunt, neque apud omnes eædem neceſſario. Si dixerint, ad luendam pœnam peccatorum, quæ cùm in corporibus humanis eſſet admiſit anima, in eiuſmodi corpora detrudi, per id quod poſterius eſt, rem quæ quæritur demonſtrant. Cur enim in corpore animalium quæ ante hominem ſunt facta, animę rationis participes iniectæ ſunt? Non enim certè quod peccarint in corporibus humanis, etiam antequam in corpore humano reperirentur. Videtur autem noſtram hanc opinionem approbare, etiam admirabilis ille medi- G cus Galenus, & in quaque ſpecie animalis diuerſam eſſe animæ ſpeciem arbitrari. Scribit enim ſtatim in principio libri primi de vſu partium, hoc modo, Atque ſi hoc ita eſt, multæ animalium partes erunt, aliæ maiores, aliæ minores, aliæ etiam quæ in aliam ſpeciem ſecari non poſſint, quibus omnibus animæ opus eſt. Nam corpus eius eſt inſtrumentum, eamque ob rem multum à ſe differunt partes animalium, quandoquidem & animæ. Deinde in progreſſu eiuſdem libri addit & hoc, de ſimia: Atqui ſapientiſſimus accuſator, dicat natura tibi, animali anima ridiculo, oportuit ridiculam corporis ſtructuram dari. Ita differentibus ſpecie corporibus, differentes ineſſe animas cognouit. Atque iſta quidem de his diſputata ſunt.

Epilogus totius capitis.

Quòd ſi animam oſtendimus neque corpus eſſe, neque harmoniam, neque temperationem, neque aliam vllam qualitatem, dubitandum non eſt, quin ſubſtantia quædam ſit anima vacans corpore: nam eſſe quidem, inter omnes cõſtat. Si autem neque corpus eſt, neque accidens, profectò ſubſtantia eſt corporis expers, neque deus eſt, quorum, vt ita dicam, eſſe, in alio eſt poſitum. Hæc enim adueniunt, & recedunt, ſine ſubiecti interitu: At anima dum ſeiungitur, prorſus corpus extinguitur. Eiſdem rationibus licebit H vti, vt eam immortalem eſſe doceamur. Si enim neque corpus eſt, quod natura ſua diſſolui, & interire probatum eſt, neque qualitas, neque quantitas, neque aliud quicquam è numero caducorum, obſcurum non eſt, quin immortalis ſit. Multæ quidem ſunt eius immortalitatis certiſſimæ rationes apud Platonem & alios, ſed ſpinoſæ, & ad cognoſcendum difficiles, & vix iis notæ qui in illis ſcientiis magnopere verſati ſunt. Nobis autem ſatis eſt ad demonſtrationem animæ immortalitatis, doctrina diuinarum literarum, quæ à ſe fidem habet, nec ſupra eſt probatio-

batio-

A bationis eget, quia diuino inſtinctu & inflatu data eſt. Aduerſus eos qui Chriſtianorum literis non vtuntur, ſatis eſt quòd non numerari animam in iis quæ occidunt, demonſtrauimus. Si enim nihil eſt eorum quæ occidunt, ſed interitum omnem effugit, immortalis profectò eſt. Itaque hoc quod abundè declaratum ſit, omittendum eſt.

De iunctione corporis & animæ.

CAPVT III.

QVærendum quomodo animæ, & corporis quod anima vacat, fiat iunctio: dubia enim res eſt. Si autem non ſolum ex anima & corpore, ſed etiam mente, homo conſtatus eſt, vt nonnulli cenſuerunt, longè magis res ambigua eſt, & controuerſa. Omnia enim quæ ad vnius naturæ conſtitutionem conueniunt, prorſus iunctione aliqua tenentur. Omnia autem quæ iunctione
B tenentur commutantur: neque quæ prius erant permanent, vt de elementis oſtendetur. Nam poſtquam iuncta ſunt, in aliam quandam naturam abierunt. Quomodo ergo aut corpus iunctum animæ corpus manet, aut anima cùm ſit corporis expers, & ſubſtantia per ſe, iungitur corpori, & pars animalis efficitur, ſic vt ſuam eſſentiã non confuſam, & incorruptam conſeruet? Neceſſe eſt enim aut ita iunctam eſſe animam, & corpus, vt ſimul ambo commutata, & corrupta ſint, vt elementa: aut non quidem ſic iuncta eſſe, propter abſurda quæ conſequi iam diximus, ſed alterum ad alterum eſſe appoſitum, vt in choro ſaltatores: aut calculum ad calculum: vel ita temperata eſſe, vt vinum & aqua commiſcentur. Verum animam ad corpus non poſſe eſſe appoſitam, cap. quod de anima eſt, demonſtrauimus. Nam præterquam quòd vnum dici non poſſunt, quæ appoſitione vnius ad alterum coagmentata ſunt, vt verbi gratia, lignum & ferrum, vel aliquid eiuſdem generis, ea pars ſola corporis eſſet animata, quæ animæ propinqua eſt, quæ coniuncta nõ
C eſt, inanima. Vini quoque & aquæ temperatio vtrumque & vinum & aquam corrumpit, neque enim pura aqua eſt permixtum illud, neque vinum: quamquam talis temperatio appoſitione fit, quam tamen ſenſus deprehendere non poteſt, propter tenuitatem partium eorum quæ temperata ſunt. Quod ex eo perſpicuum eſt, quod ruſum alterum ab altero ſeparari poteſt. Nam ſpongia oleo imbuta, & papyrus, aquam puram attrahit. At quæ verè & exquiſitè temperata ſunt, à ſe mutuò diſtrahi nullo modo poſſunt: ſic vt ſub ſenſum cadat eorum diſiunctio. Quod ſi neque iuncta ſunt, neque appoſitum alterum alteri, neque temperata, quæ ratio eſt, cur animal vnum dicatur? Itaque Plato hac dubitatione commotus, non vult animal conſtare ex anima & corpore, ſed ipſum eſſe animam, quæ corpore vtatur, & velut corpore veſtita ſit. Sed ne iſta quidem ratio ab omni dubitatione libera eſt. Quomodo enim vnum eſſe poteſt cum veſtitu anima? non enim vnum eſt tunica cum eo quod tunica eſt. Ammonius Plotini doctor hanc quæſtionem ad hunc modum ſoluebat. Dicebat enim naturas eas quæ ratione & mente cognoſcuntur, eiuſmodi eſſe vt etiam cum his quæ ſe poſſent accipere, iungerentur, veluti quæ ſimul corrumpun-
D tur: & iunctas manere, non confuſas & incorruptas, vt ea quæ apponuntur. Nam in corporibus quidem iunctio omnino commutat ea quæ coeunt, quandoquidem in alia corpora mutantur, vt elementa, in corpora quæ ex eis concreta ſunt: & alimenta, in ſanguinem, & ſanguis in carnem, reliquaſque partes corporis. In iis verò quæ intelligentia inueniuntur, iunctio quidem fit, commutatio tamen nulla ſequitur. Id enim quod ratione comprehenditur, natura paratum eſt, vt omnem eſſentiæ commutationem reſpuat. Sed vel decedit, vel in nihilum occidit, mutationis vero omnis eſt expers. Neque vero in nihilum occidit, non enim eſſet immortale: & anima cùm ſit vita, ſi in temperationem mutaretur, mutaretur quoque, neque amplius eſſet vita. Quid autem conferret corpori, ſi ei vitam non impertiret? non ergo anima in iunctione commutatur. Hoc oſtenſo, quæ ſub ra-
E tionem, & mentem cadunt, eſſentia ſua commutari non poſſe, neceſſario ſequitur: ea dum iunguntur, non vna interire cum iis quibuſcum iuncta ſunt. Quare & iuncta eſt, & non confuſè iuncta eſt anima corpori. Nam iunctam eſſe, naturæ conſenſus, atque conſpiratio declarat. Conſentit enim, atque congruit ſibi totum animal, quippe quod vnum ſit. Non confundi autem cum corpore animam, ex eo conſtat, quod ſecundum ſomnum quodammodo ſeiuncta à corpore, idque velut exanime relinquens, nec præter vitam quidquam illi aſpirans ne prorſus intereat per ſe in ſomniis ſuo munere fungatur: futura præſentiens, & ſe cum beatis illis mentibus, & ab omni corporis contagione ſegregatis coniungens. Quod idem illi vſu venit, dum per ſe conſiderat aliquid earum rerum quæ ſub intelligentiam cadunt. Nam etiam tum quoad fieri poteſt, ſeipſam abducit à corpore, & per ſe eſt, vt ad hunc modum res apprehendat. Cùm enim vacet corpore, quouis penetrat, & permeat quemadmodum quæ ſimul corrupta ſunt. Manet tamẽ incorrupta, quemadmodum quæ non confuſa ſunt, & tuetur illam ſuam vnitatem, & in quibuſcunque fuerit, ea ad ſuam vitam
F vertit, neque ab iis vertitur. Vt enim ſol præſentia ſua aërem illuſtrans eum ad lumen traducit, aerique lumen iungitur, & cum eo non confuſè funditur: ita anima iuncta corpori, manet omnino non confuſa: hoc vno à ſole diſcrepans, quod ſol cùm corpus ſit, locoque circumſcribatur, non eſt vbicunque lux ſua eſt, quemadmodum neque ignis. Manet enim ignis in ligno, aut in lucerna, tanquam in loco illigatus. Anima verò, quòd corporis eſt expers, neque loco definitur, tota per totum, & lumen ſuum, & corpus permeat: neque eſt pars vlla quæ ab illa illuſtretur, in qua tota non adſit. Non enim tenetur à corpore, ſed ipſa tenet corpus, neque in corpore eſt vt in vaſe, aut vtre, ſed contra potius in ea corpus. Non enim, quæ cernuntur intelligentia, à corporibus impedita, ſed per totum corpus meantia & tranſeuntia & vagantia
G corporeo loco comprehendi poſſunt. Cùm enim intelligentia comprehendantur, etiam in locis ſunt quæ animo cernuntur. Aut enim in ſeipſis, aut in ſuperioribus mentibus, vt animus aliquando in ſeipſo eſt, dum ratiocinatur: aliquando in mente, dum intelligit. Cùm igitur in corpore eſſe dicitur, non in corpore, vt in loco, eſſe dicitur: ſed vt in inclinatione quadam; & quia adeſt, quomodo Deum in nobis eſſe dicimus. Etenim inclinatione & propenſione ad aliquid, & affectione vinctam dicimus à corpore animam: quemadmodum eum qui amat ab amica vinctum dicimus non corpore, aut loco, ſed animi inclinatione. Cùm enim magnitudine, & mole, & partibus careat, nulla loci parte terminari, aut circumſcribi poteſt. Quod enim partem nullam habet, quo loco circumſcribi queat? cum mole enim locus exiſtit. Nam locus terminus eſt corporis continentis, quo id quod continetur complectitur. Quòd ſi quis dixerit, ergo & Alexandriæ, & Romæ, denique vbique eſt mea anima, non videt ſe locum denuò dicere. Etenim quod ita dicitur Alexandriæ, aut omnino hic, locus eſt. In loco autem prorſus non eſt, ſed in inclinatione. Oſtenſum eſt enim loco comprehendi non poſſe. Cùm ergo in inclinatione aliqua fuerit, quod intelligẽtia comprehenditur, ad locum, aut rem quæ in loco ſit, per abuſionem ibi eſſe dicimus, propter muneris functionẽ quæ
H illic eſt, locumque pro inclinatione & functione muneris accipimus. Cùm enim dicendum ſit illic fungi ſuo munere, illic eſſe dicimus. Verum hæc ratio iunctionis liquidius maximeque ad iunctionem verbi Dei, & hominis conueniet: qui post iunctionem, neque confuſum, neque comprehenſum, ab homine eſt: neque tamen ad eundem modum quo anima. Hæc enim cùm multiplicata ſit, videtur etiam conſentire & congruere aliquo modo propter ſocietatem cum corpore, & tum ipſum tenere, tum ab eo teneri. At Deus Verbum, nihil ipſum à ſocietate corporis & animæ, immutatum, neque illorum imbecillitatis particeps, ſed eis ſuam diuinitatem impartiens, vnum cum eis fit & permanet, quod erat ante iun-

Anima corpori iungitur, ſed non commiſcetur.

Similitudo.

A Verbum ſine admixtione, homini iunctum eſt.

ctionem. Nouus hic temperationis, aut iunctionis modus eſt, & temperatur & manet omnis duntaxat admixtionis expers, & non confuſum, & incorruptum, & immutabile, & præterquam quod ſe non vertit neque confunditur, quoniam omnis prorſus commutationis eſt expers, non vna cum illis patitur, ſed vna tantum agit: neque ſimul interit, aut commutatur, ſed cum illa amplificat, tum ab illis non imminuitur. Teſtatur hoc Porphyrius, qui Chriſtum oppugnare, & inſectari non dubitauit. Sunt autem grauia inimicorum, à nobis quæ ſunt teſtimonia, neque contradici quicquam poteſt. Itaq; Porphyrius cap. ſecundo variarum quæſtionum, ad verbum ſic ſcribit, Non improbandum igitur accidere poſſe, vt aliqua ſubſtantia ad alterius ſubſtantiæ abſolutionem aſſumatur, & pars ſubſtantiæ ſit, ita vt in ſua ipſius natura maneat, & aliam ſubſtantiam compleat, & vnum cum alio fiat, & ſuam vnitatem conſeruet, & quod maius eſt, ipſa quidem non vertatur, ſed ea in quibuſcunque fuerit, ad ſuam ipſius actionem ſua præſentia vertat. Atque hæc de animæ & corporis iunctione ſcribit. Quod ſi in anima vera eſt ratio, propterea quòd eſt non corpus, longè longeque erit verior de Deo Verbo, quod multo magis non concretum & verè ab omni coagmentatione

B

corporis remotum eſt. Hoc planiſſimè obturat os ijs, qui iunctionem Dei cum homine accuſare conantur. Pleriqueenim Græcorum hoc irrident, quod dicant fieri non poſſe, nec probabile, nec decorum eſſe, vt diuina eſſentia cum natura mortali temperetur, atque iungatur. Nos vero vſi eorum teſtimonijs, quorum inter illos celebre nomen eſt, crimen hoc depellimus. Dicitur à quibuſdam & maximè ab Eunomianis, iunctum eſſe Deum verbum corpori, non ſubſtantia, ſed vtriuſque viribus. Non enim eſſe ſubſtantias quæ iunctæ, aut temperatæ ſint, ſed vires corporis cum viribus Diuinis eſſe commixtas. Vires autem corporis nimirum omnis quod inſtrumentis ſit præditum, ex Ariſtotelis ſententia dicunt eſſe ſenſus. His ergo Diuinæ vires commixtæ, iunctionem, illis authoribus, effecerunt. At nemo, opinor, hoc ijs dederit, ſenſus corporeas vires eſſe. Supra enim perſpicuè explicatum eſt, quæ corporis, quæ animæ, quæ eius quod ex vtroque eſt, ſint propria. Et in proprijs eius quod vtroque conflatum eſt, ſenſus per inſtrumenta ſuum munus

Eunomiani.

C

fungentes, ponebamus, ipſa porrò inſtrumenta corporis eſſe dicebamus. Quare ſatius eſt, vt ante diximus, ex propria natura rerum corpore vacantium, non confuſè iunctionem fieri ſubſtantiarum, ita vt quæ diuinior eſt, nihil mali, aut ſordium ab humiliori contrahat, ſed contra potius quæ humilior eſt à diuiniore duntaxat adiuuetur. Nam natura purè expers corporis, penetrat liberè omnia, & à nullo ipſa penetratur, vt, quoniam omnia penetrat, iungatur, quoniam à nullo penetratur, expers omnis admixtionis & confuſionis maneat. Non ergo hæc iunctionis ratio, Dei lubito, vt quibuſdam claris viris videtur, ſed natura nititur. Nam quod corpus quidem induit, merito dixerit quiſpiam Dei lubito factum eſſe. Quòd verò poſtquam iunctus eſt, non confundatur, propria Dei natura fit, non quoniam ita illi eſt collibitum. Nam gradus animarum, aſcenſus, item, & deſcenſus, quos Origenes inducit, nihil pertinentes ad diuinas literas, neque cum Chriſtianorum decretis conſentanei, relinquendi ſunt.

D

De corpore.

CAPVT IV.

Omne corpus è quatuor elementis conflatum eſt.

OMne corpus è quatuor elementis concretum, & conflatum eſt. Proximè quidem eorum quæ ſanguinem habent corpora, è quatuor humoribus, ſanguine, pituita, flaua bile, & atra: eorum verò quæ ſanguine carent, cum ex cæteris humoribus, tum ex eo, quod in ijs cum ſanguine comparatur. Proximè autem dicitur, quando nulla natura intercedente ea illis quid factum fuerit, vt è quatuor quidem elementis, quatuor humores, ea humoribus ea quæ particularum ſunt ſimiliū, & partes ſunt corporis, onerata ſint. Comparant autem cum terra atram bilem, cum aqua pituitam, cum aere ſanguinem, cum igni flauam bilem. Quidquid autem ea elementis

E

concretum eſt, aut ſolidum eſt, aut humidum, aut ſpiritus. Ariſtoteles verò proximè ex ſanguine ſolo vult fieri corpora animantium. Eo enim & ali proximè, & augeri omnes corporis partes, & ſemen quoque ex ſanguine ortum ducere. Sed quoniam tectum non videbatur & oſſa quæ duriſſima eſſent, & carnem quæ molliſſima, & adipem ea vno eodemque gigni, placuit Hippocrati primum è quatuor humoribus proximè concreſcere corpora animalium, vt ex his quæ terrena magis & craſſiora ſunt ſolidiora fiant, è mollioribus mollia. Inueniuntur tamen ſæpè quatuor humores in ſanguine, vt licet videre in venarum inciſionibus, cùm aliquando ſeroſa pituita in eo abundet, aliquando atra aut flaua bilis. Quamobrem etſi inter ſe conſentire aliquo modo videntur. Sunt autem inter partes animalium quædam ſimilium partium, quædam diſſimilium. Similium cerebrum, tunica cerebri, neruus, medulla, os, dens, cartilago, glandens, vngues, ligamenta, membranæ, fibræ, pili, carnes, venæ, arteriæ, porri, adeps, cutis, & horum velut proxima elementa ſanguis, qui purus eſt, pituita, bilis atra & flaua. Nam tendo

Partium corporis quædam ſimiles, quædam vero diſſimiles ſunt.

F

cum ex ligamentis, tum ex neruoſis fibris compoſitus eſt. Diſſimilium partium, caput, thorax, manus, pedes, & cætera membra hominis: non enim in caput caput diuiditur, vt neruus in neruum, & vena in venam, & caro in carnem. Quidquid autem diſſimilium eſt partium ex his quæ ſimilium ſunt partium conſtat, vt caput è neruis, & carnibus & oſſibus & alijs eiuſmodi, quæ etiam organica, id eſt, ſi ita licet loqui, inſtrumentaria vocāt. Definitio eorum quæ ſimilium ſunt partium, hæc eſt. Quorum partes & totius & inter ſe ſunt ſimiles: Simile porrò nunc pro eodem intelligendum eſt. Non autem omne animal omnes partes corporis habet: ſed aliqua eorum mutila reperiuntur: alia enim carent pedibus, vt piſces & ſerpentes: alia capite, vt cancri, & carabi, & quædam aquarilia. Habent enim ſenſuum inſtrumenta in pectore, quia caput non habent: Alia pulmone, quotquot ſcilicet aerem ſpiritu non ducunt. Alia veſica, vt aues & omnia quæ vrinam non reddunt. Quibus autem teſta pro tegumento eſt, plurimis membris priuata ſunt. Nam ea vt ſint animalia, in paucis poſitum habent. Videntur etiam aliqua non habere cùm habeant, vt cerui videntur non habere flauam bilem, quoniam in inteſtinis eam diſperſam atque latentem habent. Homo vero & omnia & perfecta habet, & ita omnia vt rectè aliter res ſe habere non poſſit. In partium quoque ſitu, magna in animantibus diſſimilitudo eſt. Alia enim habent vbera in pectore, alia in aluo, alia

G

ſub cruribus, & alia duo, alia quatuor, alia plura. Propemodum enim natura ad numerum eorum quæ gignuntur vberum multitudinem dimenſa eſt. Verùm ſi quis hæc exquiſitè velit excerpere, legat Ariſtotelis hiſtoriam, quæ de animalibus eſt. Non enim propoſiti eſt noſtri de his exactè agere, ſed quibuſdam veluti formis adumbrare. Quare ad diſputationem de elementis, quæ deinceps quæritur, veniamus.

De Elementis.

CAPVT V.

H

ELementum mundanum pars eſt minima corporum concretorum. Sunt autem elementa quatuor, terra, aqua, aer, ignis, eo poſita ad ordinem quem iam diximus, ſi ab infra locatis corporibus ad ſupera progrediamur: ipſa prima & ſimplicia, ſi cum cæteris corporibus comparentur. Etenim omne elementum eiuſdem eſt generis cum ijs, quorum eſt elementum. Nam principium non eiuſdem eſt generis cum his quæ ex ipſo naſcuntur. Elementum autem prorſus eiuſdem generis. Iam verò terram, aquam, aerem, ignem, eſſe elementa euidens & apertum eſt. Etenim in his ſummæ qualitates poteſtate & actu conſpiciuntur, quamquàm nullum horum elementorum quæ ſenſu percipiuntur, & temperatione & admixtione cum alio elemento vacat. Nam tacitè quodammodo

Quatuor Elementa, horumque qualitates.

A hæc ad alteram ſunt omnia, & alterum alterius magis, minuſve eſt particeps, atque etiam mixtione cuiuſque natura facile perſpicitur. Habet autem quodq; elementum iugatas qualitates duas à quibus formetur. Eſt enim terra frigida & ſicca, aqua frigida & humida, aer calidus & humidus natura ſua: ignis ſiccus & calidus. Neque verò vel qualitates per ſe elementa eſſe poſſunt, non enim ex corpore vacantibus qualitatibus corpora conſtare poſſunt vel cætera corpora quæ ſummam eamq; actu qualitatem non habent. Eſſent enim infinita elementa omnia quæ ſunt, alia magis, alia minus eam qualitatem habeant, nec diiudicari poſſit quæ quorum elementa ſint. Neceſſe eſt ergo elementum, & corpus eſſe, & ſimplex corpus & actu habere ſummas qualitates, calorem dico & frigus, humorem & ſiccitatem. Hæ enim ſolæ qualitates totam penitus mutant ſubſtantiam, quod cæterarum nulla facit qualitatum. Neque enim albedo aut alia vlla qualitas corpori admota, totum penitus corpus dealbat, aut afficit, vt calor calefacit & frigus refrigerat. Sunt autem elementa ſibi mutuo contraria quæ duas habent qualitates contrarias, vt aqua frigida & humida, igni calido, & ſicco; & terra ſicca, & frigida, aeri calido & humido. Quoniam autem contraria ſibi copulari non poterant, ſi non eſſet mediũ quoddam vinculum, quod ea colligaret, qui hunc mundi ornatum molitus eſt Deus, inter terram & aerem quæ contraria ſunt, aquam poſuit, duaſque ei qualitates dedit, humorem & frigus, quibus cum extremis copulatis ea colligare poſſet. Nam frigore cum terra neceſſitudinem habet, humore cum aere coniungitur. Inter aquam item & ignẽ, quæ contraria quoq; ſunt, medium aerem interiecit, qui humore cum aqua, calore cum igni conuenit. Atque ad iſtum modum contraria coniunxit, interiectis naturis quibuſdam vincientibus, quæ & ſeipſas & ea quæ vincirent, aſtringerent. Tale enim vinculum optimum eſt. Ergo vnamquamque harum naturarum, quas interpoſitas diximus, altera qualitate iunxit cum eo elemento quod antecedit, altera cum eo quod conſequitur, vt aqua frigida eſt & humida, ſed frigore cum terra coniungitur, quæ antecedit in aſcenſu ab infimis ad ſuprema, humore cum aere, qui conſequitur. Similiter aer humore coniungitur aquæ quæ antecedit, calore igni qui conſequitur. Etiam ignis calore coniungitur cum aere qui antecedit, ſiccitate cum terra per inflexionem, & conuerſionem ad extremum. Eodem modo terra per inflexionem, frigore cum aqua, calore cum igni connectitur, vt enim non ſolum ad ſupera & infera aſcenſum deſcenſumque habeant elementa, ſed etiam in orbem referantur extrema, id eſt, ignem & terrã ad ſe mutuo inflexit quodammodo, atque conuertit. Etenim ignis ſolo calore amiſſo terra fit, quod è fulminibus apertum eſt. Delatus enim ignis à ſummo ardore refrigeratus in lapidem vertitur. Quocirca omne fulmen cum lapide fertur & ſulphure. Eſt autem ſulphur velut ignis refrigeratus, neque amplius actu calidus, ſed poteſtate, ſiccus verò etiam actu. Sola autem elemẽta actu habent eas qualitates, cætera omnia poteſtate, niſi ad elementum admoueantur. Ac ne vnquàm occidant elementa, vel quæ ex eis concreta ſunt, ſapienter Deus prouidit, vt elementa, & in ſe mutuò, & in concreta ex eis corpora mutarentur, rurſuſq; hæc in elementa diſſoluerentur. Atque ita ex ortu mutuo in quo ſatis magna vis eſt, conſtantia perpetuo cõſeruantur. Terra enim cùm limum contraxerit, aqua fit: Aqua denſata & compreſſa, terra: eademq; calefacta, & in vapores ſoluta aer: Aer contractus & denſatus in aquã, ſiccatus in ignem conuertitur. Sic etiã ignis extinctus, & ſiccitate detracta in aerem vertitur. Eſt enim aer, ignis extinctio, & vapor aquæ calefactæ: Quorum vtrumq; declarat ex calore aerem naſci. Etenim aqua calefacta, & ignis extinctus aer fit. Eſt igitur ſua natura calidus: frigeſcit tamen dum ad aquam, & ad terram accedit, vt infimæ eius partes quæ ad terram vergant, frigidæ ſint, ſupremæ quæ ad ignem, calidæ. Quod ideo euenit, quia mollis eſt aer, & facile alienam qualitatem accipit. Celeriter enim migrat de ſua natura, & mutatur. Ariſtoteles duas naturas eſſe aeris dicit, alium qui ad vaporum naturam accedat, qui ex aquę reſpiratione gignitur, alium fumoſum, qui ex ignis extinctione exiſtit. Ac fumoſum quidem calidum eſſe, qui ad vaporum naturam accedat, vbi quidem naſcitur calidum, procedentem verò, paulatim refrigari, & tandem in aquã conuerti. Quam duplicem naturam aeris induxit, cùm vt alia quædam quæ abſurda videntur effugiat, tum verò quòd ſubliniora quæ ſunt, & à terris remota longius, frigidiora appareant. Omnia autem corpora ex congreſſu quatuor horum elementorum oriuntur, tam ſtirpium quã animalium, natura puriſſima elementa ad horum corporum procreationem attrahente. Vocat Ariſtoteles hæc corpora naturalia, neque per aceruationem componuntur, ſed tota penitus iunguntur & commiſcentur, & vnum quippiam & à ſe diſtinctum corpus efficiunt. Ita enim iuncta ſunt, vt diſcerni nullo modo poſſint, neque ſeparatim cerni terra, ſeparatim aqua, & aer, & ignis: quoniam vnum quid, & ab ipſis diuerſum ex horum quatuor congreſſione factum eſt, vt tetrapharmaco. Nam hic quoque aliud eſt in tetrapharmacum, ab ijs quibus conſtat. Non tamen eodem modo, non enim elementa per appoſitionem rerum tenuiſſimarum, vt in tetrapharmaco corpora efficiunt, ſed per mutationem & vnitatem. Atque in elementa rurſum diſſoluuntur corpora, itaq; perpetuo permanent omnia, & ad rerum omnium quæ ſunt ortũ ſufficiunt, neque vel redundant vnquam vel imminuuntur. Quamobrem alterius ortũ, interitum eſſe aiunt alterius, & viciſſim alterius interitum, alterius ortum, non ſolum in anima vt ſuprà oſtenſum eſt, ſed etiam in corpore. Platoni verò placet tria quidem elementa mutari in alia, at terram immutabilem remanere. Nam cum quoque elemento comparans ſoliditates figurarum, quæ rectis lineis continentur, cum terra cubum, quoniam præ cæteris difficillimè mouetur, cum aqua, eam quæ cæterarum ad motum ineptiſſima eſt, id eſt, figuram vicenarum baſium: cũ igne, figuram mobilitate omnibus præſtantem Pyramidem: cum aere, qui ex aqua facilius, igni difficilius mouetur, figuram octonarum baſium, ex his formis demõſtrat tria in ſe mutuò mutari: terram nequaquã. Nam has tres Pyramidem octonarum, & vicenarum baſium figuram ex triangulis trium laterum non æqualium quiſcaleni dicũtur conſtare, cubum verò è triangulis parium laterũ. Quæ igitur è triangulis ſcalenis conſtant, hæc diſſoluta, rurſuſque coeuntia in ſe mutuò mutari poſſe, at cubum diſſolutum in aliquam trium aliarum figurarum mutari nõ poſſe (conſtat enim ex parium laterum triangulis, ex quibus nullum aliorum trium conſtare poteſt) neq; aliquam triũ aliarum figurarum in cubum. Neceſſe eſt igitur etiam corpora, quæ his formis formantur, vt ſe formæ habeant, ita ipſa ſe habere inter ſe. Neque tamen non patibilis omnino terra eſt, ſed à tenuioribus corporibus diuiditur, vt diſtrahi quidem alterius elementi interuentu poſſit, non etiam mutari in ea à quibus diuiditur. Rurſus enim in ſe coiens, ſibi reſtituitur quod in aqua licet cernere. Si enim in aquam exigua terra miſſa, eam perturbes, diſſoluitur in aquam terra, ſin deſiſtas perturbare, vbi aqua conſtiterit, terra ſubſidit. Hoc idem ad totam terram transferendum eſt. Verùm non mutatio hæc eſt, ſed mixtorum diremptio. Ait enim Plato, ignis acumine diſſolui terram, quæ diſſoluta in ipſo feratur, aut in vaſtitate aeris cum eam aer diſſoluerit, aut in aqua, cùm ab aqua fuerit diſſoluta. Alio modo elementa diuidens, tradit vnumquodque elementum tres habere qualitates ignem, acumen, raritatem, motum: alterum extremum elementorum, id eſt terram, hebetudinem, denſitatem, ſtatum: vt ſunt per has qualitates contraria, ignis, & terra, quod in cæteris qualitatibus quas iugabamus, non eueniebat. Sumptas autem eſſe ab vtroque extremorum qualitates, & ita media elementa extitiſſe. Sumuntur enim ab igne duæ qualitates, raritas & motus: vna à terra hebetudo, & aer conſtituitur, qui qualitates habet quibus formetur, hebetudinem, raritatẽ, motum. Rurſus duæ ſumuntur, qualitates terræ, hebetudo, & denſitas, & vna ignis, motus & aqua fit quæ formatur hebetudine, denſitate, motu. Eſt igitur, vt acumen ad hebetudinem, ita ignis ad aerem, vt raritas ad denſitatem, ita aer ad aquam, vt motus ad ſtatum, ita aqua ad terram. Vt igitur ignis ad aerem, ita aer ad aquam, & vt aer ad aquam

Elementa quopacto ſibi inuicem adhærſentur & cohæreant.

Fulmen omne lapidem habet & ſulphur.

Ortus vnius eſt alterius interitus. Plato.

A quam, ita aqua ad terram. Nam plana quidem, nata & apta ſunt, vt ab vno medio, id eſt, analogia, ſolida autem duobus medijs contineantur. Alio modo dicunt elementa habere qualitates. Nam terram, & aquam habere pondus, quo natura deorſum ferantur, aerē & ignem leuitatem, qua natura in ſublime tendant. Stoici tradunt elementorum alia habere vim efficiendi, alia accipiendi, & quaſi patiendi. Efficiendi quidem vim habere aerem & ignem, accipiendi & patiendi, terram, & aquam. Ariſtoteles etiam quintum corpus inducit cœleſte, & volubile, quod cœlū ē quatuor elementis conflatū eſſe nolit. Appellat autem volubile quintum corpus, quod motu in circuitum terram feratur, cum Plato diſertè dicat, ex igne & terra cœlum conſtare. Ita enim ait, Corporeum, & aſpectabile, & tractabile oportet eſſe quod natum eſt. Sine igne autem nihil vnquam fuerit aſpectabile, neque tractabile, ſine aliquo ſolido. Solidum autem non ſine terra. Vnde moliens hoc vniuerſum Deus, ex igni ipſum & terra effecit. Duo autem ſola rectè ſine tertio cōſtare non poſſunt. Oportet enim vinculum in medio eſſe B amborum, quod ea copulet. Vinculum porrò optimum, quod maximè ex ſe & iis quæ vincit vnum facit. Quod optimè nata eſt proportio efficere. Vinculum dicit duo media elementa ea proportione quæ expoſita eſt inter ſe cōparata. Qui Hebræorum dogmata ſequuntur, de cœlo terraque diſcutiunt. Cæteri enim ferè omnes ex nulla ſubiecta materia quæ prius fuerit, cœlum & terram genitam eſſe volunt, quoniam Moyſes ſcribit his verbis: *In principio fecit Deus cœlum & terram.* Apollinarius verò ex abyſſo feciſſe Deum cœlum & terram contendit. Nam abyſſi vt eius quæ creata ſit, Moyſes in commemorando orbis ortu non meminit, ſed in libro, qui Iob inſcribitur, perſcriptum hoc eſt. Qui fecit abyſſum. Ex hac igitur vt materia, omnia alia nata eſſe vult, neque tamen eam nullo generatam ortu, ſed genitam ante omnia corporea, & ad cæterorum naturam a Deo præparatam eſſe tuetur. Atque ipſum quoque abyſſi nomen (ſignificat autem Latinè fundi expers) infinitatem oſtendit. Sed hoc quoquo modo ſe habeat, nihil refert. Etenim etiam hoc modo Deus omnium & opifex eſſe, & ex nihilo feciſſe omnia, probatur. Aduerſus eos qui dicunt vnicum eſſe elementum, aut ignem, aut aerem, aut aquam, ſatis erunt quæ ab Hippocrate diſputata ſunt. Si vnum homo eſſet, nunquam doleret, neque enim eſſet vnde doleret, ſi vnum eſſet: Quòd ſi etiam doleret, vnum eſſet quod ſanaret. Oportet enim C quod doliturum eſt, in mutatione verſetur adiuncto ſenſu. At ſi vnicum eſſet elementum, non eſſet in quod mutaretur. Si autem non mutaretur, ſed in ſeipſo remaneret, no doleret, etiamſi eſſet ſenſu præditum. Oportet etiā quod patitur ab aliquo pati. Si autem vnum ſolum eſſet elemētum, non eſſet alia qualitas præter eam, quæ eſt vnius elementi, à qua animal pateretur. Quod ſi neque mutari, neque pati poſſet, quomodo doleret? Quum igitur hoc probaſſet fieri non poſſe, per conceſſionem infert. Si verò etiam doleret, vnum eſſet quod ſanaret. Nunc verò non eſt vnum, quod ſanat, ſed multa, non ergo vnum homo eſt. Porrò autem ipſi ipſis quibus ſinguli ſuam ſententiam confirmare nituntur, maximè oſtenduntur quatuor eſſe elementa. Etenim Thales ſolam aquam dicens eſſe elemētum, conatur probare alia tria ex aqua generari. Nam eius fæcem terram eſſe, tenuiſſimam partem aerem, aeris item tenuiſſimam partem ignem. Et Anaximenes quoque aerem ſolum ſtatuens, ſimiliter conatur oſtendere, cætera elementa ex eo gigni, atque perfici. Heraclitus, & Hippar- D chus Metapontinus, ignem dicentes, iiſdem hiſce rationibus vſi ſunt. Quod igitur iſti dicunt in igne cauſam eſſe gignendi cætera elementa, & cæterorum Philoſophorum alius aquam, alius aerem inducit, ex eo oſtenditur omnia elementa in ſe mutuo mutari. Cùm autem omnia in ſe mutuò vertantur, neceſſe eſt omnia eſſe elementa. Quodcunque enim de quatuor ſimplicibus, id ex alio fieri reperietur. Corpus autem cùm ſit animæ inſtrumentum, vnà cum animæ viribus diuiditur. Nam ad eas accommodatum, aptumque factum eſt, vt nulla animæ vis à corpore impediatur. Vniciuſq; enim facultati animæ, quo ſitorum

Stoici.

Gen. 1. Apollinarij de rerum principijs ſententia.

Refelluntur qui vnicum tantum elementum conſtituunt.

munere fungi poſſit, propriæ partes corporis tributæ ſunt, vt in progreſſu orationis demonſtrabitur. Nam anima locum obtinet artificis: corpus inſtrumenti. Materia autem E eſt in quibus verſatur actio. Effectio verò ipſa actio, quēadmodum vt materia ſubiectum fœminarum in hac eſt actio. Actio adulterium, aut ſtuprum, aut legitimus concubitus. Diuiduntur autem vires animæ, in vim phantaſiæ, cogitationis, & memoriæ, quæ Græci vocant φανταστικὸν, διανοητικὸν, μνημονευτικόν.

De Phantaſia.

CAPVT VI.

Φανταστικὸν igitur vis eſt animæ rationis expertis, quæ per ſenſuum ſedes ſuo munere fungitur. Φανταστὸν verò, quod in phantaſiam cadit, vt in ſenſum quod ſenſui ſubijcitur. Φαντασία verò affectio eſt animæ, à ratione vacuæ, quæ fit ab aliquo quod φανταστὸν appellamus. Φάντασμα verò inanis affectio in animæ partibus rationis expertibus, quæ à nullo, quod ſit φανταστὸν, commouetur. Stoici autem hæc quatuor ponunt φαντασίαν, φανταστὸν, φανταστικὸν, φάντασμα. F Ac φαντασίαν definiunt animæ affectionem, quæ & ſeipſam oſtendit, & φανταστὸν illud à quo nata eſt. Cùm enim album quid aſpexerimus, gignitur in anima ex eius aſpectu quædam affectio. Vt enim in ſenſuum ſedibus affectio gignitur cùm ſentiuntur, ita in anima cùm intelligit. Nam imaginem in ſe accipit eius rei quàm intelligit. Φανταστὸν ſubiectum illud ſenſui quod φαντασίαν genuit, vt aliquid album, & quidquid animam mouere poteſt. Φανταστικὸν inanem diſtractionem ſine eo quod ſit φανταστόν. Φάντασμα verò rem ipſam qua ad φανταστικὸν, id eſt, vanam diſtractionem attrahimur, vt in inſanis & melancholicis. Horū diſſenſio in ſola mutatione nominum conſiſtit. Inſtrumenta eius ſunt anteriores cerebri ventriculi, & qui in eis animæ ſpiritus continentur, quique ex eis nerui naſcuntur, animę ſpiritu madefacti & ſenſus ſedium ſtructura. Sunt autem ſenſus ſedes quinq;, ſenſus vnus, anima, quæ per ſenſuum ſedes affectiones quæ in eis exiſtunt, cognoſcit. Atque ea quidem ſede quæ præ cæteris terrena & corporea eſt, hic autem tactus eſt, terrenam naturam iudicat. Ea verò qua maximè eſt ſplendida, qui cernendi ſenſus eſt, ſplendida: vt aerea affectiones aeris (vocis enim ſubſtantia aer eſt, G aut aeris ictus,) ac ſpongioſa & aquea, quæ in guſtu eſt ſapores percipit. Comparatum enim natura eſt, vt quodque quod ſub ſenſum cadat, per aliquid quod ſit aptum ad naturam ſuam cognoſcatur. Oportebat igitur hac ratione, quoniam quatuor ſunt elementa, quatuor etiam eſſe ſenſus. Sed quoniam vapor & odorum genus in ede quadam natura ſunt inter aerem & aquam: (Aere enim craſſior, aqua tenuior, quod in grauedine planum fit. Nam qui eo morbo afficiuntur, ſpiritu quidem aerem ducunt, & tamen inducendo ſpiritu vaporem nō percipiunt, propter enim obſtructionem quod craſſius eſt, ad ſenſum nō peruenit.) Idcirco quintam ſedem odoratus natura machinata eſt, vt nihil eorum quæ cognoſci poſſunt, ſenſum effugiat. Eſt autem ſenſus non commutatio, ſed commutationis diiudicatio. Commutantur enim ſenſuum ſedes & ſenſus commutationem diiudicat. Vocantur tamen ſæpè ſenſus etiam ipſæ ſenſuum ſedes. Eſt autem ſenſus, perceptio eorum quæ ſub ſenſum cadunt. Sed hæc definitio non ipſius ſenſus, ſed munerum eius eſſe videtur. Quare ſic quoque ſenſum definiunt, Spiritum intelligens H à principatu animæ ad ſedem ſenſuum pertinens. Præterea hoc modo, Vis animæ, quæ ſenſui ſubiecta ſunt, percipiens. Senſuum autem ſedem, inſtrumentum perceptionis eorum quæ ſenſu cognoſcuntur. Plato verò, ſenſum, animæ & corporis ad externa ſocietatem definit. Nam vis quidem ipſa animæ eſt, inſtrumentum corporis: atque ambo hæc per phantaſiam res externas percipiunt. Animæ autem partium, aliæ ſunt famulæ & ſatellites, aliæ dominantur & imperant. Eæ enim partes in quibus ratio & ſciētia eſt, imperant. ſenſus & motus cum appetitu, itemque vocis mittendæ facultas ancillantur. Etenim motus & vox celerrime nulloque ferè interueniente tempore volun-

tati

Quid φανταστικὸν, φανταστὸν, φαντασία & φάντασμα.

Stoicorū ſententia.

Virtutis phantaſticæ inſtrumenta.

Senſus quid.

Animæ facultates diuerſæ.

A rati rationis obtemperant. Simul enim volumus & mouemur, neque tempus quod voluntati & motioni interponatur requirimus, vt in motu digitorum licet animaduertere. Atque etiam naturalia quædam imperio rationis patent, vt quæ perturbationes animæ dicuntur.

De Viſu.

CAPVT VII.

Hipparchi de viſu ſententia.

VIſus ambiguum nomen eſt, nam & inſtrumentum & vis ſentiendi viſus dicitur. Hipparchus ait radios qui ab oculis porrigantur, ſuiſque terminis velut manuum contrectationibus exteriora corpora attingant, eorũ perceptionem ad viſum referre. Geometræ verò conos quoſdam deſcribunt ex radiorum concurſu factos, qui ex oculis emittantur. Emittere enim dextrum oculum putant radios ad læuam, ſiniſtrum ad dextram, deinde ex eorum

B concurſione conum abſolui, vnde accidat vt multa quidem ſimul oculus cõplectatur, quę aſpectu ſentiri nõ poſſint, ſed exquiſitè ea cernat vbi radij concurrerint. Nam ſæpè hac de cauſa pauimentum intuentes non videmus nummum qui in eo iaceat, quamuis diu intentis oculis, donec radij ad eum locum, in quo iacet nummus, concurrerint, & tum demum eum aſpicimus, vt qui tum primum cœperimus attendere. Epicurei imagines earum rerum

Item Ariſtoteles.

quæ appareant, cenſent in oculos incurrere. Ariſtoteles non imaginem corpoream, ſed qualitatem per commutationem aeris, ab his quæ videntur vſque ad oculum

Platonis.

accedere. Plato verò per confuſionem ſplendorum res aſpici exiſtimat, vt id quidem lumen quod ex oculis proijcitur, aliquo vſque in aerem qui eiuſdem ſecum eſt generis, effluat, quod verò à corporibus manat contra feratur, ac quod in aere eſt qui interponitur facileque diffunditur & vertitur, ſimul cum oculorum igne extendatur.

Galeni.

Galenus cum Platone de viſione conſentit in ſeptimo de cõſenſu ſparſim ſic ferè ſcribens, Si enim ad oculum veniret pars quædam, aut vis, aut imago, aut qualitas corporum quæ cernuntur, non cognoſceremus magnitudinem eius quod videtur, vt montis, ſi ita caſus ferat, maximi: tantæ enim rei ſimulachrum incurrere in oculos noſtros prorſus

C à ratione alienum eſt. Enimuero neque ſpiritus viſionis tantum expreſſus habere poteſt, vt circum omnia quæ cernuntur fundatur. Relinquitur igitur aerem qui nos circumſtat tale inſtrumentum nobis eſſe, tum cùm videmus, quale in corpore neruus viſionis eſt. Videtur enim aeri qui nos ambit aliquid euenire huiuſmodi. Nam ſolis ſplendor attingens ſuperiorem extremitatem aeris per totum aerem vim ſuam tranſmittit, & ſplendor qui per neruos viſionis fertur, naturam habet ſpirabilem, & in aerem incidens eundemque primo impetu commutans longiſſimè tranat ſeipſe continens, donec in durum aliquod corpus incurrerit: eſt enim aer tale inſtrumentum oculo ad diiudicanda ea quæ videntur, quale cerebro neruus: vt quam habet rationem cerebrum ad neruum, eandem habeat oculus ad aerem ſplendore ſolis animatum. Eſſe autem aerem hac natura vt aſſimiletur corporibus quæ ſibi admoueantur, ex eo conſtat, quod ſi in lumine aliquid ſplendidum, vel fuluum, vel cæruleum, vel argenteum per aerem feratur ab eo quod fertur aer commutetur. Porphyrius in libro de ſenſu, neque conum, neque ſimu-

D lachrum, neque aliud quicquã, viſionis cauſam eſſe vult, ſed animam ipſam, cùm incidit in ea quæ cernuntur, agnoſcere ſeipſam, eſſe ea quæ aſpectu ſentiantur, quòd anima contineat omnia quæ ſint, omniaque quæ ſint, nihil ſint aliud, quàm anima, corpora diuerſa continens. Nam cùm velit vnam eſſe omnium animam, eam quæ rationis eſt compotis, meritò dicit in omnibus quæ ſunt, ſeipſam cognoſcere. Cernit autem hic ſenſus per lineas rectas, & cum primario loco colores percipit, cùm cum his etiã corpus coloratum diiudicat, & eius magnitudinem & figuram & locum in quo eſt & interuallum & numerum & motum & ſtatum & aſperum & leue & æquabile & inæquabile &

E acutum & obtuſum & cohærentiam ſiue ad aquæ ſiue ad terræ naturam accedat, vt humidum ne ſit an ſiccum. Itaque quodque propriè aſpectu ſentitur, color eſt. Nam ſola viſione colores percipimus, atq; confeſtim cum colore coloratum corpus & locum in quo eſt quod cernitur, & interuallum quod inter id quod cernit, & id quod cernitur, interijcitur. Quotquot enim ſenſibus corpus percipitur, iiſdem ſtatim etiam locus ſimul cognoſcitur, vt in tactu & guſtatu euenit. Sed hi quidem, tum ſolum ſentiunt cùm admoti fuerint corpori, exceptis ijs quæ poſt explicabuntur. Viſio verò etiam magno interuallo interiecto. Quoniam autem procul cernit ſubiecta propria, neceſſario conſecutum eſt vt etiam ſola interuallum videat. Magnitudinem verò tum ſola percipit, cùm poteſt id quod cernitur vno obtutu comprehẽdere. Quæ verò maiora ſunt quàm vt vno aſpectu comprehendi poſſint, in his viſio & memoriam requirit, & cogitationem. Cùm enim ea particulatim neque tota vna cernat inuitu, neceſſario ab vno tranſit ad alterum, & vt quidque in

F ea tranſitione in ſenſum incidit, ita ſenſu percipitur. Quæ verò prius percepta ſunt, memoria conſeruat, & cogitatio vtrumque cogit, & quod ſenſu & quod memoria perceptum eſt. Quare magnitudine dupliciter percipit aliquando ſola, aliquando adiuncta memoria, & cogitatione. Numerum autem eorum quæ cernuntur ſi plus tribus eſt aut quatuor qui vno aſpectu non cernitur, motus etiam & figuras multorũ angulorũ nunquã ſola, ſed cũ memoria & cogitatione ſentit. Non enim poteſt & quinq; & ſex & ſeptem & his amplius ſine memoria cogere, vt neque hexagona & octagona, & figuras multorum angulorum. Motus etiam cùm fiat per tranſitionem, aliud habet primum, aliud ſecundum. Vbi autem primum & ſecundum & tertium, id memoria ſola conſeruat. Surſum autem & deorſum, æquabile & inæquabile, item aſperum, & læue, acutum & obtuſum, tactus & viſus communia ſunt, quandoquidem hi ſoli ſenſus locum diiudicant. Cogitatione tamen etiam opus habent, quoniam illud ſolum, quod vno impetu in ſenſum incurrit, ſolius ſenſus opus eſt. Quæ vero non vno, non ſolius ſenſus, ſed etiam memoriæ adiuncta cogitatione, vt ſupra oſtenſum eſt. Tranſlucidarum autem rerum etiam vſque ad fundum natura ſua viſio protenditur, primum quidem & maximè aeris: totum enim penetrat, ſecundo aquæ ſtantis & limpidæ, ſiquidem piſces natantes videmus (per vitrum vero & id genus alia minus cernimus) ſi modo illa lumine illuſtrata ſint, &

H hoc huius ſenſus eſt proprium. Sed videndum eſt ne quis in errorem inducatur, quod etiam calidorum perceptionem ad viſum pertinere exiſtimet, quoniam ignem cum aſpicimus, ſtatim etiam calidum eſſe ſcimus. Nam ſi ad primam viſionem rationem retuleris, inuenies tum cum primum viſio ignem ſenſit, ſolum colorem & figuram percepiſſe, deinde accedente tangendi ſenſu calidum eſſe cognouimus, quod memoria à tactu acceptum conſeruauit. Quare nunc cum ignem aſpicimus nihil præter figuram & colorem ignis cernimus. At cogitatio vna cum ijs quæ aſpectus cognoſcit per memoriam etiam calorem apprehendit. Eadem ratio in pomo eſt, ſi enim non ſolum colore & figura pomum formatur, ſed etiam odore & ſaporis genere, non quo hæc quoque viſio percipiat, pomum eſſe nouit, ſed animus odoratus & guſtatus memoriam retinet, & ſimul atque aſpexerit etiam iſtorum cum figura, & colore informatam cogitationem habet. Itaque cum pomum cereum, verum eſſe pomum putauerimus, non viſio eſt quæ fallitur, ſed cogitatio. Nam viſio in ſuis &

H

Senſus inter ſe differunt. & in obiectis ſuis aliquando falluntur.

proprijs ſubiectis falſa non eſt, colorem enim & figuram aſpexit. Tres igitur ſenſus viſus, auditus, odoratus, res externas neque admotas ſibi percipiunt aere interiecto. Guſtatus vero non aliter ſentit, quàm ſi ad ſubiectum quod percipiendum eſt, admoueatur. Tactus vero vtramque vim habet: Nam & admotus corporibus & aliquando intercedente baculo, ſuo munere fungitur. Quocirca interdum aſpectus cæterorum ſenſuum teſtimonio indiget, cum id quod cernitur artificio ad fallendum factum fuerit, vt in pictura; nam pingendi artis opus eſt, fallere aſpectum, non veris eminentiis & lacunis, ſi

A res eiuſmodi naturæ eſt, vbi opus ſit maximè quidem tactum aſciſcere: interdum tamen etiam guſtatum aut odoratum, vt in pomo cereo. Aliquando tamen per ſe, & ſua vi quæ appareant euidenter oſtendit, cùm quidem non magno interuallo cōſpexerit. Nam turrem quadratam ſi magnum ſpatium interponatur, rotundam aſpicit. Labitur etiam quando per caliginem, aut fumum cernimus, aut aliquid ſimile quod aſpectum perturbet. Item cùm per aquam quæ agitatur; nam in mari remum quaſi infractum videt. Similiter etiam cùm per aliquam materiam perlucentem aſpicimus, vt in ſpeculo & vitro & reliquis eiuſmodi, aut cùm celeriter mouetur quod aſpicitur. Conturbat enim viſum celer motus, vt rotunda videat quæ non ſunt rotunda, & quaſi fixa quæ moueantur, aut cùm cogitatio aliud agit, vt in eo qui conſtituerit amicum conuenire, & cùm in eum inciderit, præterit quod eius cogitatio in alijs occupata ſit. At ne hoc quidem viſionis peccatum eſt, ſed cogitationis. Nam ſenſus quidem vidit & ad cogitationem detulit, ſed illa ad ea quæ deferebantur non attendit. Quatuor autem maximè viſioni ad res euidenter cognoſcendas opus ſunt, integrum inſtrumentum, motus congruens, & interuallum, aer purus, & illuminatus. B

De Tactu.

CAPVT VIII.

Senſus omnes alii à tactu ſunt gemini.

QVodlibet cæterorum inſtrumentorum Deus duplex fabricatus eſt, & loco aliquo parteque corporis circumſcripſit. Etenim oculos duos, & aures duas, & duo foramina eius ſenſus qui in naribus locatus eſt affinxit, linguas etiam duas in omnibus animalibus genuit, ſed alias diuiſas vt in ſerpentibus, alias copulatas & coniunctas, vt in hominibus. Quocirca duos tantum ventriculos anteriores cerebri fecit, vt ex vtroque ventriculo nerui ſentiendi demiſſi duplicia procreent inſtrumenta. Cauſa autem cur duplicia inſtrumenta fecerit, eſt eximia procuratio animantium, vt ſi alterum læſum fuerit, reliquum ſenſum tueatur. Sed vt plurima cæterorum inſtrumentorum corrumpantur, nihil animantis vita offenditur, tactu vero intereunte, ſimul etiam extinguitur animal. Solus enim tactus inter ſenſus communis eſt omnium animalium.

Tactus communis eſt ſenſus.

C Omne enim animal tangendi ſenſum habet, cæteros ſenſus non omnia, ſed aliquos aliqua. Omnes habent quæ perfectiora ſunt. Itaque quoniam hic ſenſus eſſetne animal an non eſſet, diudicaturus erat, non vnam partem Deus tactui tribuit, ſed totum penè corpus animalis. Nam præter oſſa & cornua & vngues, ligamenta & pilos, & alia quædam eiuſmodi, omnis pars corporis tangendi ſenſu prædita eſt. Euenit igitur vt vnumquodque inſtrumentum duplicem ſenſum habeat, vnum eorum quæ propriè percipit, alterum tactus. Nam viſus, verbi cauſa, colores internoſcit, & frigida calidaq; percipit, ſed hæc quidem vt corpus, illos vt viſus. Idem de guſtu & olfactu, & auditu iudicandum eſt. Quomodo igitur totius corporis tactus eſt, ſi ex interioribus cerebri ventriculis, ſenſus manare dicimus? An perſpicuum eſt neruis è cerebro demiſſis & in omnem partem corporis fuſis tangendi ſenſum exiſtere? Sed quoniam ſæpè ſi ſpina pedem offendimus, ſtatim capilli horrent, putarunt nonnulli dolorem, vel ſenſum doloris ad cerebrum mitti, & ad hunc modum ſentire animal. D Verùm ſi hæc ratio vera eſſet, non dolore afficeretur ea pars quæ ſecatur, ſed cerebrum. Quare rectius eſt dicere neruum illum eſſe cerebrum. Nam cerebri aliqua pars eſt in ſe toto animæ ſpiritum continens, vt ferrum candens ignem. Hanc ob cauſam cui parti neruus ſentiens ingenitus fuerit, ea pars ab eo ſenſus particeps, ſentienſque redditur. Neque tamen abſurdum fortè ſit dicere, in originem neruorum cerebrum non dolorem, ſed perceptionis ſocietatem quandam, & doloris denunciationem mitti.

Tactus & viſus obiecta communia.

Propriè autem ſub tactum ſubiecta ſunt calidum, & frigidum, molle, & durum, viſcoſum & aridum, graue & leue: ſolo enim tactu hæc cognoſcuntur. Communia tactus, & ſenſus oculorum acutum, & obtuſum, aſperum, & læne, ſiccum E & humidum, craſſum, & ſubtile, ſurſum & deorſum, (quandoquidem & locus) item magnitudo cum fuerit eiuſmodi, vt vno impetu tactus comprehendatur, ſpiſſum, & rarum, & rotundum, cum exiguum fuerit, quemadmodum aliæ figuræ quædam. Motum item accedentis corporis percipit adiuncta memoria & cogitatione. Numerum quoque, ſed vſque ad duo, aut tria, eaque exigua, & quæ facile comprehendantur. Sed hæc aſpectus magis, quàm tactus percipit, vt etiam æquabile & inæquabile. Sunt enim de lænium & aſperorum genere. Nam ad duritiem admixta non æquabilitas aſperitatem, æquabilitas iuncta ad ſpiſſitudinem lænitatem gignit. Quare ex his quæ diximus, magnam eſſe horum ſenſuum inter ſe communitatem, facile perſpicitur. Nam alterius errorem alter indicat. In pictura enim oculi quidem eminentias quaſdam cernunt, narium & cæterorum. At accedens tangendi vis, eius errorem coarguit. Atque vt aſpectus, omnia ſemper aere interiecto intuetur, ita tactus per baculum & dura & mollia & humida ſentit, etſi ratiocinationem & cogitationem adhibet. F Hunc enim ſenſum homo habet acerrimum: Nam tactu & guſtu reliqua vincit animalia, cæteris ſenſibus vincitur. Cum enim aliud animal alio ſenſu de tribus hominem ſuperet, canis tribus pariter excellit: Nam & audit acutius, & videt & odorat: quod ij canes oſtendunt, quos ad inueſtigandas feras adhibemus. Quanquàm autem vniuerſum corpus tactus eſt inſtrumentum, vt ſuprà eſt declaratum, maximè tamen interiores manus & harum in primis ſummi digiti. Hos enim vt indices habemus tactus certiſſimos, nam non modo ad comprehendendum idoneum inſtrumentum à Deo manus effectæ ſunt, ſed etiam ad tangendum. Quam etiam ob cauſam cute tenuiores ſunt, & muſculi vniuerſæ palmæ ſubſtrati ſunt & pilis carent, vt magis quæ tangi poſſunt percipiant. Cur autem pilos ex ſeſe non efferant, muſculus ſubſtratus cauſa eſt. Manus autem quæ duriores ſunt, ad capiendum valentiores ſunt, quæ molliores, ad tactionem certiores. Quomodo etiam nerui, qui duri ſunt ad motum; qui molles ad ſenſum ſunt aptiores. Nerui enim tactus quoq; inſtrumenta ſunt, cum per eos tangendo ſentimus.

De Guſtatu.

CAPVT IX. G

VIſum quidem ſuprà diximus ad rectas ſentire lineas: Odoratus autem & auditus non ſolum ad rectam lineam, ſed vndique tactus & guſtatus, neque rectis lineis, neq; vndique cognoſcunt, ſed tum ſolum, cum proximè ad ea quæ ſibi ſubiecta ſunt acceſſerint, exceptis his quæ iam explicata ſunt. Eſt autem guſtatus, ſenſus qui ſapores percipit.

Guſt. inſtrumenta, & obiecta.

Inſtrumenta eius lingua, eaque maximè ſumma, præterea palatum. In quibus nerui, qui è cerebro deferuntur diffuſi perceptionem ſuam ad principem animæ partem referunt. Succi autem ij qui ſub guſtatum, ſubiectæ qualitates vocantur, ſunt hi dulcedo, acor, acrimonia, acerbitas, auſteritas, amarities, ſalſedo, pinguedo. Hæc enim guſtus dijudicat. His qualitatibus aqua carere dicitur, quod nullam harum qualitatum in guſtando referat. Nam ſi cæteras ſpectes, vt frigus & humorem, inſitam habet aqua qualitatem. Acerbitas autem, & auſteritas, inter ſe differunt, quod altera magis, altera minus conſtringat. H Simplices igitur qualitates quas guſtus percipiat, hæ fere ſolæ ſunt. Compoſitæ infinitæ. Nam cuique animalium, ac ſtirpium generi, propriæ qualitates ſunt. Aliam enim, ſi ita caſus ferat, porcorum, aliam caprarum qualitatem percipimus, Quare cum ignorauerimus quod genus carnium ſit, quod affertur, guſtando iudicamus: quod non eueniret, niſi diuerſa eſſet cuiuſq; rei, quæ ſub guſtum cadat, qualitas. Proinde generatim eas nemo complecti queat, cum ſint infinitæ, & inter ſe omnino differentes. Nam vel in ijs in quibus vna quæpiam ſimplicium qualitatum dominatur, ſapores ſpecie differre notum eſt. Nam in ficubus aridis & vuis paſſis & palmula, vna dominatur qualitas, dulcedo, & tamen guſtus in his ſpecie ſapores diſcrepantes cognoſcit.

A

De auditu.

CAPVT X.

Auditus obiecta, & inſtrumenta.

AVditus voces ſentit, & ſonos, eorumque acumen, & grauitatem, & lænitatem, & aſperitatem, magnitudinemque iudicat. Inſtrumenta huius quoque ſenſus, molles ſunt nerui è cerebro ducti, & aurium ſtructura, maximeque quod in ijs cartilaginoſum eſt. Nam ad ſonos & ſtrepitus apta cartilago eſt. Solus homo & ſimia aures non mouent, cùm cætera omnia, quæ aures habeant, animalia, eas moueant.

De odoratu.

CAPVT XI.

Odoratus organa & obiecta.

B

ODoratus fit ille quidem per nares, ſed ad terminos anteriorum ventriculorum cerebri perficitur. Hi enim cum vaporum naturam in primis referant, facilè vapores percipiunt. Dictum eſt enim ſupra, quodque inſtrumentum per naturæ coniunctionem ea percipere, quę propriè ſibi ſubiecta ſint. Verum tamen non vt cæteris inſtrumentis, ita odoratu ſentiendi neruum cerebrum demiſit, ſed ipſum ſuis terminis vſum neruorum explet, vaporeſque qui afflantur, accipit. Eſt autem odorum latiſſimè patens differentia ſuauis odor & teter, & qui inter hos medius interijcitur, qui neque ſuauis neque teter eſt. Gignitur autem ſuauis odor cùm humores qui ſunt in corpore exquiſitè, medius cum mediocriter; teter, cùm parum, aut nullo modo concocti ſunt.

De cogitatione.

CAPVT XII.

EIus partis quam phantaſticam diximus cùm facultatem, tum inſtrumenta, tum parteis, tum partium coniunctionem & differentiam, vt potuimus breuiter ſatis explicauimus. Illius autem partis in qua cogitatio eſt generatim iudicia ſunt, & aſſenſus, & declinatio, & appetitio. Speciatim rerum intelligentia, virtutes, ſcientiæ, artium rationes, deliberandi vis, electio. Atque hæc pars

C

eſt quæ per ſomnia vaticinatur nobis futura, quam ſolam Pythagorici, Hebræos ſecuti, veram diuinationem eſſe volunt. Inſtrumentum eius eſt medius ventriculus cerebri, animæque ſpiritus, qui in eo clauditur.

De memoria.

CAPVT XIII.

Origenis ſententia de memoria.

EA vis qua meminimus, memoriæ, & recordationis cauſa eſt, & penu. Memoria eſt, vt Origenes ait, phantaſia intus relicta, ab aliquo ſenſu qui actu ſit, vt Plato verò definiebat, ſenſus, & intelligentiæ notionis conſeruatio. Animus enim, quæ ſub ſenſus cadunt, per ſentiendi inſtrumenta percipit, opinioq; naſcitur. Quæ verò ſub intelligentiã, intelligẽtia, gigniturq; intelligentiæ notio. Cũ igitur imagines & eorum quæ opinatus eſt, & quæ intelligentia comprehendit, conſeruat, meminiſſe dicitur; Quo loco Plato non eam intelligentiæ notionem quæ verè di-

H

citur, videtur accipere, ſed cogitationem. Nam quæ ſub ſenſum ſubiecta ſunt, per ſe memoria tenentur, quæ intelligentia cernuntur, ex accidenti: quandoquidem eorum quæ cogitamus ex antegreſſa phantaſia memoria eſt. Quæ verò propriè intelligentia intuemur, quoniam didicimus, aut audiuimus, meminimus, ſubſtantiæ vero eorum memoria nulla eſt. Non enim ex antegreſſa phantaſia, quæ intelligentia cernimus, percipimus, ſed ex diſciplina aut naturali notione. Quod ſi meminiſſe dicimur quæ priùs vidimus, aut audiuimus, aut alio quouis modo cognouimus, prius autem ad tempus præteritum refer-

E

tur, dubium non eſt, quin ſub memoriam cadant ea, quæ fiunt, quæ pereunt, quorum in tempore cohærentia eſt, & quamquàm abſentium memoria eſt, non etiam ab abſentibus commouetur. Recordatio dicitur cùm obliuio memoriam interrupetit. Eſt enim recordatio memoriæ quæ euanuerit recuperatio. Euaneſcit autem per obliuionem. Obliuio porrò memoriæ amiſſio eſt. Sed alia eſt perpetua, alia ad tempus, quo de genere eſt recordatio. Alia autem eſt recordatio, quæ non eſt obliuio eorum quæ ſenſu & intelligentia percepta ſunt, ſed naturalium notionum. Naturales notiones appellamus, quæ ſine doctrina omnibus adſunt, vt verbi cauſa, eſſe Deum. Hanc Plato recordationem eſſe dicit idearum. Quid autem idea ſit, poſtea dicemus. Phantaſtica igitur vis, tradit cogitationi ea quæ ſenſibus conſpiciuntur. Cogitatio cùm accepit & iudicauit, mittit ad memoriam. Huius inſtrumentum eſt poſtremus cerebri ventriculus quem & παρεγκεφαλίδα & παρεγκρανίδα vocant, & qui in eo animæ ſpiritus cõprehenditur. Sed quoniã ſenſuũ principia & radices dicimus eſſe anteriores cerebri ventriculos, cogitationis medium, memoriæ poſtremum, confirmanda

Recordatio.

Obliuio.

F

hæc ratione ſunt, ne temerè ijs quæ dicuntur, credere videamur. Eſt autem huius rei argumentum certiſſimum, quod ex vſu & munere partium ducitur. Nam anterioribus ventriculis quoquo modo læſis ſenſus offenduntur, cùm cogitandi vis adhuc maneat incolumis. Solus verò medius ventriculus ſi lædatur, cogitandi facultas labefactatur, at ſenſuum ſedes manent, ſenſumque à natura datum tuentur. Quòd ſi anteriores, mediuſque ventriculus lædantur, ratiocinatio vnà cum ſenſibus corrumpitur. At verò ſi poſtremus ventriculus offendatur, ſola interit memoria, ſenſui & cogitationi nihil nocetur. Quod ſi & anteriori, & medio, & poſtremo ventriculo aliquid accidat, præterquam quod totum animal in vitæ diſcrimen adducant, ſenſum pariter & cogitationem, & memoriam delent. Quod cum alijs multis affectionibus & morborum incurſibus, tum in primis inſania febricitantium oſtenditur. Nam aliqui eorum qui eo morbo laborant, ſola cogitatione læſa, ſenſus conſeruant: qualem deſcribit Galenus quendam, qui cum apud eum lanificium exerceret, arreptis vaſis vitreis ad feneſtram ſe proripiens, quærebat de prætereuntibus, quodque vas nomine compellans, an præcipitari vellent. Cum ij qui aſtabant velle ſe reſpondiſſent, primum proiecit ſingula vaſa: deinde percunctabatur, an etiam lanificum demitti vellent. Illi quod arbitrarentur rem eſſe ridiculam, & iocularem, cum ſe velle dixiſſent, hominem corripuit, & præcipitem dedit. Hic ſenſibus erat integris, ſciebat enim & illi eſſe vaſa, & hunc lanificum, ſed ratio ſana non erat. Aliorum vana phantaſia eſt, putantium ſe videre quæ non vident, cum cætera rectè & ratione dijudicent. Horum anteriores tantum ventriculi læſi ſunt, medius ſaluus eſt. Per affectiones autem, quæ membrum quodque inſequuntur, eius munera impediuntur. Nam ne eo munere fungatur, impeditur animal, ad quod obeundum natura parata eſt, ea pars quæ affecta aut offenſa eſt, quemadmodum pede offenſo ne ambulemus, impedimur. Hoc enim pedis officium eſt.

Galeni de lanifico narratio.

G

De ratione & oratione.

CAPVT XIV.

H

Animæ rationalis facultates præcipuę.

HÆc ergo vna diuiſio eſt facultatum animæ, cum qua partes quædam corporis diuiduntur. Alia diuiſio, alioque modo, partis animæ rationis compotis, eſt in rationem & orationem. Eſt autem ratio animi agitatio, quæ fit in parte animæ quæ ratiocinatur ſine vlla elocutione. Vnde ſæpe etiam tacentes totam rationẽ cum animis noſtris percurrimus, & in ſomnijs diſputamus, & per hanc maximè (non enim æquè per orationem) ratione præditi, eſſe omnes dicimur. Nam & qui ſurdi nati ſunt, & qui caſu, aut morbo aliquo vocem amiſerunt,

A

runt, nihilominus ratione vtuntur. Orationis munus, in voce & ſermone perſpicitur. Inſtrumenta autem vocis multa ſunt, nam & muſculi qui intus ſunt in medijs lateribus, & thorax, & pulmo, & aſpera arteria, & larynx, & horum maximè quod cartilaginoſum eſt, & nerui recurrentes, & lingula, & omnes muſculi qui has parteis mouent, emittendæ vocis ſunt inſtrumenta. Sermonis autem os, in hoc enim fingitur & figuratur, & velut conformatur ſermo: lingua, & gurgulione, plectri locum obtinentibus, palato caui illius quod ſonum refert, dentibus & cuiuſdammodi oris hiatu, vt in lyra chordarum vſum explentibus: conferente etiam aliquid naſo, vt vox ſonora ſit ſeu egregia, vt in canentibus apparet.

Alia diuiſio animæ.

CAPVT XV.

B

DIuidunt aliter in vires, aut ſpecies, aut partes animam, in eam quæ ad ſtirpes pertinet, quæ & altrix & patibilis vocatur, in ſentientem, & rationis compotem. Inſtrumenta autem cuiuſque partim explicata ſunt, partim infrà dicentur. Zeno Stoicus octonarum partium animam eſſe cenſet, partiens eam in principem facultatē, quinque ſenſus & vocis mittendæ, procreandique vim. Panætus philoſophus edendæ vocis facultatem, motionis eius quo per ſe animalia cientur, partem eſſe vult, & quidem rectiſſimè. Procreatricem verò non animæ partem, ſed naturæ. Ariſtoteles in Phyſicis quidem quinque eſſe dicit partes animæ, eam quæ ad ſtirpes pertineat, ſentiens, loco mouentem, appetentem, & ratiocinantem. Eam quæ ad ſtirpes pertineat, intelligens quæ alit, auget, generat, fingit, formatque corpora, quam eandem altricem quoque vocat, totum præſtantiſſimæ partis nomine, eius nempe, quæ alit, appellans, à qua cæteræ partes quas modò enumerauimus, pendent. Atque ita quidem in Phyſicis. In Ethicis verò in duo prima & ſumma genera animum diſtribuit, in rationis participem, & expertem. Rurſus rationis participem diuidit in eam quæ rationi obtemperat, & quæ rationi non obtemperat. De participe rationis ſuprà dictum eſt, de experte nunc diſſeremus.

Zenonis de animæ facultatum diuiſione ſententia.

C

De parte animæ rationis experte, quæ & patibilis & appetitio vocatur.

CAPVT XVI.

NOn deſunt qui per ſe eſſe dicant, quod ratione caret, vtpotè cùm anima reperiatur quæ rationis ſit expers, neque pars animæ rationis participis. Primum quidem, quoniam per ſe in beſtijs inuenitur, ex quo intelligitur perfectam quandam eſſe animam, nec partem alterius. Deinde, quoniam abſurdiſſimum eſt rationis partem eſſe, quod rationis eſt expers. Ariſtoteles verò & partem eſſe dicit, & facultatem, & diuidit in parteis duas, vt diximus, quæ communi nomine appetitus nominantur, ad quem pertinet etiam motus, quo per ſe animalia ſequendi aliquid, vel vitandi gratia incitantur. Appetitus enim eſt motus principium. Nam ſimul vt appetierint animalia, per ſe ad motum, perſequendi cauſa, feruntur. Ratione carentis animæ partis, aliud non paret rationi, aliud paret. Rurſus quod rationi paret, diuiditur bipartitò, in iram, & cupiditatem. Inſtrumentum autem cupiditatis, quæ ex ſenſu naſcitur, iecur eſt, iræ, cor, pars dura & vehementioris notionis capax ad grauia negotia, & difficilia, & ad contentum impetum deſtinata, quemadmodum contrà iecur pars mollior, mollis cupiditatis inſtrumentum eſt factum. Dicuntur autem hæc rationi obedire, quoniam nata ſunt vt pareant, & ad nutum rationis moueantur in ijs quidem hominibus qui conuenienter naturæ viuunt. Atque hi affectus ani-

Appetitus quid.

D

E

malis ſubſtantiam conſtituunt, quando ſine his exiſtere vita poteſt. Quoniam autem affectus nomen homonymum eſt, diſtinguenda priùs eſt eius homonymia. Dicitur enim affectio, tum corporea, vt morbi, & vulnera, tum animi, de qua in præſentia loquimur, cupiditas & ira. Communiter autem, & generatim animalis affectio eſt, quam voluptas aut dolor inſequitur. Nam affectionem dolor inſequitur, non affectio dolor eſt. Si enim ita eſſet, quidquid afficeretur, doleret, nunc verò quæ ſenſu carent, afficiuntur illa quidem, non tamen dolent, non ergo affectio dolor eſt, ſed affectionis ſenſus, quam tamen alicuius eſſe momenti oportet, vt ſenſu percipiatur. Animi affectionum definitio, hæc eſt: Affectio eſt motus appetendi facultatis ſub ſenſum cadens, ob boni vel mali phantaſiam. Et aliter ſic; Affectio eſt motus animæ rationis expers, ob opinionem boni vel mali. At vniuersè affectionis hanc definitionem tradunt. Affectio eſt motus ex alio in alio. Muneris functio, eſt motus efficax. Efficax autem dicitur, quod ex ſe mouetur. Itaque hoc modo ira muneris functio eſt iraſcendi facultatis, affectio autem vtriuſque animæ partis, & hoc amplius corporis noſtri totius, cùm per iram violenter rapitur ad agendum. Ex alio enim in alio motus eſt factus, quam affectionem eſſe dicebamus. Alio modo muneris functio affectio dicitur, cùm fuerit præter naturam. Nam muneris functio, ſecundum naturam motus eſt, affectio verò præter naturam. Quare hac ratione muneris functio affectio dicitur, cum non ſecundùm naturam mouetur, ſiue à ſeipſo, ſiue ab alio moueatur. Nam cordis motus ſi pulſus eſt moderatus, muneris eſt functio, ſi validior agitatio, affectio. Nam à corde eſt validior agitatio, ſed præter naturam, ab eodem pulſus moderatus, ſed ſecundum naturam. Nihil igitur miri vnam & eandem rem, & affectionem & muneris functionem nominari. Nam quà motus ſunt, à patibili animæ parte profecti muneris quædam functiones ſunt, quà verò immoderati, & præter naturam non muneris functiones, ſed affectiones ſunt. Motus igitur partis animæ rationis expertis, ſecundum vtramque verbi notionem affectio eſt, non omnis tamen motus patibilis partis affectio dicitur. Sed qui vehementior eſt, & ad ſenſum peruenit; nam exigui motus, & ſenſum effugientes affectiones non ſunt. Debet enim affectioni ineſſe magnitudo, quæ alicuius momenti ſit. Quocirca definitioni affectionis appoſitum eſt, motus ſub ſenſum cadens; nam exigui motus, vt iam dixi, quos ſenſus non percipit, affectionem non gignunt.

Affectionis nomen homonymū eſt.

F

G

De cupiditate.

CAPVT XVII.

DIuiditur pars animæ rationis expers, vt diximus, quæ rationi obtemperat, in duas partes, cupiditatem, & iram. Rurſus cupiditas, bipartitò diſtribuitur, in voluptates & dolores. Nam cupiditas dum quod vult aſſequitur, voluptatem efficit: contrà dum non aſſequitur, dolorem. Alio modo diuiſa cupiditas, quatuor omnino ſpecies facit. Nam in rebus, alia ſunt bona, alia ſunt mala, & alia iam adſunt, alia expectantur. His generibus conſtitutis, ſi duo per reliqua duo multiplicentur, in quatuor partes cupiditas diuiditur. Eſt enim bonum, & malum, item præſens & expectatum; expectatum enim bonum libido eſt, iam verò præſens voluptas; rurſus malum expectatum metus eſt, præſens ægritudo. In bonis enim voluptas, & libido verſantur, in malis metus & ægritudo. Quæ ratio nonnullos mouit, vt affectionem in quatuor parteis tribuerent, libidinem, voluptatem, metum, & ægritudinem. Bona autem & mala dicimus, aut quæ verè ſunt, aut quæ exiſtimantur.

Cupiditatis diuiſio, & obiecta.

H

Inna-

A Innaſcuntur autem malæ affectiones in animo per tria hæc, malam inſtitutionem, inſcitiam, prauum corporis habitum. Si enim non rectè à pueris inſtituti fuerimus, vt regere affectiones poſſimus, in earum immoderationem incurrimus. Per ignorantiam autem, peruerſa iudicia in ratiocinanti animi parte gignuntur, vt opinio ſit quæ mala ſunt, eſſe bona, & quæ bona, mala. Aliquæ etiam ex prauo habitu corporis comparantur. Siquidem in quibus amaræ bilis magna copia eſt, iracundi ſunt, & quorum calida humidaque temperatio eſt, ad obſcœnas voluptates propenſi. Verùm praua conſuetudo, bona conſuetudine tollenda eſt; ignoratio, doctrina, atque ſcientia. Ad prauum autem habitum, corporalia remedia adhibēda ſunt, vt eum quoad fieri poteſt, ad mediam temperationem, idoneo victu & exercitationibus, denique medicamentis, ſi etiam his opus erit, transferamus.

De voluptatibus.

CAPVT XVIII.

B *Voluptates ſunt diuerſæ.* VOluptatum quædam ſunt animi, quædam corporis. Animi ſunt, quæ per ſe ſunt animi, vt quæ ex doctrina, & cognitione rerum capiuntur. Hæ enim & id genus aliæ, ſolius ſunt animi. Corporeæ autem ſunt, quæ in cōmunitate corporis, & animi verſantur, ideoque corporeæ vocatæ ſunt, vt quæ è cibo & complexu Venereo proficiſcuntur. Solius porrò corporis nullæ voluptates ſunt propriæ, ſed affectiones, vt ſectiones, fluxiones, & qualitates temperationi congruentes. Omnis enim voluptas cum ſenſu eſt. Senſum autem animi eſſe oſtendimus. Eſſe autem ancipitem, & multiplicem ſignificationem vocabuli voluptatis, perſpicuum eſt. Sub alio enim, atque alio genere eſt, vt honeſtæ & improbæ voluptates. Aliæ etiam vanæ, aliæ veræ ſunt voluptates. At illæ quidem quæ in cogitatione ponuntur, ad ſcientiam ſunt, quæ cum corpore percipiuntur ad ſenſum. Et harum quæ ad ſenſum ſunt, aliæ naturales ſunt, aliæ non naturales. Præterea voluptati quæ in bibendo eſt, ægritudo quæ in ſitiendo eſt, opponitur. At illi quæ in rerum contemplatione eſt poſita, nihil opponitur. Quæ omnia verbi voluptatis ambiguitatem oſtendunt.

C Voluptatum autem corporis quædam ſunt neceſſariæ, & naturales, ſine quibus vita conſtare nō poteſt, vt alimenta, quæ quod corpori deeſt explent, veſtituſque neceſſarius. Aliæ naturales quidem, non tamen neceſſariæ, vt ſecundum naturam, & legem concubitus. Hæ enim conferunt ad permanentiam vniuerſi generis: Fieri autem poteſt, vt ſine eis in virginitate vitam tranſigamus. Aliæ neque neceſſariæ, neque naturales, vt ebrietas, & libidinoſa petulantia, & immoderato cibo, potuq; corporis expletio. Hæc enim tantum abeſt vt ad propagationē generis nobis conducant, quod legitimus facit cōcubitus, aut ad vitæ cohærentiam, vt etiam vehementer noceant. Quare qui conuenienter Deo viuit, huic ſolæ neceſſariæ ſimul, & naturales voluptates perſequendæ ſunt. Illi verò qui ab hoc in ſecunda eſt virtutum claſſe locatus, cum hæ, tum illæ etiam, quæ nō neceſſariæ quidem illæ ſunt, ſed tamē naturales aſſumendæ ſunt, ſic vt modus & ratio, & tempus, & locus idoneus ſeruetur. Reliquæ omnino fugiendæ ſunt.

Voluptates honeſtę quales ſint. Simpliciter autem illæ honeſtæ eſſe voluptates putandæ ſunt, quæ non ſunt implicatæ dolori, neque pœnitendi cauſam afferunt, neque alio vllo detri-

D mento afficiunt eos, qui perfruuntur, neque vltra modum progrediuntur, neque nos multum à grauioribus negotijs abſtrahunt, aut ſibi ſeruire cogunt. Propriæ voluptates ſunt, quæ inſunt quodammodo, aut annexæ ſunt cognitioni diuini numinis, & ſcientijs, & virtutibus. Hæc in ijs ducere debemus, quæ primario loco ſunt expetenda, quæ non vt ſimus ſimpliciter, neque vt genus perduret, ſed vt benè nobis ſit, & vt boni Deoque grati ſimus, vim habent, & ad perficiendum hominis animum & intelligentiam conferunt. Nam neque affectionibus medentur, vt quæ naturæ deſideria ſarciant, neque omnino ægritudinem aut antegreſſam, aut inſequentem, aut contrariam habent, ſed puræ ſunt & ab omni concretione materiæ liberæ. propterea quòd in ſolo animo ponuntur.

E Etenim vt Platonis ſententia eſt, voluptatum partim ſunt falſæ, partim veræ. *Veræ & falſæ voluptates.* Falſæ, quæ cum ſenſu & opinione non veræ ſunt, & dolores habent implicatos. Veræ, quæ ſolius ſunt animi ipſius per ſe, cum ſcientia & mente & prudentia, liquidæ & ab omni dolore ſeiunctæ, quæque nullam pœnitendi cauſam relinquunt. Has voluptates quæ ex contemplatione rerum & honeſtis actionibus manant, non communi nomine [illegible] ſed [illegible] appellant, etſi vtrumque à patiendo nomen dictum eſt. Nonnulli autem ſunt qui propriè eiuſmodi voluptatem gaudium nuncupant. Definiunt autem voluptatem, ortum in naturam qui ſenſum moueat. Verum hæc definitio corporeæ tantum eſſe voluptatis videtur. Hæc enim quædam eſt expletio, & corporeæ inopiæ doloriſque, qui ex inopia naſcebatur, medicina. Nam frigentes, aut ſitientes dum ægritudinem ſanamus, quæ è frigore, & ſiti exiſtit, in calefaciendo, & bibendo, voluptatem percipimus. Ex accidenti igitur hæ voluptates bonæ ſunt, neque per ſe aut natura ſua tales ſunt.

F Nam vt ſanari ex accidenti bonum eſt, at ſanum eſſe natura, & per ſe: ſic hæ voluptates, cum curationis quædam ſint, ex accidenti bonæ ſunt. Voluptates verò quæ in contemplatione ponuntur, per ſe ſunt bonæ & natura. Nec enim ex inopia capiunt. Hinc igitur non omnem voluptatem indigentiam explere diſci poteſt. Quod ſi eſt, non rectè definiunt, qui aiunt ortum in naturam qui ſenſum moueat eſſe voluptatem. Non enim omnes voluptates hæc definitio cōplectitur, ſed eam quæ ex contemplatione naſcitur, omittit. *Epicuri ſententia de voluptate.* Epicurus quoq; voluptatē definiens detractione omnis moleſtiæ, idem dicit, quod ij, qui aſſerunt ortum in naturam qui ſenſum moueat. Nam amotionem doloris, voluptatem eſſe dicit. Quoniam autem nullus ortus eiuſdem eſt generis, aut cognatus ſuis effectis, neque ortus voluptatis, voluptas putanda eſt. Sed à voluptate aliud quippiam. Non ortus in oriendo eſt. Nihil autem eorum quæ oriuntur, ſimul oritur & ortum eſt, ſed nimirum gradatim. At quod voluptate afficitur, ea confeſtim afficitur, non ergo ortus voluptas eſt. Præterea omnis ortus, rerum eſt quæ nullæ ſunt: voluptas autem rerum eſt quæ iam ſunt, non eſt igitur ortus voluptas.

G Præterea bonorum quædam ſunt habitus, quædam muneris functiones, quædam inſtrumenta. Habitus vt virtus, muneris functio, vt vſus virtutis. Item habitus ſenſus viſus, muneris functio, videre. Inſtrumenta ſunt per quæ munere fungimur aliquo, vt oculus, diuitiæ, & alia eiuſdem generis. Omnes autem facultates animi quæ in bonis & malis verſantur, habituum quorundam facultates ſunt. Si ergo bonum eſt voluptas, ac non malum, in his ſolis erit. At habitus quidem non eſt, neque enim vt virtus, non enim ita facilè in dolorem contrarium verteretur. neque vt habitus qui priuationi opponitur; nam eodem tempore, vt habitus, & priuatio inſit, fieri nequit. Voluptatem autem aliqui, & dolorem eodem tempore capiunt, vt his accidit qui fricantur. Non eſt ergo habitus, voluptas. At verò neque inſtrumentum eſt. Inſtrumenta enim aliorum non ſua cauſa ſunt. Voluptas autem non alterius cauſa, ſed ſua ipſius eſt: non igitur eſt inſtrumentum. Reliquum eſt, vt muneris functio exiſtimetur. *Item Ariſtotelis.* Quare Ariſtoteles eam definit non impeditam muneris functionem habitus, qui ſecundum naturam eſt. Nam quæ naturalem muneris functionem

H impediunt, dolorem afferunt. Atqui & beatitudo muneris eſt functio non impedita, habitus, qui ſecundum naturam eſt. Itaque accidit ex hac definitione, beatitudinem eſſe voluptatem, & euerti definitionem. Adhibita igitur correctione definiuit voluptatem, finem eſſe muneris functionum non impeditarum animantis, quæ ſunt ſecundum naturam, vt implicata beatitudini, & vna cum ea ſit voluptas, non autem voluptas beatitudo ſit. Non omnis autem muneris functio, motus eſt: ſed quædam eſt muneris functio, quæ adminiſtratur ſine omni motu, qua in primis Deus vtitur: primus enim

A motor immobilis. Huiuſmodi etiam functio in hominibus eſt, contemplandi actio: nam ſine motu eſt. Nam & quod contemplamur vnum idemque ſemper eſt, & contemplantis mens fixa eſt. In vno enim, & eodem ſemper verſatur. Quòd ſi contemplationis voluptas, quæ maxima & præcipua & vera eſt, ſine motu fit, perſpicuũ eſt cæteras, quæ per pauciores motus capiuntur, vt quæque per pauciſſimos motus oriuntur, ita & præſtantiſſimas & maximas eſſe. Cum muneris autem functionibus, voluptatũ ſpecies diuiduntur. Quot enim muneris functionum ſunt ſpecies, totidem ſunt voluptatum. Et honeſtarum quidem honeſtæ, prauarum prauæ. Neque dubium eſt quin in quoque ſenſu, ſpecie differentes voluptates, reperiantur. Aliæ enim tactionis ſunt, aliæ ſaporum, aliæ oculorũ, aliæ audiendi, aliæ odorandi. Sunt autem ſenſus puriores ij, qui non proximè accedunt ad ea ſenſum mouentia quę delectant, vt viſio, auditus, odoratus. Sunt etiam functionum, quæ in ratione ponuntur, ſpecies duæ. Alia enim in B agendo, alia in contemplando cernitur. Itaque certum eſt etiam voluptatum, quæ has functiones conſequuntur, duo eſſe genera, è quibus purior eſt ea voluptas, quæ ex perſpicientia rerum percipitur. Hominis autem, qua homo eſt, eæ ſunt propriæ quæ in ratione & intelligentia ſunt poſitæ. Nam qua animal quidem eſt, illæ voluptates quæ ſenſus mouent, etiam cæterorum animalium communes ſunt. Quoniam autem earum voluptatum, quæ ſenſus quadam iucunditate demulcent, alij alijs delectantur, non quæ improbis, ſed quæ viris bonis honeſtæ videntur, etiam per ſe honeſtæ ſunt. Rectus enim iudex, & diſceptator cuiuſque rei eſt, non qualiſcumque, ſed qui eius rei ſcientiam tenet, & ſecundum naturam affectus eſt.

De ægritudine.

C

CAPVT XIX.

Species ægritudinis.

ÆGritudinis ſpecies ſunt quatuor ἄχος, moleſtia, inuidia, & miſericordia. Eſt autem ἄχος ægritudo, quę vocis vſum adimit. Moleſtia, ægritudo grauans. Inuidia, ægritudo quæ ob alterius res ſecundas ſuſcipitur. Miſericordia, ægritudo quæ ob aliena mala. Omnis autem ægritudo mala eſt ſuapte natura. Etſi enim vir bonus æger erit aliquando, ſi vel viri boni intereunt, vel liberi, vel patria vaſtetur, non hoc primaria ratione, neque ex propoſito, ſed ex circunſtantia faciet. Atqui in his ipſis, qui ſe contemplationi rerum totum tradidit, nihil omnino commouetur, cùm ſe ab his rebus, quæ in hominum vita geruntur, ſemouerit, cum Deoque coniunxerit. At vir probus modicè his rebus tangitur, neque modum tranſit, neque ſuccumbit ægritudini, ſed potiùs eam ſuperat. Opponitur autem ægritudo, vt malum bono, moderatæ voluptati; vt malum malo, immoderatæ. Verùm iſta immoderatio in corporeis tantùm accidit. Nam contemplationis lætitia, cùm ſit ſumma quædam & abſoluta, immoderationem non admittit, neque ei ægritudo opponitur, neque ex depulſione antegreſſæ ægritudinis accidit.

De metu.

D

CAPVT XX.

Metus ſex habet ſpecies.

DIuiditur autem metus in ſex partes, in pigritiam, pudorem, verecundiam, ſtuporem, ſolicitudinem, terrorem. Eſt autem pigritia, metus venientis actionis. Stupor, metus è magna phantaſia. Terror, metus ex inſolita phantaſia. Sollicitudo, metus ne labamur, id eſt, ne id quod propoſuerimus non conſequamur. Nam dum metuimus vt aſſequamur quod propoſuerimus, ſoliciti ſumus. Pudor, metus ob expectationẽ reprehenſionis: atq; optima hæc affectio eſt. Verecundia, metus ob turpitudinem ſuſceptam, atque hæc quoq; affectio ſpem aliquam ſalutis oſtendit. Hoc autem differt pudor à verecundia, quòd qui verecundatur, ob ea quæ perpetrauit, ſe occultat: quem autem pudet, ne dedecus aliquod admittat, E metuit. Sæpè tamen veteres nominibus abutentes, pudorem verecundiam, & verecundiam pudorem vocant. Naſcitur autem metus, per refrigerationem, omni calore ad cor principem partem concurrente, quomodo populus cùm in metu eſt, in curiam confugit. Metus inſtrumentum, eſt os ventriculi. Hoc enim eſt quod in ægritudine morſum ſentit, vt Galenus in tertio de Demonſtrat. ait, ad hunc ferè modum; His qui in ægritudine aliqua verſantur, multum flauæ bilis defluit in ventrem, quod morſum ipſis præbet, neque priùs ægri eſſe & moreri deſinunt, quã bilem euomuerint. Nam morſus ijs accidit, infra cartilaginem, quæ eſt in medio pectore, quod quia ſpeciem entis præbet, ξιφοειδὴς nominatur. Cor autem multò ſuperius locatum eſt. Nam ſepto tranſuerſo venter inferior eſt, cor ſuperius. Veteres tamen etiam os ventris, cor vſurpant, vt Hippocrates, & Thucidides, vbi peſtilentiam, quæ Athenis erat, deſcribit, ſic dicens; Et cùm in corde dolor firmaretur, inuertebat ipſum & purgationes bilis quotquot à medicis nominatæ ſunt, inuadebant. Nam quod inuertitur, os ventris eſt, dum vomere cogitur, non ea pars viſcerum quæ cor eſt. F

Metus inſtrumentum.

De ira.

CAPVT XXI.

Quid ira, & quæ illius ſunt ſpecies.

IRa eſt feruor ſanguinis, quo cor ſuffuſum eſt, ex reſpiratione fellis, aut conturbatione natus. Idcircò & χολὴ à Græcis, id eſt, bilis & χόλος dicitur. Aliquando ira, eſt appetitio vindictæ: Nam dum iniuria afficimur, aut opinamur nos iniuria affici, iraſcimur, & tum mixta fit affectio ex libidine & ira. Species iræ tres; excandeſcentia, quæ & χολὴ, id eſt, bilis & χόλος dicitur, ſimultas, & inimicitia. G Ira enim principiũ & motum habens, excandeſcentia, & bilis appellatur. Simultas, ira inueteraſcens. Hæc Græcis dicitur μῆνις à manendo, & quòd memoriæ ſit tradita. Inimicitia, vocatur ira, obſeruans occaſionem vlciſcendi: hanc Græci κότον dicunt, παρὰ τὸ κεῖσθαι, hoc eſt, quod repoſita ſit. Eſt autem ira ſatellitium rationis. Cùm enim ratio iudicarit, rem eſſe dignam, quæ ægrè & moleſtè feratur, ſuccedit ira, ſi modo proprium & naturalem ordinem tueantur.

De parte orationis experte, qua rationi non obtemperat.

CAPVT XXII.

QVod ergo rationi paret, hoc modo ſe habet, de genere eo, quod rationi non paret eſt, in quo nutriendi, procreandi & pulſuum vis ineſt. Quorum duo illa naturalia, hoc poſtremum vitale nominatur.

De nutriente animæ parte.

CAPVT XXIII.

H Anim[illegible] tricis quatuor ſunt partes.

ALtricis partis vires naturales ſunt quatuor, trahendi, retinendi, commutandi, depellendi. Quæque enim pars animalis naturaliter trahit ad ſe ſuum alimentum, attractum retinet, retentum in ſe mutat, & demùm quod ſuperfluum eſt, expellit. Et hæ ſunt facultates quæ cibum partium animalis adminiſtrant, ex quibus accretio, cùm in longitudinem, tum in latitudinem proficiſcitur. Depelluntur autem quæ ſuperflua ſunt per ventrem, per vrinam, per vomitus, per ſudores, per os, per aures, per oculos, per expirationem, per occulta foramina. Ac cæteræ quidem depulſiones in promptu ſunt. Per aures autem ea quæ vocantur κυψελὴ, quæ ſunt aurium ſordes. Per oculos, lachrymæ, & lippitudines. Per expirationem, fuliginoſus ille cordis calor depellitur. Occulta autem foramina, ſeu poros vocant reſpirationem totius corporis,

A *Inſtrumenta.*

qua ex imo corpore, & arteriarum contractione plurimi vapores, per cutis raritatem exeunt. Inſtrumenta nutrientis facultatis ſunt os, ſtomachus, venter, iecur, omnes venæ, inteſtina, bilis vtraque, & renes. Nam os primum præparat ventri cibum, minutim eum perdentes, & linguam concerpens. Nam & lingua maximum vſum in mandendo præbet, quod cibum cogat, dentibuſque ſubijciat, non aliter atque molentes fœminę manu frumentum ſub molas mittunt. Nam quodammodo lingua mandendi cibi, manus eſt. Ita autem confectus cibus mittitur ad ventrem per ſtomachum. Stomachus enim non ſolum indigentiæ percipiendę inſtrumentum eſt, ſed etiam ciborum meatus. Præſto enim eſt in degluriendo, & attrahit cibum & ad ventrem demittit: quem venter vbi acceperit, ſecernit quod bonum eſt & ad nutriendum aptum à lapidoſo, ligneo & inepto ad alendum, ac quod bonum quidem eſt in ſuccos mutans, mittit ad iecur per venas quæ ab ipſo attrahunt & tranſportant ad iecur, quæ veræ velut radices ſunt iecoris, trahentes à ventri alimentum, vt è terra trahunt ſtirpium radices. Similis enim eſt venter terræ quæ ſtirpibus alimentum præbet, radicum, venæ quæ ad portas & gibboſas partes iecinoris ſurſum trahant ſuccum, à ventre & inteſtinis per meſenterium: trunci, iecur, ramorum, & extremarum partium arboris, venæ quæ finduntur à vena caua quæ naſcitur è ſimis partibus iecoris. Nam iecur cum à ventre ſuccum acceperit, concoquit, ſuique ſimilem efficit, ac cùm habeat carnem ſimillimam ſanguinis, meritò in ſanguinem ſuccum conuertit. Sanguis autem purgatur per lienem, & veſicam, quæ bilem accipit & renes: lien enim trahit quod fæculentum eſt idque ſibi paſtum facit: veſica quæ bilem accipit, quod acerbi remanſit in ſuccis ex alimento: renes humorem ſeroſum, ac quod acerbi erat reliquum, vt reliquus ſanguis iam purus & vtilis ad nutricandum digeratur in cæteras partes corporis omnes, per venas quę in eas inſperſę ſunt. Atq; ita ſingulę partes trahentes ſanguinem, & continentes, & mutantes in naturam ſuam, quod ſuperfluum eſt, tranſmittunt ad vicinas parteis paratum illis idoneum alimentum. Et ad hunc modum omnes partes ſanguine, quem iecur ſuppeditet, aluntur, & augentur, & permanent. Dicitur autem hæc pars à ratione vacua, non parere rationi, quòd non ex ſententia, neque electione noſtra, ſed naturaliter ſuum opus efficiat.

B C D

De pulſibus.

CAPVT XXIV.

PVlſuum motus, qui & vitalis facultas dicitur, initium habet à corde, & maximè à ſiniſtro eius ventriculo, qui ſpirabilis appellatur, & innatum, vitalemque calorem omni parte corporis per arterias, vt iecur alimentum per venas, impertit. Nam concalefacto corde contra naturam; ſtatim totum animal contra naturam calefit, & refrigerato refrigeratur. Nam ſpiritus vitalis, ab eo per arterias in totum corpus diſpergitur. Plerumque autem inter ſe hæc tria ſimul ſinduntur, vena, arteria, neruus: è tribus initijs quæ animal gubernant, profecta. E cerebro, principio mouendi & ſentiendi neruus. E iecore, principio ſanguinis, & alentis facultatis, vena, vas ſanguinis. E corde, principio vitalis facultatis, arteria, vas ſpiritus. Cùm autem hæc congrediuntur, mutuis inter ſe commodis fruuntur. Vena enim paſtum ſuppeditat neruo & arteriæ. Arteria, venæ calorem naturalem & ſpiritum vitalem impertit. Vnde neque arteria inueniri poteſt ſine tenui ſanguine, neq; vena ſine ſpiritu, qui ad vaporis naturam accedat. Diducitur autem vehementer, & contrahitur arteria, harmonia quadam, & ratione, initio motus à corde ſumpto. Sed dum diducitur, à proximis venis vi trahit tenuem ſanguinem, cuius reſpiratio fit alimentum ſpiritui vitali. Dum autem contrahitur, quod in ſe fuliginoſi eſt, per totum corpus, & occulta foramina exhaurit: quomodo cor, per os, & nares, quidquid fuliginoſi eſt, expirando ſurſum expellit.

E

De generandi aut ſeminandi facultate.

CAPVT XXV.

GEnerandi quoq; vis, partis eſt eius quæ rationi non obtemperat. Nam ſine voluntate noſtra in ſomnis ſemen emittimus, & cupiditas cōiunctionis naturalis eſt. Inuiti enim ad eam ferimur: quanquam actio ſine controuerſia in nobis ſita eſt, & ab anima pendet. Etenim inſtrumentis, quæ appetitioni naturali ſeruiunt, conſerere, & abſtinere ab appetitione, eamq; comprimere; in nobis eſt poſitum. Inſtrumenta autem ſeminandi facultatis prima venæ ſunt, & arteriæ. In his enim per conuerſionem ſanguinis, primum humidum, quod ad ſeminis naturam vergit, vt in mammis lac procreatur. Horum enim vaſorum alimentum hic humor eſt, propterea quod à principio è ſemine procreata ſint. Excoquunt igitur arteriæ, & venæ ſanguinem, in humidum, quod ad naturam ſeminis accedit, vt alatur. Atq; quod ex earum alimento relinquitur, ſemen fit. Fertur enim primum quidem multa circuitione in caput, deinde à capite per binas venas binaſque arterias delabitur. Quare ſi quis excidat venas, quæ ſint circa aures, & parotides, animal ſterile reddit, & ineptum ad generandum. Hæ autem venæ & arteriæ euadūt illud tortuoſum, & quod inſtar varicum eſt inuolucrum, quod eſt ad ſcrotum, vbi humidum illud quod ad ſemen accedit, labitur in vtrumque teſtem. Vna eſt arteria, vnaque vena plena ſeminis, in quibus perfectè ſemen perficitur & per tortuoſum paraſtatem qui ſecundus teſtis eſt, cum flatu depellitur: quoniam & arteria eſt quæ mittit, ferri autem etiam à vena, libidinoſa petulantia oſtendit. Cùm enim diu concubuerint & id, in quo ſeminis vis ineſt, & genitalem humorem conſumpſerint, tum etiam per violentam contentionem purum ſanguinem emittunt. Mulieres quoq; omnes eaſdem, quas viri, partes habent, ſed intus, non extra. Ariſtoteles quidem, & Democritus, nihil volunt conferre ſemen mulieris ad procreationem liberorum. Quod enim mittitur à mulieribus, ſudorē potius membri, quàm ſemen eſſe voluit. Galenus verò damnans Ariſtotelem, ait, ſemen emittere mulieres, & mixtionem vtriuſque ſeminis, fœtum efficere, quare etiam concubitum mixtionem dici: non tamē perfectum ſemen vt viri, ſed adhuc crudum & humidius. Cùm autem tale ſit mulieris ſemen, alimētum fit virilis & ex eo pars quædam loci, qui eſt ad cornua vteri concreſcit, & quod à farciminis forma ἀλλαντοειδὴς nominatur, quod reliquiarum cibi fœtus dum in vtero eſt, receptaculum eſt. In vnoquoque autem genere animalis, tum fœmina marem admittit, cùm poteſt concipere. Quæ ergo ſemper poſſunt concipere, ſemper coniunctionem admittunt, vt gallinæ, & columbæ, & homo. Sed cætera dum grauida ſunt, fugiunt coniunctionem, mulier ſemper admittit. Nam gallinæ quidem, quod quotidiè ferè pariant, quotidiè ferè cum mare congrediuntur. Mulieres autem, vt in cæteris rebus, voluntate ſunt libera, ita etiam in concubitu poſt conceptionem. Nam beſtiæ non à ſeipſis, ſed à natura diriguntur, & modus ei, tempuſq; definitum naturæ lege ſtatutum eſt.

F G H

Alia diuiſio facultatum quæ animal adminiſtrant.

CAPVT XXVI.

PArtiuntur aliter facultates, quæ in animali ſunt, & earum partim animæ vires dicūt, partim naturales, partim vitales. Animæ quidem, quæ ſunt ex electione, & conſilio. Naturales autem, & vitales quę ſine electione & conſilio ſunt. Et ſunt animæ facultates duæ, motus quo per ſe, & cum appetitu agitantur animalia, & ſenſus. Motus porrò, quo per ſe animalia cientur, & cum appetitu, ſpecies ſunt, progrediendi vis ab vno loco in alium, totiuſq; corporis mouendi, & vocis edendæ facultas, & reſpirandi. In nobis enim eſt ſitum hæc facere, & non facere. Naturales & vitales nō ſunt in noſtra poteſtate poſitæ,

A ſed velimus, nolimus, fiunt vt nutriendi, augendi, & generandi vis, quæ ſunt naturales, & pulſuum quæ vitalis eſt. Ac cæterorum quidem inſtrumenta anteà diximus, nunc motus eius, qui ex electione ſuſcipitur, exponemus.

De motu quem animalia per ſe, aut per electionem ſuſcipiunt qui ad appetitum pertinet.

CAPVT XXVII.

EST igitur motus, quem per electionem, aut per ſe animalia ſuſcipiunt, principium, cerebrum, & dorſi medulla: quippe quæ cerebri pars ſit. Inſtrumenta nerui, qui ex his orti ſunt, & ligamenta, & muſculi. Muſculi autem conſtant è carnibus & neruoſis fibris & tendinibus, qui cum neruorum fibris complicati ſunt. Quare aliqui exiſtimarunt eos ſentiendi vim habere, propter ſenſum, qui fit ex neruis, qui illis ſunt connexi. Itaque tendo è ligamento & tenuibus neruis eſt compoſitus. B Differt autem à neruo tendo, quod omnis neruus ſentiendi vi eſt præditus, & rotundus, & molliuſculus, & à cerebro originem ducit. Tendo verò & durior eſt & ex oſſe, & per ſe ſenſus expers & latus aliquando. Sunt autem manus ad capiendum, & ad artificia exercenda inſtrumentum aptiſſimum. Si quis enim manus, aut ſolos manuum digitos ademerit, ad omnes ferè artes hominem inhabilem reddit. Idcircò ſolus homo, quoniam ratione vtitur, & in eum artes cadunt, à Deo manibus donatus eſt. Pedes verò gradiendi ſunt inſtrumentum, quod per eos loco moueamur. Porrò autem ſolus homo ſedet nullius adminiculi indigens. Solus enim ad duos angulos rectos crura & ad coxam & ad poplites flectit, alteros introrſum, alteros extrorſum. Quæ ergo per neruos & muſcula mouentur, hæc omnia ab anima pendent, & electione fiunt, in quibus & ſenſus, & vocem numerandam eſſe oſtendimus. Atque hinc animæ, & naturæ operum, probabilis eſt diſtinctio, & dijudicatio ſumenda eſt. At Deus ſumma ſua C prouidentia, cum naturalibus, animæ opera; & viciſſim, cum animæ operibus, naturalia coniūxit. Quoniam enim electio reliquiarum cibi & potionis, depellendi facultatis eſt, quæ vna eſt de naturalibus viribus, ne præter electionem & voluntatē noſtram aliquid indecore agamus, ſi vel vbi non oportet, vel quando nō oportet, vel in quibus non oportet, excernamus, ianitores quoſdam præfecit depulſionibus muſculos, & ita naturæ opera vt animæ eſſent, effecit. Nam hanc ob cauſam & ſæpe & diu ſuſtinere depulſiones poſſumus. Demittuntur autem ſentiētes, & molles nerui à medio, & anterioribus ventriculis cerebri. Duriores verò & in quibus mouendi vis ineſt, à poſtremo ventriculo & dorſi medulla. Sed duriores ſunt qui ex dorſi medulla, & in his maximè qui ex inferioribus eius partibus proficiſcuntur. Quò enim magis abſcedit à cerebro medulla dorſi, eò cum ipſa ſit durior, tum nerui qui ex ea naſcuntur. Sicut autem ſenſus duplices accepimus, ſic ortum neruorum duplicem habemus. Quæque enim medullæ dorſi vertebra coniugationem neruorum emittit cuius altera, ad dexteram corporis partem tendit; D altera, ad læuam. Ferè enim totum corpus noſtrum in duo diuiſum eſt, in dextrum & læuum. Sic & pedes & manus, & quodque reliquorum, quemadmodum & inſtrumenta ſentiendi, dextra, læuaque accepimus.

De reſpiratione.

CAPVT XXVIII.

RESpiratio etiam ex animę muneribus numeratur. Etenim muſculi ſunt, qui thoracem diducūt, præcipuū reſpirandi inſtrumentum. Atque ea reſpiratio quæ confertim, & cum gemitu fit in magnis doloribus animæ eſſe munus oſtendit. In noſtra quoque poteſtate eſt, pro eo atque vſus poſtulat, reſpirationem mutare. Nam dum ex aliqua parte quæ reſpirandi vim continet laboramus, aut quæ cum aliqua harum partium mouetur, vt ſepto tranſuerſo, aut iecore, aut ſplene, aut ventriculo & tenuibus E inteſtinis & collo paululum & crebro reſpiramus. Paululum, vt ne vehementer percutiamus partem eam quæ dolet: Crebro, vt quod deſuit magnitudini, crebritate compenſetur, etenim cùm dolet eius, non multum ipſum inter anhulandum producimus, ob eandem cauſam ob quam & reſpirationem. Vt ergo incedere animæ opus eſt, ita reſpirare, quanquam vt quieſcamus, neq; incedamus, diutiſſimè viuere poſſimus, at reſpirationem ne decimam quidem horæ partem vt cohibeamus, fieri poteſt. Nam ſuffocatur calor qui in nobis eſt fuligine, ideoque extinguitur, & confeſtim interitum affert. Nam ſi flammam quis tegat in vaſe aliquo, quod anhelitum non habeat, eam fuligine ſuffocatam extinxerit. Itaque neceſſario etiam dormientibus nobis, nihilominus hac parte anima ſuo munere fungitur, quòd non ignorat ſi ad breuiſſimū tempus ceſſauerit animal interiturum. Quare rurſus hic animæ opus cum naturæ munere coniunctum eſt. Per arterias enim, reſpirandi officio fungitur, quæ inſtrumentum naturale eſt, & ſemper mouetur, vt nunquam eius opus F occidat, quemadmodum neque cęterarum arteriarū. Quod aliqui dum non intelligerent, naturæ opus eſſe reſpirationem putauerūt. Tres autem ſunt cauſæ reſpirationis, vſus, facultas, inſtrumenta. Vſus duplex, conſeruatio natiui caloris, & animæ ſpiritus educatio. Verum conſeruatio quidem caloris natiualis, ducendo & emittendo ſpiritu conſtat, quod ductus refrigeret, & moderatè calorem excitet: emiſſio fuliginem cordis effundat. Educatio autem ſpiritus animæ, ſola reſpiratione fit: quoniam ad cor dum diducitur quædam aëris pars pertrahitur. Facultas autem animæ eſt, quæ reſpirandi cauſam affert. Hæc enim eſt quæ mouet inſtrumenta reſpirationis, per muſcolos, & in primis thoracem, cum quo vna mouetur pulmo, & aſperæ arteriæ quæ ſunt pars pulmonis. Nam aſperæ arteriæ quæ pars cartilaginoſa eſt, vocis eſt inſtrumentum, membranoſa autem, ipſius ligamēta reſpirationis. Quod autem ex his vtriſque, hęc ipſa arteria eſt, vocis ſimul mittendæ, & reſpirandi inſtrumentum. Eſt ergo pulmo con- G textum quippiam è quatuor, ex aſpera arteria & leui, & vena & ſpumoſa carne pulmonis, quæ caro inſtar ſtœbæ explet loca illius contexti: quæ ſunt inter duas arterias, & venam, vt velut illorum ſedes ſit, & ligamentum. Concoquit autem naturaliter caro pulmonis ſpiritum, vt iecur, ſuccum è ventre attractum. Et propterea, vt iecur, extremis ſuis fibris venitem egentem caloris complectitur, ita pulmo medium cor comprehendit, quod opus habet refrigeratione, quam affert reſpiratio. Continens eſt aſperæ arteriæ bronchus, qui ex tribus magnis cartilaginibus conflatus eſt, broncho guttur, gutturi os, & nares: nam vtroque horum extrinſecus aërem ducimus, qui hinc per cribroſum, aut ſpongioſum os fertur, quod perforatum eſt, ne ab immoderata aëris qualitate cerebrum lædatur, ſi confeſtim ſpiritus in ipſum influat. Hic quoque Deus naribus & ad reſpirationem, & ad odoratum vſus eſt, vt lingua, & ad vocem mittendam, & ad guſtandum, & ad mandendum. Itaque partes hæ, quarum, & vt ſit animal, neque neceſſarijs vitæ vſibus ſpolietur, poteſtas eſt, cum H animæ facultatibus diſpertitæ ſunt. Quod ſi vero quid prætermiſſum eſt, ex his quæ iam dicta ſunt facilè perſpici poterit: ſed vt in omnibus quæ facta ſunt, alia ſua cauſa facta ſunt, alia & ſua cauſa, & aliorum, alia aliorum tantum cauſa, alijs accidit, vt obiter exiſterent: ita in partibus animalium, eundem ordinem reperies. Nam omnia illa inſtrumenta quæ diximus, trium principiorum, quæ animal gubernant, ſua cauſa generata ſunt. Præcipua enim ratione & primario loco, ſunt condita, quæ & ſecundum naturam propriè dicūtur, & in vtero ex ipſo ſemine, quēadmodum & oſſa oriuntur. Flaua autem bilis & per ſe, & propter aliud conſtituta eſt, nam ad concoctionem confert, & depulſionem excrementorum mouet: ideoque fit quodammodo vna de partibus nutrientibus, quinimo & calorem quendam præbet corpori, vt vitalis facultas. Ac his quidem de cauſis, propter ſe videtur extitiſſe, ſed quia ſanguinem purgat, ſanguinis cauſa quodammodo videtur eſſe facta. Lien etiam non parum ad concoctionem conducit. Cùm. n. natura ſit acidus, & acerbus, & emiſſio-

nem

Solus homo manibus eſt donatus.

Reſpiratio neceſſaria.

Reſpirationis tres ſunt cauſæ.

Lien.

A nem ſuperflui humoris nigri in alium profundat, cõſtringit eam & firmat, & ad concoctionem excitat. Præterea purgat iecur, & idcirco quodammodo videtur ſanguinis gratia eſſe genitus. Renes etiam ſanguinis purgamentum ſunt, & commiſcendorum corporum libidinem efficiunt. Nam venę quas diximus incidere in teſtes, per renes tranſeunt, & inde hauriunt acrimoniam quandam, quæ irritat appetitam, quomodo acrimonia illa quę ſub cute fuerit prutitum gignit. Quò autem teſtiũ caro, cute eſt mollior, eò magis dum ab acrimonia mordentur, inanem pariunt mittendi ſeminis cupiditatem. Hæc igitur & ſimilia aliquomodo, & propter ſe, & propter alia facta ſunt. Glãdes autem & caro aliorum gratia tantum. Nam glandes vehiculum ſunt, & firmamentum vaſorum, ne diſrumpantur, dum in violentis motibus ſublimia feruntur. Caro tegumentum eſt facta cæterarum partium, vt & æſtate animal refrigeret interiorem humorem, emittens, & hieme lanarum cõſtipatarum vſum ipſi præbeat. Cutis quoque tegmen eſt, & mollioris carnis, & omnium aliorum quæ intus incluſa ſunt. Carnis autem natura, tum ab aëre, tum ab ijs quæ ad eam ſe applicant corporibus, calloſa eſt. Oſſa verò ſunt firmamentum totius corporis, maximeque ſpina dorſi, quam & carinam animalis eſſe aiunt. Vngues communiter quidem omnibus in quibus ſunt, præbent vſum fricãdi, præterea alium alij proprium. Multi enim animalibus dati ſunt armorum loco, vt ijs quę aduncos vngues habent, & velut inſtrumentum ſunt eius animæ partis, in qua irarum ardor exiſtit. Multis & armorum loco, & firmandi greſſus cauſa, vt equis, & omnibus quæ ſolidam habent vngulam. Hominibus autem dati ſunt, non ſolùm ad fricandum, & pellendam cutis acrimoniam, ſed etiam ad res tenues, & minutas capiendas. Quæ enim admodum ſunt exilia, ijs attollimus, & pone ſummos digitos contra ſe erigentes eorum comprehenſionem firmant. Pilis autem accidit, vt obiter exiſterent. Nam vaporibus qui fumoſiſſimi è corpore emittuntur, concreſcentibus, ex accidenti conſtituti ſunt. Quanquam ne iſtos quidem Deus omnino inutiles genuit, ſed etſi ex accidenti creati ſunt, effecit vt animalibus ad tegmentum, & ornamentum conferrent. Tegumentum quidem capris, & ouibus, ornamentum hominibus, quibuſdam etiam animalibus, & ornamento ſimul ſunt, & tegendi vſum præbent, vt leoni.

Cutis. B Vngues. Pili. C

De eo quod ſponte & inuitè fit.

CAPVT XXIX.

QVõniam ſæpè eius quod ſponte, & inuitè fit meminimus, neceſſe eſt de his quoq; tractare, ne ab exquiſita eorum cognitione aberremus. Oportet autem eum qui de inuite & ſponte facto dicturus eſt, primum exponere regulas quaſdam & rationes, per quas quæque res ſponte ne, an inuitè agatur, cognoſci queat. Quoniam igitur quidquid ſponte fit, in actione aliqua eſt, & quod inuitè exiſtimatur fieri, in actióne quoque ponitur, quod paulo poſt oſtendetur, atq; etiam aliqui quod verè inuite fit, non ſolum in patiendo, ſed etiam in agendo ponuntur, in primis definiendum eſt, quid ſit actio. Actio eſt muneris alicuius functio cum ratione. Actiones autem, laus, aut vituperatio conſequitur, & aliæ ipſarum cum voluptate, aliæ cum dolore tranſiguntur, aliæque ſunt optabiles ei qui agit, aliæ fugiendæ. Optabilium autem quędam ſemper ſunt optabiles, quædam certo quodam tempore: ſimiliter etiam fugiendarum. Rurſus actionum alijs miſericordia, & venia tribuitur, aliæ in odio ſunt; & pœna vindicantur. Sint ergo regulæ cognitionis eius quod ſpõtè fit, quod omnino laus aut vituperatio comitetur; & cũ voluptate agantur, & optabiles ſint actiones; ijs qui agunt, aut ſemper, aut tum cum aguntur. Inuite autem facti notæ ſunt, & indices quod veniam, aut miſericordiam mereantur, & cum dolore agantur, neque optabiles ſint. His ita explicatis, dicamus primum de eo, quod inuite fit.

D Actio quid.

De eo quod inuitè fit.

CAPVT XXX.

QVod inuitè fit, partim per vim fit, partim per ignorantiam: atque eorum quidem quæ per vim fiunt, principium efficiendi, extra eſt. Alia enim quæpiam cauſa violentiæ eſt, non nos. Itaque definitio eius quod inuitè per vim ſuſcipitur eſt, cuius principium eſt extra, vt nihil ſua volũtate, ad actionem conferat is, cui vis infertur. Principium hic pro cauſa efficiente dictum eſt, verum quæritur, an etiam hęc inuitè fiant, eiectiones onerum ad quas nautæ deſcendunt aduerſa tempeſtate, aut cùm quis amicorum, aut patriæ conſeruandę cauſa, rem turpem facit, aut patitur: ſed hæc ſponte potius fieri videntur: nam idcirco adiectum eſt ad definitionem, vt nihil ad actionem ſua voluntate conferat is, cui vis affertur. In huiuſmodi enim caſibus ipſi ſponte per ſe mouent partes eas quæ inſtrumenti locum obtinent, atque ita in mare onera deijciunt. Quod idem accidit ijs, qui aliquid quod turpe, aut graue ſit, maioris boni gratia perpetiuntur, vt Zeno qui ſuam ipſe linguam dentibus præciſam expuit in Dionyſium tyrannum, ne ei, vlla ratione, tacenda, & recondita quædam enunciaret. Item Anaxarchus Philoſophus, qui paſſus eſt ſe contundi à Nicocreonte tyranno, ne amicos proderet. Vniuersè igitur, quando aut metu maiorum malorum elegerit quis minus malum, aut ſpe maioris boni ſumpſerit minus bonum, quod aliter conſequi quod vult non poſſit, non inuitus agit, aut patitur. Facit enim voluntate, & ſoluta eligendi optione, ac optabilia ſunt tum cum aguntur, etſi per ſe non ſint optabilia. Sunt ergo ex eo quod ſponte, & inuitè fit, mixta, & temperata. Inuitè quidem per ſe ſponte, eo tempore, ex circunſtantia. Nam ſine circunſtantia nemo velit hæc agere, ſed hæc ſponte fieri, laus, aut vituperatio, quæ talibus actionibus tribuuntur, declarant. Nam eorum quæ inuite facimus, nulla erit laus, aut vituperatio. Quãquam non eſt facile diſcernere, quid cui præoptãdum ſit. Oportet tamen, vt plurimum, præ turpibus expetere quæ moleſta ſunt, vt Suſanna, & Ioſeph fecerunt. Etſi non ſemper. Nam Origenes, qui ne dedecus, & ignominiam ſuſciperet, quam Æthiopes oſtentabant, dijs ſacra fecit, totâ cauſa cecidit. Ita hæc dijudicare facile nõ eſt. Sed his multo difficilius, manere in eo quod ſemel decretum ſit. Non enim æquè terrent res graues, atque difficiles dum expectantur, atque dum iam premunt, ſed accidit interdum, vt cum iudicauerimus, & ſtatuerimus aliquid, non ſtemus in eo quod iudicatum ſit, cùm in ipſis malis verſamur, vt quibuſdam contigit martyribus. Nam cum initio conſtanter toleraſſent, tandem ſuccubuere, & in ipſo diſcrimine, & perpeſſione rerum aſperarum fracti ſunt. Nemo autem exiſtimet intemperantiæ libidinem, aut iram peccata eſſe inuitè ſuſcepta: quod extra principium habeant efficiens. Nam & forma ſcorti ad intemperantiam, eum qui aſpexit, excitauit, & qui irritauit, iram commouit. Etſi enim principium efficiens habent extra, ipſi tamen per ſe, & partes eas quæ inſtrumenti loco ſunt, agunt: neq; ſub definitionem eius, quod inuitè geritur cadunt, quando principij cauſam ſibi ipſis præbent, quod propter malam inſtitutionem, perturbationib. facilè ſuccumbant. Nam vituperantur, qui hæc agunt, vt qui malum ſua ſponte contraxerint. Eſſe autem ſponte contractum, conſtat ex eo quod actione delectantur. At vero quod inuiti facimus, moleſtum eſſe oſtendimus. De eo ergo quod inuiti per vim agimus, hæc ſint expoſita. Reliquum eſt, vt de eo quod per ignorationem eſt dicamus.

E Violentũ. F Zeno linguam expuit in Dionyſiũ. Mixta. G Vid. Niceph. l. 5. c. 32. H

A

De eo quod inuitè per ignorationem fit.

CAPVT XXXI.

MVlta agimus per inſcitiam, ex quibus poſt actionē voluptatem capimus, vt cum quis inuitus inimicum interfecerit, cæde tamen eius delectatur. Hæc & id genus alia vocant non ſponte ſuſcepta, non tamen etiam inuitè. Item agimus quædam per inſcientiam, quæ facta moleſtiam afferant: hęc vocarunt inuitè facta, quę perpetrata dolor conſequitur. Eorum ergo quæ fiunt per ignorantiam duæ ſunt ſpecies, vna non ſpontè factum, altera inuitè. Nunc propoſitum eſt, de eo tantum quod inuitè fit dicere. Nam quod non ſponte eſt geſtum, magis reducitur ad id quod ſponte eſt factum, cùm ſit mixtum. Nam ſi principium ſpectes, inuitè fit, ſi finem ſponte. Nam quod inuitè ſuſcipiebatur, exitus fecit, vt ſponte factum videatur. Quare quod inuitè fit, definiunt etiam ſic: Inuitè factum eſt, quod præterquam quod ſponte non eſt ſuſceptum, dolorem etiam & pœnitendi cauſam affert. Pręterea aliud eſt per inſcientiā aliquid facere, aliud inſcientem. Si enim in noſtra poteſtate fuerit inſcientię cauſa, inſcientes quidem facimus, non tamen per inſcientiā. Nam vinolētus, & iratus quiſpiam ſi quid faciat improbè, alter ebrietatem, alter iram cauſam habet eorum, quæ facit, quę ſponte ſuſcepta ſunt: licebat enim illi non ebriū fieri. Ipſe ergo ſibi ignorantiæ cauſa eſt. Itaque hæc non per inſcientiam dicitur facere ſed inſciens agere: quæ non inuitè ſed ſpontè fiunt. Quocirca etiam reprehenduntur à viris bonis, qui hęc agunt. Si enim non fuiſſet ebrius factus, non feciſſet ſponte autem ebrius eſt factus, ſpontè ergo fecit. Per inſcientiam autem ea facimus, cùm ipſi non prębuerimus cauſam inſcientiæ, ſed ita caſus tulerit: vt in ſoco conſueto quiſpiam ſagittam mittens, patrem caſu prętereuntem interfecit. Ex his ergo quæ diximus demonſtratur, eum qui ignorat quæ ſunt vtilia, quique mala eſſe bona opinatur, inuitè non agere. Nam illa inſcientia ex eius improbitate proficiſcitur. Itaque iſte vituperatur. Vituperatio porro, non niſi eorum eſt quæ ſpontè commiſſa ſunt. Non ergo rerum vniuerſarum, & generalium, aut earum quæ fiunt ex electione ignorantia eſt inuitè ſuſcepta, ſed ſingularum. Nam ſingula inuiti, vniuerſa ſpontè ignoramus. His itaque ſic explicatis, dicendum eſt quæ ſint ſingula. Hæc autem ſunt quæ vocantur à Rhetoribus circumſtantiæ, quis, quem, quid, quo, vbi, quando, quomodo, quamobrem, vt perſona, factum inſtrumentum, locus, tempus, modus cauſa. Perſona quidem, qui facit, aut in quem eſt actio, vt ſi patrem filius inſciens percuſſerit. Factum, illud ipſum quod actum eſt, ſi quis cui colaphum impingere voluerit, eum cæcauit. Inſtrumentum ſi lapidem iecit, quod putarat eſſe pumicem. Locus, ſi dum in angiportum flectit, eum qui occurrerit inſciēs pulſauerit. Tempus, ſi noctu arbitratus hoſtem, amicū occiderit. Modus, ſi leuiter, ac non magna vi percuſſum interemit. Ignorauit enim leuiter percuſſum, interiturum. Cauſa, ſi quis medicamentum cuipiam veluti ſanaturus dederit, eum verò qui eo medicamento vſus eſt, mors conſecuta ſit, quod venenum eſſe deprehenſum ſit. Sed hęc quidem omnia, ne inſanus quidem ignorauerit. Qui verò plurima horum, aut potiſſima neſciuerit, per inſcientiam fecit. Sunt autem potiſſima in his, cuius gratia, & quod agitur, id eſt cauſa, & factum.

B *Inuitè factum.*

C

Singula quę dicantur.

D

De eo quod ſponte fit.

CAPVT XXXII.

CVm quod inuitè committitur, duplex ſit, per inſciētiam, & per vim: quod ſpontè committitur, vtrique opponitur. Spōte enim committitur, quod neq; per vim, neque per inſcientiam fit. Atq; id quidem non per vim fit, cuius principium in ipſis eſt. Non per ignorantiam verò, ſi quippiam rerum ſingularum ignoratum non fuerit, per quæ & in quibus eſt actio. Vtroq; igitur iuncto ad alterū, definiuimus ſponte factum, cuius principium in ipſo eſt, ſciēte ſingula in quibus eſt actio. Quæritur autem an quæ natura fiunt, ſponte fiant, vt concoctio & accretio. Sed hæc neque ſponte, neque inuitè fieri oſtenduntur. Nam quod inuitè & ſponte fit ex ijs numeratur quæ in nobis ſunt poſita. At verò concoctio, & accretio in nobis ſita nō ſunt. Vnde etiam euenit, vt ſi ſingula ignoremus, quod ea non ſint in noſtra poteſtate, neque ſponte neque inuitè facere dicamur. Quæ verò per iram, & cupiditatem fiunt, ſponte fieri demonſtrauimus. Etenim ſi rectè fiunt, laudantur, ſin ſecus, vituperantur, aut odio habentur. Voluptas etiam, & dolor, ea conſequitur, & principium in ipſis eſt. In ipſis enim erat, vt non facilè perturbationibus ſuccumberent. Nam talis per conſuetudinem, ad rectum ſtatum deducuntur. Præterea ſi illa inuitè fiunt, neq; beſtia vlla ſponte quid facit, neque paruuli. Nunc non ita ſe habet. Videmus enim illa ſponte ad alimenta accedere, & neque per vim (per ſe enim ea mouentur) neque per inſcientiam, quoniam alimentum non ignorant. Nam vbi cibum conſpexerint, voluptate afficiuntur, & velut ad rem notam feruntur, moleſtiamque capiunt ſi non aſſequantur. Atqui eius quod ſponte ſuſcipitur, ſi quod propoſitum eſt conſequimur, nota eſt voluptas, ſin minus, ægritudo. Quæ declarant in illis eſſe cupiditatem & iram ſpōte ſuſceptam. Nam ita non ſine voluptate fit. Præterea ſi quis neget ſponte admitti, quæ fiunt per iram, & cupiditatem, virtutes morales tollit: hæ enim in medio ſunt perturbationum. Quod ſi vero perturbationes ab inuitis ſuſcipiuntur, etiam actiones quę ſunt virtutibus congruentes, ab inuitis adminiſtrantur. Eas enim cum perturbatione exequimur. Nemo autem quod ſecundum rationem, & electionem, & motum internum, & appetitionem fit, vnà cum cognitione ſingulorum inuitè fieri dicit. Oſtenſum etiam eſt principium in ipſis eſſe, ſponte ergo fieri dicendum eſt. Quoniam autem multis in locis, electionis, quæ Græcis [illegible] eſt, mentionem fecimus: nemq; eius quod in nobis eſt ſitum, etiam de electione tractandum eſt.

E *Sponte factum.*

F

G

De electione.

CAPVT XXXIII.

QVid ergo eſt electio? an quod ſponte fit, quoniam quicquid ex electione fit, etiam ſponte fit? Sed non contra verum eſt. Quod fieret, ſi idem eſſet ſponte factum & electio. Nunc verò latius patere deprehendimus, quod ſponte fit. Omnis enim electio ſponte ſuſcipitur, non etiā quidquid ſponte ſuſcipitur, electio eſt. Nam pueri & beſtiæ ſponte quidem faciunt, non tamen eligentes. Et quęcumq; per iram non deliberatè facimus, ſponte facimus, ex electione non item. Amicus etiam quiſpiam nobis repentè aduenit, ſponte quidem, quoniam gaudemus, non tamen vt qui elegerimus. Et qui præter expectationē theſaurum inuenerit, ſponte lucrum, nec opinatum nactus eſt, non tamen ex electione. Itaque ex omnibus iſtis concluditur, non idem valere ſponte factum & electionem. An igitur appetitus eſt electio? At ne hoc quidem verum eſt. Diuiditur enim appetitus in tria, cupiditatem, iram, & voluptatem. Electionem autem, neq; iram, neq; cupiditatem eſſe, ex eo clarum eſt, quod hoēs cum beſtijs nihil habent commune in electione, ſed in ira, & cupiditate. Si enim iſtis duobus conuenimus cum beſtijs, electione diſſerimus, aliud eſſe electionem, aliud iram, & cupiditatē, perſpicuum eſt. Oſtendit ideo incontinens, qui dedit ſe cupiditati: & ex ea agit, non etiam ex electione. Nam in illo electio cupiditati aduerſatur. Quod ſi idem eſſent, nō vtrię, altera cum altera pugnaret. Et continens etiam qui agit ex electione, ex cupiditate non agit. Iam vero non eſſe voluntatem hinc intelligitur. Non in omnibus in quibus eligere, etiam velle aptè dicitur. Dicimus enim velle nos bonam valetudinem, eligere autem bonam valetudinem nemo dicat. Velle item opulentū eſſe dicitur, eligere verò opulentum eſſe, non dicitur. Præterea velle etiam in ijs quæ fieri non poſſunt, ponitur: eligere in his ſolum,

H

quæ

A

quæ in noſtra ſunt poteſtate. Ita enim loquimur, volo immortalis eſſe: at nemo hoc modo, eligo immortalis eſſe. Voluntas enim finis ipſius eſt, electio eorum, quæ ad finem pertinent, ſecundum eandem nimirum analogiam, quam habet id quod ſub voluntatem cadit, ad id quod ſub conſultationem. Nam ſub voluntatem cadit finis: ſub conſultationem, quæ ad finem referuntur. Præterea ea ſola eligimus, quæ per nos putamus poſſe fieri. Volumus autem etiam ea, quæ per nos fieri non poſſunt, vt ducem quempiam victoria potiri. Non eſſe ergo iram, neque cupiditatem, neque voluntatem, electionem, abundè probatum eſt. Non eſſe autem opinionem, cum his eiſdem

Opinio.

rationibus, tum etiam alijs demonſtratur. Nam opinio non ſolum eſt rerum, quæ in nobis ſunt ſitæ, ſed etiam æternarum. Præterea opinionem veram dicimus & falſam, electionem veram, & falſam non dicimus. Et opinio quidem rerum eſt vniuerſarum, electio ſingularum. Nam in ijs quæ ſub actionem cadunt, electio eſt, cadunt autem

B

ſub actionem res ſingulæ. Neq; item conſultatio eſt ele-

Conſultatio.

ctio, ſiue conſilium: Nam conſultatio de rebus cuique agendis quæſtio eſt: Eligi verò dicitur, quod per conſultationem antepoſitum eſt. Quare planum fit, conſultationem eſſe in his quæ adhuc acquiruntur, electionem in ijs, quæ iam ſunt antepoſita. Quid ergo non ſit electio, antè

Electio quid.

dictum eſt: nũc quid ſit dicamus: Eſt igitur, mixtum quid ex conſilio, & iudicio; & appetitu, & neque appetitus per ſe neque conſilium tantum, ſed quiddam ex his compoſitum. Vt enim dicimus animal ex corpore & anima cõſtare, nequetamen animal corpus eſſe, neque animam ſolũ, ſed quod ea vtruque, ſic etiam electionem. Eſſe ergo conſilium quoddam, & conſultationem cum approbatione, etſi non ſit ipſum conſilium, vis nominis ſignificat. Nam eligitur id. quod præ alio legitur. Nemo autem anteponit quid, niſi prius conſultarit, neq; legit, niſi iudicarit. Quoniam autem non omnia, quæ probata ſunt, exequi ſtudemus, tum electio eſt, & eligi dicitur, quod conſilio antepoſitum eſt, cùm deliberatio appetitum aſſumpſerit. Ne-

C

ceſſario ergo electio in ijs verſatur, in quibus & cõſilium. Itaq; ex his efficitur, electionem eſſe appetitum cum conſultatione iunctum, earum rerum quæ in noſtra ſunt poteſtate, vel conſultationem cum appetitu coniunctam earum rerum quæ in nobis ſunt ſitæ. Nam id quod antepoſitum eſt, per conſultationem, cum electione concupiſcimus. Sed quia electionem diximus in illis verſari, in quibus & conſilium, declaremus in quibus verſetur conſilium, & de quibus rebus conſultemus.

De quibus rebus conſultemus.

CAPVT XXXIV.

Conſiliũ, & quæſtio, quatenus differunt.

ANtequam de quibus rebus conſultemus exponamus, rectius eſt explicare, quo conſilium à quæſtione differat, non enim idem ſunt, conſilium & quęſtio, etſi qui conſultat, quærens aliquid conſultat, ſed multum inter ſe differũt. Quærimus enim, an maior ſol terra ſit: Nemo autem dicit, conſultare ſe, an ſit maior ſol terra. Eſt e-

D

nim quęſtio genus conſultationis: Etenim latius patet: omnis enim conſultatio quæſtio quædam eſt, non omnis autem quæſtio conſultatio. Atque hoc quidem demonſtratum eſt. Conſiderationis verò nomen, aliquando de conſultatione dicimus, vt conſidero diſciplinas, non cõſulto diſciplinas. Turbamur autem ſæpè, dum hæc nomina indiſtinctè accipimus, idemque eſſe quod non eſt idẽ, arbitramur. Horum itaque differentia cùm ſit perſpicua, reſtat vt dicamus, de quibus rebus conſultemus. Conſultamus de ijs, quæ in nobis ſunt poſita, & per nos fieri poſſunt, & exitum habent incertum .i. quæ ſic, & aliter euenire poſſunt. Dictum eſt de ijs, quæ in nobis ſunt poſita, quòd de ijs ſolis conſultemus, quæ ſub actionem cadunt. Hæc.n. in nobis ſita ſunt. Non enim de ea philoſophia deliberamus, in qua conſideratio modo eſt, contemplatioque naturæ. Nam neq; de Deo, neq; de ijs quæ fiunt neceſſario, deliberatio ſuſcipitur, id eſt, de ijs quæ ſemper eodem modo fiunt, vt anni tractu annuo: neque de ijs, quæ

E

quidem non ſemper ſunt, ſed ſemper eodem modo fiunt, obitu, ortuque ſolis: neq; de ijs, quæ natura quidem fiũt, non tamen ſemper eodem modo, ſed vt plurimum, vt de canitie ſexagenarij, aut, vt is, qui viginti ſit annos natus, prætium barbam emittat, neque item de ijs, quæ naturâ quidem, ſed alias aliter indefinitè fiunt, vt de imbribus, de ſqualloribus, de grandine, neque poſtremo de his, quę fortuito fieri dicuntur, quæ in ijs ſunt, quæ fato contingunt. Quamobrem dictum eſt, de ijs nos conſultare, quæ in nobis ſita ſunt. Nam non de omnibus hominibus, neq; de qualibet re conſultatio inſtituitur, ſed de ijs tantum quæ in noſtra ſunt poteſtate. Non enim deliberamus quo modo hoſtes, aut remotæ à nobis gentes rectè rempublicam adminiſtrent, etſi hoc apud illos in conſultationẽ veniat. At neque de omnibus quæ per nos gerũtur, & in nobis ſita ſunt, conſultamus, ſed adijci oportet, ijs, quorum exitus incertus eſt. Nam ſi res plena ſit, de eaque conſtat, non conſultamus. Neque enim de operibus, aut actioni-

F

bus, quæ ſcientia, aut arte inſtituta ſunt, deliberatio eſt. Harum enim rationes terminatæ ſunt, exceptis paucis artibus, quæ coniectura continentur, vt medendi, corporis exercendi, & gubernandi. Non.n. de illis tantum conſultamus, ſed de ijs, quæ cùm in nobis ſint, & per nos gerantur, tum incertum habent euẽtum, & ſic, & aliter agi poſſunt. Oſtenſum porrò eſt, neque de fine, ſed de his quæ ad finem referuntur, conſultationem eſſe. Conſultamus .n. non vt diteſſimus, ſed quomodo, & qua via ad opes ſimus peruenturi. Atq; vt ſummatim dicam, de his tantùm conſultamus, quæ in vtramque partem ęque contingunt. De quibus etiam hoc loco tractandum eſt, ne quid noſtra ad perſpicuitatem deſideret oratio. Facultates dicuntur, per quas aliquid facere poſſumus. Nã quidquid facimus,

Facultates.

eius facultatem habemus: quorum autem facultatem nõ habemus, eorum neq; actiones. Quare actio cũ facultate, facultas cum ſubſtantia cõnectitur. Nam & actio à facultate, & facultas à ſubſtantia, & in ſubſtantia eſt. Tria ergo

G

hæc ſunt, vt diximus, inter ſe nexa, quod facultatẽ habet, facultas, quod fieri poteſt. Quod facultatem habet, ſubſtantia: facultas, à qua vt poſſimus, habemus: quod fieri poteſt, id quod ex facultate natura comparatum eſt, vt efficiatur. Eorum autem quæ fieri poſſunt, alia ſunt neceſ-

Neceſſaria. Contingens.

ſaria, alia contingentia. Neceſſaria quidem quę prohiberi non poſſunt, aut quorum contrarium fieri nequit. Contingens verò quod prohiberi poteſt, vel cuius cõtrarium fieri poteſt, vt neceſſarium eſt, hominem viuum ſpirare, cuius etiam oppoſitum. fieri nequit, viuum non ſpirare: contingens, hodie imbrem eſſe, cuius contrarium quoq; fieri poteſt, hodie non eſſe imbrem. Rurſus contingentium, alia vt plurimum dicuntur, alia rarò, alia æquè in vtramq; partem contingere. Vt plurimum quidem, vt ſexagenarium caneſcere: Rarum, vt aliquem ſexagenarium non caneſcere. Æquè in vtramque partem, vt, ambulare, & non ambulare, & vt vno nomine dicam, agere aliquid, & non agere. De his igitur ſolis quæ in vtramque partem æquè cõtingunt, deliberamus. Dicitur autem in vtrãmq; partem æquè cõtingere, quod & ipſum poſſumus, & eius contrarium. Si enim vtrumq; non poſſemus, cùm ipſum,

H

tum eius contrarium, non ſanè conſultaremus. Neque enim de his quæ certa ſunt, neque de his quæ fieri nequeunt, quis deliberat: quod ſi alterum modo contrariorum poſſemus, equidem hoc eſſet certum, & minimè ambiguum, eiuſq; contrarium fieri non poſſet.

De fato.

CAPVT XXXV.

Fati conſtitutionem, quæ abſurda ſequãtur.

QVi aſtrorum circumuectioni cauſam omnium quæ fiunt aſſignant, non ſolum communibus notionib. aduerſantur ſed etiam omnẽ Reipublicæ adminiſtrationem, inutilem reddunt. Abſurdæ .n. leges, ſuperuacanea iudicia, quæ ab ijs pœnam exigant, in quibus nulla culpa ſit. Vituperare quoque, & laudare nulla ratio eſt. Nullus etiam vſus eſt precum, ſi omnia fato adminiſtrantur: ac prætereaquam quod inſtrumentum tantum cœleſtis circu-

A electionis homini reperitur, etiam exterminatur cũ religione, prouidentia: Siquidem à cœlorum motibus nō ſolùm partes corporis, ſed etiam animi cogitationes, ad agēdum impelluntur. Deniq; qui iſta diſſerũt, vna cum libera voluntate, contingentis naturam tollunt, & ſic nihil aliud agũt, quam quod vniuerſa labefactant. Iniqua etiam ipſa aſtra, quòd alios mœchos, alios homicidas efficiũt, & præ his, architectos eorum Deus: ſi eiuſmodi fecit, quæ mala nobis neceſſario importarent, vt horũ inſulſitas non modo in Republica verſetur, ſed etiam grauiſſimorum malorum cauſam, Deum efficiat. Quanquam fieri nullo modo poſſe, quod defendunt ratio conuincit. Verùm iſta ne aures quidem noſtræ ferre debent, quę perſpicuè abſurda ſunt, & de Dei maieſtate detrahunt. Qui autem vtrumq; tenent, & in noſtra poteſtate eſſe aliquid, & fato omnia euenire: (omnibus enim quę fiunt, datum eſſe aliquid fatale, vt aquæ, refrigerare, cuiq; ſtirpi, talem fructũ edere, B lapidi, deorſum ferri, igni, ſurſum, item animali, aſſentiri, & appetere: & cùm huic appetitui nihil rerum externarũ, neq; fatum obſtiterit, tunc ambulationem in morbis perfectam eſſe, & prorſus deambulaturos,) qui hæc dicunt, ſunt autem è Stoicis Chryſippus, & Philopater, aliįque multi, & nobiles, nihil aliud explicant, quàm omnia fato fieri. Si n. & appetitus animi nobis datos eſſe fato, eoſq; aliquando fato impediri, aliquando non impediri planum eſt omnia fieri fato, etiam ea, quæ in nobis ſita videntur. Rurſus iiſdem rationibus aduerſus eos vtemur, & huius opinionis inſulſitatem demonſtrabimus. Si enim iiſdem

Contra fatum.

cauſis poſitis, vt aiunt ipſi, omnino neceſſe eſt eadem fieri, nec fieri poteſt, vt aliquando ſic, aliquādo aliter eueniat, quòd illæ ex æterno tempore, præfixę ſtatutęque ſint, neceſſe eſt, & animalis appetitum omni modo, & ex omni parte, iiſdem cauſis poſitis, ita fieri. Quòd ſi verò etiam appetitus neceſſario conſequitur, vbi relinquitur quod in noſtra poteſtate eſt: Debet enim eſſe liberum quod in noſtra poteſtate eſt. Eſſet autem liberum, ſi iiſdē poſitis cauſis, in nobis eſſet aliquando appetere, aliquando refugere: at ſi neceſſario appetitus ſequitur, certè etiā fato fiunt, C quæ appetitum ſequuntur, etſi a nobis fiũt, & natura noſtra, & appetitu, & iudicio. Si enim fieri poſſet, vt appetitus non ſequeretur, falſa eſſet hæc enũciatio. Eiſdem cauſis poſitis, eadem ſequi, neceſſe eſſe. In beſtiis & inanimis idem reperietur. Si n. appetitum in noſtra poteſtate ponunt, quoniam natura eum habemus, quid prohibet dicere etiam in ignis poteſtate ſitum eſſe, vrere: quoniam natura vrit ignis. Quod etiam alicubi oſtendere videtur Philopater, in libro quem De fato conſcripſit. Non ergo quod per nos fato efficitur, in noſtra poteſtate eſt. Nam eadem ratione & in lyræ & in tibiarum & cæterorum inſtrumentorum, omniumq; rationis & animæ expertium, poteſtate, aliquid erit poſitum, cùm aliquis, ad aliquid efficiendum vtuntur, quod profectò abſurdum eſt.

De fato quod in aſtris ponitur.

CAPVT XXXVI.

Aduerſos ſapientes Ægyptiorum, qui dicũnt veram eſſe ſententiam de fato in aſtris poſito, ſed mutari D precibus, & procurationibus: eſſe .n. etiam horum ipſorũ ſiderum cultus quoſdam, qui ea mitigent, aliaſq; ſuperiores quaſdā vires, quæ ea poſſint flectere, ideoq; precationes, & deorum cultus eſſe inſtitutos: reſpondebimus, eos fatum facere rerum contingentium, non neceſſarium. At contingens infinitum eſt, infinitum autē incognitum. Itaque cùm omnis diuinatio tollitur, tum maximè eorum, qui prędicunt, & notant cuiuſque vitam ex natali die, qui γενεθλιάλογοι dicuntur, quam ipſi præ cæteris, vt validam quandam rem, & veram, commendant. Si dicant figurarũ affectiones eſſe perſpicuas, & a peritis cognoſci, verum cum figura nō ex propria vt euenerit, Deum prohibuiſſe, etiam hoc abſurdum eſſe, reſpondebimus: primum, quoniam preces ſolas, & deorum cultum, in noſtra poteſtate ſtatuunt, aliud prætereà nihil eorum ambigemus, cum eis quomodo cùm cæteræ oēs humanæ actiones, & electiones in cuiuſdammodi figura aſtrorum ſint ſitę, ſola precatio in nobis ſit poſita. Nam dubium eſt cur hoc ita ſe habeat, & quæ cauſa hanc neceſſitatem imponat. Deinde ſi ars quædam eſt, & doctrina iſtarum procurationum, quæ E fati vim prohibeat, verum oēs homines hanc doctrinam aſſequi poſſunt, an quidam poſſunt, quidam nō poſſunt: Si enim omnes poſſunt, nihil prohibet hac ratione, quin planè euertatur fatum, cum omnes autem eam quæ fati effectiones prohibet, didicerint. Sin aliqui aſſequi eam poſſunt, aliqui non poſſunt, qualis tandem, aut quis eſt, qui hoc præſcribat: Si .n. ipſum fatum alios facit cultores numinis diuini, alios non facit, rurſum omnia fato fieri inuenientur. Nam preces & cultum quę in nobis ſunt, nō ſolum non inferiora eſſe fato, ſed etiam ſuperiora iam cognouimus. Si non fatum, ſed aliud quippiam horum cauſa eſt, illud potius fatum cenſebitur. Nā in hoc ipſo, quòd per precationem rectè negotium noſtrũ agere poſſumus, aut non poſſumus, omnis fati vis continetur. Nam in his F qui poſſunt, fatum nihil eſt, qui non poſſunt, iis omnia fato eueniunt. Et quibuſdam hominibus omnia eſſe fatalia, quibuſdam nihil eſſe fatale, comperiemus. Neque dubium eſt, quin qui hoc præſcribit, ipſe veriſſimum fatũ ſit, & ſic omnia denuo fato fieri deprehendentur. Atque iniquus quis eſt, qui hoc diſtribuit, ſiue dæmon quis ſit, ſiue aliud fatum quodpiam. Non enim ad dignitatem, colendorum deorum viam hominibus tribuit. Cur enim hic dignior, quàm ille, cum omnes ſint inſtrumenta fati, & nihil quiſquam agat de ſententia ſua, imò ne eligat quidem? Nam in his quæ ita fiunt, nemo vel iuſtus, vel iniquus eſt. Itaque neque dignus, neque indignus beneficio. Qui autem paribus non tribuit paria, iniquus eſt.

De his qui dicunt optionem rerum agendarum in nobis eſſe, exitum verò rerum optatarum in fati poteſtate.

CAPVT XXXVII.

Qui autem dicunt optionem rerum agēdarum in nobis eſſe, ſed rerum optatarum euētum in fato, (ſunt autem hi Græcorum doctiſſimi,) partim rectè aiunt, partim falluntur. Nā quod in noſtra poteſtate ponunt optiones rerum agendarum, non tamen omnino earum exitus rectiſſimè dicunt: quod verò fato aſſignent, nō rectè. Primum enim coarguentur, quod imperfectum faciant fa- G tum, ſiquidem non habeat, quod nō habet: Deinde quod ipſum ſtatuant conſequens quiddam, ad noſtram voluntatem. Nam fati opera conſequentia eſſe dicũt voluntati, at qua ita moueri potius à nobis, quam mouere nos reperietur. Atq; etiam homo fato dominatior eſt, vt qui ipſum ſua optione effingat. Quamobrem rectius eſt dicere, exitus rerum cauſam in prouidentia conſiſtere. Nam prouidentiæ magis hoc opus eſt, quam fati. Prouidentiæ enim

Prouidentiæ quid proprium.

proprium eſt, pro ſuo cuique commodo, tribuere. Eamq; ob cauſam exitus earum rerum, quas ſelegerimus, & optauerimus, pro eo atque vtile futurum ſit, aliquando cōſequetur, aliquando non conſequetur. Quod ſi fatum, quòd ſi ſeries quædam cauſarum perpetua (ita enim fatũ Stoici definiunt, id eſt, ordinem, & connexionem immutabilem) non ad vtilitatem cuiuſque, ſed ſuo motu, & ne- H ceſſitate, exitus affert, quid dicant de omnino ſtolidis, & ſtultis, eoq; ab electione vacuis, vtrum fato illis adeſt, vt tales ſint, an non? Si enim non fato, fatum effugient, ſin fato, neceſſario ſequitur, ne electionem quidem in noſtra poteſtate ſitā eſſe: Si enim quod electionis eſt expers, ſub fatum cadit, neceſſario etiam, quod electionis eſt particeps, & ſic ad primorum illorum ſententiam, qui dicunt omnia eſſe fato, reuoluuntur. Superuacanea etiam pugna eſt in continente & incontinente, rationis, & cupiditatis. Si enim neceſſario conſtitutum, & definitum eſt, hoc agere, hoc non agere, quis vſus eſt diſſenſionis, in eo, & diſcordiæ: Quod ſi etiam confatale eſt, non modo agere, ſed etiam ita agere, quid aliud dicit qui ita ait, quam & electionem fatalem eſſe? Nam electio eſt, quæ cum cupiditate depugnat, & in continentibus ſuperat, in incontinentibus ſuperatur. Quare ſublata eſt eorum ſententia inanitio poſita, propterea quod in noſtra poteſtate electio non erit.

A

Quomodo Plato fatum dicat.

CAPVT XXXVIII.

PLato fati nomen vſurpat biſariam: Aliud enim in ſubſtantia, aliud in muneris functione ponit. Quod in ſubſtantia ponitur, animam vult eſſe vniuerſi: Quod in muneris functione diuinam legem immutabilem ob cauſam ineuitabilem. Quam legem etiam Adraſtiam dicit, eamque à primo, ſummoque Deo, vniuerſi animæ, ad omnium adminiſtrationem datam eſſe, per quam omnia quæ fiunt, gubernentur. Huc fatum in muneris functione poſitum, etiam prouidentiam appellat. Nam à prouidentia fatum comprehendi vult. Quidquid enim fato fiat, etiam prouidentia fieri, non tamen quidquid ſit prouidentiæ, etiam fati eſſe. Ipſa autem diuina lex, quam ait eſſe prouidentiam & fatum, omnia in ſe complectitur, alia quidem ſecundum propoſitum, alia à propoſito. Nam cauſas antecedentes, vt quædam principia, & ſecundum propoſitum complectitur, quæ in noſtra poteſtate ſunt, aſſenſiones, & iudicia, & appetitus. Quæ verò hæc neceſſariò conſequuntur, à propoſito ſunt. Atq; optio quidem rerum agendarum, quæ in nobis ſita eſt ſecūdùm propoſitum eſt. Poſitis autem ijs quæ in nobis ſita ſunt, ex his ipſis, vt à propoſito, fatum conſequi: vt verbi gratia in nobis eſt ſitum, nauigare, hoc ſecundum propoſitum eſt. Cùm ergo propoſitum fuerit nauigare, ſequi quæ à propoſito ſunt, naufragium facere, aut non facere. Idcircò à propoſito vocat ea quæ ſequuntur, & comitantur propoſitum, quod in noſtra poteſtate eſt, id eſt, principia & actiones, vt ſint ea quæ antecedunt, & in nobis ſunt, ſecundum propoſitum: quæ ſequuntur, à propoſito, neque in noſtra poteſtate ſint, ſed eueniunt neceſſariò. Non enim ex æternitate definitum, fatum eſſe, ſed accidere, cùm ea quæ in noſtra poteſtate ſunt, fuerint antegreſſa. Cum quo congruit illud; Culpa eius eſt qui elegit, Deus extra culpam eſt, item, virtuté caret e Domino, &, Eſſe diuinationes. Omnis autem eius oratio eò pertinet, vt electiones, & aliquas actiones ex electione, in noſtra eſſe poteſtate oſtendat. At quæ eas actiones conſequuntur, eorumque euentus neceſſariò in fati poteſtate. Sed hoc non verè dici ſuprà demonſtratum eſt. Ex ea ergo parte qua Dei conſtitutionem, & voluntatem fatum vocat, & fatum ſubijcit prouidentiæ, non multum diſcrepat à diuinis literis, quæ ſolam prouidentiam omnia gubernare confirmant. Sed ab iiſdem multis diſſentit, quod dicat neceſſario exitus eſſe conſequentes ijs, quæ in noſtra ſunt poteſtate. Nos enim quæ à prouidentia aſferuntur, non neceſſario euenire, ſed contingere, vt ſequantur, dicimus. Nam ſi neceſſariò, bona precationum pars amputabitur. Nam eo authore de ſolis principijs actionum, vt meliora ſcil. eligamus, preces inſtituuntur. Cùm autem elegerimus, in reliquum preces inanes ſunt, cùm omnia quæ ſequuntur, neceſſariò inferantur. Nos verò etiam in his maximam vim habere preces decernimus. Eſſe enim in prouidentiæ manu eum qui nauiget naufragium facere, & non facere. Non tamen alterum eorum neceſſariò accidit, ſed vt eueniat contingit. Non enim neceſſitati Deus paret, neque fas eſt dicere eius voluntatem neceſſitati ſeruire: etenim neceſſitatis ipſe auctor eſt & opifex. Neceſſitatem enim aſtris impoſuit, vt eodem ſemper modo mouerentur, & mare terminis ſuis concludit, vniuerſiſq; & generalibus rebus neceſſarium finem ſtatuit. Quem ſi volunt vocare fatum, quia vſquequaque ita neceſſariò fit, vt quæ ex propagatione oriuntur, intereant, nihil dicimus. Nam de nominibus cum ijs non ambigimus. Ipſe verò Deus non ſolum extra omnem neceſſitatem locatus eſt, ſed etiam eius Dominus & auctor eſt. Cùm enim ſit poteſtas & natura liberæ poteſtatis, nihil neque naturæ neceſſitate, neque legis ſanctione facit, ſed omnia ſunt illi contingentia, etiam quæ ſunt neceſſaria. Atq; hoc vt declararetur, iuſſit olim curſum ſolis & lunæ conſiſtere, quæ neceſſariò feruntur, & ſemper eodē modo ſe habent, vt oſtenderet, nihil ſibi neceſſariò fieri, ſed omnia pro poteſtate contingere, vt eueniant. Semel autem eiuſmodi diem fecit, quod & ſcriptura ſancta notauit, vt potentiam modo ſuam declararet, neque legem neceſſariæ motionis aſtrorum, quam illis à principio dedit, abrogaret. Sic & aliquot homines in vita cōſeruat, vt Eliam & Enoch, quamuis mortales & caducos, vt per hęc omnia eius potentiā, & quæ cogi nulla ratione poteſt voluntatem intelligamus. Stoici autē aiunt ſtellas errantes, cùm ad idem, & in longitudine, & in latitudine ſignum referuntur, in quo initio erant, cùm primum mundus eſt conditus, certo temporum ambitu conflagrationem & interitum rerum efficere, & de integro mundum eodem reſtitui. Et quoniam ſidera, ſimiliter rurſus ferantur, omnia quæ in priori ambitu fuerint, immutabiles effici. Futurum enim rurſum Socratem, & Platonem, & quemque hominem cum iiſdem & amicis, & ciuibus, & eadē cuiq; euéntura, & eadem tractaturum, omneſq; ciuitates & pagos, & agros ſimiliter reſtitui. Atq; iſtā reſtitutionem vniuerſi, nō ſemel, ſed ſæpè fieri, imò infinitè & ſine vlla terminatione eadē referri. Deos verò qui hunc interitum effugiant, vno ambitu aſſequi, & cognoſcere omnia quæ in ſequentibus conuerſionibus futura ſint. Nihil enim fore noui, quod prius nō fuerit, ſed omnia eodem modo ſine vlla variatione, etiā vſq; ad minima quęq; euentura. Atq; propter iſtam reſtitutionem dicunt aliqui, Chriſtianos reuocationem corporum à morte ad vitā imaginari. Sed multum aberrant à vero. Nam ſemel vitam reſtitui mortuis, non per ambitum, Chriſti oracula arbitrantur.

B

Quæ ſunt à propoſito.

C

Prouidētia cōtingentiam non tollit.

D

E

Elias & Enoch in vita conſeruantur

F

De libera voluntate, ſeu de ijs quæ in noſtra ſunt poteſtate.

CAPVT XXXIX.

DIſputatio de libera voluntate, id eſt, de eo quod in noſtra poteſtate eſſe dicitur, primā habet quæſtionem, an ſit aliquid in noſtra poteſtate, multi enim ſunt qui repugnent: Alteram, quæ ſint illa quæ in noſtra ſunt poteſtate, & quorum liberam habeamus voluntatē: Tertiam, vt cauſam inueſtigemus, cur nos parēs noſter Deus libera volūtate genuerit. Quare oratione repetita, primū dicamus, de primo, & aliquid eſſe in noſtra poteſtate, ex his quæ ab illis conceduntur, demonſtremus. Omnium quæ fiunt, aut Deum cauſam eſſe aiunt, aut neceſſitatem, aut fatū, aut naturam, aut fortunā, aut caſum. Verùm Dei quidem opus, ſubſtantia & prouidentia eſt. Neceſſitatis, motus eorum quæ ſemper eodem modo ſe habent: Fati, quæ neceſſariò fiant, quæ fato efficiuntur; Etenim fatū, neceſſitatis eſt: Naturæ, ortus, accretio, interitus, ſtirpes, & animalia: Fortunæ quæ rara ſunt, & præter expectationem. Definiunt enim fortunā congreſſum & concurſum duarum cauſarum, quæ ab electione & voluntate principium habent, & aliud quippiam efficiunt, quàm natura paratum ſit vt faciant: vt verbi gratia; Si qui foderit, theſaurum inuenit. Nam neque qui condidit, ita cōdidit, vt ille reperiret, neque qui inuenit, ita fodit vt theſaurū inueniret. Sed ille quidem, vt cùm vellet, tolleret, hic vt foueam efficeret. Accidit autem aliud quippiam, quā vterque ſtuduerit. Caſus verò opera ſunt, inanimorū, aut beſtiarum euentus ſine natura & arte. Ad quod igitur horū reducemus ea quæ per homines fiunt, ſi homo cauſa non eſt & principium actionum? Atqui neq; Deo fas eſt aſcribere turpes interdum actiones & iniquas, neq; neceſſitati; non enim ſunt è numero eorū quæ ſemper eodem modo ſe habent, neque fato: non enim contingentia, ſed neceſſaria ſunt, quæ fato fiunt, neque naturæ: naturæ enim opera animalia ſunt & ſtirpes: neque fortunæ, neq; enim raræ ſunt, & præter expectationem, hominum actiones: neque caſui, nam caſus eſt euentus inanimorum, aut beſtiarum. Relinquitur ergo ipſum qui agit & facit hominem, principium eſſe ſuorum operum, & libera volūtate poteſtateque eſſe præditum. Præterea ſi nullius actionis homo auctor eſt, ſuperuacaneè habet conſultandi facultatem. Quorſum enim vtetur deliberatione, ſi nullius actionis eſt Dominus? Facete autem, vt, quod pulcherrimum & præſtātiſſimum in homine eſt, ſuperuacaneū ſit,

G

Fortuna.

H

Caſus.

A

Homo libera voluntate prædirus eſt.

abſurdiſſimum eſt. Quare ſi conſultat, agendi cauſa conſultat: omnis enim deliberatio actionis cauſa, & propter actionem inſtituitur. Præterea, quorum munerum functiones in noſtra poteſtate ſunt, horum etiam actiones, quæ cum illis functionibus conſentaneæ ſunt, in noſtra ſunt poteſtate. Sunt autem in noſtra poteſtate functiones cum virtutibus conſentaneæ, quare & virtutes in noſtra poteſtate ſunt. Eſſe autem in nobis functiones cum virtute conſentaneas, declarat, quod ab Ariſtotele rectè dictum eſt de virtutibus moralibus: quæ enim faciendo diſcimus, ea cùm didicerimus, facimus. Nam diſcendo moderati voluptatibus, temperantes euadimus. Et cùm temperantes euaſerimus, voluptatibus moderamur. Licet etiam ſic agere. Meditari & exerceri omnes concedunt in noſtra poteſtate eſſe, in exercitationibus autem habituum eſt dominatus: nam conſuetudo natura eſt aduentitia. Sin autem meditatio domina eſt habitus, meditatio porrò in noſtra poteſtate eſt, etiam habitus in noſtra poteſtate eſt. Quorum autem habitus in noſtra poteſtate ſunt, eorum etiam actiones ad eos habitus in noſtra poteſtate ſunt, nam ad habitus actiones ſunt accommodatæ. In quo ergò iuſtitiæ habitus eſt, iuſta aget: in quo iniuſtitiæ, iniuſta: Itaque in nobis ſitum eſt, iuſtis eſſe, aut iniuſtis. Eſſe autem aliqua in noſtra poteſtate, cohortationes & admonitiones oſtendunt. Nemo enim hominem hortatur ad non famendum, neque ad ſitiendum, neque ad volandum, non enim hæc in noſtra poteſtate ſunt. Quare perſpicuum eſt, quarum rerum hortationes ſunt, eas in noſtra eſſe poteſtate. Præterea ſi nihil in noſtra poteſtate eſt, ſuperuacaneæ ſunt leges, & tamen naturaliter omnes gentes legibus quibuſdam vtuntur, quòd ſciant ſe habere poteſtatem agendi quæ legibus ſanciuut, & pleræque gentes leges ſuas ad Deos authores referunt, vt Cretenſes ad Iouem, Lacedæmonij ad Apollinem. Quare naturaliter omnium hominum mentes hæc imbuit opinio: eſſe aliqua in noſtra poteſtate. Quod de hortatione & admonitione diximus, idem de vituperationibus & laudibus, cæteriſque, quæ euertunt hanc ſententiam, Omnia fato fieri, intelligendum eſt.

B

In nobis quidē ſitū eſt eſſe iniuſtos, at eſſe iuſtos potiſſimum, & primū ex gratia Dei habem⁹: ſed cooperantib⁹ nobis per noſtrum liberū arbitrium.

C

Quæ ſint illa quæ in noſtra ſunt poteſtate.

CAPVT XL.

ESSE aliqua in noſtra poteſtate, & eſſe nos dominos actionum quarundam, abundè demonſtratum eſt. Deinceps dicamus, quæ ſint illa quæ in noſtra poteſtate ſunt. Dicimus ergo generatim omnia, quæ per nos ſponte aguntur, in noſtra poteſtate eſſe. Non enim dicerentur ſponte fieri, ſi in noſtra poteſtate actio non eſſet, & omnino quæ vituperatio aut laus inſequitur, & in quibus adhortatio lexque verſantur. Etenim hoc ſuprà à nobis declaratum eſt. Propriè autem in noſtra poteſtate ſunt, omnia quæ ad animum pertinent, & de quibus conſultamus. Conſultamus enim perinde quaſi in noſtra ſit poteſtate agere, quod proponitur. Oſtenſum eſt autem ſuprà, conſultationem eſſe rerum contingentium, peræquè in vtramque partem. Quod genus contingentium ſic definitur; Quod cùm ipſum poſſumus, tum eius oppoſitum. Huius optio penes noſtram mentem eſt, & hæc actionis eſt principium, eaque in noſtra poteſtate ſunt, quæ æquè in vtramque partem contingunt, vt moueri, & non moueri, perſequi & non perſequi, appetere res neceſſarias & non appetere, mentiri & non mentiri, dare & non dare, lætari quibus rebus oportet, & non lætari, denique quæcunque eiuſmodi ſunt, vt in ijs vitij & virtutis opera inſint. Horum enim penes nos poteſtas eſt. Sunt etiam artes in ijs quæ æquè in vtramque partem eueniunt. Omnis enim ars in ijs gignendis verſatur, quæ eſſe, & non eſſe contingit, & quorum principium in eo qui facit, non in eo quod fit, reperitur. Nihil enim quod æternum, vel quod neceſſario eſt, vel neceſſario fit, arte fieri dicitur. At verò neque quæ ita fiunt, vt aliter quidem ea ſe habere contingat, ſed in ſeipſis efficiendi vim cohi-

D

Contingētia quæ ſunt.

E

bent, vt in animalibus accidit, & ſtirpibus, arte dicuntur fieri, natura enim non arte fiunt. Quòd ſi eorum quæ fiunt arte, extra eſt cauſa efficiens, quis cauſa eſt eorū quæ arte fiunt? An qui facit artifex? Nam in artificis poteſtate eſt, facere. Hic ergò principium & cauſa eſt actionum. In noſtra ergo ſunt poteſtate & artium munera, & virtutes, & omnes animæ rationiſque actiones. Quæ autem animæ ſint actiones & munera, ſupra expoſitum eſt. At plerique quod liberam voluntatem & poteſtatem in omni re agenda & comparanda, atque etiam omni fortuna dici arbitrantur, meritò rationem de ſoluta & libera hominis voluntate improbant. Qui autem acerbiores ſunt, & refellendi noſtri cauſa, adducunt illud ſcripturæ ſanctæ: *Non ſunt in homine viæ eius*, quomodo inquiunt viri boni, homo ſui iuris eſt, cùm in eius poteſtate via ſua non ſit, & inanes ſint cogitationes hominum, vtpote cùm exequi non poſſimus quæ cogitamus? Alia multa dicunt eiuſmodi, quòd neſciant quomodo voluntas in homine libera ſtatuatur. Non enim vt diteſcimus aut paupertes, aut perpetuo ſani, aut natura robuſti, aut in imperio, aut omninò bonis abundemus, quæ inſtrumenti locum obtinere, vel fortunæ bona dicuntur, aut eorum quorum exitus à prouidentia pendet, noſtra poteſtas eſt, ſed actionum ad virtutem, & vitium, & electionum, & motuum, & quorum æquè etiam oppoſita agere poſſumus: quandoquidem omnem actionem electio antecedit, neque ſolùm actio, ſed etiam electio & voluntas damnatur. Quod docet illud in Euangelio, *Qui mulierem aſpexerit ad eam concupiſcendam, iam in corde ſuo cum ea adulterium commiſit.* Et Iob pro filiorum ſuorum peccatis cogitatione admiſſis, Deo ſacrificabat. Nam principium peccati, & iuſtè facti electio, & voluntas eſt. Opus enim quidem ipſum aliquando permittitur à prouidentia, aliquando prohibetur. Nam cùm & in noſtra ſit aliquid poteſtate, & prouidentia ſit, neceſſe eſt ab vtriſque quæ fiunt euenire. Nam ſi ex altero tantum acciderent, non eſſet alterum, ſed cùm quæ fiunt mixta ſint, aliquando proficiſcentur à noſtra voluntate, aliquando fient ratione prouidentiæ, aliquando manabunt ex vtroque. Cùm autem prouidentia partim ſit communis, partim propria, neceſſe eſt rebus ſingulis idem venire, quod vniuerſis. Nam cùm cœlum ſiccum fuerit, ſiccantur corpora, etſi non omnia æquè, & cùm mater recto victu vſa non fuerit, aut luxui ſe dediderit, ex ea fœtus, & corporibus malè temperatis, & peruerſis appetitionibus gignuntur. Quare accidit, vt & in corporis temperationem incidant non proſperam, aut ob commune cœlum, aut ex voluntario victu parentum, aut dum illi ipſi luxuriæ ſe corrumpendos dediderunt, vt interdum temperationes è voluntario principio malæ reddantur, neque omninò prouidentia talium cauſa ſit. Cùm ergo animus corporis temperationi ſuccumbens, ſe cupiditatibus aut iracundijs tradiderit, & ijs rebus quæ à fortuna importantur depreſſus, aut laxatus fuerit, vt paupertate, aut diuitijs, malo vrgetur voluntario. Qui enim non ſuccumbit temperationi corporis, is rectè ſuo fungitur munere, & malam temperationem ſuperat, vt commutet potius, quàm commutetur, & animi affectiones, ad bonum habitum proba inſtitutione, & victu idoneo traducit. Quare ex his qui rectè ſuo munere funguntur, cognoſcitur eos qui non rectè illud ipſum præſtant, peccatum ſuſcipere voluntarium. Nam in noſtra poteſtate eſt ſitum, aut dedere ſe malis temperationibus, aut reluctari & vincere. At plerique malam temperationem, vt perturbationum cauſam excuſantes, neceſſitati, non ſuæ ipſorum voluntati vitium aſcribunt: & idcircò abſurdiſſimè etiam virtutes in noſtra poteſtate poſitas eſſe negant.

Hier. 10.

Argumēta eorum qui negāt lib. arbit. refellūtur.

F

Matt. 5.

Iob 1.

Electio principiū peccati.

G

Prouidētiæ effectus, partim communes ſunt, partim proprij.

H

Quam

A

Quam ob cauſam libera voluntate procreati ſumus.

CAPVT XLI.

Ortus cuiuſque rei ex mutatione eſt.

Reliquum eſt vt dicamus quam ob cauſam libera voluntate procreati ſimus. Dicimus ergo, cum ratione natura coniunctam eſſe liberam voluntatem, & rebus genitis connatam eſſe mutationem, ijs maximè quæ ex ſubiecta materia generatæ ſunt. Principium enim cuiuſq; ortus mutatio eſt. Nam ex commutatione ſubiectæ materiæ ortus exiſtit. Facilè autem intelligetur, quod dicimus, ſi ſtirpes omnes & animalia terrena, & aquatilia, & volatilia reſpiciamus. Continuata enim eſt horum mutatio. Verùm copulari natura cum ratione liberam voluntatem, ex his quæ diximus, cùm aliqua in noſtra eſſe poteſtate diſſereremus, apertum eſt ijs qui attentè, ſtudioſeque audierunt. Alienū tamen fortè non ſit etiam nunc, eadem admonere, quādo hoc ordo diſputationis poſtulat. Eius quod ratione vtitur, aliud in contemplando, aliud in agendo ponitur. In contemplando ponitur, quod rerum naturam, quemadmodum ſe habeat, perſpicit. In agendo, quod deliberat, quod rebus ijs quæ ſub actionē cadunt, rectam rationem ſtatuit. Atque illud quidē mentem, hoc rationem, illud ſapientiam, hoc prudētiam appellant. Quicunque autem conſultat, quod in ſe ſit optio rerum agendarum, conſultat vt eligat quod è conſultatione ſit antepoſitum, & vbi elegerit, agat. Omnino ergo neceſſe eſt, eum in quo ſit conſultatio, etiam Dominum eſſe actionum. Si enim Dominus nō eſt actionum, fruſtra habet deliberandi vim. Quod ſi ita eſt neceſſario cum ratione, libera voluntas exiſtit. Aut enim non erit rationis compos, aut ſi ſit rationis cōpos, erit Dominus actionum. Si autem ſit Dominus actionum, omnino liberam habebit agendi voluntatem. Demonſtratū etiam eſt, quæ ex ſubiecta materia nata ſunt, mutabilia eſſe. Itaque ex vtroque concluditur, hominem neceſſario libera eſſe voluntate, atq; mutabilem. Mutabilem, quoniam genitus: libera voluntate, quoniam ratione præditus. Quare, qui Deum accuſant, quod hominem crearit eiuſmodi, vt in eum vitium cadere nullum poſſet, ſed liberæ voluntatis effecerit, imprudētes Deum accuſant, quòd rationis cōpotem, ac nō à ratione vacuum hominem genuerit. Neceſſarium eſt enim alterū de duobus, aut rationis expertē eſſe factum, aut ſi rationis eſſet particeps, & in rebus agēdis verſaretur, eſſe libera voluntate. Neceſſario igitur omnis natura rationis particeps, libera volūtate eſt, & ſua natura mutabilis. Sed illæ quidem naturæ, quæ ex ſubiecta fiunt materia, dupliciter ſunt mutabiles, & propter materiam, & hoc ipſo quod factæ ſunt. Quæ autem non ex ſubiecta materia effectæ ſunt, vno ſolummodo, nēpe ortu, mutabiles ſunt. Rurſus ex his naturis quæ materia vacant, eæ quæ circa terram verſantur, & ob ſocietatem, quam cum hominibus habent, in rebus agendis occupātur, magis ſunt cæteris mutabiles. Quæ verò ob naturæ præſtantiam cum Deo per inclinationem & propenſionem verſantur, & per illius contemplationem beatitudine fruuntur, & in ſeipſas, & Deum ſolum conuerſæ à rebus agendis, & materia planè ſe remouerunt, & contemplationi, Deoque ſe coniunxēre, manent immutabiles: Libera quidem voluntate prædiṫæ, quoniā ratione vtuntur, nō tamen mutabiles ob eas cauſas quas iam diximus. Neque ſinè miri quicquam eſt. Etenim homines cōtemplationi dediti, qui ſe ab agendis rebus auocarunt immutabiles permanſere. Puto illud quoque iam eſſe demonſtratum, naturas rationis participes, ab initio optimè eſſe genitas: ac ſi, vt à principio ſunt conditæ: ita manſiſſent, ab omni fuiſſe vitio remotiſſimas. Nūc ſua ipſæ voluntate & electione in vitium incurrunt. Nam quæ ita permāſerunt, vt initio generatæ ſunt, beatitudine perfruuntur.

Conſultatio libertatem habet.

B

C

Omnis natura rationalis neceſſario eſt libera.

D

Angelorū quorundā lapſus. Errat aperè Nemeſius dū putat errorē terrenorum fuiſſe peccatū illud quo Angeli ceciderunt. *Vide S. Thom. 1. p. q. 63. ar. 2. & 3. & Sixtū li. 5. Bibl. anno 76.*

Soli autem Angeli inter ea quæ ſunt ſine corpore, mutati ſunt, neq; hi omnes tamen, ſed aliqui qui ad inferiora propenſi, res terrenas concupierunt, cùm à propenſione ad res ſuperas, & Deum diſceſſiſſent. Itaque ex his quę demonſtrauimus manifeſtum eſt, quoniam natura ſumus mutabiles, vires nos quibus eligimus, mutabiles habere. Neq; tamen quoniam mutabiles vires habemus, improbitatis noſtræ culpa, in Deum conferenda eſt. Non enim in facultatibus ſunt vitia, ſed in habitibus. Habitus autē ex electione & voluntate ſunt. Itaq; noſtra ipſorum electione & voluntate improbi euadimus, nō natura ſumus.

E

Quod accuratius doceri poteſt ſic. Suprà facultatem eſſe dicebamus, per quā omnia quæ facimus, facere poſſumus. Omnis autem vis eligendi oppoſitorum eſt, vna enim eademque facultas eſt, & mentiendi, & verū dicendi, & vna eademq; facultas temperatè & intemperatè viuendi. At non idem habitus contrariorum eſt, vt intemperanter & temperanter viuendi, aut mendacium, & verum dicendi: ſed contrariorum contrarij ſunt habitus. Nam temperanter viuere, habitus eſt virtutis, intemperanter, vitij. Non ſunt ergo vitia facultatum, ſed habituū, & electionis. Non enim facultas eſt quæ facit, vt immodeſtè viuamus, aut mendacium dicamus, ſed electio. Erat enim in noſtra poteſtate, verum dicere, nō mendacium. Si ergo vitium facultas non eſt, ſed habitus, non qui facultatem nobis dedit, cauſa nobis improbitatis eſt, ſed habitus, qui per nos & propter nos comparatur. Licebat enim contrarium habitum, non iſtum vitioſum exercitatione quærere. Differt autem facultas ab habitu, quòd omnes facultates naturales ſint: habitus à nobis parti: & facultates doctrina tradi non poſſint, habitus diſcendo & conſuetudine adueniat. Quocirca ſi facultas naturalis quædam res eſt, nec doctrina tradi poteſt, habitus aduentia & doctrina traditur, non natura, cauſa vitiorum eſt, ſed quod vitioſè inſtituti ſumus, & idcircò vitioſum habitum comparauimus. Omnem enim habitum comparari à nobis oſtenſum eſt. Facultates porrò eſſe naturales, ex eo patet, quòd omnes eaſdem habent facultates, exceptis ijs qui mutili ſunt. Contra, habitus non eſſe naturales, idem perſpicitur, quod non eoſdem omnes habent habitus, ſed alij alios. Quæ enim natura ſunt, eadem ſunt apud omnes.

F

Vitia ſunt electionis

Facultates & habitus differunt.

De prouidentia.

G

CAPVT LXII.

Libera voluntate eſſe hominem, & quarum rerum liberam habeat voluntatem, & cur libera voluntate creatus ſit, ſatis ſupra explicatum eſt. Sed quoniam, non, cuicunque propoſitum eſt, hominem interficere, etiam interficit, ſed aliquando interficit, aliquando non interficit: quòd electio eius impedita ſit, neque cadat ex ſententia quod propoſuerat, & horum cauſam eſſe, non fatum, ſed prouidētiam dicebamus, ſequitur tractationem de libera volūtate, diſputatio de prouidentia: quæ etiam in tres partes diuiditur. Primùm enim quęrendū eſt, ſitne prouidentia: ſecundo quid ſit: tertio quorum ſit. Ac Iudæus quidem, ne inſanus quidem ſit, prouidentiam ignoret, cùm ſciat miracula quæ in Ægypto euenēre, cùm audierit quæ in ſolitudine contigerint: in quibus illuſtrior hominibus apparuit prouidentia, quàm quæ in oculis cernuntur, item cùm multa opera prouidentiæ, & in Prophetis & Babylone cognouerit, quæ omnem dubitationem reſpuunt. Chriſtianos autem, cùm hæc omnia docent eſſe prouidentiam, tum in primis diuiniſſimum illud, & ob eximium amorem in humanum genus ſummè incredibile prouidentiæ opus, quod Deus ſe corpore, noſtra cauſa, induerit. Sed quoniam non cum his modo diſputamus, ſed etiam contra Græcos oratio noſtra inſtituitur, age etiam per alia, quibus illi fidem tribuunt, eſſe prouidentiam demonſtremus. Itaque eſſe prouidentiam ijſdem rationibus, quis oſtendat, quibus Deum eſſe probauimus. Nam omnium permanentia, & maximè eorum quæ oriuntur & occidunt, ſitus item & ordo rerum, qui ſemper idem cōſeruatur & aſtrorum curſus, qui nihil vnquam variatur, & annui circuitus, & anni temporum reſtitutio, noctium & dierum ſemel in anno æqualitas, vtriſque viciſſim, neque maiore, neque minore parte, augeſcentibus & decreſcentibus, quomodo ſi nemo prouideat, ſimiliter adminiſtrari & perſeuerare poſſit? Quin

Diſputationis de prouidētia tres ſunt partes.

H

Eiſdem rationibus Deū eſſe, & prouidentiam, probam᷑.

A

etiam pœna quæ peccata inſequitur,imo peccatorũ ipſorum detectio,quando, vt nemo ſit qui ea poſſit coarguere,quibuſdam circumſtãtijs proferuntur, eſſe prouidentiã declarat.Plenæ ſunt huiuſmodi hiſtorijs, & Hebræorum ſcripturæ,& Græcorũ literæ. Nam eiuſmodi Suſannæ caſus literis ſanctis mãdatus eſt, & apud Græcos Poëtæ Ibyci.Hic enim,cùm à quibuſdam interficeretur,neq; vllum vel adiutorem,vel teſtem haberet iniuriæ,conſpicatus grues:Vos,inquit,mortem meam vindicate.Poſtea quærentibus ciuibus,quis cędem feciſſet,nec deprehendentibus accidit,vt cùm theatrum celebraretur,& populus ſpectandi cauſa cõſideret,grues præteruolarẽt. Quos cùm vidiſſent,qui cædis erant auctores,riſerunt, & ecce, inquiunt,Ibyci vindices.Quod cùm quidã, qui proximè aſſidebat,audiſſet,detulit ad magiſtratum,illiq; comprehenſi,de cæde confeſſi ſunt.

Dan.13.

B

Multa huiuſmodi à veteribus literis mandata ſunt, quæ ſi quis velit colligere, infinitè excreſcat oratio. Quod ſi non omnium peccata ad eundem modũ produntur,imò aliqui effugere videntur, nemo propterea neget eſſe etiam prouidentiam. Non enim vno tantùm modo hominibus conſulit, ſed multis & differentibus. Maximè autem eſſe prouidentiam oſtẽdit,corporum quæ oriuntur & intereunt fabrica, & proportio quæ perpetuo ſimiliter retinetur. Nam in omni corporis parte apparet prouidentiæ cura.Quod licet ſtudioſis & induſtrijs hominibus diuerſis è libris colligere. Colorum quoque,qui in animalibus ſunt varietas, eundem ſemper ornatum ſeruans,clamat eſſe prouidentiam. Atque etiam quod inter omnes homines conſtat, adhibendas eſſe preces numini diuino, idque muneribus & ſacrarijs colendum eſſe,prouidentiam ſignificat. Si enim nulla prouidentia hoc vniuerſum gubernaretur,quis,aut à quo quiſpiam precabitur? Idem confirmat ſtudium benignè faciendi quod ab hominibus nõ diſtortis & deprauatis naturaliter colitur. Nam mercedem eius in poſterũ tempus expectantes,etiam in eos qui rependere nõ poſſunt,beneficium conferimus.

In ſingulis partib' corporis apparet prouidẽtia.

C

Quod ſi tollatur prouidẽtia, permitti videtur iniuria ijs qui eam inferre poſſunt, tollitur erogatio in pauperes,Deiq; metus, & ſimul cum iſtis virtus religioq; euertitur. Si enim Deus non prouidet,neq; punit,neq; viris bonis prẽmia tribuit,neq; propulſat iniuriam,ab ijs qui iniuſtè læduntur, quis Deũ veneretur, qui nulla in re quicquam nobis ſit adiumento? Deletur etiam prophetia,& omnis præſcientia. Sed hæc non ſunt cõſentanea cum ijs,quæ quotidie ferè videmus accidere.Multis enim neceſſario ipſorum tempore Deus apparuit,multa etiã in ſomnijs ęgrotantibus auxilia dantur,& multę pręſenſiones quibuſq; ſeculis,prolatę ſunt. Multi qui aliquem trucidarunt, impieq; ſunt cruentati: aut aliquid nefandi commiſere,noctes atq; dies terrẽtur. Præterea Deus bonus eſt: cùm autem bonus ſit,ad bene merendum propenſus eſt. Si ad bene merendum propẽſus,etiam prouidus. Quid hic recẽſeam res quaſq; ab orbis architecto Deo creatas, earũmq; proportionẽ & harmoniam,& ſitum,& ordinem,& vſum, quem vnaquæq; affert vniuerſo?& ita omnia eſſe conſtituta demonſtrem, vt aliter rectè ſe habere non poſſint,atq; nũc habent, néque acceſſionem accipere,neq; rem vllam eſſe quæ poſſit occidere,ſed omnia perfecta & venuſtã,ſapienter ac prudenter ædificata eſſe?

Sublata prouidẽtia,omnis religio euertitur.

D

Sed eiuſmodi commemorationem in diſputationem de creatione differamus,ne nobis accidat quod multis qui de prouidẽtia ſcripſerũt. Nam creationem;loco prouidentiæ celebrant, quæ ducit quidem nos ad diſputationem de prouidentia, ſed multum tamẽ ab ea diſcrepat. Non enim idẽ eſt prouidentia, ꝙ creatio. Nam creationis eſt,rectè efficere quæ fiunt. Prouidentię, conſulere ijs quæ effecta ſunt. Neque hæc omnino coniuncta ſint,vt licet videre in hominibus, quãlibet artem & rationem ſcientiæ exercentibus. Horum enim alij in hoc ſolùm ponunt operam,vt rectè efficiant, neq; quicquã curant amplius:vt qui in fabricandi,pingendi,ſigendique arte occupantur. Alij ſolùm procurant & prouidẽt, vt bubulci,& pecudum paſtores. Quare etiam nos in diſputatione,de creatione,aptum ſit demonſtrare, rectè facta eſſe quæ facta ſunt. At in tractatione de prouidentia,

Creatio & prouidentia differunt.

E

eſſe procurationem, quæ illis,poſtquam facta ſint,conſulat,declarandum eſt.

Quomodo ergo homo ex homine, bos ex boue, ſemper gignitur,& quodq; ex ſuo,non ex alio ſemine oritur, ſi abeſt prouidentia? Nam ſi quis dicat,vt ab initio quæq; procreata ſint,ita ſerie quadam procedere,hoc dicat cum creatione omnino copulatam eſſe prouidentiam. Nam ꝙ ordine procedant, quæ creata ſunt, prouidentiam cum creatione conſtitutã eſſe oſtendit. Nam prouidentiæ eſt, res creatas adminiſtrare, atq; ita nihil aliud hic dicit, quã eundem eſſe qui res creet, & creatis conſulat. Quis cùm videat formas hominũ in infinita penè multitudine differentes,neque vſquam penitus eaſdem eſſe, nõ admiretur,& ſi cum animo ſuo reputet, non aſſequatur à prouidentia formas rerum ſingulatũ eſſe diſtinctas? Quod hoc modo licet intelligas.

Formę hominum prouidentiam oſtendunt.

F

Si eandem retinerent ſine vlla variatione figuram,quanta rerũ confuſio ſequeretur? Quãta inſcitia, quantæ tenebræ hominem occuparent, qui neq; familiarem,neq; alienum cognoſceret,neq; hoſtem aut improbum,ab amico,aut probo viro diſcerneret: Omnia verè ſimul eſſent, vt Anaxagoræ fuit opinio. Nam hoc ſi ita eſſet,nihil obſtaret, quo minus cum ſororibus & matribus corpus miſceremus,aut prædaremur, aut aliud quippiam palàm improbè faceremus, ſi id modo eſſet declinatũ,ne in ipſo facinore deprehẽderemur. Nam poſtea conſpecti,agnoſci nõ poſſemus. Neque etiam lex, aut Reſpubl. vlla conſtituta eſſet,neq; patres,& filij inter ſe cognoſcerent,neq; aliud quippiam quod ſit ad hominis naturam,cohæreret. Cæcus enim eſſet homo,quantũ quidem ad homines dijudicandos pertinet, neq; ei oculorum ſenſus multum adiumenti afferret. Pręter enim ætatem,& magnitudinem nihil dijudicaret. Tãtorum ſcil. commodorum cauſa,nobis prouidentia eſt, quæ perpetuo,& vbique gentium,hominũ formas diſtinguere non intermittit. Quod maximum eſt argumentum,etiã rebus ſingulis Dei prouidentia conſuli, ſi quidem vel figura,& lineamentis,& voce,quiſq; cognoſcitur.

G

Neque hoc pręcisè retinetur, perinde quaſi forma ſatis ſit. Nam velut corollarij loco,etiam colorum differentiam prouidentia adiecit, vt naturæ humanæ imbecillitati multis modis ſuccurreretur. Arbitror etiam pleraque animalia,quæ ſecundùm ſpeciem figura ſunt ſimili,quod genus ſunt cornix,& coruus,habere aliquas in aſpectu differentias,quibus inter ſeſe coniugatim cognoſcant. Cornices enim & corui congregantur quidẽ multi ſæpè,coniugatim tamen ſeparantur,quoniam quoduis horum animalium iugatã, & natura ſibi coniunctam auem,agnoſcit. Quomodo autem inuicem agnoſcerent,niſi eſſet cuique ſuæ formę deſcriptio,nobis quidem non facilis ad iudicandũ, ſed quæ naturaliter tamen, ab ijs quæ in eadem ſunt ſpecie facilè cognoſcatur? Etiã ſigna & oracula,& omnia, & prodigia, (nam ad Græcos oratio mea pertinet) ſua ratione, vt ipſi loquuntur,euentus eorum quæ oſtendunt, conſeruãtia, profecto prouidentiæ ratione ſignificant, & ad ea quæ ſignificant veritatem euentorum adiungunt.

Quid ſit prouidentia.

H

CAPVT LXIII.

VErum eſſe prouidentiam,cùm per hæc apertum eſt, tum per ea quæ dicentur, deinceps eluceſcet. Dicamus igitur quid ſit prouidentia. Prouidentia eſt rerum procuratio à Deo ſuſcepta. Definiunt eandem ſic, Prouidentia eſt Dei voluntas, per quàm omnia quæ ſunt, aptè gubernantur. Quod ſi Dei voluntas eſt prouidentia, neceſſe eſt recta ratione,& optimè, & diuiniſſimè ; & qua ſola ratione rectè ſe habent,fieri quæ fiunt, neq; melioris ordinis eſſe capacia. Neceſſe eſt autem,eundem eſſe, qui res efficiat, & effectis prouideat. Neq; enim rectum eſt,nec decet, alium efficere, alium ea quæ effectã ſint procurare. Nam hoc quidẽ certè imbecillitatis eſt. Multã ſunt etiam in animalibus ſimulachra, & imagines eorum quæ diximus. Quidquid enim genuit, cibum quoq; fœtui procurat, & homo etiam de cæteris omnibus quæ ad

A

vitam degendam ſpectant, quoad eius fieri poteſt proſpicit. Quæ verò non prouident, ob imbecillitatem non prouidet. Quare oſtenſum eſt Deum eſſe qui prouideat, & prouidentiam eſſe eiuſdem voluntatem.

Quarum rerum ſit prouidentia.

CAPVT LXIV.

Platonis ſententia de prouidentiæ partibus.

ESSE igitur prouidentiam, & quid ea ſit, dictum eſt: Reſtat vt exponamus quarum rerum ſit prouidentia, vniuerſarumne, an ſingularum, an vniuerſarum & ſingularum. Plato & vniuerſas res & ſingulas à prouidentia gubernari vult, prouidentiæque rationem partitur in tria: Primum enim eſſe principis Dei prouidentiam, qui primario quidem loco ideis, deinde vniuerſè toti orbi conſulat, vt cœlo & ſideribus, & omnibus rebus vniuerſis, id eſt, generibus, ſubſtantiæ, quantitati, qualitati, & alijs

B

talibus, & formis quæ ſub iſtis ſubiectę ſunt. Ortui autem ignobiliorum animalium, & ſtirpium, & omniū quæ generantur & corrumpuntur, ſecundos deos, eos qui cœlū voluūt, proſpicere. Quorum ortum Ariſtoteles ad ſolem, & ſigniferum orbem refart. Tertiam Plato ſtatuit prouidentiam, penes quam ſit adminiſtratio rerum agendarū, & exitus, itemque naturalium & fortuitorum bonorum, quæ materię admixta, & inſtrumenti locum obtinere dicuntur, atque etiam eorum quæ his ipſis contraria ſunt, adeptio. Huic prouidentiæ præeſſe cenſet certos quoſdam dæmones, circa terram cuſtodes humanarum actionum: ac ſecundam tertiamq; prouidentiam à prima proficiſci, vt poteſtate omnia à Deo gubernētur, qui primos, & ſecundos, & tertios procuratores conſtituit. In quo quod omnia ad Deum refert, & ab eius voluntate omnem pendere prouidentiam affirmat, in laude ponēdum eſt. Quòd verò ſecundam prouidentiam facit eos, qui cęlorum orbes torquent, non item. Non enim hoc prouidentia eſt, ſed fatum, & neceſſitas. Nam vtcunque illi figurentur, neceſſe eſt, & quæ fiunt, fieri, & quidem aliter non contingere. Eorum autem quæ prouidentia gubernantur, nihil cadere ſub neceſſitatem iamdudum oſten-

C

Stoicorū. Democriti, Epicuri ſententia de prouidentia.

ſum eſt. Stoici qui & fatum, & in noſtra eſſe aliquid poteſtate tuentur, nullum locum prouidentiæ relinquunt, immò reuera voluntates noſtras libertate ſpoliant, quod ſupra à nobis probatum eſt. Democritus, Heraclitus, & Epicurus, neque vniuerſis, neque ſingulis, à Deo prouideri volunt. Epicurus enim dicebat; Quod beatum ſit, & immortale, neque ipſum habere negotia, neque alteri exhibere: quare neque iracundia, neque gratia teneri: hæc enim omnia, imbecillitate ſpectari. Ira enim à Deo aliena eſt. Excitatur enim in re, quæ contra quam velimus, accidat, Deo autem nihil præter voluntatem accidat. Atque hi quidem conuenienter ſuis principijs, exiſtimant. Nam qui putant hoc vniuerſum, caſu, & temerè eſſe conſtitutum, meritò dicunt omnia vacare prouidentia. Quorum enim nemo creator ſit, eorum quis ſit procurator? Eſt enim euidens, temerè debere ferri, quæ à principio temerè procreata ſunt. Itaque primæ illorum ſententiæ reſiſtendum eſt: Hac enim labefactata ſatis magnam vim habebunt, quæ dicta ſunt, ad demonſtrandam prouidentiam. Quare hac refutatione ad ſuum tempus reſeruata,

D

veniamus ad Ariſtotelis opinionem, & cæterorum qui negant rebus ſingulis à Deo conſuli.

Ariſtotelis.

Nam Ariſtoteles à natura ſola vult adminiſtrari ſingula, vt in ſexto Ethicorum ad Nicomachum obſcurè ſignificat. Hanc enim vt quæ diuina ſit & inſit omnibus quæ generantur, cuique naturaliter ſuggerere, vt ad res ſalutares accedat, fugiatq; quæ contraria ſint. Quodq; animal, vt iam dictum eſt, & idoneum ſibi alimētum deligit, quod vtile eſt ſequitur, & remedia morborum naturaliter habet cognita.

Euripidis & Menandri.

Euripides, & Menander quibuſdam locis mentem, quæ in quoque ſit, cuique prouidere aſſerunt, Deum verò neminem. Verùm mēs quidem in ijs ſolis perſpicitur, quæ in noſtra poteſtate ſunt. Aut enim eſt rerum, quę ſub actionem cadunt, & artium, aut contemplationis. At

E

prouidentia eorum eſt, quæ in noſtra poteſtate non ſunt, vt verbi gratia vt opulentus quis ſit, & non opulentus, ſanus & non ſanus: Quorum nihil facere mens poteſt, ac ne natura quidem, vt Ariſtoteles putat. Naturæ enim opera perſpicua ſunt. Quid autem ad mentem, aut ad naturam, quod aliquando ab eo pœnæ exigantur, qui hominem occiderit, aliquando ſceleris pœnam effugit? niſi quis dicat quod mentis & naturæ eſt, ad prouidentiam pertinere, quod ſequitur, ad fatum. Quod ſi mens & natura ad prouidentiam pertinent, quæ ſequuntur ad fatū, nihil erit in noſtra poteſtate. Sed nō ita ſe res habet. Quæ enim ad mentem ſpectant, tam eam quæ in agendo, quā quæ in contemplando ponitur, in noſtra eſſe poteſtate docuimus. Non omnia autem quæ prouidentia geruntur, naturæ ſunt, & ſi quæ naturæ ſunt, prouidentia adminiſtrantur. Multa enim quæ Dei prouidentia accidūt,

F

non ſunt naturæ opera, vt de eo qui hominem occidit, oſtendimus. Eſt enim pars prouidentiæ natura, non ipſa prouidentia. Itaque iſti naturæ & menti, rerum ſingularū prouidentiam attribuunt. Cæteri Deo curę eſſe aiunt eorum quæ ſunt permanentiam, vt nihil eorum quæ nata ſunt occidat; & huius vnius in Deo eſſe prouidentiā. Singula verò fortuitò, temereque iactari, eamque ob cauſam multa iniqua facinora, multas cędes, & vt dicam ſummatim, omnem improbitatem inter homines verſari, & horum alios fortuito pœnā vitare, alios etiam puniri, quippe cùm quę ad rectam rationem, & ea lege ſunt, non omninò eueniant: vbi autem neq; ratio, neq; lex dominatur, quomodo dixerit quis Deum eſſe qui procuret. Et quidā ferè vſu venit, vt viri boni lædantur iniuria, & deprimantur, & innumerabilibus malis affligantur: improbi cōtra & importuni homines augeantur potētia, opibus, honoribus in Repub. cæteriſq; bonis quæ ad vitam commodè degendā pertinent. Mihi verò videntur qui hæc loquuntur, cùm alia multa ignorare præcepta prouidentiæ, tum maximè animæ immortalitatem. Nam eam mortalē eſſe arbitrantes, huius vitæ terminis res humanas definiunt: deinde praua & peruerſa habent de bonis iudicia. Eos enim qui opibus circumfluunt, & dignitatibus inſoleſcūt,

G

& cæteris fluxis, caducisque bonis gloriantur, fœlices eſſe, & beatos iudicant. Animi autem bona pro nihilo ducunt, quæ multo corporis, & externa bona antecellunt. Præſtātiora enim bona ſunt, quæ rerum ſunt præſtantiorum. Itaq; tanto virtutes diuitias, ſanitatem, cętera excellunt, quanto anima corpus anteit. Quare cùm ſolæ, tum cum alijs cōiunctæ hominem beatū reddūt. Cum alijs in latitudine, ſolæ, & per ſe in circumſcriptione. Nam eorū quæ ſunt, partim circumſcriptè intelligūtur, vt bicubitū, partim latè, vt aceruus: Nam de aceruo ſi duos modios demas, quod relinquitur, aceruus eſt. Item beatitudini in latitudine intellectę, ſi detraxeris corporis & externa bona, ſolaſque virtutes reliqueris, nihilominus beatitudo manet, ipſaq; ſola virtus ſeipſa ad beatè viuendū contēta eſt. Omnis ergo bonus, beatus, & omnis improbus miſer,

Sola virtus beatum facere poteſt.

etiamſi omnibus prorſus fortunæ bonis quę dicuntur, abundet. Quę cùm multitudo ignoret, ſolos beatos ducit, qui & corpore probè ſint affecti & copioſi. Quare prouidentiam reprehendūt, quæ prouidentia res humanas nō ſolùm ex his quæ ſenſibus notātur, ſed etiā ex ſua, & propria præcognitione adminiſtrat. Cùm enim Deus nō ne-

H

ſciat bono viro expedire pauperē eſſe, eiuſq; ſenſum opes ſi dentur, deprauaturas, vtiliter eum in paupertate ſinit viuere. Ac qui opulētus eſt, ſæpe importuniorem fore vidēs, ſi egeat (ad latrocinandū enim aut ad trucidādos homines, aut ad alia quædā grauiora facinora animū adiūgeret) potiri illū opibus permittit. Itaq, & ad ſepeliendos liberos, & ad vitandos famulos ſæpè nobis vtilis paupertas fuit. Eſſet enim eorū ſalus interitu acerbior, ſi & liberos improbos, & famulos prædones haberemus. Nos .n. nihil rerū venientium pręſentientes, & ea quæ inſtāt tantum ſpectantes, nō rectè de ijs quę in rebus humanis eueniūt, iudicam⁹. At Deo etiā futura, tanquā pręſentia ſunt.

Sed hæc quidem cōtra eos qui prouidentiā damnāt, diſputata ſunt. In quos etiā illud e ſcriptura ſancta cōueniet dicere: *An lutum dicet figulo?* & quæ ſequuntur. Quomodo

Eſa. 4. Hie. 18. Sap. 15. Rom. 9.

enim

A enim non fugiendus homo eſt, qui contra Deum legem fert, & aduerſus prouidentiæ opera nititur, cùm ne Dominum quidem legibus audiat obſiſtere? Itaque his erroribus, vel hac potius impietate prætermiſſa, oſtendamus non rectè eos à rebus ſingulis prouidenriam remouere, cum vniuerſis & genetalibus à Deo conſulatur. Hæ enim tres ſolæ cauſæ afferri poſſunt, cur res ſingulæ Dei prouidentia non regantur. Aut enim Deum ignorare, tectum eſſe, etiam illis conſulere, aut nolle, aut non poſſe. Verùm ignoratio quidem, & inſcitia, ab illa beata natura alieniſſima eſt. Eſt enim ipſamet cognitio, & ſapientia, & ſcientia. Atqui quomodo homo qui ſapiat aliquid, ignoret omnibus indiuiduis pereũtibus, etiam vniuerſa interitura? Nam ex omnibus reb. ſingulis vniuerſa cõſtituuntur. Species enim omnes ſingulas res exæquãt & reciprocantur, vnaque intereunt & vnà conſeruantur. Neque quicquam obſtat quo minus omnia indiuidua intereãt,

Etiam res ſingulæ prouidẽtia reguntur.

B ſi diuinitus nulla prouidentia gubernentur. Quibus pereuntibus etiam vniuerſa interibunt. Quod ſi indicat hoc ſolum illi curę eſſe, ne omnia indiuidua intereant, vt ſpecies conſeruentur; non vidẽt ſe dicere etiam ſingularum rerum quandam procurationem eſſe, quãdoquidem rebus ſingulis, vt ipſi aiunt, proſpiciens, genera, ſpecieſque tuetur. Alij dicunt non ignorare quidem Deum, ſed prouidere nolle. Verùm hoc ipſum nolle, duabus de cauſis accidit, aut ob ignauiam, aut quod indecorum ſit. Ecquis ita inſaniat, vt ignauiæ Deum accuſet? Rurſus enim duabus de cauſis ignauia innaſcitur, voluptate & timiditate. Aut enim voluptate aliqua illecti, ignaui ſumus: aut metu aliquo, ab agendo remouemur. Quorum neutrum de Deo ſuſpicari fas eſt. Sin ignauia quidem Deum liberant, ſed illi decorum hoc genus prouidentiæ dicant, indignũ enim eſſe eiuſmodi beatitudine ad res viles, & minutas ſe dimittere, & corporeis ex noſtraq; lectione, & voluntate manantibus ineptijs, velut profanari, ideoque prouidere nolle, non intelligunt ſe Deo duas vitioſiſſimas affectiones tribuere, ſuperbiam & inquinationem. Aut enim ob ſuperbiam Deus imperium, & gubernationem rerum ſingularum deſpicit, quod dictu abſurdiſſimũ eſt, aut vt ipſi loquuntur, quod inquinationẽ deuitet. Quod

C ſi cùm radij ſolares vim habeant attrahendi humorem omnem, negant inquinari ſolem, eiuſque radios, cum cœno lucem inferunt, ſed integros, & ab omni ſorde puros manere dicunt, quomodo Deum rebus humanis profanari exiſtimant? Non ſunt hæc hominum dogmata, qui Dei naturam perſpectam habeant. Nam in Deum, neque tactio, neque interitus, neque macula, neque commutatio vlla poteſt cadere. Inquinatio autem, & omnia eius generis ad mutationem pertinent.

Veruntamen nonne abſurdiſſimum eſt, quemlibet artificem maximeq; medicum vniuerſo conſulentem, nullam rem de ſingulis, ne minimam quidem, artis & curæ expertem, prætermittere, quòd ſciat conferre aliquid ad rerum vniuerſitatem? Deum eiuſdem vniuerſitatis molitorem, etiam opificibus rudiorem reddere? Cæterùm an prouidere quidem vult, non tamen poteſt? Quomodo non perſpicuè abſurdum eſt, Deum imbecillem aſſerere, & bene metendi facultatem non habere? Præterea dupliciter intelligi poteſt, Deum indiuiduis prouidere non poſſe, quòd ipſe natura non ſit ad procurãdum idoneus,

D aut quòd res ſingulæ prouidentiæ non ſint capaces. Verùm idoneum quidem illum eſſe natura ad prouidendũ, etiam ipſi concedunt, dum aiunt illum rebus vniuerſis prouidere, eoq; magis, quòd inferiora ad ſuperiora pertingere non poſſunt: at ſuperiorum vis etiam vſque ad vltima, ſenſumque fugientia, omnia fouens & conſeruans, pertineat. Omnia enim à diuina voluntate pendent, & inde permanentiam, ſalutemque accipiunt. Eſſe autem etiam indiuidua ipſa, & res multiplicatas, capaces prouidentiæ, ex animalibus perſpicitur, quæ imperijs quibuſdam & magiſtratibus gubernantur, & vnum in locum cõuenientia, principibus quibuſdam ſubijciuntur, quos audientes ſequuntur, vt in apibus & formicis, alijſq; plurimis licet cernere. Sed hoc qui in hominum cultum & Rempubl. intuebitur, maximè animaduertet. Videmus

E enim eos legiſlatorum & magiſtratuum rectionem, & procurationem admittere. Quæ qui recipiat, quomodo in eum Dei prouidentia non cadat? Iam verò etiam res ſingulas regi prouidentia, magno argumento eſt, quòd naturaliter eius notitia hominibus eſt inſita. Nam difficili, & neceſſario noſtro tempore ſtatim ad numen diuinum, & preces confugimus: velut natura nos ſine doctrina ad Dei opem perducente: Non autem ſine doctore nos natura ad id duceret, quod eadem natura non fert, vt fiat. Nam in repentinis perturbationibus & timoribus ſine electione, neque deliberatè & tanquam aliquid cõſideremus, Dei numen inuocamus. Quicquid autem naturaliter quamque rem inſequitur, in eo tanta vis eſt ad demonſtrandum, vt contradici nihil poſſit. Quę ergo ratio iſtos ad hanc ſententiam adduxit? Primum quidem,

F quòd exiſtiment cum corpore animam interire. Deinde quia rationem rerum ſingularum prouidentiæ percipere nequeunt. Verùm animam morte non deleri, neque huius vitæ circumſcriptione res humanas terminari, & diſceſſus ab vno corpore in aliud, quod doctiſſimi quique Græcorum probant, & loca quæ dicuntur animabus, pro cuiuſque vita diſtributa, & ſupplicia, quibus per ſe animæ afficiuntur, declarant. Hæc enim etſi in alio quopiam peccant, tamen remanere animam poſt hanc vitam, & luere pœnam peccatorum, confitentur. Sin prouidentiæ ratio rerum ſingularum à nobis comprehendi nõ poteſt, vt certè non poteſt, prout illud teſtatur. Quam indagati nequeunt iudicia tua, neque inueſtigari viæ tuæ! non tamen hanc ob cauſam neganda prouidentia eſt. Neque enim quoniam maris terminos & arenæ numerum ignoramus, neget quis mare, aut arenam eſſe.

Anima morte nõ deletur.

Nam hoc quidem modo etiam hominem, aut aliud quodpiam animal eſſe negent, quoniam numerum hominum, & cæterorum animalium neſciunt. Nam indiuidua nobis infinita ſunt.

Quæ autem nobis infinita, nobis incognita, ac vniuerſa quidem ſæpè ratione comprehenduntur, res ſingulæ vt comprehendantur, fieri non poteſt. Cùm autem ſit in vnoquoque homine duplex differentia: vna, qua ab alio homine diſcrepat: altera, qua à ſeipſo (multum enim quotidie quiſque mutatur, & à ſeipſo differt in vitæ genere, in ſtudijs, in vitæ neceſſitatibus, in cupiditatibus, & accidẽtibus: celeriter enim ſe vertit hoc animal, & cũ vitę neceſſitatibus, temporibuſq; mutatur) neceſſe eſt etiam

In homine duplex differẽtia.

G congruentem cuique prouidentiam, eamque differentem, & variam & multiformem, & cum rerum ſingularum immenſitate coniunctam comitari. Quod ſi accommodatam cuique oportet, in quaque re, & propriam eſſe prouidentiam, infinita autem eſt rerum ſingularum differentia, ſimul infinita eſt eis accommodatæ ratio prouidentiæ. Sin autem infinita, etiam nobis ignota. Quare non ob ignorationem noſtram moderatio, curaque rerum delenda eſt. Quæ enim tu non rectè geri putas, ea prudenter Deo decreta ſunt. Sed tu, quoniam cauſas ignoras, prudenter geri negas. Idem enim nobis vſu venit in prouidentiæ operibus, quod in cęteris rebus quas non aſſequimur. Ex coniectura aliqua, eaq; obſcura, eam cognoſcimus, & imagines quaſdam, vmbraſque operum eius, ex his quæ fieri videmus, velut ſuſpicantes, ſumimus.

H Dicimus enim quædam fieri permiſſione Dei. Permiſſionis autem multæ ſunt ſpecies. Permittit enim ſæpè etiam virum bonum in calamitates incidere, vt latentem in eo virtutem cæteris prodat, vt de Iob accepimus. Alias permittit aliquid abſurdi fieri, vt re quæ abſurda videatur, magnam quandam rem, & admirabilem aſſequatur, vt per crucem ſalutem humani generis. Alio modo ſanctum & pium hominem in ærumnis & miſerijs permittit, ne de bona animi conſcientia, & poteſtate ſibi data in arrogantiam prolabatur, vt in Paulo animaduerti poteſt. Deſeritur igitur quis ad tempus, ad correctionem alterius, vt eius caſum cæteri intuentes erudiantur, vt in Lazaro, & diuite euenit. Natura enim ita comparatum eſt, vt dum alios in malis cernimus, ipſi animis contrahamur, vt ſcitè à Menandro dictum eſt:

Permiſſionis Diuinę multæ ſunt ſpecies.

2. Cor. 12.

Luc. 16.

Dei timentes numen, in malis ſuis.

CAPVT

61571